

Cat[illegible] . lib[illegible]

Est 67
Ir 129



THEOLOGIÆ
MORALIS
LIBER QVARTVS
DE VIRTVTE
ET
STATV RELIGIONIS.

AVCTORE PAVLO LAYMANN
SOCIETATIS IESV THEOLOGO.



Corrigiose con comission de
los SS. Inquisidores en
junio [illegible] de 1707.
fr. Ant.º Blanco

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus Petri Billaine, viâ Iacobæa
ſub ſigno Bonæ Fidei.

M. DC. XXVII.



DE VIRTVTE ET STATV RELIGIONIS.

PROOEMIVM.



CIRCA etymologian *Religionis* variæ sunt sententiæ: Nam S. August. lib. 10. de Ciuitate, c. 4. existimauit, dictam fuisse *à reeligendo*; quasi religiosi vocentur, qui rursus diligendo eligant, quæ negligendo amiserunt. Cicero verò lib. 2. de natura Deorum, quem Isidorus secutus fuit lib. 10. Etymolog. *à relegendo* deriuat: *Qui omnia*, inquit, *quæ ad cultum Dei pertinerent, retractarent, & relegerent, hi dicti sunt religiosi, à relegendo.* Sed meliùs sentire videtur Lactantius lib. 4. de vera sapient. c. 28. *Hac conditione gignimur, vt generati nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus; hunc solum nouerimus, hunc sequamur, hoc vinculo pietatis obstricti Deo, & religati simus: vnde ipsa religio nomen accepit; non vt Cicero interpretatus est à relegendo.* Eandem sententiam postea tenuit S. August. lib. 1. retract. cap. 13. & de vera religione cap. vlt.

Igitur Religio secundùm primæuam significationem dicta est, Quia nos Deo vinculo pietatis astringit ac religat, dum ei, vt supremo rerum omnium Domino, cultum & obsequia nostra deferimus. Qua ratione definitur ex S. Th. 2. 2. q. 81. a. 2. & 5. Religio est virtus, exhibens Deo debitum cultum. Alias exinde translatas acceptiones *Religionis* videre potes apud Suarez t. 1. de relig. lib. 1. c. 1.

Notanda est autem doctrina S. Th. q. 81. a. 5. Quod Religio inter Theologicas virtutes non numeretur, propterea quia illæ proximè ac directè versantur circa Deum, tanquam obiectum Quod; eum credendo, sperando, amando. At verò Religio proximè ac directè versatur circa exhibitionem cultus diuini, adeóque hominis actionem, per quam diuinæ excellentiæ contestatio fit, huiusmodi actio est oratio, sacrificium, votum, iuramentum; imò quodlibet opus bonum, propter Dei honorem præstitum, secundùm Apost. ad Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite.* Et S. Iacob. c. 1. *Religio munda, & immaculata hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione earum.* Indirectè autem religio per actionem suam attingit Deum tanquam finem actionis, siue, vt Caiet. loquitur a. 3. tanquam *obiectum cui*. Nam Deo, siue in honorem Dei, sacrificamus, vouemus, ieiunamus. Quare Religio inter mo-

rales virtutes præstantissima est: quia propinquiùs, quàm aliæ Deum attingit, teste eod. S. Th. a. 6. Magnam verò hæc virtus affinitatem cum Iustitiæ virtute gerit, vt proindeeius pars potentialis censeatur, sicuti edocet S. Th. a. 1. Deficit tamen à proprietate; quia licet Religio Deo cultum debitum persoluat, non tamen secundùm æqualitatem, & vt debito plenè satisfieri possit, sicuti dixi lib. præced. de iust. tr. 1. c. 3. n. 3.

Huncverò librum in decem tractatus distinguo I. est de Oratione, & horis Canonicis. II. De Ecclesiasticis beneficiis. III. De Iuramento, ac periurio. IV. De Voto eiúsque relaxatione. V. De statu Religionis VI. De Decimis, primitiis, aliísque oblationibus VII. De Festorum obseruatione, Sanctorum canonizatione ac cultu. VIII. De Ecclesiastico ieiunio. IX. De Immunitate Ecclesiastica. X. De vitiis Religionis virtuti oppositis.



LIBRI QVARTI

TRACTATVS PRIMVS, DE ORATIONE, ET HORIS CANONICIS.

CAP. I.

DE ORATIONE VNIVERSIM.

SVMMARIVM.

1 *Oratio est actus elicitus ab intellectu; supposito actu voluntatis mouentis.*
2 *Oratio ad Deum homini viatori necessaria est, necessitate medij ad salutem.*
3 *Tempora, quibus praceptum orandi per se obligat, determinari non possunt.*
4 *Peccatores bene orare possunt, & orando impetrare.*
5 *Anima in purgatorio Deum orant non tantùm pro se; sed etiam pro aliis.*
6 *Sanctos in Cœlo, ipsúmque Christum, quà homo est, pro nobis orare, certum est.*
Sanctorum apud Deum patrocinium fideles rectè inuocant.
7 *Pro animabus in purgatorio, & omnibus hominibus viatoribus rectè Deum oramus.*
8 *Qua bona hominis absolutè sunt, ea sicuti desiderari, ita & per orationem à Deo absolutè peti possunt: qua verò indifferentia, ea nonnisi sub conditione, si nobis ad anima salutem expediant.*
9 *Rem malam, seu auxilium ad peccandum à Deo petere, est peccatum mortale: rem vero indifferentem absque vlteriore honesto fine petere v.g. lucrum ex ludo, potest esse veniale.*
10. *Oratio infallibilem ex Christi promissione impetrandi vim habet modo adsint conditiones requisita.*

RATIO interdum accipitur latè, pro quouis animi pio motu erga Deum; quo modo S. Damascenus accepit lib.3. de Fide, ca. 24. *Oratio est ascensus mentis in Deum.* Et Auctor libri de spiritu & anima, c.50. in operibus S. August. to.3. *Oratio est conuersio mentis in Deum, per pium & humilem affectum.* Interdum verò accipitur strictè, atque ita definiri potest ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 83. a.1. Medinæ de orat. q.1. in fine, Azor to. 1. lib. 9. c.29. q.3. Suarez to.2. de relig. lib. 1. de orat. c.1. Bellarm. lib. 1. de bonis operibus, c. 1. Less. lib.2. c. 37. dub.2. Actus rationis practicæ, desiderium animi coram Deo explicantis, vt aliquid ab ipso impetretur.

Dicitur *actus rationis*; Quia oratio elicitiuè est ab intellectu seu ratione, supposito actu voluntatis mouentis, sicuti indicat S. Basilius orat. in Tulittam: *Oratio est boni cuiusdam petitio, quæ à pijs ad Deum effunditur.* Similiter S. Damasc. in cit. ca. 24. ait. quòd oratio est *decentium à Deo petitio*, conuenienter verbo Christi Marci cap. 11. *Quidquid orantes petitis.* Etenim petitio locutio quædam est, qua desiderium nostrum illi intimamus, à quo aliquid speramus: quare S. Gregorius Nyssenus ait, in lib. de oratione, princip. quòd *oratio est conuersatio, sermocinatióque cum Deo.* Additur *practicæ*, Quia desiderium animi non pandimus coram Deo, vt illud cognoscat, sed vt moueatur ad rem, quam cupimus, præstandam. Etenim desideria rerum, quas speramus, ad effectum duobus modis deducimus; Primò, si in potestate nostra sint, per imperium, *Fac hoc, Fiat hoc*: secundò, si non in nostra, sed in aliena potestate sint, per petitionem seu postulationem, *Rogo, vt fiat hoc*: vtraque autem oratio, imperium, inquam, & deprecatio, rationis practicæ opus est; sicuti docet S. Th. cit. a. 1. Et quòd simili quadam ratione Angeli Deo loquantur, ab ipso petentes vt illuminentur, dum conceptum rei desideratæ per voluntatem ordinant ad Deum, docet idem S. Th. 1. p. q. 107. a. 2. Enimuero eadem conceptio, quæ secundùm se Angeli intellectio est, ad alterum relata locutio est.

Obijcit autem Medina q. 2. existimans, orationem esse actum immeditatè elicitum à voluntate: Oratio est actus Latriæ seu Religionis, teste S. Th. cit. q. 83. a. 2. Virtus autem Religionis in voluntate est: ergo & actus orationis. Respond. non docuisse S. Thomam quòd oratio sit actus elicitus à virtute Religionis, sed quòd imperatus: Nam sicuti Religio, quæ in voluntate est, aliarum inferiorum potentiarum actus in Dei cultum ac reuerentiam ordinat, ac submissè offert; ita etiam actus elicitos ab intellectu, puta orationes, & gratiarum actiones. Vide eumdem S. Thom. a.3. ad.3. Tametsi igitur affectus orandi, seu per orationem submittendi se Deo, eiúsque excellentiam supremam protestandi, actus elicitus sit à Religionis virtute; ipsa tamen oratio seu petitio est actus imperatus: quamuis, prout oratio consideratur in genere morali, humilis à Deo tanquam fonte omnis boni petitio, sic absolutè dici potest, esse actum elicitum à virtute Religionis, sicuti bene monet Suarez cit. lib. 1. cap.7.

2 Quæstio Prima. An, & qualis necessitas orandi hominibus viatoribus imposita sit? Respondeo, & dico I. Oratio ad Deum homini viatori necessaria est necessitate medij ad salutem. Ita Suarez ca. 28. Intelligitur autem assertio secundùm ordinarium à Deo ordinatum modum homines adultos saluandi. Probatur. Quia & rerum naturis, & suaui prouidentiæ ac gubernationi Dei, rationalium creaturarum cooperationem exigentis congruit, vt posteaquam homines Deum auctorem, & infirmitatis suæ adiutorem agnouerunt, eius necessarium auxilium quærant, desiderent, & humiliter petant. Quare Christus ait apud S. Lucam cap. 11. *Petite & dabitur vobis*, quasi aliter dandum non sit, nisi petatur: *quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis*. Ita de obseruatione mandatorum Dei, eam absque oratione obtineri non posse, indicat S. August. lib. de natura & gratia, cap. 43. interprete Trident. sess. 6. c. 11. *Deus impoßibilia non iubet; sed iubendo monet & facere quod poßis, & petere quod non poßis.* Et lib. 2. de dono perseuerantiæ, c. 16. ait idem August. *Constat, Deũ alia non orantibus sicut initium Fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut vsq; in finem perseuerantiam.* Etenim quos Deus ad finem vitæ æternæ prædestinat, iis conuenientia media ordinat, inter quæ ordinarium est, oratio; ad quam vsurpandam nos ipse excitat, atque adiuuat; vt id assequi possimus, quod sine orationis medio nobis non præparauit, sicuti S. Gregorius explicat lib. 1. dialog. c. 8. relatus causa 23. q. 4. *Obtineri nequaquam possunt, quæ prædestinata non fuerunt: sed ea, quæ sancti viri operando efficiunt, ita prædestinata sunt, vt precibus obtineantur.* Et S. Th. cit. q. 83. a. 2. *Non propter hoc oramus, vt diuinam prouidentiam immutemus: sed vt id impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum.*

Dico II. Oratio homini viatori est necessaria necessitate præcepti diuini ac naturalis, Ita S. Th. a. 3. ad 2. Durandus in 4. d. 15. q. 12. Medina de orat. q. 9. aliiq; communiter. Sumitur ex verbis Christi: *Petite, & dabitur vobis.* Matth. 28. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Ratio sumi debet ex voluntate Dei, iustè ac salubriter disponentis, vt necessitatibus nostris auxilium atq; medelam consequi non possimus, nisi humili subiectione ab ipso petamus: ex quo colligitur, necessitatem orandi non tantùm prouenire ex lege Charitatis erga nos ipsos; sed etiam ex lege virtutis Religionis erga Deum: siquidem Deus vult ac iubet, vt ad salutem nostram cooperemur, adhibentes hoc ipsum medium humilis subiectionis & cultus, per orationem seu petitionem eorum, quæ nobis ab ipso necessaria sunt, sicuti explicat Suarez cap. 29. §. nihilominus & cap. 30. §. hæ obiectiones. Quamuis contrarium senserit Alex. Halensis, p. 4. q. 90. mem. 1. a. 2.

3 Dico III. Tempora, quibus præceptum orandi per se, & ex Religionis virtute obligat, determinari non possunt: necesse tamen est, vt non nimis diu ab oratione desistamus. Hæc assertio est ex mente S. Thom. in 4. d. 15. q. 4. a. 1. q. 3. Palud. ibid. q. 5. a. 1. Durandi cit. q. 12. Less. lib. 2. c. 37. nu. 11. Suarez ca. 30. num. 15. & 16. Valentiæ to. 3. disp. 6. q. 2. p. 3. in fine. Quo etiam sensu explicari possunt verba S. Lucæ cap. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* 1. ad Thess. 4. *Sine intermißione orate.* Quia enim continuum nobis cum hostibus spirituale bellum est, vt dixerit S. Iob. ca 7. Militiam, seu tentationem esse vitam hominis super terram; ideo nunquam ab oratione omnino desistendum; quin mox, id est, non longo nimis interuallo (consideratis circumstantiis secundùm viri prudentis arbitrium) ad eam redeamus; quandoquidem hoc medium, tanquam præcipuum ad vincendũ, Deique gratiam acquirendam, retinendam nobis præscriptum & commendatum est.

Per accidens autem, siue ob occurrentem aliquem euentum, plures orandi obligationes, saltem ex Charitatis virtute prouenientes, à DD. numerantur: I. est, Si grauis tentatio superanda sit, II. Si eximium à Deo beneficium ad salutem necessarium homini consequendum, v. g. illuminatio in controuersiis Fidei, cùm homo dubitans veram Ecclesiã quærit. III. Mortis propriæ imminente periculo. IV. Si Communitas in magno periculo constituta sit, vt Dei auxilium ad auertendum malum implorãdum esse videatur: quandoquidem constat, Deum sæpe populum ingenti malo liberare nolle, nisi per orationes: ergo ad hoc medium à Deo ordinatum quisquis è populo obligatur, secundùm Charitatis legem. V. Addunt Syl. ver. oratio, q. 8. Nauar. c. 13. n. 18. Suarez cit. c. 30. in fine. Si proximus in spirituali necessitate constitutus sit: vt si quis videat duos ad duellum properantes, neq; aliter impedire possit, quòd teneatur Deum pro illis orare. Sed bene admonuisse videtur Less. n. 12. eiusmodi obligationem raram esse. Nam conari ad proximum à peccato liberandum non tenemur, nisi probabilis spes sit securæ liberationis: si autem videas duos maliotiosè in duellum proruentes, non potes tibi probabiliter polliceri, oratione tua ad Deum fusa à peccato & exitio ereptum iri (cùm oratio pro alio, præsertim peccatore obstinato, difficiliùs exaudiatur, quàm pro seipso, teste S. August. tr. 102. in Ioan. S. Th. a 15. & 16.) nisi singulariter ad orandum te excitari sentias, quod, vt dixi, rarum est.

Quæstio Secunda. Quinam vtiliter orare possint? Dubitatur autem de hominibus peccatoribus; de animabus in purgatorio; de Sanctis in cælo, ipsóque Christo, quà homo est. Respondeo, & dico I. Peccatores bene orare possunt, & ita orantes exaudiuntur. Ita docet S. Th. a. 16. allegato testimonio S. August. tr. 44. in Ioannem; *Si peccatores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram demittens, & pectus suum percutiens diceret, Deus propitius esto mihi peccatori.* Et Auctor operis imperfecti, explicans verba Christi apud S. Matth. c. 7. *Omnis qui petit, accipit;* adiicit, *siue iustus sit, siue peccator:* modò adsint hæ quatuor conditiones, ait S. Th. in corp. a 16. *vt pro se petat, necessaria ad salutem, piè, & perseueranter;* tunc Deus secundùm misericordiam suam etiam peccatores, ad se accedere incipientes, exaudit. 4

Neque obstat illud dictũ apud S. Ioan. c. 9. *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Nã imprimis respõdet S. Aug. dictũ illud esse cæci qui nondũ perfectè instructus & S. spiritus vnctus erat. Secũdò respondet S. Th. ad 1. Verũ esse, quòd Deus peccatores, quà formaliter tales sunt, non audit: Puta si aliquid petant, quo peccatum suum exequi possint: nisi quòd interdum Deus, iusto iudicio fieri permittat, quod ita malè petitur, in pœnam petentis, sicuti S. August. annotauit tract. 73. in Ioan. & ep. 162. ad Probam, c. 14. Vel si peccator miraculum à Deo petat, non in confirmationẽ veræ fidei; sed vt sectarius, seu falsarius in confirmationem doctrinæ falsæ, tunc Deus petitionẽ implere non potest; cùm hæc esset contestatio falsi, quæ in Deum veracissimũ non cadit Atq; hoc est, quod sapiẽter cæcus ille animaduertit, Deũ tale miraculũ per hunc hominẽ in cõfirmationẽ suæ doctrinæ facturum non esse, si non à Deo missus, sed falsarius atq; peccator esset. Videri potest Gabr. lect. 59. princip. & lect. 63. §. ex quo sequitur, in can. Missæ.

Dico II. Certum esse debet, quòd animæ in purgatorio orent Deum pro seipsis. Ita Alensis in 4. p. q. 91. memb. 4. Valent. c. q. 2. p. 6. Suarez cap. 11. §. sed iam dicendum, Less. lib. 2. c. 37. dub. 5. Cùm enim pœnam & miseriam suam cognoscant, & sint in desiderio, ac spe liberationis; quid obstat, quo minùs hunc affectum Deo humili petitione explicare possint? sal- 5

tem vt excitet fidelium in terris existentium animos ad suffragia pro illis ferenda.

An verò pro nobis in terra existentibus animæ orent, maius dubium est: Negant enim S. Th. a. 11. ad 3. Halēsis cit. mem. 4. Nau. de orat. c. 1. n. 22. Sed oppositũ probabiliter docuit Gabr. Lect. 58. in can. Missæ, pro- finem. Ioan. Medina. C. de orat. q. 4. ver. De animabus Bellarm. li. 2. de purgator. c. 15. Valēt. Suarez. Less. ll. cc. quòd animæ in purgatorio pro nobis orēt; seu indeterminatè pro omnibus seu determinate pro amicis, cognatis, iisue, qui suffragia ad ipsorũ liberationē Deo offerunt. Quia licet non sint in statu merendi; is tamen ad orandum & impetrandum non requiritur, sicuti testatur ipse S. Th. a. 16. ad. 2. Et cùm sint Deo gratæ, nostrásque miserias saltem in genere, proprias autem in particulari cognoscant, nihil prohibet, quo minùs tum pro seipsis, tum etiam pro nobis, saltem vt communibus, quibus nos obnoxios sciunt, miseriis liberemur, orare, atque secundùm Dei misericordiam impetrare possint. Accedit, quòd ex scriptura sacra cōstat, animas Patrum veteris testamenti, dum in limbo detinebantur, pro populo orare solitas, Hier. 15. & 2. Machab. vlt. vbi de Ieremia defuncto dicitur; *Hic est, qui multum orat pro populo.*

6 Dico III. Certum est, Sanctos in cœlo pro nobis orare, etiam in particulari. Hæc assertio est de Fide, quam tradit S. Th. a. 11. Probatur primò ex Scriptura sacra: Zachariæ cap. 1. legimus, quòd Angelus afflictionem populi miseratus, ita Dominum deprecatus sit: *Domine exercituum, vsquequo tu non misereberis Hierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es?* In quem locum S. Hieron. scribit: *Angelus, qui interpellat pro Israel, occasionem accipit pro populo deprecandi: Cũ omnis orbis quietus sit, & pacatus, quare, Domine, non misereris Hierusalem.* Vide etiam Theodoretum. Deinde Tob. 12. dixit Angelus ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrimis, & sepeliebas mortuos, & eleemosynam dabas, ego orationem tuam obtuli Domino.* Quid est, quòd orationem Tobiæ Domino Angelus obtulit, nisi quòd deprecationem suam adiunxerit vt citiùs exaudiretur; sicuti per familiares aulicos preces aliorũ principi offeruntur. Videri potest S. Hilarius can. 18. in Matth. *Sanctorum per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt.* Et S. August. epist. 120. c. 29. *Annuntiant Angeli non solùm nobis beneficia Dei, verùm etiam illi preces nostras.* Item Andr. Cæsariensis, Aretas, & alii, qui scribunt in Apocal. c. 8. Ratio est. Quia Angeli in cælo, aliiq; beati nostras miserias cognoscunt; siue in Verbo, vt vult S. Th. q. 83. a. 4. ad. 2. siue per nouas reuelationes, vti vult S. August. lib. de cura pro mortuis, c. 15. Et quia charitate nobiscum coniuncti sunt, auxilium à Deo rogare, atque impetrare non cessant. Sic enim legimus Luc. 15. Gaudium esse in cœlo, si peccator ad pœnitentiam reuertatur: cur? nisi quia Angeli, aliique beati desiderii ac voti sui cōpotes fiunt. Cui doctrinæ Catholicæ adstipulantur Patres Origenes lib. 8. contra Celsum, vbi ait, quòd Angeli, & animæ beatæ in cælo pro nobis supplicantes, *simul & sentiant, quinam sint Dei benignitatem promeriti.*

S. Cyprianus li. 1. epist. 1. ad Cornel. *si quis hinc nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deũ nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* Et in lib. 6. de mortalitate: *Magnus illic nos charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate solicita.*

S. Basilius lib. de Virginit. *Reuerebitur* (Virgo) *Angelorum infinitas multitudinis, & vnà sanctorum Patrum beatissimos spiritus. Nullus enim ex his est, qui non singula vbique consideret. Etsi enim oculis carnis minimè conspicui sunt, incorporeis tamen obtutibus ad agnitionem complectuntur omnia, & comprehendunt.*

S. Gregor. Nazianz. orat. 20. in laudem Basilij: *Tu verò sacrum, & diuinum caput, nos è cælo, quæso, inspices; carnisq; stimulum à Deo nobis ad disciplinam datum, precibus tuis siste.*

Idem in orat. 18. in laudem S. Cypriani: *At tu nos è cœlo benignus aspicias: sermonésque nostros, & vitam gubernes.*

S. Gregor. Nyssenus orat. de S. Theodoro Martyre: *Etiamsi superasti seculum; at nosti affectus, & vsus necessitatésque humanæ conditionis: pete pacem, vt hi publici conuentus non desinant, ne debacchetur atque grassetur aduersus templa, altariáue rabiosus & sceleratus Barbarus.*

S. Ambrosius lib. de viduis: *Isti sunt Dei Martyres, nostri Præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum.*

S. Hieronymus aduersus Vigilantium: *Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro cæteris; quando pro se adhuc debent esse soliciti: quantò magis post coronas, victorias, & triumphos? Vnus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini, & primus Martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur, & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt?*

Idem argumentum tractat S. Gregor. Nazianzenus in orat. funebri patris sui: *Nec dubito, quin hoc nunc quoque tantò magis deprecatione sua, quàm prius doctrina præstet, quantò nunc magis Deo appropinquat, vt qui corporeas compedes excusserit, &c. ac limo illo, mentis puritatem inficiente liberatus sit, nudúsq; cum nuda, principe illa & purissima Mente versetur.*

Seuerus Sulpitius ad Basul. de transitu S. Martini: *Martinus hic pauper & modicus, cœlum diues ingreditur: illinc nos, vt spero, custodiens, me hoc scribentem respicit; te legentem.*

Prudentius hymno de S. Eulalia.

Illa Dei sita sub pedibus,
Prospicit hæc, populósque suos,
Carmine propiciata fouet.

S. Gregor. I. in concione præparat. ad mortem: *Neque de hoc dubitare quemquam conuenit, se, cùm in mortis periculo est, non solum esse, sed sui curam omnes Angelos agere, & omnium sanctorum oculos in se defixos.*

Et lib. 4. Dialog. cap. 33. *Quia illic omnes* (Sancti) *communi claritate Deum conspiciunt, quid est, quod ibi nesciunt, vbi scientem omnia vident?*

Exinde autem colligitur; Beatos in cœlo rectè à fidelibus inuocari, vt opem apud Deum, cui coniuncti sunt, nobis impetrent. Nam ita legimus, quòd Iacob Patriarcha Gen. 48. Angeli opem implorauit: *Angelus, qui eripuit me de cunctis malis, benedicat pueris istis.* Et hanc semper fuisse Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem inuocandi sanctos Dei, testantur Patres: vt Origen. in lib. Numer. cap. 31. n. 26. & lib. 2. in Iob. Euseb. de præparat. euangel. lib. 13. c. 7. S. Basil. homil. in 40. Martyres. Cyrillus Hierosolymit. catech. 5. Ruffinus lib. 2. histor. c. 33. Chrysost. hom. 66. ad populum Antiochenum S. August. tract. 84. in Ioannem, lib. 7. contra Donatistas, cap. 1. & lib. 22. de ciuit. c. 8. Seuerus Sulpitius epist. ad Borelium Diaconum. S. Maximus Taurinensis homil. de S. Agnete. Leo I. in Natali Apostol. serm. 1. Theodoret. lib. 8. contra Græcos, de Martyribus. Victor Vticensis lib. 3. de persecut. Africæ.

Obiicitur primò: Christus est vnicus mediator noster, per quem accessum habemus ad Deum Patrem, secundùm illud Apost. 1. ad Timoth. 2. *Vnus est Deus, vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus.* Ergo Sanctos adhibere non debemus tanquam mediatores. Respondeo ex doctrina Concil. Tridentini sess. 25. Nos Sanctos siue beatos in cœlo non inuocare, tanquam auctores donorum, & beneficiorum; sed tā-

quam apud Deum interceſſores, & quidem per paſſionem ac merita Chriſti Domini, qui ob excellentiam vnionis hypoſtaticæ, principali ac ſingulari modo; & hoc ſenſu vnicus mediator inter Deum atque homines exiſtit: alii autem Sancti ſecundarii, & per ipſum Chriſtum, cui proinde nihil gloriæ adimitur, ſed potiùs adiungitur, quando per merita Chriſti alii Dei ſancti acceſſum habent ad thronum gloriæ, etiam pro aliis deprecando. Videri poteſt Cyrillus Alexandr. lib. 12. theſauri, cap. 10. Et S. Auguſt. in pſal. 108. vbi ait. *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolùm non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.*

Corollarium. Oratio, quam ad beatos in cœlo fundimus, non eſt actus elicitus à virtute Religionis ſeu Latriæ, (quippe qua ſolum Deum colimus) ſed eſt inferioris cultus, quæ *dulia* dici ſolet. Idque annotauit S. Auguſt. lib. 10. de ciuit. c. 10. & lib. 20. contra Fauſtum, c. 21. Verùm quia colendo & inuocando Sanctos, etiam ipſum Deum, & Filium eius Chriſtum colimus ac inuocamus, vti notauit S. Th. q. 82. a 2. ad 3. & S. Ambr. ſerm. 6. *Quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum: & qui ſpernit Sanctos, ſpernit & Dominum.* Ideo dicendum eſt, orationem erga Sanctos eſſe actum imperatum à virtute Religionis: vel, ſi malis, eſſe actum re ipſa, aut virtute duplicem, qui quatenus ad Deum, & Chriſtum Filium eius dirigitur, Latriæ eſt; quatenus verò ad Sanctum ſpectat, Duliæ. Ita enim frequenter oramus: *Concede nobis Deus, interceſſione huius ſancti &c. per Chriſtum Dominum noſtrum.* Cùm enim demerita ſiue peccata noſtra nos grauant, releuari nos poſſe eorum meritis, quos Deus diligit, teſtatur S. Auguſt. lib. 2. ſuper Exod. q. 149. & S. Bernar. de Aſſumpt. B. Virg. *Opus eſt mediatione ad mediatorem iſtum,* Chriſtum Dominum: *nec alter nobis vtilior, quam Maria*

Obiicitur ſecundò, Dictum Apoſtoli ad Coloſſenſ. 2. *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione Angelorum:* quaſi abiecta res ſit, & indigna Chriſtianis, ſi Angelicas ſubſtantias colant & inuocent. Reſpondetur enim cum S. Hieron. in epiſtola ad Algaſiam, q. 10. S. Chryſ. hom. 7. in epiſt. ad Coloſſ. Theodoreto in cit. cap. 2. Theophyl. in præfat. eiuſdem epiſt. Apoſtolum loqui contra errorem illum; Mundum à Deo ſupremo per Angelos, tanquam Deos minores, creatum eſſe; ideòq; per ipſos, tanquam mediatores, neceſſariò nobis ad Deum perueniendum. quod vt Gentilium, præſertim Platonicorum commentum, refutat Auctor commentar. in epiſt. ad Rom. cap. 1. apud S. Ambroſium to. 3. Qui ipſe error etiam apud Iudæos idololatras inualuiſſe videtur, ita vt Angelos etiã adorarent, ſicuti colligitur ex Deuteron. c. 17. & 4. Regum, c. 23. *Adolebant incenſum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cœli. Militia autem cœli,* inquit Hieron. loc. cit. *non tantùm ſol appellatur, & luna, & aſtra rutilantia: ſed & omnis Angelica multitudo, eorùmq; exercitus, qui hebraicè appellatur ſabaoth.* Poſt Chriſti verò aduentum eundem errorem de Angelis mundi creatoribus excitârunt hæretici, & apoſtatæ, nominatim Cherinthus, ſicuti teſtatur S. Irenæus lib. 5. aduerſus hæres. c. 19. Tertull. lib. de præſcript. c. 48. Cherinthus *mundum inſtitutum eſſe ab Angelis dicit: Chriſtum ex ſemine Ioſeph natum proponit, hominem illum tantummodo ſine diuinitate contendens.* Quare cùm hæretici iſti Chriſtum deprimerent, Angelos verò nimis exaltarent; rectè monuit Apoſtol. *Nemo vos ſeducat in humilitate,* ob Chriſti ſecundùm carnem infirmitatem, ac mortalitatem ſcandalum paſſus, *& religione Angelorum,* quaſi mundi opifices exiſtant.

Atque hæc ipſa hæreſis, ſeu potiùs apoſtaſia in ſequentibus etiam ſeculis inualuit, ſicuti colligitur ex conſtitut. Imperatorum Honorii & Theodoſii lib. 16. tit. 8. Cod. Theodoſiani, de Iudæis & cœlicolis, l. 19. *Cœlicolarum nomen inauditum quodammodo, nouum crimen ſuperſtitionis vindicauit.* Et Damaſus Papa in epiſt. ad Epiſc. Theſſalonic. Paulinum, apud Theodoretum li. 5. c. 11. *Vt credamus, quia in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, baptizamur; & non in Archangelorum nominibus, & Angelorum: quomodo Hæretici, aut Iudæi, aut etiam Gentiles dementes.* Huc etiam fortaſſe ſpectat can. 35. Laodic. concil. *Quod non oporteat Chriſtianos derelictâ Eccleſia Dei abire, & Angelos nominare, vel congregationes facere.* Ita enim hunc locum explicat Bellar. lib. 1. de Sanctor. beatit. Veruntamen cùm can. iſte de Chriſtianis loquatur; at verò S. Epiphan. hæres. 60. Auguſt. lib. de hæreſib. hær. 39. teſtari non potuerint, inter eos, qui Chriſtianos ſe appellabant, fuiſſe Angelicolas, ſeu Angelorum adoratores; ſed hos apoſtatas fuiſſe Iudæos, aut Gentiles, ſatis conſtat ex cit. l. Honorii; ideo magis placet ſententia Cæſaris Baronij canone 35. Laodic. ſermonem eſſe de falſis Angelis, quos Gentiles ac magi religioſè colebant, & genios appellabant; in eorúmque cultum natalitios dies celebrantes, amicos ſuos conuocabant, ſicuti ſumitur ex Cenſorin. de die natali, & Macrobio in Saturnal. Vel ſimpliciter dici poſſe, ait Baron. Angelorum nomine ibi Dæmones intelligi, quos Magi ad magias ſuas aduocabant: quamobrem idololatræ dicti ſunt, eod. can. Laodic. Ipſi enim ad impoſturas ſuas honeſto nomine velandas, profitebantur ſe Angelos inuocare, ſicuti colligitur ex Tertulliano in Apologet. aduerſus Gentes c. 23.

Porro Angelos bonos, perinde vti alios beatos in cœlo, ab antiquis Chriſtianis inuocari ſolitos eſſe, tanquam noſtros apud Deum & Chriſtum patronos, teſtatur inter alios S. Hilarius in pſal. 129. vbi ait, quòd *in interceſſione Angelorum non natura Dei eget, ſed infirmitas noſtra.* S. Ambroſius in lib. de viduis: *videtis, quòd magno peccato obnoxia minùs idonea ſit, quæ pro ſe precetur; certè quæ pro ſe impetret. Adhibeat igitur ad Medicum alios precatores.* Et paulò poſt; *Infirma eſt caro, mens ægra eſt, & peccatorum vinculis impedita: ad Medici illius ſedem debile non poteſt explicare veſtigium: obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare.* S. Auguſt. in cap. 19. Iob, to. 4. explicans verba illa, Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltẽ vos amici mei, ita ſcribit; *Angelos videtur poſtulare, vt pro eo deprecentur: aut certè Sanctos, vt pro pœnitente orent.* De eiſdem Angelis tutelaribus ac præſidibus rerum humanarum, videri poteſt Gregor. Nazianz. orat. ad. 150. Epiſcopos S. Hilarius comment. cap. 18. Matth. & in pſal. 129. S. Hieron. ibid. in illa verba. *Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* & plura apud Baron. in Martyrologio, die VIII. Maij.

Dico IV. Chriſtus, vt homo, etiam nunc in cœlis orat Patrem ſuum cœleſtem pro nobis, ſicuti colligitur ex verbis Chriſti Ioann. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis.* Ad Hebr. 9. *Saluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Tametſi aliqui interpretantur, hanc interpellationem & interceſſionẽ Chriſti apud Patrem aliud non eſſe, quàm continuã exhibitionem paſſionum ac meritorum ſuorum. Quare vel propter hanc ipſam cauſam, quia videlicet Chriſtus peracto redemptionis negotio, nihil iam noui à Deo Patre pro nobis poſtulat; vel propter ſcandali periculum, Eccleſia fundere non ſolet preces ſuas ad Chriſtum, *vt oret pro nobis* tanquam homo & mediator; ſed vt *miſereatur noſtri, vt tribuat nobis,* tanquam Deus. Vide Suar. in 3. p. to. 1. diſp. 45. ſ. 2. Vaſq. de adorat. lib. 1. diſp. 4. c. 1. n. 91. Leſſ. c. 37. dub. 5.

Qvæstio Tertia. Pro quibus orari poſ-

sit, aut debeat? Respondeo, & dico I. Pro damnatis orare nefas est. Cùm sint in statu quo neque dilectionis Dei aut hominum, neque fructus ex oratione nostra capaces esse possint, sicuti monet S. Gregor. li. 4. dialog. c. 44.

Dico II. Pro beatis in cœlo fermè non oramus; sed potius ipsi pro nobis Deum orent: quia orationibus nostris ipsi non indigent, sed nos potius eorum orationibus indigemus, ait Innoc. III. in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Missarum ex S. August. sermone 17. de verbis Apostoli. & tract. 84. in Ioannem Dixi autem *ferme*; Quia nihil obstat, quo minùs Sancto gloriæ accidentalis augmentum desideremus atque à Deo petamus; sicuti ex multorum sententia refert, & non improbat Innoc. loco cit. & explicat Suarez. cit. lib. 1. de oratione cap. 14. Vide quæ dicam lib. seq. tract. 5. cap. 2. n. 3.

7 Dico III. Pro animabus in purgatorio, vt à pœnis liberentur, salubriter nos orare, ex Fide certum est. Atque in veteri quoque lege vsitatum fuisse, constat ex lib. 2. Mach. c. 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* quem locum ad hoc allegat S. August. in lib. de cura pro mortuis, c. 11. & addit: *Et si id nunquam in scripturis veteribus omnino legeretur, tamen sufficere deberet vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas.* Et de verbis Apostoli c. 32. *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patrib. traditum vniuersa obseruat Ecclesia.*

Quæres. Vtrum fideles ex lege charitatis ac misericordiæ obligati sint pro mortuis, iis præsertim, qui coniunctiores sunt, puta parentibus, filiis, fratribus, benefactoribus orare, aut sacrificia, vel opera satisfactoria offerre? Responsio est affirmatiua. Quia animarum in purgatorio necessitas grauis est, quibus per orationes, & sacrificia facilè succurrere possumus: idq; medium à Deo ordinatum est ad illarum faciliorem liberationem.

Dico IV. Pro omnibus hominibus viatoribus, seu in genere, seu sigillatim rectè orare possumus. Sumitur tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex verbis Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Obsecro vos primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Ratio est: Quia omnes indigent auxilio & gratia Dei, vt salui fiant: ergo omnibus à Deo auxilium desiderare, ac petere possumus, quamdiu eius capaces sunt. Sed etsi aliquis obstinatissimus peccator appareat, nefas tamen est eum à communibus orationibus tanquam reprobum excludere: cùm Deo impossibile non sit, etiam durissima corda vel têporis momento emollire, sicuti indicat S. August. lib. de corrept. & gratia, c. 15. *Nescientes, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus Charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Vide etiam S. Th. cit. q. 83. a. 7. ad 3. & a. 8. Ex quo generalem regulam colligere possumus: Quotiescunque pro Communitate aliqua sub ratione generali oramus, nefas esse particulares personas excludere. Quia licet pro hoc homine peccatore, inimico tuo orare absolutè obligatus non sis, seclusa speciali eius necessitate; si tamen pro Communitate, cuius ille pars est, sub ratione generali ores, non potes eum excludere, sine inordinato affectu odii, aut desperatione salutis illius. Vide etiam Suarez cap. 15. & 16. & quæ dixi lib. 2. tr. 3. c. 4. n. 2.

QVÆSTIO QVARTA. Quænam à Deo petenda sint? In primis sciendum, Bona hominis alia esse, quibus per se nemo malè vti potest: cuiusmodi sunt diuinæ gratiæ dona, & virtutes tum supernaturales aut infusæ; tum morales aut acquisitæ, earùmque actiones. Alia verò sunt hominis bona absolutè, quibus tamen malè vti potest; vt scientiæ & artes, item corporis vita, sanitas, membrorum integritas. Alia verò sunt indifferentia; quia per se non habent rationem appetibilis secundùm honestatem, sed solùm vti sunt vtilia, seu instrumenta ad aliud hominis bonum comparandum: talia sunt diuitiæ, honor, gloria, potestas inter homines. Secundò notanda est regula, quam tradit S. Th. q. 83. a. 6. in corp. ex S. August. Ep. 121. ad Probam: Quidquid licitum est desiderare, id licitum est orare: quod autem licitum non est desiderare, id neq; à Deo petere honestum est.

His positis, respondeo & dico I. Bona illa spiritualia quibus per se homo malè vti nô potest, absolutè à Deo petenda sunt, ita vt eis opposita petere nefas sit. Nam homo viator quàm maximè desiderare ac petere debet finem vitæ æternæ, & media eò per se conducentia; quæ autem ipsis opposita sunt, detestari ac refugere, sicuti colligitur ex doctrina S. August. cit. epist. c. 8. Ad vitam autem æternam per se conducunt spiritualia gratiæ auxilia, virtutes tum supernaturales, tum etiam morales acquisitæ, earùmque actus. Ergo &c. 8

Confirmatur ex oratione Dominica, in qua constituto fine, quem imprimis desiderare ac petere debemus, videlicet Dei gloria, & nostra beatitudine; deinceps oramus, quæ tanquam media ad hunc finem conducere possunt, nobis concedi, mala autem impedientia auerti, sicuti videre est apud S. August. cit. epist. cap. 11. S. Th. a. 11. Suarez lib. 3. de orat. c. 8. Gabr. in canon. lect. 64. & seqq. Est autem oratio Dominica omnium aliarum sanctarum orationum veluti exemplar, aut compendium quoddam, teste eodem S. August. in cit. epist. c. 12. *Quamlibet alia verba dicamus: quæ affectus orantis format, nihil aliud dicimus, quam quod in ista Dominica oratione positum est, si rectè & congruenter oramus.*

Dico II. Quæ hominis bona absolutè sunt, ita tamen vt eis malè vti possit, puta scientiæ, & artes, item corporis vita, sanitas, membrorum integritas; talia à Deo absolutè, seu nulla expressa conditione tum nobis ipsis, tum aliis rectè petimus. Est communis doctrina, apud Suar. c. 17. n. 2. quæ sumitur ex S. August. c. 6. vbi ait, sufficientiam rerum ad victum necessariarum non indecenter appeti, conuenienter Sap. 30. *Paupertatem & diuitias ne dederis mihi; sed tantùm victui meo tribue necessaria.* Eò quòd talis sufficientia propter salutem & incolumitatem corporis appetitur: ipsa autem corporis incolumitas per se & absolutè appetenda est. Vniuersè autem probatur assertio: quia dicta bona sunt naturales perfectiones hominis: ergo per se & absolutè appetibilia secundùm rectam rationem consequenter à Deo, tanquam auctore, rectè & congruenter petuntur. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, frequenter orantis pro aëris salubritate, fructuum prouentu & similibus. Interim tamen negari non debet, quando talia bona rectè petuntur, ita animum orantis affectum & comparatum esse oportere, vt si ex ipso quæreretur, num etiam petere velit in casu, quo secundùm Dei prouidentiam non expediret; statim negaturus sit.

Dico III. Licitum est interdum ob bonum finem petere temporalia mala & incommoda; puta corporis mortem, ægritudinem, dolorem &c. Ita Suarez cap. 19. Ratio est: Quia licet hæc sint mala hominis secundùm naturam, ideóque ea ratione non appetibilia; tamen in ordine ad finem altiorem virtutis, ac beatitudinis consequendæ, indifferentia, ideóque aliquibus, pro ipsorum constitutione, vtiliora ad animi perfectionem consequenter à Deo interdum possunt saltem sub conditione expressa, aut subintellecta, si

ita expedire iudicet. Veruntamen malum corporalis afflictionis, vel tentationis, seu potiùs probationis ad Spiritus profectū, faciliùs homo sibi ipsi petere potest quàm alteri. I. quia in seipsum maiorem potestatem, libertatémque habet, vt propriis commodis renuntiare possit. II. Quia cùm homo erga seipsum naturali ductu magis affectus sit, quàm erga alium; minùs subest periculum odii, alteriúsve prauæ affectionis, si sibi ipsi incommoda precetur, quàm si alteri. III. Quia suam quisque propensionem, constitutionémque magis cognitam habet, vt sciat quid sibi vtilius sit; quia experientia didicit, v. g. magis se erga res diuinas affectum, & à peccatis immunem esse, si corpore æger sit, quàm si sanus. Quapropter vt dicta incommoda, puta ægritudinem, mortem alteri rectè imprecari possimus, grauior causa, seu potiùs certitudo nostra requiritur, id ad maius bonum promouendum aut malum impediendum vtile, ac necessarium fore: vel si id certum non est, conditio exprimi debet, si secundùm Dei scientiam ad maius bonum ipsius proximi, aut Reipublicæ cessurum fit. Vide quæ dixi lib. 2. tr. 3. c. 10. n. 3.

Dico IV. Quæ omnino indifferentia sunt, vt abundantia diuitiarum, honores, ac dignitates, ea ob bonum finem, sicuti desiderari, ita & à Deo peti possunt: quamuis propter periculum abutendi eiusmodi rebus, non debent peti sine adiuncta conditione, si petenti expediat. Prior pars traditur à Suarez ca. 17. assert. 5. & probatur; Quia hoc ipso quòd diuitiarū abundantia, apud homines claritas, dignitas, potestas, secundùm se indifferentia sunt, per intentionem finis boni, seu rectè iis vtendi ad finem, cohonestantur, bona & desiderabilia redduntur; ideóque rectæ orationis materia. Altera pars est ex mente S. Th. a. 5. in corp. Medinæ c. de orat. q. 3. Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. p. 5. ver. secundo, post S. August. cit. epistola 162. cap. 12. Ratio est: Quia talia, quæ dixi, supposita hominis imbecillitate, ita comparata sunt, vt sæpius ad spiritualem perniciem, quàm salutem eius inseruiant: quam obrem Christus, ob maiorem spiritualis vitæ perfectionem, illa contemnere & abiicere nos docuit, potiùs, quàm appetere & quærere. Etsi verò aliquis propositum habuit ac spem eiusmodi bonis, v. g. matrimonio diuite, Episcopatu, aliáve prælatura aut dignitate bene vtendi, & pericula quæ coniuncta esse solent, cauendi; tamen propter hominis mutabilitatem admodum incertum est, vtrum executio & euentus sequatur: vt proinde talia sine conditione in Dei scientiam, ac bonitatem relata, expetenda haud sint. Idemque ferè iudicium esto de supernaturalibus donis, quæ hominem non sanctificant, puta gratia miraculorum, sanitatis; sine conditione, si expediat, petenda à Deo non esse.

9 Corollarium primum. Si quis à Deo petat rem malam, seu peccato obnoxiam, non solùm non exercet actum Religionis, & propriè dictæ orationis, quippe quæ est decentium à Deo petitio; sed etiā peccat mortaliter; etsi actio, ad quam exercendam auxilium à Deo petitur, tantùm venialiter mala sit: puta si ores Deū vt proximum leui mendacio decipere possis. Quamuis hoc loco distinguendum est; Si enim concepto proposito mentiendi ob bonum aliquem finem, roges Deum vt bonus euentus sequatur, iam non petis auxilium tibi præberi ad mentiendum, quod Deo iniuriosum est; sed ad bonum euentum promouendum, quod illicitum non est, sicut in simili dicam infra tr. 4. c. 2. condit. 2. quæst. 1.

Corollarium secundum. Si quis rem indifferentem, v. g. lucrum ex ludo, ad vlteriorem honestum finē non referendo, à Deo petat, non exercet actum orationis religiosæ; sed peccat, quamuis non semper mortaliter. Cùm enim lucrum ex ludo secundùm se illicitum non sit, sed res indifferens; ideò cùm auxilium Dei ad lucrandum petitur, non petitur à Deo concursus ad peccatum, quæ est grauis irreuerentia: sed petitur auxilium Dei ad rem indifferētem, seu vt Deus expleat desiderium rei indifferentis: cuiusmodi oratio [illegible] atque decens non est; non tamen ita in[illegible], vt semper sit mortale peccatum, sicuti [illegible] Suar. cit. lib. 1. c. 23. n. 5.

Qvæstio Qvinta. Quantam vim impetrandi à Deo oratio habeat? Respondetur ex communi doctrina; Si debitæ conditiones adsint, de quibus suprà q. 2. habere vim indubitatam, & infallibilem. Sumitur ex Christi promissione Marci 24. *Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Et Matt. 21. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis:* modò ea quæ petimus, secundùm ordinatissimam Dei prouidentiam ac dispositionem, nobis vtilia sint ad salutem: quandoquidem neque alia intentione petimus, alioquin malè peteremus, nescientes quid nobis vtile sit. Idque Christus aliquo modo expressisse videtur apud S. Ioan. c. 16. *Amen, amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quid enim est petere in nomine Saluatoris, nisi ea, quæ expediunt ad salutem, sicuti ratiocinatur S. August. tr. 102. in Ioan. & tr. 73. *Quod autem videt peti contra salutem, non faciendo potiùs se exhibet Saluatorem. Nouit enim Medicus, quid pro sua, quid cōtra suam salutem poscat ægrotus: & ideo contraria poscentis non facit voluntatem, vt faciat sanitatem.* 10

Quare hæc est prima conditio orationis secundùm Christi promissionem certò impetrantis; vt petantur, quæ necessaria, seu vtilia sunt ad salutem.

Altera conditio, vt sit oratio pia, videlicet actus virtutis Religionis, per quem homo se Deo, tanquā Domino, atque adiutori suo subiicit.

Tertia conditio, vt oratio fiat pro seipso, non pro aliis, iuxta doctrinam S. August. tr. 102. in Io. Sed benè admonet Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. p. 4. Tolet. in Ioan. c. 16. annot. 30. Suar. li. 1. de orat. c. 27. n. 2. promissionem Christi generalem esse, vt se etiam extendat ad orationes pro aliis fusas, modò illi dispositi sint. Idque sumitur ex S. Iac. c. 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini: multùm enim valet deprecatio iusti assidua.* Et S. Ioan. ep. 1. c. 5. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem eius audit nos.* Cùm autem pro fratribus nostris oramus, petimus secundùm voluntatem eius. Ergo &c. Veruntamen ideo difficiliorem impetrationem habere censetur oratio pro altero fusa, quàm pro seipso, quia vt Deus conferat gratiam seu donum, quod petitur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: hæc autem dispositio est in libera potestate orantis, si pro se petat; non item, si pro alia persona.

Quarta conditio est, vt perseueranter oremus, id est, non statim desistamus ab oratione, si nos non exaudiri arbitremur; sed iteratò, sæpius, atque instanter petamus, secundùm monitum Christi Luc. 18. *Quoniam oportet semper orare, & non deficere.* Apostoli ad Col. 4. *Orationi instate,* 1. ad Thess. 5. *Sine intermissione orate.* Sic enim fides, & spes confirmatur, quam Dominus in oratione nostra requirit: quare S. Chrys. hom. 30. in Gen. *Nostrum sit opus, continuis insistere precibus, & non ægrè ferre, si differatur, quod petimus; sed longanimes esse. Neque enim renuens preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiens, ad semetipsum attrahere vult.* Et S. August. serm. 5. de verb. Domini, cap. 5. monet, ideo Deum tardiùs nonnunquā dare quæ petimus, vt tantò feruentiùs, ac perseuerantiùs orantes, plus etiam impetremus, quàm petimus.

Maximè autem hæc perseuerantia necessaria est in

oratione peccatoris, iustificationem & salutem suam petentis: quandoquidem is plerunque obicem ponit, quo minùs statim ad Dominum conuertatur. Veruntamen quòd peccator piam ad Deum orationem fundat, id sine gratia præueniente, & adiuuante non accidit; eaque oratione sua vlteriorem gratiam impetrat, adeò vt si orando perseueret, denique certissimò conuertendus sit. Quod ideo etiam moneo, vt caueant Confessarii & Concionatores, terrere peccatores, quasi omnia ipsorum bona opera, & orationes apud Deum inutiles existant. Etsi enim ipsorum bona nihil ex cō digno apud Deum mereantur, neque vim satisfaciendi, pro peccatis habeant, tamen vtilia sunt per modum impetrationis, si ex fide, ac spe in Deum procedāt, teste S. Th. q. 83. a. 16. Quin potiùs admonendi sunt peccatores, vt non cessent quotidie Deum orare, ne permittat ipsos in peccato decedere, sed ad gratiam & iustitiam, ex qua exciderunt, misericorditer reducere dignetur. Vide de hac re Tolet. in Ioan. cap. 16. annot. 31. Suar. cap. 25.

Quòd si autem peccator in oratione perseuerando iustificationem suam, & salutem certissimò impetrat, quantò magis iustus per frequentes orationes finalem perseuerantiam impetrabit? Certum enim est, iustum, si gratiæ & virtutis augmentum à Deo petat, quo ipsi magis placere possit, à Deo impetrare: sin autem non semel, sed iteratò, imò quotidie petat, cum oratione etiam Dei gratia perseuerabit, augebitúrque vsque ad finem vitæ: quare manifestum redditur, perseuerantiæ donum per orationes à nobis impetrari posse, sicuti docet S. Aug. lib. 2. de bono perseu. c. 16. Gennad. de Eccles. dogm. c. 56. Etenim Deus secundùm propositum gratuitæ voluntatis suæ, prædestinauit homines ad gloriam æternam obtinendam per media, quæ sunt orationes, & alia opera bona, ex auxilio diuinæ gratiæ facta, vti bene explicat Med. C. de orat. q. 4.

CAP. II.

DE HORIS CANONICIS, QVÆ, & quot sint.

SVMMARIVM.

1 *Oratio alia priuata est, & alia publica, quæ nomine totius Ecclesiæ à Ministris eius funditur.*

2 *Officium Ecclesiasticū diuiditur in diurnum & nocturnum. Diurni officij multis olim ecclesiis septem partes seu horæ distinguebantur; secundum Romanum verò morem sex tantum. Vt proinde totius officii septem horæ censeantur.*

Notandum, quòd oratio alia est interna, seu mentalis, quæ solo mentis actu fit: quamuis hîc orationis nomen latè accipi debet, vt comprehendat etiā contemplationem Dei, admirationem, laudem, gratiarum actionem &c. quo sensu dicitur Christus *per noctasse in oratione Dei*, Luc. 6. Alia verò est oratio externa seu vocalis, cum internus animi actus voce, seu verbo explicatur, secundùm illud psal. 141. *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

1 Secundò diuiditur oratio, quòd alia est omnino priuata, quam quisque proprio nomine ad Deum fundit seu pro seipso, seu pro aliis: cuiusmodi oratio tum mētalis, tum vocalis esse potest. Alia vero est oratio publica, quæ nomine totius Ecclesiæ seu fidelis populi, fit à Ministris Ecclesiæ ad id deputatis, ideóque externa, seu vocalis esse debet, vt innotescat populo, ait S. Th. q. 83. a. 10. in corp. & sequitur Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 2.

Eiusmodi publicæ orationes sunt litaniæ, de quarum antiquitate videri potest Baron. Anno 58. n. 112. Suarez lib. 3. de orat. ad finem. Item officium B. Virginis: officium, quod propriè canonicum, seu horarum canonicarum appellatur. Etsi vero hæ preces ab Ecclesia institutæ, recitari vtiliter ac fructuosè possint à fidelibus quibuscunque sine obligatione; habent tamen tunc rationem orationis priuatæ: publicæ autem orationis vim sortiuntur, quatenus à personis Ecclesiasticis recitantur, cum obligatione ac deputatione ad eiusmodi orandi officium. Atque hac ratione deinceps de canonico officio dicturi sumùs.

Canonicæ horæ dicuntur publicæ ac statæ preces, horis diurnis & nocturnis, ex sacrorum canonum decreto, ab Eccclesiasticis personis, nomine Ecclesiæ, ad Deum, persoluendæ. Aliàs officium diuinum, item Ecclesiasticum dicitur, vt videre est in cap. 1. c. dolentes, de celebratione Missarum, & Clem. 1. eod. tit. Quia præcipuum ac maximè proprium clericorum munus est, diuinis precibus apud Deum nomine Ecclesiæ insistere. Porrò consuetudinem illam Ecclesiasticam ad Ecclesiam conueniendi, ac diu noctúque psallendi, esse antiquissimam, & Apostolorum institutione ad nos vsque deriuatam, ac semper in Ecclesia celebratam, inde colligitur, quòd omnium seculorum Patres, aliiq; Scriptores eius mentionem fecerint, sicuti videre est apud Lucianum in Philopatro, Plinium lib. 10. Epist. 101. Clementem Roman. lib. 8. Apostol. Constit. c. 34. Iustinum Apol. 2. ad Antoninum Pium, Tertull. in Apologet. c. 39. Et ad vxorem, lib. 2. c. 6. Clement. Alexand. orat. exhortatoria ad gētes. S. Cyprianum serm. de oratione Domin. c. 6. S. Athanas. in lib. de virginit. S. Basil. in regulis fusiùs disputatis, q. 37. S. Ambros. in psal. 118. serm. 8. & Epist. 33. S. Hieron. Epist. ad Eustochium, de custodia Virginit. & de obitu Paulæ, & in epistol. ad Lætam, de institut. filiæ, S. Chrysost. hom. 59. ad pop. Antiochenum, S. August. Epist. 119. c. 18. & serm. 51. de temp. Cassianum lib. 2. de instit. renunt. c. 4. & seqq. & lib. 3. c. 4. S. Benedictum in reg. c. 16. Gregor. Turon. lib. 5. hist. c. 30. Isidorum & Rupertum lib. 1. de offic. Ecclesiastic.

2 Ecclesiasticum officium diuiditur in diurnum, ac nocturnum, sicut videre est in cit. c. dolentes, ibi: *Præcipientes, vt* clerici *diuinum officium nocturnum pariter, ac diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter ac deuotè.*

Officium diurnum secundùm veterem multarum Ecclesiarum consuetudinem septem partes, siue horas complectebatur; secundùm Romanum verò morem sex tantum continet. Cuius discriminis ratio est, quia olim in multis Ecclesiis preces nocturnæ nocte intempesta dicebantur, separatæ à laudibus; quemadmodum etiam hodie in nocte Natiuitatis Domini dici solent: laudes verò matutinæ ad galli cantum, siue solis auroram differebantur, & propria oratione siue collecta terminabantur, sicuti indicant Isidorus de Ecclesiasticis offic. cap. 22. & 23. Amalarius de Ecclesiast. offic. lib. 4. c. 9. 10. & de ordine Antiphonarii, c. 7. Hugo de S. Victore lib. 2. de Ecclesiast. officijs. c. 1. 9. & 10. Thomas Vvaldensis lib. de sacramental. contra Vvicleff. cap. 24. Nau. de orat. & horis canonicis, c. 3. n. 27. & apertè significatur c. 1. de celebrat. Missarum, vbi adducto versu Dauidico ex psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*: subiungitur: *Qui septenarius numerus à nobis impletur, si matutini, primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, vesperæ, & completorij tempore, nostræ seruitutis officia soluamus: nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait; Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Quæ verba sumpta sunt ex regula Sancti Benedicti, cap. 16. Quare neque hodie quicquam obstat, quo minùs in priuata oratione, ad imitationem moris antiqui, preces nocturnæ à laudibus matutinis separentur; &

nores, in vtroque verò æquinoctio æquales horis nostratibus diei naturalis. De qua die artificiali intelligenda sunt verba Christi apud S. Ioan. cap. 11. *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Similiter verò nox artificialis in 12. horas diuidi solet, quæ hyeme quidem maiores sunt, æstate minores, vtroque æquinoctio æquales horis nostratibus, siue naturalibus.

2 Secundum. Si dies naturalis in quatuor quadrantes secetur, vel, quo eodem recidit, si tam dies artificialis, quàm nox artificialis in duas æquales partes secetur, emergunt quatuor præcipua tempora ad orandi Deumque laudandi officium deputata; videlicet tempus matutinum, meridianum siue diurnum, vespertinum, & nocturnum. Quorum temporum meminit ps. 54. *Vespere, mane, & meridie narrabo.* & ps. 118. *Memor fui nocte nominis tui, Domine.* Et infrà: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.*

3 Tertium Officium, siue tempus orandi, quod propriè diurnum est, tres partes præcipuas & maximè solemnes in se continet, sicuti obseruauit Tertullianus in lib. de ieiunio, Cassianus lib. 3. de instit. renuntiat. cap. 3. videlicet Tertiam, Sextam & Nonam: quæ orādi horæ siue tempora in Scriptura passim nominantur, vti ex superiore cap. liquet: ijsdémque tribus temporibus inde flexisse genua sua, & adorasse Danielem, credibile est, Dan. 6. Porrò vnumquodque horum trium temporum tres in se horas diei artificialis cōtinet, idque ob sacramentum siue mysterium SS. & omnimodè perfectæ Trinitatis, sicuti obseruauit S. Cyprianus de orat. Dominica, ad finem, & videri potest Francolin. c. 11. & 12.

Pro inueniendo autem proprio tempore diurnarum horarum, diuidatur dies artificialis, seu ea longa sit, seu breuis, in quatuor quadrantes (sicuti etiam olim Monachos diem diuidere solitos esse testis est S. Chrys. hom. 59. ad populum Anthiochenum) tunc verò preces horæ primæ tribuendæ erunt solis ortui; vesperæ autem occasui, vt infrà dicam: Sexta verò assignanda est meridiei: Tertia tribuenda est puncto temporis, quod medium est inter solis ortum & meridiem; videlicet, quod in solstitio æstiuo Monachij, vbi ferme XVI. naturalis diei horæ sunt, incidit in nostram horam octauam, post noctis medium completam. Et in solstitio hyemali Monachii, vbi VIII. horæ naturalis diei sunt, incidit in horam nostram decimam. Et in æquinoctijs, in quibus duodecim horæ sunt, incidit in horam nostram nonam. Similiter preces horæ nonæ incidunt Monachij, circa solstitium æstiuale, in horam nostram quartam, post meridiem completam: circa solstitium hyemale in horam nostram secundam; vere denique & autumno in horam tertiam; & vt vno verbo dicam, in punctum tēporis, quod est intermedium inter meridiem & occasum.

Existit autem hîc non modica dubitatio, vtrum hora sacra orationis, v. g. sexta in tali temporis puncto, puta in meridie, incipiat, an vero finiatur? Quòd tunc incipiat, existimat Nau. cit. c. 3. n. 76. Azor. to. 1. lib. 10. c. 2. q. 2. & 9. Suarez c. 3. n. 6. Quòd verò tunc finiatur contendit Marcellus Francolinus cap. 10. & 21. Bellarmin. lib. 1. de bonis operibus in particulari, c. 11. §. sed existit dubitatio.

4 Mihi magis placet prior sententia. pro cuius intellectu aduerte, duplices esse horas; prophanas & sacras: Hora prophana artificialis prima in solis ortu incipit, & completur ad initium secundæ horæ; item sexta, v. g. prophana incipit completa quinta, & finitur in meridie, in quo septima prophana incipit: ac denique duodecima prophana incipit completa vndecima, & finitur in solis occasu. Eadémque ratio est in horis nocturnis prophanis, sicuti colligitur ex Gl. in cit. lib. more Romano; vbi dicitur, quòd dies naturalis incipiat à septima hora noctis artificialis (inchoante) & in sextam horam (completam) noctis sequentis terminetur. Horæ autem sacræ orationis incipiunt in suis punctis siue sectionibus quadrantum, puta prima orationis in solis ortu; tertia orationis post expletam tertiam prophanam; sexta orationis in meridie; nona orationis incipit completā horā nonā prophanā; vespertinum denique officium in solis occasu.

Ratio & probatio huius doctrinæ est, quam refert Suarez cit. cap. 3. num. 6. Nam horæ orationis, puta tertia, sexta &c. ideo sic dicebantur, quia his horis, puta in tertia prophana, sexta prophana officium orationis persoluendum erat. Atqui vsitatissimum est, vt cùm dicitur, actionem aliquam tali hora fieri oportere, v. g. hora tertia ad concionem, ad senatum, ad orationem veniendum, intelligatur de tertia completa; non de incipiente. Ergo cùm olim dicebatur manè orandum esse (nam vocabulum horæ primæ orationis olim non reperitur vsurpatum fuisse) intelligebatur de principio auroræ, vel principio solis orti, totúmque illud tempus quod est primi quadrantis diei artificialis, *manè* etiam dicebatur. Tertia verò orationis hora significat, orationem inchoari solitam esse post exactam horam tertiam prophanam, siue ad initium alterius diei quadrantis; ab eáque oratione totus ille quadrans protensus vsque ad meridiem, dicebatur hora tertia sacra. Sexta item orationis significat orationem inchoari solitam in principio meridiei siue post exactam sextam prophanam, ab eáque oratione totus ille tertius diei quadrans dicebatur hora orationis sexta. Nona verò orationis significat orationem inchoari solitam post exactam tertiam horam à meridie; ab eáque oratione totus quartus diei quadrans vsque ad solis occasum dicebatur hora orationis nona. Vespertina denique oratio significat tempus post solis occasum, vt infra dicam. Vide Suarez l. 4. c. 15. Azor. t. 1. l. 10. c. 2. q. 9.

Ex his facile conciliare poteris dicta Euangelistarum de tempore crucifixionis Christi. Nam S. Ioan cap. 19. ait, *Erat autem parasceue, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex vester.* Quæ verba vel explicari possunt de hora prophana; fuisse tunc horam quasi sextam diei incipientem: vel de hora sacra; fuisse quasi sextam orationis horam, quia appropinquabat meridie, & hora tertia orationis ferme transacta erat. Est enim etiam nobis hodie vsurpatum, vt à tempore, quod non longè abest, appellationem faciamus: v. g. vesperam dicimus, cùm vesper, siue solis occasus non longè abest; & meridiem appellamus horam, quintam diei exactam, siue nostratem vndecimam, à medio noctis numeratam. Marcus verò cap. 15. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Intellige hora tertia orationis sacra propè iam exacta, siue paulò ante meridiem Christum ad montem Caluariæ peruenisse. In ipso autem puncto meridiei Christus cruci iam affixus erat, totísque tribus horis, siue integro diei quadrante; videlicet ab hora sexta vsq; ad nonam in cruce viuus pendebat, quod colligitur ex verbis seqq. Marci; *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam; & hora nona exclamauit Iesus.* Vide Azor cit. q. 9. & Suarez in 3. p. to. 2. disp. 40. s. 6. & cit. c. 3. lib. 4. de horis Canonicis.

5 Quartum obseruandum. Simili modo etiam noctem artificialem in quatuor quadrantes, quorum singuli tres in se horas artificiales continebant, antiquitus diuidi solitam fuisse: sicuti testatur S. Hieron. super cap. 14. Matth. in illa verba, *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare.* Item Auctor apud S. August. to. 10. serm. 14. de ver. Domini: *Quarta vigilia noctis extrema pars noctis est: vigilia vna tres horas*

& preces nocturnæ nocti tribuantur, laudes autem tempori matutino reseruentur: imò id magis congruum esse docet. Nau. l. c. n. 28. neque repugnat Suarez to. 2. de relig. 4. de orat. c. 6. n. 9. In publico autem choro cuiusque Ecclesiæ consuetudinem seruari conuenit.

At verò in ecclesia Romana etiam olim consuetudo viguit, vt laudes matutinæ precibus nocturnis adiungerentur, & cum iis vnica oratione siue collecta clauderentur, sicuti testatur Amalarius lib. de ordine Antiphonarii, in prolog. Hugo Victor. lib. 2. de Eccles. officiis, c. 9. & apertè indicatur in Clem. vn. ad finem, de reliquiis & venerat. SS. Dicta est autem collecta (vt obiter hîc explicem) vel quia plebs in vnum collecta eam ad Deum fundit, sicuti colligitur ex c. conuenit, de consecrat. d. 5. Vel quia Officiator, seu *Sacerdos qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones oratione colligat, atque concludat,* ait Micrologus lib. de Ecclesiast. obseruat. c. 3.

Communiter tamen dici solet, vniuersim esse septem horas canonicas, siue Ecclesiastici officij partes: pro quo numero plures congruentias congerit Gl. in cit. c. 1. de celebrat. Miss. Sunt enim septem dona Spiritus sancti; septem dies creati mundi; septem ætates, quibus completis mundus finietur; septem petitiones orationis Dominicæ; septem psalmi pœnitentiales; adde tu septem mysteria passionis Dominicæ, sicuti versus declarant:

Hæc sunt, septenis popter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis: causam dat *Tertia* mortis:
Sexta cruci nectit, latus eius *Nona* bipartit:
Vespera deponit: tumulo *Completa* reponit.

Igitur hora noctis, cui nocturni cum matutinis deputati sunt, Christus in monte Olioueti comprehensus atque ligatus fuit idemque post noctis medium vel, quod verisimilius est, ad initiũ auroræ, (vti videre est apud Francolinum cap. 46. de tempore horar. canonic.) victor resurrexit: sed & eodem tempore in lucem editus fuerat, atque in horum beneficiorum significationem ac figuram, olim Israeliticus populus tempore eodem ex Ægyptiaca seruitute liberatus, per medium sicci maris transiuit, Exod. 14. Legimus etiam in actis c. 16. *quòd Paulus & Silas media nocte surgentes laudabant Deum.*

Hora prima, id est, orto iam sole, Christus sanctis mulieribus apparuit, Marc. 16. Item Petro, aliisque discipulis piscantibus, Ioan. 21. Mane item facto populus ad Iesum in templo docentem confluere solebat Luc. 21. in fine. Et Dauid hac hora se orare solitum, testatur psal. 118. *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Et 1. Paralip. c. 23. præcipitur Leuitis, *vt stent manè ad confitendum & canendum Domino.* Eiusdémque horæ ad orandum deputatæ meminit Clemens Rom. lib. 8. constit. c. 34. *Precationes facite manè, tertia hora, ac sexta, & nona &c. manè gratias agentes, quòd illuminârit nos nocte sublata, & reddito die.* Et indicat S. Athanas. lib. de virginit. S. Basilius in regulis fusè disputatis, cap. 37. Vide Durantum lib. 3. de ritib. c. 7. Francol. cap. 14. Suarezium cit. lib. 4. c. 5. vbi examinat, verúmne sit, quod Cassianus scripsit lib. 3. de institut. renuntiantium, c. 4. matutinam illam, quam nunc primæ horæ solemnitatem appellamus, suo tempore primitus in regionibus occiduis introductam fuisse.

Tertia hora Christus ad crucem damnatus est; eadémque Spiritus sanctus super Apostolos descendit: quod nobis in memoriam reuocat hymnus eadem hora decantari solitus. Vide Clementem in cit. cap. 34. Cassianum cit. lib. 3. c. 3. Rupertum Tuitiensem lib. 10. de diuinis officiis, c. 18.

Sexta hora Christus crucifixus est; & Petrus ascendit in superiora, vt oraret circa horam sextam, vbi visionem, & præceptum à Deo accepit de gentibus in Ecclesiam admittendis, Act. 10. Eadémque hora sexta, siue media die S. Paulus conuersus est, vti ipse [illegible]tur Act. 22.

Hora nona Christus in cruce [illegible]ortuus est; Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam, Act. 3. Cornelius item Centurio hora nona orans in domo sua exauditus est, Act. 10.

Hora vespertina, siue cùm serò factum esset, Christus in vltima cœna SS. Eucharistiam instituit: Eadémque hora impetrata à Pilato licentia, Ioseph corpus Iesv de cruce deposuit, Matth. 27. Et cùm aduesperasceret, cum discipulis in Emaus ingressus est Iesvs, Luc. vlt. Eiusdémque temporis ad orandum consueti meminit Dauid, Psal. 140. *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Hora completorij, siue ad noctis initium, guttas sanguineas Christus in oratione sudauit, Luc. 22. Eadémque hora corpus eius sepulturæ mandatum fuit, Matth. 27.

Cap. III.

IN QVAM DIEI, VEL NOCTIS partem singulæ horæ siue preces canonicæ propriè cadant.

SVMMARIVM.

1 *Dies vel accipitur vt naturalis, vel vt artificialis.*
2 *Si dies naturalis in quatuor æquales partes secetur, quatuor emergunt præcipua orandi tempora: Matutinum, Meridianum seu propriè diurnum, Vespertinum, & Nocturnum.*
3 *Officij propriè diurni tres partes sunt; Tertia, Sexta, & Nona.*
4 *Orationis hora sacra incipit post expletam prophanam; v. g. hora sacra tertia post exactam tertiam diei artificialis.*
5 *Nox artificialis in partes diuiditur, quæ vigiliæ dici solent.*
6 *Officium matutinum duas partes in se complectitur; laudes, & horam primam: Illi proportione quadam respondet Officium vespertinum, duas item partes continens; vesperas, & completorium.*
7 *Consultum est in priuata officij ratione publici chori tempora obseruare: quamuis nihil etiam obstet, quò minùs aliquis primæuæ institutioni ac temporum assignationi conformare se possit.*
8 *Statorum temporum metas sine causa iusta notabiliter transgredi, vel horarum ordinem immutare, peccatum veniale est.*
9 *Qui intra diem naturalem officium eius, culpatè, vel inculpatè intermisit, altero die supplere non cogitur.*

De hac re dupliciter loqui possumus; secundùm primæuam horarum canonicarum institutionem; vel secundùm consuetudinem in Ecclesijs Occidentis, siue statim ab initio, siue postea introductam.

Pro primæua institutione quædam obseruanda sunt: Primum. Dies alius est naturalis, & alius artificialis, vti obseruauit Gl. in l. more Romano, ff. de ferijs. Nau. c. de orat. n. 34. dicto 14. Dies naturalis, in se etiam noctem comprehendens, 24. horas toto anno æquales continet, quæ Romano more à noctis medio numerari incipiunt, sicuti habetur in cit. lib. more. Dies autem artificialis, quatenus à nocte distinguitur, 12. horas continet, ab ortu solis vsque in occasum numeratas: quare pro temporum varietate variæ, & inæquales sunt, æstate quidem maiores, hyeme verò minores,

habet, ac per hoc nox quatuor vigilias, ternis horis per singulas vigilias distributis. Arnobius iunior psal. 12. q. in illa verba, *A custodia matutina vsque ad noctem*, ita inquit: *Custodia vna quarta pars noctis est. Ergo prima custodia à vespera incipit: secunda ad medium noctis attingit: tertia gallorum cantus transit: quarta est in vigilia matutina, quæ in ortum luminis adimpletur.* De quibus vigiliis etiam Christus meminit Luc. 12. *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit* &c.

Ad harum igitur militarium vigiliarum similitudinem, primi Christiani satagentes (teste S. Cypriano de orat. Dominica) sequi tum exemplum Christi sæpe in oratione pernoctantis, vti legimus, Matth. 14. Marci 6. Luc. 6. & 21. tum eiusdem consilium nobis datum, vt vigilemus, & oremus, Matth. 25. & 26. Luc. 11. & 12. Marc. 13. vbi adiecit; *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*, totis noctibus, præsertim festorum solemnium, in templo vigilabant, & orabant, cuius rei testes sunt antiquissimi PP. quos refert Baron. Anno Christi 51. num. 71. Francol. de temp. horarum canonicarum, cap. 2. Atque eiusce rei causa clerici officium nocturnum in festis in tres partes siue nocturnos diuidere, & diuisis temporibus canere olim in Ecclesia solebant, sicuti indicat Isidor lib. 1. de offic. Eccles. cap. 19. & 21. Amalar. lib. de ordine Antiphonarij, cap. 4. Hugo de S. Victore lib. 2. de off. Eccles. c. 9. & expresse testatur S. Th. super 1. ad Corinth. cap. 14. lect. 6. Thom. Vvaldensis lib. de sacramental. cap. 24. Dur. in rational. lib. 3. c. 5. Nau. c. 3. de orat. n. 28. Francol. c. 1. Suar. c. 4. n. 8. tametsi contradicat Azor to. 1. lib. 10. c. 2. q. 2. Arbitror autem primum nocturnum dici solitum fuisse ad principium secundæ vigiliæ: alterum nocturnum statim post noctis medium, siue ad initium tertiæ vigiliæ: tertium verò nocturnum ad initium quartæ vigiliæ.

Hactenus ex instituto tantùm dixi de officio propriè diurno, ac nocturno, quorum vnumquodque tribus partibus distinctum fuit, earúmque singulæ partes tres horas, tres item psalmorum sectiones, ob mysterium SS. & perfectæ Trinitatis, in se continebant. Deinceps verò agendum de officio matutino, & vespertino: quorum vtrumque duas horas siue partes officij Ecclesiastici in se complectitur; videlicet matutina oratio continet laudes & primam: vespertina verò oratio continet vesperas & completorium. In quibus horis, matutinis, inquam, & vespertinis, animaduertere licet, eas proportione quadam, & similitudine inter se responderе. Nam sicuti olim hora orationis prima laudibus matutinis mox succedebat; ita & completorium vesperis mox annectitur: nam completorium habet se vt clausula vesperarum, totiúsque Ecclesiastici officij complementum. Quam causam esse arbitratur Suarez c. 5. cur apud scriptores quosdam antiquiores, non satis clara & distincta mētio fiat horæ primæ orationis, & cōpletorij; quia binæ horæ, quæ ferme continuo tempore summo manè dicebantur, vno nomine orationis matutinæ; & binæ item horæ, quæ continuato ferme tempore vespere dicebantur, vno vespertinæ orationis vocabulo comprehendebantur.

6 Secundò inter se respondent; quòd sicuti laudes matutinæ ad initium auroræ, prima autem hora ad solis ortum spectant; ita vesperæ ad occasum, siue horam diei duodecimam, vt testatur S. Cyprianus serm. 6. de orat. Dominica, S. Athanas. in lib. de Virginit. S. Basil. in regulis fusè disputatis, q. 37. & colligitur ex hymno in vesperis Sabbathi dici solito; *Iam sol recedit igneus: Infunde lumen cordibus*. Quamobrem hanc horam veteres *Lucernariam* appellare soliti sunt, vti videre est in Concil. 1. Tolet. c. 9. & apud Cassianum lib. 3. de Instit. renunt. c. 3. S. Hieron. in Epist. ad Letam, de institut. filiæ. quia eo tempore lucernæ accendebantur. vti obseruauit etiam Azor c. 2. quæst. 10. & indicat I. c. S. Hieron. *Assuescat accensæ lucernæ reddere sacrificium vespertinum*, & S. Basilius lib. de Spiritu sancto, ad Amphiloch. c. 29. Completorium denique ad noctis principium spectare, antiqui scriptores affirmant apud Bellarm. cit. c. 11. §. porro tempus canonicum.

Tertiò, Quoad modum orandi magnam inter se similitudinem gerunt horę binæ matutinæ, & vespertinæ, sicuti cuiuis videre licet, si laudes matutinas cum vesperis; primam verò horam cum completorio comparet.

Atque hæc dicta sunt de antiqua & primæua institutione, diuisione, & tempore Ecclesiasticarum precum. Quod verò attinet ad consuetudines Ecclesiarum, superiore cap. monui, in Romana Ecclesia etiam olim laudes matutinas cum nocturnis coniunctas, & quasi vnam partem siue horam Ecclesiastici officij habitam fuisse. Deinde in Ecclesiis, præsertim occidentalibus, officium vespertinum etiam olim nonnihil anticipatum fuisse, vt tempus aliquod ad somni quietem superesset, ex Cassiano colligitur lib. 3. de Instit. renuntiantium, c. 3. tribuente officio vespertino horam diei vndecimam: item ex hymno completorij, *Te lucis ante terminum* &c. Hodie verò Completorium circa quartam horam post meridiem; Vesperæ autem circa secundam vel tertiam in plerisque Ecclesijs decantari solent; consequenter etiam Nona, Sexta, & Tertia anticipātur: Matutinum verò (quo nomine in Ecclesia occidentali nocturnos cum laudibus comprehendimus) in solis ferme Monasterijs mediæ noctis tempus retinet; in alijs verò Cathedralibus & Collegiatis Ecclesijs ad solis occasum, vel summo manè decantari solet Quam cuiusque Ecclesiæ consuetudinem in publico choro omnino obseruari decet, sicuti constat ex Clem. 1. de celebratione Missarum. Quamquam, secluso scandalo, rarò peccatum mortale committi censendum est, si etiam in publico choro horarij officij tempus interdū mutetur: eò quòd hæc temporis circumstantia ad substantiam materiæ pręceptæ non pertineat, teste. Caiet. ver. horæ canonicæ, c. 4. Ratione scandali verò faciliùs in ea re mortaliter peccari poterit. Qua de re Syl. ver. hora, q. 9. Suarez ca. 15. in fine Miranda in man. Prælat. t. 1. q. 37. a. 8. Nau. de orat. & horis, c. 3. n. 71.

Sed quid in priuata oratione, seu potius quæ priuatím ab Ecclesiæ ministris recitatur? De hac, ex communi DD. sententia, hæc dicenda occurrunt: Primum. Consultum est in priuata recitatione publici chori tempora obseruare, eisque se conformare: tum quia priuata recitatio semper ordinem quendam, siue habitudinem ad publicum chorum retinet: (quippe in quo canonicæ preces secundum primæuam institutionem suā à Clericis omnibus publice decantari deberent) ideo meritò priuata recitatio publico Ecclesiæ choro, quantùm fieri potest, acommodatur: vt & idem officium priuatim dicatur, eodémque modo, & tempore, sicuti publicè; tum quia in publico Ecclesiæ choro plerumque horæ anticipari solent. quæ anticipatio laudabilior censetur, quàm dilatio; eò quòd in humanæ vitæ societate sæpe aliquid incidere soleat, quod ab oratione hominem deinde impedire, vel orantem distrahere possit. Quamobrem ex Hugone refert Paiud. in 4. d. 15. q. 5. *Ante horam orare prouidentiæ est, post horam negligentiæ, in hora obedientiæ.* 7

Adde cum Suarezio cap. 27. n. 14. Azor lib. 10. cap. 9. q. 5. Less. lib. 2. ca. 37. dub. 12. nu. 79. eam anticipatiōē, Romanæ Ecclesiæ consuetam, in priuata recitatione licitam esse; vt nocturni cum matutinis laudibus quarta hora post meridiem cōpleta inchoentur: cuius consuetudinis congruam rationem reddit S. Th. quodlib. 5. c. 28 quia solemnitas diei sequentis à vesperis incipit; ideo meritò vsus obtinuit, vt post publicū

officium vesperarum, & completorij (quod in plerisque Ecclesijs circa horam quartam post meridiem decantatum est) preces nocturnas inchoare priuatim liceat. Deinde in partibus nostris septentrionalibus, quibus hora quarta post meridiem sol occumbit hyemis tempore, plùs aliquantulùm matutinum anticipari posse videtur; [illegible] ante lucernæ accensionem perficiatur.

Secundùm. Rectè etiam ac licitè in priuata oratione seu vnius, seu plurium, aut omnium horarum, conformare se aliquis potest primæuæ earum institutioni & temporis assignationi, sicuti ex communi docet Nau cap. 3. de oratione nu. 75. vt videlicet horæ priuatim dicantur eo tempore, quo hymni earum indicant; videlicet Primam, *Iam lucis orto sidere.* Tertiam cùm S. spiritus olim in discipulos visibiliter descendit, videlicet circa horam diei tertiam. Sextam verò, cùm meridies ignibus instruitur. Nonam ad principium vltimi quadrantis diei, cùm vesperam appropinquare dicimus, sicuti hymnus Nonæ indicat, *Largire clarum Vespere.* Vesperas denique cum Completorio, *Cùm sol recedit igneus.*

Excipe à secundo dicendo; Quòd tres nocturnos diuidere non liceat, præterquam si causa aliqua ita exigat, cùm neque in publico officio hodie diuidi, sed continuè cantari soleant: nam ratio, cur olim in aliquibus Ecclesijs diuiderentur, hæc erat præcipua; quia nocturnæ vigiliæ etiam à populo in Ecclesia agebantur, quem repetito psalmorum cantu ad pietatem & orandi studium excitari oportebat. Vide Marcel. Francol. c. 27. n. 9. Suarez. c. 6. n. 12.

Tertium modica, & non inconsueta temporis immutatio omni culpa vacare videtur, vt si Prima dicatur duabus vel tribus horis ante solis ortum, præsertim in hyeme, vel duabus horis post præsertim in æstate: vel tertia, & sexta vnà cum prima dicantur ad solis ortum, præsertim in hyeme: vel vesperæ cum completorio dicantur non multò post meridiem. Si autem causa aliqua exigat, tunc maior immutatio fieri poterit, v. g. vt omnes minores horæ summo manè, siue ad ortum solis dicantur ob maiorem quietem, ac deuotionem, studendi necessitatem, vel quamuis causam aut occupationem honestam: Si verò diuturna eáque necessaria occupatio impendeat, etiam vesperæ adiungi poterunt; non item Completorium, sicuti habetur in cap. 1. de celebrat Missarum, iun. Gl. verbo vesperas: nisi maior necessitas vrgeat, quæ rarò contingere solet.

8 Quartum. Veniale peccatum est statorum temporum metam notabiliter, sine iusta causa transgredi; vel horarum ordinem mutare: veluti si dicas tertiam ante primam; vel completorium ante vesperas. Cæterùm, si, dum tertiam v. g. aliquis orat, recordetur, se primam nondum dixisse, prosequi eum posse, & dictæ tertiæ post ponere primam, docet Azor. cap. 10. quæst. 1. Simile est, quod ait Nau. cap. 3. n. 66. Si aliquis ad chorum veniat, cùm iam tertia v. g. cantatur, & ipse primam nondum recitauit. Præterea, si ab infirmo, vel amico rogeris, vt cum ipso tertiam v. g. dicas, cui non facilè id denegas, posse te ipsi obsequi, Primam nondum dixeris, affirmat Less. lib. 2. cap. 37. dub. 12. in fine, & Tol. lib. 2. cap. 13. vide etiam Suarez cap. 13. & Ludou. Miranda t. 1. man. Prælat. q. 37. a. 8.

Item veniale peccatum est, sine causa differre horam tertiam post meridiem; aut recitare vesperas ante meridiem, excepto tempore quadragesimæ, in quo ex antiqua traditione cibum sumere non licet, ante vespertinum officium peractum, sicuti habetur in cap. solent, d. 1. de consecrat. Sed quia cœna, quam olim ante vesperam capere in quadragesima licitum non erat, nunc ad meridiem per consuetudinem anticipata est; consequenter etiam vespertinum officium à proprio suo tempore ad ante meridianum recessit; huic publici chori consuetudini consultum est etiam in priuata oratione se conformare. Sed vtrum id in præcepto positum sit, adeóque peccet, qui sine iusta causa vesperas post cœnam differt ad tempus pomeridianum? Affirmat Tolet. lib. 2. c. 13. Azor cit. c. 9. q. 9. Negant verò non improbabiliter Nau. c. 3. de orat. n. 41 Suarez c. 27. n. 9. Sa ver. horæ n. 15. Quia dictum c. solent, in quo præcipitur, vt ante officium vespertinum in quadragesima cibus non sumatur, loquitur solùm de publico officio chori.

Quintum. Si absit contemptus, non incurritur peccatum mortale, tametsi per magnam negligentiam canonicarum horarum tempus, vel ordo in priuata recitatione mutetur; dummodo totum officium dicatur intra eundem diem naturalem, qui incipit à medio noctis vsque ad insequentis noctis medium: intra quod temporis spatium omnes & singulæ horæ validè dicuntur; sed non omni tempore licitè; eritque tantò maius peccatū veniale, quò maior mutatio sine causa, aut recepta Ecclesiæ consuetudine acciderit.

Porrò, si aliquis intra dictum diei spatium horam vnā, vel plures culpatè vel inculpatè recitare neglexit, postea recitandi obligatione solutus est. Cùm enim dies certa cuilibet officio designata sit, ideo eâ transactâ, cessat illius obligatio. Quare si aliquis post noctis medium recordetur, se Primam dici antecedētis non recitasse, non tenetur ampliùs recitare; contrà verò sentiendum, si ante noctis medium memor fiat.

Excipiunt verò aliqui primas vesperas Sanctorū, quos aiunt sequente die recitandas esse, si pridiè culpatè, vel inculpatè omissæ fuerant: Propterea quòd ad sequentis diei officium spectare videantur. Arbitror tamen esse quidem id consultum; sed non in præcepto positum: quia licet primæ vesperæ ad solemnitatem festi pertinere censeantur, eo quòd Ecclesia ob maiorem celebritatem festum anticipat, vt à primis vesperis inchœtur, secundum doctrinam S. Thom. quodl. 5. a. vlt. ad 1. non tamen pertinent ad officium sequentis, sed eius diei, in qua dicendæ sunt: cùm cuiusque diei officium septem horis constare debeat, quæ est doctrina Azor to. 1. li. 10. c. 9. q. 7. & c. 10. q. a. Suarez lib. 4. c. 24. n. 2. 9
Confirmatur. Qui vesperas pridie omissas in ipso festo recitat, vel satisfacit Ecclesiæ præcepto secundùm substantiam, vel non satisfacit, si non satisfacit non tenetur recitare ex præcepti obligatione. Sin verò satisfacit, sequitur eum non mortaliter peccaturum, qui primas vesperas de industria in diem sequentem differt, quod tamen nemo docet.

Ad extremum resoluendus est casus, quem Canonicus Confessario suo proponit: se frequenter ad conuiuia inuitari, & quia experientia didicit, postea ineptum esse ad recitandum officium vespertinum ideo anticipare solitum, ac recitare vesperas cum completorio ante prandium; vt ab horario penso eo die liber sit. Respondeo & dico 1. Nunquam, aut vix vnquam Ecclesiasticis personis suadendum est, vt ob hanc solam causam conuiuiorum, si aliæ graues occupationes non accedant, vesperas, multò verò minùs completorium: ante prandium recitent. Quia licet personæ Ecclesiasticæ quandoque ad conuiuiā accedere cogantur, tamen decet eos ita moderatè se gerere, ac bibere, vt officio suo vespertino ritè satisfacere queant: Neque verò prætendere possunt, se ob conuiuij protractionem, & accedentia colloquia, ludos &c. tempore exclusum iri, quò minùs vespertinum officium postea recitent. Nam nisi grauis aut necessariæ rei occupatio interueniant, omnino decet Clericos & Religiosos se subtrahere, tantisper dum vespertinum officium persoluere possit: alioquin homines laici

mirantur, & scandalum accipiunt, si tales toto die nunquam orantes videant, neque præsumere solent eos ob aliquam causam anticipasse.

Dico II. Si aliquis Clericus in confessione dicat, se conuiuia vitare non posse; ita verò rem comparatam esse, vt quamuis sæpe proposuerit se non inebriare, insuper maturè à compotationibus, vel lusibus discedere ad vespertinum officium persoluendum; nihilominus sæpe aut plerumque intermiserit, ideóque se ob hanc causam interdum vespertinum officium etiam cum completorio, ante prandium dicere solitum; quia melius esse videatur præuenire, quàm omnino intermittere, aut intermittendi periculo se committere; talem hominem Confessarius absoluere poterit: quia etsi ponamus, Clericum illum ea in re peccare; tamen peccatum est tantùm veniale, quippe consistens in accidentali temporis immutatione. Deinde considerata hominis fragilitate, & negligendi officij occasione, interdum permitti poterit, vt talem anticipandi consuetudinem retineat; qui ex duobus malis siue peccatis, quorum alterū probabilissimè euenturum est, præstat permittere, quod est minus. Ille autem homo si vespertinum officium non anteuertat, postea probabilissimè negliget. Accedit, quòd interdum sine peccato anteuertere possit, si non faciat cum proposito liberiùs bibendi, & se inebriandi; sed tantùm vt periculum maioris peccati, cui se obnoxium esse videt, anteuertat & caueat.

CAP. IV.

QVÆ PERSONÆ AD OFFICIVM Ecclesiasticum obligatæ sint.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio canonici officij aliter Communitati seu Capitulo religiosi Ordinis choro addicti incumbit; & aliter singulis.*

2 *Consuetudo interpretatur, quòd omnes ac singuli Religiosi professi, exceptis laicis seu conuersis, ad canonicum officium sub peccato mortali obligentur, intra vel extra chorum persoluendum.*

3 *Probabile est, quòd Religiosus per sententiam eiectus, si clericus in minoribus tantùm est obligatione recitandi officij liber existat*

4 *Clerici omnes in sacris, etsi beneficiati non sint, ad canonicas horas vniuersali Ecclesiarum consuetudine sub mortali peccato obligantur.*

5 *Clerici in minoribus iure communi non obligantur ad certas preces, attamē per diuturnam diœcesis cōsuetudinem, velut sub præcepto acceptam & obseruatam, nihil prohibet eos obligari.*

1 OBLIGATIO orandi horas canonicas ex triplici capite oritur: I. Ex professione Religionis, quæ choro addicta est. II. Ex susceptione sacri ordinis. III. Ex beneficio Ecclesiastico. De obligatione Religiosorum dupliciter loqui possumus: Primò, quatenus ea ex generali consuetudine incumbit toti Communitati, siue Capitulo; inprimis verò Prælato, vt curam adhibeat, in sua Ecclesia cantus canonicarum horarum statis tēporibus prætermittatur: quæ obligatio haud dubiè grauis, siue sub mortali peccato est. Ad singulos verò Religiosos obligatio hæc non ita descendit: quare mortalis peccati damnari aliquis non debet, si, aliis in choro ritè canentibus, ipse ob pigritiam sileat, vel omnino absit. Quòd enim nemo à choro abesse, & omnes præsentes canere debeant, id solùm prouenit ex Abbatis dispositione, ac præcepto, vel regulæ ordinatione, quæ plerumque non sub peccato mortali, sed potiùs sub pœna, secundùm Ordinis vel Monasterij consuetudinem infligenda, obligare solent. Qua de re vide Suarez cap. 10. nu. 15.

Secundò loqui possumus de obligatione incumbente singulis, qui Religionem choro addictam professi sunt, quòd Ecclesiasticum officium quocunque tandem loco, siue in choro, siue extra chorum persoluere teneantur. Et de hac obligatione nullum Ecclesiasticum canonem extare, communiter DD. fatentur. Multò minùs ex lege naturali, & diuina talis obligatio descendit: cùm ad essentiam professionis religiosæ nequaquam pertineat officium canonicū, siue intra, siue extra chorum; & religiosi alijs modis Deum colere, atque pro populo orare possint, sicuti ex communi docet Bellarm. c. 19. §. ad priorem. Azor c. 6. q. 2. Less. li 2. c. 37. dub. 9. n. 49. Suar. 17. licet c. aliter Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 1. Nauar. c. 7. de orat. num. 4.

Quapropter Io. Medina Cod. de orat. q. 7. prope finem, negat Religiosos in sacris non constitutos ad horas canonicas obligari, nisi ordinis regula, vel consuetudo vim regulæ obtinens, ita statuat. Sed quia non omnium Ordinum regulæ sub peccato obligant, ideo Alph. à Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 8. negat Fratres Prædicatores in sacris non constitutos peccare, si officium canonicum dicere omittant; nisi ex decimis aliísue reditibus Ecclesiasticis alantur. Idem sentire videtur Caiet. verbo horæ, cap. 1. sicuti eum explicat & sequitur Armilla, nu. 4. vbi ait: *Religiosi professi, non existentes in sacris, secundùm Caietanum, non tenentur de iure dicere officium, neque ex professione, neque ex victu: fortè ex consuetudine tenentur: de qua dicit Caiet. se nihil scire & hæc opinio melior videtur.* Eandémque sequitur Petrus Arragon. 2. 2. q. 83. a. 12. dub. 4. concl. 3. Monachum choristam, qui sacris non est initiatus, mortaliter non peccare, si semel aut iterum diuinum officium dicere omittat. Quia consuetudo, inquit, quam Doctores contrariæ sententiæ afferunt, solùm proficisci videtur ex præcepto, siue regula, quæ ferme in omnibus ordinibus Religiosorum existit, vt non tantùm in communi, sed etiam singuli diuinum officium dicere debeant: talis autem regula non obligat sub peccato mortali, neque fortè sub veniali.

Verùm, nihil obstante auctoritate horum, quippe 2
quos communis aliorum Doctorum, & piorum hominum persuasio impugnat, contraria sententia tenenda videtur, cum Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 1. Gabr. ibid. q. 8. a. 2. concl. 3. S. Anton. p. 3. tit. 13. cap. 4. Soto lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. Nau. c. 25. man. n. 97. & c. 7. de orat. nu. 5. Barth. Medina in instruct. confess. c. 14. §. 11. Rodriq. to. 2. regul. qq. q. 100. a. 8. Tolet. li. 2. c. 12. ad finem. Valent. t. 3. disp. 6. q. 11. p. 10. §. 2. Bellarm. Azorio, & Suarez ll. cc. Sa ver. horæ, n. 1. Lessio li. 2. c. 37. dub. 9. Religiosos omnes ac singulos (exceptis nouitijs, & Laicis conuersis) qui profitentur Religionem choro addictam; non minùs, quàm clericos maioribus ordinibus initiatos, sub mortali peccato ad canonicum officium obligatos esse; idque vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus choro addictis cum tanta obligatione acceptata est, scientibus & consentientibus Ecclesiasticis Præsulibus; tametsi in quorundam Religiosorum regula nulla de horis canonicis mentio fiat, vti notauit Rodriquez l. c. Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 9. ad. 2. ita loquens: *Falluntur multi, existimantes omnes Ecclesiæ leges à iuris voluminibus petendas esse: Hinc Caietanus labore pene confectus est, dum legem quæreret, qua Clerici monasticam Religionem professi ad diuinas præscriptas preces exoluendas astringerentur: multæ sunt, mihi crede, Ecclesiæ leges, quas non scriptura, sed vsus interpretatur: neque iuris volumen omnia Conciliorum, atque Pontificum scripta amplectitur.*

His adde I. Dispensatum legitimè, vt chorum non adeat, vel extra Monasteriū perpetuò viuat nihilominus obligari ad horas canonicas priuatim recitandas, teste Nau. cap. 7. de orat. num. 20. Rodriquez to. 1. c. 141.

concl. 13. Suarez c. 17. prope finem. Quia manet Religiosus, ideóque subiectus regulæ, aliisque obligationibus Religionis, quatenus eas obseruare potest. Non est tamen improbabile quod docet Azor to. 1. li. 10. c. 6. q. 8. Si Religiosus dispensationem obtinuit, vt perpetuò extra monasterium degat, omnino exemptum censeri à choro monachali, & obligatione orandi officij, quæ ex ... nascitur.

Adde ... Etiam fugitiuum eadem recitandi obligatione astrictum ..., teste Azor q. 5. & 6. Nau. & Suarez ll. cc. Less. cit. c. 9. n. 50. Ne ex propria iniquitate commodum ferat. Idémque dicendum videtur de eiecto per sententiam; imò & de damnato ad triremes: manent enim verè Religiosi, ideóque astricti obligationibus religionis, quibus, si commodè possunt, satisfacere tenentur. & ita docent Nau. Rodriq. Suarez ll. cc. Azor, cit. q. 6. licet contrarium senserit Sotus lib. 10. q. 1. a. 3. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 8. n. 11. Lessius l. c. quorum sententia in praxi probabilis & tuta est, si eiectus in maioribus ordinibus constitutus non sit.

3 Cæterùm de eo, qui Superioris auctoritate ad gradum Conuersorum translatus est, fatentur omnes, à recitando officio liberum esse, quia statum mutauit, cui talis obligatio annexa est. Quare idem rectè docet Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 8. n. 11. de dispensato Sum. Pontificis auctoritate, vt ad seculum reuersus, mutato regulari habitu, vxorem ducat: nam simul ac habitum religiosum exuit, statum mutat, & priuilegijs ac commodis Religionis sine culpa aliqua sua carere incipit: ergo neque oneribus subiectum esse conuenit. Licet aliter sentiat Rodriq. loco suprà cit. & videri potest Nau. li. 3. consil. 21. de celebrat. Miss. edit. 2.

4 Quod attinet ad alterum caput obligationis communis est D D. sententia, omnes Clericos, qui in sacris constituti sunt, licet nullum beneficium Ecclesiasticum obtineant, ad horas canonicas priuatim recitandas sub culpa mortali obligatos esse. Sumitur ex cap. 1. de celebrat. Missarum, quod sumptum est ex c. Presbyter, d. 91. Sed quia in canone isto de solis Presbyteris mentio fit, ideo obligationem hanc, quatenus omnes clericos in maioribus ordinibus constitutos astringit, potiùs in generali Ecclesiæ consuetudine fundatam esse, notauit Nau. cap. 7. n. 2. Azor cap. 5. q. 1.

Adde, clericum non liberari hac obligatione, tametsi sit excommunicatus, suspensus, depositus, aut degradatus, sicuti ex communi docet Nau. cap. 7. num. 17. Angel. ver. hora, § 5. & ver. degradatio, §. 4. Syl. ver. hora, quæst. 3. & ver. degradatio, q. 8. Azor c. 5. q. 6. Couar. 3. resol. cap. 13. nu. 8. ver. duodecimo, Auila de Censuris p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 6. concl. 1. & p. 4. disp. n. dub. 1. concl. 2. Rodriq. cit. c. 141. concl. 14 Ne ex propria iniquitate commodum ferat.

5 De Clericis in minoribus duntaxat constitutis, dico I Eos nullo iure vel consuetudine vniuersali obligatos esse ad officium, vel psalmos, aliásue certas preces recitandas. Ita docet Sotus lib. 10. q. 5. a. 3. Medina de orat. q. 7. in fine, Azor cap. 5. quæst. 2. Tol. lib. 1. cap. 12. princ. Suarez c. 16. ad finem, Lessius n. 46. & 47. aliique communiter, contra Abb. in c. 1. n. 7. de celebrat. Missarum.

Dico II. Si in aliqua diœcesi consuetudo vigeat, tanquam sub peccato obligans Clericos in minoribus, ad recitandum quotidie psalmum *Miserere*, vel aliquid simile, ea vtique obseruanda erit: Et ad officium Episcopi, eiúsque Suffraganei spectabit ordinandos huius obligationis memores reddere: cui etiam parere, & satisfacere debent, quamdiu in ea diœcesi commorantur. Cæterùm cùm non pauci Doctores, vt Sotus loco suprà citato, Suarez c. 16. in fine, Azor cap. 5. q. 4. contra Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 1. concl. 3. Nau. c. 7. de orat. n. 13. existiment, Episcopum non posse in ordinatione, præter vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem, imponere nouum onus siue obligationem perpetuam recitandi v. g. quotidie psalmos pœnitentiales; cùm talis facultas ad summum Pontificem propriè spectare videatur; ideo ad pariendam obligationem non sufficit, quòd Episcopus in ordinatione ita præcipere soleat; nisi etiam consuetudo sit, temporis diuturnitate præscripta, vt ordinati talem præcepti obligationem acceptent, & ipso vsu impleant: quæ videtur esse sententia DD. quos suprà citaui. Nam sicuti alias facultates, communi alioquin iure non concessas; ita & hanc comparare sibi Episcopum per consuetudinem posse, non dubito: idque docet Medina cit. quæst. 7. in fine Porro, leuem aliquam obligationem, v. g. ter vel quater orandi psalmos pœnitentiales, quod Episcopus in ordinatione iniungere possit, fatentur omnes.

De tertio obligationis capite, quod est Ecclesiasticum beneficium seq. tractatu agendum est.

Ad extremũ moneo, obligationem hanc recitandi officij Ecclesiastici esse grauem, & sub peccato mortali ex genere suo; quippe ex virtute Religionis, atque in beneficiatis etiam ex Iustitiæ virtute. Quæ est communis DD. sententia, quidquid contra eam improbabiliter dicat Angel. ver. hora, §. 10. Requiritur tamen omissio materiæ notabilis, cuiusmodi est, vel integrum vnius diei officium, vel vna eius pars, siue hora, licet breuissima, & fortasse etiam dimidium talis horæ. qua de re dixi aliquid lib. 1. tract. 3. cap. 5. n. 10. & videri potest S. Anton. p. 3. tit. 13. ca. 4. §. 5. Medina in instruct. c. 14. §. 11. Sa ver. horæ, n. 13. Suarez cit. li. 4. c. 25. n. 15.

CAP. V.

DE MODO, ET CIRCVMSTANTIIS recitandi Ecclesiasticum officium.

SVMMARIVM.

1 *Officium tum publicè in choro, tum priuatim extra chorum, dici debet secundum ritum breuiarij Romani reformati.*
2 *In quibus Ecclesiis vel Monasterijs antiquus & proprius breuiarij vsus adhuc retinetur, decet Clericos harum Ecclesiarum in priuata recitatione eundem ritum tenere.*
3 *Clericus beneficiatus, dum ab Ecclesia absens est, vel in alia diœcesi habitat, debet potiùs recitare officium diœcesis, in qua beneficium obtinet.*
4 *Qui antiquum suæ Ecclesiæ ritum orandi seruant, debent recitare psalmos pœnitentiales, officium defunctorum &c. sicuti secundùm receptam consuetudinem in breuiario eorum annotatur.*
5 *Qui aliud officium æquiualens pro eo, quod in breuiario designatur, per errorem recitauit, non obligatur ad repetendum,*
6 *Ecclesiæ, quæ ritum breuiarij Romani receperunt, possunt tamen officium canonicum de Sanctis suis, idque cum octaua (si patroni sint) recitare.*
7 *Horæ singulæ officij continuè recitari debent, nisi causa incidens interruptionem postulet.*
8 *Modus orandi cum socio etiam in priuata recitatione commendatur.*
9 *Attentio in oratione triplex est; superficialis, literalis, ac spiritualis.*
10 *Qui sine vlla attentione horarium officium recitat, non satisfacit Ecclesiæ præcepto.*
11 *In decursu orationis sufficit attentio virtualiter manens.*
12 *Actiones aliquæ sunt cum oratione incompatibiles; aliæ verò compatibiles.*

ASSERTIO I. Officium cùm publicè in choro, tum priuatim extra chorum, dicendum est secũdum formam Romani Breuiarij à Pio V. editum, & à Clemẽte VIII. reformatũ. Permissum tamẽ est clericis 1

pauperibus, aliíſque Eccleſiaſticis perſonis, breuiaria editionis Pij V. penes ſe habentibus, vt ea retinere, iiſque vti poſſint, donec abſumantur. Sed excudere deinceps breuiaria ritus Romani conceſſum eſt, niſi ſecundùm reformationem Clementis VIII. Ita habetur in Bulla eiuſdem Pontificis breuiarijs præfixa. Secundò permittitur Eccleſijs, Monaſterijs, & Conuentibus quæ ducentis annis ante Pij V. conſtitutionem proprium ritũ orandi tenuerunt, vt etiam deinceps retinere ipſis liceat: niſi malint, cum Epiſcopi ſui & Capituli conſenſu, Romanum breuiarium acceptare. Ita habetur in Bulla Pij V. breuiariis præfixa. Addit Suar. c. 11. nu. 4. poſtquam dictæ Eccleſiæ breuiarium ſuum cum Romano ſemel commutarunt, non poſſe deinde hoc relicto, ſuum antiquum reaccipere, eò quòd Pontificiæ conceſſioni antiquum ritum retinendi renuntiaſſe cenſeantur.

2 Aſſertio II. In quibus Eccleſiis, vel Monaſteriis vſus breuiarij proprij & antiqui legitimè adhuc viget, decet Clericos talium Eccleſiarũ in priuata recitatione eundem ritum tenere, ſicuti docet Sot. lib. 10. q. 5. a. 4. Suar. ca. 23. nu. 8. Bellarm. c. 18. §. qualitas officij. arg. ca. de iis, &c. placuit, d. 12. Non deſunt tamen graues DD. Nau. lib. 3. conſil. 15. de celebrat. Miſſar. edit. 2. Rodriq. to. 1. reg. qq. q. 42. ar. 13. Sa ver. horæ, n. 6. Leſſ. dub. 12. n. 74. qui probabiliter aiunt, ſecluſo ſcandalo, cuiuis extra chorũ licitum eſſe, poſthabito ſuæ Eccleſiæ proprio, Romanũ breuiarium recitare. Quod maximè affirmari poteſt primò, de Clericis & Monachis interim dũ in Academia verſantur, in qua Romani breuiarij vſus eſt. Secundò de iis clericis, qui ad titulum patrimonij ordinati, nulli Eccleſiæ ſeruiunt, ſicuti notauit Maior in 4. diſtinct. 12. quæſt. 6. ad 1.

3 Id quoque dubitatur; Si clericus beneficiatus abſens ſit, vel in alia diœceſi domicilium, vel quaſi domicilium habeat, quale breuiarium diœceſanum recitare debeat? Suarez cap. 23. num. 5. arbitratur; potiùs recitandum eſſe breuiarium diœceſis domicilij. Sed contraria ſententia colligitur ex Clem. 2. de celebrat. Miſſarum, vbi tanquam ſpeciale priuilegium conceditur domeſticis commenſalibus Cardinalium & Epiſcoporum, vt ipſis in dicendo officio conformari poſſint: ergo ſecluſo tali priuilegio, tenentur dicere officium propriæ diœceſis; aut Ordinis ſui, ſi religioſi ſint, vti Gl. ibid. notat ver. indulgemus, & videri poteſt Caiet. ca. 2. Angel. ver. hora, §. 15. Eandem ſententiam ſatis indicat S. Th. quodlib. 6. a. 8. & quodlib. 1. a. 13. vbi docet: Si quis in duabus Eccleſijs præbendam habeat, & ab vtraque abſit, quòd debeat recitare officium Eccleſiæ dignioris: Sin verò æqualis dignitatis ſit, in electione ipſius eſſe, cuius Eccleſiæ breuiarium recitare malit. Ratio huius doctrinæ eſt: Quia conſuetudo & obligatio diuini officij in choro cœpta eſt; ideóque ſemper aliquem ordinem ad chorum publicum retinet, vt tametſi Clerici regulares, vel ſeculares à choro Eccleſiæ ſuæ ſeu abſentes, ſeu omnino exempti ſint, tamen officium priuatim recitare debent ſecundùm morem Eccleſiæ, vel Ordinis, ad quem ipſi pertinent, ſeu in quo beneficiati ſunt, ſicuti bene annotauit Maior loco cit.

Quæres. Si clericus in alia diœceſi beneficiatus, vel profeſſus hoſpitetur Auguſtæ v. g. in feſto S. Vdalrici, quale officium recitare debet? Reſpondeo; Licet non teneatur ſe conformare, tamen id poſſe. Prior pars ex dictis colligitur: altera verò pars inde liquet; quia licitum eſt officium mutare ob iuſtam & rationabilem cauſam: hic autem clericus iuſtam mutandi cauſam habet, tum pietatis ac deuotionis ſuæ erga S. Epiſcopum Vdalricum. quam iuſtam cauſam eſſe poſſe, teſtatur Philiarchus to. 1. li. 1. de offic. ſacerdotis, c. 6. concl. 3. tum vt moribus hominum eius loci, vbi tunc commoratur, ſe conformet.

Aſſertio III. Qui vtuntur nouo breuiario Pij V. non obligantur, ne in choro quidem, dicere pſalmos pœnitentiales, graduales, defunctorum &c. quæ notantur in rubricis generalibus ad finem breuiarij Pij V. Præterquam quòd officium B. Virginis, ſaltem in choro recitari debet, ijs Eccleſijs, quibus hactenus talis conſuetudo obſeruata erat. Vide Bullam [illegible] tum loco ſuprà cit. Rodriq. a. 15. Leſſ. [illegible]o. Suar. c. 13. n. 13. & c. 25. n. 8. Azor to. [illegible] c. 16. q. 2. & 3. Deinde officium defunctorum in die animarum omnes, etiam extra chorum, recitare tenentur: Item litanias omnium SS. in die S. Marci, & diebus Rogationum, quicunque publicæ proceſſioni non interſunt.

Porrò in Eccleſiis & Monaſteriis, quæ antiquum breuiarij ritum retinent, obſeruanda eſt etiam antiqua eorum conſuetudo certis diebus dicendi Pſalmos pœnitentiales, officium defunctorum &c. quæ etiam à ſingulis, qui choro nõ interſunt, priuatim recitanda erunt, ſi conſuetudo, vel ſtatutum exigat. Ita docet Sotus li. 10. q. 5. a. 4. Syl. ver. hora, q. 5. & 6. Nau. c. 10. de orat. n. 4. Suar. cap. 13. n. 14. poſt S. Th. quodlibet. 6. a. 8. vbi propoſita quæſtione: An Clericus beneficiatus, dum à choro abeſt, v. g. in ſcholis exiſtens, teneatur recitare officium mortuorum, ſicuti in choro ſuæ Eccleſiæ conſuetum eſt? Reſpondet, Non eſſe obligatum ad dicendum officium mortuorum, ſi in Eccleſia ſua dicatur extraordinariè ad preces alicuius, vel in funeris depoſitione: Obligatum verò eſſe, ſi in Eccleſia ſua dicatur ſtatis diebus, v. g. quauis feria ſecunda: quia tale tunc officium inſtitutum eſt pro bonis, ſiue præbendis, quæ à fũdatoribus defunctis ipſi proueniunt. Quare, vt Sotus ibidem notauit, in dubium reuocari poteſt, vtrum etiam alij Clerici, qui beneficiati non ſunt officium defunctorum recitare teneantur ijſdem diebus quibus annotatur in antiquo breuiario, quo ipſi vtuntur: Nihilominus reſpondent Sotus, Nau. & Suarez ll. cc. eos obligari, ſi conſuetudo vel ſtatutum eius Eccleſiæ ita interpretetur: quãdoquidem huiuſmodi preces cenſentur quaſi pars Eccleſiaſtici officij, ad quod omnes in maioribus ordinibus conſtituti obligantur. 4

Aſſertio IV. Officium dicere oportet non quodlibet, ſed ſicuti in Romano, vel diœceſano directorio præſcribitur. Eſt tamen communior DD. ſententia, peccatum tantùm veniale eſſe officium ſine neceſſaria cauſa mutare, v. g. dicere de Sancto, cùm debeat dici de feria: ita enim docet Caiet. ver. horæ, cap. 2. Syl. q. 12. Sa. n. 14. Azor. c. 10. q. 2. Leſſ. dub. 12. n. 77. & alij contra Angelum ver. hora, §. 14. Toletum li. 2. c. 13. §. Qualitas, arbitrantes eſſe mortale: quorum ſententia ſaltem tunc veriſimilis eſt, ſi officium in multò breuius per fraudem commutetur, v. g. dicatur de Sancto, cũ de Dominica dici debet, ſicuti notauit Suar. c. 13. n. 14. Philiarchus li. 1. de offic. ſacerdotis, c. 6. Licet contrarium ſentiat Syl. ver. hora, q. 12. Item, ſi non ſemel atque iterum commutatio fiat; ſed frequenter aut perpetuò mutetur, vel ita mutandi propoſitum cõcipiatur: videtur enim hæc grauis peruerſio, & ſufficiens materia peccati mortalis, & fortaſſe Angelus atque Toletus non aliud, quàm hoc docere intenderunt.

Sed dubium eſt, vtrum qui officium mutauit, poſtea obligatus ſit ad repetendum officium intermiſſum? Negant vniuerſim Syl. ver. hora, q. 12. Caiet. cit. c. 2. Azor cit. li. 10. c. 10. q. 2. Leſſius cit. n. 77. tam de eo qui culpatè, aut data opera, quã de eo qui inculpatè, ſeu bona fide mutationem fecit. Probant: Quia præcepti Eccleſiaſtici ſubſtantia in eo conſiſtit, vt ſeptem horæ canonicæ quotidie dicantur: vt verò tale officium dicatur, puta de feria, de Dominica, de Sancto; pertinet ſolùm ad ritum, & accidentalem cir-

cumstantiam. Cùm igitur substantia præcepti impleta sit, licet erratum vel peccatum in circumstantia, nihil repetendum est. Sed hoc fundamentum videtur mihi infirmum, imò falsum: nam vti rectè Suarez notauit cit. c. 23. n. 14. lege Ecclesiastica, quatenus ea ad præsentem diem tendit, non quodlibet, sed hoc officium præcipitur; videlicet vt hi psalmi, hæ lectiones &c. recitentur. Qua propter, si aliud quippiam oras, proprie non imples præceptum secundùm indiuidam eius substantiam.

5 Veruntamen si quis æquiualens officium (præsertim non aduertens, licet cum aliqua negligentia & culpa) dixit, existimandum non est, Ecclesiam obligare ad repetendum, cum graui onere: Nihilominus consultum est ea subiungere (si id commodè fieri possit) quæ intermisso officio propria sunt. Sin autem officium non æquiualens; sed multò breuius per errorem (præsertim culpabilem) recitasti, v. g. de Sancto, cùm debuisses recitare de Dominica; obligatus esse videris ad compensationem faciendam, dicendo v. g. nouem psalmos ex primo nocturno; ne tanta pars officij intermissa maneat, sicuti docet Suarez l. c. Porrò, si iusta causa mutandi officij vrgeat, quia v. g. lectiones de Sancto ad manum non habes, & ob instantes occupationes debes te exoluere orationis penso, nulla tunc erit culpa officium commutare, v. g. de feria dicere, sicuti ex communi docent Azot & Suarez ll. cc.

6 Aliud dubium est: Si Ecclesia aliqua regularis, vel secularis ritum breuiarij Romani accepit, an, & quomodo officium proprium de Sanctis suis recitare possit? Respondeo & dico I. Si Sancti canonizati, sint vel ante morem canonizandi in publicum Ecclesiæ Romanæ cultum recepti; in propria Ecclesia de iis, auctoritate Episcopi, officium canonicum dici potest; idque duplex, cum octaua (si Ecclesiæ patroni sint) vel sine octaua. Ita habetur in rubrica prima breuiarij reformati.

Dico II. Eiusmodi officium proprium de Sancto Ecclesiæ dici debet secundùm ritum breuiarij Romani: nisi quòd lectiones accommodatæ deligi possunt, quæ in communi breuiario non continentur. Sed vtrum eiusmodi lectiones à Sede Apostolica approbari debeant? Negat Rodriq. tô. 1. regul. qq. q. 42. a. 21. vbi ait: *Posse recitari officia propria de Sanctis, etiamsi à Sede Apostolicâ approbata non sint; modò digna sint vt approbentur.* Quia non videtur excedere potestatem Episcopi vel similem Episcopali iurisdictionem habentis, quo minùs Sancto pro sua Ecclesia colendo lectiones designare, & approbare possit: cùm talis approbatio non videatur ex causis grauioribus, quas Sedes Apostolica sibi reseruare solet. Et placet mihi hæc doctrina Rodriq. si lectiones de Sanctis proprijs omni suspicione falsi carentes, antehac in Ecclesia recitari consuetæ fuerant. Sin verò lectiones de Sancto nouiter introducantur, satis apertè significatur in cit. rubr. 1. opus esse approbatione Sedis Apostolicæ.

Dico III. Illud permissum haud videtur, vt in festo alicuius Sancti, v. g. Iacobi Apostoli cuius officium in ipso Romano breuiario describitur, aliæ lectiones in Ecclesia particulari retineantur. Ratio est: Quia Ecclesijs recipientibus breuiarium Romanum non est concessum retinere proprium breuiarium, nisi in defectum: si videlicet de Sanctis Ecclesiæ suæ nullum proprium & accommodatum officium designetur.

7 Assertio V. Horæ singulæ recitari debent continuè, ac sine notabili interruptione, vti habetur c. nihil, 7. q. 1. c. nullus, de consecr. d. 1. & in Conc. Basiliensi, sess. 21. c. qualiter horæ canonicæ. Nam alioquin vnitas, & quasi forma orationis ab Ecclesia institutæ, quodammodo soluitur: præterquam, quòd non careat aliqua irreuerentia, cæptam cum Deo collocutionem impertinente actione vel locutione leuiter interrumpere: eritque tantò grauior culpa, quò diuturnior interpositio; vel actio, quæ interponitur, inutilior vel deformior. Cæterum, si iusta causa, vel necessitas, v. g. incidentis occupationis, quæ differri non possit, interruptionem suadeat, omni culpa caret: quia leges Ecclesiæ ita interpretari conuenit, vt moralem facilitatem seruent.

Sed controuersia est inter DD. Vtrum necesse sit à capite repetere officium, si longa & impertinens interruptio intercessit? Affirmat Azor c. 8. q. 5. Nau. de orat. c. 16. n. 75. & indicat Med. q. 16. de orat. a. 3. §. an autem. Sed probabiliùs alij negant, Arrag. 2. 2. q. 83. a. 12. ad finem, Theod. Peltanus lib. 3. de bonis operib. c. 6. assert. 4. in fine. Suar. c. 24. nu. 11. Less. c. 37. dub. 10. Ratio est: Quia, vt idem Less. ait, quisque psalmus v. g. continet perfectam orationem, aut laudem Dei, neque habet essentialem cum consequentibus connexionem, sed tantùm accidentalem ex Ecclesiæ institutione: quare qui tempus etiam diuturnum interponit, rem tamen præceptam implet secundùm substantiam; licet in accidentali modo peccet. Consultum tamen est, si commodè fieri possit, repetitionem facere ab initio saltem nocturni, vel psalmi interruptio magna, licet iusta fuerit, sicuti monet Nau. c. 16. n. 70. Paulus Comitolus lib. 1. moral. respon. q. 66.

Adde I. Si Clericus tardè ad chorum veniat, hora iã cœpta, posse cum alijs cantando pergere, & postea quæ omissa sunt, supplere, sicut ex communi docet Sa ver. horæ, n. 8. Quin imò Henricus quodlib. 11. q. 29. Maior in 4. d. 12. q. 6. probabiliter docent, nihil supplendum esse, si non multùm in choro processum est: quia sicut in Missæ auditione, ita & in officio canonico, omissio modici æstimari non solet: præsertim cùm propter societatis vinculum, alij cantantes vnius defectum supplere censeantur.

Simile dubium est, vtrum Clericus supplere teneatur, quæ cantare, & audire neglexit, dum v. g. librum parauit, vel altari thurificauit? Affirmat Sa l. c. Nau. c. 11. de orat. n. 37. Sed Henricus in quodliberto 11. q. 29. Innoc. in c. dolentes, de celebrat. Miss. Syl. ver. hora q. 12. Azor lib. 10. c. 13. q. 20. Sot. cit. q. 10. a. 3. rectiùs negant: quia dum aliquis in re aliqua ad officij celebritatem pertinente occupatur, totus chorus pro illo supplet: quemadmodum & qui Missæ inseruiunt, audire censentur, dum parandа re necessaria occupantur, sicuti notauit etiam Rodriq. p. 1. sum. c. 143. concl. 2. Tol. lib. 6. c. 7. Nau. quoque c. 21. de orat. n. 15. licet moneat, omissa supplenda esse, non audet tamen aliquem propter omissam suppletionem peccati damnare. Idémque docent Sotus & Nau. Arrag. 2. 2. q. 83. a 12. concl. 2. Rodriq. cit. c. 143. concl. 2. de eo, qui choro organis musicis, alternis versibus, respondet, non esse obligatum, vt voce etiam proferat.

Adde II. Si quis dictis psalmis matutinis, non habeat sermones ad manum, vel eos, ratione itineris, v. g. legere non possit; atque instet causa, siue necessitas aliqua exoluendi se penso canonico, permissum ei est sermones differre, & cætera, etiam Laudes, persoluere, teste Philiarcho p. 1. lib. 1. c. 6. concl. 1. Eadémque ratio est, si commemoratio de festo, vel aliquid simile ad manum non sit.

Assertio VI. Officium canonicum etiam priuatim recitari potest cum socio, vno, vel pluribus, alternis versibus: lectiones tamen vel singulas à singulis, vel etiam omnes ab vno, cæteris audientibus, legi sufficit; qua de re videri potest Palud. in 4. d. 45. quæst. 2. a 2. concl. 2. Syl. ver. horæ, quæst. 7. Nau. cap. 10. de orat. n. 16. Azor cit. lib. 10. cap. 7. quæst. 5. 7. & seqq. Suarez, cap. 12. nu. 2. Arrag. & Rodriq. ll. suprà cit. 8

Sa ver. horæ, nu. 9. Maior in 4. d. 12. quæst. 6. qui duo admonent, etsi aliquis quædam distinctè non percipiat, quæ ab altero choro aut socio dicuntur, moraliter satisfacere, neque aliquid propterea scrupulosè repetendum esse.

His adde I. Modum orandi cum socio videri meliorem, per se loquendo: tum quia conformis primæ institutioni canonici officij, & publico orandi ritui, cui priuatam conformari oportet; tum quia labor hac ratione diuisus, delectatione quadam defectionem corporis releuat, (inquit Cassianus lib. 3. institut. renuntiant. c. 8.) atque cessante paululum lingua, cordis meditatio corroboratur.

Adde II. Nihil referre, tametsi socius orationis ad orandum obligatus non sit, vel attentionem nullam adhibeat: quia alter, quocum orat, satisfacit obligationi suæ partim dicendo, partim audiendo deuotè, vti notauit idem Suarez c. 25. n. 2. Azor c. 7. q. 6.

Adde III. Ea, quæ ratione voti, aut pœnitentiæ sacramentalis ab aliquo orari debent, simili modo cum socio orari posse, sicuti ex communi docent Palud. in 4. d. 45. q. 2. a. 2. concl. 2. Nau. de orat. c. 10. nu. 20. Azor c. 7. quæst. 10. Sa n. 12. Suar. lib. 3. de orat. cap. 9. nu. 14.

Assertio VII. Ad officium canonicum rite & decenter persoluendum pertinet etiam, quod monet Synodus Basiliensis cit. sess. 21. cap. Qualiter horæ canonicæ, *quoscunque beneficiarios, vel in sacris constitutos, vt si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes seu deglutiendo aut syncopando dictiones vel verba, sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue sociati cum aliis, officium diurnum, nocturnúmque persoluant.* Idque traditum etiam fuit ab Innoc. III. in c. dolentes, de celebrat. Missar. & à Clem. V. in Clem. I. eodem tit. Quòd si eiusmodi verborum absorptio, vel concisio per negligentiam fiat circa notabilem officij partem, ad mortalem culpam pertingere posse, monet Nau. cap. 10. de orat nu. 9. Rodriq. cit. cap. 143 concl. 1. Suarez cap. 13. nu. 10. & videri potest S. Anton. p. 2. tit. 9. cap. 12. §. 3. neglig. 2. Plerumque tamen est tantùm venialis culpa: Sin verò congenitum, vel acquisitum linguæ vitium, quod emendari non possit, orantem impediat, nulla culpa timenda est. Additur in Synodo Basil. vt officium dicatur *prolatione non præcipiti, sed distincta; non sestinanter ac cursim:* quia alioquin attentio, ac deuotio impeditur, præsertim in publico cantu.

Porro in priuata oratione, quæ ab vno solo fit, necesse non est, vocem tam claram proferri, vt alius propinquè astans, vel ipsemet recitans audiat: quamuis vix fieri posse videtur, vt vox articulata & audibilis ore proferatur, quin proferens, integra audiendi facultate præditus, audiat.

Assertio VIII. Maximè item requiritur, vt officium canonicum dicatur attentè, & sicut Innoc. III. districtè præcipit in cit c. dolentes, *studiosè pariter ac deuotè.*
9 vbi Gl. interpretatur, *studiose quoad officium oris; deuotè quoad officium cordis.* Est autem triplex attentio, teste S. Th. 2. 2. q. 83. a. 13. & explicat Nau. c. 13. de orat. n. 4. Superficialis, literalis, ac spiritualis. Superficialis attentio est ad verba, vt rectè & integrè proferantur. Literalis est ad verborum sensum, siue intelligentiam. Spiritualis est ad Deum.

Prima illa attentio, licet imperfectior alijs, valde tamen necessaria est in vocali oratione; tum eâ, quæ ad orantis arbitrium fit, vt verba decentia dicantur, & oratio ad incongrua non deflectat, vti monet Ecclesiasticus c. 5. tum etiam eâ, quæ secundùm præscriptam verborum formam fit: v.g. in precibus canonicis, ne error aliquis contingat mutilando, transponendo, omittendo; cuiusmodi erroris maius periculum est, si ex memoria recites, quàm si ex libro legas; item si solus ores, quam si cum socio. Interim tamen verum est, quod docet S. Thom. cit. ar. 13. Caiet. ibid. Nau. c. 13. de orat. nu. 30. Suarez lib. 3. c. 4. nu. 19. Si quis ex lib. orationem legat, vel memoriter recitet, interdum moraliter certum, & ab errandi periculo securum esse, etsi aliquãto tempore ad verba non attendat; sed mens eius tota in contemplatione alicuius mysterij rectè & vtiliter occupetur.

Altera attentio, per quam verborum sensus percipitur, eíque affectus accommodatur, reliquis quidem perfectior est, non tamen necessaria, vel in præcepto posita etiam doctis; qui licet perfectiorem attentionem habere possint, eam tamen nonnunquam sine culpa intermittunt, & literæ solùm superficiali intendunt: vel quia maior ad orandum simpliciter non requiritur, vel ne magna attentio infirmo capiti nocumentum afferat, vti notauit Suarez lib. 3. de orat. c. 4. n. 11. & lib. 4. c. 26. n. 23. & videri potest Medina C. de orat. q. 14. prope finem.

Tertia attentio dupliciter accipi potest; Primò strictè, si, dum lingua verba profert, spiritus pia meditatione alicuius mysterij, v. g. circa Christi humanitatem, passionem; vel rei postulandæ necessitatem occupetur. Secundò latè, quatenus ea ad cuiusque orationis essentiam intrinsecè requiritur. Nam oratio definitur, *Ascensus siue eleuatio mentis in Deum*, secundùm illud S. Ioã. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu*; id est, non tantùm labijs, sed & mente siue spiritu. Quamobrem hæc ipsa spiritus attentio siue eleuatio ab Ecclesia concomitanter præcipi videtur; eo ipso, quòd vera oratio præcipitur, sicuti explicaui lib. 1. tract. de legibus cap. 4. nu. 8. & 13. & videri potest Caiet. ver. horæ, cap. 13. a. 13. Hîc autem nota diligenter, hanc eleuationem mentis ad Deum non tantùm ad tertiam attentionem orationis requiri; sed etiam ad primam & secundam. Necesse enim est, vt qui ad verba solùm attendit, id faciat ex proposito tali modo Deum colendi: & qui ad verborum sensum attendit, is mentis quoque affectum, vt suprà dixi, accommodare debet.

Nunc dicendum est primò; Si oratio in aliqua voca sub obligationem cadat præcepti diuini, tunc nullam attentionem, seu mentis eleuationem erga Deum adhibere, est peccatum mortale. Ita Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 2. concl. 4. & sumitur ex S. Th. ead. d. q. 4. a. 2. ad 2. arg. Ratio est; Quia sine interna mentis attentione nulla est oratio: ergo hoc ipso quòd sub mortali peccato ad orandum diuina lege obligaris, attentionem aliquam, siue mentis in Deum eleuationem exercere debes.

Secundò; Non attendere, sed voluntariè distrahi in oratione, quæ sub nullum præceptum cadit, est peccatum cuiusdam irreuerentiæ aduersus virtutem religionis; licet non mortale, si contemptus absit. Ita Caiet. q. 83. a. 13. ibid. Arrag. assert. 3. Sotus lib. 10. de iust. q. 5. a 5. ad finem, Medina C. de orat. q. 14. contra Gabr. Lect. 62. in can. Missæ, ante 1. proposit. vbi negat, id vllum esse peccatum. Sed contrà est, quia licet aliquis ad orandum absolutè obligatus non sit; si tamen orare velit, necesse est vt bene atque cum debitis circumstantiis oret: ne sit, *quasi homo tentans Deum* Eccles. 18. Et Christus apud S. Matth. c. 15. reprehendit populum, qui tantùm labiis Deum honorat, cor autem eorum longè abest.

Tertiò probabilius est, Clericum præcepto Ecclesiæ non satisfacere, ideóque mortaliter peccare, si officium canonicum absque vlla attentione recitet, atque mens eius in alienis cogitationibus voluntariè occupetur; tametsi ad verborum externam prolationem attendat, tamen materialiter tantùm & sine intentione Deum lau- 10

dandi, colendi. Hæc videtur esse sententia S. Th. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. q. 4. & ad 2. & expressè tenent Ioan. Gerson p. 2. operum, tract. de cognit. peccatorum mortalium, & venial. consid. 9. Sotus lib. 10. q. 5. a. 5. Maior in 4. d. 12. q. 7. Arrag. loco cit. Nau. cap. 13. de orat. n. 19. Caiet. in sum. ver. horæ, cap. 6. Peltanus lib. 3. de operib. cap. 6. assert. 4. §. verùm licet Suarez lib. ... de orat. c. 4. & lib. 4. c. 26. Azor to. 1. lib. 10. cap. 12. q. ... Sa ver. horæ, n. 19. Less. c. 37. dub 11. n. 64. Garcias p. ... n. 187. Ratio est: Quia Ecclesia cùm clericis officium horarium præcipit, actum orationis præcipit: non est autem oratio, sed nuda & inanis vociferatio, vbi non est vlla mentis attentio, siue in Deum eleuatio. Confirmatur; Sicut Ecclesia præcipiens sacramentalem Confessionem, concomitanter etiam præcipit internum animi dolorem, sine quo non est vera Confessio; ita etiam præcipiens orationem, concomitanter præcipit animi eleuationem, sine qua non est vera oratio. Vide Maiorem cit. q. 7. in resp. ad arg. contra 1. concl. Caiet. cit. a. 3. Less. n. 69.

Contrariam tamen sententiam defendunt graues Doctores, Gl. in Clem. 1. de celebrat. Missarum, ver. fructum, Durandus lib. 4. sentent. d. 15. q. 12. Palud. ibid. q. 5. a. 2. concl. 4. S. Antoninus p. 3. tit. 13. c. 4. §. 7. Medina C. de orat. q. 15. & 16. Syl. ver. horæ, q. 11. Rosella, §. 3. Angelus §. 27. Gabr. in canonem Missæ, lect. 62. proposit. 1. Ægid. Coninck 3. p. q. 83. a. 6. dub. vn. n. 292. Clericos satisfacere Ecclesiæ præcepto, ideóque mortaliter non peccare, si sine vlla interna attentione verba psallendo, aut recitando proferant; modò nulla externa actione, quæ cum oratione incompossibilis est, se occupent.

Hæc sententia non caret omni probabilitate; non quòd existimem, Ecclesiam internam attentionem in oratione concomitanter præcipere non posse: nam si cum Christus fidelibus lapsis præcipit Confessionem sacramentalem, ita Deus omnibus, præsertim clericis, per legem naturæ præcipit orationem veram: Ecclesia autem vtriusque tempora designare potest. Veruntamen non satis nobis constat, vtrum Ecclesia tanta cum obligatione præcipere voluerit: cùm ipsi sufficere videatur, si præcepto suo à Ministris obtineat, vt in choro, vel extra chorum publicas orationes decenter psallant, vel pronuntient; de interna autem deuotione iudicium Deo committat, sicuti S. Anton. ait. Saltem hæc sententia ad id Confessario inseruiet, vt beneficiatis horas canonicas sine vlla interna attentione persoluentibus fructuum restitutionem non imperet, sicuti annotauit etiam Corduba lib. 4. quæstionnarij, q. 13. in fine Tolet. lib. 2. c. 12. Castro de lege pœnali, lib. 2. cap. 5. Henriq. lib. 9. c. 25. n. 5. Quia negari non potest, hoc etiam cantu, vel prolatione externa precum ab Ecclesia institutarum, & populum ædificari, & quatenus nomine & imperio Ecclesiæ funduntur, aliquid à Deo impetrari posse, non minùs quàm si sacræ cantiones organis musicis personent, vt Corduba annotauit cit. loco. Quare discrimen vides inter Confessionem annuam, quæ nullum fructum habet, sed sacrilega est, nisi cum animi dolore fiat; & inter cantum publicum, cui priuata recitatio respondet: nam hæc si externè cum decore fiat, non caret omni fructu, & Ecclesiæ intentione.

11 Porro notandum est ex S. Thom. cit. a. 13. quòd duplex est attentio mentis in oratione: Actualis, & virtualis. Actualis attentio seu eleuatio mentis in Deum cuiusque veræ orationis initio necessariò requiritur: cuiusmodi attentionem quisque habere censetur, quando accepto v. g. breuiario, Deum laudare, colere; aut officio suo & Ecclesiæ præcepto satisfacere proponit. Quamdiu autem virtute huius propositi, nulla seu directè seu indirectè contraria intentione reuocati, in verborum recitatione persistitur; tametsi mens ... natam fragilitatem, ad aliena cogitanda deflectat, censetur prior actualis intentio virtualiter, siue secundùm effectum perdurare, sicuti bene inter alios explicant. Maior in 4. d. 12. q. 7. Gabr. cit. lect. 62. propos. 3. Caiet. ver. horæ, §. 3. Nau c. 23. man. n. 106. Intentio directè contraria, ideóque destruens vim & essentiam veræ orationis est, si quis cœptam attentionem consultò & expressè abiiciat, nolens videlicet verba proferre animo colendi Deum. Intentio verò indirectè contraria, atque similiter vim & laudem orationis abrumpens est, si quis inter orandum aduertens animo se distrahi, vel actionem exercere attentioni repugnantem, negligat cogitationem distrahentem repellere, actionémue, v. g. scriptionem intermittere qua de re Syl. ver. horæ, §. 14. Monent verò Ioannes Maior cit. q. 7. Na. c. 13. de orat. n. 30. & seqq. Lud. Miranda in man. Prælat. t. 1. q. 37. a 11. concl. 4. & 5. Suarez cap. 26. n. 20. non raro accidere quibusdam, vt distractio omnino inuoluntaria vno vel altero psalmo perseueret, sine culpa: qua distractione postea animaduersa, satius est nihil repetere, sed solùm ab impertinente distractione abstinere, Deóque animum intendere. Idémque sentiendum aiunt, tametsi Clericus à distractione se colligens, non recordetur se dixisse versus antecedentes in officio, vel Missa, præsumere enim potest se dixisse, si ex libro, vel etiam ex memoria alioquin errare non solita recitauit. Quod maximè scrupulosis obseruandum est, de quibus Suarez ait: *Nisi eis constiterit euidenter se mutasse propositum; vel aduertendo, & sciendo circa alia vagatos esse, credere possunt suæ obligationi satisfecisse.*

Ad extremum circa actiones impertinentes, quas aliquis inter orandum exercet, notandum est; aliquas esse cum oratione incompatibiles, vt scribere v. g. Fieri enim non posse experimur, vt homo simul & scriptioni attendat & orationi, sicuti notauit Nau. c. 25. n. 107. & videri potest Palud. in 4. d. 15. q. 5. a. 2. concl. 4. Aliquas verò esse cum oratione suapte natura compatibiles; v. g. se vestire, caput lauare: de quibus actionibus Caiet. 2. 2. q. 83. a. 13. simpliciter ait, nullam culpam committi, si eas aliquis inter orandum exerceat, atque interim orationi attendat. Nam Cassianus lib. 2. c. 14. Instit. renunt. testis est, Monachos Ægyptios inter laborandum orare solitos. Et S. Dominicus dixit, orationem statim à lecto inchoatam, esse salubrem contra malignas cogitationes medicinam. Eandémque sententiam tenet Maior in 4. d. 12. q. 7. Nauar. c. 13. nu. 47. Rodriq. to. 1. regular. qq. quæst. 42. a. 2. §. circa eadem verba Vasq. tract. de beneficiis, c. 4. n. 107. Quamuis Suarez dicat cit. 26. n. 21. *ordinariè id esse aliquod peccatum, saltem veniale.* Quod dictum vniuersim verum non est. Quia nemo vnquam Monachorum illam orandi consuetudinem reprehendere ausus fuit, quam etiam hodie multi imitantur, vt ante, & post cubitum inter induenda, vel exuenda vestimenta orent. Sin verò specialiter sermo sit de canonico officio, videtur indecens esse, & culpa veniali non vacare, si inter profanos labores, seu actiones persoluantur. Cùm enim eiusmodi publicas orationes Minister nomine Ecclesiæ dicat, & quidem cum habitudine aliqua ad chorum publicum, facilè apparet, suapte natura maiorem reuerentiam, animi ac corporis compositionem requiri. Cæterùm si ob necessitatem actio aliqua profana inter dicendum officium exerceatur, & in modica orationis parte, atque cum cura attentionem debitam adhibendi, excusabitur ab omni culpa, vti Suarez ibid. notauit.

Cap. VI.

DE CAVSIS EXCVSANTIBUS AB OFFICIO.

SVMMARIVM.

1. *Causæ excusantes ab officio canonico sunt : Naturalis obliuio, grauis infirmitas, necessaria occupatio cum recitatione horarum moraliter non consistens, vel alia impotentia.*
2. *Si certus sis, quòd vnam horam, v. g. Nonam, aut Vesperas commodè recitare possis, etsi reliquum diei officium non possis, ad illud obligaris.*
3. *Qui officium horarium ipsemet persoluere non potest, non tenetur alteri demandare, nec loco eius orationis aliud præstare.*

1 PRIMA causa est naturalis, seu inculpata obliuio recitandi seu vnam, seu plures horas.

Altera causa est grauis infirmitas, vt sine magna difficultate, vel corporis periculo horariæ preces recitari non posse videantur. Sumitur ex c. clericus victum, d. 91. & docent Innoc. & Abb. in c. 1. de celebr. Missar. Nau. cap. 25. nu. 100. man. Azor to. 1. lib. 10. ca. 15. q. 1 Suar. cit. lib. 4. ca. 28 nu. 19. In dubio vel Superior, aut Confessarius consulendus; vel prudentis & probi Medici iudicio acquiescendum, sicuti tradit Nau. l. c. de orat. c. 11. n. 3. Armilla ver. hora. n. 16. Azor. & Suar. ll. cc. Tametsi enim Medicus (sicut & Confessarius) in lege ieiunii dispensare nequeat ; potest tamen infirmum dubio liberare, atque secũdùm præsentes circumstantias declarare, iustam excusationis causam haberi. Illud porrò admonent Nau. Azor, & Suar. locis proximè citatis ; Quòd leuis tertiana febris, & diuturna quartana ferme non exoluat ægrotum horario penso : quia plerumque tẽpus à morbo liberum relinquit, quod ad orandum eligi possit, saltem anteponendo, vel postponendo, sicuti etiam notaruat Innoc. in cit. c. 1. ibid. Abb. in fine.

Tertia est grauis, vel repentina occupatio, quæ sine scandalo, vel notabili detrimento proprio, vel alieno, omitti, aut differri nequit, cum ea autem diuini officii recitatio, moraliter loquendo, consistere non potest. Qua de re Nau. in man. c. 25. n. 101. & c. 11. de orat. n. 34. Syl. ver. horæ, n. 18. Tol. lib. 2. c. 14. causa 2. Arrag. q. 83. a. 12. dub. 4. causa 2. Exempla sunt : Si populi tumultus, subitò exortus, sedandus sit, si in sacra hebdomade v. g. non solùm Confessiones magno pœnitentium concursu Sacerdoti excipiendæ sint, sed etiam conciones ad populum eidem habendæ. Si tamen tali casu preces horariæ intra eundem diem naturalem sine magna difficultate anteponi, vel postponi possint, vtique debent.

Quarta est, recitandi impotentia, quæ interdum omnino inculpata est, puta quia breuiarium in itinere amisisti, & aliud acquirere non potes : vel si opportuna tibi subitò oblata occasione, beneficium vel ordines maiores accepisti, sed breuiarii recitandi adhuc ignarus es. Qua de re Nau. cit. cap. 11. n. 20. Suar. cit. c. 28. n. 5. Azor cit. c. 13. q. 18. Nicol. Garcias de beneficiis, p. 3. c. 1. n. 97. Interdum verò talis impotentia ex culpa quidem contrahitur, sed postea iustam excusationem præbet : puta si quis breuiarium data opera abiecit, nec aliud habere potest : item si quis beneficium vel ordinem sacrum suscepturus, cùm sciret se recitandi horas imperitum, muneri & obligationi susceptæ postea satisfacere non posse, priùs se aptum & idoneum non reddidit; talis enim licet peccet secundùm Nau. Azorium, Suar. & communem DD. sentẽtiam (quibus repugnat Garciam n. 99.) postea tamen aliquanto tempore, quo curam & diligentiam addiscendi adhibet, recitandi obligatione immunis est. Bene tamen admonet Suarez n. 6. satius esse tali casu plures errores priuata recitatione committere, quàm omnino intermittere.

Sed dubitari solet primò : Si aliquis ob ægritudin[illegible] vel occupationem, integrum diei officium re[illegible] non possit, sed partem ; vtrum saltem [illegible] ha[illegible]neatur ; atque similis quæstio est de eo, qui breu[illegible]arium amisit, vel cæcitate aut lippitudine oculorum laborat, & partem aliquam officii memoria tenet. Nau. cit. c. 11. n. 15. Azor c. 13. q. 4. Rodriq. to. 1. reg. q. 42. a. 10. Garcias cit. c. 1. n. 216. & seqq. existimant, si quis maiorem saltem, vel præcipuam officii partem, v. g. Matutinum cum Laudibus recitare possit, obligandum esse ; non item si partem solùm minorem, vel minùs præcipuam, v. g. paruas horas, vel etiam Vesperas. Hæc sententia probabilis est.

Sed retenta doctrina, quam tradidi lib. 1. tr. de legib. 2
c. 19. n. 6. respondeo cum Suar. lib. 4. de horis, c. 28. n. 27. & dico I. Si indubitatum sit, te integram aliquam horam, etiam minimam, v. g. Tertiam recitare posse ; licet alias horas non possis, teneris illam reciiare ; eò quòd quæuis hora per se sit canonica oratio, à reliquis officii partibus diuidua.

Dico II. Si alicuius horæ, v. g. Matutini, vel Vesperarum notabilem partem recitare non possis, omnino ab ea hora excusatus censeris. Quæ autem pars notabilis iudicari debeat, ibidem dictum est.

Dico III. Si certum sit, te ob ægritudinem integrum canonicum officium recitare non posse, dubites autem, an vnam aliquam horam possis, præsume te omnino excusatum. Quia præcepta Ecclesiastica non tanto rigore obligant, vt materiam anxietatis, & scrupulorum pariant.

Dubitatur secundò : An qui horas canonicas recitare solus non potest, sed cum socio, teneatur cum sibi asciscere. Affirmant Doctores communiter Nau. cit. ca. 11. nu. 13. & in man. c. 25. nu. 100. Arrag. cit. q. 83. ar. 12. causa 1. Azor c. 13. q. 3. Graff. lib. 2. decision. ca. 54. nu. 3. Suar. cit. ca. 28. nu. 13. Valent. to. 3. disp. 6. q. 2. p. 10. circa septimum, causa 1. Quam tamen doctrinam probabiliter limitat Garcias cit. p. 3. c. 1. n. 215. Si aliquis, qui cum socio recitare solitus antè non fuit, ob incidentem morbum v. g. oculorum, solus recitare non potest; non esse obligatum, vt socium, siue famulum stipendio conducat, nisi facilè id fieri queat. Veruntamen, qui beneficium, vel ordines sacros suscipit, recitandi ignarus, debet socium sibi adiungere, à quo discat, & officio præstando idoneus reddatur, si propria morte non possit.

Dubitatur tertiò : Qui horas per se ipsum recitare non potest, vtrum teneatur alteri demandare ; vel ab altero recitante audire ? aut loco horarum canonicarum alias preces persoluere ? Doctores communiter negant, vti videre est apud Syl. ver. hora, q. 4. Tolet. lib. 2. c. 14. causa. 1. Nau. c. 11. de orat. n. 6. Azor. c. 13. q. 2. Suar. cit. c. 18. n. 11. Quia præceptum, siue obligatio canonici officii personalis est, & de certa ac determinata oratione ; quam proinde si quis per se ipsum præstare non possit, omnino liberatur, sicuti docet Syl. ver. hora, q. 4. Suarez cit. c. 28. n. 29. contra Angelum ver. hora, §. 9. vbi significat, quòd carens breuiario, aut visu, debeat supplere recitando orationem Dominicam, psalmum, & eiusmodi, quæ memoria tenet, quod consilium quidem est, sed non in præcepto, saltem Ecclesiastico : at verò lex diuina obligans beneficiatos & Religiosos ad orandum pro benefactoribus & fundatoribus, nullum certum tempus, aut orandi modum determinat, sicuti bene notat Nau. c. 11. n. 19.

Dubitatur quartò : Vtrum initiatus sacro ordine sub-

diaconatus, eodem die officium recitare obligatus sit? Respondetur cum Azorio to. 1. lib. 10. cit. c. 13. q. 17. Beia p. 1. casu 54. Suarez c. 28. n. 8. Obligari non ad integrum officium dicendum; sed ad eas horas, quæ correspondent tempori, ex quo obligationem recitandi suscepit, videlicet vt incipiat à Nona. Nam iuxta an[illegible] traditionem, ordinationes Clericorum proximè an[illegible]fficium vespertinum peraguntur, vti colligitur ex c. vl[illegible] 75. Vespertinum autem officium latè acceptum, etiam orationem Nonæ comprehendit, vti notauit Gl. in c. vlt. d. 92. ver. matutinis, vel vespertinis horis.

Est enim coronidis loco diligenter aduertendum, ad concilianda dicta Patrum & Doctorum circa distributionem horarum canonicarum; quòd eadem hora interdum consideratur, quatenus est terminus temporis antecedentis; interdum verò quatenus est principium temporis consequentis. Sic nos suprà c. 3. n. 3. diximus, officium meridianum seu propriè diurnum tres partes complecti, Tertiam, Sextam, & Nonam. In qua distinctione Nonam accipere debemus vt terminantem temporis meridiani; Tertiam verò, vt eiusdem inchoantem. Aliàs verò passim reperies, Nonam considerari tanquā principium temporis Vespertini, sicut etiam in hymno eius horæ indicatur: *Largire clarum vespere* &c. Et videri potest Hugo de S. Victore lib. 2. de Eccles. offic. c. 3. Simili quodam modo S. Cyprianus serm. de Orat. Dominica, Tertiam orationis horam considerauit tanquam terminantem temporis matutini; cùm aliàs plerumque consideretur tanquam pars temporis meridiani seu propriè diurni, quatenus eius inchoans est.

TRACTATVS SECVNDVS DE ECCLESIASTICIS BENEFICIIS.

CAP. I.

DE NOTIONE ET DEFINITIONE beneficij Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiasticum beneficium est ius perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii, Ecclesiastica auctoritate constitutum.*

2 *Bona Ecclesiastica immobilia sunt vniuersitatis. administratores autem sunt Episcopi, aliique Prælati ordinarii.*

3. *In beneficio Ecclesiastico duo continentur; quorum vnum est ius spirituale, & alterum ius redituum temporale.*

BENEFICIVM dici solet omnis gratuita concessio, siue gratia Principis, sicut colligitur ex l. 3. ff. de constitut. Principum, & reg. 16. in 6. Ea propter etiam Ecclesiastica præbenda nomen beneficii sortita est; quia licet ab Ecclesiæ Prælatis ex officio conferenda sit; nemini tamen, in particulari, stricto iustitiæ iure debetur, sed est gratuita concessio, siue gratia.

1 Definitur: Ecclesiasticum beneficium est *ius perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii, Ecclesiastica auctoritate constitutum.* Dicitur *ius*, quia beneficium numeratur inter res incorporales; imò & spirituales, vt infrà dicam: licet reditus siue prouentus ex beneficio corporales ac temporales sint.

Perpetuum. Quæ vocula duobus modis explicari potest: primò, quod beneficium legitimè collatum auferri non possit, nisi graui causâ postulante. Ita Less. lib. 2. c. 34. dub. 1. n. 3. Verùm si ita intelligatur definitio, non comprehendit beneficia manualia, quæ tamen verè beneficia sunt, vt infrà dicam. Secundò explicari potest, quòd beneficium dicatur perpetuum, saltem secundùm aptitudinem: quomodo omnia Principis beneficia perpetua esse dicuntur; quia durant, donec auferantur, seu reuocentur. Qua de re vide Petrum Rebuffum in praxi beneficiorum, post proœmium, n. 4. Azorium t. 1. lib. 10. c. 4. q. 2. Nicolaum Garciam de beneficiis Ecclesiasticis, p. 1. cap. 2. §. 1. Syl. ver. dignitas. & Clement. vn. de supplenda neglig. Prælat. in Gl. ver. reuocati.

Porro per particulam illam *ius perpetuum*, à definitione beneficij excluditur commenda temporalis; quippe quæ non datur in titulum; neque tribuit ius, siue dominium beneficii; sed solam custodiam, & administrationem ad tempus, sicuti aduertit Nau. lib. 3. consil. 9. de præbend. edit. 2. Nicol. Garcia p. 4. c. 4. n. 6. Multóque magis excluditur vicaria temporalis, & non collatiua; de quibus plura dicam infrà cap. 5.

Ex bonis Ecclesiæ. Nam bona immobilia, & alia dominia ac iura; ex quibus beneficiorum reditus percipiuntur, 2
ad particulares quasque Ecclesias pertinent: sunt enim bona vniuersitatis. Eorum verò administratores, & curatores sunt Episcopi, aliíque ordinarii Ecclesiarum tum secularium, tum regularium Rectores, sicuti docet S. Th. 2. 2. q. 43. in corp. a. 8. & habetur in c. expedit, c. Episcopus, & seqq. 12. q. 1. Quare quod in sacris canonibus legimus eadem causa 12. q. 2. Prædia, aliáque bona Ecclesiæ esse res Dei, & Christi; non ita accipiendum est, sicuti intellexit Abb. in c. cùm secundùm, de præbendis, n. 4. Nau. Apolog. de redit. Ecclesiast. mon 21. & 40. quasi in hominum aliorum dominio, atque commercio non sint; sed quia his rebus Ecclesiæ à fidelibus ad cultum Dei & Christi ornatæ, ac veluti fundatæ fuerunt; eo pacto, vt non ad prophanos vsus, sed ad Ministrorum Ecclesiæ, item pauperum sustentationem, captiuorum redemptionem, Ecclesiæ fabricam, aliúmue similem pium, & ad animæ salutem, Deique gloriam proximè cedentem vsum conuertantur, sicuti docet Vrbanus Pontifex epist. decret. vn. *Ipsæ res* (Ecclesiæ) *fidelium oblationes dicuntur; quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vsibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ.* Vide Molinam to. 1. tr. 2. disp. 142.

Ratione spiritualis officii. Nam *omne beneficium datur propter officium*, id est, spirituale & Ecclesiasticum serui-

tium, c. vlt. de reſcriptis, in 6. Eſt autem hoc loco diligenter aduertendum, cum Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de Simon. cap. 24. nu. 1. & 2. In beneficio Eccleſiaſtico duo iura conſiderari poſſe: Primum ſimpliciter ac per ſe ſpirituale eſt; videlicet ius officij, ſiue poteſtas exercendi muneris ſpiritualis, quatenus ad Miniſtros Eccleſiæ competit. Alterum verò ius, ſecundum ſe præciſè ſpectatum, temporale eſt, videlicet ad percipiendum reditus Eccleſiaſticos. Veruntamen quatenus hoc ius conſideratur reſpectiuè, ſeu vt annexum ſpirituali officio, (qua etiam ratione beneficium Eccleſiaſticum appellatur, & definitur ius percipiendi reditus ratione ſpiritualis officij) eatenus, inquam, ſpiritualitatem quandam per accidens participat, ſicuti conſtat ex c. dilecto, de præbend. & infrà explicabitur in materia de ſimonia.

3 Porro hæc duo iura, quorum vnum dixi eſſe ſecundùm ſe ſpirituale, alterum ſecundùm ſe temporale; à ſe mutuo ſeparari poſſunt: Vt aliquis habeat ius ſpirituale, v. g. canoniam alicuius Eccleſiæ, & nullos præbendæ reditus accipiat. Non enim præbenda canonicum facit, ait Abb. in c. cùm ſuper, n. 2. de conceſſ. præbendæ; ſed collatio iuris ſpiritualis, facta ab eo qui habet poteſtatem: & in c. relatum, n. 2. de præb. ait, quòd ex ſolo iure canonicæ aliquis acquirere poſſit ius ſuffragii in Capitulo: quamuis talem canoniam ſine reditibus conſecutus, nondum propriè dicitur habere beneficiũ, vti notat idem Abb. in c. in noſtra, n. 1. de reſcript. Contra fieri ſæpe ſolet, vt reditus Eccleſiaſtici alicui ſeu clerico, ſeu laico per modum penſionis aſſignentur, non ob ſpirituale munus, ſiue Eccleſiaſticum officium, ſed ob aliam cauſam; puta ad litterarum ſtudia, ad bellum contra infideles, in remunerationem meritorum, propter officium cantandi, organa pulſandi. Qua de re iterum dicam v. c. vlt. huius tract.

Legitima auctoritate conſtitutum. Cui conſonat reg. 1. in 6. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonica obtineri.* Canonica autem inſtitutio ſiue collatio iuris beneficialis dicitur, quæ ab Eccleſiæ Prælato fit ſecundùm formam & modum à ſacris canonibus præſcriptum. Quare per hanc particulam excluduntur à beneficii definitione Capellaniæ non collatiuæ, vt infrà dicam c. 5. Porrò nihil huic rei obſtat, quòd laici quoque Reges, aliíque Principes quædam beneficia conferant, vel idoneum eligant, ſicuti videre eſt apud Azor lib. 6. c. 25. q. 19. Id enim faciunt, non quaſi iure ordinario, ac proprio; ſed ex ſpeciali priuilegio, & quaſi delegatione Papæ.

Ad extremum, circa eandem particulam obſerua intellectum c. vn. de eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa ſeruandæ rei, in 6. Vbi Innoc. IV. reſpondet; tametſi in aliis cauſis, ſi Reus ante litem conteſtatam contumaciter abſit, Actor in poſſeſſionem bonorum vel iurium, de quibus contendit, mitti Iudicis auctoritate ſoleat, iuxta c. tuæ, Vt lite non conteſtata non procedatur: tamen in cauſa beneficiaria petitorem mittendum non eſſe in poſſeſſionem beneficii ob contumaciam aduerſarii: ſed ius Actoris examinandum, & iuxta illud ſententiam ferendam eſſe, ſi periculum in mora ſit: ne alioquin cauſa non examinata, ſine titulo, ſiue inſtitutione canonica, vitioſus ingreſſus ad beneficium accedat.

CAP. II.

DE ORIGINE, ET INSTITVtione Eccleſiaſticorum beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *In primitiua Eccleſia fideles prædia ſua vendebant, & pretia eorum Apoſtolis afferebant: poſtea verò viſum fuit expedire, vt Eccleſia bona etiam immobilia poßideret.*

2 *Clerici olim ſine titulo ſuſtentationis ex reditibus Eccleſiæ non ordinabantur.*

3 *Quadripartita eſt Eccleſiaſticorum prouentuum diuiſio.*

CONSTAT ex actis Apoſt. [illegible] 5. in primitiua 1 Eccleſia Chriſtianos vendere ſolitos prædia ſua; eorúmque pretia Apoſtolis, tanquam Eccleſiæ Prælatis afferre; vt exinde, Diaconorum manibus, ſingulis diſtribueretur, prout cuique opus erat. Non quòd Chriſtiani ad talem bonorum communicationem lege aliqua aſtringerentur; ſed id faciebant ex libero piæ voluntatis propoſito; nonnunquam etiam promiſſione ac voto intercedente, ſicuti colligere licet ex facto Ananiæ & Sapphiræ, de quibus ita ſcribit S. Chryſoſt. hom. 12. in Acta: *Oportebat initio habere, ſiue retinere, & non promittere: nunc autem, poſtquam conſecraſti, maius ſacrilegium commiſiſti. Tibi licebat tua retinere: cur ergo ſacra feciſti, & poſtea accepiſti?* Similia habet S. Hieron. ep. 8. ad Demetriadem, S. Auguſt. ep. 27. de verbis Apoſtoli. Videri poteſt Baron. to. 1. An. Chriſti 34. n. 269. & An. 57. n. 72. & 82. Bellarm. lib. 1. de Clericis, c. 26. & lib. 2. de Monachis, c. 20. Domin. Sotus lib. 10. q. 4. a. 3.

Poſtea verò magis expedire viſum eſt, vt ipſamet prædia ſiue immobilia bona Eccleſiis donarentur & conſecrarentur; ex quorum annuis reditibus Miniſtrorum ſuſtentationi perpetuò prouiſum eſſet, ſicuti videre eſt in ep. 2. decr. Pii I. cum annotationibus Seuerini Binii. & in ep. vn. Vrbani, & in c. futuram, & ſeq. cauſa 12. q. 1. Quemadmodum etiam in veteri lege Sacerdotes non tantùm fructuum decimas; ſed etiam certam partem ciuitatum, ac prædiorum in ſingulis tribubus ex Dei mandato poſſederunt, ſicuti legimus c. 35. Numer.

Porrò longo tempore Clerici pleriſque in locis, nihil 2 proprium poſſidentes, ex communibus Eccleſiarum reditibus alebantur; quamobrem Canonici, id eſt, regulares dicti ſunt; quia in commune viuentes ad certam viuendi normam ac regulam adſtringebantur. Erántque ſacræ ædes, ſiue collegia Clericorum ædificata, præfixo ipſis titulo, v. g. Sanctæ Crucis, S. Stephani, ſicuti colligitur ex ep. 3. Pii I. cum annotat. Binij, aliíſque teſtimoniis, quæ congerit Gratianus cauſa 12. q. 1. Neque vllus in Clericorum numerum ac ordinem admittebatur, niſi ſub titulo alicuius ſacræ domus ſuſtentationem haberet, vt conſtat ex c. ſanctorum, d. 70. Quod etiam hodie obſeruatur, vt nemo ad maiores ordines ſine ſuſtentationis titulo admittatur: alioquin ei Epiſcopus de ſuo interim prouidere debebit, donec aliquem beneficii titulum conſequatur, ſicuti decreuit Alex. III. in Concilio Lateran. c. cum ſecundum, eod. tit.

Pluribus tamen locis etiam olim permiſſum fuit, (ſicuti & nunc permittitur) vt Clerici extra communitatem viuerent, atque propria, ſeu patrimonialia bona poſſiderent, ſicuti videre eſt in c. certè, ſumpto ex S. Auguſt. ſer. 2. de communi Clericorum vita, & ſeqq. cc. cauſa 12. q. 1. Qua de cauſa ſi Clerici ex patrimonialibus bonis ſufficientem ſuſtentationem habeant, etiam ſine vllo beneficii titulo ſacris ordinibus initiari poſſunt, iuxta c. tuæ, de præb. & dignitat.

Præterea, ceſſante olim communi Clericorum vita 3 & cohabitatione, reditus ſiue prouentus Eccleſiaſtici in quatuor partes diuidi cœperunt, quarum vna pro menſa ſiue ſuſtentatione Epiſcopi relicta erat; altera ad Eccleſiæ fabricam deputata; tertia eleemoſynis in pauperes, ac peregrinos deſtinata; quarta menſæ Capitulari relicta, vt ea inter Clericos ſiue Canonicos pro ſingulorum meritis diſpenſaretur: cuius quadripartitæ diuiſionis

mentio

mentio fit in Concil. Rom. 2. sub Syluestro I. can. 4. in ep. 3. Simplicij Papæ, quæ refertur c. de reditibus, 12. q. 2. & in epist. Gelasii ad Episc. per Lucaniam, quæ refertur c. quatuor, ead. q. & apud Baron. An. 494. n. 24. Item in ep. Gregorii I. ad August. respons. ad 1. & 2, & lib 3. ep. 11. ad Gregoriun Maximianum Episc. & refertur in c. cognouimus, 12. q. 2.

Itaque hæc est origo siue institutio Ecclesiasticorum beneficiorum, ius, inquam, tributum Episcopo, aliisque Clericis propter officium & obligationem suam, percipiendi certam portionem redituum, ex Ecclesiæ prædijs &c. Qua in re certum est ipsorum prædiorum, siue immobilium bonorum proprietatem ac dominium ad beneficiatos non transire; sed penes Ecclesiam remanere. Dubium autem est de fructibus, siue reditibus beneficiorum; vtrum beneficiati de illis, tanquam veri domini sine cuiusque iniuria liberè disponere possint, quod sequenti c. tractabitur.

CAP. III.

VTRVM BENEFICIATI SINT veri & absoluti domini Ecclesiasticorum redituum.

SVMMARIVM.

1 *Bona Clericorum alia patrimonialia sunt, alia quasi patrimonialia, & alia Ecclesiastica.*
2 *Bona siue reditus Ecclesiastici, quatenus beneficiatis secularibus ad honestam sustentationem necessarij sunt, pleno dominij iure ad ipsos pertinent.*
3 *Beneficiati redituum Ecclesiasticorum domini fiunt non omnino absolutè; sed cum annexo onere, vt quæ superflua sunt, pauperibus vel in alium pium vsum erogare ex iustitia obligati sint.*
4 *Beneficiatus ex reditibus Ecclesiasticis filios suos, etiam spurios alere tenetur; si indigeant, & ipse patrimonialia bona non habeat.*
5 *Beneficiatus, licet patrimonialia bona habeat, potest ex bonis Ecclesiasticis filio subministrare sumptus ad studia literarum.*
6 *Clerici testari de reditibus Ecclesiasticis etiam ad pias causas iure communi prohibentur.*
7 *Consuetudo, vt Clerici de bonis Ecclesiasticis testentur ad causas prophanas, non videtur esse iusta, neque à Prælatis Ecclesiasticis, approbata, sed tantùm tolerata. Aliud verò sentiendum de consuetudine testandi ad causas pias.*
8 *Beneficiatus nec merus vsuarius est, nec propriè vsufructuarius, comparatione bonorum stabilium, ex quibus reditus percipit.*
9 *Donatarii, legatarii, & hæredes non possunt accipere, aut retinere, quod ipsis ex Ecclesiasticis superfluis reditibus relinquitur, nisi pauperes sint.*
10 *Fructus pendentes tempore mortis, aut renunciationis beneficiati, partim ad ipsum, partim ad successorem spectant, pro rata parte anni.*
11 *Regulares beneficiati plenam suorum redituum administrationem habent, à SS. canonibus concessam.*

SVPPONENDVM est primò ex Nauar. in tract. de redit. Ecclesiast. q 1. monito 19. Bona Clericorum, seu beneficiatorum secularium triplicis generis
1 esse: Alia, quæ ipsis ex hæreditate, arte, donatione, &c. obueniunt, & vno verbo *patrimonialia* vocantur: de quibus nemo dubitat Clericos arbitratu suo, tanquam veros & absolutos dominos, disponere posse donando, legando &c. Alia sunt bona *quasi Patrimonialia*, quæ à fidelibus offeruntur non Ecclesiæ; sed particulariter ipsis Ministris, tanquam laboris & vitæ stipendium, ob quotidianas Missas, Sacramentorum ministrationem, funeralia; nihil obstante, quòd Minister, si curatus sit, ideóque decimas, aliósue reditus Ecclesiasticos habeat, ex iustitiæ lege ministrare teneatur. Atque eiusmodi bona patrimonialibus æquiparari, plenóque & absoluto dominii iure ad Clericos pertinere, ex communi rectè docet ibid. Nauar. Maior in 4. d. 24. q. 17. conclus. 4. Couar. c. cùm in officiis, n. 14. de testam. contra Innoc. c. quia nos, de testam. Abb. c. cùm in officiis, nu. 8. eod. tit. Idque probatur: Nam Ecclesiastici Ministri, cùm ratione spiritualis officij & laboris stipendium accipiunt, non debent esse deterioris conditionis, quàm alii Officiales, v. g. Iudex, Tabellio, Aduocatus: *Dignus enim est operarius mercede sua*, Luc. 10. At verò alii Ministri, & Officiales dominium dati sibi stipendii pleno & absoluto iure acquirunt: Ergo etiam Ministri Ecclesiastici. Confirmatur. Quia hæc videtur esse mens fidelium, Clericis cùm curatis, tùm non curatis stipem & oblationes absolutè donandi: neque vllum ius Ecclesiasticum reperitur, quo talis donatio infirmetur.

Alia denique sunt Clericorum bona, quæ propriè dicuntur reditus siue prouentus Ecclesiastici; qui secundùm originem suam ad Ecclesiam pertinent; sed ab Ecclesia postea Clericis peculiariter deputata sunt, tanquam beneficium siue stipendium, ob spirituale ab eis præstitum officium. Huc spectant annui reditus ex fundis Ecclesiasticis: item decimæ, cùm & ipsæ sint, veluti pars vsusfructus Ecclesiæ debita, ad Ministrorum sustentationem. Atque de his tantùm bonis siue reditibus quæstio est, vtrum ad beneficiatos pleno Dominii iure pertineant.

Supponendum secundò: Ex communi Doctorum sententia, S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 2. & 3. Caiet. ibidem. Gabr. in 4. d. 15. q. 8. a. 2. concl. 4. Maioris in 4. 2
d. 24. q. 17. Soti lib. 10. de iust. q. 4. a. 3. Nau. in tr. de redit. Eccles. q. 1. mon. 26. 43. & 44. contra Abb. c. cùm esses, de testam. n. 27. Reditus Ecclesiasticos, quatenus prudentis viri arbitrio, beneficiato necessarij sunt ad honestam, ac decentem vitæ sustentationem, pleno iure ad ipsum pertinere, non minùs, quàm bona patrimonialia: Adeò quidem, vt si ex victu, aliisque competentibus impendiis aliquid propria parsimonia detrahat; de eo arbitratu suo disponere possit, dando v. g. consanguineis, sicuti idem Nau. docet cit. q. 1. monito 43. Adde, licet beneficiatus propria patrimonialia bona habeat; posse tamen iis, in quemcunque voluerit vsum seruatis, ex Ecclesiasticis reditibus competentem sibi sustentationem accipere, sicuti docet Innoc. in c. Episcopus, de præb. S. Th. l. c. ad 3. ibid. Caiet. Gabr. cit. q. 8. a. 3. dub. 8. Francisc. Sarmientus de redit. Ecclesiast. p. 1. cap. 1. n. 18. & p. 4. c. 2 Nau. lib. 3. concl. 1. de vita & honest. Cleric. edit. 2. & in tr. de redit. Eccles. q. 1. mon. 32. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 145. contra Alexandr. de Ales p. 3. q. 52. mem. 6. a. 3. Adrianum in 4. de restitut. postquam egit de pluralitat. beneficiorum §. conformiter huic opinioni. Probatur ex Apost. 1. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Et infrà: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt. Et qui altari deseruiunt, cum altari participant. Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Et Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Sed Clericus beneficiatus, licet patrimonium habeat; operarius tamen est, & Ecclesiæ seruit, si officiuum suum præstet: Ergo ex iustitia debetur ei stipendium. Vide Nau. & Sotum ll. cc.

Supponendum tertiò: Nomine stipendii necessarii ad honestam & decentem vitæ sustentationem, comprehendi in primis ea, quæ requiruntur ad ipsum beneficiatum, eiúsque familiam, quam conuenienter suo statui habet, honestè alendam; deinde ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, amicos, peregrinos; cùm verò ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum; imò interdum etiam liberales, non prodigas; denique ad alias honestas, & statui conuenienter animi ac corporis relaxationes. quorum omnium quantitas æstimari debet cùm ex personæ, & officij dignitate (plus enim Decano permissum est, quàm simplici Canonico; plus Episcopo, quàm Decano; plus item Episcopo, si etiam Cardinalis sit, vel Imperii Romani Princeps, aut illustri, vel regio stem-

mate ortus) tum verò ex redituum amplitudine, ac copia, ficuti ex communi docet Nau. q. 1. mon. 28. 29. & 36. Mol. cit. disp. 145.

Insuper æstimanda etiam sunt beneficiati merita, ac labores, quos Ecclesiæ vtiliter præstat doctrina, consilio, scriptione, sicuti monet Gl. recepta in c. conquerente, ver. sufficientia, de clericis non resid. Gabr. in 4. d. 15. q. 8. ante 1. propos. Nau. q. 3 monit. 34. Nam ob hanc causam eiusmodi beneficiatus, plùs, quàm alii eiusdem ordinis ac status, sed minùs Ecclesiæ vtiles, ad sustentationem suam ex reditibus Ecclesiasticis accipere potest, sumpto argumento ex verbis Apost. 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt Presbyteri, duplici honore* (id est, munerum largitione, vti S. Hieronymus in cap. 15. Math. interpretatur) *digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina.* Et ex c. de multa, de præbendis vbi cùm Innoc. III. in generali Concilio pluralitatem beneficiorum curatorum, & personatuum prohibuisset, adiecit in fine: *Circa sublimes tamen, & literatas personas, quæ maioribus sunt beneficiis honorandæ, cùm ratio postulauerit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari.* Quæ tamen dispensatio nihil commodi afferret beneficiatis, nisi ob hanc ipsam generis, vel doctrinæ excellentiam, plus quàm alii ex Ecclesiasticis bonis siue reditibus insumere possent, sicuti notauit Nauar. cit. quæst. 1. mon. 36. n. 3. Tametsi verò ipsis beneficiatis longè consultius, atque securius sit, facultatem hanc insumendorum redituum restringere potiùs, quàm laxare; nos tamen hic, quàm fieri potuit, laxauimus, ad Confessariorum instructionem; vt ne omnino damnent, si aliqua ratione excusare, & absoluere possint. Vide etiam Nauar. in enchirid. de de orat. cap. 22. miscel. 17. Maiorem in 4. d. 24. q. 18. & 22.

His ita suppositis, restat, vt de superfluis beneficiorum reditibus duo inquiramus: Primum, vtrum horum dominium ad beneficiatos spectet? Alterum, vtrū
3 ex lege iustitiæ eos in pium aliquem vsum erogare debeant, adeòque ad restitutionem teneantur, si in prophanum vsum insumpserunt? Quæ duæ quæstiones, licet a multis confundantur, valde tamen diuersæ sunt, sicuti rectè animaduertit Palud. in 4. d. 24. quæst. 3. in fine, Nauar. qu. 1. mon 51. nu. 3. Anton. Martinus p. 3. de redit. Eccl. c. 21. n. 1. Mol. disp. 143. §. quo loco obserua. Nam sæpe fit, vt aliquis dominium alicuius rei acquirat non omnino liberum; sed restrictum adiectione pacti, vel oneris, quod nisi impleat, contra iustitiam peccat, & ad restitutionem obligatur: sicuti patet in fideicommisso, in legato, donato sub modo & grauamine; idque bene explicat Gabr. in 4. d. 15. q. 8. a. 2. in fine. Exemplum est: si quis Titio 100. aureos viatici nomine offerat ad peregrinationem, ea tamen conditione, vt quod ipsi superfuerit, pauperibus erogare debeat.

Ad primam quæstionem respondetur; Beneficiatos omnium etiam superfluorū redituum dominium comparare. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 185. art. 7. & opusc. 6. a. 12. Palud. Adrianus. Sotus ll. cc. Couar. c. cùm in officiis, de testam. Franc. Sarmienta de redit. Ecclesiast. p. 4. cap. 6. Andre. Fachinæus lib. 3. controuer. c. 89. Mol. disp. 143. Nicol. de Garcia tr. de beneficiis, q. 2. c. 1. Valent. t. 3. disp. 10. q. 3. contra Abb. c. cùm secundùm, n. 4. c. de multa, n. 17. de præbendis. Nau. toto tract. & apolog. de Eccles. reditibus, Maiorem in 4. d. 24. quæst. 16. & 17. Probatur: Si beneficiati seculares (de his enim duntaxat sermo est) acquirunt dominium redituum, qui ad ipsorum sustentationem requiruntur, sequitur etiam acquirere dominium superfluorum. Sed prius est verum: ergo & posterius. Probo sequelam. Cùm enim reditus omnes suorum beneficiorum promiscuè percipiant; dici non potest, aliquorum dominium eos acquirere, & aliorum non acquirere: Sed si quam obligationem contrahunt superflua in pios vsus erogandi, ea personalis tantùm est; sicuti si alicui 100. aurei dentur ad peregrinationem instituendam, eo modo & pacto, vt quod supererit, pauperibus eroget; comparat quidem ius & dominium 100. aureorum; sed grauatum, ita vt ad superflui elargitionem ex iustitia obligatus sit: alioquin dare restituere cogetur, tanquam datum ob causam causa non secuta, sicuti optimè notauit Palud. loco cit. Minorem autem, quam Nauar. ipsemet fatetur, inde ostendo: Quia Clerici seculares, cùm paupertatem non vouerint, capaces sunt dominii rerum; & Ecclesia, quæ reditus annuos, ob spirituale officium, ipsis largitur, non reddit eos incapaces; sed potiùs significat, comparari ab ipsis dominium. Decernit enim beneficiatos ob absentiam, vel intermissum officium canonicum, fructus beneficii suos non facere, id est, eorum dominium non acquirere, sicuti videre est in Concilio Lateran. sess. 9. §. statuimus, & in Trident. sess. 22. c. 2. sess. 24. cap. 12. de reform. Vnde manifestò colligitur, si præsentes sint, & officium præstent dominium redituum comparare; nam alioquin constitutioni pœnali seu priuationi ob absentiam, negligentiam &c. nullus locus esset.

Ad alteram quæstionem respondeo, probabiliorem mihi videri sententiam Nauar. quam contra Adrianum in 4. vbi de restitutione, §. pro clariore intelligentia, Sarmientum, Sotum, Couarruiam ll. c. propugnat in dicta Apologia q. 1. monito 20. & seqq. q. 2. monit 7. & in man. c. 17 n. 94. Clericos ex iustitiæ lege obligatos esse, vt superflua suorum redituum in pium aliquem vsum erogent; ideòque si in vsus prophanos expēdant, ad restitutionem teneri. Moueor primò: Quia id indicant sacri canones, causa 12. q. 1. c. Episcopi, c. manifesta, & qui sequuntur vsque ad finem. Item c. similiter, c. quia iuxta, c. reuertimini, c. decimæ, causa 16. q. 1. c. quod autem; 23. q. 7. & videri potest Gratianus causa 14 q. 1. §. 1. Adrian l. suprà cit.

Secundò: Quia hæc est communis sententia antiquorum Doctorum, quorum catalogum videbis apud Abb. in c. cùm esses, n. 21. Adrianum cit. loco Nau. in eadem Apolog. q. 2. mon. 7. Couar. cit. c. cùm in officiis, n. 2. Vasq. tr. de redit. Ecclesiast. c. 1. §. 2. n. 24.

Tertiò: Doctores communiter fatentur, atque ex sacris canonibus, & Ecclesiæ traditione notissimum est, beneficiatos mortaliter peccare, si reditus superfluos notabili quantitate in prophanos vsus, v. g. ad ditandos consanguineos suos expendant: Talis autem obligatio ita generalis, & ordinaria proficisci non potest ex lege charitatis, ac misericordiæ: ergo oritur ex lege iustitiæ propter annexum onus, quo Clerici reditus annuos percipiunt, vt quæ ipsis superflua manent, non nisi in pias causas erogent. Maior est certa, vti videre licet apud Alens. p. 3. q. 36. men. 5. ar. 2. & 3. Maiorem in 4. d. 24 q. 17. Adr. l. c. concl. 2. & 3. Nauar. in tr. de redit. Eccl. q. 1. monit. 48. Vasq. tr. de eleemosyna, c. 4. n. 9. & 10. Minor probatur: Duo enim sunt capita, ex quib. obligatio dandæ eleemosynæ secundùm charitatis legem prouenit, auctore S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. Vna est ex parte dantis, si habeat bona superflua: atqui sæpe accidit, vt laici plura superflua bona habeant, quàm Clerici, sicuti Nauar. notauit, q. 2. monito 9. n. 7. Altera est ex parte patientis, si necessitas eius grauis sit: Ponamus autem hanc abesse, nullósque in locis quib. beneficiati degunt, graui inopia premi; atque multos, vt dixi, esse laicos ditiores, qui communes pauperum miserias subleuare soleant; nihilominus beneficiati tenebuntur, & quidem sub culpa mortali, reditus suos superfluos in quemcumque vsum pium erogare, secundùm receptam Doctorum sententiam. Ergo obligatio hæc

non ex sola charitatis, sed iustitiæ lege prouenit.

Quod ipsum ita declaratur, & confirmatur: Nam, vt sacri canones aiunt, bona Ecclesiastica sunt res Dei, patrimonium Christi, vota fidelium, pretia peccatorum: Id est, à fidelibus Christianis Deo oblata in manibus Ecclesiæ Prælatorum, vt per hos ad pium aliquem vsum, ad Dei honorem, & pro salute offerentium fidelium dispensentur; eôque ipso tacito pacto, & annexo onere [illegible] Ecclesiæ Prælatis decimæ, obligationes, & dona accep[illegible] non in vsus prophanos, sed pios ad Dei honorem conuertantur. Quare neque ipsemet Papa, neque vllus Episcoporum hanc legem transgredi, & bona siue reditus Ecclesiæ in prophanum vsum conuertere, aut alteri ita absumendi potestatem dare potest: consequenter cùm beneficiatis reditus abundantes atque superflui assignantur, id fit cum annexo onere, vt quod superest, in pium vsum conuertatur.

Ideo autem beneficiatis, præsertim Episcopis, abundantiores reditus assignati sunt; partim vt ipsis magis prospectum esset, quo pro temporum & annorum varietate decentem sustentationem haberent; partim quia ad Ecclesiæ honorem ac commendationem pertinere videbatur, vt eleemosynæ in pauperes, & alia pia opera ex bonis superfluis, per manus ipsorum beneficiatorum præstarentur: quamobrem Episcopi ex antiqua traditione *Patres pauperum* dicebantur. In eadémque sententia S. Bern. fuit epist. 2. ad Canonicum Lugdunensem: *Quidquid præter necessarium victum, & vestitum de altari retines, tuum non est,* (quia aliis debitum) *rapina est, sacrilegium est.* Similia habet in epist. 42. Et videri potest Ioan. Driedo lib. 2. de libert. Christiana, c. 4. Maior l. c.

Accedit ad confirmationem auctoritas Concilii Tridentini sess. 25. c. 1. de reformat. Episcopis omnino *interdicit* (Synodus) *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiarésque suos augere studeant: cùm & Apostolorum canones,* (39. 40.) *prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt* (id est ad pium vsum, & Dei cultum destinatæ) *consanguineis donent.* Et paulò post: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tam secularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari; sed & ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.*

Addit verò ibidem Concilium; Si consanguinei pauperes sint, vt pauperibus reditus Ecclesiasticos meritò distribui. Idque intelligendum esse, aiunt Doctores, non tantùm si absolutè pauperes, siue indigentes sint; sed etiam considerato statu suo, quem honestè sustentare non possunt. Et statum personæ nonnihil inde etiam excrescere, quòd habeat consanguineum Papam, Cardinalem, Episcopum, docent Caiet. 2. 2. qu. 43. ar. 8. Nauar. qu. 1. mon. 27. Mol. disput. 146. qui tamen rectè limitat traditam doctrinam; ex Ecclesiasticis reditibus consanguineis indigentibus succurri posse, si aliæ longè grauiores aliorum necessitates non occurrant.

4 Potest etiam beneficiatus, imò tenetur ex bonis Ecclesiasticis alere liberos suos non tantùm legitimè natos; sed etiam illegitimos ac spurios, sicuti ex communi docent Abb. in c. coniugatus, in fine, de cleric. coniug. Nauar. comment de spoliis Clericorum, §. 19. n. 11. & consequenter filiæ competentem dotem conferre: quia *dos succedit loco alimentorum,* secundùm Bart. l. vxorem, §. pater naturalis, ff. de legat. 3. Cæterùm, si liberi propria sufficientia bona habeant, v. g. aduentitia à matre, ideóque indigentes non sint, vel si pater propria patrimonialia bona possideat: tunc concessum non est, dotem & alimenta ex Ecclesiasticis reditibus largiri. Nisi liberi sint in obsequio, vel familia beneficiati, quam conuenienter suo statui alit. Vide Nauar. l. c. Mol. cit. disp. 146. Maiorem in 4. d. 24. quæst. 10.

Dubitatur autem; Vtrum beneficiatus, cui patrimonialia bona suppetunt, ex bonis Ecclesiasticis filium suum in studiis alere possit; aut fratrem suum, aliúmue consanguineum, cuius pater satis idoneus est ad sumptus illi ministrandos? Respondeo affirmatiuè, cum Nauar. lib. 3. consil. 2. de vita & honestate Cleric. edit 2. Probatur: Cùm enim pater non teneatur filio suo præstare sumptus maiores, qui requiruntur ad studendum; sequitur talem filium, si propria bona non habeat, re vera indigentem esse; ideoque ex bonis Ecclesiasticis sumptus ei ministrari posse. Deberet tamen hinc deduci æstimatio alimentorum, quæ pater naturali iure filio suo præstare cogitur: nisi quis sibi persuadeat, cedere id magis ad honorem Ecclesiæ, si integrè, & nulla detractione facta, ex bonis Ecclesiasticis alterum alat, quò magis is Ecclesiæ ex gratitudinis virtute obligatus existat. 5

Denique confirmatur nostra sententia: Quia nemo prohibetur testari de bonis, quæ iure absoluto, & sine vllo annexo onere, ad ipsum spectant, l. 1. C. de SS. Ecclesiis. Clerici autem testari de reditibus Ecclesiasticis etiam ad pias causas prohibentur, sicuti videre est in cap. 1. c. quia nos, c. cùm in officiis, c. relatum, 2. de testam. & in Authent. licentiam, C. de Episc. & Clericis. Non aliam profectò ob causam, nisi quia reditus Ecclesiastici superflui debentur Ecclesiæ, vnde profecti sunt. Quamuis autem Ecclesia potestatem tribuat beneficiatis reditus Ecclesiasticos in pias causas erogandi, dum in viuis sunt; non tamen disponendi de iis in tempus post mortem suam: sed omne ius beneficiati in bonis Ecclesiasticis ipsa morte finitur, & reditus qui supersunt, ad Ecclesiam redeunt, si defunctus ex Clericorum congregatione fuit, puta Canonicus: vel ad successorem, si fuit Parochus, vel similis beneficiatus, iuxta cap. relatum, 2. de testamentis. Quibusdam verò locis ad Episcopum bona deuoluuntur; vel tanquam spolia Cameræ Apostolicæ applicantur, vbi id receptum est: de quo vide Mol. disput. 147. Idque meritò ita decretum est, vt beneficiati promptiores essent ad bona, quæ ipsis supersunt, in pias causas eroganda, scientes, nullam sibi facultatem superesse de iis post mortem suam disponendi, sicuti notauit Nau. q. 3. mon. 1. 6

Excipienda tamen sunt minutiora, quæ in remunerationem beneficiorum, famulis, v. g. testamento relinquere, vel mortis causa donare beneficiati non prohibentur, cit. cap. relatum. 2. de testam. Minutiora, inquam: nam maiora dona, etiam remuneratoria beneficiorum, non possunt per dispositionem vltimæ voluntatis relinqui. Si tamen verè debita sint, ita vt, nisi ea munera præstentur, non solùm vitium ingratitudinis incurratur; sed etiam actio negotiorum gestorum, vel alia similis intentari possit, quia obsequia non merè gratis exhibita censebantur, tunc successores beneficiati ea soluere debent, arg. l. Aquilius, & l. si pater, §. si quis, ff. de donat, & videri potest Mol. to. 2. disp. 292.

At verò de bonis patrimonialibus beneficiati disponere possunt arbitratu suo: si tamen intestati decedant, & consanguineos non habeant, succedit Ecclesia: vel potiùs applicantur beneficio cui obligati erant, sicuti constat ex c. 1. vbi Abb. n. 3. de success. ab intestato. In dubio autem, vtrùm bona relicta patrimonialia sint, an verò ex Ecclesiasticis beneficiis acquisita, quid præsumendum sit, videre potes apud eundem Abbat. ca. cùm inquirendum, de peculio Clericorum, & c. cum esses, n. 24. de testam.

SVPERSVNT QVÆSTIONES: PRIMA. Vrum honesta sit consuetudo, quæ multis regionibus, etiam in nostra Germania passim obtinet, vt beneficiati

(exceptis Episcopis, aliisue Prælatis redituum administrationem tantùm habentibus) ad prophanas causas, de quibuscunque etiam superfluis reditibus arbitratu suo testentur? Affirmat Gl. c. præsenti, ver. reseruari, de offic. Ordinarii, in 6. & alii Canonistæ apud Abb. c. cùm in officiis, nu. 5. de testam. item Couar. Valentia, Fachinæus ll. suprà citatis, Azor t. 2. lib. 7. c. 9. Sa ver. Clericus, n. 25. Sed rectiùs negant non tantùm Abb. Maior, Nauar. & alii multi, qui nostram sententiam
7 sequuntur; sed etiam Mol. disp. 147. concl. 11. Lessius lib. 2. c. 19. dub. 4. Vasq. de redit. Ecclesiæ c. 2. §. 1. n. 83. Nam consuetudo, quæ legi naturali ac diuinæ repugnat, corruptela dicenda est, c. quæ contra, c. mala consuetudo, d. 8. Talis autem est hæc, quam dixi consuetudo. Nam omnes Doctores fatentur, beneficiatos mortaliter peccare siue contra charitatem, seu contra iustitiam, si Ecclesiasticos reditus superfluos in vsus prophanos expendant, v. g. donando consanguineis: Ergo similiter, imò etiam magis fateri coguntur, illos mortaliter peccare, si de eisdem bonis, mortis causa in vsus prophanos disponant: si quidem faciliùs alicui facultas permittitur disponendi in viuis, quàm post mortem suam. Vide Nauar. commentariis de spoliis Clericorum §. 14. & de redit. Ecclesiæ qu. 3. mon. 1. & 2.

Exinde rectè infert idem Nau. de redit. Eccles. q. 1. mon. 59. n. 3. & q. 3. mon. 6. Maior cit. d. 24. q. 2. concl. 4. ver. nec Papa. Abb. in repet. c. cùm esses, n. 30. de testam. contra Sarmientum in 1. part. defens ca. 2. in fine. Neque Sum. Pontificem dispensare, aut facultatem concedere posse, vt id licitè fiat: quandoquidem iuri naturali repugnat, vt defunctorum voluntates, seu dispositiones ad causas pias, in alios vsus prophanos sine iusta causa conuertantur, vel vt ita conuertendi potestas detur. Aliud verò sentiendum, si id iusta causa suadeat, v. g. in remunerationem meritorum, quæ Ecclesia à beneficiato, vel consanguineis eius accepit, arg. c. vlt. de pecul. Clericorum.

Porro licet Sum. Pontifex non possit approbare consuetudinem, vel dare potestatem cuilibet beneficiato testandi ad causas prophanas; cùm sit vniuersalis Pastor, & administrator Ecclesiæ, à Deo constitutus ad dispensandum, non dissipandum, sicuti bene monet Abb. repet. cap. cùm esses, n. 30. de testam. nihilominus talem consuetudinem permittere potest non quidem approbando, sed tolerando. Qua ratione testatur Nauar. comment. de spoliis Cleric. §. 11. n. 3. facultatem testandi etiam ad causas prophanas de spoliis, seu relictis Ecclesiasticis fructibus à Iulio III. Clericis in Curia Romana decedentibus concessam fuisse tantùm permissiuè, & quoad forum externum. Atque eodem modo censeri debet, potestatem de omnibus prouentibus Ecclesiasticis ad libitum, & ad quaslibet, etiam prophanas causas testandi in multis Germaniæ nostræ prouinciis tolerari; quia facilè aboleri non potest; non verò vt bonam atque laudabilem approbatam esse: cùm sacris canonibus, & primæ, vt dixi, beneficiorum institutioni, ipsorúmque fundatorum voluntati prorsus repugnet.

8 Secundò infert Henric. quodlib. 8. q. 27. Nau. tr. de redit. q. 1. monito 40. n. 12. Beneficiarios comparatione bonorum stabilium, ex quibus fructus percipiunt, neque esse meros vsuarios, neque propriè vsufructuarios. Nam vsuarius solùm capere potest fructus quatenus indiget ad vsum quotidianum: Beneficiarius autem tum in suos, tum in alios vsus pios, dum viuit, disponere non prohibetur. Minus verò ius habet beneficiarius, quàm vsufructuarius: nam iste fructus suos tam inter viuos, quàm post mortem relinquere potest, quibus vult, sicuti constat ex Instit. de vsu & habitat. non item beneficiarius.

Altera Quæstio. Vtrum hæredes, ac legatarij contra iustitiam peccent, & restituere debeant, si aliquid ex superfluis reditibus accipiant? Negant eos quicquam peccare Doctores illi, qui putant reditus omnes Ecclesiasticos absoluto domini iure, & sine annexo onere iustitiæ ad beneficiatos spectare: quare (inquiunt) tametsi hi contra charitatem delinquant, si reditus superfluos in diuites transferant donatione, legato; alienatio tamen absolutè, & sine vllo onere valida est, perinde ac si laicus diuiti donet quod ex lege misericordiæ pauperibus elargiri obligatus est, sicuti raciocinatur Mol. cit. disput. 147. Sed secundùm alteram sententiam, quam defendi, contrarium asserendum est: Si enim reditus Ecclesiastici, qui superflui 9
sunt, ex naturali iustitiæ lege in pium aliquem vsum erogari debent; quia cum tali onere, ac tacito pacto à fidelibus profecti sunt; manifestò sequitur, si eos alius titulo nationis aut legati accipiat, in conscientia tutum non esse, sed restituere obligatum, sicuti bene præter alios docet Gabr. cit. qu. 8. art. 3. dub. 6. Angel. ver. Clericus, 3. §. 4. & 13. §. 2. Nauar. de redit. Ecclesiæ, qu. 3. mon. 17. nu. 6. & de spol. Clericorum, §. 15. Quia tamen prior illa sententia ob Doctorum auctoritatem probabilis est, ideo plurimi eam in praxi bona fide sequuntur. Accedit, quòd sæpissime reditus Ecclesiastici, quos beneficiati post mortem relinquunt, non sunt ex superfluis; sed quos propria parsimonia seruarunt: de quibus arbitratu suo etiam post mortem disponere possunt, si diœcesis consuetudo permittat. Deinde excipienda sunt quæ per testamentum, aliámue vltimam voluntatem ad causas pias relicta sunt. Tametsi enim iure canonico beneficiatis de reditibus Ecclesiasticis ad quascumque etiam pias causas testari interdictum sit; non tamen ita, vt non contrarium consuetudini diœcesis introduci possit: quandoquidem id naturæ & institutioni redituum non repugnat, si ad causas pias, ob honorem Dei, applicentur.

Qvæstio Tertia est de fructibus pendentibus tempore mortis beneficiati, vtrum ad illius creditores, vel (secundùm probabilem sententiam, & quarundam diœcesum consuetudinem) ad hæredes pertineant an ad successorem? Item si beneficium resignetur, vtrum fructus pendentes ad renuntiantem pertineant, an ad successorem? Quòd omnes ad successorem pertineant, contendit Nau. de redit. Ecclesiast. q. 2. mon. 13. & alii multi, apud Couar. 1. resol. c. 15. nu. 12. cum Gl. in c. si propter, §. primi anni, de rescrip. in 6. Primò: Quia beneficiarius vsufructuario comparatur: atqui vsufructuarius non comparat sibi fructus nisi à solo perceptos; pendentes autem magis ad dominum fundi spectant, cùm sint pars fundi, & habetur in l. arboribus, §. Iulianus, ff. de vsufructu. Secundò. Beneficiatus ita se habet ad successorem in beneficio; sicuti hæres ad eum cui hæreditas restituenda est: atqui fructus nondum percepti omnes ad fidei commissarium spectare debent, iuxta l. 42. ff. de vsuris: *Herennius Modestinus respondit, fructus, qui post acquisitum ex causa fidei commissi dominium ex terra percipiuntur, ad fidei commissarium pertinere; licet maior pars anni ante diem fidei commissi cedentem præteriisse dicatur*: Ergo ita etiam dicendum de successore in beneficio.

Contrarium tamen docuit Sarmientus de redit Eccles. p. 4. c. 6. n. 13. Couar. cit. n. 12. Mol. tr. 2. de iust. to. 3. priore, disp. 635. n. 7. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 33. Nicol. Garcias p. 2. de benefic c. 1. n. 69. & seqq. Fructus diuidendos esse inter hæredes beneficiarii aut 10
pensionarii defuncti, & in beneficio successorem pro rata parte anni; ita vt si beneficiarius, aut pensionarius initio statim anni mortuus est, aut beneficio suo renunciauit, parum ex fructibus ipse, vel hæredes, aut cre-

ditores eius percipere poſſint; multùm verò ſi propè animi finem, ſeu cùm fructus mox percipiendi eſſent, beneficio ſuo, aut vita deceſſit. Argumentum ſumunt ex l. diuortio, ſi ſoluto matrimonio, aliàs incipit fructus, vbi hoc ipſum ſtatuitur de marito, ſoluto matrimonio lucrante pendentes fructus in fundo dotali, *habita ratione præcedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit*: videlicet, *ſi fine menſis Ianuarii diuortium fiat, & quatuor menſibus matrimonium ſteterit; vindemiæ fructus, & quarta portio mercedis inſtantis anni confundi debebunt, vt ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur*. Vbi imprimis nota; Sicuti portio fructuum debetur ſecundùm proportionem durantis temporis matrimonij, aut iuris in beneficio; ita ſimiliter deberi portionem penſionis, ſi fundus dotalis, aut Eccleſiaſticus alteri locatus erat: cùm enim penſio loco fructuum detur, meritò in eorundem locum ſuccedit. Secundò notat Gloſ. ibid. §. Papinianus, fructus intelligi deductis impendiis, quæ ante omnia reſtitui ei debet, qui ea fecit, ſicuti habetur expreſsè in cit. l. diuortio: *Fructus* in hac re *eos eſſe conſtat, qui deducta expenſa ſupererunt*. Tertiò nota; Licet maritus non ſit dominus fundi dotalis, ſed tantùm ius percipiendi fructus habeat, dum matrimonium durat; nihilominus conceſſum ipſi eſſe, vt etiam de fructibus poſt finitum matrimonium percipiendis participet, ſecundùm proportionem partis anni, quo onera matrimonii ſuſtinere debuit, ne illud oneris ſui tempus ſine compenſatione maneat, ſicuti Gl. annotauit ver. tertia portio. Quare cùm eadem ratio etiam in beneficiato, & ſuo modo in penſionario locum habeat, ideo poſterior hæc ſententia æquitati conſona eſt, multiſque diœceſibus recepta. Atque argumenta pro priore ſententia non conuincunt: cùm beneficiarius neque propriè vſufructuarius, neque fidei commiſſo grauatus dici poſſit; conſequenter quæ de his in iure ſtatuta ſunt, ad beneficiarium aut penſionarium transferri nequeant. Quin imò ſi ex ratione ſimilitudinis argumentari volumus, beneficiarius quàm optimè ſtipendiario comparatur: at verò ſtipendiarius, & quicunque pro opere aut labore præſtando ſalarium annuum habet; id ei, vel hæredibus eius debetur, ſecundùm proportionem temporis anni, quo officium ſuum præſtitit. Ergo id ſimiliter de beneficiario dici debet. Penſionarius autem accipit penſionem inſtar annui alimenti: ergo ſecundùm proportionem temporis anni in quo vixit, debetur illi portio penſionis.

11 QVÆSTIO QVARTA. An quæ hoc c. dicta ſunt, locum etiam habeant in Regularibus promotis ad Epiſcopatum, vel Parochiam, aliúdue ſimile beneficiū? Reſpondeo; Pleraque locum etiam habere, ſaltem quo ad eundem effectum. Licet enim propter votum paupertatis, dominii redituum capaces non ſint; pleniſſimam tamen eorum adminiſtrationem habent, à ſacris canonibus conceſſam, ſicuti docent Nauar. de redit. Eccleſiaſt. quæſt. 1. monito 8. Molina to. 2. diſput. 276. ver. Religioſus in conuentu, Sa ver. religio, n. 46. Leſſ. lib. 2. c. 41. dub. 11. n. 93. Sanch. lib. 6. mor. c. 6. n. 14. ita tamen, vt quæ ſuperflua ſunt non in alias, quàm pias cauſas erogare ipſis liceat; alioquin ad reſtitutionem obligentur: quæ verò propria parſimonia, ſeu parciùs viuendo acquiſiuerunt, ea in quaſcunque cauſas inter viuos donare & abſumere ipſis, ex Eccleſiæ benignitate liceat, ſecundùm Nau. cit. q. 1. monito 33. Sanchez cit. nu. 14. At verò mortis cauſa donare, aut teſtari de Eccleſiaſticis reditibus; aut bonis patrimonialibus, vel quacunque induſtria acquiſitis Regulari beneficiato permiſſum non eſt; niſi Papa diſpenſet, ſeu licentiam tribuat; quam facilè cōcedit euectis ad dignitatem Cardinalitiam, Epiſcopalem, vel aliam ſimilem.

Addit Nauarr. comment. 4. de Regular. n. 70. cùmque ſecutus Sanchez lib. 6. moral. c. 6. nu. 14. quòd Religioſus beneficiarius omnium etiam aliorum ex quibuſcunque cauſis quæſitorum liberam adminiſtrationem habet, dum viuit; vt proinde extra, & intra iudicium de his diſponere, & agere poſſit abſque licentia Prælati. Quod licet ſpectata quorundam locorum conſuetudine rectè dicatur; tamen conſiderato communi iure canonico, & ſtatu profeſſionis religioſæ, quem beneficiarius retinet, dici non poſſe videtur. qua de re vide quæ dicam lib. 4. tr. 5. c. 7. q. 5. dicto 5.

CAP. IV.

QVOTVPLEX SIT BENEFICIVM Eccleſiaſticum.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium aliud ſeculare eſt, & aliud regulare.*
2 *Canonici regulares ſine diſpenſatione Papæ ad Eccleſiam parochialem promoueri non poſſunt.*
3 *Si Conuentus regularium deficiat, reformari debet per Religioſos eiuſdem ordinis, ſi fieri poſſit, & idonei adſint.*
4 *Beneficium aliud eſt duplex, & aliud ſimplex. Inter beneficia duplicia quædam ſunt maiora, vt Papatus, Epiſcopatus, Cardinalatus: quædam media, vt reliquæ dignitates, perſonatus, & officia: denique quædam abſolutè parochialia dicuntur.*
5 *Alia diuiſio beneficii eſt in titulare, & manuale.*
6 *Capellaniæ aliæ ſunt temporales, & non collatiuæ, aliæ propriè ſpirituales, & collatiuæ.*

BENEFICIORVM variæ diuiſiones ſunt. Prima. Beneficium aliud eſt ſeculare, quod Clericis ſecularibus competit; aliud regulare, quod Regularibus addictum ac debitum eſt. Nam beneficium regulare conferri non poteſt Clerico ſeculari; neque vice verſa, beneficium ſeculare Clerico regulari, ſicuti colligitur ex c. cùm de beneficio, de præb. in 6. c. ſuper eo, de Regularibus. Excipe primò: Si Canonicus regularis, vel Monachus Ordinis non mendicantis eligatur ad Epiſcopatum, vel aliam prælaturam ſecularem, ſicuti colligitur ex cap. nullus religioſus, de electione, c. quod Dei timorem, de ſtatu Monachorum, vbi id Abb. explicat num. 5. Et Ordinis Prælatus tenetur tunc licentiam dare Profeſſo beneficium accipiendi, ſi neceſſitas vel vtilitas Eccleſiæ poſtulet, ſicuti docet Abb. cit. c. quod Dei timorem, n. 8. Rodriq. to. 1. regul. q. 34. a. 4. & 5. Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 2. 1

Excipe ſecundò: Quòd Regularis ob iuſtam cauſam, cum conſenſu Prælati, ſi ille exemptus eſt, fieri poſſit Vicarius Epiſcopi, ſecundùm Gl. receptam c. cùm Paſtoris, 2. q. 7. Habitu tamen retento: quia ſolius Papæ eſt dare facultatem manendi extra Monaſterium ſine habitu Ordinis, ſicuti docet Nau. lib. 3. conſ. 14. n. 3. de Regul. ex cap. 2. Ne Cler. vel Monachi, in 6.

Excipe tertiò: Quòd Canonicis regularibus conceſſum eſt ab Innoc. III. cit. c. quod Dei timorem, ſecularia beneficia curata obtinere; dummodo, ſi commodè fieri poſſit, ſocium regularem ſecum habeant. idque notauit Syl. ver. religio, 7. q. 3. & 4. Leſſ. lib. 2. c. 41. n. 98. Neque de hoc dubitari poteſt, ſpectato iure antiquo. Sed iure nouo derogatum eſſe huic licentiæ per concordata Concil. Lateran. cum Leone Papa, ſignificārunt plures ſequentes Pontifices, apud Sanch. lib. 7. moral. cap. 29. nu. 71. Garciam pag. 7. de beneficijs c. 10. n. 31. & Cardinales in declar. Trident. ſeſſ. 14. c. 10. Quare hodie abſque Papæ diſpenſatione Canonicus regularis ad Parochialem Eccleſiam promouendus non eſt, quod etiam docet Miranda in man. t. 1. q. 32. a. 5. & ſignificat Syl. ver. religio, 7. q. 6. Iuxta quam praxin curiæ Romanæ, Epiſcopus Monachos & regulares 2

Canonicos, si absque Papæ licentia ad parochias seculares, suo Monasterio non vnitas, promoti sint, inde remouere potest.

Excipe quartò: Si Ecclesia seu Conuentus regularis deficiat, ita vt consideratis loci, temporis, personarum circumstantiis, per Regulares reformari non possit, tunc Episcopus clericos ibi seculares instituere potest, iuxta c. inter quatuor, de relig. domib. vbi Abbas notat; Conuentum religiosum, si collapsus sit, reformandum esse primò per Regulares eiusdem Ordinis; in horum verò defectum per Religiosos alterius Ordinis; in omnium autem defectum per Clericos seculares; salua tamen plenitudine potestatis Rom. Pontificis, quippe qui supremus omnium Ecclesiasticorum beneficiorum administrator est. Collegium autem Clericorum secularium faciliùs per auctoritatem Episcopi, cum Capituli consensu, ad statum regularem conformari potest; modò Clericis secularibus, dum vixerint, vitæ necessaria ministrentur, iuxta c. ad audientiam, 2. de Eccles. ædific. vbi Abbas. n. 6. notat; Requiri etiam consensum Clericorum; si Episcopus talem mutationem ob causam voluntariam facere velit; secùs, si ob causam rationabilem; puta si inhonestè ibi vixerunt, tunc etiam iis inuitis fieri posse.

Porro omne beneficium censetur esse seculare, nisi constet, vel probetur regulare. Probari autem potest ex literis fundationis siue erectionis, vel ex continua quadraginta annorum possessione. sicuti ex communi docet Nau. lib. 3. consil. 3. de præben. edit. 2. Azor. to. 2. lib. 3. c. 26. q. 1. Sanchez 7. moral. c. 26. n. 14.

Altera diuisio. Beneficium aliud est duplex, & aliud
4 simplex. Beneficium duplex est, quod aliquam eminentiam, iurisdictionem, vel administrationem habet. Inter quæ beneficia primum ac præcipuum est Papæ, iuxta c. 1. de maledicis: quare & ipse canonicè eligi, atque institui debet. Reliqui etiam Episcopi beneficia habere dicuntur in c. felicis, §. quòd si quis, de pœnis, in 6. Quamquam Episcopatus, sicuti & Papatus, communi appellatione beneficiorum, præsertim in pœnalibus, aliisque strictæ interpretationis canonibus comprehendi non solent, sicuti notauit Ioan. de Selua p. 1. de beneficio, quæst. 3. nu. 25. Cùm sint culmina beneficiorum, ac dignitatum, sicuti dicitur in c. penult de præben. & notauit Gl. in cap. 2. eod. in 6. Marsilius Columna p. 2. de redit. Eccles. c. 11. nu. 17.

Ordo Episcoporum, ait Isidorus relatus in cap. 1. d. 21. quadripartitus est: Sunt enim Patriarchæ, Primates, Metropolitani seu Archiepiscopi, & Episcopi. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 4.

Cardinales quoque Sanctæ Rom. Ecclesiæ in præcellenti Ecclesiasticæ dignitatis ac officii gradu constituti sunt; quippe consultores, *fratres & coadiutores* Romani Episcopi, sicuti appellantur in c. fundamenta, §. decet, de elect. in 6. De quorum origine & antiquitate lege Anton. Marsil. cit. pag. 2. ca. 13. Et quæ hactenus numerauimus, appellantur beneficia maiora seu sublimia.

Alia verò dicuntur beneficia *media*, vt videre est apud Abb. c. maioribus, de præben. & sunt reliquæ dignitates præter illas sublimes; item personatus, & officia, quæ omnia duplicia beneficia censentur. Dignitas est præeminentia, ferme cum iurisdictione fori exterioris iuncta, teste Abb. & Innoc. cap. de multa, de præbendis. Nau. consil. 15. de præbendis, edit. 2. Syl. ver. beneficium, 1. q. 1. Petro Rebuffo in praxi beneficiorum, cap. Beneficium seculare quotuplex, n. 7. Cuiusmodi beneficia obtinent Abbates, & alii Prælati tam regulares, quàm seculares. Item Archidiaconus, qui post Episcopum, veluti vicarius eius, in omnes diœcesis Clericos iurisdictionem obtinet, cap. 1. de offic. Archidiaconi. Hodie verò in multis Ecclesiis Vicarius generalis appellatur, qui hanc potestatem exercet, quæ describitur in cit. cap. 1. c. mandamus, & seqq. eod. tit.

Personatus est præeminentia in Ecclesia sine iurisdictione fori exterioris; v. g. qui aliis præpositus est in choro, in processione, in suffragiis. Quamquam hæc vocabulorum differentia non semper obseruatur; sed interdum dignitas & personatus pro eodem accipiuntur, sicuti videre est in c. cùm accessissent, de constitut. & notauit Abb. in cit. c. de multa, n. 10. Marsilius l. c. cap. 13. n. 1.

Officium dicitur administratio sine iurisdictione fori exterioris: cuiusmodi habet Custos, Thesaurarius, Primicerius, Archipresbyter, qui omnes Archidiacono subiecti sunt. Ipse autem Primicerius Diaconis; Archipresbyter verò, veluti Decanus Presbyteris præfectus erat, tamen sine iurisdictione in foro externo, sicuti colligitur ex c. vlt. de officio Archipresbyt &c. vn. de offic. Primicerii. Nihil tamen obstat, quia officium v. g. Archipresbyteri seu Decani, si in Ecclesia iurisdictionem, vel præeminentiam habet, inter dignitates aut personatus etiam numeretur. Vide Syl. l. c. q. 5. Parochus quoque siue Plebanus (ita enim appellatur in c. quod Dei timorem, de statu Monachorum) officium, & beneficium duplex [quasi duplici cura & onere constrictum] habere censetur.

Denique simplex beneficium dicitur, quod neque specialem præeminentiam, neque iurisdictionem, neque administrationem habet: v. g. canonicatus tum secularis, tum regularis; item capellania, siue altare Episcopi auctoritate constitutum.

Tertia diuisio. Beneficium aliud est simpliciter titulare, quod videlicet in titulum perpetuum confertur, vt beneficiato sine graui, & iusta causa auferri non possit, siue per legem, siue per Iudicis sententiam. Aliud verò est beneficium manuale, quod in titulum quidem confertur, sed reuocabiliter: quia ad nutum Prælati, vel Patroni beneficiato auferri potest. Talia beneficia manualia sunt ferme omnia regularia, quæ nec curata, nec electiua sunt; vt Prioratus, officium Custodis, Sacristæ siue Thesaurarii, sicut notauit Marsilius l. c. cap. 15. nu. 16. Rodriq. t. 1. reg. qq. q. 34. a. 2. Loquor autem de Priore, qui sub Abbatis obedientia constitutus est, ideóque ab eodem ad nutum remoueri potest, iuxta cap. cùm ad Monasterium, §. sed alicui, de statu Monach. Quia *impossibile est* inquit Abb. in cap. 2. n. 8. eodem tit. *quòd Monachus sit Monasterii, & inuito Abbate administrationem tenere possit.* Alia verò ratio est de Priore conuentuali, qui per electionem Capituli creatus, perpetuam dignitatem obtinet: talis enim remoueri non potest, nisi sit dilapidator bonorum, vel inconuenienter viuat, aut simile delictum committat; vel denique ob necessitatem, vel maiorem vtilitatem aliò transferendus videatur, iuxta cit. c. 2. §. Priores autem. Plura vide apud Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 118. & seqq.

Beneficia autem secularia, licet ordinariè in titulum perpetuum conferri soleant, ideòque sine graui causa reuocari non possint, sicuti constat ex c. præcepta, d. 55. c. satis peruersum, d. 56. cap. Sanctorum, d. 70. tamen nihil obstare videtur, quo minùs etiam secularia quædam beneficia speciali statuto, vel fundatione, temporalia & ad nutum amobilia instituantur, sicuti pluribus allegatis, docet Nicol. Garcias, p. 1. de benefic. c. 2. §. 1. contra Nau. consil. 8. de iure patron. & consil. 5. 7. & 17. de præb. edit. 2. vbi significat, Capellaniam non perpetuam, sed manualem non esse propriè beneficium Ecclesiasticum.

Sed rectiùs distinguitur inter Capellanias cum Azo-

sio t. 1. lib. 10. cap. 4. q. 2. Suarez to. 2. de relig. lib. 4. de orat. cap. 22. n. 11. Quædam enim sunt temporales & non collatiuæ videlicet, quæ sine Episcopi auctoritate, quamuis in perpetuum, institutæ sunt, vt à fundatore, eiúsue hæredibus conferantur, cui ipsi voluerint: & tales capellaniæ beneficia non sunt; sed merè temporalia stipendia Sacellanorum, sicuti rectè docet Nau. in cit. consil. 5. Aliæ verò sunt Capellaniæ, quæ Episcopi auctoritate institutæ, spirituales & collatiuæ factæ sunt; ideóque propriè dicta beneficia Ecclesiastica, quamuis ad nutum Episcopi, vel Patroni auferri possint: hoc enim ad accidentalem tantùm beneficiorum differentiam spectare videtur: quandoquidem ipsemet Nau. cõsil. 8 de iure patronatus, n. 10. fatetur, beneficia Ecclesiastica per voluntatem Papæ, vel consuetudinem immemorialem posse fieri manualia, seu ad nutum amobilia. Id tamen fateri nos oportet, spectato iure communi & ordinario, beneficia secularia censeri perpetua; regularia verò beneficia censeri manualia seu reuocabilia: quamobrem hæ qualitates in impetratione beneficiorum necessariò exprimi non debent; cùm insint communi iure quod Pontifici cognitum esse præsumitur, iuxta cap. 1. de Constit. sicuti docet Rebuffus de pacificis possess. n. 339. Sanch. lib. 7. moral. c. 29. n. 105. Aliam beneficiorum diuisionem, ex modo conferendi desumptam reperies infrà cap. 10. n. 1.

CAP. V.

DE OBLIGATIONE ANNEXA beneficio Ecclesiastico recitandi officij Canonici.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiati si horas canonicas intermittant, post sex menses à beneficio obtento, ad fructuum restitutionem obligantur.*
2 *Hæc fructuum restitutio fieri debet non præcisè pro rata omissionis officij, ac temporis, sed quatenus reditus beneficiarij dantur propter officium canonicum; non item propter alias obligationes.*
3 *Solus titulus beneficij non inducit recitandi obligationem; sed requiritur etiam possessio.*
4 *Si beneficiatus sine culpa sua nullos reditus accipit, nec postea accepturus est, ad recitandum non obligatur.*
5 *Iusta esse potest consuetudo beneficia valde tenuia conferendi sine canonicarum precum obligatione.*
6 *Præstimonia ea, quæ in titulum perpetuum dantur, & verè Ecclesiastica beneficia sunt, ad canonicum officium obligant.*
7 *Commenda est duplex; perpetua, & temporalis: illa ad orandum obligat; hæc non item, si in Ecclesiæ vtilitatem constituta sit.*
8 *Vicarij alij perpetui sunt, & alij temporales: illi ad recitandas horas obligantur; hi non item: nisi tota beneficij administratio ipsis commissa sit.*
9 *Coadiutor beneficiati, ratione huius muneris ad canonicas horas non astringitur.*

1 BENEFICIATI omnes ad officium canonicarum precum obligantur in Concilio Lateranensi generali, sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformat. *Statuimus, & ordinamus, quòd quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante beneficiorum suorum fructus non faciat suos, pro rata omißionis officij, & temporis; sed eos, tanquam iniustè perceptos, in fabricas ecclesiarum huiusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Quam constitutionem postea renouauit, & explicauit Pius V. Bulla sua 138. quam refert Nau. cap. 25. man. num. 122. & de orat. cap. 7. num. 31.

Quædam hic notanda sunt: Primum. Concilium supponit, beneficiatis omnibus ex generali Ecclesiæ consuetudine incumbere obligationem recitandi officij; de nouo autem solùm decernit pœnas culpabiliter omittentibus. Quamobrem ante concilium Lateranense communior erat Doctorũ sententia, sicuti videre est apud Innoc. Abb. c. 1. de celebr. Missarum, Sylu. ver. clericus, 4. q. 23. Nau. c. 7. de orat. cit. n. 31. Nicol. Garciam p. 3. c. 1. n. 8. Beneficiatos, propter omissionem officii canonici, olim non fuisse obligatos ad fructuum restitutionem; sicuti neque post Lateranense Concilium, intra primos sex menses ab obtento beneficio, obligantur; licet interim mortaliter peccent sicuti ex communi notauit Tol. lib. 2. c. 12. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 184.

Secundum. Obligatio hæc restituendi fructus propter neglectum officium canonicum, secundùm substantiam ex iure naturali descendere videtur, sicuti indicat Concilium Lateranense, quando constitutionis suæ rationem affert; *quia beneficium datur propter officium*, adeóque quasi sub condione præstandi officii: nam datum ob causam causâ non secutâ, iure repetitur. idque docuit etiam Sotus lib. 10. q. 5. a. 6. concl. 3. Medina in instruct. confess. cap. 14. §. 11. Lopez p. 2. instruct. cap. 98. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 1. num. 198. Suarez lib. 4. de horis cap. 29. Quoad determinationem verò ac modum, ex iure Ecclesiastico prouenit: quod ita explicat Suarez l. cap. Quemadmodum Sacellanus, qui stipendium accepit pro Missis legendis si eas legere intermisit, non-tenetur stipem restituere; cùm possit neglecta compensare, alio tempore sacrificando: Sic etiam Canonicus, qui vno die Canonicum officium omisit, spectato iure naturæ, aliis diebus similem, vel æquiualentem spiritualem compensationem facere posset, nisi Ecclesiastico iure statutum esset, vt post sex menses restitutio non aliter, quàm in fructibus fieret. Si autem ante primos sex menses officium negligat, compẽsationem facere tenetur seu in fructibus, seu in spirituali oratione, sicuti ipsa natura & obligatio suscepti beneficii exigit.

Veruntamen Nau. cap. 25. man. num. 123. Garcias num. 17. Azor t. 1. lib. 10. cap. 14. quæst. 3. & 4. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 32. primo semestri nullam omnino restituendi obligationem agnoscunt; quippe quam ex solo Ecclesiastico iure prouenire arbitrantur. Quorum sententia probabilis est, præsertim quod attinet ad beneficia curata, aut capellas, quæ principaliter instituta non sunt propter officium precum, sicuti etiam annotauit Pet. Nau. lib. 2. ca. 2. n. 198. Sed etsi sentiamus, obligationem restituendi secundùm substãtiam ex iure naturali prouenire; non est improbabile, quod ait Vasq. de benef. cap. 4. §. 1. num. 44. Potuisse Concilium etiam eos beneficiatos, quibus nullum aliud officium, quàm precum horariarum incumbit, primo semestri liberare à restitutionis obligatione; applicando eis reditus ratione tituli & officij præstandi in futurum.

Tertium. Beneficiatus, post primum semestre, canonicas horas dicere omittens, ante Iudicis sententiam restituere tenetur fructus tempori negligentiæ correspondentes, eo pacto, vt si v. g. 360. annuos aureos ex beneficio vno, vel pluribus percipiat, vnum aureum in vsum pium erogare cogatur, ob integrum vnius diei intermissum officium; dimidium aurei verò ob intermissum officium Matutinum cum Laudibus. Ita habetur in dictis constitutionibus Concil. Lateran. & Pij V. & consentiunt DD. communiter, contra Syl. ver. clericus, 4. q. 23.

Etsi verò Sotus lib. 10. q. 5. a. 6. Couar. 3. resol. c. 13. num. 10. in fine (quibus fauent Barth. Medina cit.

§. 11. Lopez p. 2. instruct. cap. 95.) in ea opinione fuerint, quòd beneficiatus vno, aut altero anni die officium canonicum prætermittens, ad nullam fructuum restitutionem obligetur: quia neque pius & clemens dominus de salario famuli detrahit, ob vnius vel alterius diei neglectum seruitium; si reliquo toto anno, sicuti oportebat, præstitum fuit; reliqui tamen Doctores ferè communiter repugnant: quia in constit. Pij V. clarè exprimitur, non tantùm ob vnius diei; sed etiam vnicæ horæ culpabilem officij omissionem, restituendi obligationem pro rata incumbere.

Illud rectè admonet Nau. cap. 7. de orat n. 34. aliíque sequuntur; Si ipsemet beneficiatus pauper sit tunc fructus restituendos eidem per modum eleemosynæ applicari posse. Tamen consultum erit hoc casu, si Confessarius aliam similem satisfactionem imperet; v. g. vt oret, vel sacrificet pro defuncto fundatore, sicuti monet Suarez cit. c. 30. n. 19.

Quartum Cùm dictæ constitutiones de omnibus beneficiatis, tam curatis, quàm non curatis promiscuè & sine discrimine loquantur; ideo multi Doctores existimant, etiamsi beneficiatus alia officia ritè peragat, v. g. Parochus Sacramenta ministret, Capellanus Missas celebret; nihilominus propter canonici officij neglectum, obligari eum ad omnium fructuum restitutionem pro rata. Ita docet Azor cit. c. 14. q. 5. Vasq. 1. 2. disp. 168. c. 4. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 198. Garcia cit. p. 3. c. 1. n. 28.

Verùm si hæc fuit mens Lateranensis Concilij tunc constitutio secundùm hanc partem valde pœnalis est, neque vbique recepta: præsertim cùm non desint graues Doctores, qui negent, eam fuisse mentem Concilij: si quidem constitutionis causam adiungit, *quia beneficium datur propter officium*; ergo si reditus beneficij dentur non propter solas preces canonicas, sed etiam propter alia spiritualia munera; his ritè peractis dumtaxat pars redituum, quæ neglecto officio secundùm proportionem respondet; restituenda erit. Ita docet Sotus, Medina ll. cc. Lælius Zecchus de benefic. pension. cap. 3. in fine. Io. Bapt. Conradus in resp. casuum conscientiæ, q. 240. in addit. Tol. 2. c. 12. Henriq. lib. 3. c. 13. n. 2. Sa ver. beneficium, n. 58. Less. cit. dub. 32. n. 177. Rodriq. in summa, c. 146. n. 4. quorum sententia probabilis, benigna, & in praxi tuta est.

2 Quæres quanta pars redituum canonico officio correspondere censeatur? Toletus ait, non minùs quàm tertiam. Medina quartam partem putat in Curatis, in Sacellano tertiã. Sa verò sufficere inquit, si Curatus quintam partẽ restituat, alij quartã vel tertiã. Ego arbitror, attẽdendũ esse partim ad quantitatẽ officiorũ, quæ beneficiatus, præter horariũ pẽsum, præstare cogitur; v. g. Parochus Sacramẽta ministrare, sacrificare, populũ docere: quæ seruitia interdũ tam multa, & grauia sunt, vt prudentis viri arbitrio, sextuplo, & interdum etiam decuplo superent officium horarum canonicarum priuatim persoluendum: partim verò attendendum esse, ad quantitatem redituum. Nam fieri interdum solet, vt fructus beneficij vix æquent, vel non multùm superent iustum vitæ stipendium, quod beneficiato naturali iure ob aliorum munerum obligationem deberetur, tametsi canonicum officium non recitaret: v. g. si Parochus, omnibus computatis, 350. Rhenanos florenos, Cappellanus quotidie celebrans 200. florenos annuos accipiat, probabiliter dici potest ad nullã, vel modicã eos restitutionem obligari. Moueor hac ratione: Quòd credibile sit, Lateranense Concilium noluisse eo casu imponere obligationem restituendi fructus beneficij, ob neglectum officium; cùm spectato iure naturali, nulla omnino incumbit obligatio restituendi. Atqui in proposito casu, si tam leues reditus beneficiatus habeat, vt non excedant iustum stipendium; quod ei propter alia præstita officia iustè debetur, tunc iure naturali ad nullam omnino restitutionem obligatur propter neglectum officium canonicum, Ergo neque ex constitutione Concilij. Minor est certa. Maior probatur: Tum quia, vt suprà dictum est, non videtur Concilium statuisse nouam restituendi obligationem secundùm substantiam; sed eam, quæ ex naturali iure oritur, determinasse, vt non aliter, quàm in fructibus fieret: Tum quia credibile est, Concilium ad eam solùm fructuum restitutionem obligasse, qui officio canonico secundùm proportionem respondent: Si autem reditus omnes naturali iure debeantur ob alia officia, tunc nulla pars redituum recitationi canonicarum horarum relinquitur, siue, vt clariùs dicam, nihil propter canonicum officium accipitur, ideóque nihil restituendum est: Tum denique, quia præsumendum non est, legem aliquam pœnalem, ante Iudicis sententiam, & ipso facto aliquem priuare iure suo iam acquisito: Atqui beneficiatus, præstando reliqua Ecclesiastica officia, acquirit ius exigendi & percipiendi stipendij iusti: ergo eo priuari non debet ob neglectum canonicum officium, ante Iudicis sententiam. Adde tamen, huiusmodi etiam beneficiatis, si pauperes non sint, sed propria patrimonialia bona habeant, plerumque expedire, aliquam fructuum restitutionem, saltem per modum sacramentalis satisfactionis, in sacra Confessione imperare, vt ea saltem ratione ad persoluendum canonicum officium compellantur.

Porrò licet initio capitis ex communi DD. sententia dictum sit, beneficiatos omnes, sub mortali culpa, ad canonicas horas obligari; de multis tamen dubitari solet, vel quia non propriè beneficiati esse videtur, vel quia reditus beneficij non habent, aut nimis tenues habent.

Qvæstio Prima est de ijs, qui imperio ac minis parentum coguntur ad statum Ecclesiasticum amplectendum, an recitare teneantur? Respondet bene Less. lib. 2. c. 34. dub. 31. n. 174. Obligari ad officium, si reditus ex beneficio ipsi percipiant: si verò, vt interdum fieri solet, pater reditus beneficij auferat, filius liber est ab obligatione; ipséque solus pater restituendi obligationem contrahit, quæ, ipso mortuo, ad hæredes eius transit pro rata.

Qvæstio Secvnda. Vtrum solus titulus beneficij obliget ad recitandum; an verò requiratur etiam possessio? 3
Nau. cap. 7. de orat. num. 29. & cap. 25. man. num. 101. & lib. 3. consil. 17. de celebr. Missarum, in fine, edit. 2. existimat, solum beneficij titulum sufficere, post eius acceptationem: nam ab eo tempore habet beneficiatus ius in re, & quasi dominium beneficij, eique plerumque debentur fructus, licet ante possessionis apprehensionem non tradantur. Contraria verò sententia & in scholis, & in praxi receptior est, quã tradit Flaminius Parisius de resignat. beneficij, lib. 1. q. 9. num. 15. Rodriq. to. 1. sum. cap. 146. num. 1. Henriq. lib. 13. cap. 13. num. 2. Azor to. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 7. Less. cit cap. 34. dub. 30. Suar. cit. lib. 4. cap. 19. Ante acquisitam beneficij possessionem non oriri recitandi obligationem: dummodo non stet per beneficiatum, quò minùs possessionem accipiat. Probatur primò: Quia non antè aliquis censetur plenè ac perfectè beneficium consecutus, quàm eius pacificam possessionem acceperit: vel si per eum stat quò minùs accipiat: Nam *paria sunt habere possessionem, & per aliquem stare, quò minùs habeat*, sicuti colligitur ex c. licet Episcopus, de præben. in 6. Secundò: Quia multa impedimenta occurrere possunt, vt prouisus beneficij possessionẽ nunquam acquirat, aut saltẽ eius temporis fructus non percipiat; vel quia ipsi non debentur, vel aliquo colorato quæsito titulo, denegantur.

Qvæstio Tertia. An, qui beneficium sine titulo iusto possidet, recitare teneatur, interim dum

beneficium administrat, & fructus percipit? Negat Nau. lib. 1. consil. 3. de ætate & qualit. edit. 2. sed rectiùs affirmat Azor cit. c. 4. q. 9. Garcias cit. c. 1. n. 90. & indicat Suarez cit. c. 19. n. 10. Cùm enim beneficiatus commoda & fructus sibi vsurpet, iustitia postulat, vt officium, & onera quoque subeat, arg. c. cum qui, de præben. in 6. *Non enim decet, quòd inuasor, eo qui iustè ingreditur, priuilegio gaudeat potiori.*

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum recitare debeat, qui beneficium possidet, sed nullos inde fructus accipit, neque per eum stat, quo minùs accipiat? Respondeo, & dico I. Beneficiatus recitare tenetur, si moraliter certus sit, se beneficii fructus postea accepturum; puta quia de beneficio is est, & interim fructus sequestrantur: sed possessor beneficij certò sperat, se causam obtenturum, sicuti tradit Nau. c. 25. n. 104. man. Azor. cit. c. 4. q. 9. Rodriq. p. 1. sum. c. 141. concl. 3. Vasq. tr. de beneficijs, c. 4. §. 1. n. 30. & significat Maior in 4. d. 12. q. 6. §. arguitur nono.

4 Dico II. Si beneficiatus, absque culpa sua, nullos omnino reditus percipiat, neque postea percepturus sit, non tenetur interim officium recitare. Quia beneficium non habent secundùm omnem effectum: quandoquidem beneficium est ius percipiendi fructus. Ita ex communi Caiet. ver. horarum canonicarum omissio. Sotus lib. 10. de iust. q. 5. a. 3. Nau. c. 25. man. n. 103. Arrag. 2. 2. q. 83. a. 12. dub. 3. concl. 2. §. sed quoniam. Less. dub. 31. Exemplum habes: I. Si fundi, ex quibus Ecclesiastici reditus proueniunt, ab hostibus occupati teneantur. II. Si reditus primi, vel secundi anni subtrahantur Canonico, & ad Ecclesiæ fabricam, vel aliam piam causam applicentur. qua de re Less. l. c. n. 171. Garcias nu. 70. Azor cit. ca. 4. q. 4.

Sed graue dubium est; Vtrum recitare debeant noui Canonici, si eis primo, vel altero anno reditus subtrahãtur, vt antiquioribus accrescant? Licet enim talem consuetudinem reprobet Pius V. Bulla 106. quæ incipit *Durum* Et ante illum Ioan. XXII. in extrauagante *suscepti* de elect. & extrauag. vn. Ne sede vacante, præceperit, vt beneficiatis primo, & secundo anno saltem dimidia pars redituum relinquatur. Neutra tamen constitutio in quibusdam Germaniæ itémque Hispaniæ Ecclesiis recepta est, teste Nau. de orat. & horis canon. cap. 7. n. 30. Qua stante consuetudine, affirmant plerique Doctores, inter quos Azor t. 1. lib. 10 cap. 4. q. 4. Suarez lib. 4. de horis, c. 20. n. 7. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 170. Nouos Canonicos nihilominus ad recitandum obligari. Quia licet in principio reditus nullos percipiant, postea tamen vberiores accepturi erunt: quod autem differtur, id non aufertur. Contrarium tamen expresè defendunt Nau. cit. n. 3. & Nicolaus Garcias tract. de benefic. p. 3, c. 1. n. 70. vbi etiam respondet ad fundamentum prioris sententiæ; Non esse certum, eos postea percepturos: cùm fieri possit, vt vel interim moriantur, vel canonicatum suum resignẽt, ideóque fructus nunquam percipiant. Quorum sententia improbabilis non est, si consuetudo, præsertim immemorialis, in Ecclesia existat, vt Canonici pro tempore illo, quo nullos reditus accipiunt, à recitando immunes sint. Fieri enim potuit, vt eiusmodi consuetudo legitimè & cum Sum. Pontificis approbatione introducta fuerit; eo fine, vt Canonicis aliis reditus sufficientes maneant ad vitæ, & dignitatis suæ sustentationem. Quemadmodum enim ob hanc causam Canonicorum numerus imminui iure potest; ita multò magis prouideri, vt maior quidem Canonicorum numerus sit, sed in principio siue primis annis, sicuti oneribus, ita etiam commodis ac prouentibus careant.

Maius adhuc dubium existit; Vtrum tolerari possit consuetudo, secundũ quam in quibusdam Ecclesiis Canonici noui officium nõ recitant, eò quòd reditus nullos percipiant, sed eis post mortem seruentur, vt vel eorum consanguineis obueniant, vel relicta debita dissoluantur? Respondeo, & dico I. Consultissimum fore, si Episcopus cum Capitulo eiusmodi *annum*, quem *gratiæ* appellant, auctoritate sua tollat; Primò, quia cernitur alia inæqualitas inter eos, qui citò moriuntur, & tamen æquè anno gratiæ gaudent, atque alij, qui Ecclesiæ diu seruiunt. Secundò, quia indecens videtur bona Ecclesiastica immediatè ad consanguineos, de Ecclesia interdum nihil meritos, vel hæreticos deuenire, si Canonicum ab intestato mori contingat.

Dico II. Non auderem damnare Canonicos talium Ecclesiarum, si primo, vel altero anno, quo nihil accipiunt, officium nõ recitent: eò quòd non sit consuetudo & Decanus, ac Capitulum eos ad orandum obligare non soleant: præsertim si reditus post mortem pro anno gratiæ ipsis obuenturos non consanguineis diuitibus relinquere; nec ad aliũ prophanum vsum, sed ad piam aliquã causam applicare velint. Moueor ijsdem fermè rationibus, quibus suprà Nau. & Garcias. Non enim stat per eos, quo minùs primo anno reditus percipiant, sicuti deberent: neque certum est, quòd postea percepturi sunt; quia fieri potest, vt interea moriantur, vel vt postea canonicatum resignent. Accedit, quòd in quibusdam Ecclesiis annus carentiæ non idcirco introductus videtur, vt reditus Canonicis post mortem seruentur; sed, vt sup. dictum, quò reliqui Canonici se honestius sustentare possint. Annus autem *gratiæ* postea institutus fuit; cùm experientia doceret, multos Canonicos sine pecuniis, atque ære alieno grauatos decedere, vt neque honestè eorum corpora ad sepulturam deferri possent: quod in Ecclesiæ contemptum cedere videbatur. Quare, cùm reditus huius anni ex mensa Capitulari desumantur, & antiquis Canonicis detrahi soleant, ideo de iis perinde, atque de aliis suis reditibus post mortem suam disponere se posse arbitrantur.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum recitare teneatur, qui beneficium valde tenue habet? Communiter affirmant Doctores, vti videre est apud Nau. in man. c. 25. n. 102. & c. 7. de orat. n. 27. Couar. 3. resol. c. 13. n. 8. Medinam c. de orat. quæst. 7. Tol. lib. 2. c. 14. causa 5. Azor lib. 10. c. 3. quæst. 3. Garciam num. 39. Ratio eorum est: Quia iura distinctè omnibus beneficijs recitandi officij obligationem imponunt: atqui beneficium, quamuis tenue & insufficiens, verè tamen beneficium est. Contrariam sententiam tenuit Sotus li. 10. quæst. 5. a. 3. quem secutus est Arragonius 2. 2. quæst. 83. a. 12. dub. 3. concl. 2. §. in secundo casu, Rodriq. p. 1. sum. c. 141. num. 3. Less. li. 2. c. 34. dub. 31. Et ipse Nauarrus loc. cit. ait, multos viros doctos ac pios idem sentire. Nam causa obligandi beneficiatos ad horas canonicas ex iustitia ortum habet; quia dantur eis reditus tanquam stipendium vitæ: si ergo stipendium nimis tenue atque insufficiens sit, non videtur parere obligationem orandi officium.

5 Ego verò arbitror attendendum esse, vtrum Ecclesiæ eius, in qua eiusmodi tenuia beneficia conferri solent, consuetudo postulet vt prouisi officium recitent néc ne. Si enim consuetudo orandi non est, neque Prælatus in collatione beneficii præcipere solet, non obligantur ad orandũ. Vel enim eiusmodi beneficia aliud seruitium exigunt; tunc præsumi potest, tenues illos reditus fundatos esse tanquam stipendium in compensationem huius tantùm seruitii. Neque verò in hoc casu orandi obligationem parit lex Ecclesiastica de omnibus beneficiatis indistinctè lata: cùm enim respectu horum beneficiatorum, de quibus loquimur, merè positiua sit, fieri potest, vt vel non recepta alicubi fuerit, vel per contrariam consuetudinem, aut priuilegium sublata; præterquam quòd non desint D D. qui existiment, tenuia talia beneficia sub Ecclesiastica il-

la constitutione non comprehendi. Vel nullum aliud spirituale seruitium postulant; tunc, si Ecclesiæ consuetudo neque orandi officium prouisis imponat, non vera beneficia esse existimandum est, sed pensiones, aut Præstimonia, quæ non ratione officii spiritualis, sed ob aliam causam conferri solent, vt infrà dicam.

Sin verò mos Ecclesiæ est, tenuia beneficia cum obligatione orandi conferre, omnino credendum est, Prouisos obligari. Cùm enim lex, & consuetudo Ecclesiastica obtinuerit, vt omnes maioribus ordinibus initiati, licet nullos reditus ab Ecclesia accipiant, sub mortali peccato officium recitare teneantur; cur non multò magis obtinere possit, vt Clerici qualitercunque beneficiati recitare teneantur? quandoquidem hi non minùs, quàm illi Ecclesiasticis priuilegiis fori, canonis &c. gaudent.

Illud verò addo; Si reditus beneficiati, quos à prima collatione sufficientes habuit, postea fortuito casu, vel hostium incursione adeò minuantur, vt æstimabilem partem sustentationis non præbeant; neque spes sit breui tempore plus prouenturum esse; tali casu valde probabilem videri sententiam Soti, & Aragonii, non incumbere pro eo tempore orandi obligationem.

QVÆSTIO SEXTA. Vtrum Præstimonia, siue portiones præstimoniales, id est, quæ ab Ecclesiasticis reditibus abstractæ, Clericis adolescentibus v. g. conferuntur ad prosequenda studia litterarum, obligent eos ad recitandum officium? Affirmant Doctores plerique Sotus lib. 10. quæst. 5. a. 3. Nau. de orat. c. 21. nu. 9. Rodriq. cit. c. 141. quæst. 6. Garcias p. 1. c. 2. num. 117. Suar. l. 4. de horis, c. 22. n. 8. Azor l. 10. c. 3. q. 4. Ratio eorum est: Quia Præstimonia sunt verè ac propriè beneficia, sicuti docet Abbas p. 2. consil. 47. Marsilius Columna de Eccles. redit. c. 14. n. 1. aliique plures, quos citat, & sequitur Garcias l. c. Contrarium tamen docet Med. q. 7. de orat. §. inde videtur, Lessius cit. c. 34. dub. 30. nu. 166. & alii, quos citant Garcias nu. 118. Suarez nu. 8. Eò quòd non videantur esse propriè dicta beneficia; cùm non conferantur ratione spiritualis officii, seu seruitii; sed principaliter ob aliam causam, v. g. in subsidium studiorum.

6 Mihi placet distinctio Petri Rebuffi de pacificis possessionibus nu. 105. Ioan. Staphilei de literis expectatiuis gratiæ, tit. de qualitate benefic. §. 1. num. 5. vbi ita scribit: *Considerandam esse naturam Præstimoniorum: nam si Præstimonium datur in titulum perpetuum, & habet annexum aliquod obsequium spirituale, quod per laicum expediri non possit, est beneficium Ecclesiasticum; & de eo debet fieri mentio specialis in impetratione noui beneficij. Aut Præstimonium consistit in sola temporalitate, & nullum seruitium spirituale habet annexum; & tunc procedit opinio Ioan. Andr. in c. vn. de rerum permutatione, in 6. quòd Præstimonia non sunt beneficia Ecclesiastica; sed quædam stipendia de quibus non est necesse facere mentionem in rescripto beneficiali.*

De Præstimoniis prioris generis manifestè loquitur Abb. cit. consil. 47. vbi dicit, licet præstimonia propriū & speciale nomen obtineant, verè tamen & substantialiter beneficia esse: quia omnia cum veris beneficiis communia habent: conferuntur enim à Prælato Ecclesiastico, solis Clericis, absolute, & in perpetuum: & spirituale aliquod officium, saltem horariarum precum, annexum habent: quod maximè verum est post constitutionem Pii V. 138. vbi expressè ait, *Præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia, obtinentes ad horarium officium obligari.* Cuiusmodi Præstimonia multa esse in Hispania, Scriptores testantur.

De Præstimoniis verò posterioris generis, quæ interdum Clericis ab Ecclesiastico Prælato conferuntur, non ratione alicuius spiritualis officii; sed ob aliam causam, qua cessante, ipsis auferuntur: Exempli causa, dum in literarum studiis versantur; vsque dum sacerdotes fiant; vel donec beneficium aliquod acquirant, de his, inquam, Præstimoniis intelligendi sunt DD. qui negant, ex iis obligationem nasci horas canonicas recitandi; cùm non sunt beneficia Ecclesiastica, sed mera stipendia.

QVÆSTIO SEPTIMA. Vtrum beneficia manualia, de quibus suprà dictum fuit cap. 4. ad recitandū obligent? Resp. affirmatiuè cum Azor [illegible] 4. q. 2. Suarez, Garcia ll. cc. Vasq. tract. de beneficiis, c. 4. §. 1. n. 13. & 17. Sunt enim verè ac propriè beneficia, si Ecclesiastica auctoritate conferantur.

QVÆSTIO OCTAVA. Vtrum, qui beneficiū habet in commendam, recitare obligatus sit? Notandum ex doctrina Ioan. Maioris in 4. d. 24. q. 13. argum. 10. Nau. c. 20. de orat. n. 16. & lib. 3. consil. 9. depræhend. edit. 2. Rodriq. p. 1. sum. c. 141. concl. 8. Garciæ p. 3. c. 1. n. 105. & p. 4. c. 4. Lælio Zeccho de benefic. & pension. c. 7. Duplicem esse commendam; perpetuam, & temporalem. Perpetua constituitur in vtilitatem personæ: quare æquiparatur beneficio; cum habeat vim & effectum tituli, sicuti colligitur ex Trident. sess. 7. de reform. c. 2. & sess. 24. c. 17. Eiusmodi commendæ beneficiorum, alioquin incompatibilium, à Papa concedi solent per modum tacitæ dispensationis, sicuti notauit Hoieda de incompatibilitate beneficiorum, p. 1. c. 14. n. 14. Garcias cit. c. 4. n. 31. Puta si alicui habenti beneficium, quod residentiam requirit, aliud simile detur in commendam perpetuam à Papa; sicuti Episcopus dare potest in commendam temporalem. iuxta c. dudum, 2. de elect. & videri potest Nau. cap. 23. man. num. 126. Aut si Clerico non Professo commodetur beneficium regulare; vel vice versa, beneficium seculare Clerico regulari. Qua de re Staphileus de gratiis expectatiuis, forma 8. num. 5. Commenda verò temporalis, siue ad certum tempus, ferme fit in Ecclesiæ vtilitatem, vt interim beneficium à Commendatario administretur, donec persona idonea instituatur, iuxta c. nemo, de elect. in 6. Gl. magna, vbi habetur, quòd commenda Ecclesiæ Parochialis ab Episcopo data, vltra sex menses durare non debeat: Nunc autem post Trident. constit: sess. 24. c. 18. de reformat. *Si opus fuerit, idoneus vicarius, cum congrua fructuum portionis assignatione, constitui debet, qui onera Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore prouideatur.* 7

His positis dico; Quòd commenda perpetua siue titularis haud dubiè obligat ad recitandum officium: quia vti omnes alias proprietates, siue effectus beneficii participat, quos enumerat Lælius Zecchus l. c. num. 2. ita & recitandi obligationem: Commenda autem temporalis, in Ecclesiæ vtilitatem constituta, non videtur obligare ad recitandum, sicuti docet Garcias p. 3. c. 1. num. 106. contra Medinam de orat. q. 7. §. ex dictis apparet. Quia talis commenda solam custodiam siue administrationem beneficii tribuit, non plenum ius de fructibus disponendi: quapropter de eorum administratione rationem reddere debet Commentarius, sicuti testatur Thomas Campegius de commenda beneficiorum, num. 7. post Gl. in cit. cap. nemo, ver. commendare.

QVÆSTIO NONA. Vtrum Vicarij ad recitandum officium canonicum obligentur? Notandum ex doctrina Abb. in c. extirpandæ, §. qui verò, num. 5. de præben. Azor to. 2. lib. 3. cap. 6. Lælii Zecchi de benefic. & pension. c. 7. nu. 9. Vicarios alios esse perpetuos, & alios temporales. Perpetui sunt, qui ab Episcopo inuestiuntur, congrua illis redituum portione constituta ita vt amoueri non possint, nisi per priuationem, aut depositionem, ob causam iure expressam. De quo vide c. adhæc, iun. Gl. ver. remouere, &c. vlt. iun. Gl. ver. 8

perpetuos, de officio Vicarii, & cit. c. extirpandæ, §. qui verò. Alphons. Hoiedam de benefic. incompatib. p. 1. c. 15. n. 8. Petr. Andr. Gambaram de auctor. legati à latere, lib. 5. n. 10.

Tales Vicarii instituendi sunt primò; Si dignitati, vel canonicatui Ecclesiæ Cathedralis annexa sit Ecclesia parochialis; tunc beneficiatum oportet in maiore ecclesia deseruire, & in parochiali idoneum & perpetuum Vicarium canonicè institutum habere, sicuti dicitur in cit. §. qui verò, iuncto c. vn. de Cappellis Monachorum, in 6. Secūdò; Si ecclesia parochialis annexa, siue vnita sit Monasterio, debet Clericus secularis eius curæ præfici: cuius institutio ac depositio ad loci Episcopum pertinet, cum consilio Monasterii, sicuti explicat Abb. c. 1. de Capellis Monachorum. & videri potest Concil. Trident. sess. 7. c. 7. de reform. vbi permittitur Episcopo, si ipsi ita expedire visum fuerit, in dictis casibus constituere Vicarios manuales & ad nutum amobiles.

Consuetudo tamen multis locis obtinet, vt Monachi, multóque magis Canonici regulares, cùm ab Episcopo approbati sunt, eiusmodi ecclesiis præficiantur, & pro voluntate Abbatis alteriusue Regularis præpositi reuocentur: quamobrem *Obedientiarij* appellari solent. Neque talis consuetudo improbatur, sed potiùs permittitur in c. vlt. de Capellis Monach. Præcipitur tamen, vt Monachi socium sui Ordinis secum habeant. Vide etiam Gl. in c. quod Dei timorem, ver. regimen, Abb. ibid. de statu Monachorum.

Vicarii autem temporales sunt, qui ad tempus constituuntur; v. g. ob absentiam, infirmitatem, graues occupationes, suspensionem beneficiati; item ob Religionis ingressum, durante tempore Nouitiatus, de quibus Greg. Tholos. in institut. rei benefic. c. 7. n. 13. Azor l. c. 3. Zecchus cit. n. 9.

His positis dico, vicarios perpetuos ad officium recitandum obligari: quia censentur esse viri beneficiati, sicuti constat ex cap. postulasti, de rescript. quandoquidem omnes proprietates, siue effectus beneficii, vicariæ perpetuæ conueniunt, quos enumerat Zecchus l. cit. Quarre Abb. c. cit. extirpandæ ait; Vicarium perpetuum in Parochiali ecclesia constitutum, esse verè curatum, quoad exercitium, & effectum: licet quoad habitum & proprietatem cura sit penes Rectorem principalem. Vide Gl. c. super eo, de præb. in 6. ver. annexæ.

Temporales autem Vicarii: ratione vicariæ, ad horas canonicas non obligantur: cùm nullum ius seu titulum beneficii habeant, sed solam administrationem & custodiam ad tempus; sicuti suprà dixi de commenda temporali. Excipe primò; Nisi aliquis speciatim deputatus sit ad canonicum officium, vice alterius in choro canendum. Secundò, Si Vicario tota administratio beneficii, cum consensu & auctoritate Episcopi, tametsi ad tempus, vel cum potestate amouendi, committatur: tunc enim ea tacita conditione ac pacto committi censetur, vt omnia officia præstet; si videlicet Principalis, cuius vicarium agit, officium non persoluat. Exempli causa, si alicui commendetur Ecclesia, interim dum beneficiatus puer, qui per se orare non potest, adolescat: Aut si Parocho, qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præesse nullo modo potest, Vicarius, seu Coadiutor ab Episcopo designetur; ita vt administrationem etiam in temporalibus habeat, & solùm aliquam portionem congruam Parocho infirmo relinquere debeat, iuxta doctrinam Abb. in cap. de rectoribus, numero 5. de instit. Aut si beneficium, quod Monasterio vnitum est, auctoritate Episcopi committatur alicui Vicario, quamuis ad nutum reuocabili. Vide etiam Suarez lib. 4. de horis, cap. 22. num. 15.

QVÆSTIO DECIMA. Vtrum Coadiutores beneficiatorum, presertim quià summo Pontifice instituuntur cum futura successione, ad recitandum obligentur? Respondet Nau. cap. 10. de orat. numero 18. Med. de orat. quæstione 7. Suarez lib. 3. cap. numero 19. Garcias p. 3. cap. 1. numero 107. Azor to. 1. lib. 10. cap. 4. quæst. 1. Coadiutorem non obligari: tum quia beneficium nondum habet, seu in titulum, seu in commendam: tum quia ratione vnius beneficij non obligantur duo ad recitandum: cùm igitur Principalis, dum ei administratio beneficij relinquitur, recitare teneatur, sequitur Coadiutorem obligatione immunem esse; nihil obstante, quòd aliqua portio ex reditibus beneficij ipsi propter labores suos obueniat. Eadémque ratio est de Cooperatoribus Parochorum; quippe qui ad alia officia, quàm ad horas recitandas, plerumque constituuntur. Interim verum est, hos omnes ad canonicum officium obligari, si maioribus ordinibus initiati sint; sed sine onere restituendi, si intermittant. Prætereà excipiendi sunt Coadiutores illi, qui vt perpetui, cum pleno iure administrandi, & futura successione à Papa constituuntur, ob beneficiati amentiam, vel similem infirmitatem: Tales enim institui videntur, cum omnibus obligationibus quæ beneficio incumbunt, vt etiam Medina l. c. significat.

CAP. VI.

DE RESIDENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Aliud est residere, & aliud interesse.*
2 *Spectato communi iure, omnia beneficia ad residentiam obligant; maximè autem curata.*
3 *Obligatio residendi est de iure diuino; quamuis propter circumstantias cessare possit.*
4 *Causæ à residentia excusantes sunt; Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ aut Reipublicæ vtilitas.*
5 *Occupatus in seruitio Papæ, quia seruit Ecclesiæ vniuersali, habetur pro residente in beneficio Ecclesiæ particularis.*
6 *Duo Canonici in seruitio Episcopi occupati, pro residentibus habentur.*
7 *Episcopis permittitur; vt duorum vel trium mensium spatio, Parochis verò, vt bimestri tantùm spatio ab Ecclesiis abesse possint, sine gregis commissi detrimento.*

RESIDENTIA dicitur assiduitas cōmorationis in loco beneficij, causa seruitij Ecclesiastici personaliter præstandi. Ex quo collige cum Syl. ver. residentia princip. Si Clericus in loco sui beneficij, commoretur quidem, sed officium nunquam præstet, v. g. Canonicus nunquam ad chorum, ad Capitulum veniat, non esse censendum residere: quia frustranea est eius residentia, quippe fine & effectu suo destituta. Nihilominus rectè ait Nau. li. 3. consil. 13. de Cleri. non resident. edit. 2. Couar. 3. resol. cap. 13. numero 1. *Aliud esse residere, aliud interesse.* Quare licet Canonicus v. g. interdum nō sine culpa sua à diuinis absit, idóque incurrat pœnas siue priuationes fructuum, qui præsentibus deputati sunt; non tamē amittit fructus residentiæ. Et Præpositus, vel Canonicus, qui iurauit residentiam, etsi sæpius diuina officia negligat, atque peccet, non tamen censetur periurus; modò interdum se sistat, tum in Ecclesia, tum in Capitulo; præsertim, si vocatus fuerit, vel eius auxilio opus sit: tunc enim residentia omnino caret fine suo. 1

QVÆSTIO PRIMA. Quænam beneficia residentiam requirant? Respondeo: Spectato communi iure, omnia beneficia ad residentiam obligāt, sicut colli- 2

gunt DD. ex cap. conquerente, vbi Abbas num. 3. & toto ferme tit. de Cler. non resident. Vide Syl. ver residentia, q. 1. Ioannem Seluam de beneficijs, p. 4. q. 1. & seqq. Rebuffum in praxi beneficiorum, tit. dispensatio de non residendo, Azor t. 2. lib. 7. cap. 3. Consuetudo tamen obtinuit. vt in simplicibus quibusdam beneficijs non resideatur. Imò Præstimonia, licet ex constitutione Pij V. vel Ecclesiæ alicuius consuetudine, annexam habeant obligationem officij Canonici priuatim recitandi; quia tamen nullum aliud postulant, ideo qui ea obtinent, neque per se, neque per Vicarium Ecclesiæ deseruire tenentur, sicuti notauit Azor cit. c. 3. q. 2. Garcia p. 3. c. 2. n. 1.

De obtinentibus verò in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, decretum est in Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. *Vt non liceat eis, vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltra tres menses ab Ecclesijs suis abesse; saluis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus: quæ longius seruitii tempus requirunt.* Et infrà: *Omnes verò diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti, adsistere, & inseruire; atque in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotéque laudare.* Quæ tamen constitutio in multis Ecclesijs, præsertim nostræ Germaniæ, recepta non est. Nam alicubi tantùm medio anno, alicubi tribus tantùm mensibus residere coguntur. Imò sunt Ecclesiæ, in quibus Canonici, qui vno certo, v. g. S. Michaelis die resident, & diuinis intersunt, totius anni reditus lucrantur, vt testatur Pet. Nau. lib. 2. cap. 2. num. 201. & 219. Garcias p. 3. cap. 2. numero 330. Illud quoque annotauit idem P. Nau. numero 205. & post eum Lessius cap. 34. dub. 35. numero 185. In quibus Ecclesijs mos viget, vt diuina officia cantu figurato peragantur; mirum non esse, quòd Canonici à canendo abstineant: cùm id multò decentiùs & magnificentiùs à substitutis, seu vicariis fiat. quibus Canonici, tanquam maiores clericis, reuerenter assistunt; vel etiam quæ ab iis canuntur, attentè meditantur, atque ob talem præsentiam, distributiones iure percipiunt.

Porro notandum est ex Innocentio in cap. vlt. de Clericis non residentibus, Nau. lib. 3. consil. 2. eod. tit edit. 2. Duplicem esse necessitatem residendi: Vna est ad præstandum seruitium: expedit enim magis Ecclesiæ vt beneficiati, officia, ad quæ ratione redituum suorum obligantur, per seipsos, & personaliter; non per Vicarios exequantur. Altera est solùm ad fructus lucrandos Nam in multis Ecclesijs Canonici, siue Capitulares residere simpliciter non tenentur; sed sub conditione, si fructus percipere velint: Interim verò, licet non resideant, suffragium electionis tam passiuum, quàm actiuum obtinent. Quod neque à ratione, neque à iure alienum esse, testatur Innocen. ibidem: quare omissa hac posteriore residendi necessitate, de priore tantùm agemus, quæ strictior, & absolutè dicta est.

3 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum iure diuino, an solùm Ecclesiastico personalis residentia beneficiatorum requiratur? Trident. Concilium sess. 23. cap. 1. de reform. apertè indicat, residentiam in beneficijs, saltem curatis, diuino iure necessariam esse. *Cùm præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarúmque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt.* Quæ doctrina colligi potest ex cap. 12. Hierem. cap. 3. Ezech. c. 10. & 21. S. Ioan. cap. 10. Actor. & traditur à Domin. Soto lib. 10. de iust. q. 3. a. 1. Caiet. 2. 2. q. 185. a. 5. Ioan. Maior. in 4. d. 24. q. 11. Couar. 3. resol. cap. 13. num. 9. Nau. in man. cap. 25. num. 121. Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 19. Less. cit. cap. 34. dub. 29. Azor. t. 2. lib. 7. c. 4. q. 1. Vasq. de benef. c. 4. n. 103. contra Catharinum in Opusc. de residentia. Albinianum tract. de resident. Thomam Candegium tract. de resident. Episcoporum.

Bene autem admonent S. Th. & Caiet. cit. q. 185. a. 5. Cùm causa obligandi Ecclesiasticos Pastores ad præsentiam personalem, sit salus animarum, ideo vbi hæc Pastoris præsentiam exigit, non potest Pastor gregem suum deserere, propter aliquod suum commodum temporale; imò nec propter propriæ personæ periculum declinandum: cùm bonus Pastor animam suam pro ouibus dare debeat, Ioan. 10. Sin verò Ecclesiæ atque subditis vtilius, vel æquè vtile futurum est, vt episcopatus, vel parochia ab absente viro docto, vel quæ magnæ potestatis, & auctoritatis est, per Vicarium administretur, quàm si ab alio quopiam præsente; consideratis etiam aliis circumstantijs loci, temporis. hoc casu obligatio residentiæ personis cessat secundùm ius diuinum, & manet tantùm obligatio iuris Ecclesiastici, in quo Papa dispensare potest, & sæpe solet; ídque vel in casibus specialibus, vel generali lege: Præterquam, quòd si causa excusans à personali residentia, saltem ad tempus manifesta sit, non videatur esse opus licentia Superioris, nisi ea speciali lege postuletur. de quo vide Cordubam lib. 1. quæstionarij, q. 19. Vasquez de benefic. c. 4 nu. 145. & 188. Sed & consuetudine, saltem immemoriali, obtineri posse, vt in beneficiis, etiam curatis, personaliter non resideatur: dummodo interim Ecclesiæ per Vicarium perpetuum, aut temporalem prospiciatur: ita vt nullum damnum patiatur, respondit Nau. consil. 21. de Cler. non resident. edit. 2. Quia *consuetudo temporis immemorialis æquipollet priuilegio: & quidquid priuilegio induci potest, idem & consuetudine. At priuilegio Papæ induci potest, vt aliquis Rector Ecclesiæ parochialis non teneatur exercere curam per semetipsum, sed tantùm per alium.* Hæc Nau.

QVÆSTIO QVARTA. Quomodo Clericus ad residentiam obligatus, compelli possit vt resideat? Respondeo, per censuram suspensionis, excommunicationis, ac denique priuationis: dummodo, si absens sit personaliter priùs citetur, si id fieri possit; alioquin per edictum, & quidem trinum, si nesciatur vbi sit; exspectato deinde trium mensium spatio, sicuti habetur in c. ex tuæ, de Cler. non resident. vbi Abb. notat nu. 14. Beneficiatis, licet in beneficio suo residere non cogantur, tamen concessum non esse longo tempore vagari; alioquin priuari posse. Vide etiam Trident. sess. 6. c. 1. & sess. 23. cap. 1. de reformat.

QVÆSTIO QVINTA. Quænam iustæ causæ sint, à continua residentia excusantes? Respondeo cum Azorio cit. lib. 7. cap. 4. q. 4. posse eas ad quatuor capita reuocari; quorum meminit Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. *Cùm Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesiæ, vel Reipub. vtilitas aliquos nonnunquam abesse postulet.* Ad primum caput Christianæ charitatis pertinet, si quis à loco beneficii discedat causa iuuandi proximum, auxilio indigentem; v. g. vt odia & lites componantur. 4

Ad secundum caput spectat, si beneficiatus absit propter aëris intemperiem, vel corporis infirmitatem, iuxta c. præsentium, 7. q. 1. c ad audientiam, de Cler. non resident. Vel ob persecutionem Tyranni, ob capitales inimicitias, sicuti notat Gl. in c. vlt. ver. excusationem rationabilem, eod. tit. & in Clem. 1. §. cæterùm ver. causa rationabili, de statu Monachorum, Tholos. cit. c. 7. n. 14. Vasq. tr. de benefic. ca. 4. nu. 135. Vel ad prosequendam

prosequendam litem super iuribus beneficii, vti docet Nau. l. 3. consil 14. de Clericis non resident. edit. 2. Vel ob piam peregrinationem, aut similem honestam causam, impetrata tamen licētia Prælati, sicuti habetur in c. relatum, iun. Gl. ver. Prælatorum, de Cler. non resident. & videri potest Garcias p. 3. c. 2. n. 393.

5 Ad tertium caput pertinet, si beneficiatus absit mandato Papæ, vel in Apostolicæ Sedis seruitio occupatus c. cùm dilectus &c. ad audientiam, eod. tit. vbi notant D D. nominatim Abbas in cit. cap. cùm dilectus, not. 3. quòd occupatus in seruitio Papæ habeatur pro residente in propria Ecclesia; cùm seruiat Ecclesiæ vniuersali. Monent tamen Caiet. 2. 2. quæst. 185. art. 5. Azor. cit. cap. 4. quæst. 3. causa quinta, quòd iura allegata de Canonicis tantum loquantur: at verò vt Curati, à suis eclesiis absentes, Romæ longo tempore detineri iure possint; requiri insuper, vt id Ecclesiæ necessitas, vel maior vtilitas cohonestet. quod maxime sentiendum de Episcopis, vt rectè contra quosdam senserit Caiet. cit. a. 5. Sotus lib. 10. q. 3. art. 4. Vasq. de benefic. 4. n. 141. Non esse iustam excusationem à residentia, quòd Episcopus sit Romæ Cardinalis, quando tale officium ab alio in curia præstari potest: exceptis tamen sex Episcopatibus Romæ vicinis, quos facile est Cardinalibus in vrbe residentibus administrare.

Ad quartum caput spectat, si Clericus absit ob negotium Ecclesiæ, cit. c. ad audientiam, &c. ex parte, 2. eod. tit. & videri potest Nau. lib. 3. consil. 8. eod. tit. Vel vocatus ad Synodum Ecclesiasticam, aut Imperatoriam. Item studiorum causa, qua ratione concessum est Episcopo in cap. cùm ex eo, de elect. in 6. dispēsare cum promotis ad Ecclesias Parochiales, vt vsque ad septennium, quo in studiis morari possunt, ad sacerdotium promoueri non teneantur; modò intra annum post adeptam Parochiam subdiaconi fiant: interim verò dum in studio fuerint, ecclesiæ eorum per idoneos vicarios administrari debent. Et in c. vlt. de Magistris permittitur beneficiatis, vt quinquenii spatio Theologiæ studere; eandem verò, quamdiu voluerint, docere absentes possint sine redituum priuatione. Quod ipsum ad studium iuris canonici plerique extendunt, vt videre est apud Abbat cap. ex parte, num. 5. de Cler. non resident. &c. licet, c. vlt. de præb. Nau. c. 25. man. n. 121. Si tamen beneficia curata sint, necessarium esse videtur, vt talem, præsertim diuturnam absentiam, necessitas aliqua (puta quòd pauci admodum Doctores reperiantur) vel maior Ecclesiæ vtilitas excuset, sicuti ex suprà dictis colligitur, & in specie notat Vasq. de benef. cap. 4. nu. 186. Nisi malis dicere, ideo absolutè concessum esse etiam curatis, vt in schola Theologiam docere possint; quia docendo plus Ecclesiæ prosunt; quandoquidem facere prædicatores, & ministros Ecclesiæ idoneos melius est, quàm prædicare & ministrare, sicuti argumentatur Maior in 4. d. 24. q. 11.

6 Speciatim etiam conceditur in c. de cætero, &c. ad audientiam, de Cler. non resident. vt duo Canonici in seruitio Episcopi occupati, pro residentibus habeantur. Alios autem inferioris Ecclesiæ Canonicos, vel Clericos non ita ab Episcopo ad seruitium assumi posse, annotauit Abb. cit. c. ad audientiam, n. 8. nisi necessitas cogat, vt quia ex Cathedrali Ecclesia idoneos habere non potest. Sed Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ saltē vnum Canonicū in obsequio suo occupare posse, docent Doctores apud Abb. in c. de cætero, eod. tit. & Nau. li. 3. consil. 2. n. 1. eod.

Sed numquid idem sentiendum de Legato Papæ, quòd & ipse Canonicos seu Cathedralis, seu Collegiatæ Ecclesiæ assumere possit? Affirmat Azor & alii apud Abbat in cap. cùm dilectus, de Cler. non resident. sed ipsemet Abbas magis inclinat in partem negantem. Cùm videatur esse specialis ratio de Episcopo vel simili Prælato, qui cum Canonicis vnum corpus efficit; cui proinde arctiùs obstricti sunt, & quod ipsi obsequium præstant, quasi propriæ Ecclesiæ præstare censentur, arg. cit. c. ad audientiam.

His duo addenda sunt: Primum. Si Clericus à beneficio residentiam postulante illegitimè absit fructibus priuandus est; sed causâ priùs cognita: quare expectari atque citari debet: quòd si contumax existat, etiam beneficio spoliari. qua de re vide cap. ex parte 1. & seqq. de Cler. non resident. & Trident. sess. 23. c. 1. de reform. vbi significat, Curatos, fructus absentiæ culpabili respondentes, suos non facere, neque tuta conscientia retinere posse, etiam nulla Iudicis declaratione, vel sententia secuta. Quod tamen puto eo rigore receptum non esse, si per absentiam damnum notabile Ecclesiæ illatum non fuit; quia vicarius interim constitutus erat.

Alterum. Tridentina Synodus lo. cit. indulget. Episcopis, vt ab Ecclesiis suis duorum, vel trium mensium 7
spatio, singulis annis, ob iustam causam, & sine gregis detrimento abesse possint, Parochi quoque tēpore bimestri tantùm. Vtrum verò ad hanc ipsam absentiam Episcopi licentia opus sit, non clarè exprimitur: quamobrem Nau. c. 25. n. 121. negat. Azor verò l. c. & Garcias p. 3. c. 2. n. 21. Less. li. 2. c. 34. dub. 29. n. 160. affirmant. Securissimum autem est cuiuscunque diœcesis consuetudinem hac in re sequi.

CAP. VII.

DE DISTRIBVTIONIBVS QVOTIDIANIS.

SVMMARIVM.

1 *Distributiones quotidianas pro omnibus canonicis horis constitui oportet.*

2 *Distributiones præsentibus tantùm debentur; iis exceptis, quos vel infirmitas, vel iusta corporalis necessitas excusat.*

3 *Beneficiati ob iustam causam absentes extra locum beneficij, non accipiunt distributiones: si autem in loco beneficij commorantes, ab officio absint, propter Ecclesiæ vtilitatem, vel corporalem infirmitatem, recipiunt.*

4 *Qui in Ecclesia duplici beneficio fungitur, videl. Præpositi, & Canonici, æquum videtur duplicem distributionem accipiat.*

5 *Distributiones, quas Canonici ob absentiam amittunt, aliis præsentibus accrescere debent.*

6 *Vbi consuetudo retinetur, vt Canonici ipsimet in choro cantent; non possunt, saltem integras distributiones accipere, si præsentes cantare negligant.*

7 *Si Canonicus à choro frequenter & quasi consuetudine absit, vel cum officij in Ecclesia peragendi iactura, mortaliter peccare censetur.*

QVOTIDIANARVM distributionum varia genera refert Greg. Tholos. in Instit. rei beneficiariæ c. 15. prope finem. Azor t. 2. lib. 7. c. 7. q. 3. ex Henrico in c. cùm omnes, de Constitutionibus. Sed ad propositum nostrum solùm illæ distributiones pertinent, quæ sunt portiones Ecclesiasticorum redituum, quotidie distribui solitæ iis beneficiatis, quæ statis horis diuino officio intersunt. de quibus distributionibus mentio habetur in cap. vn. de Clericis non residentibus, in 6. c. licet vobis, de præbendis, & extrauag. cùm nonnullæ, inter communes, tit. de præbendis. & in Clem. Vt ii qui de ætate & qualitate &c. Quibuscum distributionibus similitudinem aliquam gerunt anniuersaria, & alia eiusmodi emolumenta, quæ ex certa fundatione Clericis officio diuino præsentibus tantùm distribui debent, sicuti constat ex cit. c. vn. de cler. non resident. in 6. & docet Azor l. c. q. 4.

De Canonicis autem distributionibus est QVÆSTIO 1
PRIMA. Pro quibus horis distributiones constitui

debeant? Respondeo, Honestum, & iuri consonum esse, vt pro omnibus horis canonici officii constituantur, sicuti docet Gl. in Clem. vt hi, de ætate & qualit. ver. certis horis, Garcias p. c. 2. n. 487. Licet Gl. dicta moneat, quarundam Ecclesiarum consuetudinem esse, vt aliquibus tantùm horis, item in Missæ sacrificio distributiones fiant. In distributionibus autem faciendis cuiusque Ecclesiæ consuetudinem attendēdam, monet Abb. in c. 1. de Cler. ægrot. n. 1. Quia *possunt Canonici inter se statuere, vel consuetudinem inducere de qualibet quantitate distributionum, & modo distribuendi à iure tamen non reprobato.*

QVÆSTIO SECVNDA. Quantæ esse debeant distributiones? Respondeo; In Trident. concil. sess. 21. c. 3. de reformat. ita haberi: *Statuit S. Synodus, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, in quibus nullæ sint distributiones quotidianæ, vel ita tenues, vt probabiliter negligantur; tertiam partem fructuum, & quorumcunque prouentuum, & obuentionum, tam dignitatum, quàm Canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum separari debere, & inter distributiones quotidianas conuerti.* Quanquam salubris ista constitutio non vbique in praxin deducta sit.

2 QVÆSTIO TERTIA. Quibusnam distributiones quotidianæ competere debeant? Extat de hac re constitutio Bonifacij VIII. in cit. c. vn. de Cler. non resident. in 6. *Statuimus, vt distributiones quotidianæ, in quibuscunque rebus consistant, Canonicis, ac aliis beneficiatis & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur, iuxta Ecclesiæ cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam. Qui verò aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta & rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesiæ vtilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas.* Idque renouauit Trident. Concil. sess. 24. c. 12. de reformat. atque obseruari voluit; *quauis* ipsorum beneficiatorum *collusione, aut remissione exclusa.* Ratio est: Quia distributiones quotidianæ propriè institutæ sunt diuini cultus augendi causa, ob præsentiam & frequentiam Ministrorum.

Sunt verò aliqua hîc obseruanda: Primum est. Nomine fructuum, qui interdum beneficiatis ob iustam causam absentibus, & non residentibus iure vel priuilegio conceduntur, non comprehenduntur distributiones quotidianæ, quæ à fructib. siue reditibus beneficij distinctæ sunt: quod semper accidit, si reditus beneficiatorum non in solis distributionibus consistant. Quæ doctrina sumitur ex c. de cætero, de clericis non residentibus, in quo duob. Canonicis, in seruitio Episcopi existentibus, fructus beneficij conceduntur, sine distributionibus: & ex c. licet, de præbendis, vbi simili modo prouentus integri, sine distributionibus relinquuntur absentibus in studio Theologiæ, vbi id admonet Gl. ver. distributiones, & Gl. in c. vn. de Cler. non resident. in 6. ver. reprobantes, Nau. li. 3. consil. 2. n. 3. eod. tit. 2. Couar. 3. resol. cap. 13. num. 1. vbi monet, etsi in impetratione beneficij, quæ à Papa fit, valor eiusdem siue redituum æstimatio exprimenda sit; tamen in hanc æstimationem non venire distributiones quotidianas.

Alterum obseruandum In cit. c. vn. excipiuntur aliquæ causæ, ob quas distributiones quotidianæ absentibus quoque competere possint, eò quòd pro præsentibus habeantur. Quæ causæ excusationum ad duo capita reuocari possunt: I. *quos infirmitas*, tametsi ex propria culpa, v. g. in conflictu contracta sit; *seu iusta & rationabilis corporalis necessitas excusat:* puta, quia Canonicus senio confectus, vel in carcerem iniustè coniectus est, quo minùs ad Ecclesiam venire possit, alioquin accedere solitus. qua de re Abb. in c. 1. n. 7. de Cler. ægrot. Couar. l. c. n. 8. Nau. consil. 18. & seqq de Cler. non resident. edit. 2. Azor. cit. c. 7. q. 11. & seqq. Atque similis ratio est de eo, qui ob iustam excommunicationem, vel suspensionem à seruitio suo impeditur, teste Nau. consil. 11. n. 6. Vasquez de benef. c. 4. n. 231.

II. Caput est: *Si euidens Ecclesiæ vtilitas excuset.* Cui tamen opponi solet c. cùm non deceat, de elect. in 6. vbi idem Bonif. VIII. respondet: *Cum Ecclesiarum suarum prosequentes vtilitatem, censeri debeant residentes fructus beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur, & etiam alienis reciperent, vel possent recipere in ipsis Ecclesiis residendo, integrè (quotidianis tantùm distributionibus exceptis) recipiant.* Quorum iurium duplex conciliatio est, sicut videre licet apud
Glos. in cit. c. vn. ver. vtilitas. Prima. Beneficiati ab- 3
sentes extra locum beneficij, communi iure, non accipiunt distributiones v. g. Canonici, qui ob Ecclesiæ negotia discedunt, vel pestis tempore fugiunt. Qua de re Garcias pa. 3. cap. 2. num. 359. Couar. cit. num. 8. Absentes autem à choro, vt in eadem Ecclesia administrent Sacramenta, sacrificent, alióque simili officio occupentur pro præsentibus habentur, & distributiones lucrantur, sicuti colligitur ex Trident. sess. 24. ca. 8. de reform. Idemque consuetudine obseruatur, tametsi aliquis sine obligatione, solùm ex deuotione in Ecclesia celebret, sicuti notat Garcias num. 400. Verùm, si Canonicus beneficium cappellæ in eadem Ecclesia; vel Parochiale in altera Ecclesia obtineat; interim dum abesse cogitur inseruiendo suo beneficio, distributionibus carere debet, ex cōmuni docet Sa ver. beneficium, n. 25. & declaratio Cardinal. super sess. 24. c. 12. vbi tamen duas limitationes ponunt; Prima est, Si fructus omnes præbendæ in distributionibus consistant. II. Si superior iubeat, vt tempore officij horarij in alia Ecclesia sacrificetur &c. tunc enim censetur abesse in loco beneficij in vtilitatem Ecclesiæ.

Secunda conciliatio est: Quòd Beneficiatis, si propter Ecclesiæ vtilitatem, vel corporalem infirmitatem, absentes sint à loco beneficij, de iure communi non debeantur distributiones quotidianæ, sicuti docet Bonifac. VIII. in cit c. cùm non deceat: Interim nihil obstare, quo minùs consuetudine, vel statuto introduci possit, vt ob talem iustam absentiæ causam; distributiones acquirantur. quod idem Bonif. asserit in suprà cit. c. vn. & explicant ibid. Gl. & DD. Couar. quoque l. c. Azor quæst. 14. Nau. li. 3. confess. 8. §. quintò, de Cler. non resident. edit. 2. Imò non desunt DD. quos citat Garcias num. 248. Azor quæst. 6. Nau. cap. 1. de orat. num. 20. qui vniuersim aiunt, non reprobari consuetudinem, vel constitutionem, vt Canonici quotidianas distributiones percipiant, cùm legitimè, siue ob causam à iure concessam absentes sunt; v. g. necessariæ recreationis causa, quinque diebus in mense quolibet, aut duobus vel tribus mensibus quolibet anno. Quorum sententia probabilior etiam videri potest post Tridentinam constit. sess. 21. cap. 3. vbi iubet, vt si distributiones quotidianæ tenues sunt, Episcopus tertiam partem redituum separet, & in quotidianas distributiones conuertat: quod decretum longe salubertimum, difficilè tamen Canonici recipiunt, si intelligant, facta illa separatione, se magna redituum parte carituros esse, ob absentiam alioquin legitimam: cùm tamen *rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conueniat*, c. 2. de Constitut. Probabilis itaque hæc sententia esse videtur; licet contraria communis, vti videre est apud Garciam & Azorium ll. proximè citatis.

QVÆSTIO QVARTA. Qui in Ecclesia duo be- 4
neficia habet, v. g. dignitatem Archidiaconi vel Præpositi, & canonicatum; vtrum simplices, an duplices distributiones recipere debeat: quòd duplices debeātur,

contendit Abb. in c. cùm olim, n. 6. de sent. & re iudicata, Couar. in li. 3. resol. c. 13. n. 6. Vasq. de benefic. cap. 4. n. 229. Si enim, vt ponimus, tam dignitatem aliquam gerentibus, quàm simplicem canonicatum habentibus distributio debetur, modò præsentes sint; consequens esse videtur, vt si aliquis vtroque munere fungitur, duplices ei distributiones debeantur: cùm verè officio diuino intersit non solùm vt Præpositus, sed etiam vt Canonicus. Quæ sententia valde probabilis est; licet contrarium sentiat Azor t. 2. li. 7. c. 7. q. 13. Cuiusque tamen Ecclesiæ consuetudo hac in re retinenda est. Id verò moneo, vbi iuxta decretum Concilii Trident. tertia pars prouentuum ex omnibus beneficiis in quotidianas distributiones conuersa est, æquum omnino esse, vt quibus duplex præbenda in eadem Ecclesia competit, ii duplices etiam distributiones accipiant.

5 QVÆSTIO QVINTA. Vtrum distributiones, quas beneficiati ob absentiam amittunt, aliis præsentibus accrescere debeant? Responsio est affirmatiua, & cõmunis cum Gl. in Clem. vt ij qui, De ætate, & qualitate ver. pars dimidia. Quod tamen intelligi debet de communibus & ordinarijs distributionibus quę vel ex fideliũ fundationibus proueniunt, vel ex cõmuni mensa Capitulari detractæ sunt, vti significat Trident. cit. sess. 23. c. 3. de reform. Sin verò ex proprijs aliquarum dignitatum, vel officiorum fructibus pars aliqua, videlicet tertia, detracta sit, vt per modum distributionum dentur his, qui illas dignitates &c. obtinent, si præsentes sunt, tunc his absentibus, fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio applicandas esse, decernit Trid. Consil. sess. 22. c. 3. de reform. & videri potest Garcias cit. c. 2. n. 464. & seqq.

6 QVÆSTIO SEXTA. Vtrum Canonici, qui officio diuino in Ecclesia intersunt, licet non cantent, distributiones lucrari possint? Respondeo & dico I. Vbi antiqua institutio (quam Trident. Concilium iterum præcepit sess. 24. cap. 12. de reform. retinetur, vt ipsimet Canonici in choro cantent, non possunt saltem integras distributiones lucrari, ob meram præsentiam; etsi priuatim, vel submissè in Ecclesia recitent. Sumitur ex Constit. 138. Pij V. & traditur à Caiet. to. 1. opusc. vlt. resp. 8. Soto de instit li. 10. q. 5. a. 4. Nau. c. 10. de orat. nu. 47. & c. 13. n. 17. Lopes p. 2. Instruct. c. 96. Rodriq. t. 1. casuum, c. 146. nu. 5. Lessio cap. 34. dub. 33. Suar. li. 4. de horis, c. 12. n. 10. Vasq. cit. c. 4. n. 234. Azor to. 1. li. 10. cap. 11. q. 5. Graffis li. 2. decis. c. 52. n. 23. Ratio est: Quia distributiones non dantur Canonicis ob meram præsentiam, sicuti putat Garcias n. 514. sed præcipuè propter seruitium, quod est in Ecclesia psallendi. Neque obstat, quòd canones dicant, distributiones deberi his; *qui horis canonicis adfuerint*, vel *qui in Ecclesiis præsentes fuerint*: intelligitur, enim ad præstandum officium, cuius causa adesse debent. Quia tamen Canonici, tametsi in choro non canant, canentibus tamen assistunt, & præsentia sua officium exornant, aliquid saltem præstant; ideo eius ratione partem distributionum lucrari possunt, quod damus Medinæ in summa, lib. 1. c. 14. §. 11. & docet Rodriq. l. c. Suar. cit. n. 10.

Dico II. Vbi consuetudo viget, vt Canonici substitutos sibi cantores habeant, sufficit eorum præsentia ad lucrandas distributiones, dummodò horas priuatim recitent. Ita docet Suarez l. c. n. 11. Azor. t. 1. lib. 10. cap. 11. quæst. 6. Petr. Nau. li. 2. c. 2. n. 217. Less. l. c. n. 185. aliique communiter. Ratio est: Quia in eiusmodi Ecclesijs distributiones Canonicis dantur non ob canendi officium, sed ob moralem præsentiam tantùm.

7 QVÆSTIO SEPTIMA. Vtrum mortaliter peccent Canonici, si à choro sine iusta causa absint? Respondet Syl. ver. hora, q. 10. Armilla n. 21. Duobus tantùm casibus Canonicos mortaliter peccare, si à choro absint; licet priuatim horas recitent. Primò si frequenter absint, & quasi ex consuetudine, vel contemptu. Secundò, si ex eorum absentia Ecclesia graue damnum patiatur: puta quia ipsi officium canere vel celebrare debent idque ob eorum absentiam malè perficitur. Quam doctrinam non improbabilem videri, ait Suar. l. 4. de horis, c. 13 n. 8. Addo, in particulari alias quoque circumstantias personæ, loci, temporis, scandali &c. à Confessario attendendas esse, vt intelligat, num Canonicum, qui priuatim recitare solet, propter absentiam à choro, mortalis peccati condemnare debeat.

CAP. VIII.

DE PLVRALITATE BENEFICIORVM.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia alia compatibilia sunt, & alia incompatibilia.*
2 *Plura beneficia, quorum vnum ad honestam sustentationem sufficit naturali iuri repugnant: nisi talis pluralitas causa iusta cohonestetur.*
3 *Specialiter prohibitum est, ne quis plura beneficia curata, vel plures dignitates, aut personatus obtineat: & altero obtento, prius ipso iure vacat.*
4 *Si Episcopo existenti in possessione episcopatus beneficium conferatur collatio irrita est.*
5 *Duo beneficia vniformia sub eodem tecto nemo obtinere potest; & vacat primum adeptione secundi*
6 *Duo beneficia simplicia, quorum ambo personalem perpetuam residentiam postulant, obtinere aliquis non potest.*
7 *Plura benefic. a compatibilia vnusquisque habere potest, quatenus ad honestam sustentationem requiruntur.*
8 *Duo beneficia regularia eidem conferri non possunt.*
9 *In pluralitate beneficiorum incompatibilium iure ordinario Papa dispensat, non etiam Episcopus: nisi incompatibilitas solùm sit ex iure diœcesano.*
10 *Nulla consuetudine introduci potest, vt plures eiusdem Ecclesiæ dignitates, personatus, canonicatus eidem conferantur.*
11 *In pluralitate quorundam beneficiorum, alioquin communi iure incompatibilium, vim aliquam habere potest consuetudo immemorialis.*
12 *Obtinens plura beneficia residentiam postulantia in digniore residere debet.*

NOTANDVM est primò. S. Th. quodlib. 9. art. 15. proposita ista quæstione; vtrum habere plura beneficia, sit peccatũ ius mortale contra naturæ; in hanc sententiam respondit: *Quædam hominis actiones sunt, quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam: vt fornicatio, adulterium, quæ nullo modo bene fieri possunt: & de numero talium non est habere plures præbendas; aliàs in nullo casu dispensationem recipere posset. Quædam verò sunt actiones de se indifferentes ad bonum & malum; vt leuare festucam de terra: inter quarum numerum quidam computant habere plures præbendas. Sed non videtur esse verum: cùm hoc plurimas in se inordinationes contineat: vt pote, quia non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deseruire, in quibus est præbendatus: cùm tamen præbendæ videantur esse ordinatæ, quædam stipendia Deo ibidem ministrantium.* 6 *Sequitur etiam diminutio cultus diuini, dum vnus loco plurium instituitur: sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui adhoc bona Ecclesiis contulerunt, vt certus numerus Deo deseruientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum vnus pluribus beneficiis abundat; & alius nec vnum habere potest. Vnde non potest contineri inter actiones indifferentes, & multò minus inter eas, quæ sunt secundùm se bonæ. Sunt verò quædam actiones, quæ absolutè consideratæ, deformitatem vel in ordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circunstantiis aduenientibus, bonæ efficiuntur, sicuti hominem occidere: In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas. Quamuis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ cir-*

cumstantiæ possunt superuenire ita honestantes actum, vt inordinationes illæ totaliter euacuentur: puta, si sit opus in pluribus Ecclesiis alicuius obsequio, & possit is plùs seruire Ecclesiæ vel tantundem absens. quàm alius præsens. Similia habet Nau. c. 25. n. 128.

Notandum secundò. Pluralitas beneficiorum ex duplici capite deformitatem habere potest: Primò, Si vnum beneficium alicui ad vitam honestè sustentandam sufficiat; tunc superfluum, & indecens est habere alterum. Secundò, Si ipsa aliquorum beneficiorum institutio non permittat, vt plura ab eodem administrentur.

1 Quare notandum est tertiò. Beneficia alia incompatibilia dicuntur, alia compatibilia. Incompatibilia inprimis sunt ea, quorum singula per se, vel naturali iure, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuã residentiam postulant: vti sunt duo Episcopatus, duæ Abbatiæ, duæ Parochæ, duæ perpetuæ vicariæ, & cetera curata beneficia. Item duæ dignitates, siue personatus, quin & duo canonicatus, ob constitut. Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Deinde beneficia vniformia sub eodem tecto incompatibilia censentur, v. g. duo canonicatus eiusdem Ecclesiæ. Reliqua autem beneficia compatibilia sunt, vt infrà patebit.

2 Assertio I. Ordinariè non est licitum, sed cum naturali iure pugnat, quòd Clericus habeat plura beneficia qualiacumque, quorum vnum ad honestam eius sustentationem sufficit. Ita sentit S. Bern. epist. 271. ad Comitem Theobaldum, & de considerat. ad Eugen. Papam li. 2. cap. 6. S. Thom. l. c. Abb. in c. extirpandæ, §. qui verò, n. 34. de præbendis. Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 2. concl. 3. Adrianus in 4. de restitut. §. Quia in præmissis de dubio, Gabr. q. 8. a. 3. notab. 3. & propos. 1. Syl. ver. beneficium, c. 4. q. 1. in fine. Maior. in 4. d. 24. q. 12. Caiet. in sum. ver. beneficium §. mortale autem. Lopez p. 2. instruct. ca. 101. Ioan. Selua p. 4. q. 8. n. 3. Azorius t. 2. l. 6. c. 10. q. 2. & 7. cum Gl. in c. dudum, 2. de elect. ver. retinere: *Notandum*, inquit, *quòd qui habet plura beneficia, quorum alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud.* Et sumitur ex cap. is cui, de præbendis, in 6. *Is cui conceditur, vt auctoritate Apostolica possit vni personæ idoneæ, in sua, vel alia Ecclesia prouidere, alicui aliud beneficium sufficiens obtinenti prouidere non potest.* Consentit cap. postulasti, de rescriptis, c. cùm teneamur, de præbend. Ratio est: Quia alioquin Ecclesiastici reditus malè & inutiliter dispensantur, diuinus cultus imminuitur. quod & primæ beneficiorum institutioni & naturali iustitiæ iuri aduersatur vt proinde per nullam dispensationem Episcopi, aut Papæ, nisi iusta circumstantia seu causa cohonestante, id licitum fieri possit. sicuti docent S. Th. Palud. & Adrianus. ll. cc. Gabr. propos. 2. Abb. in c. adhæc, & c. de multa, in additione, & in c. extirpandæ, §. qui verò, num. 43. de præbend. Ioã. de Lignano tract. de pluralit. beneficiorum, num. 17. Nau. cap. 128. Vasquez tr. de benefic. cap. 4. numero 159. & seqq. Azor. cit. l. 6. cap. 12. quæst. 7. Caietanus loco suprà cit. rationem adferens, *Quoniam dispensatio Papæ cadit super ius positum, & non super ius diuinum; pluralitas autem beneficiorum sine rationabili causa est contra ius diuinum.* Vide etiam Trident. sess. 24. cap. 17. de reform.

Dixi autem, Ordinariè talem beneficiorum pluralitatem esse illicitam; nisi videlicet iusta causâ siue circumstantiâ cohonestetur. quæ triplex à Doctoribus afferri solet, S. Bern. in cit. epist. Abb. in cit. c. de multa, nu. 7. Gabr. in 4. d. 15. q. 8. a. 3. propos. 3. ad finem. Alphoso Hoieda p. 2. de benefic. compatib. ca. 12. n. 18. Azor cit. c. 12. quæst. 2. *Necessitas Ecclesiæ, vtilitas Ecclesiæ, euidens meritorum prærogatiua.* Necessitas Ecclesiæ quandoque postulat, vt alicui plura beneficia, suprà necessariam vitæ sustentationem, conferantur, si sit idoneorum Ministrorum penuria; v. g. in locis vbi hæretici dominantur, vel beneficiis se intrudere conantur. Secundò, Vtilitas Ecclesiæ hoc ipsum interdum suadet, si vnus solus doctrina & prudentia, vel auctoritate ac potentia plùs rei Ecclesiasticæ profuturus videatur, quàm plures alii, qua ratione in septentrionalibus partibus interdum expedit, vt viri illustres plura beneficia, quamuis alioquin incompatibilia, possideant, quò potentiores sint ad Ecclesiam defendendam, & hæreticos aduersarios repellẽdos De tertia verò causa, quæ est meritorum in Ecclesiam, satis dictum fuit suprà c. 3. supponendo.

Illud verò moneo, non esse iustam causam accipiendi plura beneficia vltra necessariam vitæ sustentationem, quòd propositum habeas reditus superfluos in vsus pios bene erogare, sicuti rectè ex communi sententia notauit Azor quæstione 3. contra Cardinalem in Clem. gratiæ, de rescriptis, Nau. c. 25. num. 129. Sed necesse est, vt etiam aliæ deformitates tollantur; videlicet inæqualitas distributionis, Ecclesiæ damnum, & cultus diuini diminutio: quæ si absint, vel maiore, aut æquali vtilitate publica, cohonestentur; tum sanè permitti poterit pluralitas beneficiorum, quorum vnum vel pauciora ad vitæ sustentationem sufficerent. eòque modo intelligendus est Caietanus l. c. §. Siste gradum.

Assertio II. Plura beneficia curata, item plures dignitates, vel personatus, quamuis sine animarum cura, iure ordinario ab eodem obtineri non possunt. Ita statutum est in Concil. Lateran. sub Alexand. III. cap. 13. & à Greg. IX. in c. dudum, 2. de elect. Innoc. III. c. de multa, de præbend. Ioann. XXII in extrauagante execrabilis, de præbend. & in Concil. Trident. sess. 7. c. 4. Ratio, cur eiusmodi beneficiorum pluralitas à sacris canonibus reprobetur, est; quia singula eorum perpetuam residentiam requirunt: non potest autem idem in pluribus ecclesiis residere, sicuti notauit Abb. in c. adhæc, de præb. Syl. ver. beneficium 4. q. 1. 3

Additur verò pœna in cit. c. de multa; Vt, si habens beneficium curatum, vel personatum, aliud tale receperit, vacet primum ipso iure: quòd si illud retinere contenderit, altero quoque priuetur. Deinde, vt is, ad quem prioris beneficii collatio pertinet, statim illud conferre possit, postquam institutus alterum recepit: quòd si infra sex menses conferre negligat, ad alios deuoluatur collatio. idque cõfirmat Trident. Concil. cit. sess. 7. cap. 2. & 4. Vide etiam ca. cùm singula, de præb. in 6. & cit. extrauag. execrabilis, vbi insuper pœna additur, vt talis prius beneficium non dimittens vtroque ipso iure priuatus, atque ad sacros ordines, & quodcunque beneficium accipiendum inhabilis existat.

Circa pœnalem hanc constitutionem aliqua aduertenda sunt: I. Cùm mentio tantùm fiat beneficiorum curatorum, & personatuum, quæ dici solent beneficia incompatibilia primi generis; ideo extendi non debet constitutio ad alia incompatibilia beneficia, v. g. ad beneficium curatum cum canonicatu; vel duo simplicia quorum vtrumque residentiam requirit: hæc enim licet simul absque dispensatione retineri non possint, non tamen ipso iure primum vacat, adeptione secundi: sed cogitur institutus dimittere quod maluerit. quæ erat communis D D. sententia ante Concil. Trident. sicuti videre est apud Abb. c. quia nonnulli, nu. 5. & c. vlt. n. 5. de Cler. non resid. eandémque post Tridentinam constitut. sess. 7. c. 4. defendit Nau. consil. 17. de præben. edit. 2. Zecchus de republ. Eccles. cap. de benefic. num. 4 §. in secundo capite, Lessius lib. 2. cap 34. dub. 27. Quia à iure antiquo recedendum non est sine necessitate, arg. l. præcipi-

mus, C. de appellationibus: neque asserendum est, aliquam pœnam ipso facto incurri, nisi in casibus iure expressis, iuxta Gl. in c. vlt. de iure patronatus. Tridentinum autem concilium cit. c. 4. nullam pœnam de nouo statutam exprimit; sed solùm innouat, & confirmat constitutionem Innoc. III. in c. de multa: quamuis contrarium doceat Azor lib. 6. c. 13. quæst. 2. Garcias p. 11. c. 5. nu. 83. At verò per adeptionem Cardinalatus vacare debent beneficia curata, vel dignitates priùs habitæ: quandoquidem etiam Cardinalatus est dignitas, & quidem maxima, vti notauit Abb. in c. Ecclesia nostra, 2. n. 3. de elect.

II. Aduertendum. Sunt aliqui casus apud Abb. in cit. c. de multa, num. 13 Læl. Zecchum cit. num 4. §. In primo capite, Garciam p. 11. c. 5. num. 100. & seqq. in quibus primum curatum, dignitas aut personatus non vacat per adeptionem alterius: Primò. Quamdiu huius pacificam possessionem beneficiatus consecutus non est: cùm tamen vice versa, beneficium litigiosum per alterius postea obtenti pacificam possessionem ipso iure vacare censeatur. qua de re Nauar. l. 3. consil. 14. de præbend. edit. 2.

Secundò. Si fructus posterioris beneficij percipere non possis, quia alteri reseruantur. Aut si subito motu iræ petiueris te institui in beneficio secundo; sed statim pœnitentia ductus eidem renunties, argum c. diuortium, d. de pœnit. exl. 3. ff. de diuort. *Per calorem misso repudio, si breui reuersa est vxor, diuertisse videtur*. Imò vniuersim ait Abb. in cit. c. de multa, nu. 16. Non sufficere possessionem valde breuem, si statim lis intentetur de facto, vel iure.

Tertiò, si Episcopus primi beneficii, collationem secundi ratam habere nolit; sed Clericum suum repetat: si quidem Prælatus non tenetur ratam habere renuntiationem beneficii, quæ, sine consensu eius, seu expressè seu tacitè facta fuit, iuxta c. quod in dubijs de renuntiatione, ibidem Gl. & Abbas.

Quartò Episcopatus non vacat per adeptionem alterius dignitatis, vel beneficij, sicuti docent DD. nominatim Abb. in c. cum nostris, n. 4. de conceß. præb. Cuius ratio est: Quia Episcopatus non potest deseri sine speciali licentia Papæ, c. 2. de translat. Episcoporum. Cæterùm, si quis Episcopus propria auctoritate, & sine licentia Papæ ad alterum episcopatum se transfert, priuandus est vtroque per iudicis sententiam, iuxta c. quanto, de translat. Episcoporum.

4 III. Aduertendum. Si Episcopo alterum, quamuis simplex beneficium, conferatur, collatio irrita est. sicut colligitur ex c. cùm nostris, de præben. vbi id docent DD. nominatim Abb. n. 15. Nicol. Garcias to. 2. de benef. p. 11. c. 6 n. 44. Item ex c. cum in cunctis §. cùm verò, de elect. vbi habetur, quòd beneficia omnia electi in Episcopum, post eius confirmationem, consecrationem, & pacificam possessionem ipso iure vacent ergo multò minùs beneficia de nouo conferri validè possunt, sicuti argumentatur Ioan. Staphileus forma expectatiua 7. n. 2.

Excipe primò: Nisi sit Episcopus tantùm titularis, qui possessionem, administrationémque nactus non sit: cuiusmodi sunt Episcoporum suffraganei quibus Episcopatus in terris infidelium conferuntur: horum enim beneficia non vacant per adeptionem eiusmodi episcopatus. sicuti notat Nau. lib. 1. consil. 14. de elect. edit. 2. Azor to. 2. li. 16. q. 12. Garcias p. 11. c. 6. nu. 24. Eisdemque aliud postea beneficium, alioquin compatibile, conferri potest; sicuti & illi, qui episcopatui renuntiauit, vti docet Abb. l. c.

Excipe secundò: Si episcopatus pauper sit, vel debitis grauatus; tunc saltem beneficia simplicia & compatibilia conferri possunt; incompatibilia verò, si dispensatio Papæ accesserit, sicuti colligitur ex cit. c. cum nostris, vbi id notat Abb. cit. nu. 15. & in c. Ecclesia vestra, 2. num. 3. de elect. Garcias cit. num. 44. Leß. li. 2. c. 34. num. 139. Ex quo non improbabiliter aliquis inferet quòd Episcopo non habenti sufficientes reditus, beneficia antè obtenta reliqui possint: Cui enim licet quod est plus, licet etiam minus: atqui concessum est ob iustam causam, v. g. paupertatis, Episcopo beneficium alioquin compatibile conferre, sicuti docent DD. in cit. cap. cum nostris: Ergo magis etiam concessum est beneficium antè habitum relinquere; maximè si Ecclesiæ consuetudo accedat. Qua ratione defendi potest quod Archiepiscopi Salisburgenses Episcopatus quosdam, ex Apostolica concessione suæ collationi plenè subiectos, interdum contulerunt Ecclesiæ suæ Canonicis, aliisuè beneficiatis, non adimendo ipsis beneficia sua.

IV. Aduertendum. Vt dictæ constitutioni c. ad multa, locus sit, requiritur vtrumque beneficium esse collatum in perpetuum seu titulum, seu commendam, sicuti indicat Trident. seß. 7. c. 4. de reform. Quare rectè respondit Abb. in cit. c. de multa, in addit. concl. 5. Quòd acceptans vicariatum Episcopi non perdat dignitatem, vel beneficium curatum antè habitum: quia Vicarius ad nutum Episcopi amoueri potest. Denique monet Abb. in cit c. de multa, n. 14. Si beneficiatus, qui alterum curatum consecutus est, in priore expensas fecit de bonis patrimonialibus, seu ijs, quorum liberum ipsi dominium relinquitur, cogi non posse, vt antè illud dimittat, quàm expensæ ipsi restituantur, arg. c. quicunque 12. q. 4. Ex quo colligit, quòd etiam hæres eius ab intestato eiusmodi expensas repetere possit: quod ego intelligo, nisi ex coniecturis intelligi possit, factas esse sine animo repetendi, in gratiam Ecclesiæ.

Assertio III. Duo beneficia vniformia sub eodem tecto, v. g. duos canonicatus, nemo obtinere potest: 5
imò vacat primum beneficium, adeptione secundi. Ita habetur in cit. c. de multa, c. literas, de conceß. præb. Clem. vlt. de præbendis, & ex communi docet Hoieda p. 1. de incompatib. benef. c. 20. n. 26. Garcias p. 11. c. 5. n. 182. Quin notat Gl. vlt. in cit. Clem. Abb. in cit. c. litteras, notab. 2. Nau. consil. 23. de præb. n. 3. edit. 2. Quòd iura magis abhorrent à duabus præbendis vniformibus in eadem Ecclesia, quàm à duobus curatis. Quia alteram præbendam similem in eadem Ecclesia, neque per modum annexionis consequi aliquis potest, iuxta cit. Clem. vlt. in qua dicitur, quòd adeptus pacificè dignitatem, v. g. archidiaconatum, cui præbenda annexa est, ipso facto amittat præbendam suam, quam in eadem Ecclesia priùs habuerat. At verò qui beneficium curatum, puta personatum cum cura in Ecclesia obtinet, non impeditur, quo minùs simplex beneficium, v. g. canonicatum assequatur cui parochialis Ecclesia annexa est, & quam per Vicarium administrare debet, c. super eo, de præb. in 6.

Assertio IV. Nemo potest obtinere duo beneficia 6
simplicia, quæ ambo personalem residentiam incompossibilem requirunt. Ita ex communi docet Abb. in cit. cap. extirpandæ, §. qui verò, num. 30. Hoieda p. 1. c. 17. de incompatibil. n. 30. Rebuffus in praxi benef. tit. dispensat. ratione ætatis, §. incompatibilia, n. 5. Garcias cit. cap. 5. n. 260. Leß. li. 2. c. 34. dub. 27. & traditur à Trident. seß. 24. c. 27. de reform. ibid, *dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat*. Tales inprimis sunt duo canonicatus diuersarum Ecclesiarum, in quibus obseruatur constitutio Tridentini Concilii seß. 24. cap. 12. de reform. vt non liceat Canonicis vltra tres menses ab Ecclesiis suis quolibet anno abesse. Cæterum, in quibus Cathedralibus Ecclesiis Germaniæ nostræ, ex immemoriali consuetudine hactenus retenta, requiritur tantùm residentia me-

dii anni, vel trium mensium; earum Canonicatus, siue præbendæ inter compatibilia beneficia numerari debent; cum residentiam non incompossibilem exigant.

Tales item sunt duæ Ecclesiarum longè dissitarum Capellaniæ, quarum vtraque ex propria fundatione personale seruitium requirit; ideóque neutra per Vicarium administrari potest: quia iusta fundatoris voluntas ac dispositio seruari debet. Qua de re iterum dicam infrà c. 13. q. 6.

7 Assertio V. Licitè aliquis obtinere potest plura beneficia secularia compatibilia, si ita necesse sit ad necessariam vitæ sustentationem. Quæ est communis sententia, & colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 17. de reform. compatibilia autem beneficia in diuersis quidem Ecclesiis censentur ea, quæ vel nullã, vel non incompossibilem residentiam exigunt, vt suprà dictum, & videri potest Sotus lib. 3. quæst. 6. a. 3. concl. 4. In eadem autem Ecclesia compatibilia beneficia dicuntur, quæ difformia sunt: v. g. dignitas & simplex canonicatus; quæ proinde simul retineri possunt, nisi alicuius Ecclesiæ specialis constitutio, vel consuetudo repugnet, teste Nau. consil. 21. 24. & 26. de præb. edit. 2. Garcia p. 11. c. 5. n. 235. Less. cit. dub. 27. n. 144. Abb. in c. cùm iam dudum, n. 9. de præb. vbi rationem reddit. Quia conferendo alicui duo beneficia conformia eiusdem Ecclesiæ, pûta duos canonicatus, minuitur numerus Canonicorum; non ita verò, si quis plura beneficia residentiam non postulantia in diuersis Ecclesiis; vel difformia in eadem Ecclesia obtineat: cùm possit aliquis simul Ecclesiæ seruire, vt habẽs dignitatem v. g. Præposituram, & vt Canonicus.

Probabile item est, quod docet Nau. consil. 16 de præb. edit. 2. Zecch. cit. cap. de beneficiatis n. 4. prope finem, communi iure concessum esse, vt duo altaria, quibus vnus Capellanus satisfacere potest, eidem conferantur: quia difformia beneficia censeri debent; cùm distincta onera siue officia habeant: v. g. vt in vno altari bis in hebdomade, in altero alijs tribus, vel quatuor diebus sacrificetur. Saltem vbi consuetudo est ita conferendi, dubitari non potest quin licita sit, sicuti fatetur Garcias n. 229. Imò Nau. consil. 22. de præben. docet, vigore consuetudinis immemorialis, duas capellanias sub eodem tecto existentes, conferri posse eiusdem Ecclesiæ thesaurario, vel aliud officium, dignitatem, aut personatum obtinenti.

8 Assertio VI. Duo beneficia regularia, etiam eiusdem Ordinis, aut Monasterii, eidem conferri non possunt, iuxta c. cùm singula, de præben. & docet Rebuf. in praxi benef. tit. de dispensat. cum Regularibus facta n. 8. Rodriq. to. 1. regular. q. 34. a. 9. Sanchez lib. 7. mor. c. 29. n. 78. vbi addunt, quòd nec capellam, vel pensionem, vel portionem Monachalem Regularis vnà cum beneficio habere possit. Quia qualecunque beneficium incompatibile est Regulari cum primo: quin neque Summus Pontifex dispensare solet, vt duo habeat in titulum; sed vnum in titulum, & alterum in commẽdam. Excipi autem debet; Nisi vnum beneficium alteri vnitum sit; ita vt propter annexionem veluti vnicum beneficium censeatur, secundùm ea quæ dicam cap. seq. num. 2.

9 RESTANT QVÆSTIONES. PRIMA. Quis in pluralitate beneficiorum dispensare possit? Respondeo & dico I. Si sint incompatibilia, de iure communi solus Papa ob causam iustam dispensat. Ita docet Gl. in c. dudum, 2. de elect. ver. per sedẽ. c. de multa, de præb. ver. per sedem. & in c. 1. de consuet. in 6. ver. absque dispensatione, Azor. t. 2. lib. 6. c. 12. Less. dub. 28. Garcias cit. c. 5. par. 11. de beneficijs. Probatur: Quòd enim summus Pontifex ob rationabilem causam dispensare possit, habetur in cit. cap. de multa, & ratio sumitur ex Clem. 1. Vt lite pendente; Quia *ad Rom. Pontificem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorũ Ecclesiasticorum plena & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine, noscitur pertinere* Idèmque habetur in c. licet, de præb. in 6. & c. proposuit de concess. præb. Notat verò Less. cit. dub. 28 num. 152. Si iusta causa dispensandi non fuit validam tamen esse collationem beneficiorum posteriùs adeptorum; quamuis prouisus in conscientia obligatus maneat, ea, quæ secundùm statum suum necessaria non sunt, vel in quibus iusta dispensandi causa non fuit, resignare; fructus tamen interim percepti retinere possunt, si beneficiorum obligationibus saltem per Vicarium satisfactum fuerat.

Quòd verò ad Episcopos, aliósque inferiores Papâ non pertineat, contra ius Pontificium, præsertim Generalis Concilii canones, dispensare; notum est ex materia de legibus: quamuis aliqui excipiunt causam necessitatis, vel magnæ vtilitatis publicæ, Abb c. extirpandæ, §. qui verò, n. 38. Alphon. Hoieda p. 2. de compatibil. benef. c. 12. n. 22. Rebuf. in praxi, tit. de dispens. ad plura beneficia, n. 33. Gutierez lib. 1. canon. qq. cap. 23. num. 18. & alijs apud Ioan. de Lignano, de pluralit. benef. n. 19. Sed bene monet Garcias cit. c. 5. n. 340. id locum non habere (saltem iure, quo hodie vtimur) nisi in casu, quo postulante eiusmodi necessitate, Papa consuli, eisque dispensatio peti non possit, secundum receptam DD. sententiam apud Armil. ver. dispensatio, num. 19. Sanch. li. 2. de matr. disp. 40. numero 3. Quanquam id in pluralitate beneficiorum incompatibilium eidem conferenda ob Ecclesiæ vtilitatem, rarissimè accidere, monet etiam Less. cit. cap. 34. dub. 28. num. 150. Quamobrem quod Abb. docet in c. cùm iam dudum, n. 9. & c. de multa n. 19. de præb. arg. c. Sanctorum, d. 70. Episcopum ob iustam causam dispensare posse super pluralitate beneficiorum simplicium postulantium residentiam; id verum est dumtaxat, si talis residentia iure diœcesali, non item vniuersali exigatur.

Dico II. Si sint beneficia compatibilia, tunc duo, vel etiam plura (secundùm quosdam) eidem conferri possunt, sine vlla dispensatione: quia ius vel saltem consuetudo id permittit: dummodo prouisus indigeat ad honestam vitæ sustentationem. Ita præter alios docet Abb. in c. dudum, 2. num. 34. de elect. Rebuff. l. c. n. 29. Azor cit. li. 6. c. 11. q. 7. Valentia t. 3. disp. 5. q 7. p. 2. assert. 4.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum consuetudine obtineri possit, vt plura beneficia, iure communi 10
incompatibilia, fiant compatibilia, eidémque conferantur? Respondeo, & dico I. Nulla consuetudine introduci posse videtur, vt plures dignitates, vel personatus aut officia eiusdem Ecclesiæ vni, eidémq; conferantur. Ita habetur, in c. 1. de consuetudine in 6. vbi talis consuetudo etiam immemorialis reprobatur: quia per eam, vt Gl. ibidem ait; inducitur in Ecclesiã paucitas Ministrorum, & diminutio cultus diuini, quod plane repugnat beneficiorum fundationi, seu institutioni. Quare eadem quoque ratio esse videtur de simplicibus canonicatibus, siue præbendis: quarum pluralitatem in eadem Ecclesia quàm maximè canones detestantur, vt suprà dictũ, & notauit Gl. in c. literas de concess. præb. ver. ex consuetudine, Nau. consil. 24. de præbend. n. 5. edit. 2. Garcia cit. c. 5. n. 182.

Dico II. De pluralitate beneficiorum in diuersis Ecclesiis, incompatibilium, eò quòd vtrumque personalem residentiam requirat; plerumque distinguunt DD. hanc incompatibilitatem siue obligationem residendi in simplicibus per consuetudinem tolli posse; non item in beneficijs curatis, dignitatibus, ac personatibus, sicuti docet Rebuffus l. c. n. 66. argum. c. de multa de præb. in quo talis consuetudo obtinendi plura curata, vel personatus reprobatur, & præsumptio, atque

cupiditas appellatur. Et Trident. Concil. sess. 24. c. 12. de reform. statuit, *vt obtinentibus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus &c. non liceat, vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltra tres menses abesse.* Vide etiam cap. 17. eadem sess.

Nihilominus Nau. consil. 21. de Cler. non resident.
11 iuncto consil. 24. de præb. edit. 2. affirmat, per consuetudinem immemorialem obtineri posse, vt beneficia etiam curata personalem residentiam non requirant; sed per idoneum Vicarium administrari possint. Nam quidquid priuilegio, aut dispensatione S. Pontificis induci potest, idem & consuetudine immemoriali: Atqui constat tum ex c. de multa, tum ex praxi, quòd summus Pōtifex iusta de causa dispensare possit super residentia in curatis, aut personatibus: Ergo etiam consuetudine immemoriali id obtineri potest: modò interim prouideatur, vt Ecclesiæ detrimentum non patiantur; sed nihilominus officium & administratio præstetur, saltem per Vicarios.

Talis in quibusdam Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis adhuc viget consuetudo, vt personatus v. g. præpositura residentiam non requirat, vel non tam diuturnam, sicuti Trident. Concil. exigit. Consuetudo item passim in Germania viget, vt beneficia curata conferantur Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, & Decanis; ita, vt ea per Vicarium perpetuum administrentur, relicta ipsi competente sustentatione. Id verò, si passim sine causa iusta, aut cum detrimento Ecclesiarum fiat, nulla consuetudine excusari posse certum est; cum iuri diuino aduersetur: sin verò causa subsit, quia, v. g. Præpositus, aut Decanus Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ exiguos reditus habet; & ob auctoritatem ac prudentiam beneficium curatum per Vicarium bene administrabit; tunc non tam facile damnari potest collatio nixa consuetudine immemoriali: quandoquidem inter iustas causas à residentia excusantes, numerari etiam solet consuetudo rationabilis, apud Nau. c. 25. man. num. 125. Less. dub. 29. n. 163. Nisi quòd Concilium Trident. locis suprà cit. dictas consuetudines reprobare videatur, vti notauit Garcias p. 3. cap. 2. num. 197. tunc verò aliud responderi non potest, quàm Tridentinam constitutionem aliquibus Ecclesiis receptam non esse.

12 QVÆSTIO TERTIA. Qui plura beneficia obtinet, quorum singula per se residentiam postulant, in quonam residere debeat? Respondeo cum Abb. c. extirpandæ, repet. §. qui verò, de præben. Si sint beneficia æqualia, quæ per dispensationem alicui concessa sunt, positum esse in arbitratu beneficiati residere, in quo maluerit, quo modo intelligenda est Gl. in c. non potest, de præb. in 6. Si autem non sint æqualia, tunc debet residere in maiore, siue digniore, arg. cit. §. qui verò, vbi dicitur, quòd habens dignitatem, vel Canonicatum, cui Ecclesia parochialis annexa est, in maiore Ecclesia deseruire debeat; & parochiam per Vicarium perpetuum administrare.

Notandum etiam est, cum eodem Abb. in c. cùm non ignores, n. 8. de præb. Si Canonici, aliiue electores aliquem eligant ad beneficium suæ Ecclesiæ residentiam postulans, qui antè beneficium obtinet, quod similiter residentiam requirat; distinguendum esse, vtrum id sciant, an ignorent. Si enim ignorant, possunt resilire ab electione, nisi electus prius beneficium resignare, vel in eo non residendi dispensationem impetrare velit, sicuti docet Innoc. cap. vlt. de Cler. non resident. Si autem scientes talem eligunt, iterum distinguit Abb. Vel enim eligunt ad beneficium æquale, aut minus eo, quod antè obtinet: & tunc si nihil exprimant, censentur renunciare iuri residentiæ; ideóque contenti esse, vt post dispensationem beneficium absens retineat. Vel eligunt ad beneficium dignius, aut melius eo, quod antè obtinet: & tunc censentur sub conditione eligere, si prioris residentiam dimittat, & in altero resideat: quod si facere nollit, resilire poterunt.

CAP. IX.

DE VNIONE BENEFICIORUM.

SVMMARIVM.

1 *Vnio beneficii alia perpetua est; & alia temporalis, seu ad vitam beneficiati.*
2 *Vnio perpetua operatur quasi extinctionem beneficii accessorii.*
3 *Episcopus ob iustam causam vnire potest beneficia suæ diœcesis, quæ nec exempta, nec Papæ specialiter ac perpetuò reseruata sunt.*
4 *Certi casus sunt, quibus Episcopus etiam reseruata, vel aliter affecta beneficia vnire potest.*
5 *Ecclesiæ parochiales Monasteriis, & dignitatibus, vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ vniri non possunt. Si tamen talis vnio à tempore immemoriali constitit, in dubium reuocari non debet. quamobrem cessat in tali beneficio vnito mensis Pontificius.*
6 *Episcopus, vel Capitulum beneficia suæ mensæ directè ac principaliter vnire non potest, absque Papæ consensu.*
7 *Maior est potestas beneficia vniendi, quàm conferendi.*
8 *Causæ vnionis faciendæ sunt, euidens necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ.*
9 *Forma & solemnitas ad vnionem requisita est, vt antecedat cognitio causæ; vocentur ij quorum interest, adhibeatur Capituli consensus.*

VNIO definitur ex Rebuffo in praxi de vnionibus, *beneficiorum, auctoritate Prælati Ecclesiastici, facta annexio.* Duplex est vnio; perpetua, & temporalis. Illa fit ob Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem: hæc in 1
vtilitatem beneficiati; ideóque durat tantùm ad vitam eius. Neque est propriè dicta vnio; sed potius dispensatio, seu reseruatio, nomine vnionis tecta, sicuti notauit Azor tom. 1. lib. 6. ca. 28. q. 17. Idcirco odiosa est vnio ad vitam, atque in dubio non præsumitur, teste Rebuffo nu. 19. Hoieda p. 2. de compatib. beneficiorum, ca 3. nu. 1. Neque eam Episcopus facere potest in beneficiis incompatibilibus; sed solus Papa, teste eodem Hoieda, & Staphil. de gratiis expectat. de modo prouisionis, nu. 22. Garcia p. 12. ca. 2. de vnione; nu. 84. Azor cit. q. 17. & colligitur ex Trident. sess. 7. ca. 4. de reform. & sess. 24. ca. 17. de reform. Quare, omissa vnione ad vitam, de perpetua tantùm & propriè dicta beneficiorum vnione deinceps agemus.

Ea tribus modis fieri potest, vti docet Gl. in cap. 1. ver. vniendo, Ne sede vacante. Gl. in c. & temporis, 16. q. 1. ver. vnire. Rebuff. num. 11. Azor cit. ca. 28. q. 2. Garcia cit. cap. 2. nu. 7. Petr. Greg. Tholos. de benef. cap. 20. nu. 2. Primus modus vnionis est, si ex duobus beneficiis fiat vnum: v. g. ex duobus episcopatibus, quorum reditus tenues sunt, vnus episcopatus auctoritate Papæ: vel ex duabus parochiis vna parochia, auctoritate Episcopi, teste Rebuffo nu. 11. & Gratiano ad c. decimas. 16. q. 1.

Alter modus est, si vnum beneficium alteri vniatur tanquam accessorium principali, de quo est textus in c. extirpandæ, §. qui verò, de præben. Et hæc vnio operatur quasi extinctionem beneficii vniti; vt beneficium 2
per se non censeatur, ideóque nec vacare debeat; quia assumit naturam, qualitates, ac priuilegia beneficii principalis, cui adhæret, sicuti docet Gl. in cit. c. & temporis, & alia Gl. c. super eo, ver. non obuiet, de præben. in 6. Rebuff. nu. 12. Selua. pa. 3. de benefic. q. 12. num. 64. Cæsar Lambertinus de Iure patronatus q. 7. princip. ar. 7. Io. Nicol. Delphinas de iure patr. li. 2. q. 41. nu. 225. Garc. p. 12. c. 2. nu. 13.

Corollarium I. In beneficii impetratione solius principalis mentio facienda est; quo concesso, vel collato,

venit etiam accessorium, sicut ex communi docet Ioan. Baptista Caccialupus tract. de vnione, art. 8. q.7. & late Alphonsus Hoieda p.2. de compatib. beneficiorum, ca.3. nu.2. Garcias pa.12. ca.2.nu.12. cum Gl. in c. gratia, ver. de iure, de rescriptis, in 6. vbi docent, quòd facta collatione benefici principalis, habetur etiam alterum vnitum; ita vt eius collatio necessaria non sit:& simili ratione accepta possessione principalis beneficii, habetur etiam possessio vniti.

Corollarium II. Si parrochialis Ecclesia vnita sit canonicatui, vel dignitati, non attenditur ætas XXV. annorum, quæ ad Parochiæ curam requiritur; cùm eam institutus non per seipsum, sed per vicarium sufficientis ætatis regere debeat: sed sufficit ei ætas, quæ in canonico, vel dignitatem habente postulatur, sicuti docet Garcias nu. 26. Vide etiam Petrum de Perusio, de vnione Ecclesiarum, cap.7.

Corollarium III. ex Rebuffo n. 17. Beneficium minùs dignum oportet vnire magis digno, v. g. capellaniam canonicatui Ecclesiæ Cathedralis, iuxta c. postulasti, de præben. Item Ecclesiam parochialem Cathedrali præbendæ, iuxta c. super eo, eod. in 6. Non autem vice versa, magis dignum minùs digno vniri debet, seclusa plenitudine potestatis Papalis: Quia non decet, vt quod magis dignum est, accessorium fiat minùs digni: licet contrarium senserit Gl. magna in cit. c. super eo, not. 1.

Tertius modus vnionis est, si duo beneficia, puta duæ Ecclesiæ, ita sub eodem Rectore vniantur, vt tamen propriam naturam, qualitates, & priuilegia sua retineant, & neutrum alteri subiiciatur, aut adhæreat; sed vtrumque suum titulum retineat, & ideo de vtroque in impetratione alterius beneficii mentio facienda sit. Deinde, si duo illa beneficia diuersis Episcopis, aut Metropolitanis subsint, neuter eorum ius conferendi per talem vnionẽ amittet; sed vterque cõcurrere debebit ad collationem, aut confirmationem, sicuti ex communi docet Garcias p. 12. c. 2. n. 47. & colligitur ex Gl. in cit. c. & temporis. Attamen in vnione secundi modi, qui est per accessionem, sufficit consensus Prælati maioris beneficii: cùm enim beneficium vnitum accessoriè, non censeatur vacare, ideo eius collatio secundùm se cessat.

Potestas vniendi beneficia, & Ecclesias quascunque
3 in primis ad sum. Pontificem spectat: cùm in beneficiis plenam potestatem habeat, c. 2. de præb. in 6. Interim verò potestas reliqua visitandi, subditos puniendi &c. non adimitur Episcopo, sub cuius diœcesi ac iurisdictione ante vnionem, Papæ, vel Legati eius auctoritate factam, beneficium situm erat, c. 2. de relig. domibus.

Secundò, Episcopus ob iustam causam in perpetuum vnire potest beneficia suæ diœcesis, quæ neque exempta, neque summo Pontifici specialiter, ac perpetuò reseruata sunt. Prior pars habetur in c. sicut vnire, de excess. Prælatorum: *Sicuti vnire Episcopatus, atque potestati subiicere alienæ ad sum. Pontificem pertinere dignoscitur; ita ad Episcopum Ecclesiarum suæ diœcesis vnio & subiectio.* Eadémque ratione ordinariæ potestatis ad Episcopum, vel alium simili iurisdictione præditum spectat, beneficium aliquod iusta de causa omnino extinguere; sicuti & vnum in duo diuidere, sicuti docet Innoc. c. vn. ibid. Abb. n. 20. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminut. conferantur. Nau. lib. 3. consil. 27. num. 1. de præb. edit. 2. Garcias p. 12. de benef. in princ. Posterior verò pars exceptiua clara est, quòd nimirum Episcopus vnire non potest beneficia exempta à iurisdictione sua; neque ea quæ Papali collationi, seu prouisioni specialiter, & in perpetuum reseruata sunt; cuiusmodi sunt v. g. dignitates maiores in Cathedralibus, & primæ in Collegiatis Ecclesiis. Nam qui beneficium conferre non potest, ob defectum iurisdictionis, multò minus vnire potest.

Alia verò ratio est, si collatio beneficii ad Papam deuoluta sit, puta ob negligentiam conferendi; nihilominus enim ab Episcopo vniri posse, docent Canonistæ apud Alexan. de Neuo c. sicut vnire, n. 6. de excess. Prælator Nau. lib. 3. consil 12. de rebus Ecclesiæ non alien. edit. 2. Azor t. 2. lib. 6. c. 28. q. 15. Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 149. Alia item ratio est, si beneficia generaliter reseruata sint, vt v. g. eorum collatio mensibus alternis ad Papam spectet: talium vnionem Episcopo prohibitam non esse, docet Garcias p. 12. c. 2. n. 104. & sumitur ex doctrina Petr. de Perusio, de vnionib. c. 4. n. 24 Petri Rebuffi in praxi, tit. de vnionibus. n. 31. Facta autem tali vnione ob causam legitimã, extinguitur mensis Pontificius, quem Papa, tanquam supremus ordinarius collator, sibi reseruauit; propterea quòd beneficium cum effectu vnitum eo ipso extinctum censeatur, vt deinde ampliùs non vacet, nec conferri debeat, sicuti suprà dixi, & notat Rebuffus ibid. Dummodo talis vnio non fiat in fraudem: puta si ea vacantia non in mense ipsius Ordinarii, sed Pontificio vnire attentet, talis vnio prohibita est. Idemque sentiendum, si statim vacaturum existimetur in mense Pontificio, videlicet instante morte beneficiati, sicuti notauit Rebuff. cit. n. 31.

Altera exceptio: Tempore, quo beneficia affecta sunt, v. g. alicui exspectanti specialiter reseruata; item, 4
si sint alicuius Familiarium Papæ, per quorum obitum in curia vacabunt, ordinariè non potest Episcopus vnionem instituere; aut saltem vnio effectum suum non obtinebit, sed suspensa erit, donec beneficium iterum vacauerit per mortem, vel priuationem instituti à Papa; sicuti docent Selua p. 3. quæst. 11. qualit. 14. Æneas de Falconibus de reseruat. benefic. quæst. 4. Abb. in c. sicut vnire, num. 7. de excess. Prælat. ibidem Alexan. de Neuo, Caccialupus de vnionibus, a. 4. q. 6. Garcias cit. c. 2. num. 93. & 105. Sanchez n. 150. Azor to. 2. li. 5. c. 20. q. 17.

Dixi autem *ordinariè*: nam in certis casibus ipsum ius talem vniendi facultatem Episcopo tribuit, non obstante reseruatione. Ita in Trident. sess. 21. c. 5. de reform. conceditur Episcopo, vt propter paupertatem Ecclesiarum parochialium, iis vnire possit alia beneficia; quamuis essent generaliter reseruata, aut qualitercunque affecta: idque notauit Garcias num. 100. Et sess. 23. c. 18. vt beneficia qualiacunque simplicia, licet reseruata, & affecta, vnire possit ad erectionem seminarii Clericorum. Et sess. 24. cap. 15. de reform. vt ad augendas præbendas, si nimis tenues sint, Ecclesiarum Cathedralium vel Collegiatarum, liceat Episcopo beneficia simplicia vnire, vel omnino supprimere; nonobstante quacunque eorum reseruatione generali vel speciali, aut affectione. Quare in his casibus effectus vnionis propter reseruationem non impeditur; modò vnio facta sit ante beneficii vacationem: postea enim, cùm vacat, eiusque collatio ad Papam spectat, vnionem fieri non posse, ex Cardinal. declarat. sess. 25 c. 15. monet Garcias n. 102.

Tertia exceptio habetur in Trident. sess. 14. c. 9. Ne beneficia vnius diœcesis vniantur cum beneficiis alterius diœcesis.

Quarta exceptio habetur in Trident. sess. 24. cap. 13. 5
de reformat. *Ne Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis seu dignitatibus, aut præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, aliisue beneficiis simplicibus vniantur*: quæ tamen antea vnita erant, non infirmantur; sed præcipitur, vt reuideantur ab Ordinario. Et notat Garcias num. 87. ex Cardinalium declaratione, vnionem Parochialium Ecclesiarum adeò prohibitam censeri in Tridentino, vt neque pars fructuum ex iis applicari possit Monasteriis, dignitatibus, aliisue præbendis, sine

licentia Papæ, idque apertè colligitur ex seſſ. 25. cap. 16. Sed limitatio ibi indicatur, vniuerſim in hac materia tanquam regula obſeruanda: Si beneficium à tempore, cuius initii nulla extat memoria, ſine collatione propria, & vt vnitum alteri poſſeſſum fuit, in dubium reuocari non debet; tametſi modò titulus, aut inſtrumentum vnionis legitimè factæ exhiberi nequeat, ſicuti tradit etiam Maſcardus vol. 1. concl. 179. & vol. 3 concl. 1411. Garcias cit. cap. 2. num. 231. vbi addunt, tempus 40. annorum, cum titulo præſumpto, ad præſcribendam vnionem, ſufficere, idque colligitur ex Trident. ſeſſ. 7. c. 6. de reform. Vide Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 178.

Corollarium. Si beneficia, quamuis curata, à tempore immemoriali vnita fuerunt Monaſteriis, Eccleſiis Collegiatis &c. ceſſat in iis menſis Pontificius, quem Papa, tanquam collator vniuerſalis, ſecundùm concordata, ſuæ collationi reſeruauit: conſequenter ceſſat etiā ius præſentandi Rectorem, aliúmue beneficiatum, quod in eiſdem alternis menſibus ex Sum. Pontificis conceſſione competit quibuſdam ſecularibus Principibus in beneficiis non patronatis.

Tertiò; Capitulum, vacante Sede, vnionem beneficiorum cum ſuprà dictis exceptionibus inſtituere poteſt: ita tamen, vt per eam iuri Epiſcopali nihil derogetur, ſicuti ex communi docet Rebuffus num. 36. Garcias n. 67. Sanchez n. 155. Azor to. 2. lib. 6. c. 28. q. 9. Quamquam Capitulum ſibi ipſi beneficium vnire non
6 poteſt, neque eiuſmodi vnioni ab Epiſcopo faciendæ conſenſum præbere: ſicuti nec ipſemet Epiſcopus ſuæ menſæ beneficia, ſine Papæ licentia, directè ac principaliter vnire poteſt: ſed tales vniones irritæ pronuntiantur in Clem. ſi vna, de rebus Eccleſ. non alienan. §. fin. Quia nemo in proprio facto auctoritatem præſtat. Dixi autem *directè, & principaliter*: Etenim Epiſcopus exigente cauſa non prohibetur beneficia vnire fabricæ Eccleſiæ, aut ſeminario Clericorum; licet per accidens inde vtilitas in ipſummet Epiſcopum, vel Capitulum Cathedrale deriuetur, ſicuti notauit Garcias num. 68. & 169. Deinde, ſi Canonicorum præbendæ nimis tenues ſint, ad earum augmentum, ſimplicium beneficiorum vnionem ab Epiſcopo, cum conſenſu Capituli, fieri poſſe, habetur in Trident. ſeſſ. 24. c. 15. de reform. & videri poteſt Azor cit. c. 28. q. 17. Garcias, n. 171. Denique, ſi alicubi conſuetudo præſcripta ſit, vt Epiſcopus etiam ſine Capituli conſenſu, vniones beneficiorum inſtituere poſſit; tunc nihil obſtat, quin ea ſua auctoritate menſæ Capitulari directè vniat.

Quartò, Legatus à latere vnire poteſt beneficia ſuæ prouinciæ non minùs, quàm Epiſcopus: quia poteſt omnia quæ Epiſcopus. Et ita docent Abb. in c. ſicuti vnire, num. 5. Rebuffus lo. cit. n. 24. Hoieda de compatibil. beneficiorum p. 2. c. 3. num. 7. Azor cit. c. 28. q. 8. Garcias cit. c. 2. num. 65. Sanchez cit. c. 29. num. 158. & fusè Caccialupus de vnionib. a. 3. Idque facere poteſt Legatus non requiſito conſenſu Epiſcopi: quandoquidem concurrit cum eo in poteſtate, vti conſtat ex iis quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 7. §. 6. & videri poteſt Garcias num. 222. Modò vnio non ita inſtituatur, vt in aliis iuri Epiſcopali derogetur, vti conſtat ex c. vlt. de confirmat. vtili, vel inutili.

Porrò, aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ Epiſcopalem, vel ſimilem, aut maiorem iuriſdictionem non habent, communi iure, ſeu ſecluſo ſpeciali priuilegio, aut legitima præſcriptione, beneficia vnire non poſſunt; etiamſi ea conferendi ius habeant. Non enim qui beneficia con-
7 ferre poteſt, illicò etiam vnire poteſt: quia maior cenſetur eſſe poteſtas vniendi, quàm conferendi, ſicuti notant DD. in Vicario generali Epiſcopi, qui accepta etiam poteſtate beneficia conferendi, tamen ſine ſpeciali mandato vnionem beneficiorum inſtituere non poteſt, teſte Hoieda l. cit. Petr. de Peruſio de vnion cap. 4. in fine, Rebuf. in praxi de vnionibus, num. 37. Azor cit. lib. 6. c. 28. quæſt. 10. Garcia num. 69. Sanchez num. 153. Qui autem beneficia conferre non poteſt, multò minùs vnire poteſt; v. g. Legatus Papæ non à latere, ſicuti docet Garcias n. 66. ex c. 1. de officio Legati, in 6.

Cauſæ vnionis faciendæ nominantur duæ in c. expo-
ſuiſti, de præbend. *Euidens neceſsitas, vel vtilitas.* Puta, ſi 8
duæ Eccleſiæ vicinæ pauperes ſint, vt ad victum duorum, non ſufficiant, c. vnio, 10. quæſt. 3. Clem. ne in agro, §. adhæc, de ſtatu Monachorum. Si fructus beneficii, v. g. dignitatis alicuius, vel canonicatus nimis tenues ſint, vt idoneus non reperiatur qui acceptare velit, cit. c. expoſuiſti. Si Eccleſia ab hoſtibus deuaſtata ſit, c. 2. de religioſis domibus, & notat Gratianus ad c. vlt. 25. q. 2. Si populus bello, aut peſte imminutus, c. ad audientiam, c. vlt. de Eccleſiis ædific. c. & temporis, 16. q. 1. Si ſtatus alicuius Monaſterii, vel Eccleſiæ deformatus ſit, & diſciplina non ſeruetur, arg. c. relatum, Ne Cler. vel Monachi. Vide Caccialupum a. 5. Sanch. n. 161. Rebuffum. num. 38. & ſeqq. Hoiedam cit. c. 3. n. 8. Azor q. 13. Imò, ſi cauſa talis, præſertim neceſſitatis, ſuadeat, tenetur Epiſcopus vnionem inſtituere, & à Sum. Pontifice cogi poteſt, arg. c. nullus, de iure patronatus, & docent Caccialupus, Hoieda Rebuffus l. cc. Notat verò Abbas in citat c. expoſuiſti, num. 6. licet euidens prærogatiua perſonæ præbeat cauſam diſpenſandi ſuper pluralitate; non tamen vt vniatur vnum beneficium alteri: quia per hoc ipſi beneficio perpetuum præiudicium adfertur, cùm fiat acceſſorium alteri.

Forma, & ſolemnitas ad vnionem requiſita in his conſiſtit: I. Vt antecedat cognitio cauſæ, ſicuti colli-
gitur ex Clem. ſi vna, de rebus Ecleſiæ non alienandis. 9
Alioquin enim vnio ſubreptitia cenſebitur, vt, niſi iuſtitia cauſæ probetur, reſcindenda ſit, ſicuti docet Rebuff. in praxi, de vnione, Gl. 9. & ſignificat Trident. ſeſſ. 7. ca. 6. eiuſmodi vniones irritas declarandas eſſe, niſi quadraginta annorum præſcriptione firmatę ſint.

II. requiſitum. Vt vocentur ij quorum intereſt, ſiue in quorum præiudicium vnio cedere poteſt, iuxta reg. 29. in 6. *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.* Idque indicatur in cit. Clem ſi vna, & cit. Clem. ne in agro, §. adhęc, & docent Caccialupus a. 6. Rebuffus Gl. 11. Petr. de Peruſio cap. 5. Quamobrem, ſi beneficium vniēdum ſit iuri patronatus, requirendus eſt conſenſus Patroni ſeu Eccleſiaſtici, ſeu laici, ſicut infrà dicam cap. 13. q. 5. corol. 2. & indicat Trident. ſeſſ. 24. c. 15. ibi. *Cum patronorum conſenſu.* Deinde requiritur conſenſus inferioris collatoris, ſeu Prælati, ad quem talis beneficij collatio, vel adminiſtratio alioquin pertinet, ſicuti colligitur ex cit. §. Adhæc. Quia non minùs collatori ius conferendi Prælato ius adminiſtrandi; quàm Patrono ius præſentandi per vnionem adimitur. At verò beneficiatus, ſeu immediatus Rector beneficij, quod vniendum eſt, vocari neceſſariò non debet, ſicuti conſtat ex cit. Clem. ſi vna, iun Gl. ver. vocatus, & docet Abb. in c. conſultationibus, n. 2. de donat. cùm eius nihil interſit: quandoquidem ante illius mortem vni executioni mandanda non erit; ſeu, vt aliis verbis dicam, vnio ante beneficii vacationem inſtituitur, non vt ſtatim fit; ſed poſteaquam vacauerit, ſicuti annotauit Nau. lib. 1. conſil. 1. n. 11. de reſtit. ſpoliat. Rebuff. Gl. 11. n. 8. Garcias n. 223.

III. Communi iure requiritur conſenſus Capituli, ſi vnio ab Epiſcopo, vel ſimili Prælato facienda ſit ſicut colligitur ex cit. Clem. ſi vna, & cit. c. paſtoralis. & docet Gl. in cit. Clem. Ne in agro. §. adhæc, ver. aſſenſu, Abb. in c. ſicut vnire, n. 2. de præbend. Rebuff. cit. Gl. 11. n. 2. Rodriq. to. 3. regul. q. 80. a. 1. San-

chez n. 164. Garcias n. 145. Verùm, si Capitulum, aut ii quorum interest, sine iusta causa contradicant, poterunt ad consentiendum à Papa compelli; imò ipsis etiã inuitis Episcopus ad vnionem faciendam quandoque procedere, si causa necessitatis notoria sit, sicuti docet Caccialupus cit. a. 6. n. 2. Azor to. 2. lib. 6. cap. 28. q. 12. Sanch. l. c. Exemplum habemus; si Ecclesia patronata nimis tenues reditus habeat, & patronus ad sufficientem Rectoris sustentationem adiuuare nolit, ipso etiam inuito, alteri Ecclesiæ vniri potest, sicuti declararunt Cardinales super sess. 21. cap. 5.

Cap. X.

DE INSTITVTIONE, ET COLlatione Ecclesiasticorum beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia Ecclesiastica alia electiua sunt, alia patronata, & alia liberè collatiua.*

2 *Papa tribus potissimùm modis beneficia confert: I. Iure præuentionis II. Iure concursus. III. Iure deuolutionis.*

3 *Per Concordata Germaniæ beneficiorum non patronatorum collatio alternis mensibus ad Papam spectat.*

4 *Episcopus, vel simili potestate præditus est ordinarius collator beneficiorum suæ diœcesis; sed cum consensu Capituli, spectato communi iure. Quemadmodum etiam susceptio Monachi ad Abbatem spectat, cum consensu Conuentus.*

5 *Capitulum, vacante Sede, non confert beneficia libera, quorum collatio ad Episcopum propriè spectat; instituit tamen præsentatos à Patronis, confirmat electos, recipit resignationes causa permutationis, vnit beneficia postulante causa.*

6 *Vicarius generalis, licet beneficia conferre non possit, attamen præsentatos instituere, electos confirmare potest: cùm hi actus necessitatis ac iustitiæ sint.*

7 *Legatus à latere concurrit cum Ordinario in collatione beneficiorum.*

NOTANDVM est primò; Institutionem in beneficiis Ecclesiasticis tribus modis fieri, sicuti notauit
1 Abb. in c. auctoritate, n. 7. de Institut. Azor to. 2. lib. 6. c. 25. paulò post principium. Primò, Per electionem v. g. Canonicorum, quam deinde Superior confirmat, si eum, qui electus est, idoneum ac dignum esse intelligat. qua ratione Ecclesiarum Prælati institui solent. Secundò, Ad præsentationem Patroni, Ecclesiasticus Prælatus cogitur instituere præsentatum, si idoneus sit, c. decernimus, 16. q. 7. Et hæc beneficiorum collatio facta præsentato, propriè dicitur *institutio*. qua ratione plerique Parochi, & Capellani institui solent. Tertiò, Conferuntur beneficia, v. g. personatus, canonicatus liberè, cui voluerit is, ad quem collatio pertinet; modò ille idoneus sit, c. relatum, de præbendis. Quamobrem Ecclesiastica beneficia triplicis generis existimant; *Electiua, Patronata, & Libera*, siue collatiua.

Notandum est secundò; Quòd omnis collatio fieri debet beneficii vacantis, vti docent DD. in c. 1. & 2. de concessione præb. & videri potest Reb. in praxi beneficiali, tit. de reprobata beneficiorum viuentium impetrat vbi ait n. 35. & 41. quòd beneficium non vacans promitti non potest, tametsi proximè vacaturum non sit. Et Abb. in c. vlt. num. 6. eod. tit. quòd nec collator, puta Episcopus, promittere possit beneficium vacaturum, nec præsentator seu patronus promittere, præsentationem ad beneficium nondum vacans. Cui consonat Trident. sess. 24. c. 19. vbi omnes gratiæ expectatiuæ abrogatæ, seu inferioribus Papa collatoribus prohibitæ sunt. Quo loco Cardinales colligunt, *non posse erigi canonicatum supernumerarium ad futuram præbendam: neque Capitula Ecclesiarum posse canonicos supernumerarios creare super futura præbenda*: Quamuis hoc non in omnibus Ecclesiis receptum est. Ratio autem dictarum constitutionum affertur in cit. c. 2. & c. constitutus, de concess. præben. ne quis mortem alterius desiderare possit, si sciat in eius locum se suffectum iri.

Notandum tertio; Interdum accidit, vt Ecclesiasticum beneficium vacet de iure tantùm, & non de facto: quo casu, si possessio beneficii manifestò iniusta sit, nulla eius ratio habenda; sed perinde alteri conferri potest, ac si nemo in possessione existat. Sin verò possessio eius colorata sit, non censetur vacare de facto; esto fortasse vacet de iure: quare in hoc casu possessor priùs de possessione amouendus est, quàm beneficium alteri conferatur: neque ipse Papa præsumitur alicui beneficium conferre velle, in cuius colorata possessione alius existit, nisi priùs de iure possessionis cognoscatur, sicuti docet Abb. in c. cùm nostris, de concess. præbendæ. His positis, dicendum est, quinam ordinarii beneficiorum collatores sint.

Collator supremus & vniuersalis omnium beneficiorum, seu libera sint, seu non libera, aut electiua, est Papa c. 2. de præb. in 6. Clement. I. vt lite pendente. Quia ipse est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Superior omnium Clericorum & Episcoporum, adeóque *Ordinarius* siue *Episcopus Episcoporum*, sicuti antiquitus appellari solitus erat apud Baron. Anno Christi 142. n. 4. & An. 216. n. 4. Seuerinum Binium in notis Concilii Carthag. sub Cypriano Episcopo. Vide etiam c. cuncta per mundum, c. per principalem, 9. q. 3. Gl. in c. felicis, ver. priuata, de pœnis, in 6.

Tribus potissimùm modis Papa beneficia conferre solet, teste Rebuf. in praxi, tit. de deuolutionibus, §. 46. Primò. *Iure præuentionis*, cum alicui confert gra- 2
tiam expectatiuam, ad beneficium primò vacaturum, iuxta c. dudum, de præb. in 6. Quod speciale est priuilegium Papæ, neque alteri concessum, beneficium nondum vacans certæ personæ promittere, & ad illud ius dare, sicuti constat ex c. dilectus, 1. de præb. c. relatum, de concessione præbend. & c. 2. eod. in 6. Idque ne occasiò captetur alteri mortem machinandi, sicuti notauit Abb. in cit. c. dilectus, n. 3. Quo cum non pugnat, quin receptus in canonicum cum promissione præbendæ, eandem exigere possit, cùm occasio se obtulerit, iuxta cap. relatum de præb. iun. Gl. ver. in promissis, & altera Gl. c. 2. de concess. præb. in 6. quia recepto in canonicum de iure præbenda debetur, oblata occasione, iuxta cit. c. dilectus, de præb. & docet Abb. in c. cùm super, n. 5. de concess. præb. Ergo meritò eam postulat, non ex vi promissionis præcisè; sed ratione obtentæ canonicæ: incongruum enim est, vt canonicus sine præbenda sit. ait Abb. in cit. c. relatum, n. 6. Vbi tamen monet, si post illius receptionem, alius receptus fuit ex mandato Papæ, hunc illi in assecutione præbendæ præferendum esse, iuxta c. hi qui. de præb. in 6. Quia licet alter sit prior tempore, non tamen habet ius per se ac directè ad beneficium primò vacaturum, sicuti posterior. Quare in tali casu collatio præbendæ vacantis validè ab Episcopo, vel Capitulo fieri posset ad excludendam personam, quæ ab ipsis recepta fuerat; non item ad excludẽdam personam, quæ auctoritate Papæ recepta erat, cum expectatione præbendæ primò vacaturæ, sicuti notauit Abb. c. inter cetera, n. 6. de præb.

Præterea, Legatus à latere, licet ius ad beneficium vacaturum nemini dare possit, non tamen prohibetur beneficium vacaturum reseruare suæ collationi, etiam pro certa persona, iuxta c. cùm dilectus, de iure patron. c. pen. de offic. Legati, in 6. Quia per talem reseruationem nihil iuris acquiritur personæ illi: quandoquidem Legatus propositum mutare, & alteri conferre non prohibetur, sicuti notauit Abb. in c. dilectus, 1. n. de præb. & Azor cit. c. 25. q. 6.

Secundò, *Iure concursus*: nam Papa concurrit cum quolibet Ordinario in potestate & iurisdictione, ait Rebuf. l. c. nu. 47. Abb. in c. quia diuersitatem. nu. 5. de conceff. præb. in quo habetur, Papam vacantia beneficia conferre posse, etiam nulla interueniente desidia, vel negligentia inferioris Ordinarii collatoris. Nam quamuis Papa potestatem conferendi Ordinariis dederit, sibi tamen maiorem reseruauit, iuxta c. dudum, §. nos igitur, de elect. in 6. Quapropter inter Papam & reliquos inferiores Ordinarios datur locus præuentioni; ita, vt qui prior contulit, eius collatio rata sit: sin verò dubium, quæ collatio priùs facta fuerit, potior erit conditio possidentis. Si autem neuter ex prouisis possideat, is cui Papa, eiúsue Legatus contulit, erit alteri, propter conferentis ampliorem prærogatiuam, præferendus. Ita habetur in c. si à Sede, de præb. in 6.

3 Ad vitandam verò confusionem in concordatis Germaniæ inter Sedem Apostolicam & Fridericum Imperatorem, per constit. Nicolai V. quæ incipit *Ad sacra* & alterni menses Pontificiæ collationi reseruantur; videlicet Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, September, Nouember; vt beneficia tam curata, quàm non curata, si in his mensibus vacent, ab ipso conferri debeant: Reliqui verò menses Ordinariis collatoribus relinquuntur. Permittitur insuper, vt si post tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, nulla dispositio vel gratia Papalis appareat, Ordinarius ad collationem liberè procedere possit. Quamquam si appareat, Papam intra tres menses prouidisse, licet prouisio ad locum beneficii non peruenerit, præsertim sine culpa prouisi, collatio Papæ haud dubiè acceptanda est, sicuti colligitur ex declaratione Greg. XIII. in Bulla 42. *Quæ in Ecclesia*. Præterquam, quòd Papa ex plenitudine potestatis suæ, etiam derogare possit concordatis, atque post trimestre tempus in mensibus sibi reseruatis; quin imò etiam in mensibus Ordinariorum, beneficia conferre: licet id non soleat sine grauissima causa; sicuti nec præiudicare solet iis, quibus ius quæsitũ est. Videri potest Georg. Branden super concordata Germaniæ, q. 8. & q. 12. prope finem, & eiusdem notab. 1. Garcias p. 5. c. 1. num. 15. & seqq.

Cæterùm ea beneficia patronata, in quibus ius præsentandi ad laicum pertinet ex constructione, fundatione, dotatione, non solet Papa facilè sibi reseruare, aut præueniendo conferre: quare necesse est in literis Apostolicis specialem mentionem fieri derogationis iuris patronatus laicorum: alioquin ea non præsumitur, sicuti ex communi docet Rebuf. num. 50. Couar. in pract. qq. c. 36. Garcias p. 5. de beneficiis, c. 1. n. 571. Leff. c. 34. dub. 8.

Tertiò conferuntur beneficia à Sum. Pontifice iure deuolutionis, de quo dicam c. seq.

4 Post Papam, Episcopus est ordinarius collator beneficiorum tam patronatorum, quàm liberorum, existentium in diœcesi sua, sicuti constat ex c. 1. de capel. Monach. c. cùm & plantare, §. in Ecclesiis, de priuileg. c. cum ex iniuncto, in fine, de hæreticis, vbi Abb. n. 2. admonet, quòd Episcopus fundatam intentionem habeat super institutione, ac destitutione in beneficijs suæ diœcesis: Si autem alius sibi vendicat, probare debet iure speciali id sibi competere. Et quod dico de Episcopis, intelligi etiam debet de Prælatis similem Episcopali iurisdictionem obtinentibus, qui videlicet pleno iure ab Episcopo exempti sunt, etiam quoad populum: nam & his institutio, ac destitutio beneficiorum competit sine dependentia ab Episcopis, sicuti notauit Gl. in c. vn. de Capellis Monach. ver. ipsis, Abb. c. in Lateranensi, n. 4. de præben.

Porro Episcopus in collatione beneficiorum adhibere debet consilium, imò etiam consensum Capituli: alioquin irritam fore institutionem, significatur in c. nouit, de his quæ fiunt à Prælatis &c. iun. Gl. ver. carere. C. ea nôscitur, eod. tit. habetur; Quòd Prælatus regularis, ad quem ius præsentandi spectat, cum consensu Monachorum repræsentare debeat; alioquin firmitatem non obtineant. Vbi tamen excipitur, nisi legitimè præscripta consuetudine, aut priuilegio obtinuerit Prælatus, vt sine Capituli consensu præsentare possit. Imò in c. cùm Ecclesia. de electione defenditur consuetudo Tusciæ, vt in Cathedralibus Ecclesijs solum Capitulum, irrequisito Episcopo, eligendi Canonicos habeat potestatem. Qua simili ratione ait Abb. in cit. c. cum ecclesia, &c. officij, in fine, de elect. Susceptionem Monachi communi iure pertinere ad Abbatem cum consilio, vel etiam consensu Conuentus, per cõsuetudinem verò obtineri posse, vt ad solum Conuentum pertineat. Denique quod de Prælatis Episcopo subiectis habetur in cit. c. vn. & cit. c. in Lateranensi, &c. ea noscitur, De his quæ fiunt à Prælatis &c. vt Clericos ad Ecclesias sibi subiectas cum Capituli sui consensu præsentent Episcopo, à quo instituantur; id limitari debet, nisi institutio, vel collatio iure speciali ad ipsosmet pertineat, sicuti annotauit. Abb. c. ex frequentibus, nu. 2. & c. vlt. de institut.

Capitulum, vacante Sede Episcopali, tametsi conferre non possit beneficia libera, si eorum collatio ad solum Episcopum spectet, sicutit notat Gl. recepta in c. his quæ, de maior. & obed. & dixi lib. 1. tra. 4. cap. 7. num. 13. Quia talis collatio est veluti species donationis ac gratiæ, iuxta c. relatum, de præbend. & notauit Gl. in c. 1. de Instit. in 6. ver. non possit. Abb. in c. cùm olim, nu. 2. de maior. & obed. Nihilominus potest Capitulum, vacante Sede, à Patronis præsentatos ad beneficia instituere, vti habetur in cit. c. 1. & electos confirmare, vel ob causam iustam infirmare, iuxta c. cum olim, de maior. & obed. Item recipere beneficii resignationem, non liberam, sed quæ sit causa permutationis, sicuti docet Rebuffus tit. de reuolut. n. 95. Garcias p. 5. c. 7. num. 72. Denique causa exigente, Capitulum beneficia vnire potest, dummodo nihil detrahatur iuri Episcopali, sicuti docet Petrus de Perusio, de vnionibus c. 4. n. 29. Rebuffus n. 100. Horum omnium ratio est: Quia iura, vacante Sede, indulgent Capitulo episcopalem iurisdictionem, causa necessitatis; ne ex defectu Superioris, periculum generetur, sicuti notat Gl. cit. in c. his quæ, ver. pro bono pacis. Abb. in c. 2. Ne sede vacante &c. Rebuff. n. 86. Garcias cit. c. 7. n. 55. 5

Eadémque ratione Vicarius generalis Episcopi, quamuis generale mandatum habeat, beneficia tamen conferre non potest, nisi id speciatim concessum sit, c. fin. de offic. Vicarii, in 6. vbi ratio additur, *quia regulariter donare non potest is, cui bonorum administratio etiam libera commissa est.* Quare neque poterit Vicarius sine speciali mandato præsentare ad beneficium, cuius patronus Episcopus est, sicuti notauit Garcias p. 5. c. 8. n. 82. Nam vtrumque tam conferre, quàm præsentare est genus gratiæ & liberalitatis. Nihilominus concessum est Vicario instituere præsentatos, iuxta c. ex frequentibus, de Institution. iun. Gl. Abb. cit. c. cùm olim, n. 2. de maior. & obed. Couar. 3. resol. c. 20. n. 7. Et confirmare electos, secundum Gl. in cit. c. fin. ver. non possunt, Garciam n. 84. Item conferre beneficia vacantia ex causa permutationis, si habeat ab Episcopo facultatem recipiendi resignationes, sicut docet Zecchus de benef. & pension c. 2. Garcias n. 104. arg. c. vn. de rerum permutat. & clem. vn. eod. tit. Quia hi omnes actus sunt necessitatis, & iustitiæ, vt specialem concessionem non desiderent. Veruntamen nihil obstat, quin Episcopus speciale mandatum, vel etiam generale, *cum libera*, vt vocant, tribuat Vicario suo conferendi beneficia, & alias meras gratias nomine ipsius Episcopi. 6

Præterea Legati à latere communi iure concurrunt
7 cum Ordinario in collatione beneficiorum, ita vt inter eos locus sit præuentioni, iuxta c. si à sede, de præbend. in 6. & c. 1. de officio Legati, in 6. Idque extendendum est primò; Quod conferre possit beneficia vacantia in sua prouincia, etiamsi sint de iure patronatus Ecclesiastici, c. dilectus, de offic. Legati, c. cùm dilectus, de iure patronatus. Non item quæ sunt iuris patronatus Laicorum, nisi ea deuoluta sint ad Episcopum, propter negligentiam præsentatoris laici, sicuti docet Gl. in Clem. per literas ver. Apostolicis, de præb. Selua p. 2. q. 3. n. 47. Garcias p. 5. c. 3. n. 63. Secundò, etiam ea, quæ spectant ad exemptorum collationem; quippe in quos iurisdictionem habet, iuxta c. 1. de verbor. signif. in 6. Tertiò etiam ea, quæ ad Papam deuoluta; sed eidem non reseruata sunt, teste Gl. communiter recepta in cit. c. 1. de offic. leg. in 6. ver. ampliori. Abb. in c. penult n. 2. de præb. Syl. ver. delegatus, quæst. 13. Zecchо cit. c. 2. Limitationes verò huius potestatis competentis Legato ad conferenda, aut reseruanda beneficia, vide in c. præsenti, & c. deliberatione, de offic. Legati, in 6. Aliis porro nunciis, siue Legatis non à latere, sine speciali mandato, beneficia conferre concessum non est, sicuti habetur expressè in cit. c. 1. Nisi sint nuncii cum potestate Legati à latere, sicut docet Zecchus ibid. Garcias num. 81.

CAP. XI.

DE BENEFICIORVM RESERuationibus, ac deuolutionibus.

SVMMARIVM.

1 *Papæ reseruata beneficia sunt: I. Dignitates in Ecclesiis maxima post Episcopatum II. Beneficia, quæ vacant per promotionem ad alterum, cuius collatio ad Papam spectat III. Beneficia Cardinalium, Curialium, & Familiarium Papæ, IV. Quæ vacant per obitum legatorum, cursorum, & ad curiam accedentium, vel recedentium, V. Quæ vacant per depositionem, priuationem, translationem auctoritate Pontificis factam.*

2 *Reseruationes Papales locum non habent in beneficiis, quæ sunt iuris patronatus laicorum ex fundatione, constructione, dotatione.*

3 *Imperator Romanus in qualibet Ecclesia preces primarias offerre potest.*

4 *Si collator beneficium scienter conferat indigno; vel si electores scienter eligant indignum, collatio vel electio irrita est: & collator, vel electores priuantur ea vice potestate conferendi, eligendi.*

5 *Deuolutio collationis beneficiorum interdum fit immediatè ad Papam; interdum verò fit gradatim ab vno Superiore ad alterum.*

1 QVOD ad primum attinet; Beneficium reseruatum esse dicitur, cuius collationem Superior, videlicet Papa, sibi propriam vendicat, vt ab aliis Ordinariis conferri non possit. Hac ratione Sum. Pontifex in primis sibi reseruat collationem dignitatum, quæ post Episcopalem maiores sunt in Ecclesiis Cathedralibus, videlicet apud nos Præpositturæ: Item collationem dignitatum principalium (quæ itidem apud nos sunt Præpositturæ) in Ecclesiis Collegiatis, sicuti habetur in reg. 3. Cancellariæ, apud Mendosam, q. 21. Garciam p. 5. c. 1. n. 256. Quamquam aliquæ Ecclesiæ speciale indultum Sedis Apostolicæ habent, eligendi Præpositum, vt Augustana Cathedralis.

Secundò reseruat sibi Papa beneficia quæcunque promouendorum, id est, quæ vacant per assecutionẽ alterius beneficii, aut dignitatis (v. g. Episcopalis) ab ipsomet Papa conferendæ, iuxta reg. Cancellar. & extrauag. Ad regimen, de præben. Neque refert, etsi dignitas electiua sit; sicuti in Germania Capitulum Cathedrale ius habet Episcopum eligendi: si quidem per electionem talem non censetur vacare beneficium priùs habitum ab electo; sed primùm accedente confirmatione Papali, adepta etiam possessione, sicuti docet Garcias p. 11. cap. 6. n. 5. Georg. Branden super concordata German. q. 7. & 9. & notab. 3. & satis constat ex cit. extrauag. Ad regimen, atque ex Concordatis per Nicolaum V. Quin imò reseruatio ista Papalis locum habet, quotiescunque Papa beneficium confert alicui, habenti alterùm incompatibile, huius enim ipso iure vacantis collatio Papæ reseruatur, sicuti colligitur ex cit. extrauag. Ad regimen, & notat Garcias p. 11. cap. 5. num. 51.

Tertiò reseruantur omnia beneficia Cardinalium, & Curialium, seu Familiarium Papæ, tametsi extra curiam vacent: vt si Curiales extra curiam moriantur, sicuti colligitur ex cit. extrauag. Ad regimen, & cit. Bulla. Nicol. vbi id declarat Georg. Branden. q. 6. idémque sentit Æn. de Falconibus, de reseruat. q. 3. princip. nu. 15. Adde, in regula Cancellariæ 3. reseruari etiam beneficia familiarium alicuius Cardinalis. Neque refert, etsi tempore obitus non sint amplius officiales; sed dimiserint officium: quia beneficia postquam semel affecta sunt reseruatione Papali, semper manent affecta, sicuti notauit Iacob. Menoch. de arbitrar. qq. cent. 3. casu. 1. num. 111. Gaspar de Perus. de reseruat. summar. 2. num. 13. Æn. de Falconibus de reseruat. q. 4. effectu 17.

Quartò, Reseruat sibi Papa beneficia, quæ vacant per obitum legatorum, & cursorum suorum; item aliorum quorumcunque ad Curiam accedentium, vel inde redeuntium; si in curia, vel in locis vltra dietas à curia non distantibus moriantur. Ita habetur in cit. extrauag. Ad regimen, & cit. c. præsenti, & in cit. Bulla Nicol. V. Ad sacram. Et dicitur tunc beneficium *in curia vacare*, seu apud Sedem Apostolicam, vt specialiter affectum, eiusque collatio Papæ reseruata censeatur; adeò quidem, vt facta alicui potestate reseruandi, aut conferendi beneficia, non censeantur comprehendi ea, quæ in curia vacant, sicuti habetur expressè in c. 2. de præben. in 6. & docet Æn. de Falconib. de reseruat. beneficior. q. 4. effectu 6.

Quintò reseruat sibi beneficia omnia, quæ vacant per depositionem, priuationem, vel translationem auctoritate Sedis Apostolicæ factam: Item ea, ad quæ aliqui in concordia, vel discordia electi, seu postulati sunt; si electio cassata, vel postulatio repulsa, aut renuntiatio ab iis facta, & admissa per eandem Apostolicam auctoritatem fuerit, cit. extrauag. ad regimen, & Bulla concordat Nicol. V. Atque hæc itidem beneficia in curia vacare censentur.

Veruntamen in c. si Apostolica, de præbendis, in 6. specialiter à Bonifacio VIII. constitutum est de beneficiis curatis, seu Parochialibus; vt si ea apud Sedem, siue in curia dictis modis vacare contigerit, vacante Sede Apostolica, Ordinarii liberè conferre possint. Idémque faciendum, licet viuente Pontifice talia beneficia vacârint, si ante obitum suum nihil de iis disposuit. Idque speciale indultum esse, ob fauorem, ne cura animarum diu vacare debeat, notauit Gl. ibid. Ideóque ad alia beneficia reseruata transferri non debet, in quibus proinde regula hæc locum habet: Quæcunque beneficia Papali reseruatione, aut quacunque dispositione seu manus appositione semel affecta sunt, de iis postea disponere Ordinarius omnimode prohibetur, iuxta extrauag. Ad Romani, de præben. & videri potest Gaspar de Perus. de reseruat. benefic. prælud. 3. Rebuf. forma nouæ prouis. §. dummodo tempore datæ. Quamuis Gl. in c. statutum, de præb. in 6. velit, adhuc hodie locum esse constitutioni illi Greg. X. vt si Papa beneficium in curia

curia vacans intra mensem à die vacationis, non conferat, Ordinarius ad eius collationem procedere possit: Alii tamen apud Garciam p. 5. c. 1. num. 100. notârunt, dictæ extrauag. postea derogatum fuisse per extrauag. Ad regimen, quæ est Benedicti XII.

Denique reseruat sibi Papa alia omnia beneficia in mensibus alternis Pontificiis; vt suprà dictum est, & habetur etiam in reg. Cancellariæ, sicuti videre est apud Garciam p. 5. c. 1. n. 638. Est autem hæc mensium reseruatio personalis, ita vt mortuo Pontifice expiret, atque Ordinarius, dum Sedes Apostolica vacat, omnibus mensibus conferre possit, teste Garcia n. 645.

Porrò hæ reseruationes Papales, quatenus derogati uæ sunt ordinariæ collationis Episcoporum, restringi debent: I. Vt locum tantùm habeant in beneficiis perpetuis, non in manualibus, seu ad nutum amobilibus, sicuti docet Æn. de Falconib. de reseruat. benef. q. 3. n. 25.

II. Vt locum non habeant in beneficiis Ecclesiæ non numeratæ, sed receptiuæ; id est, in qua non est certus numerus beneficiorum: si quidem talia beneficia nunquam censentur vacare, vti notat Gaspar de Perusio de reseruat. summar. vlt. n. 5. Garcias n. 50.

3 III. Reseruationes Papales locum non habent in beneficiis, quæ sunt iuris patronatus laicorum ex fundatione, constructione, dotatione, sicuti ex communi docent Æn. de Falcon. q. 4. effectu 14. Couar. in pract. qq. c. 36. n. 2. Rochus Curtius de iure patron. ver. competens, q. 24. n. 56. Garcias n. 571. Comprehenduntur verò, & reseruantur beneficia, quæ sunt iuris patronatus Ecclesiastici; vel in quibus ius præsentandi laicis competit ex priuilegio, aut præscriptione fundata in priuilegio, sicuti notat Couar. n. 6. Garcias n. 573. & 580 Gaspar. de Peruf. de reseruat. summar. 2. n. 5 ex c. 2. de præb. in 6. Quia Papa non censetur iuri laicorum ex fundatione, vel dotatione acquisito præiudicare velle, nisi id speciatim exprimat.

IV. Sub reseruatione non comprehenduntur beneficia resignata causâ permutationis: quia non censentur propriè vacare, sicuti ex communi docet Gaspar de Peruf. loco cit. & summar. 3. n. 4. Æn. de Falconib. q. 3. n. 5. Imò aliqui existimant, neque ea semper sub reseruatione comprehendi, quæ vacant causa resignationis. Sic enim Georgius Branden q. 12. super concordata existimat, mensem Pontificium locum non habere in beneficiis renunciatis.

Ad extremum scire oportet, etiam Romanum Imperatorem ex Pontificio priuilegio, & antiquissima consuetudine, posse in quauis Ecclesia semel preces offerre primarias, quæ admitti debeant ad hoc, vt beneficium in illa vacans, vel proximè vacaturum personæ ab ipso Imperatore nominatæ conferatur. quæ & ipsa species quædam reseruationis est, ex Pontificio indulto, sicuti notauit Thom. Campegius de reseruat. benefic. nu. 3.

4 Quod ad alterum attinet, videlicet beneficiorum deuolutionem; in primis dicendum: Si collator beneficium indigno scienter conferat; vel electores, puta Capitulum, scienter eligant indignum, id est, incapacem, seu impedimento canonico laborantem, talis collatio seu electio ipso iure irrita est; & collator, vel electores priuantur ea vice potestate conferendi, eligendi; & deuoluitur potestas ad alium, plerumque ad proximum Superiorem. Ita de collatore colligitur ex cap. cùm in cunctis, §. Clerici, iun. Gl. ver. conferendis, c. nihil est, ver. canonicam, de elect. & docet Abb. in cit. c §. Clerici, n. 4. c. dudum, 1. num. 11. eod. tit. De electoribus verò indignum scienter eligentibus, habetur expressè in cit. c. cùm in cunctis, §. Clerici, c. innotuit, c. cùm Vvintoniensis, c. scriptum, de elect. c. si compromissarius, c. quamquam, eod. in 6.

Vt autem in specie sciatur, quid de hac re sentiendum; ita distingue: Si Ecclesiæ Cathedralis Canonici 5 Episcopum indignum scienter elegerunt, collatio deuoluitur ad Papam, sicuti habetur in cit. c. quamquam, Quod limita, nisi pars Canonicorum, licet minor, contradicat: tunc penes ipsos pauciores remanebit ius eligendi, iuxta c. gratum, de postulat. Prælat. vbi Abb. n. 5. vniuersim notat: *Si plures è Capitulo sint inhabiles, puta excommunicati suspensi, totum ius siue potentia Capitularis residet penes inhabiles.* In aliis verò inferioribus beneficiis, in quibus eligendi, vel confirmandi potestas ad Capitulum pertinet, deuolutio fit ad Episcopum, propter negligentiam vel delictum Capituli, sicut constat ex cit §. Clerici, cit. c. quamquam, &c. 2. de concess. præb. Idémque dicendum, si alius inferior, puta Abbas non exemptus, beneficia conferre tempore statuto neglexit, vel indigno contulit, deuolui potestatem ad Episcopum, sicuti colligitur ex Clem. vn. de supplen. neglig. Prælat. & docet Abbas cit n. 5. Quòd si etiam Episcopus deficiat, fit deuolutio gradatim ad Superiorem; puta ad Metropolitanum; ab hoc ad Papam, arg. c. Ne pro defectu, de elect. Loquimur de subiectis Episcopo: At verò, si collator, vel electores exēpti negligentiam, aliúmue defectum committant, ob quem iure suo priuentur, potestas deuoluitur ad Papam, sicuti constat ex c. cùm singulo, §. prohibemus, de præb. in 6. vbi prohibetur, ne prioratus & administrationes vnius Monasterii alterius Monasterii Monachis committantur; alioquin ordinatores ea vice facultate ordinandi priuati sunt, & potestas ad Episcopum, vel, si ii exempti sunt, ad Sum. Pontificem deuoluatur.

Veruntamen in Clem. vn. de supplenda negligentia Prælatorum, decernitur, vt ad Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatū, deuoluātur beneficia omnia tum secularia, tum regularia, in ipsius diœcesi sita, quæ Prælati regulares intra sex menses conferre neglexerūt. Neque in hoc casu deuolutionis, & collationis concurrere potest legatus Papæ: quandoquidem Episcopus habet delegationem specialem, cui non derogat delegatio generalis, sicuti annotauit Petr. Rebuffus in praxi, tit. de deuolution. num. 38.

Sin autem Episcopus negligentiam, vel delictum committat in conferendis beneficiis, quæ ad ipsum spectant iure proprio, & non deuoluto; tunc ius collationis ad Capitulum deuoluitur, iuxta cit. c. cùm in cunctis, &c. 2. de concess. præb. Vbi ratio diuersitatis notanda est ex Abb. in cit. §. Clerici, num. 5. *inter beneficia spectantia ad Episcopum iure proprio, & iure deuoluto; quòd non est tanta communio inter Episcopum & Capitulum in beneficiis deuolutis; sicuti in beneficiis spectantibus iure proprio. Nam in deuolutis Episcopus vtitur potestate, tanquam superior illius, à quo est facta deuolutio: ideo Capitulum non habet in iis communionem; & meritò ad alium superiorem fit deuolutio, argum. c. licet, &c. fin. de suppl. negl. Prælatorum. Sed in beneficiis propriis est communio inter eos: cum Episcopus vnum corpus faciat cum Capitulo suo.* Quare idem Abb. annotauit in c. ne pro defectu, num 6. de elect. Quòd Prælatus in expeditione eorum, quæ ad ipsum spectant iure deuoluto, non ita tenetur requirere consilium vel consensum Capituli; sicut in aliis.

Deinde dicendum, quod iam insinuatum fuit, deuolutionem potestatis fieri propter negligentiam, siue conferendi, aut eligendi moram. Si enim beneficia infra episcopatum, & Prælaturam regularem, intra sex menses, à die scientiæ numerandos, cessante legitimo impedimento non conferantur, fit deuolutio ab Episcopo ad Capitulum, & vice versa, & ab his ad Metropolitanum, sicuti suprà dictum est, & habetur in cap. licet, &c. vlt. de suppl. negl. Prælatorum, cap. 2. cap. dilectus, de concess. præb. iun. e. quia diuersitatem, eod. tit. vbi dicitur: *Tempus autem semestre non à tempore*

vacationis præbendarum, sed notitiæ ipsius, volumus cõputari.

De Cathedralis autem, & regularis Prælati electione ita habetur in cit. c. ne pro defectu, sumpto ex eod. Lateran. Concilio, c. 23. *Statuimus, vt vltra tres menses Cathedralis, vel regularis Ecclesiæ Prælato non vacet: Infra quos (iusto impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice: ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse digno scitur, deuoluatur.* Fit igitur deuolutio gradatim: sed alia ratio est, si electio Episcopi propter delictum deuoluatur; vel quia ipso iure irrita est, si indignus electus sit; vel per sententiam infirmetur, ob formam electionis non seruatam. tunc non ad Metropolitanum, sed statim ad Papam deuolutio fit, vt supra dictum ex c. quamquam, eod. in 6.

Denique adiicimus, causam harum, tum Papalium reseruationum, tum deuolutionum, hanc etiam esse, vt Ecclesiarum communicatio ac subordinatio tam inter se, quàm cum Romana omnium matre, & clariùs ostẽdatur, & faciliùs conseruetur. Vide Lessium cap. 34. dub. 10. num. 48.

CAP. XII.

DE BENEFICIIS ELECTIVIS.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia propriè electiua sunt prælatura; seu in quibus aliquis instituitur, vt sit caput Ecclesiæ.*

2 *Electus ante confirmationem non habet quasi dominium beneficij, ad quod electus est: quare interim administrationem vsurpare non debet, neque priora eius beneficia vacare censentur.*

3 *Electio iure communi ad Collegium spectat, ex consuetudine interdum ad alios.*

Sufficit electorem esse in quasi possessionem iuris eligendi, licet postea ab eo euincatur.

4 *Omnes qui ius eligendi habent, ad electionem vocandi sunt.*

5 *Electus intra trimestre spatium confirmationem petere debet; alioquin electio cessat.*

6 *Tres sunt modi seu forma eligendi: I. Per scrutinium. II. Per compromissum III. Quasi per diuinam inspirationem.*

7 *Compromissarij vnum ex seipsis eligere non prohibentur.*

8 *Postulatio cum electione partim conuenit; partim autem discrepat.*

9 *Beneficiati Episcopo inferiores ad episcopatum eligi non prohibentur; sed Episcopus ad alium episcopatum postulari debet.*

10 *Postulantes variare possunt, seu mutare consilium, priusquam postulatio Superiori præsentata est: cùm nullum adhuc ius acquisitum sit ei, in cuius gratiam postulatio concepta est.*

VBERIVS dictum est de institutionibus beneficiorum generatim; & speciatim de beneficiis collatiuis, seu liberis: nunc autem ex instituto de electiuis agendum.

1 QVÆSTIO PRIMA. Quid sit electio, aut beneficium electiuum? Respondeo ex doctrina Gl. in c. quia propter, de elect. ver. Ecclesiis viduatis: Beneficium electiuum latè appellatur omne illud, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia, & alterius confirmationem: quo modo in quibusdam Ecclesiis non tantum Collegiatis, sed etiam Cathedralibus, dignitas, v. g. Decanatus, electiua est, & confirmatio ad Episcopum pertinet. Verùm talia beneficia nomine electiuorum propriè non comprehenduntur, sicuti notauit Zecchus c. 4. de beneficiis, num. 1. Azor to. 2. lib. 6. cap. 14. quæst. 2. sed solùm ea, quæ prælaturæ sunt, seu in quibus aliquis instituitur, vt sit caput Collegii, & quasi sponsus Ecclesiæ secularis, aut regularis. Quare electio propriè & strictè sumpta definitur ex cit. cap. quia propter, *alicuius personæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem canonica*
2 *vocatio.*

Dicitur *vocatio*, non institutio: quia non tribuit electo ius in re, & quasi dominium beneficii, sed tantùm ius ad rem: quare opus est Superioris confirmatione, per quam plenum ius in beneficio acquiritur. Ex quo sequitur primò; Si electus ante confirmationem moriatur, quòd beneficium vacare censetur per mortem non huius; sed prioris Prælati, sicuti videre licet apud Seluam, de beneficiis, p. 3. q. 1. n. 6.

Secundò; Quòd electus ante confirmationem, beneficii administrationem vsurpare non debeat, c. nosti, c. qualiter, vbi Gl. verbo administrationi, de elect. alioquin, priuatur iure ex electione quæsito, cap. auaritiæ, eod. in 6. Sed neque confirmato, dum alius in possessione est, competit administratio seu episcopalis iurisdictionis exercitium: quia possessorem propria auctoritate spoliare non licet, sicuti notat Abb. in c. transmissam, num. 3. de elect. Adde, quòd in extrauag. 1. de elect. decernitur; vt Episcopi, & Prælati alii omnes, qui à Sede Apostolica promoueri, confirmari; aut consecrari debent, si ante literas acceptas authenticas, Ecclesiam administrare incipiant, fructuum perceptione priuantur, & eorum acta irrita sunt. Capitula verò, Conuentus, & quicunque alii eiusmodi Prælatos recipiunt, aut eis obediunt, à beneficiis suis suspenduntur.

Tertiò, quòd beneficia electi non vacant nisi post confirmationem, imò etiam subsecutam consecrationem, vel saltem post elapsum trimestre tempus à sacris canonibus ad consecrationem definitum, sicuti colligitur ex c. cùm in cunctis, §. cùm verò, de elect. Quòd si confirmatus Episcopus, post eius temporis lapsum, possessionem episcopatus consecutus non est, licet eius alia beneficia vacent quoad titulum; non tamen quoad effectum possessionis & administrationis; quippe quæ interea ipsemet possidet quomodo neque prioris parochialis Ecclesiæ possessio, & iurisdictio amittitur, priusquam Parochus capiat possessionem secundi incompatibilis, sicut docet Nau. lib. 1. consil. 14. de elect. edit. 2. Henriq. lib. 10. c. 34. n. 1.

Quartò, percussor Episcopi electi non incurrit excommunicationem XII. Bullæ Cœnæ, imò nec confirmati ante eius consecrationem, sicuti docet Nau. c. 3. man. num. 67. Henriq. lib. 10. c. 34. & videri potest Gl. in Clem. dignum, de celebr. missarum.

Additur in definitione *canonica*, siue solemnis vocatio: quia in ea obseruare oportet formam à sacris canonibus præscriptam in c. quia propter, iun. Gl. verbo sanior, de electione. Cæteræ definitionis particulæ ex suprà dictis intelliguntur.

QVÆSTIO SECVNDA. Quibus ius eligendi competat? Respondeo, & dico I. Communi iure electio ad Collegium spectat. Ita habetur in c. 1. de elect. 3
c. congregatio, 10. q. vlt. Etiamsi duo tantùm, vel tres in Capitulo, vel Collegio sint, sicuti colligitur ex cit. c. 1. iun. Gl. ver. duo. Quòd si nemo adsit præter vnum, aliis mortuis, vel priuatis, etiam in illo vno ius vniuersitatis permanere, testatur Gl. communiter recepta in c. 2. de postul. Prælatorum, ver. pauciores: quamuis seipsum eligere non possit, quia ambitionis notaretur, arg. c. per nostras, de iure patron. & docet Syl. ver. electio, q. 1.

Dico II. Ex consuetudine, vel priuilegio etiam alii, qui non sunt è Collegio, ius eligendi Prælatum consequi possunt, iuxta c. Cumana, iun. Gl. ver. consuetudine, de elect.

Dico III. Qui est in quasi possessione iuris eligendi, conferendi, vel præsentandi, eius electio, collatio, præsentatio rata est; licet postea in iudicio ab illo euincatur, sicuti habetur in cap. querelam, de elect. cap. consultationibus, de iure patronatus, c. cùm olim, de causa possess. Quapropter qui à pacifico possessore electus, præsentatus, vel institutus est, præfertur alteri electo, præsentato, instituto à proprietatem habente, sicuti

ex communi docet Abb. in cit. c. quærelam, num. 5. & cit. cap. Cumana, n. 4. Couar. 1. resol. c. 3. n. 6. Ratio esse videtur: Quia bonæ fidei possessor fructus validè alienat: electio autem, institutio, præsentatio sunt quasi fructus iuris beneficii, aut patronatus, sicuti notauit Garcias p. 5. c. 5. n. 1. Abb. cit. cap. consultationibus, n. 3

Dico IV. Potestatem eligendi habere non possunt; I. Excommunicatus, c. constitutis, 1. de apell. II. Suspensus ab officio, c. cùm dilectus, de consuet. c. cùm inter, de elect. III. Irregularis, sicuti colligitur ex c. is qui, §. vlt. de sent. excom. in 9. IV. Qui in loco interdicto scienter celebrauit, cit. §. vlt. V. Eligentes scienter indignum, seu incapacem, c. cùm in cunctis, de elect. vbi decernitur, quòd eligentes Episcopum, qui trigesimum ætatis annum non exigit; vel ex legitimo matrimonio natus non est; vel vita, aut scientia non commendatus; Item eligẽtes Decanum, Archidiaconum, aliúmue Curatum, qui XXV. ætatis annum non attigit; aut scientia, & moribus commendatus non est, ea vice à iure eligendi, & beneficiis, quæ in eadem Ecclesia obtinent, per triennium suspensi sint. VI. Qui per abusum admissæ secularis potestatis elegerunt: quo casu ab officiis quoque, & beneficiis in triennium suspendendi sunt, c. quisquis, de elect. iun. Gl. ver. suspendantur, & Abb. n. 8. de elect. Innoc. c. cùm in cunctis, §. clerici, eod tit. VII. Qui tribus mensibus Prælatum eligere neglexerunt, priuati sunt ea vice, c. ne pro defectu, eod. De quo dixi ca. præced. in fine. VIII. Impuberes, c. ex eo quod, de ele. in 6. Imò necesse est eos, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis suffragia dant, vicesimum secundum ætatis annum attigisse; cùm debeant esse subdiaconi, Clem. vt ii qui, de ætate & qualitate. qui ordo ante dictam ætatem conferri non debet, post Trident. constit. sess. 23. c. 12. de reformat. IX. Qui in Ecclesiis regularibus, vel Monasteriis expressè, vel tacitè professi non sunt; itẽ laici conuersi electionibus interesse nõ possunt, c. ex eo, quod, §. vlt. de elect. in 6. Quapropter tales inhabiles ab electione repelli debent: si autem de eorum habilitate dubitetur, admitti possunt, cum protestatione, quòd eorum suffragia non plus valeant, quàm de iure debeant, sicuti docent Doctores in c. Cumana, vbi Abb. num. 2. de elect.

4 QVÆSTIO TERTIA. Quæ formæ, quíue modus in electione obseruandus sit; Respondeo ex cit. c. quia propter, & dico I. Omnes, quibus ius eligendi cõpetit, ad electionẽ vocandi sunt, c. quòd sicut, de elect. Dummodo, qui absentes sunt, commodè vocari possint: spectatis circumstantiis, nec non cuiusque Ecclesiæ consuetudine, sicuti docet Gl. & Abb. in c. coram, de elect. Quòd si aliquis in ciuitate vel oppido præsens, propter infirmitatem v. g. accedere non possit, eius suffragium à scrutatoribus nihilominus exquiri debet, sicuti ex communi docet Syl. ver. electio, 1. q. 5. dicto 1. Zecchus cit. c. 4. n. 10. arg. l. 5. & seqq. ff. de procurat.

Dico II. Si aliqui ad electionem, legitimo ipsis constituto termino, vocati venire contemnant, vel ab electione iam cœpta exeant; reliqui, sine his, si maior & sanior pars suffragantium est, ad canonicam electionem procedere possunt, arg. c. auditis, de elect. & docet Gl. c. cùm nobis, ver. reuocare, eod. tit. Syl. cit. q. 5. dicto 4.

Dico III. Si aliquis existens in possessione iuris eligendi, qui commodè vocari potuit, ac debuit, vocatus non sit, valet quidem electio sine ipso facta: sed potest ille, si velit, contemptum suum prosequi, & electionem infirmare, c. quod sicut c. bonæ, 2. eod. & c. bonæ, 2. de postul. Prælatorum, vbi Abb. n. 7. Syl. cit. q. 5. dicto 5. Cæterùm, si quis accedere nolens, iuri electionis pro ea vice renuntiet, ordinario & communi iure, compelli non potest; nisi eius absentia in præiudicium siue damnum Ecclesiæ cessura videatur, sicuti docent Abb. & Gl. in cit. c. quia propter, ver. qui volunt, Gutierez lib. 2. can. qq. c. 11. n. 86. Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. in fine. Armilla ver. electio, n. 20.

Dico IV. Si absens, iusto impedimento detentus, accedere non potest, concessum est ei procuratorem, seu mandatarium constituere, qui tamen è Capitulo sit: nã extraneum Canonici recipere non tenentur, iuxta cit. c. quia propter, §. illud, vbi videri potest Gl. ver. venire, &c. si quis iusto, §. porrò, de elect. in 6. vbi habetur; Procuratorem, si ex electoribus est, non posse alium suo, & alium nomine mandantis nominare; prærerquam si de certa eligenda persona mandatum speciale habeat.

Dico V. Post factam electionem, debet ea, cùm primùm fieri potest, electo significari. qui nisi intra spatium vnius mensis consensum præbeat, iure consentiendi deinceps priuatus est; modò consentiendi libertatem habuerit. Post consensum verò electioni præstitum, intra trimestre tempus confirmationem petere cogitur: alioquin electio irrita redditur, nisi iusti impedimenti excusatio adsit. Quòd si autem electio effectum suum non sortitur; vt quia electus consentire recusat, vel post cõsensum iuri suo renuntiat, aut vita fungitur, vel propter illud vitium electio irritatur; tunc electoribus ad eligendum de nouo tempus integrum, videlicet, trimestre in Ecclesiis Cathedralibus, & regularibus, sex mensium spatium in aliis Collegiatis conceditur: modò nihil fraudulentum gestum fuerit, c. si Ecclesia, de elect. in 6. iun. Gl. ver. integrum. 5

Dico VI. Tres sunt modi seu formæ eligendi: Primus est per scrutinium, siue collectionem suffragiorum: in qua necesse est, vt *maior, ac sanior pars* præsentis Capituli in eundem consentiat, sicuti habetur in cit. c. quia propter, c. In genesi c. Ecclesia vestra, 1. & 2. de elect. Et requiritur vtrumque copulatiuè, sicuti ibidem notat Abb. cit. c. in genesi, notab. 1. & cit. c. Ecclesia, 2. n. 8. Quare si illinc sit maior numerus eligẽtium; hinc minor numerus, sed tum auctoritate propria, tum verò (quod præcipuè spectari debet) meritis electi sanior; poterunt hi (considerato communi iure) opponere, & infirmare electionem: dummodo excessus ille magnus non sit, sicuti Gl. notat cit. c. Ecclesia, 2. ver. non consenserit. Etenim contra electum à duplo maiore parte, nihil à reliqua parte opponi potest, quod electionem extenuet; quamuis obijci possit, quod electionem irritam reddat, v. g. formam substantialem electionis seruatam non esse, electum esse excommunicatum &c. ita habetur in c. si quando, de elect. in 6. iun. Gl. ibid. & in c. Ecclesia, 2. vbi Abb. n. 13. extra, eod. 6

Hoc adde; Si in scrutinio maior eligentium pars in vnum non consenserit, irritam esse electionem ipso iure communi; ideoque conualescere non posse accessione consensus aliorum; sed nouo scrutinio opus esse, sicut habetur in c. auditis, de elect. vbi Abb. n. 5. & in c. Ecclesia, 2. n. 10. eod. tit. Aliter se res habet in electione Sum. Pontificis: hæc enim conualescere potest per accessum aliorum, si efficiat duas partes eligentium, c. licet de vitanda, vbi Abb. n. 8. eod. tit.

Alter modus eligendi est per compromissum, si omnes è Capitulo præsente, potestatem eligendi idoneum Pastorem committant vni, vel pluribus viris bonis, ac Deum timentibus, c. causam quæ, c. in causis, de elect. Ethi Clerici esse debent, iuxta c. contingit, de arbitris in quo prohibetur, *ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum.* Hæc verò potestas data compromissariis reuocari non potest, si res integra non est, siue tractatus iam cœptus, iuxta cit. c. in causis.

Nihil obstat, quominus Compromissarij vnum ex seipsis eligere possint; saltem si forma compromissi id expressit, qua de re Gl. in c. cũ in iure, de elect. in quo res- 7

pondetur; Si ex septem compromissariis (decet enim magis eos numero impari constitui) tres eligant quartum, & is electioni consentiat, ratam fore electionem, & electi compromissarii suffragium in numero maioris partis computatum iri: licet contrarium dicendum sit in electione per scrutinium, c. Cumana, de elect. Cuius diuersitatis rationem leges apud Abb. in cit. c. cùm in iure, Syl. ver. electio, 2. q. 18. Zecchum cit. c. 4. Quia in compromisso non principaliter se eligit compromissarius; sed aliis priùs eligentibus consentit, eorúmque voluntatem comprobat & acceptat. In scrutinio autem secreto, si aliquis seipsum eligeret. censeretur ambitiosus, & eo ipso indignus. Cæterùm, si electio palam fiat, tunc aliis te eligentibus, tu consentire potes, ita vt tuum suffragium in numerum computetur, sicuti notauit Abb. in cit. c. per nostras, in fine.

Compromissum duobus modis fieri potest: Primò. limitatè, vt *compromissarii secretò, & sigillatim voluntatibus singulorum exquisitis eum, in quem maior & sanior pars Capituli consenserit, eligere teneantur*, c. cū expediat de elect. in. 6. Quæ forma eligendi quasi composita ex scrutinio & compromisso, cæteris melior & expeditior est, secundùm Gl. ibid. ver. inquisitis. Secundò, simpliciter & absolutè commissa potestate compromissariis, vt eligant, quem velint dūmodo idoneum: nam alioquin compromittentes recipere non coguntur, c. causā quæ, de elect.

Porrò, si compromissarius Episcopum indignum eligat, in pœnam criminis ipso iure per triennium suspensus est à beneficiis, quæ obtinet in Ecclesia, quam offendit. Quòd si compromittentes indignam electionem scienter ratam habeant, priuantur ea vice iure eligendi, ac compromittendi, c. si compromissarius, de elect. in 6. Quare deuoluitur hoc casu potestas prouidendi ad Papam, c. quamquam, eod. in 6 Additur in cit. c. si compromissarius, in fine; Si aliquis electionem, postulationem, aut prouisionem Episcopi impugnans in probatione deficiat, quòd & is per triennium suspensus manere debeat à beneficiis, quæ in ea Ecclesia obtinet. Idque etiam locum habet in oppugnatione electionis, postulationis, aut prouisionis ad dignitatem, personatum, canoniam, cap. 1. §. vlt. eod. in 6.

Tertius demum modus eligendi est quasi per inspirationem diuinam: dum omnes electores, tanquam vno corde & ore in eundem, absque vitio, consentiunt, cit. c. quia propter.

QVÆSTIO QVARTA. Quid sit postulatio, &
8 quomodo ab electione differat: Respondeo: Postulatio cum electione in his conuenit: I. Quod quæ eligere possunt, iidem etiam postulare, sicuti colligitur ex c. bonæ, 2. de postul. Prælatorum c. innotuit, c. bonæ, de elect. & docet Syl. ver. postulatio. q. 1. II. Sicut electio fit cum ordine ad Superiorem, qui electum confirmare debet; ita etiam postulatio fit à Superiore, qui postulatum admittere, & approbare potest. Necesse autem est, vt talis Superior potestatem habeat dispensandi super defectu postulati: alioquin postulationem admittere nequit, sicuti colligitur ex cit. c. innotuit, & notauit Abb. in c. vlt. de postulat. Prælatorum, n. 10. Syl. ver. postulatio, q. 5. III. Sicuti eligentes, ita & postulantes indignum, seu incapacem, potestate eligendi, aut postulandi priuantur, & potestas ad alios, licet pauciores numero, deuoluitur, iuxta c. cùm in cunctis, §, Clerici sanè, c. cùm Vvintonensis, de elect. c. 2. de postulat. Prælat. vbi videri potest Gl. ver. pauciores, Abb. n. 2. & 5. Adde, quòd in extrauag. vn. de Postulat. Prælatorum decernitur, vt ii, qui XXVII. ætatis annum necdum ingressum ad Ecclesiā Cathedralem postulârint, vel professum Ordinis Mendicantis ad inferiorem Cathedrali, ea vice iure eligendi, ac postulandi priuati sint, & à beneficiis in eadem Ecclesia habitis per triennium suspensi.

Differunt verò in multis electio & postulatio: I. Qui eligi non potest, postulari tamen potest, si non omnino inhabilis sit ad exercendam Prælaturam, sed facilè dispensabilem defectum habeat, sicuti docet Abb. c. vlt. de postul. Prælat. n. 10. Puta in ætate legitima, c. cùm nobis olim, de elect. Vel in ordine sacro ad Prælaturam requisito, c. dudum 1. de elect. iun. c. à multis, de ætate & qualit. Vel in natalibus, c. innotuit, de elect. in quo habetur, illegitimum, si ad episcopatum idoneus sit, postulari posse, licet eligi non possit. Denique vnius Ecclesiæ Episcopus, post confirmationem, ad aliam Ecclesiam, seu Episcopatum eligi non potest; cum spirituali quasi matrimonio Ecclesiæ suæ copulatus sit, sicuti habetur in c. vlt. iun. Gl. ver. promissione de postul. Prælatorum. Postulari tamen potest, cit. c. vlt. vbi Abb. n. 7 notat, Episcopum electum, nondum confirmatū, eligi posse: quia talis electioni suæ renuntiare potest, nō item post confirmationem. Si tamen Episcopus confirmatus, & consecratus episcopatui legitimè renuntiauit, postea eligi poterit, iuxta c. post translationem, de renuntiationibus: quia cessit ratio matrimonii spiritualis, quippe quod dissolutum est.

Porro alij beneficiati Episcopo inferiores, in quacunque Prælatura seculari, aut regulari constituti sint, ad 9
episcopatum eligi iure ordinario non prohibentur, sicuti docet Gl. in cit. vlt. ver. permissione, ibid. Abb. reg. 2. Et de Regularibus habetur in Clem. 1. de elect. c. si Abbatem, eod. in 6. Etsi verò decens sit, aliquem capitulariter eligi, qui sit de gremio Ecclesiæ, si idoneus adsit; ideoque alius ipsis obtrudi nequaquam debeat, c. nullus inutilis, d. 16. Si tamen Capitulares huic iuri suo renuntiare volentes, alium idoneum sponte eligant, non ideo electio cassari potest, sicuti notat Gl. in c. ne pro defectu, ver. ipsius, de elect. argum. c. cùm inter canonicos, eod. tit. vbi id Abb. notat n. 9. Veruntamen, cùm neque Clerici beneficiati sine consensu Episcopi Ecclesias suas dimittere possint, c. si qui verò, c. si quis Presbyter, 7. q. 1. c. admonet, de renunt. Neque Religiosus Monasterium sine consensu Superioris, c. quorundam, §. circa Religiosos, c. si Religiosus, de electione in 6. ideo eiusmodi personæ postulari quidem debēt, sed postulatione non solemni; verùm ad id solùm instituta, vt electus in sui electionem consentire possit, sicuti notauit Gl. c. quàm sit, ver. ad ordinandum, 18. q. 2. Rosella ver. Monachus, num. 6. Syl. ver. postulatio, q. 1. Less. lib. 2. c. 41. n. 97. Ad quam licentiam ipsi dandā, si necessitas vel vtilitas Ecclesiæ postulat, Superior etiā cogi poterit, teste Abbate c. quod Dei timorem, n. 12. de statu Monachorum, & Gl. margin. ad eundem Abbatē in cit. c. vlt. de postulat. Prælator. n. 8. Quòd si autem Regularis cum Superioris legitima licentia ad prælaturam, vel beneficium parochiale translatus sit, postea ad aliam Ecclesiam promoueri poterit, non petito consensu Prælati regularis, quippe à cuius obedientia actuali absolutus est, vti docet Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 64.

His quædam addenda sunt: Primum. Quòd Regularis ex vno Monasterio eligi potest in Prælatum alterius Monasterii, si eiusdem Ordinis sit: non item si diuersi Ordinis, & Prælatura non Episcopalis sit, vti habetur in Clem. 1. de elect. Attamen si talis translatio ad Ecclesiæ bonum pertinere videatur, à Sede Apostolica postulari poterit, vti docet Gl. ibid. ver. eligatur, Abb. c. cùm Monasterium, num. 1. de elect. Simili ratione si non Professus in Prælatum regularem eligatur, electio irrita est, c. cùm causam, eod. tit. quamuis talis iustam ob causam postulari potest, teste Abb. cit. n. 1.

Alterum. Religiosus Ordinis mendicantium ex electione, postulatione, præsentatione ad Prælaturam

extra Ordinem suum, ius nullum acquirere potest, nisi illa facta sit in concordia omnium eligentium, postulantium &c. Sin verò sit Ordinis non mendicantis, requiritur concordia saltem partis mediæ, vti videre licet in c. quorundam, de elect. in 6. & explicat Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 44. & seqq.

Tertium. In Germaniæ quibusdam locis consuetudo est non improbanda, vt si in Conuentu Regularium nullus idoneus reperiatur ad Prælaturam, ipse Episcopus, cui Monasterium subiectum est, ex alio eiusdem Ordinis Monasterio Prælatum instituat. Quia si talis Conuentus sit, vt nullum idoneum habeant ad prælaturam, plerumque periculum est, vt ne id quidem diiudicare possint Capitulares, quemnam ex alio Monasterio idoneum postulare debeant.

Differunt secundò electio, & postulatio; quòd electo, si idoneus est, & nullus defectus appareat, vel opponitur, per electionem ius acquiritur, saltem inchoatum, ita vt is, ad quem confirmatio spectat, teneatur eum confirmare: alioquin ad eius Superiorem recurretur, qui cõfirmatori terminum præfiget, intra quem confirmare debeat: quod si intermittat, tunc ius confirmandi ad ipsum Superiorem deuoluetur, sicuti docet Abb. in c. post quam, de elect. At verò per postulationem ius nullum acquiritur, sicuti constat ex c. bonæ 1. & c. postulationem, de postul. Prælatorum.

10 Ex quo sequitur primò; Quòd postulantes variare possint, id est, sine iniuria postulationem reuocare, antequam ea Superiori præsentata est: tunc vero illius iudicium exspectari debet, c. bonæ, 2. eod. tit. vbi id docet Abb. n. 10. generalem regulam tradens: Quòd *variare, siue consilium mutare licet, si ius alteri nondum acquisitum est; postea verò quàm acquisitum, variare non licet,* iuxta iuris reg. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Vide eundem Abb. in c. postulationem, eod. tit. num. 2. & 5. vbi notat; Etiamsi electio facta sit absentis, & electionem nondum acceptantis, non posse electores variare, quia *Actus præstiti ex debito officii*, vti sunt electio, collatio beneficii facta ab Episcopo, *non possunt per pænitudinem reuocari*, arg. c. si tibi absenti, de præb. in 6.

Sequitur secundò; Quòd Superior sine cuiusquam iniuria postulationem reiicere potest: cùm sit specialis gratia, ad quam dandam nemo cogitur, sicuti habetur in cit. c. postulationem. Si tamen postulatio concors, vel saltem à duabus partibus Capituli propter Ecclesiæ necessitatem vel vtilitatem fiat; tunc quodammodo debita Ecclesiæ est eius concessio. qua de re Gl. in c. cupientes, propè finem, ver. gratia; de elect. in 6. Hostiensis, & Ioan. Andreas in c. cùm Monasterium, extra eod. Abb. in cit. c. postulatione, num. 2. Syl. q. 7. Denique si postulatio solemnis apud Prælatum interposita, ab eo admissa fuit, confert hodie effectum electionis ac confirmationis, sicuti docet Abb. in cap. 1. num. 34. &c. gratum, num. 13. de postul. Prælat.

CAP. XIII.

DE BENEFICIIS PATRONATIS.

SVMMARIVM.

1 *Ius patronatus ex tribus causis acquiritur, Ecclesiæ fundatione, ædificatione, & dotatione.*

2 *Patronus Ecclesiæ tum vnicus esse potest, tum etiam plures. Vide infrà q. 6.*

3 *Patronus efficitur etiam, qui post Ecclesiæ consecrationem ei dotem assignauit.*

4 *Duplex est ius patronatus: Ecclesiasticum, & laicum.*

5 *Iuri patronatus laici ex fundatione, constructione, vel dotatione, non tam facilè derogatur, quàm iuri patronatus Ecclesiastici.*

6 *In patronatu laico patronus variare potest; non item in Ecclesiastico.*

7 *Patronus Ecclesiasticus indignum præsentans, priuatur ea vice iure præsentandi: sed laicus patronus alium præsentare debet.*

8 *Patrono quatuor iura competunt; Instituendos ad beneficia vacantia Episcopo præsentare: Honorem præcipuum in sessionibus, processionibus &c. obtinere: Alimenta in casu inopiæ ab Ecclesia recipere: Ecclesiam defendere, eiusque solicitudinem gerere.*

9 *Patronus Ecclesiæ, seruitium seu onus Ecclesiæ imponere non potest, contra sacrorum canonum decreta: si tamen conditio aliqua honesta ante fundationem acceptata fuerat, ea seruari debet.*

10 *Ad reparationem Ecclesiæ indigentis Ministri contribuere debent, si reditus superfluos habeant; alioquin Parochiani.*

11 *Patronus Ecclesiasticus rationem administrationis rerum temporalium exigere potest; laicus non item.*

12 *Episcopus, extra casum necessitatis, non potest disponere circa beneficia cum præiudicio iuris patronatus: secùs, si eius nihil intersit.*

13 *Fundationes, & quæuis vltimæ dispositiones, si iustæ ac rationabiles sint, mutari non possunt, sine Principis consensu, qui in spiritualibus est Papa.*

14 *Hæres siue successor renuntiare potest conditionibus in sui tantùm fauorem appositis: non item iis, quæ ob cultum diuinum, ob sui memoriam, familiæ commodum fundator requisiuit, nisi magna necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas mutationem exigat, & Episcopi tunc consensus accedat.*

15 *Sepulchra & insignia eorum benefactorum, qui capellam extruxerunt, tolli non debent, etsi familia extincta sit.*

16 *Episcopus sine causa necessitatis non potest vnius Ecclesiæ reditus pro fabrica deputatos, ad alterius indigentioris subsidium transferre.*

17 *Interpretari voluntatem fundatoris defuncti, vel pro vna vice ob causam rationabilem & Ecclesiæ vtilem dispensare, ad Episcopum, cum hærede fundatoris, pertinet.*

18 *Ius patronatus tum masculo, tum fœminæ; puberi, & impuberi competere potest.*

19 *Possessor iuris patronatus, si bonæ fidei est, validè præsentat*

20 *Ius patronatus quatuor modis transferri potest: Successione, donatione, permutatione, venditione vniuersitatis.*

21 *Dominium aliquod propter annexum ius patronatus maiore pretio vendere, simoniacum est.*

QVÆSTIO PRIMA. Quid sit ius patronatus, quod & ius aduocationis dicitur in c. quia Clerici, de iure patronatus? Respondeo. *Est ius nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans.* Vel sic: *Est ius honorificum, onerosum, & vtile, competens alicui in Ecclesia, qui de consensu Ecclesiastici Prælati eam fundauit, construxit, aut dotauit, seu ipsemet, seu is, à quo causam accepit.* Vide Syl. ver. ius patron. in princip. & Abb. in rubrica, de iure patron.

QVÆSTIO SECVNDA. Ex quibus causis acquiratur ius patronatus? Respondetur secundùm Gl. in c. piæ mentis, 16. q. 7. & Conc. Trident. sess. 14. c. 12. de reform. Ex tribus causis; fundatione, ædificatione, & dotatione: vnde versus, *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

Fundasse dicitur, qui fundum, siue terræ solum dedit, in quo Ecclesia construeretur, sicuti colligitur ex c. decernimus, 16. q. 7. Ædificasse, qui Ecclesiam construxit, c. Monasterium, ead. q. Dotasse dicitur, qui annuos reditus sufficientes assignauit, c. filiis, ead. q. Porro, qui Ecclesiam construit, videtur etiam obligare se ad dotandam, si nemo alius dotet: siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet, c. cùm sicut, de consecr. Ecclesiæ. Alioquin Episcopus eam dotare debebit, in patroni defectum, si sine Ecclesiæ detrimento possit, sicuti docet ibid. Gl. ver. consecranda, arg. c. 2. de præbendis. Videri potest Greg. Tholos. de beneficiis, c. 15. Azor t. 2. lib. 6. c. 19. q. 6.

Exinde sequitur; Quòd & vnus possit esse Ecclesiæ Patronus, si idem eam fundauit, construxit, & sufficienter dotauit; & plures patroni esse possint, si alius fundauit, alius ædificauit, alius dotauit. Imò si plures concurrant ad Ecclesiam fundandam, construendã, dotandam, licet inæqualiter, omnes acquirũt ius patronatus in soli

dū, secundùm Gl. in summar. d. 63. ver. laici. Dūmodo Ecclesiæ detur dos competens, quæ sufficiat ad necessaria ministrorum, & luminaria, inquit Gl. c. quicunque 30. causa 19. q. 7. ex c. nemo, de consecrat. d. 1. & explicat Abb. in c. ad audientiam, n. 4. de Eccl. ædificandis, *ex quo habes*, inquit, *remedium compellendi ædificatorem ad dandam dotem sufficientem, quia sine ea non acquiritur ius patronatus.* Vide Garc. p. 5. c. 9. n. 52. & seqq.

Ex dictis intelligitur responsio Alexandri III. in c. ad audientiam 1. de Ecclesiis ædificandis, in quo dicitur, si intra eandem parochiam, ob locorum & habitationum distantiam, ideóque ob iustam, & vrgentem causam, auctoritate Episcopi construatur alia Ecclesia minor, quæ maiori tanquam matrici subiecta sit, tunc non solùm eum, qui Ecclesiam nouam construxit, aut dotauit, sed etiam Rectorem Ecclesiæ maioris effici patronum; ideoque ad vtrumque pertinere præsentationem Sacerdotis pro Ecclesia minori, seu filiali; quando & matrix Ecclesia suos, quos antè acceperat, prouentus minori Ecclesiæ reliquit, & alter patronus eandem fundauit, construxit, aut auxit, sicuti in cit. c. ad audientiam, de eccles. ædificandis docet Abb. n. 10. Pet. Greg. c. 17. n. 3. Idémque ait Abb. seruandum esse, si intra fundum alicuius Ecclesiæ à laico ædificetur & dotetur capella: acquirit enim Ecclesia ius patronatus vnà cum laico ædificatore ac dotatore.

Porro licet Gl. in cit. c. piæ mentis, arbitretur, ius
3 patronatus duntaxat ante ecclesiæ consecrationem constitui posse; quia patronus quasi pater dictus est, qui ad esse produxit: & quia ius patronatus quasi seruitus, seu onus esse videtur, quod rei sacræ imponi non potest; tamen contrarium rectius docet Pet. Greg. cit. c. 17. n. 4. Azor cit. c. 19. q. 8. cum Abbate in c. quoniam, n. 9. de iure patronatus; Eum, qui Ecclesiæ, cui dos constituta non est, etiam post consecrationem, dotem assignat, iuxta c. cùm sicut, de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris, effici ius patronum, & fauore Ecclesiæ quasi retro trahi patronatum, perinde ac si ab initio constitutus fuisset, ad similitudinem c. tanta, Qui filii sint legitimi. Denique si Ecclesia omnino destruatur, vel corruat, amittitur ius patronatus, si ex sola constructione ortum habuit, sicuti declarat Abb. l. c. n. 11. Et qui illam reædificat, efficitur nouus patronus. Alia ratio est, si aliquali restauratione indigeat: nam qui eam faciunt, benefactores censentur, non patroni. Imò quicunque etiam ab initio Ecclesiæ aliquid confert, ius patronatus non acquirit, nisi id faciat animo construendi, dotandi, non præcisè donandi, benefaciendi, sicuti notauit Abb. ibid. n. 10.

4 QVÆSTIO TERTIA. Quotuplex sit ius patronatus? Respondetur, esse duplex; Ecclesiasticum & laicum. Ius patronatus Ecclesiastici dicitur, quod Ecclesiasticæ personæ competit; vel ratione dignitatis, aut beneficii sui, puta quia est Ecclesiæ Episcopus, Præpositus, Decanus: vel ratione fundationis, constructionis, dotationis à se factæ ex bonis Ecclesiasticis. Ius patronatus laici est, quod conuenit alicui seu laicæ, seu Ecclesiasticæ personæ, aut Communitati, ratione fundationis, constructionis, vel dotationis ex bonis propriis siue patrimonialibus. Vide Couar. cap. 36. pract. qq. num. 2. Cæterùm sicut patronatus, tametsi ab initio fuerit laicus, vel Clerico ex patrimonialibus bonis acquisitus; Ecclesiasticus tamen efficitur, si donatione, testamento, aliáue ratione in Ecclesiam vel Monasterium transferatur, vel alicui beneficio, v. g. Decanatui, Præpositura annectatur, sicuti habetur in cap. vn. §. verùm, de iure patron. in 6. & notat Abb. in cap. de Monachis, num. 14. de præb. Couar. in pract. qq. cap. 36. num. 8. Ita etiam patronatus, licet ex reditibus Ecclesiasticis acquisitus sit ab aliquo beneficiato; si tamen is, ex consuetudine regionis, potestatem habeat de superfluis suis reditibus ad causas prophanas testandi, & consanguineis relinquendi, tunc pari ratione ad eosdem ius quoque patronatus transmittere poterit, sicuti notauit Garcias pag. 5. cap. 1. num. 594.

Inter patronatum Ecclesiasticum, & laicum aliqua discrimina sunt: Primum. Si in patronatu laico intra quatuor menses à die vacationis cognitæ, patronus neminem præsentet, amittit ea vice ius præsentandi, & collatio beneficij libera efficitur, iuxta cap. quoniam, c. cùm propter, de iure patronatus. In Ecclesiastico verò patronatu sex menses conceduntur, vti habetur cap. vn. de iure patronatus, in 6. Sin verò duo sint patroni, qui præsentare debeant, quorum vnus clericus, alter laicus, tunc laicus gaudet priuilegio clerici ob societatem, vt sex menses concedantur, secundùm Abb. in cap. eam te, de iure patron. Syl. ver. ius patronatus, q. 6. dicto 2.

Secundum. Tametsi simplici concessione, vnione, vel reseruatione alicuius beneficii, facta à Papa 5
censeatur derogatum iuri patronatus Ecclesiastici, tamen patronatui laico, nisi expressa & specialis mentio fiat, nunquam derogatum censetur, iuxta Gl. communiter receptam in Clem. 2. ver. Apostolicis, de præb. Neque sufficit derogatio generalis, *Ad quoscunque collationis, vel præsentationis beneficium pertineat.* Adde; licet speciatim addatur, *etiam laicorum*, tamen non comprehendi ius patronatus Regum, Ducum, Marchionum, & Comitum, nisi exprimātur, sicuti docet Couar. cap. 36. pract. qq. n. 2. Ioan. Staphil. de gratiis expectatiu. tit. de modo & forma prouidendi, §. sequitur videre, n. 14. Garcias cit. c. 1. n. 575. Quæ tamen omnia intelligi debent de iure patronatus laicis competente ex fundatione, constructione, vel dotatione; non item ex priuilegio, vel consuetudine præscripta: Eiusmodi enim patronatui laico, non minùs, quàm Ecclesiastico per concessionem, vel reseruationem, simpliciter & absolutè factam derogatum censetur, sicuti ex communi docet Staphileus loco cit. n. 16. Couar. num. 6. Garcias n. 573. Azor. c. 23. q. 4.

Nota autem hîc primò ex Couar. cit. cap. 36. n. 5. Hieron. Gigante de pension. q. 24. Si duo sint patroni, quorum vnus laicus, & alter clericus, non censeri derogatum iuri patronatus, nisi clausula derogatoria exprimatur: quia æquum non est, vt aliquis ratione sui socii incommodum in re indiuidua sentiat. Nota secundò ex Garcia num. 614. Si duo sint eiusdem beneficii patroni, laicus & Ecclesiasticus, inter quos est concordia facta de repræsentando vicibus alternis; accidat verò, vt vacatio beneficii generaliter reseruati, iuxta concordata nationis, vel Regulam Cancellariæ, cadat in mensem Pontificium; videndum est, vtrum tunc ad Ecclesiasticum patronum præsentatio pertineat; & præsentabit pro ipso Papa, ita vt laico nullum præiudicium generetur: An verò tunc Laicus præsentare debeat; & nihil ei obstabit reseruatio mensis Pontificij.

Tertium discrimen. Legatus à latere potest conferre beneficium, etiam sine consensu patroni, habentis patronatum Ecclesiasticum, cap. cùm dilectus, de iure patronatus. Non ita tamen derogare potest iuri patronatus laici, sicuti ex communi notauit Gl. ibid. ver. præsentare, Abb. n. 11.

Quartum. In patronatu laico patronus potest variare, id est, postquam præsentauit vnum, præsentare etiam 6
alterum: quo casu, iudicio Episcopi relinquitur, vtrum eorum tanquam magis idoneum præferre debeat, cap. quòd autem, eodem tit. In patronatu autem Ecclesiastico, qui primò præsentatus est, si idoneus sit, institui debet, c. cùm autem, eod. tit. Porrò iis casibus, quibus Episcopus legitimè præsentatum instituere tenetur, etiam ipsi præsentato ius ad petendum beneficium

competere videtur; vt agere possit, seu contra Episcopum nolentem ipsum instituere; seu contra intrusum vt inde remoueantur, arg. c. cùm Bertoldus, vbi id docet Gl. magna, & Abb. n. 7. de re iudicata.

7 Quintum discrimen. Si patronus laicus indignum præsentet, iubendus est alium præsentare: si autem is cui Ecclesiasticus patronatus competit, indignum præsentet, priuatur ea vice iure præsentandi, & libera collatio efficitur, sicuti docet Gl. recepta in c. cùm vos, de offic. Ordinat. v. minùs idoneæ, Syl. ver. ius patronatus, q. 7. arg. c. sicuti de suppl. neglig. Prælator. c. cùm in cunctis §. Clerici, de elect.

8 QVÆSTIO QVARTA. Quæ iura competant patrono seu Ecclesiastico, seu laico? Respondeo; Potissimùm quatuor, sicuti docent Doctores in c. nobis, de iure patron. Syl. q. 2. Primò, Ad Patronum pertinet præsentare Episcopo instituendos ad beneficia tum simplicia, tum curata, postquam vacauerint. Priùs enim quàm vacent, non solùm præsentatio irrita est, sed etiam promissio præsentandi alicui specialiter facta; quin & commissio facultatis præsentandi, si fiat fauore personæ determinatæ, vt ea ad proximè vacaturum beneficium præsentetur, irrita est, iuxta cap. vlt. de concess. præb. secùs, si potestas præsentandi alicui committatur generatim, sicuti ibid. notat Abb. num 6.

Cæterùm in Collegiatis Ecclesiis Prælatus siue Rector non ad Patroni præsentationem instituitur; sed à Capitulo eligitur, eique electioni Patronus, præsertim laicus, interesse non debet: vel etsi ex speciali consuetudine, aut fundationis lege intersit, libertatem tamen eligentium impedire non potest; neque iùs suffragij ferendi aut consensum præstandi habet, sicuti constat ex c. cùm terra cap. sacrosanctæ, c. Messanæ, de elect. c. nobis, de iure patron. Quod limitari debet, nisi in ipsa fundatione conditio apposita fuisset de consensu eius requirendo: cuiusmodi conditionem admittere potest Episcopus, si Patronus Ecclesiasticus est: sed patrono laico solus Papa talem facultatem concedit, sicuti docet Gl. in cit. cap. nobis, ver. nisi aliter, Syl. q. 2. Vide etiam Seluam p. 2. de benefic. q. 23. n. 25. & Abb. in cit. c. nobis, vbi n. 6. notat, licet iura non concedant fundatori Ecclesiæ Collegiatæ, vt præsentet Rectorem; competere tamē ipsi præsentationem ad præbendas, siue canonicatus; nisi aliud consuetudine obseruetur.

Post factam autem electionem Prælati, nihil prohibet patroni consensum requirere, iuxta cit. cap. cùm terra, &c. sacrosancta, de elect. Quem tamen is negare non potest, nisi iusta de causa; puta si electum idoneum non esse ostendat. sicuti docet Gl. cit. c. nobis, ver. honestius, ibid. Abb. n. 10. & in cit. c. cùm terra n. 4.

Secundò, Honor præcipuus patrono debetur in processionibus, sessionibus &c. cit. cap. nobis, ibid. Abb. n. 5. Paulus de Citadenis p. 6. a. 1. de commodis iuris patronatus. vbi addit; Ecclesiæ Prælatum, aliósque Clericos Patrono reuerentiam debere, tanquam benefactori suo, arg. cap. quicumque, capite filijs, 16. quæst. 6.

Tertiò. Si Patronus, eiúsue filii ad inopiam vergant, ab Ecclesia, eiúsque beneficiatis alendus est, ex redditibus superfluis, secundùm Ecclesiæ facultates, & statum siue qualitatem patroni, cit. cap. quicunque; & citat cap. nobis, vbi Gl. ver. modestè, Abbas numero 6. Citadenis in cit. p. 6. a. 4. Rochus de Curte, in quartum definit. verbum, de vtilitate iuris patronatus, in princip. Et competit patrono actio ad petenda alimenta in statu inopiæ, sicuti ijdem DD. admonent.

9 Verùm extra hunc casum, prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ, ne patronus Ecclesiæ seruitium imponat, vel exactionibus quibuscunque grauet, c. 1. de censibus: præterquam si Patronus in fundatione, cum Episcopi consensu, præstationem aliquam moderatam, (considerata fundationis & redituum quātitate, ita vt dos Ecclesiæ necessaria nequaquam minuatur,) alteri reseruauit, v. g. alicui capellæ, iuxta c. præterea, 2. de iure patron. & videri potest Abb. in cit. c. 1. de censibus, n. 1. & 6. &c. quanto, n. 1. & 2. eod. tit. Hinc idem Abb. in cit. cap. præterea, n. 3. ait, se aliquando respondisse, quòd populus habens ius patronatus non possit exigere à Presbytero certos cereos, in recognitionem iuris patronatus; quia tempore fundationis conuentum non fuerat, & sequitur Rochus lib. cit. numero 6. Syl. quæst. 3. quem vide.

Adde, quòd Patronus fundando ecclesiam, non possit vllam aliam conditionem apponere, quæ vel sacris canonibus, vel iuri Episcopi, sub cuius iurisdictione ecclesia constituta est præiudicet. Si tamen Episcopus consentiat patrono, vt Rector ecclesiæ ab alterius diœcesis Episcopo confirmationem accipiat, videtur id ratum fore; dummodo id fiat ante factam fundationem: postea enim, cùm ius Ecclesiæ seu Episcopatui acquisitū est, non potest ei Episcopus præiudicare, sicuti singulariter notat Abb. in c. cùm dilectus, n. 5. de consuet.

Quartò Patrono competit ius, vel si mauis dicere onus tuendi & defendendi ecclesiam, cap. filiis, 16. quæstione 7. vbi habetur quòd patronus ecclesiæ solicitudinem gerere debeat, atque ideo Sacerdotem seu Ministrum ecclesiæ bona dilapidantem vel honesta monitione compescere, vel Episcopo denuntiare. Et in c. decernimus, ead. q. dicitur, *vt quamdiu fundatores ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam*, v. g. vt reditus ecclesiæ patronatæ ad alios vsus non conuertantur, quàm secundum fundationis præscriptum; & vt officia diuina celebrentur, quæ in fundatione constituta fuerunt; qua de re Paulus de Citad. de iure patron. p. 6. a. 4. n. 25. Cæsar Lambertinus de iure patronat. q. 2. principali, a. 12. Abb. in c. suggestum, n. 3. de iure patron. Item, vt ædes sacræ & parochiales conseruentur, reparentur. Quæ tamen non ipsemet suis sumptibus efficere debet; sed, nisi proprii reditus pro ecclesiæ fabrica deputati sint, vel loci consuetudo aliud obtineat, ipsimet beneficiati siue ministri ex superfluis reditibus contribuere debent, iuxta c. 1. de ecclesiis ædific. c. decernimus, 10. quæst. 1. Quòd si ministris reditus superflui non suppetant, sed solùm necessarii, compelli debent Parochiani cùm enim ibi diuina percipiant, tenentur ad refectionē ecclesiæ, ait Abb. in cit c. 1. n. 4. arg. c. si Episcopus, de officio Ordinarii, in 6. Et in c. de Rectoribus, n. 6. de clerico ægrotante, vniuersim ait; si curatus commodè viuere non potest, ex reditibus ecclesiæ, & alia ratione ipsi subueniri nequit, Parochianos compelli posse ad subueniēdum. Interdum tamen, si ita necessarium Episcopo videatur, ecclesiarum vnionem institui posse, si patronus in tali casu reditus parochiales augere nolit, dixi suprà c. 9. in fine.

His adde, quod idem Panormit. admonet in cap. ad sedem, num. 12. de restitut. spoliator. curam illam rerum temporalium patrono laico non ita competere, vt 11 sibi aliquam iurisdictionem, vel administrationem vendicare, aut rationes exigere possit: cum solùm pertineat ad eum cura temporalium quoad defensionem, ac denuntiationem Superiori Ecclesiastico faciendam, si res malè administretur. Qua simili ratione etiam in ciuilibus ius patronatus, seu protectionis & aduocatiæ, non extendit se ad iurisdictionem, aut collectationem erga loci incolas exercendam, sed solùm ad protectionem

& tutelam, ficuti docet Andr. Gaill. libro 2. obseruat. 54.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum Episcopus consensu patroni mutare possit naturam, vel qualitates siue conditiones beneficii? Pro qua quæstione inprimis suppono ex communi Doctorum sententia: Ad Episcopum pertinere ob iustam causam disponere de beneficiis ad suam diœcesim, iurisdictionémque pertinentibus, iuxta c. 2. c. decretum, 10 q. 1. modò nihil contra canones agat, neque fundatorum voluntati sine causa necessaria deroget, vt infrà dicam. Sic v.g. Episcopus ex ecclesia parochiali facere potest Collegiatam, cultus diuini augendi causa, sicuti docent DD. in cap. dilecta, de excessibus Prælatorum; ecclesias Parochiales, ob plebis multitudinem, diuidere relicta congrua sustentatione Rectori ecclesiæ antiquæ, iuxta c. 3. de ædific. ecclesiis: Item ob redituum tenuitatem vnum beneficium alteri vnire; vel ex alterius pinguioris, præsertim vacantis beneficii, reditibus portionem aliquam aut pensionem detrahere; vel aliud nouum beneficium instituere, sicuti singulariter notat Abb. in c. extirpandæ, §. qui verò, num. 7. de præb. Imò potest Episcopus iusta de causa non tantùm minuere beneficia, seu præbendas; sed omninò supprimere siue extinguere, sicuti docent DD. in c. cùm accessissent, vbi Abb. n. 5. de constitut. Verùm, quòd dictum est de pensione beneficiis imponenda, id hodie secundùm stylum Curiæ Romanæ, Episcopis non permittitur, vt dicam cap. 18. quæst. 3. Cùm alioquin idonei beneficiati maximè in beneficiis curatis non reperirentur, si ea pensionibus grauare licitum foret: quare in tali casu tum plebs, tum patronus Ecclesiarum, se opponere possunt, ne id fiat sine Sedis Apostolicæ auctoritate.

12 His positis respondetur ad quæstionem: Quòd sine consensu patroni non possit Episcopus disponere circa beneficia, cum præiudicio siue derogatione iuris patronatus. Habetur in c. Monasterium, iun. Gl. 16. quæstione 7. Excipitur tamen casus necessitatis, in quo etiam contradicente patrono mutatio fieri potest: quia patronus non potest impedire magnam vtilitatem Ecclesiæ cùm ius patronatus ipsi ab Ecclesia ex gratia, non absoluto debito, concessum sit, sicuti notauit Abbas citat numero 5. & in cap. nobis, de iure patronatus, num. 10.

Corollarium I. Episcopus non potest, absque consensu patroni, ecclesiam Parochialem conuertere in Collegiatam: quia amitteret ius præsentandi Rectorē quippe electione constituendū, licet alia iura patrono salua permanerent: existimat tamen Glos. in cit. c. nobis, ver. in capella, quam sequitur Abb. in cit. n. 10. Cæsar Lambertinus de iure patronatus, q. 6. princip. a. 1. Patronum non perdere hoc casu ius nominandi Rectorem, si de eo protestetur; vel si eo inuito, mutatio fiat ob causam necessitatis.

Corollarium II. Episcopus non potest vnire beneficium patronatum, sine consensu patroni, sicuti docent DD. in c. cùm dilectus, c. suggestum, de iure patron. Abb. cit. nu. 5. Paulus de Citad. de iure patron. p. 14. Rochus de iure patronatus, ver. honorificum, quæst. 3. Rebuffus in praxi tit. de vnionibus, in 28. & Gl. 11. num. 6. Lambertinus cit, quæst. 6. art. 2. & quæst. 7. a. 10. Pet. de Perusio tract. de vnione ecclesiarum, cap. 5. quæst. 5. Azor to. 2. lib 6. cap. 28. quæstione 12. Garcias p. 12. cap. 2. num. 202. Tum quia patronus per talem vnionem perdit ius præsentandi: tum quia beneficium per vnionem patitur aliquam suppressionem, siue diminutionem: non potest autem Episcopus, sine patroni consensu, beneficium imminuere, sicut nec pensione aliqua grauare, aut reditus in alium finem, locum, personam, præterquam institutum est, transferre, sicuti docent DD. in c. pastoralis, de donat. Abb. in cit. c. suggestum, n. 3. Rochus cit. q. 3. n. 8. Albertinus q. 6. princip. a. 1. & 4.

Corollarium III. Institutus non potest beneficio in fauorem alterius, renuntiare, neque illud permutare sine patroni consensu; excepto casu necessitatis, aut magnæ Ecclesiæ vtilitatis, in quo patronus consentire tenetur. Ita ex communi Abb. c. cùm accessissent n. 6. de constit. Couar. cap. 36. pract qq num. 9. Azor. to. 2. lib. 7. c. 25. quæst. 4. Less. lib. 2. c. 34. num. 193. Garcias p. 11. cap. 3. num. 19. Verùm ad liberam seu simpliciter factam renuntiationem non videtur requiri consensus patroni: cùm ei integrum maneat ius præsentandi alterum, ideóque de eius præiudicio non agatur, sicuti notat Garcias l. c. num. 12. quod & praxis confirmat. Quemadmodum neque in aliis casibus, quibus patroni nihil interest, siue de eius præiudicio non agitur, eius consensus requiritur: v.g si Rector ecclesiæ nouas fundationes altarium recipere velit; Cooperatorem, vel Vicarium temporalem deputare; ad titulum, vel potiùs sustentationem ecclesiæ suæ ordinandos Episcopo præsentare, sine patroni præiudicio, sicuti fatetur Rochus de iure patronatus, ver. honorificum quæst. 3. num. 8. & 9. Lambertinus q. 5. a. 6. & seqq. Quin & pensionem temporariam, atque ad successores non transeuntem ab Episcopo beneficio imponi posse, sine patroni consensu, existimant multi, Gigas de pension. quæst. 23. Azor. lib. 8. c. 8. quæst. 1. Garcias de benefic. p. 1. cap. 5. num. 359. Less. cap. 34. dub. 8. Etenim pari ratione concessum est Episcopo ob iustam causam non requisito consensu patroni, res ecclesiæ alienare, vel fructus beneficij ad pium vsum, ad certum tempus applicare, sicuti docent Innocentius Abb. & DD. communiter in c. vn. Vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, Gigas de pension. quæst. 23. num. 8. Rochus cit. num. 9. Gulielmus Redoanus de reb. ecclesiæ non alienandis, rubr. 28. casu 3.

Hæc tamen intelligi debent primò, Non requiri consensum patroni ex necessitate; licet requiratur ex quadam honestate, & ob maiorem securitatem: quia si alienatio, vel fructuum subtractio sine iusta causa fiat, patronus ecclesiæ eam impugnare poterit; quippe ad cuius officium spectat prouidere, ne beneficii fructus perperam insumantur. Secundò intelligi debent de patrono laico tantùm; non item de Ecclesiastico, sicuti expresè dixit Innocentius l. c. & rationem discriminis tradidit Abbas in c. in Lateranensi, num. 2. de præben. *Nota inquit, quòd patroni Ecclesiastici habeant pinguius ius in ecclesiis patronatis, quàm laici: quia illi possunt exigere rationem administrationis rerum temporalium; non item laici patroni.*

QVÆSTIO SEXTA. Vtrum natura & qualitas beneficii à primo fundatore apposita mutari possit? 13
Respondeo & dico I. Si iusta & rationabilis fuit dispositio fundatoris, ea ab ipso Episcopo, vel alio Papa inferiore Prælato mutari non potest. Sumitur ex c. tua nobis, de testam. vbi dicitur: *In omnibus piis voluntatibus per locorum Episcopos prouidendum, vt secundùm defuncti voluntatem vniuersa procedant.* Quo loco Abb. n. 5. Couar. n. 11. annotarunt; A solo supremo Principe, qualis in Ecclesiasticis est Papa, vltimis voluntatibus per plenitudinem potestatis, ob causam iustam, derogari posse: iuxta Clem. quia contingit, de religios. domibus, & docet Rochus de iure patronatus, in sextum definit. verbum, q. 15. Cæsar Lambertinus de iure patron. q. 5. princ. a. 3. num. 6. Nau. de redit. Eccles. quæst. 1. mon. 50. num. 5. & lib. 3. consil. 5. de præb. n. 3. edit. 3.

Nota autem primò; Assertionem esse vniuersalem de omnibus vltimis voluntatibus, modò iustæ, & rationabiles sint; atque insuper certæ seu indubitatæ, sicuti bene admonet Rochus cit. q. 15. ex Baldo & aliis re-

gulam tradens: *Vbicunque dispositio defuncti certa est respe-ctu causæ, personæ loci &c. ab Episcopo alterari non potest.* Sin verò dubium sit de voluntate defuncti, ad loci Episcopum haud dubiè pertinet eam interpretari: Deinde, si voluntas defuncti irrationabilis existat, poterit se Episcopus opponere, vt executio non ita, sed aliter fiat: quandoquidem defunctus Episcopo legem imponere non potuit, quo minus de piis suis fundationibus aut relictis secundùm sacros canones, quod rectum & decens est, constituat, sicuti indicat Gl. cit. cap. tua nobis, ver. voluntatem, & docet Abb. ibid. n. 5. Idque etiam ciuili iure de relictis prophanis traditum est, l. legatum, ff. de vsufr. legato; Quòd legatum ad opus illicitum, v. g. spectaculum in ciuitate non permissum, hæredibus cedere non debeat, sed publica Magistratus potestate, cum hæredum consensu, ad aliud opus licitum applicari. Quin imò si hæres, aut patronus, aliúue, quorum interest, consentire nolint, etiam ipsis inuitis Prælatus disponere poterit.

Secundò notat, Assertionem maximè locum habere, si mutatio aliqua facienda sit cum præiudicio aliorum, qui etiam consentire recusant: quandoquidem *solius Principis supremi est, auferre vni & alteri dare* ait Gl. in cap. constitutus ver. à quocunque de religios. domibus.

Tertiò nota, dictam assertionem maximè locum habere, si qualitas seu conditio à fundatore apposita, mutanda sit in totum, seu in perpetuum: nam talem mutationem ab Episcopo institui non posse, fatentur omnes; cùm interim Lambertinus, & alii apud Rochum locis cit. permittant Episcopo, vt pro vna vice, aut breui tēpore mutationem aliquam dispensatiuè, ob causam rationabilem, efficere possit.

Dico II. Patronus, eiúsue hæres seu successor iuri
14 patronatus renuntiare potest suo arbitratu, & collationem beneficii liberam efficere, sicuti ex communi docet Rochus, ver. pro eo, quod de diœcesani consensu, q. 14. Lambertinus de iure patron. q. 5. princ. a. 3. nu. 2. Ratio est, quia in hoc casu proprio iuri renuntiat, & renuntiatio cedit in fauorem Ecclesiæ.

Dico III. Eadem ratione patronus minuere, vel tollere potest eas conditiones, quæ in solum suum fauorem, contra, vel præter ius commune, à fundatore appositæ sunt; v. g. vt seruitium aliquod ab Ecclesiæ Patrono præstetur, sicuti docet Lambertinus loco c. Sed & nouas conditiones, quæ Ecclesiæ vtiles sint, cum Episcopi consensu, ab hærede, patroni apponi posse, testatur Abb. in c. dilectus, de consuet. Rochus l. c. q. 13.

Dico IV. Conditiones, quas fundator, ob cultum diuinum, vel ob sui memoriam, honorem, & commodum familiæ suæ &c. obseruari voluit; eas hæres vel successor, quamuis consentiente Episcopo, mutare, vel tollere omnino non potest, contra defuncti voluntatem: Nam piam & honestam voluntatem defunctorum obseruari naturalis æquitas postulat, sicuti habetur in l. 1. C. de SS. Ecclesiis, c. vltima voluntas, 13. q. 2. & videri possunt, quæ dixi lib. præc. tra. 5. de iust. cap. 11. quæst. 3.

Ex his resolues primò; Quòd hæres, vel successor, ipséque Episcopus (nisi grauissima causa postulante) auferre non possint insignia fundatoris, posita in capella, vel Ecclesia, quam construxit, aut dotauit: Neque liceat successori, si alterius familiæ sit, sua insignia eo loco ponere: vt nimirum memoria primæ fundationis perpetuetur, qua de re vide Albertinum de iure patron. q. 5. principali, ar. 4. Eadémque est ratio de sepulchro fundatoris, tali lege expressa, vel tacita constituto, vt in eo soli descendentes, siue hæredes sanguinis sepeliantur: cuiusmodi appellantur sepulchra maiorum.

15 Eadémque ferme ratio esse videtur eorum benefactorum, qui Cappellam suis sumptibus extraxerunt, positis in memoriam insignibus suis, sepulchro &c. quæ proinde sine magna necessitatis ratione auferri non debent. Neque refert, etsi familia extincta sit, quia nihilominus optat fundator in hominum memoria viuere, præsertim Christianorum, quippe qui hac ratione excitantur ad orandum pro anima illius. Nam alioquin homines pij reuocabuntur ab eiusmodi constructionibus, si eorum iura, & positæ memoriæ in animarum suarum vtilitatem temere violentur. Possunt verò interim etiam aliorum nouorum benefactorum insignia & sepulchra in capellam admitti; saltem cum internotione, vt intelligatur, quis primus constructor fuerit: idque ob receptam DD. regulam; quòd fundator, vel benefactor non censeatur impedire velle Ecclesiæ vtilitatem.

Paulò alia ratio esse videtur de alijs benefactoribus qui ecclesiam, vel capellam non construxerunt, sed tantùm in ea ius sepulturæ sibi compararunt: nam licet his, & hæredibus eorum inuitis, extra casum necessitatis vel magnæ vtilitatis, alios ibi sepelire non liceat; quia talia sepulcra instar hospitij esse censentur iuxta c. Ebron, 12. q. 2. Atqui in fundo, in quo alter vsum habet, non potest dominus habitare, vsuario inuito, l. si hæres, §. fin. & l. seq. ff. de vsu & habitatione legata. Tamen posteaquam tota progenies benefactoris extincta est, multi censent, vsum capellarum, & sepulturarum eiusmodi aliis concedi posse, Azor in summa Instit. de vsu & habit. §. si verò vsus, & §. illud. Angelus ver. sepultura §. 41. Armilla n. 24. Rodriq. to. 3. reg. qq. q. 59. a. 10. Tum quia sicut morte vsufructuarij, eiúsque descendentium, redit vsusfructus ad proprietarium, iuxta l. corruptionem, C. de vsufructu; ita etiam ius capellæ, & sepulturæ mortuo benefactore, eiúsque hæredibus, redit ad ecclesiam, eiúsque Rectorem, vt alijs concedi possit. Tū quia alioquin impedirentur alij, quominus ecclesiam ornare, & beneficijs suis augere possint. Denique si causa necessitatis vel vtilitatis postulet, tunc Ecclesiæ Prælatus etiam inuito benefactore, aut hærede, ad quem ius sepulchri pertinet, alios in eo sepelire potest, sicuti docet Armilla lo. cit. Sa ver. sepultura, num. 5. Eodémque modo intelligendum puto Syl. eod. ver. q. 3.

Resolues secundò; Si fundator conditionem apposuit aliquem ex familia, ex gente &c. ad beneficium præsentandum, instituendúmque esse, si idoneus adsit, non posse tunc alium promoueri. Qua de re vide Nau. l. 2. consil. 7. de constit. 2.

Resolues tertiò; Non posse Episcopum reditus vnius 16
ecclesiæ pro fabrica deputatos, quatenus abundantiores videntur, ad alterius pauperioris ecclesiæ subsidium transferre. Quia res legata, vel dotata ad vnum vsum, non potest ad alterum transferri, nisi auctoritate Principis, l. Legata ff. de administrat. rerum ad ciuitat. pertinentium, & Clem. quia contingit, de religiosis domib. & docet ex communi Nau. lib. 3. consil. 15. de rebus Eccles. non alien. edit. 2. Quæ doctrina confirmari potest: Quia Ecclesia pupillo comparatur, cùm seipsum defendere non possit: quare sicuti tutor non potest alteri bona pupilli, cum eius detrimento, donare; ita neque ecclesiarum tutor seu administrator Episcopus: excepta plenitudine supremæ potestatis Papalis. Deinde excipienda est magna eáque manifesta abundantia redituum vnius ecclesiæ; item grauis necessitas alterius ecclesiæ, cui ob legem charitatis ac misericordiæ subueniendum sit ex reditibus superfluis; vt plebs, & alij, quorum interest, iniquo animo ferre non possint.

Resolues quartò; Si fundatio requirit, vt in certo loco, vel altari sacrificium offeratur, non posse ad alium locum transferri. Veruntamen nihil ob-

stabit, semel aut iterum alibi sacrificari, si patronus velit; vel causa necessitatis postulet. Qua de re Abbas consil. 96. volum. 2. Lambertinus quæst. 6. princ. a. 6. & 7.

Resolues quintò, Neque Episcopum, neque patronum numerum Missarum, vel præbendarum minuere, aut personalem residentiam in fundatione requisitam tollere posse, præterquam ex causa necessitatis, puta si temporis progressu reditus sufficientes non sint, ad tale onus seruitij, vel tantum numerum Capellanorum, Canonicorum &c. sustinendum, sicuti docet Abb. cit. consil. 96. & in c. nos quidem, num. 6. de testam. Lambertinus cit. q. 6. a. 7. Garcias de beneficijs p. 7. c. 1. num. 124. Azo. to. 2. lib. 6. c. 24. quæst. 6. & videri potest Trident. sess. 25. c. 4. iun. interpretatione Nau. c. 25. man. n. 130.

17 Ad extremum addo, quotiescunque casus aliquis siue circumstantiæ incidunt, ob quas à conditione beneficij rationabiliter recedendum videatur, talem intepretationem ac mutationem facere partim ad Episcopum pertinere; partim ad hæredem fundatoris, quippe qui ipsum fundatorem repræsentat, vt notauit Lambertinus q. 6. a. 7. n. 8. Neque his obstat, quòd canones & DD. significant, ad solum Papam pertinere fundatorum dispositiones ob iustam causam mutare. Respōdetur enim; Papam ex plenitudine potestatis suæ, perpetuam mutationem instituere posse, si causa subsit, etiam contra fundatoris voluntatem: Episcopum vero, cum fundatoris hærede, defuncti voluntatem secundùm Epiikeiam, ob incidentem aliquem casum, interpretari; interdum etiam pro vna, aut altera vice ob iustam causam dispensare posse; non autem penitus tollere, & immutare beneficij conditionem. quod etiam Felinus docuit in c. cùm accessissent, ibid. Abbas num. 5. de constitut. Nau. lib. 3. consil. n. 4. de Cleric. non resident. & de orat. c. 3. n. 73. Sa ver. benefic. n. 7.

Contrarium tamen docet Garcias p. 7. c. 1. n. 107 Propter Concilij Trident. sess. 25. c. 5. de reform. Verùm Trident. illa Constitut. non nouum aliquod ius conditum fuit; sed declaratum ac renouatum, quod antè prohibitum erat, ne Episcopis liceret iustis fundatorum voluntatibus derogare. Exigua autem, imò nulla derogatio esse censetur, si pro vna vice Episcopus in qualitate beneficij dispenset ob causam iustam, & ita comparatam, vt si fundator nunc viueret, facilè concessurus esset: modò etiam patronus, tanquam fundatoris successor, consentiat, vel talis necessitas sit, vt rationabiliter consentire debeat. Exemplum est: Si fundator clarè expressit, Capellaniam sacerdotio insignitis conferendam esse: modò autem se non offerat idoneus, nisi subdiaconus aliquis, qui intra annum sacerdotium accepturus est; puto, huic conferri posse, cum consensu patroni. Cauendum tamen est, ne dispensatiua mutatio fiat cum diminutione cultus diuini, aut cum præiudicio personæ tertiæ: vt si beneficium fundatum sit pro certa familia, atque aliquis ex ea idoneus se offerat, non potest illo repudiato, alteri quantumuis digniori conferri.

18 QVÆSTIO SEPTIMA. Quibus ius patronatus competere possit? Respondetur; Non tantùm masculo, sed etiam fœminæ, c. vlt. de concess. præbendæ. Non tantùm puberi, sed etiam impuberi: Non tantùm legitimè nato, sed etiam illigitimo, arg. capite piæ mentis, &c. Frigentius, 16. quæstione 7. in quibus habetur, omni Christiano ius patronatus competere posse.

Duo tamen obiter aduerte: I. Si ius patronatus annexū sit bonis à muliere marito in dotē datis probabilius videri, quòd ius præsentandi ad maritum pertineat: quia trāsit cum vniuersitate rerū ac iurium: secùs, si patronatus annexus sit alijs bonis vxoris in dotem non allatis. tunc enim ad ipsam propriè pertinet præsentatio, sicuti docet Nicol. Garcias p. 5. c. 9. num. 177. contra Azor. to. 2. l. 6. c. 21. n. 16.

II. Quòd præsentatio patroni ætate minoris valida sit, nec reuocari possit; quamuis sine curatoris auctoritate facta. quia curator non datur minori quoad Ecclesiastica, & spiritualia. De pupillo autem paulò alia est ratio: cùm tutor constituatur etiam ad actiones personæ regendas: quare æquum est vt tutoris auctoritas adhibeatur, imò tutoris præsentatio loco pupilli admitti potest, nisi is rationis discretione præditus cōtradicat. Qua de re idem Garcias n. 188.

QVÆSTIO OCTAVA. Quid agendum sit, si plures existentes patroni in præsentando non consentiāt? Respondeo, & dico I. Si ius præsentandi pluribus patronis competat coniunctim, siue vt Vniuersitati, vel Collegio, necesse est consentire maiorem partem totius corporis, sicut suprà de elect. dictum est; & docet Abb. in c. quoniā de iure patron. n. 13. Ioan. Nicol. Delphinas de iure patron. lib. 2. q. 30.

Dico II. Si plures ius præsentandi habeant diuisim, siue vt personæ singulares, tunc is, in quem plures comparatione aliarum partium consentiunt, alijs præsentatis præferendus est, iuxta cit. c. quoniam, & c. vlt. d. 63. Verbi gratia, si quatuor patroni sint, quorum duo consentiant in Titium, tertius in Caium, quartus in Sempronium; institui debet Titius. Sin verò vnus eorum, cui ius præsentandi competit, contemptus fuit, is infirmare potest præsentationem; argum. c. venerabilem, de elect. Quamuis, si velit, etiam postea consensu suo eam ratificare poterit, argum. c. cura de iure patronatus, vbi Abbas num. 2. ait: *Si ad actum requiratur alicuius consensus, sufficit si superueniat post factum: & quamuis actus ob defectum consensus fuerit nullus, valebit tamen ex quo consensus datus fuerit.* Vide Addit. ad lit b. Quòd si verò duo, vel plures præsentati paria suffragia habeant, præferri debet, qui magis idoneus est, si maioribus meritis iuuatur, Episcopi iudicio, cit. cap. vlt d. 63. Sin æquè idonei videantur, is quem Episcopus maluerit: *cùm enim omnia paria sunt, tunc gratificationi locus est*, ait Abbas in cap. cùm autem, num. 3. de iure patronatus. Delphin. quæst. 32. Rochus in ver. honorificum, quæst. 14. Imò aliqui apud Abb. ibid. Syl. ver. ius patronatus, quæst. 8. aiunt; Episcopum liberè instituere posse, quem voluerit, si patroni intra tempus ad præsentandum ipsis concessum non consentiant, sed paribus, vt dixi, suffragijs discordent, argum. cit. c. quoniam, vbi duo casus exprimuntur, in quibus libera collatio Episcopo conceditur: Primus, Si ob discordiam patronorum scandalum oriturum sit, si Episcopus vnum ex præsentatis, quamuis pluribus, quàm alij, suffragiis aut meritis munitum, instituat. Secundus, Si contentio de iure patronatus oriatur, eáque intra tempus, patronus ad præsentandum concessum, non fuerit definita, cap. si verò, cap. cùm propter, eodem tit.

Denique, si lis alicui mota sit de possessione iuris patronatus, interim ab eo præsentatio admittenda non est, argum. cap. ex literis, eod. tit. vbi id docet Abbas n. 19
7 & Gl. in cap. 2. ver. electionem, de in integr. restitut. Sin verò bonæ fidei possessori lis mota est super proprietate iuris, admittenda quidem est præsentatio, sed præsentatus pendente lite institui non debet. Alia verò ratio est, si possessor ante litis contestationem præsentauit, tunc enim institutio fieri debet, nihil obstante, quòd lis superuenerit. Ita ex communi Abb. in cit. c. ex literis, num. 8. & cit. 2. cap. 1. num. 22. Rochus ver. competens alicui, quæst. 23. Lambertinus p. 6, a. 3. Ratio est: Quia præsentatio est veluti fructus quidam iuris patronatus: Plus autem iuris habet bonæ fidei possessor in fructibus ante litis contestationem, quam postea, sicuti

dixi lib. præced. tract. 2. cap. 3. nu. 1. Vide etiam Abb. in cap. consultationis, num. 9. de iure patronatus vbi ait; Actum præsentationis, cùm sit quasi fructus quidam, propriè ad bonæ fidei possessorem pertinere; vt ab ipso præsentatus, & ante litis contestationem institutus, omni iure tuendus sit: quamuis postea appareat, patronatum iure proprietatis ad alium pertinuisse. Sin verò ante institutionem constet de iure proprietatis, tunc possessor, cùm malæ fidei esse incipiat, nullo modo admittendus quia proprietas absorbet causam possessionis iuxta caput cùm dilectus, de causa possessor, & propriet.

20 QVÆSTIO NONA. Quibus modis ius patronatus transferatur? Respondetur, Quatuor modis, Successione, donatione, permutatione, venditione vniuersitatis. Ita Gl. c. cùm seculum, ibid. Abb. n. 3. de iure patron. Syl. quæstione 4. Successione hæreditaria ius patronatus deuolui potest tam ex testamento, quàm ab intestato; non solùm ad agnatos, sed etiam ad extraneos masculos, & fœminas. Cæterum, si duobus v. g. existentibus patronis, vnus eorum patronatum in plures seu testamento, seu contractu transmittat; hi plures succedunt in locum vnius, vnámque in præsentatione vocem habent, sicuti decisum est in Clem. 2. de iure patron. iun. Gl. & fusè explicat Rochus de translat. iuris patron. in decimum definitionis verbum. Additur verò in eadem Clement. *Vt faciliùs prouideatur ecclesiis, conueniens reputamus, patronos ipsos inter se posse liberè conuenire, de Recto re ab eis alternis vicibus præsentando.* Addit Gl. prima communiter recepta, quòd patroni plurium ecclesiarum inter se iura sua diuidere possint, vt vnus præsentet in vna, alter in alia.

Donatione gratuita patronatum transferri posse, colligitur ex cap. ex insinuatione, de iure patron. Sed refert, vtrum donatio fiat Ecclesiæ Monasterio, & vno verbo, loco pio, seu religioso, an alteri personæ, vel Cõmunitati. Nam in primo casu non requiritur Episcopi consensus, sicuti constat ex cap. vn. de iure patron. in 6. & c. illud, extra, eod. & tradit Abb. ibid. num. 5. & in c. de Monachis, numero 13. de præb. At verò in altero casu adeò requiritur, vt alter facta donatio non valeat. ídque ob eam causam, quò prouidere Episcopus possit, ne ecclesia detrimentum patiatur, si fortè patronatus in potentiorem, vel asperiorem possessorem transferatur. Sufficiet tamen, consensum Episcopi postea præstari, sicuti annotauit Abb. in cit. c. cùm seculum n. 6. de iure patron.

Illud etiam probabile est, si duobus existentibus patronis, vnus ius suum alteri remittat, & condonet, eo casu non requiri Episcopi consensum argum. Clem. 2. de iure patron. iun. Gl. 1. & disputant Gl. & DD. in cit. c. ex insinuatione, eod. tit. Azor tom. 2. lib. 6. ca. 20. q. 6. His adde, quòd Abb. notat in cit. c. cùm seculum num. 6. quæ de gratuita donatione iuris patronatus dicta sunt, similiter locum habere, si ius patronatus alicui per se & solitariè legatum sit.

Permutatione ita demum concessa est translatio iuris patronatus, si fiat non cum re temporali, sed spirituali; puta alio iure patronatus, sicuti docet Innoc. in rubrica de iure patron. Hostiensis in summa eiusdem, ex c. nemini, 16. q. 7. c. ad quæstionem, & c. vlt. de rerum permutat. Porrò, vt in alium patronum laicum, aliámue priuatam personam patronatus permutatione transferri possit, Episcopi consensus requiri videtur: quia, vt suprà dictum, interest id ecclesiæ, ne nouum patronum deteriorem acquirat. Qua de re Abb. in cit. c. illud Rochus l. c. q. 16. Azor q. 7.

Denique ius patronatus transfertur per accidens, siue accessoriè vnà cum vniuersitate, quæ alicui venditur, legatur, donatur, in feudum datur, c. ex literis, c. cùm seculum, de iure patron. Vbi DD. hanc regulam tradũt: Alienata vniuersitate, transferuntur omnia iura adhærentia vniuersitati, quæ ab eo, cui fit alienatio, possideri possunt, nisi excipiantur. Qua re vide Couar. lib. 2. resol. c. 18. n. 6. Suarez t. 1. de relig. tr. 3. l. 4. de Simon. cap. 28. num. 19. Nicol. Garciam p. 5. de benef. cap. 9. Nomine autem *vniuersitatis bonorum*, intelligitur hæreditas, ciuitas, castrum, villa &c. in quibus non tantùm res corporales, sed etiam iura contineri solent, sicuti docet Abb. in cit. c. ex literis, num. 12. Azor cit. cap. 20. quæst. 8.

Nota igitur, licet ius patronatus per se vendi nequeat, 21 sicuti habetur in c. de iure, eod. tit. tamen per accidens vendi, seu potiùs per venditionem transferri posse; modò in venditione, aliáue commutatione rerum temporalium quibus ius patronatus annexum est, nulla eius ratio habeatur in æstimatione; sicuti ex communi monet Palud. in 4. d. 25. q. 5. a. 2. S. Bonau. ibid. a. 1. quæst. 3. Binsfeldius tit. de simon. c. 15. concl. 3. Suarez citat. cap. 28. num. 13. 17. Nam si supra iustum rei temporalis valorem aliquid daretur, vel acciperetur ratione iuris patronatus, tunc ius spirituale per se emeretur, & venderetur, quod simoniacum est: quamuis contrarium doceat Garcias p. 5. c. 9. n. 35. & significat Mol. to. 3. priore, disp. 620. n. 6. in fine. Præterea, licet patronatus per se, ac seorsim, absque consensu Episcopi, aliis, quàm loco religioso donari, legari, permutari non possit, vt suprà dictum; tamen per accidens siue accessoriè cum re, cui inhæret, liberrimè transfertur, tam inter viuos, quàm per vltimam voluntatem, sicuti ex communi docet Suarez cit c. 28. n. 17.

Porrò, præter modos enumeratos, non est alius transferendi ius patronatus: cùm neque alius modus iure canonico permissus reperiatur. Est enim regula recepta DD. Quòd patronus ius patronatus ad alium transferri non potest, nisi in casibus iure expressis: cùm sit beneficium & gratia, (sic enim appellatur in Conc. Arausicano I. can. 10.) quæ etiam laicis competere potest: Laici autem in spiritualibus non plus possunt, quàm ipsis in sacris canonibus expressè permissum est, sicuti ex communi notauit Suarez cit. c. 28. num. 15. Ex quo colligitur, quòd neque per locationem fundi ad breue tempus ius patronatus conductori acquiratur, sicuti ex communi docet Abb. c. cùm Bertoldus, de sent. & re iudic. & c. ex literis, n. 5. de iure patron. Rochus Curtius de iure patron. decimo. definit. verbo, quæst. 26. Neque per fundi oppignerationem, sicuti annotauit Gl. in cit. cap. cùm Bertoldus, ver. patrono, Rochus cit. ver. quæstione 27. Garcias p. 5. cap. 9. numero 178. Syl. ver. ius patronatus, quæstione 5. dicto 5. Ratio est, quia nec per dictam locationem, nec per oppignerationem dominium rei transfertur; ideóque alienationis nomine non comprehenduntur. Interim verò nihil obstare videtur, quominus debitor creditori fundum hypothecæ nomine possidenti committere possit, vt suo nomine præsentationem faciat, sicuti notat Gl. marginalis in cit. cap. Bertoldus, prope finem, & consentiunt ea, quæ docet Abb. in cap. vlt. num 6. de concess. præb.

CAP. XIV.

DE REQVISITIS QVALITATIBUS eorum, quibus ecclesiastica beneficia conferuntur.

SVMMARIVM.

1 *Ad omnia beneficia simplicia secundùm ius Tridentinum requiritur ætas incoata quatuordecim saltem annorum; ad curata verò maiore ætate opus est.*

2 *Quædam beneficia ſacerdotalia ſunt, quædam diaconalia &c. idque vel actu; vel aptitudine,*

Iure communi neceſſe non eſt ordinem ad beneficium requiſitum actu habere: ſed ſatis eſt, ſi inſtituendus intra annum ſuſcepturus ſit.

3 *Inſtituendus ad beneficia ex legitimo matrimonio natus eſſe debet.*

4 *Illegitimus diſpenſatus abſolutè ad beneficia, non inde cenſetur habilis ad beneficia curata, aut dignitates.*

5 *Filius illegitimus in eadem eccleſia, vbi eius pater beneficium obtinet, vel obtinuit, inſtitui, aut ex officio miniſtrare non poteſt.*

6 *Filius legitimè natus non poteſt patri ſuo in eodem beneficio immediatè ſuccedere.*

7 *Si beneficiatus matrimonium validè contrahat, vel Religionem profiteatur, vacat ipſo iure eius beneficium: Sin verò inualidè, per Iudicis ſententiam priuandus eſt, niſi cum eo diſpenſetur.*

8 *Per Religionis profeſſionem ipſo iure vacare incipiunt omnia beneficia antè habita. Nouitio autem pro tempore durantis nouitiatus, conſtituto vicario, beneficia reſeruari debent.*

9 *Neceſſe non eſt, vt qui beneficium Eccleſiaſticum accipit, propoſitum omnino abſolutum habeat in ſtatu clericali permanendi.*

10 *Qui beneficium curatum ſuſcipit ſine propoſito intra annum ſacerdotium accipiendi, ſi non promoueatur, omnes fructus perceptos reſtituere debet.*

Epiſcopus tamen cum eiuſmodi promoto ratione ſtudiorum ad tempus ſeptennij diſpenſare poteſt.

11 *Qui beneficium non curatum accipit, cui obligatio ſacri ordinis annexa eſt, debet habere propoſitum (ſaltem conditionale, niſi aliqua rerum mutatio interuenerit) intra tempus iure requiſitum ſe habilem efficiendi: alioquin peccat mortaliter; licet ad fructuum reſtitutionem non teneatur.*

12 *Qui ſimplex beneficium, cui nullus ſacer ordo annexus eſt, eo animo accipit, vt fructus aliquamdiu lucretur, poſtea ad ſtatum ſecularem rediturus, peccat quidem, ſed non mortaliter, per ſe loquendo.*

1 INTER qualitates requiſitas primo loco numeramus ætatem, quæ in omnibus ſimplicibus beneficiis ſaltem 14. annorum inchoata eſſe debet, iure nouo Trident. Concilii ſeſſ. 23. c. 6. de reform. cùm iure antiquo completi ſeptennij ætas ſufficeret, qua de re Abb. in c. ſuper inordinata, de præb. n. 6. Rebuffus, tit requiſita ad collationem bonam, n. 36. Henriq, lib. 10. c. 19. Zecchus de beneficiis, cap. 3. Azor cit. l. 6. c. 5. Leſſius c. 34. dub. 20. Garcias p. 7. c. 4. de beneficiis. Excipe; Niſi in fundatione beneficii aliter cautum ſit: id enim ſeruari debet, ſicuti ex declaratione Cardinalium refert, & teſtatur Sa ver. beneficium, n. 30. Garcias l. c. num. 9.

Porrò ſpecialiter decretum eſt in Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de reform. vt nemo ad canonicatum, vel dignitatem admittatur, niſi eo ordine inſignitus ſit, quem beneficium illud poſtulat, Quare cùm in Eccleſiis Cathedralibus Canonici omnes ſaltem ſubdiaconi eſſe debeant, vt in eadem Trident. conſtitutione habetur; ſequitur, neminem in Eccleſia Cathedrali canonicatum obtinere poſſe, niſi eam ætatem aſſecutus ſit, vt intra tempus à iure definitum, videlicet intra annum, ſubdiaconus fieri poſſit: quare ſaltem XXI. ætatis annum inchoaſſe debet, ſicuti indicat Trident. cit. c. 12. §. neminem etiam, iun. ſeſſ. 22. cap. de refor. & explicat Azor l. c. quæſt. 5. §. Verùm, Leſſ. cit. cap. 20. num. 110. Nau. conſil. 8. n. 2. de præb. edit. 2. Ad canonicatum verò non habentem annexum ordinem ſacrum, in Eccleſia Collegiata ſufficit ætas annorum XIV. ſicuti ad alia beneficia ſimplicia, teſte Azorio quæſt. 6. Henriq. cit. cap. 19. numero 2. Garcia n. 39. Sed interim dum ſubdiaconi ordinantur, neque in Cathedrali, neq. in Collegiata ſeculari vel regulari Eccleſia vocem in Capitulo habere poſſunt. iuxta Clem. 2. de ætat. & qualit. Idémque ſtatuit Tridentina Synodus in cit. c. 4. Sed circa hæc attendendæ etiam ſunt ſpeciales Eccleſiarum conſtitutiones, conſuetudines, ac priuilegia.

Quod verò attinet ad beneficia duplicia, ſi non habeant annexam curam animarum, cuiuſmodi ſunt quædam dignitates, vel perſonatus, viginti duo anni requiruntur in cit. cap. 12. ſeſſ. 24. Et quidem completi, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, apud Leſſ. num. 108. Garciam num. 67. contra Sa num. 31. Nam Concilium requirit, vt non ſit minor XXII annis. qua loquendi forma anni completi in iure intelligi ſolent. Ad curata autem beneficia quæcunque, neceſſe eſt prouidendum XXV. ætatis annum attigiſſe, ſicuti habetur in c. cùm in cunctis, §. inferiora, de elect. c. licet canon. de elect. in 6. & in Trident. cit. cap. 12. & videri poteſt Nau. cap. 25. man. num. 116. Quare idem quoque dicendum eſt de Abbate, poſſe aliquem eligi, dummodo ætatis annum XXV. attigerit, teſte Abb. in cit. c. ſuper inordinata, num. 7. Armilla ver. Abb. num. 1. Ad Abbatiſſam verò, triginta anni completi requiruntur, in cap. indemnitatibus, de elect. in 6. Nouo autem Tridentino Concil. ſeſſ. 25. cap. 7. de Regular. ſtatutum eſt, vt in Abbatiſſam, & quamuis Præpoſitam Regularium non eligatur minor quadraginta annis, quæ octo antè annis profeſſa ſit: quòd ſi talis in Monaſterio non reperiatur, ex alio eiuſdem Ordinis eligi poſſit: ſin verò id Superiori, qui electioni præeſt, expedire non videatur, tum demum eligere liceat ex ijs, quæ trigeſimum ſaltem annum exceſſerunt, & quinque annis poſt profeſſionem in illo Monaſterio laudabiliter vixerunt. Denique qui in Epiſcopum eligitur, XXX. annos compleuiſſe debet, cit. c. cùm in cunctis Trident. ſeſſ. 22. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 1. de reform. Vide etiam de pueris non facilè inſtituendis Henricum Gandauenſem quodl. 9. q. 30. Ioan. Maiorem in 4. d. 24. q. 5.

Altera qualitas requiſita ad beneficium aſſequendum eſt clericatus, ſiue prima tonſura. Quæ eſt omnium DD. ſententia. & colligitur ex cap. cùm adeò, de reſcriptis, vbi id notat Gloſ. ver. Clericus. Ex quo colligit Garcias p. 7. c. 1 num. 25. quòd irrita ſit præſentatio abſolutè facta, ſi præſentatus eo tempore, quo Epiſcopo exhibetur, ſit laicus. Cæterum aduerte, quædam beneficia eſſe ſacerdotalia, quæ de iure, conſuetudine, aut propria fundatione, ordinem ſacerdotalem requirunt: Alia diaconalia, quæ ordinem diaconatus poſtulant &c. Idque duobus modis; vel aptitudine, vel actu ipſo. Et quidem iure communi neceſſe non eſt inſtituendum actu habere ſacrum ordinem, quem Eccleſiæ beneficium requirit; ſed ſatis eſt, ſi intra annum, iuſto impedimento ceſſante, ſe promoueri fecerit, ſicuti dicitur in Clem. 2. de ætate & qualitat. & docuit Gl. in c. præterea, ver. breue tempus, de ætate & qualitat. & ordine præficiendorum, & videri poteſt Trident. ſeſſ. 22. cap. 4. de reform. Præterquam, quòd Epiſcopus, cùm eligitur, ſubdiaconus eſſe debet, c. à multis, eodem tit. Quamobrem ſi in fundatione alicuius capellaniæ requiratur Capellanus, qui per ſeipſum celebret, benignè & conformiter iuri communi cit. Clem. &c. ei cui de præbend. in 6. explicari id poſſe videtur, ſatis eſſe, ſi intra breue tempus ordinem ſacerdotij ſuſcipere poſſit; niſi aliud fundator expreſſerit, ſicuti docet Zecchus de Republ. Chriſtian. c. de beneficiatis, n. 4. in fine.

Porro ſi fundator ſolùm requirat certum Miſſarum numerum, vel vt Cappellanus, ad tale beneficium promotus, toties ſacrificet, non cenſebitur Capellania ſacerdotalis, ſeu actu, ſeu aptitudine: & nihil obſtabit, quominus alicui conferatur, qui non per ſe, ſed per Vicarium ſatisfacturus ſit: Niſi aliam fuiſſe fundatoris voluntatem, liquido appareat, ſicuti docet Garcias num. 86. Sa ver. beneficium, num. 28. allegata Cardinalium reſponſ. Ratio eſt: Quia ſi fundator de beneficio expreſsè nihil diſponat, relinquit illud diſpoſitioni Ordinarij.

Tertia qualitas eſt: Vt promouendus ex legitimo matrimonio natus ſit; vel ſaltem à ſummo Pontifice, alióue habente Eccleſiaſticam ad id poteſtatem, diſpen-

ſatus

ſatus, vel legitimatus iuxta c. 1. de filijs Presbyterorum in 6. Vbi tria aduertenda ſunt, cum Gl. & DD. ibid. Rebuffo in praxi tit. de diſpenſat. ſuper defectu natalium, Leſsio cap. 34. dub. 18. I. Epiſcopus cum illegitimo, etiam ſpurio, diſpenſare poteſt, vt ad ordines minores, & beneficia ſimplicia, quibus ſacer ordo annexus non eſt, admittatur; non item ad dignitates, & perſonatus, neque ad beneficia curata, c. vlt. extrà, de filiis presbyterorum.

II. Si illegitimus, diſpenſationem à Papa, eiúsue legato acceperit, vt ad ſacros ordines admitti poſſit, etſi non hoc ipſo ad beneficia quoque diſpenſatus cenſeatur, tamen accedente diſpenſatione Epiſcopi, ad quæuis ſimplicia beneficia, etiam Eccleſiæ Cathedralis canonicatum, admitti poteſt, niſi Eccleſiæ conſuetudo repugnet.

4 III. Illegitimus diſpenſatus ad beneficia ſimpliciter, non ideo cenſetur diſpenſatus ad curata, quippe in quibus maior habilitas requiritur, iuxta cap. cùm in illis, de præbend. in 6. Neque ad dignitates & perſonatus, quippe quæ communi beneficiorũ nomine non veniunt. Neque denique ad Eccleſiæ Cathedralis canonicatum, arg. c. quamuis, 1. de præbendis, in 6. Vbi notant DD. quòd in odioſis nomine generali Eccleſiarum, Cathedralis Eccleſia, ob ſpecialem eius honorem, non comprehendatur. Neque item diſpenſatus ad beneficia quæcunque; etiam dignitates, cenſeri debet diſpenſatus ad Prælaturam, cit. c. cùm in illis; nec ad dignitatem in Eccleſia principalem, multóq; minùs ad Cardinalitiam, ſicuti docet Maiolus l. 1. de irregul. c. 9. Quauis talis promoueri poſſit ad maiores ordines, & eccleſiã parochialem: quia dignitas ſiue perſonatus, & eiuſmodi beneficium curatũ inter ſe æquiparantur, c. dudum, 2. de elect. & docet Vgol. de irregular. cap. 44. §. 4. Vide Rebuff. l. c. n. 50. Garciam num. 71. vbi aduertit, hodie Rom. Curiæ praxin eſſe, vt cum illegitimis diſpenſetur ad obtinenda beneficia quæcunque, præter dignitates, ac canonicatus in Cathedralibus, & principalem in Collegiata.

5 Præterea in Trid. Synodo ſeſſ. 25. c. 15. de reform. extenſa eſt antiqua conſtitutio c. ad præſentiam, & c. cùm decorem, de filiis Presbyt. atq; decretum: *Vt paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo conſecratis, quos maximè puritas ſanctitaſque decet, longiſsimè arceatur, non liceat filiis Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſiis, vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam diſsimile beneficium obtinere; nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent vel alias obtinuerunt, habere.* Et habet hæc conſtitutio etiam locum in filiis Clericorum naturalibus; id eſt, qui ante clericatum ex fornicatione nati ſunt, ſicuti ex Cardinalium declaratione teſtatur Garcias p. 7. c. 3. n. 15. Non item in nepotibus, ex Clericorum filiis ſeu legitimè, ſeu illegitimè procreatis, ſicut cum Gl. communiter recepta in c. 1. d. 56. ver. filios. contra Rebuffum & quoſdam alios, docet Nau. lib. 1. conſil. 9. de filiis presbyt. edit. 2. Rodriq. to. 1. c. 29. concl. 4. Garc. l. c. Quia appellatione filiorum in materia pœnali (qualis hæc conſtitutio eſt facta in odium incontinentiæ paternæ) non comprehenduntur nepotes, ſicuti docet Bartol. in l. librorum, ff. de ver. ſignif. Couar. 2. reſol. c. 8. n. 2. arg. l. lege Iulia, §. hoc capite, ff. de ritu nuptiar. Accedit, quòd ratio abolendi memoriam incontinentiæ paternæ magis procedat in filio, quàm in nepote ex filio, aut filia.

Præterea, quod Concilium prohibet, *quoquo modo miniſtrare*, intelligi debet tanquam ex officio. & ob ſtipendium, v. g. Cooperatorem, Cantorem agendo: interim verò non prohibetur filius illegitimus ex deuotione miniſtrare, vel celebrare in eccleſia, vbi pater beneficium habet, ſicuti docet Garcias cit. c. 3. nu. 70. contra Nau. lib. 1. conſil. 1. quæſt. 17. de conſtit. edit. 2. Neque item prohibetur filius illegitimus beneficium accipere in eccleſia, in qua pater eius miniſtrauit, ſed ſine titulo beneficii, v. g. Capellanum, vel Vicarium temporalem agendo, iuxta c. conſtitutus, de filiis Presbyt. & docet Garcias numero 71. Vide etiam Nauar. in auctario cap. quando, de reſcriptis, vbi reſoluit, licet pater beneficium ſuum reſignârit, vel mortem obierit, non permittendum tamen ſecundùm Tridentinum, vt filius in eadem eccleſia beneficium obtineat.

Quod verò ad legitimos Clericorum filios attinet, ii poſſunt beneficia in eadem Eccleſia cum patre obtinere, c. adhæc, de filiis Presbyt. dummodo patri in eodem beneficio immediatè non ſuccedant, c. conſtitutus, c. ex tranſmiſſa, ad extirpandas, c. dilectus, eod. tit. *Cùm in beneficiis Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſsionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum decretis contraria*, ait Triden. ſeſſ. 25. c. 7. de reform. Sed quid ſentiendum de nepote, vtrum auo in eodem beneficio immediatè ſuccedere poſſit? Affirmatiuam partem videntur tenere Gl. in c. Apoſtolicæ 8. quæſtione 1. Nauar. cit. conſil. 9. de filiis Presbyter. Garcias cit. n. 23. Sed contrarium placet, cum Gl. cit. c. ad extirpandas, ver. filii Presbyterorum, Rebuffo de diſpenſat. ſuper defectu natalium, num. 27 Syl. ver. beneficium, 3. q. 6. Leſſ. lib. 2. c. 34. n. 91. Nepotem mortuo patre ſuo, non poſſe immeditè ſuccedere auo in eodem beneficio: quia nepos, quod ad iura ſucceſſionis attinet, ſuccedit in locum patris demortui, ideóque inſtar filii reputantur, ſicuti conſtat ex Inſtit. de hæred. qualit. & different. §. ſui autem, & neceſſarii. Quare cùm ratio tota, ne in beneficiis quaſi hæreditario iure ſuccedatur, locum etiam habeat in nepote legitimo poſt mortem patris ſui, & alioquin diſpoſitio Eccleſiis fauorabilis ſit; dicendum videtur, nomine filiorum etiam nepotes legitimos comprehendi. 6

Veruntamen vice verſa, pater nullo iure prohibetur filio ſuo legitimo, ſeu illegitimo, mediatè, vel immediatè in beneficio ſuccedere. Quamuis non poſſit obtinere beneficium in Eccleſia, in qua eius filius illegitimus de facto miniſter, vel beneficiatus eſt, ſicuti notauit Garcias n. 30.

Quarta qualitas eſt cœlibatus. Nam coniugatus ad Eccleſiaſtica beneficia admitti non debet: *Niſi fortè caſtitatem voueat perpetuam, & qui vnicam virginem habuerit vxorem*, vti dicitur in c. 2. de clericis coniugatis; qua de re dicam lib. 5. tr. vlt. p. 3. c. 7. n. 3. Adde, ſi beneficiatus matrimonium validè contrahat, ipſo iure amittere beneficium; quippe cùm Clericus coniugatus beneficii poſſidendi incapax ſit, perinde ac laicus, ſicuti colligitur ex c. 1. & c. diuerſis, eodem tit. & docet Gl. cit. c. 1. ver. relinquenda, Nau. c. 25. num. 119. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 42. Leſſ. dub. 21. Azor p. 2. lib. 7. cap. 16. q. 4. & ſeqq. Garcias p. 11. cap. 8. Etiamſi vxor, matrimonio non conſummato, Religionem ingrediatur: Quia *ius ſemel extinctum non reuiuiſcit, etſi cauſa extinguendi poſtea ceſſet*, arg. Clem. gratiæ, de reſcript. vbi id notat Gl. ver. reſignaueris. Abb. cit. c. 1. n. 6. de cleric. coniug. Nau. l. c. Sanchez n. 6. contra Leſſ. li. 2. c. 34. n. 113. 7

Dixi autem, *ſi validè contrahat*: ſin verò matrimonium beneficiati ob aliquem defectum valore careat, non videtur beneficium ipſo iure vacare; ſed ita contrahentem priuandum eſſe, niſi cum ipſo diſpenſetur. Quod de beneficiatis in ſacro ordine, ſi matrimonium contrahere præſumant, ſatis clarè definitur in cit. cap. De aliis verò Clericis ordinum minorum communis fermè eſt ſententia Doctorum, ipſo facto priuatos eſſe beneficio, ſi matrimonium, quamuis inualidè,

contrahant. Ita Nau. cap. 25. num. 120. Syl. ver. beneficium, 3. q. 22. Armilla n. 20. Rodriq. to. 1. ſum. c. 30. concl. vlt. Azor to. 1. lib. 13. c. 13. q. 5. & 8. Sed contraria ſententia eſt probabilior, quam tradit Sanchez lib. 7. diſp. 43. Leſſ. lib. c. Quia inualidè contrahens, neque ob tacitam renuntiationem ius beneficii amittit; cùm nulla renuntiatio, niſi facta ſit in manibus Epiſcoporum, vim ſuam obtineat, c. cùm iam pridem, c. cùm in dubiis, de renunt. Neque amittit ob iuris diſpoſitionem, quia canones ipſo facto priuãtes beneficiatum, ſi vxorem accipiat, loquuntur de matrimonio valido cùm dicatur in cit. c. 1. cogendum eſſe contrahentem, vt vxorem retineat.

Illud verò adhuc certius eſt, quòd docet idem Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 2. num. 8. Garcias de benefic. p. 11. c. 8. num. 15. Rodriq. li. c. Si Clericus in mino ribus ſine parochi præſentia contrahat, non amittere ipſo iure beneficia, quæ poſſidet. Cùm enim præſentia parochi pertineat ad formam ſubſtantialem matrimonii, eâ intermiſsâ non poteſt cenſeri matrimonii contractum celebraſſe, ſed potiùs ſponſalia de futuro, per quæ beneficia non amittit ipſo facto certum eſt; imò nec priuandum eſſe, ait Garcias nu. 19. Sanchez lib. 7. diſp. 42. n. 1. Certum iterum eſt, quòd beneficium non vacet ipſo iure, matrimonium irritum fuit ob defectum cõſenſus voluntarii: cũ hoc caſu tacita renuntiatio Clerici manifeſtò ceſſet, ſicuti notauit Leſſ. l. c. Garcias n. 20. Azor cit. q. 8. Leſſ. cit. n. 113.

Plurimùm autem refert, vtrũm dicamus, Clericũ matrimoniũ inualidè contrahentem hoc ipſo beneficiis priuari, nécne. Si enim ipſo facto non perdit, poteſt ea reſi gnare in gratiam alterius, antequam per Iudicis ſenten tiam priuetur: ſecùs, ſi ipſo iure perdidit, ſicut notauit Sanchez cit. diſp. 43. n. 9.

8 Porrò ſicuti matrimonio carnali, ita & ſpirituali, ſiue Religionis profeſſione expreſſa vel tacita, ipſo iure vacant beneficia antè habita, iuxta cap. beneficium, de Regular. num. 6. Tempore autem probationis, ſiue nouitiatus reſeruari debent beneficia: eiſque Nouitius, non niſi intra duos menſes profeſſionem antecedentes renuntiare poteſt, iuxta Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regular. & dixi libro præced. tract. 5. cap. 7. quæſt. 3. dicto 4.

Quinta qualitas eſt morum probitas, c. cùm in cunctis de elect. c. graue nimis, de præb. Clem. de ætate & qualit. Eiúsq; rei quàm maximam rationem habendam eſſe, monet Leſſ. dub. 23.

Sexta eſt literarum ſcientia, pro qualitate ac conditione beneficii, vti conſtat ex citatis iuribus, iuncto cap. venerabilis, de præbend. & videri poteſt Io. Maior in 4. d. 24. quæſt. 6. Concil. Trident. Seſſ. 24. c. 12. & 18. de reformat.

Septima. Vt ad beneficium promouendus non ſit irregularis, aut cenſura aliqua irretitus. Qua de re dixi li. 1. tract. 5. p. 2. c. 2. n. 7.

Octaua. Vt beneficium regulare alicui conferatur, de bet eſſe eiuſdem Ordinis profeſſus, vel qui promittat ſe intra certum tempus ſuſcepto habitu profeſſionem editurum, iuxta Trident. ſeſſ. 14. cap. 16. de reformat. iuncta interpretatione Sanchez lib. 7. moral. c. 4. num. 24. Beneficium autem ſeculare, curam animarum non habens, conferri non poteſt Regulari profeſſo, iuxta cap. ſuper eo, de Regular. Clem. vn. de ſuppl. neglig. Prælatorum. Imò iure nouo neque curata beneficia Regularibus conferri, aut commendari poſſunt, vti dixi ſuprà c. 4. n. 3.

9 Reſtat, vt agamus de propoſito, quod promouendus habere debet, accipiendi ſacros ordines, vel perſeuerandi in ſtatu clericali. Qua de re dico I. neceſſe non eſt, vt qui beneficium ſimplex aut curatum accipit, propoſitum omnino abſolutum ac determinatum habeat in clericali ſtatu permanendi, ſacrum ordinem ſuo tempore accipiendi: ſed ſufficit voluntas conditionalis perſeuerandi, & ad ordines aſcendendi, & niſi noua circumſtantia, ſiue cauſa mutandi voluntatem acceſſerit: puta ſi clericalis ſtatus poſtea minùs conuenire videatur; aut ſi primogenitus, vel vnicus frater moriatur vel liberos nullos procreârit; ſi optimum matrimonium ad conſeruandam familiam, extinguendas lites opportunum ſe offerat. Ita ex communi Nau. cap. 25. man. numero 118. & lib. 3. conſil. 1. de præben. edit. 2. Rodriq. to. 1. ſum. c. 30. concl. 6. Sanchez li. 7. diſp. 45. n. 10. Leſſ. dub. 26. Garcias p. 3. c. 4. num. 46. contra Sotum l. 10. q. 5. a. 6. Gutierez l. 2. canon. qq. c. 5. n. 22. qui hanc aſſertionem negant in ſuſceptione beneficii curati. Sed probatur vniuerſim: Quia ex vna parte prouiſus non doloſum & fictum animum adfert; cùm verè habeat voluntatem perſeuerandi, quamuis conditionalem: ex altera verò parte Eccleſia talem conditionem; ſiue voluntatem renuntiandi beneficio & ſtatui clericali, ſi aliquid melius, vel ſalubrius obtigerit, non damnat.

Dico II. Qui beneficium curatum, ſiue parochiale 10 accipit animo intra annum, à iure præſcriptum, ſacerdotium non ſuſcipiendi, ſed eccleſiam parochialem dimittendi, is non ſolùm mortaliter peccat, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum perceptorum obligatur. Ita habetur in c. commiſſa, §. cæterùm, de elect. in 6. Ratio eſt, quia Eccleſia beneficium curatum Clerico nondum ſacerdoti cum hoc onere & tacitè annexo pacto conferre ſolet, vt is obligatus ſit intra annum ſacerdotium ſuſcipere, alioquin fructus interea perceptos reſtituere debeat.

Quædam tamen hoc loco obſeruanda. Primum. Quod ex Nauar. bene tradit Sanchez cit. diſp. 45. num. 5. contra S. Anton. p. 3. tit. 15. cap. 1. §. 3. Syl. ver. benefici. 3. quæſtione 2. Sotum cit. a. 6. Eum qui eiuſmodi fraudulenta intentione lucrandi fructus, & breui poſt tempore dimittendi, beneficium curatum ſuſcipit, nihilominus beneficii titulum, & perceptorum fructuum dominium acquirere; tamen cum annexo onere, etiam ante omnem Iudicis ſententiam, fructus poſt anni lapſum reſtituendi. Ita enim colligitur ex cit. c. commiſſa.

Alterum. Quod Gl. ait in cit. c. commiſſa, ver. non intendens; *Si quis intendebat à principio, ſed poſtea mutata voluntate, promotus non fuerit, non tenetur ad reſtitutionem fructuum*. *Quod verum puto*; adiicit Gl. *de perceptis ante mutatam voluntatem; de aliis poſtea perceptis crederem ſecùs*: idemque tenent Sotus cit. art. 6. Tol. lib. 4. capite 18. Guttierez capite 5. numero 2. Ratio poſterioris dicti eſt: Quia Eccleſia parochialis tali conditione conferri cenſetur clerico non ſacerdoti, vt ſi noluerit ſacerdos fieri intra annum, ex eo tempore perceptos fructus reſtituere cogatur. Quamuis Nauar. cit. numero 118. Sanchez cit. diſp. 45. numero 11. Leſſ. cap. 34. num. 134. non improbabiliter negant, talem ad vllam fructuum reſtitutionem obligari: quia in c. commiſſa ſolùm mentio fit de eo, qui ab initio non intendens ſacerdotium intra annum ſuſcipere, parochialem eccleſiam accipit, quòd fructus interea perceptos reſtituere debeat. quæ conſtitutio, cum odioſa ſit, non debet ad caſum diuerſum, præſertim minùs culpabilem, extendi.

Tertium. Quod DD. communiter docent contra Sotum l. c. Si quis ab initio non intendebat promoueri, ſed intra annum voluntatem mutauit, vel diſpenſationem impetrauit, lucrari eum omnes fructus. Ratio eſt: Quia collatio beneficii ab initio valida fuit; quamuis ſub modo, ſiue obligatione facta, vt prouiſus intra annum ſacerdotium ſuſcipere velit, niſi diſpenſationem impetret, iuxta cit. c. licet canon. Idque ſatis colligitur ex tex. cit. c. commiſſa, ibi, *niſi vo-*

luntate mutata, promotus fueris: v. g. Gl. ait; *Nota, quòd fraus purgatur: sicut & mora interdum.*

Quæres I. Quid de illo sentiendum sit, qui beneficium curatum animo dubio & ancipiti suscipit, num intra annum ad sacerdotium ascendere velit, an, si postea non promoueatur, ad fructuum restitutionem teneatur? Negat Garcias p. 3. c. 4. num. 48. Sed contraria sententia est communis apud Sanchez num. 10. Quia cit. c. commissa, tanquam conditionem requirit in prouiso, vt habeat intentionem intra annum post diem prouisionis sacerdotium suscipiendi. Qui verò dubius & anceps est, non habet intentionem ad sacerdotium ascendendi: Ergo nisi animum postea mutet, fructus perceptos restituere debet; deductis tamen iis, quæ Vicario ecclesiam administranti dati, aut relicti sunt, cuiusmodi deductio semper in hac restituendi obligatione intelligitur, vti notauit Rodriq. cit. c. 30 concl. 6. Longè autem alia ratio est de eo, qui intendit intra annum à die prouisionis ad sacerdotium promoueri; sed cum tacita, & non improbata conditione, nisi postea causa aliqua mutandi voluntatem superueniat. Talis enim syncerè agit, neque peccat, vti supra in 1. dicto explicaui.

Quæres II. Quisnam dispensare possit, vt prouiso ad beneficium curatum tempus sacerdotii suscipiendi prorogetur? Respondeo, ad summum Pontificem propriè pertinere. Nisi quod probabiliter docent Nauar. citat num. 118. Less. lib. 2. cap. 34. num. 104. adhuc hodie Episcopum dispensare posse ex concessione cap. cùm ex eo, de elect. in 6. vt ad Ecclesiam parochialem promotus constituto Vicario, septennium in studiis insumat: modò intra annum post tempus promotionis subdiaconus fiat, sicuti dixi etiam supra c. 6. n. 5. ver. Ad quartum.

11 Dico III. Qui beneficium non curatum, habens annexam obligationem sacri ordinis, v. g. Capellaniam sacerdotalem accipit, cum intentione intra tempus iure requisitum se habilem non efficiendi, seu ordinem sacrum non suscipiendi, is mortaliter quidem peccat; sed ad fructuum restitutionem non obligatur. Ita Sotus cit. quæst. 5. a. 6. Nau. cit. n. 118. §, decimo. Sa ver. beneficium, numero 38. Rodriq. cit. c. 30. concl. 3 Tol. cit. c. 18. §. alter. qui in minoribus, Sanchez cit. disp. 45. numero 14. Less. cit. dub. 2. n. 132. Prior pars est certa: Quia suscipiens officium, cui obligatio aliqua annexa est, omni iure se habilem efficere tenetur arg. cap. non est putanda, 1. quæst. 1 Altera pars est contra Gabr. in 4. d. 15. quæst. 8. a 3. dub. 1. Adrian. de restit. vbi de Ecclesiasticis consumentibus reditus; §. pro responsione, Rebuff. in praxi, tit. de non promotis intra annum; n. 83. Garciam cit. c. 4. num. 37. Sed probatur ex eo, quia neque ius Ecclesiasticum talem fructuum restitutionem imperat; cùm solùm de curatis beneficiis id decretum reperiatur, quippe à quibus plùs etiam oportet fraudulentam eiusmodi intentionem abesse: neque ius ipsum naturale dictat, talem fructuum restitutionem faciendam esse ante Iudicis sententiam; quandoquidem collatio beneficii valida fuit, ideóque ius fructuū percipiendorū acquisitum, quo spoliari beneficiatus non debet ante condemnationem; dummodo officium saltem per Vicarium præstet.

Dico IV. Qui beneficium simplex, cui sacri ordinis obligatio annexa non est, (v. g. capellaniam, quæ per Vicarium administrari potest) intentione in clericali quidem statu permanendi, sed ad ordines maiores non ascendendi, accipit, is omni culpa vacat. Quæ assertio videtur esse ex terminis clara, & traditur à Sāchez numero 17. Excipi potest cum Nau. lib. 3. consil 1. de præb. in fine exigente necessitate, vel magna vtilitate Ecclesiæ, præcipiatur beneficiato, qui ex beneficii reditibus aliquamdiu sustentatus fuit, vt ad maiores ordines ascendat.

Dico V. Qui simplex beneficium, cui nullus ordo sacer annexus est, eo animo accipit, vt fructus lucretur, post tempus dimissurus, & ad statum secularem rediturus, damnari non potest mortalis peccati; si interim, dum beneficium obtinet, officio suo satisfaciat. Ita docet Nau. de orat. cap. 21. num. 52. Sanchez cit. disp. 45. num 18. Vasq. in moral. de benef. c. 3. §. 3. dub. 1. num. 38. Garcias p. 3. c. 4. n. 45. contra Sotum cit. a. 6. Tolet. cit. c. 18. Ratio est: Quia iura eiusmodi beneficiato liberam permittunt licentiam ad statum secularem, & nuptias transeundi, cap. Ioannes, cap. diuersis, de cleric. coniugat. Ergo si hoc ab initio intendat, fraude non vtitur, nec Ecclesiam iniuria afficit. Negari tamen non potest, quin susceptio beneficii cum proposito non permanendi in clericatu, aliquam peruersionem contineat: quia aliquo modo repugnat naturæ beneficiorum; quippe cùm instituta sint pro iis, qui diuino seruitio se penitus dicârunt, ceditque in Ecclesiæ aliquod detrimentum, quæ hac ratione ministris idoneis quos longo tempore aluit, spoliatur: quare venialis saltē culpa erit: licet id ab omni culpa excuset Garcias n. 42. 12

CAP. XV.

DE PECCATO, ALIISQVE INCOMmodis oriri solitis ex prouisione indigni.

SVMMARIVM.

1 *Mortale peccatum est Ecclesiasticum beneficium indigno conferre si indignus haberi potest.*

2 *Inualide prouisus in conscientia obligatus est beneficium resignare, nisi dispensationem, vel tituli reualidationem impetret ab eo, qui potestatem habet.*

Si Episcopus potestate præditus dispenset in defectu, non ideo semper titulus reualidatur; nisi defectus occultus fuerit.

3 *Inualide prouisus, donec ei titulus reualidatur, administratione beneficii abstinere debet, ne vitium intrusionis incurrat. Postquā verò titulus reualidatus est, recuperat fructus, si secundùm Ecclesiæ morem, vacantis beneficii fructus ad successorem pertineant.*

4 *Inual. de prouisus, si beneficium spatio triennii, cum bona fide, & titulo colorato pacificè possedit, postea tutus etiam in conscientia est.*

5 *Triennalis possessio prodest possessori; si vitiosum beneficii titulum habeat, per ignorantiam facti; non iuris: v. g. si eo ignorante, simonia ab altero commissa est.*

6 *Beneficium conferre digno, prætermisso digniore, nisi causa subsit, est peccatum, licet non semper mortale. Vide post n. 8. q. 1.*

Peccatum acceptionis personæ nō committitur, nisi antecedat aliquod debitum iustitiæ.

7 *Patronus laicus satisfacit muneri suo, si dignum præsentet: sed Ecclesiasticus Prælatus curare debet, vt digniores instituantur.*

8 *Ad prælaturam eligi debent, qui de gremio Ecclesiæ sunt: & ad alia beneficia potiùs indigenæ, quam alienigenæ promouendi.*

9 *Grauiter peccari potest, si officia secularis iurisdictionem, vel administrationem habentia, indignis conferantur.*

10 *Episcopatum, aliámue Prælaturam appetere principaliter propter Dei honorem, atque salutem animarum; secundariò verò propter temporalia bona, non est illicitum, si debitæ conditiones adsint.*

11 *Ad prælaturam acceptandam qui idoneus est, à Superiore suo cogi potest: imò interdum naturalis obligatio incumbit ad acceptandum.*

ASSERTIO I. Mortale peccatum est Ecclesiasticum beneficium conferre indigno, si dignus haberi possit. Est communis sententia apud Ioan. Maiorem in 4. d. 24. quæst. 4. Pet. Nau. l. 2. c. 2. n. 119. Probatur tum ex grauitate pœnarum, quæ canonico iure indignæ electioni, & collationi decretæ sunt, capite cùm in cunctis, de elect. c. graue nimis, de præb. tum ex incōmodis, quæ exinde Ecclesiæ accidere solent. Quòd si alicubi dignus reperiri non possit, licebit quandoque 1

ob neceſſitatem conferre alicui qui moribus, aut literarum, & rerum imperitia indignus eſt: ne ſi nulli conferatur, grauius malum eueniat, ſicuti bene notauit Leſſ.lib.2.c.34. num.55. Prouiſus tamen quàm primum operam dare debet, vt ſe dignum & idoneum reddat.

Eſt autem hîc obſeruãdum, pleraſque qualitates, quas ſuper. cap. enumeraui, adeò in prouiſo requiſitas eſſe, vt ſi earum aliqua deſit, prouiſio non ſolùm illicita, ſed etiam ipſo iure irrita ſit; videlicet legitima ætas,& natiuitas; item clericatus,cœlibatus, vt cenſura careat &c. De morum autem notoria improbitate ſeu infamia vitæ dixi lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 4. n. 5. Deinde, ſi quis omnino illiteratus ſit, ita vt literas latinas ne legere quidem ſciat, haud dubiè eius electio aut prouiſio irrita erit; quia veluti irregularis cenſetur, iuxta c. vlt. de tempor. ordinat. in 6. & c. illiteratos, d. 36. *quia literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officijs.* Sin verò legere, & ſcribere ſciat, licet non intelligat, valida quidem eſt collatio, ſicuti docet Nau. c, ſi quando, except. 12. & ſeqq. de reſcriptis; attamen reſcindi debet, præſertim ſi ſit beneficii curati, iuxta c. vlt. de ætate & qualitate, & Trident. ſeſſ. c. 7. 3. de reform. Multóque magis, ſi prouiſus vita & moribus indignus ſit,iuxta ea quæ dixi cit. c. 4.n. 6.& habetur in cap.inter dilectos, de exceſſ. Prælatorum. Si tamen ſpes manifeſta adſit, prouiſum breui tempore ſcientiam beneficio ſuo conuenientem, morúmque probitatem acquiſiturũ eſſe quandoque diſpenſatiue tolerari poterit. Vide inſuper, quale examen ante collationem eccleſiarũ parochialium requirat Trident. ſeſſ. 24. c. 18. de reform. & Bulla Pii V. 32. quæ incipit *In conferendis beneficiis* quæ tamen conſtitutio pluribus locis recepta non eſt, vti etiam Leſſ. annotauit l. 2. c. 34. dub. 11. in fine.

2 Aſſertio II. Inualidè prouiſus tenetur in foro conſcientiæ, ante omnem Iudicis ſententiam beneficium reſignare. Quæ eſt communis ſententia apud Syl. ver. beneficium, 3. q. 20 Nau. c. 27. n. 2. Henriq. lib. 13. c. 14. n. 1. Quandoquidem nullum in beneficio ius habet. Excipe; Niſi titulus ei reualidetur, per nouam legitimam inſtitutionem, præcedente abſolutione, vel diſpẽſatione, ſi canonicum impedimentum habeat. qua de re videri poteſt Nau. c. 27. n. 194. Henriq. l. 13. c. 14. n. 2. Suarez to. 5. de cenſuris, diſp. 13. ſ. 1. Auila p. 2. de cenſur. c. 6. diſpen. 5. dub. 3.

Quæri autem ſolet; Vtrum Epiſcopus (nam de Papa pleniſſimam in beneficiis poteſtatem habente dubium eſſe non poteſt) hanc tituli reualidationem, ſeu de nouo inſtitutionem facere poſſit? Reſpondeo & dico I. Poſtquam impedimentum, v. g. excommunicationis, irregularitatis, per abſolutionem, vel diſpenſationem ablatum eſt ab eo qui poteſtatem habet; tunc collator ordinarius, puta Epiſcopus (ſi extra culpam fuit, & Papa manus non appoſuit) iterum conferre poteſt perſonæ habili effectæ. Intelligitur ex c. poſtulaſtis, iun. Gl. ver. diſpenſatum, de clerico excom. miniſt. & docet Abb. ibid, n. 8. Couar. c. alma, p. 1. §. 7. n. 8. Auila cit. diſp. 5. dub. 4. licet aliter Syl. ver. excommunicatio, 3. n. 1. dicto 9.

Dico II. Si collatio ad inferiorem pertinet, v. g. ad Eccleſiæ alicuius Præpoſitum, licet Epiſcopus in defectu excommunicationis, ſuſpenſionis, aut irregularitatis diſpenſet, non videtur titulus collationis, quæ iure ipſo irrita erat, reualidari poſſe abſque conſenſu eius, ad quem collatio pertinet. Ita docet Abb. in c. innotuit num. 11. de elect. Sanchez lib. 8. de matrim. diſp. 7. numero. 12. Quod intellige, ſi collator defectum ſeu inhabilitatẽ prouiſi ignorauerat: ſecùs enim eſt, ſi ſciuerat, ſicuti colligitur ex c. nulli, de elect. in 6. vbi dicitur, quòd electores non poſſint electionem, cui ipſi conſenſerunt, oppugnare, allegando defectum ipſis tunc cognitum.

Deinde probabiliter ſaltem ob DD. auctoritatem limitari poteſt; Si defectus prouiſi, ipſáque nullitas collationis occulta ſint, quòd ſublato defectu, v. g. excommunicationis per abſolutionem; irregularitatis per diſpẽſationem, factam à quocunque poteſtate prædito, titulus reualidetur, vt prouiſus in conſcientia tutus ſit, ſecundùm doctrinam Innoc. & Hoſtienſis in cit. c. innotuit, Abb. in c. poſtulaſtis, n. 2. de clerico excom. miniſtr. Nau. l. 4. conſil. 14. n. 6. de ſponſal. edit. 2. Sanchez lo. cit. vbi addit, idem ſentiendum eſſe, etſi inualidè prouiſus adminiſtrationi ſe ingeſſerat, ſi etiam hoc intruſionis vitium occultum ſit.

Pro maiore intellectu nota, quòd inualidè prouiſus interim donec ei titulus reualidatur, adminiſtratione beneficii ſecundùm propriam perſonam abſtinere debet: alioquin vitium intruſionis incurret; ob quod denuo inhabilis fiet ad beneficium illud, in quod ſe intruſit, conſequendum. Quamobrem, ſpectato iure ordinario, in poſtulatione beneficii à Papa ſpecialis mentio intruſionis fieri debet; alioquin impetratio ſubreptitia cenſebitur, ſicuti docet Abb. c. cùm iam dudum n. 3. de præb. Rebuffus in praxi, regula de ſubrogandis, Gl. 4. Selua p. 3. q. 11. in 5. qualitate, Syl. ver. beneficium, 3. q. 18. Hẽriq. cit. c. 14. n. 2. Menochius cent. 3. caſu, 201. num. 129. & alii DD. in cap. poſtulaſti, de reſcriptis. 3

Aſſertio III. Inualidè prouiſus tenetur beneficii fructus Eccleſiæ reſtituere, vel ſucceſſori relinquere. Sumitur ex c. dilecto filio, in fine, de præb & docent DD. ſuprà citati. Cùm enim nullum in beneficio ius habeat, redituum dominium ſibi comparare non poteſt. Quod limita primò cum Angelo ver. beneficium num. 44. Henriq. lib. 13. cit cap. 3. numero 3. in gloſſa lit. cap. Si beneficium per ſe, vel per Vicarium adminiſtrauit, poteſt, ſaltem cum Confeſſarii conſenſu retinere fructus, quatenus ad vitæ neceſſariam ſuſtentationem requirebantur.

Limita ſecundò: Si titulus beneficii inualidè acquiſiti, & aliquamdiu adminiſtrati poſtea reualidetur, recuperantur fructus; ſi eccleſiæ conſuetudo ſit, vt vacantis beneficii fructus ſucceſſori relinquantur ſicuti notauit Henriq. lo. ſuprà cit. Ægid. Coninck to. 2. diſp. 14. dub. 9. Sa ver. beneficium, num. 21. Alioquin verò neceſſe eſt, vnà cum tituli reualidatione remiſſionem, vel compoſitionem fructuum petere. qua de re vide Auilam p. 2. de cenſuris, c. 6. diſp. 5. dub. 4. & Nau. de ſpoliis Clericorum, §. 12.

Limita tertiò: Inualidè prouiſus, ſi impedimentum ignorauit, & bona fide fructus percipit, non tenetur poſtea reſtituere, niſi extantes, aut quatenus locupletior factus eſt: quamuis & horum ipſorum fructuum dominium vſucapione triennali acquirere ſibi poteſt. 4 Imò ſi triennii tempore pacificè, ac bona fide, cum titulo colorato, beneficium poſſideat, plenum in eo ius acquirit; non tantùm in ordine ad externum forum, vt neque poſſeſſorio, neque petitorio iudicio moleſtari poſſit; ſed etiam quoad conſcientiam: nam alioquin regula illa & beneficium Papale peccandi occaſionem pluribus miniſtraret. Et ita docet Rebuff. de pacif. poſſeſſ. n. 10. & ſeqq. Nau. conſil. 30. de præb. edit. 2. Leſſ. l. 2. c. 6. dub. 10. in fine.

Contrarium tamen docet Couar. reg. poſſeſſor, p. 2. §. 10. num. 10. concl. 6. & alii, propter regul. 1. in 1. *Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine inſtitutione canonica obtineri.* Sed reſpondetur, quod ordinariè tribuit titulus verus canonicæ inſtitutionis, idem conferri extraordinario beneficio pacificæ poſſeſſionis cum titulo colorato; idque cùm auctoritate & approbatione Papæ, qui generali lege confirmando titulum coloratum in triennali bonæ fidei poſſeſſore, cenſetur beneficium de nouo conferre: vt proinde legitimæ

auctoritatis institutio non desit, notauit Rebuf. num. 14. post Gl. reg. Cancell. 55. præreg. 3. arg. c. cura de iure patron.

Requiritur autem ad hanc præscriptionem inprimis titulus institutionis coloratus, id est, qui licet in veritate non subsistat, speciem tamen, & quasi colorem veri tituli habeat. Quare locum non habet beneficium præscriptionis huius triennalis, si collatio manifestò iniusta, vel inualida fuit, seu ex parte conferentis; quia profecta ab eo, cui ius conferendi, aut instituendi non competit; seu ex parte prouisi, si is per Iudicis, aut iuris sententiam manifestò inhabilis sit; v. g. quia requisita ætate, vel ordine caret; quia irregularis, hæreticus, simoniacus est. Qua de re vide Abbat in c. cùm nostris, de præben. num. 23. Rebuff. de pacif. possess. num. 42. & 206. & seqq. Henric. Canis. super reg. I. in 9.

Sed quid? Si inhabilitas, siue impedimentum probabiliter ignoretur. Respondeo, prodesse tunc regulam possessionis triennalis, si ignorantia fuit facti, quia v. g. simonia commissa fuit ignorante eo, cui beneficium collatum est: si enim triennio cum tali ignorantia possideat, deinde molestari ampliùs non debet, sicuti notauit Rebuff. l. c. n. 241. Secùs dicendum, si fuit ignorantia iuris præsertim manifesti: nam iuris error, in vsucapionib. negatur prodesse, l. iuris, ff. de iuris & facti ignoran. maximè quando ad præscribendū, seu vsucapiendum titulus requiritur, vti docet Couar. reg. possessor, p. 2. §. 7. n. 6. Less. l. 2. c. 5. dub. 5. n. 17.

Exinde collige, verum non esse, quod ait Sa ver. beneficium num. 14. *Triennio possidens beneficium, etiamsi mala fide, fit eius dominus.* Id tamen verum est, quod triennalis possessor allegando, & probando tanti temporis possessionem, intentionem suam fundatam habeat, atque aduersarium exceptione repellere possit, sicuti ex communi docet Couar. cit. n. 10. concl. 4. Interim verò beneficiatus, non obstante illa possessione, Superiori suo, puta Episcopo postulanti, titulum beneficii exhibere semper tenetur, sicuti ibid. notat Couar. concl. 8. Ioseph Mascard. volum. 1. de probat. concl. 180. num. 13.

6 Dico IV. Illicitum est conferre beneficium digno, prætermisso digniore: quamquam collatio subsistit, & ex hoc capite impugnari non potest. Eadémque ratio est de electione. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 63. a. 2 ad 3. Adrianus in 4. de restitut. §. Quia iam determinatum, Maior in 4. d. 24. quæst. 8. & 9. Posterior pars huius responsionis est extra dubium: prior verò probatur, tum quia id cedit in Ecclesiæ detrimentum; tùm quia committitur peccatum acceptionis personarum, de quo mentio fit apud Ecclesiast. cum capite 42. *Ne accipias personam, vt delinquas.* Iac. 2. *Si accipitis personas, peccatum operamini.* Consistit autem hoc peccatum in eo, quòd aliquis vel in iure dicendo, vel in bonorum communium, aut honorum distributione non attendit ad causam, sed personam, vel potius conditionem personæ, ad rem non pertinentem: sicuti dicitur Leuit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: rectè iudica proximo tuo.* In proposito autem nostro ille personam accipit, qui præter dignitatem seu habilitatem eius ad beneficium, etiam aliā qualitatem siue conditionem ad rem haud pertinentem, v. g. consanguinitatem, amicitiam attendit, atque ideo personam hanc eligit, vel instituit. Vide de hac re Gabr. in 4. d. 15. quæst. 7. a. 1. vbi benè notat; Ad peccatum acceptionis personæ necessarium esse, vt res vni potiùs, quàm alteri debeatur, qualicunque debito. Sin autem neutri vllo modo gratia debeatur, sed merè liberaliter donetur, etiam spectata charitatis obligatione, tunc acceptio personarum nulla est, iuxta illud Matth. 20. *An non licet mihi quod volo facere?* Quamobrem apud Deum, qui vnum hominem maioribus quàm alterum gratiis præuenit, non est locus acceptioni personarum: quandoquidem ille nullius debitor existit.

Quædam tamen hic aduertenda sunt. Primum, Personæ qualitas non absolutè spectanda est, sed cum ordine ad Ecclesiæ commodum, sicuti docet S. Th. loco cit. & quodlibet. 6. a. 9. Gabr. in 4. d. 15. quæstione 7. a. 3. Quare qui minùs sanctus est, sed ob potentiam, nobilitatem, agendi industriam regendæ Ecclesiæ magis idoneus iudicatur, is sanctiori merito præfertur. Interdum tamen contrà accidit, vt sanctior doctiori, vel potentiori præferendus sit: *quia scientia inflat* (idemque interdum dici potest de generis, & diuitiarum potentia) *charitas autem ædificat, & ideo imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis*, dicitur in c. nisi, de renunciat. & notauit Rodriq. to. 1. sum. c. 106. ante 1. concl.

Alterum. Si in fundatione, statuto, vel consuetudine Ecclesiæ requiratur, vt beneficia certo personarum generi ex tali nobilitate, patria, familia &c. conferantur, ita obseruandum est; dummodo idonei adsint, qui institui possint, sicuti ex communi docet Garcias pa. 7. cap. 15. Vasquez in moral. tr. de beneficiis, cap. 2. numero 70. Vide Couarru. reg. peccatum, p. 2. §. 7. num. 5. & in pract. qq. c. 35. n. 5. Rodriq. l. c. concl. 6. Qua simili ratione probabiliter dicitur, patronum laicum satisfacere plerumque obligationi suæ, si libero præsentandi iure præditus, dignum & idoneum præsentet: siquidem hic specialis fauor, seu priuilegium, ratione fundationis ipsi concessum ac reseruatum est, vt alicui gratificari possit, & quem voluerit præsentare; dummodo positiuè cognoscat dignum & idoneum esse, vt periculum non sit, Ecclesiam ex illius prouisione damnum accepturam esse. Ita colligitur ex c. Monasterium, 16. quæst. 7. iun. Gl. ver. ne malus, & Trident. sess. 24. c. 18. de reform. & docet Garcias l. 7. cap. 16. n. 19. & probabile censet Rodriq. t. 1. sum. c. 106. concl. 6. contra Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 7 num. 5. Idémque eadem ratione monet Caiet. ver. beneficium, Less. lib. 2. c. 34. n. 61. Vasq. cit. c. 2. n. 77. intelligendum de resignatore beneficii in gratiam alterius. Alia verò ratio est de Prælatis, & patronis Ecclesiasticis, quibus ex officio incumbit Ecclesiæ, quàm optimè possunt, prospicere, & beneficia ex bonis Ecclesiasticis fundata, sine vlla personarum acceptione, dignioribus conferre, sicuti & Trident. requirit in cit. cap. 18.

Tertium. Rectè monet S. Th. l. c. ad 4. iure statutum esse, vt ad prælaturam non eligatur, *nisi qui est de Ecclesiæ gremio: quia talis magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus*, ducto arg. ex c. 17 Deut. *Non poteris alterius gentis regem facere, qui non sit frater tuus.* Deniq; inter alios notat Abb. in c. dilecto, n. 2. de præb. Si cætera paria sint, non posse reprehendi Episcopū, quòd potiùs consanguineos suos, quàm alios promoueat: tum quia ipsis magis obligatus est ad benefaciendum: tum quia maiore charitate cum illis connexus, tantò faciliùs Ecclesiam reget. Qua simili ratione expedit magis ad beneficia promoueri indigenas, quàm extraneos, sicuti annotauit idem Abb. c. ad decorem, de instit. n. 4.

Sed est QVÆSTIO PRIMA inter D D. Quale peccatum sit eligere, vel liberè conferre beneficium digno prætermisso digniore, siue magis idoneo? Nisi dicendum esse videtur: Habito respectu ad ipsos promouendos, non esse peccatum mortale, sed tantùm veniale: cùm nemini eorum beneficium propriè debitū sit, ideóque propriè dicta iniuria non fiat. At verò habito respectu ad bonum statum, & regimen Ecclesiæ promouentium, sæpe mortale peccatum esse, saltem contra charitatis legem, si in promotione ad beneficium, quod

Ecclesiasticam iurisdictionem, aliámue non modici momenti administrationem requirit, prætermittatur qui notabiliter dignior, & aptior est: cùm ea re Ecclesiæ magnum commodum abscedat, quod tamen electores & collatores beneficiorum, ratione officii sui, promouere atque augere magis, quàm alii tenentur. Idque docet Trident. cit. cap. 18. S. Th. quodl. 8. a. 6. Gabr. cit. quæst. 7. a. 3. aliique communiter apud Nicol. Garciam p. 7. c. 16. in princip. Interim probabile est, quod tradit Adrianus cit. loco concl. 1. & 2. Collatorem non obligari ad restitutionem, si ex prouisione digni, prætermisso digniore magisque idoneo, Ecclesiæ aliquod damnum eueniat: quia illud per accidens euenisse censetur, si verè dignus institutus fuit. Quare collator in tali institutione non tam censetur damnum Ecclesiæ intulisse, quàm eius maius commodum non prouidisse: ad quod potiùs ex charitate, quàm ex iustitia obligatur. Alia verò ratio est, si indignum promoueat: tunc verè contra iustitiam peccat, siue damnum iniustum Ecclesiæ infert, ideóque ad eius restitutionem obligatur.

In aliis porrò simplicibus beneficiis non videtur esse peccatum mortale, prætermittere digniorem, dummodo qui verè dignus atque idoneus est, instituatur, sicuti docet Sotus libro 3. qu. 6. art. 2. Less. cap. 34. dub. 14. assert. 3. Sa ver. beneficium nu. 42. & alii apud Gabrielem cit. ar. 3. dub. 1. prop. 2. Quia Ecclesia plerumque non magnum inde detrimentum accipit. Imò Pet. Nau. lib. 2. ca. 2. nu. 148. Garcias nu. 16. & alij apud Maior. cit. q. 9. nullum in ea re peccatum agnoscunt; sed non rectè. Siquidem & Ecclesiæ aliquod idcirco commodum decedere solet; & iustitia distributiua nonnihil violatur, cùm beneficia, saltem secundario fine, etiam ob commodum & gratiam promouẽdorum, qui de Ecclesia bene merentur, instituta sint. idque expressè sentit S. Th. q. 63. a. 2.

9 His adde, grauiter etiam peccari posse, si officia secularia, quæ iurisdictionem, vel administrationem adiunctam habent, conferantur indignis, aut minùs idoneis; cùm exinde Respublica graue nocumentum accipere soleat. qua de re tractat Sotus libro 3. quæstione 6. a. 4. Less. lib. 2. c. 32. dub. 3. qui bene etiam monet cap. 34. n. 56. quòd in collationibus officiorum, aut beneficiorum non sufficit, si collator nesciat eum, cui confert, indignum esse; sed opus est, vt ex indiciis, aut informatione rationabiliter sibi persuadeat, dignum esse: quãdoquidem ex officio talis ei cura incumbit. Videri etiam potest Adrianus loco cit. resp. ad primum.

10 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrùm appetendo episcopatum, aliámue prælaturam aliquis peccet, ideóque ea ipsâ re se minùs idoneum ostendat? Respon. & dico, Episcopatum, aliámue prælaturam appetere, principaliter propter Dei honorem, & salutem animarum promouendam; secundariò verò propter bona temporalia ei annexa, non est illicitum, si aliquæ conditiones adsint: I. Vt qui prælaturam appetit, ea dignus sit. II. Vt alius non adsit ad regendum magis idoneus, ex cuius promotione Ecclesia maius commodum acceptura est. Nam alioquin qui prælaturam appetit, non synceré vtilitatem Ecclesiæ, sed potiùs suum commodum spectare conuincitur, quod tamen commodo Ecclesiæ posthaberi debet. III. Vt sine scandalo, illicita largitione &c. appetat, vel procuret. Ita docet Nau. miscel. 42. de orat. & lib. 7. consil. 17. numero 7. de sent. excommun. edit. 2. Pet. Nau. l. c. num. 27. Sa ver. Episcopus, n. 3. contra Ioan. Maiorem in 4. d. 24. q. 7. concl. 3. Syl. ver. Episcopus, q. 3. Valent. t. 3. disp. 10. q. 5. p. 2. in 3. conclusionibus. Probatur prior assertionis pars: Quia & obiectum huius appetitionis bonum est, testante Apost. 1. ad Timoth. 3. *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Idque rectè, & ordinatè appeti potest; videlicet, vt aliis prosis, Deique honorem promoueas.

Sed aiunt; Statum episcopatus, aut similis prælaturæ tam magnam perfectionem requirere, tantámque secum obligationem adferre, vt de se, suisque viribus nimis præsumat, atque in periculum animæ suæ temere se conijciat, qui extra casum manifestæ necessitatis (si v. g. nemo alius adsit, qui suscipere possit, aut velit) vel extra legitimam vocationem à Deo, (siue ea fiat modo ordinario per electionem, seu modo extraordinario per visionem, aliúdue signum) tantum in se onus suscipere satagit. Respondeo, non esse præsumptionis peccatum, si quis Dei auxilio confisus, opus tam arduum aggrediatur, studens etiam cooperari, vt sit prudens, sobrius, castus, sicuti requirit Apostolus 1. ad Timoth. Quod verò de periculo annectitur, distingui debet inter remotum, & propinquum. Qui enim Episcopatum acceptat, non exponit se propinquo peccandi periculo; cùm is status bonus & perfectus sit, à Deo peculiariter institutus: alioquin ad eum acceptãdum nemo Superioris iussu cogi posset. At verò remota & per accidens coniuncta pericula vitari possunt ab eo, qui & Dei auxilio nititur, & animum erga terrenas illecebras, & peccandi occasiones inordinatè affectum non gerit.

Quod ad alteram assertionis partem attinet, tribus modis prælatura appeti potest propter commoda temporalia, videl. honores ac diuitias: Primò principaliter propter illa tanquam finem operis, ita, vt homo referat Episcopatum ad temporalia, tanquam finem eius & consequenter paratus sit relinquere proprium finem episcopatus (quæ est salus animarum iuxta illud Ioan. vlt. *Pasce oues meas*) vt commoda honoris, ac diuitiarum consequatur: & talis affectio, quæ tamen rarissima esse solet, haud dubiè est cum peccato mortali. Secundò appeti potest episcopatus propter temporalia, tanquam finem operatis, cuiusmodi finis est, qui vt causa excitat ac mouet hominem ad operandum, seu appetendum; quia nisi talia commoda honorum ac diuitiarum coniuncta essent, episcopatum nollet petere: quamuis re ipsa expetat cum proposito procurandi salutem animarum adeóque propter finem proprium ipsius operis & talis affectio non est cum peccato mortali, sed tantùm veniali ambitionis, aut auaritiæ, sicuti docet Sotus lib. 10. quæst. 2. a. 1. Caiet. cit. a. 1. §. ad hoc dicitur. Pet. Nau. num. 33. Valent. l. c. § de primo dicto. Tertiò appeti potest episcopatus, vel alia prælatura principaliter propter Dei gloriam, & salutem animarum promouendam, tanquam finem operis, ipsiúsque operantis; concomitanter verò propter temporalia, puta honores ac diuitias: ita vt tantò feruentiùs prælaturam appetat & libentiùs acceptet, talia commoda annexa sunt. Et hæc affectio sine culpa est, sicuti docet Nau. de orat. miscell. 42. num. 73. Quandoquidem etiam temporalia bona Dei dona sint atque media inseruientia ad diuinam gloriam, & hominum salutem promouendam.

Neque verò à tradita doctrina alienus est S. August. lib. 19. de ciuit. c. 19. quia tria ibi docet. I. In episcopatu non esse quærendam celsitudinem honoris, sed operis laborem; non vt aliquis præsit sed vt aliis prosit. II. Celsitudinem honoris (quæ cum episcopali cura cõiuncta est) non decenter appeti, quia ad ambitionem spectat, vti suprà etiam dixi. III. Si sarcinam episcopalis curæ nemo imponat, percipiendæ atq. intuendæ veritati in otio potiùs vacandum esse. quod secundum consilium, non autem præceptum intelligi debet.

Neq; S. Th. 2. 2. quæst. 185. a. 1. contrarius est. Duo enim ibi docet: I. Quòd episcopatum propter celsitudinem gradus, vel propter adiunctum honorem, ac

diuitias appetere illicitum eſt; quia ad ambitionem & inordinatam cupiditatem ſpectat II. Quòd appetere epiſcopatum, aliámue prælaturam ſeu eminentiam ſuper alios fideles in Eccleſia, etiàm boni finis prætextu, videlicet vt Eccleſiæ proſis, videtur præſumptuoſum, extra caſum neceſſitatis, vel legitimæ vocationis. Non ait, eſſe præſumptionis peccatum per ſe, & ex natura ſua, ſed videri præſumptuoſum, quòd videlicet homo de ſuis viribus nimis confidat, atque erga celſitudinem gradus, honoris, ac diuitiarum commoditates inordinatè affectus ſit; ideòque ob hanc ipſam cauſam ad prælaturam idoneus non cenſeatur. Quo cum non pugnat, quin aliquando aliquis ſyncero affectu deſiderare ac petere poſſit, vt ad epiſcopatum aſſumatur, ſi ſe idoneum arbitretur, vt multis proſit ad Dei gloriam. Vide Caiet. cit. a. 1. concl, 4.

11 QVÆSTIO TERTIA. priori affinis eſt, Vtrum aliquis ad epiſcopatum, aliámue prælaturam cogi poſſit? Reſpondeo, & dico I. Fieri poteſt, vt aliquis in caſu neceſſitatis, vel magnæ vtilitatis iure naturali, & diuino obligetur ad prælaturam acceptandam, ſi perſona habilis, & præ aliis Eccleſiæ regendæ idonea ſit.

Dico II. Qui habilis eſt ad prælaturam, ſi renitatur, Superioris ſui præcepto compelli poteſt, ſicuti docet S. Th. cit. quæſt. 185. a. 2. At verò epiſcopatum à ſolo Papa impetrari poſſe, quippe cuius proprium eſt Epiſcopos confirmare, notauit Valent. cit. diſp. 10. q. 3. p. 3. concl. 6. Sanchez lib. 4. moral. cap. 8. num. 38. & ſpeciatim Prælatum Ordinis Religioſo ſuo præcipere non poſſe, vt epiſcopatum acceptet. Quia Prælatus ea ſolùm ſubdito præcipere poteſt, quæ ad regulam pertinent: epiſcopatus autem potiùs ſubducit ſubditum à regula, & regulari obedientia. Ergo &c.

Dico III. Epiſcopus vnius Eccleſiæ faciliùs cogi poteſt à ſummo Pontifice ad acceptandum alterius Eccleſiæ Epiſcopatum propter publicam vtilitatem, arg. cap. ſcias, 7. q. 1. imò epiſcopatum vacare per tranſlationem à Papa decretam, & confirmatam, ante tranſlati acceptationem, docet Abb. in c. vlt. n. 13. de tranſlat. Epiſcoporum.

CAP. XVI.

DE NVMERO CANONICORVM, ALIOrúmue Conuentualium augendo, vel minuendo.

SVMMARIVM.

1 *Si numerus canonicorum determinatus non eſt, tot in Eccleſia inſtitui debent, quot ex reditibus honeſtè ali poſſunt.*
2 *In Monaſteriis, præſertim Monialium, plures ſuſcipi non debent, quàm ex reditibus ali poſſunt.*
3 *Ob modicum redituum incrementum: aut detrimentum, non debet numerum inſtituendorum mutari.*
4 *Reditus præbendæ abundantioris Epiſcopus detrahere poteſt, alteri applicandos.*
5 *Si numerus Canonicorum in aliqua Eccleſia determinatus non eſt, non vacat canonicatus morte alicuius.*

ASSERTIO I. Si numerus Canonicorum, Mo-
1 nachorum, aut Monialium, alicubi determinatus non eſt, tot inſtitui, vel ſuſcipi debent, quot ex Eccleſiæ reditibus commodè ſuſtentari poſſunt; habito reſpectu ad alia etiam Eccleſiæ onera, & impendia in fabricam, eleemoſynas, hoſpitalitatis officium. Ita habetur in c. cùm M. de conſtit. & c. 1. de inſtit. vbi Abb. admonet, Capitula, Rectores, & Abbates à Superiore ſuo compelli poſſe ad tantum numerum ſuſcipiendum. Verùm vltra Eccleſiæ facultates cogi non debent, vt aliquem recipiant; quare, contra Superioris mandatum excipere poſſunt, vti habetur in c. auctoritate, eod. tit. & notat Abb. in c. ex parte, num. 4. de conceſſ. præben. vbi ait, cum Gl. ver. opponere, quòd in tali caſu vnus ſolus Canonicus opponere ſe poſſit; quia iuſta cauſa vtilitatis Eccleſiæ ſuæ nititur.

His adde, quòd in cit. cap. 1. de inſtitut. & in Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. de Regular. expreſsè præcipitur vt in Monaſteriis tam virorum, quàm mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus, is tantùm numerus conſtituatur, qui ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſint ſuſtentari. Quamuis hoc decretum, quòd attinet ad Monaſteria virorum, non omnino receptum eſſe, teſtatur Sanchez lib. 7. c. 23. moral. n. 6. Cùm paſſim videamus, ob iuſtam cauſam plures in Monaſteria recipi, quàm commodè ali queant. In Monaſteriis autem Monialium, (de quibus ſingulariter decretum eſt c. vn. §. ſanè, de ſtatu Regular. in 6. & à Pio V. in Bulla *Circa paſtoralis officii*, ne plures recipiantur, quàm ali poſſint) ſatisfieri huic præcepto, ait idem Sanchez n. 5. quandoquidem abſque dote recipi non ſolent, ideóque earum receptione Monaſterium non grauatur, ſed plerumque ſubleuatur. 2

Dico II. Si numerus Canonicorum ſtatuto determinatus eſt, non debet is ob modicum redituum augmentum augeri, ſicuti ex communi docet Gl. & Abb. in cit. c. 1. Sed reditus accreſcunt menſæ Capitulari, ſi bona communiter poſſidentur, in fine anni inter Canonicos diuidendi: vel accreſcunt propriis beneficiatis, ſi præbendæ, ſiue reditus beneficiorum diſtincti ſunt. Sin verò Eccleſiæ reditus multum augeantur, tunc etiam numerus augeri debet, tametſi à Papa confirmatus ſit: quandoquidem talis confirmatio facta cenſetur in fauorem Capituli, ſeu Canonicorum, cui ipſi renuntiare poſſunt, ſicuti docet Gl. c. dilecto, de præb. arg. c. cùm M. de conſtitut. vbi notat Abb. n. 6. in tali caſu, antiquis præbendis in ſua integritate remanentibus, ex nouis reditibus nouas præbendas conſtituendas eſſe. Sic etiam vice verſa, ſi reditus Eccleſiæ nimis decreſcant, vt non ſufficiant tanto Canonicorum, vel Monachorum numero ſuſtentando, imminui poterit, non obſtante confirmatione Papæ: cùm confirmatio Papæ intelligatur, ſi res in eodem ſtatu permaneant. Quandoquidem in Eccleſiæ dedecus tendit, ſi Canonici, aliíue Clerici honeſtè ſe ex reditibus alere non poſſint, ſicuti docet Abb. in cit. c. cùm M. nu. 1. & in c. cùm acceſſiſſent, num. 4. de conſtitut. Cæſar Lambertinus de iure patronat. quæſt. 6. principali. art. 7. vbi notant, ſi Eccleſia, vel beneficia patronata ſint, patroni etiam conſenſum adhibendum eſſe, præſertim in diminutione, vel ſuppreſſione alicuius beneficii: ſi tamen patronus conſentire nolit, ipſo etiam inuito, Epiſcopum diſponere poſſe, quatenus Eccleſiæ neceſſitas, vel magna vtilitas poſtulat: quia patronus Eccleſiæ vtilitatem impedire non debet. 3

His adde, ſi reditus vnius præbendæ abundantiores ſint, poſſe Epiſcopum cum Capitulo inde ſubtrahere ad ſupplendum defectum alterius præbendæ, vel redituum fabricæ, arg. cap. expoſuiſti, de præbendis, vbi id notat Abb. & in cap. cùm M. n. 28. rationem dans: Quia *Canonici non poſſident præbendas iure proprio, ſed iure Eccleſiæ*, Conuenit tamen, vt hæc ſubtractio fiat vacante beneficio: tunc enim etiam alia onera honeſta, & ſacris canonibus non repugnantia vacanti præbendæ imponi poſſunt, ad quæ beneficiati impoſterum teneantur, vti colligunt DD. ex c. ſignificatum, de præben. 4

Ad extremum nota ex cit. c. ex parte, de conceſſ. præbendæ, & c. dilecto, de præb. plurimùm referre, vtrum numerus Canonicorum, iis Eccleſiis, in quibus præbendæ diſtinctæ non ſunt, ſed reditus omnes ad communem menſam deferuntur, ſtatuto aliquo determinatus ſit, néce. Quia ſi numerus Canonicorum determinatus non eſt, non vacat canonicatus alicuius morte; ne- 5

que deuolutio fit ad Superiorem; ob negligentiam instituendi intra tempus semestre. Nec refert, etsi longo tempore consuetudo fuerit tot Canonicos, tot Monachos suscipiendi: quia consuetudo consistens in actibus meræ facultatis, siue liberæ voluntatis, non inducit legem: v. g. si 40. annis ad tuum molendinum accessi, non ideo obligationem contraho, ait Abb. in cit. c. ex parte n. 7. Interim Superior, puta Episcopus, Papa potestatem habet compellendi inferiorem Prælatum, & Capitulum, vt nouos suscipiant, secundùm redituum facultatem.

Sin autem numerus Canonicorum statuto determinatus est, tum vacat canonicatus morte beneficiati. Quòd si verò Capitulum supra decretum numerum, aliquem de nouo creet, distinguendum est; verum id faciant dispensatiuè ex gratia speciali, vt pro ea vice sit supernumerarius; vel si recipiant aliquem in Canonicum sine præbenda, vt videre est apud Abb. c. dilectus 1. de præben. his casibus sibi non præiudicant. An verò absolutè aliquem Canonicum supra numerum recipiant; tum censentur renuntiare statuto, saltem ad hoc vt illud allegare non possint in præiudicium alterius, ait Abb. c. pr... illorum, n. 5 de præb. & colligitur ex cap. cùm accessissent, de constitut.

CAP. XVII.

QVIBVS MODIS BENEFICIA amittantur, & vacent.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastica beneficia vacant, aut amittuntur: I. Per mortem naturalem beneficiati. II. Ob iuris dispositionem. III. Per iudicis sententiam & priuationem. IV. Per liberam renuntiationem.*

2 *Non exiguum discrimen est inter priuationem beneficii ipso iure latam, & eam quæ per iudicis sententiam inferenda est.*

3 *Renuntiatio est spontanea beneficii dimissio, coram legitimo superiore id acceptante.*

4 *Si alicui commissa sit facultas conferendi beneficia, non ideo etiam censetur commissa potestas resignationes accipiendi. Sed cui iure ordinario collatio competit, ad eundem ferme etiam pertinet renuntiationes accipere.*

5 *Duplex est renuntiatio: expressa & tacita. Expressa aut fit purè, aut conditionatè. Conditionata vel fit in gratiam certæ personæ; vel causa permutationis.*

6 *Resignationes beneficiorum coram Episcopis purè fieri debent; & non cum conditione, vt certæ personæ conferatur. Nam tales renuntiationes in fauorem alterius solus Papa accept...*

7 *Qui beneficia permutant, ius proprium, reale, & pacificum in iis habere debent.*

8 *Criminosus, aut irregularis, ante sententiam priuationis, validè beneficium suum resignat.*

9 *Si infirmus beneficium resignet, & intra dies 20. vita decedat, non censetur vacare per resignationem, sed per mortem beneficiati.*

1 ECCLESIASTICA beneficia vacant primò, per mortem naturalem beneficiati. Necesse tamen est, vt habuerit ius in re, & quasi dominium beneficij; puta quòd in beneficio electiuo per legitimam electionem confirmatus fuerit, sicuti dixi suprà cap. 12. num. 2. In collatiuis verò beneficiis requiritur, vt non tantùm ipsi absenti collatio facta sit, sed etiam vt collationem per se, vel per alium acceptârit: alioquin si ante talem acceptationem mortuus sit, non censebitur beneficium de nouo vacare, consequenter si antè reseruatum erat summo Pontifici, adhuc manebit reseruatum, sicuti annotauit Couar. 3. resol. c. 16. nu. 3. Vasq. tr. de beneficiis, c. 4 nu. 242.

Secundò ex iuris dispositione, decernentis ipso facto beneficium vacare, atque ab altero impetrari posse; puta si beneficiatus episcopatum, vel aliud beneficium incompatibile accepit, c. cùm in cunctis, §. cùm verò, de elect. c. de multa, de præben. Vel si matrimonium contraxit, c. 1. c. diuersis, de Cleric. coniugatis. Vel si Religionem professus est, c. beneficium, de Regular. in 6. Aut si crimen patrauit, ob quod priuatio beneficii ipso facto incurritur: quamuis etiam tunc opus sit sententia Iudicis declaratoria criminis; ante quam criminosus non tenetur beneficium dimittere, sicuti ex communiore docet Azor to. 1. lib. 8. c. 13 q. 8. Henriq. lib. 14. c. 4. n. 6. Sanchez lib. 2. moral. c. 26. num. 7. Insuper etiam requiritur, vt executio priuationis per Iudicem fiat, sicuti testatur Couar. in epit. 4. decr. p. 2. c. 6. §. 8. n. 8. Henriq. lib. 13. c. 56. n. 3. Sanchez n. 8. Præterquam si Iudex in sententia præcipiat, vt condemnatus statim beneficium dimittat. Præterea, si promotus ad parochiam, quæ residentiam personalem requirit, intra annum sacerdotium accipere negligat, antè omnem iudicis sententiam dimittere cogitur. Quandoquidem tali pacto, & obligatione parochia ei concessa censetur ex dispositione c. licet, de elect. in 6. Porrò alia crimina, quæ ipso facto inducunt Ecclesiastici beneficii priuationem, numerantur à Rebuffo, in praxi de modis amittendi beneficia, Lessio cit. dub. 34. Azorio to. 2. lib. 7. c. 17.

Tertiò amittitur beneficium per Iudicis sententiam, ob crimen, cui talis inferenda pœna à iure decreta est; Videlicet in homicidam, c. Clericis, Ne clerici, vel Monachi. In periurum, secundùm Gl. in c. querelam, de iureiur. In hæreticorum receptores, fautores, c. excommunicamus, 1. §. credentes, de hæreticis. Plura videri possunt apud Rebuffum cit. tit. n. 50. Azor to. 2. lib. 7. c. 18.

Est autem non modicum discrimen inter priuationem beneficii ipso iure latam, & eam quæ per Iudicis sententiam inferenda est. Si enim pœna priuationis ipso iure contracta sit, sententia condemnatoria Iudicis retrotrahitur ad diem commissi criminis, atque non solùm omnes fructus ex beneficiis ab illo tempore percepti auferuntur, sicuti docet Couar. l. c. Henriq. cit. c. 56. num. 2. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 96. Sanchez lib. 2. moral. ca. 26. num. 10. sed etiam beneficiorum commutatio, vel resignatio in fauorem tertij post criminis admissionem facta, rescinditur, sicuti ex communi docet Azor to. 1. lib. 8. cap 13. q. 8. Sanchez num. 9. Less. cit. ca. 34. dub. 35. num. 190. At verò si beneficium vacare debeat per sententiam à Iudice ferendam, neque fructus antè percepti condemnatio auferri, neque resignatio aut commutatio beneficii ab eodem facta rescindi potest. 2

Aliud discrimen est: Si beneficium ob crimen ipso iure alicui adimatur, illud etiam ante declaratoriam sententiam criminis tanquam iure vacans impetrari, &, criminoso non vocato, conferri potest quoad titulum, non item quoad possessionem, sicuti docet Azor to. 1. lib. 5. ca. 8. q. 3. Sanchez cit. c. 26. num. 12. Flaminius de resignat. benefic. lib. 3. q. 1. num. 33. post Gl. in c. licet, de præb. in 6. ver. te non vocato. Sin verò beneficium per sententiam Iudicis ferendam vacet, non potest impetrari, aut inferri, antequam priuationis sententia in criminosum feratur. Qua de re vide Azor to. 2. li. 7. ca. 17. q. 2. Rebuf. in praxi beneficiorum pa. 3. de modis amittendi beneficia, num. 49. Posse tamen à Papa rescriptum gratiæ impetrari, vt post criminosi condemnationem, ac cessionem, alteri conferatur, sicuti Rebuff. notauit, nu. 52.

Quartò vacat beneficium per liberam renuntiationem, quæ definitur: *Spontanea proprii beneficii dimissio, facta coram legitimo Superiore, id acceptante.* Dicitur *dimissio*, quia per renuntiationem aliquis perdit ius in beneficio, ita vt vacare censeatur, & alteri cõferri queat. *Spontanea*, quia quæ metu extorta, sicut & dolo, fraude elicita, 3

irrita est, vel saltem irritari debet, iuxta c. super hoc, de renuntiat. c. ad aures, de his quæ vi, metúsue causa. Vide Rebuffum in praxi tit. de resignat. metu extorta.

Coram legitimo Superiore, ad quem beneficii collatio spectat, cuiusmodi est Papa, eiúsue à latere Legatus, Episcopus, vel Sede vacante Capitulum; imò etiam Prælatus Episcopo inferior, si ad ipsum collatio talis beneficii pertineat, sicuti expressè docet Gl. in Clem. vn. ver. manibus, de renuntiat. Abb. in c. admonet, n. 3. extrà, eod. tit. Less. lib. 2. c. 34. dub. 35. n. 191 contra Garciam p. 11. c. 3. n. 261. Azor to. 2. lib. 7. c. 19. q. 7. qui talem potestatem eiusmodi collatori negant; eò quòd facultas resignationes accipiendi ad eum propriè pertinere debeat, qui & destituere, seu deponere beneficiatum potest, secundùm doctrinam Innoc. in c. quod in dubiis, eod tit. At verò non omnis qui ad beneficia instituere, is etiam destituere potest, secundùm doctrinam Abb. in cap. vlt. num. 4. de statu Monach. &c. cùm ex iniuncto, num. 4. de hæreticis, vbi ait, quòd præscribens potestatem conferendi beneficium, non ideo habet potestatem destituendi: quia hæ potestates diuersæ sunt; ideóque præscriptio in vno non extenditur ad alterum.

4 Ad hoc respondeo; Esse quidem conuenientius, vt resignationes beneficiorum accipiat is, qui & destituendi iurisdictione præditus est: quamobrem si cui committatur facultas conferendi beneficia, v. g. Vicario generali, non ideo censetur commissa facultas resignationes accipiendi, sicut notat Zecchus de benef. cap. 13. nu. 2. quia plus est resignationes accipere, quàm conferre. Nihilominus plerumque accidit, vt quicunque Prælatus, aut præpositus beneficiatos iure proprio instituit (licet ipsos in pœnam priuare non possit) eorundem resignationes accipiat, saltem eas, quæ purè fiunt & non causa permutandi: cùm enim talis permutatio translationem personarum plerumque postulet, magis opus est auctoritate Episcopi, vt notauit Suarez lib. 4. Simon c. 32. n. 14.

Id acceptante. Requiritur enim consensus Superioris, c. admonet, eod. tit. qui non nisi iusta causa suadente renuntiationem admittere debet, iuxta constit. Pii V. quæ incipit, *Quanta Ecclesia Dei*, quæ in Bullario est 58. & videri potest apud Azorium to. 2. lib. 7. c. 19 q. 5. Sin autem iusta renuntiationis causa adsit, tunc is, ad quem pertinet eam admittere, si malitiosè recuset, à Superiore cogi potest, secundùm Gl. cit c. admonet, ver. inconsultò. Imò ad Religionem solùm petitâ, quamuis non obtentâ licentiâ, transire licet, vti docet Gl. ibid. & Abb. n. 4. arg. c. licet, de Regular. in quo conceditur Religioso transitus ad strictiorem Religionem, petita priùs, licet non obtenta Prælati sui licentia. Episcopus tamen episcopatui renuntiare non potest, etiam Religionis ingrediendæ causa, nisi post petitam, & obtentam licentiam Summi Pontificis, iuxta c. nisi pridem, de renuntiatione, vbi etiam causæ afferuntur, ob quas eiusmodi renũtiatio admitti debeat; *conscientia criminis*, quòd post peractam pœnitentiam impedit executionem officii, *debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, & irregularitas personæ.*

Porrò, licet renuntiatio beneficii coram alio, quàm legitimo Superiore facta, non valeat ex parte Ecclesiæ, valet tamen ex parte renuntiantis: non quòd titulo & iure beneficii sui statim excidat; sed quòd Superior renuntiationem ratam habere, & eum, qui ita renuntiauit, quamuis reluctantem, priuare possit, & alteri conferre; nisi is re adhuc integra renuntiationem reuocârit. qua de re Gl. c. quod in dubiis, de renuntiat. Binsfeldius in tit. de Simonia, cap. 12. ad finem, Gregorius Tholos. c. 31. de benef. n. 11. Garcias p. 11. c. 3. n. 223. & seqq.

Nota hoc loco, quòd per renuntiationem non minùs vacare beneficium censetur, quàm per mortem beneficiati, arg. c. quàm periculosum, 7. q. 1. & docet Gl. in c. susceptum, de rescriptis in 6. ver. non morte. Adeò, vt si renuntianti idem beneficium postea conferatur, vltimum locum tenere debeat; perinde ac si beneficiatus antea non fuisset, iuxta c. ex insinuatione, de Simonia, & tradit Nau. lib. 5. consil. 97. q. 2. eod. tit. edit. 2. Loquor autem de eo, qui plenum & certum ius in beneficio obtinet: non autem de eo, qui habet ius ad rem, v. g. qui impetrauit à Papa literas ad beneficium vacaturum: is enim sine Superioris auctoritate renuntiare potest: item Episcopus electus, & nondum confirmatus coram eligentibus; & præsentatus ac nondum institutus coram patrono suo; multòque magis intrusus beneficio cedere potest, etsi Superioris auctoritas non accedat. Quare his casibus non censetur beneficium de nouo vacare; cùm collatio effectum non habuerit. Præterea qui ius dubium ac litigiosum habet, absque Superioris consensu, cedere illud potest aduersario litiganti, non alteri, teste Rebuf. tit. de resign. expressâ, num. 12. Vide de his Garciam n. 247. Zecchum cit. c. 13. n. 2.

Duplex est renuntiatio; Vna expressa, seu quæ verbis expressis fit; altera tacita, quæ fit facto aliquo renuntiationem significante, plerumque etiam ex iuris dispositione: puta si beneficiatus matrimonium contrahat, militiæ nomen det, aliud incompatibile beneficium accipiat, si lite super beneficio mota cedat, vel eam intra tres annos non prosequatur; si post curatum acceptum, intra annum ad sacerdotium nõ promoueatur, sicuti latiùs videre est apud Rebuffum in praxi, tit. de tacita resignat. Lessium cap. 34. dub. 35. n. 189.

Expressa autem renuntiatio iterum duplex est; vna pura, & simplex, quæ fit sine vlla conditione aut pacto, eáque propriè dicta renuntiatio siue resignatio est. 5
Altera verò conditionalis, cuius duæ sunt species: Vna quæ fit in fauorem certæ personæ, id est, cum conditione, vt personæ nominatæ conferatur: cuiusmodi resignatio in fauorem coram Episcopo, aliisque Ordinariis, excepto Papa, fieri non potest, sicuti docent DD. cùm Gl. in c. ex parte, 1. de offic. Legati, Rebuffus in praxi, tit. de resignat. conditionali in fauorem. Nau. c. 23. man. num. 107. ad decimum, Garcias p. 11. cap. 3. num. 152. Azor to. 2. lib. 7. c. 21. quæst. 1. Suarez de Simon c. 35. num. 6. idque Ecclesiarum consuetudo confirmat. Cuius rei hæc præcipua ratio esse videtur: Quia alioquin periculum est, ne beneficiorum resignationes speciem quandam successionis hæreditariæ acquirant, quod iura canonica valde detestantur, sicuti constat ex cap. 1. de præben. vbi rationem reddit Abb. num. 3. Quia *succedens in beneficio non sortitur id à defuncto, sed à Superiore conferente.* Quare Pius V. in Bulla suprà citata prohibet, vt *ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.* Papa tamen eiusmodi resignationes in fauorem alterius recipere solet: Tunc verò resignans non antè iure beneficii sui priuatur, quàm is, in cuius fauorem resignatio facta fuit, beneficium legitima auctoritate sibi collatum acceptârit: quia, vt suprà dictum, resignatio in fauorem conditionalis est: dispositio autem conditionalis effectum non sortitur, nisi postquam conditio impleta est, sicuti præter alios notauit Rebuf. cit. tit. num. 15. & seqq. Less. lib. 2. c. 34. dub. 35. & cap. 35. dub. 14. Suarez de simon. cap. 35. Quæ ipsa causa est, cur Episcopus talem resignationem recipere non possit; quia priùs debet beneficium vacare, quàm ab Episcopo alteri conferatur, iuxta c. vn. in 6. & Clemen. vn. de rerum permutatione: quamobrem resignatio sub eiusmodi con-

ditione in manibus Episcopi nullius roboris erit, atque beneficium manebit resignanti.

Quæ verò contra hanc communem, & in praxi receptam sententiam afferunt Sotus lib. 9. quæst. 7. a. 2. Couar. [illegible] resol. c. 5. num. 5. Valent. t. 3. disp. 9. quæst. 16. p. 3. circumstant. 2. solùm probant, quòd beneficiatus beneficium resignare possit in manibus Episcopi simpliciter, & sine vlla conditione, aut modo obligatorio; quamuis addita deprecatione, vt certæ personæ conferatur. sicuti notauit S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 5. §. 11. Nau. cap. 23. man. num. 107. ver secundò, post Gl. in cap. ordinationes, ver. pretio, 1. quæst. 1. Quare id obseruari potest, vbi Constitutio Pii V. recepta non est.

Altera est species resignationis conditionalis quæ fit causa permutationis: cùm duo beneficiati vnum, vel plura sua beneficia, Papæ non reseruata, in manu Ordinarii sui resignant, ea conditione, vt postea vicissim alteri alterius beneficium conferatur eiusmodi resignationem causa permutationis factam, Episcopus aliùsue quasi episcopali iurisdictione præditus Prælatus, ob causam ad bonum Ecclesiæ pertinentem, admittere potest, iuxta c. quæsitum, de rerum permutat: Imò interdum, si necessitas postulare videatur, motu proprio instituere, vocatis iis, quorum interest, videlicet patrono, collatore inferiore &c. vti videre est apud Abb. cit. c. quæsitum, n. 8. de rerum permut. Non ita verò Prælatus inferior, & Episcopo subiectus permutationem recipere potest, tametsi collatio beneficiorum permutandorum ad ipsum proprio iure spectet, sicuti docet Gl. in Clem. ver. conferantur, de rerum permutat. Abb. in cit. c. quæsitum, n. 4. Nau. lib. 5. consl. 97. n. 2. de Simon. contra Syl. ver. permutatio, 2. q. 2. Sebast. Sapian in cit. c. quæsitum, ver. an permutatio. quam sententiam vero similem iudicat Suarez to. 1. lib. 4. de Simon. c. 32. n. 14. arg. c. vn. de rerum permut. in 6. Quamobrem in hac re Ecclesiarum consuetudo spectanda est: neque enim negatur, quin etiam facultatem istam resignationes accipiendi causa permutationis collator beneficiorum, iurisdictione destituendi carens, diuturna consuetudine præscribere possit.

7 Porrò necessarium est ad permutationem, vt vterque permutantium habeat ius proprium, reale, pacificum in beneficio quod permutat, licet possessionem eius nactus non sit, sicuti ex communi docet Pet de Perusio tract. de permut. benefic. p. 1. q. 1. n. 1. Lessius cap. 34. dub. 39. Garcias p. 11. c. 4. n. 15. contra Rebuffum. tit. de permutat. n. 14. & 15. vbi ait, valere interdum permutationem cum beneficio ficto, simulante altero se beneficium habere, quod non habet.

Hinc etiam norant Doctores apud Nau. lib. 5. consil. 43. n. 2. Neque cum Ordinarii consensu, permutari posse ius, quod aliquis habet ratione exspectatiuæ, vel præsentationis, cum beneficio alterius: quandoquidem beneficiorum quæsitorum, non quærendorum permutatio permittitur, arg. c. 1. ver. beneficia sua, de rerum permutat. in 6. Quòd si verò, facta in manu Episcopi resignatione causâ permutationis, ea successum non habuit, quia v. g. alter permutantium mortuus est; tunc superstes restituendus erit ad beneficium pristinum; sed per nouam collationem: quia beneficium verè vacauit per resignationem, sicuti docet Abb. in c. penult. in fine, de rerum permutat. arg. c. vn. eod. in 6. Quamuis aliud obseruari soleat in permutationibus factis in manu Papæ, videlicet, vt permutans statim redire possit ad beneficium suum, si permutatio successum non habuit: quia ius non censetur reuocatum ab eo qui permutare cupit, sicuti docet Garcias p. 11. c. 4. n. 7. & seqq.

RESTAT QVÆSTIO. Quinam beneficium suum seu purè, seu cum conditione resignare possint, coram eo, qui recipiendi potestatem habet? Respondeo, & dico I. Ordinariè omnes beneficiati ob causam iustam resignare possunt; licet resignationes Episcoporum difficiliùs recipiantur, sicuti constat ex cap. 1. c. nisi cùm pridem, de renunt. & docet Nau. consil. 1. eod. tit. edit. 2.

8 Dico II. Etiam si aliquis crimen commiserit, ob quod beneficio priuandus est, v. g. homicida factus irregularis; priùs tamen, quàm sententia priuationis feratur, validè renuntiat, seu purè, seu conditionatè, sicuti ex communi docet Rebuf. in praxi, tit de modis amittendi beneficia n. 51. Couar. Clem. si furiosus, p. 2. §. 4. n. 7. Azor lib. 7. c. 29. q. 25. Mol. tr. 3. disp. 78. n. 2. Quin imò etsi alius ante latam priuationis sententiam à Sum. Pontifice impetrarat beneficium, adhuc tamen vel alteri resignari, vel ab ipsomet irregulari, si Episcopus tali potestate præditus cum ipso dispenset, retineri potest. sicuti docent Couar. & Mol. ll. cc. Quæ omnia locum etiam habent, licet criminosus de crimine accusatus sit, sicuti docet Rebuffus in praxi tit. de subrogan. collitigant. Gl. 9. n. 6. Garcias p. 11. c. 3. n. 63. Quia tali casu lis non est super beneficio, sed super crimine: quamobrem si accusatus pendente lite decedat, lis finita censetur; adeò, vt beneficium tunc vacet per mortem, non per priuationem, seu depositionem; quia crimina morte extinguuntur, sicut singulariter annotauit Gl. in c. 2. ver. finita, vt lite pendente, in 6. Denique tametsi aliquis crimen commisit, ob quod ipso iure beneficii priuationem incurrit, nihilominus valida est renuntiatio facta in fauorem alterius, licet ea postea per Iudicis sententiam rescindi possit, perinde ac si facta non fuisset, sicuti annotauit Less. lib. 2. c. 34. n. 190. atque hæc fermeetiam locum habent in resignatione facta causâ permutationis, sicuti ex multorum sententia docet Garcias n. 67. contra Rebuf. cit. Gl. 9. & reg. de infirmis resignantibus, Gl. 12. n. 19 Azor cit. q. 25. in fine, vbi negant accusatum de crimine, lite pendente, permutare posse: profectò Episcopus talem permutationem, nisi ob grauissimam causam, recipere non deberet.

Hoc adde, quod ex communiore tradit Azor cit. q. 25. Licet Parochus, qui toto anno sacerdotium suscipere neglexit, postea commutare illud non possit; quia tunc parochiam dimittere tenetur; sicuti & is qui alterum beneficium incompatibile obtinuit; posse tamen Parochum permutare ante finem anni, cùm adhuc ius in beneficio obtinet, & non statim illud dimittere cogitur.

9 Dico III. Hoc speciale est ex regula Cancellariæ de infirmis: Si constitutus in infirmitate beneficium suum quomodocunque in cuiuscunque Ordinarii, vel Collatoris manu resignauit, & intra 20. dies sequentes ea infirmitate mortuus est, beneficium non per resignationem, sed per mortem beneficiati vacare censetur; ideoque liberè conferri potest, non obstante conditione resignationi apposita. Qua de re vide Rebuf. reg. de infirmis.

CAP. XVIII.

DE PENSIONIBVS.

SVMMARIVM.

1 *Pensio est pars aliqua beneficialium redituum, ad tempus alicui legitima autoritate constituta.*

2 *Pensio alia clericalis est; & alia laica, seu non spiritualis.*

Pensio clericalis magnam cum beneficiis Ecclesiasticis similitudinem habet.

3 *Ob causam specialem etiam Episcopus pensionem designare potest.*

v. g. ob senium resignantis, ob causam concordiæ. sed talis pensio morte pensionarij cessare debet

4 *Episcopus, cum Capitulo, ob causam necessitatis, vel magnæ vtilitatis, fructus ex beneficio abundantiore subtrahere non prohibetur.*

5 *Episcopus pensionis designationem, aut fructuum subtractionem facere debet ante beneficij collationem.*

6 *Pensio non nisi moderata constitui debet, quæ plerumque est tertia pars fructuum.*

7 *Spectato communi iure, pensionarius obligatur ad subsidium charitatiuum, & similia onera realia, secundum proportionem redituum quos accipit: quamuis ferme consuetum est, ut pensiones libere designentur.*

QVÆSTIO PRIMA. Quid sit pensio? Respondeo. Est certa portio ex alieno beneficio Ecclesiastico, ad tempus, iusta de causa, detracta, & separata. Ita post Cardinal. in Clem. 1. de suppl. neglig. Prælat. definit Zecchus de benefic. & pension. c. 11 in princip. Azor to. 2 lib. 8. c. 5. q 1. Less. c. 34. dub. 37. Differt autem pensio à beneficio potissimùm in duobus: 1. Quòd pensio sit pars quædam iuris beneficialium redituum, alteri constituta & designata: ad eum modum, sicuti lib. præced. dixi, censum consignatiuum esse veluti partem quandam vsusfructus. II. Beneficium in perpetuum Ministrorum vsum suapte natura constituitur: quamobrem morte, vel renuntiatione beneficiati vacat, & alteri conferri debet. Pensio autem ac tempus decernitur, ita vt vel renuntiatione, (quæ etiam sine Superioris auctoritate fieri potest) vel morte pensionarij omnino finiatur; sicuti vsusfructus morte vsufructuarij, §. finitur, Instit. de vsufructu. quamquam, si necesse sit, postea denuò pensio imponi debet, sicuti docet Azor l. c. Zecchus n. 2. in fine. Nihilominus Papa ex plenitudine potestatis constituere potest, vt pensio, præter naturam suam, perpetua sit, & de vno ad alterum eius successorem, vel aliumcunque transferatur, sicuti notauit Less. dub. 38. n. vlt.

Excludimus autem hinc pensiones siue portiones illas, quæ ex beneficijs detractæ, alicui in titulum beneficij, perpetuæ vicariæ, aut commendæ, constituuntur. Eæ enim portiones propriè dicta beneficia censentur, sicuti notauit Azor q. 5. Garcias p. 1. cap. 5. n. 164. Cæteræ autem pensiones, suprà definitæ, beneficiorum appellatione non comprehenduntur, licet in multis cum iis conueniant, quæ clericales pensiones sunt, vt postea dicam.

QVÆSTIO SECVNDA. Quotuplex sit pensio? Respondeo, esse duplicem; laicam, & clericalem:

2 Pensio laica seu temporalis dicitur, quæ ob temporalem aliquam causam constituta, laico etiam competere potest: v. g quæ datur Ecclesiæ Oeconomo, Cantori, Æditui: Item quæ Ecclesiæ patrono, aut defensori. Pensio verò clericalis appellatur, quæ in solos Clericos cadit. Ea iterum duplex est; vna simpliciter spiritualis, quia Clerico ob spirituale ministerium datur; v. g Côcionatori, Episcopi Coadiutori, Parochi Vicario, aut Cooperatori. Altera media, siue mixta, quæ in clericali quidem statu fundatur; tamen non propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam; eámque vel lucrosam, vt quæ Clerico pauperi, vel Parocho seni, loco alimentorum assignatur: vel onerosam; vt quia aliquis lite beneficiaria cedit, c. nisi, de præb. vel quia beneficium alteri resignat, seruata sibi, cum Episcopi auctoritate, pensione, sicuti docet Azor cit. q. 5. vel quia beneficium suum cum altero tenuiore permutat, arg. c. ad quæstiones, de rerum permut.

Porrò inter pensionem laicam & clericalem maximum discrimen est; quòd illa nihil ferme cum Ecclesiastico beneficio commune habet; hæc autem cum eo multùm conuenit: nam & ius spirituale est, vel potiùs annexum spirituali; statúmque clericalem requirit; & ferme eisdem modis, quibus beneficium, amittitur, saltem si loquamur de pensione simpliciter spirituali, sicuti notarunt Gigas tra. de pension. qu. 54. & seqq. Nau. lib. 5. cons. 47. 59. 61. & 63. Tol. lib. 5. cap. 82. Garcias pa. 1. ca. 5. num. 105. & seqq. Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de Sim. ca. 26. Sanchez 7. moral. ca. 29. nu. 8. vbi notat, quòd talis pensio nec emi, nec redimi potest; sed gratis remitti debet: item quod ob contractum matrimonium, vel Religionis professionem, vel assumptionem ad episcopatum, ipso iure vacat pensio, sicuti & beneficium. Adde, quòd pensioni simpliciter clericali ex constit. Pii V. apud Nau. cap. 25. num. 122. annexa est obligatio recitandi officii B. Virginis, quãquam hæc constitutio nõ vbique recepta est, teste Less. cit. c. 35. dub 22. n. 129.

QVÆSTIO TERTIA. Quisnam pensiones beneficii imponere possit? Respondeo. Certum est, Sum. Pontifici talem potestatem pensiones imponendi ob iustam causam simpliciter competere: cùm in beneficiis plenissimam potestatem habeat, cap. 2. de præb in 6. Non valet tamen, secundùm stylum Curiæ, designatio pensionis in beneficiis patronatus laici, sine clausula derogatoria eius, sicuti docet Couar. in pract. qq. c. 36. nu. 10. ver. primum, Gigas de pension. q. 24. De Episcopo verò dubitant DD. vtrum pensiones imponere possit, vti videre licet apud Rebuf. tit. de reseruat. tam general. quam special. & de pacific. possessor. num. 123. Lessium ca. 34. dub. 38. Binsfeld. de Simon. ca. 9. q. 2. §. de consuetudine. Tol. lib. 5. ca. 83. in princ. qui aiunt, secundùm consuetudinem Curiæ Romanæ, id Episcopis hodie licitum non esse: idque verum est ordinariè loquendo, quia beneficia Ecclesiastica sine fructuum diminutione conferri debent, iuxta c. vn. Vt Ecclesiastica beneficia &c.

Verùm in casibus specialibus, ac necessariis, v. g. propter paupertatem, senium resignantis, ob litis compositionem, aut ad coæquandos fructus in permutatione beneficiorum, adhuc hodie Episcopo competit pẽsionem beneficio imponere; quamuis non imperpetuum, neque cum facultate transferendi ad alterum; sed solùm ad vitam pensionarii, id est, eius cui pensio designatur, sicuti habetur in c. nisi essent, de præbendis, & docent Gigas de pension. q. 6. Caccialupus de pension. q. 5. Suarez tom. 1. de relig. lib. 4. de Sim. ca. 27. nu. 37. & c. 51. nu. 18. Sa ver. pensio, num. 5. Nau. lib. 5. consil. 4. num. 4. de Simon. edit. 2. Garcias pa. 1. ca. 5. nu. 309. 334. 344. Quamobrem in tali casu obligatio pensionis soluendæ ad successorem transit, quamdiu pensionarius viuit, arg. c. de cætero, de transact. & ex communiore docent Gigas, Caccialupus, Suar. ll. cc. contra Azor to. 2. lib. 8. c. 6. q. 1. in fine, Sanchez lib. 7. moral. cap. 29. num. 99. 3

Excipit hinc Garcias cit. n. 334. Si pensio designetur causa concordiæ, & vt à lite recedatur: talis enim pensio ad successorem transire non videtur, sed extingui cum persona onerata, arg. cit. c. nisi essent, de præb. vbi Innoc. rationem dat: Quia cùm agatur de iure personali, non potest obligari beneficium, vel successor; quippe de cuius vtilitate non agitur. Nihilominus contrarium probabilius docet Suarez n. 18. cùm neque Gigas, & Caccialupus huius exceptionis meminerint: & ad c. nisi, patet responsio ex cit. c. de cætero, quòd iis locis sermo sit de Iudicibus arbitris, aut delegatis, quamuis à Papa; non posse eos, sine episcopali auctoritate, pensionem, aut censum beneficiato imponere, qui vitam eius personæ excedat: alioquin enim præiudicaretur iuri Episcopi, qui non possêt beneficium alteri sine fructuum diminutione conferre.

Cæterùm Episcopus resignanti beneficium in fauorem alterius pensionem designare non potest, communi

iure; cùm neque resignationem talem recipere possit, sicuti præter alios notauit Zecchus de benef. & pens. c. 11. n. 5. Suar. cit. lib. 4. de simon. c.33. n. 3. Garcias n. 340. arg. cit. c. nisi essent, ibi, *non quidem ex pactione partium*; sed à Superioris solius voluntate prouenire debet, vt pensio ob iustam ac necessariam causam designetur resignanti, v. g. quia valde senex est, & ad onera beneficii ineptus. In resignatione tamen, quæ Papæ offertur, nihil prohibet partes inter se priùs de pensione pacisci, vt eam Papa admittat & approbet, sicuti ex communi docet Zecchus l. c. & Gigas q. 5. n. 3. & q. 6. n. 8.

4 Addendum est suprà dictis, quòd sicuti Episcopus ob iustam, & necessariam causam, beneficio ad tempus pensionem imponere potest, conferendam alteri; ita pari ratione statuere potest Episcopus cum Capitulo ob causam necessitatis, vel magnæ vtilitatis, vt pars aliqua redituum beneficii ad certum vsum pium, v. g. Ecclesiæ fabricam, Religiosorum sustentationem; item ad debitorum nomine Ecclesiæ contractorum solutionem applicetur, secundùm doctrinam S. Th. 2. 2. q. 100. a. 4 in fine, Gl. Innoc. Abb. n. 15. & alior. DD in c. vn. Vt beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, Pauli Romani in tr. de pensione Eccl. c 4. n. 10. Dummodo beneficium, cui aliqua detractio fit, seu pensio imponitur, reditibus abundet: nam alioquin *non decet vnum altare discooperire, vt aliud cooperiatur*, ait Abb. in c. pastoralis, n. 5. de his quæ fiunt à Prælatis &c.

Sed nunquid Patroni consensus requiritur, si beneficium patronatum sit? Respondet Abb. in cit. c. vn. n. 20. Gigas q. 23. ex necessitate non requiri. Idque verùm est, spectato communi iure, & secluso speciali priuilegio, aut consuetudine. Cùm enim pensio ab Episcopo constituta, perpetua non sit, sed tantùm ad vitam pensionarii; non censetur exinde præiudicium patrono inferri: modò pensio moderata sit, & non nimis onerosa: alioquin conqueri, eámque reuocare posset. Vt proinde consultum sit, patroni consensum priùs requirere. quòd si absque iusta causa contradicat, nihilominus Episcopus propositum exequi poterit.

5 Insuper duo notanda sunt: I. Episcopus pensionis designationem, aut fructuum subtractionem facere debet ante collationem beneficii, sicuti annotauit Caccialupus q. 5. Gigas. q. 10. Nam si eam faciat in ipsa collatione, requisito consensu beneficiati, periculum est pactionis simoniacæ, quando ex tali fructuum subtractione vtilitas aliqua in collatorem directè, vel indirectè redundat, sicuti patet ex cit. c. vn. prope finem II. Posteaquam causa subtractionis fructuum cessauit, iterum beneficia sine diminutione conferri debent, sicuti communi & ordinario iure oportet, iuxta cit. c. vn. vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

6 QVÆSTIO QVARTA. Quanta pensio designari debeat? Respondent DD. communiter, Abb. in ca. conquerente, n. 5. de Cler. non resident. Gigas q. 4. Garcias p. 1 c. 5. n. 366. Vasquez de benefic. c. 2. dub. 12. Oportere esse moderatam, vt tantum maneat beneficiato, præsertim Ecclesiæ Rectori, vt commodè se sustentare, officiúmque misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere; item iura Episcopalia soluere, & alia sibi incumbentia onera præstare possit, iuxta c. cùm causam, c. de Monachis, de præbendis. Alioquin si parochiæ in aliqua diœcesi nimis tenues reditus habeant, plerique viri docti, & alioquin valde idonei, fugientes tamen laboris & curæ, quæ Parochis præsertim in Germania nostra incumbit, ad otium, & pingues canonicatus aspirabunt: Ecclesiæ autem hominibus indoctis & rerum imperitis committi debebunt, non sine populi spirituali detrimento. Quamquam etiam è contrario, si reditus parochiarum nimis abundantes sint, occasionem inde Parochi accipiunt luxus & vanitatis sectandæ; & ea, quæ ad plebis salutem, Deique gloriam spectant, negligendi. Igitur mediocritas maximè laudabilis est. Ait verò Corduba lib. 1. quæstion. q. 21. dub. 2. consuetum ferme esse, vt nomine pensionis ex beneficio tertia redituum pars extrahatur.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum pensionarius pro rata pensionis suæ, obligatus sit ad præstandum subsidium charitatiuum Episcopo; item collectas cùm ordinarias, tum extraordinarias, quæ ob necessitatem, vel publicam causam, à Clericis interdum exiguntur. Resp. & dico I. Si res per se & secundùm ius commune spectetur, pensionarius ad id obligatur. Ita Caccialupus q. 17. Gigas q. 38. & 59 de pensionib. Petrus Rebuf. de pacif. possessor. n. 138. Nau. lib. 3. consil. 1. de Eccles. ædific. edit. 2. Azor lib. 8. c. 9. q. 2. Garcias cit. c. 5. n. 171. Probatur. Qui commodum percipit, æquum est eundem & onus perferre: Atqui pensionarius partem aliquam fructuum, siue redituum ex beneficio percipit: Ergo secundùm proportionem eius, onera quoque siue præstationes, beneficio incumbentes, perferre debet. 7

Dico II. Pensiones frequentissimè designantur liberæ, & exemptæ ab omni præstatione, ita, vt totum onus ad titularem, siue Rectorem beneficii pertineat: idque partim ex consuetudine Romanæ Curiæ, talem clausulam exemptionis in conferendis pensionibus adiicientis, teste Caccialupo, Gigante, Azorio ll. cc. partim verò ex voluntate Ordinarii, ipsiúsue titularis siue Rectoris, pensionem tali modo designantium: siquidem eò minor pensio designari potest, quia onera præstationum penes solum Rectorem esse debent. quod quidem ex literis constitutæ pensionis cognoscendum erit; in quibus si nihil expressum sit, cogetur pensionarius pro rata contribuere, vti DD. cit. affirmant; excepto, si loci consuetudo aliud obtineat: nam sicuti contractus, ita & designatio pensionis intelligitur secundùm consuetudinem regionis.

TRACTATVS

TRACTATVS TERTIVS DE IVRAMENTO ET PERIVRIO.

CAPVT I.

DE NOTIONE AC DEFINITIONE Iuramenti.

SVMMARIVM.

1. *Iuramentum est inuocatio diuini nominis, in testimonium alicuius rei.*
2. *Quod per falsum Deum fit iuramentum, per se loquendo, obligatorium non est.*
3. *Ad iurandum animus siue intentio requiritur: imò solo animo iurari potest, absque externo signo.*
4. *Ad rationem iuramenti requiritur, vt non meram assertionem veritatis contineat; sed petitionem, seu inuocationem testimonii diuini.*
5. *Inuocatio testimonii diuini tum explicitè, tum implicitè fieri potest, v.g. per creaturas iurando.*
6. *Tantò decentius est iuramentum per creaturam, quantò illa sanctior, aut excellentior.*
7. *Cùm in sacris canonibus prohibetur iuramentum per creaturam, intelligitur de Gentilium iuramentis per Iouem, Solem &c.*

IVRANDI verbum à *iure* deriuatum est, vti notauit S. Th. 2. 2. q. 89. a. 1. quia quod cum iuramento asseritur, aut promittitur, instar firmissimi iuris, seu decreti haberi debet. Quare & *iusiurandum* dici solet: *Nullum vinculum*, inquit Cicero lib. 3. de officiis, *ad stringendam fidem iure iurando arctius Maiores esse voluerunt.* Aliàs *sacramentum* appellatur, quòd sit sacra quædam & *religiosa affirmatio*, vti Cicero ibidem ait. Vide etiam Abb. Panorm. in rubr. de iureiurando, Couar. in c. quamuis pactum, p. 1. princip. n. 3.

Iuramentum definitur ex eodem S. Th. cit. a. 1. S. August. de serm. Domini in monte cap. 17. *Inuocatio diuini*
1 *Numinis, in testimonium alicuius rei.* Pro cuius definitionis intellectu notandum est primò: Finis & effectus iuramenti est confirmatio rei dubiæ, seu controuersiæ, testante Apost. ad Hebr. 6. *Omnis controuersiæ finis, inter homines, ad confirmationem, est iuramentum.* Et Gaio Iureconsulto in l. 1. ff. de iureiuran. *Maximum remedium expediendarum litium in vsum venit iurisiurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigantium, vel ex authoritate Iudicis diuiduntur controuersiæ.* Cùm enim particularia facta & promissa hominum sæpe incertæ veritatis sint, neque per necessariam rationem confirmari possint; ideo solent confirmari per testes. Verùm humanum testimonium sufficiens non est ad eiusmodi confirmationem: partim propter defectum humanæ veritatis: quia sæpe homines mentiuntur, ac fallunt; partim propter defectum cognitionis: quia homines cognoscere non possunt futura contingentia, nec absentia, neque cordium occulta, de quibus tamen loqui solemus, & expedit humanis rebus, vt de his etiam aliqua certitudo habeatur. Quamobrem necessariũ fuit recurrere ad diuinũ testimonium: quia Deus nec mẽtiri potest, nec eum aliquid latet. Ita S. Th. in corp. cit. a. 1. Quanquam in iuramento absolutè non petitur à Deo, vt dicti veritatem actuali aliquo signo statim contestetur (id enim ad tentationem Dei pertineret, si sine vrgentissima causa, vel speciali motione Spiritus sancti peteretur) sed vt contestetur Deus, si voluerit, quando voluerit, saltem *cùm illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* 1. ad Corint. 4. & notauit idem S. Th. a. 1. ad 3.

Notandum est secundò: Iuramentum per solum verum Deum fieri potest, cùm sit inuocatio diuini testi- 2
monii, idque indicatur cap. 6. Deuter. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis.* Nam iuramentum inuentum est ad confirmandam veritatem, quatenus fieri potest, testimonio firmissimo & infallibili, cuiusmodi solius Dei est, sicuti dixi li. 2. tr. 1. de Fide, c. 1. n. 4. Ex quo colligitur, quòd per Deum putatitium, siue idolum fit, non esse verum iuramentum, sed actum idololatriæ; ideoq; per se loquendo, nullam ex virtute religionis obligationem parere, sed tantum per accidens, ob erroneam conscientiam infidelis iurantis: qua ratione explicari potest S. August. epist. 154 ad Publicolam, relatus in c. mouet, 22. q. 1. Quare deposito errore videlicet infideli ad Fidem conuerso, cessat omnis obligatio iuramẽti: licèt interim fœdera siue pacta, quibus eiusmodi peruersum iuramentũ adiectũ fuit, si iusta sint, ex fidelitatis & iustitiæ virtute obseruanda maneãt. Quæ est sententia Soti lib. 8. q. 1. a. 3. Mol. tr. 2. to. 3. priore, disp. 579. Less. lib. 2. c. 42. dub. 1. Suarez lib. 2. de iure cap. 3. num. 6. Sanchez l. 3. moral. c. 2. n. 5. contra Innoc. Abb. & alios Canonistas in c. etsi Christus, de iureiurando, vbi aiunt, etiã Christianum per falsos Deos iurantẽ iuramento obligari sed non ita est, vt mox dicã.

Notandum est tertiò: Ad veram rationem iuramenti non sufficit, verba iuramenti significantia materialiter 3
tantum proferre; nisi simul adsit animus siue volũtas iurandi, verùmque Deum in testem inuocandi; alioquin erit non verum, sed fictum, vel dolosum iuramentum, quod interdum ratione scandali, aut damni amouendi, non item propriam ex religionis virtute obligationem adfert. Contrà verò, si animus siue voluntas interna iurandi adsit, verum coram Deo iuramentum existit, sine vlla signorum expressione; perinde ac votum sola mente conceptum, sicuti docet Couar. c. quamuis pactum, p. 1. princip. n. 5. & 6. Andr. Fachinæus li. 5. cõtrouers. iuris, c. 8. Azor. to. 1. lib. 11. c. 2. quæst. 4. Suarez. lib. 1. de iuram. c. 1. n. 4. Sanchez lib. 3. c. 1. nu. 2. Io. Malderus 2. 2. tr. 10. cap. 6. dub. 1.

Ex quo infertur cum Sanchez ca. 2. n. 7. Eum verè iu- 4
rare, aut peierare, qui animum ac voluntatem habens Deum vt testem inuocandi, adhibet verba, vel alia signa, quæ alioquin talem iuramenti significandi vim non habent. Exempli causa, Si aliquis cum intentione iurandi dicat, *In veritate hoc faciam.* Vel si Christianus cum infideli paciscens, coram lapide iuret, intentionem suam non in lapidem, sed in Deum verum referens qui videtur esse casus S. August. ser. 28. c. 12. de verbis Apostoli. Vide Couarru. c. quamuis pactum, par. 1. §. 1. numero 21. Suarez lib. 2. de iuram. c. 6.

Notandum quartò: Iuramentum debet in se continere non meram assertionem, sed petitionem seu inuocationem diuini testimonii, saltem virtualem. Quare, si modo, sensuque enuntiatiuo tantùm dicatur: *Coram Deo hæc dico: Deus scit me verum dicere: Deus videt ita esse,* non sunt iuramenta, sicuti rectè docent Sotus libro 8. q. 1. art. 1. Caiet. cit. q. 89. a. 1. contra Nau. c. 12. man. n. 2.

Imò neque hæc locutio, *Deus mihi testis est*, iuramenti rationem habebit, si simplicis assertionis sensu proferatur, Deum esse cognitorem eorum quæ dicuntur, vti notauit Sanchez lib. 3. c. 2. num. 21. Azor. to. 1. lib. 11. c. 3. q. 1. & fatetur Suarez lib. 1. c. 13. n. 7.

Veruntamen etiam per modum inuocandi diuini te-
4 stimonii, seu vt iuramenta huiusmodi loquendi formulæ frequenter vsurpantur, vti videre est apud S. Paulum 1. ad Timoth. 5. 2. ad Timoth. 2. *Testificor coram Deo.* ad Gal. 1. *Coram Deo, quia non mentior.* Ad Rom. 1. *Testis mihi est Deus*, & S. August. epist. 137. ad Clerum, & populum Hipponensem: *Fateor Charitati vestræ coram Deo, qui testis est super animam meam.* Et in sermon. 28. de verbis Apostoli, cap. 9. *Quantùm ad me pertinet, iuro: sed quantùm mihi videtur, magna necessitate compulsus: cùm videro, non mihi credi, nisi faciam; & ei, qui mihi non credit, hac perpensa ratione, & consideratione librata, cum magno timore dico, Coram Deo, aut, Testis est Deus: aut scit Christus, sic esse in animo meo.* Item S. Th. cit. a. 1. 3. has loquendi formulas inter iuramenta numerat: *Est mihi Deus testis, Coram Deo loquor.* Verùm in his, vt supra dixi, spectanda imprimis est intentio loquentis: si verò ea ignota sit, coniectura capi debet, tum ex communi loquentium consuetudine. (Hæc enim forma. *Deus est mihi testis*, frequentiùs vt iuramentum accipitur; non item hæc, *Deus scit ita esse*) tum verò ex moribus loquentis, vtrum is frequenter, aut vix vnquam iurare soleat, sicuti notauit Caiet. q. 89. a. 1. ad 3. Azor lib. 11. c. 3. q. 1.

Notandum quintò: Inuocatio diuini nominis in
5 testimonium, tum explicitè fieri potest, tum implicitè. Explicitè per Deum iurauit S. Apost. Paulus cùm aliàs, tum 2. ad Corinth. 1. *Testem Deum inuoco in animam meam.* Ea quoque iurandi formula, quæ olim Iudæis præscripta erat, cap. 4. Hieremiæ, *Viuit Dominus*, secundùm propriam impositionem, & communem eius acceptionem, expressam diuini nominis contestationem præferebat: est enim sensus; *Deus qui perfectissimâ vita est, & omnia videt, ille iudicet.* Implicita verò seu virtualis diuini testimonii inuocatio accidit in iuramento per creaturas, non absolutè spectatas (sic enim ad blasphemiam, & idololatriam spectaret) sed vt in Deum relatas, prout in iis diuina vis seu potentia specialiter elucet. Qua ratione Moyses iurauit Deuter. cap. 3. & 4. *Testes inuoco, cælum & terram.* Et Christus apud Matth. cap. 5. mentionem facit iuramenti *per cælum, quia thronus Dei est, & per terram, quia est scabellum pedum eius; & per Hierosolymam, quia est ciuitas magni Regis* cœlestis. In quem locum S. August. lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 17. ita ait: *Cùm iuras per cælum, aut terram, non te arbitreris, non debere Domino iusiurandum tuum: quia per eum iurare conuinceris, cuius cælum thronus est.* Et ipsemet Christus apud S. Matth. cap. 23. ita explicuit: *Quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipso; & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei; & in eo, qui sedet super eum*, videlicet potentiam suam clariùs demonstrando. Simili quoque modo per crucem iurari solet, cum ordine ad eum qui pro nostra salute in cruce mortuus est, c. qui peierat, 22. quæst. 5. Item per sancta Euangelia, c. quoties cordis, 1. quæst. 7. quippe in quibus infallibilis Dei veritas nobis manifestata continetur, sicuti explicat S. Th. q. 89. a. 6. Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 1. n. 16. Ioan. Selua de iuram p. 1. quæst. vlt.

Est autem tantò decentius iuramentum per creatu-
6 ram, quantò ea sanctior atque excellentior est, seu in qua diuina vis clarius & largius resplendet: adeò, vt si quis creaturam ignobilem in testimonium dicti sui adferat, v. g. *iuro per has paleas*, censeri debeat iocosum, seu illusorium iuramentum, teste Nau. cap. 12. num. 5. Nisi alia sit iurantis tacita intentio; vel addatur expressa relatio creaturæ in Deum; v. g. *per hunc ignem Dei*: quia sic *Deus inuocatur conditor eius.* ait Syl. ver. iuramentum, 1. quæst. 4. & docet Abbas c. etsi Christus, n. 6. de iureiur. Rodriq. t. 1. sum. c. 191. n. 1. Sanch. lib. 3. c. 2. n. 10.

Cùm verò in sacris canonibus, c. clericum, 22. quæst. 1. sumpto ex Concil. Carth. 4. cap. 61. & cap. si quis
per capillum, ead. q. Christianis sub excommunicatione prohibetur, ne per creaturas iurent, explicandum id est de iuramento Gentilium, puta *per Iouem, per Solem* &c. Siquidem talia iuramenta, cum simulatione falsæ religionis, vel certè cum scandalo iuncta sunt, sicuti colligitur ex can. 94. Synodi Trullanæ, in quo excommunicantur ii, qui *Gentilium sacramenta iurant*, & notauit Suarez lib. 1. de iuramento, cap. 5. n. 6. 7

Porrò in iuramento execratorio per creaturam, in quam Deus iudicium suum exerceat, nisi verum sit quod dicitur, minus periculi superstitionis, aut scandali subest. Qua ratione Apostolus Deum testem inuocauit *in animam suam*. Et Ioseph Patriarcha Gen. 42. per salutem Pharaonis iurauit, teste S. Th. cit. a. 6. Et Christianos *per salutem Cæsaris* iurare solitos, refert Tertullianus in Apologet. c. 31. Et Christus cap. 5. Matth. meminit iuramenti *per caput* proprium, atq; non facilè, aut sine necessitate ita iurandum; quia non potest homo *vnum capillum album facere, vel nigrum*, id est, non habet potestatem in caput, aut vitam suam.

CAP. II.

DE QVIBVSDAM IVRANDI formulis.

SVMMARIVM.

1 *Verba illa, auff. mein And, plerumque iuramenti formam continent.*

2 *Fides à Sacerdotibus interponi solita per sanctam eorum consecrationem, non est propriè iuramentum; sicuti nec fides à viris principibus interposita: quamuis in foro externo vti iuramenta accipiuntur, & obseruari iubentur.*

3 *Homagium, quod vasalli domino suo præstare debent, est propriè iuramentum.*

4 *In veritate, in conscientia mea, per conscientiam meam, non videntur esse iuramenta.*

IN primis certum est, hanc esse veram eámq; expressam iuramenti formam, *Iuro per Deum*, vel, *Per Deum ita est*. Item, *Deum testem inuoco: Deus mihi testis esto.* Addit verò S. August. epist. 89. ad Hilar. in fine; & notauit Syl. ver. iuramentum, 1. q. 5. perinde esse, siue aliquis iurando vtatur particula *Per*, siue particula *In*. Qua forma Apostolus iurasse existimatur ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu.*

Dubitari verò potest de hac formula, *Auff. mein And*, id est, *volo dictum*, vel promissum meum iuramentum esse; vtrum veram iuramenti rationem habeat? 1
Respondeo, & dico I. In foro iudiciali talia verba censeri iuramentum: puta si Iudex dicat, *Gelobe an auff dein And*, id est, *Promitte mihi iuratus*; & alter annuat, vel promittat, censebitur iurare, seu iuratus promittere: quia hæc est Iudicis intentio iuramentum exigentis, sicuti in simili docet Sanchez lib. 3. de iuram. cap. 2. n. 4.

Dico II. si iuramentum non exigatur, sed sponte aliquis talia verba vsurpet ad confirmationem dicti, vel promissi sui; tunc arbitror duplicem verborum sensum esse posse: I. Quòd actu aliquis per ea iurare intendat: quo casu haud dubiè verũ iuramentũ continent: quia ad probationem iuramenti, si animus & intentio non desit, sufficit verbum *iuro*; vel *volo iurare*. II. sensus. Tam certũ esto dictũ, vel promissum, ac si iuratũ sit. Quo casu non efficitur iuramentũ; quando non adest intentio actu iurandi, sed habendi dictũ, vel promissum instar iuramenti. Quæ etiam forma interdum promissio exigi solet: *Gelobe an, an And, statt*: *Promitte mihi loco iuramenti*:

Id est, tam firmiter, ac si iurares: cùm tamen re vera non iuretur: Sicuti secretum, quod alicui extra Confessionem, perinde ac si sacramentale sit, committitur, re ipsa non fit sigillum sacramenti Confessionis. Quæ doctrina confirmatur ex c. Clericus, de iureiur in quo habetur: Quòd Clericus, qui iurauerat se statuta in Ecclesia sua edita seruaturum, & postea per idem iuramentum promisit, statutum subsecutum fideliter etiam obseruare, teneatur quidem ad posterius statutum ex vi promissionis, sed non ex vi iuramenti. quod rectè explicatur in Rubrica: *Nisi tunc de nouo iurandi intentionem habuisset.*

Nihilominus arbitror verba illa *Auff mein And,* in vulgari etiam sermone, plerumque iuramentum continere, si deliberatè proferantur. Quia, vt inquit Sanchez lib. 3. cap. 2. n. 1. ad iurandum satis est, velle verba vsurpare in eo sensu, quo secundùm aliorum ita iurantium consuetudinem vsurpari solent. Hæc autem videtur esse consuetudo apud Germanos, vt formula illa verborum pro iuramento vsurpetur, & accipiatur. Ergo tale præsumendum est, nisi de alia vsurpantis intentione constet.

Secundò dubitatur. Vtrum promissio facta per interpositionem fidei, *Ben meinen Ehren vnd Treuen,* vim iuramenti habeat? Plerique Canonistæ affirmant, no-
2 minatim Felinus in c. querelam, Abb. ibid. n. 7. de iureiur. argumento c. ad aures, de his quæ vi, vbi habetur, quòd renuntiatio electionis, ob laicorum terrorem facta, irrita censeri debeat, *nisi iuramento, vel fide interposita confirmata sit.* Et in c. peruenit, de fide iussor. *Clericos, si religionem fidei, vel iuramenti violasse confessi erit, ab officio, & beneficio suspendendos esse.* Contrariam vero sententiam sequuntur plerique Theologi, & Couar. c. quamuis pactum, p 1. §. 2. n. 3. Gutierez in Auth. Sacramenta puberum, Cod. si aduersus venditionem, n. 149. ob rationem Caiet. 2. 2. q. 89. a. 6. *Qui enim dicit per fidem meam hoc faciam &c. non de Fide Theologica (siue Christiana) sed morali loquitur, hoc est de fidelitate: & perinde est, ac si diceret, Ita hoc faciam, sicuti fidelis sum, aut haberi volo. Seipsum ergo affert in testem, non Deum. Sicuti Reges promittentes in fide regia, non iurant, sed propriam excellenter fidelitatem adferunt ad confirmationem.*

Verùm neque hæc sententia omni difficultate caret, propter iura canonica, quæ etsi distinguere solent inter fidei interpositionē, & iuramentum; tamen in vtroque aliquam vim religionis, maioremque obligationem, quam in alia nuda promissione agnoscunt, sicuti manifestò colligitur ex cit. c. ad aures; & ibi notant Innocent. & alii DD.

Pro solutione notandum, Licet Clerici, ipsique Presbyteri, & Episcopi à Superiore suo in grauibus causis cogi possint ad iurandum, etiam canonicè & solemniter tactis Euangeliis, vti constat ex c. Ego N. de iureiur. c. quoties, §. porrò de purgat. canon. & c. venerabili, de sentēt. excommun. at verò in leuibus causis seu controuersiis non decet Presbyteros, & Episcopos laicorum more iurare, vti habetur in c. si quis Presbyter, 2. q. 4. *Laicus* (quo cum Presbyter controuersiam habet) *per iuramentum, si necesse sit, se purget: Presbyter verò vice iuramenti per sanctam consecrationem interrogetur: quia Sacerdotes ex leui causa iurare non debent. Manus enim per quam corpus & sanguis Christi conficitur iuramento polluetur? absit.* Ex quibus verbis colligitur, interrogationem illam per sanctam consecrationem, non esse exactionem propriè dicti iuramenti; sed commonitionem, vel exactionem fidei præstandæ, aut veritatis dicendæ, sicuti Sacerdotem decet, *Bey jhren Priesterlichen Würden, vnd Ehren.* Sicuti si Religiosus in fide Religiosi, & Christianus quilibet in fide hominis Christiani aliquid dicat, vel promittat, vti Suarez annotauit lib. 1. de Iuram. c. 13. n. 19. & 20. Neq; refert, quòd interdum Episcopis, & Presbyteris ita interrogatis Euangelia proponebantur: quia id non semper fiebat causa iuramenti exigendi; sed vt memores essent veritatis dicendæ, sicuti colligitur ex Auth. de sacrosanctis Episcopis Nouel. 123. c. 7. Nulli verò Iudicum, ibi, *vt propositis sanctis Euangeliis, secundum quod decet Sacerdotes dicant quæ nouerint.* Quem locum ita intellexit etiā Gratianus in cap. 9. 11. cau. quæst. 1.

Huiusmodi igitur commonitio, aut mentio consecrationis: seu sacerdotalis dignitatis facta in promissis Episcoporum, ac Presbyterorum &c. videtur in sacris canonibus appellata fidei (puta sacerdotalis) præstatio; seu interpositio; ad cuius non minùs, quàm iuramenti, obseruationem in externo Ecclesiastico foro compelli debeant. Idque primò; Quia eiusmodi sacri ordinis commemoratio facta in promissionibus magnam iuramenti similitudinem gerit. II Quia in totius clericalis, aut sacerdotalis status grauem ignominiam cedit, si fides tali modo ac forma data, violetur. III. Quia alioquin priuilegium clericis datū, præcipuè sacerdotibus, vt in causis leuioribus iurare non cogantur; sed vice iuramenti interposita fide sacerdotali respondere; in aliorum præiudicium cessurum esset; nisi eadem, qua alii verè, ac propriè iurantes, veritatis dicendæ, fideique seruandæ obligatione teneantur.

His affine est, quòd Reges & Principes non facilè aliorū more iurare solent, sed loco iuramenti, in fide seu per fidem Principis &c. promittere; *Bey vnseren Fürstlichen Ehren vnd Treuen.* Qualis fidei interpositio in externo foro tanquam iurata promissio accipitur, sicuti de consuetudine Imperii testatur Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 59. Mysing. centur. 1. obseruat. 17. vbi addit; idem obseruari, si fides data sit à personis illustribus, aut nobilibus in Germania, *Bey meinen adelichen Ehren, Treuen, vnd guten Glauben.* Quia in eiusmodi personis fidei principalis seu excellentis loco iuramenti esse censetur.

Sed quid sentiendum de homagio, seu hominio? quod vasalli dominis suis, cùm inuestituram accipiunt præstare solent. de fidelitate ipsis seruanda, cuius men- 3
tio fit in c. grauem, de excell. Prælat. c. vlt. de regul. iuris. Respondeo, esse propriè dictum iuramentum, sicuti & nomen ipsum indicat: atque docent Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 1. num. 3. Pet. Greg. Tholosanus lib. 6. Syntag. cap. 14. num. 6. & colligitur ex Gl. in cit. cap. vlt. vbi homagium, *sacramentum fidelitatis* appellat, & in c. nimis, de iureiur. vocatur *iuramentum fidelitatis,* quod etiam Clerici, temporale feudum habentes, præstare coguntur dominis secularibus, sicuti ex eod. textu colligitur per sensum contrarium, & notat Gl & Abb. ibid. Tholosanus l. c. num. 7. & ex c. solitæ, de maior. & obed. qua occasione Innoc. & alii Doctores ibi notant; Imperatorem esse supremum Iudicem, à quo etiam ab Episcopo appellari possit in causis rerum feudalium, non item in causis, quæ absoluto iure Ecclesiis donatæ sunt.

Tertiò dubitatur de illa verborum formula, *In veritate ita est.* Respondetur, ex communi apud Sotum lib. 8. q. 1 a. 1. Non esse iuramentum: quia est simplex assertio, seu protestatio hominis vera loquentis, sicuti si dicas, *Verè ita se res habet, vti narro.* Alia verò ratio est, si vel expressè addatur, vel tacitè inuocetur summa & diuina Veritas, puta, *In veritate Dei; in veritate Christi,* vti rectè notauit Suarez lib. 1. cap. 13. num. 21. Idémque dicendum de hac formula, *Tam verum hoc est, quam vere Deus est:* vel, *quàm verè Deus viuit.* Videtur enim his loquendi modis diuina Veritas inuocari, si per eam res occulta, aut contingens confirmetur. Sin verò speculatiuā euidentem veritatem

tali loquendi modo astruamus, aliud non intendimus dicere, quàm eiusmodi veritatem hominum mentibus à Deo inditam, seu in diuina mente relucentem esse: quod meram assertionem continet, ideóque iuramentum non est. Vt si quis dicat; Quòd homini in extrema famis necessitate licitum sit accipere ea; quidus indiget, esse diuinam veritatem. Deinde notant Barthol. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 2. Sanchez lib. 2. moral. c. 32. num. 31. Suarez to. 1. de relig. tr. 3. lib. 1. cap. 6. num. 12. supradictas loquendi formulas blasphemiam continere posse; si loquentis intentio sit locutionis suæ veritatem ac certitudinem adæquare diuinæ veritati atque infallibilitati: quod tamen raro præsumendum est, sed tanquam hyperbolica locutio accipienda, vel vt similitudinem exprimens non adæquationis, sed imitationis, seu proportionis, sicuti dicitur Matth 5. *Perfecti estote, sicuti & Pater vester cælestis perfectus est.*

Quartò dubitatur de hac formula, *In conscientia mea. Per conscientiam meam*, vtrum iuramenti vim habeat? Negant Saver. iuramentum, num. 1. Less. cap. 42. dub. 2. num. 4. Sanchez lib. 3. cap. 2. num. 30. Quia qui ita loquitur; non aliud dicere censetur, quàm ex conscientia se loqui, vel testem sibi esse conscientiam suam. Affirmant verò esse iuramentum, Nau. c. 12. n. 6. Syl. ver. iuram. 1. q. 4. Azor lib. 11. cap. 3. q. 1. Quorum sententia tunc vera est, si intentionem habeas iurandi per conscientiam, sicuti per animam tuam, iuramento execrationis, vti Syl. loco cit. vult: vel iurandi per conscientiam, quatenus est radius, & participatio quædam diuinæ mentis, ac veritatis. Cuiusmodi tamen intentio in dubio præsumi non debet; nisi vel patriæ consuetudo, vel circumstantiæ iuramenti coniecturam faciant.

CAP. III.

VTRVM LICITVM SIT IVRARE.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum, si debito modo fiat, est actus virtutis Religionis.*
2 *Christus docuit, sine necessitate iurandum non esse.*
3 *Iuramentum religiosum tres comites habere debet; veritatem, iustitiam, & iudicium.*

1 RESPONDEO. Iuramentum, si debito modo fiat, est actus bonus, à virtute Religionis profectus. Ita S. Th. a. 4. aliique communiter, & sumitur ex cap. 1. Deuter. *Illi soli seruies, & per nomen eius iurabis.* Ratio est, Quia pertinet ad cultum, & venerationem Dei, eius infallibilem veritatem, & auctoritatem agnoscere, ac prædicare. quod fit per iuramentum. Quare & Apost. ad Hebr. 6. ait, quòd *homines per maiorem seiurant.* Et Aristoteles 1. Metaph. c. 3. iuramentum dixit esse *honorabilissimum*. Cicero lib. 3. de officiis, esse *religiosam affirmationem*. Denique in iure cùm ciuili, tum canonico, l. 2. C. de rebus creditis, l. 1. ff. de iureiur. c. tua nos eod. tit. *iurisiurandi religio* appellatur.

2 Neque his obstat sententia Christi apud S. Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino: sit autem sermo vester, est, est: non, non. quod autem his abundantius est à malo est.* Nihil enim aliud significare voluit, quàm optandum magis esse, vt nullum iuramentum fieret, nulloue iuramento opus foret: siquidem iurandi vsus ex naturæ infirmitate, atque ad mentiendum, & fallendum propensione, per peccatum acquisita (quod malum quoddam pœnæ est) originem traxit: quamobrem, si inter homines, vti deberet, veritas ac fides constaret, nullum omnino iuramentum opus esset, sed simplex affirmatio eius, quod est, & simplex negatio eius, quod non est; sufficeret. Quare quod Christus præcipit, *non iurare omnino* (id est, nullo modo, siue nulla iurandi forma) intelligi debet, sine necessitate, aut rationabili causa, interprete S. August. cit. epist. 89. in fine & cit. c. 17. lib. 1. de serm. Domini in monte S. Bern. serm. 65. in cantica, S. Th. a. 2. Innoc. III. in c. Et si Christus de iureiur. partim quia frustra aut leui de causa diuinum nomen, quamuis ad confirmationem veri dicti, assumere, quandam irreuerentiam continet: partim quia frequenter sine necessitate iurando in periurij periculum incidimus, sicuti notauit S August. cit. cap. 17. & lib. de mendacio, cap. 15. & epist. 154. ad Publicolam, quod refertur c. in nouo, 22. quæst. 1. S. Th. a. 2. ad 1. conuenienter illi Ecclesiast. cap. 23. v. 9. *Iurationi non assuescat os tuum: multus enim casus in illa.* & ver. 12. *Vir multum iurans implebitur iniquitate.* Adde, quod Christus discipulos suos hortari voluerit, ita vitam suam instituere, vt eorum simplici asseuerationi non minùs, quam aliorum iuramentis credatur. Nam nulli minùs creditur, quàm ei qui frequenter iurat: contrà, ei facilè fides habetur, qui semper verum loqui, & nunquam iurare consueuit, sicuti Theophylactus in cap. 5. Matth. annotauit, & consentit. S. Basil in Psalm. 14. *Turpe sane omnino, & stultum seipsum accusare, vt indignum fide; & firmitatem ex iuramentis adferre.*

3 Veruntamen, vt iuramentum opus bonum Religionis existat, tres conditiones tanquam comites requirit; veritatem, iustitiam, & iudicium, iuxta illud Hierem. cap. 4. *Iurabis, viuit Dominus, in veritate, iudicio, & iustitia*, quod ibidem exponens S. Hieronymus ait, *Animaduertendum est, quod iusiurandum hos habeat comites: veritatem, iudicium, & iustitiam.* Veritas in eo consistit, vt veracissimi numinis testimonium non adducatur in confirmationem falsi, aut mendacii: Iustitia seu æquitas in eo, vt æquissimi numinis testimonium non adducatur in confirmationẽ rei, aut dicti iniqui, siue peccato obnoxii. iudicii discretio in eo, vt cum prudente intellectus consideratione, pia ac reuerente voluntatis affectione, non sine necessitate aut magna vtilitate iuretur; tunc videlicet, si alicuius dicti veritas, aliis non manifesta, sed dubia sit; indubitatam verò & exploratam esse, publicè, vel priuatim multùm intersit. Quamobrem Aristot. in Rhetor. ad Alexandrum definiuit iuramentum, quòd fit, *cum diuina veneratione dictio, probationis expers*, id est, quæ alia quàm diuini testimonii allegatione persuaderi non potest. Vide Sotum lib. 8. de iustit. q. 1. a. 2.

CAP. IV.

DE DIVISIONIBVS IVRAMENTI.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum aliud necessarium est, & aliud voluntarium: Item aliud iudiciale, & aliud extraiudiciale.*
2 *Praterea iuramentum aut est verbale, aut reale; simplex, vel solemne.*
3 *Interdum iuramentum fit per simplicis diuini numinis contestationem; interdum verò per execrationem.*
4 *Præcipua iuramenti diuisio est in assertorium, ac promissorium.*
5 *Iuramentum de re futura interdum est nudum, ac per se stans interdum verò comminatorium promissionis.*
6 *Preuaricatio iuramenti promissorii erga hominem plures species malitia continet.*

1 PRIMA diuisio. Iuramentum aliud est necessarium, quod à lege, vel Superiore defertur ad litem finiendam, ad criminis purgationem, ad Fidei professionem, ad obedientiam vel subiectionem &c.

Aliud verò est iuramentum voluntarium, quod sponte suscipitur; & interdum ex partium voluntate, seu conuentione, quare *conuentionale* tunc appellatur. Vide Syl. ver. iuramentum, 1. q. 2.

Altera diuisio. Iuramentum est *iudiciale*; idque subdiuiditur in necessarium, quod à Iudice parti defertur, quibus casibus deferendi, ac cogendi potestatem habet. Et *voluntarium*, quod à parte defertur, parti ad litis decisionem. Aliud verò est iuramentum extraiudiciale, id est, extra iudicium delatum, vel susceptum. Ita ex communi Syl. l. c. Vincentius Mancinus de iuram. p. 2. init. Greg. Tholos. lib. 50. Syntag. c. 4.

2 Tertia diuisio. Iuramentum aliud est verbale, aliud reale tantùm, aliud mixtum ex vtroque, sicuti videre est apud DD. in rubrica de iureiur. Syl. ver. iuramentum, 1. quæst. 1. Suarez lib. 1. de iuram. cap. 12. Verbale iuramentum est, quod fit per verba, diuini numinis contestationem expressè, vel virtualiter significantia. Iuramentum merè reale est, si sola aliqua actione, v. g. tactu Euangeliorum libri, vel digitorum eleuatione, iurandi voluntas exprimatur, videlicet ab eo qui mutus est. Imò etiam in iis, qui loqui sciunt, consuetudine introduci posse, vt promittens se aliquid præstaturum, ad solum tactum crucis sacræ, vel Euangeliorum, iurasse censendus sit, docet S. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 3. in princip. Syl. cit. quæst. 1. Couar. c. quamuis pactum, p. 1. in princip. num. 5. Suarez cit. c. 12. Iuramentum mixtum est, quod præter verba, corporalem etiam actionem continet, v. g. tactum sceptri, tactum Euangelii: quamobrem in iure appellatur *iuramentum corporale*, c. vt circa, de elect. in 6. Vide etiam Clementinam primum §. porrò, de hæreticis. iuncta. Glossa, verbo *tacta*.

Eiusmodi autem corporalis actio interdum requiritur, vt maiore cum deliberatione, reuerentia, ac timore iuramentum præstetur: quare ex eiusmodi circumstantiis iuramenti obligatio, & violatio aggrauari solet, maioremque pœnam mereri, vti notauit S. August. citat. epist. 154. *quantò id, per quod iuratur, magis sanctum est, tantò magis est pœnale periurium.* Et S. Th. 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. *Grauius est, si quis solemniter iuret per Euãgelium, quàm si per Deum in communi sermone; tum propter scandalum, tum propter maiorem deliberationem.* Interdum verò eiusmodi actionis solemnitas necessariò requiritur ad certum aliquem iuris effectum, v. g. certam probationem, vel litis decisionem, sicuti colligitur ex cap. hortamur, 3. q. 9. l. non est ratum, ff. de iureiuran. & notant DD. in rubr. de iureiurando, Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 1. n. 12. Greg. Tholos. cit. lib. 50. c. 8. n. 12.

Quarta diuisio. Iuramentum aliud est simplex & aliud solemne. Simplex dicitur omne id, quod solemne non est. Solemne autem iuramentum dicitur, quod vel certam verborum formulam, vel (vt frequentiùs fieri solet) corporalem alicuius rei tactum, aut præsentiam requirit, vt maiorem auctoritatem, æstimationémque pariat: tale iuramentum canonicum est, quod fit tactis sacris Euangeliis, iuxta c. quoties, 1. q. 7. & cit. Clem. 1. de hæret. & notat Innoc. c. etsi Christus, de iureiurando Abb. in rubr. de iureiur. Selua tr. de iuram. p. 1. Apud veteres Hebræos solemnis iurandi ceremonia erat, manus eleuatio, sicuti colligitur ex cap. 14. Gen. Item transitus per diuisionem victimæ in duas partes, sicuti colligitur ex cap. 34. Hierem. Item positio manus sub fœmore exigentis iuramentum, Gen. c. 24. & 47. ad significandum, id fieri in Fide Christi, qui in lumbis Patriarcharum continebatur, vel in pacto fidei cum vero Deo, cuius signum erat circumcisio. Hodie aiunt persuasos esse Iudæos, non obligari se iuramento, nisi iurent manu imposita super librum legis Mosaicæ. Denique apud Gentiles olim solemniter iurare solebant, vel sceptrum eleuando, vel lapidem manu tenendo; vel eductis, & eleuatis mucronibus, aliisque modis, quos videre potes apud Alexandrum ab Alexandro lib. 5. c. 10. genial. Tholos. cit. c. 8.

Quinta diuisio. Iuramentum aliud est per simplicem diuini numinis contestationem, aliud verò per execrationem, cùm iurans sibi ipsi, vel alteri dilecto, mali quippiam à Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verũ sit, quod asserit, aut promittit: Sic S. Paulus 2. ad Corinth. 1. testem Deum inuocabat *in animam suam.* Et similis iurandi forma, *sub periculo animæ* indicatur in ca. fraternitatis de frigidis. Vsitatissimus autem in iure, ac foro Ecclesiastico iurandi modus est, *Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia*, vbi habetur in c. Ego, N. de iureiur. Hebræi dicebant, *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, Ruth. c. 1. & lib. 1. Reg. cap. 14. & 20. Gẽtiles apud Tertull. in apologet. cap. 28. *Me conueniat Ianus iratus*: *Nolo mihi Iouem propitium esse, nisi &c.* Similia habet Greg. Tholos. lib. 50. cap. 8. Couar. §. 2. num. 21. & S. August. in verba illa psal. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*, ita commentatur: *Iurare videtur per execrationem, quod est grauissimum iurisiurandi genus; cùm homo dicit, si illud feci, illud patiar.* Alios per execrationem iurandi modos suprà cap. 1. memini, videlicet *per caput, per vitam, per salutem meam, aut Regis mei.* 4

Sexta diuisio, Iuramentum aliud est *assertorium*, quo confirmatur dictum de præsente, vel præterito; aliud *promissorium*, quo confirmatur dictum de opere futuro. Ita S. Th. quæst. 89. a. 1. & 7. Quæ iuramenti diuisio valde celebris, & vtilis aliquibus notationibus declaranda est: Prima. Materia, circa quam omne iuramentum versatur est actio aliqua contingens, aliis non manifesta, quæ si præsens, vel præterita sit, solet esse obiectum iuramenti assertorij: v. g. iuro me in Deum credere: iuro me hominem non occidisse. Sin autem sit actio iurantis futura, solet esse obiectum iuramenti promissorii: v. g. iuro me opem laturum; hominem non necaturum. Neque obstat, quòd interdum etiam alienum factum iuramento confirmare solemus v. g. Titium vrbe abiisse, vel abiturum: pertinet enim hoc ad assertorium iuramentum, quo iuratus asserit, se saltem probabilem cognitionem, existimationémue habere de illius profectione. Quare, tametsi Titius præter iurantis probabiliter conceptam opinionem non proficiscatur, periurium censeri haud debet: cuius rei exemplum afferri potest ex 1. Regum, 20. vbi Ionathas Dauidi iurauit, nihil mali eum à Saule passurum esse.

Præterea; licet Clericus de crimine infamatus, cui indicitur purgatio canonica, tactis Euangeliis, iurare teneatur de veritate, id est, immunem se esse ab hoc crimine; alii tamen, qui vt testes innocentiæ producuntur, iurant tantùm de credulitate, existimare se, illum innocentem esse; præterquam si negatiua restricta sit ad tempus certum, aut locum: sic enim absolutè iurare possunt, Titium tali loco, & tempore homicidium non commisisse, vti notat Abb. in cap. quoties, n. 2. de purgat. canon. Denique qui veritatem aliquam speculatiuam, vel futurum naturalem euentum, v. g. masculam prolem nascituram, iuramento confirmat, is videtur profiteri certam talium veritatum cognitionem: quamobrem huiusmodi iuramenta sæpe temeraria sunt, sicuti indicat S. Th. quæst. 89. a. 1. Interdum verò ex obiecti conditione, & circumstantiis aliis colligi debet, iurantis intentionem esse, duntaxat opinionis suæ maiorem probabilitatem seu verisimilitudinem asserere; & iuramento confirmare velle; vt proinde periurus censeri non debeat, tametsi talis eius persuasio re ipsa incerta vel falsa sit, teste Suarez lib. 3. c. 4. num. 7. Sanchez, cit. c. 4. n. 12. Qua simili

ratione notat Abb. in c. fraternitatis, n. 12. de frigidis; Peritos artis ad iudicandum secundùm artis suæ scientiam, iuramentum præstare posse absque periculo periurii: cùm non iurent de veritate, sed credulitate sua:

Altera annotatio. In iuramento promissorio includitur etiam assertorium: nam qui iurat se aliquid facturum, is inprimis Deum testem adducit, quòd impræsentiarum habeat voluntatem opus faciendi: deinde verò Deum testem, vel potiùs fideiussorem adducit, quòd opus re ipsa à se futurum, siue faciendum sit, vti notauit Suarez lib. 1. de iuram. c. 8. num. 3. Loquor autem de iuramento cadente super opus faciendum, sine quo iuras, te opus facturum: nam si solùm iurare intenderes, te nunc habere faciendi propositum, esset id nunc duntaxat iuramentum assertorium, ad quod sufficeret iuratæ præsentis assertionis veritas; id est, quòd verè nunc habeas faciendi propositum; tametsi illud postea mutare liceat. Cuiusmodi iurandi intentio, quæ rarior esse solet, per hæc verba explicari potest, *Iuro, me velle hoc facere.*

Tertia. Licet iuramentum de opere futuro, seu faciendo ab obligatione virtutis Religionis separari non possit, attamen separari potest à propriè dicta promissione, & obligatione ex virtute iustitiæ. Ita docet Suarez cit. cap. 8. & lib. 2. cap. 4. 7. & 8. Sanchez lib. 3. cap. 9. num. 6. Less. lib. 2. cap. 42. dub. 11. Prior pars ex eo probatur, quia obligatio assertionem iuratam de futuro veram faciendi est effectus per se, ac necessariò consequens ex tali iuramento, ob diuini Numinis reuerentiam; ne videlicet eius auctoritas in confirmationem operis præstandi frustra vsurpata sit, quod iurans, quantum in ipso est, ex Religionis virtute impedire tenetur, iuxta illud Exod. 20. *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: Leuit. 19. *Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui.* Matth. 5. *Reddes autem Domino iuramenta tua.* Et c. debitores, de iuram. *Cogendi sunt Domino reddere iuramenta.* Altera vero pars, quòd iuramentum de opere faciendo non necessariò includat propriè dictam
5 promissionem; manifestum est in iuramento comminatorio, quo alteri pœnam commeritam minamur. in eo enim nulla propriè promissio, vel obligatio ex virtute iustitiæ, aut fidelitatis inest: nihilominus ex virtute Religionis erga Deum obligatur iurans ad pœnam inferendam, si licitè ac honestè possit. Simili verò modo fieri potest, vt aliquis nudè ac simpliciter iuret, se eleemosynam v. g. pauperibus daturum, Religionem ingressurum; nihil interim vel Deo, vel homini promittere intendens, vti præter alios notauit Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 13. n. 4.

Quartò notandum, pro pleniore intellectu eorum, quæ dicta sunt: Rectè docuisse Bartolum in l. si quis pro eo, ff. de fideiuss. Duplex esse iuramentum de opere futuro; vnum nudum, simplex, ac per se stans; puta si aliquis sine vlla promissione ac pacto erga alterum, simpliciter iuret, se hoc, vel illud facturum. cuiusmodi iuramentum continet vnam ac simplicem obligationem futuro tempore veram faciendi assertionem boni operis, ob reuerentiam diuini Numinis, cuius testimonium inuocatum est: consequenter præuaricatio, seu transgressio eius iuramenti vnicam, eámque ex genere suo mortalem malitiam habet. Alterum verò est iu-
6 ramentum confirmatorium promissionis; idque vel erga Deum, quod est votum iuratum, continens duplicem obligationem ex virtute Religionis: videlicet promissa Deo fideliter reddenda; & nominis eius testimonium in vanum non assumendum esse: quare præuaricatio talis iuramenti duas diuersæ speciei malitias contra Religionis virtutem complectitur. Vel est confirmatorium promissionis erga hominem; quod est pactum iuratum, continens tum obligationem iustitiæ & fidelitatis erga promissarium, tum obligationem propriam iuramenti erga Deum, sicuti indicat S. Th. quæst. 89. a. 7. ad 3. Quare talis iuramenti præuaricatio in duplici specie existit; quarum vna est contra iustitiam, altera contra Religionis virtutem. Vel denique est confirmatorium promissionis tam Deo, quàm homini factæ, vti videre est in voto iurato dandi eleemosynam pauperi, promissionem talem acceptanti, in quo actu tres obligationes continentur, duæ religionis erga Deum, tertia iustitiæ & fidelitatis erga hominem: consequenter præuaricatio eiusmodi promissorii iuramenti in triplici peccatorum specie existit.

Verùm nos, omissis aliis iuramenti diuisionibus ac speciebus; solùm agemus in primis de iudiciali iuramento, deinde de promissorio tum latè, tum strictè accepto.

CAP. V.

DE IVRAMENTO IVDICIALI.

SVMMARIVM.

1 *Iuramenti iudicialis plures sunt species: videlicet iuramentum calumniæ, iuramentum in litem, iuramentum litis decisiuum.*
2 *Iuramentum litis decisiuum vel necessarium est, vel voluntarium.*
3 *Iuramentum necessarium plerumque Reo, & non Actori deferendum est, ad litis decisionem.*

IVDICIALE iuramentum dicitur, quod in iudicio præstatur. Eius variæ species sunt, quarum præcipuas afferemus: I. Est iuramentum calumniæ, quod 1
principio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessariò Iudex deferre debet. Actori quidem, vt *iuret, non calumniandi animo litem se mouisse, sed existimando bonam causam habere.* Reo verò, vt iuret, quòd putet se *bona instantia vti ad reluctandum*; id est, resistere Actori, existimando se ius habere, l. 2. C. de iureiur. propter calumniam. Adde, quòd vterque iurare debet, *non exacturum se probationem, nisi quam pro veritate necessariam esse existimabit.* Auth. in isto, C. eod. Et quòd nihil penitus causa patrocinii Iudicibus, vel alii personæ dederit, aut promiserit, excepto salario Aduocati, Authen. Principales, C. eod.

Habet hoc calumniæ iuramentum hodie etiam locum in causis spiritualibus, c. 1. de iuram. calumniæ, in 6. Et licet in prima instantia semel præstitum fuerit, postea in causa appellationis iterum exigi potest, c. 2. eod. in 6. Deinde si in principio litis exactum non fuit, nihil prohibet in litis progressu quauis iudicii parte interponi, cit. c. 2. in 6. Iuramentum verò malitiæ, v. g. quòd malitiosè non proponatur exceptio, petatur dilatio, Iudex semper exigere poterit; etsi antea de calumnia, vel dicenda veritate iuratum fuerat. cit. c. 2. §. vlt. in 6.

Porrò nihil interest, vtrum Actor, vel Reus per se, an per Procuratorem iuret; dummodo id ei specialiter demandatum sit, iuxta cit. l. 2. & c. 2. & 3. eod. in 6. Consentaneum autem tunc est, vt Procurator non tantùm in animam domini; sed & in suam iuret: cùm & ipse extrahendo processum, vel causam iniustam scienter defendendo, calumniari possit, sicuti notauit Andreas Gall. lib. 1. obseruat. 89. num. 1. Excepto, si sit Procurator generalis, siue Syndicus alicuius vniuersitatis, sicuti & tutores, aut curatores, habentes legitimam administrationem: hi enim in propriam tantùm animam iurare debent, si causæ cognitionem habeant, sicuti docet Gl. c. in pertractandis, de iuram. calumniæ, Abb. in c. Imperatorum, n. 5. eod. tit.

Licet partes inter se expresse conuenire non possint, quominus calumniæ iuramentum præstetur; quia tale pactum tanquam peccandi ocasionem præbens, iure reprobatur, cit. lib. 2. §. sed quia; si tamen iuramentum calumniæ neque à Iudice, neque à partibus exigatur, sed tacitè remittatur, non ideo iudicialis processus corruit, cap. 1. eod. in 6. Denique pœna recusantis hoc iuramentum, cùm præstandum fuerit, est, vt Actor ab instituta cadat actione; Reus autem haberi debeat pro confesso, cap. vlt. §. vlt. extrà, eod. & tit. Authen. Principales. vide Andr. Gall. l. 1. obser. 84. & seqq.

Alterum est iuramentum, quod dicitur *in litem*; idque triplex, sicuti notant DD. in rubr. ff. de in litem iurando, & explicat Ioan. Selua de iuram. p. 2. q. 1. Vincentius Mancinus tract. de iuram. p. 2. cap. 7. & seqq. I. dicitur iuramentum *veritatis, seu veræ æstimationis*, quia defertur ad intelligendam veram rei, per dolum alterius amissæ, quantitatem seu valorem, quando alia probatio deest, l. in actionibus, ff. eod v. g. si cista cauponi tradita, ab eodem restituatur, amotis seris aut sigillis; ita vt appareat, vel præsumptio sit de dolo cauponis, l. si quando, C. Vnde vi, & c. vlt. de iis quæ metus, &c. vel si damnum passus à fure, aut prædone, probato furto, rei ablatæ precium iuramento affirmet, sicuti constat ex l. si quando, C. vnde vi. quæ repetitur in c. vlt de iis quæ vi, iun. Glos. ver. per testes, Abb. n. 5. Mynsing. cent. 4. obser. 12. Gaill. lib. 2. obser. 64. n. 9. ex quibus regula habetur: *Si concurrant difficultas probandi quantitatem rei amissæ, & odium delinquentis, standum est iuramento petitoris.* Qua simili ratione propter difficultatem probandi etiamen, admitti solent testes, puta domestici deponentes de furis in domum ingressu; quamuis in alia causa non admitterentur. Vide Campegium de testib. reg. 104. Mascardum vol. 1. concl. 26. numero 10. & quæ dixi libro præc. tractatu 6. capite 4. quæst. 2.

II. Dicitur iuramentum *affectionis*; Si enim dolo vel culpa alterius res tua amissa, vel destructa sit, quæ tibi valde chara erat, ob singularem vtilitatem: v. g. codex, in quo notationes tuas scripseras, tunc permittitur tibi eius pretium, secundùm priuatam affectionem, & vtilitatem, iurando in litem, æstimare; præcedente tamen Iudicis taxatione ne in immensum ob affectionem iuretur, l. videamus, §. deferre, ff. eod. Nisi malis dicere, in hoc casu duplum communis æstimationis, & non plus reddendum esse, iuxta l. vn. C. de sent. quæ pro eo &c.

III. Est iuramentum super *interesse singulari, & extra rem*, puta si per accidens damnum incurristi, vel lucrum tibi exinde cessauit, quòd numi apud alterum depositi, suo tempore restituti non fuerint; quia v. g. frumentum aut vinum cariùs emere coactus es, vel alicui pecuniam sub pœna debuisti, aut sub pignore, quod ea de causa distractum &c. permittitur tibi hoc damnum tuum, iuramento interposito, æstimare, l. numis, ff. de in litem iurando. Idque in conscientiæ foro non tantùm in numis locum habet, sed etiam in alijs rebus, si eas debitor non sine dolo, & iniuria restituere intermisit: nam omne damnum, & lucrum cessans, etiam extrinsecum, restituere cogitur, sicuti notauit Mancinus p. 2. de iuram. art. 8. numero 25. & constat ex materia de restitut. atque consentire videtur cit. l. vn. §. in aliis autem.

3. Tertia species iuramenti iudicialis est quod dicitur *litis decisiuum*; & diuiditur in necessarium, ac volũtarium. Necessarium est, quod in causa dubia, ob inopiam plenæ probationis, à Iudice defertur; siue ex officio, siue ad instantiam partis. Dicitur autem necessariũ partim quia Iudex quandoque deferre cogitur, vti docent DD. in l. admonendi, ff. de iureiur. Abb. in c. vlt. §. sanè, num. 15. de iureiur. quia delatum partim sine iusta causa recusari non potest, l. generaliter, §. sin autem, C. de reb. cred. & iureiur. & cit. c. vlt. extrà, eod. Iustæ autem recusandi causæ sunt; si Actor intentionem suam plenè probauit, vel Reus rem cognitam non habet, aut eius probabilem obliuionem allegat. qua de re DD. in cit. l. admonendi, & l. in bonæ fidei, C. de rebus creditis. Abbas in cap. vlt. de iureiur. numero 6. Lancellotus in Instit. iuris canon. libro 3. tit. 14. §. sunt autem iustæ. Mancinus pag. 2. articulo 5.

Voluntarium autem iuramentum dicitur, quod à parte parti defertur: idque simpliciter recusari potest iuxta cit. c. vlt. non minùs, quàm si extra iudicium deferatur, l. 1. & seqq. ff. de iureiur. Si tamen sponte suscipiatur, parit exceptionem Reo iuranti, §. æquè, Instit. de exception. Actori verò, si iurauerit, actionem tribuit etiam ciuili iure, l. Actori, C. de rebus creditis, & iureiur. & notauit Abb. cit. c. vlt. num. 1. de iureiur. Cæterùm si iuramentum in iudicio à parte parti deferatur, Iudice approbante, tunc quodammodo necessarium est; quia vel iurare debet is, cui delatum est (nisi iusta recusandi causa adsit) vel referre; alioquin lis contra ipsum decisa erit, sicuti docet Gl. communiter recepta in cit. l. in bonæ fidei, ver. per Iudicem, Abbas in cit. c. vlt. num. 4. &c. prout. p. 3. quæst. 2. n. 7. Mascardus to. 2. concl. 995. num. 4 & habetur expressè in l. delata, C. de rebus creditis, & in l. 38. ff. de iureiur. *Manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre*; quod non tantùm de Rectore rectè dici, DD. omnes fatentur, apud Mancinum. par. 2. a. 5. num. 5.

Veruntamen in actione famosa, vt furti, & delatum ab Actore iuramentum Reo, non est licitum illi referre, vti habetur in cit. c. vlt. Cuius rationem dat Abb. ibid. num. 12. Quia eiusmodi causis, v. g clandestino furto, Reus præsumitur meliùs scire veritatem, quam Actor siue accusator: quare, inquit Abbas, si accidat, Actorem æquè informatum esse, atque Reum; tunc etiam in causa famosa licebit iuramentum eidem referre.

Si quæras, quid sit iuramentum deferre, & quid referre? Resp. Is dicitur deferre iuramentum, qui primò alteri parti offert, vt iuret: sin iurare nolit, ac iuramentum offerat aduersario qui priùs detulerat, tunc dicitur referre.

Porro hoc interest inter iuramentum à Iudice delatum, siue simpliciter necessarium, & inter iuramentum iudiciale à parte delatum, Iudice probante; quòd illud non obest, quominus, propter instrumenta de nouo reperta, retractari sententia, & causa ex integro agi possit: Secùs est iuramento iudiciali, delato à parte: cùm enim speciem quasi transactionis habeat, confert ad plenam litis decisionem; vt renouari ampliùs non possit, cit. l. admonendi, in fine. Excipe primò; Nisi causa sit, in qua periculum animæ vertitur, non remissibile partium consensu: vt si agatur de valore matrimonij, sicut notat Abb. in cit. c. vlt. n. 8. Hostiensis in c. mulieri, eod. tit. Excipe secundò; Si legatum, vel fideicommissum sibi relictum fuisse, aliquis iurauerit; idque postea producto instrumento falsum esse demonstretur, sicuti habetur in l. vlt. C. de rebus creditis, & docet ibi Gl. & Abb. in c. vlt. n. 9. Cuius ratio est: Quia, vti habetur in l. de his ff. de transact. *De his controuersiis, quæ ex testamento proficiscuntur, neque transigi, neque exquiri veritas aliter potest quam inspectis, cognitisque verbis testamenti.* Cæterum in conscientiæ foro haud dubiè idem dicendum est alijs causis, vt quotiescunque veritas aliter, quàm in iudicio iuratum est, manifestò appareat, ea prævalere debeat; atque iuramentum solùm in ordine ad externum forum oppositionem litis transactæ & decisæ pariat. Exempli

causa. Titius in iudicio dicebat, Caium sibi debere decē. Caius, vt se à Titio liberaret, ei detulit iuramentū, ille iurauit; si vel tunc, vel postea manifestū sit Caio, Titium falsum iurasse, nihil illi debet in conscientia: Quamuis in foro externo actio cōpetat contra Caium; isque non audiatur, si iuramentū Titii cum suo cōsensu in iudicio editum, falsitatis coarguere velit. Æquissimum tamen etiam in illo foro censetur, vt liceat nouo iudicio iurantem de periurio accusare; sicuti etiā transactio quāuis iuramento firmata, retractari potest, si propter falsa instrumenta factam esse cōstet, l. si ex falsis, C. de transact. Eandemq; ob causam res iudicata rescindi potest, l. 1. c. si ex falsis instrumentis, l. Diuus, ff. de re iudic.

3 Sed quæstio est de iuramento necessario, quod in causa dubia, ob inopiam probationis, à Iudice defertur, vtrum Actori potiùs deferendum sit in probationis supplementum; an Reo ad sui purgationem, siue innocentiæ demonstrationem? In qua quæstione, inquit Abb. cit. c. vlt. §. sanè, num. 9. *quot capita, tot reperiuntur sententiæ.* Arbitror tamen satis decisam esse in cit. c. vlt. de iureiurando. *Sanè si actor omnino in probatione defecerit, Reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo* (Actore & contra Reum) *Reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam, iuramentum; nisi Iudex (inspectis personarum, & causæ circumstantiis) illud Actori videat deferendum.*

Iuxta hanc decisionem dico I. cum Glos. Hostiensi, & Abb. ibid. Ordinariè iuramentum deferendum est Reo, & non Actori. Nam *fauorabiliores Rei potiùs, quàm Actores habentur*, reg. 125. ff. Et, *promptiora sunt iura ad absoluendum, quàm ad condemnandum*, c. 3. de probat. Alioquin si in causa dubia Actori per iuramentum causam mox definire liceret, omnis pene legitimæ probationis necessitas, etiam ea quæ omnium gentium iure requiritur, vt *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, per suppletorium illud iuramentum tolleretur, non sine multorū innocentium periculo: quia callidi homines eadem facilitate ad peierandum, qua ad calumniandum aggrederentur.

Porrò dictum iuramentum purgationis Reo præsumptione aliqua, etiam citra semiplenam probationem, grauato, in omnibus causis, etiam arduis, cùm ciuilibus, tum criminalibus, deferri potest, sicuti colligitur ex cit. §. sanè, & docet Hostiensis suprà, Abb. cit. §. sanè, nu. 7. Mascardus l. c. n. 39. Andr. Gaill l. 2. de pace publica, cap. 7. num. 12. Imò tametsi Actor nihil omnino probauerit, nihilominus, ipso petente, iuramentum purgationis Reo deferri poterit, sicuti colligitur ex l. iusiurandum & ad pecunias, ff. eodem c. de probat. atque ex communiore sententia docet Clarus in pract. criminali, quæst. 63. n. 4. Mascardus. n. 41. Fachin. li. 1. contr. iuris c 19. Puta, si pars agens sponsionem matrimonii clam, & nullis testibus adhibitis factam asseueret, sed pars conuenta neget; atque hæc delatum sibi iuramentum neque subire, neque Actori referre velit, habebitur pro confessa. Idémque docet Sanchez lib. 7. disp. 113. in fine; Iudicis officio fieri posse in aliis causis, quibus animæ periculum vertitur, vt Reo iuramentum purgationis deferatur ad omnem suspicionem remouendam, arg. c. continebatur, de despons. impuberum. Neque huic obstat l. 4. C. de edendo; *Actore non probante reus absoluitur, etsi nihil præstiterit*: intelligendum enim id est, etsi nihil præstiterit probādo; quamuis interim delatum sibi iuramentum sine causa recusare non possit.

Dico II. cum Gl. & Abbas in citato c. mulieri, num. 6. & cit. c. vltimo §. sanè num. 4. & 9. Mascardo volum. 2. concl. 954. numero 71. Gall. libro 1. obseruat. 108. num. 12. Menochio de arbitrariis quæstionib. lib. 2. cent. 2. casu 190. Mancino p. 2. de iuram. n. 6. Ad iudicis prudentis arbitrium pertinere, vt consideratis causæ, & personarum circumstātiis, quandoque Actori iuramentum in probationis supplementum, atque ad litis decisionem deferat. Circumstantiæ personarum, quæ considerari debent, sunt, vtrum Actor sit vir probatæ vitæ, omníque suscipione carens, Reus non item. Vtrum Testis, quem Actor adduxit, itidem sit omni exceptione maior, & cui nihil obiici possit. Causæ verò qualitas, quam Iudex attendere debet, in eo consistit, vtrum sit criminalis an ciuilis; famosa, an non famosa; magna, & ardua, an minoris momenti. Nam in causis criminalibus, quibus pœna corporalis ob crimen decernenda est, luce meridiana clariores probationes requiruntur, l. sciant cuncti, C. de probat. c. sciant, 2. q. 8. ideóque iuramento suppletorio nullus locus esse videtur, teste Claro l. c. Gaill cit. c. 7. Abb. in cit. c. vlt. n. 13. & c. 2. de calumniat. 4. Deinde in causis famosis; item non famosis, sed arduis, cuiusmodi est matrimonialis, requiritur plusquam semiplena probatio, & quæ nulla exceptione, vel coniectura probabili elisa sit; vt proinde maxima, siue violenta præsumptio sit contra Reum, & pro Actore: tunc in defectum plenæ probationis interdum Iudex Actori minimè suspecto iuramentum deferre poterit, sicuti docet Abb. in cit. c. mulieri, n. 6. de iureiur. Andr. Gaill lib. 2. obser. 94. num. 12. Si tamen agatur de matrimonio seu carnali, seu spirituali dissoluendo ob aliquod impedimentum, adhuc grauior causa censetur, vt duo minimùm testes requirantur; neque in defectum plenæ probationis iuramentum contra matrimonij valorem deferre liceat, sicuti docet Glos. communiter recepta in cit. cap. mulieri, ver absoluto. Mascardus concl. 954. n. 43. Gaill lib. 2. obser. 94. num. 11. & 16. Quamquam Gl. in c. vidua, de Regular. Abb. in cit. c. mulieri, num. 7. permittunt etiam in hoc casu matrimonij seu spiritualis, seu carnalis dissoluendi, iuramentum deferri, si persona quæ impedimentum v. g. violentiæ illatæ, allegat, honesta sit, & præter semiplenam probationem v. g. vnius testis omni exceptione maioris, alias præsumptiones valde vrgentes pro se habeat. Denique in causis non famosis, & pecuniariis non magni momenti, sufficit plerumque semiplena probatio, v. g. per vnum testem omni exceptione maiorem; dummodo reus nulla verisimili coniectura eandem elidat. quod bene docet Andr. Fachin. lib. 1. controu. iuris capite 18. & Gl. in cit. §. sanè, ita ait; *Cùm Actor habet vnam bonam præsumptionem, siue vnum bonum & honestum testem; tunc habito respectu ad quantitatem causæ & qualitatem personæ, vt non sit præsumptio, quòd pro tanto velit peierare, defertur iuramentum ipsi Actori.*

CAP. VI.

DE MATERIA ET OBLIGATIONE promissorij iuramenti.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum de opere illicito nullam obligationem parit.*
2 *Iuramentum illicitum sæpe seruandum est, si sit de re licita.*
3 *Iuramentum de opere indifferente, nisi ex fine ac circumstantiis cohonestetur, nullam vim obligandi habet.*
4 *Iuramentum de re illicita, tametsi mutatā circumstantiā licita fiat non ideo conualescit.*
5 *Iuramentum, diuini dumtaxat honoris intuitu conceptum, de opere minùs bono, vel ab initio nullum est, vel arbitratu vouentis in aliud opus melius commutari potest.*
6 *Iuramentum in gratiam alterius conceptum, semper obligat, si sine peccato præstari possit.*
7 *Iuramentum de faciendo in alterius gratiam opere à ciuilibus legibus prohibito, vel infirmato, obligationem parit, saltem sub religionis virtute, si legis prohibitio, vel infirmatio non obligat sub culpa.*

8 *Quotiescunque lex ciuilis, vel alia quæcunque sub peccato obligat, ne tale opus fiat, vel promittatur. tunc iuramentum de eo faciendo irritum est*

9 *Iuri publico priuatorum pactis, quamuis iuratis, renuntiari non potest.*

2 ASSERTIO I. Iuramentum de patrando opere malo mortaliter, aut venialiter, nullam obligationem parit. Nam *iuramentum institutum non fuit vt esset vinculum iniquitatis*, c. quanto, de iureiur: Consentit reg. 58. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum*, &c. si vero, c. cùm contingat, de iureiur. c. quamuis, de pactis, in 6. quibus habetur, iuramenta obseruanda esse, nisi eorum obseruatio vergat in interitum salutis eternæ. quod non tantùm de mortalibus peccatis iuramento firmatis accipi debet, sed suo etiam modo de venialibus: siquidem & hæc ad mortalia peccata disponunt, & quamdiu durant, ab æterna salute impediunt, vti notauit Suarez lib. 2. c. 15. num. 3. Sanchez lib. 3. c. 9. num. 19. Alia iura, vel potiùs Patrum auctoritates de iuramento rei illicitæ non obseruando, congerit Gratianus causa 22. q. 4. Ratio autem est: Quia contradictionem inuoluit, vt aliquis obligetur ad patrandam rem illicitam, siue quæ in se peccatum est, v. g. furtum, mendacium. Si enim peccatum est, tenetur iurans ab eo abstinere siue omittere: non potest autem simul facere opus, & omittere; consequenter neque obligari ad faciendum.

3 Porrò notandum hîc est, minùs propriè Gratianũ l. c. & quosdam Iuristas dicere Iuramentum *illicitum* seruandum non esse; cùm potiùs dicendum sit, *de re illicita*. Nam sæpe accidit, vt aliquis promittendo, ac iurando peccet; vel quia prodigè agit, vel quia lege, aut præcepto prohibitum est, ne iuramentum fiat: cùm interim, si res promissa & iurata prohibita non sit, atque sine peccato executioni mandari possit, vtique debeat, sicuti notauit Gl. c. 2. ver. sacramentum, de arbitris. ibid. Abb. num. 8. Sanchez cit. c. 9. num. 22. Suarez lib. 2. c. 24. quem legito.

3 Assertio II. Ex iuramento de faciendo opere indifferente, v. g. festucam te leuaturum, ad molendinum, vel ædes alicuius non accessurum, si alia causa non adiiciatur, nulla oritur obligatio. Ita docet Caiet. 2. 2. q. 89. a. 7, §. ad euidentiam & ver. periurium, ver. primum caput. Angelus ver. iuramentum, n. 5. Nau. cap. 12. num. 17. Tolet. lib. 4. c. 22. num. 3. Sanchez cit. c. 9. num. 11. Suarez lib. 2. c. 16. nu. 4. Mol. to. 1. tr. 2. disput. 149. §. verùm enim verò, Azor lib. 11. cap. 5. quæst. 1. §. si quis præterea. Ratio est: Quia Actio humana, quæ secundùm se, siue ex obiecto indifferens est, si in indiuiduo ad nullum finem referatur, manet otiosa, ideóque mala; consequenter non potest esse obiectum iuramenti obligatorii. Vide, quæ dixi lib. 1. tract. 2. c. 8. n. 3. Deinde, etsi ponamus verum esse, quod aliqui docent, actionem humanam etiam in indiuiduo indifferentem, id est, moraliter nec bonam, nec malam dari posse; erit tamen talis actio nemini vtilis, aut accepta, maiorísque boni, saltem pro eo tempore, quo ipsa exercetur, impediens: ergo non pertinebit ad cultum, & reuerentiam diuini Numinis, vt propter eius adductam auctoritatem seu testimoniũ perfici debeat. Cæterum, si actio, vel actionis omissio, quæ ex se siue ex obiecto indifferens est ad finẽ, cúmque bonum referatur, ea ratione existet opus virtutis, & capax obligationis iuramenti religiosi: v. g. si iures te ædes alicuius non ingressurum, cum tali homine non locuturum, causa peccati vitandi, sicuti annotauit Abb. c. cùm quidam, num. 6. de iureiur. vel si in proximi vtilitatem referatur, v. g. te alicuius furnum, molendinum, apothecam non accessurum, in gratiam Titij cuius id interest, siue in cuius vtilitatem cedit; habet hæc omissio honestatem virtutis, misericordiæ, liberalitatis, aut saltem fidelitatis; adóque idonea est, & capax materiæ obligationis ex iuramento, sicuti docent Angelus cit. §. 5. Nauar. cit. numero 17. Suarez cit. c. 16. num. 4. Sanchez cit. cap. 9. Less. lib. 2. cap. 42. numero 20.

4 Adde suprà dictis, Iuramentum de opere inutili, vel illicito, licet postea, mutatâ circumstantiâ vtile & honestum fiat, non tamen conualescere, iuxta iuris reg. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Exempla sunt: I. Iurauit Titius sine causa se has ædes numquam ingressurum: postea superuenit iusta causa nunquam ingrediendi; quia inhabitatur à persona, quæ peccandi occasionem afferre potest; non ideo ille ædium ingressu abstinere cogitur virtute iuramẽti, quod ab initio vanum, & irritum erat, sicuti contra Nau. c. 12. num. 89. rectè docet Suarez lib. 2. c. 19. n. 17. II. Qui contra fidem primorum sponsaliorum, secunda sponsalia iuratus contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua cogendus non est ad sponsalia secunda: quippe quæ promissionem & iuramentum de re illicita continebant, ideóq; ab initio irrita erant, sicuti contra Couar. in epit. 4. decret. p. 1. c. 4. §. 1. n. 10. rectè docet Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 50. n. 6. Suarez cit. c. 19. n. 14. III. Qui voto castitatis obstrictus, postea, sponsalia absoluta quãuis iuratus contraxit, post obtentam dispensationem in voto, cogendus non est (per se loquendo) ad seruandam fidem sponsaliorum; quippe quæ à principio nulla fuerunt, sicuti docet idem Sanchez cit. disp. 50. & lib. 3. moral. c. 9. n. 26. Suarez cit. c. 19. n. 16. arg. c. quidam, & c. placet, de conuers. coniugat. in quibus habetur, si coniunx inuito, vel ignorante altero coniuge, Religionem professus, & postea ex Monasterio reductus sit; mortuo altero coniuge, cogẽdum non esse ad Religionis professionem; vt pote quæ ab initio irrita fuerat, vbi Abb. n. 4. cit. c. placet, regulam tradit: Quòd *votum* (eadémq; ratio est de iuramento) *emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili.*

Assertio III. Iuramentum, quod diuini duntaxat honoris intuitu conceptum est de opere minùs bono, partim ab initio nullam obligationem adfert, si opus directè ipsi oppositum melius ac præstantius sit v. g. si iurasti te vxorem ducturum: partim verò obligat quidem, sed iurantis arbitratu commutari potest in aliud melius opus v. g. iurasti te hac hora oraturum, postea verò intelligis, gratius Deo futurum, si ægroto assistas, opémque feras. Quæ est sententia S. Th. q. 89. a. 7. Nauar. c. 12. man. n. 16. Caiet. ver. periurium, Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 6. num. 6. Mol. tom. 1. tr. 2. disp. 149. Sanchez cit. c. 9. n. 11. Suarez cit. lib. 2. c. 12. n. 11. Nam iuramentum suscipit naturam, siue conditionem promissionis, cui adiungitur, c. quemadmodum, de iureiur. Ergo sicuti promissio, seu votum Deo editum de opere minùs bono partim ab initio non obligat, Deoque acceptum non est, si videlicet eius directè oppositum melius existat; partim verò obligat quidem, Deoque acceptum est tamen vouentis arbitratu, in opus melius commutari potest; ita etiam dicendum de voto iurato. 5

Addendum verò est, tametsi iuramentum non sit accessorium, seu confirmatorium voti; sed nudum, & per se stans (v. g. si simpliciter iurasti matrimonium te contracturum, vel contractum consummaturum) nullam inde obligationem erga Deum oriri: quia non pertinet ad diuini Numinis reuerentiam, vt fiat opus minus bonum, omisso eius opposito meliore. Eadémque ratio est, si iuramentum sit de omissione operis, cuius oppositum in consilio positum est; vt si iures, te non ieiunaturum, non fideiussurum; de qua re Abb. c. si verò, n. 5. de iureiur. Præterea, si iurasti famulum, aut filium, quamuis ita meritum, verberaturum, sæpe non obligaris iuramento si melius postea esse iudices verberibus abstinere: nam eiusmodi iuramentum, sicuti & votum, in ma-

lius commutari potest iurantis, aut vouentis arbitrio. Sed & fieri solet, vt postea mutetur status obiecti: quia filius, aut famulus emendauit, veniamque petijt; vel aliquis pro eo rogauit, aut intercessit, qua de re vide, quæ scripsit Caiet. ver. periurium, prope finem, Armilla ver. iuramentum, n. 12. Tol. lib. 4. c.22.§ circa comminatorium, Sanchez cit. c. 9. n. 16.

Item si iurasti, te ad sacram ædem peregrinaturum, potes deinde in opus, quod manifestò melius, Deóque gratius esse intelligis, commutare: v. g. vt patri ægrotanti assistas, opémque feras. Ratio est, tum quia Deus in cuius gratiam iuramentum editum est, censetur remittere eius obligationem, vt opus ipsi acceptius fiat: tum quia iuramentum, in Dei duntaxat honorem conceptum, perinde ac votum, tacitam conditionem habet, nisi ad maiorem Dei honorē cedat opus omittere, aliúdque præstare. idque docent DD. in c. peruenit; 2. de iure iur. Suarez cit. c. 12. n. 18.

6 Assertio IV. Iuramentum, quod in gratiam, vel vtilitatem hominis, vel Ecclesiæ, alteriúsue Communitatis editum est de opere honesto, semper obligat; neque in aliud, quamuis melius opus, arbitratu iurantis commutari potest. Ita ex communi docet Syl. ver. iuram. 4. q.20. Mol. to. 1. tr. 2. disput.149. §. prioris verò partis, Suarez lib. 2. c. 12. num. 14. Sanchez lib. 3. moral. c. 9. nu. 19. Est enim recepta iuris canonici regula, ex c. quamuis pactum, de pactis, in 6. c. cùm contingat, de iureiur. vbi eam notat Abb. n. 7. *Iuramentum homini præstitum seruandum est, quotiescunque sine peccato, sine salutis dispendio seruari potest.* Quod intelligi debet non tantùm si iuramentum sit propriè promissorium ab homine acceptatum; sed etiam si sit sine promissione; quin etiamsi solo interno animo conceptum: semper enim obligationem parit ex religionis virtute, ob diuini Numinis reuerentiam, vti ex dictis constat, & docet Suarez cit. c. 12. n. 21.

Addidi verò, arbitratu iurantis mutationem fieri non posse in aliud opus, quamuis melius: v. g. iurasti Titio donaturum decem, etsi eos maiore fructu in pauperes erogare possis tamen iuramenti religione obstrictus es; donec tibi Titius sponte remittat: Siquidem omne iuramentum hac tacita conditione fit, nisi is, in cuius gratiam iuratur remittat, vel pro eo aliud opus acceptet. Quamobrem mirum non est, quòd iuramentum, Dei duntaxat intuitu editum, in qualecunque opus melius, Deóque gratius commutari possit, quia videlicet Deus contentus esse præsumitur; at verò iuramentum in hominis vtilitatem editum, nequeat mutari in opus, quod absolutè quidem melius est, sed ei, in cuius gratiam siue vtilitatem iuratum, minus vtile, vel acceptum: quia contentus esse haud præsumitur.

Exinde patet; Rectè respondisse Nau. l. 3. consil. 4. de Regul. edit. 2. Alumnos collegii Anglicani Romæ, qui iuramentum præstant, se absolutis studiis in Angliā ituros, Fidei Catholicæ propagandæ causa; non posse sine dispensatione Religionem ingredi, in qua voto satisfacere non possint: quandoquidem eorum iuramentum editum fuit in vtilitatem Ecclesiæ Anglicanæ. Non tamen audiendus est idem Nau. cùm nu.7. in confirmatione in huius ait; Iurantem se ducturum puellam, non posse iustè Religionem ingredi, nisi priùs eam ducat, arg. c. commissum, de sponsal. Nam contraria sententia est communis apud Sanchez lib. 1. disp.43. quæst. 1. Nam iuramentum sortitur naturam actus cui apponitur c. quemadmodum, de iureiur. Promissioni autem matrimonii tacita inesse solet conditio, *Nisi Religionem ingressus fuero*. Ergo etiam iuramentum ita intelligitur. Ad tex. verò c. commissum respon. Virum illum iurasse intra biennium nuptias se contracturum; cùm autem terminus appropinquaret, & de Religione mox ingrediēda nihil certi constituisset, rectè dixisse Pontificem: *Tutius est ei, religione iuramenti seruata priùs contrahere; & posteà, si elegerit, ad Religionem migrare.* cùm id agere non prohibeatur ante matrimonii consummationem.

Assertio V. Iuramentum de faciendo in alterius gratiam opere, à ciuili lege prohibito, vel infirmato, nihilominus obligationem, saltem ex religionis virtute, parit, si legis prohibitio, vel infirmatio non obliget sub culpa; siue, si eiusmodi opus facere, vel ad faciendum se obligare non sit peccatum. De hac assertione videri possunt Abb. in c. si verò n. 6. & c. cùm contingat, n. 5. & 6. de iureiurando & li. 2. consil. 95. Syl. ver iuramentum, 4. quæst. 16. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 149. & disp. 151. in sol. 1. & to. 2. disp. 271. §. ad id vnde, Less. lib. 2. cap. 17. num. 50. Azor to. 1. libro 11. c. 6. & 7. Sanchez lib. 3. cap. 9. numero 30. & lib. 1. de matrim. dispen. 32. Suarez lib. 2. ca.21. Rebellus p. 2. iustit. lib. 1. q. 9. num. 1. vbi aiunt, obligare iuramentum, quod est cōtra bonos mores ciuiles tantùm; id est, cuius materia, licet ciuilibus legibus opposita sit, tamen sine peccato fieri potest: non autem obligare iuramentum, si sit contra bonos mores naturales. Quam distinctionem verbo tenus impugnat Couar. c. quamuis pactum, p. 2. initio, n. 4. Probatur autem assertio ex regula canonica cit. c. si verò, c. cùm contingat: *Omne iuramentum, editum in alterius vtilitatem, seruandum est, si sine salutis dispendio seruari potest.* Exempla plurima in vtroque iure occurrunt: I. Licet alienatio fundi dotalis secundùm leges ciuiles prohibita sit, si tamen eam mulier, sine vi & dolo, iuramento suo confirmet, obseruandū est, c. cùm contingat, de iureiur. & c. 2. eod. in 6.

II. Transactio super relictis in testamento non valet nisi inspectis verbis testamenti, l. de his ff. de transact. At verò iuramento accedente vim obtinet talis transactio, si sine dolo interposita sit in causa dubia: qua de re Mol. tract. 2. dispen. 577. Similiter transactio post rem iudicatam nullius momenti est; cùm deficiat obiectum transactionis videlicet incertitudo, l. 1. l. post rem, ff. de transactio. Nihilominus iuramento tali transactio confirmari censetur, sicuti notat Mysing. cent. 4. obser. 47.

III. Pactum renuntiationis, siue de non succedendo in paterna hæreditate secundùm leges irritum est; accedente tamen iuramento obseruandum, iuxta c. quamuis pactum, de pactis, in 6.

IV. Contractus Minoris sine tutoris auctoritate, vel Iudicis decreto in alienatione rerum immobilium, iure ciuili minùs efficax est; sed accedente iuramento inuiolabiliter obseruari debet, iuxta Auth. sacramenta puberum. C. si aduersus venditionem; vt proinde etiam restitutio in integrum Minori iurato denegetur.

V. Donatio facta, sine insinuatione, vltra 500. solidos ciuili iure irrita, iuramento confirmatur, sicuti docet Abb. cit. c. cùm contingat, n. 17. Clarus §. donatio, q. 18. Gaill. lib. 2. obser. 39. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 149. & 278. aliisque communiter.

VI. Pactum siue promissio non reuocandi testamentum ciuili iure irritum est: quia liberam de bonis suis vsque ad mortem disponendi libertatem aufert, quod ciuilibus moribus repugnet. Si tamen iuramentum accesserit, absque periurii crimine, violari non potest, nisi eius relaxatio impetretur, sicuti ex communi docent Couar. in rubr. de testam. p. 2 n. 25. Mol. cit. disp. 151. Iulius Clarus §. testamentum, q. 94. contra Andr. Fachinæum to. 3. lib. 8. controuers. iuris, c. 71. Quare simili etiam ratione, donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum, licet ciuili iure non subsistat, eò quòd liberam testandi facultatem auferat; ob iuramenti tamen religionem seruanda est, sicuti docent Couar. p. 2. rubr. n. 13. Mol. to. 2. disp. 280. Tametsi Clarus §. donatio, quæst. 20. & alii Iuristæ apud Couar. contrarium do-

cant; sed non rectè, cùm ipsimet fateantur, eiusmodi donationem factam Ecclesiæ subsistere: ex quo sequitur, eam peccatum non continere, neque bonis moribus naturalibus, sed tantùm ciuilibus repugnare.

VII. Donatio inter coniuges iure ciuili non subsistit; sed ex iuramento robur accipit secundùm communem DD. sententiam, Abbat. in cap. vltimo num. 9. de donat. inter virum & vxorem, Fachinæum, lib. 3. controu. cap. 77. Gaill lib. 2. obser. 40. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 11. Idémque dicendum de donatione à patre facta filio emancipato, teste Gaill. lib. 2. obseruat. 38.

VIII. Renuntiatio hæreditatis paternæ facta à filio vel filia v. g. nuptui tradenda, irrita est; nisi iuramento firmata sit, cap. quamuis, de pactis, in 6. vbi ratio additur, quia omne iuramentum seruari debet, si nec vi, nec dolo præstitum sit; nec vergat in dispendium salutis æternæ, aut tertii præiudicium. Ex quo rectè contra quosdam colligit Couar. in cit. cap. quamuis, p. 3. §. 2. num. 2. Talem renuntiationem cum iuramento factam à filia Monasterium ingrediente, validam esse.

IX. Si mulier pro altero fideiubeat, non obligatur efficaciter, ob priuilegium Senatusconsulti Velleiani; adhibito tamen iuramento cogitur adimplere fideiussionem, arg. cap. ex præscripto, de iureiurando, vbi Gl. ver. & vxorem, Abbas num. 9. Couar cit. quamuis, p. 2. §. 3. n. 8. Gaill. lib. 2. obser. 41. n. 9. Mol. to. 2. disp. 540.

X. Quod quis ludo alearum perdidit, Cæsareo iure soluere nō cogitur, atque soluenti repetitio conceditur: si tamen iurauit se soluturum, iuramento obligatur; sed neque solutum repetere potest, si iurantis intentio fuit confirmare contractum ludi, vt ex eo non minùs, quàm ex aliis contractibus iure naturali validis, perfecta obligatio oriatur, sicuti rectè docet Mol. to. 2 disp. 515 Suarez libro 2. de iuramento cap. 26. num. 10. Sanchez li. de matrim. disp. 32. num. 25. contra Nau. c. 20. n. 17. ad 5.

XI. Pœna sponsalibus adiecta, quæ à violatore fidei soluenda sit, iure, tam ciuili, quàm canonico reprobatur, c. gemma, de sponsal. l. vlt. C. eod. si tamen iuramentum accessit, obligationem parit; quia sine peccato seruari potest, vti docet Armilla ver. sponsalia n. 11. & indubitatum sibi esse ait Mol. to. 2. disp. 151. licet contrarium defendat Sanchez cit. disp. 32. numero 22. & libro 7. disp. 88. numero 37. & libro 4. moral. cap. 22. numero 8. quibus locis inquit, iuramentum de Religione ingredienda in pœnam violatæ sponsaliorum fidei conceptum, nullam violatori obligationem parere. quod mihi non placet: cùm sit iuramentum de opere bono, imò meliore, quàm est eius oppositum; nullúmque peccatum contineat: cur ergo non obliget?

XII. Pactum legis commissoriæ iure improbatur; sed iuramentum ei accedens obligationem parit, sicuti colligitur ex c. significante, vbi id notat Abbas numero 4. de pignoribus Gl. in cit. cap. contingat, ver. debent, in fine.

XIII. Pactū non vtendi exceptione pecuniæ non numeratæ irritum est, si adijciatur in eodem instrumento accepti mutui: quia eadem facilitate tum confitendum, tum ad exceptioni renuntiandum aliquis adduci potest, sicuti explicat Molin. to. 2. disp. 302. Nihilominus talis renuntiatio adiecto iuramento confirmatur, vti ex communi Abbas cit. c. cùm contingat, num. 21.

XIV. Si filius fam. pecuniam mutuam accepit, efficaciter non obligatur ad solutionem, propter beneficium S C. Macedoniani; nisi iuramentum accesserit, siue huic beneficio per iuramentum filius fam. renuntiarit, sicuti docet Couar. cap. quamuis, p. 2. §. 3. numero 5.

Assertio VI. Quotiescunque lex ciuilis, vel alia quæcunque sub peccato obligat, ne tale opus fiat, vel promittatur, tunc iuramentum de eo faciendo irritum est. Ita DD. citati super asser. Et sumitur ex reg. canonica: *Non obligat iuramentum præstitum contra bonos mores*: quod intelligitur de bonis moribus non merè ciuilibus; sed quorum oppositum turpe est, seu peccatum coram Deo continens: siquidem iuramentum non potest esse vinculum iniquitatis, seu peccati, sicuti dixi in 1. assert. Exempla habes: Si iurasti, te crimen non manifestaturum Iudici legitimè interroganti; non accusaturum de crimine Reipublicæ pernicioso, cap. quemadmodum, §. illud, de iureiur. vxorem, & liberos domo eiecturum, c. Quintauallis, eod. tit. Item si Clericus propria auctoritate, interposito iuramento, renuntiauit priuilegio fori, aut Ecclesiasticæ immunitati, c. si diligenti, de foro competente: est enim tam pactio hæc, quàm renuntiatio illicita, vt ibidem dicitur. Præterea, si iurasti, quòd de dolo contra depositarium, vel rerum amotarum actione contra vxorem &c. agere nolis, siquidem tales conuentiones, ante crimen patratum initæ, naturali morum honestati repugnant; eò quòd alteri occasionem peccandi præbeant, iuxta l. contractus, ff. de reg. iuris, l. conueniri, ff. de pactis dotalibus, l. si vnus, §. illud, & §. pacta, ff. de pactis, & docet Abbas in cit. c. quemadmodum, §. illud, num. 14. Mol. cit. disp. 271. Licet enim turpe non sit, præteritam iniuriam condonare, seu remittere; pactum tamen, siue promissio condonandi iniuriam, aliúdue crimen futurum, scandali turpitudinem continet: quamobrem iuramento confirmari nequit.

Quæres. Qua regula discernendum sit, vtrum id quod fit, vel promittitur contra ciuiles leges, peccatum sit; ideóque incapax obligationis ex iuramēto; an verò peccatum non sit, adeóque obligationis capax? Resp. ex cōmuni doctrina quam tradit Abbas in cit. cap. cùm contingat, num. 5. & seqq. Nauar. de finibus actuum humanorum c. cùm minister, 23. quæst. 5. numero 13. Anton. Corneus de absolut. iuramenti promissorii, p. 3. q. 5. n. 120. Rebellus p. 2. de iustit. lib. 1. q. 9. n. 9. Vasquez de testam. c. 3. dub. 2. Sanchez cit. disp. 32. & lib. 3. moral. cit. c. 9. n. 31. & seqq. Leges prohibentes, vel infirmantes aliquam promissionem seu pactionem, quarum finis proximus est commodum ipsorum, paciscentium, seu promittentium, ne detrimentum aliquod patiantur, non solent eos obligare sub culpa: nam *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. 61. in 6. Tales sunt leges, siue priuilegia concessa ætate minoribus, & filiis familias, ne ex contractu; item mulieribus, ne ex fideiussione efficaciter obligentur: quibus proinde renuntiare possunt, si non semper validè, saltem licitè: vt insuper accedens iuramentum obligandi vim habeat, ex ipsorum etiam communium iurium dispositione.

9 At verò leges prohibentes aliquam pactionem, vel quamuis actionem, quarum finis proximus est commune bonum Reipub. v. g. quibus Clericorum immunitas publicorum iudiciorum integritas, rerum ad commūnem victum necessariarum copia conseruatur; eæ sub peccato obligare solent: quare in iuramento quidem accedente, iis contrauenire potest. Nam vt habetur in l. 1. ff. de iust. & iure; Ius aliud est publicum, aliud priuatum. *Publicum ius est, quod ad statum Reipubl. Romanæ spectat: priuatum quod ad singulorum vtilitatem. Sunt enim quædam publicè vtilia, quædam priuatim.* Deinde in l. iuris gentium, §. si paciscar, ff. de pactis, interprete Bartolo, habetur; Pactum, per quod tollitur ius priuati, ipsi paciscenti publica auctoritate concessum, saltem acceden-

ce iuramento validum eſſe; ſecùs, ſi tollatur ius publicum: quia iuri publico priuatorum pactionibus vel iuramentis derogari non poteſt, l. ius publicum, ff. de pactis, iun. c. ſi diligenti, de foro compet. Præterea ſi lex ciuilis aliquid diſponat in fauorem aliorum, quibus tali lege aliquod ius acquiritur; v. g. vt liberis certa bonorum paternorum portio debeatur, quæ neque donatione, neque legato inofficioſo imminui poſſit; tunc tali diſpoſitioni legis nullo pacto aut promiſſione, quamuis iuramento confirmata, derogari poteſt, ſicuti colligitur ex cit. c. cùm contingat, ibi, *cùm in alterius præiudicium non redundat*, & cit. c. quamuis pactum, *neque redundet in alterius detrimentum*; & notauit ibid. Gl. & Sanchez lib. 6 de matrim. diſp. 34. n. 2. & lib. 3. moral. cap. 9. n. 38. Ratio eſt. Quia tale iuramentum iniuſtitiam, vel ſimilem naturalis obligationis violationem fouet, ideóque irritum & inutile eſt, ſicuti docet Suarez lib. 2. c. 27. n. 5.

CAP. VII.

DE OBLIGATIONE IVRAmenti promiſſorij ob alterius iniuriam præſtiti.

SVMMARIVM.

1 *Qui iurauit alteri vſuras ſoluturum, ex religionis virtute obligatur.*

2 *Qui iurauit latroni iniquè exigenti pecunias ſoluturum, iuramentum ſeruare debet, niſi ei relaxetur.*

Iuramentum, præſertim vi extortum, ſtrictam interpretationem habet.

3 *Qui iurauit in carcerem iniuſtum ſe rediturum obligatur iuramento etiam cum vitæ periculo.*

4 *Matrimonium ex graui metu celebratum, accedente iuramento non confirmatur, ſed irritum manet.*

5 *Error, vel dolus, quamuis antecedens ſit, & cauſa iurandi, ſi tamen verſetur circa accidentalem conditionem rei promiſſæ, non infirmat obligationem iuramenti.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Vtrum iuramentum vſuras ſoluendi mutuatori, obligationem aliquam pariat? Reſponſio eſt affirmatiua, expreſſa in c. 1. & c. debitores, de iureiur. *Debitores ad ſoluendas vſuras, in quibus ſe obligauerant cogi non debent: ſi verò de ipſarum ſolutione iurauerint, cogendi ſunt Domino reddere iuramentum.* Circa quæ verba notandum, ex promiſſione vſurarum, quamuis iurata ſit, non oriri obligationem iuſtitiæ erga vſurarium: ſiquidem is nullum ſiue titulum accipiendi vſuras habet: quare nec dominium acceptarum acquirit, ſicuti colligitur ex c. tuas de vſuris. Oritur tamen ex tali iuramento obligatio religionis erga Deum, vt quod iuratum eſt re ipſa verum efficiatur, ne nomen Dei in teſtimonium falſi adductum fuerit, ſicuti optimè explicat S. Th. q. 89. a. 7. ad 3. & Abb. in cit. c. 1. numero 3. & c. vlt. de pactis numero 2. regulam tradens, quòd *iuramentum obligat, etſi turpitudinem contineat tenentem ſe ex parte recipientis; non autem iurantis.* Confirmatur ex regula ſuperiùs tradita: *Omne iuramentum homini præſtitum ſeruandum eſſe, quod ſine peccato ſeruari poteſt: niſi vel ab ipſomet, cui iuratum eſt vel à legitimo Magiſtratu relaxetur.* Atqui ſolutio vſurarum vſurario facta ob promiſſionem, nullum ex parte ſoluentis peccatum continet: neque verò eſt actus otioſus; ſed imprimis ipſi promittenti vtilis, atque laudabilis, vt cognoſcatur, quantopere ſuorum verborum ac promiſſorum fidem ſeruet ipſi quoque promiſſario ſiue vſurario commodus, & exoptatus; quia ſaltem poſſeſſionẽ pecuniæ in eum trãſfert: ad eum modũ, quo in l. 1 §. ſi prædo, ff. depoſiti, dicitur, in depoſito tantam fidem ſeruandam eſſe, vt etiam furi, vel prædoni res furtiua ab eo depoſita, ob promiſſionem reſtituenda ſit.

Addendum ex Suarez li. 2. de iuram. c. 9. n. 7. Sanchez l. 3. c. 11. n. 5. tametſi mutuatarius promittendo, & iurando vſuras peccârit; vel quia nulla neceſſitate premebatur, vel quia alterum promiſſione vſurarum ad mutuãdum induxit; nihilominus ex iuramento obligatum eſſe: nam licet promiſſio & iuramentum illicitum fuerit, non tamen fuit de re illicita; ſed quæ ſine peccato impleri poteſt, vſuræ inquam ſolutio. quamuis contrarium doceat Caiet. cit. a. 7. circa [illegible] 3. dub. 1. Valent. t. 3. diſp. 5. q. 21. p. 4. § iam de ſecundo.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum iuramentum iniuſto metu extortum obligationem pariat? v. g. ſi quis iurauit latroni ſe pecunias daturum. Reſponſio eſt affirmatiua, expreſſa in c. ſi verò, de iureiur. c. ad audientiam de his quæ vi &c. & docet S. Th. q. 89. a. 7. ad 3. q. 98. a. 3. ad 1. Ratio eſt, quæ affertur in cit. c. ſi verò, quia eiuſmodi iuramentum non vergit in interitum ſalutis æternæ, ſed licitè ac honeſtè ſeruari poteſt. Neque obſtat c. 2. de iureiur. in quo dicitur; *Epiſcopum Laodicenſem ab Arnulpho Comite rebus ſuis ſpoliatum, & iurare compulſum, quod ablata non repeteret, nullius iuramenti vinculis poſſe conſtringi.* Reſpondet enim ibi Gloſa Panormit & alii; Iuramentum præſtitum fuiſſe de rebus Eccleſiæ non repetendis, quod ſine peccato ſeruari non poterat, ideóque nec debebat: quem tamen Epiſcopum abſoluit Pontifex, videlicet ad cautelam; vel potiùs abſolutum declarauit. Aliter verò reſpondet Suarez lib. 2. capite 10. numero 6. Fuiſſe Epiſcopum illum rebus propriis ſpoliatum; & quamuis iuraſſet, ſe eas non repetiturum, non tamen obſtitiſſe tale iuramentum, quominus iniuſtum ſpoliatorem canonicè denuntiare potuerit domino Papæ, vt is ex officio paternum ſubſidium afferret. Quo loco notandum; Iuramentum, præſertim iniquè extortum, non ad aliud faciendum obligare, quàm ſecundùm ſtrictam interpretationem promiſſum fuit. Quare ſi aliquis iurauit latroni ſe pecunias ſoluturum, ſoluere quidem debet, niſi iuramentum ei relaxetur; ſed ſolutas in iudicio repetere poteſt, petendo reſtitutionem in integrum, ſicuti habetur in c. ad audientiam, iun. gl. ver. reſignandum, & docent S. Thomas cit. a. 7. ad 3. Abb. in cap. 1. & 2. de iure. iur. & cit. c. peruenit, num. 4. eod. Si autem ſoluens iurauit quoque, ſe in iudicio non repetiturum, tunc obligatur quidem iuramento, quominus ciuilem actionem inſtituere poſſit; veruntamen de crimine accuſare non prohibetur, ad publicam vindictam, ſeu punitionem. Quòd ſi etiam non accuſaturum de crimine iurauit, poterit tamen denuntiare, vt ex officio Iudex procedat, ſicuti notauit Gl. in cit. cap. ad audientiam, arg. cit. c. quemadmodum, §. illud, in fine. Si denique iurauit quoque, non denuntiaturum ſe crimen, tunc iuramento non obligatur eo caſu, quo Iudici denuntiare neceſſarium eſſe videtur ad publicam, & aliis etiam perniciosam latronis iniuriam auertendam: item ſi iniuriam paſſus iuridicè poſtea in iudicio interrogetur. Neque obligat tale iuramentum, quominus iniuſtam vim inferens Prælato canonicè denuntiari queat, ſi ita neceſſe ſit ad criminis emendationem, teſte S. Thoma l. c. nihil obſtante, quòd indirectè & conſequenter etiam pecunia v. g. quam vim paſſus cum iuram. non repetendi ſoluit, eidem reſtitui debeat; eò quòd non remittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſicuti Suarez notauit cit. c. 9. n. 18. & videri poteſt Abb. in c. 1. de iureiur. n. 8. item Gl. & Abb. in c. tuas, de vſuris, vbi eandem doctrinam tradunt de mutuatario, qui creditori iurauerat, ſe vſuras non repetiturum, quòd non obſtante tali iuramento, Iudex ad reſtitutionem vſurarum creditorem compellere poſſit; & ipſe quoque mutuatarius vel iuramenti ſui relaxationem petere, vel, ea non petitâ, vſurarium, Iudici denuntiare. 2

QVÆSTIO TERTIA.

3 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum captiuus, qui iurat si dimittatur, in carcerem se rediturum esse, iuramento obligetur, etiam cum vitæ, vel alio grauissimo periculo suo? Respondeo; Inspiciendum esse, an talis reditus possit habere rationem virtutis, siue actus honesti: tunc enim iuramentum de eo obligat, quod accidit I. Si carcer iustus sit; & mors quæ timetur, iustè inferenda. II. Si iuramentum redeundi præstitum sit custodi innocenti, quem indemnem seruare iustitiæ, aut fidelitatis opus est, vti notauit Vasq. 1. 2. disp. 175. c. 5. III. Si promissus reditus inseruiat ad publicum bonum, v. g. Religionis Catholicæ; vel ad auertendum scandalum & Christianæ Fidei contemptum: his casibus iuramentum omnino obligat; vt neque relaxatio eius concedi debeat, sicuti docet Sotus lib. 8. q. 1. a. 7. solut. 3. Sanchez li. 3. c. 11. n. 35.

Verùm, cessantibus his causis, restat difficultas: Si aliquis latroni aut tyranno reditum, causa redimendæ vexationis, iuramento promisit, vtrum cum periculo mortis, vel alterius grauissimi mali iniustè ab illo patiendi, redire obligatus sit? Negant plerique Gl. in Clem. pastoralis, de sent. & re iudicata §. per violentiam, Abb. in c. si verò, num. 7. de iureiur. S. Anthon. p. 2. tit. 10. cap. 6. Syl. ver. iuramentum, 4. quæstione 26. Nau. c. 12. num. 18. Couar. lib. 1. resol. cap. 2. nu. 2. Sa ver. iuramentum, num. 11. Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. practica criminalis, q. 21. num. 27. Probant: Quia seipsum, absque causa necessitatis, aut publici boni, ad mortem iniquam offerre, est opus temeritatis, & repugnat legi Charitatis cùm erga seipsum, tum erga proximum, videlicet latronem, aut tyrannum, cui quamuis parato, materiam peccati, sine vrgente causa de nouo adferre non est licitum; consequenter non potest esse materia capax iuramenti promissorii.

Contrariam verò sententiam probabiliùs docent Caiet. 2. 2. quæstione 89. art. 7. ad 4. ad finem, Tolet. lib. 4. cap. 22. §. Alterum est, Less. cit. cap. 42. dub. 6. num. 28. Suarez cap. 10. num. 14. Sanchez lib. 3. cap. 11. num. 32. Probatur primò: Quia talis reditus est opus fortitudinis, & patientiæ; magnæ quoque veracitatis, & fidelitatis, ob antecedentem promissionem. Ergo est materia capax obligationis ex iuramento. II. Qui iurauit se ex carcere iniusto non fugiturum, obligatur iuramento etiam cum periculo mortis; dummodo iurans id præuiderit, ideòque expresè, virtualiter se ad id obligare voluerit, vti notauit Suarez num. 13. Ergo similiter obligatur, qui rediturum se iurauit: siquidem redeundo restituit se in statum, in quo antè fuerat. III. Si tale iuramentum non obligat, quia est de re illicita, sequitur ipsum quoque illicitum esse: consequens est falsum; nititur enim iusta ratione necessitatis, vt captiuus iniqua detentione ac vexatione ad tempus liberetur.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondeo; Quòd reditus in carcerem cum vitæ periculo, non sit intrinsecè malum, vt fornicari; sed tale quid, quod iustâ causâ cohonestari possit. Quare si quis simpliciter nihil cuiquam promittendo iuraret, quòd Tyranno cogente necessitate in mortem se offerre vellet; is iuramento non obligaretur, quippe cùm illud esset de re illicita videlicet temerario accessu ad mortem. At verò, si aliquis postulanti Tyranno promissionem faciat de redeundo, eámque iuramento confirmet, tunc iuramentum obligat; quia habet obiectum honestum, videlicet redire ad implendam promissionis veracitatem. Et videbis id frequenter in eiusmodi obiectis, quæ non intrinsecè mala sunt, sed tantùm si temere fiant; vt accedente promissione, iam licitè præstari possint; imò etiam interdum debeant exempli causa: si vsurario promisisti vsuras, potes licitè implere ad commendationem veritatis vti, ex communi docet Suarez lib. 2. c. 9. nu. 11. & accedente iuramento, etiam debes implere, obligatione religionis. Si famulo, quamuis non admodum merito, promisisti magnam pecuniæ summam donaturum, obligaris promissione. Licet enim tali homini, nulla exigente causa; tantam pecuniæ summam dare sit peccatum prodigalitatis, desinit verò esse, supposita promissione. Sic igitur etiam in proposito; Licet redire temere cum periculo mortis, sit peccatum: non tamen ita est, supposita tanta promissione, quæ proinde etiam iuramento licitè ac validè confirmari potest. Denique tametsi Princeps Catholicus grauiter peccet, si absque maxima cogente necessitate, hæreticis Religionis libertatē, seu liberum suæ sectæ exercitium in prouincia permittat, aut promittat, vti dixi li. 2. tr. 2. c. 12. n. 15. Posteaquam tamen publica & iuram. firmata fide pollicitus est, seruare omnimodò debet. Quia permittere hæresin non est ita intrinsecè malum, quominus cohonestari possit necessitate fœderis publici obseruandi, propter ius gentium: cùm alioquin nulla inter homines societas tuta esse possit. Quare operæ pretium est, hoc loco annotasse, quòd ea, quæ non ita intrinsecè mala sunt, vt nulla causa cohonestari queant, interdum ea ipsa circumstantia cohonestentur, si cum iuramenti obligatione promittantur.

QVÆSTIO QVARTA. Si quis graui metu adactus est ad contractum celebrandum, qui ipso iure ob metum irritus est; puta matrimonium, vtrum accedente iuram. obligationem contrahat? Respondeo & 4
dico I. Matrimonium graui metu celebratum, accedente iuramento no confirmatur, sed irritum manet. Ita habetur in c. 2. de eo qui duxit &c. vbi respondit Alexander III. Si quis graui metu cogente nuptias iuratus contraxit cum vna, postea liberè cum altera; posterius, non prius matrimonium ratum esse. Ratio est; Quia nō excedit limites potestatis humanæ, contractum aliquem ob publicam vtilitatem adeò infirmare, vti neque iuramento confirmetur: cùm alioquin legis latrix potestas finem suum efficaciter non consequeretur, si vna via contrahendi præclusa, altera via ad eundem contractum perueniri posset. Accedit, quòd iuramentum sortitur naturam actus cui adiungitur, l. vlt. iun. Gl. C. de non numerata pecunia. Quare iuramentum appositum matrimonio extorto per vim grauem, & iniustam; *Iuro, quòd accipio te in coniugem* tacitam conditionem habet, *sicuti talis acceptio de iure consistere potest.*

Dico II. Ex iurantis intentione desumendum est, vtrum etiam in futurum quippiam promittere voluerit: videlicet se omni tempore ratum habiturum esse contractum: tunc enim matrimonium secundum se inualidum, habet vim sponsaliorum iuratorum. In dubio verò ex parte vim iniustam passi, talis intentio præsumenda non est, sed benigniùs iuramentum interpretandum, vt nullam obligationem in futurum afferat. Ita docet Ægid. Coninck 2. 2. to. 2. disp. 28. dub. 4. concl. 4. & 5. prior pars Probatur ex regula recepta: Quod iuramentum in alterius gratiam seruari debet, si sine peccato seruari potest; qui autem metu iniusto adactus ad contrahendum matrimonium; iurauit, se illud, quatenus potest postea ratificaturum, is sine peccato ratificare potest, seposito postea metu verè concontrahendo. Ergo ad id ob reuerentiam sacramenti, ex virtute religionis obligatur, nisi relaxationem impetret. Quamuis contrarium placuerit Thomæ Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 20. numero 18. Nam iuramentum non obligat contra publicam vtilitatem: vt autem matrimonium & sponsalia metu graui contracta nullius roboris sint, ob publicam vtilitatem constitutum est. Ergo &c. Verùm, hac ratione plus non ostenditur, quàm tali iuramento contractum sponsaliorum secundùm se non confirmari, vt ex eo ius alii, quod & actio parti alteri acquiratur: non autem oste-

ditur, iuramentũ ex propria religionis virtute non obligare. quamdiu absque peccato seruari potest.

Multo minùs huic doctrinæ obstare debet, c. ex literis, de desponsat. impuberum: Quia in illo casu puella nullo modo consentiens, *à parentibus iurata, & desponsata fuit.* quare mirum non est, quòd omnino libera pronuntietur.

Posterior assertionis pars inde probatur: Quia iuramentum, præsertim vim iniustam passi, strictissimæ interpretationis esse debet: ideóque in dubio præsumẽdum, iurantem non aliud promisisse, quàm ad quod cogebatur, videlicet vt præsentem actum confirmaret, seu iuraret, seuerè & ex animo, quantum in ipso est, matrimonium contrahere velle; non autem, quòd ad futurum quippiam se obligare voluerit; nisi id quoque ab ipso expressè postulatum sit.

5 QVÆSTIO QVINTA. Vtrum iuramentum alteri præstitum ob errorem, vel dolum, obligationem iuranti afferat? Respondeo, suppositis iis quæ dixi lib. præced. 4. cap. 5. & dico I. Si error siue antecedens siue concomitans, versetur circa substantiam rei iuramento promissæ, tunc neque promissio, neque iuramentum vllius roboris siue obligationis existit: quia deficit consensus substantialis. Exempli causa, si iures te alteri donaturum anullum, quem putas esse ferreum, cùm sit aureus.

Dico II Si error, vel dolus, quamuis antecedens, & dans causam iurandi, atque ab ipsomet, cui iuratur, non sine iniuria profectus, versetur tantùm circa accidentalem rei conditionem, vel circumstantiam, non infirmat obligationem iuramenti; sed eius relaxatione opus est. Ita docent Mol. to. 1. tr. 2. disp. 149. §. quatuor iuribus, Suarez l. 2. c. 11. numero 11. Sanchez lib. 5. cap. 11. prope finem, & sumitur ex cap. 9. Iosue, de iuramento Gabaonitis præstito. Probatur hac ratione: Vel enim tale iuramentum irritum esset ob defectum consensus, vel ob iniuriam. Neutrum dici potest. Nõ primum, quia non deest ei consensus substantialis in rẽ, vt ponimus: Neque secundum: quia iniuria non tollit obligationem iuramenti, præsertim eam, quæ ex virtute religionis est, ob inuocati Numinis reuerẽtiam. Quamquam eiusmodi iniustus dolus, sicuti & metus iniustè incussus, si causam iurandi dedit, faciliorem iuramenti relaxationem suadet. Quare cùm in iure canonico dicitur c. cùm contingat, de iureiur. cap. de pactis, in 6. *Iuramentum, quod nec vi, nec dolo sponte præstitum est, omnino seruandum esse*; (ex quo per sensum contrarium inferri posse videtur, quod vi, aut dolo præstitum est iuramentum, non ita obseruari oportere) nõn alium intellectum id habet, quàm iuramenta, quæ siue vi, aut dolo sponte & plena animi voluntate concepta, suopte pondere & natura, sine relaxationis remedio seruanda esse, si nulla extrinseca causa impediat: quæ verò vi, aut dolo iniusto edita sunt, ex se ipsis relaxationis causam præbere.

Porrò limitanda est secunda assertio; Nisi qualitas siue circumstantia, quæ rei quidem accidentalis, aut extrinseca est, secundùm intentionem tamen iurantis explicitam, aut virtualem, adeò intrinseca sit obiecto, vt in illud non feratur, nisi quatenus tali conditione aut circumstantia affectum est; tum ea deficiento, deficit etiam obligatio iuramenti. Ratio est: Quia iuramentum non extenditur vltra ea, de quibus iurans cogitauit, secundùm Gl. in c. veniens, ver. præsciuisset, de iureiur. Syl. ver. iuramentum, 3. quæst. 1. Suarez cit. ca. 11 num. 12. Exempli causa: Iurasti, dotem te daturum puellæ, quia dicebatur esse cognata, vel conciuis tua: postea vero intelligis, te deceptum, non obligaris iuramento, si explicita, vel virtualis & rationabiliter præsumpta voluntas fuit, non nisi tali puellæ, qualis dicebatur, dotem promittendi: Etenim vniuersim loquẽdo, actus agentium, præsertim obligatorij, non se extendunt vltra eorum intentionem.

CAP. VIII.

VTRVM PACTA, ET CONTRAactus, alioquin irriti, accessione iuramenti confirmentur.

SVMMARIVM.

1 *Pacta & contractus, alioquin ciuili iure irriti, aut minus efficaces interdum accessione iuramenti confirmantur.*

2 *Si promissio vel pactum ex parte exigentis, vel acceptantis turpitudinem continet, apposito iuramento haud confirmatur.*

3 *Qui vi iniusta à priuato adactus est ad promissionem iuratam, facilè liberationem impetrat.*

4 *Iura ciuilia interdum adeo resistunt contractui, vt neque accessione iuramenti obligationem parere possit,*

5 *Actus gestus contra antecedens non agendi iuramentum, validus est modò is pendeat ex mera facultate agentis.*

LOQVIMVR de pactis & contractibus, non iure naturali irritis, seu circa materiam illicitam versantibus. hæc enim accessione iuramenti confirmari nõ possunt; cùm iuramentum non sit vinculum iniquitatis: Sed de pactis & contractibus, qui celebrantur iure ciuili non assistente, aut resistente; vtrum accessione iuramenti confirmentur, ita vt etiam secundùm externum forum, ius, & actionem tribuant, ob iurisiurandi religionem.

Respondeo & dico I. Quibusdam casibus id accidit, 1
vt pacta & contractus, licet ciuili alioquin iure irriti, aut minùs efficaces sint, tamen accessione iuramenti firmentur, actionémque pariant. Sic enim pactum nudum iuramento confirmari ac veluti vestiri, dixi lib. præced. tract. 4. capite 2. numero 2. Et contractum Minoris, sine Tutoris auctoritate celebratum, si iuramentum ei accesserit, inuiolabiliter seruandum esse, dicitur in Authen. sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem. Idem autem, saltem spectato iure canonico, in aliis similibus casibus sentiendum est; puta donationem factam filio emancipato, aut coniugi; vel alteri vltra solidos quingentos; item mutuationem filii familias, fideiussionem mulieris, renuntiationem filiæ de non succedendo, alienationem fundi dotalis &c. accedente iuramento confirmari; vt iurans ad implendum iure compelli possit, ac debeat, sicuti colligitur ex c. quamuis, pactum, iun. Gl. ver. seruare, de pactis, in 6. & c. 2. de iureiur. in 6. Quãuis verò iure ciuili in eiusmodi casibus id statutum non reperiatur, vti Innoc. III. significat in c. cùm contingat de iureiuran. tamen secundùm praxim tribunalium Christianorum Principum, ferme etiam ad imitationem iuris canonici, iurantes ad executionem eorum, quæ ita promiserunt, compelluntur.

Dico II. Si promissio seu pactum turpitudinem contineat ex parte exigentis, aut acceptantis, neque ciuili, 2
neque canonico iure confirmare, vt exinde actio, & compulsio oriatur. Ita docet Anton. Gomez tom. 2. resol. cap. 14. num. 24. Mol. to. 1. tr. 2. disput. 149. §. quatuor iuribus, Sanchez lib. 4. de matrim. disput. 20. num. 5. & lib. 3. moral. cap. 12. numero 42. Exempla sunt; Si vsurario vsura cum iuramento promissa sit, Iudex in externo foro compellere non debet ad solutionem: cùm vsurarius nullum accipiendi ius habeat. Quare potiùs cogendus est à Iudice iuramentum remittere; aque eo inuito, ipsemet Iudex relaxare poterit, sicuti colligitur ex cap. 1. de iureiur. Præterea, si ad contrahendum, vel quippiam promittendum iniusto metu, aut dolo inductus fuisti, nulla datur externo foro, actio & compulsio ad soluendum, sicuti habetur in citat,

Authent. Sacramenta puberum, *Per vim, vel per iustum metum exorta iuramenta, nullius esse momenti iubemus.* Consentit cit. cap. cùm contingat, & cit. cap. quamuis, quibus habetur, iuramenta, quæ per vim, aut dolum extorta non sunt, *omnino* seruanda esse: vnde à sensu contrario infertur; si per vim, aut metum extorta sint, *omnino*. siue vt in Authentica dicitur, *inuiolabiliter* seruanda non esse; sed à promissorio, seu parte contrahente remitti; vel à legitimo Magistratu relaxari, aut rescindi oportere.

3 Eandem quoque doctrinam non pauci Doctores tradunt Abb. c. cùm contingat, num. 5. de iureiur. Valentia to. 3. disp. 6. quæst. 7. p. 4. Andr. Fachin. lib. 8. controu. iuris, cap. vlt. & alii, quando proposita quæstione; *Vtrum iuramentum metu exortum oblige?* respondent, obligare in foro conscientiæ, ob diuini Numinis reuerentiam, non item obligare in foro externo: quia in iudicio non datur actio aduersus eum, qui ita iurauit; quin potiùs, si iam soluit, in integrum restituitur, idque in odium iniusti actoris, ne ex iniquitate commodum ferat; & quia ita expedit, imò necessarium est ad innocentium defensionem, & Reipublicæ tranquillitatem.

Corollarium. Posteaquam legitimus Magistratus, siue Ecclesiasticus, siue ciuilis ob dictas causas iudicauit, promissionem, vel contractum, quamuis iuratum seruandum non esse, sed rescindendum, tunc eo ipso cessat etiam obligatio erga Deum, quæ est propria iuramenti ex religionis virtute: quandoquidem promissorium iuramentum hanc tacitam conditionem habere censetur, nisi promissionem vel ipsemet promissarius remittat, vel legitimus Iudex ob iustam causam rescindat, aut retractet. Ita docet Mol. tom. 1. tr. 2. disput. 149. §. aliud accipe, Sanchez 3. moral. cap. 22. num. 15.

Corollarium II. Si iniusto dolo, aut coactione ad iurandam promissionem inductus, (quo casu ait S. Thom. quæstione 89. art. 7. *qui vim intulit, meretur vt ei promissum non seruetur*) postea de solutione conueniatur, statim ad iudiciale forum confugere potest; vt nisi aduersarius iuramentum sponte remittat, à Iudice cogatur; vel, eo etiam inuito, Iudex obligationem relaxet, sicuti l. c. docent Sanchez, Mol. disput. 149. §. deinde relaxare, & significat Sa ver. iuramentum, n. 29 *Iuramentum factum in alicuius fauorem potest iste relaxare; vel eius Superior.*

4 Dico III. Non tantùm propter turpitudinem seu iniuriam promissarii, sed etiam ob aliam causam, ad bonum publicum pertinentem, Magistratus tum Ecclesiasticus, tum ciuilis ita aliquos contractus pro irritis habere potest, vt ne iuramenti quidem adiectione confirmentur, actionemue pariant; sed nihilominus infirmari possint. Hæc est sententia Couar. in c. quamuis pactum, pa. 2. princip. Probatur primò: Quia, vt contractus, qui alioquin minùs validi sunt, appositione iuramenti ita confirmentur, vt ius actionémque tribuant, id non prouenit ex virtute iuramenti præcisè; sed ex iure positiuo, talem iuramento vim tribuente, sicuti notauit Suarez lib. 3. cap. 12. num. 3. Ergo si ius, vel consuetudo vim iuris obtinens, nolit contractum iuramento confirmari, sed ei nihilominus resistat, non potest tunc iuramentum eiusmodi effectum gignere. Probatur secundò: Quia quæuis publica potestas debet esse sufficienter instructa ad disponendum de iis, quæ ad finem bonum Reipublicæ spectant: consequenter poterit lege lata ita aliquos contractus, qui publico bono incommodare videntur, penitus infirmare, vt nulla contrahentium arte, formâ, aut modo, adeóq; neque iuramenti accessione confirmari, au ius aliquod efficax parti contrahenti parere possint.

Causa autem ita resistendi ea potissima esse solet, ne ex ex pacto aut contractu ciuilibus moribus repugnāte, ansa seu occasio peccandi præbeatur, quod bono publico incommodare censetur. Exempla habemus I. In pacto futuræ successionis, seu promissione vltimæ voluntatis non reuocandæ. quod adeo ciuili iure improbatur, vt neque iuramento cōfirmetur; eò quòd ansam præbeat captandæ mortis alienæ, sicuti ex cōmuni docet Couar. c. quamuis pactum, p. 2. initio, n. 8. Gaill. l. 2. obseru. 125. n. 2.

II. Si duo inter se paciscantur de hæreditate personæ tertiæ, censetur esse pactum contra bonos mores, atque pœnis obnoxium; vt neque accessione iuramenti confirmetur: quia ansa inde capi potest machinandi cædem illi personæ, de cuius hæreditate conuentum est. Cæterum, si eiusmodi conuentioni iuramentum accesserit, obligatio inde consurget saltem ex religionis virtute: quandoquidem tale iuramentum obiectum secundùm se illicitum non habet, atque sine peccato executioni mandari potest, vti bene notauit Sanchez lib. 7. moral. c. 2. n 35.

III. Si quis durante matrimonio iuratus promisit se mortua coniuge cum altera contracturum; talis promissio seu pactio, ex qua peccandi occasio capitur, adeò in externo foro exosa est, vt ne iuramenti quidem accessione confirmari censeatur. de quo iterum dicam cap. 11.

IV. Tametsi non ipsemet contrahens, sed alius per grauem & iniustum metum te compulit ad paciscendum, ac iurandum; arbitror, in foro externo eiusmodi contractum rescissum iri: quia in Authentica Friderici Imperatoris absolutè dicitur, iuramentum graui metu extortum nullius momenti esse debere. & in l. si cùm. ff. quod metus causa: Nihil interesse, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit; vtroque enim casu per Iudicis officium succurri.

V. Abb. in c. significante, n. 4. de pignoribus, docet: tametsi iuramentum adiectum pacto legis commissoriæ (quod ob periculum siue occasionem fraudium vtroque iure improbatur) obligationem pariat ex religionis virtute; quia sine peccato iurantis obseruari potest, non tamen eiusmodi pactum iuramento confirmari, vt exinde ius aduersus iurantem, actio competat. Cùm enim, vt suprà dictum, iurisiurandi religio hanc vim suapte natura nō habeat sed adminiculo iuris positiui consequatur, ideo talis confirmatio contractuum alioquin infirmatorum; facilè asserenda non est; nisi vel lex exprimat, vel praxis tribunalium ita obseruet. ad quam maximè respiciendum esse arbitror, vt intelligatur; vtrū contractus iure ciuili iustè infirmatus, ob iuramenti appositionem, efficaciam accipiat, nécne.

Quæ doctrina hactenus tradita si obseruetur, facilè interdū D D. conciliari poterunt, cùm alij affirmant, pactum non reuocandi testamentum, pactum legis commissoriæ donationem omnium bonorum, pœnam sponsalibus adiectam, &c. obligationem parere; videlicet eam, quæ est iuramenti propria ex religionis virtute, sicuti suprà docui cap. 6. numero 7. Alii verò negant, eiuscemodi pacta contra bonos mores, tametsi iurata sint, valida & obligatoria esse, obligatione videlicet iustitiæ, cui ius efficax, & actio in foro externo respondeat. Vide Abb, l. c. Suarez cit. c. 28. n. 3. Sanchez cit. c. 12. n. 3.

RESTAT QVÆSTIO. Vtrum actus, gestus contra antecedens iuramentum, validus sit? Respondetur affirmatiuè; si actus pendeat à mera facultate agentis, tametsi agens contra iuramentum agendo periurus fiat; valere tamen quod agitur. Abb. c. dilecto, numero 17. de præben. c. intellecto, numero 8. de iureiur. Syl. ver. iuram. 4. q. 12. Rebel. p. 2. de iust. lib. 1. q. 9. n. 13. Azor. to. 1. lib. 11. c. 6. q. 3. Suarez lib. 2. de iuram. c. 19. n. 6. Sanchez cit. c. 12. n. 31. Ratio est, quia 5

non obstante promissorio iuramēto,& personali contracta obligatione non faciendi aliquid, manet nihilominus homo in naturali libertate, per quam possit facere quod non facturum se statuit, promisit, ac iurauit. Exēpla sunt: I. Matrimonium de præsente validum est, non obstantibus prioribus iuratis sponsalibus cum alia celebratis, c. sicut, de Sponsal.

II. Reuocatio procuratoris valet, tametsi qui reuocat, antea iurârit, se non reuocaturum, teste Gl. communiter receptam c. vlt. ver. reuocatus, de Procurat. in 6.

III. Si quis iurauerit, se testamentum non reuocaturum, & postea reuocarit, periurus quidem est; sed reuocatio valet, secundùm communem DD. sententiam, apud Couar rubr. de testam. p. 2. n. 52. Clarum §. testamentum, q. 94. quibus contradicit Mol. tom. 1. tr. 2. disp. 151. §. contraria sententia, existimans ex tali iuramento, quatenus in alterius vtilitatem conceptum est, ipsi, eiúsque heredibus ius & actionem acquiri. quod infrà cap. 10. concl. 2. refutabitur. Illud tamen fateri oportet iuramentum appositum testamento de non reuocando, habere vim clausulæ derogatoriæ perinde ac si expresse testato dixisset, si aliud testamentum postea fecerit, nolle se priori derogatum esse, nisi specialiter & expresse reuocet, de qua clausula dixi lib. præced. tr. 5. c. 4 in fine, & videri potest Couar. n. 60. Mol. disp. 153. Eáque simili ratione docet Gl. recepta in c. cùm non deceat, de elect. in 6. per generalem statutorum derogationem seu reuocationem non tolli prius statutum iuramento confirmatum; sed opus esse derogatione speciali.

IV. Aliquis iurauit, se votum non editurum inconsulto Confessario; postea temere vouet, nihilominus validum est votum, sicuti notauit Suarez lib. cit. num. 5.

V. Caius iurauit se rem Titio, & non alteri donaturum, postea nihilominus alteri donat, ac tradit; valida est hæc donatio: quia donator, non obstante priore promissione Titio facta, mansit dominus rei, secundùm doctrinam Gl. quam in simili tradit de venditione duobus in solidum facta in l. quotiens, ver. priori, Cod. de rei vindicat. Et ita docet Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 4. num. 5. Sanchez lib. 3. moral. cap. 17. num. 17.

VI. Si Capitulum statutum fecerit, & iuramento confirmârit, de non augendo certo numero Canonicorum; postea verò supra eum numerum nouum canonicum instituat, valida est institutio, sicuti ex communi docet Abb. cit. c. dilecto, n. 17. Azor lo. cit. q. 2. Less. c. 17. dub. 7. n. 57. Sanchez cit. c. 12. n. 35. contra Innoc. Hostiensem, & alios in cit. c. dilecto. Addit ibid. Gl. ver. clausula, idem dicendum fore tametsi statutum à Papa confirmatum fuisset: cùm enim talis confirmatio in fauorem Canonicorum facta fuerit, ei renuntiare atque contrauenire possunt; præterquam in clausula prohibitionis adiecta sit, vt si quid contra id fieret, non valeret. Id enim ob Ecclesiæ vtilitatem adiectum esse, præsumi debet.

Dixi autem, assertionem locum tantùm habere, si actus contra prius iuramentum pendeat à mera facultate agentis: Nam si actus positiuo aliquo iure irritus, & inefficax sit, tunc haud confirmabitur accessione iuramenti editi, contra prius iuramentum non agendi. Exempla sunt: Si mulier iurauerit se non alienaturam bona dotalia; aut Minor se non contracturum sine curatoris auctoritate; postea verò non obstante hoc iuramento, alienent, aut contrahant, quamuis iurati se non contrauenturos; nihilominus contractus siue alienatio rescindi poterit, tanquam ciuili iure inefficax, sicuti docet Glos. in c. licet, de iureiur. in 6 Abb. cit. c. intellecto, nu. 8. Syluest. cit. quæst. 12. Couar. c. quamuis pactum, pa. 2. §. 2. nu. 4. Mancinus de iuram. pa. 4. effectu 1. q. 5. n. 2. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 13. nu. 2. & cit. c. 12. n. 38. & cap 17. nu. 19. Azor. cit. lib. 11. c. 6. q. 3. Rebellus & Less. ll. cc. Ratio est: Cùm enim iuramentum posterius peruersum sit & periurij criminis confirmatoriũ; non est credibile, quòd ei ius assistat velitque eo contractum siue alienationem, alioquin irritam aut inefficacem, confirmari.

CAP. IX.

DE IVRAMENTI INTERPRETATIONE, & tacitè subintellectis conditionibus.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum in dubio strictè intepretandum est.*
2 *Iuramentum præstitum circa materiam iuris, interpretandum est secundùm limites iuris.*
3 *Iuramentum extendi non debet vltra intentionem iurantis verisimiliter præsumendam.*
4 *In omni iuramento promissorio tacitæ conditiones intelliguntur: I. Si potero. II. Saluo iure superioris. III. Nisi is, cui iuratum, obligationem remittat. IV. Si res notabilem mutationem non accipiant.*
5 *Homo promissorem liberare potest, si promissio principaliter in eius gratiam facta est: secus, si principaliter in Dei honorem.*
6 *Iuramentum assumit naturam & conditiones promissionis, cui adiicitur.*

ASSERTIO I. Iuramentum in dubio strictè interpretandum est, propter grauem, quam in se cōtinet, religionis obligationē, atque periurij periculum. 1
Sumitur ex c. 1. de iureiur. in 6. l. quidquid astringendæ, ff. de verb. obligat. & docet Abb. c. cùm clerici, Qui clerici, vel vouentes, aliiq; communiter.

Corollarium I. Iuramentum de seruandis statutis alicuius Communitatis, intelligi debet de statutis editis duntaxat; non item de futuris, seu imposterum de nouo edendis; nisi exprimatur, vel ex indiciis constet, tam amplam esse iurantium intentionē. Ita significat Gl. in c. penult. de iureiur. & docet Angel. ver. iuram. 5. §. 25. Syl. ver. iuram. 4. q. 23. Azor t. 1. l. 11. c. 8. q. 7. Sanchez l. 3. c. 14. n. 1. contra Abb. cit. c. penult. de iureiur. n. 2. Rosellam ver. iurare, n. 25. S. Anton. p. 2. tit. 10. c. 6. §. 6. vbi aiunt, iuram. extendi etiam ad statuta futura, si non magni præiudicii sint.

Corollarium II. Iuramentum præstitum circa materiam iuris, interpretandũ est secundùm limites iuris, neq; vltra extendendum. Ita docet Gl. in cit. c. 1. ver. declaramus, Innoc. in c. per tuas de arbitris, Abb. in c. tua nos, n. 4. de eccles. ædificandis. Syl. ver. iuram. 3. q. 3. Suarez l. 2. c. 33. in fine. Sensus est: Si quis alioquin iure obligatus sit ad quiddam faciendum, vel omittendum, tunc iuramentum accedens non ad aliud se extendit; sed tantùm ad ea, quæ sub obligatione iuris comprehenduntur: vt proinde intentio iurantis esse censeatur, se nihil illicitum siue iure inconcessum attentaturum. Exempla habemus. I. Iuramentum Episcopi de alienandis bonis Ecclesiæ, interpretandum est de alienatione illicita, quæ fit sine causa necessitatis, aut vtilitatis; vel sine requisita iuris solemnitate, sicuti colligitur ex c. vlt. de eccles. ædific. & docet Innocent. c. cùm omnes, de Constit. Abb. in c. vt super, n. 15. de rebus eccles. alien. Syl. cit. q. 3. Simili ratione, si Episcopus in sui electione verbis generalibus iurauit, se priuilegia non daturum sine consensu Capituli; intelligi debet de concessione priuilegiorum illicita, siue quam Episcopus secundùm canones, absque consensu Capituli, facere non potest. 2

II. Clericus, qui iurauit residentiam, potest tamen

abesse in casibus iure concessis, c. ex parte, 2. de clericis non resident.

III. Qui iurauit, se staturum arbitri sententia, sub certa pœna, is vel stare tenetur, vel pœnam soluere. Si autem pœna adiecta non fuit, tunc secundùm probabilem sententiam Glos. & Innoc. in c. per tuas, de arbitris, & alios apud Abbatem in cap. veniens, numero 8. de iureiur. obligatur disiunctiuè, vel ad seruandam sententiam, vel ad præstandum id, quod interest: quandoquidem eiusmodi optio alternatiua communi iure cōcedi videtur in l. diem, §. vlt. ff. de recept. arbitr. Simili ratione, ait Sanchez cit. c. 14. n. 4. qui iurant, se leges alicuius fraternitatis seruaturos, non peccant transgredien do eas, si tantùm sub pœna obligent, modò parati sint, pœnam seu mulctam soluere.

IV. Iuramentum seruandi statuta alicuius Collegii Vniuersitatis, alteriúsue Communitatis, intelligitur secundùm differentiam statutorum, intentionem legis latoris, & loci consuetudinem, communémque interpretationem. Si enim grauis momenti statuta sunt, & ita accipiuntur, quasi sub mortali obligent; tunc iuramenti transgressio nouam mortalem sacrilegii malitiam addiicit. Sin verò leuioris momenti statuta sunt; vel si ita ea accipi solent, vt sub veniali tantùm culpa obligent, vel solùm ad pœnam subeundam; tunc iuramenti obligatio similiter intelligi debet, arg. Clem. 1. §. declaramus de verb. signif. & docet Gerson p. 2. in reg. moralib. tract. de superbia, ver. quando aliquis. & p. 3. lib. de vita spirituali animæ, lect. 6. Medina 1. 2. quæst 96. art. 4. Sanchez cit. c. 14. num. 2. & 4. Quare si Academiæ Rector v. g. scholares iubeat obligatione præstiti iuramenti interesse Missæ officio, aut processioni publicæ, non obligat trāsgressores ad culpam plusquam venialem ob materiæ leuitatem: præterquam si precepti eiusmodi contemptores existant, sicuti docet Gerson cit. lect. 6. longè post medium, Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 7. in fine; Medina in instruct. l. 1. c. 16. §. 11. Rodriq. t. 2. sum. c. 9. n. vlt. l. 11. c. 8. q. 11.

V. Iuramentum de seruando secreto, siue non reuelandis ijs, quæ in Capitulo, Concilio &c. tractantur, intelligitur, quatenus materia secretum postulat; ita si magni momenti existat, & valde intersit non euulgari, eius euulgatio mortalem etiam culpam contra religionis virtutem, propter violatum iuramentum, contineat; si autem res leuis sit, solùm venialem; denique nullam, si euulgatio nullum omnino incommodum afferre possit; vel in ijs casibus quibus commissum secretum reuelare ad impediendum maius malum communi iure concessum est. Qua de re Gl. & Abb. in c. Ergo, de iureiur. Sylu. ver. iuramentum, 4. q. 28. Sanchez cit. cap. 14. nu. 5.

VI. Ministri publici, si iurent, se contentos fore stipendio lege taxato, item mercatores, pistores, si iurent, se seruaturos taxationem pretij, ponderis &c. intelligitur iuramentum, dum taxatio iusta fuerit; non item si constet, iniustam esse, sicuti notauit Sanchez cit. c. 14. n. 14.

VII. Qui iurauit, se pariturum mandatis Ecclesiæ, eo non obstante, à lata sententia appellare potest, sicuti ei iure communi concessum est, secundum Gl. communiter receptam in c. pro vt nobis, ver. cautionem, de dolo, & contumac. Syl. cit. q. 3.

3 Corollarium III. Iuramentum bona fide præstitum non est extendendum vltra intentionem iurantis, verisimiliter præsumendam. Ita docet S. Th. 2. 2. quæst. 98. a. 2. ad 3. & Canonistæ in cap. veniens, cum Glosa ver. præsciuisset, de iureiur. Syl. ver. iuramènt. 4. quæst. 6. Azor lib. 11. Moral. c. 11. q. 3. Sanchez cap. 17. nu. 1. Suarez lib. 2. ca. 11. num. 12. & alii, cùm aiunt, quòd *iuramentum non est extendendum ad incognita*, siue quæ iurans in specie non cogitauit, & quæ in mentem si venissent, verisimiliter excepisset. Exempli causa: Si iurasti te alteri in omnibus pariturum, interpretandum id est, nisi vel illicita, vel nimis ardua & à statu tuo abhorrentia imperet, sicuti docet S. Thom. lib. cit. & sumitur ex c. Quinta vallis, vbi Glos. ver. exhæredaret, de iureiurando &c. cùm intellecto, de homicid. Quia in generali promissione non veniunt ea, quæ quis similiter in specie non promisisset, aut promittere non potuisset.

Assertio II. In omni iuramento promissorio, quamuis absolutè facto, tacitæ conditiones quædam continētur, sicut docet Gl. & Abb. in c. quemadmodum, de iureiur. Syl. ver. iura. 3. q. 1. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 33. Prima conditio *Si potuero*: quia ad impossibile nemo obligatur. Idque sumitur ex c. querelam, c. Q inta vallis, de iureiur. Quòd si vna pars rei promissæ impossibilis sit, altera possibilis maneat; tunc *vtile per inutile non vitiatur*, si vtile ab inutili separari possit, & sine dependentia ab illo promissum fuerat, sicuti docent Doctores in reg. iuris 37. in 6. Vide quæ dicam tract. seq. c. 2. q. 1. 4

Altera conditio. *Saluo iure & auctoritate Superioris*, si is iuramentum sibi præiudicans irritare, aut ob causam iustam in eo dispensare, vel relaxare velit. Sumitur ex c. venientes, c. ad nostram, 3. de iureiur. &c. non est, de voto: *Non est voti dicendus transgressor, qui, quod vouit, auctoritate sedis Apostolicæ distulit adimplere*. Est enim eadem ratio de iuramento. Adde quod Abb. in cap. vlt. numero 10. de eccles. ædific. respondit, si Prælatus inferior iurauit se non alienaturum bona Ecclesiæ, sine licentia Episcopi; etiam Legatum à latere talem licentiam dare posse: quia, spectato communi iure, intra terminos prouinciæ concurrit cum Episcopo in iurisdictione.

Tertia conditio. *Nisi is, in cuius gratiam, & vtilitatem iuratum est obligationem remittat*; seu expressè, seu tacitè, puta si filia, posteaquam hæreditati paternæ iuramento renuntiauit, à patre hæres instituatur, tum sine alia iuramenti relaxatione hæreditatem capere poterit.

Verùm circa hanc conditionem distinctio adhibenda est: Nam interdum promissorium iuramentum fit quidem, saltem secundariò, in gratiam alicuius hominis, qui talem obligationem expetit; sed non directè in eius vtilitatem: videlicet si alicui iuramento promittas, te Religionem ingressurum, aliúdue opus pietatis facturum. Et hoc casu inquit S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. *ille, cui promittitur, non potest absoluere promittentem; quia promissio non est facta ei principaliter; sed Deo*. Interdum verò promissorium iuramentum principaliter fit homini, siue in vtilitatem hominis; v. g. si sponsalia iurata contrahas cum Titia, aut si, Titia etiam nesciente, & non acceptante, iures te non aliam ducturum nisi ipsam; tunc consentiunt Doctores, quòd homine remittente obligationem, cesset obligatio iuramenti. Qua ratione in congressu v. g. si quis iuret, se alterum non antecessurum, intelligitur, nisi ille honorem talem respuat, vel remittat, vti notauit Tol. libro 4. cap. 22. §. tertius casus. Denique interdum promissorium iuramentum principaliter fit Deo, siue ob honorem Dei, de præstando aliquo opere charitatis, vel misericordiæ erga certum hominem: v. g. si votum iuratum edas, te Titiæ pauperi dotem daturum, vel eam in vxorem ducturum; tunc certum quidem est, te iuramento absolui, si persona illa cui benefacturum te iurasti beneficium respuat, siue recipere nolit. Sed controuersum est, si beneficium non respuat tanquam sibi non acceptum; nolit tamen iurantem ad id obligari, sed in gratiam eius obligationem remittat, vtrum sufficiat hoc ad iuramenti relaxationem?

Negant Abb. in c. 2. num. vlt. de sponsal. Angel. ver. sponsalia, num. vlt. Syluest. quæst. 10. Sotus lib. 8. q. 1. art. 9. ad 2. Azor cit. lib. 11 capite 9. quæstione 11. Suarez lib. 2. de iuramento cap. 39. Affirmat verò Nauar. cap. 22. numero 25. Henriq. lib. 11. cap. 14. numero 6. Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 52. num. 6. quæ sententia probabilis est. Nam Deus acceptat eiusmodi votum, ac iuramentum in ordine ad hominem, in cuius vtilitatem cedit: quare si hominis voluntati satisfactum sit, etiam obligationi erga Deum satisfactum censetur. Confirmatur. Si Deo voui, me huic pauperi eleemosynam daturum, is datam mihi iterum donare potest: ergo etiam non datam, quasi per acceptationem, sponte remittere & condonare, si id mihi gratum sit. Nihilominus prior sententia mihi magis placet. Quia Deus eiusmodi promissionem sibi factam, non tantùm acceptat ob vtilitatem hominis; sed etiam ob proprium honorem & cultum. Quare licet per remissionem, siue condonationem illam satisfactum sit homini; non tamen omnino satisfactum est Deo: quando opus misericordiæ piè & laudabiliter ob Dei honorem præstari potest, homine illud acceptante, licet non exigente; sed obligationem, quatenus potest ex sua parte, remittente. Ad confirmationem respondetur, cùm eleemosyna semel absolutè data est pauperi, votum siue iuramentum expletum esse, quocum non pugnat, quominus postea danti iterum à paupere donari possit.

Quarta conditio est: *Si res in eodem statu permanserint siue notabiliter mutatæ non fuerint.* Sumitur ex c. veniens, & c. breui, ibi, *nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit Ecclesiæ subuenire*, &c. quemadmodum, de iure iurando. Ratio est: Quia notabilis mutatio quasi aliud obiectum facit; ad quod, verisimili præsumptione, iurantis & promittentis intentio se non extendebat, sicuti explicat Sanchez l. 4. moral. c. 2. n. 22. & videri potest Molina to. 2. disp. 272. §. Tertium. Exempla sunt: I. in cit. c. quemadmodum; Sponsus post sponsalia etiam iurata, resilire potest propter subsequentem fornicationem, aut grauem deformitatem sponsæ. II. Promissio gratuita, quamuis iurata sit, reuocari potest ob superuenientem ingratitudinem promissarii, sicuti ex communi docet Sanchez n. 32. III. Qui cum inimico suo pacem iuratus iniit, non obligatur iuramento, si noua illum offendendi causa superueniat: vt si ille iterum iniuriam inferat; vel publico edicto proscribatur, data omnibus eum occidendi potestate, sicuti docet Syl ver. iuramentum, 3. quæst. 1. casu tertio, Abb. in c. 2. de renunt. n. 10. vbi generalem regulam tradit; Iuramentum renuntiantis iuri suo, interpretandum esse secùdùm rei statum, & causam tunc subsistentem; non item si noua causa superueniat: excepto, si iurans intenderit renuntiare iuri ex noua etiam causa acquirendo. Quæ regula sumitur ex cit. c. 2. in quo habetur; Eum, qui beneficio iuratus renuntiauit, posse nihilominus illud petere, & obtinere, si post iuramētum denuo ad id eligatur, vel instituatur. Ex quo infert ibid. Abb. n. 11. Quòd iurans se non accepturum Doctoratum, nisi in Academia, in qua licentiam accipit; non prohibeatur ex alia licentia, in alia Academia post examen concessa, ibidem Doctoratum petere.

His verò addendum est; Quòd iuramentum assumit, seu potiùs retinet naturam, & conditiones promissionis, aut contractus cui adijcitur, sicuti docent DD, in l. vlt. Cod. de non numerata pecunia, Couar. c. quamuis, p. 1. §. 4. n. 4. Ratio est, quia iuramentum adiectum promissioni, aut contractui, non auget eius obligationem extensiuè, cùm circa idem obiectum versetur; sed auget obligationem intensiuè, quia intra limites obiecti nouam obligationem ex religionis virtute superaddit. Exempla huius doctrinæ sunt: I. Sicuti promissio interdum conditionē tacitè adiectam habet, nisi notabilis postea mutatio superueniat; ita etiam iuramentum, seu promissio iurata, vt paulò ante dictum fuit.

II. Iuramentum fideiussoris secum trahit exceptionem, quæ fideiussioni competit, vt priùs principalis debitor conueniatur & excutiatur, sicuti docet Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 4. num. 8. Et iuramentum non expellendi conductorem tacitam conditionem habet, nisi is biennio pensionem soluere intermiserit, teste Syl. cit. quæst. 1. casu 18. Armilla ver. iurament. nu. 24. Sanchez lib. 3. c. 17. n. 14.

III. Qui iurauit se debitum soluturum, is potest ob iustam causam compensatione vti cum alio simili, cóque liquido debito, sicuti docent Bartolus in l. ampliùs ff. rem ratam haberi, Syluest. ver. iuramentum, 3. quæst. 6. Couar. c. quamuis, par. 1. §. 4. num. 17. Molin. tom. 2. disput. 560. §. contrariam, Azor. lib. 11. cap. 8. quæst. 10. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 37. Sanchez cit. cap. 17. num. 15. Cùm enim debitor ad soluendum obligatus, quibusdam casibus compensatione vti possit (eò quòd compensatio sit quædam æquiualens solutio, & satisfactio) sequitur, quòd tali compensationis iure non priuetur per iuramenti accessionem: quia, vt rectè docet Couar. cit. §. 4. num. 4. & generalis regula tradi potest; Iuramentum adiectum promissioni, non auget eius obligationem extensiuè, sed intensiuè: quia illi inter limites suos permanenti superaddit nouū religionis vinculum.

Neque his obstat, quod Canonistæ obiiciunt c. nostram, 1. de iureiur. apud Abb. nu. 3. vbi debitor, qui iurauit nullum grauamen in re pignerata creditori se illaturum, donec debitum soluerit, non potest fructus in sortem computare via compensationis; sed debitum integre soluere cogitur, & postea rem pigneratam cum fructibus repetere ei conceditur. Nam respondetur, in illo casu debitorem visum fuisse iurasse, quòd neque in pignore, neque in eius fructibus vllum grauamen inferre vellet, donec pecuniam mutuò acceptam solueret; ideóque iuri compensationis renuntiare voluisse. Quare mirum non est, quòd iuramentum in eo casu seruandum fuerit in forma solutionis omnino specifica; quia cum tali restrictione iurata promissio facta fuerat.

IV. Si iuramentum reciprocæ promissioni, vel contractui accedat, eam tacitā conditionem habet, si alter quoque promissis suis steterit, sicuti habetur in c. peruenit, de iureiur. Quia *non seruanti fidem, fides seruanda non est*, ait Gl. in l. proponas, 2. Cod. de pactis. Idque non improbabiliter extendit Sanchez ad casum, quo duo vicissim inter se promissiones faciant, non per modum contractus onerosi, ac reciproci; sed gratuitas, easque iuramento confirment: v. g. Titius hodie iuratus promittit equū mihi donaturum; ego verò alio tempore absolutè ei promitto obsequium aliquod præstaturum; tunc si ille fidē non seruet, neque ego promissionem seruare cogor. Quia accidit notabilis mutatio, ob ingratitudinem promissarii, qui fidem erga me violando, indignū se præbet, cui ego fidem seruem, vti etiam Molina notauit, to. 2. disp. 272. §. dubium est: licet contrarium doceat Abb. in cit. c. peruenit, Syl. ver. iuram. 4. q. 13. Nau. c. 18. n. 7.

Cæterùm, si duo mutuo consensu voueant, vel iurēt, quod principaliter cedit ad cultum Dei, v. g. coniuges coniugalem continentiā, vel duo socii Religionis ingressum, tunc vno eorum violante, alter nihilominus obligatus manet, sicuti colligitur ex c. quod Deo, 23. q. 5. & notat Syluest. cit. q. 13. Sanchez l. 3. c. 15. n. 8. vbi rectè id limitat, nisi sub conditione expressa, vel tacita voueat quis, vel iuret, se Religionem v. g. ingressurum, & alter ingrediatur.

Cap. X.

VTRVM OBLIGATIO IVRAMENTI personalis sit; & num actio inde oriatur, atque ad hæredes transeat?

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum per procuratorem fieri potest; sed requiritur mandatum speciale, in causa speciali.*
2 *Ex iuramento confirmatorio promissionis acceptata in externo foro actio conceditur; secus si sit iuramentum per se stans,*
3 *Obligatio, qua est iuramenti propria ex religionis virtute, omnino personalis est,*
4 *Si iuramentum non sit propriè promissorium, sed per se stans, tunc nulla omnino ex eo obligatio ad hæredem iurantis transit.*
5 *Obligatio iuramenti propriè promissorij transit ad hæredes, aut successores eius, cui iuratum est.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Vtrum iuramentum per procuratorem fieri possit? Responsio est affirmatiua, ex omnium Doctorum sententia, si procurator habeat speciale mandatum iurandi in speciali causa, idque habetur in c.vlt.de iuram. calumniæ, in 6. c.vn.§ verùm, de statu Regul. in 6. *Nam potest qui per alium, quod potest facere per seipsum*, reg 68. in 6. vbi id notat Gl. ver. potest; sumpto argumento ex matrimonii contractu, qui licet maximè personalem obligationem contineat, tamen per procuratorem celebrari potest, iuxta c. vlt.de Procurat. in 6. Confirmatur, sicuti obligat iuramentum per epistolam, siue scripturam iurantis subscriptione munitam, iuxta c. optatum, d. 100. Item per nuntium, siue ministrum deferentem iurantis intentionem, & obligationem, c.metuentes, 17. quæst. 4. ita etiam obligabit iuramentum per procuratorem; quia licet is vtatur prima verbi persona *Iuro*, tamen id agit ministraliter, tanquam alienam personam repræsentans, quæ principaliter censetur iurare, & obligari, sicuti docet Caiet. 2.2. q. 98. a. 2. ad 4. Suarez lib. 2. de iuram. c. 31. num. 4. post Gl. in cit. c. metuentes, ver. de præsenti, vbi ait, quod procurator in animam Domini iuret; Syndicus autem, seu administrator in animam propriam, iuxta c. in pertractandis, iun. Gl. ibidem de iuramento calumniæ.

Ex quo sequitur, si iuramento procuratoris falsitas subsit, principalem ipsum, cuius mandato, & in cuius animam alter iurauit, periurum esse. Quamuis si procurator quoque conscius doli fuit, & periurii cooperator, eodem crimine, & pœna tenebitur, iuxta c. 1. de officio delegati; *Agentes & consentientes pari pœna (scripturæ testimonio) puniuntur*; iun. Gl. ver. pari pœna, & docet Syl. ver. periurium q. 3.

Cæterum tradita doctrina, quòd iuramentum per alium præstari possit, intelligi debet; dummodo actus, cui iuramentum apponitur, per alium geri possit: cuiusmodi sunt pacta, contractus, & fœdera. Tunc enim, tametsi lex proprium alicuius iuramentum promissorium exigat, v. g. iuramentum fidelitatis à vasallo; posse tamen per alium cum speciali mandato præstari, si vel dominus consentiat, vel vasallus iustè impeditus sit, colligitur ex c. vn. §. verùm, de statu Regul. in 6. & docet Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 5. n. 19. Azor lib. 11. cap. 7. q. vlt. Suarez cit. c. 31. n. 7. Sanchez lib. 3. c. 13. n. 22 Clarus lib 4. sentent. §. feudum, q. 49. n. 13. Gaill. lib. 1. obseruat. 83. n. 5. Sin autem actus iure per alium geri nequeat, tum neque iuramento per alium præstito confirmari potest; v.g. testimonium iudiciale, sicuti colligitur ex c. 2. de testibus, & docent DD. in c. licet, 2. eod. Couar. Suarez, Sanchez ll. cc.

2 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum ex iuramento promissorio, in hominis vtilitatem edito, actio oriatur? Resp. & dico I. Si iuramentum sit confirmatorium promissionis ab altero acceptatæ actio in externo foro tam ciuili, quam canonico conceditur. Ita Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 2. n. 8. & p. 2. §. 4. prope finem. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 25. n. 7. Ratio est: Quia hoc casu iuramentum non tantùm inducit obligationem religionis erga Deum; sed etiam firmat obligationem naturalem fidelitatis, ac iustitiæ erga hominem; quippe quam ius tam ciuile, quàm canonicum acceptat & ad eius executionem compellit ob reuerentiam iuramenti. Sic ex contractu puberis sine tutoris auctoritate inito; item ex pacto, sine promissione simplici, si iuramentum accesserit, ciuili iure actio conceditur, quæ alioquin non concederetur. Quòd si verò contractus per seipsum ciuilem obligationem actionemque gignit, v. g. emptio & venditio inter maiores natu celebratus; tunc multò magis talem obligandi vim habet, si iuramentum accesserit.

Dico II. Si iuramentum non sit confirmatorium promissionis, sed per se stans; ideoque solùm obligans ex virtute religionis erga Deum; eo casu nullam propriè actionem parit: vt si quis iurauit se ecclesiam ædificaturum, eleemosynam daturum, nemine promissionem acceptante. Ita docet Suarez lib. 2. cap. 29. n. 23. Vasq. tr. de testam. cap. 3. n. 34. licet aliter sentire videatur Mol. disp. 150. & disp. 151. §. saluo. Probatur; Actio est ius persequēdi in iudicio, quod sibi debetur, §. 1. Instit. de action. Sed in iuramento per se stante, nulla est obligatio siue debitum ex iustitia, sed tantùm ex virtute religionis erga Deum. Ergo non est locus propriè dictæ actioni. Nihilominus in foro externo Ecclesiastico, talis iurans Iudicis officio compellitur ad seruandum iuram. quod Iudicis officium is, in cuius vtilitatem iuratum fuit, eiúsque etiam hæres implorare poterit.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum obligatio iuramenti promissorii ad hæredes transeat? Respondeo, & dico I. Obligatio iuramenti propria ex virtute religionis omnino personalis est, solùmque iurantem efficit, & ad hæredem, siue successorem eius non transit. Ita S. Th. 2. 2. q. 98. a. 2. ad 4. Caiet. ibid. Sotus lib. 8. q. 2. a. 2. ad 4. Abb. in c. veritatis, n. 3. de iureiur. Gutierez in auth. sacramenta puberum, n. 20. C. si aduersus vēditionem Syl. ver. iuramentum 4. q. 3. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 27. Mol. cit. disp. 150. Sanchez lib. 3. cap. 13. Ex quo infertur I. Si pars maior alicuius Communitatis, v. g. Capituli, iuramento se obstrinxit ad aliquid præstandum, quibusdam contradicentibus, vel non consentientibus, hi non obligantur ex vi iuramenti, & sub periurii reatu; sed interdum ex vi pacti, legis, aut consuetudinis: eò quòd minor pars Collegii partis maioris suffragia, aut conuentionem sequi teneatur.

II. Etsi quis pro se, & successoribus suis iurauerit, non obligantur tamen successores ex vi iuramenti; sed tantùm ex vi pacti, si nulla turpitudo interuenit ex parte iuratam promissionem exigentis.

III. Si Rex, Episcopus, Canonicus &c. ad suum officium admittantur, sine præstito iuramento, non obligantur ad seruanda iuramenta, quæ antecessores ediderunt, sub religionis virtute; licet interdum teneantur vinculo statuti, aut pacti.

IV. Hæres vasalli, cùm inuestitur, nouum fidelitatis iuramentum præstare cogitur; quia ex antecessorum suorum homagio non obligaretur, sicuti docent DD. communiter in cit c. veritatis, Syl. ver. iuramentum, 4. quæst. 3.

Dico II. Si iuramentum non sit confirmatorium promissionis, sed per se stans, nulla omnino ex eo obligatio ad hæredem transit: propterea quòd huiusmodi iuramentum vnam simplicem religionis obligatio-

nem continet, quæ purè personalis est: vt si quis iurauit se vsuras soluturum, pecunias latroni daturum, vel solutas non repetiturum. Constat ex doctrina Couar c. quamuis, p. 1. §. 2. num. 8. & docet Molina cit. disp. 150. Sanchez cit. cap. 13. num. 3. & 5. Simili ferme ratione dicendum; si aliquis sine vlla promissione homini, aut Deo facta, nudè ac simpliciter iurauerit, se ecclesiam ædificaturum, vel puellæ dotem daturum, non obligari hæredem ad iuramenta præstanda: quia obligatio iuramenti propria cum auctore suo extinguitur. Sin verò defunctus promissionem homini factam, & acceptatam, aut votum Deo editum iuramento firmârit, tunc quia duplicem obligationem contraxit religionis, ac iustitiæ, extincta per mortem eius obligatione priore, posterior ad hæredem transit; quippe qui omnia onera, seu obligationes reales secundùm vires hæreditatis aditæ in se suscipit. qua de re Suarez lib. 2. cap. 25. num. 8. & 9. & cap. 31. num. 13. Gutierez in cit. auth. num. 15.

Veruntamen probabiliter dicitur, cum Abb. in c. cùm contingat, num. 8. de iureiur. Gutierez num. 16. Si iuramentum per se stans in alicuius gratiam editum fuerit sine turpitudine recipientis; hæredem iurantis conueniri posse, non quidem actione directa contra eum instituta; sed implorando Ecclesiastici Iudicis officium, vt compellat hæredem reali iuramento satisfacere, ad exonerandam defuncti conscientiam, arg. c. à nobis, in fine, de sentent. excom. vbi id docet Gl. ver. hæredes, & Abbas l. c. ait: *Licet iuramentum non transeat ad hæredes, seruare tamen tenentur, ne lædant animam defuncti.* Neque aliud docuisse videtur Mol. cit disp. 150. §. Et verò hoc discrimen.

5 Dico III. Obligatio iuramenti propriè promissorii transit ad hæredes, aut successores eius, cui iuratum est. Ita docent DD. in c. veritatis. vbi Abbas num. 3. de iureiur. Angelus ver. Iuramentum, 5. num. 40. Syl. ver. eod. 4. quæst. 3. Couarru. c. quamuis pactum, p. 1. §. 7. num. 7. aliique communiter. Idque probatur partim ex l. si pactum, ff. de probationibus, in qua habetur, pactum siue promissionem tibi factam, ad hæredem quoque extendi, licet expressum non fuerit: *quia plerũque tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cauemus*: iuramentum autem suscipit naturam, & conditiones promissionis, cui apponitur: partim verò ex cit. c. veritatis, in quo habetur; Vasallum, qui iurauit Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandem etiam sine nouo iuramento debere successoribus; quamuis eorum expressa mentio facta non fuerit, sicuti contra Gl. ibid. docet Abbas num 2. Sed intelligi id debet, si iuramentum præstitum est Prælato, vt Prælatus est, siue ratione officii ac dignitatis suæ; v. g. promitto, & iuro obedientiam Regi, Episcopo. Quanquam id non tam ex verbis, quibus persona ipsa, vel dignitas seu officium eius nominatum est; sed potiùs ex materia subiecta cognoscendum: num videlicet promissum sit aliquid, quod ad publicum officium; an verò quod ad priuatam personam pertinet, sicuti docet Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 27. num. 3. & 3. moral. cap. 13. num. 8. Interdum tamen nihil obstante, quòd iuramentum alicui præstitum ratione dignitatis, eo mortuo, vel deposito, ad eiusdem successores pertinere possit; præcipitur renouatio iuramenti ob maiorem solemnitatem, ac securitatem, sicuti notatur in c. longinquitate, 12. quæst. 2.

Atque ex his intelligitur commune dictum Doctorum; Iuramentum ex parte iurantis personale est; sed respectu eius cui iuratur, reale, id est, transitorium cum re, puta dignitate, hæreditate, sicuti explicat Abb. cit. cap. veritatis, num. 3. Couar. in cit, p. 1. §. 5. num. 7.

CAP. XI.

DE PROMISSORII IVRAMENTI irritatione, dispensatione, relaxatione, commutatione.

SVMMARIVM.

1 *Sicuti vota, ita & iuramenta, per dominatiuam potestatem irrita reddi possunt.*

2 *Iuramentum etiam homini præstitum, irritari potest, si versetur circa materiam alterius dispositioni subiectam; aut circa promissionem, quæ dominatiuæ potestati patris, tutoris, Prælati, mariti &c. subdita est.*

Summus Pontifex arbitratu suo irritare potest omnia iuramenta à Clericis edita circa beneficia Ecclesiastica: cùm in iis plenissimam potestatem habeat.

3 *Quicunque habet potestatem dispensandi, aut commutandi vota, potest tali facultate vti, tametsi vota iurata sint.*

4 *Vota, & iuramenta pia æquiparantur. Quare sicuti vota, ita & iuramenta quinque Sum. Pontifici reseruata censeri debent.*

Iuramenta continentiæ perpetuæ, Religionis, alteriúsue materiæ reseruatæ, si pœnalia, aut conditionata sint: perinde vt vota eiusdem conditionis, ab Episcopo relaxari possunt.

5 *Iuramentum promissorium erga hominem ordinariè relaxari non potest, absque consensu eius, cui præstitum est.*

6 *Iuramentum in hominis vtilitatem principaliter editum, si non est propriè confirmatorium promissionis, sed per se stans, episcopali, vel quasi episcopali auctoritate relaxari potest.*

7 *Priuilegia dispensandi, aut commutandi vota, & iuramenta dari solent sine præiudicio tertii. quod intelligitur, postquàm illi per acceptationem ius acquisitum est.*

8 *Qui habent priuilegium dispensandi, vel commutandi vota, possunt etiam commutare iuramenta pia, quæ sine promissione in Dei honorem principaliter concepta sunt: non autem possunt, vi eius priuilegii, relaxare iuramenta directè in hominis vtilitatem edita, quamuis acceptata non fuerint.*

9 *Directa relaxatio iuramentorum, quæ fit per modum absolutionis, aut dispensationis, ad Ecclesiasticos tantùm Prælatos pertinet; indirecta verò etiam laicæ potestati competere potest.*

10 *Causa iuramenti per se spiritualis est: si tamen super contractu inter laicos interpositum est, ad eius obseruationem cùm Ecclesiasticus, tùm laicus Iudex compellere potest.*

CIRCA iuramenti irritationem (vti vocant) sciendum est; Quòd personæ, quæ alterius potestati subiectæ sunt, vota, & iuramenta edere non possunt, nisi cum dependentia à voluntate eorum, quibus subsunt, ita vt ea irrita reddere possint, quatenus ipsis præiudicant. Est autem duplex talis dependentia, Vna per se, si ipsamet hominis voluntas alienæ potestati subiecta sit, vti accidit in Religioso, & impubere. Altera per accidens, siue ratione materiæ, circa quam votum, seu iuramentum versatur: vt si vxor voueat, vel iuret, se peregrinaturam cum præiudicio mariti sui; Clericus cum præiudicio Episcopi sui. Vide quæ latiùs dicam tract. seq. cap. 7.

1 Nunc dico I. Sicuti vota, ita & iuramenta per dominatiuam potestatem irrita reddi possunt, non solùm per accidens, seu ratione materiæ promissæ aut iuratæ, quæ alterius potestati subiecta sit: sed etiam per se & simpliciter dicta irritatione, si voluntas vouentis, aut iurantis, & consequenter obligatio, quam sibi vterque, ille per fidem Deo datam, iste per diuini testimonii inuocationem imponunt, alterius potestati subiecta sit: sicut in Religioso, & impubere accidit. Ita colligitur ex c. 30. Numer. & docet expressè S. Th. 2. 2. q. 89. a. 9. ad 3. & sequitur S. Anton. p. 2. tit. 10. c. 6. §. 2. Syl. ver. iuramentum, 3. q. 7. Tolet lib. 4. cap. 23. Sotus lib. 8. q. 1. a. 9. Sa ver. iuramentum, num. 31. Sanchez lib. 3. moral. c. 9. n. 1. contra Valent. to. 3. disp. 6. q. 7. p. 4. §. Quartum.

Dico II. Iuramentum promissorium soli Deo præstitum de opere aliquo meliore, per dominatiuam po-

testatem patris, Prælati, domini, mariti &c. similiter irritari potest, sicuti de voto dicturus sum, tract. seq. c. 7. Sumitur ex c. 30. Numer. & docent DD. citati, & alii communiter apud Sanchez lib. 3. c. 19. n. 2. Probatur: Iuramentum promissorium Deo factum aliud non est, quàm votum iuratum. Iuramentum autem accedēs promissioni seu voto, assumit naturam & conditiones eius, c. quemadmodum de iureiur. Ergo perinde ac votum tacita ea conditione fit, saluo iure Superioris, irritandi potestate præditi.

Dico III. Iuramentum etiam homini præstitum, irritum reddi potest, si versetur circa materiam, quæ liberæ alterius dispositioni subiecta est, aut si versetur circa promissionem, vel contractum, qui dominatiua potestate Prælati, patris, domini, tutoris infirmari potest. Ita colligitur ex S. Th. cit. a. 9. ad 3. Prior pars sumitur ex c. venientes, de iureiurando, vbi dicitur, Quòd in iuramento intelligitur ius Superioris exceptum: vt proinde iuramenta in cuiuscunque gratiam edita, per auctoritatem Papæ, Episcopi alteriúsue potestatis, etiam laicæ, irritari queant, si sint circa materiam eius dispositioni subiectam: sicuti notat Abb. in cit. c. venientes, n. 2. & in c. constitutus, n. 8. de rescript. Quamobrem Sum. Pontifex suo arbitratu irrita reddere potest omnia iuramenta edita circa beneficia Ecclesiastica distribuenda, augenda, minuenda, quippe in quibus plenissimam potestatem noscitur habere, cap 2. de præbend. in 6. Item iuramentum non accipiendi Doctoratum, nisi in Academia, vbi licentia data fuit, teste Caiet. cit. q. 89. a. 9. ad 3. Sanch. lib. 3. c. 20. n. 1. Episcopus quoque ea Clericorum iuramenta, quæ versantur circa res suæ dispositioni subiectas, liberè rescindere potest: v. g. si Clericus iurauit, se vestes sacras commodaturum, aut loco non discessurum, donec debita soluerit: non enim ob id derogatur iuri Episcopi, quominus ob iustā causam eum ad se reuocare possit: Excepto, si debita in aliquo loco, cum Episcopi consensu expresso, aut præsumpto contraxit; puta si eum ad Academiam studiorum causa miserat; sicuti docet Abb. in cit. c. venientes, num. 3.

2 Similiter etiam ciuilis potestas irritare interdum potest iuramenta suorum subditorum: vt, si non obstante alicuius iuramento, cogat eum ad acceptandum magistratum, iuxta l. vlt. ff. de Municipal. vel actionem iuramento promissam; puta longam peregrinationem, immodicam donationem ob iustam causam prohibeat. qua de re dicam infrà hoc cap. n. 9.

Altera pars assertionis, Quod Prælatus, pater, tutor, dominus, maritus, iuramenta promissoria erga hominem irritare possit, quotiescunque ipsam promissionem seu contractum confirmare eisdem concessum est, traditur à Soto cit. lib. 8. q. 1. a. 9. Suarez lib. 2. c. 38. n. 9. Sanchez lib. 3. cap. 20. n. 3. Ratio est: Quia, vt suprà dixi, iuramentum recipit naturam & conditiones actus, qui apponitur. Quapropter ordinis prelatus omnes promissiones iuratas suorum Regularium, sine consensu suo factas irritare potest, sicuti docet Sanchez cit n. 3. Itemque pater, ac tutor omnia pacta iurata impuberis: cùm ob ætatis imbecillitatem, etiam eius voluntas & obligationes alienæ potestati subiectæ sint. Quamobrem in Auth. Friderici Imperatoris dicitur, *sacramenta puberum inuiolabiliter custodienda esse.* quo indicatur, aliam esse rationem impuberum. Idque ex probabiliore docet Couar. c. quamuis, p. 3. §. 1. n. 5. Gomez. resol. cap. 14. n. 18. Suarez lib. 2. cap. 38. n. 12. Less. lib. 2. cap. 42. n. 61. contra Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 38. n. 17. Dominus verò promissiones iuratas serui; & maritus vxoris eatenus tantùm infirmandi ius habent quatenus in ipsorum præiudicium cedunt.

Circa dispensationem, & relaxationem iuramentorum, sciendum est; has voces ferme ita vsurpari, vt dispensatio fieri dicatur in iuramentis, quæ Deo, seu principaliter in honorem Dei concepta sunt: relaxatio verò fit iuramentorum, quæ homini, siue directè in hominis, vel Communitatis vtilitatem edita sunt. Quo posito dico I. Quicunque habet potestatem ordinariam, 3
vel delegatam dispensandi in votis, potest in iisdem dispensare; etiamsi iurata sint; imò etiam in iuramentis absolute factis, nullamque promissionem continentibus; modò non versentur circa materiam Papæ reseruatam, & eadem ratio est de commutatione.

Hæc assertio tres in se partes complectitur; quarum prima difficultatem non habet, quod attinet ad ordinariam dispensandi potestatem, quæ competit Episcopis, vel similem iurisdictionem obtinentibus. De habentibus verò delegatam potestatem, seu priuilegium dispensandi in omnibus votis, quòd possint etiam in iuratis dispensare, probabiliter docent Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. n. 21. Suarez lib. 6. de voto, cap. 14. n. n. 14. contra Henriq. lib. 7. de Indul. cap. 30. num. 5. Azor lib. 11. cap. 10. quæst. 2. & c. 19. quæst. 19. Rodriq. to. 1. regul. qq. q. 63. a. 5. Sa ver. votum, vbi de dispens. & irritat. n. 16. Probatur. Nam votum, sicuti & quæuis alia promissio, licet iurata sit, retinet tamen naturam suam: quare, nihil obstante iuramento, remittere eam potest vel ipse, cui promissio facta est; vel alius nomine eius, tali potestate præditus: hoc ipsum autem in dispensatione accidit, in qua Prælatus Ecclesiæ, vel qui ab eodem potestatem habet, vice Dei, ob iustam causam, voti obligationem remittit, vel in aliud commutat. Tali autem promissoriæ obligationis remissione facta corruit etiam obligatio iuramenti; quippe quod est accessorium, & confirmatorium promissionis: iurat enim aliquis se fidem promissionis Deo seruaturum; consequenter, si fide, siue obligatione promissionis legitimè liberetur, non obligatur deinde accessorio iuramento. Nihilominus ob maiorem securitatem, ac certitudinem, Priuilegium à Paulo III. Societati nostræ concessum est commutandi omnia vota, summo Pontifici non reseruata; quod Greg. XIII. extendit ad vota etiam iurata, vti videre est in Compend. priuileg. ver. commutatio §. 1.

Altera etiam pars assertionis nullam difficultatem habet quòd attinet ad Ecclesiæ Prælatos, qui vti in votis, 4
ita & in iuramentis piis ordinariam dispensandi potestatem habent. Quod vero attinet ad delegatam potestatem, valde probabilis est sententia Caiet. 2. 2. q. 89. a. 9. Henriq. l. c. Viualdi p. 3. Candelab. c. 14. n. 8. Rodriq. to. 1. sum. cap. 102. concl. 10. Sanchez cit. disp. 2, num. 18. Suarez cit. cap. 14. n. 6. contra Nau. cap. 27. num. 275. Sa ver. iuramentum, num. 32. Azor lib. 11. c. 10. q. 2. Quibuscunque priuilegium datum est dispensandi vel commutādi vota, censeri etiā datū priuilegium dispensandi, & cōmutandi iuramēta pia, absolutè edita. Ratio est: Quia votum & iuramentum pium in iure & apud Doctores æquiparantur; eò quòd ambo ferme similem erga solum Deum ex religionis virtute obligationem contineant, ideoque dispositum de vno censeri etiam debeat dispositum de altero, iuxta regulam Gl. c. si postquam, ver. prouisione, de elect. in 6. Abb. cap. 2. de mutuis petit. n. 10. Confirmatur. Nam ob hanc causam mox dicam, communiorem, & in praxi magis receptam esse sententiam; Quod Papalis reseruatio votorum extendatur etiam ad reseruationem piorum iuramentorum circa easdem materias: Ergo multò magis priuilegium, siue delegata potestas dispensandi in votis aut illa commutandi, extendenda etiam est ad iuramenta pia: siquidem hæc extensio fauorabilis; illa odiosa exist.

Tertia igitur pars assertionis, quòd non tantùm quinque vota, de quibus dicam tract. seq. cap. 8. num. 5. &

sed pari ratione etiam iuramenta pia, quæ circa easdem materias versantur, per generalem consuetudinem Sum. Pontifici reseruata sint; ideóque in generali concessione seu priuilegio dispensandi, aut commutandi iuramenta, nisi specialiter exprimantur, comprehensa non censeantur, est communior Doctorum sententia Caiet. 2. 2. quæst. 89. a. 9. ibid. Arragon. assert. 4. Tolet lib. 4. cap. 23. Valent to. 3. disp. 6. quæst. 7. p. 4. §. notandum est, Azor to. 1. lib. 11. cap. 10. quæst. 3. contra Tabienam, ver. iurare, num. 32. Nau. lib. 2. consil. 1. de iureiur. edit. 2. qui eandem probabilem censet, & sequitur Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 13. & lib. 3. moral. cap. 19. num. 7. & alii apud eundem, existimantes nullum iuramentum absolutè editum Papæ reseruatum esse: Quia à diuerso, inquiunt ad diuersum non fit bona illatio; præsertim à maiore ad minus, & in materia odiosa, qualis est reseruatio Papalis. Atqui voti & iuramenti vincula siue obligationes, & consequenter earundem reseruationes diuersæ rationis sunt; imò maior, & grauior est obligatio voti, quàm iuramenti promissorii, vt plerique docent cum S. Th. 2. 2. quæst. 89. a. 8. consequenter maior est ratio, cur vota quædam Papa sibi reseruet, quàm iuramenta. Ergo ex Papali quorundam votorum reseruatione non rectè infertur reseruatio iuramentorum, circa easdem materias.

Hæc sententia, eiúsque fundamentũ subsistere posset nisi Ecclesiæ consuetudo, & æquiparatio illa iuris, de qua suprà dictum, obstare videretur. Sed etsi ponamus, probabilem esse sententiam, si loquamur de ordinaria Episcoporum potestate; ea tamen locum habere non potest in potestate delegata per Bullam Iubilæ, vel Religiosorum priuilegia, quippe in quibus per se tantùm conferri solet facultas commutandi vota, exceptis reseruatis: licet ea postea vel expressè, vel interpretatiuè extendi soleat ad iuramenta; sed cum eadem limitatione, id est, vt extensio maneat inter eosdem limites materiæ non reseruatæ, sicuti notauit Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 16. num. 17. & lib. 4. moral. cap. 54. n. 21. Qui tamen hinc excipit iuramenta Religionis, vel alterius materiæ reseruatæ, si pœnalia, vel conditionata sint; quæ perinde, ac vota eiusmodi conditionis, reseruata non esse, contendit. Idque mihi placet; & exemplum habes, si vir, absque intentione promittendi, ex magno erga mulierem affectu iuret, se Religionem ingressurum, si nuptiæ successum non habuerint; in hoc casu tum Episcopi auctoritate, tum etiam per Bullam Iubilei, aut priuilegii dispensari posse videtur: propterea quòd tale iuramentum non tam ex affectu erga Religionem, & Dei cultum; quàm ex affectu erga mulierem conceptum, valde imperfectum voluntarium contineat. Vide, quæ dicam tract. seq. c. 8. vbi de voto pœnali, & conditionato.

Dico II. Iuramentum confirmatorium promissionis erga hominem ordinariè relaxari non potest, sine
5 consensu eius, cui præstitum est. Ita DD. communiter, cum S. Th. cit. quæst. 89. a. 9. ad 3. Ratio est, quam dat Anton. Corneus de absolut. forensi, p. 2. q. 2. ad finem: Quia tali iuramento ius homini acquisitum est: quo proinde, sicuti & aliis bonis, priuari non potest. Vbi discrimen aduertere licet inter votum iuratum, & promissionem iuratam erga hominem: Nam promissio voti Deo fit, qui obligationem remittere censetur, si Ecclesiæ Prælatus iudicet ita expedire ad Salutem vouentis, Deique honorem: tunc verò consequenter soluitur etiam obligatio iuramenti. In iuramento autem promissorio, quod homini fit, ipse homo est creditor, cuius proinde in hac re commodum, atque voluntas spectari debet, eóque inuito obligatio remitti non potest, per se & ordinariè.

Excipiendi autem sunt aliqui casus: I. si commune bonum Ecclesiæ, cui priuatum commodum posthaberi debet, iuramenti relaxationem exigat. Quod maximè pertinere videtur ad supremum Prælatum, Papam, teste S. Th. l. c. quippe qui curam totius Ecclesiæ gerit. Nota autem, quod dicitur *maximè*, quia secundùm proportionem, & qualitatem causæ, interdum etiam ad Episcopum pertinet, relaxare iuramentum, v. g. non denuntiandi, non accusandi, si bonum commune diœcesis suæ aliud postulet, vti notauit Syl. ver. iuramentum, 5. q. 3. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 41. num. 5. & indicat Sanchez lib. 3. c. 21. n. 25. cùm ait, Episcopum posse relaxare iuramentum, si sit perniciosum exemplo.

II. In pœnam criminis ab eo cõmissi, cui iuratum est. Sicuti enim criminosus à Iudice suo pecunia mulctari potest; ita & iure suo, quod ex promissorio iuramento acquisiuit, spoliari. Qua ratione in c. nos sanctorum, & c. iuratos, 15. quæst. 6. absoluuntur ij, qui excommunicatis sacramento fidelitatis obstricti sunt, ne eam obseruare teneantur, donec illi ad satisfactionem veniant.

III. Ratione grauis iniuriæ, quam iurans passus est; puta, quia iniusto metu, seu à promissario, seu ab altera persona ad iurandum adactus est: vel quia dolus, aut enormis læsio in contractum incidit, v. g. emptor vltra dimidium pretii iusti læsus est; tunc petita, & impetrata ab Episcopo iuramenti relaxatione, agi potest ad contractus rescissionem, vel iusti pretii suplementum. Ita sumitur ex c. Abbas, iun. Gl. ver. coactus, de iis quæ vi, & c. verùm de iureiur. & docet Couar. c. quamuis, p. 3. §. 4. Sanchez lib. 3. moral. c. 21. n. 6. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 41. num. 6. & 18. Adde, quòd in his casibus hæres iniuriam passi non indiget relaxatione iuramenti, quippe quod iurantis personam non egreditur; sed recta via agere potest contra recipientem vel actione iniuriarum, vel ad contractus rescissionem, aut pretii supplementum. Qua de re Gaill. lib. 1. obseruat. 27.

IV. Secundum doctrinam S. Th. ci. a. 9. ad tertium, communiter receptam; *Quandoque aliquid iuramento promittitur, de quo dubium est; vtrum sit licitum, an illicitum, proficuum, vel noxium. in illo potest quilibet Episcopus dispensare.*

Dico III. Iuramentum in hominis vtilitatem princi- 6
paliter editum, sed per se stans, & non confirmatorium promissionis, ab Episcopo, aliisque Prælatis similem iurisdictionem habẽtibus, ordinario iure relaxari potest. Quæ est communis doctrina. Cùm enim huiusmodi iuramentis nullum ius acquiratur ei, in cuius gratiam eduntur; ideo sine cuiusquam iniuria, ob causam ad Dei honorem cedentem, à Prælatis relaxari possunt. Porrò cùm talia iuramenta duplicis generis sint; alia, quæ nullam promissionem acceptatam continent, sed absolutè edita sunt: alia, quæ promissionem continent ipso iure irritam, v. g. vsurario vsuras soluendi. De his posterioribus nullum dubium est, eorum relaxationem ad Episcopum pertinere, sicuti docent DD. in cap. 1. & c. debitores, de iureiur. Couarru. 1. var. resolutio cap. 4. num. 5. Suarez cit. cap. 41. num. 12. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 32. num. 15. Circa iuramenta verò prioris generis est aliqua difficultas, quæ simili ratione moueri potest de votis in alicuius gratiam conceptis. Nam ex eiusmodi votis, & iuramentis, quamuis non acceptatis, ille, in cuius gratiam edita sunt, acquirit ius quoddam, saltem Iudicis officium implorandi, quo iurans, vel vouens compellatur ad executionem, arg. l. 2. ff. de pollicitat. & docet Gl. communiter recepta in c. scimus, 12. quæst. 1. Innoc. & Abb. in c. ex parte, de censibus. Ex quo sequi videtur iniuriam inferri, si sine consensu eius, in cuius vtilitatem votum, vel iuramentum editum est, relaxatio fiat, sicuti existimat S. Anton.

p. 2. tit. 11. cap. 1. §. 3. Rosella ver. votum, 5. num. 6. Sarmientus tract. de redit. Ecclesiast. p. 4. n. 4.

Verùm contraria sententia est communior Caiet. in opusc. to. tract. 11. quæst. 3. Nauar. in Apolog. de redit. Ecclesiast. quæst. 1. monito 60. Syl ver. votum, 4. quæst. 7. dicto 4. Sa ver. votum, vbi de dispens. & irritat. num. 14. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 6. num. 16. & lib. 4. moral. cap. 41. num. 6. Suarez to. 2. de relig. lib. 2. de iuram. cap. 41. num. 3. & lib. 5. de voto, cap. 15. num. 5. Iuramenta, & vota in hominis, aut Ecclesiæ vtilitatem edita, nisi acceptentur, minimè producere aliquam iustitiæ obligationem; consequenter neque conferre alteri parti propriè dictum ius, siue actionem. Interim fatemur, quòd Iudex Ecclesiasticus ad obseruationem eiusmodi voti, vel iuramenti hominem compellere debeat; nisi vel ipsemet, vel alius similis, quamuis delegata tantùm potestate præditus: ob iustam causam relaxandum, vel commutandum esse iudicârit.

7 Dico IV. Quod attinet ad potestatem delegatam consideranda sunt verba commissionis vel priuilegii. Plerumque verò additur; vel etsi non addatur, tamen intelligitur, vt voti, vel iuramenti relaxatio, aut commutatio sine præiudicio tertii fiat. Porrò in priuilegiis Societatis nostræ nihil concessum reperitur de relaxatione iuramentorum; sed solùm de commutatione votorum, quamuis iurata sint; attamen sine præiudicio tertii. quod tunc propriè censetur, si votum præstandi aliquid certæ personæ, aut Ecclesiæ, ab eadem acceptatum sit. Sin verò votum, vel iuramentum pium acceptatum n fuerit; potest quidem, absolutè loquendo, à priuilegiato commutari ob causam iustam, v. g. vt indigentiori conferatur; cauendum tamen est, si votum, vel iuramentum aliis innotuerit, ne ex commutatione scandalum, & animorum offensio oriatur; vel officio Ordinarii præiudicetur.

8 Insuper hîc notanda est valde probabilis sententia Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 5. Sanchez lib. 8. disp. 2. num. 18. Coninck to. 2. disp. 33. dub. 2. num. 27. quod dictum priuilegium commutandi vota sine præiudicio personæ tertiæ, extenditur etiam ad iuramenta pia, id est, quæ sine promissione & voto principaliter in Dei honorem edita sunt; quamuis materia circa quam, interdum sit certa persona, vel causa pia: v. g. si iures, te in tali ecclesia altare edificaturum. Ratio est, quia vota & huiusmodi iuramenta maximam inter se similitudinem gerunt, difficilè inter se discernuntur, & in iure omnino æquiparantur, vt latiùs explicat Suar. lib. 6. de voto, ca. 14. nu. 11. vbi hoc ipsum tum auctoritatibus, tum rationibus confirmat; quarum prima est: Quia sicuti vota, ita & iuramenta pia fiunt Deo, id est, principaliter ob cultum & honorem Dei. II. Quia per susceptionem Religionis tam vota, quàm iuramenta pia pariter extinguuntur. III. Quia sub reseruatione quinque votorum censentur etiam comprehendi pia iuramenta, vt suprà dictum. IV. Si consideretur finis, ob quem facultates commutandi vota per priuilegia, Bullas, Iubileum &c. à Papa concedi solent; idem etiam omnino in iuramentis piis locum habet. Quamquam, vt suprà monui, in eiusmodi commutationibus cauendum est scandalum, aut quale quale præiudicium partis, in cuius commodum saltem secundariò & indirectè votum, vel iuramentum pium cessurum esse innotuit, aut innotescet.

Veruntamen dictæ facultates, & priuilegia nullo modo extendenda sunt ad commutationem, vel relaxationem iuramentorum directè in hominis vtilitatem cedentium; licet per ea nullum ius efficax parti acquisitum sit seu ob defectum acceptationis, seu ob interuentum iniuriæ. Quia talia iuramenta nullam cum votis similitudinem, vel iuris æquiparationem obtinent quod docet Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 37. num 17. Nau. cap. 27. num. 275. Sa ver. iuramentum, num. 31. Azor cit. cap. 10. quæst. 2. contra Rodriq. t. 1. sum. cap. 131. num. 4. & cap. 244. num. 4. Quamobrem etiam præced. c. dixi eiusmodi iuramenta homini edita, licet nullum ius & actionem ex iustitia tribuant, non posse tamen propria iurantis auctoritate in melius opus commutari, sicuti possunt vota, & iuramenta pia, quæ votis æquiparantur, licet cum ordine ad certam personam, Ecclesiam, Monasterium &c. edita, sed non acceptata sint, sicuti colligitur ex c. peruenit, 2. de iureiur. & de votis docet Sanchez lib. 4. moral. cap. 41. num 8. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 90. Suarez lib. 6. de voto, cap. 18. num. 11. contra Syl. ver. votum, 4. quæst. 7. dicto 4. Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 5. Ratio verò discriminis est: Quia omnis promissio, & iuramentum relaxari, vel commutari potest cum consensu eius, cui factum est: cùm ergo Deo factum est iuramentum, vel voti promissio, is contentus esse censetur, vt in opus melius, & consequenter ipsi gratius cômutetur. Non item si homini facta sit promissio, vel iuramentum contentus ille esse censetur, vt in aliud opus absolutè quidem melius, sed non ipsi commodius, & acceptius commutetur. Quare qui promisit, vel iurauit, se Caiam ducturum, iuramento suo obstringitur, quominus propositum cœlibatus amplecti possit, sicuti ex communi docet Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 46. num. 4. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 149. §. hinc oritur.

Restat Quæstio. Vtrùm ciuilis etiam potestas iuramenta ob iustam causam, v. g. quia metu, vel per aliam iniuriam extorta sunt, relaxare queat? Negant multi, inter quos Couar. c. quamuis, p. 1. §. 3. num. 22. Rodriq. tom. 1. sum. c. 192. num. 9. Affirmant verò Mol. cit. disp. 149. Mynsinger cent. 3. obseruat. 99. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 25. Sed rectiùs ita distingunt, & Doctores conciliant Suarez lib. 2. de iuram. 9
cap. 41. num. 16. Sanchez lib. 3. cap. 22. num 13. Gutierez in Auth. sacramenta puberum, num. 46. Directa relaxatio vinculi iuramenti, quæ fit per modum dispensationis, vel absolutionis, ad Ecclesiasticos tantùm Prælatos pertinet: cùm sit quædam remissio ex parte Dei facta per eius Ministrum, cuiusmodi potestas omnino Ecclesiastica, & spiritualis est: Indirecta autem iuramenti relaxatio, quæ fit ratione materiæ, vel supplendo vicem eius cui iuratum est, & qui remittere debebat, haud dubiè ad ciuilem potestatem pertinere potest: dummodo materia temporalis sit, & persona cui remittitur, subdita.

Ad hunc modum indirectè relaxandi, vel rescindendi iuramenta, pertinet I. Si laica, v. g. Imperatoria potestas, aliquem ob officio, vel dignitate submoueat, ratione cuius subditi iuramento eidem obstricti erant. II. Si laica potestas ob iustam, eamque publicam causam, aliquid præcipiat, vel prohibeat; cui non obstante contrario iuramento suo, subditus obtemperare debet; v. g. vt ciuitatis gubernationem accipiat, l. vlt. ff. Ad Municipal. ciuitate non egrediatur, ad talem locum non accedat. III. Si is, cui iuramentum est, propter vim, fraudem, vel aliam causam, pertinentem ad Reipublicæ bonum, cogi potest ad relexandam obligationem iuramenti; tunc, illo etiam inuito, eius Superior, siue legitimus Iudex talem remissionem siue relaxationem facere poterit: quia factum Iudicis in tali casu reputatur factum partis, vti docent Doctores in l. si ob causam, Cod. De euiction. Opus tamen hic est partis citatione: nam ea substantialiter requiritur, si actus iudicialis cedat in graue præiudicium partis, l. de vnoquoque, ff. de re iudic. l. nam ita, ff. de adoption. & docet Couar. t. resol. c. 4. num. 5. Sanchez lib. 3. c. 21. n. 28. Gaill. lib. 1. obseruat. 109.

Porrò ex his iudicium fieri potest de sententia Molinæ cit. *disp. 149.* Sanchez cit. cap. 22. num. 10. contra Couarr. 2. §. 1. num. 18. Gutierez l. c. n. 152. Quòd potestas ciuilis si Reipublicæ bonum ita postulet, adeò aliquam promissionem, vel contractum prohibere possit, vt etsi iuramentum subditi sui accedat, nulla omnino ex eo obligatio oriatur. Quod probant I. Quia potestas ciuilis debet esse sufficiens ad prohibendum, & remouendum ea, quæ fini suo & bono Communitatis noxia existunt. cuiusmodi etiam sunt quorundam pactorum obligationes. Alioquin enim deluderetur publica potestas, & iustitia, si perfidi homines, quod vna via siue obligatione pacti consequi non possunt, alia via siue obligatione iuramenti consequerentur. II. Si ciuilis potestas iuramenti iam contractam obligationem indirectè relaxare, vel remittere interdum potest, vti suprà dictum; cur non etiam prohibere seu impedire, quominus contrahatur?

Enimuero hæc sententia intelligi non debet de directa prohibitione obligationis iuramenti, quippe cùm ea spiritualis, laicæ potestati subiecta non sit; sed solùm de prohibitione indirecta, quæ duobus casibus locum habere videtur; quorum vnus extra controuersiam est: Si laica potestas, iusta lege lata, executionem siue solutionem rei taliter promissæ prohibeat, illicitámque reddat, ad improborum hominum fraudes & iniurias arcendas, tunc enim eiusmodi iuramentum erit de obiecto illicito; ideóque non obligatorio. Qua ratione arbitror prodigum, cui bonorum administratio à Magistratu interdicta est, iuramento se obligare non posse ad alienandum, soluendum, sicuti, ex probabiliore docet Couar. c. quamuis pactum, p. 2. §. 3. n. 11. arg. l. si quis cum sciret, ff. pro emptore.

Alter verò casus probabiliter defendi potest: Quotiescunque secularis potestas recipientem, seu exigentem, iuramentum, ratione fraudis, violentiæ, vel ob aliam causam iustam compellere potest ad eius relaxationem, etiam lege publica lata impedire poterit, quominus obligatio iuramenti erga eiusmodi homines, saltem efficaciter, aut sine exceptionis, vel actionis remedio, contrahatur. Qua vtraque ratione ciuilis potestas prohibere posse videtur atque impedire, ne ex contractu tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur.

10 Ad extremum obseruandum est, quod obligatio iuramenti, perinde ac voti, spiritualis sit; quia vtraque per se, & immediatè ad Deum tendit. Quare si iuramenta, & vota soli Deo, siue intuitu tantùm pietatis fiant, ad eorum obseruationem solus Iudex Ecclesiasticus compellere, vel in iisdem ob iustam causam dispensare potest, sicuti ex communi docet Abb. in c. licet. n. 3. de voto. Sanchez lib. 3. moral. c. 13. num. 16. Præterea, quotiescunque de viribus seu valore iuramenti agitur, siue in dubium probabile vertitur, vtrum licitum sit, nécne, obligatorium, nécne; huius rei cognitio ad solum Ecclesiasticum Iudicem spectat, vti habetur expressè in c. venerabilem §. vtrum verò, de elect. & notat ibi Abb num. 13. Sanchez lib. de matrim. disp. 32. num. 18. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 25. num. 1.

Cæterùm si iuramentum interponatur super contractu, vel alio negotio ad seculare forum pertinente, tunc ratione huius, Iudex laicus compellere potest subditos suos ad iuramenti obseruationem, si de obligatione constet: Item ad eiusdem relaxationem vel simpliciter, vel saltem ad effectum agendi, quatenus id ad terminationem litis, & publicæ iustitiæ conseruationem necessarium est. Qua ratione testatur Andr. Gaill. cit obseruat. 23. Cameræ Imperialis consuetudinem esse, vt ipsamet relaxationem iuramenti faciat, præcisè ad effectum agendi contra recipientē actione iniuriarū, dāni dati, &c.

Verùm non solum Iudex laicus ad obseruationem iuramenti super contractu, vel simili negotio interpositi, laicos suos compellere potest; sed etiam Iudex Ecclesiasticus, sicuti habetur expressè in c. vlt. de foro competent. in 6. vbi Doctores adnotant, quòd *iuramentum non mutat forum; sed addit forum foro.* Sensus est, Si contractus v. g. iuramento confirmatus sit, potest quidem iurans ratione contractus politici, coram seculari Iudice conueniri, vt is totam litem definiat: sed potest etiam conueniri coram Iudice Ecclesiastico, ratione interpositi iuramenti, cuius obligatio per se ad forum Ecclesiasticum spectat; quare in tali casu materia iuramenti mixti fori est. Similiter si iuramentum propter turpitudinem laici recipientis, v. g. vsurarii, ab eodem remittendum sit, ad id etiam Ecclesiasticus Iudex compellere potest, sicuti constat ex c. 1. iun. Gl. ver. iuramenta, de iureiur. ibid. Abb. num. 3. Couar. 1. resol. cap. 4. num. 5. §. verùm, Sanchez cit. disp. 32. num. 18.

CAP. XII.

QVÆ PERSONÆ IVRARE POSSINT.

SVMMARIVM.

1 *Deus secundum quandam metaphoram in Scriptura sacra iurasse memoratur.*
2 *Omnis creatura intellectualis, ipséque Christus, quà homo, propriè iurare potest.*
3 *Iuramentum impuberis, item periuri, in iudicio non recipitur.*
4 *Sacerdotes non nisi graui de causa in iudicio iurare coguntur.*
5 *Clerici in manu laici præstare non debent iuramentum coactiuum.*

ASSERTIO I. Deus veracissimus, qui nec falli, nec fallere potest, non propriè, sed accommodatè ad nostrum intelligendi modum, iurasse in Scriptura sacra commemoratur. Nam iuramentum adhibetur in confirmationem alicuius dicti: dictum autem diuinum nullam confirmationem accipere potest, cùm ex seipso omnimodè infallibilem certitudinem contineat. 1

Assertio II. Omnis creatura intellectualis, adeoque etiam Angeli, ipséque Christus, quà homo est propriè iurare possunt; id est, dicta sua, per maioris, altioris, ac perfectioris diuinæ veritatis testimonium confirmare. Videri de his potest Suarez lib. 1. de iuram. c. 14. 2

Assertio III. Omnes homines, rationis vsu præditi, etiam pueri ante pubertatem, iuramenti capaces sunt. Est certa assertio, quæ habetur in c. 1. de delictis puerorum, vbi dicitur, pueros ante XIIII. annum ætatis periuros esse posse.

Assert. IV. Quarundam personarum iuramenta in iudicio non admittuntur, videlicet impuberum, c. pueri 22. quæst. 5. cuius rationem dat S. Th. 22. quæst. 89. a. 10. in corp. Quia nondum tantam rationis discretionem obtinere censentur, vt eorum iuramentum cùm partis litigantis præiudicio recipi debeat. Item periurus ad iurandum in iudicio non admittitur, iuxta cit. c. paruuli, & docet S. T. loco cit. Quia quem semel peierasse constat, periculum, atque suspicio est iterum peieraturum. Intelligi autem id debet de iuramento testimonii ferendi, item purgationis vel probationis supplendæ, vel si quod aliud est ad honorem, vel fauorem iurantis spectans: at verò ab iis iuramentis, quæ potius onus continent, vti est iuramentum calumniæ, fidelitatis &c. non liberatur periurus, sicuti neque alii infames: ne ex propria iniquitate cōmodum ferant, sicuti notauit Sanchez lib. 3 de iuram. cap. 3. nu. 5. His addunt Syl. v. iurament. 2. quæst. 3. Azor lib. 11. cap. 11. q. 6. Quòd periurus notorius in re graui, licet in iudicio non conuictus, aut damnatus, ad iurandum in iudicio 3

admittendus

admittendus non sit, cum præiudicio alterius. vel si admittatur, contra eum meritò excipi possit, propter periculum, & suspicionem peierandi : licet contrarium sentiat Sotus lib. 8. q. 1. a. 10. Sanchez cit. n. 5.

Assertio V. Sacerdotes non leui de causa iurare in iudicio compellendi sunt, sed quandoque ob necessita-
4 tem, vel magnam vtilitatē, iurare possunt, videlicet ad purgationem sui, vel alterius innocentiam probandam, ne lædatur, vel rem suam perdat, item pro fide, pro obedientia, pro pace, pro indemnitate Ecclesiæ, pro absolutione à vinculo excommunicationis &c. sicuti cit. loco colligit Syl. ex c. significasti, de elect. c. de Syracusanæ, d. 28. c. ad reprimendam, de officio Ordinarii, &c. si quis. Rationem affert S. Th. q. 89. a. 10. *Non indiget dictum hominis confirmatione, nisi quia de eo dubitatur, hoc autem derogat personæ, vt dubitetur de veritate eorum, quæ dicit, & ideo personis magnæ dignitatis non conuenit iurare propter quod Sacerdotes ex leui causa iurare non debent.* Specialiter autem cauetur in c. 1. de iuram. calumniæ, ne Clericus, sine licentia Superioris sui, iuramentum calumniæ per se ipsum in iudicio præstet.

Assertio VI. Clericus iurare non debet in manu laici
5 exigentis iuramentum coactiuum, siue necessarium. Ita intelligendum est c. nullus, 22. quæst. 5. secundùm Abb. in cit. cap. 1. num. 21. de iuramento calumniæ, Syluest. cit. quæst. 3. Alioquin non prohibentur Clerici, etiam Sacerdotes, postulante aliqua necessitate, præstare iuramentum coram laico; non tanquam superiore suo; siue non coactiuum, sed voluntarium, sicuti docent Doctores citati argum. c. ex rescripto; de iureiur. & c. peruenit, de fideius. quamobrem rectè ait idem Syl. ver. iuramentum, 3. q. 2. prope finem, & ver. mendacium in fine. Sanchez lib. 3. c. 6. n. 35. Laicos ob suspicionem pestis, & ad defensionem prouinciæ, vel ciuitatis suæ, posse etiam à Clericis & Religiosis exigere iuramentum : quia non est coactiuum simpliciter loquendo, sed tantùm ex hypothesi, si ciuitatem ingredi velint. Quamuis magis decet, eos non corporali aliquo tactu, aut manuū eleuatione &c. iurare, instar Laicorum ; sed interrogari tantum, & sponsionem, siue fidem eorum postulari per sanctam consecrationem. *Ben ihren Geistlichen Würden vnd Ehren*, sicuti colligitur ex cit. c. si quis Presbyter. Vide; quę dixi suprà c. 2. num. 2.

CAP. XIII.

DE MENDACIO.

SVMMARIVM.

1 *Mentiri est alteri enuntiare contra id, quod in animo quis sentit, fallendi causa.*
2 *Non omnis qui falsum dicit mentitur : neque omnis qui mentitur, re ipsa falsum dicit.*
3 *Mendacium non tantum verbis, sed etiam aliis signis & actionibus animi interpretibus fieri potest.*
4 *Mendacium est triplex: Perniciosum, officiosum, & iocosum.*
5 *Amphibologiæ seu orationes ambiguæ mendacia non sunt.*
6 *Si signum per se, aut per circumstantias determinatè est ad vnum, eùmque falsum sensum, non est locus æquiuocationi ; sed est verum mendacium.*
7 *Si restrictio mentis omnino aliena sit à loquentium consuetudine, & in externa locutione nec explicitè, nec implicitè significetur, à mendacio excusari non potest, si animo fallendi fiat.*
8 *Mendacium per se, & intrinsecè malum, & nullo casu licitum est.*
9 *Olim non ita cognitum erat, omne mendacium peccatum esse.*
10 *Veritatem verbi æquiuocatione, aut facti dissimulatione alterum celare, interdum licitum est, si iustam ob causam fiat.*
11 *Æquiuoca locutio, aut dissimulatio veritatis, si iusta ratione non nitatur, licet mendacium non sit, tamen dolus malus censetur.*
12 *Calliditas in sermonis ambiguitate, societati humanæ valde noxia est*
13 *Qui absque debita consideratione falsum dicit non ex proposito, peccat contra veritatis virtutem; licet propriè non mentiatur.*

Assertio Prima. Mendacium (quod est sedes periurii, de quo cap. seq. agendum) aliud non est, quàm *dictum contra mentem* : si nimirum aliquid affirmes, quod existimas non esse ; vel neges, quod existimas esse, idque fallendi gratia, sicuti & S. August. cap. 22. Enchirid. relatus causa 22. quæst. 2. definit. *Is mentitur, qui contra id, quod animo sentit loquitur, voluntate fallendi.* Et in libro de mendacio ad Consentium, cap. 4. *Nemo dubitat mentiri eum qui volens falsum enuntiat, causa fallendi : Quapropter enuntiationem falsam, cum voluntate ad fallendum prolatam, manifestum est, esse mendacium.* 1

Circa hanc mendacii definitionem notandum est primò ; Quòd duplex est falsitas ; vna materialis, cum res aliter se habet, quam homo enuntiat. quod si per accidens eueniat, seu præter intentionem loquentis, quia credit verum esse, quod loquitur; tunc non est obiectum propriè mendacii, ac periurii. Alia verò est falsitas formalis per se, & secundùm intentionem loquentis; quia credit falsum esse, quod loquitur. atque hæc est propriè obiectum mendacii, ac periurii. Neque refert, etsi id re ipsa verum sit ; quia in moralibus, siue voluntariis actionibus, quæ speciem suam accipiunt ab obiecto, non prout est à parte rei, sed prout est apprehensum & voluntati ab intellectu propositum, magis spectandum est id, quod est per se, & secundum intentionem, quam quod est per accidens, & præter intentionem. Quæ est doctrina S. August. serm. 28. de ver. Apostoli & in Enchiridio cap. 18. *Nemo mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum : quoniam, quantum in ipso est, non fallit ipse, sed fallitur.* Et in libro de mendacio cap. 3. *Non omnis, qui falsum dicit, mentitur ; si credit, aut opinatur verum esse, quod dicit. Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat.* 2

Ex quo fit, inquit, *vt aliquis possit falsum dicere non mentiens ; si putat ita esse vt dicit, quamuis non ita sit, vt possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & vt pro vero enuntiat, quamuis re vera ita sit vt enuntiat : ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens, aut non mentiens iudicandus est. Potest itaque ille, qui falsum pro vero enuntiat, quod tamen verum esse opinatur,* (errore vincibili, & culpabili) *errans dici, & temerarius, mentiens autem non rectè dicitur, quia cor duplex, cùm enuntiat, non habet, nec fallere cupit, sed fallitur. Culpa verò mentientis est in enuntiando animo suo, fallendi cupiditas.* Idem docet S. Th. quæst. 98. a. 1. ad 3. & quæst. 110. a. 1.

Notandum est secundò ; Quòd S. Augustinus in mendacii definitione *locutionem* posuit, hoc ideo fecit, quia vocis sermo præcipuum inter animi signa locum obtinet. Alioquin verò sicuti virtus veritatis ; ita & mendacium in aliis quoque signis, & actionibus animi interpretibus, consistere potest, sicuti docet idem S. Doctor. cit. cap. 3. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, aut quibuslibet significationibus enuntiat.* Atque hæc species mendacii, quæ fit signis factorum ad alterum fallendum compositis, simulatiò appellatur, de qua ita scribit S. Thom. 2. 2. quæst. 111. a. 1. in corp. *Ad virtutem veritatis pertinet, vt quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est : signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta : sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium eius, quod in eo est: quòd propriè simulatio dicitur. Vnde simulatio* 3

propriè est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. Non refert autem, vtrum aliquis mentiatur verbo vel quocunque alio facto; vt supra habitum est. Vndè cum omne mendacium sit peccatum, vt suprà dictum: consequens est etiam, quòd omnis simulatio est peccatum.

Notandum tertiò: A mendacio imprimis excluduntur ioci, qui ita proferuntur, vel aguntur, vt ex ipso agendi, vel pronuntiandi modo satis intelligatur, falsum esse, quod exteriùs enuntiatur: cùm desit animus fallendi; esto quòd audiens ob nimiam seu simplicitatem, seu stupiditatem suam, seriò accepturus sit. Qua de re S. August. lib. 1. de mendacio, cap. 2. *Ioci nunquam sunt mendacia: habent enim euidentißimam ex pronuntiatione, atque ipso iocantis affectu, significationem nequaquam fallentis; etsi non vera enuntiantis.* Cui doctrinæ haud obstat, quòd triplex mendacium à DD
4 assignari solet, vti videre est apud S. August. lib. de mendacio, c. 11. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. a. 2. Caiet. ver. mendacium; videlicet perniciosum, officiosum, & iocosum. Perniciosum dicitur, quod cum iniuria profertur, vt obsit. Officiosum, quod sine iniuria, vt prosit. Iocosum, quod cùm nulli noceat, profertur, vt delectet. Nam vt istud mendacium propriè sit, necesse est proferri animo audientem fallendi, seu falsam opinionem ingenerandi; siue re ipsa fallatur, siue non, vti docet S. Augustin. lib. 1. de mendac. c. 3.

Deinde à mendacio excluduntur locutiones tropicæ, & figuratæ, ipsæque adeò ironiæ, hyperboles, fabulæ & parabolæ; quia verum sensum continent, quem loquens etiam exprimere intendit; quamuis interdum animaduertat, eum ab audiente non statim apprehendi, sed alium falsum sensum opinionémque concipi, quod tamen ipse non intendit, sed permittit. Qua de re S. August. in lib. contra mendacium, cap. 10. vbi de his figuratis veritatibus ait: *Non inuidentur discentibus quòd his modis obscurantur: sed commendantur magis, vt quasi subtracta desiderentur ardentiùs, & inueniantur desiderata iucundiùs. Tamen vera, non falsa dicuntur, quoniam vera, non falsa magnificantur, seu verbo, seu facto. Quæ significantur enim, vtique ea dicuntur, putantur autem mendacia, quoniam non ea, quæ verè significantur dicta intelliguntur, sed ea quæ falsa sunt, dicta esse creduntur.*

5 Denique à ratione mendacii excludendæ sunt amphibologiæ seu locutiones ambiguæ; id est, quæ duos sensus habent: quorum vnum, qui verus est, si enuntians animo suo intendat, non mentitur; esto intelligat, audientem alterum sensum, qui falsus est, accepturum, ideóque deceptum iri; quippe quam deceptionem ille sua enunciatione non efficit, sed permittit. Eadémque est ratio de signis factorum, quæ præter moralem significationem, quam ex consuetudine, aut institutione hominum accipiunt, naturalem interim vsum commoditatémque retinent, sicuti dixi lib. 2. tr. 1. c. 11. n. 4.

Sed quæstio est: Vtrum is, qui scienter alteri enunciat, aut exhibet signum, seu vocis, seu facti, quod ex se, & secundùm omnes circumstantias ad vnum sensum eúmque falsum, determinatum est, à mendacio excusari possit, idcirco, quòd mente sua aliquid aliud concipiendo adiungat, per quod oratio vera efficiatur? Affirmant Angelus ver. iuramentum, 3. §. 9. Syl. eod. ver. 4. quæst. 7. dicto 3. Nauar. in c. humanæ aures, 22. quæst. 5. in quæst. 2. nu. 12. Mich. Salon. 2. 2. quæst. 89. art. 2. controu. 11. §. quartò Philiarchus tom 1. de offic. sacerd. lib. 3. cap. 14. §. verùm, Valentia tom 3. disp. 5. quæst. 13. part. 2. circa 2. concl. ad 1. Sanchez lib. 3. moral. cap. 6. num. 35. Less. lib. 2. cap. 42. dub. 9. num. 47. Nicol. Serar. in Iudith, cap. 13. quæst. 10. Fundamentum huius sententiæ est: Mentiri est contra mentem loqui, seu velle aliquid exterius significare, quod in mente scitur, vel putatur falsum: At vero in casu proposito, loquens non vult significare quod falsum est, sed quod verum: propterea enim retinet partem orationis in mente, cum qua externa oratio verum sensum habeat, quem etiam intendit: Ergo non mentitur.

Sed contraria sententia, à mendacio id excusari non posse, mihi vera videtur. quæ est Paludani in 4. d. 21. 6
quæst. 3. a. 3. concl. 1. §. sed illud quoque. Caiet. 2. 2. q. 87. art. 7. §. ad hoc dicitur Soti lib. 5. de iust. q. 6. a. 2. concl. 7. & de secreto, mem. 3. qu. 3. concl. 1. in fine, Arrag. 2. 2. quæst. 69. a. 2. prope finem, §. sed dubitabit aliquis, Lopez p. 1. instruct. cap. 42. §. Item qui non tenetur, Azor. tom. 1. lib. 11. cap. 4. quæst. 5. reg. 5. Henriq. lib. 6. cap. 19. num. 8. in comment. lit. x. Ægid. Coninck de actib. supernatural. lib. 1. disp. 10. dub. 3. concl. 3. Exempla sunt: I. Si tibi de homine innoxio, qui fortè præterit, Titius dicat: *Iste est latro*, talibus circumstantiis, vt ex modo agendi, & loquendi nihil aliud intelligere possis, ac debeas quam verè & absolutè latronem esse; mentitur Titius, etsi intra mētem concipiat, *latronem esse, si innocentem iniustè occidit*. Simile est, si herus famulum de fracto nuper vitro arguat; ille autem constanter neget, vnquam se vitrum fregisse, subintelligendo intra se, *mense præcedente*; verè mentitur: Sicuti & adultera, quæ examinata à marito de commisso adulterio, negat se fidem matrimonii vnquam violasse, subintelligendo *hora præcedente*. quod est exemplum Soti cit. quæst. 3. ante 7. concl. Probatur: Is mentitur, qui contra id, quod animo sentit, alteri loquitur, aut significat, animo fallendi, siue, qui volens alteri falsum enuntiat, causa fallendi, sicuti suprà ex S. August. didicimus. Hoc ipsum autem facit is, qui alteri (quem rei ignarum putat) loquitur enuntiationem determinatam ad vnum, eúmque falsum sensum. Ergo verè ac propriè mentitur.

Confirmatur. Si restrictio seu limitatio orationis 7
mente retenta, exteriúsque nullo modo significata, conduceret ad vitandum mendacium; nullus, qui astutus satis est, mendacium committeret; & consequenter nunquam peieraret; cùm periurii propriè dicti vnica sedes sit mendacium. Consequens autem est falsum: ergo & antecedens. Maiorem ostendo: Quia homo astutus, quotiescunque orationem, exteriùs falsam profert, poterit aliquid interna mente concipere, per quod oratio vera fiat. Minor verò probatur: Quia mendacium proprium est hominum astutorum, qui aliud in mente gerunt, & aliud exteriùs significant, decipiendi causa.

Ad fundamentum prioris sententiæ respondeo; Concessa maiore propositione, assumptionem negandam esse. Quia contradictionem inuoluit, quòd aliquis orationem externam, quam scit, aut putat falsam esse, alteri deliberatè loquatur, & nolit significare falsum, siue nolit aliud significare, quàm in mente sentit. Ad probationem minoris respondeo; Quod in mente retinetur, ac reticetur, esse quidem partem componentem orationis internæ, seu mentalis, non esse autem partem componentem orationis externæ, seu erga alterum significatiuæ. Quia impossibile est, vt oratio externa ac significatiua ex conceptibus internis, nullo modo externè prolatis, ideóque nec significantibus componatur

Quod vt pleniùs intelligatur notanda est doctrina S. August. lib. de mendacio, cap. 3. *Duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio, vna rei eius, quam veram esse vel scit, vel putat, & non profert: altera eius rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans.* Sic verò se res habet in proposito, vt duplicem in mente cogitationē habeas: vna est rei, quam exteriùs loqueris, & significas, videlicet te vitri nuper fracti aucto-

rem non esse: cùm enim sciens, ac volens hæc verba, ad significationem falsam omnibus circumstantiis determinata, ad alterum dirigis, profectò illorum falsitatem concipis, ideóque contra mentem loqueris. Alia est cogitatio, quæ in mente retinetur, & per verba nullo modo exprimitur, quò videl. vitrum iam quidem fregisti, sed non mense præcedente: & hac ratione fateor, te falsum non dicere, neque mentiri: cùm mendacium debeat esse, signum externum alteri intimatum.

Porrò non satis intelligo, quòd aliqui, (vti videre licet apud Sanchez loco cit.) profitentur, se loqui de enuntiatione, quæ ex seipsa, vel loquendi modo ac circumstantiis, determinata est ad vnum, eúmque falsum sensum; fateantur etiam, non esse in arbitrio loquentis eiusmodi enuntiationi alium sensum affingere, quam in se habeat, videl. ex institutione & pacto hominum, nihilominus aliquam in tali locutione æquiuocationem agnoscant. Vbi enim vnus determinatus orationis externæ sensus est, ibi æquiuocatio locum habere non potest: cùm æquiuocatio aliud non sit, quam ambigua, seu duplex vocis significatio: At verò locutio ista, vt ponimus, tam secundùm se, quàm secundùm modum, ac circumstantias proferendi, determinata est ad vnum, eúmque falsum sensum: Ergo qui eum sciens ac volens alteri loquitur, fallendi causa, is non æquiuocationem, sed mendacium profert.

Interim verò non tollimus, aut negamus omnem mentis restrictionem; sed eam tantùm, quæ aliena est ab hominum loquentium consuetudine, seu quæ in externa locutione nec explicitè, nec implicitè significatur. Cæterum insolitatum non est apud homines prudentes, præsertim cùm interrogantur de rebus, quas edicere nolunt, aut non possunt, vt non integrum animi sensum externo sermone exprimant, sed partem tacitè siue implicitè significent; ita vt audiens, saltem generatim & confusè, id facilè aduertere possit: nam hoc casu si non apprehendat, propria inscitia decipi permittitur; & quidem interdum iustè, si causa necessitatis postulet. Sic v. g. alicui malitiosè interroganti, quæ edicere non oportet, Principis consiliarius sine mendacio interdum respondebit, *Nescio*: intelligendo, vt dicam, aut reuelem: Sic confessarius à Iudice iniustè, ac sacrilegè interrogatus de iis criminibus, quæ ex sola Confessione cognita habet, rectissimè ait, se nihil scire, supple notitia ad reuelandum, sicuti docent Palud. in 4. d. 21. quæst. 3. art. 3. concl. 1. Adrian. in 4. de sacram. confess. vbi de sigillo, dub 9. §. ad argumenta principalia, ad 2. Maior in 4. d. 15. quæst. 18. quæst. 1. Sotus de sacr. mem. 3. quæst. 3. concl. 2. & 3. Est enim in his locutionibus non insolita ambiguitas: quandoquidem homo scire aliquid potest vel secundùm notitiam priuatam, quę etiam alteri manifestari queat; vel secundùm notitiam publicam, quæ alteri, cuius scire non interest, manifestari non debeat. Quòd si verò talis loquendi modus, ac circumstantiæ adsint, vt verbum *nescio* determinetur ad omnem ignorantiam; puta si Confessarius adigatur, vt dicat, an vllo modo seu ratione sciat; tunc verè ac propriè mentietur, si verbo *nescio* erga alterum vtatur, intra mentem cogitans, *quod tibi dicam*; sed respondere debet, frustra se de his interrogari; cùm seu sciat, seu nesciat, nihil edicere opus sit. Cum qua doctrina consentit S. August. lib. de Mendacio, cap. 13. & lib contra mendacium cap. 18. vbi ait: Si homo ægrotus, ac morti vicinus de salute filii vnici ac charissimi quærat qui paulò ante mortuus est, *duo falsa sunt, viuit, & nescio, nec abs te dici possunt, nisi mentiendo.* Quamuis contrarium, præter Doctores, quos suprà pro parte affirmante huius quæst. allegaui, docent etiam Tol. lib. 5. c. 5. §. adhuc, Rodriq. to. 1. sum. c. 92. concl. 4.

Pro confirmatione eius, quod dixi, subauditionem tacitam & consuetam interdum absque mendacio, imò iustè ac licitè à loquentibus fieri posse, aliqui afferunt dictum Christi apud S. Marcum cap. 13. *De die illa (iudicii) nemo scit neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.* Et Matth. 24. *De die illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*; subintelligendum esse, quòd Filius nesciat non absolutè, sed ad reuelandum aliis. Verùm hoc modo etiam de Patre Christus dicere potuisset, non scire illum, vt aliis reuelare velit; aut debeat.

Facilius igitur explicatur Christum ab Apostolis de tempore iudicii extremi curiosè interrogatum, respondisse; neque Filium secundùm humanitatem suam id scire, ex se & natura sua; sed solum Deum Patrem suum: interim non negauit, scire aliquem per reuelationem à Deó, sed ita, vt nemini veritatem hanc manifestare debeat; nisi secundùm voluntatem eius, à quo profecta est. Quo simili loquendi modo vsus est Christus cap. 20. Matth *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

Aliud dictæ subauditionis argumentum sumunt aliqui ex verbis Christi Ioan. 7. cap. vbi fratribus suis ad festum Scenopegiæ Hierusalem ascendere Christum cupientibus, dixit: *Non ascendam ad diem festum istum, Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Quem locum testatur S. Hieron. lib. 2. aduersus Pelagianos, Porphyrium obiecisse, vt ostenderet Christum mentitum fuisse, aut non satis sibi constitisse. Sed cõnciliatio verborũ ex ipso cõtextu nimis facilis est: Volebãt enim fratres siue consanguinei Christi, vt cum aliis in publico comitatu ascenderet Hierosolymam ad festum: Nam *filiis Israël*, inquit Beda in ca. 12. Lucæ, *moris fuit, vt temporibus festis Hierosolymam confluentes, seorsim viri, & seorsim fœminæ choros ducentes incederent.* De hoc igitur comitatu Christus locutus est. *Vos ascendite ad diem festum: Ego non ascendam: quia meum non tempus nondum impletum est*; vt in manus Iudæorum me offeram. Postea verò, & *ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto*: Id est, non in publico comitatu, vt ab omnibus videretur.

Assertio Secvnda. Mentiri est per se & intrinsecè malum, vt nullo casu, seu ob nullam necessitatem cohonestari, seu licitum fieri possit. Ita docet Arist. lib. 4. Ethic. cap. 8 S. August. toto lib. de mendacio, & toto altero libro contra mendacium ad Consentium, qui extant tom. 4. operum & in epist. 8. ad Hieronymum, c. 3. S. Basilius regul. 76. ex breuioribus, S. Greg. lib. 18. moral. c. 2. & 3. Magist. in 3. d. 3. d. 38. ibid. Bonau. q 2. Durandus q. 1. a. 3. Richar. a. 1. q. 2. S. Th. 2. 2. quæst. 110. a. 3. Adrianus quodlib. 1. & alii communiter. Probatur primò ex sacra Scriptura, Leuit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum* Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Sap. 1. *Os quod mentitur occidit animam.* Ecclesiast. 7. *Noli velle mentiri omne mendacium*, & cap. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedet te.* Ad Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.* Et ad Colloss. 3. *Nolite mentiri inuicem.*

Probatur secundo ratione S. Basilii cit. loco. Quia nullum mendacium ex Deo est: cùm Deus verax sit, & auctor atque amator omnis veritatis. quod S. Ioan. significat Epist. 1. cap. 2. *Quoniam omne mendacium ex veritate non est.* Sed omne mendacium à Diabolo est: cùm ipse auctor sit, & inuentor mendacii, iuxta verbum Christi apud S. Ioan. cap. 8. *Mendax est, & pater mendacii.*

Probatur tertiò ratione S. August. lib. contra mendacium cap. 3. Sicuti tenebræ luci, pietati impietas, iustitiæ iniquitas; ita veritati opponitur omne mendacium, quidquid autem virtuti contrariè, aut priuatiuè aduersatur, id vitium moris est. Ergo, &c.

Probatur quartò ratione S. August. in Enchirid. cap. 2. S. Thom. quæst. 110. a. 3. in corp. Durandi cit. a. 3. Richar. cit. quæst. 2. Quia vis rationalis loquendi, seu locutionis copia à Deo instituta est, non vt inuicem fallamus, sed vt alter in alterius notitiam cogitationes suas proferat: ergo abusus & peruersio est omne mendacium; id est, dictum contra mentem, alterius fallendi causa prolatum.

Probatur quintò: Qui mentitur, is alteri locutione falsa errorem ingenerare vult: id autem est per se malum, & alienum à ratione. Quia sicut veritas est maximè propria humanæ mentis perfectio; ita falsitas omnis est dehonestatio & dedecus eiusdem: id verò in altero efficere, siue alterius mentem ad Dei similitudinem conditam dehonestare, intrinsecè malum est; ita vt nec Deus veritatis auctor, & falsitatis omnis osor, talem facultatem dare possit. Neque extrinsecæ vllæ necessitates, aut prouentura commoda, eo ipso quòd extrinseca sunt, efficere possunt, vt quod in se mendacium, adeóque à veritate, recta ratione, ipsaque diuina mente alienum est, honestum fiat.

Porrò dicta assertio generatim intelligi debet de omni mendacio, siue sit oris, siue operis: quæ posterior mēdacii species simulatio dicitur, qua aliquis externo opere aliud exhibet, quàm in corde sentit, causa fallendi alterum: Cuiusmodi simulatio intrinsecè mala est, nunquam licita, semper & omni casu peccatum aduersus naturæ legem, sicuti docet S. August. li. 1. toto de mendacio & S. Th. quæst. 111. a. 1. quamuis aliter senserit S. Hieron. apud S. August. epist. 11. & in cap. 2. ad Galat. relatus in c. vtilem; 22. quæst. 2. Probat S. Th. hac ratione: Omne mendacium est peccatum: Omnis autem simulatio est verè ac propriè dictum mendacium. Ergo omnis simulatio est peccatum. Assumptio probatur: Quia nihil refert ad formalem rationem malitiæ mendacii, quæ est velle alteri falsitatem enuntiare, & ingenerare; vtrum talis significatio seu enuntiatio per verborum, an verò factorum signa fiat, sicuti expressè tradit S. August. cit. lib. de mendacio cap. 3. S. Th. quæst. 110. a. 1. ad 2.

9 Contra hanc veritatem senserunt, atque errârunt veteres quidam apud Cassianum collat. 17. cap. 17. Dorotheum serm. 9. de mendacio vbi aiunt; mēdacio sicuti ellebori potu vtendum esse, si ineuitabilis necessitas cogat. Et alii apud S. August. vtroque libro de mendacio, in casu necessitatis, seu ob magnum bonum promouendum licitum esse mentiri; idque probarunt auctoritate Sanctorum, qui in sacris literis commendati sunt. Nam Iacob fratrem primogenitum se mentitus est, vt patrem deciperet, Gen. 27. Ægyptiæ obstetrices, ne infantes Hebræorum interficerentur mēdacio effecerūt, in eóque à Domino commendatæ, & remuneratæ sunt, Exodi c. 1. Iudith quoque laudatissima fœmina compositis mendaciis ciuitatem obsidione, & excidio liberauit. Sed & Apostoli Petrus, & Barnabas simulârunt veteris legis cæremonias post Christi passionem adhuc necessarias esse, cit. cap. 2. ad Galat. Et Paulus Timotheum circumcidit, Actor 16. cum tamen circumcisionem nihili faceret, ad Galat. cap. 5. scribens: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Denique Iesus post resurrectionem suam in peregrini habitu *finxit se longiùs ire*, Lucæ 24.

Responsio est: Quæ Iacob fiducia matris iubentis, dixerat, sensu mystico seu allegorico dicta fuisse secundùm spiritum propheticum; sicuti & euentus ostendit. Sensus enim verborum à matre & Spiritu sancto intentus, erat: *Ego sum primogenitus Esau*, id est, alter Esau: quippe cui successurus sum in primogenitura; & cui secundùm Dei voluntatem benedictio debetur. Quo sensu etiam Imperator Romanus *Cæsar*, & *Augustus* appellatur non propriè, sed figuratè. Tametsi verò Isaac, quo sensu ea dicerentur, non statim intellexerit, id nihil refert: cùm & parabolæ à Christo prolatæ alio sensu, eóq; verò à Christo dictæ fuerint; alioi eoque falsò à Iudæis intellectæ, ita S. August. libro de mendacio cap. 5. & copiosius in libro contra mendacium, c. 10. vbi addit: *Neque illud quod Ioseph velut illudendis locutus est fratribus*, Gen. 42. *neque quod David simulauit insaniam*, 1. Reg. 21. *nec cætera huiusmodi mendacia iudicanda sunt; sed locutiones, actionésque propheticæ, ad ea, quæ vera sunt, intelligenda, referendæ.* Quòd si verò dicta, aut facta personarum, in veteri testamento laudatarum, (v. g. simulationem Dauidis) à mendacio excusare non possumus, dicendum est, sicuti de obstetricibus Hebræorum ait S. August. cit cap. 5. & lib. contra mendac. cap. 15. fuisse laudatas non propter mendacium; sed ob misericordiam, quam seruandis à nece infantibus præstiterunt. *Hoc etiam modo, Iudith*, inquit S. Th. quæst. 110. a. 3. ad 3. *laudatur, non quia mentita est Holoferni; sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi. Quamuis etiam dici posit, quòd verba eius veritatem habeant, secundùm aliquem sensum mysticum:* Sed priorem responsionem sequitur Bellarmin. libro 2. de verbo Dei, cap. 15. column penult.

Veruntamen, licet dicamus David, Iudith, quin & Iacobum Patriarchā mentitos fuisse; cùm non omnia ex Dei instinctu locuti sint, sed quædam propria etiam simplicitate addiderint, permittente Deo ipsorum imperfectiones; non tamen sequitur eos peccasse: quia inuincibili laborantes ignorantia, existimabant tali casu fas esse mentiendo decipere: nam veritas ista, quod mendacium nullo casu licitum sit, nondum eo tempore cognita erat: cùm neque Augustini tempore communiter recepta fuerit.

Ad ea, quæ ex nouo Testamento obiiciuntur, optimè respondet idem S. August. lib. 1. de mendac. cap. 5. aduersus Hieronymum in cap. 2. ad Galat, & cit. epist. 11. Petrum Apostolum simulatione illa peccasse; ideóque à S. Paulo reprehensum esse: quamuis à grauitate culpæ excusari debeat Petrus, quia repentino aduentu Iudæorū perterritus; dum eorum scandalum cauere voluit, minùs rem considerauit; quòd subducendo se à gentium conuictu, eorum cibos tanquam immundos aspernari videretur, contrà quam cælitus edoctus fuerat, Act. cap. 10. At verò S. Paulus, sciens ac docens 1. ad Corinth. 7. cæremonias legis veteris neque post Christi passionem necessarias; neque tamen ita sublatas, vt à Iudæis retineri, & vsurpari non possent, donec ex Iudæis, ac Gentibus vna ecclesia constitueretur, circumcidit Timotheum, petentibus Iudæis, quia ex matre Iudæa natus erat, ne illorum cæremonias, tanquam malas & noxias, damnare videretur. Ex Gentibus autem ad fidem conuersis scripsit cap. ad Galat. Si circumcisionem accipiant, tanquam sibi ad salutem necessariam (sicuti à quibusdam pseudoapostolis persuasi erant) Christi fidem ipsis nihil profuturam.

Denique ad locum illum Luc 24. dicitur, Id ad mysterium seu figurā pertinere, quod Christus se peregrinum, & diuertentibus duobus discipulis longius iturum finxit, id est, figurauit: aliquid enim tunc quidem absconditum, postea autem intelligendum, significare intendebat, videlicet se inter eos peregrinantem, mox lōgius abiturum ad Patrē cœlestem. Ita explicat S. August. lib. contra mendac. cap. 13. *Si nihil aliud significasset Iesus, in eo, quòd* (externo agendi modo) *longiùs ire se finxit merito indicaretur esse mentitus* simulando.

Porrò autem si bene intelligatur, & ad id quod voluit significare referatur inuenitur esse mysterium. Alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quandam rerum significandarum similitudinem, cum gesta non sint, tanquam gesta narrantur. Et infrà: *Ille igitur concludat, Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum, quod significauit, impleuisse faciendo,* puta ad cœlos ascendendo. Adde tu, quòd cum Christus mysterii causa peregrini habitum eo loco assumpserit, omnia agere debuerit, quæ peregrinantes solent, qualc & hoc est, vt in via, quam cœperunt, progrediantur, nisi oblata occasione ad diuertendum inuitentur.

ASSERTIO TERTIA. Veritatem aliquam per
10 verbi æquiuocationem, aut facti dissimulationem, alterum celare, non est per se malum; sed interdum licitum si ob iustam causam fiat. Hæc est communis DD. sententia, quam tradidit S. Chrys. lib. 1. de sacerdot. ad finem S. Augustin in psal. 5. super illa verba; *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & lib. contra mendacium c. 10. vbi ait, aliud esse occultare veritatem, & aliud proferre mendacium. *Quamuis enim omnis qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis qui vult, quod verum est celare mentitur.* Et super Gen. q. 26. *Quæritur, cur Patriarcha mentiri voluit, vt diceret Saram sororem suam: Sed veritatem voluit celari, non mendacium dici: soror enim dicitur, quia filia fratris erat.* Et S. Th. q. 110. a. 3. ad 4. ait: Tametsi mentiri, aut simulare nullo casu licitum sit; tamen *licet veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione* Ratio assertionis est, quia simulatio mendacium est falsi dissimulatio autem est veri. Atqui falsum scienter edicere per se malum est; quippe repugnans naturali præcepto negatiuo, *Ne mentiare,* seu, *Ne inducas fratrem tuum in errorem.* Sed quod verum est, interdum iustè ac licitè celamus seu dissimulamus: quia præceptum affirmatiuum manifestandæ veritatis non semper obligat.

Confirmatur. Sicuti nunquam licitum est actione sua alterum directa intentione, seu ex proposito inducere ad peccatum: quia hoc est scandalum propriè actiuum, & intrinsecè malum; quandoque tamē licitum est permittere alterius peccatum, quod ille occasione actionis, quam iustam ob causam exerces, commissurus putatur. Ita etiam per simulationem, adeóque data opera, & ex proposito alterum inducere in errorem, seu deceptionem animi, semper malum est; vtpote species mendacii, quæ dicitur duplicitas; per quam aliquis aliud in corde habet, & aliud foris ostendit, fallendi causa; idque indicat S. Greg. hom. 23. in Euang. super illa verba, Finxit Iesus se longius ire: *Nihil simplex veritas per duplicitatem egit.* Et S. Ambros. lib. 3. offic. c. 12. *Vnusquisque simplicem sermonem proferat, neque fratrem circumuentione verborum inducat.* Interdum tamen licitum, imò etiam necessarium est, veritatem celando, aut dissimulando, verbo, aut opere ambiguo; permittere velle, vt alter falsam opinionem, seu errorem concipiat. Alioquin omnes allegorias, & sermones tropicos, qui ab audientibus simpliciter accipiuntur, vti verba per se ferunt; sed & bellica stratagemata, quæ per dissimulationem veritatis insidiarum causa fiunt, tanquam mendacia damnari oportebit. Quod ipsum etiam Vlpian. expressit in l. 1. ff. de dolo, vbi à doli mali definitione exclusit dissimulationem, qua aliquis sua, vel aliena iustè tuetur.

Prudenter etiam idem Vlpian annotauit, quòd *veteres dolum etiam bonum dicebant, pro solertia, maxime*
11 *si aduersus hostem, latronemue quis machinetur.* Seruius autem (sicuti & Cicero lib. 3. de offic.) non plenè definiuit dolum malum esse *machinationem quandam alterius decipiendi causa, cùm aliud simulatur, & aliud agitur.* quia etiam sine simulatione dolus malus committi potest, per quamcunque calliditatem, machinationem ad alterum decipiendum non iure adhibitam. Enimuero si nulla iusta causa sit celandi veritatem, tunc licèt æquiuocè loqui, aut per dissimulationem agere non sit mendacium; est tamen dolus malus, atque peccatum contra veritatis virtutem, ob affirmatiuum eius præceptum, quo obligamur, propter vinculum societatis humanæ, & publicum bonum, vt quilibet eam ipsam veritatem loquatur, aut significet proximo, de qua agitur, aut quis interrogatur. qua de re Valentia tom. 3. disp. 5 quæst. 13. p. 2. prope finem. Gl. in cap. ne quis, 22. quæst. 2. vbi ait, quòd hostem deludere licitum est.

Veruntamen exemplum Glossæ omni dubitatione non caret; Si innocens, qui in domo mea latitat, ad iniustam necem quæratur, dicere me posse; *non est domi meæ*, intelligendo quod non comedat domi meæ: quandoquidem verbum *est* eum ambiguum sensum habet. Sed suprà monui, tametsi oratio secundùm se duos sensus habere possit; tamen ex modo interrogantis, respondentis, aliisque circumstantiis interdum ad vnum sensum certum determinari, videlicet verbum, *est* ad significandam existentiam: tunc autem mendaciū est dicere, *Titius non est domi meæ*, si ibi sit, licet non comedat. Tametsi enim verbum *est* absolutè, ac quasi materialiter spectatum comestionem significet; tamen per antecedentem interrogationem, ac respondendi modū &c. determinatur, vt in tali enuntiatione tam secundùm vulgarem loquendi modum, quàm secundùm sapientes existentiam significet. Alioquin dicere oportebit, mendacium non esse, si quis interrogatus, vtrum in Ecclesia sit columna, respondeat, *nulla est ibi columna*, id est, nulla comedit. Cum enim orationes ad alterum directæ secundùm placitum significare debeant; ideo loquens non potest enuntiationi arbitratu suo affingere significationem alienissimam ab omnium, etiam sapientium hominum, conceptione. Sin verò oratio, aut factum, spectatis circumstantiis, ambiguitatem permittat, quā uis ab altero non animaduersam; tunc distingue, vt suprà; an ius habeas id loquendi aut agendi, quo alter ob simplicitatem suam decipietur. tunc nihil delinquis: an verò sine causa iustæ necessitatis, callida æquiuocatione, aliaue ambiguitate ad alterum decipiendum vtatis; tunc licet non mentiaris, perinde tamen peccas contra veritatis ac simplicitatis virtutem, ac si mendacium diceres.

Considerandúmque est hoc loco, quandoquidem humano generi nihil magis naturale, atque commodum est, quàm vt inter ipsos charitas, fides, & societas consistat, consequens est, quod vitium illud, quo mutua inter homines societas, fides ac charitas violatur, valde 12
noxium & abominabile videri debeat: hæc autem est animi duplicitas, propria hominum non bonorum, ac prudentium, sed callidorum, peruersorum, qui sua tantùm commoda sectantur, non quæ Dei sunt, aut Reipublicæ; ac sæpenumero causa existunt odii, dissensionis, perturbationis, & grauium malorum in Communitate: vt meritò tales ab omnibus cauendi sint, iuxta monitum Ecclesiastici cap. 37. *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.*

Illud hoc loco in quæstionem vocari potest: Qui ambiguo v. g. sermone proximum sine iusta causa circumueniens, perspicit ipsi exinde damnum prouenturum esse propter simplicitatem & ignorantiam, vtrum contra iustitiam peccet, & ad compensationem obligetur ante Iudicis condemnationem? Videtur negandum, si oratio spectatis omnibus circumstātiis, verè ambigua fuit, quia tunc deceptio, ac damnum non loquenti tanquam propriæ causæ: sed potiùs audientis simplicitati adscribitur. Secùs est, si oratio verè non ambigua sit, sed secundùm circumstantias ad vnum sen-

sum determinata: v. g. si viatori quærenti ex te, vtrum in silua latro sit; respondeas, *non est latro in silua*; intelligendo, quòd non comedat in silua. perniciosum ac iniustum hoc mendaciũ est, ex quo obligatio oritur damni compensandi.

13 Assertio IV. Qui sine debita consideratione falsum dicit; aut falsi dicendi periculo se committit, is contra veritatis virtutem peccat, licet propriè non mentiatur. Est communis, & certa doctrina, cuius pro pars probatur: Quia ex virtute veritatis obligamur, si loqui alteri velimus, vt vera, non falsa loquamur: ergo peccatis contra virtutem veritatis, qui in cautè & inconsideratè loquitur falsum, aut loquendi falsi se periculo cõmittit. Posterior pars constat ex assert. 1. Nam mendacium, cùm sit dictum contra mentem, alterius fallendi causa, directum seu formalem dolum requirit. Attamen fieri etiam potest, vt aliquis existimans dictum suum verum esse, nihilominus mentiatur; si videlicet asserat, sibi certum & exploratum esse; cùm tamen de eo non nisi opinatiuam, seu probabilem persuasionem habeat.

CAP. XIV.

DE PERIVRIO, SEV IVRAmento falso.

SVMMARIVM.

1 *Periurium strictè, est mendacium iuramento confirmatum: latè autem accipitur pro omni iuramento illicito, seu irreligioso.*
2 *Omne periurium assertorium est peccatum mortale, si cum plena deliberatione fiat.*
3 *Iuramentum incautum est peccatum graue, vel leue, secundũ proportionem defectus debitæ considerationis.*
4 *Iuramentum incautum non continet malitiam propriè dicti periurii.*
5 *In iuramento assertorio maior, vel minor certitudo requiritur, pro diuersitate rerum iuramento assertarum.*
6 *Non omne promissorium periurium est peccatum mortale; sed ob leuitatem materiæ, veniale fieri potest.*
7 *Iuramentum amphibologicum, licet propriè periurium non sit; imò omni culpa vacet, si iusta ita iurandi causa adsit; est tamen illicitum & quodammodo periurium, si sine iusta necessitate fiat.*
8 *Amphibologici sermones defendi possunt; nisi locutio ex modo, & circumstantiis ad vnicum sensum determinata sit.*
9 *Iuramentum, cui deest iustitia, si sit assertorium tantùm, videtur peccatũ veniale; sin verò promissorium de patrando opere mortaliter malo, est mortale.*
10 *Iuramentum de re indifferente, aut repugnante Euangelicis consiliis, per se loquendo, veniale peccatum est, ob iustitiæ defectum.*
11 *Iuramentum, cui iudicii discretio deest, quia sine necessitate fit, venialem tantùm culpam continet.*
12 *Crimen periurii non pœnam corporalem, sed aliam arbitrariam habet.*
13 *Homines plebeii non satis distiguunt inter iuramentum, blasphemiam, & maledictionem.*

1 PERIVRIVM interdum accipitur strictè ac propriè, vt idem sit, quod *mendacium iuramento confirmatum*, sicuti definit S. Thom. qu. 98. art. 1. & S. Hieron. super cap. 4. Hierem. relatus in ca. 2. causa 22. q. 2. *Mentiendo iurare nihil aliud est, quàm peierare*. Nam periurium contrariè opponitur iuramento vero, ac religioso: Iuramentum autem (verum ac religiosum) est inuocatio diuini testimonij, in confirmationem alicuius veritatis. Igitur periurium est inuocatio diuini testimonij in confirmationem falsitatis ac mendacii; ideoque iuramentum propriè falsum.

Interdum verò accipitur periurium latè pro omni iuramento illicito sed peruerso, id est destituto aliquo trium comitum, quæ sunt veritas, iudicium, ac iustitia. *Si enim ista defuerint*, inquit S. Hieron. super cap. 4. Hierem. *nequaquam iuramentum erit, sed periurium*. Quare triplex est periurium. Vnum propriè dictum, quod veritate caret. idque diuidi solet in assertorium, ac promissorium. Alterum, quod iustitia destituitur: puta, si quis rem illicitam, ac prohibitam iuret. Tertium, quod iudicio, seu discretione vacat; puta, si quis sine iusta causa temere iurat. Atque hæc duo posteriora impropriè & quodammodo periuria sunt, quia falsitatem quodammodo in se continent. Nam qui rem illicitam seu iniustam iurat, is obligatus est dictum suum falsum efficere, abstinendo ab opere: qui verò indiscretè iurat, is committit se periculo falsitatem incurrendi. Ita docet S. Th. q. 98. a. 1.

Corollarium. Secundo præcepto Decalogi, *Non assumes nomen Dei in vanum*, prohibetur omne periurium, sed principaliter id, quod veritate destituitur, alia verò secundariò prohibentur. Nam iuramentum *vanum*, dicitur, quod fine suo frustratur. Iuramenti autem finis est confirmatio veritatis: Ergo maximè vanum est iuramentum, cui deest veritas. Deinde verò, si quis iuret rem illicitam, quam exequi non potest, vel rem indifferentem aut maioris boni impedientem, vel denique sine necessitatis vel vtilitatis ratione, itidem in vanum Dei nomen assumere censetur. Ita Sotus lib. 8. q. 2. a. 1. & 2. Sanchez lib. 3. c. 4. n. 5.

Assertio I. Omne periurium assertorium, si cum plena mentis deliberatione fiat, est mortale peccatum, neque ob materiæ leuitatem veniale fieri potest. Ita S. Th. quæst. 98. a. 3. Caiet. ibidem, & quæst. 89. a. 7. resp. ad 4. §. ad hoc dicitur, & in sum. ver. periurium, dub. 1. & 2. Scotus in 3. d. 39. q. vn. dub. 1. & 2. Rich. a. 3. q. Couar. 1. resol. c. 1. n. 2. Nau. c. 12. n. 6. Tol. lib. 4. c. 21. ver. iurare. Suar. lib. 3. de iuram. cap. 4. Sanchez lib 3. c. 4. n. 6. & alii communiter. Ex quibus hæc regula traditur: Quotiescunque id quod asseritur, vel negatur, mendacium est, iuramentum illi additum est peccatum mortale. Ratio est, quia Deum veracissimum in confirmationem cuiuscunque falsitatis, testem deliberatè adducere, non vacat grauissimâ irreuerentia & contemptu. Cùm enim veritas latitudinem non habeat, sed in diuisibili consistat, videlicet in adæquatione dicti ad rem; sequitur, omnem assertionem, quæ vera nõ est, simpliciter & omnimodè falsam esse; vt si dicas v. g. esse viginti nuces, cùm tantùm sint nouendecim: consequenter, si eiusmodi falsitatem seu mendaciũ iuramento confirmes, perfecta & integra malitia periurii in eo reperitur. Ita docet S. Th. l. c. qui addit, in respons. ad 2. Si mendacium iocosum iuramento confirmetur, quodammodo etiam plus irreuerentiæ Deo irrogari; quando quidem sine vlla necessitatis ratione Dei nomen in testimonium falsitatis assumitur. 2

Assertio II. Iuramentum incautum, id est, prolatum sine debita consideratione, verúmne sit quod iuratur, est peccatum graue, vel leue, secundùm proportionem defectus considerationis debitæ. Si enim magna sit negligentia vel defectus, erit peccatum mortale: si parua negligentia vel defectus, veniale tantùm. Ita docet S. Bonauen. in 3. d. 39. q. 3. Caiet. Angelus, Syl. ver. periurium, Nau. c. 12. n. 7. Sotus lib. 8. quæst. 2. art. 3. concl. 6. Valentia disp. 6. quæst. 7. p. 3. vbi de iudicio inquisitionis, non longè à fine, Suarez cit. libro 3. c. 5. Sanchez lib. 3. c. 4. num. 14. & colligitur ex doctrina S. Th. ll. suprà citatis. Probatur: Nam malitia iuramenti incauti in eo consistit, quòd aliquis periculo se committat iurandi falsum: Atqui hoc periculum tantò maius & propinquius est, quantò minùs iurans rei iuratæ veritatem considerat, & attendit. Ergo &c. Adde, in conscientiæ foro nihil referre: vtrum iurans postea reperiat se verum iurasse, an falsum: dummodo, cùm iurauit, aduerterit ad periculum 3

falsitatis, ob considerationis seu cognitionis suæ defectum.

Sed quæstio est; Vtrum iuramentum incautum contineat malitiam propriè dicti periuriis? Ita affirmant
4 Doctores citati, vti videre licet apud Sanchez n. 10. & 14. Sed rectiùs negat Vasquez 1. 2. disp. 127. cap. 3. *Quis non videt*, (inquit) *vel dubitat esse falsum, quod iurat, periurus non est*. cúmque secutus Lusius Turriarum 2. 2. disp. 58. dub 2. Ratio est. Quia omne periurium pro fundamento habet mendacium, vt constat ex definitione S. Thom. citat. quæst. 98. art. 1. Sed contra: Qui autem aliquid asserit, minùs considerans, vel subdubitans num verum sit, is non mentitur; cùm nihil asserat contra mentem, voluntate fallendi. Ergo non propriè peierat.

Respondebit aliquis: Imò verò mentiri, & peierare eum, qui incertam, aut minùs exploratam veritatem iuramento confirmat: siquidem obiectum iuramenti, ob diuini Numinis reuerentiam, oportet esse veritatem certam, & satis exploratam, pro conditione & qualitate materiæ. Ergo iurans hoc ipsum præse fert, & profitetur ac consequenter mentitur & peierat, si rem incertam, vel minùs consideratam habeat. Sed hæc responsio non satisfacit. Qui enim assertoriè iurat, is plerumque nihil reflexè asserere vult de sua cognitione num ea certa sit, necne: sed solùm directè de obiecto ita se habere, sicuti enuntiat. Verùm quia non temere; sed re bene considerata iurare oportet; ideò quò magis iurans in consideratione debita deficit, tantò magis à reuerentia & religione iuramenti discedit, ideóque peccat; sed non propriè ac formaliter peierat.

5 Confirmatur ex suprà dictis. Nam omne periurium assertorium est peccatum mortale: Sed iuramentum incautum non semper est mortale: Ergo distinguitur à periurio assertorio.

Idémque dicendum de iis, qui falsum iurant sine ratione, animaduersione ex consuetudine, quam deponere negligunt: non enim propriè peierant, cùm non mentiantur. Qui tamen huiusmodi falsa iuramenta deordinationem quandam habent, ideò consuetudo existens causa voluntaria horum iuramentorum aggrauatur ab eis, tanquam effectibus indirectè volitis. Ita notauit Turrianus lib. cit. Vide, quæ dixi lib. 1. tract. 1. cap. 3. numero 6. Denique eadem ratione dicendum est de ebriis, eos peierare non posse: Quia vbi non est mendacium, ibi non est periurium: In ebrios autem mendacium non cadit. Mentiri enim est contra mentem loqui, fallendi intentione. Ergo vbi non est mens atque intentio; videlicet in ebriis, non potest habere locum mendacium. Idque notauit Vasquez suprà citat. cap. 3. Vide quæ dixi lib. 2. tr. 1. c. 14. nu. 2.

Porrò notandum est, quod suprà dixi, ad assertorium iuramentum requiri, vt res iuranti certa, vel satis explorata sit, *pro conditione seu qualitate materiæ*. Si enim iurās proprium factum iuret; tunc maiore opus est certitudine, & plerumque veritatis euidentia, qualis de propriis actionibus haberi potest, ac solet. Sin verò iurans factum alienum asserat, vel simile aliquid, de quo certa, aut euidens cognitio haberi non potest, sed tantùm verisimilis; tunc maior etiam ad assertorium iuramentum certitudo non requiritur; etsi præter opinionem contingat rem aliter se habere. Veruntamen, si testis de facto alieno iuratus in iudicio deponat, requiritur cognitio certa, quæ habetur per visum &c. iuxta c. testes, 3. quæst. 9. neque sufficit cognitio incerta quæ habeatur ex fama, vel aliorum relatione, vti docet Sanchez cit. c. 4. nu. 13. Sed intelligi hoc debet, si de ipso facto testimonium exigatur, quale ad semiplenam probationem exigi solet. Secùs autem est, si testis solùm de fama, vel alio criminis, iudicio examinetur; Deinde interdum tale est factum, vel negotium alienum, vt de eo certa cognitio haberi non soleat, adeóque non requiratur: v. g. cùm aliquis testatur, & iurat, alterum esse dignum ad sacrum ordinem vel beneficium Ecclesiasticum; intelligi hoc debet, *quantum humana fragilitas nosse finit*, sicuti habetur in c. vn. de scrutinio in ordine faciendo & docet Scotus in 3. d. 39. q. vn. §. quantum ad secundum, Sairus in claui regia, l. 5. c. 4. n. 18. Sāchez l. 3. c. 4. n. 13.

Assertio III. Licet probabilis sit sententia Gabrielis in 3. d. 39. quæst. 2. a. 2. concl. 4. Caiet. in sum. ver. periurium, cap. 2. Armillæ ver. iurare, num. 12. Medinæ lib. 1. instruct. capite 14. §. 4. Lessii lib. 2. cap. 42. dub. 5. num. 23. Valent. tom. 3. disp. 6. quæst. 7. p. 3. concl. 3. omne periurium promissorium esse peccatum mortale, neque ob materiæ leuitatem, veniale fieri posse; contraria tamen sententia est probabilior, quam tradit S. Anton. p. 2. tit. 10. cap. 4. §. 1. Syluest. ver. iuramentum, 4. quæstione 1. Sotus lib. 8. quæstione 1. art. 7. Nauar. cap. 12. man. numero 10. & cap. 18. numero 7. Rodriq. tom. 1. sum. capite 192. numero 5. Sa ver. iuramentum, numero 7. Suarez lib. 3. de iuram. cap. 16. Sanchez lib. 3. cap. 4. numero 23. Comneg. tom. 2. disput. 22. dub. 7. numero 53. Prior pars huius assertionis constat tum ex auctoritate Doctorum, tum eorundem ratione. Nam facere, quòd Deus in testimonium falsi adductus sit, est grauis irreuerentia, & mortale periurium; vti constat ex dictis assertione 1. Qui autem se aliquid facturum iurauit, siue magnum sit, siue paruum, ac postea intermittit, is facit, vt Deus in testimonium falsi adductus fuerit. Ergo grauem irreuerentiam, ac mortale periurium admittit. 6

Posterior assertionis pars probatur: Si peccatum ratione materiæ augeri, ac minui solet, tum in eo genere etiam venialiter peccari potest. Est autem communis hominum persuasio, tantò maiorem, vel minorem irreuerentiam Deo irrogari, quantò maior, vel minor promissio iurata violatur. Ergo potest etiam venialiter contra virtutem Religionis peccari, si leuis promissio iurata violetur; veluti si iurasti, te cum socio animi caussatus iturum, & postea temere intermittas. Ratio huius persuasionis est: Quia in iuramento promissorio Deus ad promissionis, vel cuiuscunque boni operis exequendi confirmationem non propriè vt testis adducitur; (nam alioquin periculum esset, ne sæpe in testimonium falsitatis adduceretur, si postea etiam iusta de causa promissio non impleretur) sed solùm vt auctoritatem præbens obligationi, quæ ex promissoria, aut quasi promissoria assertione oritur: ad eum modum, sicuti si sponsalia in præsentia Principis, quasi auctoritatem interponentis, celebrentur. Certum autem est, tantò maiorem, vel minorem irreuerentiam irrogari, quantò maior, vel minor res est, ad quam confirmandam alterius auctoritate vsus es; si postea sine iusta causa à te non fiat, quod dixisti, aut promisisti, vti notauit Caiet. q. 89. a. 7.

Confirmatur I. Violatio voti circa materiam leuem non nisi venialem irreuerentiam aduersus Deum continet, vt dicam tract. seq. cap. 3. num. 2. Ergo etiam violatio iuramenti promissorij circa similem materiam. Probatur conseq. Quia teste S. Tho. q. 89. art. 8. maior est obligatio voti, quàm iuramenti promissorij erga hominem; & consequenter grauior illius, quàm huius violatio seu transgressio. Ratio est: Quia in promissione voti fides directè Deo datur: in promissorio autem iuramento fides alteri datur interposito nomine & auctoritate Dei: est autem maior irreuerentia erga Deum infidelem esse, quàm fidem alteri datam violando, abuti auctoritate Dei, quæ interposita erat, sicuti re-

rè explicat Suarez libro 2. capite 3. numero 7. & seqq.

Confirmatur II. Omne propriè dictum periurium fundatur in mendacio: Qui autem promissionem alteri veraciter, & ex animo factam postea violat, is non mentitur; sed infidelis est. Ergo tametsi promissio iurata fuerit, eius violatio non continet propiè dictum periurium; sed alterius speciei irreuerentiam aduersus Deum. Quæ doctrina sumpta est ex S. Th. q. 110. a. 3. ad 5. *Qui aliquid promittit, si habet animũ faciẽdi quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non faciat quod promittit, tunc videtur infideliter agere, per hoc quod animum mutat.*

Confirmatur III. Qui votum iuratum Deo edidit, quamuis postea non impleat, tamen mentitus propriè non est, cùm homo, qui veram Dei falli non potentis cognitionem habet, ipsi mentiri, eúmue decipere velle non possit. Ergo propriè non peierat: quandoquidem sine mendacio periurium propriè non est.

Ex his patet solutio contrarii fundamenti; Quòd in violatione iuramenti promissorii non fiat, vt Deus in testimonium falsi, aut mendacii adductus sit; sed quòd auctoritas Dei in confirmationem infidelis promissionis adhibita fuerit.

Dices primò: Qui promissionem violat, is facit præteritum dictum suum, *se daturum, facturum* falsum fuisse consequenter facit, quantum in se est, vt Deus in confirmationem falsitatis adductus fuerit. Respondeo duobus modis Primò, Quòd hæc sit falsitas materialis tantùm, non formalis: sicuti etiam qui rem iniquam se facturum iurat, quodammodo falsum iurat, eo ipso, quia opus iuratum intermittere tenetur. Secundò, & faciliùs cum Ægid. Coninck. 2. 2. tom. 2. disput. 22. dub. 7. concl. 1. Qui siue iuratus, siue non iuratus promittit se aliquid facturum, is non affirmat se verè facturum esse, (cùm hoc ipsum nesciat, quia plane contingens ac variabile sit) sed tantùm ad faciendum se obligat.

Dices II. Omnis violatio promissionis aut quasi promissionis obligantis est contra virtutem veracitatis: Ergo si promissio iurata fuerit, censeri debet periurium commissum. Respondeo; Antecedens intelligendum non esse de virtute veracitatis, quæ in eo consistit, vt dicta menti dicentis consentiant, atque pro opposito suo habet mendacium: sed de veracitatis virtute, quæ in eo consistit, vt dictis, aut promissis facta respondeant, atque pro opposito habet inconstantiam in dictis, aut infidelitatem in promissis.

Dices III. Quòd violatores iuramenti proprè promissorii in externo foro tanquam periuri grauiter puniri soleant. Respondeo, negari non posse, quin tales contrahãt crimen periurij impropriè dicti ex genere suo mortale; ob quod grauiter puniri possunt, nisi materiæ leuitas à grauitate reatus liberet.

Sed quid sentiendum de iuramento non propriè promissorio, habente tamen obiectum honestum, v. g. si pater iurauerit, se puerum ita meritum castigaturum, & postea sine causa intermittat, vtrum peccet? Respondeo peccare, quamuis non mortaliter, ob materiæ leuitatem. Est enim irreuerentia quædam aduersus Deum, propositum bonum, diuini Numinis auctoritate firmatum, sine causa immutare. Nam homo per propositum veluti sibi ipsi legem fert libera voluntate, quam iuramento seu auctoritate diuini Numinis veluti sigillo firmat, ac corroborat: est autem irreuerentia Dei auctoritate abuti ad instabilitatem animi, vt veluti Deus instabilitatis humanæ confirmator esse debeat.

Assertio IV. Iuramentum amphibologicum licet propriè periurium non sit, imò omni culpa careat, si iusta iurandi causa subsit ad veritatem aliquam dissimulandam; est tamen illicitum, & quodammodo periurium, si sine iusta necessitate fiat. Ita docet Caiet. 2. 2. q. 89. a. 7. §. Ad hoc dicitur, Nau. in cap. humanæ aures, 22. q. 5. in 1. 2. & 3. q. &c. 12. man. numero 8. Valent. t. 3. disp. 5. quæstione 13. p. 2. Tolet. lib. 4. ca. 21. Rodriq. tom. 1. sum. cap. 191. numero 7. Philiarch. de offic. sacerdotis, tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 14. Salon. 2. 2. quæstione 69. art. 2. controu. 11. Less. lib. 2. cap. 42. dub. 9. Sanchez libro 3. capite 6. numero 3. Hæc assertio tres partes continet: I. pars, quòd iuramentum amphibologicum periurium non sit, inde constat, quia, vt pono, alter sensus amphibologiæ verus est: Ergo qui illum iuramento confirmat, periurium propriè non committit. Quinimò, tametsi ponamus locutionẽ aliquam non esse verè ambiguam: sed vel suapte institutione, vel ex circumstantiis ac modo loquendi determinatam ad vnũ, eúmque falsum sensum; si tamen iurans animo suo non intendat illum confirmare iuramento; sed alium, quamuis alienum à verborum sensu, verè periurus non est. Quia periurium non est sine proposito inuocandi Deum vt testem in confirmationem falsi: iste autem non intendit Deum inuocare, vt testem enuntiationis eius falsæ, quam exteriùs profert; sed alterius veræ, quam in animo retinet. Quæ doctrina sumitur ex S. Gregorio lib. 26. moral. cap. 7. vbi excusando sanctum Iob, cuius verba amici eius sinistrè acceperant, ita loquitur: *Humanæ aures verbo nostra talia iudicant, qualia foris sonant: Diuina verè iudicia talia ea audiunt, qualia ex intimis proferuntur.*

Moneo tamen primò; Quòd talis dupliciter mentitur, ac decipit: & quia exteriùs loquitur seu enũtiat aliter quàm in animo sentit, sicuti dixi cap. præced. assert. 1. num. 6. 7. & quia exteriùs simulat, se eam ipsam enũtiationem iuramento confirmare, cùm re vera siue ex animo confirmet. Moneo secundo; Quòd talis, licet periurus propriè nõ sit, tamen grauiter plerumque peccet, etiam contra religionis virtutem: quia vtitur iuramento, vti sit quasi instrumentum alterum decipiendi & falsitatem ei obtrudendi: præterquam quòd verè periurus esse possit, si iuramento suo asserat & confirmet, se syncerè ac sine dolo verba proferre, aut quippiam promittere.

Altera pars assertionis, quòd amphibologicum iuramentum interdum omni culpa careat, eadem ratione probatur; quia amphibologicæ locutionis vnus sensus verus est: ergo secundùm illum postulante necessitate, iuramento confirmari potest. Quanquam grauior causa requiritur ad cohonestandam amphibologiam iuratam, quàm simplicem, ob reuerentiam iuramenti non facilè proferendi. Causa autem necessitatis esse solet, si ex vna parte vel tua ipsius, vel alterius, vel Reipublicæ intersit amphibologicè aliquam veritatem iurando, aliam veritatem celare; ex altera verò parte, is qui interrogat, aut iuramentum exigit, vel non legitimè id faciat, v. g. Iudex incompetens, aut non iuridicè interrogans; vel etsi legitimè interroget; tamen eius intentioni satisfiat ita respondendo.

Tertia demum pars assertionis, quòd sine iusta necessitatis causa amphibologico iuramento veritatem celare, peruersum sit, & quodammodo periurium, inde constat: Quia cùm talis dissimulatio, seu verborum circumuentio ac dolus per se vituperabilis sit & humanæ societati incõmodans, multò quidem magis, si iuramentum accesserit: Quapropter si id fiat in re alicuius momenti, vel cum graui & iniusto damno proximi, erit hoc peccatum mortale, contra religionis virtutem, & quasi periurium in externo foro non immeritò punietur. Cùm enim finis iuramẽti sit confirmatio veritatis; pactorum item, ac promissorum inter homines; illius vim & efficaciam, non sine humanæ societatis detrimento, valde eneruant & destruunt, qui iuramen-

to abutuntur seu ad falsitatem simulandam, seu ad veritatem sine iusta causa dissimulandam: vt hîc nihil dicam de scãdalis, quæ cum huiusmodi iuramentis peruersis coniuncta esse solent.

8 Porrò ex secunda huius assert. parte hi casus resoluuntur: I. Qui pecuniam mutuò sibi datam fideliter soluit, is pòstea in iudicio conuentus, si aliæ probationes & exceptiones desint, iuratus dicere potest, se hunc mutui contractum non instituisse; intellige tali obligatione, vt bis soluere debeat, ita probabiliter docent Couar. 1. resol. cap. 2. num. 4. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 4. quæstione 5. reg. 2. Suarez libro 3. cap. 9. num. 6.

II. Qui mulieri graui metu coactus, vel sine vllo proposito se obligandi dixerat *Accipiam te in meam*, postea à Iudice sub iuramento interrogatus, negare potest se talia verba dixisse, intelligendo eo sensu, quo existimatur, vt eam in matrimonium accipere liberè consenserit, sicuti probabiliter resoluit Nau. in c. humanæ aures, 22. quæst. 5. in q. sua 1. Tolet lib. 4. cap. 21.

III. Qui sub iuramento interrogatur, vtrum veniat ex loco, qui falsò existimatur peste infectus, iurare potest, se inde non venire, intelligendo ex loco, qualis existimatur, sicuti docent Syl. ver. iuramentum, 3. quæstione 2. Nauar. cit. cap. humanæ aures, quæst. 2. numero 9. & in man. cap. 12. numero 19. Azor cit. cap. 4. quæstione 5. reg. 3. Suarez citat. cap. 9. numero 7. Tolet. libro 4. cap. 21. Sanchez lib. 3. cap. 6. numero 35. Rodriq. p. 1. sum. cap. 191. concl. 4. Imò plerique addunt, tametsi locus infestus sit, si tamen celeriter transiens certò credat, se peste infectum non esse, iurare eum posse, non transiisse. Quod verisimile est secundùm explicationem Syl. si tales circumstantiæ sint, vt si officiales scirent; ingressum concederent, aut saltem concedere deberent. Sæpe tamen iusta solet esse intentio interrogantium, vtrum viatores quamcunque moram, longam, aut paruam, in loco infecto traxerint, cùm facilè sit, præsertim si aër infectus est, etiam non aduertentem pestilentiam in corpore, aut vestibus corripi. Quo casu interrogatus non iurabit ad iustam intentionem interrogantis, si absolutè neget, se in tali loco fuisse, aut inde venire: profectò in foro externo talis vt periurus non immeritò punietur.

IV. Qui de aliquo facto, tanquam reus criminis, interrogatur, si ob circumstantiam ab omni culpa immunis sit, potest iuratus negare, se id fecisse, intelligendo eo modo ac fine, quo à Iudice interrogatur. Exemplum habes in eo, qui hominem per inculpatam ignorantiam pro fera occidit, vel in iustam compensationem debiti rem alienam subtraxit. Ita Sairus in claui regia lib. 12. cap. 17. num. 26. Less. lib. 2. ca. 31. nu. 14. Sanchez nu. 14.

V. Scholastici interrogati, an sint collocuti cum aliquo ex iis qui pro cathedra contendunt, iurare possunt, se locutos non esse, intelligendo de rebus pertinentibus ad materiam subornationis; quia hæc sola debet esse iusta mens & intentio interrogantis, sicuti docet Nau. c. 12. nu. 19. Suarez lib. 3. c. 9. n. 7.

Hæ recentiorum Doctorum resolutiones ea probabili ratione niti debent; quia consuetum est inter homines, vt responsio interrogantis intentioni conformetur; ideóque aliquis non plus, sed hoc ipsum respondere censeatur, quod alter interrogat. Iudex autem v. g. solùm intendere censetur, an Reus conuentus contractum instituerit, ex quo modò obligatus sit. Sin verò eam intentionem excedat, & plus se interrogare significet; tum interrogantem dictis modis deludere, mendacium foret. Neque hîc distinguere opus est, vtrum Iudex legitimè interroget, nécne: quia licet veritatem illegitimè interroganti edicere non cogaris, non tamen debes mendacium dicere: est autem mendacium, si Iudice determinatè interrogante, vtrum nulla vnquam ratione mutuum à Titio acceperis, tu absolutè neges intelligendo intra te, quòd tibi fateri obligatus sim. Ex quibus etiam iudicium ferri potest de doctrina Soti de secr. reg. mem. 3. quæst. 3. concl. 3. & 4. Ægid. Coninck de actibus supernatur. lib. 1. disput. 10. dub. 3. numero 51. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 4. quæstione 3. reg 2. vbi aiunt, quòd Reus de occulto crimine præter iuris ordinem interrogatus, si neget, intelligendus sit de tali crimine, quod in iudicium venire debeat.

At verò, si aliquis à te mutuò pecunias petat, aut libros commodatò; tu autem neges te habere, mente tua intelligendo, *quod tibi dare obligatus sim*, mendacium committis, non æquiuocationem, sicuti bene contra Nauar. c. 12. numero 18. Rodriq. tom. 1. cap. 193. cõcl. 4. Philiarchum tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 4. prope finem, docent Lopez p. 1. instruct. cap. 42. §. Item qui non tenetur, Henriq. lib. 6. cap. 19. numero 8. in cõment. lit. K. & colligitur ex Soto de secret. mem. 3. q. 3. vt eum Corduba explicat. Quia verba cùm per intentionem interrogantis, tum per alias circumstantias satis determinantur ad significandum, te non habere quod possis gratis mutuare, aut commodare. Item si latroni v. g. pecunias stipulanti, iuratus promittas te daturum; intra mentem retinendo, *dabo si tibi debeam*, amphibologia non est, sed mendacium: quia verba cùm secundùm expressam exigentis intentionem tum secundùm alias circumstantias determinantur ad absolutam promissionem, sicuti bene docet Caiet. quæstione 89. art. 7. solut. 4. §. Ad hoc dicitur. Arrag. eadem solut. 4. concl. 2. Sotus lib. 8. quæstione 1. art. 7. prope finem contra Syluest. ver. iuramentum, 4. quæstione 7. dicto 2. Nauar. cap. humanæ aures, 22. quæstione 5. q. sua 3. n. 6. Sanchez cit c 6. n. 43. Etenim licet interrogatus iniustè, non teneatur semper respondere ad intentionem interrogantis, sed possit secretum per ambiguitatem sermonis celare; quæ in aliquo sensu apud vulgus, aut apud sapientes vera sint; aliàs mentitur. quod nunquam licitum est.

Quare quod Iuristæ quidam apud Nauar. in citato cap. humanæ aures, quæstione 2. numero 10. de B. Francisco referunt, quòd cùm Perusii à Prætore de criminoso quodam interrogaretur, an vidisset illum transire, responderit: *non transiit hac*, intra se intelligens *per manicam meam*; ad id dicit Sotus citato mem. 3. quæstione 3. ante 7. concl. *D. Franciscus vel falsò circumfertur auctor eius responsi, vel putauit vir sanctissimus id esse licitum*. Aliter autem sentit S. August. libro de mendacio capite 13. vbi commemorat, & laudat Tagastensis Ecclesiæ Episcopum, qui *Firmus nomine, firmior voluntate: nam cùm ab eo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia, quanta poterat, occultabat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere; passúsque multa tormenta corporis, permansit in sententia.*

Circa tertiam verò assert. partem nota; Quòd dolosè iurans alteri se facturum aliquid, duobus modis comparatus esse potest: Primò; Vt non habeat animum faciendi quod promittit; habeat tamen animum iurandi, & iuramento se obligandi: & talis periurium assertoriũ committere censetur: quia mendaciter ostendit seu simulat, habere se propositum faciendi, ídque iuramento confirmat; atque insuper tanquam ex iuramento promissorio obligatus manet ad exequendum. qua de re vide Caiet q. 89. a. 7. resp. ad 4. Secundò; Vt non habeat animum iurandi id, quod exteriùs promittere videtur; sed verba iuramenti alio sensu proferat: tunc licet non obligetur per se ratione iuramenti, quippe quod sine

animo iurandi nullum est; per accidens tamen obligatur ad implendam rem exteriùs promissam, & acceptatam: partim ratione scandali, ne periurus censeatur ac puniatur; partim verò ratione nocumenti alteri personæ prouenturi: vt si quis per iuratam simulationem nuptiarum, puellam decepit. Quapropter rectè dixit Isidorus lib. 2. sentent. cap. 31. relatus à S. Thom. q. 89. a. 7. ad 4. quòd *dupliciter reus fit* dolosè iurans, *quia & nomen Dei in vanum assumit* (est enim irreuerentia, seu irreligiositas non parua, testimonium Dei vsurpare ad duplicitatem, & dolum tegendum, sicuti Caiet. notat cit. resp. ad 4.) *& quia proximum dolo capit*. Quod autem dixit S. Thom. cit. respon. ad 4. *Quando non eadem iurātis intentio, & eius cui iurat, si hoc prouenit ex dolo iurantis, debet iuramentum præstari secundùm sanum intellectum eius, cui præstatur*, id intelligi non debet secundùm se, & virtute iuramenti promissorij; sed per accidens ratione iniustæ læsionis, sicuti ipsemet S. Doctor expressiùs docuerat in 3. d. 39. quæstione 1. art. 3. quæstiun. 3. *Qui iurat dolosè, quamuis ex ipsa ratione iuramenti, in quantum iuramentum, non obligetur ad seruandum ipsum, nisi secundùm suam intentionem, tamen ex necessitate iuramenti, in quantum fuit dolosum, obligatur ad obseruandum taliter, quòd ex dolo alius non lædatur: & hoc est quando secundùm intentionem recipientis implet iuramentum.*

9 Assertio V. Iuramentum, cui deest iustitia, quia est de re iniqua, si assertorium tantùm sit, videtur ex genere suo esse peccatum duntaxat veniale: v. g. si crimen occultum proximi sine iusta causa iuratus reueles. Ita docet Suarez l 3. c 12. n. 7. & 8. Sanchez c. 4. n. 33. Ratio est: Quia in tali casu iuramentum non confirmat assertionem seu narrationem, vt iniqua est; sed tantùm vt vera est: ideoque malitia detractionis per accidens tantùm ad iuramentum se habet. Excipe: nisi ea directa intentione detractionem mortalem iuramento confirmes, vt faciliùs ei fides habeatur: tunc enim nomen Dei assumitur tanquam instrumentum ad grauem iniuriam proximo irrogandam, quod magnam Dei irreuerentiam continere videtur: quare in hoc casu circumstantia iuramenti; quòd inquam iuratus proximo detraxeris, ad maiorem fidem faciendam, in Confessione explicanda est.

Assertio VI. Iuramentum promissorium de re mortaliter mala, continet mortalem irreuerentiam, ob iustitiæ defectum, vt si iures, te hominem occisurum: At verò de re venialiter mala, continet tantùm irreuerentiam venialem; vt si iures, te puerum non ita omnino meritum castigaturum. Est communis doctrina apud Syl. ver. iuramentum 2. quæst. 7. & 4. q 1. Caiet. in sum. ver. periurium, ca. 2. & 2. 2. quæst. 98. a. 2. Sotum in 3. d. 39. q vn. a. 3. Nauar. cap 12. num. 13. & 15. Less. c. 42. dub. 4. num. 18. Suar. lib. 3. cap. 19. numero 9. Sanchez cit. cap. 4. numero 26. Ratio est: Quia tantò maior, vel minor irreuerentia Deo irrogatur, quantò maius, vel minus peccatum est cuius committendi propositum Dei auctoritate confirmatur. Cæterùm, si aliquis rem malam iuramento confirmet, vel iuratam postea perficiat eo animo, quasi Deo placeat opus peccati mortalis, aut venialis, tum blasphemia in Deum committitur, per se loquendo. Denique, si quis rem malam, quam iurauerat, postea opere compleat, quasi ex obligatione iuramenti, pertinet id ad superstitionem, & zelum non secundùm scientiam, vti docet Suarez libro citato numero 6. Quamquam, si non error cōtra Fidei doctrinam, sed vulgaris quædam ignorantia seu simplicitas id persuadeat, à mortali peccato id excusari potest.

Assertio VII. Iuramentum de opere vel omissione indifferente, aut repugnante Euangelicis consiliis, per
10 se loquendo, est veniale tantum peccatum, ob iustitiæ defectum. Ita Caiet. citato capite 2. Nauar. capite 12. numero 16. Azor lib. 11. capite 5. quæstione 1. Less. dub. 3. numero 17. Sanchez citato capite 4. numero 30. Suarez capite 18. numero 6. Est enim quædam irreuerentia, sed non grauis, iurare aliquam rem, quæ mala quidem non est, attamen incapax obligationis ex iuramento: vt si iures, te hodie non ieiunaturum; Religiosum non futurum Quamuis Angelus ver. iuramentum, 5. n. 3. Syluest. eod. ver. 2. quæst. 7. putent id esse mortale.

Porrò rectè admonet Sanchez n. 32. Minus malum esse, iurare rem venialem indifferentem, aut contra cōsilia, animo exequendi, quam absque tali animo. Quia in priore casu veniale tantùm peccatum committitur; in posteriore verò mortale periurium. Contrà verò maius malum est (saltem extensiuè) iurare rem mortalem, v. g. homicidium animo exequendi; quàm sine tali animo: quia in priore casu duplex culpa mortalis: in posteriore vnica & simplex, sicuti docent Caiet. 2. 2. quæstione 89. a. 2. Nauar. cap. 12. nu. 13. Suarez cit. c. 19. prope finem.

Assertio VIII. Iuramentum, cui iudicii tantum discretio deest, quia sine necessitatis ratione fit, non excedit culpam venialem; quia leuem irreuerentiam continet: Dummodo iurans sufficientem cautionem adhibeat, vt quod iuramento affirmat, falsum non sit. Qua ratione mercatores excusari possunt à mortali crimine periurij, quando iurare solent, tantidem, vel pluris sibi mercem constare, quanti diuendunt; licet interim lucrum aliquod reportent. Quia tale iuramentum, licet sine necessitatis ratione, ideóque indiscretè prolatum sit, potest tamen habere sensum verum; videlicet æstimato etiam labore, periculo &c. tanti, vel pluris sibi constare. Qua de re vide Sanchez lib. 3. moral cap. 9. numero 5. Fateri tamen debemus, quòd mala consuetudo facilè ad quoduis dictum iurandi, collocet hominem in probabili periculo multorum falsorum iuramentorum, quo sensu Isidor. dixit lib. 2. sent. cap. 31. *Dum vsum iurandi facimus, periurij crimen incurrimus.* Et lib. 2. Synonim. cap. 10. *Assiduitas iurandi periurium facit.* iurandi vsu ad periurium ducit & consentit S. Bernard. de modo bene viuendi, ser. 32. S. August. l. contra mendac. cap. 15. S. Chrys. hom. 4. ad populum Antioch. 11

Denique cùm periurium propriè dictum, tam assertorium, quàm promissorium, admodum graue peccatum sit, imò grauius (secundùm se, & ex specifico obiecto suo) quàm homicidium, & adulterium, teste S. Thom. quodlib. 1. a. 18. quia proximè ac directè contra Dei honorem ac reuerentiam tendit, & præstantissimæ religionis virtuti aduersatur, ideo grauem pœnam meretur non solùm à Deo, vti videre est Malach. cap 5. sed etiam ab humano Magistratu cùm ciuili, tum Ecclesiastico, vti videre est apud Greg. Tholos. l. 50. Syntag. c. 10.

Neque obstat lex 2. Cod. de rebus creditis: *Iurisiurandi contempta religio satis Deum vltorem habet.* Hoc enim ideo dicitur, vt intelligamus, cur periurium corporali pœna, sicuti homicidium &c. Cæsareo iure non puniatur; quia Deum potiùs vltorem habere debet, in cuius iniuriam præcipuè ac directè cedit, vti notauit Couar. c. quamuis pactum, p. 1. § 7. n. 2. Interim puniri potest pœna arbitraria, sicuti & blasphemia, & similia crimina ad solam diuinæ maiestatis offensam pertinentia. 12

Id verò maximè locum habet, si periurium sit promissorium, & cum alterius hominis iniuria coniunctum; vt à ciuili etiam Magistratu, tanquam humanæ societati noxium, puniri debeat, sicuti Glos. notauit in cit. lib. 2. Quamobrem in l. quis maior, Cod. de transact. decernitur, vt qui voluntaria pacta vel trāsactiones iuratas violârit, præter alias pœnas, etiam infamiam ciuilem

seu legalem ipso facto incurrat, secundùm Glos. ibid. ver. infamia communiter receptam. Quæ tamen pœna ad alia periuria puta assertoria, intra, vel extra iudiciū; item ea promissoria, quæ contra solum Deum committuntur, extendenda non est, sicuti colligitur ex leg. vltima ff. de crimine stellionatus, ex communi docent Abbas cap querelam, numero 2. de iureiurando. Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. periurium, numero 3. Suarez lib. 3. de iuramento capite 19. numero 15. post S. Thom. quæstione 98. art. 3. ad 3. qui tamen rectè admonet, per Iudicis sententiam etiam alios periuros conuictos, aut notorios infamia notari posse.

At verò secundùm ius Canonicum decernitur in cap. vltimo 22. quæstione 1. vt pro crimine periurii grauissima pœna imponatur, qualis pro adulterio, homicidio &c. Quamobrem conuictus de periurii crimine deponendus est, cap. Presbyter d. 81. cap. cùm non ab homine, de iudiciis: Multóque magis beneficio Ecclesiastico priuari potest; cùm hæc sit partialis quædam depositio. idque colligitur ex cit. cap. querelam, & notat ibid. Abb. num 1. Ioan. Selua tract. de Benef. p. 4. quæ. 7. At verò in c. peruenit, de fideiuss. præcipitur, vt Clerici periuri ab officio, & beneficio suo suspendantur. Quamobrem ad ordinarij Iudicis arbitrium pertinet iudicare, considerata qualitate delicti, quænam ex his pœnis & num in perpetuum, an ad tempus priuatio imponenda sit, sicuti notauit Suarez cit. c. 20. n. 21.

Cæterùm ante Iudicis sententiam, seu ipso iure, nulla censura, vel pœna canonica ob periurium incurritur, sicuti docent ll. cc. Suaréz. Couarr. Selua, Iulius Clarus, vbi testantur, communem esse DD. sententiam, quòd periurus ipso facto non excidat beneficio, vel dignitate; sed à Iudice priuandus sit, vti etiam Abb. docuit cit. c. querelam, num. 5. Vtrum autem institutio seu collatio beneficii facta periuro notorio ipso iure irrita sit, pendet ex alia quæstione; vtrum talis irregularis existat ob adiunctam infamiam? Et certum est, irregularem esse si infamia legalis sit; videlicet à lege aut Iudice lata: sed ob infamiam facti quæ per vitæ emendationem deleri potest, non incurrit propriè dictam irregularitatem, dictum est in lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 6. & 10.

Coronidis loco aduertendum est, quòd homines simplices ac rusticani vulgari apud nos idiomate confundere solent iuramenta, blasphemias, & maledictiones: cùm maximum discrimen sit. Nam maledictio est mali alicuius imprecatio, quæ si Deo fiat, blasphemia appellatur: semper peccatum mortale, imò vnum ex maximis; dummodo deliberatè fiat. de eo agam infrà tractatu vltimo capite 6. Sin verò maledictio hominibus fiat, an, & quatenus licita, vel illicita sit, dixi libro 2. tractat. 3. capite 8. numero 6. Iuramentum autem est explicita, vel implicita diuini Numinis inuocatio, ad alicuius dicti confirmationem. De eo temere prolato si homines in sacra confessione se accusent, intelligere debet Confessarius, vtrum verè, an falso iurârint. Si dicant, veritatem se iuramento confirmasse, plerumque culpa mortalis iudicanda non est, vti ex dictis constat: sin verè dicant, falsum iuramento se affirmasse, & quidem scienter ac deliberatè, grauis culpæ rei censendi sunt. 13

Ad grauitatem iuramenti falsi. aut temere concepti etiam pertinet, si aliquis per execrationem iurauerit; Moriar; Deus mihi propitius non sit; Diabolus me rapiat, nisi verum sit, quod dico. Si tamen aliquis tali iuramento confirmet, quod scit, aut certò credit verum esse debet mortalis peccati damnari, per se loquendo, & scandalo cessante. Nisi frequenter ita iurando animaduertat, sibi malam consuetudinem ingenerari, per quam denique ad periuria perueniet.

TRACTATVS QVARTVS. DE VOTO ET VOTI RELAXATIONE.

CAP. I.

DE NOMINE, AC DEFINITIONE voti.

SVMMARIVM.

1 *Votum definitur promißio deliberatè Deo facta de meliore bono.*

2 *Qui vouet animo se obligandi Deo, quamuis non exequendi, verè obligatur.*

Fieri potest, vt aliquis peccârit vouendo, tamen voto obligetur.

3 *Tantum voluntarium requiritur ad voti obligationem, quantum ad mortaliter peccandum.*

4 *Ad votum non sufficit voluntas indirecta in causa sua; sufficit tamen voluntas virtualiter permanens in effectu.*

5 *Votum editum ex ignorantia, aut errore tollente voluntarium, nullius roboris est.*

6 *Votum, propriè loquendo, soli Deo editur.*



NOMEN voti dupliciter accipitur: Interdum pro desiderio, siue prece, vt prouerb. 31. *Quid dilecte votorum meorum?* id est, desideriorū. Et in canone Missæ, *Tibiq́ue reddunt vota sua*, id est, pia desideria, ac preces, Secundò, ac frequentiùs, ac magis propriè pro promissione Deo facta, vti apud Ecclesiasten cap. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio.* Et psal. 49. *Redde Altissimo vota tua* Psal. 69. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea* Atque hinc interdum transfertur nomen voti ad rem ipsam voto promissam, vti videre est Deuter cap. 12. *Offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras &c. vota, atque donaria.*

Votum secundùm posteriorem acceptionem (quæ sola huc pertinet) definitur ex doctrina Scholasticorum in 4. d. 38. vbi S. Bonau. art. 1. quæstione 1. & 2. S. Thom. 2. 2. quæstione 88. art. 1. & 2. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. princ. Nauar. cap. 12. numero 24. *Promissio deliberatè Deo facta, de meliore bono.* Prima definitio- 1

nis particula, *promissio*, significat nobis votũ non esse nudum propositum boni operis in Dei honorem præstandi, absque obligationis necessitate, sicuti constat ex cap. literarum, de voto. Etenim promissio, si verè, & non fictè fiat procedit ex volũtate se obligandi, ita vt promissario, videlicet Deo, ius acquiratur. Quod adeò verum est, vt, si aliquis ignorans vim & essentiam voti, vouere velit, non autem voti obligationem contrahere, is reuera nec voueat, nec obligetur: quia incogniti nulla voluntas: & error circa substantiam siue essentiam rei vitiat actum, sicuti docet Sanchez lib. 1. de matrim. disp 9. numero 3. & lib. 4 moral. cap. 1. numero 27. Suarez lib. 1. de voto, cap. 3. numero 3. & 7. Valent. tom. 3. disp. 6. quæstione 6. p. 1. Quæ doctrina in duplici casu vera est: I. Si habeat quis actum positiuè contrarium obligationi, id est, nolit obligari ad id, quod vouere se putat. II. Si negatiuè se habeat, id est, nec expresse, nec implicitè velit obligari; qui ob inuincibilem ignorantiam nescit voto obligationem annexam esse. Neutro enim casu verum, & obligatorium votum emittit; cùm ad id, sicuti etiam ad omnem aliam promissionem, intrinsecè pertineat voluntas obligationis contrahendæ, vt dictum est. Quamuis huic doctrinæ repugnare videatur Sotus lib. 7. q. 1. a. 2. Arrag. 2. 2. q. 88. a. 1. concl. 3. dicto 3.

2 At verò, si vouens animum se obligandi, ac vere vouendi habeat, licet non implendi, sed præuaricandi votum, nihilominus voto astringetur, sicuti ex communi docent Sotus lib. cit. Arrag. citato a. 1. concl. 3. Medina l. 2. instruct. cap. 14. §. 6. princip. Nauarrus in man. cap. 12. num. 27. Suarez cap. 4. num. 2. Sanchez cit. disp. 9. num. 2. & cit. cap. 1. n. 23. contra Valent. cit. p. 1. §. primo, quòd per enuntiationem. Nã sicuti re ipsa accidere potest, vt aliquis castitatis voto obstrictus sit, castitatem tamen non seruet; sic etiã hæc duo voluntate separari possunt, vt aliquis voto obligatus esse velit ad seruandam castitatem, non tamen obligationi satisfacere. Cõfirmatur. Nã alioquin sequitur, Clericum, qui domi concubinam alit, neque eiiciendi propositum concepit, si sacris ordinibus initietur, non obligari castitatis voto; quod nemo dixit.

Obiiciet aliquis. Votum est opus bonum, quippe virtutis Religionis: qui autem Deo vouet cum voluntate præuaricandi, is opus bonum non exercet, sed grauiter peccat, sicuti ostendit Suarez in fine cit. cap. 4. Ergo non edit verum votum. Respondeo ad maiorem; Votum, secundùm speciem & substantiam, quam ex obiecto præcisè accipit, esse actum bonum ex virtute Religionis: Interim verò fieri posse, vt prauâ operantis circumstantiâ vitietur, ideóque secundùm indiuidualem rationem actus simpliciter vitiosus existat. Pari modo, qui ex repentino motu leuiter vouet. v. g. perpetuam à vino abstinentiam, non sine periculo præuaricandi votum, is peccat ita vouendo: quia sicuti omnis alius actus virtutis; ita & votum, vt sit opus bonum ac religionis, debet esse prudens, non leuiter ac temere editum: Nihilominùs votum validum, & obligatorium est: sicuti si prodigè, & non sine peccato homini quippiam promiseris, obligationem contrahis. Quæ est doctrina Caiet. quæstione 88. art. 1. circa 1. conditionem. Valent. cit. p. 1. prope finem, Sanchez cit. lib. 4. cap. 1. num. 9. Suarez cap. 9. numero 15. Item si aliquis, motus desiderio vanam gloriam captandi, eleemosynam vouit, religione voti tenetur: quia licet malè vouerit, votum tamen bene implere potest: & licet talis actus vouendi siue promittendi, quã peccatum est, Deo displiceat, res tamen, quæ voto promissa est, eidem placet, & accepta est.

Altera definitionis particula, *deliberate* explicat nobis, ad votum, sicuti & ad omnem aliam promissionem quæ obligationem pariat, quàm maximè requiri liberum voluntatis consensum. Ex quo colligitur primò; Votum validum non esse, quod ex subitaneo motu, vel animi passione, iudicium ac deliberationem perturbante, concipitur. Nam cum tali animi perturbatione, ac indeliberatione neque mortaliter peccari solet: hæc autem regula communiter traditur à Doctoribus, Caiet. Soto ll. cc. Arrag. cit. art. 1. concl. 3. Palud. in 4. d. 38. q. 1. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. ante §. 1. Nauarro c. 12. n. 26. 27. & lib. 3. consil. 2. de voto, edit. 2. Sanchez lib. 1. disput. 8. numero 5. & lib. 4. moral. cap. 1. num. 2. Molin. tomo 2. disput. 267. Suarez cit. cap. 9. Tantam animi deliberationem requiri, atque sufficere ad vouendum, quanta ad mortaliter peccandum, testante hoc ipsum Glos. in c. mulier, 32. quæstione 1. ibi: *Qui potest obligare Diabolo, potest etiam obligare Deo*. Quapropter sicuti ad peccatum mortale, ita & ad votum haud requiritur diuturna, plena, & penitus matura consultatio siue deliberatio intellectus expendentis omnia adiuncta, & quæ inde euenire possunt. Idque sumitur ex c. 2. de voto in quo indicatur, validum esse votum peregrinationis Hierosolymitanæ quod in puerili ætate, facilitate potiùs, quàm discretionis arbitrio, conceptum est: quãuis eam ob causam faciliùs dispensationem, vel commutationem mereatur, vti ibid. notauit Abb. nu. 3. Sotus Arrag. Nau. ll. cc. Item in c. dudum, de conuers. coniugat. significatur, votum ex calore iracundiæ conceptũ validum esse; modò talis passio rationis vsum non auferat; licet plenè ac perfectè deliberandi facultatem non relinquat. Idémque de iuramento sentiendum esse notauit Abb. c. sicut ex literis, numero 2. de iureiur. Et in c. sunt qui opus, 17. q. 4. ex S. Ambrosio lib. 2. de pœnit. c. 3. vbi reprehenduntur ii, *qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, vbi Ecclesiæ contulerunt, postea reuocandas putauerunt*.

3 Hic duo addenda sunt: Primum. Si aliquis graui metu, adimente rationis vsum & discretionem, ad vouendum adactus fuit, omni iure etiam naturali votum irritum est. Quod tamen raro admodum accidere solet, ideóque facile præsumendum non est; nisi externa indicia furoris, amentiæ &c. in metum, vel similem affectionem passo eo tempore animaduersa fuerit, sicut docet Sanchez lib. 4. cap. 1. numero 13. Sin autem non constet, animum perturbatum fuisse, atque sufficiente deliberatione (qualis etiam ad mortale peccatum requiritur) caruisse, tunc votum omni iure tam naturali, quam positiuo, validum est, præterquam si metu graui, eóque iniusto extortum fuerit: v. g. si frater fratri mortem minitatus sit, nisi repudiata hæreditate, Religionem voueat: tale enim votum saltem iure Ecclesiastico irritum censeri debet, sicuti colligitur ex c. perlatum, de iis quæ vi, metúue, & ex communi docui lib. 3. tract. 4 cap. 6. numero 3. Adde obiter, quòd in Trident. Concil. sess. 25. c. 18. Regular. excommunicatio, niscensura lata sit in eos, qui virginem, aliámue mulierem ad Monasterium ingrediendum, vel Religionem profitendam iniustè coegerint.

Alterum. Ad votum non sufficit voluntas indirecta in causa sua; sufficit tamen voluntas siue intentio virtualiter permanens in suo effectu. Ita ex communi docet Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 8. numero 20. Suarez lib. 1. de voto cap. 10. Explico. Si sciens te ebrium stricto gladio in alios ruere solitum, nihilominus te inebries; homicidium in ebrietate commissum, tibi tanquam indirectè voluntarium imputatur: non item si sciens te ebrium hominibus promittere, vel Deo edere vota solitum, nihilominus te inebries, voto, aliáue promissione in ebrietate postea facta astringeris. Cuius discriminis ratio est; quia homicidium in ebrietate factum verè homicidium est; ideóque ad culpam imputatur; si sit aliquo modo, videlicet indirectè & in 4

causa

causa, voluntarium. At verò votum, & quæuis alia promissio hominis ebrii, vel dormientis non est verum votum: quandoquidem ad voti substantiam intrinsecè requiritur directa se obligandi voluntas. Quòd si verò talem voluntatem seu propositum v. g. votum Religionis Deo edendi habuisti, eòque proposito virtualiter permanente ad altare accessisti, os ad loquendum aperuisti &c. quamuis animo ad alia distractus, valet votum; quemadmodum etiam Sacerdos cum tali intentione validè consecrat.

5 Colligitur secundò; Votum editum ex ignorantia siue errore, tollente voluntarium, nullius roboris esse. Sed aduerte duplicem esse ignorantiam, sicuti dixi in 1. lib. tract. 2. c. 4. n. 1. Vna est negatiua seu priuatiua; altera prauæ dispositionis siue positiuus error. De ignorantia negatiua duo dicenda sunt: I. Si sit circa substantialia rei promissæ, irritum est votum. II. Si ignorantia tantùm sit circa accidentalia rei promissæ, validum est votum. Ratio prioris est; Cùm enim incogniti nulla sit voluntas, ideo qui, rei substantiâ ignoratâ, vouit, non habuit voluntatem eam vouendi, seu ad illam se obligandi. Exemplum habes: Si aliquis sacrum ordinem suscipiat, ignarus ei votum castitatis seruandæ annexum esse; vel Religionem profiteatur, ignarus in ea esse abstinentiam à coniugio, aut rerum proprietate. Limita; nisi generalem, siue implicitam voluntatem obligandi se habeat ad omnia ea, ad quæ alii tali v. g. professione, vel ordinis susceptione obligari solent; licet in particulari nesciat, quænam ea sint. Ratio posterioris est; Cùm enim accidentia, siue circumstantiæ sint connexæ rei promissæ, ideo qui hanc voluntariè vouet etiam illas consequenter vouisse censetur; nisi expressè excludat. Exemplum est: si aliquis Carthusianorum Religionem voueat ignarus in ea esse perpetuam à carnibus abstinentiam, tametsi fortasse non voueret, si eam cognitã haberet, nihilominus voto obligatur, sicuti docent Vasq. 1. 2. disp. 30. c. 4. n. 24. Suar. l. 1. c. 12. n. 3. Sanch. l. 4. c. 2. nu. 6. Valentia cit. qu. 6. in fine.

De errore positiuo dico; Eum impedire valorem voti, non tantùm si circa substantialia rei promissæ versetur (ob rationem, quam suprà dixi) sed etiam, si circa accidentalem circumstantiam, quæ secundùm falsam existimationem vouentis, notabiliter obiectum immutat. Exempli causa: Qui Ordinem Carthusianorum se ingressurum vouet, existimans in eo permissum esse carnibus vesci; ita, vt talis error sit antecedens, siue causa vouendi; quia eo seposito, minimè voueret; is voto non obligatur. Ratio est, quia talis Religionem illam non absolutè vouet, sed vt affectam tali conditione, siue circumstantia: quæ licet sit accidens obiecti siue rei promissæ materialiter; pertinet tamen quodam modo ad substantiam obiecti formaliter, siue prout est in intentione vouentis, sicuti bene explicat Suarez capite 11. num. 11. & docui libro 3. tract. 4. c. 5. n. 3. Excipiendum tamen est votum professionis solemnis, quod instar matrimonii carnalis, ob nullum errorem ad substantiam rei promissæ non pertinentem, infirmatur: Idémque Sanchez cit. c. 2. n. 4. sentiendum ait de votis simplicibus Societatis Iesu, quippe per quæ veri Religiosi constituuntur, & quasi spirituale cũ Christo matrimonium contrahunt.

6 Tertia definitionis particula, *Deo facta*, significat nobis votum, si propriè loquendum sit, soli Deo fieri: cùm sit actus latriæ, siue religionis, qua solum Deum colimus. Quòd si interdum apud Scriptores legatur (vti Bellarminus contendit libro 3. de cultu Sanctorum, cap. 9) Sanctis, siue beatis in cælo vota nuncupari, duobus id modis explicari potest: Primò, ad eũ modum, quo dici etiam solet, templa, & altaria Sanctis dedicari: quia Deo dicantur in honorem, siue memoriam Sãctorum, sicuti explicat S. Aug. lib. 20. contra Faustum, c. 21. Simili modo voti promissio Deo propriè fit, sed in honorem alicuius Sancti, teste S. Thoma 2. 2. quæst. 88. a. 5. ad 3.

Secundò promissio immediatè ipsi Sancto fieri potest ad honorem eius & testificationem gloriæ ac beatitudinis ipsius, tunc verò talis promissio sacra quidem est, & ad Dei etiam cultum ordinata; sed non est propriè votum neque elicitiuè à virtute religionis; sed duliæ, siue obseruantiæ, sicuti explicat Suarez lib. 1. c. 16. n. 9. Eòque sensu explicari possunt verba Greg. Turon. lib. 2. histor. c. 37. *Deo gratias agentes* (satellites) *& vota beato confessori Martino promittentes*. Addit idem Suarez n. 17. Quòd in quibusdam Religionibus dicitur *voueo Deo, B. Mariæ, & Sanctis*, eum sensum habere, quasi dicatur; voueo Deo, coram B. Virgine & Sanctis, tanquam testibus & aduocatis.

Quarta demum definitionis particula, *de maiore bono* materiam voti significat, de qua mox agemus.

CAP. II.

DE MATERIA VOTI.

SVMMARIVM.

1 *Quod voto promittitur, debet esse in potestate vouentis.*
2 *Irritum est votum, nunquam ne venialiter quidem peccandi. Religiosi cauere maximè debent, ne peccata venialia omnino deliberatè committant.*
3 *Si pars voti impossibilis sit, quæ in sensu composito seu dependenter à toto promissa fuit, corruit totum votum.*
4 *Si quis plura vota, eáque incompossibilia edidit, seruari debet, quod dignius est: alioquin prius præfertur posteriori.*
5 *Qui vouit, aut iurauit, se non editurum vota sine Confessarij consilio; si postea nõ adhibito consilio aliquid voueat, nihilominus eo voto obligatur.*
6 *Opus, quod voto promittitur, debet esse mortaliter bonum.*
7 *Finis prauus, tenens se ex parte rei promissæ, votum vitiat, secus si teneat se ex parte vouentis.*
8 *Opus secundùm se indifferens non potest esse materia voti, nisi fine bono cohonestetur.*
9 *Opera præcepta materia voti esse possunt.*
10 *Votum rei secundùm se bonæ propter finem merè indifferentem inualidè concipitur.*
11 *Materia voti debet esse opus melius, quàm sit eius oppositum.*
12 *Matrimonium ordinariè non potest esse voti materia; sed in certis tantùm casibus.*
13 *Plerumque illicitum est matrimonium eo animo contrahere, vt postea deserta, ac decepta coniuge, Religionem quis ingrediatur, aut profiteatur.*
14 *Validum est votum non acceptandi episcopatum, nisi necessitas cogat.*

NOMINE materiæ intelligimus remotè res ipsas, quas ob honorem Dei seu facturos nos, seu omissuros promittimus: propinquè autem ipsam nostram operationem, seu omissionem Deo promissam: v. g. voueo me eleemosynam daturum, ieiunaturum, non blasphematurum. V. de Suar. l. 2. de voto, c. 1.

Triplex conditio ad materiam voti requiritur: Prima, vt posita sit in potestate vouentis. Ex quo sequitur primò, Factum alienum voueri non posse. dicam infrà c. 3. num. 7. 1

Sequitur secundò; Factum moraliter, naturaliter impossibile voueri non posse. Quare irritum est votum, nunquam ne venialiter quidem peccandi, ob moralem eius impossibilitatem, sicuti ex communi docet Sotus lib. 7. quæstione 1. art. 3. Arrag. 2. 2. quæst. 88. art. 2. circa 4. cõcl. Nau. c. 12. n. 65. Sa ver. votũ, n. 20. Rodriq p. 2. sum. c. 94. cõcl. 3. Azor to. 1. l. 11. c. 14. q 4. Sanch. de matr. l. 9. disp. 35. n. 25. & l. 4. moral. c. 5 Suarez lib. 2. c. 3. Tolet. lib. 4. cap. 17. num. 10. Valentia disp. 6. quæst. 6. p. 2. §. si autẽ quærat aliquis. Validum tamen est 2

votum, nullum peccatum cum plena deliberatione committendi, teste Suarez n. 4. Quia licet homini in hac vita, sine speciali priuilegio, possibile non sit euitare omnia peccata, quæ fiunt ex subreptione, siue cum deliberatione imperfecta; attamen possibile est homini, cum ordinaria Dei gratia, vt numquam in peccatum plena animi deliberatione consentiat. Imò omnes, qui Christianæ vitæ perfectionem sectantur, quales Religiosi sunt cogitare debent, à proposito & recta intentione sua in omnibus Dei gloriam, suámque, & aliorum hominum salutem quærendi, quàm maximè alienum esse consensum plenè deliberatum in peccata, quamuis exigua: cùm probè sciant, peccato nihil peius esse, vt potiùs omnia mala vir prudens tolerare debeat, quàm in peccatum, quamuis minimum, cōsentire. Vide Caiet. ver. scrupulosorum medicina, in fine, Francisc. Ariam de imitat. B. Virg. c. 14. Deinde validum est votum, certi generis peccati, cuius declinatio non valde ardua est, penitus euitandi; v. g. nunquam vllam rem, ne modicam quidem furandi; nunquam sine causa iurandi. Præterea validum est votum ab omni peccato mortali se continendi, sicuti DD. suprà citati, alíique communiter affirmant; licet dubitet Nauar. l. c. Ratio autē est: Quia tale votum exequi homini impossibile non est, licet multis valde difficile: quamobrem iis non expedit talia vota edere.

5 Est autem QVÆSTIO PRIMA. Si votum sit partim de re possibili, partim de impossibili; vtrum penitus corruat, an vero validum sit secundùm partem possibilem? Respondeo cum Suarez lib. 2. de voto, cap. 2. Sanchez lib. 4. moral. capite 10. Inspiciendum esse vtrum partes totius promissæ sint diuisim, & sine dependentia inter se; ita, vt partes singulæ fuerint per se materia voti, virtute quasi multiplicis. tunc regula iuris 37. in 6. locum habet: *Vtile per inutile non vitiatur*, si vtile ab inutili separari possit. An verò partes totius collectiuè, & per modum vnius seu indiuidui promissæ fuerint: tunc ruente vna parte, ruunt etiam aliæ: cùm non fuerit intentio vouentis obseruare vnam partem absque altera. Exempla prioris sunt: I. Si voueris ieiunium integræ hebdomadis, & omnibus diebus ieiunare non possis; ieiunare debes, quibus potes: quia singulorum dierum ieiunium sensu diuiso vouisti. Simili ratione docent Rodriq. par. 2. sum c. 99. num. 8 Sanch. li. c. nu. 8. Si adolescens vouerit, se ieiunaturum omnibus diebus vitæ suæ, quod difficile executurus sit; obligari nihilòminus ad ieiunandum diebus, quibus potest sine detrimento corporis, & officii sui; quamuis consultius ipsi esset petere dispensationem super voto ab Episcopo, vel Religioso priuilegiato. Sic etiam sentiendum est de aliis corporis afflictionibus; qua si aliquis vouit immoderatè, non obligatur secundùm excessum, quatenus vel damnum notabile corpori, vel impedimentum officio suo afferunt; sed obligatur quoad reliquum, quatenus commodè præstare potest: excepto, si constet, vouentis intentionem fuisse promittere in sensu copulato; ita vt vel omnes partes præstentur, vel nulla. Vide Sanchez c. 6. n. 4.

II. Si puella perpetuam virginitatem vouerit, sed postea fornicata sit, debet de cætero castitatem seruare; si vouentis intentio fuerat absolutè promittere Deo omnia, & singula, quæ virginitas in se complectitur; videlicet continentiam ab omni actu Venereo, tota vita, sicuti constat ex definitione S. Thom. 2. 2. q. 152. a. 1. & q. 88. a. 3. ad 2. iun Caiet. §. in eadem resolut. Maioris in 4. d. 38. qu. 3. resp. ad. 5. Nau. cap. 13. n. 45. ver decimoquarto. Suarez libro 4. de voto, c. 7. n. 6. Aliud verò dicendum, vouentis intentio tantùm fuerat claustrum virginitatis seu carnis puritatem integram Deo seruare: Nam eâ semel violatâ, votum obseruari ampliùs non potest, teste Caietan. & Nauar. ll. cc. Suarez numero 5.

III. Si coniunx, ignorante, vel inuito altero coniuge, Religionem professus sit, non est valida quidem professio; quare mortuo coniuge ad Monasterium redire non cogitur: nihilominus & viuente coniuge à petendo debito, & eo mortuo, à secundis nuptiis abstinere debet, sicuti habetur in c. quidam, &c. placet, de conuers. coniugat. vbi etiam ratio adfertur: *Licet votum eius vndequaque non tenuerit, eatenus tamen fuit obligatorium quatenus se poterat obligare.*

IV. Si rusticus vouerit se ad S. Sebastianum peregrinaturum, & vaccam v. g oblaturū; postea autem vacca moriatur, nihilominus peregrinationē instituere debet; nisi eam tātùm per accidens, siue accessoriè promiserit, videlicet causâ offerendæ vaccæ.

V. Qui vouit se peregrinaturum nudo copore, vel sacco, aut cilicio indutum; & tali modo votum exequi non potest; vel quia indecens, vel nimis difficile est; nihilominus peregrinationem, secundùm substantiam, perficere tenetur: quia præsumitur eam tanquam principalem, independenter à modo siue circumstātia vouisse: quare impedimentum in accessorio non debet redundare in principale; *ne minùs dignum maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur*, sicuti dicitur in c. vn. de consecrat. ecclesiæ in 6. & docet ex communi Nauar. cit. nu. 45 §. Ex his infertur Rodriq. p. 2. sum. cap. 92. concl. 1. Sa ver. votum. numero 32. Limita primò: Nisi constet, vouentis intentionem fuisse non aliter se obligare, nisi tali modo. Secundò: Nisi modus adiectus sit ad minuendam difficultatem rei promissæ. Si enim propter defectum modi accessorii, res principalis reddatur notabiliter difficilior, cadit simul obligatio eius implendæ: v. g. Si vouisti ad limina Apostolorum te equitaturum; ac postea equitare non potes, ob paupertatem, non es obligatus vt pedibus eas, teste Sanchez cit cap. 10. num. 11. Suarez lib. 2. de voto, ca. 2. num. 11.

VI. Qui vouit se ieiunaturum in pane & aqua; & votum suum præuaricatus est bibendo vinum; tenetur nihilominus seruare ieiuniū Ecclesiasticum; quippe quod principaliter vouit, modum autem illum in pane & aqua solum accessoriè: nisi constet, aliam vouentis intentionem fuisse, sicuti docet idem Sanchez capite 11. numero 45.

Exempla posterioris partis sunt: I. si voueris, ecclesiam te edificaturum, & postea superueniente paupertate non possis; non teneris ad partem possibilem, v. g. vt capellam ædifices, vel aliam donationem ad templum aliquod conferas, sicuti docet Sanchez cit. lib. 4. cap. 10. num. 7. Suarez ca. 2. num. 5. quamuis aliter docuisse videatur S. Thom. in 4. d. 38. q. 1. a. 3. quæstiun. 1. quem refert, & sequitur Syl. ver. votum. 2. quæst. 1. Aliud sentiendum, si mille v. g. aureos voueris ad pias causas te daturum; & postea totum largiri non possis; debes tamen largiri partem, quam potes. Ratio discriminis est: Quia in priore voto materia est indiuidua, videlicet ædificatio ecclesiæ, quæ proinde per modum vnius copulati promissa præsumitur: In posteriore autē, materia est diuidua, quæ proinde diuisim, & per modum plurium promissa censetur, nisi de contraria vouentis intentione constet.

II. Qui vouit ieiunium in vigilia Natiuitatis B. Virginis, si ea die ieiunare non possit, non tenetur à carnibus abstinere: quia abstinentiam à carnibus per se non vouit, sed quatenus in forma perfecti Ecclesiastici ieiunij continetur. Similiter, si ea die à carnibus abstinere non possit, neque repetita comestione abstinere cogitur. Nam ille formam Ecclesiastici ieiunij vouit; quā si obseruare nequit, nō obligatur ad aliam formam abstinentiæ, vti notauit Suarez lib. cit. Nisi existimetur, aliam vouentis intentionem fuisse: in dubio autem benigniùs vota interpretanda sunt, vt minus obligent.

III. Qui vouit sacramentalem de peccatis Confessionem, causa Iubilei instantis: si postea gratiam Iubilei consequi non possit, neque sacramentaliter confiteri cogitur, sicuti docet idem Suar. n. 13. Ratio est: Quia cessante principali, cessant etiam accessoria: ille autem vt ponimus, principaliter intendebat consequi gratiam Iubilei: ergo si id impossibile reddatur, cessant etiam alia quæ eius gratia promiserat.

IV. Qui vouit se peregrinaturum in cilicio, si peregrinari non possit, neq; cilicium induere obligatus est: quia hoc tanquam accessorium vouit: ruente autem principali, ruit etiam accessorium; non vice versa.

V. Qui vouit se certa die ieiunaturum pro animabus in purgatorio, sacrificaturum die fidelium animarum; atque eo die impeditus fuit, non tenetur altero die ieiunare, vel sacrificare; si vouendi intentio fuit in sensu composito, seu cum dependentia à tali die, ob singularem rationem. Secùs autem est, si vouendi intentio fuit in sensu diuiso; & per modum duorum; vt & simpliciter ieiunare, sacrificare promiserit; & deinde speciatim tali die, vel loco votum suum exequi. In dubio autem, si neque ex verbis, neque ex materia voti, vel circumstantiis coniectura capi possit, háncne, an illam intentionem vouens habuerit, existimat Azor tom. 1. lib. 11. c. 15. quæst. 21. Sanch. c. 14. n. 38. iudicandum esse pro voto, vt obligatio eius perseueret, etiam post transactam diem: quia cùm certum sit voti obligationem contractam esse possessio stat pro voto. Sed contrarium sentire videtur Caiet. 2. 2. quæst. 88. a. 12. in fine. idque magis placet: cùm votum in dubio strictam interpretationem mereatur. Ad rationem qua Sanchez vtitur respondeo: Etsi certum sit, quòd vouens se obligârit ad ieiunandum, sacrificandum hoc die; interim dubium esse posse vtrum etiam absolutè seu independenter à tali die ieiunium, vel sacrificium vouere intenderit: in hoc autem dubio pro libertate vouentis præsumendum. Sicuti in simili docet ipsemet Sanchez c. 16. n. 32. si quis certus sit, se specialem Religionem vouisse; dubius autem, vtrum hanc solam, an verò absolutè & independenter à tali Ordine, loco, vouere intenderit, si in speciali illa Religione non suscipiatur, omnino solutum videri. De quo casu vide quæ dicam tr. seq. c. 5. q. 2.

4 QVÆSTIO SECVNDA. Si aliquis duo vota, quæ incompossibilia sunt, diuersis temporibus edidit, vtrum eorum seruare debeat? v. g. Titius vouit se peregrinaturum triduo rogationum ad Montem sanctum: postea iterum seu immemor prioris voti; vouit se eodem triduo ieiunaturum, vel ægrotis seruiturum? Respondeo: vel votum posterius conceptum manifestò dignius, Deóque gratius est, quàm prius votum: vel sunt æqualia, seu æquè digna: vel denique dubium est, an votum prius maius, Deóque gratius existat. Si primum, seruari debet votum posterius: Ita docet S. Th. in 4. d. 38. quæstione 1. a. 4. quæstiun. 4. Syl. ver. votum 2. q. 17. Armilla n. 22. Sa n. 33. Sanchez lib. 4. c. 5. n. 24. Azor to. 1. lib. 11. c. 20. q. 5. Ratio est: Cùm enim quiuis rectè & laudabiliter votum suum commutare possit in aliud opus, quod manifestò melius, Deóque gratius est, sequitur, quòd edito voto de tali opere, adhoc etiã obligetur. Confirmatur I. Nam etiam si homini duo promissa sint, quorum vtrumque præstari non possit; præstandum est id, quod præstantius, ipsiq; gratius est. Cõfirmatur II. Nam etiam legibus, seu præceptis duob. concurrentibus, quorum vtrũq; impleri non potest, quod minus dignum est, cedit digniori seu grauiori. Votum autem quasi lex quædam est, quam sibi ipsi aliquis imponit.

Sin secundum accidat, vt vtrumque votum æquale videatur, Sanchez n. 28. estimat, in vouentis arbitratu positum esse, implere quod maluerit: sed nititur fundamento falso, vouentem propria auctoritate votum suum commutare posse in aliud opus simile, siue æquale. quam sententiam infrà refutabo. Igitur in hoc casu dicendum est cum communi, votum posterius irritum esse, & prius seruari oportet.

Sin denique tertium accidat, vt videlicet dubium sit an prius votum maius, Deóque gratius existat; hoc etiã casu seruandum erit prius, relicto posteriore, vt fatetur ipsemet etiã Sanch. n. 29. Ratio est; Quia in dubio, vtrũ votum, quod constat ab alio validè editum fuisse, postea extinctum sit, stat possessio pro voto. atqui obligatio voti prioris non infirmatur à voto posteriore, nisi hoc maius sit. Ergo si dubitetur an maius, seruari debet prius votum.

QVÆSTIO TERTIA. Aliquis expertus, se valde pronum ad vota temere edenda, quorum eum postea pœniteat, vouit se imposterum nullum votum editurum, nisi cum Confessarii consilio. quod tamen postea non seruauit, sed eo inconsulto vouit abstinentiam à vino, aut Religionis ingressum. Respondeo & dico I. Validum fuisse votum, quod hic homo ad temere vouendũ valde pronus per reflexionem quandam edidit, nunquam se imposterum votum editurum, sine Confessarii consilio: quia habuit obiectum bonum. Cùm enim talis homo pronus sit ad malè seu temere vouendum, nisi aliorum consiliũ adhibeat, bene facit promittendo, non aliter editurum se vota, nisi cum consilio. Et ita docent Richard. in 4. d. 38. a. 2. q. 3. Syl. ver. votum; 2. q. 7. Rodriq. p. 2. sum. c. 94. n. 13. Azor t. 1. l. 11. c. 14. q. 6. Sanch. l. 4. moral. c. 8. n. 14. 5

Dico II. Talis homo postea vouendo sine consilio Confessarii, peccat contra religionis virtutem: quia præuaricatur votum suum, quod ante licitè, ac validè conceperat.

Dico III. Nihilominus posterius votum, quamuis temere, & non sine præuaricatione & sacrilegio quodam conceptum v. g. de abstinentia vini validum & obligatorium est, vti rectè docet Sanchez numero 16. & 17. Quia ad valorem voti non requiritur, vt prudenter, & sine peccato fiat, sed sufficit, si habeat obiectum bonum, & fiat cum sufficiente deliberatione. Excipe nisi aliquis expressa voluntate secum decreuisset, se nolle imposterum sua vota valida esse, nisi cum tali circumstantia; videl. Confessarii consilio concepta fuerint, tunc posterius sine tali circumstantia editum non valebit: nisi prior illa voluntas retractetur vel expresse; vel virtute. Virtualiter autem retractata censebitur, si quis memor propositi prioris, nihilominus posterius votum edat, tunc enim valebit posterius, nihil obstante priore. Quare licet consultum sit eiusmodi personis ad temere vouendum pronis vt secum decernant; nolle se imposterum sua vota valere, nisi cum Confessarii consilio edita sint; nihilominus valebunt, si postea memores prioris propositi ac voluntatis voueãt, nõ adhibito consilio: etenim hoc ipso priorem illam voluntatem retractant, quando contrarium deliberatè agunt.

Venio nunc ad alteram conditionem, vt materia voti opus sit mortaliter bonum. Quare opus seu diuina, seu humana lege prohibitum non potest cadere sub votum: cùm enim illud agere homini illicitum, Deóque ingratum sit, non est capax promissionis, obligationisue consequenter irritum seu nullum est votum rei malæ, vti bene docet Tolet. lib. 4. c. 17. numero 15. Quærunt autem Doctores primò: Quale peccatum sit rem malam Deo vouere? Et respondent plerique dupliciter peccare eum, qui rem illicitam Deo vouet, proposito exequendi, videlicet non tantùm contra iustitiam, aliámue virtutem, cui opus promissum secundùm se aduersatur; sed etiam contra religionem, & quidem mortaliter, si peccatum mortale Deo promittat se patraturũ; venialiter autem, si veniale. Ita docent Syl. ver. votum, 6

1. quæst. 4. Sotus lib. 7. quæst. 1. a. 3. Rodriq. to. 2. sum. cap. 94. concl. 1. Tolet. loco cit. & ferme etiam Caiet. ver. votum, cap. 2. Armilla num. 1. Less. lib. 2. c. 40. num. 39. Sanchez libr. 4. moral. ca. 6. numero 9. nisi quòd hi excipiant, si quis peccatũ veniale Deo promittat, quasi ipsi placeat, & acceptum sit; fore hanc irrisionem Dei, & peccatum basphemiæ mortalis.

Mihi autem ita respondendum videtur: Vel homo scit rem, quam ait se facturum, iniquam, Deóque gratam non esse, vel nescit. Si primum, non habet ille animum vouendi, seu promittendi: quandoquidem omnis promissio debet esse rei acceptæ, vel acceptandæ. Sed interdum potiùs iuramenti rationem habet quamuis vocabulo voti conceptum sit: v. g. voueo, id est, iuro me vindictam ab homine sumpturum: interdum vero est votum irrisorium, & contumeliosum Deo, vti rectè Nauar. Armilla & Lessius notarunt. Vel homo nescit rem, quam vouet, iniquam, Deóque gratam non esse; tunc habet vouendi animum; imò voto obligatur ad exequendum, dum durat ignorantia, si ea inuincibilis sit: Sin vero vincibilis, tunc si crassa existat ignorantia, videtur habere locum distinctio; vt si mortale peccatum Deo voueas, mortaliter pecces contra religionis virtutem, non tantùm vouendo, sed etiam exequendo, tanquam ex voto debitum sit: sin vero peccatum veniale ita voueas, tantùm venialiter delinquas. Exquo intelligi potest, quod S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2 ad 2. ex S. Hieronymo refert: *Iephte* Iudicum c. 11. *in vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit; & in reddendo impius.* Aliqui tamen arbitrantur, Iephte ex diuino instinctu tale votum edidisse. Videri potest S. August. lib. 7. q. 49. in Iudices Beccanus in analogia veteris & noui testam. c. 15. n. 35.

Porro opus, cuius votum siue promissionem irritam esse dixi, vel est malum secundùm se & ex obiecto; vt homicidium, furtum, priuata vindicta: vel est malum duntaxat ob circumstantiam, v. g. peregrinari die festo, vel die ieiunii; ita vt impediatur bonum maius, idque in Ecclesiastico præcepto positum Missam audiendi, aut ieiunium seruandi. tale enim etiam votum irritum est; excepto, si peregrinatio maioris momenti ad Ecclesiæ vtilitatem, Deiq; honorem esse videretur; vt Ecclesiastico præcepto incompossibili, ideóque in tali casu non obliganti anteponi possit, sicuti notauit Sanchez c. 6. n. 2.

Præcipua autem ex prauis circumstantiis, quæ votum infirmant, est finis: Oportet autem exactè distinguere, quòd aliùs sit finis rei per votum promissæ; alius verò finis ipsius vouentis. Et prioris quidem prauitas, cùm se teneat ex parte obiecti, vitiat materiam voti, & conse-
7 quenter ipsum votũ. Non item prauitas finis posterioris votum infirmat: quia tenens se duntaxat ex parte voluntatis, quã ad vouendum impellit, ipsam voti materiam, & reliqua substantialia bona & integra relinquit, sicuti doctè explicat Caiet. 2. 2. quæstione 88. a. 2. §. Ad euidentiã. Exẽplum est: si aliquis vouit se eleemosynã daturum ad vanam gloriam captandã, ita vt eleemosynæ largitio facienda sit vanæ gloriæ causa, nulla oritur obligatio voti: quia malum est eleemosynam dare iactantiæ causa. Qui autem gloriæ aucupandæ gratiá coram aliis vouit se eleemosynam daturum, is rem bonam vouit, quamuis malè: ideóque voti religione tenetur.

Iterum, Si Religionem Carthusianorum vouisti ex inordinato appetitu piscibus vescendi, validum est votum, quippe cuius integrum obiectum bonum est; licet finis, quo voluntas tua ad vouendum excitata fuit, prauus sit. Quemadmodum enim, si impulsus magnifica dote, matrimonium contrahas cum sponsa diuite, consensus tuus in personam, non in dotem dirigitur; licet dos sit causa, seu occasio consentiendi: Ita etiam consensus voti religiosi non dirigitur in pisces; sed in paupertatem, castitatem, & obedientiam sub tali Prælato, regula; licet pisces vouendo occasionem & incitamentum præbuerint.

Sin autem ad consequendam, vel impetrandam à Deo rem illicitam; vel in gratiarum actionem pro re illicita acquisita, eleemosynam te daturum vouisti; irritum omnino est votum, sicuti docet Caiet. ver. votum, c. 2. & cit. q. 88. a. 2. §. Ex his patet. ibid. Arrag. circa 5. concl. assert. 3. Nau. c. 12. num. 30. Syl. ver. votum, 2. quæst. 2. Sanchez cap. 6. numero 13. Suarez c. 5. num. 8. Quia dare eleemosynam, tanquam medium ad impetrandam à Deo rem illicitam, v. g. homicidium, aut iniustam victoriam, non est bona operatio; sed mala & blasphema, quippe per quem homo, quatenus in ipso est, Deum auctorem peccati facit: similiter dare eleemosynam, tanquam in gratiarum actionem, quod res illicita per Dei auxilium acquisita fuerit, non est bona, sed blasphema operatio: ergo neutra validè, aut licitè voueri potest.

Simile quippiam est, si meretrix voueat Deo partem aliquam quæstus meretricii; vel vsurarius partem aliquam lucri iniqui se pauperibus daturum, ea intentione concepto voto, quòd vel Deum ita mouere possint ad maiorem horum prouentum tribuendum; vel in gratiarũ actionem pro tali prouentu, sicuti docet Sanchez cit. c. 6. n. 16. & 21. Longè verò alia ratio est, si aliquis per modũ pœnæ, vel per modũ puræ, & synceræ conditionis voueat se eleemosynam v. g. daturum, si inimicum occiderit; si quæstum ex fornicatione fecerit; re ita eueniente, obligatur voto. Quia post patratum homicidium, vel quæstum acquisitum, eleemosynam dare seu simpliciter, seu per modum pœnitentiæ, bonum est, ideóque voueri potest.

Præterea qui vouet eleemosynam se largiturum, si in duello illicito ab inimico superatus & occisus non fuerit, quasi in gratiarum actionem pro obtento à Deo beneficio, is voto obligatur. Cùm enim re vera hoc sit beneficium Dei, conseruari vt in duello non occidaris, in memoriam huius beneficii eleemosynam dare bonum est: igitur voueri potest. Eademque ratio est de eo, qui Deo promittit eleemosynam daturum, si ex fornicatione, vel adulterio prolem susceperit: licet enim fornicari malum sit, posita tamen fornicatione, prolem progigni, bonum quoddam est, Deíque donum; cuius obtinendi gratia votum suscipi possit. Sed & valebit votum ita conceptum, *Si ex fornicatione, nulla prole concepta, infamiam euitauero.* De his videri potest Caiet. cit. q. 88. a. 2. §. Sed quid dicendum. Arrag. ibid. ante §. circa eandem quintam conclus. Nauar. c. 12. num. 31.

Deinde opus ex se indifferens non potest esse materia voti, nisi bono & congruo fine cohonestetur, sicuti 8
docet S. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. in corp. Ratio est: Quia tale opus in indiuiduo hoc ipso malum est, quia otiosum, & fine debito destitutum, vt alibi dixi. Deinde, etsi demus actum indifferentem in indiuiduo malum esse; quia tamen vanus, & inutilis est, ideo votum de eiusmodi opere deridendum potiùs, quàm seruandum. Quãobrem irrita sunt vota, Non nendi die Sabbathi in honorem B. Virginis, Non vescendi capite bouino in honorem S Baptistæ decollati; Non comedendi in festo S. Laurentii carnes assas; si interim vouenti facultas relinquatur aliis seruilibus operibus eodem die se occupandi, vel aliis carnibus vescendi, sicuti docet S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. §. 4. Angelus ver. votum, §. 5. Caiet. 2. 2. quæst. 88. a. 2. §. Circa indifferentia Med. l. 1. instruct. confess. c. 14. §. 6. in fine, Nauar. in man. cap. 12. nu. 28. & 37. Tol. li. 4. c. 17 n. 14. Bela p. 1. casu 66. Sanch. l. 4. moral. c. 7. n. 6. Azor lib. 11. cap. 14. q. 5. Eò quod tales abstinentiæ ad Sanctos honorandos congruæ non

sint; sed potiùs superstitiosæ. Quod tamen rectè limitat Sanch. Nisi persona vouens nimis affecta sit ad nendum; & ideo sibi hoc opus interdicat, vt magis orationi vacare possit: vel ad tale ciborum genus magis propensa, ideóque mortificationis causa abstinere velit, ad Sancti honorem, & aliquam imitationem. Item irrita sunt vota non ingrediendi certam domum; non ludendi cum certa personâ; relicta sibi libertate ludendi cum aliis. Valent tamen huiusmodi vota, si ex tali domo, vel persona specialis occasio, vel periculum peccandi timeatur, quod vouens declinare proponit, sicuti docent Richar. in 4. d. 38. art. 3. Caietan. citato cap. & cit. quæst. 78. a. 2. §. circa indifferentia, Sotus lib. 7. q. 1. a. 3. Nau. cit. c. 12. n. 28. Azor cit. c. 14. q. 5. Sanchez cit. c. 7. num. 5. Adde, votum nunquam ludendi obligatorium esse, si bono fine conceptum sit; v. g. vt animus tali oblectatione abstinens, expeditior sit ad vacandum Deo, vel vt bonorum prodigalitas, vel alia damna euitentur, sicuti docet Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 4. n. 5. Suarez lib. 2. c. 8. n. 7. & videri potest Nau. lib. 3. consil. 36. de voto, edit. 2.

9 Quæritur secundò: Vtrum opera bona, quæ sub præcepto sunt, materia etiam voti esse possint? Affirmandum est cum S. Th. q. 88. a. 2. in corp. & aliis communiter. Cùm enim necessitas præcepti non sit simpliciter dicta, sed solùm ex suppositione finis, si homo peccatum declinare, vel animæ salutem seruare, aut consequi velit; ac proinde voluntas simpliciter libera maneat ad opus faciendum, vel omittendum; poterit ea magis determinari, & obligari per votum. Siquidem nihil obstat, rem eandem ex diuersis obligationum capitibus debitam esse; & debitorem pluribus ac diuersis vinculis astringi, sicuti notant D D. in l. scire, §. si à fure, ff. de verborum obligation. Vt puta si quid ex lege naturali, vel positiua homini debeo, v. g. vt rem ipsi suam restituam, ad hanc præstandam etiam propria promissione, seu stipulatione me obligare possum.

10 Quæritur tertiò: Vtrum valeat votum rei bonæ, sed propter finem temporalem, seu indifferentem? Respondeo Non esse validum, si finis omnino indifferens sit ipsius rei promissæ, principalis ac totalis: v. g. si quis voueat se ieiunaturum, vt sumptibus parcat; nullum alium finem honestum spectans, sicuti Sanchez cit. lib. 4. cap. 7. numero 25. Cùm enim in moralibus species rei sumatur à fine; ideo si finis rei promissæ sit indifferens, totus actus ex obiecto indifferes erit; adeóque inepta materia voti: Sin autem aliquem rem bonam, v. g. ieiunium, eleemosynam voueat, tanquam medium, vt à DEO impetret rem temporalem, seu indifferentem, v. g. officium honorificum, diues matrimonium; vel in gratiarum actionem si obtinuerit, obligabitur voto: quia hæc à Deo, tanquam eorum auctore, petere, vel pro impetratis gratias agere bonum, & honestum est. Ita docet Angelus ver. votum, §. 4. Syl. 1. q. 4. Sanchez l. c.

11 Tertia, & vltima conditio est, vt materia voti sit opus melius, quàm eius oppositum, sicuti docent D D. communiter cum S. Tho. cit. a. 2. Cùm enim Deo, cuius voluntas sanctificatio nostra est, 1. ad Tessal. 4. magis placeat opus, quod maius & melius, quàm eius oppositum; sequitur Deo placitum, seu acceptum non esse, si homo se obliget ad faciendum minus: quia hoc ipso se obligat ad omittendum oppositum, quod melius est &, vt dixi, Deo magis placitum: Quare talis obligatio siue promissio Deo accepta non est.

Porrò per oppositum oportet intelligere carentiam rei promissæ, vel statum carentiæ eius: hæc enim carentia, vel status carentiæ, si melior sit, Deóque gratior, quàm res promissa, tunc promissum non obligat. Exempli causa: Ludere recreationis causa; item comedere temperatè, sunt actus boni, & virtutum: plerumque tamen irritum est votum hodie ludendi, cœnandi: validum verò est votum non ludendi, ieiunandi. Quia harum oblectationum voluntaria carentia, siue abstinentia plerumque Deo gratior, maiorisque virtutis ac meriti existit, sicuti notauit Suarez lib. 2. cap. 8. num. 7. Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 4. nu. 5. contra Rodriq. t. 1. c. 289. concl. 10. Validum tamen est votum quasi conditionale; si lusero, sine rixa, aut fraude me lusurum; si comedero, temperatè comesturum esse. Quare talia vota resoluuntur in negationem, voueo me nihil inhonestè acturum, vti notauit Suarez n. 5.

12 Præterea matrimonium ordinariè non est materia voti, secundùm omnium Doctorum sententiam: Quia status ipsi oppositus continentiæ melior, ac beatior est, teste Apost. 1. ad Cor. 7. Conc. Trid. sess. 24. can. 10. Siquidem animum à curis secularibus, & carnis voluptatibus liberũ, magis expeditum reddit ad seruiendum Domino. Qua de re videri potest Palud. in 4 d. 38. quæstione 1. diffinit. 5. Dixi autem *ordinariè* matrimonium non esse idoneam voti materiam: Nam excipi debet; Si in aliquo casu præcepti obligatio alicui incumbat, vt quia sine iniuria, aut graui infamatione sponsæ, vel liberorum ex ea conceptorum, à sponsalibus recedere non potest. qua de re Sanchez libro 1. de matrim. disput. 44. Henriq. lib. 11. c. 13. §. 3. Suarez lib. 2. de voto, cap. 9. num. 8. Item si matrimoniũ Reipublicæ maximè vtile futurum existimetur; quia ex eo pax inter Christianos Principes, hæreticorum, aut infidelium conuersio, vel Catholicæ religionis conseruatio in aliquo regno, aut prouincia euentura sit, sicuti notauit Suar. l. c. Azor. l. 11. c. 14. quæstione 9. Sanchez lib. 1. disp. 4. n. 1.

Secundò excipi solet; Si persona aliqua, ob corporis fragilitatẽ ac inueteratam peccandi consuetudinem, adeò sit ad lapsum carnis prona, vt iudicio virorum prudentum consultum ei sit statum matrimonii amplecti. Ita docent Caiet. quæst. 88. art. 2. §. circa bona quæ sunt præcepta, Molin. to. 1. tr. 2. disp. 149. §. Verum enim verò, Nau. cap. 12. num. 43. Bellarm. lib. 2. de Monachis, c. 14 Azor. cit. q. 9. Sanchez cit. disp. 4. n. 7. Suar. cit. c. 9. num. 12. Eius tamen oppositum docent Sotus lib. 7. q. 1. a. 3. Arrag. cit. a. 2. circa 5. concl. assert. 2.

Mihi dicendum videtur primò; Votum matrimonii, ab eiusmodi homine ad peccandum prono editum absolutè ac simpliciter obligatorium non est. In hoc consentio cum Soto, Arrag. & probo: Votum, vt sit obligatorium, debet esse de meliore bono quàm sit eius oppositum: Sed status matrimonii huic homini absolutè melior non est, quàm continentiæ status; sed tantùm ex hypothesi, vt infrà explicabo. Nunc autem probo assumptionem; Nam si respectu huius hominis fragilis, status nuptiarum melior esset, sequitur absurdum hoc; si homo iste seu priuatim, seu publicè continentiæ votum edat; obligatorium non fore; quia erit de opere, ac vitæ statu minùs bono, quod est contra rationem voti: quam obiectionem soluere conati sunt Valentia t. 3. disp. 6. quæst. 6. p. 2. diffic. 4. Sanchez lib. 4. moral. c. 8. num. 10.

Dicendum secundò, cum Lessio lib. 2. cap. 40. dub. 5. num. 44. Coninck in 3. p. tom. 2. disp. 22. dub. 10. Tale votum hominis fragilis obligatorium est secundùm virtualem hypothesin, si in tali statu peccandi perseuerem, & non media efficacia adhibeam, quæ cum Dei gratia possum, ad emendationem: Vt proinde talis homo aliud vouere censendus non sit, nisi hoc saltem remedium quod est nuptiarũ; peccatis suis adhibiturũ; si aliud melius, quod est cõtinentiæ, non adhibuerit, quamquam etiam hoc melius cum Dei gratia adhibere potest; ideóque si firmum eius rei propositum & conatum præster, voto liberatur. Quare neque Apo-

stolus absolutè dixit: Melius esse nubere, quàm continere, sed ex hypothesi; *si se non continent, nubant: melius enim est nubere, quàm vri.* Quæ verba interpretatur S. Hieron. in Apolog. aduersus Iouinian. ad Pammach. *Melius est maritum ducere, quàm fornicari.* Et auctor comment. apud S. Ambros. in eundem locum: *Vri est desiderijs agi, vel vinci. Cùm enim voluntas desideriis carnis consentit vritur: Nam desideria pati, & non vinci, illustris viri est, & perfecti.*

Tertiò, si aliquis intuitu pietatis ac misericordiæ erga puellam pauperem, vel miserabilem puta meretricem, votum edidit, se eam ducturum, obligari videtur voto non quidem absolutè, vt eam ducat; sed conditionatè, si aliquam ducere velit, hanc ducat; siue, quod eodem redit, ne aliam ducat, quàm istam, ad quod etiam ab Episcopo compelli potest, si votum publicum fuit. Ita docent Henriq. lib. 11. c. 6. n. 5. Suarez citato cap. 9. num. 17. Philarchus tom. 1. de offic. sacerdotis, p. 2. lib. 3. cap. 17. num. 3. contra Sanchez l. 1. de matrim. disput. 4. num. 12. Interim verò tam in externo quàm interno foro permissum est huic vouenti non solùm Religionem ingredi, aut sacrum ordinem suscipere, sed etiam statum cælibatus ac continentiæ, tanquam perfectiorem, Deóque gratiorem retinere. Hæc enim regula à Doctoribus traditur, sicut videre est apud S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. principio, notab. 4. Syluest. ver. votum, 1. quæst. 4. prope finem, Suarez lib. 2. de voto, cap. 7. Votum validum siue obligatoriū est, si habeat materiam bonam, Deóque gratam; licet actu excludentem aliud opus dignius, Deóque gratius modò non excludat aptitudine, sed in aliud commutari possit. Sic valet v. g. votum inseruiendi tota vita xenodochio: quia licet actu consistere non possit cum statu Religionis; in eum tamen commutari potest. Item qui vouit Religionem laxiorem, obligatur voto: quia impeditus non est, quominus eam cum strictiore commutare possit.

13 Contra dicta obiicies I. Matrimonium ratum nondum consummatum non impedit transitum ad Religionem. Ergo poterit esse idonea materia voti. quod est cōtra communem doctrinam. Respondeo primò; Plerumque non posse aliquem siue culpa, & iniuria matrimonium contrahere, ea intentione, vt postea deserta, & decepta vxore, Religionem profiteatur, sicuti ex communiore docet Nauar. c. 16. num. 30. Lopez p. 1 instruct. cap. 50. ad finem, Eman. Rodriq. p. 1. sum. cap. 244. num. 5. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 43. quæst. 3. Suar. lib. 2. de voto, cap. 9 nu. 6. Consequenter neque matrimonium tali intentione vouere aliquis potest, Respondeo secundò; Matrimonii contractum, secundùm naturalem & ordinariam legem, continere descensum à bono perfectiore ad bonum imperfectius, partim quia coniicit hominem in periculum consummandi matrimonii, adeóque permanendi in statu matrimonii imperfectiore, partim quia licet non adimat facultatem amplectendi statum continentiæ religiosæ; adimit tamen alios status continentiæ, qui sunt in simplici cælibatu, vel sacro ordine suscepto. Ponamus enim, aliquē ad Religionis professionem inhabilem esse; talis profectò per matrimonium impeditus erit à statu meliore cōtinentiæ, si vxor eius continere se nolit.

14 Obiicies II. Exinde sequi, quod irritum, & illicitum sit votum non petendi, aut non acceptandi episcopatum, cùm hic status perfectionis sit: consequens autem repugnat praxi bonorum virorum. Propter hanc obiectionem negant Syluest. ver. iuramentum, 4. q. 1. ver. quintò. Nauar. c. 12. num. 16. Azor c. 5. lib. 11. q. 1. §. si item iuret, tale votum seu iuramentum obligare. Sed rectiùs affirmat, vel potiùs distinguit S. Th. 2. 2. quæst. 185. art. 2. ad 3. Eman. Rodriq. p. 2. sum c. 94. concl. 15. Sanchez lib. 4. cap. 8. n. 37. Suarez lib. 2. c. 11. n. 10. Si animus vouentis sit non acceptare episcopatum, vel similem prælaturam, quamuis Superiore, ad quem id pertinet, iubente; vel etiamsi publica necessitas, & lex charitatis in raro aliquo casu postulet; irritum est votum, & bonis moribus repugnans: alioquin verò validum, & honestum cùm propositum, tum votum aut iuramentum nec petendi, nec accipiendi episcopatum, aliámue prælaturam, nisi vel legitimum Superioris præceptum, vel alia legis necessitas cogat: id enim hominem in humilitatis custodia conseruat, & à periculo ambitionis auocat, argum. c. vn. d. 85. secundùm explicationem Caietan. 2. 2. quæst. 89. a. 7. circa respons. ad secundum; Suar. t. 2. de relig. lib. 2. de iuramento c. 13. n. 15. Ad obiectionem respondetur; episcopatum esse quidem statum perfectissimum; sed non ideo quia ad perfectionem consequēdam ex se multùm promouet, sed potiùs quia supponit, & requirit perfectionem in suscipiente.

CAP. III.

DE OBLIGATIONE VOTI.

SVMMARIVM.

1 *Quod voto promisit, præstare obligatus est. Imò etiam in externo Ecclesiastico foro vouens ad executionem compelli potest.*
2 *Trāsgressio voti ex genere suo mortalis ratione materiæ paruæ venialis efficitur.*
3 *Votum in dubio interpretandum est secundùm naturam & conditiones rei promissæ.*
4 *In dubio votum interpretandum est, quatenus minorem obligationem affert.*
5 *Votum sine temporis determinatione editum executioni mandari debet cum primum commodè potest.*
6 *Obligatio voti personalis est, & ad aliam personam non transit. Si communitas votum Deo edidit, posteri eorùm non obligantur ex religionis virtute.*
7 *Factum alienum voueri non potest; sed intentio vouentis esse censetur, curaturum se, vt alius faciat.*
8 *Vouens se ieiunaturum, non satisfacit, si alteri persuadeat, vt pro ipso ieiunet.*
9 *Si vouens impotens fiat implendi voti sui, non debet aliam personam substituere.*
10 *Triplex est votum, personale, reale, & mixtum.*
11 *In voto mixto ex reali & personali attendi debet, quidnam principaliter promittere animus fuerit.*
12 *Ad vouentis hæredem, post aditum hæreditatem, transit obligatio votorum realium, non item personalium.*
13 *Hæres non tenetur vota, & legata pia præstare vltra vires hæreditatis; imò neque cum diminutione legitimæ necessariis hæredibus debitæ.*
14 *Vota mixta non tenetur hæres implere, nisi, quod in eis reale est, per se, ac independenter à personali obligatione, defunctus promiserat.*

QVESTIO PRIMA. Vtrum ex voto obligatio oriatur præstandi id, quod voto promissum est? 1
Responsio est affirmatiua, & de Fide, quæ sumitur ex locis Scripturæ cap. 1. allegatis, & Isayæ capite 19. *Colent eum in hostiis, & muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Deuter. capite 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris: Quod autem semel egressum est de labiis tuis, obseruabis.* Et capite 7. Leuitici: *Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam &c.* quibus locis apertè distinguitur inter obligationem liberam, & obligatoriam. Et confirmatur ex cap. 5. Act. *Defraudauit Ananias de precio agri.* Et infrà; *Non es mentitus hominibus, sed Deo. Si enim inter homines* (ait S. Greg. epist. ad Bonifacium relatus à S. Th. 2. 2. q. 189. a. 3.) *bonæ fidei contractus nulla solent ratione dissolui; quantò magis pollicitatio, quam cum Deo pepigit homo, sine vindicta solui non poterit.*

Etsi verò obligatio voti non sit ex iustitia propriè dicta; sed ex virtute religionis, quæ est potentialis pars iustitiæ, teste S. Thom. 2. 2. quæst. 80. a. 1. iuncta q. 88. a. 5. habet tamen in se perfectam rationem debiti; licet non ad æqualitatem, cùm cultus vel gratiarum actio Deo in recognitionem dominii, ac beneficiorum, voto promissa, vel præstita, minimè respondeat, siue æquetur; atque etiam tota in ipsius hominis vtilitatem cedat.

His addendum; In foro etiam externo Ecclesiastico vouentem, ad voti, quod eum edidisse constat, executionem compelli, sicuti colligitur ex l. 1. 2. & 3. ff. de pollicitat. c. quod super, de fide instrumentorum, in fine, & c. ex parte, de censibus, & docet S. Thom. quæst. 189. art. 3. ad 1. ibid. Caietan. dub. 1. Syluest. ver. votum, 2. quæst. 19. Angel. 3. §. 26. Sanchez cap. 11. num. 19. Nam ad Ecclesiastici Iudicis, siue Episcopi officium pertinet impedire, ne grauia crimina committantur, cuiusmodi est sacrilega voti transgressio, cuius obseruationem tunc maximè imperare Episcopus debet, si Ecclesia, vel alius, in cuius fauorem votum editum fuit, implorato eius officio, exigat; nisi commutatio aliqua vel dispensatio intercesserit. Quòd si verò tale votum parti denuntiatum fuerit, ab eáque acceptatum, tum iure actionis personalis rem sibi promissam petere poterit.

2 QVÆSTIO SECVNDA. Quanta sit obligatio voti? Respondeo; Ex genere suo est grauis, & sub mortali peccato, quippe quæ tendit ad fidelitatem Deo, ex religionis virtute, præstandam, contestante Apostolo 1. ad Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Nihilominus, ob materiæ leuitatem, efficitur obligatio leuis, & sub veniali peccato: v. g. si aliquis vouerit recitaturum ter Pater & Aue. Quæ est communior sententia DD. Soti lib. 7. q. 2. a. 1. §. conclusio ergo. Nau. c. 12. num. 40. Sa ver. votum, num. 15. Valent. cit. q. 6. p. 4. quæst. 2. Rodriq. to. 2. sum. cap. 99. concl. 1. Sanchez lib 4. c. 12. num. 5. contra Caiet. quæst. 89. art. 7. dub. 1. Tol. lib. 4. c. 17. num. 20. Armillam ver. iuramentum, num. 12. Ratio est, Quia votum est quasi priuata quædam lex, quam quisque sibi sponte imponit: ideóque eius obligatio ad modum aliarum legum explicanda est; vt ad eius grauitatem tum intentio ferentis obligationem, tum etiam materiæ capacitas requiratur, sicuti dixi lib. 1. tract. 4. cap. 14. num. 2.

3 QVÆSTIO TERTIA. Qua ratione vota (sicuti & iuramenta) interpretanda sint? Respondeo, Inprimis, & quàm maximè secundum voluntatem, & intentionem vouentis; quippe ex qua omnis vis & mensura obligationis oritur. Sin autem de vouentis intentione non satis constet, tum materia voti inspicienda est, & secundum eius naturam ac conditiones votum obseruandum: quia quisque promittens præsumitur tali modo se obligare voluisse, sicuti rei promissæ natura postulat.

Si verò etiam voti materia inspecta, de vouentis intentione dubium maneat, tum interpretatio fieri debet secundum verborum, quibus vsus est, proprietatem, vel potius communem & vsitatam acceptionem. Qua verborum proprietate, vel communi acceptione obseruata, neque materia voti repugnante, strictam potius, quàm amplam voti, atque iuramenti interpretationem in dubio fieri conuenit. Hæc est communis doctrina, quam leges apud Abb. c. ex parte num. 3. de censibus, c. Cùm Clerici, de verb. signif c. intellecto, num. 10. de iureiur. Caiet. quæst. 88. art. 2. §. sed quid dicendum Sanchez lib 1. matrim. disput. 18. & lib. 4. moral. cap. 11. num. 29. Suares lib. 2. de iuram. cap. 32. & lib. 4. de voto cap. 7.

Hæc responsio quatuor partes continet: quarum prima, & tertia fusè explicatæ sunt in lib. 1. tract. 4. c. 18. & confirmatur ex cap. 23. Deuteron. *Facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Hîc enim locus significat nobis, voluntatem vouentis, quatenus ea plerumque per verba exprimitur, esse mensuram obligationis, & executionis voti. Secundam partem traditæ doctrinæ fusè prosecutus sum lib. 3. de iustit. tract. cap. 5. Hîc verò specialibus exemplis circa materiam voti explicanda erit: I. Qui vouit se rosarium B. Virginis recitaturum, debet attentè & piè recitare, sicuti ad naturam orationis, quam ille vouere intendit, requiritur, vti notauit Valent. cit. p. 4. quæst. 3. Sanchez cit. cap. 11. num. 30. Suarez cit. lib. 4. cap. 7. num. 14.

II. Qui vouit, se certa die ieiunaturum, debet votum obseruare secundùm formam ieiunii Ecclesiastici, quippe quod vouens sibi propositum habuit: quare vnica ciborum absque carnibus comestione contentus esse debet: sin autem formam ieiunii substantialiter violauit seu carnes comedendo, seu aliis cibis iterato vescendo, de cetero continere se non tenetur; eò quòd ieiunii formam amplius obseruare non possit; adeò quidem, vt non improbabile sit, quod docet Sanchez lib. 4. cap. 11. num. 42. contra Suarez cit. cap. 7. num. 12. talem vouentem etiam carnibus deinde vesci posse: in quo differt votum à præcepto Ecclesiastico ieiunii, quippe quod etiam non ieiunantes separatim, atque distinctè obligat ad abstinentiam à carnibus; imò etiam à lacticiniis in quadragesima. Votum autem ieiunandi tali die, vtrumque eorum, videlicet à carnibus abstinentiam, & vnicam comestionem per modum vnius comprehendit: quare si alterum violatum sit, iusta, vel iniusta de causa, obseruatio voti omnino corruit.

Id verò clarius fiet, si ponamus, diem adiectum esse, non ad obligationem finiendam, sed statuendam; id est, non ob specialem eius diei cultum, ita vt eo transacto, & voto non impleto, cesset obligatio, sed ad moram executionis coarctandam, vt votum diutius protrahere non liceat. Hoc enim casu manifestum est, si vouens tali die carnes v. g. comederit, licet peccârit; postea tamen eo die liberum esse: quia voti executionem ampliùs implere non potest, sed in alium diem differre tenetur, ob generalem regulam; quod qui debito ad diem constitutum non satisfecit, postea satisfacere teneatur. Quæ est doctrina Palud in 4. d. 15. quæst. 4. a. 5. prope finem, S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 2. Nau. cap. 12. num. 54. quæ sumitur ex cap. cùm dilecti, de dolo & contumacia, & l. Celsus, §. idem ait, ff. de receptis arbitr. vbi habetur; Quòd qui obligatus est, intra Kalendas dare, ad duo obligatus est, & ad dandum absolutè, & ad nō differendum vltra Kalendas. Ergo etsi posteriori obligationi non satisfiat; permanet tamen obligatio prior.

Longe alia ratio est, si quis expresè vouit abstinentiam à carnibus, vel à vino in die certa; toties enim peccabit, quoties ea die carnes comederit, aut vinum biberit, sicut docet Sylu. ver. votum 2. quæ 20. Nau. num. 23. Sanchez num. 41. Suarez cit. num. 12. Cuius ratio est, quia votum abstinentiæ negatiuum est prædicato distributionem adferens; vt sensus sit, voueo me tali die, aut tali hebdomada nunquam vinum bibiturum, aut nunquam lusurum.

Quarta denique pars responsionis; Voti sicuti & iuramenti, strictam interpretationem faciendam esse, quatenus & materia subiecta, & verborum vsus; aut proprietas permittit, à Doctoribus communiter traditur, ea ratione; Quia cùm agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est, l. quidquid astringendæ, ff. de verb. obligat. Votum autem, & iuramentum grauissimam obligationem continent: Ergo &c. Neque id est contra voti fauorem, aut iuramenti reuerentiam: si- 4

quidem & iuramenta eò faciliùs; & frequentiùs obseruabuntur, si benignior eorum interpretatio fieri soleat: & ad vota in honorem Dei emittenda magis prouocabuntur homines, si eorum exactio benigna potius, quàm rigida fuerit, sicuti indicatur in c. ex parte, de Censibus, vbi habetur; In dubio, de qua mensura maioréne, an minore, vota edita sint, *volentes soluere ad minorem, cogendos non esse vt ad maiorem persoluant: quoniam cùm huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris Ecclesiasticis exigenda; ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* vbi glossa ait: *Ideo pro eis bona fit interpretatio, ne ipsorum munificentia erga Ecclesias retardetur.* Atqua ita explicant Tiraquel. in priuil. 25. piæ causæ, Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 198. §. vtrum verò, Sanchez lib. 4. moral. cap. 13. num. 8. Azor. cit. lib. 11. cap. 20. quæst. 10. in fine. licet aliter Abb. in cit cap. ex parte, num. 5. & aliter Couarruuias in cap. indicante, num. 5. de testament.

De iuramento autem, quòd sit strictè interpretandum significatur in c. ad nostram, 21. & c. penult. vbi id notat Abb. de iureiur. Vide eundem in c. cùm Clerici, de ver. signif. in fine, & in c. intellecto, de iureiur. num. 10. Suarez lib. 2. de iuram. cap. 33. num. 7. & quæ dixi tract. præced. c. 9.

Loquimur autem in dubio: Sin autem, vel ex materia voti, aut iuramenti, vel ex verbis, quibus vouens vsus est, vel ex circumstantiis coniectura seu præsumptio capi possit, intentionem se extendisse ad rem sub eo genere maiorem, aut pretiosiorem; tunc ad eam præstandam vouens obligandus erit, arg. cit. c. ex parte, vbi dicitur, si votum editum sit soluendi aliquam mensuram; & habitatorum regionis eius continua consuetudo fuerit maiorem soluendi, ad eam quoque vouentem obligandum esse. Quod similiter locum habet in legatis, sicuti docui lib. præced. tract. 5. cap. 11. num. 4. argument. l. numis, ff. de legat. 3. & l. Titia §. Seia, ff. de auro, & argento legato, vbi definitur; legatum de signo, siue imagine in sacra æde ponenda, interpretandum esse non de ærea, sed argentea; quod in eo templo non nisi aut aurea, (ita enim legi debet, non ærea) aut argentea dona essent, sicuti explicant Tiraquellus, & Molina ll. cc. Similiter si quis calicem ecclesiæ legauerit, interpretare oportet de argenteo: quia præsumitur legatus calix, qui ad cultum diuinum magis idoneus est, ob reuerentiam sacramenti, arg. c. calix, de consecrat. & docet Sa ver. legatum. num. 45. Sanchez cap. 13. n. 13. Azor lib. 11. cap. 20. quæst. 10. Nisi fortè in ecclesia, ad quam legatum est, præsertim ab homine paupere, vel rusticano, stannei calices esse soleant.

QVÆSTIO QVARTA. Quo tempore vota implenda sint, siue quādiu eorum executio differri possit? Respondeo & dico I. Si dies, vel tempus præfinitum est, vt vltra illud executio voti non differatur, eo elapso, vouens continuè est in culpa; & tantò quidem maiore, diutiùs exequi sine causa iusta moratur. Hæc est communis doctrina. Addendum verò est, si vouens præuideat fore, vt tempore præfixo impedimentum incidat, debere eum antè exequi, sicuti docet Suarez lib. 4. cap. 14. num. 7. Sanchez lib. 4. cap. 14. num. 18. Ratio est; Quia cùm tempus præfixum sit tanquam terminus, siue finis executionis differendæ; ideo si eo tempore votum impleri nequeat, debet ante istud tempus impleri: ne contra promissionem dilatio fiat vltra tempus præfixum. Idque similiter locum habet in aliis debitis, quæ absolutè & simpliciter contracta sunt, adiectâ aliquâ morâ in gratiam debitoris.

Dico II. si nullo definito tempore, votum v. g. elee-
5 mosynæ dandæ, Religionis ingrediendæ, absolutè factum fuerit, debet illud vouens exequi, cùm primùm commodè potest, S. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 3. ad 3. & quæst. vlt. a. 3. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 1. §. 2. Abb. in c. non est, num. 3. c. licet, num. 13. de voto, Valent. disput. 6. quæst. 6. p. 4. quæst. 5. Syluest. ver. votum, 2. qu. 3. & colligitur ex cit. c. non est, & apertiùs ex cap. 23. Deut. *Cùm votum voueris Domino, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Vide etiam Patres, quos citat Suarez lib. 1. de voto, cap. 18. num. 4. Ratio est, quia hoc commune est omni promissioni absolutæ, & non limitatæ, vt statim obligationem pariat, & consequenter exigi possit, sicuti habetur in l. promissor, §. 1. ff. de constituta pecun. *Si sine die constituas &c. confestim agi tecum poterit, si statim, vt constituisti, non soluas.* Atqui Deum cui voti promissio facta est, statim exigere executionem, constat ex cit. cap. Deut. & cap. 5. Eccles. Deinde nisi dicamus, obligationem exequendi statim contrahi; non poterit assignari certum tempus, in quo talis exequendi obligatio incipiat. Verùm vt in cit. §. dicitur, & Glos. ibid. notat. & in l. ratum, ff. de solut. illud *statim* siue *cum primum*, cum quodam *temporis spatio accipi debet, quod nec maximum, nec minimum sit, & intellectu potiùs*, id est, boni viri arbitrio, *percipi, quàm locutione exprimi possit*, sicuti habetur etiam in l. continuus, §. cùm ita, ff. de verb. obligationibus.

Porrò aduertunt DD. irrationabilem dilationem voti Religionis ingrediendæ, aut ordinis sacri suscipiendi, citiùs ad mortalem culpam pertingere. Cùm enim ex vi talis voti homo obligatus sit ad perpetuum Deo obsequium præstandum; ideo quantò diutiùs eius executionem differt, tantò maiorem partem promissi Deo obsequii aufert, votúmque suum non nisi imperfectè, & secundùm partem vitæ suæ exequitur: quod non ita accidit in aliis votis, v. g. peregrinandi, ieiunandi. hæc enim tametsi differantur, integrè tamē impleri possunt, sicuti docent Palud. in 4. d. 38. quæst. 3. art. 2. Sylu. v. votum, v. 2. quæst. 3. Suarez p. 3. tomo. 3. disp. 31. sect. 2. colum. 3. Sanchez loco citat. n. 22.

Tum verò aliquis rationabiliter voti sui, etiam Religionis ingrediendæ, executionem differt, si spes sit postea commodiùs, vel vtilius exequendum fore, sicuti notauit Syluest. ver. votum 2. quæst. 3. in fine Armil. num. 20. Sanchez cit. cap. 14. num. 8. Exempli causa; Adolescens, qui Religionem vouit, interdum exspectare poterit (præsertim Prelati Ordinis, vel Confessarii accedente consensu) donec ætate, & viribus corporis prouectior ad Ordinis asperitatem, vel labores perferendos, idoneus fiat; vel in studiis literarum excultior.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum obligatio voti perso- 6
nalis sit, ita vt solum vouentem, & non aliam personam obliget? Responsio est affirmatiua, ex communi Doctorum sententia in 4. d. 38. vbi Palud. quæst. 3. art. 3. Syluest. ve. votum, 2. quæst. 9. Sotus lib. 7. quæst. 2. art. 1. ad 5. Sanchez lib. 4. cap. 15. Suarez de voto lib. 4. cap. 9. & sumi potest ex psal. 65. *Reddam tibi vota, quæ distinxerunt labia mea.* Ratio est: Quia obligatio voti, & cuiuscunque promissionis ex propriæ voluntatis consensu nasci debet: ergo non alium, quàm ipsum vouentem ac consentientem obligat. Sin verò aliquis in se sponte suscipiat obligationem exequendi alterius votum, iam non ex aliena, sed ex propria voluntate ac promissione obligatur; saltem secundùm virtutem iustitiæ, ac fidelitatis, si rem ab altero promissam se executurum materialiter tantùm spopondit; vel etiam secundùm religionis virtutem, si animus fuit formalem voti obligationem in se suscipere, qui videtur esse casus cit. c. licet: Quia *subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur*, sicuti notauit Glos. marginalis in cap. Ecclesia, 1. Vt lite pendente &c.

Corollarium I. Si Communitas v. g. alicuius pagi

votum edat quotannis peregrinationem instituendi, posteri eorum non obligantur ex vi voti in quod ipsi non consenserunt; sed interdum ratione pacti, vel statuti, aut longæ consuetudinis, obseruandi eiusmodi rem tanquam ex obligatione: dummodo approbatio expressa vel tacita Episcopi accedat, qui etiam eiusmodi leges, vel consuetudines diœcesanorum abrogare potest, qua de re Vasq. 1. 2. tom. 2. disput. 167. num. 36. & disp. 177. n. 22. Sanchez li. 4. moral. cap. 15. num. 19. Suarez cit. c. 9. n. 10.

7 Corollarium II. Factum alienum voueri non potest; v. g. alium ieiunaturũ, Missam auditurum, Religionem professurum. Quare ne irrita omnino sit eiusmodi voti promissio, ita explicari debet; quod animus vouenti fuerit obligare se ad curandum, siue efficiendum, quantùm in ipso est, vt alter faciat: sic enim non alienum, sed potiùs proprium factum promittitur, sicuti notauit Glos. in §. si quis alium, Instit. de inutil. stipulat. & explicat Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 24. & lib. 4. moral. cap. 5. num. 9. Quare liberi non obligantur voto parentum offerentium eos Religioni; nisi vel intelligentes consentiant, vel postea ratificent: Alioquin iure contradicere possunt; eò quòd Religionis ingressus liberi arbitrii ac voluntatis esse debeat; non minùs, quàm sponsaliorum ac matrimonii, sicuti Nicolaus Papa notauit, relatus in c. præsens, 20. quæst. 3. cuius rationem adfert: *Quod enim quis non eligit, nec optat, non diligit, quod autem non diligit facile contemnit. Nullum quippe bonum, nisi voluntarium.* Qua de re Sotus lib. 7. q. 2. ar. 1. in fine, Sanchez cap. 15. num. 22. & cap. 18. num. 26.

8 Corollarium III. Vouens tenetur votum ipsemet implere; & non liberatur, si per alium impleat: v. g. qui vouit se ieiunaturum, peregrinaturum, non satisfacit, si alium roget, vt suo loco ieiunet, peregrinetur. Cuius ratio est: Quia vouens, vt suppono, factum proprium promisit: ergo ad illud obligatur. Neque verò commutare potest, vt alium rogando, sibi substituat; quia id minoris difficultatis, ac meriti est, quam quod promiserat. Quæ doctrina non tantum locum habet in votis personalibus, vti omnes Doctores fatentur; sed suo etiam modo in realibus, vti obseruauit Suarez lib. 4. cap. 10. num. 10. v. g. qui eleemosynam vouit, debet eam de suo largiri, non de alieno. Quod adeò verum est vt qui tale opus vouit; teneatur illud exequi dum in viuis est; neque satis sit executionem hæredi suo committere, vt idem Suarez loco citat. annotauit, & constat ex iis quæ dixi lib. præced. tract. 5. cap. 10. quæst. 3. dub. 2. Quo cum non pugnat, quod probabiliter docet Sanchez lib. 4. moral cap. 15. num. 6. cum Abulensi cap. 30. Num. quæst. 97. Si alius vouentis nomine, & causa implendi voti, eleemosynam largiatur, voto satisfieri. Nam ille alter, dum obligationem eleemosynæ dandæ ob vouentis gratiam, in se suscipit: perinde facit, ac si pecuniam erogandam vouenti donet; vt proinde eleemosyna iam fiat de vouentis quodammodo substantia, quippe per gratuitam promissionem iure ipsi acquisito: sicuti si aliquis in meam gratiam promiserit, se debita mea soluturum; is obligatus mihi est ad solutionem; quam si impleat, id facit ad exonerationem debiti, siue iuris mihi acquisiti.

9 Corollarium IV. Si quis votum suum ipsemet implere non possit, non tenetur alium rogare, vel substituere, qui impleat, tametsi vouens non absque culpa in eiusmodi impotentiam inciderit. Quæ est communior DD. sententia Syluest. ver. votum, 2. quæst. 6. & 10. Nauarri cap. 12. num 55. Suarez lib. 4. cap. 10. Sanchez lib. 4. moral. cap. 15. concl. 1. contra S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 5. Ratio est: Quia actus non se extendit vltra intentionem agentis: Vouentis autem siue promittentis intentio fuit se facturum; v. g. oraturum, ieiunaturum, eleemosynam daturum: Ergo si id præstare non possit, non tenetur aliud facere, puta alterum rogare, & substituere. Nisi etiam ad hoc se obligare non intenderit seu expressè, seu implicitè. si enim v. g. dum vouerat, propriam eámque perpetuam impotentiam cognouit, ne irritum, & illusorium votum reddatur: ita illud interpretari conuenit, quòd propositum fuerit vouenti per alium exequi, sicuti ex Hostiensi tradit Abb. in c. licet, de voto, n. 13.

Deinde à tradita doctrina plerique Doctores Syluest. Sotus ll. cc. Rodriq. tomo. 2. cap. 99. concl. 10. Azor lib. 11. cap. 45. quæst. 16. Sanchez l. c. concl. 3. & alii excipiunt vota realia; item mista, quatenus cum realibus participant. Vbi nota; Triplex esse votum, personale, reale, mistum. Personale est promissio, Deo facta alicuius actionis, functionis, siue officii præstandi à vouente, v. g. castitatem seruandi, orandi, ieiunandi. Votum reale est promissio, Deo facta, alicuius rei dandæ vel expendendæ à vouente, v. g. eleemosynæ dandæ, ecclesiæ fundandæ. Votum mistum est, quod ex vtroque participat; si aliquis Deo promittat non solum rem aliquam suam, sed etiam propriæ personæ officium, siue functionem, v. g. se propriis manibus templum ædificaturum suis sumptibus peregrinaturum, contra hostes fidei peregrinaturum. 10

His intellectis, vera videtur esse sententia Suarez cit. cap. 10. num. 10. & seq. suprà positum corollarium etiã locum habere in votis realibus Nam in eiusmodi votis, puta eleemosynæ dandæ, ecclesiæ ædificandæ, duo considerare oportet: I. Vt de vouentis substantia erogetur. & hoc omnino in voti promissione includitur: quia factum, aut rem alienam nemo promittere potest, imò neque præstare: quapropter si vouens in paupertatem incidens, de suo largiri non possit, non tenetur alium rogare, vel ab altero emendicare, vt fatetur Sanchez n. 8. quia hoc, vt ponimus, non promisit. II. Num voti realis executio fiat ipsius vouentis officio, an alterius hominis ministerio; puta vtrum ipsemet vouens suis manibus, an famuli ministerio eleemosynam largiatur; suis manibus, an aliorum ecclesiam ædificet; & hoc ad executionem voti, quatenus merè reale, nihil omnino interest; vt proinde mirum non sit, quod in hoc casu, si ipsemet vouens per se exequi non possit, per alium debeat; quia neque obligatus est in propria persona exequi. Sin vero hoc ipsum promisit, quòd in propria persona votum exequi velit, tum desinit esse merè reale, & fit mistum ex reali ac personali.

De hoc autem quæstio est, an debeat aliquis nihilominus exequi, quod est reale voti; si non possit quod est personale? Respondeo: Si de vouentis intentione non satis constet, num vtrumque per modum vnius, siue cum dependentia vnius ab altero; an verò diuisim, & per modum plurium promiserit, sicuti suprà cap. 1. explicaui; inspiciendum esse, quidnam in eiusmodi votis promissum fuerit principaliter, & quid accessoriè. Si enim quod est personale, principaliter promissum fuerit, reale autem accessoriè; tum si vouens votum suum per se exequi, v. g. peregrinari; contra hostem militare non possit, neque tenetur sumptus mittere, quos proficiscẽdo facere debuisset, sicuti docet idem Suarez cap. 11. in fine. Contrà autem dicendum, si quod reale est voti, principaliter, personale secundariò promissum fuerit: vt si quis vouit, suis manibus daturum se eleemosynam, proprio labore, ac sumptu templum ædificaturum, is nihilominus pecuniam &c. ministrare debet; si laborare, vel stipem ipsemet largiri nequeat. Idémque dicendum, si vtrumque eorum per se, atque in sensu diuiso promissum fuerit: v. g. si aliquis promiserit, se ad limina Apostolorum peregrinaturum, & lampadem argenteam oblaturum, vel contra hostes Fidei profecturum, & tot socios secum adducturum, sed postea peregrinari, vel ad bellum proficisci non possit, tenetur 11

nihilominus promissum donum, vel socios in belli subsidium promissos mittere, si reale hoc votum per se & sine dependentia à personali edidit, sicuti docet Sanchez cit. c. 15. n. 13.

Non placet autem, quod idem n. 9. tradit: Si quis vouerit se ieiunaturum, vel sacrificaturum pro animabus in purgatorio, vel existentibus in alia spirituali necessitate, ad ipsis subueniendum, hoc casu, si ipsemet vouens, ob impedimentum, exequi non possit, obligatum esse, vt per alium exequatur. Non placet, inquam, tum quia tale votum personale est, non reale: alioquin ad hæredem transiret eius obligatio, quod nemo dicet: tum quia vouens, vt suppono, promisit se ieiunaturum, v. g. non item se curaturum, vt alius ieiunet. hoc enim distinctum opus est, nouam in se difficultatem continens. Si tamen animus promittentis fuit curare, vt sacrificium pro tali necessitate offeratur, siue per se, siue per alium, tunc rectè docuit Sanchez.

12 QVÆSTIO SEXTA. Vtrum obligatio voti transeat ad hæredem defuncti, qui votum suum non impleuit? Respondeo ex communi sententia, & dico I. Ad hæredem, post aditam hæreditatem, realium votorum obligatio transit. Sumitur ex c. ex parte, de censibus, & l. 2. ff. de pollicitation. *Si fortè qui decimam bonorum vouit, decesserit &c. hæres ipsius, hæreditario nomine, decimæ obstrictus est. Voti enim obligationem ad hæredem transire, constat.* Ratio est: Quia hæres voluntariè adeundo, & acceptando hæreditatem defuncti, sicuti commoda eius, & omnia iura acquirit; ita etiam onera & debita, seu reales obligationes in se suscipit: Inter huiusmodi autem obligationes est etiam votum reale, id est, promissio Deo facta, alicuius rei in honorem ipsius præstandæ.

Exinde aliqua corollaria existunt: I. obligatio, qua heres tenetur ad soluenda realia vota defuncti, non est ex virtute religionis; quippe quæ solum vouentem astringit, vt suprà dictum, sed ex virtute iustitiæ, ratione acceptatæ hæreditatis vnà cum omnibus eius iuribus & oneribus. quod clarè significatur in cit. l. 2. *hæreditario nomine obstrictus est.*

II. Licet testator prohibuerit hæredi, ne realia sua vota persolueret; nihilominus tenetur; atque ad id cogi à Iudice potest sub pœna hæreditatis amittendæ, arg. c. licet, de voto, vbi id tradit Abb. num. 5. Ratio est: Quia hæres voluntaria hæreditatis aditione, & tacito quasi cõtractu suscipit omnes obligationes reales defuncti: ergo sicuti testator ad implenda vota realia compelli poterat, ita & hæres; idque docet Nauar. cap. 12. num. 56. Rodriq. p. 2. cap. 99. concl. 11. Sanchez lib. 4. cap. 15. num. 28.

13 III. Non tenetur hæres vota defuncti soluere vltra vires hæreditatis aditæ; id est, non nisi ex eo, quod deductis debitis, & necessariis expensis funerum &c. super est; quippe de quo solo ille disponere poterat vouendo, aut legando ad causas pias, sicuti lib. præced. tract. 5. c. 6. de legatis dictum fuit, & docent Palud. in 4. d. 38. quæst. 4. a. 3. Syl. ver. votum, 4. quæst. 7. dicto 3. Sanch. li. 4. moral. ca. 15. nu. 36. Imò probabilius esse videtur, neque legitimam bonorum partem descendentibus vel ascendentibus debitam, votis, vel legatis ad pias causas grauari posse, sicuti docet Rodriq. l. c. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 36. quæst. 1. num. 7. & cit. cap. 15. n. 38. Quare si vota realia defuncti excedant vires hæreditatis, siue portionis, de qua liberè disponere potuit, tunc eorum solutio ab hærede præstanda erit duntaxat pro rata.

IV. Persolutio votorum præferenda est omnibus legatis, etiam piis. Quia prior est obligatio votorum, quippe quæ defunctum astringebat; non ita obligatio legatorum. At verò debita iustitiæ, votorum, exsecutioni hæres præferre debet: quia vota soluenda sunt ex bonis defuncti sicuti & legata. Bona autem cuiuscunque cẽsentur, quæ supersunt, deducto ære alieno, l. mulier, ium. Gl. ver. alieno, ff. de iure dotium; & ita docet Sanchez n. 39.

Dico II. Vota merè personalia defuncti non tenetur hæres exequi. Quia hæres succedit defuncto, eiúsque personam repræsentat tãtùm in realibus commodis pariter siue iuribus, atque oneribus siue debitis, l. hæredem, ff. de regulis iuris; non item in priuilegiis & obligationibus personalibus, id est, quæ personæ illius cohærent. Excipe primò, nisi sponte se obligârit ad vota personalia defuncti exequenda. Secundò, nisi sub ea conditione hæres non necessarius institutus sit, vt talia vota exequatur. Ita docent DD. in c. licet de voto.

Dico III. Neque vota mixta hæres implere tenetur; 14 nisi quod in his reale est; per se, & independenter à personali obligatione defunctus promittere intenderit. Id verò in dubio, & nisi ex rei promissæ natura &c. coniectura capi possit, præsumi non debet. Qua de re post Palud. mox citandum, videri potest S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 5. Syl. ver. votum, 2. q. 11.

Exinde soluitur quæstio: Si defunctus vouerat se cõtra Fidei Christianæ hostes in subsidium belli profecturum esse, vtrum hæres eius implere, vel saltem sumptus mittere teneatur? Respondetur: Si defunctus nullam specialem hæredi obligationem imposuit; adeóque spectatâ precisè ipsius voti naturâ, non obligari hæredem ad quicquam præstandum. Ita docet Palud. in 4. d. 38. q. 3. a. 3. concl. 4. & 5. quem sequitur Suarez lib. 4. c. 11. in fine, contra Sanchez n. 29. Idque ex eo probatur, quod suprà dictum, si ipsemet vouens impedimentum contrahat, quominus proficisci possit, omnino liberari obligatione. Ergo multò magis hæres liber erit, si vouens, voto non persoluto, defunctus sit. Si tamen probabiliter præsumi possit, vouentis intentionem fuisse subsidium bello contra hostes submittere sine dependentia à propria persona, tunc tenebitur hæres alium militem, vel sumptus transmittere.

Verum his dictis obstare videtur c. quod super, de voto, vbi dicitur; Quod habentes votum in subsidium Terræ sanctæ propria persona, suísque impendiis militandi, si ob impedimentum perpetuum v. g. infirmitatis, proficisci non possint, cogi debeant, *vt quas facturi erant expensas transmittant, exequentes per alios, quod per se nequeũt expedire.* Ex quo sequitur, quòd etiam hæres, si vouens ipse voto suo non satisfecerat, expensas transmittere cogatur, iuxta iuris reg. 46. in 6. *Is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, vti debet,* Respondeo cum Innoc. in c. licet, de voto, Abb. in cit. c. quod super, num. 5. Nauar. cap. 12. n. 55. Fuisse id tempore illo specialiter constitutum, ob magnum eius voti & recuperationis Terræ sanctæ fauorem; vt qui edito voto crucem sanctam susciperent, quocumque modo possent, siue per se, siue per alios auxilium polliceri censerentur. quæ tamen præsumptio non est ex natura voti præcisè spectati, ideóque in aliis casibus locum non habet. Imò Palud. in cit. concl. 4. considerata natura huius voti, illud inter ea numerat, quæ principaliter personalia sunt, & accessoriè tantùm realia, ideóque ait: *Si defunctus susceperat crucem, non propterea hæres tenetur illuc mittere expensas, quas ille facturus erat, nisi hoc ordinauerit.*

CAP. IV.

VTRVM MELIVS, MAGISQVE meritorium sit opus ex voto, quàm sine voto.

SVMMARIVM.

1 *Melius, magisque meritorium est opus ex voto, quàm sine voto.*
2 *Necessitas implendi voti non minuit voluntatis libertatem.*
3 *Pœnitentia voti editi si efficax non sit, nihil culpæ habet.*

1 RESPONDETVR cum S. Thoma, 2. 2. quæst. 88. a. 6. Henrico Gandauensi quodlib. 13. quæ. 14. Th. Vvaldensi lib. 3. de doctrina Christiana cap 21. Maiore in 4. d. 38. quæst. 4. Richar. a. 6. quæst. 2. Melius, magisque meritorium esse opus ex voto. Probatur I. Nobilioris virtutis nobilius est opus: Religio autem omnium virtutum moralium nobilissima est. Ergo &c. v. g. opus temperantiæ, si ex voto fiat in Dei honorem concepto, altioris insuper virtutis Religionis, à qua imperatur, laudem & honestatem consequitur. Quare S. Aug. inquit in lib. de sancta Virginit. c. 8. Virginitatem non tam honorari, quia virginitas est; quàm quia Deo dicata est II. Qui ex voto bonum operatur, magis Deo se subiicit ac impendit: quia non opus tantum, sed & operandi facultatem Deo consecrat; sicuti plùs dat, qui vna cum fructu, etiam arborem donat, vti notauit D. Anselmus in lib. de similitud. cap. 84. Confirmatur I. Sicuti grauius peccat, maiorémque pœnam meretur, qui mente obstinata, & omnino ad malum determinata peccat; ita melius agit; & plus à Deo meretur, qui virtutis opera, voluntate per votum obfirmata, exercet. Confirmatur II. Qui opus bonum voto promissum omittit, grauem sacrilegii malitiam, ac pœnam incurrit. Ergo qui obseruat, magnam virtutis laudem, & præmium à Deo meretur. Quia oppositorum eadem est ratio opposita; neque congruit diuinæ iustitiæ ac benignitati, vt voti transgressionem plùs puniat, quam eius obseruationem remuneret.

Obiicies. Qui ex voti obligatione operatur, is magis necessitate, quàm libera voluntate operatur: vnde sæpe accidit, vt eum vouisse pœniteat; ideóque cum tædio, & tristitia operetur bonum, contra consilium Apostoli, 2. ad Corinth. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Hæc obiectio tres partes in se continet; ad quarum 1. optimè respondet S. Tho-
2 mas ad 1. Necessitatem legis, quæ ex voto oritur, non minuere voluntatis libertatem: quia homo iustus sponte ac liberè operatur, quòd lex iubet; licet fortè non operaretur, nisi lex iuberet. Qua de re egregiè S. August. epist 45. ad Armentarium Riparium: *Quia iam vouisti, iam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. Priusquam esses voti reus, liberum fuit, quo esses inferior: quamuis non sit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito; sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior. Modo autem tantò (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris; quantò beatior, si persolueris. Nec ideo te vouisse pœniteat; imo gaude, iam tibi sic non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.*

Ad 2. partem respondetur; Votum Deo prudenter factum non præbere homini causam pœnitentiæ, ac doloris; sed potiùs materiam gaudii, vti ex S. August. citat. epist. 45. annotauit S. Thomas ad 2. idque exprimitur lib. 1. Paralip. cap. vlt. *Lætatus est populus, cum vota sponte promitteret; quia corde toto offerebant ea Domino.* Sed etsi aliquem voti sui pœniteat, si tamen pœnitentia efficax non sit, sed coniuncta cum firmo proposito exequendi
3 votum, nihil culpæ (per se loquendo) admittitur: quia talis pœnitentia, siue simplex displicentia voti non versatur circa malum, aut prohibitum obiectum: nam sicut ab initio potuit homo nolle vouere; ita postea optare potest, quod non vouisset. Quamquam eiusmodi actus plerumque otiosus & inutilis est: interdum etiam, præsertim in votis grauioribus, & perpetuam obligationem inducentibus, cum periculo præuaricandi, seu non perseuerandi iunctus: quamobrem veniali culpa, interdum etiam mortali non vacat. vti notauit Caietan. cit. a. 6. §. quoad secundum.

Ad tertiam partem respondetur; Tametsi aliquem pœniteat voti sui; siue optet se non vouisse; nihilominus, quia vouit, potest alacri & prompto animo votum suum exequi superando difficultates, non sine meriti augmento. Sin autem displicentia voti redundet in executionem; ita vt homo remissè, & cum tædio votum exequatur; tunc ratione huius circumstantiæ, adeóque per accidens interdum contingit hominem ex voto operantem minùs bene & meritoriè operari, quàm alium sine voto, vti notauit Suarez lib. 1. de voto cap. 17. n. 13. Apostolus autem loco suprà cit. reprehendit eos, qui eleemosynas tribuunt minùs voluntariè, ex timore humano, quia non audent negare viro magno petenti, qualis erat Paulus: vel ne auari iudicentur, si aliis tribuentibus, ipsi nihil, aut non tantumdem tribuant. Vide Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 29.

CAP. V.

DE VOTO POENALI.

SVMMARIVM.

1 *Votum pœnale dicitur, cùm quis minimè affectus est ad rem, quam in pœnam vouet; sed ideo eam promittit, si crimen commiserit, vt retrahatur à crimine.*
2 *Si opus principale illicitum, vel impossibile fiat; aut eius præstandi obligatio per dispensationem tollatur, cadit etiam obligatio pœnæ.*
3 *Ignorantia, vel obliuio excusans à culpa, itidem excusat ab annexa pœna.*
4 *Votum, si imposterùm blasphemiam dixero, dabo in eleemosynam vnum aureum; plerumque intelligitur toties, quoties peccatum commissum fuerit.*

VOTVM pœnale definit Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 10. num. 1. Cùm vouens minimè alioquin 1
affectus est ad rem, quam in pœnam vouet; sed ideo eam ita promittit, si crimen aliquod commiserit; vt illius incurrendæ timore retrahatur à crimine. Quod duobus modis accidit, sicut idem docet li. 4. mor. c. 22. num. 2. Azor lib. 11. cap. 7. quæst. 8. Lopez p. 1. instruct. c. 44. §. vota ista conditionalia. Primò, Si duplex votum aliquis edat; videlicet, rem aliquam absolutè faciendi, vel omittendi, ad quam animus inclinatus est: si verò id non præstiterit, tum aliud, ad quod animus inclinatus non est, tanquam in criminis pœnam, præstandi. v. g. si voueas; te non fornicaturum, sin autem fornicatus fueris, Religionem ingressurum: vel voueas, te non lusurum sin autem luseris, eleemosynam daturum. Secundò si sola pœna promittatur sub conditione, si id, quod animus est præstare, præstitum non fuerit: v. g. Voueo me Religionem ingressurum, si fornicatus fuero: Voueo eleemosynam me daturum, si lusero. Interdum tamen vota tali forma, præsertim posteriore, concepta, pœnalia non sunt, sed merè conditionalia, si videlicet aliquis sub conditione admissæ fornicationis, Religionem voueat, non vt pœnam, sed potiùs vt medium opportunum ad peccatum declinandum, vel emendandum.

Corollarium I. In voto verè pœnali, si res illa, quam 2

vouens per se ac principaliter spectabat, impossibilis, vel Deo non accepta sit, aut fiat; tunc cadit etiam obligatio pœnæ, quippe quæ vt accessoria promissa fuit: consequenter, si res principalis præstanda non est, neque pœna locum habet: Exemplum habes: Si aliquis vouit vel iurauit (nam eadem est in his ratio de iuramento) nisi vindictam sumpserit à tali persona; vel si cum hoc homine, quo cum inimicitiam gerit, locutus; vel domum eius ingressus fuerit; in pœnam ieiunaturũ, eleemosynam daturum; nulla est obligatio pœnæ præstandæ.

Corollarium II. Si obligatio voti validè emissi, per dispensationem sublata fuit, tunc eo ipso cadit etiam obligatio pœnæ, licet de ea impetratione dispensationis nulla mentio facta sit. Cuius ratio est, quia pœna habet ordinem ad transgressionem: atqui post dispensationem locum non habet transgressio voti: ergo neque pœna. Secùs verò est, si præuaricatio voti semel accidit, ideóque pœna contracta est: tunc enim vtrumque vinculum per se obligat; adeò, vt vnius solutio per dispensationem, &c. non trahat secum solutionem alterius: v. g. si vouisti vinum non bibiturum; sin biberis, eleemosynam daturum; postquam bibisti, iam reus es tam voti, quam pœnæ: atque ab vno absolutus non ideo etiam absolutus es ab altero.

3 Corollarium III. Quotiescunque aliquis ob ignorantiam, seu obliuionem, rem principalem perficere omisit, non tenetur pœnam præstare; quippe quæ locum non habet, vbi voluntaria transgressio non est. Neque refert, vtrum sit ignorantia facti tantùm, puta, si vouisti te Missam auditurum diebus festis, & nisi audieris, eleemosynam daturum, sed postea intermittis, quia non recordaris esse festum diem: perinde enim est, ac si alia iusta ratione impeditus esses: An verò sit ignorantia iuris, seu potiùs obligationis: vt si Missam die festo (quamuis culpatè) negligas; sed immemor emissi voti. vtroque enim casu liber es ab obligatione præstandæ pœnæ. Secùs verò dicendum, si memor sis, te votum emisisse Missæ non omittendæ, tametsi non recorderis appositæ pœnæ, quorum ratio est, quia voti obligatio est instar alterius humanæ legis: lex autem humana ad decretam pœnam non obligat eum, qui inculpatè ignorat, aut non recordatur latam esse: at verò qui legem latam nouit, licet ignoret, vel obliuiscatur annexam pœnam, nihilominus eam incurrit, sicuti dixi lib. 1. tract. 4. cap. 20. num. 6. & docet Sanchez lib. 4. moral. cap. 22. n. 17. Etenim pœna videtur habere relationem ad eam culpam, siue transgressionem, cui annexa est: consequenter si annexa est humanæ legi inuincibiliter ignoratæ, adest ratio excusationis tum à culpa transgressionis, tum à pœna: Sin autem non inculpatè ignoretur, sed culpatè violetur, tunc pœnæ locus est.

Restat Quæstio. Si quis vouit, se non temere iuraturum, blasphematurum, sub pœna peregrinationis instituendæ, aut eleemosynæ dandæ, vtrum in dubio censendus sit solùm se obligare voluisse ad pœnam ob primam transgressionem, an toties, quoties peccabit? Priorem partem tenet Sa ver votum. num. 26. *Vouens,*
4 *se aliquid facturum, si contingat fortè peccare, intelligitur de prima vice, nisi intendisset expressè, quotie peccasset.* Contrarium docet Sanchez cit. c. 22. n 21.

Respondeo, & dico I. Si duplex votum homo edidit & non se blasphematurum; &, si blasphemauerit, eleemosynam daturum; tum vera est sententia posterior: quia sicuti votum principale de non blasphemando ad omne tempus refertur; ita & votum ei accessorium de pœna soluenda, intelligendum videtur Qua ratione etiam istud votum accipi debet: *Voueo me omnibus diebus festis Missam auditurum; &, nisi audiero, eleemosynam daturum.*

Dico II. Si quis vnicum votum ediderit, videl. de pœna soluenda, si accidat imposterum, vt blasphemia, vel simile peccatum committatur; in primis examinanda est intentio vouentis, quæ plerumque esse solet, in perpetuum sibi interdicere peccandi facultatem sub proposita pœna; ita vt quotiescunque transgressio fiat, toties pœna soluatur, Sin verò, spectatis omnibus circumstantiis, de intentione vouentis constare non possit, sed dubium maneat, doctrina illa Eman. Sa, quæ in correctissima editione habetur, reprehendi non potest. Quia cum de obligatione voti agitur, benignior pars in dubio amplectenda est, salua verborum proprietate: atqui verba ista voti; *Si imposterum blasphemauero, voueo me peregrinationem instituturum, decem aureos pauperibus daturum*; propria, & non inusitata acceptione intelligi possunt de prima tantùm transgressione: Ergo si vouens de intentione sua dubitet, hanc benigniorem partem, vtpote non abhorrentem à sermonis proprietate, & vsu, præferre potest. Nam eodem modo homini quispiam se obligare potest: *hanc viam lubricam transibo nunquam casurus, si cecidero, promitto me aureum donaturum.* Potest quidem hæc promissio etiam intelligi, vt dandus sit aureus, quotiescunque casus acciderit, sed in dubio, intelligendum erit de primo tantùm casu.

Cap. VI.

De Voto Conditionali.

Svmmarivm.

1 *Votum conditionatum imperfectam & suspensam obligationem continet.*
Promissiones & vota, postquam validè edita sunt, conditiones non recipiunt.
2 *Non peccat vouens, si appositam conditionem euitet, vel impediat, ne voti obligationem contrahat. Nisi lege aut præcepto obligatus sit ad conditionem seruandã, tunc peccabit contra religionis virtutem, nisi seruauerit.*
3 *Qui aliquid Deo vouet, vel homini promittit sub conditione consensus paterni, statim obligatur. si pater consensum prabeat; licet postea dissentiat. Contra statim obligatione liberatur, si pater dissentiat; licet postea consentiat.*
4 *Etiamsi aliquis dolo efficiat, vt apposita voto conditio non impleatur, obligationem superfugere videtur.*

Votvm conditionatum dicitur, ex quo obligatio oritur imperfecta, & suspensa, pendens nimirum à futuro euentu, in conditionem apposito. Circa quam definitionem aliqua aduertenda: Primum. Votum editum sub conditione euentus præsentis, aut præteriti; v. g. *si pater meus viuit*: *si pater meus mortuus est*, non est propriè conditionatum; quia statim parit absolutam obligationem, si posita conditio existat; vel nullam obligationem parit, si posita conditio non existat. 1

Alterum. A definitione voti conditionati excluduntur etiam illa vota, quæ non propriè dictam conditionẽ continent; sed determinationem temporis, in quo votum impleri debeat: v. g. *voueo me Religionem ingressurum, si pater meus moriatur*; perinde enim est ac si dicam, quando pater morietur. Quamobrem absoluta obligatio nascitur, licet executionis dilatio aliqua concedatur, sicuti notauit Sotus in 4. d. 29 quæst. 2. a. 1. §. sit ergo secunda conclusio. Sanchez lib. 4. moral. c. 23. n. 1. & lib. 8. de matrim. disp. 10. n. 4.

Tertium, Licet votum conditionatum non pariat statim obligationem perfectam; parit tamen imperfectam, & suspensam, quæ eueniente conditione perficitur, & absoluitur. Nam primò, qui vouit conditionatè, seruare tenetur propositum implendi voti, si conditio euenerit. Secundò, non debet se interim, dum

euentus conditionis speratur, inhabilem reddere ad executionem voti: v. g. qui vouit se Religionem ingressurum, si pater ex India saluus redierit, is licitè matrimonium contrahere non potest, tametsi pater longo tempore absit, donec de eius morte certior factus fuerit, sicuti docet Nau. lib. 3. consil. 15. de voto. edit. 2. Sanchez cit cap. 23. concl. 6. argum. c. in præsentia, c. ex tua, de sponsal. Excipe: Nisi conditio ex libera vouentis voluntate pendeat; tunc euentum illius vouens expectare non tenetur: v. g. vouit aliquis, si luserit intra annum, se Religionem ingressurum: vel, si Religionem aliquam ingressus fuerit, Carthusianum fore, vtroque casu, nullo expectato euentu, ad nuptias liberè accedere potest, sicuti bene monet idem Sanchez cap. 22. n. 11.

Quartum. Votum conditionatum interdum accipitur latè, vt comprehendat etiam votum pœnale, de quo præced. cap. dixi. Interdum verò strictè ac propriè, quæ est promissio alicuius rei præstandæ, sub pura conditione alicuius futuri euentus contingentis, non in criminis pœnam: & de hoc voto ex instituto hîc sermo est.

Demum notandum est. Conditionem apponi debere in ipso vouendi seu promittendi actu: nam si semel promissio absolutè facta, adeóque perfecta fuerit; non licet deinde illi conditionem, restrictionem, vel grauamen aliquod adiungere, iuxta l. 4. C. de donat. quæ sub modo: *Perfecta donatio conditiones postea non capit*, & docet ex communi Sanchez lib. 5. de matr. disp. 6. n. 3. & lib. 4. de voto, c. 23. n. 7.

Quæstio Prima. Vtrum vouens peccet, si per eum stat, quominus conditio impleatur? Respondeo, & dico I. Si conditio nulla lege præcepta pendeat ex libera vouentis voluntate, non videtur peccare
2 vouens, licet eam euitet ob hanc solam causam, ne voti obligationem contrahat. Exempli causa: Aliquis vouit eleemosynam se daturum, si iurauerit, si luserit, si talem domum, ciuitatem ingressus fuerit, non peccabit, etsi ideo non ingrediatur, vel iuramento, lusu abstineat, ne voto obligetur. Ita docet Suarez lib. 4. de voto, cap. 17. assert. 1. Sanchez citat. cap. 23. quæst. vlt. Cùm enim talis vouens adhuc liber sit à voto; poterit eius obligationem subterfugere, vel impedire, quocunque modo secundùm se non illicito: atqui licitum ei est non iurare; non ludere, ciuitatem non ingredi. Ergo &c.

Loquor autem de conditione, quæ nulla lege præcepta est: Nam inprimis suppono, vouentē noluisse se obligare ad conditionem implendam, v. g. ciuitatis ingressū, sed solùm ad rem præstandam, si conditio, ex libera sua voluntate dependens, impleta fuerit.

Deinde aliquis ita vouit: Si spatio vnius anni fornicationis peccatum cum Dei gratia euitauero, in gratiarum actionem, Religionem ingrediar: talis, si intra annum fornicetur, ea intentione, vt voti obligationem subterfugiat, videtur non tātùm contra castitatem peccare, sed etiam contra Religionis virtutem, violando quodammodo pactum cum Deo initum: quandoquidem dicto vouendi modo censetur tacitè promisisse, quòd saltem aliquem euitandi peccati conatum adhibere, vel saltem dolo & fraude non vti, sed syncerè agere velit, sicuti notauit Suarez cit cap. 17. n. 14. Vtrum autem talis vouēs Religionem nihilominus ingredi debeat, dicam infrà q. 3.

Dico II. Si conditio voti ex naturalibus causis, vel ex alterius hominis libero consensu, aut voluntate dependeat, non peccat vouens contra votum, tametsi conditionis euentum impediat, si nihil per vim, aut dolum agat. Ita docet idem Suarez numer. 16. & seqq. Exemplum adfert I. Vouisti Religionem te ingressurū, si Deus valetudinem intra annum restituerit, non peccas contra votum, si comedendo, vel bibendo excedas, modò absit dolus, & non de industria valetudinem lædas, quò Religionis ingrediendæ obligationem euites.

II. Vouisti Religionem te ingressurum, si pater consenserit, vel si frater id suaserit, non peccas, tametsi voti pœnitentia ductus, precibus, vel rationibus propositis id agas, vt pater dissentiat, vel frater dissuadeat; secùs est, si vi, aut fraude eos circumuenias. Ratio est: Quia, vt suprà dictum, vouens non censetur se obligare ad promouendum, vel nulla ratione impediendum conditionis euentum. Sin verò cogas patrem v. g. vel deceptione circumuenias, quominus consensum præbeat, iam non relinquis ei liberam arbitrii sententiam, ex quâ tamen votum tuum pendere voluisti. Item, si data opera ægritudinem incurras, ne conditio, ad Religionem ingrediendam apposita, impleatur; non syncere pactum cum Deo initum obseruas: perinde ac si cum homine pactus sis, si valueris, te ei opem bellanti præbiturum; licet ex vi huius pacti obligatus non sis valetudinem diligentiùs, quàm ante solebas, curare; non debes tamen eam de industria lædere: alioquin infidelis promissor censeberis.

Quæstio Secunda. Speciatim proponitur de conditione hac, *si patri placuerit*, quomodo ea censeri debeat impleta, vel non? v. g. voueo Religionem me ingressurum, si patri placuerit. Quam quæstionem de sponsalibus, & matrimonio tractat Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 7. Quo cum respondeo, & dico I. Si pater re cognita, voto vel promissioni primò consentiat, censetur impleta conditio & obligatio, quæ haud tollitur, 3
tametsi is postea dissentiat.

Dico II. Si pater re cognita, priùs dissentiat, deficit conditio & obligatio; neque reualescit, etsi postea consentiat. Quod etiam docet Sotus in 4. d. 29. quæst. 2. a. 3. §. Rogas autem; quid si postquam filius. Azor lib. 11. cap. 15. quæst. 9. §. præterea conditio, contra Syluest. ver. matrimonium, 3. quæst. 4. dicto 3. Nauar. cap. 22. num. 63. Veracrux p. 1. speculi, a. 19. §. sed postquam. Quorum tamen sententia in sponsalibus tunc haud dubiè amplectenda est, si sponsi, post patris dissensum, permaneant adhuc in proposito, verbis, aliisue signis explicato, obligandi se mutuò sub conditione paterni consensus deinceps impetrandi. Deinde si vouentis, vel promittentis intentio fuit, obligandi se omnimodè ad exequendum promissum, dummodo sine patris offensione fieri possit, tunc etsi primò ille ægrè ferat, postea verò consensum præbeat, obligatio contrahetur, si interim nulla notabilis mutatio facta.

Dico III. Si pater nec consensum, nec dissensum exprimat, ad alia signa, & coniecturas attendendum est. Nam in quibusdam personis, consideratis circumstantiis, taciturnitas significat mœrorem animi, indignè ferentis; in aliis verò tacitum consensum, vel saltem non repugnandi voluntatem. Ita notarunt *Syl.* lo. cit. dicto 4. Nau. cit. n. 63.

Dico IV. Si pater expressè dicat; se quidem non cōtradicere, nec dissuadere: verū nec suadere, aut probatiuum consensum dare velle, tunc censeri debet conditio impleta, nisi constet, aliam fuisse mentem promittentis. Ita præter Sanchez, docent Syluest. & Veracrux ll. cc. Anton. Cucus lib. 5. Instit. tit. 11. num. 54. Nam qui vouet, vel promittit sub conditione paterni consensus, eius animus esse censetur obligare se, nisi pater ægrè ferat, & contradicat; vel saltem dissuadeat. *Qui autem tacet*, ait Paulus IC. reg. 142. *ff. non vtique fatetur: sed tamen verum est, eum non negare*, siuè contradicere. Confirmatur ex eo, quod doctores docent apud Sanchez li. 4. moral. cap. 25. n. 26. satis esse, si apposita conditio in æquipollenti impleatur, quòd ex fine siue proposito pro-

mittentis æstimandum est: v.g. aliquis Religionem vouit se ingressurum, si filia matrimonio locata fuerit; quia non decebat eam deserere in periculo constitutam; postea verò filia moritur; ille voto obligatus censetur. Similiter in nostro casu, si aliquis veritus, ne parens ob suum Religionis ingressum, tristitiam concipiat, vel alienus fiat, votum edat, si pater consentiat; is autem, re intel ecta, nihil contradicat, neque iniquo animo ferre se ostendat; tunc satis impleta est conditio, secundùm vouentis propositum. Eadémque ratio est, si pater antequam consensum, vel dissensum præbeat, è viuis excedat; quia spectato fine vouentis, satis est, patrem non contradicere, seu non se opponere.

4 QVÆSTIO TERTIA. Si aliquis per fraudem impediat, quominùs conditio eueniat, vtrum voto obligetur perinde ac si conditio impleta esset? v. g. aliquis vouit se Religionem ingressurum, si spatio anni peccatum fornicationis cum Dei gratia vitauerit, vel si morbo liberatus fuerit; postea verò fornicetur, vel intemperatè viuat ob eam maximè causam, ne voto teneatur. Talem nihilominus obligari, docent Richard. in 4. d. 38. a. 5. quæst. 3. Angelus ver. votum, 1. §. 10. Nauar. c. 12. num. 42. Azor lib. 11. cap. 20. quæst. vlt. Sanchez lib. 4. cap. 23. num. 47. & probant ex l in executione, §. vlt. ff. de verb. obligat. *Quicunque sub conditione obligatus curauerit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur.* Cōsentit reg. 66. in 6. *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.* Exempli causa: Promisisti alicui centum fl. daturum, si fores tuas ingressus fuerit; ille autem ingredi
5 paratus, à te per vim, vel fraudem repulsus est, haud dubiè perinde ei obligatus eris, ac si ingressus fuisset: ita etiam se res habet in casibus voti antè propositis.

Contrariam tamen sententiam valde probabiliter defendunt Maior in 4. d. 38. quæst. 1. proposit. 1. coroll. 7. Suarez lib. 4. de voto, cap. 17. num. 20. Vel enim talis vouens, qui fraude postea vsus est, ad voti executionem obligatur ratione conditionis impletæ, vel ratione peccati commissi. Neutrum dici potest: Non primum: quia re vera conditio impleta non est: siquidem intra annum valetudinem ille consecutus non fuit, neque à fornicatione præseruatus est. Adde, incertum etiam esse, etiamsi is fraude vsus non esset, vtrum conditio, quippe suapte natura contingens, impleta fuisset, nécne. Neque secundum dici potest: nam hoc discrimen est inter violationem promissionis Deo factæ, & violationem promissionis homini factæ; quòd illa obliget ad pœnitentiam, & satisfactionem pro peccato & iniuria Deo illata; hæc vero ad compensationem siue restitutionem damni homini illati Quia homini violatione iuris sui damnum infertur in bonis ei vtilibus, quod compensari potest, ac debet. Deo autem transgressione voti nulla vtilitas decedit, quæ restitui possit, ac debeat; sed tantùm honor & cultus debitus aufertur: qui per pœnitentiæ satisfactionem eidem restituitur. Quare generalis regula tradi potest, quòd transgressio voti non obligat ad compensationem; v. g. si vouisti certo die, ob specialem deuotionem, te ieiunaturum; atque tunc intermittas culpatè, vel inculpatè, non teneris alio die compensare, sicuti ex communi docet Suarez lib. 4. cap. 15. Sanchez lib. 4. cap. 14. num. 25. Atque exinde patet responsio ad prioris sententiæ fundamentum.

Illud verò monuerim, spectandā inprimis intentionē vouētis, quæ interdū est omnino se obligare ad Relig. v. g. ingressū, nisi pater contradixerit; vt proinde nihil aliud impedire eum debeat, præter patris contradictionem & dissensum. Hoc casu si vouens fraude circūueniat patrē, vt contradicat, qui alioquin non contradiceret; voto nihilominus obligabitur: eo quod cōditio, considerata vouentis intentione, satis impleta censeatur: quando pater non ex se ipso voluntariè, sed fraude eius circumuentus; contradicit.

CAP. VII.

QVÆNAM PERSONÆ VOVERE possint.

SVMMARIVM.

1 *Omnis homo viator, si rationis vsum habet, validè vouere potest.*
2 *Ecclesia in quibusdam votis certam formam seu conditionē requirit, qua non obseruata, irrita sunt.*
3 *Vota non omnino firma sunt, sed irrita reddi possunt, quatenus cedunt in præiudicium potestatis alienæ.*
4 *Religiosus, & impubes magis subsunt, ille Prælati, hic patris, vel tutoris potestati; quàm vxor marito filius fam. pubes patri &c.*
5 *Actiones Religiosi, quæ secundum se bonæ sunt, partim absolutè vouari possunt, partim verò non sine dependentia à consensu Prælati.*
6 *Prælatus Ordinis omnia vota Regularium irritare potest, excepto eo, quod est transeundi ad Ordinem strictiorem, vel quod ipsa Ordinis institutio postulat.*
7 *Si Religiosus opus pium vouit quod sine Prælati licentia exequi nō potest, debet eam petere; sed non videtur necesse, vt votum suū explicet.*
8 *Summus Pontifex vota Regularium directè infirmare potest; secularium non item.*
9 *Prælatus Ordinis vota Nouitiorum simpliciter ac directè irritare non potest: quamuis dispensare possit, si à iurisdictione Episcopi exemptus est.*
10 *Vota impuberis omnia pater directè irritare potest, & in eius defectum auus paternus, & mater; vel Ludimagister, secundùm quosdam.*
11 *Vota ab impubere edita, etiam post pubertatem, à patre irritari possunt, si ea pubes factus non confirmauit: idemque sentiendum de tutore.*
12 *Maritus non omnia vxoris vota, sed ea tantùm rescindere potest, quæ, & quatenus iuri suo præiudicium adferunt; similiter & vxor vota mariti.*
13 *Pater non omnia vota filii puberis irrita reddere potest, sed ea tantùm, quæ patriæ potestati præiudicium adferunt.*
14 *Etsi Superior licentiam dedit, nihilominus votum rescindere potest, multò magis successor.*
15 *Votum continentiæ, cùm coniugis consensu approbatiuo editum, irritum deinde reddi non potest.*
16 *Votum vxoris de non petendo coniugii debito, à marito nequit rescindi, quamuis sine eius consensu editum sit.*
17 *Votum impuberis, etsi à patre, vel tutore approbatum sit, nihilominus reuocari, & rescindi potest.*
18 *Si Superior sine iusta causa votū subditi irritum pronuntiet, peccat venialiter: similiter, si datam licentiam voti exequendi reuocet.*
19 *Vota quæ directè & absolutè irrita facta sunt, non reuiuiscunt sublato statu subiectionis: secùs, si tantùm indirectè & per accidens rescissa sunt.*

ASSERTIO I. Omnis homo viator tam pubes, quàm impubes, posteaquam rationis vsum sufficientem ad voti naturam cognoscendam assecutus fuit, validè vouere potest; nisi aliunde impeditus sit. Ita S. Thom. 2. 2. quæstio. 88. artic. 9. & DD. communiter. 1
Circa hanc assertionem duo aduertenda: I. Vota ante septimum ætatis annum concepta, irrita censentur, nisi probabilissimæ coniecturæ suadeant, sufficientem rationis vsum in tenera illa ætate non defuisse. Contrà, post completum septennium edita vota præsumuntur valida, quatenus est ex parte vouentis, nisi probabilia indicia ostendant, defuisse rationis discretionem. Idque perinde etiam in spōsalibus locum habet, vti docet Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 8. & 16. & lib. 4. moral. c. 1. n. 14.

II. Licet omnis homo, ratione præditus, quæcunque vota siue promissiones Deo validè edat, quate- 2
nus est ex sua agentis siue vouentis parte; fieri tamē po-

test, vt aliunde impediatur, videlicet ab Ecclesiastica seu Pontificia lege, requirente ad valorem voti certam qualitatem siue conditionem, quæ naturali alioquin iure non requiritur: ad eum modum, quo ciuilis lex ciuilibus promissionibus & contractibus certam formam siue conditionem præscribere potest, sine qua valorem non habeant. Neque verò idcirco Ecclesiastica potestas diuino iuri derogat: quia, vti rectè notauit Suarez lib. 3. de voto, cap. 4. num. 9. Deus non accipit vota, quæ ab Ecclesia ob iustam causam infirmantur: sicuti etiam remittit obligationem votorum, in quibus Ecclesia ex iusta causa dispensauit. idque ex vi promissionis factæ S. Petro Matth. 16. Vt quod ipse solueret in terris, esset solutum & in cælis.

Ad hunc igitur modum Ecclesia infirmat vota solemnia, quæ ex graui, eóque iniusto metu fiunt: Item Religionis professionem, quæ ab impubere editur, c. ad nostras, de Regular. cap. 1. & 2. eod. in 6. c. puella, 20. quæst. 2. Hodie verò post Trident. Concil. sess. 25. c. 15. de Regul. irrita est professio, quæ fit ante XVI. completum ætatis annum; vel ante tempus annuæ probationis exactum.

Si obiicias; Ecclesiam non habere iurisdictionem super actus merè internos; ideóque non posse saltem interna hominum vota infirmare, vel in iis dispensare. Respondeo cum Suarez cit. cap. 4. num. 11. antecedens esse verum de iurisdictione contentiosa, quæ tendit ad vindictam fori externi; non item de iurisdictione non contentiosa, nec punitiua, sed quæ proximè ad salutem animæ tendit.

3 Assertio II. Sæpe prohibentur homines, quominus valida, aut omnino firma vota edere possint, quatenus ea cedunt in præiudicium potestatis alienæ, cui subiecti vel obligati sunt, v. g. Religiosus suo Prælato; impubes patri, vel tutori, filius familias patri, vel auo, in cuius potestate existit; seruus item domino, coniunx coniugi, debitor creditori, denique omnis subditus Superiori suo. Ita docet S. Thom. q. 88. a. 8. Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 2.

4 Circa hanc assertionem notandum est primo: Duplex est dependentia voti à voluntate alterius personæ, erga quam est obligatio siue subiectio. Vna per se & simpliciter dicta, tenens se ex parte voluntatis ipsius personæ vouentis, puta Religiosi, & impuberis. Vtriúsque enim voluntas, secundùm omnes actiones suas, quodammodo subiecta est alienæ voluntati. Nam Religiosus propriæ voluntati sponte renuntiauit, atque alterius, Prælati sui, voluntati per obedientiæ votum se subdidit, sicuti habetur in c. non dicatis, 12. qu. 1. & c. si Religiosus, de elect. in 6. ibi, *cùm velle, & nolle non habeat; sed ex illius quem vice Dei super caput suum posuit, & cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat*. Impubes quoque secundùm iuris dispositionem, plenum suæ voluntatis dominiū non habet; sed patri, vel tutori, in cuius potestate existit, & à quo infirma eius voluntas regi debet, subditur: quamobrem voluntas patris quasi filii voluntas censetur, cap. 1. & 2. causa 20. q. 2. & c. mulier 32. quæst. 2. Altera verò voti dependentia est secundùm quid, ac veluti per accidens; videlicet ratione materiæ: quæ alterius iuri, vel potestati subiecta est. cuiusmodi dependentia cernitur in aliis personis alteri obligatis, puta seruo, coniuge Religionis nouitio, filiofamilias pubere &c. Ante omnia dicemus de obligatione voti, quæ est prioris generis; postea de altera.

5 Notandum igitur secundò: Actiones Religiosi, quæ secundùm se siue ex obiecto suo spectatæ, voti materia esse possunt, in quadruplici differentia existunt. Nam quædam sunt positæ in præcepto siue Dei, siue Ecclesiæ: vt non mentiri, die festo Missam audire; quò etiam spectant, quæ in Ordinis regula continentur, vt statis temporibus ieiunare; silentium seruare &c. Quædam verò actiones sunt positæ in consilio, & omnino concessæ Religioso, ita vt, non petita licentia à Prælato, eas exercere possit, v. g. orare litanias B. Virginis, terram, in cella osculari. Quædam autem actiones ita sunt prohibitæ Religioso, vt ne eas exerceat sine Superioris licentia; quam tamen, si petat, non sit insolitum concedi: v. g. supra Ordinis præscriptum ieiunare, item peregrinari ad locum pium, vel eleemosynam dare ex iis, quæ religiosus in proprios vsus insumere posset. Quædam denique actiones sunt, quæ licet secundùm se, & ex obiecto precisè spectatæ bonæ, & voti capaces existant, tamen Religioso, ob iustam causam, simpliciter prohibitæ sunt, ita vt neque petita licentia à Prælato, permitti soleant; v. g. vt Monialis claustralis ad pium locum peregrinetur.

Atque in his vltimi generis actionibus immorandum nobis non est: siquidem vota circa talem materiam, ab initio nulla seu irrita existunt. Nam votum debet esse de opere bono, imò meliore, quàm sit oppositum: Sed agere contra Ordinis regulam, vel contra iustum Superioris præceptum, non est bonum. Ergo neque voti materia. Adde, licet Prælatus eiusmodi actionem dispensando in regula interdum permittere soleat, melius tamen esse regulæ, vel iustæ consuetudini Ordinis conformari, quàm dispensationem impetrare, sicuti docet Suarez lib. 3. cap. 6. numer. 19. Alia verò tria actionum genera, de quibus mox dicam, possunt esse in Religioso idonea voti materia.

Assertio III. Omnia ferme vota Religiosi (eadémque est ratio de impubere) etiam ea, quæ sunt de actionibus positis in consilio, & ipsi absolutè concessis; imò & ea, quæ versantur circa actiones in præcepto positas, vel Ordinis regula præscriptas, eam tacitam in se conditionem includunt; *Nisi Prælatus, re cognita, contradixerit*. Cuius ratio est, quia Prælatus potestatem habet omnia eiusmodi vota directè infirmandi, siue irrita reddendi; per quam irritationem omnis eorum obligatio simpliciter tollatur. Ita docent S. Thom. cit. art. 8. ad 3. & 4. Sotus lib. 7. de iust. quæst. 3. articulo 1. Nauarrus capite 12. numer. 65. Medina in sum. par. 1. cap. 14. §. 6. Suarez libro 6. de voto, cap. 7. numer. 7. Sanchez lib. 4. cap. 33. numer. 7. & alii communiter, contra Caietan. cit. art. 8. ad finem, Armillam ver. votum, numer. 9. qui negant votum circa materiam præceptam à Prælato irritum reddi posse. Sed contra eos est; Quia licet materia talis voti secundùm se non sit Prælato subdita; quippe necessaria, seu posita sub præcepto, vel saltem sub Ordinis regula; contra quam Prælatus nihil præcipere (potest præterquam si dispensandi facultate præditus ob iustam causam dispensare velit) attamen nouam voluntatis obligationem circa eiusmodi materiam suscipere, non est opus necessarium; sed omnino liberum, & sæpe non expediens, ideóque sub gubernatiuam Prælati potestatem cadens. 6

Ex quo etiam sequitur, ab initio irrita fore vota Religiosi, si Prælatus antè contradixerat, ne ederentur.

Dixi autem *ferme* omnia vota Religiosi circa opera præcepta &c. à Prælato simpliciter & directè irrita reddi posse; ideóque tacitam conditionem habere, nisi Prælatus contradixerit; seu irritauerit. Excipiuntur enim ea, quorum obligationes potestati gubernatiuæ Prælatorum subiectæ non sunt; eiusmodi est votum Religionis strictioris ingrediendæ, sicuti docent Nauar. lib. 3. consil. 40. numer. 2. de voto, edit. 2. Suarez lib. 3. de voto, cap. 6. num. 23. & cit. cap. 7. num. 9. Sanchez cit. cap. 33. numer. 2. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 10. & 13. argumento c. licet, de Regular. Quia professio Religiosa intelligitur, nisi eam in melius com-

mutare placuerit, Potest tamen Prælatus in illo voto dispensare, vel commutare; cùm non sit ex reseruatis Papæ, vt infrà dicam. Talia etiam sunt vota, quæ ipsa Ordinis institutio flagitat; quale est in Societate Iesu votum solemne obediendi sum. Pontifici circa missiones, item simplicia quædam vota ab eiusdem Societatis Professis edi solita.

Assertio IV. Vota Religiosi circa actiones bonas, & absolutè non prohibitas; sed solum, ne sine Prælati licentia perficiantur, tacitè in se hanc quoque conditionem continent, si Superior consenserit, siue licentiam dederit. Ita post S. Thom. cit. att. 8. ad 4. docent Nauar. cap. 12. num 67. Caiet. cit. a. 8. Suarez citat. cap. 7. numer. 5. Sanchez lib. 4. cap. 25. numer. 14. Ratio est; Quia votum potiùs ita interpretari oportet, vt valeat, quàm vt non valeat: Atqui eiusmodi votum inualidum esset, nisi sub intelligeretur conditio, si Superior faciendi operis, quod alioquin præstare licitè non possem, licentiam dederit. Ergo, &c.

Inde vlteriùs sequitur, Religiosum ex vi eiusmodi
7 voti sui, obligatum esse ad licentiam petendam, sicuti ex communi notat Caiet. in sum. cap. 4. §. Conditiones quatuor. post medium, Sotus lib. 7. quæst. 3. a. 1. dub. 2. Armilla ver. votum, num. 7. Azor cit. lib. 11. cap. 16. quæst. 6. Rodriq. to. 2. sum. cap. 89. concl. 3. Suarez lib. 3. cap. 6. num. 11. Sanchez cit cap. 25. num. 24. Qui enim voluntariè se obligat ad finem, censetur etiam se obligare ad medium, sine quo finis obtineri non potest: Atqui actiones, de quibus loquimur, sine Prælati licentia petita, & obtenta, exerceri non possunt. Ergo dum eas Religiosus promisit, simul etiam promisisse censetur, se licentiam petiturum: nam alioquin inanis, & irrita esset voti promissio.

Excipitur, nisi constet, ne virtualem quidem fuisse vouentis intentionem, obligare se ad petendam licentiam; sed solum ad rem promissam, v. g. ieiunium exequendum: vt si tempore voti cuiuis liberum fuerat ieiunare, & prohibitio postea superueniat: item si vouens ignorabat prohibitum esse ieiunare absque Prælati licentia: neutro enim casu tenetur licentiam petere; sed in priore casu voti obligatio suspenditur siue executio eius impeditur, dum superueniens Prælati prohibitio durat. Posteriore verò casu, videtur votum omnino irritum esse: quia est de re, quæ absolutè vouenti licita siue concessa non est. Qua de re Sanchez lib. 4 cap. 25. num. 6. & seqq. Arag. quæst 88. art. 8 diffic. 1. concl. 3 Suarez lib. 3. cap. 6. num. 13 Et quæ dixi de Religioso, simili modo intelligi debent de coniuge, si vouerit v. g. peregrinationē, quam scit sine coniugis consensu se perficere non posse; tacitè censetur se obligasse ad consensum petendum: sin verò expressè vouerit, contra voluntatem coniugis peregrinationem ipsius iuri præiudicantem instituere, irritum est votum, sicuti docet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 3. n. 7.

Sed Quæstio est: Si religiosus vouens v. g. ieiunium, aut peregrinationem, ad cuius executionem scit necessariam esse Prælati licentiam; debeat postea non solùm licentiam petere, sed etiam votum suum explicare. Affirmant Sotus cit. dub. 2. §. At verò rursus, Armilla ver. votum num. 7. Less. lib. 2 cap. 40. dub. 10 num. 72. Azor to. 1. lib. 11. cap. 16. quæst. 6. Nam id est medium magis opportunum ad impetrandam licentiam: siquidem Prælatus eam facilius daturus est, si voti obligationem cognouerit.

Contrarium probabilius docent Caietan. cit. art. 8 §. sed hic occurrit dubium, in resp. Nauar. cap. 12. num. 69. Suarez lib. 3. cap. 6. num. 15. Sanchez cit. cap. 25. num 29. tametsi tutius & consultius sit votum Superiori explicare, non tamen ad id vouentem obligatum esse, si expressè non intenderat se ad id obligare. Ratio est: Quia vouens peregrinationem v. g. ad cuius executionem scit opus esse superioris licentia, tacitè se obligare videtur ad id solùm, quod necessarium est, & communiter sufficiens medium ad licentiam impetrandam: ne alioquin eius votum irritum fiat. Cùm enim vota strictæ interpretationis esse conueniat, ideo virtualis vouentis intentio extendenda non est ad extraordinaria, & communiter non necessaria media: Atqui communiter, & per se loquendo ad impetrandam boni operis licentiam sufficit voluntatem suam & desiderium Superiori explicare, eiusque consensum rogare. Ergo ad hoc solùm censenda est virtualis eius intentio se extendisse. Simili ratione si religiosus homini quippiam promiserit, ad quod exequendum Superioris licentia requiritur, sufficit licentiam petere, neque opus est promissionem factam Superiori significare, teste Suarez cit. c. 6. num. 16. Sanchez cit. c. 25. num. 34.

Ceterùm, si Superior non videatur licentiam absolutè denegasse; sed pro illo tempore, postea fortasse concessurus si iterum opportuno tempore petatur, tenebitur ad hoc Religiosus, quò voto siue promissioni suæ non omnino extinctæ satisfaciat: præterquàm, si tempus cui se promittens alligarat, præteriit: vt si aliquis ieiunium vouit in vigilia B. Virg. & Superior tunc licentiam denegauit, cessauit omnino voti obligatio. Quæ omnia similiter etiam locum habent in voti vxoris, filii familias, serui, & similium personarum alteri subiectarum, quarum vota solùm indirectè rescindi possunt, prohibendo materiam promissam.

Porrò circa irritationem seu rescissionem votorum à 8
Religiosis editorum, quædam addenda sunt: I. Ea etiam à sum. Pontifice directè, & simpliciter rescindi posse: propterea quod ipse sit omnium Religionum caput; & Regularium omnium: etiam Prælatorum, generalis Prælatus; cui principaliter religiosæ obedientiæ professio concipitur, & nomine ac concessione illius, ab inferioribus Prælatis acceptatur. Quæ est doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 186. a. 5. ad 3. Caiet. q. 88. a. 12. §. ad obiectionem; Soti lib. 7. q. 3. a. 1. paulò post princip. Nau. cap. 12. num. 66. Suarez lib. 6. cap. 7. num. 19. Sanch. lib. 4. cap. 24. num. 20. At verò vota secularium Sum. Pontifex directè irrita reddere non potest; sed solùm indirectè, quatenus Ecclesiæ bono, cuius ille supremam curam & iurisdictionem gerit, præiudicium adferre possunt, cuiusmodi est v. g. longior peregrinatio, quam Episcopus sine licentia Papæ vel alius Clericus ad residentiam obligatus, sine consensu Episcopi instituere nequit, sicuti constat ex c. magnæ, §. ipsum etiam, de voto, vbi Abb. num. 10. & 15. Innoc. in c. scripturæ, eod. tit. S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. §. 6. Syl. ver. votum, 3. q. 1. Suarez lib. 6 c. 5. n. 6.

II. Prælatus Ordinis non potest vota Nouitiorum 9
simpliciter & directè irritare: cùm adhuc sui arbitrii sint, neque voluntatem suam per obedientiæ votum Prælato subiecerint. Indirectè tamen Prelatus irrita reddere potest ea personalia Nouitiorum vota, quæ, & quatenus gubernationi Ordinis, cui illi pro tempore subsunt, præiudicium aliquod afferunt: quamuis hæc sit potiùs suspensio voti, quàm propriè dicta irritatio; adeò vt si Nouitius Religione egrediatur, obligatio voti redeat, quippe non extincta, sed pro tempore impedita. Ita docet Nauar. cap. 12. num. 65. Eman. Rodriq. to. 2. regul. qq. q. 25. art. 8. Llamas in Methodo, p. 3. cap. 4. §. 42. Suarez cit. l. 6. cap. 7. num. 11. Sanchez lib. 4. cap. 33. n. 28.

Præterea dispensare in votis Nouitiorum non prohibetur Prælatus exemptus à Iurisdictione Episcopi: eò quod Nouitii Ordinis suis priuilegiis gaudeant, sicuti docet Nauar. cap. 12. num. 65. Henriq. lib. 7. c. 22. n. 7. Rodriq. lo. cit. Molin. tomo. 1. ar. 2. disp. 139. Sanchez lib. 4. moral. c. 39. num. 17. Less. lib. 2. c. 40. dub.

13. num. 107. Non exempti autem Abbates, & Præpositi Ordinum neque cum Regularibus suis dispensare possunt, nisi ex consuetudine, vel Episcopi commissione id eis concessum sit, teste Nauar. cap. 12. num. 75. §. tertiò, Suarez lib. 6. cap. 10. num. 15. Sanchez lib. 4. c. 39. num. 9. Less. cit. num. 107.

III. Qui habent potestatem vota directè irritandi, vt Prælatus Regularium &c. possunt ea etiam antecedenter irrita facere, denegando eis consensum, seu contradicendo, quominus futura eorum vota valida sint; sicuti docet Suarez lib. 3. cap. 3. num. 15. Sanchez lib. 4. cap. 24. num. 49. Si enim vota Religiosorum iam edita arbitratu suo Prælati infirmare possunt, multò magis edenda. Cæterùm si Prælatus solùm prohibeat subdito, ne ipso inconsulto voueat; non censetur idcirco vota infirmare; quare, si edantur, valida erunt tametsi illicita, propter præcepti transgressionem. qua de re Sanchez n. 51.

Assertio V. Pater, quemadmodum & tutor, omnia omnino vota impuberis simpliciter & directè irritare potest. Sumitur ex cap. 30. Numerorum, & traditur à
10 S. Thom. quæst. 88. art 9. Palud. cit. d. 38. quæst. 4. art. 2. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6. Syluest. ver. votum, 3. quæst. 5. Nauar. cap. 12. num. 64. Suarez lib. 6. cap. 6. aliisque communiter. Ratio est; Quia naturali æquitati valde consentaneum est, ideóque gentium iure introductum videtur, vt homines vtriusque sexus in tenera, & impubere ætate, in qua tenuem, imbecillem rationis discretionem obtinent, aliena patris, vel tutoris voluntate regantur; ideóque sine hac, illorum pacta & promissiones non omnem firmitatem obtineant, sed arbitrio Patris, vel tutoris rescindi possint, porrò ius cùm ciuile, tum canonicum in masculo ad pubertatem definit annos XIV. completos; in fœmina XII. quæ ætas simpliciter attendenda est, vt intelligatur vtrū pater, vel tutor vota irrita reddere possit, néne; nihil obstante, quòd re ipsa ante dictam ætatem alicui pubertas, & iudicii maturitas aduenerit, vel postea aduentura sit, sicuti monet ex communi Suarez loco citato numer. 5. Sanchez lib. 4. moral. cap. 35. num. 11.

Amplia primò; In defectum patris, si is mortuus sit, vel longissimè absens, aut amens; etiam auum vota impuberis irrita pronuntiare posse; & in defectum ascendentium in sexu virili matrem; non tantum si ea tutrix sit, sed etiam in defectū tam tutoris, quàm patris & aui. Tunc enim naturali iure ad ipsam hæc cura spectat, quando alius non est, qui imbecillitati impuberis consulat, sicuti docet Suarez citat. cap. 6. numer. 22. Sanchez citato. cap. 35. numer. 81. Imò non desunt, qui probabiliter arbitrentur in defectum horum omnium etiam Magistrum, aliúmue sub cuius gubernatione impubes existit, eius vota directè rescindere, & cassa reddere posse, vti videre est apud Less. cap. 40 dub. 10. num. 78. Suarez citato cap. 6. numer. 23. Sanchez lib. 4. cit. cap. 35. numer. 83. Necesse tamen est ad propriè dictam irritationem, vt votum v. g. Religionis ingrediendæ patri, vel simili personæ explicetur: si enim impubes, tacito voto, solum explicet voluntatem suam Religionis ingrediendæ, & pater contradicat, non censetur propterea irritum reddere votum; quippe de quo cognitionē nullam habet, sicuti notauit Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 43. concl. 1. Quamobrem si vouens mutato postea rerum, aut personæ suæ statu, votum suum explere possit, vtique debebit.

Amplia secundò; Vota ab impubere edita, etiam
11 post adeptam pubertatem, à patre posse rescindi, si pubes factus ea non confirmârat, sicuti docet Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 5. Lopez p. 1. instruct. cap. 74. §. sed appositum. Nauar. cap. 12. num. 71. Sanchez lib. 4. cap. 30. num. 14. Suarez lib. 6. cap. 6. num. 9. Less. lib. 2. cap. 40. num. 8. contra Sotum lib. 7. quæst. 3. art. 2. Angles in 4. p. 2. quæst. de voto, art. 7. diffic. 12. dub. 7. Et sumitur eius rei argumentum ex cap. vlt. de sententia excommunic. vbi Episcopis collata potestas absoluendi pueros ab excommunicatione, contracta ob Clerici percussionem, extenditur, tametsi grandes siue puberes postea facti absolutionis beneficium petant. Ratio est; Quia in his *primordialis natura & obligatio inspicienda est*: votum autem impuberis, ob ætatis, & iudicii imperfectionem, ab initio dependebat à patre: Ergo hanc conditionem, & imperfectionem suam semper retinet, nisi noua confirmatio postea accedat.

Arbitror autem, idem eadem ratione dicendum esse de tutore; quòd nimirum vota ab impubere edita irritare possit, quamdiu is pubes factus, in minore ætate existens, ea non confirmauit, sicuti docent Nauar. & Less. ll. cc. Lopez p. 1. instruct. cap. 48. §. votum religionis, Sa ver. voti irritatio, num. 5. Sanchez num. 15. Nam tutor succedit in locum patris, eiúsque personam quodammodo repræsentat.

Contrarium tamen docet Suarez num. 24. Eò quod tutor post annos pubertatis desinat esse tutor, & incipiat esse curator, cui non competat potestas in personam puberis; sed in bona eius. Verùm respondetur; Curatorem principaliter quidem præesse administrationi bonorum, sed non carere omni potestate ac directione erga personam Minoris. Quemadmodum etiam patris potestas multùm minuitur, postquam filius pubes factus, vel etiam emancipatus est: & tamen ipsemet Suarez cit. cap. 6. numer. 11. fatetur, patrem à filio impubere edita vota infirmare posse, etiam post eius emancipationem, si interea cōfirmata non fuerint: quia semper retinet quandam potestatem in filium, ob quam illi aliqua reuerentia & obedientia debeatur. Ergo idem de tutore dicendum. Esto igitur hæc regula, quam tradit Sanchez lib. 4. cap. 30. numer. 7. *Si potestas Superioris, cuius tempore votum emissum est, non est omnino extincta, aut suspensa, sed quoad aliquid manet, potest irritare votum subiectionis suæ tempore emissum: etsi illud iam transierit; dummodo eo transacto non sit denuo confirmatum. Sin autem potestas Superioris omnino extincta, aut suspensa est, tunc nequit illa vota irritare.*

Quare non placet, quod docet Sa citato numer. 5. Prælatum Ordinis rescindere posse votum in Religione conceptum, etiam postquam Regularis ille factus est Episcopus; si postea in episcopatu non confirmauit. Nam ad irritandum votum requiritur potestas dominatiua erga sibi subiectum: Regularis autem adepto episcopatu non est subiectus Prælato Ordinis, sed immediatè sum. Pontifici, non solùm vt Episcopo Episcoporum; sed etiam vt supremo Regularium Ordinum Prælato, cui votum obedientiæ edidit, sicuti docet Sanchez loco citato num. 21. Suarez lib. 6. cap. 7. num. 10.

Assertio VI. Maritus non potest omnia vota vxoris irrita reddere, sed ea tantùm, quæ, & quatenus iuri 12
suo, quod habet ad coniugii vsum, & familiæ gubernationem, præiudicium aliquod afferre possunt. Ita docet Innoc cap. scripturę, de voto, S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 22. §. 1. Syluest. ver. votum, 5. quæst. 1. Nauar. cap. 12. num. 64. 65. Valent. t. 3. disput. 6. quæst. 6. p. 6. Lopez p. 1. instruct. cap. 47. ad finem; Philiarchus tom. 1. de offic. sacerdotis p. 2. lib. 3. cap. 18. §. vndecimò peccat, Azor lib. 11. cap. 17. quæst. 11. Suarez lib. 6. de voto, cap. 4. aliique multi. Nam mulier non est obligata, aut subiecta viro simpliciter, & in omnibus actionibus, alioquin liberis; sed solùm quatenus vinculum matrimonii exigit, vt alter alteri con-

iugii iura tribuat, & in vitæ societate, liberorum educatione, ac familiæ administratione mulier viro tanquam capiti suo subdita existat, secundum Apostolum ad Ephes. 5. Quamobrem mulier absoluta libertate vouere poterit eleemosynam de bonis paraphernis, & similibus, quorum administratio ad ipsam pertinet; item moderatam orationem, alicuius diei ieiunium, sacram Communionem &c. quibus nec iuri coniugali, neque domesticæ gubernationi vllum præiudicium affertur. Quamquam talia vota interdum desinunt obligare, si maritus contradicat, & iniquo animo ferat; non quòd contradicentis auctoritate irrita reddantur, sed quia maius tunc bonum pacis impediant, vti notauit Suarez cit. cap. 4. num. 7.

Huic tamen doctrinæ aduersantur Abb in c. scripturæ num. 8. de voto, Palud in 4. d. 38. quæst. 3. art. 1. concl. 6. Sotus lib. 7. quæst. 3. art. 1. post medium. Rosella ver. votum, 2. num. 8. Arrag. 2. 2. quæst. 88. art. 8. post 5. concl. §. simile dubium, dicto 2. Angles cit. quæst. de voto. art. 1. diffic. 9. Sa ver. voti irritatio, numero 1 Sanchez lib. 9 de matrim. disput. 3. num. 7. & disput. 39. num. 4. & lib. 4. moral. cap. 34. num. 2. existimantes, omnia vota vxoris, constante matrimonio edita, à marito irritari posse, non minùs, quàm vota Religiosi à Prælato, & vota impuberis à Patre. Cui sententiæ fauet S. Thomas cit. quæst. 88. art. 8. ad 3. & probari solet tum ex cap. 30 Num. tum ratione, quia mulier ex primæua matrimonii institutione, subditur viro, vt capiti suo, à quo tanquam intellectu, infirmior gubernetur, ad eum modum, quo filius impubes à patre, vel tutore.

Respondetur ad primum; In cap. 30. Numer. fieri tantùm mentionem eorum votorum, quibus corpus vxoris affligitur ideóque marito, habenti ius in corpus coniugis, præiudicium aliquod affertur. quamobrem *vota abstinentiæ* appellantur, sicuti indicat S. August. quæst. 59. Numer. & clariùs Abulensis quæst. 84. Ad alterum respondetur; Eiusmodi subiectionem siue dependentiam voluntatis, nullo iure fundatam esse: non enim naturali; aut gentium iure (quo modo filii impuberis voluntas patris sui voluntati subiecta est) quia mulieres longè maiorem rationis discretionem obtinent, quàm impuberes; alioquin etiam ipsæ, si coniugatæ non sint, tutoribus subiiciendæ forent. Neque positiuo iure; quia nullum tale extat; vel si in veteri lege extitisset, vnà cum reliquis iudicialibus abolitum esset. Nec denique ex mutuo coniugii pacto, & vinculo; quia illud tantum se extendit ad corporis vsum, & familiæ administrationem, vti suprà dictum est.

His adde, quod etiam vxor vota mariti rescindere possit; quæ iuri suo derogant quod habet in corpus eius ne abstinentia immoderata affligatur, aut longa perfectione abstrahatur; excepta peregrinatione Hierosolymitana in subsidium Terræ sanctæ: nam canones ob publicam Ecclesiæ necessitatem, iuri vxoris in hoc casu derogârunt, vt eâ etiam inuita, à marito tale votum edi posset, c. quod super, &c. ex multa de voto, §. *in tanta necessitate populi Christiani, ne Terræ sanctæ subsidium impediatur* & notauit Innoc. in cit. c. scripturæ, de voto, in fine, Syluest. cit. quæst. 3. Deinde irritare potest vxor vota realia mariti, si cedant in detrimentum dotis, vel aliorum bonorum suorum, quorum administratio penes maritum est.

13 Neque pater omnia vota liberorum puberum in potestate sua existentium irrita reddere potest; sed ea tantùm, quæ patriæ potestati præiudicium afferunt, id est, quæ liberam & expeditam familiæ gubernationem impediunt, vel filium aut filiam nimis abstrahunt ab obedientia, & cura patris. Ita docet S. Thom. 2. 2. quæst 88. art. 8. ad 2. & in 4. d. 38. quæst. 1. art. 1. quæstiun. vlt. Syluest. ver. votum, 4. quæst. 2. dicto 5. Nauarrus cap. 12. numer. 64. Canonistæ in cit. c. scripturæ, vbi Abbas num. 7. aliique communiter, contra Tabienam ver. votum, 5. quæst. 5. Angles in 4. part. 2. quæst. de voto, art. 7. diffic. 12. dub. 6. quorum ille ait, omnia vota liberorum non emancipatorum à patre infirmari posse, præter votum Religionis: sed non rectè: quia canones ideo specialem mentionem faciunt voti Religionis, cui pater contradicere non possit, si filius, aut filia, cum voueret pubes fuerit; quia hoc votum grauissimum est, & maturiore consilio indigens; ideóque plus de eo dubitari potest, num à parte rescindi queat. Angles verò existimat, omnia omnino vota filiæ familias, etiam puberis, à patre irritari posse: nititur cap. 30. Numer. *Mulier, si quippiam vouerit, & se obstrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater votum, & tacuerit &c. voti rea erit: sin autem statim vt audierit, contradixerit pater, vota, & iuramenta eius irrita erunt.* Sed non rectè: quia vel lex illa iudicialis est, & ideo cum reliquis abolita; vel si moralis est, loquitur tantùm de filia impubere, vt vox illa *ætas puellaris* indicat, idque notat Glossa ibi, & docet Suarez lib. 6. de voto, cap. 5. num. 8. Deinde vota realia filii familiâs puberis ea solùm irrita reddi possunt, quæ edita sunt de bonis, quorum administratio ad ipsum non pertinet, sed ad patrem, vel eo mortuo ad curatorem bonorum. qua de re Sanchez lib. 4. cap. 35. num. 60. Suarez lib. 6. cap. 5. in fine.

Denique eadem ratione sentiendum de votis seruorum, siue mancipiorum, ea à dominis irrita reddi posse, non simpliciter & directè; sed tantum quæ, & quatenus seruitutis obligationi officiunt: cuiusmodi est v. g. votum sacri ordinis suscipiendi, Religionis ingrediendæ, longæ peregrinationis instituendæ &c.

Svpersvnt Qvæstiones: Prima. Vtrum voti irritandi potestate præditus, posteaquam semel licentiam dedit, nihilominus votum irritare possit, ante eius executionem? Ita affirmandum est de personis, quæ gubernatiuam in alios potestatem obtinent; tanquam Superiores, siue capita: vt Episcopus in Clericos suos; Prælatus ordinis in Regulares; item maritus, pater, tutor, dominus; quod tametsi vouendi licentiam suis dederint, votúmque approbârint, nihilominus mutata sententia, & reuocata licentia, illud infirmare possint. Ratio est: Quia dando licentiam, nequaquam à se potestatem gubernandi, adeóque præcipiendi, & vetandi abdicare censentur. Ita docet Innoc. c. scripturæ. de voto, in fine, Sotus, lib. 7. quæst. 3. a. 1. §. Maiori autem ambigendi, Arrag. 2. 2. q. 88. a. 8. post. 5. concl. §. Est aliud dubium, Syl. ver. votum, 4. q. 2. dicto 4. Nau. c. 12. n. 61. Suarez lib. 6. c. 4. n. 19. Sanchez lib. 4. de voto, c. 27. Valent. q. 6. p. 6. q. 3. Less. lib. 2. c. 40. dub. 10. n. 75. contra Richar. in 4. d. 38. a. 4. q. 3. Sumitur ex c. 30. Numer. iuncta interpret. S. August. q. 59. & refertur in c. manifestum, 33. q. 5. 14

Eáque doctrina ampliatur primò; Quòd multò magis succedens Prælatus, maritus, dominus, tutor, vel curator, si æquali potestate præditus sit, vota subditorum, tametsi cum licentia antecessoris edita fuerint, arbitratu suo irritare queat, sicuti docet Suarez lib. 6. c. 8. n vlt. Less. cit. n. 75. Sanchez cit. c. 27. n. 36. Cùm enim par in parem non habeat imperium, c. innotuit, de elect. ideo antecessor non potest successoris iuri præiudicium afferre; multò verò minùs iuri superioris Prælati obstare, quominus votum ab inferiore Prælato approbatum; infirmare possit.

Secundò ampliant Arrag. & Lessius locis cit. traditam doctrinam locum etiam habere in promissione homini facta, cum licentia Superioris; quòd nihilominus licentia reuocari, & promissio rescindi queat. Sed contrarium dicendum est cum Suarez cit. c. 8. num. 3. Sanch. n. 23. Ratio discriminis est; Quia, vt inter homines pax, & pactorum firmitas seruetur, tam iura, quàm consuetudo paciscentium cum subditis, ideo Superioris consensum requirunt, ne is deinde reuocari non possit. Vota verò subditorum Deus repugnantibus eorum Superioribus non exigit, aut requirit, sicuti colligitur ex c. 30. Numerorum, & canones significant, atque Doctores communiter testantur.

15 Eadem porrò doctrina limitatur primò, Quod votum continentiæ editum etiā ab vxore cum viri consensu approbatiuo, infirmari deinde nequeat. Quæ est communis sententia S. Thom. in 4. d. 32. in exposit. literæ, Palud. ibid. quæstione 2. art. 2. S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 22. §. 3. Syluest. ver. votum, 5. quæstione 2. Nauar. c. 12. num. 59. Gl. & Gratiani in cap. manifestum, 33 quæstione 5. vbi ait: *Vota verò continentiæ ita alterius permissu ab altero valent offerri, quòd post permissionem non valent in irritum deduci*. Ratio est: Quia quod attinet ad vsum coniugii, vir non habet potestatem gubernatiuam; imò non maius ius in vxorē, quàm ipsa in virum: quare si vnus coniunx alteri semel licentiam dedit, non sine proposito renuntiandi iuri suo, deinde licentiam reuocare nō potest: licet contrarium sentiant Abb. in c. charissimus, n. 5. de conuers. coniug. Sotus lib. 7. quæstione 3. art. 1. §. An verò possit alteruter. Pet. Arrag. quæst. 88. art. 8. ante vlt. dubium. Sanchez lib. 9. de matrimonio disp. 40. num. 17. Signantè autem dixi, *cum proposito renuntiandi*. Si enim coniunx, dum ait, contentum se esse, vt alter continentiæ votum edat, interim nolit præiudicari iuri suo; non prohibetur postea debitum coniugii exigere. quod notauit Innoc. in cap. 1. de conuers. coniug. Nau. c. 16. man. n. 31. Coninck t. 2. disp. 34. dub. 6. concl. 3. vbi rectè ait, si coniunx coniugi dederit facultatem vouendi castitatem absolutè & simpliciter; censeri renuntiasse iuri suo: cùm absoluta castitas seruari non possit cum debiti redditione.

His aliqua subiicienda sunt: I. Ex dictis consequens videtur, si vxor marito licentiam dedit aliud quippiam, quod sibi præiudicat, vouendi, v. g. longam peregrinationem, censendam esse iuri suo renuntiasse; vt deinde licentiam reuocare non possit: sicuti neque creditor potest, si personæ sibi obligatæ, vouendæ eleemosynę v. g. licentiam in præiudicium suum fecit: quamuis contrarium doceat Innoc. c. scripturæ, de voto, circa finem. S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 22. §. 1. Sanchez lib. 4. moral. c. 27. n. 12.

16 II. Votum vxoris, etiam sine mariti licentia editum de non petendo debito, à marito irritum reddi non potest. Ratio est: Quia coniunx coniugi non obligatur ad coniugii vsum petendum; sed solùm ad reddendum petenti. Data opera locutus sum de voto vxoris; Quia votum mariti cedere potest in præiudicium vxoris prę verecundia petere non audentis, si maritus nunquam petat: quare tali casu vxor votum mariti irritare poterit, teste Henriq. libro 11. capite 15. §. 8. lit. I. Sanchez libro 9. disp. 7. numero 4. Imò etiam vxoris votum de non petendo interdum obseruari non debet, si maritus ægrè ferat, ideóq; discordiæ causam præbere videatur: siquidem votum non debet esse maioris boni impediens.

Votum continētiæ mutuo coniugum consensu vtrinque initum, absolutè valet, vt rescindi deinde à coniuge contradicente non possit, sicuti docet S. August. epist. 70. ad Bonifacium, & epist 119 ad Editiam, & refertur c. quod Deo, 33. quæstione 5. *Quod Deo pari consensu voueratis, perseueranter vsque in finem reddere debuistis: à quo proposito si ille lapsus est, tu saltem instantissimè perseuera.* Eámque esse communem DD. sententiam docet Abb. in cit. c. charissimus, n. 6. Sanchez lib. 8. disp. 37. num. 10. Qui rectè etiam monet num. 24. coniugem in hoc casu petentem coniugii vsum, non tantùm peccare cōtra votum tum proprium, tum alterius coniugis, ideóque esse sacrilegum; sed etiam peccare contra iustitiam, si tanquam sibi debitum exigat; cùm tamen ius exigendi non habeat, quippe cui per pactum renuntiauit, quamuis contrarium senserit Veracrux p. 1. speculi, a. 15. in fine. Veruntamen coniugibus, nisi senes sint, suaderi facilè non debet, vt perpetuæ continentiæ votum edant, testante Apost. 1. ad Cor. 7. *Reuertimini in idipsum ne tentet vos Sathanas.*

Secundò limitant suprà dictam doctrinam Suarez lib. 6. capite 8. numero 7. Lessius citato capite 40. dub. 10. numero 75. quòd votum impuberis, si semel à patre, vel tutore approbatum fuerit, rescindi deinde non possit. Eò quòd vota impuberis à patris voluntate dependeant, solùm propter iudicii imbecillitatem: quare si patris discretione, & consensu approbata ac confirmata sint, cessat postea ratio subiectionis. Sed contrarium probabiliùs docent Angel. ver. votum, 2. §. 9. Syluest. eod. ver. 4. quæstione 2. dicto 6. Sanchez lib. 4. de voto, cap. 27. numero 18. Quia tametsi impubes cum consilio seu ipsius patris, tutoris, seu alterius sapientis viri voueat, nihilominus ob ætatem manet subiectus patri, aut tutori. Quare sicuti Suarez lib. cit. numero 6. loquitur de Prælato Ordinis, quòd dādo vouendi licentiam *nunquam intendit se priuare sua potestate; sed semper habet conditionem, vel limitationem subintellectam, ad beneplacitum suum; quia semper vult manere superior.* idem dicere possumus de patre, & tutore comparatione impuberis, quòd semper velint manere illius directores, ac tutores. 17

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum Superior peccet, si sine iusta causa votum infirmet; vel vouendi licentiam subdito datam sine causa reuocet? Respondeo & dico I. Quamuis non pauci Doctores existiment, Prælatum, patrem, aut maritum, absque causa vota suo tum infirmantem, omni culpa vacare; quia iure suo vtitur; Nam ita sentit Palud. in 4. d. 38. quæstione 4. a. 2. S. Anton p. 2. tit. 11. c. 2. §. 6. ad finem, Syl. ver. votum, 4. quæst. 2. dicto 6. Nauar. cap. 12. nu. 73. Angles in flor. p. 2. q. de voto, a. 7. diffic. 4. Llamas. p. 3. meth. cap. 4. §. 42. §. sed hoc maximè, Azor cit. lib. 11. cap. 17. quæst. 5. Tamen probabilior est sententia Soti lib. 7. q. 3. a. 1. Medinæ lib. 1. sum. cap. 14. §. 7. paulò post princip. Arrag. cit. q. 88. a. 8. in 3. concl. §. sed quoniam, Lessij cit. dub. 10. num 70. Valent. cit. disp. 6. q. 6. p. 6. paulò post princip. esse culpam venialem, quia Superior abutitur iure ac potestate sua, si sine iusta causa promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per voti executionem impediat. Ex quo sequitur, subditum quoque venialiter peccare, si sciens Superiorem non habere iustam voti infirmandi causam, nihilominus suscepta voti pœnitentia, eius rescissionem petat: secùs est, si pœnitudinem suam, & exequendi difficultatem syncero animo Superiori exponat; vt ipse diiudicet, num iusta voti irritandi causa suppetat, sicuti notat Sanchez lib. 4. disp. 24. num. 15. 18

Dico II. Si Superior, postquam licentiam dedit voti exequendi, sine causa reuocet, peccat. quæ est communis Doctorum sententia, & sumitur ex capite 30. Numer. vbi de marito, qui taciturnitate sua voto vxoris consensum præbuerat, sed postea contradixit, ita dicitur: *portabit ipse iniquitatem eius*. Quare plerique DD. vt Arrag. citato art. 8. post sextam conclus. §. est & aliud dubium. Caietanus eodem art. 8.

§. ad eius euidentiam. Nauar. cap. 12. num. 73. Sanchez lib. 4. c. 27. num. 32. existimant esse peccatum mortale, si materia voti grauis sit. Cùm enim votum subditi hanc tacitam conditionem habeat, si Superior consenserit; ideo accedente eius consensu, confirmatur ad cultum & honorem Dei: reuocato verò consensu, denuo infirmatur, & quodammodo violatur, non sine diuini Numinis irreuerentia.

Suarez tamen lib. 6. cap. 4. num. 12. non improbabiliter negat esse mortale, per se loquendo. Quia Superior dando licentiam, non censetur se priuare iure & potestate reuocandi: ergo tametsi reuocet, nihil peccat contra iustitiam; quia vtitur iure suo: neque contra religionem; quia non violat votum, quippe quod ab initio sub ea conditione conceptum est, nisi Superior eius executioni contradixerit.

19. Quaestio Tertia. Vtrum vota legitimè rescissa reuiuiscant, seu vim obligandi recuperent, postquam vouens potestate eius qui vota irrita fecerat, liberatus est? Circa quam quæstionem in duobus plerique Doctores consentiunt, contra Palud. in 4. d. 38. quæst. 4. a. 2. concl. 11. S. Anton. p. 2. tit. 11. cap. 2. §. 6. I. Vota Religiosi, & impuberis (tametsi ea relata sint in tempus, quo potestati non amplius suberunt) absolutè & penitus infirmari posse, vt eorum obligatio nunquam reuiuiscat: eò quòd Prælatus, pater, tutor &c. dictam potestatem habeant in ipsam voluntatem vouentium, sicuti suprà explicatum fuit. II. Vota, quæ vxor v. g. ante nuptias edidit; vel seruus antequam in domini sui potestatem veniret; licet à marito, vel domino postea infirmari possint, quatenus in ipsorum præiudicium cedunt, non tamen penitus obligationem tolli, sed reuiuiscere, si maritus mortuus; vel seruus libertatem adeptus sit; dummodo vouentis intentio fuerit, non ad certum tempus se obligandi, sed absolutè, & in omne tempus vitæ suæ.

Controuersia autem est de votis coniugis, filii puberis, serui &c. quæ subiectionis tempore concepta, sublatáque fuerunt; vtrum reuiuiscant, postquam illi potestate liberati sunt? Negant Panorm. in cap. quidam n. 3. de conuers. coniug, & in c. scripturæ, n. 7. de voto, Caiet. & Arrag. cit. a. 8. Syluest. ver. votum, 4. quæst. 2. Nau. c. 12. n. 66. Sanchez lib. 4 c. 26. n. 4. quæ sententia, ob Doctorum auctoritatem, probabilis est. Sed placet magis opposita, quæ est Innoc. in cit. c. scripturæ de voto. Rosellæ ver. votum, 2. n. 15 concl. Suarez li. 6. c. 1. n. 4. & c. 4. n. 17. Valentiæ cit. q. 6. p. 6. diffic. 4. Lessii cit. c. 40. dub. 10. n. 82. arg. c. quidam, &c. placet, de conuers. coniugat. quibus habetur, vxorem, quæ ignorante, vel inuito marito Religionem professa, & ab eodem reuocata est, postea marito mortuo, ad Monasterium quidem compellendam non esse: quia professio vxoris repugnãte marito acceptari non potuit; ideóque ipso iure irrita fuit: nihilominus à secundis nuptiis arcẽdam esse: propterea quòd votum continentiæ, quod illa ex iuris interpretatione virtualiter edidisse censetur, à marito non simpliciter rescindi potuerit; sed solùm quatenus in eius præiudicium cessit, vt coniugii debitum exigenti reddere teneretur. Ratio huius sententiæ est, quia erga alias personas, præter Religiosum, & impuberem, non est potestas irritandi vota directè & simpliciter; sed solùm indirectè, & secundùm quid, quatenus alteri obligatæ sunt: quare cessante obligatione, votum ante impeditum, reuiuiscit. Si v. g. vxor voueat omni tempore vitæ suæ se ieiunaturam feria VI. idque votum, tanquam in coniugii preiudicium cedens, vir irritauerit; soluto matrimonio, voti obligatio redibit, *cùm ad eum casum, à quo poterat efficax habere principium peruenisse noscatur*, ait Cœlestinus cit. c. placet.

Cap. VIII.

QVIBVS MODIS VOTVM EXtinguatur, aut relaxetur per dispensationem, commutationem.

SVMMARIVM.

1. *Tempus interdum adijcitur promissioni causa obligationis restringendæ, finiendæ; interdum causa obligationis statuendæ.*
2. *Cessante causa finali ac principali, cessat obligatio voti.*
3. *Votum extinguitur ob superuenientem inopinatam mutationem obiecti,*
4. *Dispensatio in votis, vt valida sit, causam iustam requirit,*
5. *Causa dispensandi in votis oriuntur, vel ex imperfectione actus; vel ex materia, aut executionis eius difficultate; vel ex necessitate, aut vtilitate, præsertim publica.*
6. *Episcopus in omnibus votis suorũ subditorum dispensat, præter quin que summo Pontifici specialiter reseruata.*
7. *Archiepiscopus dispensare potest in votis Suffraganeorum; sed non cum subditis eorundem, nisi per viam appellationis aditus fuerit.*
8. *Vota quædam reseruatis similia sunt, sed re ipsa non reseruata Papæ; videlicet votum seruandi castitatem ad certum tempus, votum castitatis coniugalis, votum non petendi debitum coniugij, votum vxorem non ducendi, votum non fornicandi, sacri ordinis suscipiendi, Religionem strictiorem ingrediendi.*
9. *Votum pœnale, v. g. si fornicatus fuero, voueo in pœnam me Religionem ingressurum, neque post culpam, reseruatum est, ex quorundam probabili sententia.*
10. *Votum conditionatum, v. g. si ex morbo conualuero, voueo me Religiosum fore, reseruatum non est ante conditionem impletam; postea verò videtur reseruatum.*
11. *Votum castitatis, vel Religionis ingrediendæ, si metu iniusto eoque leni, extortum fuerit, sub Episcopi dispensationem cadit.*
12. *Votum alternatiuum, cuius altera tantùm pars reseruata, reseruatum non est; nisi postea vouens ad partem reseruatam, cum voluntate obligationis, se determinarit.*
13. *Postquam Sum. Pontifex votum reseruatum in aliud commutauit, Episcopus exigente causa dispensare non prohibetur.*
14. *Reseruatio votorum strictæ interpretationis esse debet, atque in casu dubio non asserenda.*
15. *Si coniunx, cum consensu coniugis continentiam perpetuam absolutè vouerit; reseruatum hoc votum censeri debet.*
16. *Ob causam necessitatis, & difficultatem adeundi Papam, casus Papalis fit Episcopalis.*
17. *Episcopus ob casum necessitatis dispensare potest, tametsi Legatus Pontificius in prouincia sit. Si tamen adsit specialiter priuilegiatus à Papa, multorum est sententia, dispensare Episcopum non posse.*
18. *Per commutationem voti obligatio non tollitur, sed ad aliam materiam transfertur.*
19. *Vouens propria auctoritate votum commutare potest in opus melius; non item in æquale. sed necessaria tunc est auctoritas Prælati, aut priuilegiati.*
In vota quibus homo religiosus efficitur, omnia vota simplicia commutantur.
20. *Qui habet priuilegium dispensandi in votis, aut iuramentis, ea etiam commutare potest.*
21. *Priuilegia commutandi, vel dispensandi in votis intelliguntur sine præiudicio tertij.*
Ante voti acceptationem factam à certa persona, aut Ecclesia, non censetur ei ius acquisitum: quare sine iniuria, aut præiudicio dispensari, vel in aliud commutari potest.
22. *Vt voti commutatio in opus æquale aut minus licita valida sit, necessariò aliqua causa requiritur.*
23. *Commutatio in opus æquale, aut ferme æquale, facili de causa ab habente potestatem fieri potest ad petitionem vouentis.*
24. *Qui habet priuilegium vota commutandi tantùm debet commutare in opus æquale, moraliter rem æstimando*
25. *Vota realia ferme conuenientiùs in onera realia, personalia autem vota in personalia onera commutantur.*

26 *Votum tum pœnale, tum absolutum, etiam post eius transgreßionem, vel contractam pœnam commutari potest.*

27. *Qui habet priuilegium seu delegatam facultatem dispensandi, vel commutandi vota fidelium, non potest talem facultatem alteri subdelegare.*

28 *Votum quod per commutationẽ extinctum fuit nunquam amplius reuiuiscit.*

29 *Qui vouerat peregrinationem, idque votum postea in Religionis professionem commutauit, si postea è Religione eijciatur, non tenetur peregrinationem perficere.*

30 *Per vota simplicia in Societ. Iesu edita, priora in seculo emissa, ante professionem suspensa manent, non penitus extincta.*

In voto Religionis, quamuis strictioris, dispensari potest cum ingredientibus in Societatem Iesu; ita tamen, vt si iterum eos egredi contingat, redeat obligatio voti.

1 PRIMO extinguitur votum, si tempus elapsum sit, quod vouens determinauit causa obligationis restringendæ, finiendæ: puta si vouisti te ieiunaturum pridie natiuitatis B. Virginis, eóque die intermisisti culpatè, vel inculpatè; postea voto solutus es. Si vxor vouit, se quotidie certam pecuniam pauperibus daturam, sed votum hoc expressè vel tacitè restrinxit ad tempus coniugii; eo soluto, voto liberata est. Secùs dicendum si temporis spatium definitum fuit causa statuendæ seu confirmandæ obligationis, vt videlicet vltra tale tempus executionem voti differre non liceat: v. g. si vouisti, intra mensem te peregrinaturum, Religionem ingressurum. Vide Arrag. q. 88. a. 3. prope finem, in tertio aduertendo.

2 Secundò, Cessante causa voti finali ac principali, cessat obligatio voti, sicuti docet Abbas in c. magnæ: num. 14. de voto. Syluest. ver. votum, 2. quæstione 8. Suarez lib. 4. de voto, cap. 18. Sanchez lib. 4. cap. 2. num. 42. arg. c. cùm cessante, de appellat. Exemplũ: Si vouisti, daturum victum quotidianum; ille autem postea diues, aut minùs indigens factus est; cessat obligatio voti. Item si voueris, te peregrinaturum pro impetranda à Deo valetudine filii; is verò ante institutam perfectionem moriatur, liberatus es voto, teste Suarez l. c. n. 5.

Sed obstare videtur cit. c. magnæ, de voto, in quo votum peregrinationis Hierosolymitanæ editum ab Episcopo Trecensi, causa consequendi subsidii à Comite Campaniæ, pro recuperanda libertate Ecclesiastica; illo mortuo, à Papa commutatur in alia pia opera: Ergò obligatio voti cessante causa per se nõ expirat. Respondet Sanchez numero 43. commutationem illam non fuisse factam ex necessitate; sed solùm ad cautelam siue maiorem conscientiæ securitatem. Sed magis placet responsio Abbatis in cit. cap. magnæ, numero 14. Syluest. l. c. Suarez numero 8. non cessasse causam voti principalem; sed secundariam, & impulsiuam: siquidem Episcopus ille occasione inuisendi Comitem Campaniæ, vouit peregrinationem in subsidium terræ sanctæ. quod votum etiam mortuo Comite intrinsecum & obiectiuum finem seu motiuum suum, quæ erat causa religionis, & subsidii afferendi, seruabat; licet ob cessationem illam causæ secundariæ impulsiuæ faciliorem commutationem meruerit.

3 Tertiò extinguitur votum ob mutationem materiæ, si ex possibili fiat impossibilis; vel ex licita illicita, vel ex bona indifferens, aut maioris boni impediens: Quia *obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, à quo incipere non potest*, l. pluribus, §. etsi placeat, ff. de verbor. obligat. Idque docet Abb. in cap. 1. n. 4. de voto. His adde, quòd votum conceptum de re impossibili, aut illicita non obligat, etiamsi postea possibilis, aut licita fiat: *Quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere*, reg. 29. ff.

Quartò. Si postea notabilis mutatio accidat, vel specialis & inopinatus casu occurrat, vt præsumi possit, vouentis intentionem ad eiusmodi euentum, siue casum specialem non se extendisse; sed exceptum fuisse, si in mentem venisset, vel de eo interrogatus fuisset. Ita Abbas in capite 1. de voto. Syluest. ver. religio, 2. quæstione 17. Angelus ver. votum, 3. num. 10. Mol. to. 2. de iust. disp. 272. Azor. tom. 1. lib. 11. capite 20. quæstione 1. 3. & 4. Suarez lib. 4. de voto, capite 19. Exempla sunt; Si vouisti, te ieiunaturum omnibus diebus Veneris, nihil cogitans de Christi Natiuitate in diem Veneris interdum incidente: Si vouisti peregrinationem longam, vel magnam eleemosynam; & postea grauem atque inopinatam rei familiaris iacturam passus, votum admodum difficilè exequi poteris. Si Religionem vouisti iuuenis & postea voti transgressor vxorem duxisti, ea mortua in senectute tua quando admodum difficilis, & insolitus ingressus videtur, solutus voto censeberis, sicuti ex Victoria refert Suarez numero 15. Probatur: Tum quia lex positiua eiusmodi benignam interpretationem secũdùm Epikeian suscipit, vti dixi lib. 1. tract. 4. cap. 10. numero 2. Atqui votum est priuata quædam lex, quam ipse homo sibi ponit. Quare sicut ægritudo v. g. sufficit ad excusandum aliquem à præcepto Ecclesiastici ieiunii; ita similiter ab obseruatione ieiunii voto promissi. Tum quia etiam promissio liberalis homini facta, ob superuenientem mutationem notabilem & non præuisam, obligare desinit, vti dixi libro præced. tractatu 4. capite 5. numero 5. & sumitur ex regul. 28. ff. *Eos, qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos.* Atqui DEVS non est rigidior debitorum exactor, quàm homo.

Oportet tamẽ distinguere, vtrùm impedimentũ aut mutatio rerum superueniens, adeóque moralis impossibilitas perpetua & simpliciter dicta sit, quo casu omnino tollitur obligatio voti: An verò solùm temporalis seu ad tempus duratura sit. tunc obligatio voti non planè extinguitur, sed suspenditur, sicuti colligitur ex c. quòd super, §. vnde credimus distinguendum, de voto &c. non est eodem tit. Quare si voueris v. g. templum te ædificaturum, sed postea in paupertatem incidas, cessat pro eo tempore obligatio voti: sin autem ad meliorem fortunam perueneris, voto iterum teneberis. quod etiam ciuilibus debitis obseruari, constat ex §. vlt. Instit. de action. & dixi præced. lib. tractatus 2. c. 12. n. 5.

Quintò extinguitur votum per voluntatem Superioris infirmantis, seu irritum reddentis, de quo satis dictum c. præced.

Sextò soluitur votum per legitimam dispensationem. 4
Differt autem dispẽsatio à voti irritatione. Primò; Quia in dispensante requiritur iurisdictio Ecclesiastica ordinaria vel delegata. In eo autem, qui votum irritum reddit, requiritur aliud ius, siue potestas in personas sibi obligatas. Secundò; Quod dispensatio in votis, sine iusta causa facta; non solùm illicita, sed etiam inualida sit: quippe cùm potestas dispẽsandi in iure Superioris, Dei nimirum, Prælatis Ecclesiasticis collata sit in ædificationem, non destructionem: rescissio autem seu irritatio voti, quamuis illicita sit, si sine iusta causa fiat: tamen valida est: quia Superior votum subditi rescindens, proprium ius & potestatem exercet, sicuti docet Nauar. capite 12. numero 73. Llamas p. 3. methodi, cap. 4. §. 42. & alii. Præterea si votum subditi, v. g. Religiosi à Prælato superiore confirmatum fuerit, non potest deinde inferior, & subordinatus Prælatus illud irritare: potest tamen ex iusta causa dispensare, alioquin tali potestate præditus est. *Quia per approbationem seu confirmationem Superioris extrahitur quidem votum à potestate dominatiua inferioris; sed*

non à iuriſdictione eius voluntaria, ait Suarez libro 6. capite 10. in fine.

5 Cauſæ iuſtæ diſpenſandi in votis oriuntur primò ex actu vouendi, abſque prudente, & perfecta deliberatione in ira, metu, mœrore, ætate &c. conceptus ſit, argum. cap. 2. de voto: *Nos ipſum à voto, quod in tenera ætate facilitatem potiùs, quàm arbitrio diſcretionis, promiſit, abſoluimus*. Adde etiam alia, quæ voluntarium minuunt, ad diſpenſationem, vel commutationem faciliùs impetrandam conducere poſſe; puta, ſi votum non fuit abſolutum, ſed pœnale: ſi error accidit circa cauſam impulſiuam, vel ſi ea omnino ceſſauit, iuxta c. magnæ, in fine, de voto.

Secundò ex materia voti, ſi vouenti, ſpectata corporis conſtitutione, naturæ fragilitate &c. periculum maioris ruinæ pariturum videatur. Vel, vt aliis verbis dicam, ſi talis ſit materia voti, vt, ſpectata qualitate perſonæ, diſpẽſatio ad ſpiritualem eius vtilitatem (quæ præcipuè hîc ſpectanda eſt) ceſſura videatur. Huiuſmodi ſolet eſſe votum non petendi debitum conjugij; item votum cælibatus, ſeu perpetuæ continentiæ editum à perſona ad carnis lapſum procliui.

Tertiò ex difficultate exequendi poſtea ſuperueniente, vel antè non præuiſa: quo caſu interdum manifeſtum eſt, obligationem voti per ſe ſine diſpenſatione ceſſare: interdum verò dubium eſt, vt proinde diſpenſatio peti debeat.

Quartò ex neceſſitate, vel magna vtilitate Reipublicæ, vel familiæ. Vt ſi vnicus hæres nobiliſſimi Ducatus, aut Marchionatus, Religionem vouit: aut ſi lõgam peregrinationem vouiſti, cùm præſtaret te familiæ, aut Reipubl. regendæ intereſſe, ſicuti colligitur ex cap. 1. de voto, vbi Abbas numero 5. Sotus lib. 1. de iuſt. quæſt. 7. a. in medio, & lib. 7. quæſtione 4. a. 3. circa medium. Nauarrus cap. 12. numero 77. Suarez libro 6. capite 17. numero 17. Sanchez libro 4. capite 45.

Porrò hîc aliqua notanda ſunt: I. Quò maius, ſiue dignius votum eſt, v. g. Religionis, continentiæ, eò maior cauſa requiritur; & interdum vna ſola ex dictis, puta teneræ ætatis facilitas non ſufficit ad diſpenſandum niſi ſimul concurrat cauſa voti executionẽ aliquo modo impediens, ſiue difficilem reddens, ſicuti indicat S. Thomas quæſt. 88. a. 12 ad 2. & expreſſiùs docet Caietan. ibid. Sotus lib. 7. quæſt. 4. a. 3. circa medium. Anton. Berarducius in ſum. p. 3. cap. 9. §. primò quæritur, Valentia cit. p. 7. prope finem, § Honor autem Chriſti. Quamuis Sanchez num. 28. probabiliter dicat, non requiri in hoc caſu imperfecti voluntarij, cauſam executioni obſtantem; modò cum diſpenſatione iungatur aliqua commutatio.

II. Si Prælatus videat, cauſam aliquam ſubeſſe; dubitet tamen num ea ſufficiens ſit ad diſpenſandum, vel commutandum; interdum in clementiorem partem declinare poteſt, ſi ex diſpenſatione aliqua vtilitas ſperetur, nullumque ſcandalum timeatur, ſicuti notauit Syl. ver diſpenſatio, quæſt. 14. in fine, Sanchez cit. cap. 45. num. 10. Etenim in diſpenſatione ſuper voto tria præcipuè attendenda eſſe, monet Innoc. III in cit. capite magnæ: *quid liceat ſecundùm æquitatem; quid deceat ſecundùm honeſtatem; quid expediat ſecundùm vtilitatem.*

Ordinariam poteſtatem diſpenſandi in omnibus votis fidelium habet Papa: Epiſcopus verò, aliúſue ſimi-
6 lem epiſcopali iuriſdictionem obtinens diſpenſare poteſt in votis ſuorum ſubditorum; atque vacante ſede Capitulum: Legatus item Pontificius in prouincia, ad quam miſſus eſt Et Prælati Ordinum exemptorum cũ ſuis Regularibus, itémque nouitiis Habent enim omnes hi ordinariam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſicuti conſtat ex iis, quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7.

His adde primò Pœnitentiarium ſummi Pontificis: tametſi enim ille, ſicuti & Legatus Pontificius, ex Papæ commiſſione diſpenſandi facultatem obtineat; quia tamen hæc eſt annexa muneri ac dignitati eorum, ideo non delegata, ſed ordinaria cenſetur, vti notauit Suarez lib 6. de voto, capite 10. Sanchez lib. 4. capite 38. n. 4.

Adde ſecundò, Archiepiſcopum communi iure diſ-
penſare poſſe in votis Suffraganeorum, teſte Palud. in 7
4. diſt. 38. quæſt. 4. a. 2. concl. 8. & S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. §. 9. §. Archiepiſcopus. Angles p. 2. quæſt. de voto, a. 8. diffic. 9. concl. 9. Sanchez num 16. ſed non cum eorum ſubditis; niſi per appellationem aditus ſit, eo in caſu, quo Epiſcopus diſpenſationem denegauit, cùm iuſta & neceſſaria cauſa ſubſiſtente; eam conferre deberet, teſte Auila p. 7. de cenſuris diſput. 10. dub. 6. concl. 1. notan. 2. Henriq. lib. 14. de irreg. cap. 18. num. 3. Qui addunt, poſſe Archiepiſcopum cum ſubditis Epiſcoporum ſuffraganeorum diſpenſare in votis, eo tempore, quo illorum diœceſes viſitat, ſecundum c. vlt de cenſib. in 6. & Trident. concil. ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. Quod tamen alii rectiùs negant; cùm id nullo iure expreſſum ſit; ſed ſolum, poſſe Archiepiſcopum *dum viſitat, ſubditorum ſuffraganeorum confeſſiones audire, ac abſoluere*, cit. cap. vlt. & notauit Suarez lib. 6. de voto, cap. 10. num. 9. Sanchez cit. c. 38. num. 14. argum. c. duo ſimul, de offic. Ordinarii, in quo dicitur; Primatem, *nihil iuris præ cæteris* Epiſcopis *habere, niſi quantum ſacri canones concedunt, vel priſca conſuetudo.* Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 3.

Porrò quinq; vota ſunt, quæ vel communi iure, vel conſuetudine, ſolius ſum. Pontificis diſpenſationi reſeruantur: videlicet votum perpetuæ continentiæ, Religionis, item peregrinationis Romanæ, Hieroſolymitanæ, & Compoſtelianæ, ſicuti colligitur ex extrau. etſi Dominici. 2. de pœnit. & remiſ. Quamobrem in generali conceſſione ſiue indulto diſpenſandi in omnib. votis, quinque illa non debent cenſeri comprehenſa, ſicuti rectè docet Suar. lib. 6. de voto, cap. 25. num. 4. Sanchez lib 4. c. 40. n. 16. retractans, quod ante docuerat lib. 8. de matrim. diſput. 9. num. 2. cum Soto lib. 7. quæſt. 4. a. 3. Rodriq. p. 2. ſum. c. 97. n. 1. diſpenſationem in tribus peregrinationibus generali diſpenſandi in omnib. votis conceſſione contineri. quod verum non eſt; quia quæ ſpeciatim reſeruata ſunt, ea ſpecialem & expreſſam conceſſionem poſtulant, vti apertè ſignificatur in c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſion. in 6. & in extrauag. etſi Dominici, 1. & 2. ib. *ex ſpeciali licentia, & certa ſcientia noſtra*, de pœnit. & remiſſion.

Notandum verò, aliqua vota reſeruatis ſimilia, ſed
re ipſa reſeruata non eſſe. I. Votum ſeruandi caſtita- 8
tem ad certum tempus, v. g. biennium; vel tempore durantis coniugij cum licentia coniugis, ſicuti ex communi docent Palud. in 4. d. 38. quæſt. 4. a. 4. concl. 5. Nauar. cap. 12. num 76. Sotus lib. 7. quæſt. 4. art. 3. §. Ex his fit conſequens. Sanchez lib. 8. de matrim. diſ. 9. n. 6.

II. Votum ſeruandæ caſtitatis coniugalis: præterquam ſi eiuſmodi votum Pontificia auctoritate annexum ſit Ordini militari, ſicuti docet idem Sanchez n. 7. & lib 4. moral. c. 40. n. 50.

III. Votum non petendi debitum coniugale, teſte S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 22. §. 2. Viualdo in append. candelabri, cap. 14. num. 42. Sa ver. voti irritatio, num. 11. Henriq. lib. 11. capite. 15. §. 8. Rodriq. p. 2. ſum. cap. 90. concl. 3. contra Syl. ver. votum, 4. quæſt. 4. §. 8.

IV. Votum non nubendi, vel vxorem non ducendi, teſte Angelo ver. votum, 4. n 9. Syl. loco cit. Arragon. quæſt. 88. a. 12. poſt ſextam concl. §. Quando votum.

Nauar. cit. num. 76. Valent. to. 3. disp. 6. quæst. 6. p. 7. §. Ex quo sequitur. Sanchez cit. disput. 9. numero 11. Lessio libro 2. capite 40. dub. 13. numero 105. Henriq. libro 7. capite 30. §. 6. Suarez libro 6. capite 21. numero 9. contra Caietanum tom. 2. opuscul. tract. 11. quæst. 1.

V. Votum non fornicandi, aut mulierem non tangendi, sicuti docet Nau. lib. 3. consil. 42. edit. 2. Graffis p. 1. decis. lib. 2. cap. 31. numero 31. Lessius l. c. Sanchez lib. 4. moral. cap. 40. numero 67. Quorum omnium ratio est, quòd reseruationes, cùm à communi iure, & ordinaria Episcoporum potestate exorbitent, strictæ interpretationis esse debeant; ideóque cum votum castitatis, siue continentiæ reseruatur, explicari debet de continentia perpetua, & simpliciter dicta: cuiusmodi non sunt, quas recensuimus, sicuti præter alios notauit Syl. ver. votum, 4. quæst. 3. dicto 6. Suarez lib. 6. c. 21. n. 9.

VI. Reseruatum non est votum sacri ordinis suscipiendi. Ita Arrag. Lessius, Sa, Henriq. ll. cc. Sanchez cit. disput. 9. num. 13. Suarez numero 7. Azor lib. 11. cap. 19. quæst. 9. Quia id non est votum castitatis; sed assumendi statum, cui votum castitatis tacitè annexum est. Eadémque ratione dispensare potest Episcopus, in expresso voto, castitatis futuro tempore Deo promittendæ, teste Suarez cit. numero 7. Sanchez citat. cap. 40. num. 70.

VII. Votum ingrediendi Religionem strictiorem, vt liceat ingredi minùs strictam, vel permanere in minùs stricta. Ita Sotus lib. 7. quæstione 4. art. 3. ver. sequitur subinde, Syl. ver votum, 4. quæstione 3. dicto 6. Nau. lib. 3. consil. 41. de voto, edit. 2. Azor lib. 11. cap. 18. quæstione 8. Rodriq. tract. 1. regul. quæstione 25. art. 6. Sanchez cit. disput. 9. numero 17. Less. cit. dub. 13. num. 105. §. 7. Quia sic non dispensatur in voto Religionis secundùm se; sed tantùm secundùm modum, seu circumstantiam. Quamobrem licet tale votum Ordinis strictioris editum à Regulari, Ordinis Prælatus cassari non possit; tamen in eo dispensare potest, si exēptus sit, sicuti ex communi notat Sotus lib. 7. quæst. 3. a. 1. ver. tertius operum ordo est. Nauar comment. 4. de Regul. num. 22. in fine, & consil. 40. de voto, edit. 2. Suarez cit. lib. 6. cap. 10. num. 16. Sanchez lib. 4 moral. c. 42. num. 3. Rodriq. p. 2 sum. cap. 89. concl. 4. Lessius num. 107. Eadémque ratione dispensare potest Episcopus in voto pedibus, vel sine viatico peregrinandi v. g. ad limina Apostolorum, vt liceat equo vehi, aut itineris expensas facere, teste Lessio num. 105. §. 6. Sanchez cap. 40. num. 78. Item circa dilationem voti reseruati; puta si aliquis vouit intra annum Religionem se ingressurum, vt iusta de causa executionem voti aliquantulùm differre liceat, sicuti probabiliter docet Sāchez n. 76. contra Suarez lib. 6. c. 26. n. 11.

VIII. Cum Religionem professo, vt ad aliam Religionem, quamuis laxiorem, transire possit, ex iusta, & graui causa dispensare potest Episcopus, vel Prælatus Ordinis exemptus, cum consensu Capituli, qua de re dicam tr. seq. c. 6. q. 3. dicto 5.

9 IX. Votum pœnale, v. g. si fornicatus fuero, voueo, in pœnam me Religionem ingressurum; neque post admissam culpam, ideóque contractam obligationem pœnæ, reseruatum esse docent multi, inter quos est Henriq. lib. 7. cap. 30. numero 6. Tol. lib. 4. c. 18. num. 11. Arrag. 2. 2. quæstione 88. art. 12. §. si quis, Lud. Miranda tomo. 1. manual. Prælat. quæst. 48. art. 6. Viualdus supra citato capite 14. numero 50. Sa ver. voti irritatio, numero 11. Valent. citata p. 7. §. ex quo sequitur Sanchez cit. lib. 8. disput. 10. numero 8. Suarez lib. 6. cap. 23. numero 6. Eò quòd votum pœnale non fiat cum directo affectu erga rem promissam, vt alia vota; sed magis cum animi auersione, vt timore eiusmodi obligationis contrahendæ vouens reuocetur à crimine: quare non est purè & simpliciter dictū votum, seu promissio alicuius rei in Dei cultum præstandæ. Et est valdè probabilis hæc sententia.

X. Votum conditionatum, v. g. si ex morbo conualuero, voueo me Religiosum fore; ante conditionē impletam reseruatum non est; quia non est simpliciter dictum votum; quandoquidem non continet consensum absolutè & simpliciter; sed sub conditione pendente in futurum: quamobrem non nisi imperfectam, & suspensam obligationem parit. Quæ est sententia Toleti lib. 4. cap. 18. num. 11. Arrag. quæstione 88. art. 12. loco c. Lessii citato dub. 13. numero 106. casu 6. Suarez lib. 6. capite 22. numero 3. Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 10. numero 13. & lib. 4. moral. capite 40. numero 99. Sairi in claui regia, libro 6. capite 11. numero 77. contra Sotum libro 7. quæstione 2. art. 1. ad 4. Rodriq. tom. 1. regul. qq. quæstione 163. art. 17. Nauarrus capite 12. numero 43. Azor libro 11. cap. 19. quæstione 13. in fine, Valent. disput. 6. quæstione 6. pag. 7. circa finem. Verùm post impletam conditionem, videtur esse votum reseruatum: Alioquin dicere oporteret, quòd votum castitatis, aut Religionis, sub conditione, si ex naufragio liberatus fuero, posteà per Episcopi dispensationem aut commutationem tolli possit: quod Ecclesiæ praxi repugnat. Ratio est; Quia sicuti omnes alii contractus ac promissiones factæ sub conditione, ea eueniente purificantur, & absoluuntur; omnésque effectus obligationis pariunt, perinde ac sine conditione factæ essent, iuxta l. potior, ff. qui potiores in pignore; ita etiam voti promissio: neque enim vlla disparitatis ratio afferri potest. Atque hæc est communis Doctorum sententia, contra Sanchez ll. suprà citatis. 10

Porrò, cùm votum merè conditionatum, v. g. *Si coniugi superstes fuero, voueo me Religionem ingressurum*, eueniente conditione omnino purificetur siue perficiatur; at verò votum pœnale, v. g. *Si fornicatus fuero, voueo me in pœnam Religionem ingressurum*, etiam post euentum peccati, ob sui imperfectionem, sub Episcopi dispensationem cadere possit, sicuti suprà dictum fuit; eius discriminis rationem rectè explicat Suarez cit. lib. 6. cap. 23. Quia in voto merè conditionato affectus vouentis per se tendit in rem promissam sub conditione, tanquam bonam, & salubriter præstandam in Dei honorem: at verò in voto pœnali affectus vouentis per se tendit in rem promissam, tanquam pœnam, adeóque vt malum & afflictiuam; quam mallet euitare, quàm incurrere. Quamobrem si aliquis Religionem v. g. voueat, non vt pœnam peccati vindicatiuam; sed medicinalem, siue vt remedium vitandæ fornicationis, ad quam vouens ipso euentu propensum se experitur; tunc votum tale post admissam fornicationem, Papæ reseruatum erit: quippe cùm tale votum non propriè pœnale sit; sed merè conditionatum, vti idem Suarez notauit citato capite 23. numero 3. Contrà verò, similiter v. g. ex nimio affectu erga virum, & secuturas nuptias, voueat, aut iuret, si nuptiæ successum non habuerint, se Religionem ingressuram arbitror Episcopum dispensare posse.

XI. Votum metu iniusto extortum; quamuis non in cadentem in virum constantem: (nam votum ex tali metu per se irritum esset) Quæ est communior, probabilior sententia Angeli ver. votum, 4 numero 8. Nauarri capite 12. numero 59. Rodriq. p. 1. sum cap. 243. numero 14. in fine Sanchez citato capite 40. numero 30. Lessii citato dub. 13. numero 106. casu tertio, contra Suarez libro 6. capite 26. numero 4. Cùm enim talia vota facilis dispensationis esse debeant; tum ob imperfectionem consensus, quippe aliquo modo extorti; tum etiam ob odium iniustè extorquentis; præsumen-

dum non est, Papam sibi reseruare velle. Accedit, quòd grauium DD. sententia sit, Nauarri capite 22. numero 51. & lib. 1 consil. 3. n. 8. & consil. 5. n. 4. de his quæ vi, edit. 2. & lib. 3. consil. 3. de conuers. coniugat. n. 4. Rodriq. p. 2. sum. c. 8. concl. 9. votum, etiam solemne ex leui metu iniustè incusso editum, in conscientiæ foro irritum esse.

12 XII. Votum alternatiuum, cuius altera pars reseruata non est, v. g. voueo me ad limina SS. Apostolorum Romam profecturum; vel 50. aureos daturum. Ita Azor tom. lib. 11. capite 19. quæstione 10. Less. cit. dub. 13. num. 106. casu 8. Sanchez cit. cap. 40. numero 42. Suarez cit. lib. 6. cap. 24 numero 4. Ratio est: Quia tale votum non est determinatè de re reseruata: neque ad illam simpliciter obligat: quia *in alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterutrum impleri*, reg. 70. in 6. Neque refert, etsi temporis progressu altera pars, non reseruata ad implendum impossibilis fiat: nam licet tunc vouens ad peregrinationem Romanam simpliciter ac determinatè obligetur; id tamen non prouenit, ex vouentis intentione, sed ex euentu per accidens: ideóque nihilominus Episcopus dispensare poterit. Alia verò ratio est, postquam ipsemet vouens, obligationem suam, quæ principio indeterminata erat, determinauit ad eam partem, quæ reseruata est, videlicet ad peregrinandum, ídque non simplici tantùm proposito, sed cum voluntate se obligandi, seu potiùs priorem obligationem determinãdi, sicuti docet Sanchez libro 8. de matrim. disput. 9. numero 14 Azor citata quæstione 10. Suarez libro 6. de voto, cap. 24. numero 3. Quemadmodum etiam hominis debitor sub alternatione, postquam vnam partem elegit, eámque creditori notificauit, resilire ampliùs non potest iuxta iuris regul. 21. in 6. *Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.*

13 XIII. Postquam sum. Pontifex votum reseruatum in aliud commutauit, iam Episcopus exigente causa in illo dispensare, vel in aliam materiam commutare potest, sicuti docent Syluest. ver. votum, 4. quæstione 7. in fine, Arragon. cit. quæst. 88. a 12. ante solut. 1. Hẽriq. lib. 7. cap. 30. numero 5. lit. o. Suarez lib. 6. capite 20. numero 15. Sanchez libro 8. disp. 9. n. 20. Sa ver. votum, n. vlt. Nam hoc ipso, quòd prius votum, cum vouentis consensu, commutatum est, quasi aliud siue nouum votum euadit, quippe nouam obligationem continens, materia reseruata non est. Neque obstat quod aliqui obijciunt apud Azor. tom. 1. libro 11. capite 18. quæstione 11. subrogatum sapere naturam eius, cui subrogatur, arg. c. Ecclesia 1. vbi Abbas numero 3. Vt lite pendente. Respondetur enim; Id verum esse, quod attinet ad ea, quæ ad subrogationem per se atque intrinsecè spectant; non quæ extinseca, & accidentaria sunt: cuiusmodi est reseruatio Superioris, ex eiusdem libera voluntate proficiscens: quare hæc reseruatio, cùm odiosa sit, non debet extendi ad materiam subrogatam, sine speciali declaratione subrogantis.

14 XIV. Quotiescunque dubium est de valore voti, siue illud iuris sit, siue facti, potest in tali voto Episcopus dispensare, teste Suarez capite 26. numero 6. Sanchez citato capite 40. numero 26. Cùm enim reseruatio odiosa sit, ideo secundùm strictam acceptationem ad casus certos restringi debet, vt dubios non comprehendat, sicuti idem Suarez notauit de censuris, disp. 40. s. 6. num. 5. Sanchez libro 1. moral. capite 10. numero 74. Est autem hæc doctrina intelligenda his casibus, quibus dubium de valore voti per se non liberat vouentem; sed Superioris interpretatione, vel dispensatione opus est. Præterea in casu, quo dubium est votum summo Pontifici reseruatum sit, nécne, v. g. coniunx cum coniugis consensu continentiam vouit; sed dubitat num perpetuam, vel solùm tempore coniugii vouere intenderit, Episcopus hoc casu dispensare potest. Quia sicut in dubio num votum editum sit, non est obligatio imponenda, sicuti dixi lib. 1. tractatu 1. ca. 5. numero 31. sic etiam cùm dubitatur de parte voti, vtrum eam aliquis promiserit, in dubio non est astringendus: quia quod iuris est de toto quoad totum, idem iuris est de parte quoad partem, l. quæ de tota, ff. de rei vindicat, & docet Sanchez lib. 4. moral. cap. 13. numero 17. In proposito autem casu dubium existit de parte voti, videlicet de tempore post matrimonium secuturo, vtrum eò etiam vouentis animus se extenderit; atque ex verbis, & circumstantiis non potest coniectura, vel præsumptio capi: ergo non est obligatio adstruenda.

XV. Aliqui DD. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 63. a. 2. Veracrux p. 1. speculi, a. 15. in fine, existimant, reseruatum non esse votum continentiæ editum à coniugibus, quamuis mutuo consensu; sed Episcopum dispensare posse, non quidem simpliciter, sicuti docuit Maior in 4. d. 32. q. 2. solut. 2. contra 2. concl. sed ad petendum, ac reddendum debitum tempore coniugii, quibus Sanch. l. 8. disp. 11. n. 8. & 9. assentitur eo casu quo vnus tantùm coniunx cum alterius consensu continentiam vouit.

Verùm hæc sententia ab aliis communiter reproba- 15
tur, vti videre est apud Syl. ver. matrimonium, 7. q. in fine, Nauar. c. 12. n. 59. Rodriq p. 1. sum. c. 243. concl. 15. Sa ver. debitum coniugale, num. 2. vbi rectè docent; Si coniunx interueniente consensu & pacto alterius coniugis iuri suo renuntiantis continentiam simpliciter, & in perpetuum vouerit, tale votum sum. Pontifici reseruatum esse: cùm sit continentiæ integræ & perpetuæ, ideóque nulla ex parte sub Episcopi dispensationem cadat. Alia verò ratio est, si coniunx consensum præbens, iuri suo renuntiare non intendit: huiusmodi quidem renuntiatio in dubio præsumi non debet, teste Innoc. c. 1. de conuers. coniug. Nauarrus c. 16. num. 31. Item si coniuges ex pacto vouerint continentiam non simpliciter; sed cum aliqua limitatione, v. g. nisi proles mascula ante ipsos mortem obeat, talia vota, cùm non sint continentiæ perfectæ & absolutæ, Papæ reseruata non censetur.

Denique in votis reseruatis Episcopus dispensare po- 16
test quando est impedimentum adeundi sum. Pontificem, & necessitas cogit maturare dispensationem super voto. Ita docent Syl. ver. votum, 4. q. 4. Nau. cap. 12. n. 76. Arrag. cit. a. 12. §. si quis autem quærat. Henriq. lib. 6. cap. 14. n. 7. in comment. lit. p. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 63. a. 6. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 9. n. 22. & lib. 4. moral. c. 40. n. 34. Lessius n. 106. Suarez cit. lib. 6. cap. 26. num. 10. Ratio sumitur ex epikeia siue rationabiliter præsumpta mente Pontificis; nolle eum sibi vota tanto rigore reseruare; sed potiùs contentum esse, vt occurrente graui necessitate, si ad ipsum accessus non fuerit, ad proprium Episcopum deuoluatur potestas dispensandi in voto reseruato, vel lege Põtificia; item absoluendi ab excommunicatione, aliàue censura Papæ reseruata. Qua de re vide Henriq. lib. 6. cap. 16. num. 1. & cap. 9. n. 7. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. quæst. 1. Auilam p. 2. de censuris, c. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 3.

Verùm hic aliqua aduertenda sunt: I. Rariùs accidit casus necessitatis, quo Episcopus dispensare possit in votis trium peregrinationum reseruatis: eò quòd impedimentum occurrens ferme temporale esse soleat; vt proinde dispensationem non requirat; sed solùm executionis dilationem, sicuti notauit Suarez loco cit. At verò in votis continentiæ, & Religionis frequentiùs accidere solet necessitas, ob quam Episcopus dispensare possit: præsertim si vouentes coniugati sint,

sed

sed etiamsi soluti, si ex dilatione matrimonii inter ipsos vsque ad responsum Pontificis, graue periculum incontinentiæ, scandali, alteriusue damni timeatur, puta, quia matrimonium alioquin impedietur, cum magno sponsi, & familiæ eius dedecore; aut sponsus fortè morietur cum periculo animæ, & prole non legitimata.

II. Episcopi dispensatio in tali casu non amplius se extendit, quam necessitas postulat: quare tales quibuscum ob dictas rationes Episcopus in voto continentiæ dispensauit, vt vel matrimonium contrahere, vel contracto vti possent; contra votum peccabunt, si extra matrimonium fornicentur, vel eo soluto, ad aliud, sine noua Pontificis dispensatione, transeant, sicut notauit Suarez cit. c. 26. n. 13. Sanch. cit. disp. 40. n. 40.

17 III. Episcopus in tali necessitatis casu dispensare potest, tametsi Legatus Pontificius in prouincia sit, vt rectè docet Suarez cit. cap. 26. num. 10. Sanchez cit. lib. 8. de matrim. disp. 9 num. 25. & cit. lib. 4. moral. c. 40. num. 38. contra Arrag. cit. loco Rodriq. p. 2. sum cap. 100. concl. 3. Quia Legatus Papæ, tametsi à latere sit, ordinario iure non habet maiorem dispensandi potestatem, quàm Episcopus: Ergo liberum est voventi in tali necessitatis casu, pro dispensatione in voto reseruato adire Episcopum, vel Legatum Apostolicum.

Sed quid si Legatus specialem commissionem habeat dispensandi in votis reseruatis, vel lege Pontificia; aut absoluendi à censuris Papæ reseruatis, poteritne nihilominus Episcopus dispensare, vel absoluere, si ad Papam accessus non sit; an verò necesse est tunc causam transmittere ad Legatum, aut alium specialiter Priuilegium à Papa? Priorem partem, quòd Episcopus nihilominus dispensare & absoluere possit, docet Henriq. lib. 6. de pœnitent. cap. 10. num. 1. in comment. lit. d. & lib. 12. de matrim. cap. 3. num. 1. in comment. lit. h, Auila suprà cit. dub. 6. §. quartò nota: Cùm enim iura soli Pontifici reseruent dispensationem, vel absolutionem, & reseruatio strictæ interpretationis esse debeat; non oportet tam extendere ad Legatum vel Priuilegium: sed cùm Papa in casu necessitatis adiri non potest, deuoluitur potestas ad Episcopum, tanquam Ordinarium Pastorem; adeòque casus Papalis fit Episcopalis.

Posterior vero, & contraria sententia est Nauar. cap. 27. man. num. 90. Less. cit. dub. 13, num. 106. Sanch. cit. disp. 9. num. 25. & cit. cap. 40. num. 38. Suarez cit. cap. 26. num. 15. Nam Episcopus in his casibus dispensare, vel absoluere potest duntaxat ob rationem necessitatis: quæ ratio cessat, si adiri aliquis possit, qui specialem commissionem, vel delegationem habet; quippe quam Papa ideo etiam aliquibus concedere solet, vt in casu necessitatis ad illos recursus esse possit. Quæ doctrina vti communior, ita & probabilior, atque securior est: licet etiam prior probabilitate non careat; præsertim quod attinet ad vota, & peccata reseruata super quæ Episcopo ordinaria iurisdictio competit, nisi speciatim à Papa reseruentur. Accedit, quod in casibus frequenter occurrentibus (cuiusmodi est v. g. peccatum hæresis in partibus septentrionalibus, item votum continentiæ cum pacto inter coniuges editū) Episcopus bona fide, & Doctorum quorundam consensu subnixus consuetudine diuturna, dispensandi, vel absoluendi potestatem sibi comparare potuit.

IV. Obseruandum. Priuilegia Regularium Mendicantium, quòd possint commutare, & dispensare in votis, etiam Episcopo reseruatis, intelligi debent de iis votis aut casibus, qui ordinario iure Episcopo competunt, ideóque propriè episcopales sunt; non item de iis qui per se papales sunt; & tantum per accidens, ob vrgentem necessitatem, & moralem impotentiā adeundi Papam, ad Episcopum, tanquam ordinarium, post Papam, Pastorem deuoluuntur, sicuti notauit Rodriq. to. 1. regul. qq. quæst. 63. a. 3. & 6. Lud. Miranda in man. Prælat. t. 1. quæst. 48. num 4. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 9. Henriq. lib. 6. de pœnitent. c. 14. n. 7. Suarez cit. c. 26. n. 16.

18 Denique per commutationem voti obligatio (moraliter rem æstimando) non tollitur, sed ad aliam materiā transfertur, sicuti bene explicat Caietan. 2. 2. q. 88. a. 10. notab. 2. De ea re aliquæ quæstiones soluendæ restant.

19 PRIMA QVÆSTIO. Cuius auctoritate vota commutari possint? Respondeo; & dico I. Vouens proprio arbitrio votum suum commutare potest in id, quod spectatis omnibus, manifestè melius, seu præstantius est. Quæ est communior DD. sententia apud Sanchez lib. 4. moral cap. 49. num 4. Suarez lib. 6. cap. 18. num. 4. contra Innoc. Hostiensem, Abbatem in c. peruenit, 2. de iureiurando S. Bonau. in 4. d. 38. art. 2. quæst. 2. Rich. a. 8. q. 1. Syl. ver. votum, 4. q. 7. dicto 2. & sumitur ex c. 1. de voto, & cit. c peruenit, ibi, *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat*. Ratio est quam affert Caiet. ver. votum, c. vlt, Arrag. q. 88. a. 12. dub. 1. dicto 1. Constat enim quanto melius & præstantius est opus, tantò etiam Deo gratius, & acceptius esse, quare qui opus promissum in aliud melius commutat is debito & obligationi suæ abūdantius etiam satisfacit. Quod etiam inter homines vsuuenit, vt obligatio tollatur, si quis consentiente creditore, aliud pro alio soluerit. Dixi autem *si opus manifestè melius sit*: At verò in dubio stat possessio pro obligatione voti, determinata ad rem certam: quæ proinde mutari non potest, sine Superioris auctoritate.

Corollarium. Qui vouit eleemosynam se daturum certæ personæ pauperi, antequam ei per acceptationem ius acquisitū est, potest propria auctoritate mutare animum, vt detur alteri pauperiori, si appareat, tale opus Deo gratius fore. Ita Sanch. n. 6.

Excipi vero debent vota sum. Pontificis reseruata; ea enim neque inter se, neque cum aliis operibus, quamuis manifesto præstantioribus, sine sum. Pontificis auctoritate cōmutari possunt: eò quòd talem commutationem ipse sibi propriam reseruarit, sicuti docent Sotus lib. 7. q. 4. a. 3. Suarez lib. 6. cap. 21. num. 17. Azor to. 1. li. 11. cap. 18. quæst. 4. Sanchez lib. 4. de voto, c. 52. num. 5. contra Arrag. q. 88 a. 12. dub. 1. dicto 3. in coroll.

Sed hinc iterum excipi debet votum editum in Religione approbata, per quod aliquis verus Religiosus efficitur: nam in tale votum omnia vota antecedentia tam realia quàm personalia commutari possunt, sicuti habetur in c. scripturæ de voto: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare*, & docet S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 1. Caietan. eod. a. in princip. Sotus lib. 7. quæst. 4. art. 3. ad 1. Nauar. cap. 12. num. 65. Arrag. cit. a. 12. solut. ad 1. Sa ver. voti commutatio, num. 6. Suarez cap. 21. num. 18. Miranda quæst. 26. a. 7. Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. prerogat. vlt. Ratio est; Quia votum Religionis, quo homo seipsum, & omnia sua Deo in perpetuum consecrat, vniuersalitate quadam tum actionum, tum temporum, reliqua vota omnia in se eminenter complectitur. Vota autem Nouitiorum interim suspensa manēt vsque ad eorum professionem, saltem ea, quæ in tali statu executioni mandare ipsi non possunt. Alia autem vota Nouitiorum, licet cum Religione consistere possint, vt ieiunium, quotidiana oratio &c. tamen à Confessario, aut Prælato in onera ordinaria Religionis rectè commutari, monent Sa, & Miranda ll. suprà cit.

Dico II. Commutatio voti in aliud opus æquale proprio vouentis arbitrio fieri non potest. Hæc est com-

munis sententia apud Sanchez cit. cap. 49. num. 12. Suarez lib. 6. cap. 19. contra Rodriq part. 2. sum. cap. 100. concl. 4. Medinam lib 1. sum. cap. 14. §. 5. Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 20. §. 5. Non enim potest aliud pro alio solui promissario non cõsentiente: atqui Deus non videtur consentire, vt a spontaneo ipsi promisso cultu recedatur, sed potiùs velle, vt constanter in propria & determinata specie fideliter reddatur; nisi causa recessionis & commutationis vrgeat, quam cognoscere ad Superiorem pertinet: vel nisi aliquis commutare velit in rem euidenter meliorem, Deoque gratiorem: tunc enim promissionem non violat, sed auctiùs reddit: eáque ipsa exceptio in quolibet voto tacitè continetur: Promitto me hoc facturum, vel loco eius aliquid melius, Deóque gratius; non itẽ aliquid æquale: quia gratius Deo censetur, vt promissio in sua specie formaliter cum voluntatis perseuerantia compleatur, quàm in alia æquiualenter, cum voluntatis recessu, & aliqua inconstantia, sicuti explicat Suarez cit. c. 19. n. 4. & confirmari potest ex c. de voto, & doctrina S. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. in corp.

Dico III. Commutatio voti in opus æquale fieri debet auctoritate Prelati, puta Episcopi vel Papæ, eiúsue qui ab ipsis commissionem, seu delegationem habet. Quæ est communior sententia epud eundem Suarez cap. 19. num. 6. Sanchez cit cap. 49. num. 13. contra Viualdum in candelabro sacrament. part. 3. c. 14. n. 15. concl. 2. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 91. existimantes, cuiuscunque prudentis Confessarii auctoritate vota commutari posse. Sed contra est, quòd votorum commutatio, sicuti & dispensatio, sit actus Ecclesiasticæ iurisdictionis exterioris, alioquin frustra Confessariis interdum conferrentur specialia priuilegia commutandi vota.

Dico IV. Cui per priuilegium siue delegationẽ con-
20 cessa est potestas dispensandi in votis, videtur eidem etiam concessa potestas commutandi. Ita Sotus lib. 7. quæst. 4. a. 3. Henriq. lib. 7. de Indulg. c. 30. n. 5. Arrag. cit a. 12. ante secundam concl. Syl. ver. votum, 4. q. 3. Sa ver. voti dispensatio, n. 19. Less. cit. cap. 11. n. 94. Suarez c. 12. num. 10. contra Nau. cap. 12. man. n. 79. §. Illud autem, Azor lib. 11. cap. 10. q. 4. Sanch. l. 8. de matrim. disp. 2 n. 14. & lib. 4. de voto, c. 5. n. 4. Nam *cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus*, Reg. 53. in 6. Quæ locum habet, si minus subordinetur maiori, seu in eo contineatur tanquam imperfectum in perfecto, qua ratione codicillus imperfectum testamentum est: quamobrem qui testandi facultatem habet, is multò magis codicillum facere potest. Atqui voti commutatio est veluti imperfecta dispensatio, siue voti relaxatio: siquidem per dispensationem vinculum voti simpliciter tollitur; per commutationem secundùm quid: quia ab vna in aliam materiam transfertur. Confirmatur: Cùm raro adsint causæ (quas numerat Sanchez cap. 17. num. 18. Suarez cap. 46 numer. 3.) ob quas vota purè & simpliciter relaxari debeant; sed plerumque dispensationi commutatio aliqua adiungi soleat; ideo præsumendum est, mentem sum. Pontificis conferentis alicui facultatem dispensandi in votis, esse, vt talis facultas exerceatur secundùm consuetum Ecclesiæ morem, videlicet commutando in aliud opus, quamuis minus, vt Azor citat. loco fatetur. Quòd si autem dispensandi facultate præditus commutationem facere possit in opus minus; cur non item in æquale, si ita prudẽtia iudicauerit? siquidem commutatio in minus, & cõmmutatio in æquale nõ differunt, nisi vt maior & minor relaxatio voti, vt proinde reg. 53. suprà cit. locum hic habeat.

Dico V. In votis realibus, cum præiudicio tertii,
21 Prælati Ecclesiastici ordinario iure dispensationem, vel commutationem facere non possunt; quamobrem in priuilegiis dispensandi, & commutandi vota vel additur, vel subintelligitur, vt id fiat sine præiudicio tertii. Tunc autem dispensatio, vel commutatio fieri censetur cum præiudicio, atque iniuria tertii, si alicui certæ Ecclesiæ, vel personæ pauperi v. g. per acceptationem voti ius acquisitum fuit. Vtrum ante acceptationem, cum nondum ius, actio, & petitio competat; vota in alicuius certæ Ecclesiæ v. g. commodum edita, per dispensationem, vel commutationem tolli posse communior est sententia Sylvest. ver votum, 4. quæst. 7. dicto 4. Caiet. to. 2. opusc. tract. 11. quæst. 3. Nauar. cap 12. n. 78. Azor to. 1. lib. 11. cap. 19. quæst. 12. Suarez lib. 6. de voto, cap. 15. num. 3. & 11. Lud. Mirandę in man. Prælator. tom. 1. quæst. 48. a. 4. contra S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 1. §. vlt. Rosellam ver. votum, 5. §. 6. Ratio est, quia per votum præcisè, quatenus est interna promissio Deo facta, nullum ius Ecclesiæ illi acquiritur: tum quia nulla promissio interna & non manifestata signo aliquo hominem homini obligat, sicuti egregiè docet S. Thom. 2. 2. quæst. 88. a. 1. in corp. tum quia voti promissio Deo fit, cui proinde soli ius & obligatio acquiritur; non Ecclesiæ, quæ se habet tantùm vt materia circa quam voti, sicuti notauit Sanchez lib. 4. moral. c. 41. n. 7.

Neque verò ius Ecclesiæ acquiritur propter externam promissionem donandi, coram domesticis v. g. factam nisi insuper promissio siue donatio ab Ecclesia, vel Ecclesiæ Rectore, alióue administratore acceptata fuerit, quia id commune est omnibus pactis ac pollicitationibus, vt nisi ab altera parte acceptatæ sint, & quasi formatæ mutuo consensu (pactum enim est consensus duorum in idem) nullam obligationem pariant. Neque fauore piæ causæ vspiam reperitur contrarium statutum esse, vti dixi lib. præced. tract. 4. c. 1.

Porrò in duobus casibus etiam post acceptationem siue ius quæsitum, eiusmodi votorum vinculum relaxari potest: Primò, si persona illa, in cuius vtilitatem votum cedit, ius suum & actionem sponte remittat, quod etiam de Ecclesiæ Prælatis sentiendum est iis casibus, quibus ob iustam causam, & obseruata debita forma, ius Ecclesiæ acquisitum remittere, vel compositionem instituere possunt, sicuti docet Armilla ver. dispensatio, num. 21. Suarez cit. cap. 15. num. 7. Sanchez cit. cap. 41. num. 16. Secundò, si occurrente publica causa, ob quam priuatus merito suo iure cedere debeat, sum. Pontifex, ex plenitudine potestatis suæ, votum commutet, &c. sicuti docet Syluest. ver. Papa; quæst. 13. Sanchez cit. cap. 41. n. 16. Cuiusmodi commutationem, exigente causa multo magis facere poterit, si certæ Ecclesiæ ex voto, hæreditate &c. aliquid debitum sit. eò quòd ipse supremus omnium Ecclesiarum administrator existat.

Altera Quæstio. Quanta causa requiratur ad voti commutationem tum licitè, tum validè faciendam? Respondeo, & dico I. Si commutatio fiat in rem manifestè meliorem, Deóque gratiorem, nulla alia causa requiritur, sicuti docent S. Bonau. in 4. dist. 38. q. 2. a. 2. Richar. a. 8. quæ. 1. Caietan. cit. quæst. 88. a. 12. §. In commutatione autem, Nauar. cap. 12. num. 63. Sa numer. 10. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 18. quæst. 3. Suarez cap. 18. num. 9. Sanchez cap. 50. num. 15. Tum quia hæc sola commutationis causa sufficit, quòd per eam cultus Dei augeatur: tum quia per se notum est, talem commutationem Deo gratam esse: quamobrem suprà dixi, Prælati auctoritatem in ea non desiderari.

Dico II. Si voti commutatio fiat in opus æquale, 22
aut minus, requiritur aliqua causa, non tantùm vt licita sit, sed etiam vt valida. Ita docet Suarez cap. 19. numer. 5. & 14. In eadémque sententia arbitror esse alios Doctores (excepto Sanchez cap. 51. numer. 7.) qui negant, vota propria vouentis auctoritate in rem

æqualem, aut minorem commutari posse; sed Prælati Ecclesiastici auctoritate & iurisdictione opus esse; eò quòd per eiusmodi commutationem pars aliqua obligationis ac debiti remittatur, siue relaxetur; vt videlicet non in propria specie, ad quam vouens ratione promissionis suæ ex fidelitatis virtute obligaretur; sed in alia quapiam voti solutio fiat. Id verò vt sine causa concedatur, Deus contentus non est, sicuti etiam supra de dispensatione dixi. Notat tamen Suarez cap. 20. num. 7. Si commutatio ab habente potestatem, sine iusta causa, bona tamen fide, facta fuerit in opus æquale, illùdque iam peractum sit; credendum esse, Deum illud acceptasse, vt vouens ad nihil aliud teneatur.

Dico III. Ad commutationem in opus æquale non requiritur causa executioni obstans; sicuti in dispensatione seu pura, seu mixta: sed sufficit quæuis causa, ob
23 quam, consideratis circumstantijs omnibus, videatur expedire, etiam ad honorem Dei augendum, vt commutatio voti fiat. Cuiusmodi quidem causa raro deesse solet, si vouens voti sui commutationem instanter petat: tunc enim ratio adest, vt condescendatur fragilitati eius, quò maiore cum solatio, & animi promptitudine voti sui debitum in alia materia, ad quam magis affectus est, exoluat. Ita docet Caietan. cit. loco. Sotus lib. 7. quæst. 4. a. 3. circa medium. Valentia cit. p. 7. prope finem, §. Ex commutatione autem voti, Less. cit. cap. 4. dub. 11. num. 96. Sanchez cap. 50. num. 12. contra Syl. ver. votum, 4. quæst. 8. Est enim manifestū discrimen inter dispensationem, & commutationem voti; quod in illa obligatio voti absolutè relaxatur: talis autem relaxatio seu condonatio non censetur expedire, vel ad honorem Dei pertinere, nisi aliquid obstet executioni; quia materia voti putatur moraliter impossibilis, vel maioris boni impediens. At verò in commutatione obligatio voti non penitus relaxatur; sed in aliam materiam transfertur, quod ob varias causas expedire solet; saltem vt, dum benignius cum vouentibus agitur, sua vota maiore cum deuotione expleant; & ad frequentiora vota edenda alliciantur.

Addendum: Si commutatio ab eo, qui talem potestatem habet, fiat in opus minus, adeóque cum commutatione misceatur aliqua dispensatio, probabile est, sufficere interdum causam rationabilem, quæ tamen nō obstet executioni voti. Quæ doctrina sumitur ex praxi, eamque indicat Sanchez lib. 4. c. 17. n. 27. & cap. 50. n. 18. Rodriq. to. 2. sum. c. 100. concl. 4. Less. n. 95. quamuis contrarium dicat Sotus cit. a. 3.

Quæstio tertia. Qua ratione voti commutatio-
24 nem Prælati, & Confessarij priuilegiati facere debeant? Respondeo & dico I. Qui habet potestatem vota commutandi tantum (qualis v. g. in Iubileo Confessarijs concedi solet) is commutare debet in rem æqualem; id est, quæ considerata qualitate vouentis, alijsque circumstantiis, æquè bona, siue ad Dei cultum & obsequium pertinens videtur. Ita docet Caietanus in summa, ver. votum, cap. vlt. & 2. 2. q. 88. art. 12. ver. In commutatione autem votorum, Syluest. ver. votum, 4. q. 8. in fine, Sotus, cit. a. 3. circa medium, Tolet. lib. 4. c. 18. §. commutare, Azor. to. 1. lib. 1. c. 18. q. 6. Suarez cap. 19. num. 7. Sanchez c. 50. n. 4. contra Medinam in sum. lib. 1. cap. 14. §. 7. reg. 3. de commut. Rodriq. to. 2. c. 100. concl. 4. & Lessium, cit. c. 40. n. 95. Probatur assertio: Quia nomen *commutationis* æqualitatem significat apud omnes: priuilegia autem extendi non debent vltra verborum proprietatem, aut communem acceptionem. Veruntamen æqualitas moraliter accipi debet, non mathemathicè aut scrupulosè; quare etsi dubitetur, vtrum opus æquale sit, cōmutatio in illud bona fide fieri poterit. Quia etsi contingat æqualitatem nō attingi, quippe quam in moralibus certo deprehēdere humano intellectui difficile est; plerumque tamen, si vir prudens bona fide commutationem faciat, non multùm ab æqualitate discedetur; paruus autem defectus pro nihilo habetur. Idque voluit Toletus loco cit.

Corollarium. Vota præsertim grauiora, longè securiùs & faciliùs ab ijs commutantur, qui simul etiam dispensandi facultate prædíti sunt.

Dico II. Licet plerumque cōuenientius sit, vota realia commutare in realia onera; vota autem personalia in onera personalia; non tamen necesse est id sem- 25
per fieri: sed votum etiam reale in personale & vice versa votum personale in reale rectè commutari potest. Est communis Doctorum sententia: cuius prior pars inde probatur: Quia in votorum commutatione quatenus fieri potest, seruari debet tum materiæ æqualitas, tum idem finis, siue intentio vouentis: hæc autem plerumque meliùs seruatur, si votum personale in aliud personale commutetur; v. g. votum cilicii gestandi, carnis domandæ causâ, in ieiunium; & votum reale in aliud reale, v. g. votum ecclesiam ædificandi in alias eleemosynas, aut fundationes pias. Item votum mixtum in onera tum realia, tum personalia: v. g. votum peregrinationis in ieiunium vnum, vel plura, habita ratione laboris, quem peregrinaturus, præsertim pedestri profectione, subire debuisset, & in eleemosynas, habita ratione expensarum, quas vouens cùm eundo, tum redeundo maiores, quàm aliàs, facere debuisset, sicuti colligitur ex c. magnæ, c. ex multa, c. quod super, de voto, & docet Suarez cap. 19. n. 20. Sanchez lib. 4. c. 56. n. 16. licet Graffis p. 1. decis. lib. 2. capite 30. num. 10. Angles in floribus p. 2. quæstione vn. de voto, a. 8. diffic. 6. propos. 4. Henriq. lib. 7. cap. 30. num. 5. negent, sumptus qui in reditu fieri deberent, æstimandos esse, sed contra textum cit. c. magnæ, ibi: *Expensas, quas fueras eundo, morando, & redeundo facturus.*

Posterior pars probatur tum ex c. 2. de voto, in quo votum mixtum peregrinationis solis eleemosynis redimitur; tum hac ratione: Quia in cōmutatione æqualitas seu similitudo materiæ æstimari non debet physicè; sed moraliter, habito respectu ad Dei gloriam, & spirituale vouentis vtilitatem, ac consolationem. Maximè etiam, inquit Sanchez lib. 4. c. vlt. n. 38. spectanda est vouentis fragilitas, curandúmque ne nimis grauetur. Quare proderit interdum commutare in res, quas ipse solitus est facere; puta rosarium recitare, sacro interesse, Sacramenta frequentare: ita enim faciliùs, & suauiùs exequetur. Proderit quoque relinquere libertatem, ne die designata exequi teneatur, sed in alium diem differre liceat. Item vt imponantur diuersa opera, relicta optione vouenti; v. g. vt feria sexta ieiunet, vel certam eleemosynam det.

His quædā addenda sunt: I. Votum tam pœnale quàm absolutum, etiam post transgressionem, aut pœnam cō- 26
tractā, commutari potest: v. g. si quis vouit singulis diebus eleemosynam dare, & longo tēpore intermisit: aut vouit, se nunquam lusurū sub pœna aurei pauperibus in eleemosynam largiendi, & aliquoties ludendo transgressus est. Tunc verò attendere oportet, vtrum sola obligatio voti in futurum; an etiam debitum, vel pœna iam contracta à Confessario v. g. commutetur: vtriusque enim commutatio, ab habente potestatem commutandi vota fieri potest. qua de re Sanchez cit. c. vlt. n. 33. Suarez c. 20. n. 19.

II. Qui habent priuilegium, seu potestatem delegatam dispensandi, aut commutandi vota fidelium, vel eos à peccatis absoluendi, non possunt talem potestatē alteri delegare. Quia delegatus nunquam potest subdelegare, si censeatur electa industria personæ, vt in proposito accidit. Monet tamen Viualdus in apendice Candelabri, c. 14. n. 40. Quòd Confessarius priuilegia-

tus; si causa postulet, v. g. multitudo confitentium, possit ita dicere confitenti suo: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designauerit, cuius sententiâ te stare volo.* Præterea, si Prælato v.g. Ordinis, ratione muneris seu dignitatis suæ, priuilegium absolutè & generatim cōcessum fuerit absoluendi, dispensandi, aut commutandi vota suorum subditorum, transit talis potestas in ordinariam, ideóq; in casu particulari alteri cōmitti poterit: secùs, si alicui Prælato, vel cuicunq; alteri personæ commissa sit potestas absoluendi, vel dispensandi, cum certa persona: quia hoc casu non iurisdictio, sed nudum ministerium commissum censetur, c. vlt. §. cæterùm, de offic. delegati, & docet Syl. ver. delegatus, q. 8.

III. Post factam commutationem voti, ab eo qui potestatem habet, in arbitrio vouentis positum est, vel votū suū exequi, vel opus illud, in quod cōmutatio facta fuit: vel deniq; ab alio simili potestate prædito nouam cōmutationem petere, sicuti docet Azor c. 18. q. 10. & 12. Less. l. 2. c. 40. dub. 11. n. 97. Sanch. c. 55. n. 26. & l. 8. de matrim. disp. 9. n. 21. Ratio est: Quia siue commutatio facta fuerit in rem minorē, admixta dispensatione; siue in rem æqualem, aut etiam meliorem, cedit in fauorem debitoris, seu vouentis. Quiuis autem *fauori suo renunciare potest*: Et, *quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. 61. in 6.

28 IV. Si opus, in quod commutatio facta est, postea inutile, vel impossibile fiat, quāuis non sine vouentis culpa, omnino is liberatur, neque cogitur votum suum implere; quippe quod per legitimam cōmutationē extinctum est: obligatio autem semel extincta non reuiuiscit, l. qui res, §. aream, ff. de solut. Atq; ita ex cōmuni docet Graffis supra cit. c. 30. n. 3. Viualdus n. 27. Suar. c. 20. n. 9. Sanch. c. 55. n. 15. & l. 8. de matrim. disp. 9. n. 21. Neq; obstat quòd vouens possit, relicto opere, in quod commutatio facta est, votum suum exequi, vt supra dixi: Nam etsi hoc facere possit, si velit, tamen ad id non obligatur; Sicuti etiam vouens suum votum in melius, &, secundū quosdā, in æquale opus commutare potest, non tamē ad hoc obligatur; ideóque si materia voti sui inutilis, aut impossibilis reddatur, omnino liberatus est, vt aliquid loco eius præstare minimè cogatur.

Excipit autem Viualdus cit. c. 14. n. 28. Nisi commutatio voti facta sit non ab homine, sed ipso iure. qua ratione omnia vota simplicia in religionis professionē commutantur, c. scripturæ, de voto. Quare ait Viualdus si quis antea ediderit votum peregrinationis Hierosolymitanæ, & postea Religionem professus sit; accidat verò deinde, vt ob culpam suam Religione eiiciatur, obligari ad votum Hierosolymitanum explendum, citátq; pro hac sententia Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 4. qui id non dicit, sed potiùs contrarium in 5. sua concl. Viualdo tamen adstipulantur Sotus l. 7. q. 2. a. 1. prope finem, ante solut. 4. Arrag. q. 88. a. 3. ante solut. 3. vbi tanquam probabilius docent, si quis generatim vouerit Religionem, & postea vnā professus, eiiciatur; obligatum esse ad aliam ingrediendam. Contrarium verò est tenendum cum Sāch. cit. disp. 9. n. 21. & cit. c. 55. n. 16. & 18. Quia omnia vota simplicia commutantur in votum Religionis, tanquam in quid melius, quippe cum perpetuum Dei seruitium contineat: consequenter priora vota extincta sunt, vt in propria sua materia non obligent: quod autem semel extinctum est, iterum non reuiuiscit. Eáq; ratio similiter concludit, siue commutatio ab homine, siue à iure facta sit. vti etiam docent Salas in claui regia, lib. 6. c. 12. n. 24. Suarez l. 6. c. 20. n. 11.

Illud verò magis in dubium vocari potest, vtrum per vota simplicia edita in Societate Iesu, penitus extinguatur votum prius in seculo editum, v.g. piæ peregrinationis instituendæ. Negat Sa ver. voti commutatio, n. 6. 50
Vota nostrorum, quæ in sæculo fecerunt, ante professionem sunt suspensa, quamdiu sunt in Societate: consequenter obligatio votorū reditura est si cōtingat eos ex Societate Iesu dimitti. Quæ responsio vera est, & approbata can. 22. primæ Congregat. generalis. Sed bene id explicat Sāch. l. 5. mor. c. 5. n. 55. Quòd ipso iure vota præcedētia non cōmutentur in vota illa simplicia, sicuti commutātur in professionem solemnē, vti dicam tr. seq. c. 10. n. 3. Interim verò ipsemet vouens propria intentione vota antecedentia in simplicia illa vota cōmutare non prohibetur, ita vt illa penitus extinguātur. Nam quiuis propria auctoritate votum qualecunque commutare potest in id, quod scitur melius, Deóque gratius esse. Atqui vota nō tantùm solemnia, sed etiam simplicia, per quæ aliquis verus Religiosus efficitur, & (saltem quatenus ex ipsius parte est) perpetuo se Dei obsequio in Religione deuouet, & actualiter tradit; ea, inquam, vota meliora, Deóq; gratiora sunt, quàm alia omnia: Ergo in simplicia Religionis vota alia omnia commutari possunt.

Sin verò aliquis in seculo vouisset, se in Religione aliqua professionem editurum, cum tali Reuer. Pater noster Generalis, & ex commissione eiusdem, Prouinciales dispensare possunt, seu potiùs commutare in vota nostra simplicia; ita tamen, vt si ante professionem ex Societate recesserit, votum illud prius in sua obligatione perseueret. vti habetur in Sum. priuileg. ver. commutatio, §. 3. Signatè autem loquor de voto profitendi, seu perseuerandi in Religione: qui enim habuit votum ingrediendi tantùm seu probandi, is propria auctoritate commutare poterit in votum perseuerandi: quâ commutatione tanquam in quid melius prius votum extinguitur. Qua de re vide Sanchez l. 4. moral. c. 16. n. 106 & l. 5. c. 5. in fine, & quæ dicam tract. seq. cap. 6. q. 3. dicto 3.

Denique si aliquis continentiam perpetuam simpliciter vouerit, ac postea editis votis simplicibus, è Societate IESV dimittatur, certum est, priore illo continentiæ voto obligatum manere: quippe quod à voto religioso essentialiter non differt: ideoque in sua specie immutatum perseuerat.

TRACTATVS QVINTVS.
DE
STATV RELIGIONIS.

Cap. I.

DE ESSENTIA STATVS RELIGIOSI.

SVMMARIVM.

1 *Status Religionis perfectionis est, non eo sensu, quòd omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed ad perfectionem tendere.*
2 *Tria sunt substantialia vota religiosi status; paupertas, castitas, & obedientia.*
3 *Ordo Religiosus à sum. Pontifice approbatus esse debet.*
4 *Ad essentiam status religiosi non requiritur, vt vota solemnia sint.*
Qui in Societate Iesu tria simplicia vota ediderunt, veri Religiosi sunt.
5 *Qui in ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantùm coniugalem vouent, propriè Religiosi non sunt.*
6 *Irrita est professio, aut susceptio Religionis, si addatur conditio statui religioso repugnans.*
7 *Religiosi non sunt, qui editis votis perpetuæ castitatis, ac paupertatis, obedientiam etiam vouent præstandam Episcopo, aut Confessario.*
8 *Summus Pontifex etiam in solemnibus votis Religionis dispensare potest, vt aliquis Religiosus esse desinat.*
9 *Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum aut similem dignitatem, obstrictus manet essentialibus votis suæ Religionis; licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ, exemptus censeatur.*
10 *Religiosus factus Episcopus vel Cardinalis, saltem ex moralis honestatis obligatione, præscripta regulæ seruare debet, quæ cum munere ac dignitate sua consistere possunt.*
11 *Religiosus ad secularem parochiam promotus habitum suæ Religionis adferre, & alia præscripta regulæ; quatenus cum munere & laboribus suis consistere possunt, obseruare debet; etiam sub culpæ obligatione, si regula Ordinis ita obliget.*
12 *Religiosus, dum parochiam secularem administrat, in plerisque Episcopo Diocœsis subiicitur: verùm in iis, quæ ad regulam Ordinis spectant, v. g. vt habitum gestet, videtur subiectus manere Abbati, vel Præposito Monasterii.*

1 STATVS Religionis ita definiri potest: *Fidelium, ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ, stabilis in communi viuendi modus, ab Ecclesia approbatus.* Pro cuius definitionis intellectu notandum est primò, quod docet S. Th. 2.2. q.186. a.1. Religio est virtus, per quam aliquis ad Dei seruitium, & cultum aliquid exhibet: Et ideo antonomasticè Religiosi dicuntur illi, qui reiectis mundi huius impedimentis, totos se diuino seruitio mancipant, quasi holocaustum Deo offerentes. Quare cùm hominis perfectio in hoc consistat, vt Deo totaliter adhæreat; sequitur, statum religiosum esse perfectionis: non eo sensu, quòd Religiosi omnes perfecti esse debeant (cum quidam eorum sint incipientes, quidam proficiẽtes; sed quòd omnes ad Christianam perfectionem vnionémque cum Deo, tanquam propositum sibi finem, ex status sui obligatione tendant, sicuti docet idem S. Th. resp. ad. 3. & a. 2 ad 1. ait: *Sicuti Pythagoras noluit se sapientem profiteri, sed sapientiæ amatorem; ita & Religiosus non est transgressor professionis, si nõ sit perfectus, sed si contemnat ad perfectionem tendere.*

2 Notandum secundò. Hominis Christiani perfectio in eo consistit, vt contemptis, &, quatenus fieri potest, reiectis cupiditatibus huius vitæ, Deo per charitatem inhæreat: tria autem sunt huius perfectionis impedimenta, siue tres veluti laquei huius mundi, quibus animus hominis detinetur, quominus ad Deum se liberè erigere possit, teste S. Ioan. epist. 1. cap. 2. *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Et de carnis quidem concupiscentia, eam à studio perfectionis impedire, testatur Apostol. 1. ad Cor. 6. & 7. De concupiscentia oculorum, siue desiderio colligendi, augendíq; diuitias, Christus Mat. 6. *Non potestis Deo seruire, & Mãmonæ, ideo dico vobis ne soliciti sitis animæ vestræ, quid mãducetis; neque corpori vestro, quid induamini.* Et Mat. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus.* Ac denique de superbia vitæ, honoris ambitione, & propriæ voluntatis amore, idem Dominus apud S. Matth. c. 16. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* Ab his velut compedibus animus liberatur per voluntariam paupertatem, castitatem, & obedientiam.

Confirmatur ex doctrina S. Th. q. 188. a. 7. Quia amplectendo statum religiosum fit homo holocaustum, sua omnia Deo consecrans: tria autem homo possidet, animã, corpus, & res externas quare per votum obedientiæ offert Deo animam, subiiciens Superiori, propter Deũ, iudicium suum & voluntatem in rebus agendis. Per votum castitatis offert corpus; vt à carnis voluptatibus abstractus, Deo meliùs seruire possit. Per paupertatis verò votum offert res externas propter Deum se ipsis priuans. Monet autem S. Th. 2.2. q. 186. a. 8. Inter hæc tria præcipuum esse obedientiæ votum: quia per id, quod in homine excellẽtissimũ est, Deo cõsecratur: quod docet S. Greg. lib. 35. moral. ca. 10. *Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimam aliena caro; per obediẽtiam autè propria voluntas mactatur.* Et Io. 22. in extrauag. quorundam, de verb. signif. prope finem: *Magna est paupertas, sed maius integritas bonum est; maximum obedientia, si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur & animo, quos veluti effrænes & liberos ditioni alterius humili iugo propriæ voluntatis astringit.*

Notandum tertiò ex S. Th. q. 183. a. 1. & 6. Quòd status hominis, si propriè loquendum sit, immobilitatem significat, id est, vitæ rationem, ad quam tenendam aliquis personaliter obligatus sit: vt si aliquis ex soluto coniugatus fiat, ex libero seruus, alium statum amplecti censetur. Hæc igitur causa est, quò ad statum religiosum non sufficit nudum propositum seruandi tria illa Euangelica consilia; sed requiritur obligatio personalis per vota Deo edita non ad tẽpus determinatum, sed in perpetuum; id est ad vitæ vsque finem; vt firmiter, immobiliter, sine vlla resiliendi spe, homo à mundo abstractus, Deóque dedicatus, propriè statum mutasse censeatur. Quare ex his colligitur, essentiam status religiosi in tribus illis, quæ dixi, votis consistere, iuxta c. ad Apostolicam, c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum.

Notandum quartò: Ad statum, atque Ordinem religiosum requiritur, vt sit sacra quædam congregatio, seu communitas, in qua consequenter esse debet spiritualis quædam iurisdictio. Cùm verò omnis talis iurisdictio ab Ecclesiæ Prælatis, præcipuè summo eius capite Romano Põtifice proueniat; ideo modus, siue ordo cõ-

muniter in Religione viuendi secundùm certam regu-
3 lam; ab Ecclesia approbatus esse debet, sicuti colligitur ex c. 1. §. præsentis, de voto, in 6. & videri potest Vasq. 1. 2. disp. 165. cap. 4. Sanchez lib. 5. moral. c. 1. n. 20. Tametsi verò olim ad religiosa instituta SS. Antonij, Basilij, Augustini, Benedicti sufficiebat Episcopo-rum loci expressa institutio, aut approbatio, non repugnante, sed collaudante magis Rom. Pontifice, totáque Ecclesia, sicuti notauit Bellarm. l. de Monach. 4. Miranda t. 1. man. Prælator. q. 3. a. 6. Rodriq. t. 1. lib. 1. regular. qq. q. 1. a. 6. Less. cit. dub. 1. n. 11. Postea tamen sapienter statutum est in Concil. Lateranen. sub Innoc. III. cap. vlt. & refertur in c. ne nimia, vbi videri potest Abb. n. 3. de relig domibus, & in concil. Lugdunensi sub Greg. X & refertur in c. vn. eod. tit. in 6. ne nouus religiosus Ordo introduci, aut in eo habitus assumi possit, nisi à Sum. Pontifice expresè approbatus sit. Cæterùm alias Congregationes, non sub titulo status religiosi, sed causa pietatis seu deuotionis Christianæ, nihil prohibet institui, etiam non requisita Episcopi licentia, sicuti docent Syl. ver. Collegium, quæst. 2. Miranda to. 1. quæstione 35. a. 3. post Innoc. in c. dilecta, de excess. Prælator.

Corollaria: Cùm ad essentiam Ordinis religiosi aliud non requiratur, quàm vt in eo tria vota perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ sub Prælato edantur cum approbatione Ecclesiæ, seu eius capitis summi Pontificis: iuxta c. ad Apostolicam, c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, sequitur primò; Ordines Religiosorum, licet inter se differant accidentali regularum, & functionum suarum discrimine; tamen in essentialibus conuenire.

4 Sequitur secundò; Vt aliquis statum Religionis tenere, ac verus religiosus censeatur, non requiri, eius vota esse solemnia; vel vt publica professione edita sint. Sufficit enim, vota illa tria, religioso statui essentialia, Ecclesiæ auctoritate acceptari.

Quod tametsi olim non fiebat nisi publicæ professionis solemnitate; hodie verò statuerunt summi Pontifices, nominatim Greg. XIII. in Bulla, quæ incipit *Ascendente Domino*, edita Anno 1584. vt qui in Societate Iesu, post biennij probationem, simplicia vota ederent, veri Religiosi fierent; quippe se Societati dedicantes, & actu tradentes, quantùm ex parte ipsorum irreuocabiliter. Idémque indicauit Trid. sess. 25. cap. 16. de Regul. Ratio verò est Quia voti solemnitas sola Ecclesiæ cōstitutione inuenta est, sicuti ait Bonif. VIII. in c. vn. de voto, in 6. Dicitur enim votum sicuti & testamentum, pactum, iusiurandum solemne; cui ea forma seu solemnitas publica adhibetur, quam ius requirit. Quare sicuti iure speciali statutum est, vt v. g. testamentum minùs solemne inter milites perinde validum sit, ac solemne, ita etiam constitui potuit, & re ipsa constitutum est à Greg. XIII. in Bulla *Ascendente Domino*; vt vota simplicia, quæ in Societate Iesu edi solent, traditionem ex parte vouentium irreuocabilem contineant veróque Religiosos efficiant; aliósque effectus pleróque votorum solemnium consequantur. Nam imprimis inducunt incapacitatem ad nuptias; ita vt matrimonium non tantùm illicitè, sed etiam inualidè ab eiusmodi Religiosis contrahatur; Deinde si vota simplicia sint publica, quæ à Coadiutoribus formatis nostræ Societatis edi solent, introducunt etiam inhabilitatem seu incapacitatem cuiuscumque dominij bonorum in particulari. Idque totum ex Ecclesiastica constitutione. Interim verò hodie proprium manet solemni professioni, vt matrim. antè contractum dirimat: deinde vt ex virtute eius Religio vicissim etiam Religioso obligetur, ad eum perpetuò retinendum, alendum &c. nisi in pœnam criminis tanquam incorrigibilis deponendus, & eijciendus sit.

Non obstat autem religioso statui, quòd simplicia tantùm vota in Societate Iesu habentes, Superiorum auctoritate iterum dimitti possint: sufficit enim ad statum religiosum, quòd qui eum amplexus est, ipsemet discedendi libertate careat: quemadmodum & ad alterius personalis obligationis, aut seruitutis statum satis est, quòd seruus se ipsum eximere non potest; licet possit à domino manumitti: & ad statum episcopalem sufficit, quòd aliquis Ecclesiæ alligatus est, licet auctoritate Sum. Pontificis transferri, vel omnino liberari possit, sicuti etiam de ipsis Religionē solemniter professis infrà dicam, n. 8. Videri potest Vasq. 1. 2. disp. 165. c. 3. & 8. Sanch. l. 5. moral. c. 1. q. 1. & 2.

Sequitur tertiò, Eos qui in Ordinibus militaribus ab Ecclesia approbatis, castitatem non absolutam, sed limitatam seu coniugalem profitentur, licet Ecclesiasticæ personæ censeantur; non tamen esse propriè Religiosos, sicuti docet S. Th. 2. 2. quæst. 186. a. 4. ad 3. *Illi modi viuendi, secundùm quos homines matrimonio vtuntur, non sunt simpliciter, & absolutè loquendo Religiones; sed secundùm quid, in quātum scilicet participant quædam, quæ ad statum Religionis pertinet.* Idémque docent Gl. in Clement. ex eo, de sent. excom. Sotus lib. 7. de iust. q. 5. a. 3. in 3. argumen. Arrag. 2. 2. quæst. 88. a. 12. in tertio aduertendo, coroll. 1. contra Nau. de redit. Ecclesf. q. 1. monito 55. & consil. 10. & 11. de Regul. edit. 2. Sanchez lib. 4. moral. cap. 16. num. 11. At verò milites S. Ioannis Hierosolymitani, Teutonici, eorúmque similes, cùm tria substantialia vota edant, veri Religiosi sunt, vti bene probat Nau. consil. 12. Quare eorundem solemnis professio impedimentum matrimonii non tantùm contrahendi, sed etiam contracti nondum consummati inducit, vti docet Henriq. lib. 11. c. 8. §. 6. lit. e. Man. Prælat. t. 1. q. 26. a. 6. concl. 1. 5

Sequitur quartò; Irritam esse professionem, aut votorum Religionis emissionem, si in ea conditio addatur, quæ religioso statui repugnat; puta vt alicui liceat retinere bona sua tanquam propria, seu independenter à voluntate Prælati: vt liceat mortuo fratre primogenito, egredi, atque vxorem ducere. Vide Abb. in c. vlt. n. 7. de condit. appositis, &c. insinuante n. 6. Qui clerici vel vouentes. Syl. ver. Religio, 3. q. 7. & 8. Less. cap. 41. dub. 7. n. 63. Sanchez lib. 5. moral. c. 4. n. 92. qui bene explicat n. 95. intelligendam esse doctrinam, si sit apposita propriè dicta conditio; & non modus seu pactum editæ professioni adiectitium. id enim pro non adiecto haberi debet, sicuti in simili dicam de matrim. carnali, lib. 5. p. 2. c. 7. post 3. assert. 6

Sequitur quintò; Religiosos non esse, qui edito voto perpetuæ castitatis, & paupertatis, obedientiam etiam vouent præstandam Confessario, vel Episcopo: cùm tali voto non subiiciātur spirituali iurisdictioni, quippe quæ à Christo, medio eius Vicario Sum. Pontifice, prouenire debet: quare cùm eiusmodi hominum subiectiones Ecclesia, eiúsue supremus Pastor nō acceptet, & approbet; ideo nec Ecclesiasticæ personæ efficiuntur, sed vt antè erant, laicæ permanent, sicuti tradit Less. cit. dub. 1. n. 10. 7

Sequitur sextò, Quòd Sum. Pontifex dispensare non possit, vt manens Religiosus, voto paupertatis, castitatis, ac obedientiæ obligatus non sit; cùm hæc ad essentiam Religionis spectet, sicuti habetur expresè in c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum. Quamuis ex iusta causa dispensari possit, vt professus Religionem desinat esse Religiosus, seu votis suis obstrictus, sicuti docet Gl. in cit. c. cùm ad Monasterium, ver. abdicatio proprietatis. ibid. Abb. num. 21. Henricus quodlib. 5. q. 28. Richar. in 4. d. 38. a. 9. q. 1. Durand. q. 2. Palud. q. 4. a. 4. Maior. q. 14. Caiet. q. 88. ar. 11. Nau. c. 12. n. 75. licet contrarium senserit S. Th. cit. a. 11. quem sequitur Sotus lib. 7. q. 4. a. 2. Arrag. cit. a. 11. circa 2. concl. Syl. 8

ver. votum, 4. quæst. 5. Enimuero sæpius talem dispensationem factam ex historiis constat, apud Baron. Anno Christi 1041. Less. lib. 2. cap. 40. num. 111. in fine. Cùm enim sum. Pontifex, ex omnium Doctorum sententia, ob iustam causam dispensare possit in votis simplicibus; sequitur etiam in solemnibus posse: cùm solemnitas votorum Ecclesiæ inuentum sit, vti habetur in c. vn. de voto, in 6. Neque ratio S. Thom. conuincit fieri non posse, vt quod Deo dedicatum, & sanctificatum est, ad profanos vsus denuo conuertatur: quia licet hoc verum sit, dum consecratum manet, interim verò nihil prohibet, quin per Ecclesiæ auctoritatem desinat esse consecratum, vti dicam lib. 5. tr. 9. cap. 13. n. 9. Cæterum rectè admonent DD. apud Sanchez lib. 8. disput. 8. num. 8. ad dispensandum cum professo, v. g. Moniali consecrata, vt matrimonium contrahere possit, vrgentissimam boni communis causam, ac necessitatem requiri.

9 Sequitur septimò; Quòd Religiosus ad Cardinalatum, Episcopatum, vel similem dignitatem promotus, non desinat esse Religiosus, ac proinde obstrictus maneat essentialibus votis Religionis, sicuti docet S. Th. communiter receptus 2. 2. quæst. 88. a. 11. Et quidem de voto continentiæ dubium non est. Obedientiæ autem votum manet in substantia, imò etiam in effectu erga summum Pontificem, tanquam supremum omnium Religiosorum Ordinum Generalem, cuius proinde auctoritate depositus, reduci potest ad Monasterium, sub obedientiam Prælati, quippe à qua tantùm per accidens exemptus fuit, propter Episcopalem eminentiam: sicuti etiam Abbas Monasterii Superiorum Ordinis nullum habet cui obedire debeat: licet interim voto obedientiæ liber non sit; sed paratus esse debeat sub actualem obedientiam redire, si deponatur. Est tamen valde probabile, quod docent Rodriq. to. 3. regular. qq. quæst. 52. a. 26. Sa ver. Episcopus, num. 11. Sanchez lib. 6. moral. cap. 6. num 29. Si talis Episcopatui renuntiauerit, vel ob culpam depositus fuerit, absque degradatione; obligatum non esse, vt ad Monasterium, & regularem obseruantiam reuertatur, priusquam Sum. Pontifex ei imperet. Quia retinet adhuc causam saltem partialem, ob quam obedientia regulari exemptus fuerat, videlicet dignitatem & eminentiam episcopalem. Secùs verò est, si per degradationem priuilegiis episcopalibus priuatus sit, vti notat Henriq. lib. 10. cap. 32. num. 4. De voto autem paupertatis, quibus effectibus permaneat in Religioso ad dignitatem vel beneficium Ecclesiasticum promoto, dixi suprà hoc l. tract. 2. c. 5. q 4.

10 Sed quid de aliis obseruationibus regulæ sentiendum, vtrum iis astrictus maneat Religiosus ad Episcopatum promotus? Respondeo; Eum tanquam in culmine magisterii constitutum, iugo regulæ absolui, vt à culpa, & pœna immunis sit, si eam non seruet. Ita habetur in c. vn. 18. quæst. 1. & docet Sotus lib. 10. quæst. 5. a. vlt. de iust. Valentia c. disp. 10. quæst. 3. p. 8. Azor to. 1. lib. 12. cap. 7. quæst. 4. Less. lib. 2. cap. 40. dub. 14. num. 113. Sanchez lib. 6. moral. cap. 6. num. 19. Veruntamen secundùm moralem honestatem, debet talis Episcopus seruare præscripta regulæ suæ, quæ eum decent, & cum episcopali munere bene consistunt, vti docet Caiet. in opusc. to. 1. tract. 25. quæst. 2. Azor & Sanchez ll. cc.

Ad hanc moralis honestatis obligationem spectat, vt habitum sui Ordinis deferat. Verùm Clemens VIII. apud Sanchez num. 22. concessit Episcopis regularibus, vt retento colore habitus suæ Religionis, possint se cõformare Episcopis secularibus in figura eius.

11 Sequitur octauo; Quòd multò magis Religiosus ad parochiale beneficium promotus, substantialibus Religionis votis astrictus maneat. Quin & habitum Religionis suæ deferre debet, & regulam obseruare in iis omnibus, quæ cum suo munere, & laboribus consistere possunt, idque non secundùm moralem tantùm honestatem, sed ex debito legali, & secundùm obligationem culpæ, si regula ita obliget: quippe cùm non sit positus in magisterio perfectionis, vt à iugo regulæ exemptus censeatur, sicuti Episcopus. Quamobrem excommunicationem contrahet, si habitum Religionis deponat, cap. 2. Ne clerici, vel Monachi in 6. Et depositus à parochia, eíue renuntians, ad Monasterium redire cogitur.

Veruntamen dum Religiosus in pastorali munere est, fermè eximitur ab obedientia Prælati regularis, & Episcopo diœcesis subiicitur, vti docent Hostiensis in sum. de statu Monachorum, Angelus ver. Monachus, § 7. Rosella, num. 5. Syluest. ver. Religio, 7. qu. 11. Sanch. lib. 6. cap. 6. moral. num. 36. & probant ex c. in parochia, 16. qu. 1 cap. 1. & c. sanè, 16. quæst. 2. quibus tamen locis id non habetur. Quare arbitror dicendum, spectato iure communi, & ipsius rei natura, talem parochum subiectum manere Prælato Ordinis in iis, quæ pertinent ad regulam, v. g. vt habitum Religionis gestet: quamuis consuetudine multorum locorum aliter obseruetur, videlicet vt Regulares ad parochiam secularem promoti, non tantùm in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed in omnibus subiecti sint Episcopo loci. Quòd verò huic ex voto obedientiæ, tanquam Abbati suo, obedire teneantur, sicuti citati DD. significant; id credibile non est: cùm Episcopo obedientiam non promiserint. 12

CAP. II.

DE ORIGINE ET VARIETATE Religionum.

SVMMARIVM.

1. *Status Religionis statim à tempore Apostolorum cœptus hucusque semper durauit, & auctus est.*
2. *Non licebat Monachis vitam eremiticam colere, nisi prius in cœnobio exercitati virtutem suam probassent.*
3. *Quatuor sunt regulæ, S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi viuunt, præter Carthusianos, & Societatem IESV, qui Ordines propria statuta habent.*

ERANT olim statim à tempore Apostolorum, qui monasticam & religiosam vitam colerent, vti auctor est Philo Iudæus in libro de vita contemplatiua; 1 eúmque ita intellexit Eusebius lib. 2. hist. cap. 17. & S. Hieronym. de Scriptor. Ecclesiasticis in Philone, vbi ait, idcirco se Philonem inter Ecclesiasticos Scriptores ponere, *quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solùm eos ibi, sed in multis quoque prouinciis esse memorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nitantur, & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit*. Sed & S. Dionysius Areopagita lib. de Eccles. hierarchia expressam de Monachorum vita, perfectione, ac solemni professione mentionem facit.

Verum procedente tempore cùm feruor ille Christianorum, secundum Apostolicam formam viuentium, remitteretur, *ii, quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à ciuitatibus, in locis suburbanis commanere cœperunt*, ait Cassianus collat. 18. cap. 5. Postea verò vlterius progressi, qui maioris perfectionis studiosi erant, in solitudinem seu eremum intrârunt, qua de re ita legimus apud S. Athanas. in vita

S. Antonii: Cùm Antonius *sæculi vinculis liber, asperum arripuit institutum* Religionis *necdum tam crebra*, sicuti postea sub Antonio *in Ægypto erant monasteria: neque omnino quisquam auiam solitudinem nouerat* (exceptis paucis Tyrannorum persecutionem fugientibus, inter quos Paulus primus Eremita apud S. Hieron. in vita eius) *sed quicunque in Christi seruitute sibimetipsi prodesse cupiebat, non longè à sua villula, separatus instituebatur.* Postquam verò S. Antonius in Ægypti solitudinem secessit, ipso duce ac instructore, quàm plurima ibi Monachorum habitacula, seu monasteria ædificata fuerunt, sicuti testatur S. Athanas. in vita S. Antonii, S. Chrysostomi hom. 8. in cap. 5. Matth. S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium, Seuerus Sulpitius in vita S. Martini; *haud longè*, inquit, *ab eremo contigua Nilo, multa sunt monasteria: habitant in vno loco plerique centeni: quibus summum ius est sub Abbatis imperio viuere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatémque pendere. Ex his, si qui maiorem virtutem mente conceperint, aut acturi solitariam vitam ad eremum se conferant, non nisi permittente Abbate discedunt. hæc illorum prima virtus est, parere alieno imperio.*

Vbi obiter notandum; Permissum non fuisse Monachis, vt vitam solitariam seu eremiticam colerent, nisi antè in communi vita, seu cœnobio virtutem suam diu probassent, sicuti etiam tradidit S. Hieron. in epist. ad Rusticum. *Sed quid solitariam vitam reprehendimus? Minimè: quippe quam iam sæpe laudauimus; sed de ludo, seu potius ludo huiuscemodi volumus egredi. Militent, quos eremi rudimenta dura non terreant, qui iam exercitia religiosa didicerunt, & specimen conuersationis suæ per multum temporis dederunt.* Vide etiam S. Greg. hom. 3. super Ezech. quem citat S. Th. q 182. a. 4. ad 1. & plura apud Mirandam t. 1. q. 9. a. 4.

Porrò ad exemplum Antonii, Hilarion. in Palestina cœnobia fundauit. *Ille enim*, inquit, S. Hieron. in vita Hilarionis, *auctor & conditor huius conuersationis in ea prouincia fuit. Habebat Dominus IESVS in Ægypto senem Antonium, habebat in Palestina Hilarionem iuniorem. Itaque eius exemplo cœperunt ibi esse innumerabilia monasteria.* Eodémque ferme tempore Basilius in Græcia non tantùm religiosos viros in Monasteria coegit, sicuti ipsemet fatetur epist. 63. & Ruffinus lib. 2. cap. 9. sed etiam certam viuendi regulam eisdem præscripsit, teste S. Nazianz. orat. in laudem Basilii; cùm antea nullis certis regulis, sed tum interna Spiritus sancti monitione, tum traditionibus, quas à Maioribus, & senioribus acceperant; tum verò Superiorum suorum viua voce, & iussu ducerentur, sicuti testatur Hieron. Platus de bono status relig. lib. 1. cap. 22. Miranda in man. Prælatorum tom. 1. quæst. 4. 2. 5. Alteram non multò post regulam S. Augustinus in Africa conscripsit, quam Canonici regulares, Dominicani, Eremitani aliíque plures Ordines sequuntur, vt videre est apud Syl. ver. Religio, 1. num. 7. Nauar. comment. 1. de regul. num. 18. Mirandam, Less. ll. sup. citatis. Tertiam deinde S. Benedictus circa Annum Domini DXX. quam Monachi Benedictiniani, aliíque Ordines receperunt. Quarta denique est regula, quam S. Franciscus tradidit, sub eáque militant Fratres Minores. Igitur sub his quatuor regulis omnes Religiosi viuunt, (præter Carthusianos, & Societatem IESV, qui propria statuta seu constitutiones habent) quamuis singuli Ordines communi regulæ proprias etiam viuendi leges adiunxerunt, quibus inter se distinguerentur.

CAP. III.

DE COMPARATIONE RELIGIOnum inter se.

SVMMARIVM.

1 *Omnis variorum Ordinum religiosorum diuersitas accidentalis tantùm est: quia omnes, variis mediis, ad Christianam perfectionem tendunt. quæ est charitas & coniunctio cum Deo.*

2 *Triplex est vita; Contemplatiua, Actiua & Mixta. inter quas contemplatiua superat actiuam; mixta autem reliquis est perfectior.*

3 *Cuiuscunque Religionis perfectio attendenda est tum ex fine eius proprio; tum ex mediis, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota implenda, ac denique charitatis perfectionem consequendam, conuenienter adhibet.*

EX cap. 1. huius tract. constat, omnibus religiosis Ordinibus commune esse, vt ad Christianæ virtutis perfectionem, quæ secundùm Apost. ad Coloss. 3. in Dei charitate consistit, tanquam propositum sibi finem tendant. Præterea commune est omnibus, vt ea, quæ plerosque mortales à virtutis perfectione impediunt, videlicet rerum externarum substantiam, carnis delectationes, & propriæ voluntatis libertatem, editis Deo votis, in perpetuum à se remoueant: atque in his ipsis votis, in ordine ad Christianam perfectionem secundùm Christi consilia faciliùs consequendam, essentia status religiosi consistit. 1

Quamobrem omnis variorum religiosorum Ordinum diuersitas tantùm accidentalis est; sumpta partim verò ex mediis, quæ vnusquisque Ordo secundùm regulam adhibet, seu ad finem suum assequendum, seu ad ipsa substantialia vota melius adimplenda. Pro cuius rei intellectu notandum est, ad eundem finem consequendum diuersa media adhiberi posse; quæ omnia apta & conuenientia sint; licet alia magis; & alia minùs: vt proinde inter Ordines religiosos is perfectior censeri debeat, qui secundùm regulam suam, magis accommodata media habet ad finem, præsertim principalem: huc enim denique omnia Religiosorum exercitia referri debent, vt charitas Dei in nobis perfecta sit.

Notandum secundò: Charitatem Dei perfici in nobis iis operationibus, quæ in hac hominis vita præstantissimæ sunt; videlicet vacare Deo per orationem, & contemplationem mentis, quæ dici solet *vita contemplatiua*, & vacare proximo propter Deum, per opera misericordiæ tum spiritualia, tum corporalia, quæ dicitur *vita actiua*: Inter quas illa contemplatiua simpliciter melior ac præstantior est; quippe in cœlesti etiam patria permansura, iuxta sententiam Christi Luc 20. *Martha, Martha solicita es &c. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Porrò cùm exercitia vitæ contemplatiuæ & actiuæ plerumque in præcepto non sint; sed solum in consilio, quatenus conducunt ad augmentum, maioremque perfectionem, ac feruorem charitatis; insuper tam varia & multiplicia, vt omnia ab vno homine præstari non possint; exinde simile quiddam prouenit ei, quòd Aristoteles 9. ethic. cap. 4. & 8. in ordine ad temporalem Rempublicam notauit; Hominum quidam præcipuè intendunt contemplationi veritatis; quidam autem principaliter occupantur in actionibus exterioribus; adde tu, quod quidam excellentioris ingenii, vtrumque vitæ genus excolunt, vt, quæ in veri contemplatione inuenerunt, ad alios informandos aptè accommodent: Sic, inquam, in spirituali diuinitus instituta Republica, quæ est Ecclesia Christi, quosdam esse decet, qui a communi hominum consortio separati, internæ rerum cælestium contemplationi præcipuè vacent; qui idcirco etiam Monachi, id est, solitariam vitam agentes vocantur: Alios verò esse oportet, qui præcipuè exterioribus corporalibus actionibus ad proximorum salutem occupentur; puta alendo pauperes, curando infirmos, suscipiendo peregrinos, armis protegendo Ecclesiam: Alios denique, qui ex vtroque mixtum vitæ institutum tenen- 2

tes, & ipsi cælestium rerum contemplationi vacent. atque, inde hausto spiritu, ac virtute, ad alios instruendos per doctrinam, Sacramentorum administrationem &c. se conuertant. Idque vitæ genus *præfertur simplici contemplationi*, inquit S. Thom. quæst. 188. a. 6. & docent S. August. lib. 19. de ciuit. Dei, cap. 19. S. Greg. hom. 5. in Ezech. S. Bernard. de gradibus perfectæ vitæ; *Sicut enim maius est illuminare, quam lucere solùm,* (ait S. Th.) *ita maius est contemplata aliis tradere, quam solum contemplari.* Et infrà: *Sic ergo summum gradum in Religionibus tenent quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum,* adde tu, & vitæ Apostolorum, ipsiúsque Christi, cuius vita exemplar perfectionis nobis esse debet: *secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad contemplationem: Tertius est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones.* Hi enim sunt quasi speciales cuiusque Religionis fines, ad quorum consecutionem ipsorumque substantialium votorum impletionem, vnaquæque propria media adhibet: Et secundùm hæc eius præstantia attendenda est, vt videlicet, ea Religio altera præstantior censeatur, quæ & altiorem, meliorémque finem specialem propositum habet, vel ad hunc ipsum finem, & communia substantialia vota implenda, ipsámque adeò Christianam perfectionem con-
5 sequendam, aptióra media seu exercitia secundùm regulam, siue institutum suum adhibet. Vide S. Th. 2. 2. q. 188. a. 6. Less. lib. 2. c. 41. dub. 2.

Et notandum hoc loco est; cùm instituta Religionum à Sede Apostolica approbatarum, Deum auctorem habeant, qui primis fundatoribus hanc mentem nouum Religionis Ordinem ac formam inchoandi; regulas item seu constitutiones inspirauit; dubitandum nullo modo est, eundem benignissimum Deum specialia gratiæ suæ auxilia præbere solitum iis, qui iuxta institutum suum, & obedientiæ præscriptum in vinea Domini laborant. Et hæc est, vti vocant, cuiusque Religionis gratia, quam Deus specialiter tribuit eius alumnis, ad finem illum peculiarem, quò per conuenientia media seu exercitia tendere debent. Qua de re P. Alphonsus Rodricus in exercitio perfectionis, p. 3. c. 7.

CAP. VI.

DE INGREDIENTIBVS RELIGIONEM.

SVMMARIVM.

1 *Si parentes ingressum Religionis impedire velint, iis etiam inconsultis, aut inuitis, ingredi, ac profiteri fas est.*

2 *Si parentes graui inopia premantur: interim filius Religionis ingressum differre debet, dum ipsis subueniatur: sin autem editis iam votis Religiosus factus sit, non potest egredi ad subueniendū absque Prælati licentia.*

3 *Licet Nouitii regula Ordinis sub culpa non obligentur; tamen iustis præceptis conuenienter eorum statui à Prælato impositis, obligari videntur.*

4 *Nouitii priuilegiis Ecclesiasticis fori, & canonis gaudent: atque Prælati iurisdictioni cùm voluntariæ, tum contentiosæ subduntur.*

5 *Nouitius ordines accipere potest ab Episcopo diœcesis, in qua Monasterium situm est.*

6 *Si Nouitius ab Ordine recedat, non est obligatus ad expensas soluendas Monasterio, aut domui probationis.*

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum liberi inconsultis aut inuitis Parentibus, in quorum potestate sunt, Religionem ingredi iure possint? Respondeo, & dico I. Decens est, atque ratio naturalis dictat, si parentes Religionis ingressum impedituri non sint, vt cum iis prius communicetur, atque causæ ingrediendi, aut clericalem statum assumendi proponantur; modò id facilè fieri possit. Constat ex iis, quæ dicam lib. seq. tr. vlt. pa. 1. c. 1. corol. 4.

Dico II. Si parentes Religionis ingressum, aut pro- 1
fessionem impedire velint, iis etiam inconsultis, aut inuitis, ingredi ac profiteri fas est. Sumitur ex c. cùm virum, de Regular. *Cum liberum habeat arbitrium circa electionem propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem:* & tradit S. Ambros. in libro de virginit. eo argumento: Quia *quibus licet sponsum eligere, cur non liceat Deum præferre?* Et fusè S. Chrysost. aduersus vituperatores vitæ monasticæ S. Hieron. passim, vt epist. ad Heliodorum: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum Christi euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Et paulo post: *Scriptura præcipit parentibus obsequendum, sed quicūque eos supra Christum amat, perdit animā suam* Similia habet epist. 38. ad Lætam, & epist. 111. ex persona Heliæ Monachi ad parentes: *Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat patrem, vel matrem plùs, quam me, non est me dignus &c. Quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab eius seruitio, cui seruire regnare est, retrahere attentatis? Verè nunc cognosco, quia inimici hominis domestici eius,* Consentit Concil. Triburiense can. 24. relatum causa 20. quæst. 2. cap. 2. *Si in fortiore,* id est pubertatis *ætate adolescentula, vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Vide etiam S. Thom. 2. 2. quæstion. 189. art. 10. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 8. quæst. 1.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum filius, cuius parentes egestate premuntur, si eis in seculo succurrere possit, à Religionis instituto interim impediatur? Respondeo, & dico I. Si parentes extrema necessitate premantur, non est dubium; quin filius interim Religionis ingressum differre debeat, donec parentibus subuentum sit. Ita S. Thom. communiter receptus 2. 2. quæst. 101. a. 4. ad 4. & quæst. 189. art. 6. Adde, quòd Religionem ingressus, ac professus egredi teneatur, vt extremæ parentum necessitati succurrat; idque tametsi Prælatus egrediendi licentiam per iniuriam neget. Ita Caiet. cit. a. 4. Nauar. in man. cap. 14. num. 14 Rodriq. tom. 1. sum. cap. 6. concl. 4. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 1. quæst. 8. Valentia tom. 3 disp. 7. quæst. 1. p. 2. Ratio est; Quia præceptum iuris naturalis ac diuini, quod est de subueniendo parentibus in necessitate extrema constitutis, nullo voto tolli potest, iuxta illud Matth. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Quæ ratio, ostendit; etiamsi alius quicunque homo in necessitate extrema constitutus fuerit, cui nemo subuenturus sit, nisi regularis Ordine egrediatur, ad id obligatum esse, non obstante obedientiæ voto, quippe quòd non potest esse impediens obligationis iustitiæ, ac misericordiæ, vti notauit Caiet. cit. loco.

Dico II. Si inopia parentum extrema non sit, sed 2
grauis, debet filius interim Religionis ingressum, aut professionem differre, donec eis subueniat, si subuenire possit: sin verò editis iam votis, Religiosus effectus est, egredi non potest ad subueniendum, absque licentia Prælati. Ita docet S. Thom. cit. a. 4. interprete Caiet. ibid. & sequitur Nauar. cit. num. 14. Rodriq. citat. concl. 6. Abulensis in cap. 8. Matth. quæst. 69. Prior pars probatur; Quia maiore præ aliis hominibus obligatione, tenetur filius ad subueniendum parentibus in graui necessitate constitutis ad quod se impotentem reddit per Religionis ingressum, aut professionem, vt ponimus. Non verò tam magna obligatione astringitur erga extraneos in graui necessitate positos; vt propter eos magna spirituali vtilitate priuatus esse debeat. Ex quo etiam intelligitur, quid dicendum de fratrum & sororum necessitate; nimirum debere esse grauiorem,

quam sit necessitas parentum, vt propter illam Religionis ingressum, aut professionē diu differre, vel intermittere oporteat.

Posterior pars est contra Maiorem in 4. d. 38. quæst. 16. quem ex parte sequitur Valentia cit. part. 2. ver. sed videntur. Sed probatur ex eo, quòd præceptum subueniendi parentibus, cùm sit ex genere affirmatiuorum, non obligat nisi secundùm circumstantias personæ &c. Quare sicuti filius coniugatus non obligatur ad succurrendum patri in necessitate graui, nisi saluo statu coniugali; ita nec filius tenetur sucurrere, nisi saluo statu religioso, quem in perpetuum amplexus est. Status autem religiosus postulat, vt sine Prælati licentia, Ordine egredi non liceat; cùm exinde magnum spirituale detrimentum tam ipsi egredienti, quàm toti Communitati regulari prouenire posset: quandoquidem multi, qui parentes inopes habent, cogitationibus angerentur, an non obligatio ipsis incumbat ex Ordine discedendi, nisi ad hoc licentia Prælati opus esset. Huic autem maiori bono conseruandæ quietis in religioso Ordine, priuatum commodum ipsorum parentum posthaberi debet. Nihilominus obligatus est Religiosus, quatenus saluo statu regulari potest, pium studium & curam parentibus subueniendi adhibere, sicuti monet S. Th. c.a. 4. ad 4. in fine.

Dico III. Ipsi parentes arctiùs adhuc obligati sunt, vt non priùs Religionem ingrediantur, quàm ipsis, quæ necessaria sunt ad sustentationem, piamque educationem, prouiderint. Ita S. Thom. cit. quæst. 189. a. 6. in corp. Abulens. quæst. 68. Quia parētibus per se incumbit, vt filiorum, quorum causa & principium sunt, curam gerant, quò ad maturitatem & perfectionem perducantur. Sed filii parentum suorum curam gerere non tenentur, nisi per accidens, videl. propter necessitatem, quod & Apostolus indicauit 2. ad Corinth. 12. *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

3 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum Nouitii statutis regulæ, & regularium Prælatorum præceptis obligentur? Respondeo & dico I. Nouitii Religionis sub culpa non obligantur ad statuta regulæ. Ita Angelus ver. Nouitius, §. 18. Syluest. ver. Religio, 5. quæst. 6. Sa eod. ver. numer. 8. Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 21. a. vlt. Sanchez lib. 6. moral. c. 10. n. 7. Quia Nouitii regulam Ordinis non promiserunt; consequenter eā non obligātur sub culpa; sed solùm ex honestate, dum in Religione permanent.

Dico II. Iustus præceptis Prælatorum regularium, quæ Nouitiis conuenienter eorum statui imponuntur, obligari videntur. Ita docet Sarmientus lib. 2. selectarum, cap. 5. num. 9. ver. ex supradictis, Corduba lib. quæstionarii, quæst. 30. in 2. opin. 6. probat. & alii apud Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 10. quibus tamen ille repugnat, sicuti & Rodriq. Sanchez ll. cc. Henriq. lib. 7. cap. 22. num. 7. Sed probatur: Nouitii Religionum (præsertim earum, quæ ab Episcopis exēptæ sunt) subiiciuntur spirituali iurisdictioni Prælatorum regularium: ergo eundem iustis præceptis ligari possunt. Nota est conseq. Quia proprius actus iurisdictionis est præcipere posse. Probatur antecedens; Quia alioquin Nouitii, tanquam vagabundi, nullius proximi Ordinarii iurisdictioni subessent, nisi ratione commissi delicti. quod absurdum videtur, & alienum à bono Ecclesiastici regiminis statu.

2 Exinde colligitur I. Tametsi Nouitii statutis regulæ subiecti non sint, cùm nondum sint regulares; posse tamen illis à Prælato Ordinis leges ferri, Nouitiorū statui conuenientes; quas obseruare teneantur, saltem obligatione ad pœnam, dum in Religione perseuerant. Quemadmodum Clerici in aliqua diœcesi degentes, eius legibus astringuntur, tametsi liberam recedendi facultatem habeant.

Colligitur II. Nouitios fori priuilegio gaudere, vt à Iudice seculari ob commissa crimina puniri non possint; sed à Prælato Ordinis, si Monasterium exemptum sit; alioquin ab Episcopo. 4

Quin & aliis priuilegiis Religionum Nouitii quoque gaudent, v.g. vectigalium immunitate, priuilegio canonis, si quis suadente 17. quæst. 4. vti habetur in c. religioso, de sent. excomm. in 6. & videri potest Sanchez lib. 4. moral. cap. 39. num. 17. & lib. 6. cap. 10. nu. 20. vbi [illegible] Quòd Prælati Ordinum cum Nouitiis perinde, ac cum Regularibus suis, dispensare possint in votis: eisdémque literas dimissorias dare, vt à quocunque Episcopo ordinari queant, si priuilegium Papale habeant ad eiusmodi licentiam Regularibus dandam.

Colligitur III. Quòd Nouitii à Religionum Prælatis excommunicari possunt, vti docet Corduba loco cit. Quia, dum Nouitii in Religione manent, eorum legitimus Iudex Ecclesiasticus est Prælatus Ordinis, cuius proinde præceptis ac sententiis iustis astringuntur.

Colligitur IV. Licet casus, qui in Religionibus reseruati sunt, plerumque ad Nouitios se non extendant; quod rectè docuit Mirada in man. Prælatorum tom. 3. quæst. 34. a. 16. cùm ipsi non sicuti alii Regulares paupertatis, castitatis, obedientiæ &c. transgressores esse possint: tamen negari non debet, quin Prælati Ordinū casus suæ potestati reseruare, atque inferioribus Confessariis, etiam respectu Nouitiorum, denegare queant, & sæpe soleant. quod ex cuiusque Ordinis consuetudine petendum erit. Nam quicunque ordinaria Ecclesiastica potestate præditus est, is inferiori sibi subordinato Sacerdoti committere potest absoluendi potestatem cum restrictione, seu reseruatione.

Sed tunc quæstio est. An posita hac reseruatione, Nouitius nihilominus subiicere se possit alteri Sacerdoti extra Ordinem, qui potestate absoluendi seculares ab eiusmodi casu præditus est, Ita affirmat Rodriq. tom. 1. regular. quæst. 21. a. 11. Quia Nouitii non sunt subiecti statutis regulæ. ergo à Prælatis regularibus non possunt obligari, quominus, extra ordinem confiteantur & absoluantur. Sed contrarium docet Corduba cit. qu. 30. in 2. opin. probat 4. & 6. & in fine q. Nam in fauorem ac gratiam Religionum exemptarum, de quibus loquimur etiam Nouitii earum exempti sunt ab Episcoporum iurisdictione: ergo non possunt se Episcopis, aliisque secularibus pastoribus subiicere, sine Prælati sui licentia; quia talis subiectio cederet in præiudicium Ordinis, cui priuilegium exemptionis principaliter datum est. Accedit, quod tales Prælati etiam comparatione Nouitiorum, habeāt quasi episcopalem iurisdictionem, vti notauit Less. lib. 2. cap. 40. num. 107. quare sicuti Clericus, si ex vno episcopatu in alium se conferat, eximitur iurisdictioni prioris Episcopi; vt illi sine licentia Ordinarii subiicere se non possit in dispensatione votorum, & similium; ita etiam dicendum videtur de Nouitiis, dum manent sub Prælato Religionis exempto, non posse eos subiici iurisdictioni episcopali, nisi Prælatus consentiat: quamuis contrarium doceat Sanch. l. 4. moral. c. 30. n. 18.

Ad argum. contrariæ sententiæ resp. Etsi Nouitii statutis regulæ non obligentur, cùm regulares non sint; nihilominus iurisdictioni Prælatorum exemptorum subiectos esse; sicuti alii Clerici seculares episcopali iurisdictioni subsunt.

Porrò quod attinet ad Prælatos Ordinum non exemptorum, quantam illi iurisdictionem in Nouitios exercere possint, ex commissione episcopi, & cuiusque Ordinis consuetudine petendum erit.

Colligitur V. Quòd Nouitius ordines recipere possit ab Episcopo loci, in quo monasterium situm est, sicu- 5

ti docent Cucus lib. 3. institut. tit. 1. num. 94. Sanchez lib. 6. moral. cap. 10. num. 21. Quia Nouitius per ingressum Monasterii, habitúsque assumptionem domicilium acquisiuisse censetur; quia ingressus est cum proposito perpetuum permanendi, quatenus est ex sua parte; nisi mutatio aliqua eueniat, vt videlicet Ordinis institutum conueniens non videatur: quemadmodum etiam alii domicilium eo animo constituunt, vt si casus incidat, vel occasio melior offeratur, mutaturi sint. Posse autem Nouitios Religionum sacris ordinibus initiari indubitatum esse debet; cùm id iure nullo prohibeatur, vti contra Summistas aliquos notauit Suarez to. 5. de censur. disp. 50. s. 5. n. 13.

6 QVÆSTIO QVARTA. Vtrùm Nouitius, si ante professionem Religione egrediatur, alimentorum expensas Monasterio soluere debeat? Responsio est negatiua, apud Rosellam ver. Nouitius, num. 11. Syluest. ver. Religio, 5. quæst. 8. Sa num. 8. Sanchez 6. moral. cap. 10. num. 4. Azor cit. lib. 12. cap. 3. quæst. 6. Ratio est: Quia Monasteria fundata esse oportet, vt libera Nouitiis egrediendi facultas relinquatur. quæ tamen impedita foret, si ad expensas soluendas tenerentur; possent enim interdum detineri, donec debito se exoluerēt. Excipe cum Sanchez l. c. nisi consuetudo sit, vt pactum videatur de expensis soluēdis. qualis in Monialium quibusdam Monasteriis viget.

CAP. V.

QVÆ CONDITIONES REQVIrantur, vt professio in Religione valida sit.

SVMMARIVM.

1 *Professio in Religione alia expressa est; & alia tacita, quæ pluribus modis fieri potest.*

2 *Tempus probationis ob iustā causam Nouitiis Religionis prorogari potest.*

3 *Ad professionem in Religione tria necessaria requiruntur: I. Qualitas, seu aptitudo personæ vouentis. II. Consensus, & acceptatio eius, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare, III. vt professio sponte fiat, non cogente graui metu.*

4 *Sicuti matrimonium carnale, ita, etiam Religionis assumptio per tria vota substantialia, ob nullum errorem qualitatis; seu accidentariæ conditionis infirmatur.*

5 *Ad professionem requiritur, eam acceptari à Prælato Ordinis cum consilio, imò etiam consensu Capituli.*

6 *Metus grauis, & iniustus ipso iure infirmat professionem religiosā, vt nulla exinde obligatio oriatur.*

7 *Post quinquennium à die professionis non auditur Religiosus in externo foro, si dicat professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritum fuisse.*

8 *Licet alicuius professio ipso iure irrita fuerit, tamen subsequente expressa, vel tacita ratificatione conualescit.*

9 *Qui actum ratificat, scire debet, eum irritum esse.*

10 *Qui graui metu adactus sacrum ordinem suscipit, non obligatur ad continentiam; per se loquendo.*

NOTANDVM est, quod professio in Religione duplex est; expressa & tacita, iuxta cap. 1. §. 1. de
1 Regul. in 6. Expressa vel fit verbo, vel scripto, vel vtroque simul. Conuenit tamen, & ita vsitatum est, vt si quis scribere sciat professionem suam in scripto tradat, iuxta cap. vlt. 20. quæst. 1. iun. Glos. Nulla tamen certa verborum forma ad valorem professionis religiosæ requiritur, sicuti ex communi docet Miranda tom. 1. quæst. 24. a. 1. Tacita verò professio tribus modis facta præsumitur: I. Si quis post annum probationis exactum, Professorum proprium, & à Nouitiis distinctum habitum triduo gestauerit, c. ad nostram, de Regul. c. constitutionem. eod. in 6. II. Si tali suscepto habitu quamuis ante triduum exactum, exerceat actum proprium Professorum, v. g. in Capitulo suffragium ferat, iuxta c. vidua, de Regul. vbi id docet Abb. & Syluest. ver. Religio 3. quæst. 19. Nau. comment. 4. de Regul. num. 73. Less. cit. cap. 41. num. 57. III. Si quis anno continuo habitum in Religione gestauerit, in qua nulla patens distinctio est inter Nouitiorum, ac Professorum habitus, talis anno exacto, censetur tacitè professus, vti habetur in Clem. eos, de Regul. & videri potest Nauar. lib. 3. consil. 41. de Regul. edit. 2. Quare monet ibi Glos. ver. per annum, quòd nolens obligari, debeat ante finem anni habitum deponere, vel saltem apertè protestari, sibi non esse animum propterea Religionem profitendi. Si enim factum aliquod ambiguum intellectum habeat, contraria protestatio iuuat, quominus factum intelligatur, sicuti aliàs de iure præsumitur: at verò habitum aliquis per annum, vel etiam vltra annum, portare potest, non tantùm animo profitendi, sed etiam vlterius probandi. Ergo si hanc ipsam suam voluntatem protestetur, talis protestatio euincit præsumptionem iuris, sicuti Syl. notauit loco cit. cum Gl. in cit. Clem. ver. Professorum, etsi aliter Abb. in c. ex parte, num. 3. de Regular.

Et habent hæc locum etiam post Trident. Concilium, quippe cùm de eiusmodi tacitis professionibus nihil omnino statuerit. sicuti monet Rodriq. tom. 3. Regul. quæst. 17. a. 1. & 2. Sanchez lib. 5. moral. cap. 3. n. 36. Miranda in manuali Prælat. tom. 1. quæst. 24. a. 12. Quare locus est regulæ; Quòd casus omissus permanet in dispositione iuris antiqui, iuxta c. susceptum, de rescript. in 6. Præterquam, quòd tacita professio, sicuti etiam expressa, post Trident. sess. 25. cap. 15. de Regul. nulla fieri potest, nisi exacto probationis anno in habitu religioso; & post expletum XVI. ætatis annum. Et debet esse annus continuus: quia cum ius exigit temporis spatium, intelligitur de continuo, teste Abb. c. ad Apostolicam, num. 9. de Regul. Syluest. ver. Religio. 5. quæst. 4. Nau. lib. 3. consil. 17. de Regul. edit. 2.

Verùm nihil obstante Trident. constitut. post expletum continuæ probationis annum professio ob iustam causam differri potest; vt si Nouitius morbo laboret; 2
ætatem legitimam nondum impleuerit, in probatione non plenè satisfecerit, sicuti anotauit Lessius cit. cap. 41. dub. 7. num. 59. Deinde si expleto Nouitiatus anno, ante professionem aliquis ordinem deseruit, postea redeuntem, ac receptum, ad profitendum absque noua probatione, si ita videbitur, admitti posse, leges apud Rodriq. tom 3. Regular. quæstion. 15. artic. 10. in fine, Sanchez lib. 5. moral. c. 14. n. 34.

His suppositis, dicendum est, tres conditiones requiri, vt quæcunque expressa vel tacita professio, aut emissio trium substantialium votorum in Religione valeat. 3
I. Qualitas seu aptitudo vt personæ vouentis, aut legitimam ætatem habeat; annúmque integrum in probatione cum religioso habitu steterit, de quo legi potest Syl. ver. religio, 5. quæst. 1. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 2. quæst. 6. & 7. nullúmque impedimentum habeat, quod vel simpliciter & in omni Religione vel in tali Ordine per constitutionem à Papa confirmatam substantiale esse censeatur. Nam sicuti matrimonium carnale per nullum errorem qualitatis, quamuis dolo accedente, infirmatur, vt dicam lib. seq. tract. 10. part. 4. cap. 2. assert. 4
2. nisi impedimentum dirimens Pontificio iure statutum sit, ita etiam se res habet in matrimonio spirituali, seu Religionis per substantialia vota assumptione; vt nullo errore circa qualitatem, puta si quis simulet se sanum, cum leprosus sit; aut legitimum, cùm illegitimus; irrita sint vota; præterquam si Papalis constitutio dirimens habeatur, vti docet Nauar. lib. 3. consil. 25. de Regul. edit. 1. Rodriq. t. 2. sum. c. 6. concl. 3.

II. Conditio est, Consensus & acceptatio expressa, vel tacita illius, ad quem pertinet aliquem Religioni 5

incorporare, sicuti docent Canonistæ in c. porrectũ, de Regular. Nau. comm. 4. de Regul. n. 74. & com. 40. de Regul. edit. 2. & colligitur ex c. ad Apostolicã, de Regul. ibi: *per professionem emissam pariter & acceptã.* Is autẽ qui ad professionẽ admittere debet, est Prælatus Ordinis, (præsertim superior, videl. Generalis, aut Prouincialis requisito tamen priùs Capituli, siue fratrum suorum nõ tantùm consilio) vti putauit Panorm. in c. ea noscitur, de iis quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capit. & in c. ad Apostolicam, numer. 12. de Regular.) sed etiam expectato consensu, saltem maioris, aut principalioris partis, iuxta cuiusque Ordinis statutum, sicuti docet Glos. in cap. vltim. de Regular. in 6. Nauar. lib. 1. consil. 9. num. 12. & seqq. de Constit. edit. 2. Armilla ver. Nouitius, numer. 11. Miranda tom. 1. quæst. 24. art. 4. Less. cit cap. 41. dub. 7. num. 61. Nam id & Monasteriorum consuetudo confirmat, & ratio edocet. Licet enim ordinariè sufficiat, si Prælatus Capituli consilium requirat. neque opus sit semper consensum habere; cùm ius disponendi, & administrandi ipsi competat, vti de Episcopo dixi lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 4. excipi tamen debent causæ illæ, quæ ad Capitulum etiam attinent, vel in damnum eius cedere possunt: tunc eius etiam consensus necessarius est. Eiusmodi autem causa est susceptio alicuius ad professionem, quem Monasterium alere & quocum alii communiter viuere debent. Nihilominus consuetudo in hac re attendenda est, quæ soli Prælato absque Capitulo suscipiendi potestatem conferre potest, sicuti colligitur ex cit. cap. ea noscitur, & notauit Syl. ver. Religio, 3. q. 13. Less. cit. dub. 7. n. 61. Sanchez lib. 5. moral. c. 4. n. 64.

Quærit Lessius ibidem: Si quis animum profitendi habuit, Prælatus autem, & ii quorum interest, nec per se, nec per aliam personam acceptarunt, vtrum taliter professus obligetur, saltem virtute voti simplicis ad perseuerandum, quantum in ipso est, petendumque vt ad professionem recipiatur? Et bene respondet, probabile esse, non obligari. Quia professio Religionis continet in se quasi contractum seu obligationem reciprocam, inter profitentem & Monasterium siue Ordinem cui incorporatur, sicuti explicat Miranda cit. q. 24. a. 4. Ergo si altera pars non consentiat, & acceptet, nulla oritur obligatio, iuxta ea, quæ dixi lib. præced. tr. 4. c. 1. Vide etiam Angelum ver. professio, n. 1. Sylu. ver. Religio, 3. q. 18. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 37. & l. 5. moral. c. 4. n. 81. & 103.

6 III. Conditio, vt professio sponte facta sit nullo cogente, metu iniusto, ac graui, seu in virum constantem cadente, iuxta c. de iis qui vi c. vlt. Qui clerici, vel vouentes, iun. Glos. ver. vel modica. Talis metus grauis exempli causa censeri debet; si Nouitius incarceratus fuerit; vel alimenta ei subtracta, propterea quòd discessum ex Monasterio petiit, & in professionem consentire noluit. Etenim carcer, & ieiunium tormenta quædã sunt ad cogendum idonea, teste Glos. in c. 1. de hæret. in 6. ver. tormentis, Anton. de Canario, de quæst. & tormentis, mem. 1.

His adde, licet metus reuerentialis propter preces, vel imperium Prælati; aut consanguineorum, plerumque à Doctoribus non censeatur grauis, aut sufficiens ad infirmandam professionem, sicut videre est apud Abb. c. cùm virum, de regul. n. 8. Couar. in epit. 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 6. num. 8. Sanchez lib. 4. de matr. disp. 6. n. 18. contra Nau. consil. 89. de Regul. edit. 2. & in man. c. 22. num. 50. secus tamen esse, si alia concurrant, quæ difficile homo à se repellere possit; puta precum, aut imperii sæpius repetiti importunitas, adiunctæ frequentes blanditiæ, quæ interdum efficiunt, vt toties cum auctoritate instanti homo contradicere omnino non audeat; grauis item offensio, aut diu duratura indignatio eorum, v. g. consanguineorum, à quibus hominis vita, aut fortuna dependet; præsertim si minæ expressæ adiunctæ fuerint, videlicet nihil amplius subsidii præbendum, si ex Religione egressus fuerit. Hæc enim vel singula; vel certè simul iuncta, viri prudentis iudicio, considerata etiam hominis conditione, vt si rudis, & ad importunitates repellendas minùs idoneus sit, metum iustum efficere, professionémque irritã reddere possunt. Quæ doctrina legi potest apud Couar. cit. cap. 6. in fine. Alphons. à Veracrux part. 1. spec. art. 8. post 7. concl. dub. 2. Sanchez cit. lib. 4. disput. 7. num. 7 Coninck to. 2. disp. 28. dub. 2. n. 35. Less. lib. 2. c. 17. n. 35.

Corollarium Cum professio graui metu extorta, vel ante legitimam ætatem, vel sine Prælati acceptatione facta, ipso iure irrita sit; ideo sic professus nullam obligationem contrahit: sed liberè egredi, & vxorem ducere potest: quamuis, ob scandalum vitandum, oporteat edicere causam, cur à Religione egressus fiat; sicuti docet Nau. lib. 1. consil. 9. de iis, quæ vi, num. 11. edit. 2. Deinde si causa hæc ad forum externum deueniat, onus probãdi incumbit ei, qui se ante ætatem professum esse, vel graui & iniusto metu adactum asseuerat: idque tantùm intra quinquennium à die professionis. Nam post expletum quinquennium omnino non ampliùs 7
auditur, sicuti eadem Synodus Trident. cap. 19. eiusdem sess. decreuit. Verùm si inaniter professus; post elapsum quinquennium probauerit se iustum impedimentum habuisse, quominus professionis suæ defectum coram Ordinis Prælato, & Episcopo proponere potuerit, secundùm æquitatem in integrum restituendus erit, vti docet Nau. comment 4. de Regul. num. 76. & lib. 3. consil. 23. n. 3. de Regul. edit. 2.

Deinde, cùm hæc constitutio Tridentina post exactum quinquennium compellens ad Religionis obseruantiam, fundetur in præsumptione, interea temporis professionem ratificatam fuisse; ideo, si inaniter professus sciat, sibi numquam fuisse animum ratificandi, ideóque iuris præsumptionem falsam esse, in conscientia obligatus non est; sed, per se loquendo, si graue scandalum, aliudue maius incommodum secuturum non sit, dimisso habitu, occultè fugere, atque vxorem ducere non prohibetur. sicuti docent Nau. lib. 3. consil. 89. de Regul. edit. 2. & comment. 4. siue c. statuimus, 19. quæst. 3. num. 74. Henriq. lib. 11. cap. 6. comment. in fine, Sa ver. Religio, num. 71. Less. cap. 41. dub. 7. in fine, Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 37. quæst. 1 Qui addit, quod etiam Prælatus, certo credens professionem irritè editam, & intra quinquennium ratificatam non esse, post illud hominem occultè dimittere possit, scandalo cessante. Quemadmodum Iudex, qui alioquin contra allegatã, & probata absoluere non potest, si tamen publicè conuictum Reum certò sciat innocentem esse, potest ei occultè fugiendi aditum patefacere, modò scandalum absit, sicuti docet Sotus li. 5. de iust. qu. 4. art. 2. concl. 2. Corduba lib. 1. qu. 57. ver. ex hac opinione.

Sin verò talis fugiendi, aut elabendi modus sine graui incommodo, aut scandalo nequeat attentari; tunc Prælatus, aut Confessarius hominem monere debet, id solùm restare, vt professionem per se quidem irritam tacito consensu ratificet. Qua de re vide quæ scribit Sanchez cit. disp. 37. q. 2. & seqq. Est enim hæc canonica doctrina, insinuata in cap. 1. de iis quæ vi; Quod religiosa professio, licet ipso iure irrita fuerit, tamen subse- 8
quente seu expressã, seu tacita ratificatione conualescat. Expressa ratificatio fieri debet coram Prælato, iisque quorum interest, vt ratificationem professionis antea irritæ acceptent, & approbent. Tacita verò ratificatio accidit, si inaniter professus, sciens suæ professionis defectum, nihilominus cũ Prælati assensu in Religione permaneat,

permaneat, & actus professorum proprios exerceat, vel eorum habitum à Nouitiis distinctum, deferat, libero animo ac voluntate, quod re ipsa velit esse professus talis Ordinis, sicuti docet Nauar. lib. 3. consil. 41. de regular.

9 Dixi autem necessariò requiri ad ratificationem, vt qui ratificare debet, sciat professionem, ob eiusmodi defectum, ex iuris dispositione irritam esse. Cum enim incogniti nulla sit voluntas, non potest is censeri ratificasse, aut validam voluisse facere professionem, quam ignorauit esse irritam, sicuti optime notauit Caiet. 2. 2. q. 189. a. 5. Nauar. consil. 19. 23. 89. de Regular. edit. 2. & in manuali cap. 12. n. 71. Quemadmodum si aliquis ad sposalia, vel alium contractum obligatus esse velit, quia nescit irritum esse; cognito deinde errore suo, nihilominus resilire potest.

10 Atque hæc eadem, quæ dixi de professione Religionis, similiter accommodari possunt susceptioni sacri Ordinis; si videlicet aliquis graui, & iniusto metu cogatur, licet charactere insignitus maneat, annexo tamen continentiæ voto, & canonici officii onere haud astringi; quin & matrimonii statum amplecti posse, per se loquendo, & si scandalum remoueri queat, sicuti docet Nauar. c. 22. n. 51. Henriq. lib. 10. cap. 14. num. 3. & lib. 11. c. 9. num. 5. Rodriq. p. 1. sum. cap. 224. num. 5. Sanchez 7. de matrim. disput. 29. contra Palud. in 4. d. 38. q. 3. a. 4. Syl. ver ordo, 4. qu. 1. dicto 2. Ceterùm si sciens aliquis votum ordini sacro annexum irritum esse ob vim iniustam, aut substantialem errorem &c. posteà verò se moto metu, errore, votum suum expresse, aut tacitè ratificet; v. g. in suscepto ordine ministrando, ex illo tempore voto obligari incipit, sicut ex communi docet Sanchez cit. disp. 29. num. 9. & lib. 4. moral. cap. 1. n. 39. & c. 3. n. 13.

Cap. VI.

DE VARIIS VOTIS RELIGIONEM ingrediendi, aut profitendi.

SVMMARIVM.

1 *Qui generatim vouit, se Religionem ingressurum, debet moralem diligentiam adhibere, vt in aliquo Ordine suscipiatur: Sin autem in sua prouincia, aut regno non suscipiatur, spes tamen sit, alibi susceptum iri, ex circumstantiis personæ vouentis &c. colligendum est. vtrum tantam etiam ad alias terras se conferendi obligationem suscipere intenderit.*

2 *Sub generali voto Religionem ingrediendi non videtur comprehendi Religio non claustralis Equitum militarium: neque dispensatus ad suscipiendam aliam Religionem, etiam laxiorem, transire potest ad non claustralem.*

3 *Qui certam Religionem vouit, etsi in vno Monasterio repulsam ferat, debet alia Monasteria eiusdem Ordinis adire; si spes sit susceptum iri, secus est, si ingressum certi Monasterii ex causa speciali vouerit.*

4 *Etsi vouens semel repulsam passus fuit, debet nihilominus ingredi, si Religiosi postea mutata voluntate eum recipere velint.*

5 *Qui Religionem absolutè vouit, is non tenetur, nec licitè potest ingredi Ordinem, cuius regularis disciplina collapsa est.*

6 *Qui vouit se professurum in Religione strictiore, peccat tum ingrediendo, tum profitendo Religionem laxiorem, sine dispensatione: sed professio valida est.*

7 *Votum ingrediendi, & experiendi Religionem strictiorem quisque commutare potest in votum profitendi ac perseuerandi in Religione laxiore.*

8 *Qui vouit se ingressurum Religionem strictiorem, ordinariè peccat ingrediendo laxiorem, sine obligatione in ea perseuerandi; nisi Ordo laxior facultatem dispensandi habeat.*

9 *Professus vnius Ordinis ad alium strictiorem, petita, licet non concessa Prælati sui licentia, transire non prohibetur.*

Ad æqualem, vel laxiorem Ordinem transeundi licentiam Episcopus, vel Prælatus Ordinis ob iustam causam dispensatiuè concedere potest.

10 *In transitu ad Religionem strictiorem attendi debet ad maiorem seueritatem externam, præsertim circa silentium, ac solitudinem. Austeritas Ordinis attendenda non est secundum institutum regulæ, sed secundum obseruationem præsentem.*

11 *Canonici regulares transire possunt ad Monachos; sed non vice versa.*

12 *Qui Religionem absolutè vouit, nisi de alia intentione eius constet censeri debet solum ingressum & probationem promisisse: si tamen sine causa rationabili egrediatur, censetur contra votum peccare mortaliter.*

13 *Qui vouit se in Religione professurum, exeundi libertate priuatus est, vel si exeat, debet iterum ingredi, si sublato impedimento in hoc, vel alio Ordine suscipiendus sit.*

14 *Qui simul continentiam & Religionem vouit, si nec ex verbis, nec ex circumstantiis colligere possit, vtrum continentiam per se an cum dependentia Religionis promittere voluerit, benigniorem partem præferre potest; adeò, vt si voto Religionis solutus fuerit, omnino liberatus censeatur.*

15 *Qui post editum votum Religionis ingrediendæ, aut profitendæ episcopatum suscepit, est voti transgressor; & episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet.*

QVÆSTIO PRIMA. Qui generatim, atque indeterminatè vouit, se Religionem aliquam ingressurum, ad quidnam obligatus sit? Respondeo ex doctrina S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. & quæst. vlt. a. 3. ad 2. Oportet eum moralem diligentiam adhibere, vt in aliquem Religiosorum Ordinem recipiatur: Eapropter etsi ab vno Religionis Ordine repulsam ferat, debet deinde alios Ordines; imò interdum plura vnius Ordinis cœnobia adire, & susceptionem seriò petere; quamdiu spes probabilis superest, se in aliquo eorum susceptum iri, dummodo magna, & improuisa difficultas exinde ipsi non oriatur. Ita docet S. Th. 2. 2. quæst. 88. a. 3. ad 2. iun. Caiet. §. in ead. resp. ad. 2. Arrag. ibid. §. circa solut. ad. 2. Sotus lib. 7. quæst. 2. a. 1. §. tertium argumentum, Azor lib. 11. cap. 22. quæst. 2. & 3. Valentia t. 3. disp. 6. quæst. 6. p. 4. prope finem, ver. Quartum, Rodriq. p. 2. sum. cap. 95. concl. 4. Sanchez lib. 4. moral. c. 16. num. 43. Pro cuius intellectu aduerte, promissionem voti, sicuti & quamuis aliam gratuitam, benignè interpretandam esse, vt eius obligatio non se extendat vltra promittentis intentionem, etiam tacitam seu virtualem: quamobrem in generali seu indefinita promissione non censentur comprehensa specialia, quæ aliquis ob peculiarem v. g. difficultatis rationem probabilissimè excepisset, si ei in mentem venissent, vel de iis speciatim interrogatus fuisset, sicuti in simili dixi de epikeia legis lib. 1. tr. 4. cap. 19. num. 2. siquidem & votum lex quædam priuata est, strictam interpretationem postulans. Deinde si post promissionem aut votum notabilis mutatio, siue difficultas superueniat, non præuisa à promittente, quam, si ipsi proposita fuisset, excepisset, neque ad talem casum se obligasset, sicuti dixi lib. præced. tract. 4. c. 5. n. 5. & docet Syl. ver. votum. 2. q. 17. Nau. c. 18. n. 7.

Ex hoc fundamento resolues primò, Vtrum obligatus sit, qui Religionem vouit; si in sua ciuitate, prouincia, regno non recipiatur alias terras obire, quando spes est alibi recipiendum fore? Inprimis attendendum esse ad intentionem vouentis, etiam virtualem, quæ ex circumstantiis, præsertim personæ vouentis, colligi poterit, sitne fœmina, an mas, pauper, an diues, alienæ regioni, & linguæ assuetus, necne. Nam fœminis Religionem vouentibus plerumque animus est tantum se obligare ad Monasteria vicina, vbi cognatorum, & amicorum facultas, aliæque commoditates suppetunt. Masculi autem plerumque non intendunt se obligare ad adeundum Monasteria extra suam nationem sita, vbi nouam linguam addiscere, aliasque difficultates pati oporteret. Interdum etiam ex circumstantiis intelligi potest, vouentium intentionem tantùm se extendisse ad Monasteria intra eandem prouinciam sita, si ob paupertatem, vel similem causam ad alias prouincias ea de causa accedere difficile accidat. Quare de re Caietan. cit. §. In eadem responsione, Sotus loco cit. ver. sed est dubium, vtrum tenearis, Arrag.

cit. resp. ad 2. ver. Sed dico. Nau. cit. num. 48. Sanch. num. 44. & 46. vbi rectè notat, tametsi eiusmodi antè non præuisa, nec intenta difficultas postea cesset; quia accidit v. g. fœminam domicilium mutare, & ad talem locum peruenire, vbi facilis & commodus ipsi esset Religionis ingressus, tamen obligatione liberam permanere. Cùm enim ab initio vouentis intentio ad talem locum se non extenderit, casus fortuitus obligationem postea adducere non potest: *non enim firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*, reg. 18. in 6.

Resolues secundò; talem vouentem non esse obligandum, si in aliis Ordinibus Religiosorum non suscipatur, ad amplectendum Ordinem strictissimum v. g. Capuccinorum, vel Carthusianorum; si affirmet, vel ex circumstantiis (puta quia est homo delicatus, & ab asperitatibus abhorrens) colligi possit, non fuisse ipsi mentem etiam ad tales Religiones se obligandi; quin potiùs eas excepisset, si de iis, cùm votum emitteret, in mentem venisset cogitare. Ita docent Richar. in 4. d. 38. a. 5. q. 1. ad 2. Angelus ver. Votum, 3. §. 10. Sylu. ver. Religio, 2. quæst. 16. Sanchez num. 49. Quia in generali concessione, promissione, obligatione non continentur ea, quæ quis verisimiliter in specie promissurus non fuisset, iuxta reg. 81. in 6. & l. obligatione, ff. de pignoribus.

Resolues tertiò: Si eiusmodi vouens ad Religionem non admittatur, nisi vt maneat Laicus, non esse obligatum ad eiusmodi conditionem acceptandam; si affirmet, vel ex circumstantiis colligi possit, (vt quia nobili genere natus, doctrina vel ingenio præditus est) intentionem voti non se extendisse ad hunc casum, sed excepturum fuisse, si in mentem ei venisset. Vide Sanchez num. 55. & seqq.

2 Resolues quartò cum eodem Sanchez num. 51. Talem vouentem, si in aliis Ordinibus non recipiatur, obligandum non esse, vt ingrediatur Ordinem equitum militarium: tametsi enim ii, qui tria substantialia Religionis vota absolutè emittunt, veri Religiosi sint, vti dixi suprà cap. 1. num. 5. tamen plerumque Religionem vouentium intentio esse solet, obligare se ad statum vitæ remotæ à tumultu, fastu, & curis secularibus, in communi Conuētu fratrum, qualis non est militarium equitum Ordo.

Ex quo sequitur, eiusmodi vouentem neque satisfacere voto suo, talem Ordinem equitum assumendo; si existimet, se ad aliud Religiosorum institutum habilem esse, & susceptum iri, sicuti benè docet Sanchez cit. cap. 16. n. 12. contra Arrag. cit. q. 88. a. 11. ante §. qui voluerit tenere. Rodriq. p. 2. sum. cap. 95. concl. 8. Azor t. 2. lib. 13. c. 4. q. 4. Vide etiam addit. Nau. cons. 58. de Regul. in qua refertur responsio Cardinalium, quòd Regularis dispensatus ad suscipiendam aliam Religionem, etiam laxiorem, non possit transire ad non claustralem. Qualem autem talis dispensatus diligentiam adhibere debeat, vt in aliqua claustrali recipiatur, constat ex suprà dictis, & in specie docet Ludou. Miranda in man. t. 1. q. 31. a. 17.

QVÆSTIO SECVNDA. Ad quid obligatus sit, qui certam aliquam Religionem vouit, v. g. S. Benedicti, S. Francisci, vel in certum Monasterium se ingressurum? Respondeo, & dico I. Qui certum Ordinē se ingressurū vouit, debet syncero animo petere, vt recipiatur: & si in
5 vno Monasterio repulsam ferat, debet alia adire, si spes sit, in iis se receptum iri. Ita Caiet. cit. a. 3. §. In eadem resp. Sotus cit. a. 1. circa 3. argum. Nauar. lib. 3. consil. 28. num. 2. de voto, edit. 2. Azor to. 1. lib. 11. cap. 22. quæst. 2. qui addunt, tametsi is, qui votum conceperat, ab Ordinis Generali, aut Prouinciali (penes quem totum ius recipiendi non residet) repellatur, non esse voto solutum, nisi talis Prælatus causâ cognitâ iudicet, hominem esse ad eum Ordinem ineptum, vt frustra alios ipsúmque Conuentum pro admissione solicitaturus censcatur.

Dico II. Qui certum Ordinem, vel certum Monasterium vouit, examinare seipsum debet, vtrum Religionem absolutè ac principaliter vouere intenderit; secundariò verò ingressum in certam Religionem, vel Monasterium, ob specialem aliquem affectum: An verò principalis intentio eius fuerit ad specialem Religionem vel Monasterium, ideóque vouerit Religionis ingressum non absolutè, per se, & in sensu diuiso; sed in sensu composito, siue cum dependentia ad certum locum, vel Ordinem. Nam in primo casu, tametsi ingressus Ordinis, vel Monasterii, quod specialiter promisit, impossibilis reddatur, non ideo liberatur voto; sed debet ad alium Ordinem, aut Monasterium se conferre. In posteriore autem casu omnino soluitur voto. quæ est doctrina S. Th. cit quæst. 88. a. 3. ad. 3. Abulens. in cap. 30. Num. quæst. 51. S. Anton. in 3. p. tit. 16. c. 2. §. 4. Syl. ver. Religio, 2. q. 16. Caiet. to. 1. opusc. tract. 31. qui est 17. respons. in 7. respon. Soti lib. 7. quæst. 2. a. 2. circa 3. argum. Nau. c. 12. man. c. 46. Azorii cit. c. 22. q. 1. Sanchez cit. c. 16. n. 29. Suarez lib. 4. de voto, c. 8. n. 8.

His quædam addenda sunt: I. Qui Religionem vouit, is peccat contra Religionis virtutem, si postea ad ingressum, siue executionem voti impotentem se reddat, v. g. æs alienum ingens contrahendo; vel crimen atrox patrando, ob quod periculum sit, publicam contra ipsum inquisitionem, vel condemnationem susceptum iri.

II. Vera videtur sententia Sanchez n. 70. contra Arrag. cit. q. 88. a. 3. ante §. Est aliud dubium, Azor cit. c. 22. q. 5. Less. lib. 2. c. 41. dub. 5. n. 45. Licet is, qui Religionem aliquam vouit, semel repulsam tulerit; si tamen postea Religiosi, mutata voluntate, eum recipere parati sint, obligatum esse ad ingrediendum. Ratio est: Quia votum Religionis editur in Dei honorem, atque vouentis spiritualem vtilitatem; non autem in fauorem Religiosorum; vt hi iuri suo renuntiantes, vouentem obligatione sua liberare possint. Enimuero, tametsi eorum consensus requiratur tanquam conditio, sine qua vouentis votum suum exequi non potest; ideóque excusetur, quamdiu facultas denegatur; cumprimum verò consensus, & aditus præbetur, iam obligatio exequendi vrget; non minus, quam si aliud exequendi voti impedimentum temporaneum remoueatur.

Excipe: Nisi interim notabilis mutatio facta fuerit, sine fraude vouentis; vt quia is desperans se in Ordine, quem vouit, susceptum iri, aliam laxiorem Religionem, vt Nouitius suscepit. Est enim difficile ab Ordine, cui aliquis iam assuescere cœpit, recedere, & plerumque nota leuitatis, atque inconstantiæ non vacat. Idémque sentiendum, si quis existimans in Religione, quam vouit, se susceptum non iri, bona fide sponsalia celebrauit cum puella, quam iam difficilè, & non sine suo, & illius incōmodo, aut aliqua infamia deserere poterit. Licet enim talis, si mala fide laxiorem Ordinem ingressus, vel matrimonium mulieri pollicitus fuisset, ad voti sui executionem redire deberet; non tamen si bona fide existimās, se perpetuum impedimentum contraxisse; alium statum vel institutum amplecti cœpit: quia notabilis hæc mutatio à voto liberare videtur.

III. Qui Religionem absolutè vouit, is non tenetur, 5
imo neque licitè potest ingredi Ordinem, cuius regularis disciplina collapsa est; eiusque Professi plerique malè viuunt vt ne substantialia quidem vota obseruent; ideóque ingredienti peruersionis periculum immineat, sicuti docet Caiet. cit. q. 88. a. 3. §. sed quid si talis, Maior in 4. d. 38. q. 20. §. tertiò contra eandem concl. in solut. 4. argumenti Nau. c. 12. n. 45. Valentia cit. p. 4. q. 3. Rodriq. p. 2. c. 95. concl. 3. Sanch. cit. c. 16. n. 13. Less. cit. n. 45. ver. Quartò.

QVÆSTIO TERTIA, An is, qui Religionem aliquem determinatè vouit, aliam ingredi, vel profiteri possit? Respondeo, & dico I. Qui vouit Religionem laxiorem, licitè ingreditur, ac profitetur strictiorem, arg. c. licet, de Regularib. vbi habetur; etiam solemniter professis vnam Religionem, licitum esse transire ad aliã strictiorem.

6 Dico II. Qui vouit se professurum Religionem strictiorem, peccat tum ingrediendo, tum etiam profitendo Religionem laxiorem: tamen professio valida est, & vouentem liberat à priore voto. Ita habetur in c. qui post, de Regul. in 6. & docent S. Thomas 2.2. q. vlt. art. 8. ad. 3. Caiet. ibid. Nauar. cap. 12. num. 48. Sanchez cit. c. 16. num. 16. & alij communiter. Ratio prioris est: Quia talis vouens minùs præstat, quàm promiserat. Ratio posterioris, Quia alterum votum solemne (in quo personæ traditio fit, & Religionis ius in ipsam acquiritur) derogat priori simplici voto, per quod nullum tale ius Religioni strictiori acquisitum erat.

7 Dico III. Votum ingrediendi & experiendi Religionem strictiorem ipsemet vouens commutare potest in votum profitendi, ac perseuerandi in Religione laxiore. Ita docet Palud. in 4. d. 38 q. 3. ar. 1. & q. 4. ar. 3. S. Anton. pa. 2. tit. 11. ca. 2. §. 8. Syl. ver. votum, 4. q. 7. dicto 3. Sanchez n. 18. Ratio est: Quia votum perseuerandi in Religione laxiore melius est, & plùs obligans, quàm votum tantùm ingrediendi & experiendi strictiorem. Votum autem non infringit, qui illud in melius commutat, c. peruenit, 2. de iureiur.

8 Dico IV. Qui vouit se ingressurum Religionem strictiorem experiendi causa, is peccat ingrediendo laxiorem, sine obligatione in ea perseuerandi, & profitendi. Ita docet S. Th. cit. q. vlt. a. 9. ad 3. Rodriq. t. 1. regul. qq. q. 25. a. 6. Ratio est: Quia minus præstat, quam promisit: siquidem plus est experimenta capere, seu Nouitium esse in Religione strictiore, quàm in laxiore. Sed excipe I. Nisi accedat dispensatio Papæ, vel Episcopi, ob iustam causam. qua de re Sanchez lib. 8. de matrim. disput. 9. n. 17. & lib. 4. moral. cap. 40. n. 74.

II. Nisi Ordo laxior priuilegium Papale habeat per dispensationem, vel commutationem recipiendi eos iusta de causa, qui votum strictioris Ordinis ingrediendi, au profitendi ediderunt. Qua de re Rodriq. lo. cit. & Compendium priuilegiorum Societatis IESV ver. commutatio, §. 3. vbi additur: *Si quis tamen à Societate ante professionem recesserit, dispensatio nulla erit.* Cuius rei ratio dari debet, quia tali conditione priuilegium à Sede Apostolica concessum est. Alioquin enim, si commutatio, vel dispensatio absolutè facta esset Pontificia potestate, contrarium dicendum foret: quia obligatio semel penitus extincta, amplius non reuiuiscit. Vide quæ dixi tract. præced. c. vlt. prope finem.

III. Si tempus ingrediendi Religionem strictiorem nondum aduenit; vt puta si aliquis vouerit absolutis studiis se Ordinem Carthusianorum v. g. ingressurum; non prohibetur interim, si ita ei expedire videatur, ingredi & expediri Religionem laxiorem, v. g. S. Benedicti tali conditione, vt vel elapso anno nouitiatus ibi profiteatur; vel si eum egredi contingat, pristinum votum Carthusiæ definito tempore exequatur. Ita Sanchez cit. cap. 16. num. 20 & probatur ex c. scripturæ, de voto: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur Religionis obseruantiam commutare.* Atqui adolescens ille, de quo loquimur, tantum vouerat obsequium temporale, videlicet, ingressum Ordinis strictioris, experiendi gratia. Ergo reus voti non fit profitendo, vel in perpetuum se mancipando alteri Religioni, quamuis laxiori. Neque verò reus voti factus est, dum Nouitium in hac Religione agebat, quia, vt ponimus, tempus exequendi voti nondum aduenerat; & nihilominus, si eum in laxiore profiteri non contingat, in strictiorem, quam vouit, recipi poterit, nihil obstante priore suo nouitiatu.

Dico V. Qui in vna Religione professus, vel Religiosus factus est: ad strictiorem Ordinem transire non prohibetur. Sed licentiam à Prælato suo petere debet, ne bonum obedientiæ contemnere videatur: & Prælatus contradicere non potest, si ille non ex temeritate, aut leuitate, sed syncero proposito vitæ melioris trãsire cupiat. Quòd si verò Prælatus proteruè contradicat, nihilominus ille propositum ad implere poterit. Sin verò probabile dubium sit, vtrum ex charitate, an temeritate talis transitus instituatur, iudiciũ Superioris, (id est, eius, ad quem alioquin de iure appellandũ est,) requiri debet. Videri debet c. licet, de Regular. vbi Innoc. & Abbas, n. 3. & volum. 1. consil. 95. Rosella ver. Religio, 4. num. 6. Sanchez lib. 6. moral. cap. 7. quæst. 2. & 7. aiunt, non valituram esse professionem in altero Monasterio, sed Professum ad prius reuocari posse, si non petita licentia, vel non bono zelo, sed v. g. ex indignatione erga Prælatum, vel offensione erga quamlibet Monasterii personam, transiit. Ad æqualem autem, vel laxiorem Ordinem Regularis transire non potest, nisi vel Papa, vel ob causam iustam Episcopus, aut Prælatus Ordinis exemptus, cum Capituli consensu, dispensatiuè licentiam det, vti docent Syluest. ver. Religio, 4. quæst. 2. Less. lib. 2. cap. 41. num. 103. Rodriq tom. 3. regul. q. 52. a. 9. Sanchez lib. 6. moral. cap. 7. quæst. 4. num. 59. post Innoc. & Abb. in c. non est nobis, n. 5. & c. significatum, n. 9. de Regul. 9

Porrò Religiosis Ordinum Mendicantium prohibetur in extrauag. communi, quæ incipit *viam ambitiosæ*, de Regular. ne quisquam eorum, absque Sedis Apostolicæ licẽtia, ad alium non Mendicantium Ordinem (excepto Carthusianorum) se transferat, sub excommunicationis pœna sum. Pontifici reseruata. Vtrum verò per hanc Clement. Prælatis Mendicantium ablata sit potestas ob causam iustam dispensandi, seu facultatem dandi transitus ad alium Ordinem, videri potest apud Lessium num 104. Sanchez cit. cap. 7. num. 68: qui id negant; sicuti etiam Nauar. lib. 3. consil. 56. de Regular. in 6. De priuilegiis autem Societati IESV à pluribus Pontificibus concessis, vt Generalis Præpositus licentiam dare possit ad alium Ordinem transeundi, videri potest Compendium priuilegiorum Societatis IESV, ver. Apostatæ; § 9.

Præterea in Clement. 1 de Regular. statuitur, vt Professi Ordinum Mendicantium, si ad non Mendicantes, quamuis licitè, videlicet cum auctoritate Summi Pontificis, aut dispensatione Prælati Ordinis, transeant, neque vocem in Capitulo habeant, neque administrationes, prioratus, & officia consequi possint. qua de re videri potest Sanchez cit cap. 7. quæst. 6. vbi num. 10. monet, hac constitut. non comprehendi eos, qui iuris permissione ad Carthusiam se conferunt. Denique adde Trident. Concil. sess. 14. cap. 11. de reformat. vt nemo ad alium Ordinem translatus, quamuis Canonicus regularis fuerit, ad quodcunque beneficium seculare promoueri queat.

His quædam addenda sunt: I. Eiusmodi votorum commutationes vel transitus ab vna in alteram Religionem, non nisi ob magnam vtilitatem, vel necessitatem fieri oportere, secundùm consilium Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et S. Bern. de præcepto, & dispensat. *Suspectam habeo leuitatem*, inquit, *qua id sæpe quod facere volumus, antequam probemus: experti iam nolumus, vno prope momento idipsum cupientes, tam leuiter, quam irrationabiliter: quales vtique non paucos frequenter experimur, qui vna vix hora in vna voluntate durantes, aura leuitatis impulsi, vagi & instabiles huc, & illuc, velute-*

brij mutantur. Vide etiam Cassianum collat. 14. cap. 5. S. Thomam cit. quæst. vlt. a. 8. Mirandam to. 1. man. q. 31. a. 1. & 3. Et Clem. 1. de Regular. Trident Concil. sess. 14. c. 11. de reform.

10 II. Licet perfectio vnius Religionis præ altera ex fine colligenda sit, atque ex mediis, quibus tendit ad finem qui est charitas Dei ac proximi, teste S. Thom. quæst. 189. art. 6. & 8. tamen in foro Ecclesiæ, si agatur de transeundo ab vna Religione ad alteram, potius attenditur ad maiorem austeritatem, præsertim circa silentium, ac solitudinem. Idque ob vitandas contentiones: nam quæ Religio, altera austerior & strictior sit, magis patet, quam quæ magis ad Christiani hominis finem pertingat, sicuti Miranda l. c. notauit, & videri potest Less. c. 41. n. 100. Sanchez cit. c. 7. q. 3. Rodriq. to. 3. Regul. q. 52. a. 4.

III. Quod indicat S. Thom. cit. quæst. 189. art. 8. in corp. & docent Abb. in c. sanè, de Regul. &c. ad nostram, num. 6. de appellat. Miranda, Less. Sanchez ll. cc. Austeritatem Religionis non esse attendendam duntaxat secundùm institutum regulæ; sed secundum obseruationem præsentem, communtier in tali Ordine toleratam; exclusis tamē specialibus priuilegiis Ordinum Mendicantium, de quibus suprà.

IV. Religiosus professus regulam strictiorem, si in Ordine non seruetur regula, transire potest ad aliam religionem laxiorem, in qua seruatur regula, ita vt, considerato præsente statu, ducat vitam strictiorem. Excipe; Nisi spes sit reformationis futuræ prioris Ordinis; aut si in prouincia Monasterium eiusdē Ordinis sit, in quo seruatur regula, & ad quod transferri poterit. Ita ex Ludou. Lopez & aliis docent Rodriq. cit. q. 52. a. 5. Sanchez n. 25.

V. Canonici regulares transire possunt ad Ordinem
11 Monachorum; quamuis vice versa, Monachi ordinariè transire non possint ad Ordinem Canonicorum regularium: quia Religio Monachorum austerior est. Neque obstant c. mandamus, c. nullus Abbas, 19. quæst. 3. Ea enim statuta sunt secundùm veterem morem, quo Monachi dediti tantùm vitæ contemplatiuæ, sacra mysteria non tractârant, sicuti notat S. Thomas cit. art. 8. ad 2. Nau. in c. statuimus, 19. q. 3. comment. 4. de Regul. n. 11.

VI. Qui proposito vitæ austerioris, aut ex iuxta dispensatione ad aliam Religionem transire cupit, & non recipitur, vel receptus iterum ante professionem egreditur, is ad suum Ordinem reuerti ac recipi debet, sicuti docet Syl. ver. Religio, 4. quæst. 5. Miranda tom. 1. q. 31. art. 18. & seqq. Ratio est: Quia non simpliciter ex Ordine dimissus fuit; sed sub conditione, aut modo, vt aliam Religionem ingrediatur, ac profiteatur: ergo hoc non secuto debet redire, ac recipi ad suum ordinē. Vide Sanchez n. 30. & Compendium priuileg. Societatis Iesu ver. Apostatæ, §. 11.

12 QVÆSTIO QVARTA. Vtrum votum Religionis obliget ad perseuerandum? Respondeo & dico I. Qui expressè vouit se Religionem ingressurum, is propterea obligatus non est ad profitendum, sed habet ius experiēdi vtrum Religio ipsi conueniat, nécne. Ita S. Th. 2. 2. quæst. vlt. a. 4. Caiet. ibid. Rich. in 4. d. 38. a. 8. q. 3. Nau. lib. 3. consil. 24. de voto, edit. 2. Lopez p. 1. instruct. cap. 45. Sa ver. votum n. 13. Azor to. 1. lib. 11. c. 22. quæst. 6.

Dico II. Qui absolutè Religionem vouit, intentionem suam non satis exprimens, is in dubio præsumendus est, voluisse se tantum obligare ad experiendum; nō item ad profitendum. Quæ est probabilior sententia Sanchez lib. 4. moral. cap. 16. n. 86. Suarez lib. 4. de voto, c. 8. n. 7. contra Nauar. lib. 3. consil. 26. num. 2. de voto, edit. 2. Rodrig. cit. c. 95. concl. 6. Tum quia vota, & similes obligationes strictæ interpretationis esse conuenit: quare sicuti in dubio, vtrum aliquis simpliciter vouere, vel obligare se intenderit censendus est liber; ita etiam in dubio, vtrum vnum solum, an vero duo distincta vouere, siue promittere intenderit, videlicet ingressum, & perseuerantiam, pronuntiandus est: liber ab altero, de cuius obligatione dubitatur. Tum quia in dubio vota, sicuti & pacta, secundum ius commune, & consuetum morem interpretanda sunt: Ius autem commune Religionem ingredientibus anni spatium ad experiendum concedit. c. ad Apostolicam de Regular. c. 1. eod. in 6. Atq; Religionem vouentiū ea plerūq; intētio esse solet ingrediendi, & experiendi, vtrū ipsis expediat.

Exinde colligit Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 34. n. 17. Si legatum sit Titio sub conditione, vt Religionem ingrediatur, seu vt Religiosus fiat (secundum vulgarem loquendi modum) consequi eum legatum si bona fide ingrediatur, licet non perseueret: nisi aliam fuisse testatoris mentem, ex adiunctis appareat: sufficit enim conditionem legati semel impletam esse, licet causa finalis, quæ testatorem ad legandum mouit, postea cesset, sicuti in simili dixi lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 15.

Dico III. Debet tamen is, qui Religionem vouit, syncero animo ingredi, & habitum suscipere cum proposito perseuerandi, & profitendi, si eam sibi consentaneam expertus fuerit. Quare discrimen hoc est inter eum, qui sine voto, & eum, qui cum voto Religionem ingreditur; quòd ille sine rationabili causa nouitiatus tempore propositum mutans, & Religione discedens, venialiter tantùm peccet, ob animi leuitatem, & inconstantiam: hic vero etiam mortaliter, ob voti præuaricationem, si sine causa rationabili egrediatur, sicuti docent Caiet. 2. 2. q. vlt. a. 4. dub. 5. Nau. lib. 3. consil. 23. n. 3. de voto, edit. 2. Philiarch. de offic. Sacerdotis, t. 1. p. 2. lib. 3. c. 20. Sanch. cit. c. 16. n. 90. & seqq. contra Henricum quodlib. 13. q. 15. Nau. lib. 3. consil. 25. de voto, nu. 1. Azor lib. 11. c. 22. q. 6. §. si quæras. Nam qui Religionem vouet, censetur se ad id saltem obligari velle, quod alii, qui sine voto ingrediuntur, præstare obligati sunt: At verò hi tenentur perseuerare, si nulla rationabilis recedendi causa occurrat: quia alioquin saltem venialiter peccant, vti fatetur ipsemet Azor. Ergo vouēs Religionem, vi voti sui ad ita perseuerandum obligatur. Confirmatur: Nam secundùm consuetum loquendi modum qui promittit se rem aliquam experturum, significat se eam acceptaturum, si conueniens sibi fuerit; reiecturum verò, si inconueniens.

Dico IV. Qui vouit, se Religionem non tantùm ingressurum; sed etiam in ea perseueraturum, siue professurum, ita astringitur voto, vt exeundi libertate priuatus sit, tametsi ei Religio non vsque adeò consentanea videatur. Quare annus probationis in hoc casu non tam Nouitio, quàm Ordini concessus est, vt illum, si minùs idoneus appareat, dimittere possit. Quæ est sententia S. Th. 2. 2. q. vlt. art. 4. Caiet. ibid. ad primum dubium, Nau. c. 12. n. 47. Philiarchi cit. c. 20. Less. cit. cap. 41. dub. 5. n. 48. Rodriq. cit. c. 95. concl. 7. Azor cit. c. 22. q. 8. Sanchez cit. c. 16. n. 81. contra Sotum lib. 7. q. 2. a. 1. circa 3. argum. prope finem. Arrag. q. 88. a. 3. circa solut. ad 2. ver. Est aliud dubium, vtrum ille; qui existimant, in tali etiam voto ex iuris dispositione includi conditionem; si bona fide probando, deprehendero Ordinem mihi conuenire: quam sententiam probabilem censent Lessius lo. cit. Sa ver. votum. n. 13. 13

Porrò aliud discrimen est inter eum, qui Religionem ingressus est cum voto experiendi tantùm; & eum, qui cum voto etiam profitendi; quòd prior, si ob iustam causam egrediatur; vt puta quia ipsi Religio consentanea non videtur; vel quia ex ea dimittitur, omnino voto liberetur, neque teneatur iterum ingredi, tametsi causa illa seu impedimentum postea cesset: satis enim est semel eum præstitisse, quod promisit: dummodo

bona fide Religionem ingressus, & expertus fuerit, saltem mediocrem diligentiam adhibens, vt vitam & mores suos ei conformet, sicuti explicat Sanchez numer. 105. & 108. contra Rodriq. cit. cap. 95. concl. 5. Posterior verò qui professionem vouit, licet ex iusta causa nouitiatu egrediatur; si tamen spes sit iterum receptum iri, siue in hunc, siue in alium Ordinem (si Religionem absolute, & in genere vouerat) tenetur vi voti sui iterum ingredi, cum profitendi proposito, sicuti docet Nauar. in man. cap. 12. num. 46. & lib. 3. consil. 21. num. 10. de voto. Quia votum absolutè conceptum, ob impedimentum temporale non extinguitur, sed tantum suspenditur, eóque cessante obligare denuo incipit. Exemplum habes in eo, qui ob morbum ex Religione dimittitur; is posteaquam conualuit, iterum ingredi tenetur, si votum perseuerandi, siue profitendi ediderat; non item, si tantùm votum ingrediendi, atque experiendi.

QVÆSTIO QVINTA. Si aliquis Religionem simul & continentiam vouerit; sed ad Religionem admissus non fuerit, vel ex ea iterum dimissus, vel ob aliam causam egressus, vtrum nihilominus continentiam in seculo seruare teneatur? Respondetur ex doctrina Nauar. lib. 3. consil. 13. de voto, edit. 2. Sa ver. votum, n. 29. Sanchez cit. cap. 16. num. 113. Si castitatem vouit accessoriè, & dependenter à Religione, tum liberatus voto Religionis, liber etiam manet à voto castitatis: Sin autem castitatem vouit per se, principaliter atque independenter à Religione; tunc liberatus à Religione debet nihilominus continentiam in seculo seruare.

14 Dubitant porrò Doctores, hánc ne, an illam intentionem vouentem habuisse potiùs præsumendum sit? Respondeo cum Sanchez num. 114. Suarez lib. 4. de voto, cap. 8. num. 6. Si neque ex verbis, quibus vouens vsus fuit, neque ex circumstantiis coniectura capi possit, adeóque in vero dubio eligere potest qui vouit, eum sensum voti, secundùm quem minùs obligatur, vt videlicet castitatem dependēter à Religione promisisse censeatur, ob regulam suprà traditam; obligationes, præsertim eas quæ ex gratuita voluntate descendunt, in dubio potiùs restringendas, quàm extendendas esse: licet contrarium senserit Nau. num. 2. dicens in dubio tutiorem partem præferendam esse, vt vouens se reputet obligatum ad seruandam castitatem etiam extra Religionem.

Hæc tamen Nauarri doctrina recipienda est, si vouens vsus fuerit verbis significantibus absolutàm castitatem, tunc enim iis standum erit, nisi coniecturæ adsint, ob quas iudicium probabile fieri possit, intentionem non fuisse verbis adæquatam, sed restrictam. Qua simili ratione dicendum, si verba vouentis Religionem fuerint de ingressu Religionis absolutè, iis standum esse: nisi adsint coniecturæ, ob quas saltem probabiliter aliquis iudicet, intentionem fuisse restrictam ad certum Ordinem, vel Monasterium, iuxta ea, quæ suprà dixi num. 3. Sin verò verba vouentis ambigua sint, vt æque explicari queant de voto continentiæ restricto ad Religionis professionem, quam de continentia absolutè; vel æque explicari possint de voto Religionis restricto ad certum locum, atque de voto Religionis absoluto; tunc in vtroque casu arbitror benigniorem partem præferri posse, secundum quam vouens minùs obligatur.

QVÆSTIO SEXTA. Si quis post editum votum Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, episcopatum suscipiat, vtrum transgressor voti existat, & relicto episcopatu, ad Religionem se conferre debeat? Negat vtrumque Abb. in c. per tuas, n. 6. de voto, Eman. Rodriq. p. 2. sum. c. 6. concl. 6. Henriq. lib. 10. de sacram. Ordinis, cap. 32. n. 4. Quia status episcopalis perfectior est, quàm religiosus: votum autem non infringit, qui illud

15 in melius commutat, c. peruenit, 2. de iureiur. Sed contraria sententia est communior, Caiet. 2. 2. q. vlt. a. 3. ad 1. §. ad cuius euidentiam, Maioris in 4. d. 38. qu. 6. §. quartò arguitur, Angeli ver. votum, 2. nu. 12. Ludou. Mirandæ, in man. t. 1. q. 20. a. 9. Tabienæ ver. Episcopus, q. 7. n. 8. Syluest. ver Religio, 2. q. 20. & ver. votum, 3. in fine, Sanchez lib. 4. de voto, cap. 18. n. 5. Azor t. 1. lib. 11. cap. 16. q. 2. &c. 22. q. vlt. Less. lib. 2. cap. 4. n. 89. & sumitur ex cit. c per tuas, vbi proposito hoc casu Innoc. III. respondit: *Consulimus, vt, si tuam sanare desideras conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ, ac reddas Altissimo vota tua.* Ex quibus colligitur primò; Talem peccasse, seu læsisse conscientiam suam, episcopatum suscipiendo. Ratio est, per quam etiam satisfit fundamento sententiæ prioris; quia episcopatus est status perfectionis (per se, ac formaliter) non propriæ, sed alienæ; non passiuæ, sed actiuæ, vti docet S. Thom. 2. 2. quæst. 184. a. 7. & quæst. 185. a. 4. ad 1. Siquidem non tam hominem perficit, & meliorem reddit, quàm perfectum exigit, idque non tam in ordine ad propriam eius salutem, quam aliorum subditorum. Ex quo sequitur, ipsi vouenti melius, ac magis meritorium, Deóque gratius esse (excepto necessitatis casu, si alius æque idoneus ad Ecclesiam regendam haberi non possit) relictis omnibus, se totum Deo in Religione mancipare, quàm Ecclesiæ curam in seculo suscipere: ergo vouens ad hoc tenetur, neque votum suum in episcopalem curam commutare potest.

Colligitur secundò; Talem in conscientia obligatum esse ad resignandum episcopatum; sed cum discrimine, obseruato a Sanchez cit. c. 17. n. 6. Vel enim electus est tantùm, vel etiam confirmatus Episcopus: Si primum, episcopatui renuntiare potest, ac debet, etiam non interueniente auctoritate Papæ. Si secundum; non potest ita renuntiare, cum sit obligatus Ecclesiæ spirituali vinculo, ac veluti matrimonio. Sed quia hoc vinculum solubile est per consensum Ecclesiæ, vel potiùs summi Pontificis, qui solus Ecclesiæ curam plenariè gerit, ideò tenetur solutionem, & licentiam transeundi ad Religionem petere; eritque tunc in arbitratu Papæ positum re bene considerata, vel Religionem intrandi licentiam dare, vel super voto Religionis dispensare. Quanquam etiam Episcopus in tali casu (si causa subsit) dispensationem in voto simpliciter petere non prohibetur, vt episcopatum retinere liceat: vel etiam tacito voto suo, cuius præuaricator extitit, licentiam Religionem suscipiendi simpliciter postulare, & super ea se summi Pontificis responso se conformare, vti Caiet. & Sanchez locis citatis tradunt.

CAP. VII.

DE VOTO PAVPERTATIS IN Religione approbata edito.

SVMMARIVM.

1 *Ratione voti paupertatis obligatur Religiosus, ne quid proprium habere possit.*

2 *Religiosus retinet dominium honoris, ac famæ suæ, capax etiam est iuris eligendi, præsentandi, beneficiorum regularium.*

3 *Scholastici, & coadiutores temporales, qui in Societate Iesu post biennium probationis simplicia vota ediderunt, retinere, & acquirere possunt dominium rerum radicale, priuati tamen iure actuali; de ijs arbitratu suo disponendi.*

Si tamen re ipsa inter viuos, aut mortis causa de bonis suis disponant, absque consensu Superiorum, videtur valida esse dispositio, licet ipsi peccent contra paupertatis votum.

4 *Sine consensu, Prælati expresso, aut præsumpto, Religiosus nullam rem pretio æstimabilem accipere, retinere, absumere potest.*

5 *Si Religiosus parciùs viuendo aliquid reseruat, non sibi acquirit, sed Monasterio manet.*

6 *Religiosus contra votũ paupertatis etiã delinquit, si res ipsi ad vsum concessas destruat per culpam crassam, quæ dolo æquiparatur.*

7 *Monasterium non obligatur ex contractu, vel delicto Religiosi nisi quatenus consensum præbuit, vel aliquod inde commodum accepit.*

8 *Peccare censetur Religiosus contra votum paupertatis, si quædam abscondat, ne Prælatus ipsum habere sciat, aut reuocare possit.*

9 *Administratores & Oeconomi Religionis plus dare non possunt quàm Ordinis regula, consuetudo, vel Superioris voluntas permittit.*

10 *Prælati regulares contra paupertatis votum, & aduersus iustitiam delinquunt, si bona Conuentus aliter expendant, aut donent, quàm Ordinis regula, aut consuetudo permittit.*

11 *Quanta materia ad transgressionem voti paupertatis requiratur ita definiri solet, sicuti in furto.*

12 *Religiosi peculium habere possunt; secundùm possessionem, & administrationem dependentem à Prælati voluntate.*

13 *Tridentinum Concilium videtur prohibuisse, ne Relegioso designentur stabiles reditus instar cuiusdam peculii, quamuis dependentis à Prælati voluntate Quamuis aliqui Doctores non sine probabilitate negent, id Tridentino Concilio aduersarij.*

14 *Prælatus Religioso licentiam dare non potest res absumendi in vsus vanos, aut illicitos; sed tantùm expendendi ad vtilitatem Monasterii publicam, vel priuatam.*

15. *Etiam Abbatissæ Monialibus sibi subditis licentiam dare possunt accipiendi, retinendi, expendendi, quæ iusta sunt.*

16 *Religiosus si rem aliquam donatam absolutè acceptet in fauorem alterius non interueniente licentia Prælati, peccat contra paupertatis votum: secus, si se tantum habeat vt intercessor, internuntius, vel eleemosynarius.*

17. *Religiosus beneficiarius interim dum beneficium obtinet, administrationem redituum habet, à sacris canonibus sibi concessam.*

18 *Quæ Religiosus beneficiarius aliunde, quàm ex beneficio acquirit, Monasterium sibi vendicare potest.*

19 *Prælatus Religioso vsum alicuius rei tanquam irreuocabilem concedere non potest: adeo, vt, etsi promittat non reuocaturum, nihilominus absque iniuria reuocare possit.*

20 *Si Monacho hæreditas aut legatum relinquatur, ea lege, vt ad ipsum, non ad Monasterium pertineat; explicari debet voluisse testatorem, vt ad Monachum pertineat cum consensu Prælati: quare si Prælatus consensum neget, corruit legatum, vel institutio.*

21 *Si testator expresserit, non aliter se relinquere Monacho, nisi vt habeat rem independenter, à Prælati consensu, irritum est legatum: sed in dubio non est præsumendum, id adiectum fuisse, vt conditionem propriè dictam, sed vt modum, qui si impossibilis sit, pro non adiecto habetur,*

22 *Pœnæ Religioso proprietario (id est, qui aliquid vt proprium retinet) canonico iure decretæ sunt: I. Si absque pœnitentia mortuus fuerit, vt in loco sacro ne sepeliatur. II. Vt ad agendam pœnitentiam in carcerem detrudatur. III. Vt biennio voce actiua, & passiua priuatus existat.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Ad quidnam obligetur Religiosus ratione voti paupertatis? Respondeo: Religiosi omnes & singuli ex hoc voto impediuntur, ne proprium quid habeant, sicuti constat ex c. non dicatis: aliquid proprium, 12. quæst. 1. c. Monachi, c. super quodam, &c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum.

2 Porrò circa vocabulum *proprij*, seu *proprietatis*, duo aduertenda sunt: I. Illud restringendum esse ad bona pecuniaria seu pretio æstimabilia, tam mobilia, quàm immobilia, quorum omnium proprietatem, id est, liberam & independentem de iis disponendi facultatem Religiosus omnis voluntariæ paupertatis voto, in perpetuum abdicauit, séque incapacem reddidit; adeò vt omnis dispositio, alienatio &c. sine consensu Prælati facta, non solùm illicita, sed etiam inualida sit. qua de re videri potest Valentia tom. 3. disput. 10. quæst. 4. p. 3. Sanchez lib. 7. moralium, cap. 18. num. 2. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 8. Interim verò Religiosus retinet dominium seu ius honoris ac famæ suæ, secundùm doctrinam S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 7. ad 4. [illegible] Caietan. Præterea ius eligendi, præsentandi, conferendi: item regulare beneficium atque iurisdictionem spiritualem habere, atque ad talia iura acquirenda, retinenda, recuperanda, suo nomine agere non prohibetur, sicuti prosequitur Nauar. comment. 2. de Regular. post princip. Miranda tom. 1. quæst. 28. a. 1. Less. lib. 2. cap. 4. dub. 5.

II. Nihil obstat; aut pugnat cum voto Religiosæ paupertatis quominus Religiosi aliqui (videlicet in Societate IESV Scholastici, & Coadiutores temporales, qui post biennium probationis, simplicia vota ediderunt) retinere aut acquirere possint dominium radicale rerum tum mobilium, tum immobilium, puta hæreditatum &c. priuati tamen actuali iure de iis arbitratu suo disponendi. Nam proprietas, qua priuatur Religiosus per paupertatis votum, non significat dominium illud radicale (quale v. g. etiam infans habet sub tutore constitutus) sed ius retinendi, disponendi ad suum arbitrium, & sine dependentia à Prælato: hoc enim iure tum habito, tum habendo in perpetuum se exuit omnis Religiosus per voluntariæ paupertatis votum, acceptante Ecclesia, & omnino incapacem iuris reddente. Quare dominium radicale, quod Religiosi illi retinere possunt, multò minus est, quam in infante, aut pupillo: tum quia pupillus spem habet suo tempore acquirendi absolutum disponendi ius de rebus suis; non item Religiosus, tum quia tutor non habet ius disponendi de rebus pupilli, nisi in eiusdem commodū: sed Prælatus, siue Religiosus longè maius ius obtinent disponendi de rebus, quarum vel possessionem, vel dominium radicale Religiosus habet: vt nulla ei iniuria fiat, si Prelati, quibus voluntatem suam subdidit Religiosus, ipsi auferant, & ad alios vsus applicent. 3

Cæterùm id rectè docuisse videtur Sanchez lib. 7. moral. cap. 18. quæst 2. contra Mol. tom. 1. de iust. tr. 2. disp. 139. ver. Illi qui tempore. Si Religiosus Societatis Iesu, qui post biennium simplicia vota edidit, de bonis, quæ vel ante ea vota acquisierat, vel postea iure hæreditario acceperat, seu inter viuos, seu mortis causa absque Superiorum consensu disponat, peccaturum quidem mortaliter aduersus paupertatis votum, tamen dispositionem validam fore. Quia retinet dominium bonorum, donec se iis abdicet. Etenim hoc discrimen est inter votum paupertatis solemne, (cui æquiparari in hoc decet votum paupertatis Coadiutorum formatorum Societatis Iesu) & inter simplex paupertatis votum; quòd istud non priuet dominio rerum acquisitarū, nec omnino incapacem acquirendi reddat, neque acquisitorum alienationem irritam efficiat; sed solum vt talis dispositio, aut alienatio illicita sit, si fiat absque Prælati consensu At verò votum solemne Religionis ipso iure priuat professum rerum ante habitarum dominio, & tum acquirendi, tum transferendi incapacem reddit, vti constat ex c. vn. de voto, in 6. Et de Coadiutoribus formatis in Societate Iesu idem decretum reperitur à Gregor. XIII. in Bulla, Ascendente Domino.

QVÆSTIO PRIMA. Quibus modis Religiosus contra votum paupertatis peccare possit? Respondeo. 4
Peccare contra votum paupertatis; Si rem quampiam seu domi suæ, seu foris, etiam ex iis, quæ ad victum, vestitum &c pertinent sine superioris sui consensu expresso, tacito, aut præsumpto, accipiat, retineat, occultet, absumat, permutet, alteri donet. Est communis doctrina apud S. Anton. p. 3. tit. 16. cap. 1. §. 11. Maiorem in 4. d. 38. quæst. 9. Syl. ver. Religio, 6. quæst. 7. Nauar. comment. 2. de Regular. num. 20. & in sum. cap. 17. num. 105. Mendozam in controuers. Theolog. quæst. 8. Azor, tom. 1. lib. 12. cap. 12. Valentiam tom. 3. disp. 10. quæst. 4. p. 3. Less. lo. cit. & cap. 41. dub. 9. num. 79. Sanchez lib. 7. moral. cap. 19. Sufficit autem vt dixi, consensus tacitus Prælati si is sciat subditum aliquid accipere, retinere, vel expendere, & non prohibeat cùm facile possit. tunc enim plerumque consentire & approbare censetur.

Hoc modo; ait Sanchez numer. 7. si in aliqua Reli-

gione consuetudo vigeat recipiendi aliqua aut expendendi; non petita Superioris licentia excusari Religiosos per tacitam licentiam Prælati, quam tolerando consuetudinem rationabiliter declarat. Et eod. cap. 19. n. 70. obseruat, Si prælatus Regulari donet, vel ab alio donatas res aliquas permittat, v. g. imagunculas, rosaria, numismata benedicta, sciens, subditum non indigere iis omnibus ad proprium vsum, spectata talium rerum qualitate, tacitè dari facultatem ea aliis donandi seu domesticis seu externis, sicuti consuetum est.

Sufficit item consensus præsumptus, quando videlicet iustam ob causam mihi persuadeo, si Prælatus sciret me talem rem accipere, absumere, expendere, contentum fore. Quæ est communis sententia S. Thom. 2. 2. quæst. 32 a. 1. ad 1. Arrag. & Bannes ibid. Nauar. Valentiæ, Sanchez ll. cc. Azor quæst. 2. & 3. Mendozæ concl. 7. Sed etsi interdum Prælatus inuitus sit, quòd clam, aut eo non rogato accipiatur, absumatur, si tamē inuitus nō sit quo ad rē ipsā, quia rogatus facile cōcederet, & consentiret; cōmittitur quidem peccatum, saltem veniale; sed non contra paupertatis votum, sicuti bene docent Nauar. cōment. 2. de Regular. nu. 20. Mendoza cit. concl. 7. & 8. Rodriq. tom. 3. regular. quæst. 29. a. 10. concl. 7. & a. 11. in fine, Rebellus de iustit. p. 1. lib. 3. quæst. 15. sect. 3 num. 22. Modò, vt dixi, in Superiore sit voluntas, saltem habitualis, per quam contentus sit, rem ipsam à subdito accipi, licet aliquantulum ægre ferat licentiam ab ipso non peti, vti explicat Sanchez num. 15. & videri possunt, quæ dixi in simili de furtis domesticorum lib. præced. tract. 3. de iustit. p. 1. c. 1. n. 5.

Atque hæc ferme generatim dicta sunt: Nunc verò in specie aliquos casus magis dubitatos referam, quibus contra paupertatis votum Religiosus peccet. Et primò quidem peccat, etsi tantùm comestibilia absque Prælati licentia accipiat & absumat, sicuti docet Lessius cap. 41. num. 79. ver. septimò, Sanchez cit. lib. 7. moral. cap. 19, num. 53. Quia solum etiam vsum, seu absumptionem rei absque Prælati licentia attentare repugnat voto, imo est etiam furti species, si res inuito Prælato ex bonis communibus Monasterii vsurpetur: sin verò ab externis accipiatur, & absumatur, est solum contra paupertatem, vti docet idem Sanchez cap. 21. num. 35. qui tamen bene notat eod. num. 35. & num. 33. maiorem quantitatem horum esculentorum requiri ad constituendum peccatum mortale seu furti, seu præuaricationis voti, quam in rebus aliis; partim quia talium rerum acceptio & absumptio propter naturæ necessitatem faciliùs excusatur, partim quia earum dominium non vēdicatur, aut retinetur; sed merus vsus appropriatur, per quem res mox absumitur.

Secundò, Licet solum etiam vsum rerum non absumptibilium, v. g. librorum sibi absque Superioris licentia vsurpare, aut alteri seu domestico, siue externo concedere seu commodare, paupertatis voto repugnet; sæpe tamen à mortali excusatur ob materiæ paruitatem Etsi enim liber v. g. valeat decem ducatis, quem sibi vt proprium vendicare mortale peccatum esset; vsus tamen libri non perpetuus, sed temporalis tanti non æstimatur, vt mortalis peccati materia sit: quare vsum eius libri ad tempus sibi vendicare, vel alteri sine licentia concedere, non est mortale, sed veniale, vti notauit Sāchez n. 57. & c. 20. n. 6.

At verò in depositum res accipere, ita vt deponens omne ius dominii, ac possessionis, administrationis retineat, non repugnat paupertatis voto; tametsi tali modo pecuniæ v. g. depositæ sint apud Religiosum, vt iis vti possit petita postea, & impetrata Superioris licentia: talia tamen sunt contra paupertatis perfectionem, & plerumque contra regulæ præscriptum, vti Sanchez notauit n. 50.

Sed quid sentiendum de permutatione rerum absque licentia Prælati? Non esse id mortale, tametsi permutatio cum externis instituatur, videtur sensisse Rodriq. p. 2. sum. cap. 31. num. 7. si Conuentui iactura magna non eueniat, quia æqualia pro commutatis recipiuntur; sed Sanchez cit. cap. 19. num. 67. meritò contrarium docet, quia commutare est actus dominii, qui à solo habente dominium, vel legitimam rei administrationem rectè fieri potest. Quare si res sit magni pretii, videtur esse mortale. Sæpe tamen præsumi poterit, Superiorem inuitum non esse, vt quæ Religioso ad suum vsum concessa sunt, v. g. breuiarium, aut vestem cum aliis commutet, quæ sibi magis accommodata videtur: præsertim si permutatio instituatur cum domesticis; imò etiam cum externis, si, quæ recipiuntur, similia, ut æqualia sint. Interdum verò licet inuitus sit Superior quoad modum, quia talia fiunt ipso non rogato; non tamen inuitus est quoad rem ipsam; ac proinde culpa mortalis non committitur. Quamquam talia paupertatis religiosæ perfectioni repugnant, & quandoque occasionem præbent maioris præuaricationis voti incurrendæ.

Tertiò violat Religiosus votum paupertatis, si pecuniam, vel aliam rem sibi à Prælato destinatam ad certum vsum, contra eiusdem voluntatem in alium vsum expendat: vt si Monachus in Academia degens, pecunias sibi à Monasterio transmissas; ad victum, vestitum, aut libros Theologicos emēdos; ille donando, ludendo, aut libris profanis & inutilibus emendis absumat. Eadēque ratio est, si esculenta, vel poculenta quæ domi v.g. in mensa singulis apponuntur, contra Prælati voluntatem secum auferant, vel alteri largiantur, vti Mendoza docet concl. 3. *Sicuti cùm quis aliquos conuiuio excipit*; (inquit ille ex Soto lib. 4. de iust. quæst. 1. a. 1. concl. 2.) *non facit eos dominos esculentorum & poculentorum; neque copiam facit, vt illa ad alios transmittant, aut in proprias domos asportent.*

Nec quicquam iuuat, si Religiosus in sui executionem afferat, se propria parsimonia, seu genium suum defraudando aliquid reseruasse, vt in alios liberalis esse posset. Cùm enim ille dominii incapax sit, ita parcendo vel reseruando, nihil sibi proprium acquirit; sed in bonis Monasterii remanet, quæ sine Prælati consensu nulli dari, vel ratione expendi possunt. Quare quòd tradit Nauar. de redit. Ecclesiasticis, quæst. 1. monito 33. Lud. Bera p. 4. casu 32. Si Religiosus extra Monasterium viuens ex designatis sibi annuis reditibus parciùs viuendo pecuniam colligat, posse eam donare consanguineis pauperibus, id verum est, si rationabiliter præsumptus Prælati consensus accedat: vel si liberam, atque à Prælato independentem bonorum administrationem habeat; vt quia est beneficiatus, vel à Summo Pontifice dispensationem obtinens. qua de re Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 33. 5

Quartò Religiosus contra paupertatis votum delinquit, si res ipsi ad vsum concessas per culpam seu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, destruat, vti docet Less. lib. 2. cap. 41. dub. 9. numer. 79. ver. Decimò, Sanchez cit. cap. 19. num. 115. Quia is actus est proprius dominii, posse rem arbitratu suo destruere, perdere: Religiosus autem, cui solus vsus facti concessus est, non potest talem actum dominii, cùm proposito seu formali, seu virtuali, exercere, sine violatione voti paupertatis. Quòd si Religiosus peculium habeat suæ administrationi commissum, debet ex eo restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, vel quacunque inutili alienatione, damnum illatum fuit: qua de re Sanchez numer. 112. & seqq. 6

Quintò violat paupertatis votum Religiosus, si, quæ ab aliis ipsi data, vel donata sunt, accipiat, ac reti-

neat, sine Prælati consensu. Id traditur in cit. c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, iis verbis: *Vnde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.* Et in Concilio Trident. cit. cap. 2. *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus (excepto si alicui officium administrationis competat) possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, conuentuique incorporentur.* Ratio est; Quia quicquid Religiosus dominatione, legato, hæreditaria successione, vel contractu acquirit; non sibi ipsi, sed Ordini, vel Monasterio acquirit, si capax sit; perinde ac seruus domino suo acquirit, vti docent Abb. in cit. c. cùm ad Monasterium, num. 2. Nauar. comment. 2. de Regular. num. 30. Mendoza concl. 5. Sylu. ver. Religio, 6. quæst. 7. Molin. to. 1. tract. 2. disp. 140. Less. cit. c. 41. dub. 11. & sumitur ex c. Abbates, 18. q. 1.

7 Contra verò, Monasterium non obligatur ex contractu, vel delicto Religiosi sui, nisi quatenus consensum præbuit, vel exinde aliquid commodi accepit, sicuti præter alios docet Nauar. num. 62. Azor lib. 12. cap. 11. q. 2. & seqq. & sumitur ex c. quod quibusdam, de fideiussor. Si tamen promissioni vel contractui Religiosi celebrato absque Prælati consensu, fideiussor accesserit; vel pignus ab altero datum sit; videtur obligatio nasci, teste Nauar. cit. comment. 2. num. 42. Azor cit. cap. 12. quæst. 6. Quod signum est, in Religioso contrahente, vel promittente saltem naturalem obligationem oriri; quamuis inefficacem (sicuti de pupillo dictum fuit) quippe quæ per exceptionem, vel irritationem Prælati infirmari potest: licet aliter sentiant Felinus & Abb. in c. ex rescripto, de iureiurando, videlicet neque naturalem obligationē à Religioso cōtrahi, eò quòd iura eiusmodi obligationi resistant.

8 Sextò, Transgressor est voti paupertatis religiosæ, si aliqua abscondat ne Superior sciat, nolens permittere liberæ eius dispositioni: aut si tanquam iniuria affectus sit, murmuret, dum ei à Prælato adimuntur. Quia tales sunt actus tanquam dominii independentis, siue iuris proprietarii, qui voto paupertatis religiosæ repugnant, sicuti docet Less. lib. 2. c. 4. dub. 5. n. 25. Sanchez cit. c. 19. n. 60.

Septimò, Transgressor est voti paupertatis religiosæ, si, quæ etiam cum Prælati licentia acceperat Religiosus postea abscondat, ne Prælatus volens ea reuocare, propositum suum exequi possit, sicuti ex communi docet Syluest. ver. religio, 6. quæst. 7. dicto 1. Mendoza quæst. 8. concl. 4. Sanchez lib. 7. cap. 19. num. 60. Idémque est, si murmure & querelis impediat, quominus Prælatus reuocare, aut auferre rem audeat: quia tales actus sunt tanquam dominii inde pendentis, seu iuris proprietarii, qui voto paupertatis religiosæ pugnant, vti docet Less. lib. 2. c. 4. dub. 5. n. 25.

9 Octauò transgressores sunt voti paupertatis procuratores, Oeconomi, & similes bonorum Monasterii &c. administratores, si rem quamcunque seu domestico seu externo largiantur, aut expendant aliter, quam Ordinis regula, vel consuetudo, aut Superiorum voluntas postulat. Sumitur ex S. Thom. 2. 2. quæst. 32. a. 8. ibid. *Oportet quòd ea, in quibus inferior Superiori subiicitur, dispenset non aliter, quàm ei sit à Superiore commissum.* Et docet Nauar. cit. comment. 2. num. 9. Molin. tom. 2. disp. 276. vbi ait; *In nostra Societate Officiales perdere in omnibus à præscripto, & voluntate saltem præsumpta, eius Superioris, cui subsunt.* Et Mendoza concl. 1. *sciendum est*, inquit. *quòd licet bona Monasterii sint omnibus communia; non tamen ita, vt singuli sint domini aliquotarum partium; qualiter est fundus communis pluribus hæredibus, sed sunt communia ita, vt singulis quod opus fuerit, applicetur ab eo, qui habet auctoritatem illa administrandi.* Consequenter, qui ab eiusmodi œconomis aliquid vltra, quam ipsorum potestas se extendit, acceperit, furti particeps fit; &, si Religiosus est, etiam voti præuaricator.

Nonò, etiam ipsi Religionum Prælati paupertatis votum violant, & contra iustitiam delinquunt, si bona 10
Conuentus aliter expendant, vel donent, quàm Ordinis sui regula, vel consuetudo, aut Superiorum Prælatorum voluntas ipsis permittit, sicuti ex communi docet Nau. num. 11. & 23. Abulensis in cap. 6. Matth. quæst. 37. Molin. loco citat. Mendoza concl. 2. Alioquin donatio, aut alienatio irrita est, & restitutioni obnoxia: propterea quòd Prælati non sint bonorum communium domini, sed solùm administratores, c. fraternitatem, de donation. Vide Sanchez citat. lib. 7. cap. 19. numer. 30.

Notant verò doctores, requiri materiam notabilem seu grauem, vt præuaricatio voti paupertatis mortalis fiat. Quanta autem materia esse debeat, ita definire solent, sicuti in furto, vti videre est apud Nau. lib. 3. con- 11
cl. 75. dub. 3. de Regular. edit. 1. Graffis p. 1. decision. lib. 3. c. 5. num. 49. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 6. Sanchez 7. moral. cap. 20. num. 3. Aduerte tamen, in furto faciliùs materiam aggrauari posse, comparatione personæ, cui aufertur, si pauper sit, & ablationis, quamuis secundùm se exiguæ, damnum grauiter ferat, sicuti dixi lib. præced. tract. 3. de iustit. tract. 1. p. 1. c. 1. n. 3.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrùm licitum sit Religiosis habere peculium? *Peculium* (inquit Iureconsultus in l. depositis, ff. de peculio) *dictum est, quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium.* Nam olim omnes hominum possessiones *pecunia* dicebantur; *quia antiqui, totum quod habebant, in pecoribus habebant*, ait S. August. cap. 1. de doctrina Christ. relatus in c. totum, 1. quæst. 3. & notauit Nauar. comment. 1. de Regul. super c. cui portio, 12. q. 1. n. 16.

Porrò peculium, seu proprium patrimonium duplex est, auctore Nauar. loco cit. & in c. non dicatis, seu comment. 2. de Regular. num. 14. Vnum tanquam iuris perfecti, & independentis, quod est propriè dictum dominium, seu facultas disponendi de re suo arbitratu. Et sic certum est, regularem ratione professionis suæ incapacem esse peculii, ac proprietatis, iuxta c. Monachi, & c. cùm ad monasterium, de statu Monachorum, vbi dicitur; Quòd Abbas super habenda proprietate non possit cum Monacho dispensare. Et Glos. in cit. c. Monachi, ver. administratione permissum, Abb. in c. vlt. de condit. apposit. in fine rectè docent, si quis professionem in Religione aliter non edat, nisi conditione apposita, vt liceat ipsi proprium habere independenter à Prælati dispositione; ipso iure irritam esse: quia talis conditio tollit partem substantialem religiosæ professionis. Quod verum est, si sit conditio propriè dicta; secùs si modus professioni factæ adiectitius, iuxta ea quæ dicam lib. seq. tract. vlt. p. 2. cap. 7. Aliud verò est peculium 12
siue proprium latè, quoad solam administrationem, possessionem, & vsum facti, dependentem à voluntate Prælati, qui concessum vsum & administrationem restringere, ac penitus reuocare arbitratu suo possit: atque huiusmodi facultatis habendi peculii Religiosum incapacem non esse, docent DD. communiter, Abb. cit. cap. Monachi num. 4. & cit. c. cùm ad Monasterium, num. 8. Nauar. ll. cc. & comment. 3. Regul. num. 25. Sa verbo religio, num. 48. Molin. tom. 2. disput. 276. Graffis p. 1. decisionum lib. 3. cap. 5. num. 53. Miranda in manuali, tom. 1. quæst. 28. a. 8. Azor t. 1. l. 12. c. 9. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 179.

Verùm cum huiusmodi peculium, siue ius possessionis, administrationis à Prælato dependentis, varium sit, & ex variis causis concedi solitum, de singulis speciatim

dicere oportet. Inprimis notat Nauar. citat. c. non dicatis, num. 15. Eiusmodi administrationem interdum committi solum in vtilitatem, & damnum Monasterii concedentis, sicuti Officialibus committi solent aliquæ villæ vel domus administrandæ nomine Monasterii, ad nutum Superioris reuocabiles; idque vbique consuetum, ac licitum esse, constat ex cit. c. Monachi, & c. cùm ad monasterium §. tales, vbi adiicitur: *Nec alicui committatur obedientia perpetuò possidenda, tanquam in sua ipsi vita locetur; sed cùm oportuerit amoueri, sine contra dictione qualibet reuocetur.* Quam reuocationem facere potest Prælatus solus, tametsi ipse, vel antecessor eius vnà cum Capitulo administrationem, vel officium concesserit, secundum Abb. in cit. c. Monachi, n. 9. Azor t. 1. lib. 12. c. 9. q. 8.

Interdum verò administratio bonorum, seu peculium cōceditur Regulari in vtilitatem & damnum ipsiusmet, & hoc quibusdam in casibus indubitatè concessum est. Primus, Si Regularis cum legitima licentia beneficium aliquod possideat, competit ei administratio redituum, quos ad sui decentem sustentationem, & pias causas applicare potest, quod reliquum verò est, ad Ecclesiam pertinet, cui ille seruit, seu addictus est, sicuti notat Nauar. de redit. Eccles. quæst. 1. monito 33. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 10. qu. 6. & 7. Mol. cit. disput. 276. §. vtrum autem. Secundus, Si Regularis extra Monasterium degat, v. g. in peregrinatione, vel Vniuersitate studiorum, licentiā habet pecuniam in sui sustentationem, nec non moderatas eleemosynas &c. insumendi, secundum præsumptam voluntatem Prælati & Monasterii facultates. Tertius, Bona mobilia, & vtensilia, quæ necessaria sunt, vt vestes, libri &c. haud dubiè Religioso Prælatus concedere potest, vt illius vsui propria sint, donec ab eo reuocentur, sicuti docet Concil. Trident. sess. 25. cap. 2. de regul. *Mobilium vsum ita Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quā professi sunt conueniat, & nihil superflui in ea sit.*

Sed difficultas est de portione, seu reditu annuo, qui vel ex bonis Monasterii, vel parētum largitione &c. alicui Religioso in ipso Monasterio, vel iuxta manenti, annuatim assignatur; vt ex eo se vestiat, alat suo commodo pariter, & incōmodo, dependenter tamen à Prælati voluntate, qui talem portionem reuocare possit? Talis consuetudo tanquam licita defenditur ab Innoc. in c. insinuante, Qui clerici, vel vouentes. Abb. in c. cum ad Monasterium, num. 8. de statu Monach. & c. edoceri, num. 3. de rescript. Sylu. ver. Abb. qu. 3. dicto 7. & ver. Religio, 6. quæst. 7. Maiore in 4. d. 38. quæst. 9. ver. arguitur secundò. Neque de hoc dubitari potest, spectato iure antiquo, cit. c. insinuante, & c. de viduis, 27. quæst. 2.

Sed an id reuocatum, & correctum fuerit à Trident. Concil. sess. 25. cap. 2. Ita affirmant Pet. Nauar. lib. 3.
13 cap. 1. num. 174. Lopez part. 2. instruct. cap. 5. Less. lib. 3. cap. 5. num. 30. Azor cit. cap. 9. num. 30. Molina tom. 2. disp. 276. Rodriq. tom. 3. regul. quæst. 29. a. 12. Negant verò Nauar. comment. 2. de Regul. num. 18. & comment. 3. num. 27. & lib. 3. consil. 75. de Regul. dub. 18. edit. 1. Sanchez lib. 7. moral. cap. 22. n. 11. Sa ver. Religio, num. 48. Beia p. 4. casu 32. Ludou. Miranda tom. 1. man. q. 28. art. 8. Graffis cit. num. 53. existimantes, non fuisse propositum Concilio nouum aliquod ius statuere, sed solum declarare ius, quo semper prohibitum erat, tum ne superflua Religiosis assignarentur, tum ne ea conditione aliqua relinquerentur, vt inde dependenter à Prælati voluntate, seu irreuocabiliter retinere possent. Quare etiam hodie permitti posse putant, vt Regularis, post editam professionem, ob iustam causam, maneat in domo priuata ex annuis suis reditibus victitans cum licentia Prælati arbitratu eius reuocabili, arg. cit. c. indicante. Item vt Monacho seni, vel infirmo assignentur reditus alicuius villæ, ex quibus se alat: Item vt Monialibus solum præbeatur victus, vestitum autem labore manuum sibi comparare debeant.

Hæc Nauar. & aliorum DD. sententia ad hoc saltem inseruire poterit, vt si talis adhuc in quibusdam Monasteriis, præsertim Monialium, consuetudo viget, damnari absolutè non debeat: sed valde consultum est, Superiorum auctoritate eam tolli ac corrigi, dummodo alia ratione sustentatio necessaria Regularibus prouideatur: non autem permittendum, vt imposterum sine vrgentissima causa introducatur: partim quia paupertatis religiosæ perfectioni repugnat, partim quia credibile est, Trident. Concilio cit. c. 2. §. Nec deinceps liceat & c. propositum fuisse eiusmodi stabiles reditus, seu annuas pecuniarias portiones omnino interdicere. quòd etiam Cardinales censuerunt super citato cap. 2.

Porrò qua ratione Prælatus ob iustam causam licentiam dare possit Regulari extra Monasterium manendi, seu ad curanda bona Monasterii, seu ob aliam necessitatem, data ipsi facultate, vt ibi acquisita in suos, vel alios vsus pios conuertat, videri potest Nau. comment. 2. de Regul. num. 40. & 41. iuncto num. 62. vbi addit, licet alioquin Monasterium non teneatur ex delicto Monachi, tamen si peculii administrationem habeat, præsertim extra Monasterium degens, ex eo damnum resarciendum esse.

Facilius autem Prælatus Religioso permittere potest res mobiles, v. g. pecunias, quas ipsi consanguineus, vel alia persona donauit, vt eas in pios & vtiles, quos voluerit, vsus expendat, tamen cum dependentia ab ipso Prælato, qui talem licentiam reuocare possit. Quamuis logè consultius sit, eiusmodi donatam pecuniam siue peculium in manus Prioris alteriusque depositarii deponere, vt à tali persona recipiat Regularis, si pecunia indigere videbitur, sicuti notauit Azor cap. 9. quæst. 4. Lopez part. 2. instruct. cap. 5. §. secundò consuetudo.

Illud vero certum esse debet, quòd Prælatus nec solus, nec cum Capitulo, permittere possit Religioso, vt 14
bona ex quacunque causa aut titulo prouenientia, in vsus quoslibet, etiam vanos aut illicitos, expendat aut superflua, vel pretiosa quæ statum regularem dedecent, penes se habeat: sed vterque, tum Prælatus licentiam dans, tum subditus ea vtens, voti paupertatis præuaricator existit, quin & donatio talis, seu alienatio irrita est, ac restitutioni obnoxia. Qua de re Nauar. cit. comment. 2. num. 23. Syl. ver. Religio 6. quæst. 7. Miranda in man. tom. 1. quæst. 28. a. 9. Mendoza quæst. 6. Valentia tom. 3. disput. 10. quæst. 4. p. 3. Molina tom. 2. disput. 276. Sanchez lib. 7. moral. cap. 19. num. 30. Nam Prælatus subdito maiorem facultatem conferre non potest, quam ipse habet. Cum autem is bonorum Monasterii dominus non sit, sed tantum administrator, iuxta cap. 2. de donat. ideo ea arbitratu suo, atque inutiliter expendere haud potest, sed tantum in eiusdem Ecclesiæ, seu Monasterii necessitatem, vel vtilitatem: Ergo &c.

Est autem hæc vtilitas duplex: publica & priuata. Priuata necessitas vel vtilitas est, quæ particulares Monasterio incorporatas personas attinet, vt ea sibi comparent, quæ pertinent ad victum, vestitum, honestam recreationem animi, aut corporis, quò alacrius officio suo fungi possint. Quare non damnarem Religiosum tanquam voti paupertatis transgressorem, si v. g. in Academia degens, aliquot mensuras vini cum sociis bibat ex pecunia sibi à Prælato transmissā ac donata: esto, quod peccet contra temperantiam, vel ob scandalum, si hopitium publicum ingrediatur ad potitandum. Etenim Prælatus voluit, ac potuit illi dare licentiam bi-

pendi cum sociis, sicuti & in Monasterio potest: sin autem ille inordinatè vsus est tali licentia, peccauit potius quoad modum, quam quoad rei substantiam.

Ad publicam vtilitatem spectant, quæ expenduntur ad communem Fratrum habitationem, aut victum, quæ nomine eleemosynæ in pauperes, aut hospitalitatis in peregrinos, quæ in piam causam, seu ad Dei honorem: item quæ donantur illis, qui de Ordine seu Monasterio bene meriti sunt, aut bene affecti vt sperandum sit imposterum aliquid commodi ab iis prouenturum, si eiusmodi beneuolentia magis concilientur.

Nouam verò constitutionem Clementis VIII. omnes ferme largitiones, ac missiones munerum Religiosis interdicentis, & alia statuentis ad religiosæ paupertatis dignitatem perutilia, videre potes apud Azor t. 1. lib. 12. c. 9. q. 5. quamuis illa necdum apud omnes in regionibus nostris recepta sit.

Ad extremum paucula addenda: Primum Prælatus licẽtiam dans Regulari retinendi, aut absumendi bona, debet esse proprius, siue is immediatus sit, seu mediatus. Notat verò Sanch. cit. ca. 19. n. 41. Hoc speciale esse in Societate Iesu, quod iuxta regul. penult. communẽ, peregrini, ac hospites, si ad Collegium, vel domum Societatis veniant, eius, qui illic præest, obedientiæ in omnibus subsint, sicuti & incolæ: quare rector Collegii, aut Præpositus domus licentiam accipiendi, vel expendendi hospiti, perinde vt aliis subditis suis, dare poterit.

15 Secundum. quod de Prælatis Ordinum dictum est, idem quoque sentiendum de Abbatissis, quòd Monialibus sibi subditis licentiam dare possint accipiendi, retinendi, expendendi, quæ iusta sunt: quandoquidem ad Abbatissam libera bonorum Monasterij administratio pertinet, teste Abbate in cap. 2. de his quæ fiunt à Prælato &c. num. 4. Bene autem limitat Sanch. nu. 44. Nisi consuetudine, vel constitutione religionis Abbatissæ potestas restricta sit.

Tertium: si Regulares vtriusque sexus res aliquas cum licentia Prælati malè detineant, vel alienent in vsus non concessos, peccant quidem contra paupertatis votum, vt suprà dictum; non tamen incurrunt pœnas iuris, de quibus infra dicam: cum eæ decretæ tantùm sint contra illos, qui clam aut sine Prælati consensu aliquid detinent, sicuti notauit Nauar. comment. 2. de regular. n. 21. Miranda cit quæst. 28. a. 15. Sanchez cit. cap. 19. num 25. vbi addit; Neque ipsum Prælatum inutiliter expendentem, aut superflua retinentem pœnas iuris incurrere.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum Religiosus contra vo-
16 tũ paupertatis peccet, si sine Superioris expressa, aut rationabiliter præsumpta licentia, à diuite pecuniam, vel alia dona accipiat, non pro se; sed vt aliis det, puta pauperibus, vel consanguineis? Respondeo, & dico I. Religiosus non peccat contra paupertatis votum, si donationem nullo modo acceptet, neque quoad ipsam rem, neque quoad liberam dispositionem de re. Ita docet Sanchez lib. 6. de matrim. disput. 4. num. 7. Luis. Turrianus 2. 2. disput. 84. dub. 3. Ratio est: Quia hoc casu diues nullum omnino ius pretio æstimabile à se in Religiosum transfert; consequenter Religiosus, cum nihil iuris sibi vindicet, contra votum paupertatis non delinquit: Sed vel habet se vt merus intercessor; puta, si diues Religioso aliquid donare velit; ille autem renuat, quia non indigeat, vel accipiendi ius non habeat; roget tamen interim, si velit, vt donet suo cõsanguineo. Qua eadem ratione ait Sanchez l. c. Licet prohibita sit donatio inter virum & vxorem, non tamen prohibetur maritus v. g. aliquo sibi donare volente, petere, vt potiùs donet vxori suæ, nisi subsit actus occultatus, quo tacitè acceptans maritus, iubeat tradi vxori. Vel habet se Religiosus, vt alterius internuntius, vt puta si in supra dicto casu pecuniam à diuite accipiat, vt eam non suo, sed ipsius diuitis nomine donet consanguineo, vel pauperi. Vel denique habet se Religiosus vt eleemosynarius, cui à diuite pecunia cõmittitur, vt eam nomine illius pauperibus ipse distribuat, qui existimauerit ea magis indigentes. Nam his casibus, licet pecunia in manus Religiosi tradatur, nihil tamen ipsi iuris aut dominii acquiritur: quandoquidem diues pecuniam pauperi, vel consanguineo donandam, ante donationis executionem, mutato consilio reuocare potest, vel iubere, vt nõ huic, sed alteri, quem ipse designauerit, donetur. Atque hoc sensu vera est sententia Sanchez lib. 7. moral. cap. 30. num. 4. Religiosum non peccare aduersus paupertatis votum, si sine Superioris licentia pecunias accipiat, relicta ipsi facultate pauperes eligendi, quibus distribuat: quamuis id repugnet regulis Societatis IESV, vt videre est reg. 22. Sacerdotum, & inter communes 7.

Dico II. Si Religiosus rem donatam vel secundùm se, vel secundum liberam eius dispositionem, absque Superioris licentia acceptat, quamuis in fauorem alterius, peccat contra paupertatis votum. Ita Turrianus locis suprà cit. Ratio est: Quia ius pretio æstimabile in Religiosum transfertur, quod paupertatis voto repugnat. Potest autem id pluribus modis contingere: Primò, Si diuite pecuniam v. g. ipsi donare volente, expressè, vel tacitè acceptet donationem; petat tamen, vt detur consanguineo: *Non enim refert, an ipse pecuniam acceperit, an alii iusserit dari*, l. 2. ff. de calumniat. Secundò, Si Religiosus in donationem sibi factam consentiat, & rem donatam accipiat, protestetur tamen, se non seruaturum, sed consanguineo suo donaturum. Tertiò, Si Religiosus pecuniam v. g. accipiat ad distribuendum liberè pauperibus, quibus ipse voluerit, independenter à voluntate dantis: quamuis protestetur, se nomine illius, & non suo, pauperibus donare, peccat tamen contra votum paupertatis: Quia etiam in hoc vltimo casu ius aliquod pretio æstimabile sibi Religiosus vsurpat, si accipiat pecuniam suo arbitratu pauperibus distribuendam, ita vt à dante reuocari, vel ad alium, quam ipse Religiosus voluerit, vsum, applicari non possit. Quomodo intelligo Doctores, quos citat Sanchez cit. cap. 30. num. 5.

QVÆSTIO QVINTA. Cui acquirat Religiosus, qui Ecclesiasticum beneficium legitimè obtinet? Respondeo & dico I. Religiosus beneficiatus, interim dum beneficium Ecclesiasticum obtinet, redituum administrationem habet, quos proinde tum ad sui sustentationem, tum ad alias causas pias expendere potest, facultate ipsi à iure canonico concessa. Ita docet Nauar. comment. 2. de Regul. num. 10. & 11. & lib. 3. consil. 70. de Regul. edit. 2. Rodriquez tom. 1. regul. quæst. 34. art. 7. Molina tom. 2. disp. 276. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 11. Quare regula traditur ex eod. Nauar. num. 10. & de redit. Eccles. quæst. 3. monito 25. Quod Religiosus beneficiarius ita disponere possit de fructibus sui beneficii, sicuti secularis beneficiatus. Sumitur ex Clem. 2. §. sed & tales; de vita & honestate Clericorum. Ratio verò est: Quia talis est natura seu institutio beneficij Ecclesiastici, vt tribuat alicui ius administrandi reditus ad necessarios, vel pios vsus. Atque hæc assertio prorsus indubitata est, si loquamur de Regulari v. g. canonico, translato cum Episcopi, aut Papæ licentia, ad Ecclesiam secularem: quia talis quodammodo desinit esse sub obedientia Prælati regularis, & incipit subesse Ordinario diœcesano, iuxta Glos. in Clement. 1. §. adhæc, verb. claustrum, de statu Monach. Abb. in cap. vlt. de capellis Monach. in fine. 17

Sed locum etiam habet assertio primò, Licet benefi-

cium manuale sit, ita vt beneficiarius arbitratu Prælati (modò ex causa iusta) reuocari possit, sicuti docet
7 Nauar. cit. comment. 2. nu. 10. & sequitur Rodriquez cit. art. 7. Lessius cit. dub. 11. num. 94. Quia pro tempore, quo beneficiũ manuale seu reuocabile iustè obtinet fructuum administrationem sibi ex canonum constitutione deposcit, & colligitur apertè ex Clem. 1. §. eodẽ quoque, de supplen. neglig. Prælatorum.

Secundò locum etiam habet assertio, si beneficium regulare sit, v. g. Prioratus habens proprios reditus, sicuti colligitur ex cit. Clem. 1. §. eodem, vbi prohibetur, ne Prælati regulares, *prioratus, ecclesias, administrationes, aut beneficia eiusmodi applicent mensis suis, pensionésue nouas eis imponant, aut veteres augeant*: & videri potest Nauar. loco cit. num. 11. & cit. consil. 70. num. 2. vbi hæc eadem de Commendatariis Ordinum militarium tradit. Sed bene monet Sa ver. Religio, numer. 46. In hac re attendendum esse ad cuiusque Ordinis regulam, & legitimè introductam consuetudinem.

Dico II. Reditus beneficii, qui post amotionem, aut mortem beneficiarii supersunt, ad Ecclesiam eam, vel beneficium, cui seruiuit, & cuius intuitu acquisiti fuerunt, pertinere debent. Ita docet Abbas in cap. vlt. de Regular. num. 3. Nauar. cit. comment. 2. num. 6. & comment. 4. numer. 69. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 10. quæstion. 6. Rodriquez cit. art. 7. Lessius cit. dub. 11. num. 91. & sumitur ex c. ne pro cuiuslibet, 16. quæst. 1.

18 Dico III. Quæ Religiosus beneficiarius extra Monasterium aliunde acquirit, videlicet ex eleemosynis, hæreditate, legato, propria arte, vel etiam ex pensione ipsi constituta, ea Monasterio saltem post mortem beneficiarii acquiruntur, si id bonorum in communi capax sit. Ita docent Bartolus in l. 1. §. si fructuarius, ff. de stipulat. seruorum, Lessius cit. cap. 41. num. 92. Quamuis Nauar. cit. num. 69. Sanchez lib. 7. cap. 32. num. 76. Azor cit. cap. 10. quæst. 6. dicant, ea, quæ proprio labore, arte, aut donatione beneficiarius regularis acquirit, pertinere ad beneficium, seu Ecclesiã, cui seruit; non ad Monasteriũ. Sed contra est, quòd à communi regula, sumpta ex c. Abbat. 18. q. 2. c. cũ ad Monasteriũ, de statu Monach. *Quicquid Regularis acquirit, Monasterio suo acquirit*, recedendũ non sit, sine speciali ratione, iuris textu, vel legitima consuetudine. Cuiusmodi quidem consuetudo, atque Ecclesiæ canon obtinet in Regularibus promotis ad Cardinalatum, Episcopatum, etiam titularem, vel aliam dignitatem Ecclesiasticam, præsertim talem, quæ habeat corpus bonorum separatum à corpore Ecclesiæ, vt tales ab Ordine suo quasi omnino exempti, & translati censeantur; ideóque quicquid quouis modo acquirant, ad ipsorum Ecclesiam, vel beneficium, vel Cameram Apostolicam pertinere debeat. quæ est sententia Abb. communiter recepta in c. in præsentia; num. 67. de probat. sumpta ex c. statutum 18. quæst. 1. Quòd si vero alicubi consuetudo est, vt qui ex Monasterio ad aliud quodcunque beneficium legitima auctoritate assumpti sunt, non solum beneficiales reditus, qui ipsis supersunt, sed etiam alia quæcunque deinceps, acquirant Ecclesiæ, cui seruiunt, vel Cameræ Apostolicæ, tunc illa obseruari debet.

19 QVÆSTIO SEXTA. Vtrum Prælatus Religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere possit? Responsio est negatiua, cum Angelo ver. Abbas, §. 17. Syl. eod. quæst. 3. dicto 7. Sanchez lib. 7. moral. cap. 17. num. 28. Nam Prælatus nihil Religioso concedere potest, quod voto paupertatis repugnat: Habere autem vsum alicuius rei non dependentem, seu non reuocabilem à Prælato voto paupertatis repugnat. Ergo, &c. Corollarium. Si Prælatus promittat Religioso, se non reuocaturum rem quampiam ipsi concessam, nihilominus reuocare potest. Quæ est sententia Syluest. ver. Abbas, quæst. 4. arg. l. interpositas, C. de transactionibus, iuncta Gl. ver. non posse, vbi habetur, Dominum cum seruo pasciscentem, seu transigentem obligari non posse nisi de libertate paciscatur. Quia tamen seruo dominus saltem naturaliter ex pacto obligari potest, vt contra fidem datam delinquat si iustam promissionem sine causa violet, sicuti docet Molina tom. 2. disput. 261 ver. licet autem, idem dicendum videtur de Prælato comparatione Religiosi: & ita docet Nauar. lib. 3. consil. 20. num. 8. & seqq. edit. 2. Sanchez cit. cap. 17. num. 32. Quæ doctrina vera est, si Prælatus aliquid promittat Religioso, cuius acquisitio non sit ratione voti paupertatis subiecta Prælato; v. g. si ei promittat preces seu aliam opem spiritualem. Sin verò ei promittat nõ reuocaturum vsum rei temporalis, ac pretio æstimabilis, quam Religiosus acquirere, ac retinere non potest sine dependentia à Prælato; non video, quomodo Prælatus sua promissione obligari possit, ad non reuocandum.

QVÆSTIO SEPTIMA. Vtrum subsistat legatum, vel hæreditas, relicta Monacho ea lege, vt ad ipsum, & non ad Monasterium pertinere debeat? Respondeo & dico I. Voluntas testatoris explicari debet, eo modo, quo subsistere & seruari potest; videlicet vt vsus seu commoditas ad Religiosum pertinere debeat, cum dependentia à Prælati consensu. qui cum primum consensum denegauerit, corruit legatum seu institutio: sin verò consensum præbuerit, interim iuris dominium Monasterio acquisitum est. Ita docet Angelus ver. Monasterium, num. 1. Syl. ver. religio 8. quæst 5. Rodriq. tom. 2. regular. quæst. 125. art. 2. Molina tom. 1. tr. 2. disput. 140. ver. Si aliquid testamento, Sanchez cit. cap. 17. num. 4. post Bartol. in Authen. excipitur, C. de bonis quæ liberis. Abb. in c. Monachi, num. 8. de statu Monachorum. Nam dispositionem quamcunque ita interpretari oportet, potius, vt valeat, quam vt pereat, vti docent DD. l. in contrahenda. ff. de regulis iuris, & l. qui quadraginta, ff. ad Legem Falcidiam, vbi habetur, quod perplexitas verborum secundùm præsumptam testatoris voluntatem ordinanda sit. Et in l. plenum, §. Equitii, ff. de vsu & habitatione; Quòd verba testatoris debent intelligi secundùm conditionem personæ, cui aliquid datur, seu relinquitur: atqui Monachus legati, aut hæreditatis aliter capax non est, nisi secundum vsum & commoditatem à Prælati voluntate dependentem. Ergo &c. 20

Id verò addendum, tametsi corruat legatum, si Prælatus consentire nolit, vt vsus & commoditas rei ad Monachum pertineat; quia non impleta est conditio, sub qua dispositio facta fuit; si tamen Prælatus ex sua parte consentiat; Monachus verò vsum & commoditatem sibi competentem Monasterio resignet, validam fore resignationem, vti bene docet Sanchez num. 9. Quia conditio illa à testatore adiecta erat in gratiam & fauorem Monachi: quiuis autem fauori suo renuntiare potest. Atque hæc omnia simili ratione locum habent in donatione facta Religioso, simili conditione adiecta.

Dico II. Si testator cum expressa conditione reliquit Monacho, si rei legatæ dominium ipsi relinquatur sine dependentia à Prælato, corruit legatum. Ita docent Bartol. Abbas, Syl. Molina, Rodriquez locis cit. contra Sanchez num. 12. Nam in vltimis voluntatibus, sicuti in omni alia dispositione, *primum locum voluntas testatoris obtinet, eaque regit conditiones*, l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstrat. & consentit l. si Titius, ff. de condit. institut. Si ergo clarè appareat, noluisse testatorem aliter relinquere, nisi cum conditione, quæ impleri non potest, corruere debet relictum, arg. §. vlt. Instit. de legatis. 21

Dico III. Si testator Monacho legatum, vel hæreditatem reliquit, ita tamen vt dominium rei ad ipsum, non ad Monasterium spectare debeat, in dubio an sit propriè dicta conditio suspensiua dispositionis, an verò modus adiectitius dispositioni absolutæ: fauore vltimæ voluntatis, posterius istud præsumendum, & conditio seu potiùs modus impossibilis pro non adiecto haberi debet. Ita interpretor l. 1. l. si quis ita, l. quæ sub conditione, l. conditiones quæ, l. conditiones contra, ff. de condit. institut. quibus decernitur; quòd conditiones seu natura, seu iure impossibiles, in vltimis voluntatibus pro non adiectis haberi debent. Ad cuius ciuilis constitutionis imitationem statutum quoque in cap. vlt. de condit. appositis, vt eiusmodi impossibilibus conditionibus reiectis, pro valore matrimonii pronuntietur. Id verò nequaquam decerni posset in casu, quo constaret, contrahentes non consensisse, nisi sub conditione impossibili: cùm sine consensu matrimonium esse non possit, vti bene notauit Couar. p. 2. epit. cap. 3. §. 2. Sed in dubio, num conditio propriè dicta apposita fuerit, an verò modus adiectitius matrimonio hoc posterius præsumendum, vt proinde matrimonium valeat, modus autem seu grauamen impossibilè corruat: v. g. *accipio te in vxorem, ita vt montem aureum in dotem des*. Qua de re dicam fusè lib. seq. tract. vlt. p. 2. cap. 7. in fine.

QVÆSTIO OCTAVA. Quænam pœnæ canonico iure decretæ sint Religioso proprietario, seu proprium retinēti? Resp. Tres reperiri. Prima, vt nō in ecclesia seu
22 loco sacro sepeliatur, si proprietarius absque pœnitētia decessit, c. Monachi, de statu Mona. sed in sterquilinio & cū ipso pecunia vnà sepeliatur, exēplo S. Greg. li. 4. Dialog. c. 55. Id verò intelligunt Canonistæ ibid. nominatim Abbas n. 15. de pecunia saltem secundùm partē: cùm in magna quantitate abiicienda, ac perdenda non sit. Additur in c. super quodam, eod. tit. Si proprietarius in loco sacro sepultus fuit, corpus extrahendum & abiiciendum esse, si sine magno scandalo fieri possit.

Secunda, vt Religiosus proprium retinere repertus, Monasterio expellatur, cit. c. cùm ad Monasterium. Sed monet ibi Abbas num. 13. in fine, & Sanchez lib. 7. moral. c. 20. n. 12. hodie huic pœnæ locum non esse, sed vt ad pœnitētiam agendam in carcerem detrudatur intra Monasterii septa, ne vagandi occasio præbeatur, iuxta c. vlt. de Regularibus.

Tertia: Si Religiosus aliquid vt proprium habere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiuâ voce priuatus esse, & aliter iuxta Ordinis constitutiones puniri debet, vti habetur in Trident. sess. 25. c. 2. de Regularib.

Notandum porrò est, pœnas has incurri tantum ab habentibus seu retinentibus proprium, non item ab iis, qui sine Superioris facultate aliquid alienant, vel absumunt, tametsi etiam isti aduersus paupertatis votum delinquant.

CAP. VIII.

DE VOTO RELIGIOSÆ CASTITATIS.

SVMMARIVM.

1 *Si Religiosus contra castitatem peccet, duo peccata committit.*

2 *In genere luxuriæ non accidit peccatum veniale propter materiæ paruitatem.*

QVÆSTIO est, Ad quidnam obligetur Religiosus ratione voti castitatis? Respondeo cum Syl. ver. religio. 6. quæst. 8. Valentia disp. 10. quæst. 4. p. 3. Lessio cap. 41. dub. 9. num 78. Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. num. 9. obligatum esse, vt se abstineat ab omni voluntaria delectatione Venerea interna, & externa; tam 1
quæ in coniugio, quàm extra coniugium percipi potest: vt proinde, si Religiosus contra castitatem peccet, simul etiam sacrilegus voti præuaricator existat; adeòq; duplicem malitiam committat.

Porrò licet peccata circa Veneream oblectationem 2
sæpenumero venialia sint, ob imperfectionem voluntarii, tamen ex communiore, eaque vera sententia, non datur in hoc genere peccatum veniale ex paruitate materiæ. Ratio est; Cum omnis Venerea carnis commotio sit suapte natura ordinatum medium ad externam generationem, pollutionémue, ideo sicuti hanc voluntariè velle, est peccatum mortale in quouis soluto, in Religioso verò non vnum, sed duo mortalia; ita similiter est, si deliberatè aliquis consentiat in delectationem, vel commotionem Veneream. Vide Rebellum p. 2. de oblig. iust. lib. 3. q. 19. §. 2. & 3. Sanchez lib. 5. moral. cit. c. 5. n. 12. vbi reuocat, quòd ante docuerat lib. 9. de matrim. disp. 46. n. 9.

CAP. IX.

DE VOTO RELIGIOSÆ OBEDIENTIÆ.

SVMMARIVM.

1 *Si Prælatus iustè aliquid præcipiat Religioso, cum voluntate eum obligandi, contra obedientiæ votum peccat ille, nisi obediat.*

2 *Non eadem est in omnibus Religionibus voti obedientiæ perfectio.*

Obedientia alia est indiscreta; alia imperfecta, & alia perfecta.

3 *Rarò Superiores Ordinum sub culpæ obligatione præcipere aliquid censendi sunt.*

4 *Probabile est, quòd Prælatus Ordinis, propter votum obediendi in omnibus, quæ iusta sunt, etiam actus internos præcipere possit: licet consuetum non sit, neque consultum, vt talia sub peccato præcipiantur.*

5 *Quæ ex genere suo indifferentia sunt, à Prælato bono fine, v. g. ad mortificandam propriam voluntatem ac sensum, præcipi possunt.*

6 *Si Ordinis regula obliget sub peccato, eius transgressio videtur esse contra votum, ideóque sacrilega.*

7 *Sin Ordinis regula sub culpa non obliget, eius transgressor non peccat contra obedientiæ votum: nihilominus potest Superior propter regulæ transgressionem pœnam imperare, cum obligatione eam suscipiendi ex obedientiæ voto: quamuis non semper ita obligare soleat.*

8 *Religiosus in Ordine Prædicatorum, aut Societatis Iesu transgrediens regulam, bono aliquo fine, seu motiuo, non peccat; licet pœnam regularem, si inferatur, suscipere paratus esse debeat.*

9 *Sin verò regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat, saltem venialiter; imò mortaliter, si frequenter transgrediendo religiosam disciplinam grauiter perturbet, vel in eo se statu constituat, vt expellendus sit.*

10 *Regulares professi non tenentur acceptare nouam regulam, seu arctiorem viuendi modum, quem nec explicite, nec implicitè professi fuerunt.*

11 *Si strictior obseruatio necessarium medium videatur ad substātialium votorum in tali Ordine obseruationem, Regularibus auctoritate Prælatorum imponi potest, tametsi eam expreßè non vouerint.*

12 *Prælati Ordinum exemptorum, quasi episcopalem in suos Regulares iurisdictionem obtinent.*

13 *Si appareat, regulæ ac disciplinæ temporis diuturnitate collapsæ reformationem necessarium medium fore ad Ordinis conseruationem, Prælatus cum Capitulo, multoque magis Sum. Pontifex professos omnes ad acceptandam reformationem compellere potest.*

QVÆSTIO PRIMA. Ad quid obligetur Religiosus ratione voti obedientiæ, seu quibus modis illud vio-

illud violetur? Respondeo, & dico. I. Votum obedientiæ violat Religiosus, si non præstet ea, quæ Superiori ipsi præcipit, cum voluntate eum obligandi sub culpa, dummodo quæ præcipiuntur, mala non sint, atque Ordinis instituto, ac regulæ conformia, sicuti monet S. Bern. lib. de præcepto & dispensat. Ratio autem assertionis est manifesta. Quia Religiosus hoc ipsum vouit, velle se Prælato præcipienti obedire in omnibus, quæ iusta sunt, & regulæ conformia: Ergo est transgressor voti, si obedire recuset.

2 Aliqua verò hoc loco aduertenda sunt: I. Obedientia Prælato vouetur iuxta cuiusque Ordinis institutum, regulas, ac constitutiones; quæ in diuersis Religionibus diuersæ sunt: quare nec eadem præcipiendi potestas, & obediendi necessitas. Id verò vniuersim dici potest, quòd Prælati præceptum sub culpa obligare nequeat, nisi in pertinentibus ad Regulam Ordinis directè, vel indirectè. Quare si Prælatus Regulari præcipiat, vt Episcopatum acceptet, vel aliud simile, per quod ab eius obedientia, & iurisdictione eximitur, non tenetur obedire: cùm præcipiendi limites ille excedat. Simile est, si austeriorem viuendi rationem præcipiat, quam regula, eiusque professio non requirit; nisi id fiat ob iustam pœnam commissi criminis. Denique licet in regula alicuius Ordinis vniuersalissima obediendi materia præscribatur, v. g. in ordine Minorum, vt obediant in omnibus, quæ non sunt contra regulam, vel animam: In Constitut. Societatis Iesv, p. 3. cap. 1. §. 23. & p. 6. c. 1. §. 1. vt obediant in omnibus, in quibus manifestò non cernitur peccatum, tamen id intelligendum est secundùm perfectionem obedientiæ, ad quam contendere debemus; non quatenus obediendi necessitas ex voto est, sicuti bene docent S. Bonauen. in 2. d. 44. art. 3. quæst. 2. S. Th. 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. & cit. disp. 44. p. 2. art. 3. vbi triplicem obedientiam distinguit; *Indiscretam*, si quis obediat contra legem Dei, vel contra regulam Ordinis: *Imperfectam*, si quis obediat tantùm in his, quæ secundum regulam sunt, & ad quorum obseruationem se voto obedientiæ expresè, vel implicitè obstrinxit. *Perfectam*, si quis obediat in omnibus, quæ non sunt contraria legi Dei; aut regulæ, quam professus est. Eandem doctrinam leges apud Maiorem in 4. disp. 38. quæst. 15. Syluest. verb. Religio 6. quæst. 6. Sanchez lib. 6. moral. cap. 2. num. 2. & 15. Licet aliter Less. lib. 2. c. 41. dub. 9. num. 77.

3 II. Etsi Prælatus Ordinis, quæ iusta, & regulæ conformia sunt, sub culpa præcipere possit, non tamen ita semper præcipere solet, quare tum ex Ordinis constitutionibus; aut consuetudine; tum ex verbis, quibus vtitur, colligi debet, vtrum conscientiam ex obedientiæ voto ad parendum obstringere velit. Et quidem in Societate Iesv significant Constitutiones p. 6. c. 5. in fine, & consuetudo approbat; vt nunquam censendum sit, præceptum Superioris obligare ad culpam, etiam venialem; nisi addatur in virtute S. Obedientiæ; aut in nomine Domini nostri Iesv Christi, vel simile aliquid, quo voluntas sub peccato obligantis clare significetur, vti testatur Alph. Roderic. p. 3. exercitij perfect. tract. 6. c. 5. Sanch. lib. 6. moral. c. 4. n. 70. Idemque in multis aliis Congregationibus receptum esse; testatur Vasq. 1. 2. tom. 2. disp. 158. cap. 3. num. 24.

III. Nomine Prælati hoc loco intelligi debet is, cui religiosa obedientia promissa est, quales ordinariè non sunt Episcopi: his enim licet Religiosi, qui exempti non sunt, iusta præcipientibus, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectant, sicuti & alij Clerici, obedire teneantur; non tamen obligatione voti obedientiæ. Quamobrem S. Th. dixit in 2. d. 44. quæst. 2. art. 3. quòd Religiosi non exempti in spectantibus ad statuta regulæ magis obedire debent Abbati, quàm Episcopo. Excipe, Nisi personæ religiosæ obedientiam in manibus Episcopi, tanquam proprii Prælati, emiserint, vti quædam Moniales solent; teste Sanchez lib. 6. cap. 1. num. 11. At vero Summo Pontifici, tanquam supremo omnium Ordinum regularium Generali, ex obedientiæ voto obedire debent: in iis præceptis, quæ sunt secundùm regulam, seu conformia regulæ. Secùs, si alia præcipiat, quamuis ex iusta causa: tunc enim obedire quidem debent, sicuti alij fideles, & Ecclesiasticæ personæ; sed non ratione voti sui, ita vt transgressio præcepti sacrilega existat. Videri de hac re potest Sanchez cit. cap. 1. concl. 3. & 4. & cap. 18. num 4. vbi ex hoc capite declarat votum quartum, ac speciale professorum Societatis Iesu *ad proficiscendum sine excusatione, non petito viatico, quocunque gentium iusserit Summus Pontifex inter fideles, & infideles, ad res, quæ ad diuinum cultum, & Religionis Christianæ bonum spectant.*

IV. Non est certum, quod docent Azor. t. 1. lib. 12. cap. 13. quæst. 4. Sanchez cit. lib. 6. cap. 1. num. 6. 4
Miranda tom. 1. manualis quæst. 26. art. 3. Quòd Regularis subditus non teneatur obedire Prælato suo præcipienti actus merè internos, v. g. orationem mentalem. Nam contrà est, quòd homo vouere potest, quidquid sanctum, Deoque gratum existit: atqui obedire Prælato præcipienti actus internos virtutum, v. g. orationem mentalem, est opus Deo gratum, & magnæ perfectionis; vt indicat S. Th. cit. art. 5. ad 3. Ergo ad talem obedientiam homo se voto obstringere potest, vti docet Suarez lib. 4. de legibus cap. 12. in fine. Neque est improbabile, quòd Religiosi, saltem aliquarum Religionum, in quibus stricta obedientia viget, ad talem obediendi seueritatem se obligare intendant, cùm velint fieri vti holocaustum, quo se totos, ac præcipuè voluntatem suam Deo in manibus, ac potestate Prælati offerant. Confirmatur tum ex eo, quòd Prælati Regularium possint, ipsis quoque contradicentibus, omnia eorum vota, etiam merè interna, simpliciter irritare: Ergo signum est, quòd Prælati Ordinum habeant gubernatiuam potestatem in actus etiam internos Regularium, quippe qui per obedientiæ votum iuri voluntatis suæ renunciarunt, vt iam velle, & nolle non habeant iuxta c. non dicatis, 12. quæst. 1. Tum quia in multis Religionibus præcipitur subditis, vt ad certam particularem intentionem orent, vel sacrificent; cùm tamen talis intentio operi omnino accidentaria, merè interna censeri debeat. Monet tamen Suarez in cit. loco: non esse consultum, & fortasse in nulla Religione consuetum, vt actus interni, qui exteriùs nullo modo produntur, præcipiantur sub obligatione peccati: quamuis absolutè loquendo præcipi possint.

V. Quòd docet idem Miranda cit. quæst. 26. a. 9. Re- 5
gularem non obligari ad obediendum Prælato præcipienti indifferentia; id verum est, si appareat, Prælatum vanè, ac inutiliter, nulloque bono fine præcipere. Secus, si id non appareat: nam quæ ex genere suo indifferentia sunt, & non mala, si à Superiore imperentur bono fine, v. g. intentione exercendi subditos in obedientiæ virtute, per circumstantiam finis virtuosi cohonestantur, & bona fiunt, sicuti constat ex ijs, quæ docet Cassianus de instit. renunciant. lib. 4. cap. 24. & 26. consequenter cadunt sub votum Religiosi, obediendo in omnibus, quæ iusta, & regulæ, ac votis obseruandis conformia sunt. Quo etiam modo S. Th. obscurè loquentem in q. 186. a. 5. ad 4. intellexit Caiet. ibid.

Dico II. Si Ordinis regula secundum auctoris, seu institutoris sui voluntatem obliget sub peccato; tunc eius transgressio est contra votum, atque sacrilega est. Hæc videtur esse sententia S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. & quodlib. 1. a. 20. quodlib. 10. a. 10. Syl. ver. Religio, 6. q. 17. quam expressis docent idem S. Thom. in 2. d. 44. quæst. 2. art. Henricus quodlib. 6. qu. 17. Valentia,

3. disp. 10. qu. 4. p. 5. princ. & circumst. tertia Sanchez lib. 6. moral. c. 1. num. 5. & cap. 4. n. 6. Vasq. 1. 2. t. 2. disp. 162. c. 4. n. 16. contra Rodriq. to. 1. regul. q. 26. a. 4. Manuale Prælatorum Ludouici Mirandæ t. 1. q. 25. a. 2. & seqq. Sumitur ex Clement. exiui, de verb. signif. §. declaramus. Probatur: Cùm enim Religiosus in professione, seu votorum emissione promittit seruare regulam, seu statuta, censetur se obligare secundùm eum modum, quo regula exigit: Quare si regulas Ordinis ex voluntate institutoris præcepta aliqua, v. g. ieiunij, silentij, sub peccato obligantia, Professis suis imponat, qualis est regula S. Francisci: tūc transgrediētes regulam non minus peccāt contra votū, quam si Superioris actuale præceptū violēt: quandoquidem lex, siue regula ipsorum non minùs præceptiua est, quàm vox Superioris.

Corollarium. Si in lege sub peccato obligante præcipiatur aliquid, quod alioquin sub diuinam, aut Ecclesiasticam legem cadit, v. g. vt Regulares diebus Dominicis, ac festis Missam audiant, neminem percutiant, aut iniuria afficiant; transgressio eiusmodi præcepti duplicem malitiam continet, vnam contra virtutem illam, cuius intuitu lex posita est, alteram aduersus obedientiæ votum, quo Religiosus astringitur ad seruandam regulam, si præcipiat sub peccato. Quamquam in dubio præsumi non debet, quòd in regula contineatur peculiare præceptum obseruationis, sed tantum commonitio eius; quod alioquin in obligatione iuris naturalis, aut positiui est, vti bene obseruauit Sanch. lib 6. moral. cap. 2. num. 6.

Sin verò regula Ordinis sub peccato præcipiat obseruationem alioquin sub nullo præcepto contentam. v. g. Carthusianis perpetuam à carnibus abstinentiam, tunc transgressorem talis regulæ duplicis peccati reum esse, dicunt Vasq. 1. 2. t. 2. disp. 162. num. 16. Sanchez lib. 4. moral. cap. 11. n. 25. Quia & contra votum obedientiæ peccat; & contra eam virtutem, videl. temperantiam, cuius intuitu regulare statutum editum fuit. Idemque de præcepto Superioris sub vtraque ratione obligare volentis, docent Caietan. 2. 2. quæst. 88. a. 5. dub. vlt. circa solut. 3. Vasq. 1. 2. disput. 98. cap. 3. num. 7. Sanchez loco cit. Et est probabilis hæc sententia: quia licet radix & origo iurisdictionis, quæ est in Regulares, proueniat ex spontanea eorum subiectione per obedientiæ votum, tali tamen subiectione facta, eodem modo subsunt gubernationi & iurisdictioni Prælatorum suorum, ac statutis Ordinis obligantur, sicut alij subditi legitimo suo Magistratui, eiusque iustis legibus subduntur.

Non ita verò se res habet, si aliquis vouerit obediturum se v. g. Confessario iusta præcipienti, is autem præcipiat ieiunium: hoc casu transgrediens præceptum, contra religionem voti duntaxat peccabit, vti notauit Vasq. cit. cap. 2. num. 7. & disp. 153. cap. 1. num 7. & Sanchez cit. cap. 11. num. 26. Ratio est, quia persona priuata potestatem iurisdictionis non habet, per quam leges, & præcepta condere possit: talis enim potestas à

7 Principe deriuari debet.

Dico III. Si regulæ Ordinis secundum Institutoris voluntatem non obligant sub peccato, tunc earum transgressor non peccat contra votum obedientiæ. Est communis. Quia votum obediendi intelligitur de iis tantum, quæ continent propriè præceptum, sed tales regulæ non continent propriè præceptum; cùm sint potiùs ordinationes, seu monita: obligant tamen ad pœnam suscipiendam, si ob transgressionem regulæ imponatur, vti docet S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. & 2. Bene tamen admonent Valentia citat. disput. 10. quæst. 4. p. 5. §. Est autem hæc expositio, Sanchez cit. c. 4. n. 11. Prælatum inferentem pœnam, non semper sub culpa obligare ad suscipiendum, quamuis possit ita præcipere: tunc verò subditi contra obedientiæ votum peccabunt, si ex verbis, vel circumstantijs colligere debeant, Prælatum pœnam decernere cum obligatione propriè dicti præcepti, & tamen non obtemperent. 8

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum nullum omnino peccatum sit transgredi regulam Ordinis Prædicatorum, vel Societatis Iesu, cuius statuta non obligant sub culpa: Respondeo ex doctrina S. Th. cit. art. 9. Valentiæ cit. p. 5. sub finem, Vasq. 1. 2. t. 2. disp. 158. cap. 3. num. 16. Sa[illegible] num. 14. & dico I. Si quis regulam aliquam transgrediatur, bono fine seu motiuo alicuius virtutis, v. g. extra tempora loquatur cum socio, vt mœstum consoletur; non peccat. Quia regula non obligat sub peccato; & actus, vt pono, videl. locutio, ex obiecto indifferens, ratione boni finis, etiam virtutis opus effici potest: paratus tamen esse debet, qui ita regulam transgressus est, pœnam subire, quippe quæ etiam ob defectum non culpabilem coram Deo inferri potest, ob regularem disciplinam conseruandam.

Dico II. Si quis regulam transgrediatur ex animi torpore, ac negligentia, venialiter peccat: quia non est rationi consentaneum, ad agendum, vel omittendum deliberatè moueri absque rationabili aliqua causa: præsertim contra monitum, seu præscriptum Regulæ, à Maioribus, seu Superioribus traditæ. 9

Dico III. Si quis regulam transgrediatur propter libidinem, seu inordinatum affectum erga rem aliquam, constat culpam committi, saltem venialem. Monet autem Valentia, facillimum, ac frequentissimum esse, vt torpor, vel libido in transgressione regulæ concurrat, ideoque culpa omni non vacet.

Dico IV. Si quis regulas Ordinis frequenter, & per consuetudinem violet, eáque ratione vel grauiter perturbet religiosam disciplinam, vel in eo se statu constituat, vt tanquam incorrigibilis expellendus sit, talis mortaliter peccat, sicuti bene explicat Sanchez num. 18.

Dico V. Si quis contra regulam Ordinis agat ex contemptu, mortalis peccati reus efficitur. Qua de re egi lib. 1. tract. 3. cap. 7. num. 5.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum Præpositus Ordinis Generalis, cum Capitulo, seu Congregatione generali, nouam legem ferre possit, quæ sub regula, quam Regulares professi sunt, expressè, vel implicitè non contineatur, seu per quam legem ad arctiorem viuendi modum deducantur, quam promiserint, seu professi sint. Affirmant Glos. in reg. quod omnes, de regul. iuris, in 6. Innoc. c. super eo, ibid. Abb. num. 6. de Regular. Rosella, ver. lex, num. 6. propterea quòd Religiosi propriam voluntatem non habeant, sed eam edito voto obedientiæ in Superioris voluntatem transtulerint. Sed contraria sententia est communior Angeli ver. Religiosus, §. 29. Sylueſt. ver. Religio, 6. q. 6. Armillæ n. 10. Vasq. 1. 2. t. 2. disp. 154. cap. 4. num. 25. Sanchez cit. lib. 6. cap. 2. n. 18. Quia, vt supra dictum, Religiosi per votum obedientiæ non transtulerunt omnem voluntatem in Superiorem, vt quælibet ipsis imperari possint: sed solum ea, quæ ad obseruationem regulæ, quam profitentur directè, vel indirectè spectant, vti docet S. Thom. quodlib. 10. a. 10. Possunt tamen Capitulares nouum statutum facere præter regulam antiquam, ita, vt ipsi in tale statutum liberè consentientes obligentur, & alii quoque postea professionem edituri, quibus regula immutata, & aucta proponitur, vt eam profiteantur: sed alij priùs professi, qui Capitulari constitutioni non interfuerunt, neque in eam vnquam consenserunt, obligati non censentur: quia *quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, reg. 29. in 6.

Addit Sylueſt. cit. q. 6. Less. lib. 2. cap. 41. num. 76. Azor. t. 1. instit. moral. lib. 13. c. 11. q. 19. Sanchez cit. c. 2. num. 22. Quòd nec summus Pontifex Religiosos

cogere possit ad arctiorem viuendi rationem, quàm prima instituti forma postulat. Quia speciale obedientiæ debitum, quo Religiosi ergà summum Pontificem astringuntur, ex professione & voto eorum prouenit, quod erat secundùm proprium regulæ institutum. Quæ autem aliis Clericis, vel Ecclesiasticis personis ob iustam causam à summo Pontifice præcipi possunt, v. g. vt episcopatum acceptent, in graui necessitate Ecclesiæ succurrant, etiam cum proprio periculo; ea similiter Religiosis imperari possunt, quamuis in ipsorum regula non contineantur: cùm non tantùm vt Regulares, sed etiam vt Christi fideles, & vt Clerici, summo Ecclesiæ pastori subiecti sint.

11 Veruntamen si strictior aliqua obseruatio, spectatis omnibus circumstantiis, necessaria videatur ad religiosæ vitæ reformationem, atque vt vota Religionis essentialia, aliáque Religionis salubria statuta seruentur; poterit talis noua obseruatio pro vniuerso Ordine decerni ab iis, penes quos potestas residet statuta religiosa condendi. Ita docent Syluest. Armilla, Vasq. Lessius, Sanchez ll. cc. Ratio est manifesta: quia talis obseruatio indirectè pertinet ad regulam, quando sine ea regula, & institutum Ordinis in suo vigore conseruari non potest; consequenter cùm Religiosus regulam profitetur, seu vouet, implicitè etiam se obligat ad ea omnia, sine quibus status Religionis suæ conseruari nequit, sed paulatim collabi, ac dissolui necesse est.

12 Ad extremum circa hanc quæstionem, aduertendum est. Quod Prælati Ordinum ab Episcoporum iurisdictione exempti, quasi episcopalem iurisdictionem in suos Regulares obtinent: quare sicuti Episcopus Regularibus sibi subditis leges ferre potest, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectant, iuxta doctrinã S. Thom. in 2. d. 44. quæst. 2. a. 3. col. vlt. ad. 3. ita etiã Abbas Ordinis exemptus, seu solus, seu cum Capitulo, constitutiones facere poterit, non quibus regula Ordinis notabiliter mutetur, vel austerior fiat, sed tales, quæ ad regularem disciplinam, & pietatem augendam necessariæ aut valde vtiles videntur, cuiusmodi etiam Episcopi Clerici, & Regularibus sibi subiectis ferre queunt. Quare quod docet Sanchez cit. lib. 6. cap. 2. num. 2. Iurisdictionem Regularibus Prælatis solùm concessam esse vt compellant suos ad exequendam obligationem votorum suorum, id intelligi non potest de Prælatis exemptis, cùm hi non minùs, quàm Episcopi, Ecclesiasticam iurisdictionem Summo Pontifici subordinatam habeant; ad subditorum suorum regimen necessariam. Quin & Prælati non exempti, iurisdictionem aliquam statuendi in rebus non grauibus per consuetudinem sibi comparare possunt. Quamobrem Doctores absolutè dicere solent. Quòd Prælati Ordinum potestatem habent statuta condendi, quamuis non omnes eandem, sed pro diuersitate Ordinis, priuilegiorum, & consuetudinum. Vide, quæ dixi lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 8.

QVÆSTIO QVARTA. Si quædam Religionis accidentaria, vt stricta abstinentia, silentium, vel corporis afflictio, ab Auctore seu Institutore regulæ præcepta sint, quæ tamen à tempore immemoriali; vel alio sufficiente ad legem, seu regulam desuetudine abolendam; obseruata non fuerint, vtrum vouens, aut professus regulam à prima institutione deflectentem, postea compelli possit ad rigorem, seu austeritatem instituti pristini, secundùm Institutoris voluntatem, amplectendam? Respondeo, & dico I. Si rem absolutè & secundùm se spectemus, talis Professus cogi nõ potest ad amplectendam strictioris regulæ reformationem. Ita docet Abbas c. super eo, de Regular. Syluest ver. Religio 3. quæst. 12. Nauar. cap. 12. man. num. 50. Miranda in manuali tom. 1. quæst. 25. art. 5. assert. 2. & 3. & quæst. 26. art. 10. Quia præsumptio est, quòd professi seu vouentes regulam Ordinis obligare se voluerint, sicuti tunc eius obseruatio in vsu erat, legitimè & cum Prælatorum approbatione.

13 Dico II. Si temporis progressu appareat, regulæ reformationem, strictiorémque obseruationem, necessarium medium fore, ad Ordinis cõseruationem, tunc Prælatus cum Capitulo, & multò magis summus Pontifex Professos omnes compellere potest ad regulæ reformationem acceptandam, quippe quam implicitè promisisse censentur, vti constat ex iis, quæ dixi quæ præced. ver. Veruntamen. Tunc autem reformatio regulæ necessaria videri debet ad regularis Ordinis conseruationem, si cum præsente obseruatione paucissimi ad perfectionem religiosam peruenire studeant, si cum scandalo, & querela secularium viuant, vt expediret omnino Religionem dissolui, quàm ita continuari: si neque essentialia vota v. g. quæ ad paupertatem religiosam spectant, communiter obseruentur. Cùm autem plerúmque accidat, vti experiẽtia nos edocet, si Ordo aliquis à Fundatoris sui institutis, ac præceptis recedat, paulatim ad deteriora tendere, cum Ecclesiæ, & ipsorum maximè Religiosorum spirituali detrimento, ideò plerúmque Professi reformationẽ regulæ collapsæ factam à maiore parte Capituli, multò magis à Sum. Pontifice, acceptare tenentur. Quæ est sententia Vasq. cit. c. 4. n. 25. Azorii t. 1. lib. 13. c. 11. q. 19. Sanchez cit. c. 2. n. 35. & aliorũ, quos ipse citat.

Corollarium I. Rectissimè Bonifac. VIII. c. vn. de statu Monachor. in 6. Trid. sess. 25. de Regul. c. 5. Monialibus omnibus perpetuam clausuram præceperunt, etiam iis, quæ eam expresè professæ non fuerant. Quia id necessarium medium videbatur ad castitatis earum votum obseruandum; quare ad hanc clausuram seruandam à Prælatis compelli possunt.

Corollarium II. Quod docent Less. lib. 2. c. 41. dub. 9. n. 77. Sanchez citat. cap. 2, num. 45. Prælatum Ordinis, ob publicam necessitatem, austeritatem aliquam, v. g. ieiunia ad tempus imponere posse, id facilè, meo iudicio, explicatur, si dicamus, id fieri ex potestate gubernatiua, quæ in omni Communitate necessaria est, & propriè quidem residet in Episcopis, vel Prælatis episcopalem iurisdictionem obtinentibus; per commissionem tamen, aut consuetudinem, competere etiam talis potestas solæ Prælatis Episcopo alioquin subiectis.

Corollarium III. Simili ratione iurisdictionis gubernatiuæ, poterit Prælatus, cum maiore parte Capituli, si exemptus est, statutum aliquod ex iusta causa facere ad pietatis, aut bonæ disciplinæ augmentum pertinens, v. g. vt festum Patroni regularis ecclesiæ cum ieiunio celebretur. Quia id Episcopus cum clero &c. statuere posset, erga suos subditos: ergo etiam Prælatus Ordinis cum Capitulo, pari potestate præditus. Sed multa v. g. ieiunia introducere, per quæ notabiliter regulæ austeritas augeretur, concessum non esse, patet ex quæst. 2.

EXTREMA QVÆSTIO EST. Qualis obligatio Religioso ratione status sui, incumbat ad perfectionem Christianam tendendi? Respondeo, ex doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 186. a. 2. iunct. Caiet. Azo. tom. 1. lib. 11. cap. vlt: quæ. 11. Valent. tom. 3. disp. 10. quæst. 4. p. 4. Sanchez lib. 6. moral. cap. 5. Finis, ad quem quoduis Religionis institutum suapte natura tendit, est Christiana perfectio: ad hanc autem consequendam alumnis suis media conuenientia proponit, quorum alia præcipua sunt, & omni Religioni communia, imò essentialia, paupertas, castitas, & obedientia. Alia verò sunt media secundaria, quæ secundùm regulam præscribuntur, plerumque ad faciliorem trium votorum obseruationem. Religiosus igitur quilibet obligatur, non vt perfectus sit, sed vt media perfectionis

acceptet, quatenus in præcepto posita sunt; videlicet vota sua obseruet, & regulas sub peccato obligantes. Sin verò regula non obliget sub peccato, sed contineat monita, consilia &c. tunc dici non potest, Religiosum obligari, per se loquendo, ad ea media perfectionis assumenda, sed solum, vt non contemnat. Per accidens tamen, si nullo omnino perfectionis religiosæ studium adhibeat, sed omnia monita, ac regulas negligat, eò quòd sub peccato mortali ad eas non obligetur; talis homo mortalis peccati reus fiet, vt suprà dictum in fine quæst. 1. Nam ratione votorum suorum, quibus se in perpetuum Religioni addixit, debet quilibet Religiosus ita se gerere, vt tolerabilis sit, & expelli non debeat: atqui nullum perfectionis conatum adhibendo, & regulas sine discrimine transgrediendo, intolerabilem se reddit, vt expelli debeat, aut si toleretur, plurimum incommodi Religionis adferet: ergo saltem per accidens, & indirectè agit contra professionem, aut vota sua.

Corollarium. Qui in Societate Iesu editis votis simplicibus, prauis suis moribus de industria dimissionem extorsit, vel fraude seu falsis allegationibus impetrauit, non est tutus in conscientia; neque liber à votis, sicuti docet Less. lib. 2. cap. 40. dub. 15. Sanchez lib. 6. moral. cap. 9. num. 66. Quia talis dimissio voluntaria non est ex parte Religionis; sed per iniuriam extorta: sicut si aliquis Deo vouisset, se in hospitali seruiturum quamdiu toleraretur, & postea ex proposito ita se gereret, vt expelli deberet. Quare talis in conscientia obligatus est, vt, exposita fraude sua, reditum ad Societatem petat; sin verò non impetret, ex eo tempore liber erit votorum obligatione.

CAP. X.

DE PRÆROGATIVIS RELIGIOSI status.

SVMMARIVM.

1 *Per vota religiosa plenam omnium peccatorum remissionem consequimur; atque certius, ac perfectius, quam per plenariam indulgentiam.*
2 *Probabile est, etiam per renouationem votorum hoc beneficium obtineri posse.*
3 *Per Religionis professionem omnia alia vota, & iuramenta pia ipso iure expirant.*
4 *Illegitimi, etiam spurii, si Religionem professi sint, absque alia dispensatione ordines suscipere possunt: sed ad Prælaturam, & dignitates promoueri non debent.*
5 *Susceptio status religiosi maculas legales auferre censetur.*
6 *Professio, vel assumptio Religionis tollit ingratitudinis notam, ob quam heres necessarius alioquin exhæredari posset.*

PRIMA prærogatiua est. Plenissima omnium pec-
1 catorum remissio. Quamobrem S. Hieron. epist. 8 ad Demetriadem S. Anselmus lib. de similitudinibus c. vlt. S. Bern. tract. de præcepto. & dispensat. Leontius Cyprius Episcopus in vita Simeonis Abbatis, S. Th. 2. 2. quæst. vlt. art. 3. ad 3. Professionem in Religione alterum baptisma dixerunt. Probatur ratione S. Thom. in 4. d. 4. quæst. 3. a. 3. ad 3. Certum enim est, quod homo iustus ex Christi meritis plenè satisfaciat Deo pro peccatis suis, si omnia quæ potest, propter Dei gloriam & obsequium præstet; siue, vt aliis verbis dicam, si tantum præstet; vt plus præstare non possit. Idipsum autem fit, dum homo omnia externa & interna, diuino obsequio in perpetuum, editis votis, offert, ac consecrat; maximè quando animo sui libertatem, qua nihil in homine excellentius, ipsique charius, derelinquit, atque Deo suo stabiliter tradit. Confirmatur; Qui partem bonorum propter Deum in eleemosynas pauperum dat, vt Zachæus ille Lucæ 19. pro peccatis suis satisfacit, iuxta illud Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Ergo qui omnia sua, & seipsum diuinis obsequiis tradit, is plenè satisfacit: siquidem Religionis assumptio omne genus satisfactionis superat, iuxta c. admonere 33. quæst. 2. vbi Glos. verbo monasterium, notat, quantamcunque pœnitentiam aliquis propter peccata subire debeat, intrando Religionem satisfacere, & liberari. Atque hæ rationes aperte ostendunt, prærogatiuam istam competere etiam votis simplicibus in Societate Iesu edi solitis; quippe quæ ver[illegible]tium traditionem continent. eósque veros Religiosos efficiunt. qua de re Sanchez lib. 5. moral. c. 5. n. 7.

Porrò bene admonent Nauar. tract. de indulg. notab. 20. num. 17. Hieron. Platus de bono status religiosi, cap. 13. ver. sanè, Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. num. 6. Hanc plenissimam peccatorum remissionem certiore ac perfectiore modo competere votis religiosis, quàm plenariæ indulgentiæ. Quia indulgentia, cum sit quædam concessio & condonatio, ex auctoritate sum. Pontificis, causam concedendi iustam requirit, & alias conditiones in iis, quibus conceditur. At verò ad remissionem peccatorum, iunctam cum professione religiosa, aliud insuper non requiritur: quandoquidem ea remissio ex natura & præstantia ipsius operis, per modum cuiusdam iustæ solutionis, ex Christi meritis promanat, modo subiectum capax sit, videl. homo in Dei gratia constitutus, quæ est conditio ad omnem satisfactionem requisita.

Deinde neque illud probabile mihi videtur, quod ex aliquorum sententia refert, & non improbat Sa ver. 2
Religio, num. 17. etiam per reuocationem votorum regularium, plenariam peccatorum remissionem obtineri. Nam vota, quæ in Religione eduntur, ideo afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum: sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri, seu renouari potest: ergo etiam remissio peccatorum iteratò acquirit; licet contrarium sentiat Sanchez num. 5. cum Tabiena ver. Nouitius, in fine, propterea quòd opus primæ traditionis difficilius sit, & ex intensiore voluntate procedens. Sed respondetur, hæc accidentaria esse, imò etiam fieri posse vt renouatio votorum maiore animi constantia, & determinatione ad Dei obsequium fiat, quàm prima traditio facta fuerat.

Altera prærogatiua est, Quod omnia alia vota, & 3
iuramenta pia, per Religionis professionem ipso iure expirant, vti docent DD. in c. scripturæ, de voto. Ratio est, quia per obligationem professionis religiosæ omnes hominis facultates ac vires in perpetuum, & irreuocabiliter Deo offeruntur, ideo eminenter in se continet omnes alias particulares obligationes, ad eum modum, sicuti si quispiam erga hominem obstrictus debitis, omnia bona sua illi offerat, séque ipsum in perpetuum seruum addicat, talis plenissimè satisfecisse censebitur. Ita hanc rem explicat Palud. in 4. d. 38. quæst. 4. a. 1. conclus. 6. vbi bene etiam monet, hanc votorum antecedentium extinctionem non fieri per irritationem, aut redemptionem, aliámue relaxationem, imò nec per propriæ voluntatis seu intentionis commutationem, sed per veram solutionem, spectata natura ipsius operis in perpetuum Deo præstandi. Vide quæ dixi tract. præc. c. vlt. in fine.

Tertia prærogatiua, Quod per professionem in Re-
ligione tollitur irregularitas ex natalium defectu, vt 4
proinde illegitimi omnes, etiam spurii, in Religione aliqua professi ad sacros ordines, absque alia dispensatione, promoueri possint, cap. 1. de filiis presbyter. cap. 1. d. 65. Circa quos textus notandum est primo, Illegitimè natos, etiam spurios, non prohiberi à susceptione habitus religiosi, spectato cōmuni iure: quorundam tamē Ordinum Monasteriorum statuta tales suscipi vetant.

Videri potest Rodriq. t. 1. regular. q. 13. a. 3. Suarez de censuris disp. 50. s. 5. n. 12. Sanchez lib. 5. moral. cap. 5. num. 9.

Notandum secundò; Si quis illegitimus absque dispensatione ordines in seculo suscepit, & postea Religionem professus est, videtur irregularitas tolli, vt in susceptis ministrare liceat, sicuti valde probabiliter docet Sanch. n. 10. contra Sairum in thesauro casuum lib. 6. c. 11. n. 3.

Tertiò notandum irregularitatem ex natalium defectu ita tolli per religiosam professionem, vt tamen tales illegitimi ad Prælaturam vel dignitatem Ecclesiasticam promoueri non possint, absque sedis Apostolicæ dispẽsatione, cit cap. 1. de filiis presbyterorum, & videri potest Rodriq. cit. q. 13. a. 5. 6. & 13. Sanchez cit cap. 5. num. 15. & seqq. Simon Maiolus lib. 1. de irregularit. cap. 10.

Quartò notandum; Hunc natalium defectum in ordine ad sacros ordines suscipiendos similiter auferri per vota simplicia in Societate Iesu emissa, sicuti docet idem Sanch. n. 13.

Denique etsi aliæ irregularitates per Religionis susceptionem, professionemue non tollantur, sicuti rectè contra Glos. in c. cum deputati, de iudiciis. Sotum in 4. d. 25. q. 1. a. 3. contra 5. concl. docent Rebuffus in praxi benefic. tit. de dispensat. super natalium defectu, numer. 71. Nau. comment. de Regul. n. 60. Henriq. lib. 14. c. 8. n. 10. & c. 17. n. 2. lit. t. Suar. disp. 41. de censur. s. 1. n. 3. Sanch. cit. c. 5. n. 9. Nihilominus facilior dispensatio super irregularitate dari solet professis in Religione, arg. cap. 2. qui Clerici, vel vouentes; idque notauit Auila loco cit. Henriq. cit. cap. 17. num. 2. in fine.

Quarta prærogatiua; Quòd susceptio seu professio Religionis tollat maculam quo ad actus temporales, ita
5 vt damnatus de crimine furti, v.g. aut periurii, postea ad testimonium in iudicio, & similes actus legitimos admitti possit. sicuti colligitur ex Authent. de Monachis, collat. 1. *Conuersationis Monachalis vita sic est honesta* &c. *vt omnem quidem humanam hominis maculam detergat.* idque ex communi docent Glos. & Abb. in cit. c. cùm deputati, Rebuffus loc. cit. num. 72. Sanchez cit. cap. 5. num. 27.

Quinta prærogatiua; Quòd per professionem, & quæcunque etiam simplicia vota Religionis soluitur patria potestas; cùm Religiosus penitus transeat in potestatem Superiorum suorum. Ita Gl. communiter recepta in l. si ex causa, §. Papinianus ff. de Minoribus. Videri potest Sanchez cit. lib. 5. c. 5. n. 31. vbi monet dimissum ex Societate Iesu post simplicia vota edita, iterum incidere in patris sui potestatem; nisi in maioribus ordinibus cõstitutus sit. Vide quæ dixi lib. 3. tract. 4. cap. 8. prope finem.

6 Sexta prærogatiua. Quòd professio aut assumptio Religionis deleat ingratitudinis notam antè cõmissam, ob quam alioquin pater, vel filius exhæredari, seu legitima hæreditatis portione spoliari posset. Ita habetur in Nouella Iustiniani Imperatoris apud Gratianum causa 19. q. 3. c. vlt. & tradit. Couar. in c. Raynutius, princip. n. 28. & alii plerique Doctores, quos refert, & sequitur Sanch. cit. c. 5. n. 33. Æquum enim est, vt per conuersionem ad religiosum institutum prioris delicti macula, saltem in ordine ad temporales actus, & iura expurgetur, argum. Auth. de Monachis, in princ. & notauit Glos. in l. Deo nobis. C. de Episc. & Clericis, ver. quasi ingratum.

Septima prærogatiua est; Quòd professio seu assumptio status religiosi per vota etiam simplicia, dirimit matrimonium postea contrahendum.

Octaua quod professio solemnis in Religione dirimit etiam matrimonium contractum, ac nondum consummatum. De quibus duabus prærogatiuis dicam lib. seq. tract. vlt. p. 4. cap. 3.

CAP. XI.

VTRVM RELIGIOSVS IN IVDICIO stare possit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus in iudicio nec vt actor, nec vt reus stare potest, quibusdam casibus exceptis.*
Monasterium non obligatur ex delicto Religiosi, sicuti nec dominus ex serui delicto.
2 *Religiosus non potest esse aduocatus, vel procurator in iudicio, nisi cum licentia Prælati & cum Monasterii vtilitate.*
3 *Si Religiosus, absque Prælati licentia in testamento ad causas profanas, aut in iudicio testimonium interponat, male agit; sed interpositio testimonii valet.*
4 *Religiosus munus Tabellionis suscipere, vel obire non potest: quare si in seculo tali munere functus fuerat, deponere illud debet.*
5 *Religiosus nec Iudex esse potest, nec assessor Iudicis, nisi cum consensu Prælati, & in causa spectante ad Monasterij vtilitatem.*
6 *Licet Religiosus ordinariè esse non possit arbiter, potest tamen esse arbitrator.*
7 *Prælati Ordinum constitui possunt Iudices conseruatores.*

ASSERTIO I. Religiosus in iudicio stare non potest seu vt actor, seu vt reus, absque licentia Prælati 1
sui. Ita ex communi Nauar. comment. 2. de Regular. num. 64. Ratio est; Quia Religiosus, cum omne ius in Monasterium transtulerit, ac veluti mortuus sit, comparatur seruo: seruus autem in iudicio neque agere, neque conueniri potest, l. Is nulla, l. vix, ff. de iudiciis, l. seruus, C. eod. Excipe primò: Si Religiosus beneficiatus sit, cum libera administratione, teste Nauar. lo. cit. Excipe secundò si Religiosus cum licentia Abbatis versetur in studio litterarum; aut si alia occasione absens sit à Prælato, vt facilè licentiam petere non possit, & de ea concedenda rationabilem præsumptionem habeat. qua de re Nauar. l. c. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 9. Sanchez lib. 6. moral. cap. 12. num. 14. Excipe tertiò; Si Religiosus obligationem contraxit, antequam Ordinem ingrederetur: tũ per ingressum ea eximi non potuit: quare hoc casu libellus contra Monachum formandus est; quamuis executio sententiæ fieri debeat in bonis Monasterii: quatenus ex Monachi patrimonio consecutum fuerat, vti docent Nauar. n. 67. Azor q. 12. Sanch. num. 2. Excipe quartò: Si Religiosus Abbatem aliumue Prælatum suum Regularem, ob rationabilem causam, accusare velit, c. ex parte, de accusat. quo casu ei expensæ necessariæ ad litigandum à Monasterio præberi debent, vti docent Gl. & Abbas num. 9. eodem cap. Excipe quintò; Quod ob delictum à Monacho commissum, ipsemet conueniendus est; neque Monasterium obligatur: sicuti neque dominus ob serui delictum conueniri potest, l. penult. §. sanè, C. de noxal. actionibus.

Assertio II. Religiosus non potest esse aduocatus, 2
vel procurator in iudicio; nisi cum licentia prælati sui, & cum vtilitate Monasterii, saltem indirectâ. ita habetur in c. Monachi, 2. causa 16. quæst. 1. cap. 2. de postulando. Concurrentibus autem duabus illis conditionibus, aduocare vel procuratorem agere potest tam in ciuili foro, quam Ecclesiastico; dummodo in causa criminali non agat coram Iudice seculari, argum. cap. 1. & c. vlt. de postulando. Cæterum extra iudicium, procuratorium munus suscipere Religioso prohibitum non est, modò Prælati licentia accedat: sin ea autem illicitè negotium ex mandato alterius geret; quamuis validè: cùm adsit voluntas mandantis; & suscipientis mandatum; saltem spectato naturali iure, quod sacri canones non infirmasse leguntur. At verò in iudicio standi, suo vel alterius nomine, absque Prælati licentia, potestatem nullam habet Religiosus; ideóque acta eius

irrita erunt, vti significatur in Clement. Religiosus, de procurat. & docet Sanchez lib. 6. moral. cap. 13. num. 41. Denique verò, consilium dare, seu voce, seu scripto, quid in causa qualibet secundùm iura agendum, aut respondendum sit, prohibitum non est Religiosis: cùm id non sit aduocare, aut procuratorem agere, sicuti bene notant Angelus, Syl. Rosel. Armilla, ver. aduocatus principio.

3 Assertio III. Religiosus testis esse potest, etiam testamentarius, & in iudicio, modò accedat consensus Superioris sui, quando coram Iudice, cui subiectus non est, testificaturus, ac iuramentum præstiturus est. qua de re videri potest Syluest. verbo testis, quæst. 1. dicto 1. Ioannes Faber Institut. de testament. §. testes, Farinac. in praxi criminali, p. 2. quæ. 61. opposit. 14. Sanch. cit. lib. 6. cap. 13. Clarus lib. 3. receptar. §. testamentum, quæst. 55. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 127. ver. Vtrum autem, vbi ait; validum esse testamentum, tametsi Religiosus testimonium suum interponēdi licentiam à Prælato non habeat: quam tamen, saltem præsumptam, habere debet, vt licitè interponat, quandoquidem Religiosos ea, quæ ab instituto suo aliena, & ad causas pias non inseruientia sunt, tractare non oportet. Verùm si Monasterium, vel causa pia instituatur, tunc testamentarius testis Religiosus esse poterit, quamuis non petita licentia Superioris: quomodo intelligo Syluest. ver. testamentum, 1. quæst. 5. dicto 1. Armillam eodem, num. 8. Rosellam 1. num. 13. Denique tametsi Religiosus in iudicio coram Iudice non suo testis sit, non petita licentia Superioris, valebit testimonium eius, vti bene docent Abb. c. cùm nuntius, num. 4. de testibus, Syluest. verbo testis, 1. quæst. 1. dicto 1. Sanchez cit. cap. 13. numer. 108. contra Angelum ver. testes, numer. 4.

4 Assertio IV. Religiosus non potest suscipere, vel obire munus Tabellionis, c. sicut, Ne clerici, vel Monachi, vbi idem decernitur de clericis, vti dixi lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 8. nu. 4. Quòd si Tabellio aliquis erat, antequam ordinem sacrum suscepit, vel Religionem professus est; signare quidem, ac perficere instrumenta debet, quæ antè cœperat; tamen postea munus deponere tenetur. Quòd si nihilominus in muneris executione pergat, valida erunt, quæ ab ipso gesta sunt; præterquam si à Prælato suo, puta Episcopo, aut Abbate, ei interdicatur, ita vt interdictio in publicam notitiam deueniat, teste Syluest. verbo Tabellio, quæst. 3. dicto 4. Abbate citat. c. sicut, num. 11. Rosella cit. ver. Tabellio. num. 7. Sanchez citat. lib. 6. cap. 13. num. 48. His adde, quòd in c. vt omnes, §. verum quia, ver. ad conscribendas, specialiter concessum est Clericis & Religiosis, qui ante clericatum, vel professionem suam Tabellionis officiũ gesserant, vt etiam postea in causa Fidei contra hæreticos liberè exercere possint.

5 Assertio V. Religiosus nullum munus iudiciale suscipere potest, seu vt propriè Iudex sit, seu vt assessor Iudicis, nisi cum licentia Prælati sui; & in causa concernente vtilitatem Monasterii, saltem indirectè. Ita colligitur ex c. Monachi, 2. 16. q. 1. & c. 1. de postulando; vbi Hostiensis, & Abb. n. 3. Sanchez cit. lib. 6. c. 13. n. 55. & 85.

6 Ex quo sequitur, quòd neque arbiter esse possit Religiosus, nisi concurrentibus his duabus conditionibus, vti ex communi docent Tabiena ver. arbiter, num. 10. Angelus §. 5. Armilla num. 12. Syluest. quæst. 16. vbi aiunt; quod arbitrator esse possit Monachus cum Prælati sui licentia, quamuis de Monasterii vtilitate non agatur. Differunt enim arbiter & arbitrator, quod ille à partibus constituitur, vt secundum iuris terminos sententiam ferat, ideóque veluti iudex quidam est, iuxta l. 1. ff. de arbitris. Sed arbitrator tanquam amicabilis cõpositor à partibus eligitur, vt pro bono pacis seruandæ, aut ineundæ, vnius iuri demere, & alteri tribuere possit, vitata tamen læsione magna, sicuti explicant Sylu. ver. arbiter, quæst. 2. different. 20. & quæst. seq. Tabiena num. 13. Armilla num. 18. Sanchez num. 52. Quare cum arbitratoris munus, seu arbitramentum ad partium concordiam, adeóque ad pietatem principaliter referatur, non est alienum à Religiosis, vt præstare illud possint, modò licentiam Prælati habeant: sine ea autem illicitè præstabunt, quamuis validè. Sed arbitrium Religiosi, quod instar iudicii est, initum absque Superioris auctoritate, irritum censeri debet: sicuti & serui arbitrium nullum est, l. Pedius, §. in seruum, ff. de receptis, qui arbitrium &c. vbi videri potest Glos. ver nullum sit.

Porrò in Societate Iesu solus Præpositus Generalis licentiam causa exigente, dare potest, suscipiendi munera iudicialia, executoris testamentarii, & similia, quæ à Religiosa professione plerumque aliena sunt, vti habetur in Constitut. p. 6. cap. 3. §. 7. in declarat. lit. d.

Assertio VI. Religiosus, qui Prælatus non est, constitui non potest delegatus ad exequendas literas Sum. 7
Pontificis, aut Legati eius, nisi ex certa scientia Papæ. Sumitur ex c. statutum, de rescript. in 6. vbi dicitur, eiusmodi delegatos debere esse in dignitate constitutos, vel Cathedralis Ecclesiæ Canonicos. Inter Religiosos autem soli Prælati, id est, qui saltem in eodem Monasterio Superiorem alium non habent, in dignitate constituti censentur, vti explicat Sanchez cit. c. 13. num. 75. & colligitur ex c. nisi essent, de præbendis & Clem. 2. de rescriptis. Ex quo infert Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 65. a. 3. quod Priores Ordinum Mendicantium, & Guardiani Minorum, cum in dignitate constituti sint, Iudices conseruatores constitui queant, iuxta c. vlt. de offic. delegati, in 6.

Dicitur autem Iudex conseruator, qui ex summi Principis voluntate, quale in Ecclesiasticis est Papa, miserabilium personarum, puta, viduarum, pupillorum, senum decrepitorum, ac Religiosorum, causas, contra iniustè vexantes suscipit, ac defendit. Vbi sciendum est, à Gregor. XIII. in Bulla edita Anno 1573. Societati Iesu concessum esse, vt in conseruatores Iudices eligere possint, quascunque personas in dignitate constitutas, & Vicarios generales Episcoporum, & Canonicos Ecclesiarum Cathedralium: quo nomine haud dubiè intelligi etiam debent, Canonici Ecclesiæ regularis, si Cathedralis sit, vti notauit Abbas in c. causam quæ, num. 9. de Iudiciis. Et Iulius II. Innoc. VIII. Leo X. Ecclesiastica districtione præceperunt personis in dignitate constitutis, vt literas conseruatorias à Religiosis oblatas, recipere, eósque in iuribus, ac priuilegiis suis conseruare ac defendere teneantur, apud Rodriq. cit. quæst. 65. a. 4.

CAP. XII.

DE CLAVSVRA MONIALIVM, ET prohibito ingressu intra claustra Monasteriorum tum mulierum, tum virorum.

SVMMARIVM.

1. *Clausura Monialibus omnibus seuerissimè præcipitur nisi ob necessariam causam licentia ab Ordinario obtenta fuerit.*
2. *Ingressus intra claustra Monialium sub excommunicatione prohibitus est: præterquam si ob causam necessitatis licentia ab Ordinario in scriptis obtenta sit,*
3. *Constitutiones de clausura Monialium, & prohibito ingressu intra septa Monasterii Monialium, non vbique quoad omnem modum recepta sunt.*
4. *De ingressu mulierum intra claustra Canonicorum regularium, non*

ita constat sub peccato mortali, & excommunicationis censura prohibitum esse.

§ *Certi casus sunt, quibus mulieres ad regularium virorum habitationes sine scandalo, & peccato admittuntur.*

1 QVOD ad primum attinet; Clausura Monialium, quæ Religionem quācunque professæ sunt, strictè præcipitur à Bonifacio VIII. c. periculoso, de statu Regular. in 6. in Trident. sess. 25. cap. 5. & cap. 22. de Regular. à Pio V. in motu proprio qui incipit, *Decori & honestati*; & alio qui incipit, *Circa pastoralis*. Et à Gregor. XIII. in motu proprio, cuius initium, *Deo sacris virginibus*: Vt nulla earum extra claustra Monasterii sui egrediatur quocunque prætextu, etiam ad breue tempus, nisi ob legitimam causam ab Ordinario licentia obtenta fuerit.

Circa quam constitutionem aliqua aduertenda sunt: I. Ea non comprehendi Nouitias, sed omnes Professas, etiam Conuersas, aut Tertiarias. qua de re Sanchez lib. 6. moral. cap. 15. num. 10. Nauar. comment. 4. Regular. numer. 44. Rodriq. tom. 1. Regular. quæst. 44. a. 2.

II. Nomine Ordinarii intelligi debet Ordinis Prælatus, quia Moniales ab Episcopi iurisdictione exemptæ subiiciuntur; alioquin intelligitur Episcopus, vel alius simili iurisdictione præditus, &, sede vacante, Capitulum, aut Vicarius generalis, teste eodem Sanchez num. 21. & 30. & videri potest Ludou. Miranda de Monialibus, quæst. 3. a. 6. concl. 1. Rodriq. tom. 1. quæst. 46. art. 6.

III. Causa legitima, ob quam egressus Monialibus concedi potest, debet esse periculum impendens, ob quod cōmunis cohabitatio impossibilis reddatur: cuiusmodi est pestis, lepræ; aut similis morbi contagiosi, item casus incendii, hæreticorum, seu infidelium incursus: deinde si commune bonum Religionis egressum postulet, v. g vt Monialis fiat alterius Monasterii Abbatissa, vel Magistra Nouitiorum, vel vt nouum eiusdem Ordinis Monasterium fundare aggrediatur, sicuti docet Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 49. a. 5. Sanchez num. 45. & seqq. At verò ob morbum, quantumuis periculosum si contagiosus non est, egressum è claustro ad aërem v. g. mutandum, permitti non posse, tanquam longè probabilius docent Gutierez t. 1. canon. qq. c. 14. num. 7. Rodriq. cit. quæst. 49. a. 3. Sanchez num. 39. contra Nauar. cit. comment. 4. num. 49. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæst. 1. §. Tertiò quæres. Quia sacri canones significant, causam, ob quam egressus è claustro Monialibus permitti possit, debere esse publicam; & non priuatam aliquam earum necessitatem: cum ea postponi debeat communi Religionis bono, sicuti in simili dixi lib. 1. tr. 4. c. 14. n 11.

IV. Si necessitas exeundi manifesta sit, & Superior tunc pro licentia petenda adiri non possit, fas est Monialibus eo inconsulto egredi: quia necessitas legem non habet, vti notauit Syl. ver. Religio, 7. quæst. 16. Rodriq. cit. quæst. 49. a. 2. Sanchez num. 62. qui bene etiam notat n. 60. licētiam egrediendi Monialibus concessam, intelligi debere, quatenus necessitas postulat, & dum illa durat.

V. Moniales aliter claustro egredientes, aut licentiam egrediendi concedentes: vel auxilium qualecunque ferentes, excommunicationem Sum. Pontifici reseruatam, ipso facto incurrunt, aliásque pœnas contrahunt, in cit. motu proprio Pii V. *Decori, & honestati*. Vide Rodriq. a. 5. Sanch. n. 63.

2 Quod ad alterum attinet, In cit. c. periculoso, de statu Regul. in 6 iuncta renouatione, ac interpretatione Conc. Trident. sess. 25. c. 5. de Regular. prohibetur omnibus personis cuiuscunque generis, conditionis sexus, vel ætatis fuerint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne intra septa Monasterii Monialium ingrediantur sine licentia, ob casum aliquem necessitatis, in scriptis obtenta, ab Episcopo, vel à Prælato Ordinis, cui Monasterium exemptum, subiectum est.

Circa quam constitutionem hæc annotanda sunt; I. Hac constitutione non comprehendūtur pueri, ac puellæ, si vsum rationis nondum adepti sint, sicuti ex communi docent Henriq. lib. 4. cap. 5. num. 2. in commēt. lit. m. Sanchez lib. 6. moral. cap. 16. num. 5. Azor to. 1. lib. 13 cap. 8. quæst. 5. vbi bene monet, amentibus ingressum permittendum non esse.

II. Episcopus, vel Ordinis Prælatus, qui licentiam ingrediendi aliis dare potest, eadem quoque facultate ipsemet vti, ob causam iustam, non prohibetur, vti docet Nauar. lib. 3. consil. 9. de statu Monachor. numer. 2. Azor cit cap. 8. quæst. 9. Sanchez num. 25. ex Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Dubiis*; addita limitatione, vt Episcopi aliíue Prælati non nisi paucis, senioribus, ac religiosis viris sociati ingrediantur.

III. Causa, ob quam ingressus in Monasterium Monialium conceditur, debet esse alicuius necessitatis sufficienter apparentis: qua ratione licentia ingrediendi datur tum Sacerdotibus ad Sacramenta infirmis ministranda; tum corporalibus medicis, chirurgis, imò & fabris ad ædificia, & similia opera necessaria perficienda: qua de re Rodriq. to. 1. regul. quæst. 47. a. 4. & seqq. Sanchez lib. 6. c. 16. num. 39. & seqq. Azor cit. cap. 8. quæst. 6. Quibus autem conditionibus puellæ educationis causa in Monasterium recipi possint, leges apud eundem Azor quæst. 4. Sanchez numer. 61. Item famulæ ad domestica ministeria peragenda, de quibus Rodriquez tom. 1. quæstion. 46. art. 7. Sanchez num. 65.

IV. Sicuti constitutio illa canonica de clausura Monialium seruanda, nondum in omnibus Monasteriis introducta est, cum adhuc hodie aliqua reperiantur, in quibus clausura non obseruatur, ita & altera 3
constitutio, prohibens ingressum in Monasteria Monialium, non vbique secundum omnem prohibitionis modum recepta est, cùm adhuc in Germania sint Monasteria Monialium, in quibus tum viri, tum mulieres ingredi solent domos seu habitationes intra septa, quā-uis extra claustra seu habitationes proprias ipsarum Monialium: sæpe etiam facili de causa mulieres seculares, & Religiosæ aliorum Ordinum ad ipsarum Monialium claustrales cellas admitti solent. Cuius rei reformatio ad Episcopum loci, tanquam Ordinarium, erga exemptas verò ac Sedi Apostol. immediatè subiectas, tanquam ad eiusdem Sedis delegatum pertinet, ad Prælatum verò Ordinis Generalem, vel Prouincialem, si Moniales exemptæ ab Episcopo ipsis subiiciantur. qua de re Nauar. comment 4. de Regular. num. 47. & 60. Miranda citat. quæstion. 3. art. 6. Sanchez lib. 6. cap. 5. numer. 21. ex Bulla Pii V. quæ incipit, *Circa pastoralis*.

Quod ad tertium attinet, videl. ingressum mulierum in Monasterio seu claustra virorum regularium, non ita certum est, eum sub peccato mortali, aut excommuni- 4
cationis censura prohibitum esse. Tametsi enim allegari solet Bulla Pii V. quæ incipit *Regularium*, apud Nauar. cit. comment. 4. num. 62. Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 48. a. 1. & Gregor. XIII. Bulla 36. quæ incipit, *Vbi gratiæ*, est tamen valde probabilis sententia eiusdem Rodriq. a. 2. Suarez tom. 5. de censuris, disp. 22. s. 6. num. 11. Philiarchi de officio Sacerdotis tom. 1. p. 1. lib. 3. cap. 30: non fuisse mentem horum Pontificum nouo iure condito ingressum mulierum in Monasteria virorum prohibere, sed solùm paci & quieti Regulariū prospicere, ad quorum Monasteria tum Sanctimoniales, tum laicæ fœminæ (puta Marchionissæ, Comitissæ &c.)

prætextu priuilegiorum ipsis concessorum, contra instituta eorundem Regularium, & interdum non sine molestia ipsorum, ingredi præsumebant. Quarum mulierum priuilegiis sublatis, Pius V. & postea Gregor. XIII. in suis Bullis, sub excommunicationis censura, Sedi Apostolicæ reseruata, prohibuerunt ne eiusmodi mulieres, prætextu talium priuilegiorum, Monasteria virorum ingredi auderent. Gregor. verò XIII. qui dictam Pii V. constitutionem etiam ad Monasteria Monialium extendit, eandem excommunicationis pœnam statuit in vtriusque sexus Regulares, si quemquam, pretextu eiusmodi facultatum seu priuilegiorum, in Monasteria, domos, vel loca sua ingredi faciant, aut permittant. Vbi tamen expressè nulla mētio fit sexus fœminini, quasi verò etiam viri religiosi excommunicationem incurrant, si quācunque mulierem in loca religiosa ingredi permittant, siquidem in pœnalibus nomine masculino non cōprehendi fœmininum, docent DD. aliqui apud Rodriq. quæst. 47. art. 3. quod maximè verum esse videtur, si ratio disparitatis assignari possit, sicuti in proposito casu: quia semper grauius prohibitus fuit ingressus virorum in Monasteria Monialium, quam ingressus mulierum in Monasteria Monachorum; sicuti videre est in Trid. sess. 25. c. 5. de Regul.

Sed etsi demus, masculino illo *quemcunque* comprehendi etiam sexum fœmininum: tamen Pontifex non excommunicat simpliciter admittentes ad Monasteria quemcunque, aut quācunque, sed prætextu alicuius priuilegii seu facultatis ipsi concessæ. Constitutio autem pœnalis, qualis hæc est, non debet extendi à casu expresso ad alium non expressum, sicuti ex communi docet Caietan. ver. excommunicatio, in princ. Nau. cap. 27. man. num. 51. Rodriq. cit. quæst. 47. a. 1. & quæst. 48. a. 2. neque refert, quod Nauar. in cit comment 4. num. 61. ver. quartò, testatur; Pium V. Pont. declarasse, quod cōstitutio sua proinde locum habere debeat, si aliæ mulieres non sub priuilegii prætextu, ingrediantur; idque in sacra pœnitentiaria ex mente Greg. XIII. obseruari solitum esse. Respondeo enim, declarationem istam authenticè promulgatam non esse, vti notauit Rodriq. cit. a. 2. saltem in Germania constitutio illa tota secundùm eum rigorem recepta non est. Quapropter Suarez cit. s. 6. ait. *Nec in communi iure Pontifici neque in aliis Pontificum decretis inuenio generalem legem prohibentem* ingressum mulierum in Monasteria virorum *sub mortali; neque etiam ex natura rei, aut ex ipsa professione video in hoc actu per se, & intrinsecam malitiam. Et ideo non existimo, in vniuersum esse hoc peccatum mortale, si excludantur circunstantiæ praui finis, scandali, violentiæ, iniuriæ Monasterio illatæ. Consulenda igitur sunt peculiaria statuta ipsarum Religionum*: quæ plerumque esse solent, vt ad interiores domos seu habitationes intra Monasterii, vel Collegii claustra fœminæ non admittantur.

Excipiuntur primò Reginæ earumque filiæ, cùm ha-
5 rum ingressus nullibi prohibeatur. Secundò, quod in aliquibus Ordinibus consuetudo est admittendi fœminas fundatrices, apud Sanchez cap. 17. num. 7. Tertiò, Quòd aliqui priuilegium habent admittendi fœminas valde illustres: quibus casibus etiam necessarius eis mulierum comitatus permittitur. Quartò admitti possunt mulieres, cum reliquo populo, intra Monasterii septa, ad diuina officia, & Ecclesiasticam sepulturam. qua de re Rodriq. cit. quæst. 48. a. 3. Sanchez cap. 17. numer. 22. Quintò, Si consuetudo sit, vt fœminæ sacristiam contiguam templo intra parietem claustri ingrediantur v. g. ad confessiones faciendas. qua de re Rodriq. apud Sanchez num. 16. & 17. Sextò, Si Religiosi in residentia tanquam in priuata domo, ad tempus viuant, non censetur ea habere claustrum; secùs, si sit residentia perpetua, habens Ecclesiam cum Eucharistia, &c. vti respōdet Sanchez num. 20. Septimò, Vituperari non potest consuetudo si Regulares extra Monasterii claustra singuli habitantes, habeant mulieres coquas honestas, & nullo modo suspectas, vti notauit Nauar. comment. 4. de Regular. num. 65. Sanchez num. 31. Et Rodriq. qu. 48. a. 3. sustineri posse ait, vt liceat mulieri honestæ, & non suspectæ, ingredi domum Regularis Canonici, non habitantis intra claustrum multorum, seu Conuentum; licet domus illa Monasterio contigua sit.

Quapropter eadem ratione defendi potest consuetudo quorundam Monasteriorum in quibus mulieres honestæ, quę extra omnem suspicionem sunt, admittuntur ad domum, seu aulam Abbatis, vel Præpositi regularis, quæ seiuncta est à claustro Conuentus, & vnius Abbatis, seu Præpositi eiusque Officialium vsui deputata, horum enim, quæ sine scandalo fiunt, optima interpres consuetudo esse debet. Denique simili ratione Sanchez ait num. 18. atrium Scholarum, etsi contiguæ sint Collegio Societatis IESV, non censeri intra claustrum, quāuis consuetum non sit, neque decens, vt fœminæ in illud recipiantur. Alia verò ratio est de hortis contiguis Monasterio, si ex Conuentu aditus religiosis in hortos pateat: nam eos intra claustrum reputari, tradit idem Sanchez num. 15. Secùs verò, si horti, vel prædia à Monasterio seiuncta sint, teste Nauar. cit. comment. 4. n. 62. notab. 1.

CAP. XIII.

DE RELIGIOSIS EIECTIS, & fugitiuis.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi professi ob iustas causas è Religione per sententiam eijci possunt.*

2 *Religiosus eiectus rerum, quas acquirit, non dominium, sed vsum tantum, & administrationem habet.*

3 *Si Religiosus eiectus alicui Ecclesiæ seruiat, bona ab ipso acquisita ad eandem Ecclesiam spectare debent. Alia verò ratio est de fugitiuo, & apostata.*

4 *Eiectus per sententiam non est omnino liberatus obedientiæ voto; licet magna ex parte eius executio cesset, donec in Ordinem recipiatur.*

5 *Non est certum, quòd eiectus per sententiam obligatus permaneat obseruationibus regulæ, quam professus fuerat.*

6 *Eiectus ob crimen debet se corrigere, ac redire; præsertim si ab Ordine repetatur.*

7 *Prælati Ordinum apostatas, & eiectos suos non semper reducere, aut redeuntes recipere tenentur, præsertim si incorrigibiles videantur, aut sine scandalo, vel Ordinis detrimento recipi nequeant.*

8 *Eiecti si in suo Ordine non recipiantur, tuto in seculo manere possunt, nisi malint alium Ordinem quamuis laxiorem, ingredi.*

9 *Prælati Ordinum interdum ob causam iustam eijciunt Professum tali pacto, vt aliam Religionem profiteatur: quam conditionem si Professus acceptauit, implere tenetur, vel regressum ad suam Religionem impetrare.*

10 *Religiosus professus in vno Monasterio ob causam iustam cogi potest vt transferat se ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, modo Monasteria sint sub eodem Capite, puta Generali Ordinis.*

IMPRIMIS supponendum est, contra Cardinalem 1
Zabarellam ex communi sententia apud Nau. comment 2. de Regular. num. 33. & comment. 3. num. 52. Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 30. art. 14. & seqq. Sa ver. Religio, num. 40. Azor tom. 1. l. 12. cap. 16. quæst. 2. Less. cap. 41. dub. 14. Mirandam tom. 1. quæst. 52. art. 1. Sanch. lib. 6. moral. cap. 9. ex c. cum ad Monasteriū, de statu Monachorum; professos è Religione eijci posse ob causas iustas: I. Si in graui, vel pernicioso crimine existentes notoriè incorrigibiles appareant. II. Si ob

criminis infamiam, sine graui Ordinis detrimento tolerari non possint. Nam *resecandæ sunt carnes putridæ* (inquit S. Hieron. in cap. 5. ad Galat. relatus causa 24. quæst. 3.) *& scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat.* III. Si quis grauem, ac mortaliter intolerabilem defectum in sui admissione reticuit: qua in re ita distingue: vel enim talis defectus est, ob quem iuxta statutum à Sede Apostolica profectum, vel ab eadem approbatum, aliquis omnino tanquam inhabilis ab Ordine excluditur: hoc casu professio irrita est. qua de re videri possunt Constitut. Societatis Iesu p. 1. cap. 3. Vel tale statutum nullum est; attamen magna fraus, & deceptio defectum retinentis: vt si quis morbo epileptico laboret aut gallico, vel simili contagioso; tunc probabilis est sententia Nauar. lib. 3. consil. 40. de Regular. edit. 2. Sa ver. Religio, num. 34. Rodriq. tom. 2. casuum cap. 6. num. 3. quòd Ordo talem professum in pœnam peccati expellere possit; quia in re admodum graui decipit Monasterium reticendo defectum; ita vt hæc fraus dederit causam admissioni: licet contrarium doceat Sanchez lib. 5. moral. cap. 4. num. 58. Videri etiam potest Gerson p. 2. in tractatu quarundam qq. alphab. 34. lit. S.

Porrò annotauit Sanchez lib. 6. moral. cap. 9. num. 6. Consultum non esse, neque consuetum, vt Monialis professa ob crimen expellatur; sed potius, si aliter corrigi non possit, in perpetuo carcere detineatur, ne aliis offendiculo sit.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum Professus postquam è Religione per sententiam eiectus est, nihilominus obligetur ad seruanda vota, & regulam? Respondeo, & dico I. Cùm Religionem professus ex Ordine suo ob culpam eiicitur, manet nihilominus verus Religiosus, & substantialibus votis suæ Religionis astrictus. Quæ est communis sententia apud Syluest. ver. Religio, 6. qu. 12. Nauar. cit. comment. 2. n. 35. Mirandam cit. quæst. 52. a. 5. inprimis certum est, eiectum voto castitatis omnimodè obligatum manere, vt docet Sotus lib. 7. quæst.
2 2. a. 1. col. penult. Quod ad votum paupertatis attinet, earum rerum quas acquirit, solum vsum, & administrationem sibi vendicare potest, sicuti ex communi tradit Rodriq. cit. quæst. 30. a. 16. Sa cit. num. 40. Lessius dub. 15. num. 112. Mol. tom. 1. tr. 2. disp. 140. qui tamen pleniorem licentiam tribuit eiecto, etiam in vsus illicitos validè expendendi, ita vt accipiens retinere possit perinde ac si à non Religioso acquisiuisset: idque vsu receptum esse, testatur Lessius & sequitur Sanchez lib. 6. moral. cap. 9 num. 47. Quia eiectus ab Ordine plenam bonorum administrationem habet.

3 De dominio verò rerum ab eiecto acquisitarum existimant Abb. & Alexand. de Neuo c. vn. de infant. exposit. Nauar. cit. comment. 2. num. 33. Azor cit. cap. 16. quæst. 8. ea non Monasterio, è quo eiectus est; sed Ecclesiæ acquiri, seu diœcesanæ, si alicubi beneficium habeat; seu Romanæ, si beneficium nullum habeat: ideoque hoc casu bona, tanquam vacantia sint, à Papa, vel Episcopo, post mortem Religiosi eiecti, vindicari posse. Sed Godefredus apud Abb. in cit. c. vn. Mol. cit. disp. 140. Less. num. 112. putant, bona, quæ eiectus propria industria, vel aliorum donatione, legato &c. acquisiuit, ad Monasterium pertinere: quia Monasterium per iustam eiectionem non debet priuari iure, quòd antè habebat in omnia acquisita à Professo suo. Arbitror verò, priorem sententiam in praxi obtinere: propterea quòd eiectus per sententiam iustam in externo foro nullam amplius cum Monasterio communionem habere censeatur, sicuti etiam Sotus indicat loco suprà cit.

Alia verò ratio est de fugitiuo, quem vti seruum Monasterium vendicare, & reducere potest. Quare de eo ita distingue, cum Abb. in c. vlt. num. 3. de Regul. Vel is Ecclesiæ alicui seruit; tunc ad eandem pertinere debent saltem ea bona, quæ intuitu eiusdem Ecclesiæ acquisiuit, vti etiam docet Azor cit. cap. 16. quæst. 8. arg. c. cùm in officiis, & c. relatum, de testam. Vel nulli Ecclesiæ seruit; tunc si sit Ordinis Mendicantium, qui bonorum communium incapax est, pertinent illius bona ad Sedem Apostolicam, vel nomine eius ad Syndicum Monasterii. Sin autem non Mendicantium, sed alterius Ordinis Professus est, acquirit Monasterio, in quo professionem edidit; siue primò, ex quo aufugit, siue secundò, ex eo tempore, quo ad aliud Monasterium legitima auctoritate translatus est. Idémque sentiendum videtur de bonis fugitiui, si quamuis alicui seculari Ecclesiæ additus, aliqua acquirat, non ex causa Ecclesiæ, sed propriæ personæ, ea ad Monasterium pertinere, sicuti docent Syluest. ver. Religio, 4. quæst. 10. Azor cit. quæst. 8. licet contrarium senserit Abb. & Nauar. locis cit. Porrò quæ dixi de fugitiuo, multò magis locum habent in Apostata, acquirere eum Monasterio, siue Ordini, quippe cuius iure ac potestate minimè liberatus est. Verum si apostatæ, aut fugitiui suis bonis priuentur, vel moriantur, antequam ad Religionem reducti sint, ipsorum bona, tanquam spolia, ad Cameram Apostolicam spectare, ex constitut. Pii IV. & Gregor. XIII. testatur Nauar. de spoliis Clericorum, §. 7. num. 4. & alia constitut. Gregorii XIII. apud Mirandam q. 51. a. 7.

Denique quod attinet ad obedientiæ votum licet 4
Sotus lib. 7. quæst. 1. a. 1. col. penult. Arrag. 2. 2. qu. 88. art. 3. §. hucusque diximus, eiectum eo liberum pronuntient; contraria tamen sententia communis, & vera est apud Rodriq. a. 20. Nauarrus verò comment. 2. de Regul. num. 35. & lib. 3. consil. 77. & 78. de Regular. edit. 2. contendit, eiusmodi eiectum absolui ab obedientia Prælati sui, & incidere in obedientiam Episcopi. quòd etiam minùs probabile est, & rectè refutatur à Rodriq. Molin. Less. Sanchez ll. cc. Nam religiosi eiecti non ad aliam obedientiam tenentur, nisi eam, quam vouerunt: non autem vouerunt obedientiam extra Religionem Episcopo præstandam: ergo non incidunt in obligationem obedientiæ erga Episcopum, vltra illam, quam alii Clerici Episcopo suo debent.

Dicendum igitur est cum Glossatore Nauar. consil. 77. Lessio dub. 15. in fine, Sanchez num. 25. eiectos non esse solutos voto substantiali obedientiæ, comparatione regularium Prælatorum, quamuis magna ex parte cesset eius executio, ob defectum materiæ, quia de facto non habent Superiorem, à quo dirigantur; nihilominus manent voto obligati virtualiter, vt proinde parati esse debeant obedire, si in Ordinem denuo recipiendi sint, ad eum modum, quo S. Thom. 2. 2. quæst. 185. a. vlt. ad 3. ait, Prælatos Ordinum, & Regulares ad Episcopatum translatos, *virtualiter adhuc obligari; ita scilicet, quòd si eis legitimè aliquis præficiatur, obedire teneantur.*

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum Religiosus eiectus liberetur ab aliis regulæ obseruationibus, puta ieiuniis, delectu ciborum, item horis canonicis, si in sacris constitutus non sit? affirmant Sotus, & Arragon. ll. cc. Less. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 50. commentarior. Sa ver. Religio, num. 40. Sanchez cit. c. 9. num. 52. Contrarium verò docent Nauar. cap. 7. de orat. num. 20. Rodriq. cit. a. 20. Sa cit. num. 40. Miranda quæst. 52. a. 5. Tum quia eiectus non liberatur professione, & statu monastico; ergo neque regulis & obseruationibus monasticis, ad quas ratione status, & professionis suæ in Monasterio sub peccato mortali obligatus fuerat; & nunc quoque extra Monasterium sine magna difficultate præstare potest; vti est officium canonicum, certa ieiunia &c. Tum quia S. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 8.

aliique communiter tradunt, Religiosum professum, si ad episcopatum translatus sit, obligari (saltem vi directiua, non coactiua, sicuti explicat Vasq. tract. de redit. cap. 3. §. 1. post Caiet. 2. 2. quæst. 185. a. 8. & tom. 1. opusc. tract. 25. quæst. 2.) regularibus obseruationibus, quæ cum statu episcopali non pugnant, & ab eo sine magna difficultate præstari possunt; ergo multò magis eiectus: neque enim melioris conditionis esse debet, qui ob demerita deiicitur, quam is, qui ob merita assumitur.

Hæc posterior sententia probabilis est, sed contraria probabilior, & in praxi tuta: Quòd eiectus per sententiam in perpetuum, interim dum recipitur, monasticis obseruationibus liber sit. Quia eæ non comitantur professionem trium substantialium votorum absolutè; sed quatenus seruari debent sub regula, seu statu vitæ regularis, à qua tamen ille expulsus est. Quamobrem suprà dixi, quòd neque Regularis factus episcopus ad vllas regulares obseruantias obligetur vinculo legali, sed tantùm debito quodam honestatis moralis, non obligantis sub culpa, vti docent Sotus lib. 10. de iust. quæst. vlt. a. vlt. Valent. tom. 3. disput. 10. quæst. 3. p. 8. in fine, Sanchez lib. 6. cap. 6. num. 19. Veruntamen sicuti Religiosus factus Episcopus habitum suæ Religionis secundùm sacros canones ferre debet; ita etiam eiectus: nisi eo, vt plerumque fieri solet, in criminis pœnam etiam spoliatus sit? de qua re Nau. cit. comment. 2. n. 36. Sanch. cit. c. 9. n. 55.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum eiectus obligatus sit petere, promissa emendatione, vt in Ordinem, vel Monasterium recipiatur? Ad hoc respondent Nauar. comment. 2. de Regul. num. 36. & consil. 77. & 80. de Regular. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 16. quæst. 6. Eiectum tuto remanere extra suum Ordinem; vt neque à Confessario in foro interiore, neque ab Ordinario in foro exteriore cogi possit ad redeundum; eò, quod iustæ sententiæ suæ eiectionis se iure conformare possit. Quæ sententia non displicet Rodriq. to. 1. q. 30. art. 21. neque caret probabilitate, saltem ob Doctorum auctoritatem.

6 Sed communior, & vera videtur esse sententia, quam tenet Glossator Nauar. super cit. consil. 77. Syl. ver. Religio, 6. quæst. 12. Sotus cit. a. 1. colum. penult. Arrag. cit. a. 3. §. hucusque diximus, dicto 2. Philiar. de offic. Sacerdotis tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 21. Sanchez lib. 6. moral. cap. 9. num. 25. Less. lib. 2. cap. 41. num. 111. Miranda cit. quæst. 52. a. 3. Regularem professum, ob crimen eiectum, in conscientia obligatum esse, vt se corrigat, & correctus, in Ordinem suum, vel Monasterium se recipi postulet. Ratio est: Cùm enim talis Religiosus substantialibus votis, ac Religiosa professione absolutus non sit, tenetur se idoneum reddere quatenus potest, vt sua vota conuenienter professioni & statui regulari exequi possit, ideoque reditum ad Ordinem procurare. Id verò certius est, si Ordo ipse Regularem suum eiectum requirat, & reuocet, præsertim accedente Episcopi, sub cuius iurisdictione ille viuit, auctoritate, obligatum esse ad redeundum, quin imò sub censura Ecclesiastica adigi posse, sicuti habetur in c. vlt. de Regular. Nam sicuti maritus innocens, si per diuortii sententiam vxorem adulteram à se abiecit, eandem reuocare potest, & illa redire cogitur, ita etiam Regularis ob crimen eiectus, si reuocetur ab Ordine, vel Monasterio suo: quod enim *in alicuius fauorem introductum est, non debet in eius damnum retorqueri*, reg. 61. in 6. & l. 6. Cod. de legibus. Neque sententia contra Reum lata eidem prodesse debet: nec aliquem ex propria iniquitate ius acquirere oportet. l. itaque, ff. de furtis, & reg. 176. ff. Si autem eiectus ob crimen in seculo iure remanere posset, neque reuocatus redire cogeretur, tunc sententia, & pœna ipsi Reo prodesset, atque ex iniquitate sua ius, & commodum referret: Ergo &c.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum Ordo siue Prælatus Ordinis eiectos, si emendati videantur, reducere, vel sponte reuertentes recipere teneatur? Respondeo, Gregor. IX. in c. vlt. de Regular. statuisse, *Quòd Abbates, seu Priores fugitiuos suos, & eiectos ex Ordine annuatim sollicitè requirere debeant.* Circa quam constitutionem inprimis notandum, cum Syl ver. Apostasia, quæst. 6. nomine fugitiuorum, etiam apostatas comprehendi; quos proinde inquirere, atque reducere, ad Prælatos Ordinis spectat, sicuti fusè docet Nauar. comment 3. de Regular. super c. nullum, 18. quæst. 2. & Lud. Miranda tom. 1. man. Prælat. quæst. 51. art. 3. vbi rectè admonet, curam reducendi fugitiuos, & apostatas, primò ac principaliter pertinere ad Prælatum Ordinis, quippe cui dictæ personæ personaliter obligatæ manent. Episcopis verò, & locorum Ordinariis id competere posse, si vel Prælati auxilium eorum implorauerint, vel apostatæ, aut fugitiui in eorum diœcesi cum scandalo deliquerint, vel Prælati Ordinis in eorundem reductione negligentes existant. 7

Secundò notandum: Si fugitiuus, aut apostata incorrigibilis videatur, vel sine graui scandalo, aut Ordinis detrimento capi, reduci, vel etiam sponte reuertens recipi non posset, tunc Ordo liberatur dicta obligatione fugitiuum & apostatam reducendi, aut reducem recipiendi, vti docet Syluest. ver. Apostasia quæst. 5. & 6. Miranda cit quæst. 51. a. 4. Si enim ob talem causam interdum eiici possunt Regulares, vt omnes fatentur, multò etiam magis, postquam malitiosè exierunt, non recipi.

Tertiò Notandum ex Sanchez cit. cap. 9. num. 18. Quod dictũ cap. vlt. de Regular. magna ex parte indesuetudinem abiit. Neque enim Prælati quotannis apostatas, & eiectos suos requirere, ac reducere solent: imò per sententiam iustam in perpetuum eiectos Monasterium quamuis humiliter petentes, recipere non tenetur, secundum Rodriq. tom. 1. regular. quæst. 30. art. 21. in fine, Sanchez num 32. contra S. Anton. p. 3. tit. 16. c. 5. Syluest. ver. Apostasia, quæst. 5. Molina tom. 1. tract. 2 disp. 140. ver. Quoad votum, Mirandam tom. 1. qu. 52. art. 7. & tom. 2. quæst. 7. a. 7. Quorum tamen sententia vera est, si vel Sum. Pontifex, vel Episcopus, cui Monasterium subiectum est, Monachum recipiendum esse arbitretur, modò de emendatione constet, & sine scandalo, atque Ordinis detrimento recipi possit. Quod verò ad fugitiuos, & apostatas attinet, reducendi quidem ii sunt, sed quatenus sine Ordinis, seu Monasterii detrimento commodè fieri potest, vti docet Sanch. cit. n. 18.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum eiecti per sententiam definitiuam, aliam Religionem intrare debeant si in sua non recipiantur? Nauar. lib. 3. consil. 77. & 80. de Regular. edit. 2. Rodriquez tom. 1. regul. quæst. 30. art. 21 existimant: Eiectum, si eum suus Ordo retinere, aut recipere nolit, non posse compelli; vt aliam Religionem profiteatur, quia professio cuiuscunque Religionis voluntaria esse debet. Sed contrariam sententiam ex S. Bonau. & Corduba tradit Miranda in man. tom. 1. quæst. 52. a. 3. & additio ad consil. 77. Nauarri, Prælatos Ordinum iusta de causa eiectis iniungere posse, vt aliam Religionem ingrediantur: imo in conscientia obligatos esse, si in suo Ordine non recipiantur, aliam Religionem, eamque non laxiorem ingredi, si spes sit recipiendos fore.

Mihi placet sententia media, secundum quam dico I. Si eiectus in Monasterio suo non recipiatur, potest in seculo manere, neque aliam Religionem ingredi ante sententiam obligatur: quia aliam non vouit, & per ipsum, vt pono, iam non stat, quin in eam, quam vouit, 8

restituatur. Si tamen aliam ingredi velit, non prohibetur etiam ad laxiorem transire, quamuis non petita licentia Prælati, à quo eiectus est. Ita præter Nauar. & Rodriq. ll. cc. docet S. Anton. 3. p. tit. 16. cap. 4. in fine, Sanchez cit. lib. 6. cap. 9. num. 36. Arrag. loco suprà cit. Azor lib. 12. cap. 6. q. 7. Less. cit. num. 111. Tunc verò post exactum annum probationis continuum, sicut alius quicunque ad Ordinem regularem translatus, de nouo profiteri debet, iuxta ea, quæ docet Nau. consil. 61. de Regul. edit. 2.

9 Dico II. Rectè defenditur praxis illa, qua Prælati Ordinum ob iustam causam aliquem eiiciunt sub ea conditione, vt aliam Religionem ingrediatur. quam conditionem si expulsus acceptauit, implere tenetur, vel regressum ad suam Religionem impetrare. qua de re in priuil. Societatis Iesu, ver. apostatæ, §. 9. Sanch. cap. 9. num. 43. Sed & Ordinarii locorum compellere possunt eiectos, vt vel ad suum Ordinem emendati regrediantur; vel si nolint, ad aliam Religionem se transferant. Tametsi enim absolutè nemo cogi potest ad profitendum in quacunque Religione; potest tamen sub conditione, si ad eum Ordinem quem spontanea voluntate professus est, redire nolit. Etenim plerumque Religionem professi non sine animarum suarum periculo, & aliorum scandalo, in seculo viuunt; ideóque meritò coguntur vel ad suum Monasterium redire; aut, si per ipsos stet, quominus reuertantur, ad alium Ordinem transire.

10 QVÆSTIO SEXTA. Vtrum Religiosus in vno Monasterio professus, à Prælato cogi possit, vt ad aliud eiusdem Ordinis Monasterium intra, vel extra prouinciam, se transferat? Ad id bene respondet Nau. comment. 4. de Regul. num. 22. Si plura à Monasteria faciant vnum corpus sub vno capite totius Ordinis, videlicet Generali, cogi posse; modo talis translatio non fiat animo malo. Qua simili ratione Prælatus Monasterij regularem suum obtinentem beneficium manuale, arbitratu suo amouere potest; modò id ex odio, ac maleuolentia non fiat; alioquin iustam conquerendi causam haberet. Sin verò Monasteria eandem regulam professa, non faciant vnum corpus sub vno Generali; sed singula subsint Abbatibus, vel Prioribus suis, sub Episcopo, vel immediatè sub Papa; tunc spectato cõmuni iure, Regulares professi cogi non possunt ad transitum alterius Monasterij: quia non vouerunt obedientiam, & regulam, nisi in hoc Conuentu.

Notat insuper Nauar. ibidem, transitum ad aliud Monasterium duobus modis fieri posse. I. Ad morandũ in illo ad tempus, quo casu obligatio alendi incumbit priori Monasterio; sicuti & quæsita à Regulari ad idem Monasterium spectare debent. II. Vt fiat filius posterioris Monasterij, & desinat esse prioris: tunc obligatio alendi pertinet ad secundum Monasterium; sicuti & quæsita, iuxta Authen. de Monachis, §. si verò relinquens, & docet Nauar. comment. 4. de Regular. num. 24. Molin. t. 1. tract. 2. disp. 140. ver. Quando Religiosus, Syluest. ver. Religio, 4. q. 10. Couar. c. 1. de testament. num. 31. Sanchez lib. 7. moral. cap. 32. num. 8. Quo casu neque dos priori Monasterio acquisita transfertur ad alterum Monasterium, vti docent Nauar. loco citat. Sanchez num. 12. neque hæreditas, si priori Monasterio delata fuerat ante editam professionem in secundo. vti docent Abbas c. in præsentia, num. 77. de probat. Couar. cit. num. 31. Sanchez num. 18. & num. 22. vbi vniuersim tradunt. in his successionibus tempus delatæ hæreditatis inspiciendum esse.

TRACTATVS SEXTVS.

DE

DECIMIS, PRIMITIIS, ALIISQVE OBLATIONIBVS.

CAP. I.

DE NOTIONE, DEFINITIONE, ac diuisione decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Spectato communi iure canonico, ex omnibus licite acquisitis decima pars Ecclesiæ Ministris debetur.*
2 *Absque temeritate negari non potest, decimarum præstationem Ecclesiæ Ministris fieri solitam, à prima Ecclesiâ hucusque inter Christianos vsitatam fuisse.*
3 *Decimæ aliæ prædiales sunt, aliæ personales, & aliæ mixtæ.*
4 *Decimæ prædiales, ac mixtæ integræ solui debent, non deductis impendijs: sed lucrum industriæ intelligi non potest, nisi deductis impensis,*
5 *Decimæ aliæ Ecclesiasticæ sunt, & aliæ laicales.*
6 *In dubio decimæ censeri debent non laicales, sed Ecclesiasticæ.*

DECIMA dicitur, quia pars decima est fructuum, aut bonorum, ex quibus penditur, sicuti colligitur ex l. 2. ff. de pollicit. *Si decimam quis bonorum vouit*, &c. Sed plerumque numero plurali *Decimas* nuncupamus, propterea quod agrorum, vel arborum fructibus in plurimas partes diuisis, plures partiales decimæ in solutionem veniant, iuxta illud Leuit. vlt cap. *Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt.*

1. Earum hæc est definitio; *Decima pars bonorum mobilium iuste quæsitorum, Ecclesiæ ministris exoluenda.* Sumitur ex c. ex transmissæ, de decimis: *Fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur.* Eáque particulatim recensentur in c. non est, eod. tit. *De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ, vt qui de his eas soluere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli.* Et in c. peruenit, eod. tit. dicitur; Parochianos monendos, &, si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellendos esse, *vt de prouentibus molendinorum, piscariorum, fœno & lana decimas persoluant.* Et S. Augustinus serm. 219. de tempore: *De militia, de negotio, & de artificio redde decimas.* Et infrà: *Quia pie nos pascit Omnipotens Deus, amplißime tribuit minus laboranti mercedem, sibi tantùm decimam vendicans, nobis omnia condonauit. Ingrate fraudator, ac perfide, diuina te voce conuenio. Ecce annus iam finitus est, redde Domino pluenti mercedem. Redime te homo, dum viuis.* Et postea: *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.* S. item Ambros. serm. 1. in Quadrages. relatus in c. quicunque, 19. quæst. 7. *Quicunque recognouit in se, quod fideliter non dederit decimas suas, modo emendet, quod minus fecit. Quid est fideliter decimas dare; nisi vt nec peius, nec minus aliquando Deo offerat, aut de grano suo, aut de vino suo, aut de fructibus arborum, aut de pecoribus, aut de horto, aut de negotio, aut de ipsa*

venatione sua. Bene autem circa hæc verba notat Abulensis in cap. 23. Matth. quæst. 207. Tunc decimam partem fructuum, aliorumque prouentuum, adeoque nec minus, nec peius offerri, quàm debeatur, si non de industria deteriora seligantur ad decimationem, sed mediocria saltem, aut cum deterioribus meliora admisceantur: & vno verbo, vt bona fide agatur, quò moraliter rem æstimando decima pars proueniat.

Testimonia veterum Patrum & Conciliorum de de-
2 cimis videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Cleric. cap. 25. Baronium Anno Christi 57. num. 74. Ioan. Molanum. orat. 2. quæ est de decimis dandis, Suarez t. 1. de relig. cap. 9. & 11. Arbitror autem, pro antiquitate decimarum Sacerdotibus in lege Euangelii tribuendarum, maximum argumentum esse oportere quòd eam consuetudinem in vniuersas Christiani Orbis prouincias stabili lege introductam esse videamus, neque vllum in historiis indicium appareat, quando, aut à quo primitùs talis lex promulgata, aut in vsum apud Christianos deducta fuerit: vt liquido appareat, & sine temeritate negàri non possit, esse hanc Apostolicam traditionem, seu Ecclesiam statim ab initio æquissimum, & necessarium iudicasse, vt decimæ bonorum etiam Euangelicæ legis Ministris, tanquàm vitæ stipendium, à fidelibus tribuerentur. Neque vllus inter Catholicos vllo tempore repertus fuit, qui decimas Clericis dandas negaret: quamuis propter temporum calamitates, & hominum auaritiam, olim quoque non defuerunt, sicuti & modò reperiuntur, qui decimas Sacerdotibus soluendas iniustè detinebant; sed ob id à Patribus reprehensi fuerunt. Quare in Matisconensi Concil. 2. canon. 5. legimus: *Statuimus, & decernimus, vt mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas Ecclesiasticis, famulantibus cæremonijs, populus omnis inferat, quas sacerdotes aut in pauperum vsum, aut captiuorum redemptionem prærogantes, suis orationibus pacem populo, & salutem impetrent.* Et S. August. homilia 48. inter 50. *Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Esse autem hanc homiliam S. Augustini, adeò ex doctrina, & stylo apparet, vt nemo doctus in dubium reuocare possit.

Porro quod dictum est, ex omnibus mobilibus licitè acquisitis, communi iure, decimas soluendas esse, aliqui limitant; vt de ijs tantum rebus intelligatur, quæ vel ex terra, vel operis nostris proueniunt, ideòque de hæreditate, legato, aliisque titulo lucratiuo quæsitis decimas non deberi, sicuti Innoc. docet c. non est, eod. tit. & sequitur Valentia to. 3. disput. 6. quæst. 5. p. 3. Abulensis in cap. 23. Matth. quæst. 159. Alii verò contrarium sentiunt, eiusmodi etiam lucrorum decimas pendendas esse, excepto, si sit hæres filius, qui vna persona cum patre reputatur, sicuti docet Glos. in c. pastoralis, ver. quasi de lucro, eod. tit. Abbas verò ibidem, num. 8. Sylu. ver. decima, quæst. 6. dubitant; ac proinde aiunt consuetudinem in hac re spectandam esse: quam vix puto alicubi esse: vt ex talibus decimæ pendantur, neque iura cum particulatim recensent, ex quibus rebus pendendæ sunt, merè lucratiui eiusmodi tituli meminerunt, sicuti Suarez etiam notauit citat. lib. 1. cap. 31. numer. 6.

3 Decimæ diuiduntur primò in prædiales, personales, & mixtas. Prædiales sunt, quæ ex fundis, seu bonis immobilibus, puta agris, vineis, syluis, hortis, piscinis, molendinis, ædium locatione penduntur. Personales verò quæ ex lucro personalis industriæ, puta negotiatione, artificio, venatione, militia, artium professione soluuntur. Mixtæ denique, id est, partim prædiales, partim personales sunt, quæ ex fructibus pecorum, aut auium in propriis prædiis, concurrente personali industria. videlicet ex lacte, caseo, ouis &c. penduntur. De qua diuisione vide Hostiensem in sum. de decimis, num. 3. Nauar. cap. 21. num. 29. Petr. Gregor. Tholos. lib. 2. Syntag. c. 22. Abulensem in c. 23. Matth. q. 196. Canis. tract. de decimis, cap. 2.

Discrimen est inter has decimas: quòd prædiales, ac 4
mixtæ integræ solui debent, non deductis expensis seminis, culturæ, & laboris æstimatione, sicuti habetur in cap. cum homines, c. tua nobis, c. pastoralis, de decimis: neque deducta pensione, censsus, aut tributi. Quia decimæ ante has exactiones solui debent, vel, si aliter factum fuerit, ii, ad quos census, vel tributa indecimata peruenerunt, Ecclesiis decimare coguntur: quia *res transit cum onere suo.* Ita habetur in c. cum non, eod. tit. & docet S. Th. 2. 2. quæst. 88. art. 2. ad 4. Decimæ autem personales, non nisi deductis expensis, debentur, c. pastoralis, eod. soluuntur enim ratione lucri, siue ex lucro. lucrum autem non intelligitur, nisi deductis impendiis, l. Mutius ff. pro socio.

Sed nunquid non etiam fructus intelliguntur solum deductis impensis, sicuti habetur, in l. si à domino, §. vlt. ff. de petit. hæredit. Cur igitur in iis non idem statutum est? Respondeo, duas causas eius discriminis afferri posse: I. Quod lucrum meræ industriæ personalis nullo modo intelligi possit, nisi deductis expensis: at verò fructus, qui ex rebus frugiferis, adhibita industria, labore, factisque expensis proficiscuntur, duobus modis considerari possunt: Primò, ciuiliter seu in ordine ad restitutionem damni, aut lucri cessantis compensationem: qua consideratione, expensarum ratio habenda est. Secundo naturaliter, quatenus omnes fructus Dei beneficio ex terra proueniunt, ideoque integræ, & non habita expensarum ratione decimari debent. II. Quia in veteri etiam lege Deus præcepit, prædiales ac mixtas decimas integras solui, vt seq. cap. dicam. Non autem oportebat Ministros Euangelii deterioris esse conditionis, quàm veteres Sacerdotes, ac Leuitas. Sed personales decimæ ab Ecclesia primùm imperari cœperunt: quia non omnes Christiani possessiones immobilium habebant, sed multi ex negotiatione viuebant, quos tamen etiam ad Ministrorum sustentationem aliquid contribuere oportebat, sicuti docet S. August. cit. serm. 219. *Quod si decimas non habes fructuum terrenorum, quodcunque te pascit, ingenium Dei est, & inde decimas expetit, vnde viuis.* Vide etiam S. Th. 2. 2. quæst. 87. art. 2. ad 1. Suarez cit. lib. 1. cap. 11. Quanquam de decimis personalibus solicitos nos esse non oportet: cùm eæ ferme vbique per desuetudinem abolitæ sint.

Altera est diuisio decimarum, his locis non insueta, in maiores, ac minores: Maiores decimæ dicuntur, quæ ex vino, frumento, & aliis similibus præstantur: Minores verò, quæ ex hortis, & aliis huiusmodi minutioribus.

Tertiò diuiduntur decimæ apud Gregor. Tholos. cit. 5
lib. 2. cap. 20. in profanas, & Ecclesiasticas. Profanæ decimæ genus quoddam tributi sunt, quod olim temporales domini prædijs subditorum imponere solebant, cuiusmodi decimę *merè laicales* appellari possunt. Ecclesiasticæ verò duplicis generis sunt. Aliæ, quæ primæuam suam institutionem retinentes Ecclesiæ ministris, ob spirituales eorum functiones, stipendij loco, à fidelibus præstantur, ideoque propriè spirituales & Ecclesiasticæ dicuntur. Aliæ verò sunt, quæ ex concessione Ecclesiæ, ob iustam causam, laicis personis obuenerunt; ideoque laicales etiam decimæ dici solent.

Porrò si dubitetur, vtrum decimæ profanæ sint, an Ecclesiasticæ, secundùm primam originem, & ius radicale, Ecclesiasticas esse indubiè præsumendum est inter Christianos, quippe quibus communis lex & consuetudo semper fuit, vt ex prædijs suis Ecclesiæ decimas penderent. Iterum si dubitetur, vtrum ius decimandi ad Ecclesiasticos,

Ecclesiasticos, an verò laicos pertineat, siue vtrum decimæ spirituales manserint, an verò à spirituali titulo abstractæ, & laicis in perpetuum collatæ fuerint, pro Ecclesia præsumendum est. Quòd enim mutatio, siue alienatio talis acciderit, est factum, idque odiosum Ecclesiæ, quod non præsumi, sed ostendi debet.

CAP. II.

QVO IVRE DECIMÆ MINISTRIS Ecclesiæ pendantur.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ materialiter, & secundum substantiam de iure naturali, ac diuino sunt, formaliter verò, & secundum determinationem de iure Ecclesiastico.*

2 *Præceptum de decimis in veteri lege iudiciale potius fuit, quàm cæremoniale.*

Cæremoniales veteris testamenti leges non solùm abolitæ, sed etiam earum obseruatio Christianis interdicta est.

3 *Decimæ ex lege iustitiæ Parochis præstandæ sunt à fideli populo.*

4 *Parochus actione ex canone decimas petere potest à quouis earum possessore.*

5 *Ecclesia, siue parochus aduersus fructuum non decimatorum destructorem actionem instituere potest.*

6 *Colonus partiarius decimas dare debet, proportione fructuum, qui ipsi manent, ratione culturæ.*

1 ASSERTIO I. Decimæ materialiter & secundum substantiam spectatæ, quatenus sunt necessarium stipendium Ministrorum Ecclesiæ, & à quibusdam *decimæ sustentationis* appellari solent, à iure naturali, ac diuino descendunt. Ita S. Thom. quæst. 85. a. 1. & quæst. 87. a. 1. Alexan. Halensis in p. 3. q. 51. mem. 1. Henr. Gandauensis quodlibet. 4. quæst. 28. Nau. de redit. Ecclesiast. q. 1. mon. 58. Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 21. num. 9. Siquidem lex naturalis iustitiæ dictat, & Deus iubet, vt laborantibus & spiritualia Ecclesiæ ministrantibus, necessaria vitæ sustentatio, considerata personarum qualitate, præbeatur: *Dignus est enim operarius cibo suo*, ait Christus Matt. 10. Quod debitum ex iustitia proficisci, hunc locum explicans, docet S. August. in psal. 146. *Ne putarent aliquid de suo donare, dignus est, inquit, mercede sua*, Luc 10. Item Apost. 1. ad Corinth. 9. v. 7. *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Et v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Et ver. 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Sic & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* Idque locum etiam habet, tametsi Ministri Ecclesiæ aliunde, puta ex patrimonio, artificio &c. se alere possint: quia non datur illis stipendium ex mera misericordia, tanquam pauperibus; sed ex iustitia, tanquam merentibus.

Assertio II. Decimæ secundum determinationem, seu aliquotam, ex iure positiuo, eóque diuino, tempore legis Mosaicæ Sacerdotibus, ac Leuitis debebantur, sed eâ abolitâ, in nouo testamento solùm Ecclesiastica lex; verùm antiquissima pariter, & æquissima, ad decimarum præstationem obligat. Prior pars assertionis sumitur apertè ex cap. 22. Exodi. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Et Leuit. 27. *Omnes decimæ terræ, siue de pomis arborum, siue de frugibus Domini sunt, & illi sanctificantur.* Et paulò post: *Omnium decimarum bouis, & ouis, & capræ quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.*

Fuit autem hoc præceptum per se primò ac directè
2 ex iudicialibus, licet indirectè, ac remotè cum cæremonialibus conuenire videatur, sicuti docet S. Thom. cit. quæst. 87. art. 1. Nam iudicialia præcepta erant, quæ ad debitum ordinem, atque æquitatem in populo Iudaico seruandam pertinebant, teste S. Thom. 1. 2. q. 104. a. 3. Tale autem fuit præceptum decimarum Leuitis tribuendarum, quippe qui ex diuisione terræ promissionis partem suam, vt aliæ tribus, non acceperant, Num. 18. Deut. 10. & 18. sed solum ciuitates ad inhabitandum, cum adiunctis suburbiis ad mille passus in circuitum se extendentibus, Numer. 35. Quare hanc iacturam Leuitis, cum etiam populo in spiritualibus ministrare deberent, ita abunde compensari oportebat, sicuti legimus cit. c. 18. Num. *Dixitque Dominus ad Aaron: in terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, & hæreditas tua, in medio filiorum Israel. Filiis autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Cæremonialia autem præcepta erant, quæ ad Dei cultum ex Religionis virtute referebantur. Atqui decimæ possessionum, licet per se primò ac directè Leuitis, tanquã Ecclesiæ Israeliticæ Ministris ex iustitia offerri præciperentur, indirectè tamen ac remotè talis præstatio, propter sacram significationem ad Dei etiam cultum pertinebat. Cùm enim denarius numerus perfectus sit, & aliorum numerorum limes, ac complementum; ideo dum populus ex denario vnitatẽ demebat, Deóq; in Ministris suis offerebat, & propriam ex culpa contractã imperfectione, & expectandã à Deo, per Christũ venturũ, instauratione profitebatur, sicuti S. Th. notauit in corp. cit. a. 1. Eandémque doctrinam S. Th. etiam alia ratione confirmat: Quia præcepta cæremonialia veteris legis ita abolita sunt, vt illicitum sit ea obseruare tempore legis nouæ: Iudicialia autem præcepta tametsi vi sua non obligent tempore gratiæ; possunt tamen obseruari, & noua lege, vel consuetudine introduci, propter moralem æquitatem, aut honestatem, quam in se continent, arg. c. vn. de purific. post partum. Cùm igitur decimarum præstatio lege Ecclesiastica, ad imitationem veteris legis constituta fuerit, consequens est, fuisse illud præceptum iudiciale magis, quam ceremoniale. Quamuis nihil omnino obstat, quin decimarum solutio etiam in noua lege sacram significationem gerat; dum populus ex denario bonorum suorum vnitatem demens, Deóq; in Ministris suis offerens, propriam imperfectionem agnoscere, & Deo, tanquam omnis boni ac perfectionis vniuersali auctori, se, suáque omnia subiicere censetur, sicuti indicat Innoc. III. in c. tua nobis & c. cùm non sit, de decimis, & notauit Rebuffus de decimis, quæstion. 2. num. 8.

Altera verò pars assertionis; Quòd decimarum præstatio non sit iuris naturalis, nec diuini; sed solùm Ecclesiastici in noua lege, docet S. Th. cit. a. 1. Alensis cit. q. 51. mem. 1. & 2. S. Anton. p. 2. tit. 4. cap. 3. §. 5. Henricus quodlib. 4. q. 28. Adrian. quodlib. 5. a. 1. Abulensis in c. 23. Matth. q. 151. Sotus lib. 9. de iust. q. 1. a. 1. concl. 3. Suarez cit. lib. 1. c. 10. Less. lib. 2. c. 39. dub. 1. Valent. t. 3. disp. 6. q. 5. p. 1. aliíq; Theologi communiter & ex Canonistis Nau. c. 21. n. 28. Gutierez lib. 2. can. qq. c. 21. n. 9. Couar. 1. resol. c. 3. contra Gloss. in c. 1. de decimis, in 6. ver. decimarum, Innoc. in c. vlt. de parochiis, & alios multos apud Couar. Quod enim iure naturali decimæ bonorũ non debeantur, ex eo manifestum est, quia lex, & ratio naturalis, supposita etiam fide diuina, plus non exigit, quam vt spiritualia officia ministrãtibus sufficiens & congrua sustentatio præbeatur. Quare ante legem Mosaicam nulla extabat lex decimarum; & credibile est, Abraham Gen. 14. non ex obligatione; sed spontanea deuotione erga Deum, & reuerentia erga Sacerdotalem dignitatem, decimas obtulisse Melchisedecho. Similiter & Iacob. libera voluntate Deo decimas vouit, Gen. 28. *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Vide Baron. tom. 1. Anno 57.

num. 74. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 23. qu. 2.

Quòd verò ex vi legis Mosaicæ dudum abolitæ Christiani non obligentur ad soluendas decimas, certum est; sicut, & illud, quòd obligatio præstandi decimas nec ex diuino legis Euangelicæ præcepto proficiscatur: quandoquidem Christus supra leges naturæ alias non præscripsit, nisi quæ sunt Fidei, & circa sustantiales ritus sacrificij & sacramentorum: reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquit. Restat igitur, vt Ecclesiastica solum lege debeantur, ea verò antiquissima, & Apostolica, ad hæc vsque tempora, cum Christiani populi approbatione, deriuata. Quare cùm in decret. tit. de decimis, c. parochianos, c. tua, c. cùm non sit, legimus decimas diuino præcepto deberi, intelligi id debet non directè ac propriè, sed remotè & occasionaliter: quia ad imitationē, & similitudinem veteris legis diuinę, propria Ecclesiastica sanctione decimæ decretæ fuerunt. Quo etiam sensu quadragesimæ præceptum diuinū appellatur à Patribus apud Azoriū t. 1. lib. 7. c. 12. q. 1. quia ad exemplum Christi Domini ab Apostolis institutum fuit.

3 Assertio III. Postquam lex Ecclesiastica de decimis iusta ratione lata, & populi approbatione confirmata est, contra iustitiam peccat, & quodammodo erga Deum sacrilegus est, qui decimas defraudat, sicuti habetur expressè in c. decimas, 1., causa 16. q. 7. & docent Caiet. ver. decimæ. Rebuffus tr. de decimis, q. vlt. Totamque assertionem habet Innoc. in c. tua, de decimis, & Trid. Concil. sess. 25. c. 12. de reformat. *Non sunt ferendi, qui varijs artibus, decimas Ecclesijs obuenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab alijs soluendas temere occupant, & in rem suam vertunt: cùm decimarum solutio debita sit Deo: & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas inuadunt.* Et infrà: *Qui vero eas subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur.* Et S. August. serm. 219. *Gratias agentes Deo, qui dedit, de offerendis, imò reddendis cogitemus: Deus enim, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere.* Et iterum: *Hæc est Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris.* Ratio doctrinæ est: Quia decimæ, tanquam iustum stipendium Ecclesiastico præcepto Clericis deputatæ sunt, ratione spiritualium officiorum, quæ pro salute fidelium Deo exhibent. Quare decimarum solutio non tantùm iustitiæ actus est; sed etiam ad Dei cultum pertinet; quia Deo in Ministris suis consecratæ sunt: consequenter earum defraudatio non tantùm iniuriam continet aduersus homines; sed quodammodo etiam aduersus Deum. Vide quæ scribit Ioannes Molanus orat. 3. quæ est de decimis defendendis.

Quæres. Qua actione Ecclesia, seu Parochus decimas petere possit? Respondeo; Condictione ex lege, siue canone; non tantùm si decimæ extantes sint, sed etiam, si consumptæ, destructæ, vel alienatæ sine causa, aut ex iniusta causa, argum. l. vn. ff. de condictione ex lege: *Si obligatio lege noua introducta sit, nec cautum eadem lege, quo genere actionis experiamur, ex lege agendum est.* Idque ex communi docet Abb. in c. commissum, num. 4. de decimis. ibid. Henr. Canisius in 3.

4 Adde primò, Aduersus quemuis etiam alium decimarum possessorem, vtilem earum vendicationem Ecclesiæ, seu Parocho, quasi domino, competere, sicut colligitur ex c. pastoralis, de decimis, vbi dicitur, *fructus alienari non posse, nisi cum onere decimarum*, haud dubiè reali, siue ipsis fructibus inhærente, sicuti apertiùs dicitur in c. cùm non sit, eod. tit. Et notauit Gl. c. in aliquibus de decimis, ver. compellantur: *Pactum non nocet Ecclesiæ, quin à quolibet possessore possit petere decimam: quia est onus, quod sequitur ipsam rem*: quæ doctrina colligitur etiam ex l. inter, ff. de pactis, eámque approbat Abb. in cit. c. in aliquibus, num. 6. Abulensis in cap. 23. Matth. q. 158. Syl. ver. decima, quæst. 7, dict. 4. & 5. Suarez cit. lib. 1. c. 36. num. 12. post S. Thom. in cit. q. 87. a. 2. ad 4. *De his, quæ furto, vel rapina tolluntur, ille à quo auferuntur, decimas soluere non tenetur, nisi fortè propter culpam, vel negligentiam suam damnum incurrerit. Si vero vendat triticum non decimatum, potest Ecclesia decimas exigere & ab emptore, quia habet rem Ecclesiæ debitam, & à venditore, quia, quantum est in se, Ecclesiam defraudauit.* Vide etiam Clement. 1. de decimis, vbi censuræ ipso iure decernuntur Religiosis, qui decimas sibi vsurpare, & Ecclesias priuare præsumunt; nisi intra mensem desistant, & intra duos menses damnificatis satisfaciant.

Adde secundò; Etiam aduersus iniustum destructorem fructuum tum solo hærentium, tum separatorum, actionem ab Ecclesia institui posse, sicuti docent Innocent. & Abb. in c. commissum, de decimis. Sed vtrum talis actio directa sit, quæ Parocho, tanquam vero decimarum domino, competat; an verò vtilis tantùm, siue cessa, non consentiunt D D. Priorem partem amplexus est Abb. in cit. c. commissum, num. 4. & c. tua nobis, num. 13. posteriorem alij plerique, quæ etiam vera est, & bene explicata apud Suarez cap. 36. Quòd Ecclesia, seu Parochus non antè compararet dominium decimæ partis fructuum, quàm illa à reliquis separata, & aliquo modo tradita sit, saltem per designationem. Ante diuisionem verò seu decimationem fructus omnes solo separati ad fundi dominum directè pertinent, cùm annexo onere soluendæ partis decimæ, sicuti colligitur etiam ex c. ex transmissa, & c. pastoralis, de decimis, & l. 2. ff. de pollicitationibus. 5

Eadem ratione reijcienda videtur alia opinio eiusdem Abbatis in c. cùm homines, numero 6. de decimis: Quòd nouus possessor, v. g. emptor fundi, teneatur ad decimas etiam præteriti temporis, quas venditor soluere intermiserat: Quia id expressè statutum legimus de tributis, in l. Imperatores, ff. de publicanis, nouum possessorem fundi vectigalis, seu tributarij obligari ad tributa etiam ante non soluta, quàm ad ipsum fundus pertineret. Atqui decimæ tributa dicuntur egentium animarum, in cit. c. tua nobis, & c. decimæ, 16. quæst. 1. Et Philo in lib. de sacerdot. honorand. *Ex his liquet, iuxta legis iudicium Sacerdotes æquiparari honore ac maiestate Regibus: siquidem illis, tanquam Principibus, conferri tributa imperat Deus.* Sed contraria sententia est probabilior, quam præter alios apud Abb. cit. loco tuetur Canisius de decimis, cap. 4. & Suarez cap. 38. numero 9. Nam decimæ non propriè tributa sunt, sed secundùm Metaphoram ita appellantur, sicuti notauit Gloss. in cit. c. tua nobis, ver. tributa.

Neque specialis illa iuris dispositio, vt tributa ipsos fundos secundùm se afficiant, tanquam inseparabile eorum onus, in decimis locum habere potest: cùm de his canonico iure aliud dispositum sit, videlicet, vt fundos tantùm respectiue, seu in ordine ad fructus, hos autem per se afficiant, ad quemcumque possessorem perueniant, adeo, vt elocato fundo tali pacto, vt fructus ad colonum pertineant, ipse autem pensionem quandam præstare teneatur, non fundi dominus, sed conductor, siue colonus decimarum nomine conueniendus sit, iuxta c. cùm homines, §. fructus de decimis, & ex communi docet Abb. c. tua dobis, num. 14. & c. cùm non, num. 5. eod. tit.

Sin verò colonus partiarius sit, de parte fructuum, qui ipsi manent ratione culturæ, dominus verò de altera portione, quam ratione fundi percipit, decimam dare tenetur, sicuti habetur in cit. c. [illegible] nobis. Denique si census aut tributa indecimata ad aliquem peruenerint, decimare is cogitur Ecclesiis, quibus de iure debētur, quia *res transit cum onere suo*, vt dicitur in c. cùm non sit, eod. tit. Non ita verò sentiendum videtur, si 6

pars aliqua mercium vectigalis nomine principi soluenda sit, eaque à mercatore per fraudem soluta non fuerit: neque enim propterea emptor soluere cogetur: cùm obligatio soluendi vectigalis ex mercibus mercatori personaliter incumbat, nullóque iure exprimatur, esse id onus reale transiens ad quemcunque mercium possessorem, sicut de decimis expressum legitur. Idque notauit Molina tr. 2. t. 3. priore, disput. 675. Less. lib. 2. c. 33. n. 72.

CAP. III.

QVÆ PERSONÆ AD DECIMAS obligentur.

SVMMARIVM.

1 *Omnes & solæ personæ, quæ in spiritualibus subditæ, è manu Sacerdotis Sacramenta suscipere debent, ad præstandas decimas personali debito obligantur.*

2 *Clerici seculares non curati ex propriis noualibus decimas soluere debent.*

3 *Clerici ex Ecclesiasticis reditibus nullas decimas persoluunt.*

4 *Religiosi, spectato communi iure, ad præstationem decimarum per se, ac personaliter obligantur; sed per priuilegia exempti sunt. Quare hodie ex noualibus suis decimas nullas dare debent; sicuti nec leprosi in communi viuentes.*

Nouale dicitur prædium de nouo cultum, cùm antè non coleretur, ideóque nullum, aut modicum fructum ferret.

5 *Ad decimas ex reali obligatione, omnes cuiuscunque conditionis personæ obligantur; etiam ipsæ interdum parochiæ, si dotationis, aut legati nomine possideant prædia ad alias parochias pertinentia.*

6 *Qui graui paupertate premuntur, ita vt solutis decimis necessaria non habeant ad se, suosque alendos, interim à decimis immunes esse debent.*

1 IN PRIMIS aduertendum est; Personam duobus modis ad decimas præstandas obligari posse: Primò per se, vt obligatio ex conditione seu subiectione eius in spiritualibus proficiscatur; & exinde in rem, vel fructus rei deriuetur. Secundo per accidens tantùm; quia persona alioquin non obligata, possidet rem frugiferam, aut eius fructus percipit, quibus onus decimarum incumbit. Prior illa obligatio, onus siue debitum *personale* appellari potest; posterior *reale*.

Assertio I. Omnes, & solæ illæ personæ, quæ in spiritualibus subditæ, è manu Sacerdotis Sacramenta suscipere debent, ad decimarum præstationem, per se, ac propriè personali debito obligantur. Ita colligitur ex c. ex transmissa, c. ad Apostolicæ, de decimis, & docet S. Thom. q. 87. a. 1. & 4. Ratio est, quia decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura, ac ministerio, quod fidelibus exhibetur.

Corollarium I. Iudæi, & aliæ non baptizatæ personæ, per se ac proprio personali debito ad decimas obligari non possunt. Ita notauit Gl. c. de terris, ver. persoluendas, eod. tit. vbi de Iudæis, ait: *Ratione prædiorum soluere debent decimas, & non ratione personarum; quia non sunt de corpore Ecclesiæ*: quare neque Ecclesiasticis legibus constringuntur. Ita ex communi docent Sotus lib. 9. q. 4. a. 4. Suarez cap. 16. num. 5. contra Abb. in cit. c. de terris, n. 6.

Corollarium II. Summus Pontifex per se, seu ex vi personæ suæ non potest obligari ad decimas. Ita docet Abulensis in cap. 23. Matth. q. 193. Suarez c. 17. n. 8. contra Rebuffum tr. de decimis, q. 5. num. 26. Ratio est manifesta: Quia persona per se non obligatur ad præstandas decimas, nisi ordinario Pastori suo, cui in spiritualibus subiicitur. Papa autem talem in terris pastorem habere non potest. Ergo &c.

Corollarium III. Licet Episcopi, ac Parochi per se, & debito personali obligari non soleant ad soluendas decimas, possunt tamen obligari à Papa, per absolutam potestatem eius. Ita docet S. Thom. cit. quæst. 87. a. 4. ad 2. & 3. Sotus, & Suarez ll. cc. Less. lib. 2. c. 39. num. 28. Prior pars constat: Quia neque ex iure Ecclesiastico, neque ex consuetudine talis obligatio ostendi potest. Altera pars inde probatur: Quia in Episcopis ac Parochis non deest fundamentum, videlicet subiectio erga superiorem Pastorem suum, propter quam lege aut præcepto Pontificio ad decimas astringi possint. Porrò ipsi Episcopi Parochis, aliisque inferioribus Sacerdotibus non possunt decimas, vel similes exactiones iure communi non concessas, imponere, sicuti constat ex c. constitutum, c. nulli Episcoporum, & aliis iuribus in causa 16. q. 1.

Corollarium IV. Clerici non curati, spectato communi iure, ex lucris ac reditibus suis temporali titulo 2
acquisitis, per se, & personali debito obligantur ad decimas præstandas Sacerdoti parochiali, à quo Sacramenta percipere debent. Sumitur ex c. 2. de decimis: *Illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent*, vbi id docet num. 5. & alij Canonistæ communiter, S. Thom. cit. quæstion. 87. a. 4. in corp. & ad 1. Rebuffus tract. de decimis qu. 5. Couaru. lib. 1. resol. cap. 17. num. 8. §. Primum hinc constat, Suarez c. 17. n. 21. contra quosdam, apud Alexand. Halensem p. 3. q. 51. mem. 7. a. 2. Quæ doctrina licet hodie nullum vsum habeat in decimis merè personalibus; quippe quas nec laici, multò minùs Clerici pēdere solent; locū tamen habet in terris noualibus, quas si excolat Clericus, cùm antè nullum, aut modicum fructum afferrent, ad decimas Parocho suo ex illis soluendas obligari incipit; non per accidens ratione rei siue terræ, sed per se, & ratione propriæ personæ.

Rectè tamen monet Alex. Halensis loco cit. & S. Th. cit. a. 4. in corp. Quòd Clerici, vt Clerici sunt, id est, 3
ex reditibus Ecclesiasticis beneficiorum ad decimas non obligentur: Voluit enim ecclesia eiusmodi reditus absq; diminutione beneficiatis prouenire. Eáque ratione intelligendum videtur c. 2. de decimis, vbi dicitur: *Nouum genus exactionis esse, vt Clerici à Clericis decimas exigant*; intellige, ex Ecclesiasticis reditibus: nam Pontifex probat suum dictum exemplo Leuitarum, qui alios reditus non percipiebant, quàm decimarum, atque Leuitas Leuitis decimas præstare solitos non esse. Quod verum est: quamuis, vt habetur Numer. 18. Leuitæ Aaroni Sacerdoti decimas decimarum soluere debebant, vti dicam cap. seq. assert. 4. Vide Rebuffum cit. q. 5. n. 6. Henric. Canisium ca. 6. n. 4. Suarez cap. 17. num. 23.

Corollarium V. Religiosi, sicuti & aliæ personæ Ecclesiasticæ, per se, & personali debito ad decimarum 4
præstationem Ecclesiæ parochiali obligantur, spectato communi antiquo iure, & seclusis priuilegiis atque contraria consuetudine. Ita colligitur ex c. ex multiplici, c. commissum, c. ex parte, de decimis. Ratio est: Quia huiusmodi etiam personæ parochiis subiectæ sunt, nisi priuilegio, vel consuetudine eximantur.

Porrò Regulares omnes in communi viuentes varia exemptionis priuilegia, in corpore iuris contenta, à Sūmis Pontificibus acceperunt. Primum est Paschalis 2. in c. decimas, 16. quæst. 1. Vt de laboribus, seu nutrimentis suis propriis, adeóque etiam de prædiis, quæ ipsi propriis manibus, vel sumptibus pro vitæ suæ sustentatione colunt, decimas soluere non cogantur, sicuti explicatur in c. ex parte, 1. de decimis. Sed priuilegiū hoc tam amplè Religiosis concessum, reuocatum fuit ab Hadriano IV. & successore eius Alexandro III. in c. ex parte 1. de decimis, atque ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios, restrictum. Postea verò Innoc. III. in Concilio Lateranensi, cap. penult. de decimis, etiam his ipsis Religiosis priuilegiū limitauit, vt so-

lùm ſe extenderet ad terras ante Lateranenſe Concilium acquiſitas; de aliis verò poſtea acquirendis decimas ſoluere deberet Eccleſiis,quibus antea ratione prædiorum ſoluebantur: manente nihilominus in priſtino vigore priuilegio ab Hadriano IV. & Alexandro III. omnibus Religioſis in communi viuentibus conceſſo in cit. c. ex parte. *Vt de noualibus ſuis, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſoluant.* Quod ipſum ſimili ratione indultum eſt leproſis in ca. 2. de eccleſiis ædific. ſi ij in communi viuentes propriam eccleſiam, cum cœmiterio, propriúmque Presbyterum habere permittantur.

Ex quibus intelligitur, hodierno iure, quo vtimur, cõtrariam regulam ſtatuendam eſſe, videlicet, Religioſos vtriuſque ſexus, per ſe ac debito perſonali, non obligari ad ſoluendas decimas. Cuius quidem priuilegij, ſiue exemptionis vtilitas non tam in eo conſiſtit, quòd religioſi non teneantur ad decimas perſonales ex lucris, proprij laboris, vel induſtriæ: Siquidem huiuſmodi decimas propter deſuetudinem, ne laici quidem, multò minùs perſonæ Eccleſiaſticæ ſoluere coguntur: ſed multò magis in eo conſiſtit ſpecialis vtilitas priuilegii, quòd Religioſi ex terris, quæ antequam ad ipſos peruenirent, nullos, aut exiguos fructus afferebant, ideóque vel nullis, vel modicis decimis Eccleſiæ parochiali pendendis obnoxiæ erant, ſi poſtea eas propria manu, vel ſumptu excolant, à decimarum præſtatione immunes ſint, ſicuti docet Gloſſ. recepta in c. commiſſum, ver. paſcuis. de decimis, & altera Gloſſ. in c. quid per nouale, ver. de verborum ſignificatione, Abulenſis in cap. 23. Matth. quæſt. 194. & ſumitur ex c. vlt. de priuileg. c. ex parte, 1. de decimis iun. citat. c. quid per nouale, vbi explicatur, quid noualis nomine intelligi debeat, videlicet ager, ſeu prædium de nouo cultum cùm ſuprà hominum memoriam non coleretur, ideóque modicum, vel nullum fructum afferret. Cæterùm, ſi terra, antequam ad Religioſos perueniret, & decimis obnoxia erat, fructus non modicos afferat, tametſi poſtea à Religioſis magis excolatur, v. g. ex ſilua vinea efficiatur; non ideo liberatur onere decimarum, ſicuti conſtabit ex ſeq. aſſertione, & habetur expreſsè in cit. c. commiſſum & cit. c. quid per nouale, vbi Abbas nòt. 3. Adde, quòd etiam de Regularium noualibus, ſi aliis elocata ſint, coloni decimas eccleſiæ parochiali ſoluere tenentur, iuxta c. veniens de tranſact. c. ex parte, 1. vbi Abb. nu. 4. & c. licet de decimis. Quia priuilegium conceſſum quibuſdam perſonis, non extenditur ad alios, c. ſanè, de priuilegiis.

5 Assertio II. Ad decimas præſtandas ex debito reali, id eſt, orto ex re antè decimis obligata, quàm ad alterius poſſeſſionem deueniret, omnes omnino cuiuſcumque ordinis, Religionis, ſtatus, ac dignitatis perſonæ, etiam ipſe Summus Pontifex, Epiſcopi, Religioſi obligantur, niſi vel præſcripta conſuetudine, vel Pontificia diſpenſatione, aut priuilegio eximantur. Ita ſignificat S. Th. ar. 4. & docent DD. in c. de terris, de decimis, & in c. quanto, vbi Abb. num. 4. de Iudæis, Suarez cap. 17. n. 10. Ratio eſt, quia poſtquam diœceſes in parochias diuiſæ fuerunt, prædia Parochianorum intra quamlibet Parochiam ſita, obligationem acquiſierunt decimæ partis fructuum ex ijs eccleſiæ parochiali inferendæ, eamque obligationem ſecum ad quemlibet poſſeſſorem deferunt: quia *res tranſit cum onere ſuo.* Et notandum hic eſt; fieri poſſe, vt ſi prædia decimarum nomine alicui parochiæ obligata, ad aliam eccleſiam ſeu parochiam titulo fundationis, donationis, legati perueniant; hæc priori eccleſię, intra cuius fines prædia conſtituta ſunt, decimas præſtare cogatur, niſi conſuetudine aliud obtentum ſit, ſicuti ex communi docet Abb. in c. 2. num. 6. de decimis, Couar. lib. 1. reſol. cap. 17. num. 8. §. ſecundo, Gutierez lib. 2. canon. qq. cap. 21. num. 54. Rebuffus q. 5. de decimis, n. 20. Quod ipſum Gl. in c. 1. de cenſibus, etiam de manſa eccleſiæ dicendum exiſtimat, ſi ante decimis obligatus erat, non liberari obligatione.

Restat Quæstio. Vtrum pauperes etiam ad decimas præſtandas obligentur? Reſpondeo & dico I. Qui communi ac tollerabili paupertate laborant, habentes tamen ea, quę ad ſe, ſuoſque alendos abſolutè, etiam perſolutis decimis, neceſſaria ſunt; ij haud dubiè decimarum obligatione, perinde vt alij, tenentur. Quæ eſt communis, & certa aſſertio S. Th. qu. 87. art. 4. Abb. in c. cùm homines, n. 4. de decimis, Rebuffi qu. 5. num. 14. Ratio eſt: Quia licet decimæ, & alij Eccleſiaſtici reditus, ſi ſuperflui ſint, ad pauperum vel alium pium vſum erogari debeant: hæc tamen diſpenſatio ipſis Clericis commiſſa eſt, neque particulares pauperes ſpeciale aliquod ius habent; ſed ipſi inprimis ſatisfacere debent obligationi ac debito ſuo.

Dico II. Qui graui paupertate premuntur, ita vt ſolutis decimis non habeant neceſſaria ad ſe, ſuoſque alendos, à ſolutione, vel potius dilatione decimarum, donec ad meliorem fortunam venerint, probabiliter excuſantur. Ita docet Suarez cit. lib. 1. cap. 16. num. 16. contra Ioan. Andr. & Abb. in cit. c. cùm homines, n. 5. Rebuffum cit. num. 14. Henric. Caniſium de decimis, c. 5. qui ſolùm extremam neceſſitatem excipiunt. Ratio eſt; Tum quia vniuerſim ſolutio debiti ex titulo iuſto contracti, differri poteſt, ob grauem neceſſitatem, ſeu inopiam debitoris, vti dixi lib. præced. tract. 2. de iuſt. cap. 12. num. 1. Tum quia ſpecialia ſunt in debito decimarum; nimirum, quòd credibile non ſit, piam Eccleſiam velle, vt tanto rigore à fidelibus decimæ exigantur: & cùm Parochi ipſi obligati ſint ad ſubueniendum Parochianis tanta inopia preſſis, non poſſunt illi iniquo animo ferre, ſi Parochiani, quòd ipſis tribuendum, aut concedendum eſſet, antè retineant. Id verò diſcrimen eſt inter inopiam grauem, & extremam, quòd qui extremam patitur, obligatione omninò liberatur: qui verò grauem tantùm, non ſimpliciter, ſed donec opulentior factus fuerit. 6

Ad extremum nota: In Clementina cupientes, §. 1. de pœnis, pœnas inferri ipſo facto Religioſis Ordinis Mendicantium, (qui ipſi decimas nullas percipere ſolent) ſi homines à decimarum ſolutione retrahant.

CAP. IV.

QVIBVS DECIMÆ PENDENDÆ SINT.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ perſonales, vbi in vſu ſunt, præſtari debent Eccleſiæ parochiali, ad quam quiſque fidelium ſpectat.*

2 *Decimæ prædiales ſoluendæ ſunt Eccleſiæ parochiali, intra cuius terminos prædia ſita ſunt.*

3 *Parochi communi iure aduerſus quemlibet poſſeſſorem iuris decimandi intentionem fundatam habent.*

Spoliatus non reſtituitur, ſi ex actis notorium ſit, iure poſſidendi eum caruiſſe.

4 *Decimæ debentur Eccleſiæ matrici, non filiali.*

5 *Decimæ miſtæ ex fructibus & fœtu pecorum, debentur parochiæ, intra cuius terminos pecora paſcuntur.*

6 *Quarta pars decimarum communi iure Epiſcopo debetur, quamuis id multis in locis non ſeruatur.*

Certi tamen caſus ſunt, quibus adhuc hodie integræ decimæ ad Epiſcopum pertinent.

Assertio I. Decimæ perſonales, ſpectato iure communi, (nam conſuetudine ferme vbique abrogatæ ſunt) præſtari debent propriæ eccleſiæ parochiali, ad quam quiſque fidelium pertinet, vt in ea officia diuina audire, & Sacramenta percipere teneatur. Ita 1

S. Th. cit. q. 87. art. 3. ad 2. & habetur in c. ad Apostolicæ, de decimis, iunct. ver. personales, & c. vlt. de parochijs, vbi id notat Gl. & Abb. num. 5.

Assertio II. Decimæ prædiales, spectato communi iure, vel saltem Ecclesiarum recepta consuetudine, soluendæ sunt ecclesiæ parochiali, intra cuius terminos prædia sita sunt. Ita habetur in cap. vlt. de restitut. spoliatorum, in 6. & colligitur ex cap. si quis laitus, 16. qu. 1. cit. c. vlt. de parochijs, c. quoniam, c. cùm contingat, cap. cùm in tua, de decimis, & docet S. Thom. loco cit. Gloss. in cit. c. vlt. ver. prædiorum. Ratio est: Quia cùm crescente multitudine fidelium, ad confusionem vitandam, necesse esset parochias diuidere, oportuit etiam singulis fines ac terminos suos terrarum designare, ex quibus pro Parochi, & Cooperatorum eius sustentatione, certi decimarum reditus prouenirent, sicuti colligitur ex cap. licet 16. qu. 3. cap. super eo, de parochijs, & Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. de reformat. & sess. 24. cap. 13. in fine. Confirmatur: Nam sicuti obligatio decimarum personalium inhæret personis, ideóque ratione eius debentur parochiæ, ad quam illæ spectant; ita & obligatio decimarum prædialium inhæret prædiis, quatenus frugifera sunt; ideóque ratione eorum debentur parochiæ, intra quam prædia sita sunt. Fateor tamen in casu, quo fideles in vna parochia Sacramenta percipiunt; in alia verò eiusdem diœcesis prædia sita habent; non esse iure communi decisum, vtri parochiarum decimæ prædiales debeantur; ac proinde consuetudinem cuiusque loci sequendam esse, dicitur apertè in c. ad Apostolicæ, & c. cùm sint, vbi id notat Abb. num. 8. de decimis.

3 Corollarium. Parochus loci contra quemlibet possessorem iuris decimandi, etiam Episcopum, habet intentionem suam fundatam ex communi iure; vt aliter probare non teneatur ad se pertinere, sicuti docet Rebuff. q. 7. a. 4. Canis. c. 8. n. 2. arg. c. in sacris canonibus, causa 16. q. 1. c. à nobis, de decimis, c. vlt. de parochiis. Idémque ait Abbas in c. pastoralis, n. 2. de his quæ fiunt à Prælatis & c. sentiendum esse de quibusuis prouentibus, adeò, vt si capella sit infra parochiã, oblationes ibi factæ non capellæ, sed parochiæ cedere debeant, nisi eæ ad Ministri sustentationem, vel capellæ fabricam Episcopi auctoritate deputatæ sint, iuxta c. ad audientiam, 1. de eccles. ædific.

Adde, extare de hac re singularem, & elegantem responsionem in c. 2. de restit. spoliatorum. in 6. vbi proposito casu, Quòd Canonici, qui decimas intra parochiam alicuius Clerici aliquandiu possederant, ab eodem Clerico, seu Parocho spoliati fuissent, respondet Bonifac. VIII. *Nequaquam debent restitui, nisi euidenter docuerint, quod earum possessionem legitimè assecuti fuissent;* puta præscripta consuetudine, priuilegio transactione. *Quia eas occupare iniuste, verisimiliter præsumitur; cùm proueniant ex prædijs infra alienam parochiam constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem ecclesiam peruenire.*

Ex quo colligunt Doctores, licèt ordinariè spoliatus priùs restitui debeat, quàm de causa & titulo possidendi agatur, iuxta c. in litteris, extra eod. tit. excipiendum tamen esse non tantùm si ex actis notorium sit, spoliatum iure possidendi caruisse; sed etiam *si iuris communis præsumptio aduersetur spoliato, faueat vero spoliatori*, sicuti docet Nau. in c. accepta, opposit. 10. num. 21. de restit. spoliat. Couar. lib. 1. resolut. c. 17. num. 6. Canisius c. 16. vbi ait num. 7. diligenter id Parochis notandum esse, quod decimas intra parochiam suam licitè occupent, & accipiant, donec alter Clericus, multoque magis laicus, iustum possessionis suæ titulum docuerit: quamquã id nõvbique in praxi obseruari notauit Cou. cit. loco

Sed quærunt Doctores: Vtrum decimæ cùm personales, tum prædiales ecclesiæ baptismali, an prochiali communi iure debeantur? Respondeo, & dico 1. De personalibus dubium esse non potest, quin debeantur ecclesiæ parochiali, in qua Sacramenta suscipi, & officia diuina ab adultis adiri debent: tametsi alia sit ecclesia baptismalis, ad quam tanquam matricem, aut primariam, baptizandi deferri debeant.

Dico II. Idem quoque sentiendum est de decimis prædialibus, inferendas esse ecclesiæ parochiali, si ea proprios, & à matrice ecclesiæ distinctos limites habeat; Episcopi auctoritate constitutos, idque colligitur ex c. ad Apostolicæ, c. cùm contingat, vti id notat Abbas n. 8. Suarez cit. lib. 1. c. 24. num. 4.

Neque his obstat, quod interdum in sacris canonibus legimus, decimas ecclesiæ baptismali præstandas esse, vt in c. de decimis, c. statuimus. 16. qu. 1. Cùm enim fideles plerumque in eadem ecclesia & sacrum Baptisma, & reliqua Sacramenta, atque diuina suscipere soleant; vti videre est in c. in sacris canonibus, ead. q. ideo ecclesiæ, quibus decimæ debentur, modo baptismales, modo parochiales in iure appellantur.

Interdum verò ecclesia baptismalis simul, & matrix, aliam ecclesiam sibi annexam ac subiectam habet vt filialem, & non parochialem per se, sicuti notauit Abb. in cap. ex parte 2. num. 1. de rescriptis: *Quod ecclesia plebanalis* (id est, parochialis,) *potest possidere capellam positam in sua plebanatu* (siue parochia) *non ponendo ibi Rectorem, sed Capellanum, qui eam officiet, & teneat nomine plebis.* Quo casu fatemur, decimas deferendas esse ad ecclesiam matricem, & Rectorem eius, qui deinde ex iis iustum stipendium Capellano, seu Cooperatori suo præbere cogitur. Alia verò ratio est; Si capella Episcopi auctoritate distinctam parochiam faciat, vt suprà dixi, & notauit Abb. c. cùm contingat, n. 8. de decimis. Vide etiã Suarez c. 25. Rebuff. q. 6. de decimis, n. 6. & 7. 4

Assertio III. Decimæ mistæ, quæ ex fructibus, & fœtu pecorum penduntur, vbi eæ in vsu sunt, debentur ecclesiæ, siue parochiæ, intra cuius terminos pecora pascuntur; ita, vt si diuersis anni temporibus in diuersis parochiis alantur, decimæ inter parochias secundùm temporis proportionem diuidendæ sint, nisi aliud consuetudo obtineat. Ita docet Gloss. communiter recepta in c. ad Apostolicæ, ver. personales, de decimis, vbi notat, decimas mistas magis prædialibus, quàm personalibus annumerandas esse, argum. c. commissum, de decimis. Eadémque est sententia S. Thom. q. 87. ar. 3. ad 2. Halensis pa. 2. q. 51. memb. 4. Abulensis in c. 23. Matth. q. 197. Rebuffi q. 6. nu. 25. Suarez cap. 21. nu. 8. Vide etiam Nauar. consil. 1. de decimis, edit. 2. 5

Assertio IV. Spectato communi iure, quarta pars decimarum parochialium soluenda est Episcopo ordinario. Ita habetur in c. conquerente, de officio Ordinarij, ca. de quarta, de præscript. c. cùm olim, de censib. & contra Gl. in c. cùm contingat, de decimis, ver. de iure communi, docet Hostiensis in c. dudum, eod. tit. Abb. in cit. c. cùm contingat, nu. 7. & cit. c. de quarta, n. 2. Canisius ca. 12. Suarez cit. lib. 1. c. 28. nu. 9. Ratio sumi potest tum ex imitatione veteris legis, in qua decimæ Leuitarum à Sacerdotibus iterum decimabantur, sicuti ex cap. 18. Numer. S. Hieron. testatur, relatus in cap. 1. de censibus, tum multò magis ex prima origine decimarum, quæ Episcopo præstari debebant, vt eas postea inter Clerum, siue Ministros Ecclesiæ suæ, pro cuiusque meritis ac necessitate, distribueret, sicut testatur Clemens Romanus lib. 2. constit. cap. 25. & colligitur ex c. 1. c. peruenit, 16. q. 7. Cæterùm, posteaquam ob fidelium multitudinem, diœceses amplificatæ, atque intra eas parochiæ diuisæ sunt, tunc decimæ prædiorum singulis parochis siue Ecclesiarum curatoribus iure proprio assignatæ fuerunt, reseruata tamen Episcopo tanquã superiori ordinario fidelium Pastori certa portione, 6

videlicet quarta, quæ ad ipſius decentem ſuſtentationem neceſſaria videbatur. Verùm cùm pluribus locis Epiſcopi ex propriis fundationibus, aliiſque titulis ſufficientem ſuſtentationem habeant, ideo quarta decimationis pluribus diœceſibus omnino in deſuetudinem venit.

Nihilominus certi caſus ſunt apud Abb. in cit. cap. cùm contingat, num 7. Rebuffum cit. qu. 7. num. 7. Suarez c. 29. n. 1. quibus adhuc hodie integræ decimæ ad Epiſcopum pertinere poſſint: Quorum primus indubitatus eſt, ſi ipſemet ſit immediatus curatus Eccleſiæ ſuæ Cathedralis, vel alterius parochialis, quam ſaltem per Vicarium adminiſtret. II. Si prædia intra ſuam diœceſin nulli parochiæ aſſignata ſint, eorum decimæ ad menſam epiſcopalem ſpectant, iuxta c. quoniam, de decimis, vbi id notat Abb. num. 2. III. Si adhuc hodie aliqua diœceſis in parochia diuiſa non eſt, ſed omnis cura animarum immediatè ad Epiſcopum ſpectat; tunc decimæ omnes ad eundem iure pertinebunt; ex quibus Capellanis ſeu Vicariis ſuis congruentem ſuſtentationem præbere debet, ſicuti apud nos Parochi ſolent.

Addit Rebuffus cit. qu. 7. n. 12. Epiſcopum nomine cuiuſlibet Eccleſiæ parochialis, agere poſſe ad conſequendas decimas, in defectum Parochi.

Cap. V.

QVANDO, ET VBI DECIMÆ PENDENDÆ ſint.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ prædiales debentur, cum primum fructus ſolo ſeparati & collecti ſunt.*

2 *Ipſemet Parochus decimas prædiales ad horreum ſuum deferre debet, niſi aliter conſuetudine loci obſeruetur.*

3 *Parochus recuſantem ſoluere decimas non poteſt Eccleſia prohibere, ſed debet cauſam ad Ordinarium loci deferre.*

4 *Prælati ſubditos compellere debent ad ſolutionem decimarum, niſi propter ſcandalum ad tempus diſſimulandum eſſe videatur.*

1 ASSERTIO I. Decimæ prædiales debentur ſtatim, vt fructus à ſolo ſeparati, atque collecti ſunt, ita expreſsè habetur in c, cùm homines, de decimis, iunct. Gloſſ. ver. fructibus collectis. vbi addit, ſi ruſticus in mora ſoluendi eſt, periculum decimarum ad ipſum ſpectare. Et docet Alenſis p. 3. q. 51. memb. 5. Rebuf. q. 11. n. 3. Syl. ver. decima, q. 7. dicto 5. aliique communiter. Neque opus eſt, vt decimæ à Parocho petantur, ſiue exigantur: quia dies ipſe, ſiue tempus ſolutionis pro creditore interpellat; præſertim cùm fructus reali obligatione decimarum, ex iuris diſpoſitione, obligati cenſeantur. Atque ita tradit Gloſſ. cit. Abb. ibid. num. 3. & in c. peruenit. eod. in fine. Couar. 1. reſol. c. 17. num. 8. ver. octauo, Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 21. num. 44. Rebuffus q. 12. num. 7. Suarez cap. 37. num. 2. contra Adrianum in quodlib. 5. a. 1. §. Secundò videndum, in fine. Et ſumitur ex c. 22. Exod. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Ratio eſt: Quia poſita determinatione legis poſitiuæ, ex iuſtitia debentur Miniſtris Eccleſiæ.

2 Aſſertio II. Spectato communi iure, non obligatur prædij dominus, aut colonus decimas ad horreum Eccleſiæ, vel Parochi deferre, ſed ſatisfacit obligationi ſuæ, ſi moneat Parochum, vt decimas ſolo ſeparatas, aut collectas auferat: quod ſi id facere intermittat, & decimæ fructuum in agro damnum aliquod patiantur, Parochi culpæ imputabitur. Hæc eſt ſententia Couarruu. loco cit. Suarez cit. cap. 37. num. 6. Henrici Caniſij cap. 7. num. 2. contra Gloſſ. in cap. reuertimini, ver. in horrea, 16. quæſt. 1. Abb. in cap. peruenit, num. 3. de decimis, vbi aiunt; Vilicum debere propriis expenſis fructuum decimas ad horreum Parochi deferre. Quod verum quidem eſt, ſi loci conſuetudo ita obtinuerit: communi autem iure nihil tale ſtatutum reperitur, vti bene notauit Abulenſis in cit. cap. 23. Matth. quæſt. 206. Habet enim ſe Eccleſia comparatione decimarum, tanquam vſufructuaria, vel penſionaria, cui ſatisfit, ſi penſio fructuum ſoluatur in loco, vbi res frugifera ſita eſt; niſi aliter conuentum ſit, ſicuti dixi libro præcedenti, tract. 2. de iuſtit. cap. 10. num. 5. & docet Leſſ. lib. 2. cap. 15. dub. 8. num. 57.

Inſuper rectè monet Couarruu. loc. cit. & Gutierez num. 49. Dominos, vel vilicos prædiorum oportere frumentum, alióſque fructus non antea in horrea ſua condere, quàm Parochos monuerint, vt ipſi, vel procuratores eorum fructuum collectioni, & decimationi aſſiſtant; ne vlla fraus committi poſſit, *Quod enim omnes tangit ab omnibus debet approbari*, reg. 29. in 6. Itemque ſenſit Abb. cap. ex parte, 2. num. 6. de decimis.

Aſſertio III. Perſonales decimæ ex lucris, vbi eæ in vſu ſunt; commodiſſimè ſoluuntur elapſis annis ſingulis, ſicuti alii cenſus & tributa pendi ſolent. Ita Gloſſ. in c. reuertimini, verb. annus, 16. quæſt. 1. Alenſis cit. quæſt. 51. memb. 5. Abb. in cit. cap. peruenit, num. 3. Rebuffus quæſt. 12. num. 4. Suarez cap. 37. num. 3.

Aſſertio IV. Inter decimas mixtas quædam rectiùs ſoluuntur, cùmprimum fructus percepti ſunt, vt ouium lana: Quædam non ſtatim, ſed poſtquam ſine lacte matris viuere poſſunt, animalium fœtus. De quibuſdam verò certa regula tradi non poteſt; ſed ex loci conſuetudine, priuatis tranſactionibus &c. petendum eſt, ſicuti docet Rebuffus quæſt. 6. prope finem, Suarez cap. 37. num. 6. 3

Aſſertio V. Non poteſt Parochus à domino, vel colono decimas iniuſtè detinente, aut ſoluere recuſante 4 per vim extorquere, aut ob eam cauſam eccleſiæ aditu, vel Sacramentis, ſine Epiſcopi auctoritate, prohibere. Ita ex communi Rebuffus quæſt. 9. in fine, Nauar. lib. 3. conſil. 2. de decimis, edit. 2. Suarez cap. 38. num. 2. Quia vniuerſim conceſſum non eſt creditori propria auctoritate bona debitoris inuadere, eumque poſſeſſione, ad debiti ſui recuperationem, ſpoliare. Quare cùm Parochus forenſem iuriſdictionem in Parochianos non habeat, neceſſe eſt, vt ad Epiſcopum cauſa iſta deferatur, qui illos in ſoluendis decimis culpatè morantes ad ſolutionem cogere debet, & poſt trinam canonicam monitionem etiam excommunicare, iuxta c. omnes, 16. qu. 1. & Trident. ſeſſ. 25. cap. 12. de reform. idque notauit Abb. in cap. peruenit, in princ. vbi ait, Prælatos peccare, niſi ſubditos compellant ad decimarum ſolutionem: quia negligere non debent, quæ Eccleſijs debita ſunt. Quod ordinariè verum eſt: Interdum tamen, ſi ſine ſcandalo, vel ſimili incommodo decimæ acquiri non poſsint, prudentia opus eſt, vtrum magis expediat, eas vna vice, ſeu ad tempus remittere, an cum ſeueritate Eccleſiaſticæ cenſuræ exigere, ſicuti notauit Caietan. 2. 2. qu. 43. a. 8. reſp. ad vlt. Suarez cap. 38. num. 5. Ioan. Molan. cit. orat. 3. cap. 11. & 12. poſt. S. Thom. cit. qu. 78. art. 1. ad 5. *Laudabiliter miniſtri Eccleſiæ decimas non requirunt, vbi ſine ſcandalo non poſſunt, ſeu propter deſuetudinem, ſeu propter aliam cauſam.* Veruntamen, ſi in aliquo caſu crimen decimas iniuſtè detinentis notorium, & inexcuſabile ſit, haud dubiè poteſt, imo debet Parochus tali notorio peccatori Sacramentum Euchariſtiæ negare, ſicut dicam lib. 5, tract. 4. cap. 6. quæſt. 3.

CAP. VI.

DE VARIIS MODIS ACQVIRENdi ius decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Ius decimarum ab Ecclesiasticis personis per transactionem, compromissum, aut permutationem, cum Ordinarij auctoritate, acquiri potest.*

2 *Ius decimarum, quatenus in spirituali titulo fundatum est, vendi aut permutari cum re temporali non potest.*

3 *Vtilitas decimarum, quæ est ad fructus percipiendos, spectata rei natura, vendi, laicis concedi, aut locari potest.*

4 *Episcopi post Concilium Lateranense decimas personis laicis in perpetuum feudum dare non potuerunt.*

5 *Si Laicus decimas tanquam in feudum concessas à tempore immemoriali possideat, in dubio præsumitur ante Concil. Lateranense acquisiuisse.*

Nihil obstat, quominus Prælati laicis decimas ad tempus concedant, cum debita solemnitate, & ob iustam causam,

6 *Decimæ in feudum legitimo iure concessæ, possunt iterum concedi.*

7 *Contra proprium Parochum ius decimarum ab Ecclesiasticis personis cum titulo præscribitur annis 40. sine titulo autem, tempore immemoriali.*

8 *Laici non possunt per præscriptionem acquirere decimas, nisi ea fundata sit in opinione, aut præsumptione alicuius legitimæ concessionis.*

Non quidquid Principis priuilegio acquiri potest, idem etiam præscriptione acquisibile est, idem quoque per Principis priuilegium, seu concessionem.

9 *Immutata à soluendis decimis, cum titulo, & bona fide, 40. annis præscribi potest; sine titulo autem requiritur tempus immemoriale.*

10 *Consuetudo populi aduersus legem decimarum sine titulo, & Summi Pontificis consensu præualere non potest, nisi tempore immemoriali.*

PRÆTER titulum acquirendi ius decimarum, qui notissimus, & communi iuri maximè cõformis est, videlicet collatio parochialis beneficij, alij quidem modi esse possunt, videlicet transactio, compromissum, permutatio, liberalis concessio & priuilegium, consuetudo, ac præscriptio, de quibus singulis hoc capite dicendum est.

1 Assertio I. Per transactionem seu amicabilem compositionem Ecclesiasticis personis ius decimarum acquiri potest. Habetur expressè in c. 2. &c. veniens, de transaction. & cap. ex multiplici, de decimis: vt puta si plura prædia sint, de quorum iure decimandi litigatur, componi seu transigi potest, & vni parti hæc, alteri alia prædia assignentur, vel si vnicum prædium litigiosum sit, vt decimæ inter partes diuidantur: dummodo in tali transactione nullum extrinsecum pretium interueniat, pro quo ius decimarum, quod spirituale est, simoniacè ematur, sicuti notauit Gloss. in cit. cap. 2. verbo, vt si super.

Porro si talis compositio inter Clericos fiat, interueniente consensu & auctoritate Prælati, videlicet Papæ, vel Episcopi, censeri debet perpetua, vti colligitur ex cit. cap. 2. & cit. cap. veniens. Sin verò priuata tantùm transactio fiat, rata tantùm erit inter paciscentes, sed successores non obligabit, sicuti colligitur ex c. veniens, vbi id notat Gl. ver. confirmatam, de decimis, & idem Abb. in c. cùm homines, num. 4.

Assertio II. Super iure decimarum compromitti potest in arbitrum vnum, vel plures, quorum sententia siue arbitrio à partibus standum sit. Sumitur ex cap. cùm Apostolicæ, de his quæ fiunt à Prælatis, iunct. cap. 1. de arbitr. Debent autem arbitri Clerici esse, non laici: quia sicuti laicus de spiritualibus iudicare non debet, ita neque arbitrari, sicuti habetur in cap. contingit, de arbitris, iuncta Glossa verb. spiritualibus. Ex commissione tamen Iudicis Ecclesiastici, posse laicum vnum, vel plures cum Clerico compromissarios fieri, docet Gloss. ibid. & colligitur ex c. per tuas, vbi id notat Abb. num. 6. eod tit.

Cæterum in compromisso super iure decimarum, necesse est legitimum Superioris consensum, aliasque solemnitates interuenire, quę ad alienationem Ecclesiasticorum iurium secundùm canones requiri solent, sicuti docet Abbas in cap. dilecti, num. 8. de arbitris: Nam *prohibita alienatione, tacitè etiam prohiberi censetur omnis actus voluntarius, per quem ad alienationem perueniri potest.* Per compromissum autem indirectè perueniri potest ad alienationem, quę directè prohibita est circa iura Ecclesię, non adhibitis solemnitatibus. Ergo &c.

Assertio III. Ius decimarum vnius Ecclesię cum iure decimarum alterius Ecclesiæ nihil prohibet permutari. Ita Doctores communiter, ducto argumento à sensu contrario, ex cap. ad quæstiones, & cap. vlt. de rerum permut. vbi id Gloss. notauit, ver. temporalia. Verùm in eiusmodi permutatione Episcopi auctoritatem interuenire necesse est: cùm permutatio alienationis species sit, cap. nulli, de rebus Ecclesiæ non alien.

Assertio IV. Ius decimarum, si propriè, formaliter, & secundùm primam institutionem sumatur, quatenus fundatum est in spirituali officio, seu obligatione ministrandi spiritualia, sine vitio simoniæ vendi, aut permutari cum re temporali non potest. Ita colligitur ex cap. vlt. de rerum permutat. vbi Gloss. verbo temporalia, Rebuff. quæst. 10. num. 17. Specialiter autem laicis ius decimarum ita formaliter sumptum, ne gratuita quidem concessione, aut priuilegio quocunque, concedi potest, sicuti docet, S. Thom. quæst. 87. a. 3. in corp. & sumitur ex cap. 1. causa 16. qu. 1. cap. causam quæ, de præscript. c. adhæc, c. quamuis, c. prohibemus, de decimis. Ratio est: Quia laici spiritualia fidelibus ministrare non possunt, consequenter incapaces sunt iuris decimarum, quod in spirituali officio tanquam debitum ipsi stipendium fundatur, ideoque & ipsum spirituale censetur. 2

Assertio V. Ius decimarum, si materialiter spectetur pro sola vtilitate fructuum percipiendorum, præcisa à spirituali iure ac titulo, hac ratione vendi, locari, vel personæ laicæ concedi nihil prohibet ex rei natura, nisi sacri canones prohibeant. Ita S. Thom. cit. a. 3. in corp. Gloss. in cit. cap. quamuis, verb. concesserit, Suarez cap. 25. num. 6. Quia ius percipiendi reditus temporales, hac præcisa consideratione, temporale est: ergo in laicos quoque cadit, æstimationemque tẽporalem recipere potest. Quapropter inprimis Summus Pontifex, tanquam supremus bonorum Ecclesiasticorum administrator, ex iusta causa ad bonum Ecclesiæ pertinente, reditus decimarum, vel integros, vel partiales, laicis v. g. principibus viris, in perpetuum concedere potest: seu in remunerationem beneficiorum, seu cum annexo onere fundandi, dotandi Ecclesias. Qua conditione Reges Hispaniæ Ferdinandum, & Elisabetham decimas regni Granatensis à Summo Pontifice accepisse, testis est Couarruu. in pract. quæstion. cap. 35. num. 2. & videri potest Abb. in cap. causam quæ, nu. 5. de præscript. Henric. Canis. de decimis, cap. 13. num. 3. Enimuero necesse est, vt, si decimæ Pontificia auctoritate Ecclesiæ alicui auferantur, Ministri eius aliunde sufficientes reditus ad decentem sustentationem habeant. 3

Deinde verò omnes beneficiati, & Rectores ecclesiæ, etiam inferiores Episcopo, ius habent propria auctoritate temporales decimarum prouentus cuicunque vendere, vel locare, ita tamen, vt ius siue dominium vtile decimarum non censeatur ab Ecclesia alienatum. Sumitur ex c. 2. de locato, vbi id notant Doctores communiter, Gl. in cit. c. causam, in fine, c. vlt. num. 4. de rerum permutat. & cit. c. adhæc, num. 4. Rebuff. qu. 10. num. 34. Couar. 2. resol. c. 15. n. 6. Canis. cap. 13. in fine. Mol. t. 2. de iust. disp. 466. Suarez cit. c. 25. n. 9. & alij.

Assertio VI. Episcopi, & inferiores Prælati poterant iure antiquo, adhibitis solemnitatibus, prouentus decimarum Ecclesiæ suæ, ob iustam causam, laicis concedere in feudum perpetuum: hæc autem potestas ipsis adêpta est in concilio Lateranensi sub Alexandro III. Anno Domini M. C.LXXX. sicuti colligitur ex cap. 2. §. sanè, de decimis, in 6. Quamuis aliqui existiment, priùs sublatam fuisse ab Vrbano secundo in Concil. Turonico celebrato Anno Christi M. XCVI. vti videre est apud Hostiensem in cap. cùm Apostolica, de his quæ fiunt à Prælatis. Rebuff. qu. 10. num. 23. Suarez cap. 26. num. 4. *Si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quæ eis subiectæ sunt, & tituli vocantur; nullum habere vigorem, secundùm hoc, quod constitutum est à Papa Vrbano in Sancta Synodo, hoc est, illud, quod post eius decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmum permanere debet.* Verùm hæc fortasse constitutio non vbique recepta fuerat ante tempora Alexandri III. qui eam postea pluribus decretis contra laicos confirmauit, sicuti colligitur ex cit. cap. cùm Apostolica, & c. adhæc, c. quamuis, c. prohibemus, de decimis.

Exinde colligitur; Si laicus decimas possideat, quas ipsi ab Episcopo, vel alio Rectore Ecclesiæ, sine Sum. Pontificis consensu, post tempora Concilii Lateranensis in feudum concessas esse constat, concessionem infirmandam, & ecclesiæ, ad quam decimæ spectant, restituendas esse: quandoquidem tales concessiones in futurum ipso iure irritæ decernuntur. Nota tamen, in dicto c. cùm Apostolica, concessum esse, vt quæ ad illud vsque tempus decimæ à laicis, quamuis iniustè detinebantur, si induci non possint, vt ecclesiæ, ad quam propriè spectant, restituant; alteri ecclesiæ, præsertim religioso Conuentui, cum diœcesani Episcopi consensu, assignare firmissima donatione liceat.

Hinc verò controuersia orta est inter Doctores; Si laicus decimas nomine ac titulo feudi possideat, à tempore, cuius initii nulla hominum memoria extat; sed constare non possit, num ante, vel post Lateranense Concilium tale feudum naetus fuerit; vtrum pro laico possessore, an contra illum præsumptio esse debeat; siue, vtrum in possessione decimarum relinquendus, an verò deijciendus sit. Contra Laicum stat Hostiensis in cit. c. cùm Apostolica, quem sequitur Canis. cap. 13. num. 9. Sed contraria sententia est communis aliorum
5 in cit. c. cùm Apostolica, vbi Abb. num. 12. Couar. 1. resol. cap. 17. num. 5. Syl. ver. decima, quæst. 10. dicto 2. Suar. cap. 27. num. 4. Ratio est: Quia possessio temporis immemorialis facit præsumptionem iuris, ac tituli, si capacitas sit in possidente: Atqui laicus capax est possessionis decimarum non tanquam iure proprietatis; sed vtilitatis concessæ à Sum. Pontifice, vel Episcopo, ante Concilium Lateranense: Ergo si laicus decimas possideat tanquam in feudum antecessoribus suis ab Ecclesia concessas, ob temporis longinquitatem præsumi debet, concessionem iustam fuisse; tametsi modò ius siue titulus exhiberi non possit; arg. l. vlt. ff. de aqua, & aquæ pluuiæ &c. *Quibus auctoritatem vetustas daret, tametsi ius non probaretur.* Excipe; Nisi fama, seu publica persuasio sit, decimarum ius tanto tempore à laico cum contradictione Clericorum, aut iniustè possessum fuisse.

His adde I. Nihil adhuc hodie obstare, quominus Episcopus, aliusue Ecclesiæ Prælatus, adhibita iuris solemnitate, decimas alicui laico ad vitam suam concedat; v. g. ob remunerationem meritorum, vel ratione stipendii, sicuti cum Gl. in c. quamuis, ver. concesserit, de decimis, fatentur Abb. ibid. num. 4. Couar. cit. n. Canis. cap. 13. num. 11. Suarez cap. 26. num. 1. contra Syluest. ver. decima quæst. 10. Ratio est: Quia iure antiquo id erat licitum, quod postea neque ab Vrbano, neque ab Alexandro III. reuocatum fuit; sed solum ne decimæ in feudum perpetuum laicis concederentur, sicuti colligitur ex cit. c. adhæc, c. quamuis, iun. Gl. & c. 2. §. sanè, eod. tit. in 6.

Adde II. Valde probabilem esse sententiam Gl. in c. prohibemus, ver. laicos, de decimis, quam sequitur Syl. ver. decima, quæst. 10. dicto tertio, Suarez cap. 26. n. 7. Nihil obstare, quominus adhuc hodie laicus, qui decimas ab ecclesia in feudum ante Lateranense Concilium concessas iustè possidet, alteri, cum eiusdem ecclesiæ consensu in feudum concedere possit: quamuis multi DD. contrarium sentiant, vt videre est apud Abbat in cit. c. prohibemus, num. 4. Canisium cap. 14. n. 3. Couaruuiam cit. cap. 17. num. 5. §. Præter hęc; vbi tamen fatetur, priorem Glossæ sententiam communi praxi receptam esse, quæ & probatur. Nam in concilio Lateranensi solùm prohibetur, ne decimæ Laicis in feudum perpetuum concedantur, adeóque alienentur: hæc autem non est noua concessio seu alienatio, sed alienationis antea legitimè factæ continuatio. Ergo &c. Quin imò, tametsi decimæ feudales, mortuo feudatario sine successore, ad ecclesiam reuertantur; antequam tamen eidem incorporatæ sint, posse eas Prælatum ex iusta causa alteri Laico in feudum concedere, contra Couaruuiam cit. loco sentit Suarez cit. cap. 26. num. 9. argum. cap. 2. de feudis, vbi habetur; Quòd iuramentũ de non alienandis bonis Ecclesiæ intelligitur duntaxat de noua alienatione; qualis non est, si bonis antè in feudum, vel emphyteusin concessis, vtile dominium ab Ecclesia alienatum fuerat, & necdum eidem per acceptationem incorporatum, sicuti notat Abb. ibid. num. 3. & in c. vt super, n. 10. & 11. de rebus Ecclesiæ non alienandis, Gl. in Clem. vn. de excess. Prælat. §. quidam, ver. ad mensam. 6

Assertio VII. Ius decimarum à quibuscunque Clericis, aut Conuentu religioso contra proprium Parochum, cui spectato communi iure debentur, præscribi potest, cùm titulo, 40. annorum spatio; sine titulo autem tempore tam longo, vt eius initii nulla extet hominum memoria. Ita ex communi docet Balbus de præscript. 3. p. 2. princip. quæst. 6. Couaruuias in cit. cap. 17. num. 7. Suarez cap. 22. Canisius cap. 9. Vasquez in moralibus, tr. de beneficiis, cap. 1. num. 56. Prior assertionis pars sumitur ex c. ad aures, de præscript. *Ad aures nostras peruenit, duas ecclesias litigasse super decimis; quas vna earum in alterius parochia 40. annis possedit.* Et infrà: *Tuæ fraternitati tenore præsentium innotescat, quòd de iure melior est conditio possidentis: quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* 7

Posterior autem pars, quòd cessante titulo colorato, possessio temporis immemorialis requiratur ad ius decimarum præscribendum, aduersus propriam parochiã, eò quòd in hoc casu ius commune possessori resistat, parochiæ autem assistat, habetur expressè in c. 1. de præscript. in 6. iuncto cap. 2. de restit. spoliatorum in 6. Quamobrem generalem hanc regulam tradit Abb. in c. si diligenti, num. 1. de præscript. *Titulus non requiritur in præscriptione quadragenaria contra ecclesiam; nisi cùm ius commune, vel præsumptio est contra præscribentem.* Atqui ius canonicum non tantùm præsumit decimas ad ecclesiam parochialem, eiusque Ministros spectare; sed etiam seuerè prohibet eas ab aliis Clericis, aut Ecclesiasticis personis percipi: cùm sint institutæ, vt soluantur à plebe in alimenta, congruámque sustentationem Clericorum, eidem plebi ministrantium Sacramenta, ait Couar. cit. cap. 17. num. 7. & sumitur apertè tum ex citatis iuribus, tum ex c. si quis Laicus, 16. quæst. 1. & c. seq. tum ex cap. 1. causa 13. quæst. 1. c. vlt. de parochiis, c. cùm contingat, c. ad Apostolicæ, de decimis. Adeò, vt Doctores aliqui existiment, inter quos Sanchez cap. 30. num. 8. Decimas à Religioso Conuentu, vel aliis Cle-

ricis curam animarum non habentibus; præscribi non posse, etiam tempore immemoriali, sine titulo, aut saltem constante fama tituli. Cuius tamen contrarium rectiùs docet Rebuff. quæst. 13. num. 63. Cùm sit generalis regula; Possessionem immemorialem cum bona fide facere præsumptionem tituli, si sit capacitas in possidente, ac præscribente: Ecclesiasticæ autem personæ iuris decimarum capaces esse possunt; sicuti & aliorum spiritualium; idq; colligitur apertè ex c. cùm in tua, de decimis.

Porro hîc aliqua aduertenda sunt: I. Non esse improbabile, quod tradit Abb. in c. cùm sint, prope finem, de decimis, Couar. lib. 1. resol. cap. 17. num. 8. ver. quartò, Gutierez cit. c. 21. num. 58. In casu cit. c. cùm sint, & c. ad Apostolicæ, de decimis, spatio decennii, vel viginti annorum, cum titulo, præscribi posse ius decimarum à Parocho, apud quem fideles Sacramenta percipiunt, contra Parochum loci (eiusdem tamen diœcesis,) in quo prædia sita sunt. Quamuis contradicat Gl. in cit. c. cùm sint, ver. ad consuetudinem, & Suarez cap. 22. arg. c. vlt. de restit. spoliator. in 6. ibi: decimas *occupasse iniustè verisimiliter præsumuntur; cùm proueniant ex prædiis infra alienam parochiam constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem ecclesiam pertinere*: Ex quo sequitur, opus esse 40. annorum spatium, cum titulo. Sed respondeo; Id verum esse, si præscriptio facienda sit à non Parocho proprio: secus verò est, in casu cit. c. ad Apostolicæ, & c. cùm sint: Si duæ sint: parochiæ, vna in qua Sacramenta percipiuntur, altera in qua prædia sita sunt: hoc casu testantur Pontifices, varias esse Patrum sententias, cuinam Parocho decimæ debeantur, ideóque sequendam esse consuetudinem diu obtentam: ergo ius in hoc casu non repugnat, neque præsumptionem iniustæ vsurpationis inducit. Id quoque rectè addit Suarez num. 8. vniuersim dici posse: Si dubium sit ad cuiusnam parochiæ limites prædium spectare debeat, quòd Parochus vnius parochiæ contra alterum decennali spatio præscriptionem perficere possit.

Alterum, Si ecclesia, vel Parochus legitimo tempore præscripsit ius percipiendi decimas ex alienæ parochiæ prædiis, non ideo etiam censendus est comparasse ius percipiendi decimas ex naualibus: Ita Gl. in c. cùm contingat, ver. noualium, ibid. Abb. num. 5. de decim. Couaruuias loco cit. num. 13. Gutierez lib. 2. canon. qq. cap. 21. num 78. Suarez num. 9. argum. cit. cap. cùm contingat, & c. tua, de decimis, vbi etiam ratio affertur, *cùm in talibus*, quæ contra ius commune sunt, *non sit extendenda licentia: sed potiùs restringenda*. Quare generalem regulam tradit Abb. c. cùm olim, de præscrip. n. vlt. Quòd *præscriptio extenditur à casu ad casum*: Quia *non plus præscribitur, quàm possidetur*. Quare si fueras in possessione percipiendi decimas ex alienæ parochiæ prædiis, non potes præscribere ius decimarum in noualibus, si ea antea nullos fructus tulerunt, ideóque nullæ decimæ ex iis percipi solebant.

8 Assertio VIII. Laici non possunt præscriptione acquirere decimas, etiam immemorialis temporis possessione, nisi ea fundata sit in præsumptione alicuius legitimæ concessionis, aut priuilegii, saltem, per famam & communem opinionem. Quæ est sententia Gloss. communiter receptæ in c. causam quæ, ver. detinere, ibid. Felin. numero 5. Abb. num. 2. de præscript. Syluest. ver. decima, quæst. 10. dicto 2. Abulensis in cap. 23. Matth. quæst. 178. Couaruuiæ cit. cap. 17. num. 5. ver. sed si debetur. Rebuffi quæst. 10 numero 24. & q. 13. num. 64. Henrici Canisii cap. 13. num. 9. & 10. Suarez cap. 27. & aliorum quos citaui lib. 1. tract. 4. cap. 24. num. 9. Sumitur ex cit. c. causam, vbi respondetur Virum aliquem nobilem ad decimarum restitutionem condemnandum esse, non obstante præscriptione temporis, si eam opponere voluerit: *quia cùm laici decimas detinere non poßint, eas nulla valent præscribere ratione*. Quæ responsio, quòd laicus decimas possidere non possit (puta iuridicè; atque vtiliter ad præscribendum) à Pontifice data non fuit de iure decimarum, quatenus spirituale est, seu in spirituali titulo fundatum: siquidem tale ius laicus ille sibi haud arrogauerat: consequenter intelligi debet de iure decimandi, quatenus à spirituali titulo separatum, temporale quiddam esse potest, Laicum tale ius possidere non posse, ideóque nec præscribere; præterquam si intentionem suam fundet in concessione Pontificia, vel alterius Episcopi, aut Prælati Ecclesiastici, priusquam huiusmodi facultas ipsis adempta erat. Ratio verò huius Pontificii responsi est manifesta: Quia perceptio decimarum ex primæua institutione annexa est titulo spirituali, ita vt ab eo separari nulla ratione possit; præterquam legitima Ecclesiastici Prælati auctoritate, & concessione: consequenter, si laicus, qui spiritualis tituli incapax est, decimas possidere velit, necessariò suam intentionem fundare debet in titulo alicuius legitimæ concessionis; & non in sola nuda detentione decimarum, quippe quæ primordialem suam naturam spiritualitatis semper retinere præsumuntur; nisi ab ea abstractas fuisse, probatio vel præsumptio aliqua existat, sicuti præter alios annotauit Abb. in c. cùm Apostolica, num. 12. de his quæ fiunt &c.

Confirmatur. Beneficium præscriptionis à iure prouenit: consequenter si iura simpliciter resistant præscriptionis, non poterit ea præualere etiam tempore immemoriali. Nam *vbi lex impedit vsucapionem, bona fides possidenti nihil prodest*, l. 24. ff. de vsurpat. & vsucap. Quare dictum illud, Quidquid Principis priuilegio acquiri potest, idem quoque per immemorialis possessionis præscriptionem; verum non est, si ex legis constitutione aliquis incapax sit possidendi, sicuti notauit Abb. cap. cum instantia, num. 4. de censibus, & dixi lib. præced. tr. 1. de iustit. cap. 8. num. 7. Contrà vniuersim verum est: Quòd quidquid consuetudine, aut præscriptione acquisibile est, idem etiam Principis supremi priuilegio: siquidem ipsa etiam vis consuetudinis ac præscriptionis aduersus communia iura, à Principis voluntate proficiscitur.

Quamuis autem hæc vera videantur; non desunt tamen Iureconsulti, vti videre est apud M. Anton. Peregrinum de iure Fisci, lib. 4. tit. 8. Anton. Gabrielium lib. 5. de præscript. concl. 1. num. 8. Couar. loco suprà cit. qui laicum possidentem decimas à tempore, cuius initii memoria non extet, eo ipso, sine alio titulo, tutum esse affirmant; propterea, quòd ipsa immemorialis possessio tribuat titulum; cùm sit instar priuilegii, ex iuris dispositione. Quam sententiam multi apud nos in praxi sequuntur, possidentes decimas, quas Laicales vocant; sed quando, aut qua ratione ad eorum antecessores peruenerint, nulla coniectura assequi possunt. Sunt etiam qui hac ratione decimas istas defendunt, quia dicunt, fieri potuisse, vt olim temporales domini, obligatione prædialium decimarum per consuetudinem, aut priuilegium immunes, vel nondum ab ipsis suscepta Religione Christiana, prædia sua in colonos transtulerint, cum reseruatione decimarum, per modum census, aut tributi; quamobrem adhuc hodie eiusmodi decimæ, tanquam merè laicales sint, liberè non requisito Ecclesiæ consensu vendi, & quomodolibet alienari solent.

Mihi verò dubium non est, quin hodie multæ decimæ à Laicis possideantur per iniustitiam (vti etiam Rebuffus notauit quæst. 10. arg. cap. vlt. de restit. spoliat. in 6.) si non formalem, saltem materialem. Enimuero probabilis ignorantia à formali iniuria excusare potest, sequētes auctoritatem Doctorum, qui huiusmodi decimas nō sine aliqua probabilitatis ratione defendere videtur.

ASSERTIO IX. Immunitas à soluendis decimis, etiam prædialibus, tam à Laicis, quàm Clericis, cum bona fide vsu capi potest, cum titulo annis 40. sine titulo tēpore immemoriali: idque non tantùm ex parte, videlicet vt duodecima, aut vigesima soluatur, sed etiam in totum: modò interim Ecclesiæ Ministris sufficiens sustentatio ex aliis titulis, v. g. ampla ecclesiæ fundatione, fidelium oblationibus, pijs legatis suppetat. Quæ est vera, & communior sententia Ruffi q. 13. n. 81. Couar. cit. c. 17. n. 8. Syl. ver. decima, q. 4. Fernandi Vasquii lib. 2. illustrium qq. c. 89. a. 10. Nau. c. 21. n. 30. & lib. 3. consil. 2. de decimis, edit. 2. Gutierez cit. cap. 21. num. 67. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 75. Henr. Canisii de decimis, cap. 17. n. 16. Suarez cit. lib. 1. cap. 12. & 13. Valent. to. 3. disp. 6. qu. 5. p. 2. in fine, Less. lib. 2. c. 39. dub. 5. num. 26. Sumitur ex cap. 1. de præscript. in 6. ex quo DD. hanc regulam tradunt: Si præscriptio tendat contra ius Ecclesiæ, assistente ipsi iure communi, opus est tempore immemoriali; nisi titulus præsumptus adsit: tunc enim sufficiunt anni 40. Talis autem est præscriptio immunitatis à præstādis decimis Ecclesiæ, quæ communi, eóque antiquissimo iure Ecclesiastico præcipiuntur. Ergo, &c.

Contra hanc tamen doctrinam senserunt Gl. Innoc. & alii Canonistæ in c. in aliquibus, de decimis. dictam immunitatem à decimis nulla consuetudine introduci posse; quia putārunt, decimas iure diuino debitas esse. Alij verò, inter quos Couar. cit. c. 17. num. 10. Gutierez cit. cap. 21. n. 35. Arrag. 2. 2. qu. 78. a. 1. solut. ad 5. profitentes, legem decimarum Ecclesiasticam tantùm esse, nihilominus aiunt, in totum abrogari per consuetudinem non posse, sed tantùm secundùm partem, siue aliquotam; intelligēdi sunt, si Ministri aliunde, quàm ex decimis congruam sustentationem non habeant.

Porrò aduertendum, hoc loco sermonem esse de præscriptione aduersus decimas, quæ fit à particularibus personis, vel respectu particularium prædiorum: cuiusmodi præscriptione lex decimarum non simpliciter abrogatur: quia lex est commune præceptum vniuersim obligans, licet interdum aliquæ personæ particulares, ob specialem rationem, obligatione eius eximantur. Sin verò loqui velimus de consuetudine, quæ à tota
10 aliqua Communitate aduersus legem decimarum introducitur; tunc distinguendum erit; Vtrum id fiat sciente & voluntariè tollerante Sum. Pontifice, an verò ignorante: In priore casu lex decimarum non abrogabitur propriè per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam, sed potiùs per tacitam reuocationem legislatoris; accedente etiam expresso, vel tacito consensu aliorum, quorum interest, & decimas exigere intermittunt. Quapropter hoc casu nullum certum tempus abrogandæ legis definiri potest; sed tantum tempus, & tot actus contra legem necessarii erunt, vt probabiliter in notitiam legislatoris deuenerit: qui etiam, si contentus non esset, vt lex abrogaretur, idipsum verisimiliter declarasset. In posteriore verò casu lex decimarum abrogabitur per contrariam consuetudinem legitimè præscriptam, de qua mentio est in cap. vlt. de consuet. Dummodo ea quadraginta annis, cum bona fide, continuetur, sicuti vniuersim de consuetudine legis abrogatoria, cui ius commune specialiter non resistit, dixi in lib. 1. tr. 4. cap. vlt. n. 6.

Veruntamen, licet possessio immunitatis seu libertatis à lege, v. g. decimarum, per annos XL. cum bona fide, sufficiat ad præscribendum; re ipsa tamen multò longius tempus requiritur, quo lex in Communitate seruata non fuerit: quandoquidem populus legis communis obseruationem sine peccato intermittere, adeóque præscriptionem bona fide aduersus legem inchoare non potest: nisi sciat, illam ab antecessoribus suis longissimo tempore obseruatam non fuisse; atque inde probabiliter colligat, habuisse eos iustam non obseruandi causam, propter speciale priuilegium, tacitam legislatoris reuocationem, aut similem causam incognitam. Quare ex his infero, quòd consuetudo populi aduersus legē decimarum sine titulo & Sum. Pontificis scientia præualere non potest, nisi tempore immemoriali, dante præsumptionem iuris ac tituli.

Ad extremum moneo; Si contingat in aliqua regione Christianorum decimas omnes, etiam prædiales, per desuetudinem omnino abrogatas esse; quia Ministri Ecclesiæ ex aliis fidelium oblationibus sustentationem sufficientem habent; sed postea facta rerum mutatione, Ministri debito stipendio destituantur; hoc casu obligatio decimas præstandi, saltem quatenus ad sustentationem Ministrorum necessariæ sunt, ipso naturali iure de nouo oritura est. Præterquam, quòd Summus Pontifex, decimas, si in aliqua regione Christianorum nunquam solui consueuissent, vel per desuetudinem abolitæ essent, ex plenitudine potestatis suæ, de nouo imperare possit; non tantùm si Ministri eius loci ad sustentationem suam simpliciter indigeant; sed etiam ob aliam vniuersaliorem causam; videlicet vt vniformis lex decimarum in tota Ecclesia obseruetur. Atque secundùm hæc dicta intelligi debet S. Thom. quando quæst. 87. a. 1. ad 5. ait; non esse *in statu damnationis, qui non soluunt decimas in locis illis, in quibus Ecclesia non petit; nisi fortè propter obstinationem animi, habentes voluntatem non soluendi, etiamsi ab eis peterentur*; seu exigente iusta necessitate, seu accedente Sum. Pontificis auctoritate, atque imperio. Vide Suarez c. 12. n. 11. & seqq.

CAP. VII.

DE PRIMITIIS, ET OBLAtionibus.

SVMMARIVM.

1. *Primitiarum ex terra frugibus Sacerdotibus offerendarum antiquissimus in Ecclesia vsus; quamuis hodie pluribus locis in desuetudinem deuenit.*
2. *Oblationum varia genera sunt.*
3. *Eulogia dicebantur olim panes benedicti: quarum eulogiarum alia publica erant, alia priuata.*
4. *Consuetudo offerendi ad altare sub Missa sacrificio antiquam originem habet.*
5. *De oblationibus nullum extat Ecclesia præceptum, sed per consuetudinem introduci possunt.*
6. *Offerentes debent esse Christiani, ab Ecclesia non præcisi.*
7. *Fœmina ad altare sub Missa sacrificio admitti possunt, sed non intra cancellos, vbi Clerici stant.*
8. *Oblationes non facienda, neque accipienda sunt ex iis, quæ iniuste acquisita, & restitutioni obnoxia sunt.*
9. *Quorundam criminosorum oblationes recipere sacris canonibus prohibitum reperitur.*

PRIMITIÆ dicuntur primi fructus agrorum, vinearum, hortorum, arborum, vti colligitur ex c. 18. Numer. vbi eiusmodi primitiæ Aaroni, & filiis eius assignantur: *Omnem medullam olei, & vini, & frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi: vniuersa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Et cap. 23. Exodi, *Solemnitatem messis primitiuorum operis tui, quæcunque seminaueris in agro* &c. custodies. Vide etiam cap. 34. Exodi, cap. 29. Deuteron. S. Aug. quæ. 32. in Numer. S. Hieronym. in cap. 45. Ezech. relatum in c. 1. de decimis. Simile erat præceptum offerendi, & sanctificandi Domino omne primogenitum, tam de hominibus, quàm de iumentis Exodi 13. Et cit. c. 18. Num. dicitur ad Aaronem: *Quidquid primum erumpit è vulua cunctæ carnis* &c. *tui iuris erit; ita duntaxat, vt pro hominis primogenito pretium accipias.* 1

Fuit autem hoc Mosaicæ legis præceptum de primitiis, cæremoniale: quamuis valde consentaneum legi naturali; saltem vt aliquid ex fructibus Dei beneficio prouenientibus ipsi in recognitionem, & gratiarum actionem offeratur: quo modo intelligendus est S. Th. 2. 2. quæst. 68 a. 4. Quare etiam Abel, Gen. 4. *obtulit de primogenitis gregis sui.* Et Plin. lib. 18. histor. cap. 2. refert Romanos non priùs nouas fruges, aut vina gustasse, quàm Sacerdotes primitias libassent. Vide Syluest. ver. decima quæst. 1 Abulensem in cap. 23. Matthæi, quæst. 210. & seqq. Suarez cit. lib. 1. cap. 8. Less. lib. 2. cap. 39. dub. 5. Rebuffum de decimis, quæst. 1. num 17. & seqq. Quamobrem etiam nouæ legis Ecclesiæ decentissimum hunc modum offerendi fructuum primitias Deo, saltem mediatè, atque in Ministris suis, imitata olim fuit, atque fidelibus præcipit, sicuti colligitur ex c. præter, d. 32. cap. reuertimini, 16. quæst. 1. & c. ead. causa, quæst. 7. & notauit Glossa in cap. 1. de decimis, ver. in primitiis, S. Thom. 2. 2. quæst. 86. ar. 4. S. Ambros. de fide resurrectionis. Origenes hom. 11. in lib. Numer. vbi ait: Si quis *non offerat primitias Sacerdotibus, non videtur huiusmodi habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quòd Deus dedit fructus quos cepit.* Quamquam hodie plerisque in locis primitiarum oblatio per desuetudinem abolita est: cùm enim iure solum Ecclesiastico, principaliter propter conuenientem Ministrorum sustentationem constituta fuerit: ideo si ipsis aliunde, videlicet ex decimis, aliisue fidelium oblationibus, necessaria non desint, nihil obstat, primitiarum præstationem abrogari.

Quod demum ad oblationes attinet, quæ Ecclesiæ Ministris, ob Dei honorem ac cultum, à fidelibus fieri solent, inprimis notandum est: Nomen oblationum tribus modis accipi, primò latè, vt etiam primitias & decimas comprehendat. Secundò accipitur, vt à decimis quidem, & primitiis distinguatur, sed alia omnia dona, seu munera comprehendat, quæ Ecclesiæ, vel piis locis in vita, aut mortis causa præstantur; quo modo accepit S. Thom. quæst. 86. art. 1. Et eodem modo de oblationibus defunctorum, id est, quæ mortis causa Ecclesijs legata, aut donata sunt, fideliter præstandis, loquitur Concilium Vasense I. sub Iulio Pontifice celebratum canon. 1. *Qui oblationes defunctorum retinent, & Ecclesiæ tradere remorantur, vt infideles sunt ab Ecclesia reiiciendi. Quia & fideles de corpore recedentes, votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimoniæ, & necessaria sustentatione fraudantur.* Qui canon allegatur, & confirmatur in Concil. Arelat. 2. cap. 28. *Secundum constitutionem Synodi Vasensis, qui oblationem fidelium suppresserit, aut negauerit, ab Ecclesia, qui fraudem fecit, excludatur.* Neque dubito, eundem canonem eodem sensu confirmatum fuisse in Concil. Carthag. 4. cap. 95. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tanquam egentium necatores, excommunicentur.* Quamuis Cardinalis Baronius Anno Christi 391. eúmque secutus Binius in dictum cap. 95. eam Carthaginensium constitutionem aliò referri velint. Vide quæ dicta sunt lib. præced. tract. 5. de iust. c. 11. n. 12.

2 Tertiò accipitur oblationis nomen strictiùs pro dono, quod fideles ad altare siue per se, siue per manus Diaconi deferre solent. Cuiusmodi tamen oblationes variæ etiam sunt: nam antiquitus, diebus præsertim Dominicis, fideles panem & vinum offerre soliti erant, tanquam materiam Sacrificii, & sacræ communionis, sicuti colligitur ex decreto Fabiani Papæ, tom. 1. Concil. S. Cypriano in lib. de operibus & eleemosyna, circa medium. *Locuples, & diues es matrona, & dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quam pauper obtulit, sumis?* S. Aug. serm. 215. de tempore, Côcil. Matiscon. 2. c. 4.

Verùm præter panem azymum, ex quo S. Eucharistia conficiebatur, offerri etiam, atque benedici solebat panis fermentatus, vt populo præsenti, si sacram Eucharistiam non acciperet distribueretur, atque ad absentes quoque parochias in signum Catholicæ vnionis mitteretur sicuti apertè colligitur ex can. Pij I. de oblationibus populorum, tom. 1. Concil. Concil. Laodicens. can. 14. vbi interdicitur, ne diebus Paschalibus eulogiæ ad alias parochias mittantur; quia illa festiuitate populus ad sacram Eucharistiam sumendam obligabatur. Et canon. 49. Ne panis in quadragesima offeratur, præter Sabbathum & Dominicam; quia, hisce diebus exceptis, in Orientalibus Ecclesiis quadragesimale ieiunium obseruandum erat. Vide etiam Concil. Carthag. 3. cap. 5. Innocent. I. epist. 1. ad Decentium Eugub. c. 5. Vbi fermentum (id est panes eiusmodi fermentatos ac benedictos) *sacramenta* appellat, lata significatione; quia erant rei sacræ, videlicet Catholicæ vnionis signa. Similia leges apud S. Augustin. lib. 2. de peccator. meritis, c. 26. vbi sanctum eiusmodi panem catechumenis dari solitum, affirmat. 3

Adde, præter publicas eulogias, etiam priuatas olim in vsu fuisse, quas in signum amicitiæ amici inter se mittere solebant, vt essent vice eulogiarum, sicuti constat ex Epist. 1. S. Paulini Nolani ad Seuerum, *Panem de cellula nostra tibi pro eulogia misimus.* Et S. August. Epist. 31. *Panem vnum, quem vnanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus, accipiendo benedicas.* Vide Seuerinum Bin. tom. 1. Concil. super 14. can. Laodicens. fol. 293. col. 2. Ioan. Molanum orat. 1. quæ est de Agnis Dei, c. 2. & 3. 4

Porrò alia pleraque à fidelibus offerebantur, non benedicendi causa; sed vt in gazophylacio siue secretario conseruarentur, donec ab Episcopo in Clericos, pro cuiuscunque necessitate, distribuerentur. Sumebat enim quisque ex his menstruam suam sportulam, vnde & Clerici sportulantes dicti erant Atque exinde credibile est consuetudinem ortam offerendi aliquid sub Missæ sacrificio, quæ adhuc hodie in Ecclesiis perdurat. Vide Clem. lib. 4. constit. cap. 6. & 7. Baron. Anno 58. n. 88. Seuerinum Binium in notis super can. 4. Apost. to. 1. fol. 14. col. 2. Iacob. Pamelium in locum S. Cypr. suprà allegatum.

Sed nec illud olim insuetum erat, vt panis, vuæ, aut similes fructus à fidelibus altari apponerentur; & postquam à Sacerdote benedicta essent, iterum auferrentur, vt maiore cum deuotione ijs vesci, vel pauperibus largiri possent, sicuti colligitur ex cap. didicimus, dub. 2. de consecrat. & notauit Suarez citat. lib. 1. cap. 4. numer. 6. ex S. Augustin. lib. 8. de ciuitat. cap. vlt.

Nunc dicendum est ex doctrina S. Thom. cit. quæst. 86. art. 1. Abb in rubr. de parochiis, num. 3. Nullum extare præceptum Ecclesiasticum de oblationibus in ecclesia faciendis, posse tamen longa consuetudine oblationem introduci, sicuti etiam docent Halensis p. 3. quæst. 53. mem. 2. Syluest. ver. decima, quæst. 2. Couar. lib. 1. resol cap. 17. num. 3. Gutierez lib. 2. can. qq. cap. 21. num. 140. Suarez cap. 5. num. 12. arg. cap. ad Apostolicam, de simonia: Siue id accidat, quia populus longo tempore, videlicet annis decem, oblationes in certis solemnitatibus frequentet, quasi ex obligatione, siue intentione obligationis contrahendæ, fauentibus Prælatis, siue ipsi ecclesiarum Rectores, longo tempore à Parochianis oblationes, quasi debitas, bona fide exigant, ideóque per modum præscriptionis ius sibi acquirant, sicuti explicat Suarez citat. cap. 5. & in simili Abbas cap. suam, numer. 5. de simon. 5

RESTAT QVÆSTIO. Quarum personarum, & ex quibus rebus, oblationes Ecclesiasticæ accipiendæ sint?

Ad priorem partem respondeo, & dico I. Offerentes oportet esse Christianos,& ab Ecclesia nō præcisos,seu excommunicatos. Ita ex communi docet Armilla ver. oblatio, Suarez, cap. 6. & sumitur ex Clemen. Roman. lib. 3. constit.c. 8. & Concil. Eliberitano cap. 28.tom. 1. Concil. *Episcopos placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Ratio est; Quia offerre munera, præsertim in ecclesia, vel ad altare, eadémque accipere; est quædam Ecclesiastica, & spiritualis communicatio; cuius soli fideles seu Christiani, iíque ab Ecclesia non separati, participes esse debent.

Dico II. Etiam fœminæ ad offerendum super altari,
7 dum sacrificium in choro peragitur,scilicet ad orandum, & sacram Eucharistiam accipiendam, admitti possunt, nisi consuetudo loci repugnet, sicuti notat Abb. in cap.1. numer. 4. de vita, & honestate Clericorum: quāuis intra cancellos ipsius altaris, vbi Clerici stant, fœminæ admitti non debeant, vti habetur in c.1. de cohabit. Clericorum, & mulierum.

8 Ad posteriorem partem respondetur, oblationes nec faciendas, nec accipiendas ex iis, quæ iniustè acquisita, & restitutioni obnoxia sunt. Ita S.Th.q.86.a.3. allegans illud Ecclesi. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* & S.Greg. lib. 7. epist. 112. ad Syagrium, allegans illud eiusdem cap. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Idque similiter de iis bonis intelligi debet, quæ iuste quidem acquisita; sed ex lege iustitiæ, pietatis, vel charitatis, priore seu potiore iure aliis debita sunt, puta creditoribus; filiis item, vel parentibus graui necessitate pressis, iuxta doctrinam Christi Matth. 15. vel denique pauperibus graui inopia laborantibus, secundùm dictum Domini Matth. 9. *Discite quod est, misericordiam volo, & non sacrificium.*

Atque ob hanc rationem, canonico iure specialiter prohibitum reperitur, ne raptorum oblationes recipiantur, c. super eo, de raptor. Item ne vsurariorum, c. quia in omnibus, de vsuris. Et in cap. oblationes, d. 90. *Dona eorum, qui pauperes opprimunt, à Sacerdotibus refutanda esse.* Nisi malis dicere, hoc statutum fuisse in pœnam criminis; sicuti & illud in eod. can. *Ne dissidentium fratrum oblationes recipiantur.* Atque eiusmodi plura videri possunt apud Gl. ibid. & causa 14. quæst. 5. in princ. Syl. ver. decima, q. 2. §. sextum.

Monet etiam S. Tho. cit. a. 3. ad. 1. Propter scandalum vitandum, à publicis meretricibus oblationes recipiendas non esse; ne Ecclesia videatur fauere peccato, si de mercede peccati oblationem accipiat. Quare Innoc. in c. ex transmissa, de decimis, Suarez cit. c. 5. num. 7. aiunt: Si ratio scandali cesset; quia illarum pœnitentia & emendatio publicè nota est, nihil obstare, quominus Ecclesia dona, ac decimas personales accipiat ex ijs, quæ inhonestè, sed non iniuste acquisita fuerunt; cùm id nullo iure positiuo prohibitum reperiatur.

TRACTATVS SEPTIMVS. DE FESTORVM OBSERVATIONE.

CAPVT I. DE DIEI DOMINICÆ, ET aliorum festorum institutione.

SVMMARIVM.

1. *Tertium Decalogi præceptum partim morale est, & partim cæremoniale.*
2. *Pascha celebrari non potest ante diem XXII. Martij, nec post XXV. Aprilis.*
3. *Episcopus specialia festa instituturus, non tantùm cleri, sed etiā populi consensum spectato communi iure, requirere debet.*
4. *Episcopus festa specialia diœcesis iusta de causa abrogare potest.*
5. *Festa diœcesalia, quæ ex Episcopi præcepto statuuntur, etiam exempti seruare debent.*



1 ADVERTIT S. Thom. 2.2.q.122.a.4.ad 1. S. Bonau. in 3.d.37. n. 6. Richar. a.2. quæ.3. Tertium decalogi præceptum partim morale esse, atque ex lege naturali descendens; quatenus absolutè præcipitur, vt, posthabitis aliis negotiis temporalibus, Dei cultui atque adorationi tempus aliquod tribuamus: Partim verò fuisse præceptum cæremoniale, quatenùs tempus certum, videlicet integra dies Sabbathi designatur, in quo ab aliis operibus abstinēdum; tum in memoriam beneficii creationis: nam Deus mundum sex diebus perfecit, & die septimo ab opere quieuit, Gen. c. 2. tum verò in figuram Christi toto Sabbatho in sepulchro quieturi.

Porrò hanc vnius integri diei ex quauis hebdomade, ad Dei cultum, designationem, tanquam naturali æquitati maximè consonam, Ecclesia mox Apostolorum tempore recepit, & hactenus studiosè seruauit; præterquam, quod, sublato Sabbatho, tanquam pertinente ad Iudaicam legem, & vmbratiles figuras, quibus noua lex non astringitur; imò nec vti debet (sicut Apostolus ad Galat. ostendit & admonet Laodicen. Concil. c. 29.) eius loco Dominicam diem instituit; in memoriam mundi eodem die creati, quin & recreati per Christum in terris die solis, quæ est prima hebdomadis, natum, & postea ex inferis eodem die resurgentem. Quamobrem Act. 20. legimus; Vna Sabbathi, id est, prima die hebdomadis (secūdùm hebraicam phrasim, qualis etiam legitur apud S. Marcum c. 16. Christum resurrexisse vna, id est, prima Sabbathi) conuenisse fideles ad frangendum panem. Videri potest Iustinus in Apolog. 2. pro Christianis, S Aug. lib. 4. de Gen. ad literam, c. 13. & sermon. 251. Concil. Taurinatense sub Siricio Papa, cap. 4. Toletus lib. 4. c. 24. Suarez t. 1. de religion. tract. 2. lib. 2. de festis, cap. 1. 2. & 3. Azor tom 2. lib. 1. c. 2.

Inter Dominicas dies omnium præcipua, aliarumque quasi prototypon est Dominica Resurrectionis, quæ quotannis celebrari debet in prima die hebdomadis post decimam quartam lunam primi mensis. Primus autem mensis non omnis ille censetur, in quem cadit æquinoctium vernum: Si enim æquinoctium sit post quartam decimam lunam, mensis ille lunaris non erit primus, sed vltimus anni: cùm credibile non sit, DEVM creasse 2
mundum ante æquinoctium. Ex quo sequitur, Pascha non posse celebrari ante XXII. Martii, quia æquinoctium semper cadit in diem XXI. Martii, quæ si sit dies Dominica, in eandémque incidat quartadecima luna, Ecclesia non instituit Pascha; sed transfert in Dominicam sequentem; ne cum Iudæis in celebratione Paschatis cōueniat: quandoquidem nos Christiani Pascha non celebramus ex obseruatione legis Mosaicæ; sed in memoriā

Christi,

Christi, qui post lunã decimamquartã resurrexit. Quare termini, inter quos Pascalis festiuitas cadere potest, sũt à XXII. Martii, vsque ad XXV. Aprilis inclusiuè. Contingere enim potest, vt luna quartadecima primi mensis cadat in diem XVIII. Aprilis, quæ si Dominica sit; Pascha in eo nõ celebrabitur, vt paulò ante dixi; sed transferetur in sequentem Dominicam, quæ erit dies XXV. Aprilis.

Deinde sequitur; Primum mensem nunquam incipere ante diem VIII. Martii; neque post quintum diem Aprilis. Quæ omnia tradit Beda lib. de ratione temporum cap. 43. 49. 57. Clauius in Apologia noui Calendrarii lib. 1. cap. 11 Azor cit. lib. 1. cap. 3. & 4. Suarez cit. lib. 2. cap. 6. Bellarminus lib. 3. de Sanctis, cap. 12. Videri etiam potest Euseb. lib. 5. histor. cap. 23. Et Patres in fragmento Concilii Palæstini, sub Victore I. vbi ostendunt, mundum à Deo creatum esse *tempore verno, in æquinoctio, quod est 8. Kalend. Aprilis, luna plena.* Id quoque hoc loco obseruare libet, ex antiqua traditione decretum esse apud S. Petrum Alexandrinum Patriarcham, in canonibus de lapsis, t. 1. Concil. & in Concil. Nicæno, cap. 20. vt die Dominico (sicuti & toto Paschali tempore) fideles non genibus flexis, sed stando orationes perficiant: vt memores sint, se cum Christo resurrexisse à morte animæ, in spem vitæ æternæ. Id verò etiam hodie, secundùm Rom. Ecclesiæ ritum in choro publico obseruandum: aliis verò fidelibus priuatim domi, aut in templo orantibus nulla hodie lex his regionibus imposita viget.

Porrò præter Dominicam diem; aliæ pari veneratione ac cultu obseruandæ festiuitates Dei, Christi Domini, & Sanctorum eius, institutæ sunt; partim Pontificia lege vniuersam Ecclesiam obligante. de quibus speciatim Suarez cap. 5. & sequentibus, Azor cit. lib.
3 1. partim verò episcopalibus seu diœcesalibus statutis, sicuti habetur in cap. 1. distinct. 3. de consecrat. cap. vlt. de feriis: quibus tamen locis significatur; Si Episcopus, particularia festa instituere velit, non tantùm Cleri consensum requirendum esse; sed etiam populi, vti notauit etiam Abbas in cit. cap. vlt. num. 5. Angelus ver. feriæ, num. 5. Tabiena num. 10. Armilla ver. festum, num. 5. Sa num. 2. Suarez cit. lib. 2. cap. 11. numer. 7. Est verò id speciale, quòd Episcopus in hoc casu statuere non possit sine populi approbatione; ne is multitudine festorum grauetur; & à necessariis laboribus impediatur: vt proinde hoc ob quandam æquitatis rationem statutum si, iuxta iuris reg. 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Si tamen populus iustam causam contradicendi non habeat, eo etiã inuito; festum institui poterit; sicuti Abbas & Tabiena cit. locis annotârunt. Quin imò huic iuri laicorum, quòd in festis peculiaribus instituendis eorum consensus necessarius sit, per contrariam consuetudinẽ plerisque locis derogatum esse, docent Azor t. 2. lib. 1. c. 26. quæst. 1. Suarez cit. c. 11. num. 9.

Quomodo verò per diuturnam consuetudinem populi, celebrantis quotannis cum expresso, vel tacito Episcopi consensu aliquod festum, non tanquam ex libera deuotione, sed tanquam ex obligatione, lex particularis introduci possit, explicaui in lib. 1. tract. 4. cã. vlt. num. 2. & tract. præced. cap. vlt. num. 5. Illud verò hic addo, postquam semel festum particulari statuto, vel diuturna consuetudine introductum & stabilitum est, non posse deinde à populo abrogari; sed à solo Episcopo: ídque non tantùm populo petente; sed etiam eodem abnuente, sicuti Suarez ibidem docet.

Deinde si ita videbitur, potest Episcopus festa par-
4 ticularia abrogare, duntaxat secundùm diei dimidium; vt videlicet matutino tempore vacatio sit, post meridiem verò operibus insistere liceat: quo ipso etiam modo festa per statutum, vel consuetudinem initio constitui nihil obstat, sicuti etiam Nauar. notauit cap. 13. man. num. 5. Azor. cit. cap. 26. q. 5.

Porrò admonet Tridentina Synodus sess. 25. cap. 12. de Regularibus; Vt *dies festi, quos in diœcesi sua seruandos Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, seruentur.* Idque iuri etiam antiquo consonum esse, monet Rodriq. t. 2. regul. quæstion. q. 70. a. 1. Sed ait, secùs sentiendum de festis, quæ populus vouit, & Episcopus approbauit: hæc enim non propterea ex episcopali præcepto promanant; sed primordialem naturam personalis obligationis ex voto seruant: consequenter si Regulares v. g. in votum populi non consenserunt, eo etiam non obligabuntur: quamuis si postea temporis successu consuetudo seruandi festum per modum legis communis introducatur, etiam exempti se conformare tenentur.

CAP. II.

DE PROHIBITIONE OPERVM seruilium in diebus festis.

SVMMARIVM.

1 *Festi obseruatio est à medio noctis vsque ad alterius noctis medium.*
2 *Sola seruilia opera diebus festis prohibentur.*
3 *Scribere, transcribere non sunt opera seruilia: idémque probabiliter dicitur pictura, si sine magno apparatu fiat.*
4 *Opus quod suapte natura liberale est, non fit seruile quia propter lucrum exercetur.*
5 *Iter facere pedibus, equo, curru, naui, non numerantur inter opera seruilia.*
6 *Venari, aucupari; itémque bellare per consuetudinem videntur liberalia opera effecta.*
7 *Actus forensis iudicij in diebus festis ab Ecclesia prohibentur, exceptis causis necessitatis, ac pietatis.*
Iudicij tres partes sunt: Inchoatio causæ; processus, terminus.
8 *Extraiudiciales actus, item iuramenti interpositio extra iudicium die festo fieri possunt.*

IN Ecclesiastico præcepto de festorum obseruatione duo continentur; quorum vnum negatiuum, seu prohibitum est, hoc cap. explicandum: Videlicet, *vt integro die festo seruilia opera non exerceantur*: Cuius præcepti meminerunt Clemens lib. 8. constit. cap. 39. S. Augustinus sermon. 215. & 251. Innocent. I. epistol. ad Decentium; cap. 4.

Diem integrum naturalem in festorum obseruatio- 1
ne accipere debemus, qui incipit à medio noctis vsque ad alterius noctis medium. Sic enim festa in Europa obseruari; quod attinet ad vacationem ob operibus, testatur Abb. cap. 1. de feriis numer. 1. Couar. 4. resolut. cap. 19. numer. 9. Nauar. cap. 13. num. 5. Azor to. 2. lib. 1. cap. 26. q. 12. Suarez cap. 31. arg. l. more Romano, ff. de feriis. Vbi tamen consuetudo viget, festa inchoandi à vespera tanquam ex obligatione, non ex libera deuotione, ita obseruandum est iuxta cap. 1. & 2. de feriis, & cap. 5. d. 3. de consecrat. Quare adueniente altera vespera, videlicet ad solis occasum, talibus locis laborare concessum erit: quandoquidem festi obseruatio spatium vnius diei, seu XXIV. horarum excedere non debet.

Opera seruilia dicuntur, quæ corporis commoditatibus inseruientia, ignobiliora sunt, per seruos exerceri solita: cuiusmodi sunt arare, fabricare &c. His opposita opera liberalia dicuntur, quæ animum excolendum spectant, ideóque libero homine digna censentur; vt loqui, legere, scribere, docere. Sed præter hæc opera, sunt alia quasi media, quæ naturalia dicuntur, & hominibus omnibus communia sunt; vt iter facere, &c.

Dicimus igitur sola opera seruilia, eáque omnia
die festo prohibita esse, præterquã, si iure, vel consuetu- 2

dine permissa sint. Qua ratione concessum est diebus festis cibos coquere, propter necessitatem. Nam in noua lege non tantus præcepti rigor est, quantus erat legis Mosaicæ; in qua Sabbathi die non tantùm seruilia, sed multa etiam alia corporalia, & externa opera (vt scribere, iter facere, præterquam pietatis causa ad terminum, quod iter Sabbathi dicebatur, vt legimus Act.1.) prohibita erant, sicuti constat ex c.20. Exodi: *Non facies omne opus in eo.* Idque similiter de festo expiationis præceptum erat, Leuit.16. *Nullùmque opus facietis.* Deinde seruilia omnia opera tanta seueritate in Sabbatho &c. interdicta erant, vt nulla ratio necessitatis excusaret, si præueniendo in parasceue exerceri possent: secùs verò, si præueniri non posset, & *præter missum noceret.* Licitum enim Iudæis erat v. g. bestiam, quæ Sabbatho in foueam cecidit, extrahere, sicuti colligitur ex ca. 12. S. Matth. Videri potest S. Thom. 2. 2. quæ. 122. a. 4. ad 4. Suarez c. 17.

De quibusdam verò corporalibus operibus dubitari solet, vtrum seruilia, ideòque adhuc hodie in diebus festis prohibita censeri debeant: videlicet, de scriptione, transcriptione, pictura, profectione, piscatione, venatione, militia, mercatu. Respondeo & dico I. Scriptio non est opus seruile, ideòque festis diebus concessa. Quæ est communior Doctorum sententia Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. §. dubitatur quoque, Nau. c. 13. man. num. 13. & lib. 1. consil. vlt. de feriis, edit. 2. Medin. lib. 1. instruct. c. 14. §. 8. Lopez in instructor. p. 1. c. 52. §. licet scribere, Azor cap. 27. quæ. 4. Suarez c. 24. quam etiam praxis confirmat. Ratio est: Quia scribere ad artem grammaticam pertinet, quæ inter liberales prima est. Quapropter etiam personæ scribendi artem exercentes, non seruiles, sed potiùs liberales censentur.

Dico II. Idem quoque sentiendum est de transcriptione. Ita Lopez, Medina ll. cc. Suarez c. 25. contra Caiet. cit. a. 4. §. ad secundum dubium, Nauar. n. 14. Azor q. 5. Ratio est eadem: Nam transcriptio, quædam etiam scriptio est, & opus artis grammaticæ.

Dico III. Probabile est, quòd pingere in aliqua tabella, sine apparatu & magno labore, opus seruile non sit; ideòque nec prohibitum festo die, per se loquendo. Ita contra communem significant Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 8. Lopez cit. loco, Probatur primò: Quia talis pictio, perindè ac scriptio, consistit in ducendis lineis ac figuris. Secundò: Quia non minùs pictores in pingendo, quàm studiosi literarum in studendo animi quadam voluptate capiuntur, ac detinentur, quod signum est, artem pingendi non seruilem, sed liberalem esse; quippe ad animum recreandum institutam, liberóque homine dignam. Tertiò: Angelus ver. feria, §. 31. Syl. ver. Dominica, q. 5. dicto 5. Armilla ver. festum, num. 21. Sa num. 5. Azor cit. c. 27. qu. 6. docent; Licitum esse pingere gratia artis discendæ, temporis fallendi, animi recreandi. Ergo fatentur & ipsi, pingere suapte natura non esse opus seruile: nam alioquin etiam ligna findere, ferrum cudere ob similem causam die festo licitum esset, quod nemo ait. Quapropter existimo, pictores damnari non posse, si, postquam rei diuinæ satis fecerũt, artem suam non magno apparatu, & sine scandalo, diebus festis exerceant, ducti probabili & satis inter ipsos vulgata persuasione; artem suam non seruilem, ac mechanicam, sed liberalem esse. Quam sententiam ideo vt probabilem defendo, aduersus communem; quia scio, quàm ægrè pictores apud nos sibi persuaderi patiantur, vt festis diebus à pingendo omnino abstineant. Idémque iudicium esto de typographis characteres ordinantibus: ipsa verò librorum impressio seruile opus est.

Dico IV. Opus, quod suapte natura liberale est, vt studere, docere, scribere, & (secundùm quosdam) pingere; non fit seruile, atque illicitum die festo, eò quòd propter lucrum vel mercedem exerceatur. Ita Caiet. cit. a. 4. §. dubium vnum non dissimulandum, Nau. Medina, Lopez, ll. cc. Suarez c. 19. Armilla ver. festum num. 22. contra Abb. & alios Canonistas, c. 1. de feriis, Angelum ver. feriæ, numer. 9. Rosellam numer. 7. Tabienam num. 40. Syl. ver. Dominica, q. 4. Nam lucrum aut merces non facit esse opus seruile: quandoquidem etiã opera, seu obsequia, quæ libero homine digna sunt, tamen mercede æstimari possunt: sicuti vice versa, opera seruilia, non ideo talia esse desinunt, quia sine mercede fiunt. Quapropter merces & lucrum per accidens se habet ad opus seruile, & non seruile: Alioquin damnare oporteret artium Professores, & Causidicos, qui festis diebus in scribendis prælectionibus, consiliis &c. propter lucrum seu salarium occupantur. Quod licet affirment Abb. in cit. cap. 1. num. 4. Angelus n. 29. repugnat tamen consuetudo, & communis fidelium persuasio.

5 Dico V. Iter facere pedibus, equo, curru, naui non est opus seruile: cum sit naturale, omnibúsque hominibus commune, ideóque nec prohibitum die festo. Ita Caietan. in sum. ver. festum, §. quod vt clariùs, Angelus ver. feriæ, num. 15. Nauar. cap. 13. numer. 6. Azor cap. 27. quæst. 8. Suarez cit. c. 27. num. 2. Rectè tamen monet Caietan. cit. a. 4. in tertio, & sexto casu, Angelus loc. cit. Suarez cit. cap. 27. numer. 3. Plaustra, currus, aut mulos onustos agere seruile opus esse: quare illud inchoare festo die concessum non est; tametsi inchoatum continuare liceat, si commodè abrumpi non possit. Præterea, cùm licitum sit die festo curru, lectica, aut naui vehi; consequenter etiam licebit opera ad id necessaria, ac inseruientia præstare; v. g. equos parare, lecticæ, vel curriui aptare, in flumine, stagno remigare. Nam accessorium sequitur naturam principalis. Ita notàrunt Caietanus cit. a. 4. casu tertio, Suarez cit. cap. 27. numero 3.

6 Dico VI. Etsi venari, aucupari, piscari ex genere suo seruilia opera esse videntur, ideóque iure communi prohibita, sicut colligitur ex ca. licet, de feriis; consuetudo tamen obtinuit; vt festis diebus licita sit recreationis causâ instituta venatio; item piscatio in fluminibus sine multis operis, ac labore. Imò aliqui, inter quos Nauar. cap. 13. numer. 11. Lopez cit. cap. 52. §. Qui venatur, negant talem venationem, piscationem, vel aucupium opus seruile esse; cùm ad animum recreandum spectent.

Dico VII. Bellare videtur opus seruile cùm proximè tendat ad hominum cædes. Quare festo die permissum est; nisi vel ob necessitatem causa defensionis, iuxta cap. 4. extrà de regulis iuris: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: Nam & Sabbatum custodire præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbatho pugnabant.* 1. Machab. 2. Vel ob magnam vtilitatem; quia alio tempore non offeret se tanta opportunitas victoriæ. Ita Nicolaus Papa in responsis ad Bulgaros, cap. 46. relatus in cap. si nulla, 23. quæst. 8. Consuetudo tamen non minùs artem militarem, quàm venatoriam festo die cohonestasse videtur: qua ratione militares exercitationes, itémque lustrationes festo interdum die instituuntur, iuxta l. Diuus, ff. de feriis. Quamobrem docet Molina tom. 1. tract. 2. disput. 111. & sequitur Beccanus 2. 2. cap. 25. quæst. 17. etiam seclusa necessitate, aut speciali opportunitate, bellare die festo non esse peccatum mortale; & fortasse neque veniale. Vel enim esset peccatum, quia videtur esse opus seruile: & hoc non; quandoquidem per consuetudinem factum est liberale, vt dixi: vel quia à spiritualibus officiis nimis mentem auocat: neque id semper dici potest; cùm milites grauiùs peccare soleant in otio, quàm in exercitatione bellica cum hoste. Porro cap. 1. de treuga, in quo certis annis temporibus bellum inter Christianos interdicitur, re-

ceptum non esse, Doctores communiter admonent, cum Gloss. ver. frangere.

Dico VIII. Mercatus, licet non sit opus seruile, tamen prohibetur in cap. 1. de feriis Nihilominus permitti solet distractio quarundam rerum ad victum quotidianum necessarium. Quibusdam etiam locis solemnes nundinæ festis diebus dedicationum celebrantur. Quas tamen consuetudines, quantùm fieri potest, moderari conuenit; vt saltem negotiationes, seu nundinationes non fiant ante rem diuinam peractam. Videri potest Caietan. in sum. verb. in festo prohibita, Nauar. cap. 13. num. 8. Suarez cap. 29.

Dico IX. Simili modo actus forensis iudicii diebus festis prohibentur, cap. 1. & vlt. de feriis, cap. 1. Concil. Mantiscon. 2. & l. 1. & toto tit. Cod. de feriis. Debet autem hæc assertio amplè intelligi: Primò de causis seu litibus tum criminalibus, tum ciuilibus; quin etiam spiritualibus, cuiusmodi sunt beneficiariæ, ac matrimoniales, sicuti docet Nauar. in cap. cùm contingat, de rescript. causa nullitatis 12. Secundò de omnibus partibus iudicii, quæ ad tres reuocantur: Fit enim *Inchoatio* causæ per Rei citationem, quippe quæ est basis & fundamentum iudicii. *Processus*, per causæ cognitionem, examinatis & iuratis testibus, exhibitis instrumentis, sicuti docent Abb. in cit. cap. vlt. Suarez cap. 31. Ac *Terminus*, per sententiæ prolationem. Tertiò, quòd tales actiones non solùm prohibitæ, sed etiam ipso iure irritæ sint, iuxta l. vt in die, Cod. eod. & cit. cap. vlt. Quartò, quod partes huic constitutioni renuntiare, ac consentire non possint, vt iudicium die sacro, siue festo instituatur. Cæterùm quædam festa, siue feriæ ciuiliter institutæ sunt; quarum aliæ *publicæ* dicuntur, quæ gratia vindemiarum, messium &c. celebrantur: & in his partes renunciare posse, seu consentire, vt iudicium instituatur, dicitur in cit. c. vlt. & notat ibi Abb. & Gloss. ver. quibus aliæ verò *repentinæ*, quæ ob diem natalē Principis, accepti imperii &c. indicuntur, sicuti constat l. ex omnes Iudices, & seq. Cod. de feriis. Atque in his feriis partes consentire non posse, vt conueniantur; ait Abb. num. 11. Quia non ob commodum, seu leuamen partium; sed ob publicum fauorem institutæ sunt: iuri autem publico priuata pactione renuntiari nequit, c. b diligenti, de foro compet. Qua de re videri potest S. Anton. p. 2. tit. 9. ca. 7. §. 1. Angelus ver. feriæ, §. 1. & seqq. Veruntamen cùm hæ ciuiles feriæ non ob Dei honorem; sed ob aliam causam politicam constitutæ sint, earum violatio non potest esse peccatum aduersus religionis virtutem.

Contrà verò, aliquæ assertionis limitationes sunt: Primò; vt excipiatur casus necessitatis, aut pietatis; in quo diebus etiam religiosè festis iudicium institui posse, dicitur in cit. cap. vltim. & explicant ibid. Abb. num. 13. & 14. Caietan. in sum. ver. in festo prohibita, vers. secundò ex pietate, Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 53. vbi ait, tales causas, quæ festis diebus expediri possint, esse alimentorum, carceratorum, pupillorum, viduarum, & miserabilium personarum: item causas, quæ celeritatem requirunt, quia alioquin res peritura sit. Et Suarez cap. 30. ad finem inter alia notat; Latronem de fuga suspectum posse festo die capi, & incarcerari: Item in paruis oppidis, posse die festo causas ciuiles agitari; si aliis diebus rusticani homines adesse, vel commodè vocari nequeant.

Secundò, Excommunicationem in aliquem ferre, non videtur esse prohibitum in die festo, sicuti docet Abb. num. 16. & seqq. Suarez c. 30. num. 9. propterea quod non necessariò requirat iudicialem causæ cognitionem seu processum. Multòque magis absolutio à censura; & omnis actus voluntariæ iurisdictionis festis diebus fieri potest, arg. l. actus, C. eod.

8 Tertiò, Extraiudiciales omnes actus ex hoc capite prohibiti non sunt; videlicet si Aduocatus Iudicem festo die informet, de quo Caietan. 2. 2. quæst. 122. a. 4. §. secundùm autem prohibitorum. Si arbitrator, qui non vt Iudex procedit, sed vt amicabilis compositor, seu pacis conciliator, arbitrium suum festo die dicat, secundùm Abb. num. 10. Verus autem arbiter, qui instar Iudicis est, seu à Iudice flagitatus, seu sponte electus, festis diebus iudicare non potest, sicut habetur ex pressè in l. omnes dies, Cod. de feriis.

Quartò, Probabile est, quod Caietan. docet. cit. loco. Iuramenta in die festo prohibita non esse, præter iudicialia: alia verò negotia, quæ in die festo licitè exercentur, vt inauguratio Doctorum, contractus aliquis ciuilis, etiam iuramento, si opus sit, confirmari poterunt: Accessorium enim sequitur suum principale. Quòd si in cap. 1. de feriis, maior iuramenti prohibitio facta fuit, sicuti textus significare videtur, non est id vsu receptum, vel postea abrogatum.

CAP. III.

DE PRÆCEPTO AVDIENDI Missam festis diebus.

SVMMARIVM.

1. *Missæ festis diebus audiendæ præcepto fideles obligantur, postquam ad rationis vsum peruenerunt.*
2. *Requiritur ad hoc præceptum implendum moralis ac pia præsentia.*
3. *Qui notabilem Missæ partem die festo negligit mortaliter peccare censetur.*
4. *Qui à duobus Sacerdotibus dimidia Missarum successiuè audit, peccat saltem venialiter; nisi impeditus sit, quominus Missam integram ab eodem audiat.*

ALTERVM, quod in Ecclesiastico præcepto de obseruatione festi continetur, affirmatiuum est; *Vt omnes fideles, vsum rationis habentes, integram Missam cum attentione audiant.* Sumitur ex c. si quis etiam, c. omnes fideles, cap. Missas, de consecr. d. 1. Clemente Rom. lib. 7. constitut. c. 31. Iustino Apolog. 2. pro Christianis, in fine, S. Augustino sermon. 251. atque ex Ecclesiæ praxi.

Assertio I. Fideles Missæ audiendæ præcepto obligari incipiunt, cùm ad eum rationis vsum peruenerunt, vt bonum à malo sufficienter discernere; Deum orationibus, & votis colere; atque etiam mortaliter peccare possint. 1

Assertio II. Ad Missam audiendam secundùm præceptum Ecclesiæ requiritur moralis, ac pia præsentia; vt & corpore aliquis præsens sit, atque animo piè intentus seu sacris verbis, ac cæremoniis; siue Deo ipsi per preces; cœlestium rerum considerationem, aliam ve piam mentis attentionem. Quod dico secundùm probabiliorem sententiam, quam tradidi suprà hoc lib. tract. 1. cap. 5. num. 10. vbi tamen fassus sum, non esse improbabilem contrariam, quòd Ecclesiæ præcepto satisfaciat, ideóque mortaliter non peccet Clericus, si officium canonicum externa oris, & corporis compositione persoluat: & fidelis quilibet, si secundùm externum corporis habitum Missæ decenter intersit; licet interna mente Deo, aut rebus diuinis non intendat. qua de re videri potest Coninck 3. p. q. 83. a. 6. du. vn. n. 297. Syl. ver. Missa, q. 6. 2

Tria hîc addo: Primum; Absolutè necessarium non esse ad præcepti huius impletionem, vt sacrificantem videas, vel audias; sed sufficere, si ita præsens sis moraliter, vt ex signis quibusdam colligere possis, quid à sacrificante agatur, sicuti docet Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 1. prope finem, Nau. c. 21. n. 8. Tolet. lib. 6. c. 6. Coninck n. 99. & 105.

Secundum. Quod in recitatione officii canonici maior etiam attentio requiri videtur, quàm in auditione Missæ: propterea, quod difficilior, magísque rationalis actio sit, personaliter orare, quàm oranti, & sacrificanti astare, præsentem esse, & consentire: quamobrẽ licet reprehendẽdi sint, non tamẽ statim mortalis peccati damnandi aulici, aut mercatores, qui inter Missarum solemnia modò attendunt, modò confabulantur. Atque ita docet Sotus in 4. d.13.q.2. a.1. §. in calce demum articuli, Suarez 3. p. to.3.disp.88.sect.3.

Tertium: Quod notant Sotus cit.a.1. §. Ex his colligitur, Nau.c.21.num.8. Medina Cod.de Confess.q.44. Sa ver. Missæ auditio, num.2. Suarez cit.sect.3. in fine. Tolet.lib.6. cap.6. Arrag. 2.2. quæst.83.a.13.§. est aliud dubium, Coninck cit.dub.vnic.diffic.3. Azor tom. 1.lib. 7.c.6.quæst.3.contra Angelum ver. feriæ, num.46. Syluest.ver. Missa, 2. quæst.vltim. Nihil referre, vtrum aliquis sub Missa oret preces voluntarias; an eas, quibus alioquin obligatur, v. g. officium canonicum, vel pœnitentiam à Confessario præceptam. Nam æquè cum his, ac cum aliis orationibus, attentio ad Missam audiendam requisita consistere potest: atque nihil prohibet, duobus præceptis vno, eodémque actu satisfieri.

Assertio III. Non refert ad præcepti huius impletionem, vtrum fideles festo die intersint Missæ solemni, an priuatæ; vtrum ordinariæ seu de tempore; an votiuæ, vel pro defunctis. Quia de hoc sacri canones nihil definierunt, vti ex communi docent S. Anton. pa. 2. tit. 9. cap. 10. §. 1. dub.4. Syluest. ver. Missa, 2. qu. 4. Sotus cit. ar.1. §. in calce demum, Medina lib. 1.instruct. cap. 14. §. 9. Tolet. lib. 6. cap. 6. num. 1. Suarez cit. disput. 88. sect. 2. §. atque ex his, quamuis aliter senserit Angelus ver. Missa, §. 33. Neque etiam certa ecclesia, puta parochialis, pro Missa audienda definita est; sed vbicunque Missam fideles audiant, præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, sicuti communiter docent DD. S. Anton.cit.c.10.§.1.Syl.ver. Missa 2.q.5. Nau.cap.21.nũmer. 5. Tolet.cit.lib.6. c.7.§. rursus, Suarez cit.sect.2.§.circa secundam, vbi admonent; non obligare præceptum Episcopi, vel Parochi, vt subditi Missam audiant in propria parochia; & non Ecclesiis Regularium, aut alio sacello, vel oratorio. Quia, vt Nau. ait, *Episcopus non potest tollere ius commune, & generalem totius orbis consuetudinem.* Vide Azor cit.lib.7.c.6.q.4. & seqq. Verum tamen est, reprehendi eos in c.2.de parochiis, atque puniri posse, qui contempto proprio Parocho, seu ex iniusta indignatione, diuina apud ipsum non frequentant. Præterea Trident. Concilium sess. 22. decreto de obseruandis in celebrat. Missæ, monendum populum esse ait, vt frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis adeant. Addit Azor to. 1.lib.8. cap.11. q. 10. etiam Missam Græcorum, quamuis schismaticorum audiri à fidelibus posse: quandoquidem illi vitandi non sunt, & secundùm ritus suos rectè sacrificãt.

Assertio IV. Missa integra audienda est, saltem vsque ad Sacerdotis benedictionem, iuxta can. 47. Concil. Agathensis, &c. cùm ad celebrandas, dist. 1. de consecrat. quod sumptum est ex Concilio Aurelianensi I. canon. 28. Qui autem partem aliquam Missæ sine iusta causa prætermittit, peccat; venialiter quidem, si sit pars exigua; mortaliter verò, si sit notabilis. Fermè autem consentiunt Doctores, non esse partem notabilem, ideòque mortaliter non peccari, si quis à principio Epistolæ, vel secundùm alios à principio Euangelii vsque ad finem Missæ intersit; vel à principio Missæ vsque ad Communionem Sacerdotis. qua de re videri potest Sotus cit.quæst.2.art.1. §. in calce demum articuli, S. Anton.p.2.tit.9.c.10. §.1. Syluest. ver. Missa, 2.quæ.1. Nau.c.21.n.2.& in Enchirid.de orat.c.10.n.43. Toletus lib.6.c.7. Sa ver. Missæ auditio, n.2. Suarez cit.se.2.§.secundò sequitur.

Addit Nau. euitari peccatum mortale, si quis etiam finito Euangelio accedat, modò illud postea priuatim legat. Sed Suarez probabiliùs loqui videtur, priuatam hanc lectionem impertinentem esse: nihilominus defendi posse dictam excusationem à peccato mortali, si is, qui Euangelium neglexit, reliquam Missam audiat vsque ad Euangelium S. Ioannis inclusiuè: poterat enim discedere data benedictione, iuxta antiquos canones; quare audiendo postea Euangelium S. Ioannis, videtur compensare antè neglectum Euangelium.

Adde his, quod Amalarius significat lib. 3. de Eccles. offic. ca.36. fideles grauis culpæ damnari non posse, si ab Offertorio (vnde principium Missæ sumendum esse, ex Isidoro, refert) vsque ad benedictionem Sacerdotis intersint. Sed nihil contra communem DD. sententiam hîc definio: solùm dico, duriusculum videri, si hominem, qui circa Offertorium ad Missam accessit, peccati mortalis damnemus, quòd reliqua neglexerit, secluso contemptu: quando quæ principalia in Missæ officio sunt, attentè audiuit.

Illud quoque obseruandum, magis curandum esse, vt qui Missæ audiendæ præcepto satisfacere cupit, reuerenter præsentem, atque attentum se præbeat circa eas partes Missæ, quæ ad eius substantiam necessariæ sunt; vel propinquiùs pertinent; vti sunt consecratio, & sacræ Eucharistiæ sumptio. Quamuis neque in his scrupulum iniiciendum esse, monet Suarez; si tempus absentiæ; vel interpositionis breue sit: propterea quod præceptum audiendæ Missæ mortaliter interpretari conuenit. Qua autem ratione interpositio talis excusetur propter necessariam præparationem, vel ministerium ad Missæ sacrificium spectans, dixi suprà hoc lib.tract.1.c.5.n.7.

Addunt verò plerique Doctores Sotus cit. d. 13.q.2. art.1. Nau. c.21.n 2. Medina in instruct.lib. 1.ca. 14.§.9. Sa ver. Missæ auditio, n.2. Tolet.lib.6.c.7.in fine; Eum quoque satisfacere præcepto secundùm substantiam, qui à duobus Sacerdotibus non simul, sed successiuè Missarum dimidia audit, tametsi non satisfaciat secundùm modum & perfectionem præcepti; ideóque venialiter peccet. quamuis Medina l. c. non satis probabiliter dicat, nihil omnino peccari. Vide etiam Suarez c. s.2.§.sed quæres, Azor to. 1.lib.7.cap.3.quæst.3.

CAPVT IV.

DE GRAVITATE HVIVS PRÆCEPTI quoad vtramque sui partem; & causis excusantibus ab obligatione illius.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum abstinendi ab operibus seruilibus in die festo obligat ex genere suo sub mortali: sed excusat necessitas, ac pietas.*
2 *Obligatio audiendæ Missæ festis diebus itidem est sub mortali peccato.*
3 *Plures causæ sunt, quibus à præcepto Missæ die festo audiendæ fideles excusantur.*
4 *Missæ Parochi notoriè excommunicati, aut notorii concubinarii, fideles interesse non tenentur, etsi licitè possint.*
5 *Qui Missæ in die festo non intersunt, ad alias preces domi fundendas Ecclesiastico præcepto non obligantur.*

QVOD ad primum horum attinet, dicendum est ex communi doctrina; Præceptum de obseruatione festorũ, abstinendo ab operibus seruilibus adhuc hodie obligare sub peccato mortali. Etenim obligatio ista secundùm virtutem Religionis, ad Dei cultum & venerationem instituta; ideòque ex genere suo grauis: quamuis ob materiæ leuitatem, transgressio venialis fieri possit, considerata tum operis qualitate, tum etiam temporis mora. Et Suarez quidem t. 1. de relig. tr.2. lib. 1

2. de festis, c.31.n.2. existimat, vnius horæ laborem, cessante scandalo, non pertingere ad culpam mortalem: eò quòd vna hora comparatione XXIV. horarum, seu totius diei naturalis exiguæ partis proportionem habeat; quod maximè verum est, si labor non sit nimis seruilis & defatigans corpus, v. g. vna vel sesquihora nere. Sin verò necessitas etiam concurrat, omni culpa vacare poterit: vt cùm pauperes ancillæ, vel famuli festo die suas vestes reficiunt.

2 Secundò dicendum ex communi doctrina; Alteram partem præcepti, quæ est de Missa festo die audienda, similiter obligare sub peccato mortali; licet contradicere videatur Angelus ver. feriæ, numer. 24. Qui etiam perperam docet n. 45. sacram concionem præferendam esse Missæ; si vtrumque audiri non possit. Nam audire Missam est de præcepto; nō item audire concionem, per se, & ordinariè loquendo. Qualis autem obligatio ex lege diuina fidelibus incumbat discendi ea quæ ad salutem ipsis necessaria sunt, dixi libro 2. tractatu 1. cap. 9. num. 3.

Quod attinet ad alterum eorum quæ proposita sunt, obligatio abstinendi ab operibus seruilibus ex duplici capite cessare solet; videlicet *necessitatis, ac pietatis*, sicuti colligitur ex c. vlt. de feriis. Et necessitas quidem alia publica est, v.g. reficiendi fontes, pontes, piscandi certū piscium genus, quod non nisi diebus opportunis capitur, iuxta c. licet, de feriis: Si paranda aliqua sint ad communem populi festiuitatem, v.g. in Principis aduentum. Alia verò est necessitas priuata: quā ratione pauperes excusantur, qui si tam multis festis abstineant, se, suámque familiā sustentare non possunt: Item agricolæ, cùm ob pluuiā superuenturam, segetes, aut fœnum congregant; vel ob aliud graue damnū cauendum ruri laborant. Et aurigæ, nautæ, vitriarii, quorum opera semel cœpta sine dāno interrumpi non potest: Medici, chirurgi, pharmacopolæ, cùm pro infirmis laborare debent. Qua etiam ratione interdum sartores excusantur, cùm post medium noctis festo die laborare coguntur, vt vestes promissas perficiant. Item famuli, ancillæ, vxor, si à patrefamilias ad laborandum adacti (modò id non fiat in Religionis contemptum) sine iactura sua imperium detrectare non possint, sicuti docet Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. a. 1. in fine, Nau. lib. 2. consil. 2. de feriis, edit. 2. Quòd si id frequenter, ac veluti per consuetudinem fiat, debent dominum suum deserere, si alium acquirere possint, sicuti in simili docet Suarez 3. p. t. 3. disput. 88. s. 6. ver. quintum caput.

Ad pietatem pertinet tum religio in Deum, vt si altaria ornanda, vel alia ad festiuitatem paranda sint; vel misericordia in proximum, si vestes v. g. conficiendæ, aut insignia pingenda sint pro funere; vel denique spiritualis charitas erga seipsum. quomodo Syluest. ver. Dominica, q. 5. dicto 3. Sa ver. festum, numer. 6. excusant eos, qui nisi post rem diuinam peractam laborent, occasione otii, in probabili periculo peccandi versantur: quod tamen rarò accidere videtur, vt aliter declinare non possint. Vide Caiet. in summa, Tol. lib. 4. cap. vltim. Suarez t. 2. de festis, c. 32. & c. 33. in fine, vbi ex communi doctrina admonet, interdum præter aliqualem necessitatis rationem, accedere etiam consuetudinem à Prælatis scitam, & toleratam: Vt quòd artifices aliqui in quibusdam locis festis diebus ad vesperam, materiam præparant pro labore diei sequentis: quòd mercatores in die festo rusticis vestes, calceos &c. vendant.

Porrò circa causas excusationis suprà dictas, tria aduertenda sunt: I. Vt, quantum fieri potest, scandalum caueatur. II. Si opus antecedente die peragi possit, non esse licitum differre in diem festum. Postquam verò per obliuionem, vel negligentiam semel dilatum fuit, festo deinde die sine culpa peragi poterit, si in sequentem diem sine incommodo differri nequeat. III. Si excusationis causa manifesta sit, non opus est petere licentiam à Superiore, licèt interdum securius, & decens sit: præsertim si impedimentum diu, aut ordinariè duraturum est. Sin verò causa dubia, vel non satis sufficiens videatur, vt per seipsam excusationem præbeat; tunc Episcopus; vel in eius absentia Parochus, dispensare poterit. Ad Confessarium quoque interdum pertinebit, saltem declarare, num causa excusationis iusta sit, nécne.

Causæ verò excusantes ab altera parte præcepti, quæ est de Missa audienda, hæ afferri solent: I. Impotentia spiritualis, si videlicet in excommunicatione, 3 vel interdicto sis. II. Impotentia corporalis, quæ duplex est; vna simpliciter dicta, qualis est mari nauigantium, incarceratorum, lecto affixorum. Sed etsi aliquis priuilegium habeat sacrificii celebrandi super altari portatili in priuato oratorio, conclaui, naue; non tamen ad id obligatur: quia nemo priuilegio suo aduersus legem communem vti cogitur, sicuti notauit Suarez cit. disput. 88. s. 6. §. secundum caput. Altera est impotentia moralis; si videlicet Missa audiri non possit nisi cum magna difficultate, vel iactura bonorum animi, corporis, fortunæ. Ex quo capite admodum latè patente excusantur, qui sine periculo scandali, vel spiritualis ruinæ; & qui sine pudore suo, ac infamia domo exire non possunt, v.g. honesta mulier non honestè vestita; item mulier ex occulta fornicatione prægnans. Qui infirmi sunt, aut infirmis seruiunt; vel qui ob probabile periculum pestis se domi continent. Item matres, & ancillæ, quæ infantibus assistere debent: Et qui longè dissiti sunt à loco, vbi Missa audiri potest; habita ratione personarum, vitæ, temporis, loci, consuetudinis; sicuti bene respondit Nauarrus lib. 1. consil. 3. de feriis, edit. 2. Præterea qui domum, vel gregem custodire debent, ne damnum inferatur: Qui itineris comitem valde sibi vtilem & opportunum, vel nauigandi occasionem amissurus est, si ad Missam accedat. Alioquin verò si nulla accelerandi necessitas vrgeat, iter facturus priùs Missam audire debet; nisi existimet, se in itinere audiendi occasionem habiturum esse. Denique, qui ratione officii, vel grauis negotii à Missæ auditione impediuntur; videlicet milites stationarii, vigiles, custodes gregis, agasones, de quibus Nauarrus consil. 4. & 5. cit. tit. Item famuli, quibus imperium domini obstat, quominus ad templum accedere liceat; dummodo id non cedat in Religionis contemptum, vt suprà dictum. Quod si famulus frequenter, & quasi ordinariè, sine causa iustæ necessitatis, impediatur à Missa audienda, ait Suarez cit. s. 6. cap. 5. excusationis, oportere illum, oblata oportunitate, tale ministerium relinquere, & alteri domino adhærere, apud quem Ecclesiæ præcepta seruare possit. Eadémque ratio est, cùm opifices à magistris suis, v. g. sartoribus, in vigiliis & sabbathis post noctis medium laborare coguntur; si id fiat ob aliquam necessitatem, nulla est difficultas: Sin verò absque iusta causa, semel, aut iterum, parere possunt, causa odii, dissidii, aut contentionis vitandæ: Sin verò frequenter, ac per consuetudinem; tunc si alium dominum, vel magistrum acquirere possint, debent alterum deserere.

III. Excusandi causa est rationabilis consuetudo, scientibus Prælatis, introducta: qualis quibusdam locis est in vidua maritum defunctum lugente; in puella nubili; in puerpera, etiam posteaquam ex partu conualuit, iuxta cap. vn. de purificat. post partum. De his legi potest Caiet. in sum. verbo festorum violatio Nauar. c. 21. num. 4. Suarez cit. s. 6. §. sextum caput, Azor lib. 7. cap. 7. q. 2. 3.

IV. Si Sacerdos, à quo vnico Missam die festo audire

potes, sit notoriè excommunicatus, aut notorius concubinarius, potes ab eius Sacrificio abstinere, in iustam sceleris detestationem, iuxta cap. vestra, &c. vltim. de cohabit. Clericorum, & mulierum, &c. præter, d. 32. Attamen iure nouo, post extrauag. *Ad euitanda* Concilij Constantiensis, abstinere non teneris; nisi sit notorius Clerici percussor, vel de crimine denunciatus, tanquam vitandus à fidelibus, sicuti docent Siluest. ver. Missa, 2. quæ. 3. Couar. c. alma, p. 1. §. 2. num. 10. Maior in 4. d. 9. q. 4. dub. vlt. Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 12. lit. f. Suarez tom. 5. de censur. disput. 31. s. 4. numer. 19. & tom. 3. cit. disput. 88. s. 6. §. vltimum caput: quamuis id non obseruasse videatur Nau. c. 25. n. 80.

5 Ad extremum addo; Tametsi consultum sit iis, qui in Missa audienda festo die impediti sunt, vt alias orationes ad Deum fundant; non tamen id ab Ecclesia præceptum esse, sicuti ex communi docet Nauarrus cap. 13. numer. 2. & cap. 21. num. 7. Suarez cit. s. 6. in fine, Azor t. 1. lib. 6. cap. 10. quæst. 14. contra Angel. ver. feriæ, num. 43. Nam finis præcepti non cadit sub præceptum; nisi quatenus intrinsecè continetur in obiecto quod præcipitur, sicuti docet S. Thom. 1. 2. quæst. 100. art. 9. & 10. At verò cultus DEI est quidem finis Ecclesiastici huius præcepti; sed non præcipitur in alia materia seu obiecto, nisi in hoc determinato, vt Missa audiatur.

CAP. V.

DE SANCTORVM CANONIZATIONE, imaginum & reliquiarum sacrarum veneratione.

SVMMARIVM.

1 *Canonizatio Sanctorum ad Sum. Pontificem propriè spectat.*

2 *In noua lege Deum, siue SS. Trinitatem, atque Angelos forma corporea depingere licitum est: quamuis olim Iudæis ad idololatriam pronis id prohibitum fuerit.*

3 *Catholica Fide certum est, Christi Domini, B. Virginis, & aliorum Sanctorum imagines rectè depingi; tum memoriæ, tum venerationis causa.*

4 *Olim in Eliberino Concilio, iustas ob causas, prohibitum erat, ne Christi, & SS. imagines in parietibus, seu muris ecclesiarum pingerentur.*

5 *In Consilio Francofordinensi tempore Caroli M. habito, nihil omnino contra VII. Synodum de imaginibus adorandis, decretum fuit.*

6 *Eli Phili vnus ex hæreticis Caluinistis præfatione sua in libros Carolinos multis imposuit.*

7 *Libri, qui vulgò Carolini dicuntur, non Caroli M. sunt, sed ab Iconomachis hæreticis, & à Carolo ad Adrianum Pontificem missi.*

8 *Quamuis probabile sit, tamen non est certum, in Consilio Francofordiensi aliquid pro imaginum cultu contra Iconomachorum errorem statutum fuisse.*

9 *Christi, & Sanctorum imagines, ac reliquiæ coluntur tantùm respectiuè, cum ordine ad prototypon.*

10. *Imagines Christi & Sanctorum concomitanter, & per accidens, vnà cum prototypo colimus; ita, vt imagines ipsæ secundùm se adorationem, & cultum non terminent.*

11 *Sacram Eucharistiam propriè ac per se latriâ colimus: cùm Eucharistia præter species, quæ inanimata accidentia sunt, Christum ipsum, verum Deum & hominem, in se contineant.*

12 *Sacræ reliquiæ tantò præstantiores censendæ sunt, quantò propinquius ad Sanctum spectabant.*

13 *Sanguis Christi si in aliqua Ecclesia asseruatur, vel è sacra hostia fluens apparet, non est adorandus cultu latriæ absoluto: sed solùm respectiuè.*

14 *Homines piè defuncti, si canonizati non sint, coli possunt cultu priuato non publico.*

15. *Ad publicum reliquiarum Sanctorum cultum opus est, vt antecedat earum publica approbatio.*

16 *Ad priuatum cultum reliquiarum sufficit vnius hominis fide digni testimonium.*

17 *Sanctorum corpora perpetuæ sepulturæ tradita sine Prælatorum licentia [illegible] ferri non possunt.*

18 *[illegible] sacras reliquias decenter inclusas deuotionis causa secum habere, ac circumferre non prohibentur.*

19 *Sacræ reliquiæ ad turpem quæstum exponi non debent, neque facilè extra capsam ostendi.*

QVÆSTIO PRIMA. Quid sit canonizatio Sanctorum, & à quo fieri debeat? Respondeo, & dico I. Canonizare est, aliquem piè defunctum in canonem, siue catalogum Beatorum referre; id est, auctoritatiuè declarare, eum in cœlis cum Christo regnantem publico cultu venerandum, & inuocandum esse: qua de re Innoc. & Abb. in c. 1. de reliquiis, & venerat. Sanctorum, Syl. ver. canonizatio, Azor tit. 2. lib. 5. cap. 6. post S. Thom. quod lib. 9. in fine, vbi monet in resp. ad 2. *Quòd diuina prouidentia præseruet Ecclesiam, ne in talibus fallatur.* 1

Dico II. Canonizare Sanctos ad Romanum Pontificem, extra, vel intra Concilium, propriè spectat, post factam inquisitionem de vitæ innocentia, miraculis, cōmuni fama, & persuasione sanctitatis. Sumitur ex cap. venerabili, de testibus & cit. cap. 1. vbi id docent Gl. Innoc. & alii communiter. Rationem affert altera Gl. in c. 1. eod. tit. in 6. ver. sedis: Quia canonizatio Sanctorum est vna ex causis maioribus, quæ ad Sedem Apostolicam spectare debent, iuxta c. maiores, de Baptismo. Esset enim valde indecens, & Religioni contrarium, si pro sancto publicè coleretur, qui sanctus non est. Olim tamen sine solemni eiusmodi canonizatione, Sancti quidam post felicem eorum obitum; communi Episcoporum, & populorum consensu celebrabantur; approbante etiam Ecclesia Romana. Quæ proinde fuit tacita quædam canonizatio totius Ecclesiæ, quæ errare non potest, iudicio, consensu, ac consuetudine introducta; sicuti notauit Bellarm. lib. 1. de Sanct. beatitudine, c. 8. in fine, & videri potest Angelus Rocca de canonizat. Sanctorum, c. 4. 39. & seqq. Cæsar Baronius Anno Christi 302. n. 126.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum SS. Trinitatis, Christi Domini, & Sanctorum imagines pingere, atque venerari licitum sit? Respondeo, & dico I. Certum videri debet, licitum esse in noua lege Deum, siue SS. Trinitatem forma corporea depingere. Ita Caiet. in 3. p. q. 25. a. 3. Nicol. Sanderus de cultu imaginum li. 1. c. 4. Th. Vvaldensis tit. 3. tit 19. c. 155. Vasq. lib. 2. de adorat. disp. 3. cap. 3. Bellarm. lib. 2. de imagin. cap. 8. Est tamen hæc assertio non tantùm contra hæreticos, præsertim Caluinum lib. 1. Instit. cap. 11. Sed etiam contra quosdam Catholicos, Durand. in 3. d. 9. q. 2. Abulens. in cap. 4. Deuter. q. 3. Henric. de Gandauo, quod l. 10. q. 2. vt proinde hæc assertio de Fide non sit; quamuis sine temeritate negari iam non possit, propter vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem. 2

Notat verò Caiet. duobus modis Deum depingi posse; primò ad repræsentandam eius naturam, aut formam, quam in se habeat, & hoc fieri non potest. Secundò ad repræsentandam oculis historiam, secundùm quam Deus in forma corporea hominibus repræsentatus est. Nam Gen. 3. apparuit tanquam homo ambulans in paradiso: Gen. 28. Iacob vidit Deum innixum summitati scalæ: Daniel cap. 7. vidit antiquum dierum in throno sedentem: Matth. 3. Spiritus Sanctus in forma columbæ apparuit: Et Christus Io. 15. secundùm metaphoricam similitudinem dixit: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.* Hoc posteriore modo licitum est Deum depingere. Si enim Deus ipse talibus modis se hominibus repræsentauit, vt ex corporeis istis mentē ad incorporea erigerent intelligenda; cur quod à Deo exhibitum est, nobis non liceat pia recordatione imitari, ac colere.

Idque per se loquendo. Neque enimuero negari potest, subesse aliquod periculū idololatriæ. Quamobrem Deus Exod. 20. Deut. 4. absolutè omnem vsum imagi-

num, quibus Deus repræsentatur, penitus interdixit; vti probabilius arbitratur Vasquez lib. 2. disp. 3 c. 4. Erant enim Iudæi ad idololatriam propensiores, & deo imaginum vsus eis interdictus erat, teste Damasc. orat. 3. de imagin. Nunc verò, abolita lege veteri, doceri potest, ac debet populus Christianus, *non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit*, ait Trid. sess. 25. decreto de venerat. reliquiar. & cultu imaginũ. Quare etiam Greg. I. l. 9. indict. 4. ep. 9. Serenũ Massiliensem Episcopũ acriter reprehendit, quòd *inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregerit. Et quidem quia eas adorari vetuisses, laudauimus; fregisse verò reprehendimus.* Et paulò post: *Aliud est picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum, addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Quæ ratio vniuersim probat, etiam de imaginibus Dei, non esse tollendas propter paucorum simplicitatem, aut errorem, cùm potius hi edoceri debeant.

Dico II. Certum etiam est, Angelos in forma corporea rectè depingi posse. Ita contra Xeneum hæreticum & Iconoclastas, docuerunt Patres Concil. VII. Generalis, act. 5. & act. 7. Thom. Vvaldensis cit. cap. 155. contra Vviclef. Ratio colligitur ex assert. præced. Quia Angelos in forma humana sæpe apparuisse legimus: ergo rectè ita à nobis figurantur, ac depinguntur. Vt videlicet per metaphoricas sibi notas similitudines erigatur mens ad spiritualia & incorporea quadantenus intelligenda, sicuti edocet S. Dionys. Areopag. de cœlesti hierarchia, cap. 2. & 15. Confirmatur ex eo, quòd in veteri testamento Cherubini, saltem ornatus gratia, in templo corporali forma erecti fuerint: Ergò nihil Angelorum naturæ repugnat, ita depingi, aut fabricari. Cauendum tamen est, ne nouæ in Ecclesia non vsitatæ Angelorum & maximè SS. Trinitatis imagines artificum arbitrio proponantur, & hæreticis irrisionis materia subministretur.

Dico III. Certa Fide tenendum est, Christi, B. Virginis, aliorúmque Sanctorum imagines rectè depingi; tum memoriæ, tum venerationis causa. Ita ex communi Patrum doctrina, & totius Ecclesiæ consuetudine definitum est Nicææ in Concil. VII. Oecumenico, contra Iconomachos, qui Iudæos, Samaritanos, Mahumetanos imitati, omnem imaginum cultum idololatriam dixerunt, ideóque eas flammis, & ferro addixerunt. Eorum inter Christianos princeps fuit Leo Isaurus, qui decimum annum auspicatus imperii per tyrannidem acquisiti, ab Apostata Fidei Iudæo seductus est, vt bellum contra Deum, & sacras imagines moueret: qui etiam de homousio non rectè sensit, teste Sigiberto in Chronico, An. 715. Zonara, Cuspiniano, & Vrspergensi in Chronico An. 718.

Impietatis paternæ æmulus fuit filius eius Constantinus, Copronymus appellatus, quòd in signum futuræ impietatis, sacrum Baptisma suo stercore fœdârit, *ita vt Germanus* sanctissimus Patriarcha Constantinop. *prophetice diceret: Constat, maxime Christianis, & Ecclesiæ mali per eum efficiendi hoc signum esse futurum*, apud Paulum Diaconum lib. 21. histor. miscellaneæ. Et Zonaras in annalibus ait: *Patris improbitatem longo interuallo superare studuit. Neque enim contra venerabiles imagines duntaxat insaniit, sed & præstigiis fuit deditus, & victimarum dissectionibus, & cuecatis imbuo manuum, aliisque infandis rebus. Denique nullo scelere abstinuit, non vniformi, sed multiplici impietate præditus, non Christianus, non paganus, non Iudæus, sed colluuio quædam impietatis.*

Postea verò sub Adriano I. Papa, Constantino & Irene Catholicis Augustis, Iconomachorum hæresis CCCL. Episcoporum generali synodo damnata est. Sed paulò post iterum reuocata à Leone Armenio Imperatore, eiusque successoribus Michaele Balbo, & Theophilo; In Occidente verò, sub Ludouico Pio, à Claudio Episcopo Taurinensi. Posterioribus seculis successerunt in imaginum sacrarũ oppugnatione Vviclefistæ; denique Caluinistæ hæretici, egregii Iconomachorum æmulatores.

Argumenta Iconomachorum hæc sunt: I. Quia imaginum cultus iure diuino prohibitus est, Exod. 20. Deut. 4.

II. Cùm constet, diuinitatem pingi non posse, sequitur, dum Christum forma humana pingimus, diuinitatem nos eius ab humanitate separare; quod videtur fuisse argumentum Petri Fullonis Theopascitarum Principis, vti colligitur ex Concil. VII. act. 1. post fragmentum epist. S. Athanasii ad Ruffinianum, vbi Tharasius Constantinop. Episcopus dixit: *Inuenimus & Manichæos respuisse imagines* (vti indicat S. August. lib. 20. contra Faustum, cap. 3.) *& præter hos Marcionistas, & illos, qui confundunt duas naturas* Eutychianos, & Theopascitas, *quorum princeps Petrus Fullo: præterea Xeneum*, aliàs Xenaium, *Hieropolitanum*, tempore Zenonis Imperat. Apud Niceph. lib. 16. cap. 27. *Sed & Seuerum*, &c.

III. In Concil. Eliberino, c. 36. legimus: *Placuit, in templis non haberi picturas, ne, quod colitur, vel adoratur, in parietibus depingatur.*

IV. Quia in CCC. Episcoporum Concilio Francofordiensi ad Mœnum, sub Adriano I. & Carolo Magno, VII. Synodus de adorandis imaginibus reprobata est, vti historici testantur.

Ad I. resp. vt suprà; Iudæis tanquam ad Idololatriam pronis, imaginum omnem cultum specialiter prohibitum fuisse.

Ad II. respondet Epiphanius Episc. act. 6. Concil. VII. definit. 13. Quemadmodum qui hominem pingit, non ideo eum inanimatum facit, quia imago, seu pictura secundùm se inanimata est: cùm ratio imaginis consistat in repræsentatione; ideóque dum veri hominis imaginem conspicimus, animatum intelligimus. Ita etiam qui Christum pingit secundùm formam naturæ humanæ, non negat eam deificatam, seu diuinitati vnitam esse: cùm per aspectum imaginis concipiamus eum qui per ipsam repræsentatur, verus Deus & homo.

Ad III. resp. Duas ob causas canone illo pictas in parietibus imagines prohibitas fuisse: I. Ne imminente persecutione, dum Christiani imagines pictas secum auferre non possunt, Iudæis atque Paganis ludibrio fiant. Ita Nicol. Sanderus lib. 1. cap. 4. Bellarm. lib. 2. de imag. cap. 9. Suarez p. 3. tom. 1. disput. 55. s. 1. II. Quia imagines in parietibus depictæ venustatem amittunt, & decrustato pariete fœdantur. Iniuriâ etiam temporum, & bellorum accidere solet, vt templa diruantur, & sanctæ imagines, si in parietibus pictæ sint, non reuerenter, vti deceret, seruari possint. Ita indicant Bellarm. & Suarez ll. cc. & explicat Vasquez lib. 2. de adorat. disp. 5. cap. 2. numero 132. qui etiam testatur, in Hispania, vbi Eliberinum Concilium habitum est, paucis in Ecclesiis imagines reperiri depictas in pariete; (præter S. Christophori) sed plerasque in tabulis, aut statuis ligneis inauratis. Quamuis temporis progressu à canonis illius constitutione etiam in Hispania recessum sit.

Circa IV. argument. quid in Concilio Francofordiensi de imaginibus decretum sit, variè sentiunt DD. Catholici, vti videre licet apud Baron. Anno Christi 794. Alanum Copum dialog. 4. cap. 18. Surium in admonitione ad Lectorem de Synodo Francoford. Sanderum l. 2. de imag. c. 5. Bellarm. l. 2. de imag. c. 14. Vasq. l. 2. de adorat. disput. 7. Suarez p. 3. tom. 1. disp. 54. s. 3. Respondendum autem est primò; Extra controuersiam

esse debere, quòd in Francofordiensi Concilio nihil contra Nicænam Synodum Oecumenicam statutum fuerit. Ita docent Surius, Suarez ll. cc. Seuerinus Binius in notis Concilii Francoford. ver. Actáque, contra Genebrardum in Chronico, Anno 794. Bellarm. & Baron. ll. cc. qui arbitrati sunt, Patres Concilii Francofordiensis falsa informatione, & libris Carolinis deceptos, quasi in Nicæno Concilio imagines vt deificatas latriç cultu adorandas esse, decretum fuerit; illud abdicasse, & condemnasse. Sed probatur assertio. Cùm enim Concilium illud Francofordiense contra hæresin Elipandi, & Felicis, Nestorii (vt videtur) sectatorum paucis annis, videl. septem post Synodum Nicænam II. sub eodem Pontifice Adriano I. præsentibus Legatis Apostolicis, Theophylacto & Stephano Episcopis, celebratum fuerit; incredibile omnino est, aut neminem ex CCC. Francofordi congregatis Episcopis sciuisse; aut si nescierunt, saltem à Legatis Apostolicis, ipsiúsue Adriani literis edoctos non fuisse, quid in Synodo Nicæna II. cum totius orbis approbatione, secundùm traditionem Patrum, à CCCL. Episcopis contra Iconomachos constitutum fuerit. Præsertim cùm ipsi Patres in libello sacrosyllabo supremam Romani Pontificis potestatem agnoscant: *Reseruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis, Domini, & Patris nostri Adriani*. Et Carolus magnus qui Concilio huic interfuit, in epist. ad Episcopos Hispaniæ, testatur, se ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem in causa eius Concilii ter, quaterque direxisse Missos, vt sciret *quid sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus, de hac noua inuentione* Felicianæ hæresis responderet. Quomodo igitur fieri poterat, vt contra Nicænam Synodum à Sede Apostolica paulò antè congregatam, & approbatam, quidquam decerni vel Patres ipsi, vel Carolus Rex, vel Apostolicæ Sedis Legati permitterent? Accedit, quòd post mortem Caroli, sub Gregorio IV. Papa, & Ludouico Pio Imp. Grecorum Iconomachorum error iterum in Occidentem irrepsit, auctore Claudio Episcopo Taurinensi, qui haud dubiè auctoritate Concilii Francofordiensis errorem suum defendisset, si ibi aliquid contra imaginum cultum decretum fuisset: id autem eum non fecisse, colligitur ex refutatione Ionæ Aurelianensis lib. 1. de cultu imaginum: & videri potest Vualfridus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. c. 8. Accedit secundò, quòd historici, qui de damnatione Synodi adorationem imaginum approbantis, testantur, partim supposititij sunt, partim erroris manifesti coargui possunt, vt statim ostendam.

6 Vbi inprimis dolendum est, Bellarminum lib. 2. cap. 14. Vasquez lib. 2. disput. 7. cap. 4. & 7. aliósque Catholicos quosdam Scriptores, cùm copiam non haberent librorum Carolinorum, qui anno 1549. sine nomine typographi, ac loci, editi sunt à Caluinistis, persuasisse sibi, præfationem illam, cuius fragmenta suis scriptis, ac chronicis fraudulenti hæretici contra imaginum cultum frequenter inserunt, eiusdem antiquitatis esse, atque circa tempora Caroli Magni conscriptam. Cùm tamen fictus Eli Phili in præfatione illa ad Christianum lectorem alleget Augustinum Steuchum, Ioan. Echium, Alph. à Castro, & alios recentes. Hic Eli Phili vnus ex Caluinistis, qui mentiri, ac decipere in religionis suæ causa opus bonæ conscientiæ arbitratur, refert, se in musæo quodam reperisse acta Concilii Francofordiensis; sed reliqua se interim suppressurum, & duo sola eius Concilii decreta in lucem editurum: quorum vnum est de hæresi Feliciana condemnata; alterum verò tam inscitum constitutum, vt ipsa imperitia, & contradictione sua ostendat imposturam: *Allata est in medium quæstio de noua Grecorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, vt, qui imagines Sanctorum ita vt deificam Trinitatem seruitio aut adoratione non impenderent, anathema iudicarentur. Qui suprà sanctissimi Patres nostri omnimodis & orationem, & seruitutem eis renuentes, contempserunt atque consentientes condemnarunt.* Quanta hîc barbaries, & quanta rerum omnium ignorantia? Nunquid Constantinopoli aliquando de adorandis imaginibus Synodus habita est? Aut num alicubi statutum, vt Sanctorum imagines perinde, vt deifica Trinitas, adorarentur?

Secundò allegatur Hincmari Rhemensis Episcopi quoddam fragmentum productum ab Illyrico cent. 8. cap. 9. Sed optimè respondet Alanus Corpus, Dial. 4. cap. 19. Centuriatores non tantam fidem mereri, vt frustum aliquod ex opere, quod apud ipsos delitescere volunt, velut germanum Hincmari scriptum exosculantes acceptemus: præsertim cùm in illo fragmento plura falsa, & absurda contineantur. I. *In septima Synodo Nicæna quidam imagines confringendas, quidam adorandas dicebant. II. Neutra pars intellectu sano definiuit sine auctoritate Apostolicæ Sedis. III. Iussione Apostolicæ sedis, generalis Synodus in Francia, conuocante Imperatore Carolo, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque maiorum, ipsa Græcorum, videlicet Nicæna Synodus, destructa, & penitus abdicata est.* Quæ omnia falsissima esse constat, vel ex mentiendi libidine, vel ex magna rerum ignorantia profecta, quorum vtrumque ab Hincmaro alienissimum est. IV. *De destructione* Synodi Græcorum *non modicum volumen ab eodem Imperatore Romam esse per quosdam Episcopos missum.* Loquitur hic fictitius Hincmarus de libris Carolinis, vulgò appellatis; qui tamen Caroli Magni non sunt, sed ab Iconomachis, Seueri Massiliensis discipulis, aduersus Nicænam Synodum conscripti; quos Carolus ad Adrianum Papam non per Episcopos, sed per Engilbertum Abbatem, suum Capellanum, misit, illius censuræ, vti alia omnia ad Fidem pertinentia, commitens: Eos autem Adrianus reprobauit, tanquam ab hæreticis contra vnanimem Ecclesiæ consensum scriptos, vti legi potest Epist. 3. Adriani ad Carolum Magnum. 7

Alii testes produci solent, qui tamen sequentibus seculis vixerunt, quasi dixerint, in Francofordiensi Cōcilio aduersus Synodum Nicænam de adorandis imaginibus, decretum fuisse. Videlicet Ado Viennensis, Aimoinus Monachus, Rhegino, Abbas Vrspergēsis, Ioan. Auentinus. Sed inprimis Auentinū reiicimus, cū ex recētiorib. sit, & qui de industria ea prætulit, quæ Catholicis obesse posse videbantur, Lutheri magis, quàm Papæ amicus. Aimoinus lib. 4. de gestis Francorum; cap. 8. eúmque tanquam antiquiorem secutus Abbas Vrspergensis in chronico, Anno 793. repugnantia scribunt, ideóque eorum testimonium recipi non debet. *Synodus, quæ ante paucos annos Constantinopoli sub Irene, & Constantino filio eius, congregata, & ab ipsis Græcis septima, & vniuersalis appellata est, vt nec septima, nec vniuersalis diceretur, haberetúrque quasi superuacanea, in totum ab omnibus abdicata est.* Sed quænā ista Synodus Constantinopoli sub Irene, & Cōstātino celebrata? Nulla prorsus: scripserūt igitur de rē, quam ignorārunt. Ado, quasi æqualis Aimoino, ita habet: *Pseudosynodus, quam septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus abdicata penitus est.* Quæ verba cùm ambiguū sensum habere possint, eligere oportet eū, qui veritati consonat; imò quem verborum constructio magis postulat; Synodum Constantinopoli sub Copronymo habitam, quam vti septimā Græci Iconomachi extollere volebant, pro honore & veneratione sacrarum imaginum penitus abdicatam esse. Et hunc quidem sensum Adonis amplexi sunt plerique historici sequentes, vt Platina in vita Adriani, Blondus lib. 1. decade 2. Sabellicus lib. 8. Ennead. 8. qui dicunt, Francofurti damnatam esse Synodum, & hæresin, quæ erat de abolendis imaginibus. Solus Rhegino Abbas lib. 2.

chronic. Adonis verba malè intellexisse videtur, vt diceret: *Pseudosynodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerunt, à Pontificibus Francofurti reiecta est.* Nisi suspicari velis, mendum irrepsisse, & legendum esse, *pro abrogandis imaginibus*. Etenim à Græcis sub Copronymo hoc fine pseudosynodum Constantinopoli celebratam fuisse, testatur Paulus Diaconus histor. miscel. lib. 22. *Constantinus impius contra sanctas & venerabiles imagines Concilium iniquũ 38. Episcoporum congregauit in palatio Hieriæ* &c. *nullo præsente ex Catholicis Sedibus, Romana, Antiochena, Alexandrina, Hierosolymitana.* Zonaras in annal. tom. 3. pag. 8. *Copronymus, multis Episcopis sibi suffragantibus conuocatis, quorum princeps erat Theodosius Ephesinus, & Pastilas Pergamus, per eas quidquid libuit, decreuit, nemine vel ex vetere Roma, vel ex aliis Patriarchis præsente. Eum concursum profanorum hominum, Synodum Oecumenicam appellare non dubitauit.*

Respondendum est Secundò: Quamuis probabile sit, in Concil. Francofurdiensi Iconomachorum errorem de imaginibus Christi, & Sanctorum abolendis damnatum fuisse; tamen id non est certum. Ita bene docet Franc. Suarez cit. disp. 54. sess. 3. Prior pars probatur coniecturis: I. Quia multi historici, saltem posteriores, id testantur. II. Quia Claudius, discipulus Felicis Vrgelitani, imaginum cultum impugnauit, sub Ludouico Pio, teste Iona, & Strabone loc. cit. Ergo non est incredibile, eodem errore laborasse Felicem magistrum, qui Francofurti damnatus fuit: quod apertè sensit Sabellicus cit. Enneade 8. & Concil. Senonense decret. 14. III. Quia credibile est, posteaquam pseudosynodus Græcorum in Oecumenico Nicæno Concilio damnata fuit: (vti non obscurè significat Paulus Diaconus, eius temporis historicus miscel. lib. 22. pag. 689. & lib. 23. pag. 735.) acta eiusdem Concilii Nicæni ab Adriano missa esse ad Concilium Episcoporum Francofurti congregatorum, vt, quod in Græcia contra Iconomachos actum esset, ipsi quoque in Occidente reciperent, & stabilirent; præsertim cùm constet ex Capitulari Caroli, & responsis Adriani eo tempore non defuisse, qui aduersus imaginum cultũ, & vniuersalis Concilii decreta se opponere conarentur.

Altera pars probatur: Quia neque in actis Francofurdensis Concilii vlla mentio habetur de imaginum adoratione: neque vllus historicorum, qui eo tempore vixerunt, quicquam meminit de hac re Francofurti actũ fuisse. Sequentes autem historici valde obscura, & contraria scribunt: vt fieri potuerit primum errasse; alios autem vnius verbis, malè etiam intellectis, adhæsisse.

QVÆSTIO TERTIA. De modo, quo sacræ imagines, & reliquiæ colendæ sint? Respondeo, & dico I. Communis antiquorum DD. & vera sententia est; Quòd Christi, ac Sanctorum imagines, atque reliquiæ secundùm se & absolutè cultum ac reuerentiam non merentur; sed tantùm respectiuè, quatenus ordinem alicuius repræsentationis habent ad ipsum exemplar, seu prototypon; ita vt totus affectus internæ submissionis ad prototypon referatur. Ita docet S. Thom. 2. 2. quæst. 103. a. 4. ad 3. & 3. p. quæst. 25. a. 3. & 4. Alensis p. 3. quæst. 30. memb. 3. a. 3. Durand. 3. sent. d. 9. quæst. 2. Thom. VValdensis tom. 3. tit. 19. cap. 156. & alii apud Vasquez lib. 2. de adorat. disput. 8. cap. 3. Ratio est: Quia nulli creaturæ irrationali secundùm se cultus aliquis exhiberi debet: imagines autem, ac reliquiæ Christi, & Sanctorum secundùm se res inanimatæ sunt: ergo ijs non competit cultus, ac reuerentia. Probatur maior: quia cultus seu reuerentia signum submissionis, seu subiectionis est: omnis autem creatura irrationalis homini naturaliter subiecta est: ergo non debet homo colere vllam creaturam irrationalem. Præterquam, quòd creatura irrationalis, cùm intellectu, & liberi arbitrii præstantia careat, capax non sit laudis, honoris, præmij &c.

Eandem doctrinam tradidisse videtur Trident. Concil. sess. 25. in decreto de sacris imaginibus; Imagines sacras in templis habendas, & debitum eis honorem ac venerationem impertiendam esse; *quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.*

Consentit doctrina Ambros. in Psalm. 118. serm. 10. *Qui coronat imaginem Imperatoris, vtique illum honorat, cuius imaginem coronauit: & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori vtique, cuius statuam conspuauerit, fecisse videtur iniuriam.* Quo ipso exemplo cultum imaginum declarat S. Damasc. orat. 3. de imaginibus Et Tharasius Patriarcha Constantinop. act. 4. Synodi VII. Gener. explicans verba S. Athanasij orat. 4. contra Arianos, inquit: *Hæc sanè rerum natura docet quòd honor imagini exhibitus ad ipsum fontem primùm referatur, quemadmodum & contumelia.* Photius Patriarcha in libello de 7. Synodis: *Omnibus perspicuum est, honorem imaginibus habitum ad eos transire, quos illæ referunt.* S. Basilius apud S. Damasc. lib. 4. orthodoxæ Fidei, cap. 17. *Imaginis honor ad exemplaris refertur honorem.* Idem Damasc. lib. 4. cap. 12. *Omnia quæ Deo dicata, aut consecrata sunt, ita adoramus, vt cultum & venerationem ad eum referamus.* Quod etiam S. August. expressit lib. 3. de doctr. Christiana, cap. 9. *Qui aut operatur, aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim, significationémque intelligit, non hoc veneratur, quod videtur, & transit; sed illud potius, quo talia cuncta referenda sunt.*

Etenim quod de imaginibus dicitur, idem de aliis omnibus rebus sacris dici debet; iis honorem ac venerationem deferri non absolutè, sed cum ordine ad personam, puta Christum sanctificantem: vt proinde omnis honor ad Christum tanquam obiectum dirigatur, sicuti lectum est à Leontio Episcopo Neapoleos Act. 4. Synodi VII. *Quemadmodum genuini filii, peregrinante longo tempore patre, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quidquid illius in domo viderint, siue baculum, siue sedem, siue chlamydem; hæc omnia cum lachrymis attrectantes amplexantur; non illa secundùm se honorantes, sed patrem desiderantes, & venerantes, sic & nos fideles omnes crucem Christi tanquam virgam adoramus; vt sedem verò ac cubile illius, ter sanctum sepulchrum, præsepe autem & Bethleem, reliquáque illius habitacula, vt domum.*

Contra hanc assertionem sentiunt Franc. Suarez 3. p. tom. 1. disput. 54. sect. 4. assert. 2. Bellarm. lib. 2. de imag. cap. 21. Imagines Christi, & Sanctorum coli posse cultu aliquo inferiore, quàm prototypon, ita vt ipsæ terminent venerationem secundùm se. Nituntur præcipuè auctoritate Concil. VII. vbi sæpius repetitur, crucem, & imagines Christi venerandas, adorandas esse, & tamen claris verbis negatur, latriã coli posse Act. 7. in definit. Ergo mens Concilij est, alio inferiore cultu secundùm se colendas esse. Respondeo, Contrarium potiùs colligi ex definit. Synodi, quæ incipit, *Qui nobis. Illis Christi imaginibus salutationem, & honorariam adorationem exhibeant; non secundùm fidem nostram, veram latriam, quæ solum diuinæ naturæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & sanctis Euangeliis, & reliquis sacris oblationibus suffitorum, & luminarium reuerenter accedimus: imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem, in ea adorat quoque descriptum argumentum.*

Optimè autem aduertit Vasquez lib. 2. de adorat. c. 12. ex Tharasio in epist. ad Constantinum & Irenem, Actione VII. & Epist. Anastasii Episc. lecta à Stephano Monacho ead. VII. Synodo Act. 4. Græca verba προσκυνεῖν, adorare; ἀσπάζεσθαι, salutare; φιλεῖν osculum

præbere; plerumque; ita accipi, vt significent externam submissionem, inclinationem; quamuis interdum etiam accipiantur, præsertim τὸ προσκυνεῖν, vt significent internum affectum submissionis, aut seruitutis, seu adorationem in spiritu. Patres igitur Synodi VII. in definitione sua, & alibi passim fatentur, Imagines Christi, & Sanctorum adorandas & salutandas esse: quia verè coram illis procumbimus, ora admouemus &c. negant verò latriâ coli posse, quia hæc vox λατρεύειν semper significat adorationem, seu submissionem in spiritu, quæ rei inanimatæ competere non potest. Quare ob eandem causam neque vox προσεύχεσθαι imaginibus tribui potest: neque enim imagines deprecamur, aut eis vota nuncupamus. Ex quibus etiam intelligimus Gregor. I. lib. 7. epist. 53. ad Secundinum: *Scio, quòd imaginem Saluatoris nostri non ideo petis, vt quasi Deum colas: sed ob recordationem filij Dei in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre consideras. Et nos quidem, non quasi ante diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed & in throno sedentem, recordamur.* Et S. Hieron. in epist. de obitu Paulæ. *Prostrata ante crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.*

Dico II. Imagines Christi, & Sanctorum concomitanter, ac per accidens colimus vna cum prototypo. Ita significant Patres suprà cit. & docet S. Thom. 3. p. quæst. 25. a. 3. Halens. p. 3. quæst. 30. memb. 3. art. 3. §. 1. & 2. S. Bonau. in 3. d. 9. quæst. 2. Duran. ibid. qu. 2. a. 1. Palud. quæst. 1. Richard. a. 2. quæst. 2. Capreol. quæst. 1. a. 1. Thom. Vvaldensis cit. c. 156. Bellarm. c. 23. Suarez cit. s. 4. assert. 1. Iacob Gretserus lib. 1. de Cruce cap. 49. Sensus assertionis est, Quod Christum aliúmue sanctum apprehendimus tanquam in imagine nobis præsentatum; & sic illi cultum deferimus, vt tamen terminus adorationis sit solum prototypon; imago autem concomitanter se habeat, tanquam accidens quoddam, & quasi vestimentum prototypi, seu personæ adoratæ. Ita enim hanc rem explicat S. Damascenus orat. 1. de imaginibus. *Quemadmodum purpura & sericum, & quod ex his vestimentum conficitur, per se nihil aliud sunt, nisi tenue quoddam operimentum, quod tamen si Rex induerit, honoris, quo præstat Rex, ipsum quoque particeps fit. Ita res ex materia constantes, per se quidem adorandæ non sunt. At, si gratia plenus sit is, quem illæ referunt, pro fidei portione ipsæ quoque participes fiunt.*

Aliud exemplum dari potest: Si Regem in speculo effulgentem videas, & adores, vno motu & Regem adoras, & speciem, siue imaginem Regis, ipsum quidem principaliter; sed imaginem concomitanter, & per accidens. Quod expressisse videtur S. Athanas. orat. 4. contra Arianos: *Qui adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem: quippe cùm imago aliud non sit, quàm Regis forma, ac species.* Cuius rationem paulò antè dederat; *Quia immutabilis in imagine est similitudo Regis, ita vt qui imaginem inspexerit, ipsum quoque Regem simul inspiciat.* Ex quibus verbis, & simili testimonio S. Basilii lib. de Spiritu sancto, cap. 18. intulit Ioannes presbyter, locum tenens Orientalium in VII. Synodo, Act. 4. *non esse duas adorationes, sed vnam ipsius imaginis; & primi exemplaris, cuius est imago.*

Corollarium I. Tametsi imagines Christi secundùm se, & absolutè latriâ nō colimus; cùm nihil in se diuinitatis habeant; imò nihil excellētiæ rationalis, ob quam honoris ac reuerentiæ capaces sint; Attamen cultu respectiuo quo simul exēplar & maginē, seu exēplar in sua imagine colimus, fateri debemus, crucem & imagines Christi latria coli; quāuis per accidens & concomitanter, vti bene docent S. Bonau. Duran. Richar. Palud. S. Thom. & alii suprà cit. Nā sicuti Christū apprehendimus, & cognoscimus per crucem, & imaginem eius, ita etiam eundem colimus, & adoramus: non quod imago sit terminus adorationis; sed vti via, ac medium. Nam ita locutum reperio Leontium Cypri Episcopum lib. 5. contra Iudæos; *Nos Christiani crucis formam adorantes, non ligni naturam adoramus: sed signum, & anulum, & formam ipsius Christi respicientes, eum, qui ei in ea affixus fuit, per ipsam complectimur, & adoramus.* Nónne enim simili ratione iuramus per creaturas, quatenus in iis diuina Maiestas tanquam in signo, seu effectu resplendet: cùm tamen iuramentum latriæ actus sit: verùm iuramentum tale ideo non improbatur, per se loquendo, quia principaliter & vltimatè fit per solum Deum; quamuis cum ordine ad creaturam, qua Dei potentia nobis manifestatur. Ita multò magis licitum erit Deum, aut Christum in imagine resplendentem latriâ colere, quantò imago aptior est ad repræsentandum prototypon. Deinde, si olim Iudæi se prosternere debebant ante arcam fœderis: per ipsam Deum adorantes, iuxta illud Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, cur non simili ratione liceat nobis Christum Deum per crucis signum adorare; Quòd si autem personæ sanctæ, puta Beati in cœlo, inferiore cultu, videlicet duliæ, colendæ sint; tunc etiam imagines illorum, atque reliquiæ eodem cultu coluntur, quamuis respectiuè, & per accidens, vt explicatum.

Corollarium II. Licet species, siue accidentia eucharistica absolutè, & secundum se latriâ non colimus, cùm res inanimatæ sint, quæ cultum non merētur; tamen ipsa Eucharistia propriè & per se latriâ colitur; quandoquidem Eucharistia præter species continet verū Christum Deū & hominem. In qua Eucharistiæ adoratione terminus est ipse Christus realiter præsens; species autem concomitanter, & per accidens se habent, veluti vestis. Insuper rectè aduertit Vasquez lib. 2. disput. 8. cap. 11. Christum Dominum, quatenus sub specieb. eucharisticis nobis exhibetur, aptius esse adorationis, seu latriæ obiectum; quam prout in imagine nobis repræsentatur. Quamobrem feruentior solet esse submissionis affectus erga Eucharistiam, qui etiam exteriore signo magis exprimi solet. Cuius ratio est: Quia quantò clarius & excellentius persona adoranda in imagine, aut quocunque signo nobis exhibetur, tantò magis par est affectum internum commoueri, exteriúsque prodi; at verò Christus Dominus quam maximè sub specieb. eucharist. nobis exhibetur, quippe realiter ibi contentus. Ergo &c. 11

Corollarium III. Reliquiæ sacræ tantò magis ad cultum religiosum inseruiunt, idcóque tantò præstantiores censeri debent, quantò propinquiùs ad Sanctum pertinent; v. g. caro, & ossa integra sanctorum in æstimatione reliquiarum præferuntur aliis rebus, quæ ad eorum corpora tantum admota fuerunt; pulueribus itē seu cineribus, in quos conuersio ac magna mutatio facta est. Sin verò adhuc plures, magisque notabiles mutationes fiant, amittitur denique omnis moralis habitudo ad Sanctum, vt proinde res illæ, in quas mutatio facta est, adorabiles non sint, præsertim si neque decenter adorari possint, vt vermes ex Sanctorum corporibus enati. Ita notauit Henric. loc. cit. Suar. 3. p. t. 1. disp. 55. sect. 1. ad 3. arg. Sanch. loc. cit. n. 2. 12

Corollarium IV. Si in aliqua ecclesia sanguis è Christi corpore effusus asseruatur, & ostenditur, non est adorandus cultu latriæ absolutè, sicuti S. Eucharistia à fidelibus adoratur. Quia si est verus sanguis ex Christi corpore fusus, quòd negat S. Thom. 3. p. quæst. 54. a. 2. sed affirmat S. Bonau. in 4. d. 12. dub. 2. circa literam Magistri Gabr. in can. Missæ lect. 50. & alii apud Suarez p. 3. tom. 2. disput. 47. sect. 2. tamen non est hypostatyeè jam vnitus diuinitati, ideóque respectiuè tantum adorari debet, sicuti & aliæ reliquiæ Christi, propter coniunctionem aūt contactum carnis hypostaticè vnitæ Verbo, sicuti docet Gabr. cit. lect. 50. col. 1. Vasq. 13

lib. 3. de adorat. num. 125. Suarez cit. disp. 47. sect. 2. in fine. Idémque sentiendum de sanguine ex sacra hostia fluente, & de carne per miraculum apparente, quia (secundum receptam doctrinam S. Thom. 3 p. quæst. 76. art 8.) non est Christi caro, aut sanguis in substantia, quippe quæ iam permanenter in cœlo est, & non amplius passibilis atque cruenta. Quare si constans, & diuturna sit eiusmodi apparitio, censeri debet facta per miraculosam accidentium immutationem, sicuti docet S. Thom. & alii communiter in cit. a. 8. & videri potest Sotus in 4. d. 10. quæst. 1. a. 8. Ecce cùm magna hæc sit accidentium sacramentalium immutatio, ita vt sub ea panis, vel vini substantia naturaliter consistere non possit, desinit ibi esse corpus, & sanguis Christi; totúmque, quod apparet, non est adorandum cultu latriæ absoluto, sed solum respectiuo, sicuti crux, & imagines Christi Vide Gabr. lect. 51. super Canonem, Durandum in 4. d. 10. quæst. 4. Suar. 3. p. to. 3. disp. 55. Vasq. in 3. super q. 67. a. 8.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum homines piè defuncti, sed non canonizati, à fidelibus coli, & inuocari possint? Respondeo ex cap. 1. & 2. de reliquiis, & venerat. Sanctorum, Syluest. ver. reliquiæ, quæst. 1. Bellar. lib. 1. de Sanctorum beatit. cap. 10. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 8. Suarez p. 3. t. 1. disp. 55. sect. 2. Sanchez cit. cap. 43. num. 3. Non posse eos solemniter & publicè, attamen priuatim coli, & inuocari. Cultus publicus
14 dicitur, non qui coram aliis exhibetur; sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus: quare erga eos tantùm exhiberi debet, quos tota Ecclesia pro sanctis habet, ac veneratur. Accedit plurib. superstitionibus locum fore, si quoslibet, tanquam sanctos, publico cultu venerari liceret.

Hinc existit primò; Quòd sanctum non canonizatum (sine speciali licentia Papæ) in Missæ sacrificio, officio canonico, publicis litaniis, etiam priuato loco recitatis, inuocare non licet: quia hæ preces ac postulationes nomine Ecclesiæ fiunt.

Secundò, Fas non est sanctis, qui canonizati non sunt, templa, altaria, sacrificia, instituere: neque illorum reliquias, aut imagines in publico templo exponere: quia hæc ad publicum cultum spectant.

Tertio concessum non est, publicum festum aut ieiunium in memoriam sancti non canonizati celebrare; attamen priuatim in eius obitus die seruilibus operibus abstinere, Deo vacare aut ieiunare, vel votum in eius cultum offerre, etiam scientibus aliis, si scandalum absit, prohibitum non est. Eadémque ratione licitum est priuata deuotione, quamuis pluribus præsentibus, sanctum non canonizatum in patrocinium apud Deum inuocare, aut reliquias, vel imaginem eius priuatim venerari, aut in altari priuato collocare. Si enim viuentes ob sanctitatem in ipsis perspectam honorare, eorúmque orationes implorare licitum est, cur non item defunctos quos maiore ratione speramus cum Deo iunctos esse? Idque probatur exemplo SS. Patrum, vt Gregorii Nazianzeni in oratione de S. Athanasio, & altera de S. Basilio: item S. Hieronymi in vita Paulæ, vbi hos sanctos tanquam in cœlo existentes inuocant; licet nondum ab Ecclesia vniuersa in sanctorum numerum recensiti fuerint: & colligitur hæc doctrina ex cap. 2. de reliq. & venerat. sanctorum, vbi Abb. num. 3. Syluest. ver. reliquiæ, quæst. 1. Bellarm. cit. cap. 10. Sanchez cit. cap. 43. num. 8. Philiarchus tom. 1. p. 2. lib. 3. cap. 9. in fine, qui tamen monet, Neque in priuata domo fas esse reliquias vnicas sancti non canonizati in altari habere cum lampade accensa, ita vt ab ingredientibus domum veneratio exhibeatur; sicuti eadem ratione licitum esse non videtur sancti non canonizati imaginem cum radiis in domo etiam priuata, collocare: quia hæc ex Ecclesiæ consuetudine, solent esse signa propria sanctorum canonizatorum, quos tota Ecclesia venerari solet: & alioquin, si talia permitterentur, facilè superstitiones oriri possent. Quare neque Episcopi in hac re dispensare, seu tales licentias concedere possunt; sed solus Papa, qui aliquorum nondum canonizatorum Martyrum vel aliorum sanctorum, de quorum canonizatione tractatur, publicum & canonizatis proprium cultum aliquem, intra certos limites, interdum permittit.

QVÆSTIO QVARTA. Quænam habendæ, & colendæ sint pro sacris reliquiis? Hoc autem nomine intelligimus, quidquid ex sanctorum hac vita decedentium corporibus reliquum mansit; siue sint ipsa eorum corpora, seu cadauera, carnes, ossa, dentes, capilli, vngues; cineres item ac pulueres, in quæ conuersa fuerunt: item vestes & varia vtensilia, quibus in vita vsi fuerunt: vela item, panni, & similia, quæ in vita sua tetigerunt, vel ad eorum demortuorum corpora admota fuerunt, sicuti docent Henricus quodlib. 10. quæstion. 6. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 8. quæst. 1. Sanchez lib. 2. moral. cap. 43. num. 2.

Respondeo & dico I. Ad publicum cultum reliquiarum requiritur publica earum approbatio, quòd verè sint alicuius sancti canonizati. Ita colligitur ex cit. cap. 2. & docet Philiarchus suprà, Suarez cit. disp. 55. sect. 2. §. sed quæret aliquis, Sanchez num. 11. Azor citat. quæst. 8. Est autem duplex approbatio, Vna quæ fit à Prælato Ecclesiæ, videl. Papa, vel Episcopo: cui conceditur in Trident. suprà cit decreto, nouiter inuentas reliquias, vel de quibus dubium aliquod exoritur, recognoscere, & approbare; adhibitis in concilium Theologis, & aliis viris piis. Altera est per traditionem, seu diuturnam Ecclesiæ approbationem: si enim in aliqua Ecclesia ossa v. g. pro alicuius sancti canonizati, temporis diuturnitate habita sint, etsi alia testimonia modò exhiberi nequeant, quia incendio, aliisve casibus periisse potuerunt, ipsa publicæ persuasionis continuata vetustas sufficit ad approbationem, sicuti ex communi notat Azor cit. cap. 8. quæst. 8. Neque refert, quod interdum eiusmodi sancti corpus in diuersis locis solemniter colatur. Nam error iste non est in substantia adorationis, aut rei adoratæ, sed in aliqua conditione accidentaria. Fieri enim solet, vt in vtroque loco sit non integrum corpus, sed pars, à qua totum nominatum est. Interdum etiam accidere potuit, vt sit alterius sancti corpus; sed in nomine error contigerit: denique semper in adoratione inclusa est tacita conditio, si verè sint reliquiæ personæ sanctæ, quam colere intendo; eáque conditio omnem formalem adorationis errorem excludit.

Dico II. Vt reliquiæ, tanquam alicuius sancti, priuatim coli possint, requiritur, ac sufficit priuatum testimonium vnius personæ fide dignæ; aut alia ratio, vel coniectura, quæ ad prudentem assensum sufficiat. Ita docet Suarez cit. sect. 2. Vasquez lib. 3. disput. 3. cap. 8. num. 114. Sanchez cit cap. 43. num. 13. Azor cit. quæst. 8. Ratio est: Quia in adoratione seu cultu priuato minus periculum subest, etsi interdum error materialis contingat, dummodo bona fide agatur. 16

Dico III, Si post debitam inquisitionem dubium maneat, num sint veræ reliquiæ alicuius sancti, abstinendum est ab earum veneratione etiam priuatim, sed maximè publicè. Ita docet Armilla ver. canonizatio, num. 2. Suarez cit. s. 2. §. at verò, Sanchez num 19. Addo tamen, si moraliter certum sit, esse alicuius sancti reliquias, licet incertum, cuiusnam in particulari, quia schedula v. g. amissa est; posse eos tam publicè, quàm priuatim coli, sicuti ex praxi Ecclesiarum constat. Præterea, stante dubio, vtrum sint reliquiæ alicuius Sancti canonizati non sunt contemnendæ, aut in ignem v. g. abiiciendæ: sed loco decente asseruandæ; non permixtæ, aut ad venerationem expositæ cum aliis Sanctorum reliquiis. Ita

Doctores citati. Ratio est clara: Quia ex vna parte, si sint veræ reliquiæ, periculum est sacrilegii, si tanquam profanæ abiiciantur: ex altera verò parte, si non sint sancti alicuius reliquiæ, periculū est superstitionis: quare vtrumque, quatenus fieri potest, vitari debet.

17 QVÆSTIO QVINTA. Quæ sint concessa, aut prohibita circa vsum sacrarum reliquiarum? Respondeo, & dico I. Si Sanctorum corpora perpetuæ sepulturæ tradita sunt, non possunt erui, & transferri, sine licentia Sum. Pontificis, vel Episcopi, aut sanctæ Synodi excepta necessitate v. g. incendii. Ita habetur in c. corpora, de consec. d. 1. & docet S. Anton. 3. p. tit. 12. cap. 8. ante §. 1. Angelus ver. reliquiæ, §. 1. Syl. q. 3. Sanch. n. 25. Si autem perpetuæ sepulturæ traditæ non sunt, nihil obstat eas transferri ad alium locum religiosum, non petitâ licentiâ Prælati, sicuti iidem Doctores notant, & constat ex praxi Ecclesiæ; & docent S. Anton. & Syl. locis cit. Armilla ver. reliquiæ, n. 3. arg. l. 1. & l. nec dum, C. de religiosis, & sumptibus funerum. Furtiuè autem reliquias subtrahere, inuito Prælato, iisque qui reliquiarum istam administrationem habent, haud dubiè est furtum sacrilegum: cùm sit ablatio rei sacræ, ait S. Anton. l. c. idémque docet Azor q. 9. Philiarchus cit. c. 9. §. 4. Sanchez n. 23. qui admonet, ad cognoscendum, vtrum paruitas materiæ excuset furtum sacrilegum reliquiarum à mortali, spectandum esse non solam rei ablatæ quantitatem, sed potiùs earum dignitatem, & æstimationem moralem.

Dico II. Extrauagans Bonif. VIII. de sepult. quæ incipit *detestandæ*, in qua ipso facto excommunicantur *exenterantes corpora defunctorum, aut ea immaniter decoquentes, vt ossa à carnibus separata in aliam terram auehant*, nihil ad reliquias Sanctorum pertinet: quippe quorum corpora sepulturæ tradita sunt, & postea absumptorum ossa eleuata, ad debitum cultum ac venerationem. De dicta autem extrauagante videri potest Caiet. in sum. ver. excommunicatio, cap. 70. Nauar. in man. cap. 27. num. 105.

Dico III. Non est prohibitum seu Clericis, seu laicis, sacras reliquias cum reuerentia tangere, aut decenter inclusas deuotionis gratia secum habere, vel è collo gestare, sicut docent S. Thom. 2.2. q. 96. a. 4. ad 3. S. Anton. cit. c. 8. ante §. 1. Syl. ver. reliquiæ, q. 4. Nau. c. 11. n. 35. Azor. cit. lib. 9. c. 8. q. 6. vbi ait; Non idcirco talem grauius peccare, si reliquias deferendo peieret, mentiatur, furetur, alteri detrahat, in quempiam maledicta coniiciat, aut quid simile peccet, quia non directè cultui reliquiarum aduersatur. Quin imò, neque fornicari cum reliquiarum gestatione, continere circumstantiam mortaliter malam, & necessariò confitendam, sed tantum aliqualem seu venialem irreuerentiam contra Religionis virtutem, ait Sanchez cit. c. 40. n. 28. 18

Dico IV. Illud seuerissimè prohibitum est in c. 2. de reliq. & venerat. SS. & in decret. Concil. Trident. cit. sess. 25. Ne sacræ reliquiæ, venales, seu ad turpem quæstum exponantur. Est enim hæc apertissima simonia, vt omnes fatentur: præterquam si reliquiæ sacræ sint apud infideles, aut hæreticos, tunc licet eas non vt rem sacram emere, sed earum quasi vexationem, seu indignam tractationem, aut iniustam possessionem redimere, vt docent Philiarchus loco suprà cit. Sanchez n. 22. 19

Dico V. Id quoque prohibitum reperitur in cit. c. 2. Vt reliquiæ Sanctorum in ecclesiis populo extra capsam non ostendantur, ad seruandam maiorem earum reuerentiam. Videri potest Abb. ibid.

TRACTATVS OCTAVVS.

DE

OBSERVATIONE IEIVNIORVM.

CAP. I.

QVID SIT ECCLESIASTICVM ieiunium.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium aliud est naturæ, aliud virtutis, aliud Ecclesiasticum.*
2 *Ad ieiunium Ecclesiasticum tria requiruntur, ciborum delectus, abstinentia ab altera refectione, certum refectionis tempus.*
3 *Comestio ouorum, & lacticiniorum in sola Quadragesima, non item aliis ieiuniorum diebus prohibetur, spectato communi iure.*
4 *Olim in Quadragesima, præsertim in hebdomade sancta, strictior abstinentia seruabatur, quam nunc in more sit.*
5 *Pinguedo lardi, in locis, quibus ouis, & butyro vesci licet, non tam seuerè diebus ieiuniorum prohibetur, sicuti caro.*
6 *Refectio vnica in die ieiunii moraliter continuata esse debet: potest tamen ob causam interrumpi, ac diuidi.*
7 *Vini potio cum pauxillo panis; item confecta, si per modum medicinæ sumantur, ieiunium non violant.*
8 *Tempus cœnandi diebus ieiuniorum olim erat vespera, vel hora nona: nunc verò anticipatum est.*
9 *Collatiuncula nocturna, per consuetudinem introducta, est modica sumptio ciborum leuiorum, puta fructuum, herbarum &c. iuncto pane.*
Iusculum, aut placentas in nocturna ieiunii cœnula comedere, non videtur licitum esse.
Quantitas cœnulæ secundùm personarum, & regionum constitutionem metienda est.
10 *Non licet collatiunculam circa meridiem accipere, cœna in noctem translata, nisi causa aliqua postulet.*
11 *Qui refectionem seu cœnam multùm sine causa anticipat, venialiter tantum peccat: sed olim talis anticipatio grauius prohibita erat.*
12 *Quoties aliquis in die ieiunii carnes comedit, toties mortaliter peccat.*
13 *Qui ieiunium altera plena refectione violauit, eo die solutus est.*
14 *Qui manè ientaculum sumpsit, debet eo die, quatenus potest, ieiunare.*



IEIVNII voce abstinentiam significari certum est. Est autem aliud ieiunium impropriè ac metaphoricè dictum, de quo S. Aug. tr. 17. in Ioan. & refertur d. 5. de consecrat. *Ieiunium magnum, & generale est abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi: quod est perpetuum ieiuniū.* Quin & Dominus apud Isaiam c. 18. *Nonne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, Aliud verò est ieiuniū propriè dictum, videl. abstinentia à cibo, ac potu. Idque variè distingui solet, vt videre est apud Abb. in c. ex parte, n. 2. de celebrat. Missar. Richar. in 4. distinct. 15. a. 3. q. 2. Medin. Cod. de ieiunio, q. 1. Valentia t. 3. disp. 9. q. 2. p. 1. Nam aliud est *ieiunium naturæ*, abstinentia ab omni tū cibo, tū potu in stomachū transmisso. quale ieiuniū à tē- 1

pore

pore mediæ noctis requiritur ad dignam sumptionem sacræ Eucharistiæ, vti dicam lib. 5. tract. 6. cap. 6. quæstion. 6. sciendo secundo. Aliud ieiunium *virtutis*, seu *morale*, parsimonia cibi, & potus, secundum regulam prudentiæ in illis mediocritatem sectantis, sicuti recta ratio dictat, vt dixi lib. præcedenti, sect. 2. & 4. Aliud dici potest ieiunium *liberum*, quod aliquis secundùm rectam rationem, & ex motiuo alicuius virtutis suscipit, sine præcepti obligatione: cuiusmodi modus ieiunandi, seu abstinendi à delectationibus cibi, & potus varius esse potest. De qua varietate videri possunt S. Irenæus apud Eusebium, lib. 5. cap. 24. Philo in libro de vita Theorica, S. Augustin. epistola 118. ad Ianuar. Epiph. in compendiaria doctrina, & alii apud Marcellum Francolinum de horis canonicis, cap. 38. Aliud denique est ieiunium Ecclesiasticum, quod secundum formam ab Ecclesia præscriptam instituitur, & definiri solet apud Abbatem & alios Canonistas in rubric. de obseruat. ieiunii Azor tom. 1. lib. 7. cap. 8. quæstion. 1 ex Goffredo: *Abstinentia à carnibus &c. & prandij, ac post cœnam cuiuslibet cibi subtractio, vsque in diem sequentem.*

2 Quare tria omnino ad Ecclesiasticum ieiunium (de quo solo nobis sermo erit) requiruntur, sicuti ex communi docent Richard. cit. a. 3. quæst. 7. Caietan. in sum. ver. ieiunium, Syl. n. 9. Azor cit. c. 8. q. 3. Bellarm. de bonis operibus in particulari, lib. 2. c. 1. Less. lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 8. I. Ciborũ delectus, seu abstinentia à carnibus &c. II. Abstinentia ab altera refectione. III. Certum refectionis tempus, vt videlicet non prandium, sed cœna sit.

Quod ad primum horum attinet; Ad ieiunia Christianorum, Ecclesiastica consuetudine ac traditione pertinere à carnibus abstinentiam, testes sunt Clemens Roman. lib. 5. constit. cap. 17. Philo apud Eusebium lib. 2. cap. 16. Hieronym. de viris illustribus in Philone, Origenes lib. 3. in Iob, Cyrillus Hierosolym. cath. 4. Epiphan. in compendiaria doctrina, Theophilus Alexandrin epist. 2. ad Episcopos Ægypti, tom 1. Biblioth. Patrum, S. Basil. hom. 1. de ieiunio, S. August. lib. 30. contra Faustum, c. 5. & serm. 65. de tempore, S. Chrysostomus hom. 2. in Genes. S. Fulgentius apud S. Aug. de fide ad Petrum; cap. 4. Theodoretus in Epitome diuinorum decretorum, cap. de abstinentia, Isidorus Hispalensis lib. 1. de Ecclesi. officiis, cap. vlt. Concil. Tolet. 8. cap. 9. Quare hæc à carnibus abstinentia, omnibus ieiuniorum diebus vbique in Ecclesia obseruatur.

3 Addit verò Gregor. I. in capitulo ad Augustinum Anglorum Episcopum, quod refertur d. 4. c. 6. *Par esse, vt quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, lacte videlicet, caseo, & ouis.* Quam ipsam abstinentiam, in diebus Quadragesimæ tum clericis, tum laicis seuerè præcepit Trullana Synodus canone 56. Nam vt S. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. vltim. ad 3. Richard. distinct. 15. art. 3. quæst. 5. Caietan. ver. ieiunium, in princip. aliique communiter obseruarunt, specialiter in Quadragesima, non etiam in aliis ieiuniorum diebus, comestio eorum, quæ ex carne originem ducunt, ab Ecclesia interdicitur. Quanquam vt idem S. Thom. lo. cit. & Abb. in rubr. de obseruat. ieiunii, num. 5. Nau. c. 21. num. 13. Less. lib. 4. c. 2. dub. 2. num. 8. annotarunt, non eadem in his consuetudo Ecclesiarum obtinet: nam in quibusdã Ecclesiis esus ouorum, & lacticiniorũ omnibus ieiuniorum diebus æqualiter prohibetur; in quibusdam verò permittitur etiam in Quadragesima; sicuti in his Germaniæ prouinciis. Sed discrimen illud, vt dixi, quod esus carium omnibus diebus ieiuniorum & abstinentiæ; ouorum verò, & lacticiniorum in sola Quadragesima prohibeatur, est secundum legem communem Ecclesiæ; ideóque in nouiter ad Euangelium Christi conuersis nationibus introducendũ, sicuti Nau. notat, & Tolet. lib. 6. c. 2. n. 1. §. Prima est.

Olim etiam diebus ieiuniorum, præsertim Quadragesimæ, à vino abstinere soliti sunt Christiani, sicuti videre est apud Clementem, Origenem, Basilium, Cyrillum Hierosolymitanum, Theodoretum supra citatis locis. Quin imò sex diebus hebdomadæ sanctæ populus Christianus cibis tantum aridis; pane videlicet, sale, aqua, & oleribus, atque aqua in potum victitabat; sicuti testatur Clemens cit. lib. 5. c. 17. Epiphan. hæres. 75. & in compendiaria doctrina, seu epilogo libri aduersus hæreses. Duobus verò vltimis diebus, Parasceue videl. & Sabbatho, omnino ieiuni perseuerabant, teste Clem cit. cap 17. Alcuino de offic. diuinis, cap. de Cœna Domini. Quæ licet hodie quoque spontanea cuiusque voluntate fieri possint; nulla tamen lex Ecclesiastica id præcipit. Etenim pro temporum, & locorum varietate varias ieiuniorum leges existere, quas quisque fidelium sine vllo periculo sequi possit, imò & debeat, sicut in Ecclesia sua obseruari videt, notarunt S. Hieron. epist. 28. ad Lucinium, S. August. epist. 86. ad Casulanum, Isidorus Hispal. lib. 1. de officiis Ecclesiast. c. 39. S. Th. cit. q. 147. a. vlt. in fine. 4

Occurrit autem quæstio hoc loco; An diebus ieiuniorum, quibus vel communi lege, vel loci consuetudine, aut speciali priuilegio licitum est comedere oua, & butyrum, liceat quoque vesci lardo porcino, vel anserum pinguedine? Ita affirmant Gl. in c. admonere, 33. q. 2. ver. carnem, & altera Gl. in c. Presbyter, d. 82. Hostiensis in sum. de obseruat. ieiunii, Abb. c. consuluit, n. 2. de Iudæis. Syluest. ver. ieiunium, q. 5. n. 16. vbi hanc regulam tradunt: *Cui conceditur vsus ouorum, casei, &c. intelligitur etiam concessus vsus saginis seu lardi.* Nam talis pinguedo re vera non est caro; licet ex carne originem trahat, perinde ac oua, butyrum, caseus. Quam sententiam refert, & non improbat Azor lib. 7. cap. 10. q. vlt. 5

Verùm aduerto, licet dicta sententia speculatiuè probabilis videri possit; consuetudinem tamen consentientibus Prælatis introductam, ideóque pro lege tenendam (sicuti S. August. ait in cit. epist. 86.) nostris regionibus in diebus ieiuniorum, & abstinẽtiæ permittere quidem vsum ouorum, lactis, casei, ac butyri; non ita verò lardi, & saginis. Accedit, quòd periculum sit, si hominibus talis licentia fiat vescendi lardo in diebus ieiuniorum, ne eam ad similia, v. g. farcimina, iusculum ex carnibus, paulatim extendant non sine graui scandalo, & ieiunii Ecclesiastici detrimento. Vide Vualdum in cap. aurea, c. 15. vbi de Quadrages. ieiunio, num. 37.

Nihilominus sententia illa Doctorum ad tria Confessario in his regionibus inseruire poterit: I. Vt pauperibus talem licentiam facilius concedat, ob paupertatis causam II. Vt etiam ditiores, propter vsum saginis seu lardi in cibis condiendis, non facilè mortalis peccati condemnet; ne si nihilominus postea vescantur, grauius peccent propter conscientiam. Nam etsi consuetudo apud nos non ita vsum saginis, sicuti ouorum, casei, aut butyri permittat; est tamen etiam persuasio, minorem esse prohibitionem, quàm sit ipsius carnis: vt proinde in his regionibus, quibus esus ouorum, & butyri concessus est, propter æquiparationem atque similitudinem, esus saginis videri possit non ita grauis ac sufficiens ad peccatum mortale. III. Quòd ancillis, quæ iussu herarum lardum porcinum, aut anserum pinguedinem diebus ieiuniorum loco butyri adhibent, si imperium detrectare nequeant, facilè permittere possit, vt & coquant, & comedant.

Alterum ieiunii Ecclesiastici requisitum erat, vnica seu non repetita corporis refectio. Vbi aliqua notan-

da sunt: Primùm ex Tolet. lib. 6. cap. 2. n. 6. In vnica illa refectione aliquantulùm plus cibi sine scelere accipi potest, quam ordinariè sumitur; tamen intra temperantiæ limites: quos si excedas comedendo, aut bibendo; peccas contra naturę legem, licet non contra legem Ecclesiastici ieiunii, sicuti docent Innoc. in rubr. de obseruat. ieiunii, Medina C. de ieiunio, qu. 11. §. sequitur etiam, Less. cit. c. 2. dub. 2. Angles de ieiun. q. 9. a. 1. diffic. 3. & a. 2. diffic. 1. contra Alensem in 4. q. 104. mem. 1. a. 2. rectè tamen admonet S. Th. q. 147. a. 6. ad 2. in tali casu amitti meritum ieiunii, vel ex toto si intemperantia mortalis sit, v. g. per ebrietatem; vel ex parte, si venialis excessus sit, v.g. per immoderatam comestionem.

Alterum. Refectio debet esse moraliter continuata; alioquin vnica non erit, sed repetita. Si tamen à cœna nondum finita discedere cogaris, confecto negotio, reuerti potes; eamque perficere, sicuti notat Caiet. ver. ieiunium, §. accidit tamen, Azor lib. 7. c. 9. q. 1. Valentia disput. 9. q. 2. p. 3. Less. cit. dub. 2. n. 11. Censetur enim moraliter vna refectio propter intentionem; consideratis etiam circumstantiis negotii, temporis, loci, sicuti Azor ibidem notat. Quod si aliquis sufficienter refectus à cœna surrexit, animo non reuertendi, non potest deinde iterum accumbere, & comedere, post interpositum temporis interuallum; sicuti rectè notauit Nau. c. 21. n. 14. & Valentia l. c. Licet contrarium doceat Less. ante n. 12. posse talem; postea *mutata intentione redire ad conuiuas; à quibus recesserat; quia prandium adhuc durat*: Et est probabilis hæc sententia Lessii sed cōtraria magis placet: quia in hoc casu repetitio comestionis non fit per accidens, sed ex intentione: adeóque respectu huius hominis non vna moraliter, sed plures comestiones sunt.

Tertium. Similiter excusantur lectores, & ministri mensæ in Monasteriis, si aliquid priùs accipiant: tum quia id faciunt vt viribus non debilitatis, officium præstare possint, vti notauit Azor cit. quæst. 1. Valenț cit. p. 3. Nauar. num. 13. & ipse S. Benedictus in regula, cap. 38. tum quia illud est inchoatio quædam cœnæ, quæ postea iustam ob causam ab eis interrumpitur, vti Caiet. & Less. notarunt.

7 Quartum. Non violat ieiunium, qui extra consuetam corporis refectionem bibit, etiam vinum, aut cereuisiam: Id enim consuetudo à tempore immemoriali permittit, sicuti docent Innoc. in rubr. de obseruat. ieiunii Abb. c. ex parte n. 2. de celebr. Missarum. Richard. cit. d. 15. a. 3. q. 7. Nau. c. 21. n. 13. Medina C. de ieiun. q. 11. §. sequitur amplius, Viualdus in append. aurea, vbi de Quadrag. ieiun. n. 45. Azor c. 10. q. 7. Licet olim non tanta licentia fuisse videatur: quamobrem Alex. Halensis in 4. q. 104. mem. 1. a. 3. dixit vini potionem, præsertim ante prandium, ieiunium violare. Idémque sentiunt Richard. l. cit. S. Anton. p. 2. tit. 6. cap. 2. §. 9. Rosella ver. ieiunium, num. 5. saltem si absque iusta causa vinum bibatur, causa nutritionis, in ieiunii fraudem.

Sed contrarium docet S. Th. 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. Palud. in 4. d. 15. quæstion. 4. art. 4. prope finem Nau. cit. n. 13. Angles de ieiunio, quæst. 9. art. 2. diffic. 2. & alii communiter: Quia, vti S. Thom. ibid. aduertit, Ecclesia nunc in diebus ieiuniorum non prohibet potum: quandoquidem is per se, ac principaliter non tendit ad corpus nutriendum; sed ad sitim sedandam, & cibi concoctionem adiuuandam: quamuis vinum, & cereuisia per accidens aliquantulùm nutriant. Quamobrem si aliquis vinum, vel cereuisiam bibat gratia famis sedandæ, non agit contra Ecclesiæ præceptum, licet aliquo modo contra finem præcepti; prætérquam, quod si potu immoderato vtatur, contra temperantiam peccet, & ieiunii meritum perdat, vt suprà dictum. Cæterùm si iusculum, lac, vel similis potio sumatur, quæ ad nutriendum principaliter refertur, ieiunium haud dubiè violatur, sicuti Palud. l. c. & Azor. q. 7. §. sciendum, obseruârunt.

Quintum. Idem sentiendum de electuariis, seu confectis, ieiunium talibus non violari; cum principaliter non accipiantur vt alimenta, sed vt medicamenta, sicuti docet S. Thom. cit. a. 6. ad 3. Palud. & S. Anton. ll. cc. Abb. cit. c. ex parte, n. 2. Angles cit. a. 1. diffic. 3. Medina cit. quæst. 11. §. sequitur etiam, Less. cit. c. 2. n. 10. contra Alensem cit. q. 104. mem. 1. a. 4. Sed bene excipit S. Thom. Nisi magna quantitate sumantur, per modum cibi potius, quam medicinæ. His adde, eadem ratione colligi cum extra tempus refectionis bibitur licitum esse pauxillum panis adiicere, ne potus noceat; quia & id medicinæ magis rationem habet, licet per accidens nutriat, sicuti notauit Medina cit. loco, Sa ver. ieiuniũ, n. 8. Viualdus n. 43. Vide etiam Bellarm. lib. 2. de bonis operibus in particulari, c. 1. vbi apte distinguit inter cibum, potum, & medicamentum; aitque Ecclesiasticum ieiunium esse abstinentiam solius cibi, id est eorum quæ per se ac principaliter referuntur ad corpus alendum; siue ea comedendo, siue bibendo, aut sorbitiendo capiantur.

Tertium ieiunii Ecclesiastici requisitum in eo consistit, vt refectio illa vnica non sit prandium, sed cœna; maximè, si ad antiquum Ecclesiæ morem attendamus. 8
Nam Patres passim & Doctores antiqui ieiunium per prandii subtractionem describunt: non ieiunantes autem prandere inquiunt, sicuti videre est apud S. Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. S. Hieron. epist. ad Eustochium de custodia virgin. vbi addit; *A Pascha in Pentecosten cœnæ mutantur in prandia*. S. Augustin cit. epist. 86. ad Casulanum. S. Greg. hom. 36. in Euang. Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 42. & refertur c. post Pascha, d. 76. idemque notârunt Durandus in rationali, lib. 6. c. 7. prope finem, Bellarm. cit. lib. 2. cap. 2. Marcel. Francolinus de horis can. c. 35. n. 11. & c. 36. n. 1.

Nam olim hora diei nona, id est, tertia post meridiem, tempus ordinarium erat ieiunii soluendi, vti constat ex S. Athanas. in lib de virginit. S. August. epist. 118. cap. vlt. ad Ianuar. Epiph. in epilogo lib. aduersus hæreses, Cassiano collat. 21. cap. 23. S. Thom. q. 147. a. 7. in corp. In Quadragesima verò diutius ieiunandum erat, videlicet vsque ad vesperam, sicuti colligitur ex S. Basil. orat. 1. de ieiunio, S. Hieron. cit. epist. ad Eustochium, S. Benedicto cap. 41. regulæ suæ, Concil. Cabilonensi, quod refert Gratianus c. solent, de consecrat. d. 1. Iuone p. 4. decreti, cap. 45. & in Panormia lib. 2. cap. 148. & expressè docet Micrologus de Ecclesiasticis obseruat. cap. 49. *In hoc Quadragesimale ieiunium ab aliis differt, quod in aliis post nonam, in hoc post vesperam reficere debemus. Nec iuxta canones quadragesimaliter ieiunare censemur, si ante vesperam reficimur.* Idémque testatur S. Bern. serm. 3. de Quadrages. *Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli* (nos Monachi &c.) *nunc vsque ad vesperam ieiunabunt pariter vniuersi Reges, ac Principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper*. Quamobrem etiam Missa in Quadragesima ad horam diei nonam celebrari solita erat, sicuti ibidem testatur Micrologus, Marcel. Francolinus cap. 31. n. 1. & cap. 38. num. 1. & colligitur ex cit. c. solent. Post Missam verò & decantatum officium Nonæ; statim vespertinum officium adiungi poterat; eóque finito, cœnari, sicuti obseruauit Francolinus c. 34 num. 12. iuncto c. 19. n. 7. & 8.

Verùm cùm posterioribus seculis nostris homines, propter animi & corporis infirmitatem, tandiu in ieiunio non perseuerarent, anticipatum est communi Ecclesiarum consuetudine tempus tum canonici officii, tum etiam cœnandi, si tamen cœna, & non magis prandium

dici debeat, quod hodie etiam in Quadragesima circa meridiem, vel hora, aut apud quosdam sesqui hora ante meridiem instituitur, sicuti testatur Azor cit. libr 7. ca. 11. q. 3. Less. cit. dub. 2. n. 13. in fine. Eadémque, vt arbitror, occasione, quia fideles, si post tam maturam diei refectionem nihil amplius cibi sumerent, difficilè noctu somnum capere possent; per consuetudinem introducta fuit nocturna cœnula, seu collatiuncula etiam alendi causâ sumpta: quæ cum nullo iure scripto, sed sola, vt dixi, consuetudine nitatur, ab eadem quoque regulari ac definiri debet, tam secundum qualitatem, quàm quantitatem sumendorum; sicuti rectè notauit Abb. in rubr. de obseruat. ieiunii, col. 2.

Qualitatem cibi in collatione sumendi, aiunt Docto-
9 res communiter, esse fructus, aut herbas, adiuncto etiam pane, sicuti videre est apud Nauar. cap. 21. n. 13. Tol. lib. 6. c. 2. n. 5. Armillam ver. ieiunium, n. 1. Angles de ieiunio, q. 9. a. 2. difficult. 4. Azor lib. 7. c. 8. q. 7. vbi ait, *communi vsu receptum esse, vt parum panis etiam edatur, vel seorsim, vel vna cum fructibus, herbis, vel aliis cibis leuioribus, cuiusmodi sunt ficus, vua passa, nuces, pira, poma, vel ex sacchare aut melle confecta, vel pisciculus paruulus.* Puto autem loqui de pisciculo paruo, qui fumo siccatus, vel aceto maceratus sit, qualis etiam inter leuiores cibos numerari solet, vti colligitur ex c. Presbyter, d. 82. & c. 2. de homic. & notauit Durandus cit. c. 7. in fine. Nam postea quæst. 8. idem Azor ait, *corruptelam esse, si ii cibi sumantur, qui potissimum ad nutriendum valent, qualia sunt legumina, & pisces.* Iusculum verò ex pane & herbis idem Auctor permittit, q. 8. Si enim licitum est (aiunt aliqui) die ieiunii aquam, aut vinum bibere; herbas, aut fructus, &, secundum morem regionis, parum butyri edere? cur non ea etiam commiscere, & igne calefacere liceat? cùm nihil referat, calidum ne, an frigidum sit, quod sumitur. Idémque argumentum fieri potest de placentis nostris, si modico butyro frixæ sint. Hæc non sine aliqua probabilitate dici videntur. Sed mihi non placent: Tum quia cœnula à consuetudine Ecclesiarum, per quam introducta est, modum & mensuram accipere debet. Non est autem consuetudine receptum, vt coctum iusculum, aut frixæ placentæ ad cœnulam passim adhibeantur. Tum quia negari non potest, quin ignis concoctio plurimum mutet materiam subiectam, vt alium ex ea cibum faciat, nutritioni magis inseruientem. Interim tamen mortale peccatum non est, si talia comedantur in quantitate modica: imò nullum peccatum erit, si causa aliqua subsit, v. g. stomachi infirmitas, cui calido iusculo subuenitur. Lactucas verò, cùm aceto & oleo mixtas loco fructuum comedere in collatiûcula, prohibitum non est, cùm in illis nulla coctio accidat. Et nihil etiam referre videtur, etsi herbæ priùs aquâ elixatæ fuerint, ad cruditates earum tollendas: cùm sola elixatio, si nihil aliud condimenti adhibeatur, cibi substantiam non immutet.

Id porrò non satis intelligo, quid Caiet. velit ver. ieiunium, in fine cap. 1. inquiens; *Non referre, quid quisque in serotino ientaculo sumat, si modum non excedat.* Si enim de omnibus cibis vniuersim loquitur, profectò & consuetudini Ecclesiarum, & aliorum Doctorum, fideliúmque persuasioni contradicit. Sed arbitror, solùm intellexisse de pane & fructibus, nihil referre, quid quisque ex his sumat in quantitate modica. Illud tamen addo, in septentrionalibus regionibus, vbi fructuum inopia est, multos etiam modico caseo cum pane vesci in cœnula ieiunii: quod propter consuetudinem reprehendi non potest.

Quod attinet ad quantitatem, id vniuersim dici potest, oportere esse modicam, ne cœnula in cœnam transeat: speciatim verò attendenda est tum regionum, tum personarum diuersitas. Nam regionum aliæ aliis frigidiores sunt; inter personas verò aliæ aliis maiore cibo, seu propter labores, seu propter corporis constitutionem, indigent; sicuti notauit Azor supra cit. q. 7. & Valerius Reginaldus in praxi sua, t. 2. lib. 4. n. 185. qui non improbabiliter talem regulam tradit; tunc demum excessum fieri nocturnæ cœnulæ, quando id, quod sumitur, notabiliter maius est quarta parte eius quantitatis, quæ ad integram cœnam sufficeret, nisi causa aliqua excuset. cuiusmodi est v. g. corporis teneritudo, vel assuefactio: qua ratione interdum personis nobilioribus plus permitti potest: vel occupatio diuturna: qua ratione assiduis literarum studiosis plus conceditur.

Dubitant vero Doctores; Vtrum licitum etiam sit 10
collatiunculam circa meridiem capere, cænâ in noctem, seu vesperam dilata? Ita affirmat Angles in flor. de ieiunio, q. 9. a. 2. diffic. 5. & probabile censet Azor cit. c. 8. q. 6. & cum eo Valerius Reginaldus cit. lib. 4. n 186. Sed contraria sententia communis, & vera est Caiet. ver. ieiunium cap. 1. prope finem; Nau. c. 21. n. 14. Llamas p. 3. meth. cap. 5. §. 15. Tol. cit. c. 2. n. 9. Less. cit. dub. 2. n. 12. esse id peccatum saltem veniale, si sine iusta causa fiat. Quia consuetudo collatiunculæ, cùm sit contra ius commune introducta, extendi non debet: extenderetur autem, si cuique liberum esset eam capere siue in meridie: siue ad vesperam, seu noctem. Valde etiam refert, in his vniformem Ecclesiæ morem retinere.

Alterum dubium est; Vtrum sit peccatum mortale, refectionem siue prandium in die ieiunii multum anticipare sine causa, v. g. tribus horis ante meridiem refici? Ita affirmant Couar. 4. resol. c. 20. n. 14. in fine; Vitualdus in appendice aurea, de ieiunio Quadrages. n. 55. Nau. c. 21. n. 27. Qui enim ieiunium Ecclesiasticû violat, is mortaliter peccat: Sed notabili refectionis anticipatione violatur ieiunium Ecclesiasticum, sicuti expressè ait Microlog. cit. c. 49. Et Concil. Cabilonense in cit. c. solent, d. 1. de consecrat. & sequitur Palud in 4. d. 15. q. 4. a. 4. Ergo mortaliter peccatur.

Contrarium tamen sentiunt plerique alii, Innoc. in 11
rub. de obseruat. ieiun. Archidiaconus in c. vnum orarium, ver. ieiunantibus, d. 25. Angelus ver. ieiunium, §. 2. Tolet. lib. 6. c. 2. n. 9. Less. cit. dub. 2. n. 13. qui eam rationem reddit, quòd determinatio temporis, ante quod refectio sumi nôn debeat, sit tantum accidentalis circumstantia; cum cuius violatione substantia Ecclesiastici ieiunii consistere possit. Quanquam hoc fundamentum difficultate non caret: quandoquidem Doctores ferme omnes notant, ad formam seu substantiam ieiunii Ecclesiastici, non duo tantùm, vt Lessius ait, sed tria concurrere: Videlicet abstinentiam à carnibus, abstinentiam ab altera refectione; abstinentiam vsque ad horam definitam: quod vltimum à forma ieiunii non excluditur, quin potiùs per id finiri solet: *Subtractio prandij* &c. vti videre est apud Canonistas in rubr. de obseruat. ieiunii: & olim apud Christianos idem censebatur prandere, quod non ieiunare. Dicebant etiam ieiunium aliud esse vsque ad nonam, & aliud vsque ad vesperam; quasi *tota vis ieiunij consistat in prorogatione eius vsque ad horam tardiorem*, inquit. Caiet. ver. ieiunium, in princip. & sequitur Francol. c. 35. n. 11.

Quare omnino sum in hac sententia, olim fuisse peccatum mortale tempus refectionis notabiliter anticipando ieiunium soluere; siue cœnam in prandium mutare, sine causa. Veruntamen spectata hodiernæ Ecclesiæ consuetudine, per quam cæna in prandium, seu têpus, quo cômuniter homines prandere solent, translata est, non videtur tertiû illud requisitû ad substantiam ieiunii admodû pertinere; sed vel accidentariû esse, vel saltem secundariû: cuius prætermissio, adeóq; anticipatio temporis comedendi, censeri tantû debeat culpa venialis. quod etiam Richard. significauit in 4. d. 15. art. 3.

q. 8. Viualdus in cit. c. 15. de Quadrag. ieiun. n. 59. vbi rectè docet, quòd talis, qui sine iusta causa comedendi tempus anticipauit, de cætero ieiunare debet.

Tertium dubium; Vtrum toties peccetur mortaliter, quoties aliquis in die ieiunii carnes comedit? Qua in quæstione suppono, esse graue, & mortale peccatum in die interdicto carnibus vesci, sine legitima causa, sicuti constat ex canon. 68. Apostol. Synodo Trullana can. 56. Tolet. 8. can. 9. & communi fidelium persuasione. Quo posito, ad dubium respondetur affirmatiuè, cum Caiet. 2. 2. q. 147. a. 8. & in sum. ver. ieiunium, cap. 1. Nauar. c. 21. n. 14. vbi ait: *Quoties qui edit cibos vetitos, toties mortaliter peccat, secundum omnes.* Nam hæc est
12 mens Ecclesiæ in die ieiunii absolutè interdicere carnes, vt sensus prohibitionis sit; *Ne carnes comedantur*, id est, nunquam in die ieiunii comedantur. cuiusmodi negatio distributionem tribuit prædicato, more aliarum negatiuarum propositionum, seu præceptorum.

Quartum dubium; Vtrum simili ratione in die ieiunii plures refectiones prohibeantur, vt non tantùm altera vice; sed etiam tertia, quarta, vesci cibis alioquin non prohibitis peccatū sit? In qua quæstione iterū suppono ex communi Doctorum sententia apud Caiet. 2. 2. qu. 147. a. 3. Couar. 4. resol. c. 20. n. 10. Medinam q. 7. Azor lib. 7. c. 8. q. 2. Valentiam tom. 3. disput. 9. q. 2. p. 2. & 5. & Patrum testimoniis apud Bellarm. cit. lib. 2. c. 7. Esse mortale peccatum, ieiunium violare altera refectione, nisi causa aliqua excuset. Quod intelligo de plena seu sufficiente refectione: Nam si modicum cibi extra tempora sumas, propter leuitatem materiæ & violati ieiunii imperfectionem, venialiter tantùm peccabis: consequenter de cætero ieiunium seruare debes, quatenus potes; ne si sæpius ita comedas, materiam augeas, & mortaliter delinquas.

Quo posito, Circa quæstionem illam rectè aduertit Gabr. in 4. d. 16. q. 3. a. 3. dub. 5. Medina q. 5. eius resolutionem pendere ex mente Ecclesiæ. Vel enim potuit absolutè prohibuisse omnem aliam refectionem, præter vnicam; ita vt quoties aliquis extra eam reficitur, toties peccet contra præceptum negatiuum: Vel potuit prohibuisse iteratam refectionem limitatè, quatenus per eam violatur pars illa constitutiua ieiunii, vt semel tantum in die corpus reficiatur: quare si altera vice sufficienter refectus fuisti, iam forma ieiunii quo ad eam partem destructa est, vt nullam amplius obligationem ex lege Ecclesiæ habere possit: quamuis altera obligatio à carnibus abstinendi, quippe à priore obligatione diuidua permaneat.

Inter quas duas Ecclesiæ intentiones, priorem elegit
13 Medina cit. q. 5. Couar. 4. resol. c. 20 n. 13. cum Ioan. à Neapoli in quodlib. sed posteriorem alii communiter acceptant, Durandus in 4. d. 15. quæst. 11. n. 9. Palud. ead. d. q. 4. a. 5. Angelus ver. ieiunium, §. 22. Syluest. q. 8. dicto 4. Caiet. quæst. 147. a. vlt. & in sum. ver. ieiunium, in fine, Nauar. cap. 21. n. 14. Armilla ver. ieiunium, n. 14. Barth. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 10. quæ proinde sententia magis placet; cùm & benignior, & inter Doctores receptior sit.

Neque arbitror, hoc loco discrimen faciendum esse, vtrum aliquis scienter reficiendo se altera vice, ieiuniū soluerit voluntariè, iusta, vel iniusta de causa; an verò ignoranter, & inuoluntariè, quia nesciebat, aut non recordabatur esse diem ieiunii: quandoquidem etiam in hoc casu ieiunium re ipsa & materialiter violatum est vt seruari deinceps non possit, secundum formam & modum Ecclesiæ.

Similiter nihil interesse arbitror, vtrum aliquis manè ientaculum sumpserit in die ieiunii scienter, an dicto modo ignoranter: quia in vtroque casu quasi integram substantiam ieiunii, si cibos vetitos non comedit, seruare potest; consequenter etiam debet. Aut enim sumptum manè ientaculum fuit sufficiens corporis refectio; tunc intermisso prandio, contentus esse potest ves- 14 pertina collatione: Aut non fuit sufficiens illa refectio; tunc iustam causam habet vel circa meridiem iterum aliam moderatam refectionem sumendi, vel intermisso omnino prandio, noctu cœnandi, ientaculo illo matutino pro collatione reputato. Quæ est sententia Lessii lib. 4. c. 2. dub. 3. n. 18. & 19. contra Palud in cit. a. 5. Syl. cit. q. 8. dicto 2. Viualdum in appendice aurea, vbi de quadragesimali ieiunio, n. 6. qui aiunt, si aliquis nesciēs aut immemor esse diem ieiunii, manè ientaculum sumpserit, posse nihilominus deinde cum aliis prandere, perinde ac si nihil comedisset: propterea quòd ieiunium non voluntariè, ac formaliter violârit. Quæ sententia mihi non placet; quia talis neque formaliter, neque omnino materialiter ieiunium violauit, postea autem vtroque modo violabit, si, sumpto bono ientaculo, iterum deinde prandeat.

CAP. II.

QVIBVS TEMPORIBVS IEIVNIVM ab Ecclesia præceptum sit?

SVMMARIVM.

1 *Quadragesimæ ieiunium ab Apostolis institutum semper in Ecclesiis, quamuis variè, obseruatum fuit.*
2 *Sabbatho ieiunare Occidentalibus plerisque Ecclesiis vsitatum erat: Sed Orientales vt festum colebant, ideoque non ieiunabant.*
3 *Credibile est, olim in omnibus Ecclesiis bis in hebdomade ieiunatum fuisse; in Oriente Feria IV. & VI. In Occidente Feria VI. & Sabbatho.*
4 *Ieiunia Quatuor temporum antiquissimam institutionem habent.*
5 *A Paschate vsque ad Pentecosten ieiunia secundum antiquissimam traditionem cessant: attamen prohibitum non est, iis etiam diebus ieiunare.*
6 *Quadam priuilegia festiuitatum cum ieiunio celebrantur.*
7 *Statio, ieiunium, vigilia interdum promiscuè à Scriptoribus vsurpatur; licet re ipsa differant.*
8 *Abstinentia à carnibus in diebus Rogationum in consilio est, non præcepto.*
9 *Dominico die ieiunare hodie prohibitum non est, per se loquendo.*

ANTIQVISSIMVM, & apud omnes Patres, & Scri- 1 ptores Ecclesiasticos maximè testatum est ieiunium Quadragesimæ, quod teste S. Hieron. epist. 54. ad Marcellam aduersus Montanum, Epiph. hær. 75. S. Leone I. serm. 6. de Quadrag. Rabano lib. 2. de instit. Clericorum cap. 20. ab Apostolis institutum est, ad exemplum Christi (vti clarè docet S. Ignatius in epist. ad Philipens.) Moysis quoque, & Eliæ 40. dies ieiunantium, vti significat S. Hieron. in c. 3. Ionæ, & S. Aug. in Psalm. 110. *Præcipitur nobis* Quadragesimale ieiunium *& ex lege & ex Prophetis, & ex ipso Euangelio.* Vide Azor t. 1. lib. 7. c. 12. Bellarm. cit. lib. 2. c. 7. & 16. Couar. 4. resol. c. 20. n. 4.

Sciendum autem est, olim ante Gregorium I. ieiunium Quadragesimæ inchoatum fuisse à prima Dominica Quadragesimæ, sicuti testatur S. Ambros. serm. 34. qui est de Quadragesima, Cassianus collat. 21 cap. 24. 27. 28. Alcuinus lib. de diuinis officiis, cap. de Quadragesima. Qui dies vsque ad Pascha, connumeratis etiam Dominicis, sunt quadraginta duo, sicuti notauit S. Ambros. vel si alius auctor est, sermon. 23. S. Gregorius hom. 16. in Euangelia, Cassianus collat. 21. cap. 27. Verùm cùm quibusdam Ecclesiis Feria V. hebdomadæ sanctæ, post Synaxin populi, ieiunium solui soleret, quadraginta omnino dies vsque ad Cœnam Domini numerabantur, sicuti testatur Micrologus c. 50. & Ordo Romanus c. de Septuagesima.

Feria autem sexta, & septima eiusdem sanctæ hebdomadæ ieiunium resumebatur quidem, sed secundum consuetudinem totius anni. Eapropter Telesphorus Papa Clericis præcepit, vt pro sex Dominicis, quibus non ieiunabatur, septimam hebdomadam adiicerent, ieiuniúmque inchoarent à feria secunda post Quinquagesimam, atque quadraginta dierum integrum ieiunium, vsque ad Cœnam Domini complerent, sicuti testatur S. Ambros. in c. Quadragesima, d. 4. Ordo Romanus cap. de Septuagesima. Postea verò in Concilio Laodiceno can. 50. sublatus est ille mos soluendi ieiunium in Cœna domini: *Non oportet in Quadragesima quinta Feria vltimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam Quadragesimam inhonorari*: refertur in c. non oportet, d. 3. de consecrat. & plura congerit Couar. lo. cit.

Alij verò Patres, & scriptores antiqui (prætermissis diebus Dominicis, quippe in quibus non nisi semiplenum ieiunium, seu sola à carnibus &c. abstinentia seruatur) triginta sex duntaxat dies ieiunii in Quadragesima numerârunt, vt Alcuinus cit. c. de Quadragesima, Cassianus cit. cap. 27. & S. Greg. cit. homil. 16. *A Dominica Quadragesimæ vsque ad Pascha Domini sex hebdomadæ computantur, quarum dies 42. sunt. Ex quibus dum sex Dominicæ abstinentiæ subtrahuntur, non plusquam 36. dies remanent: dum enim per 365. dies annus ducitur, & nos per 36 dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus.* Loquuntur autem hi Patres de ieiunio quatenus id à Dominica Quadragesimæ more antiquo inchoatur. Enimuero, vt sacer numerus 40. ieiunii dierum, quem Dominus, & Saluator noster suo sacro ieiunio consecrauit, ab omnibus adimpleretur; quatuor dies proximè antecedentes Dominicam Quadragesimæ; adiecti fuerunt à Gregorio I. vel, vt alii malunt, à Gregorio II. De quo vide Gratianum in c. Quadragesima, d. 5. de consecrat. Bellarminus tamen lib. 2. de operibus in particulari c. 15. existimat, iam tempore Leonis I. quatuor diebus ante Quadragesimam ieiunari solitum fuisse, videlicet Feria II. IV. VI. & Sabbatho, sicuti colligitur ex serm. eius 4. de Quadragesima.

Vlterius cùm aliquanto tempore in Ecclesia Latina moris fuerit, vt feria V. hebdomadæ non ieiunaretur, propter Cœnæ Dominicæ solemnitatem, sicuti constat ex constitut. Melchiadis Papæ epist. ad Episc. Hispaniæ, in c. ieiunium, d. 3. de consecrat. ideo octaua hebdomas adiecta est ad 40. dies ieiunii complendos; dictáque est illa Dominica *Sexagesima*, postquam ieiunium statim inchoabatur. Quin & Orientales Ecclesiæ quæ Sabbatho, & Dominica die ieiunare non solebant eodem tempore quadragesimale ieiunium incipiebant, sicut indicat etiam S. Basil. hom. 1. de ieiunio. Postea verò nona hebdomada addita est, quæ Septuagesima dicitur: quia in Romana Ecclesia nouem continuis septimanis Catechumeni instituebantur ad Baptismum Sabbatho sancto suscipiendum. Qua de re Concil. Carthag. 4. sub Anastasio Papa, cap. 85. *Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini, & carnium, ac manus impositione crebra examinati, Baptismum percipiant.*

Orientales verò aliquæ Ecclesiæ, quæ non tantum Sabbatho, & Dominica, sed & feria quinta ieiunium intermiserunt, nouem hebdomadas ante Pascha ieiunio coluerunt, teste Alcuino c. de Septuagesima, ab eadem Dominica Septuagesimæ ieiunium inchoantes: siquidē nouē septimanæ dies 63. efficiunt, ex quibus si nouē dies Dominicas, & nouem Sabbatha, nouē item ferias quintas detraxeris, non ampliùs, quàm 36. dies quasi totius anni decimæ ad ieiunandum remanent, sicuti obseruauit Alcuinus l. c. S. Ambros. in serm. quodam apud Azor cit. lib. 7. cap. 15. Ex quibus denique colligitur ratio harum appellationum. Dicta enim est Quinquagesima quia Quadragesimam proximè antecedit; Sexagesima item, quæ est ante Quinquagesimam; Septuagesima denique, quæ est ante Sexagesimam, sicuti Ambrosius, & Alcuinus ibidem notârunt, & Beda in libello de officiis; licet alii apud Azor alias rationes afferant.

Circa Sabbathum primis statim seculis diuersa fuit consuetudo in Ecclesiis. Nam Orientales in Sabbatho excepto vnico hebdomadæ sanctæ, ieiunare non solebant; vti testatur Clemens Roman. lib. 5. Apostol. constit. in fine, S. Ignatius epist. ad Philipp. & canon. Apostol. 65. Quam consuetudinem Mediolanensis Ecclesia imitata fuit, sicuti colligitur ex S. Ambr. lib. de Elia, & ieiunio, cap. 16. *Quadragesima totis, præter Sabbathum & Dominicam, ieiunatur diebus.* Et testatur S. August. epist. 119. ad Ianuarium, & epist. 86. ad Casulanum. Ratio non ieiunandi Orientalibus in die Sabbathi duplex fuisse videtur: I. Ne Iudæi, qui Sabbathum vt festum celebrabant, à Fide Christianorum abhorrerent: quare etiam Socrates lib. 6. hist. c. 8. testatur, Græcos Sabbathi diem vt festum coluisse, quòd in illud inciderent primæ vesperæ diei Dominicæ. II. Vt hæretici refutarentur, qui Deum veteris testamenti tanquam mali auctorem damnantes, die septimo, quo Deus ab opere cessauit, non requiescendum & gaudendum, sed dolendum potiùs, ac ieiunandum dixerunt. quem errorem Marcionistis tribuit Epiphanius hær. 42. Et fuit quoque Manichæorum, atque Priscillianistarum error, sicuti videre est in Concil. Cæsaraugustano, can. 2. & refertur c. ne quis, d. 3. de consecrat. & Concil. Tolet. 1. in regula Fidei. Videri etiam potest Irenæus lib. 1. c. 20. de hæresibus.

Sanctus verò August. cit. epist. 86. sic inter alia scribit: *Exorta est ista in regia veste* (Ecclesiæ) *diuersitas; vt alij, sicut maximè populi Orientis, propter requiem significandam æternam, malint in Sabbatho relaxare ieiunium; alij propter humilitatem mortis Dominicæ ieiunare, sicut Romana; & nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.* Eundémque fuisse morem Gallicarum Ecclesiarum ieiunandi in Sabbatho, constat ex Concil. Aurelian. 4. cap. 2. Ecclesiarum item Hispanicarum, vti colligitur ex Concil. Eliberino, c. 26. Videri potest Innoc. I. epist. ad Decentium, relatus in c. Sabbatho, d. 3. de consecrat. vbi optimè contra Orientales argumentatur; Si lætitia Resurrectionis non vna tantum, sed omnibus diebus Dominicis celebratur; simili etiam ratione biduum antecedens, quo Apostolos in mœrore fuisse, atque ieiunasse dubium non est; non vna tantum hebdomade, sed per singulos hebdomadarum circulos memoria recolendum esse. Nihilominus Latini consuetudinem Græcorum in Sabbathis prandendi non damnant, sicuti S. August. ll. cc. notauit. & S. Hieron. epist. 28. ad Lucinium, *Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta Maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Vide de hac ipsa re Cassianum lib. 3. de instit. renuntiantium, c. 9. & 10.

Quapropter hinc etiam ista diuersitas orta fuit, quòd omnes quidem Ecclesiæ bis in hebdomade ieiunare solerent; sed non diebus eisdem. Nam aliæ, præsertim Orientales, IV. & VI. Feria ieiunabant: sicuti constat ex canon. 68. Apostol. Clem. Alexandr. lib. 7. stromatum, S. Hieron. super epist. ad Galat. c. 4. S. Apollonio apud Palladium, vti refertur in c. ieiunia, d. 3. de consecrat. *Ieiunia legitima in quarta, & sexta feria, non sunt soluenda, nisi grandis necessitas fuerit, quia feria quarta Iudas traditionem Domini cogitauit, & sexta feria crucifixus est Saluator.* Epiphan. verò hær. 75. & 80. ait: *Quarta, & prosabbatho ieiunium statutum est vsque ad horam nonam. Nam illucescente quarta assumptus est Dominus, & prosabbatho crucifixus.* Sed Romani, aliæque Ecclesiæ pleræque Occidentis Feria VI. & Sabbatho ieiunia coluerunt, vt suprà ex Innoc didicimus.

Quapropter placet mihi sententia Azorii citat. lib. 7. cap. 15. quæ ex allegatis testimoniis sufficienter colli-

gitur, in primitiua Ecclesia, & pluribus deinceps seculis, consuetudinem fuisse duobus in quauis hebdomade diebus perfectum ieiunium instituendi: quæ tamen postea, præsertim in Occidente, desijt, & pro ieiunio pleno seu perfecto, semiplenum siue portionale introductum fuit; videlicet sola à carnibus abstinentia, sicuti & nunc in Ecclesiis seruatur. Et quidem in die Veneris à carnibus abstinendum esse, tradit Nicol. I. in respons. 4. ad Bulgaros, & supponit Innoc. III. in c. vlt. de obseruat. ieiun. vbi excipit; Nisi festum Natalis Domini in feriam vi incidat; tunc enim ii, *qui nec voto, nec regulari obseruantia astricti sunt, propter festi excellentiam, carnibus vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ generalis: nec tamen reprehendendi sunt, qui ob deuotionem voluerint abstinere.* Eadémque de Sabbatho tradit Gregor. VII. cap. quia dies, d. 5. de consecr. Vt omnes Christiani eo die *ab esu carnium, nisi maiore festiuitate interueniente*, (videlicet natali Domini) *vel infirmitate impediente, abstineant.* In aliquibus tamen Galliæ partibus consuetudinem permittere carnium esum in die Sabbathi à natali Domini vsque ad Purificationem, testatur Palud. in 4. d. 15. q. 4. a. 4. Couar. 4. resol. cap. 20. n. 8. Et in Hispania intestina & extremitates pecorum in Sabbatho comedere concessum esse, dixi lib. 1. tract. 4. c. 11. n. 4.

4 Quod porro ad ieiunium Quatuor temporum attinet, ea partim ab Apostolis ipsis, partim non multò post Apostolorum tempora instituta fuerunt. Cùm enim secundum quatuor anni partes, quatuor ieiunia Ecclesia celebret; vernum in hebdomade prima Quadragesimæ; æstiuum in quarto mense, videlicet Iunio, vel postremo Maio; autumnale in septimo mense Septembri; hybernum in decimo mense, seu Decembri; Vltimum hoc decimi mensis ieiunium ab Apostolis institutum esse inde colligitur; quia eo duntaxat mense sacræ Ordinationes à tempore B. Petri, vsque ad Papam Simplicium fieri solebant, sicuti ex vitis Pontificum constat, & testatur Micrologus, c. 28. Apostoli autem ordinationes, nisi præmisso ieiunio non celebrabant, sicuti obseruauit Leo I. epist. 81. ad Dioscorum Alexandrinum, Amalar. lib. 2. de offic. Eccles. cap. 1. & colligitur ex Act. Apostol. cap. 13. *Ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*, Saulum, & Barnabam. Denique huius decimi mensis ieiunii à Christianis soliti celebrari mentio fieri videtur in Actis cap. 27. *Incipiebat periculosa esse nauigatio* (hyberna) *quia ieiunium iam præterierat.* Ita enim rectè hunc locum interpretatur Bellarm. lib. 2. de bonis operibus, cap. 19. quamuis S. Chrysostomus & Oecumenius malint intelligere de ieiunio solemni Hebræorum; & quidem autumnali seu septimi mensis, vti exponit ibi Gaspar Sanctius.

Æstiui ieiunii, quod post festum Pentecostes celebrari debet, mentionem facit Clemens lib. 5. constit. c. vlt. S. Athanas. in Apolog. de fuga sua, de eodem tanquam in Ecclesia Orientali vsitatissimo, loquitur. Et Leo I. serm. 2. de Pentecoste ait, *vt ieiuniū quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruatione celebremus.* Et serm. 8. de ieiunio septimi mensis seu autumnali testatur, *Apostolicis, & legalibus institutis electum &c. vt in mense septimo spiritualibus nos purificationibus* per ieiunium *purgemus.* Denique eiusdem meminit Nicolaus I. resp. 4. ad Bulgaros. Postea verò Callistus Papa circa Annum Domini 217. tribus ieiuniis iam antè institutis, quartum adiecit epist. 1. decret. & refertur d. 76. cap. 1. *Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus; vt sicut annus per quatuor voluitur tempora, sic & nos quaternum solemne agamus ieiunium, per quatuor anni tempora.* Et Leo I. sermon. 8. de ieiunio decimi mensis: *Ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste* (id est intra Octauam Pentecostes, sicuti idem Leo indicat sermone 1. de ieiunio Pentecostes) *autumnale in mense septimo, hiemale autem in decimo celebramus.* Vide etiam Ordinem Romanum cap. Inuitatio plebis, de ieiunio mensis primi, quarti, septimi, & decimi. Quapropter eisdem quoque quatuor temporibus sacræ Ordinationes post tempora Simplicii Papæ fieri solebant, sicuti testatur Papa Gelasius circa annum 494. epist. 1. c. 13. scribens: *Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus, exercere non audeant, id est, quarti mensis initio, septimi, & decimi, sed etiam quadragesimalis initii.*

Quæres I. Cur ieiunium intra Octauam Pentecostes celebretur, cùm tamen adhuc duret tempus exultationis & letitiæ: Respondeo; Antiquissimam traditionem esse, vt 50. diebus, qui sunt à Paschate ad Pentecostē, ieiunia cessent, sicuti constat ex Clemente Apost. constit. lib. 5. cap. vlt. Ambrosio serm. 61. sicuti refertur in cap. scire, dist. 76. *Per hos quinquaginta dies est iugis & continua festiuitas, vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succedamus.* Epiphan. quoque hæres. 80. *Per totum annum seruatur ieiunium in sancta Catholica Ecclesia quarta, & prosabbatho, vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste per totos 50. dies, in quibus nec genua flectuntur, nec ieiunium imperatum est.* Et Isidorus lib. 1. de Eccles. offic. cap. 42. *Post Pascha vsque ad Pentecosten licet traditio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandij relaxauerit; tamen si qui Monachorum, vel Clericorum ieiunare cupiunt, non sunt prohibendi: quia Antonius, & Paulus, & cæteri Patres antiqui etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque soluisse abstinentiam, nisi Dominico die tantùm.* Et similia habet Hieronymus epistola 28. ad Lucinium, vbi quinquaginta ferias meminit, quibus ieiunium post Pascha relaxatur. Quare dicendum est, licet hebdomada Pentecostes ad solemnitatem festi pertineat in officiis; non tamen quod attinet ad relaxationem ieiuniorum; cùm numerus dierum quinquaginta à Paschali festo numerandorum iam expletus sit. Quare ex Concilio Claromontensi Vrbani II. ita refertur post cap. 2. dist. 76. *Primum ieiunium quatuor temporum semper fiet prima hebdomada Quadragesimæ; secundùm in hebdomada Pentecostes, absque genuum flexione, cum alleluia, & Gloria in excelsis Deo.* Vide Gratianum super c. scire, & c. ieiunium, 2. d. 76. 5

Quæres II. Cur ieiunia quatuor temporum instituta sint? Respondeo, has à Patribus, & Doctoribus causas afferri: I. Quia etiam Hebræi quatuor in anno ieiunia instituebant; quamuis non eisdem omnino temporibus, sicuti videre est apud Gratianum cap. ieiunium 2. dist. 76. quod sumptum est ex S. Hieronymo super cap. 8. Zachariæ. Quamuis, vt S. Leo ait de ieiunio septimi mensis, sermone 7. *non idcirco legalibus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur.* II. Vt in quatuor temporum partibus, ieiunia trina pro mensium numero Deo offerentes, omnes totius anni actiones & euentus nostros à Deo pendere profiteamur, sicuti indicat S. Leo sermone 8. de ieiunio decimi mensis, relatus in c. huius, d. 76. & explicat Azor t. 1. lib. 7. c. 14. in fine.

Sequitur, vt dicamus de ieiuniis, & peruigiliis festiuitatum; quorum aliqua in iure Ecclesiastico memorantur, tanquam quæ iam ante in Ecclesia vsitata fuerint: vt in cap. 1. de obseruatione ieiuniorum mentio fit ieiunii, & vigiliæ Natalis Domini, Assumptionis B. Virginis, & Apostolorum, itemque S. Matthiæ, vbi monet Papa Innocentius III. si festiuitas in feriam secundam incidat, non in Dominica, sed in Sabbatho ieiunandum esse. Et in cap. 2. scribit Innocentius: *Omnium Apostolorum vigiliæ sunt in obseruatione ieiunij celebrandæ præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi,* 6

& B. Ioannis Euangelistæ: quoniam ipsorum solemnitas infra solemnitatem Paschalem; istius autem infra natalem Domini celebratur. In vigilia quoque S. Bartholomæi quibusdam locis non ieiunari, & in hoc consuetudinem regionis seruandam esse, significat Innocent. ibidem, quod ipsum Ioan. Pereihus de diuinis officiis, cap. 2. colum. 4. & Paludan. in 4. distinct. 15. quæst. 4. a. 3. conclus. 2. notarunt de vigilia Iacobi Maioris, & S. Matthiæ.

De aliis demum ieiuniis, videlicet in vigilia Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, & omnium Sanctorum celebratis, nihil in iure canonico reperitur: attamen peopter generalem Ecclesiæ latinæ consuetudinem, obseruanda sunt, sicuti docent Canonistæ in rubric. de obseruation. ieiunij, Syluest. ver. ieiunium, n. 5. Angelus ver. ieiunium, §. 7. Azor cit. lib. 7. cap. 13. Cæterùm in vigilia Pentecostes (de qua maximè dubitari potest) ieiunium celebrandum esse, expressè ait Ordo Romanus cap. Ordo in Sabbatho sancto Pentecostes: quem librum antiquissimum esse ex eo colligitur, quia ab Alcuino, & Amalario sæpe citatur. Neque obstat, esse illum diem vnum ex 50. quibus secundùm antiquã Ecclesiæ traditionem, ieiunium non præcipitur. Nam respondetur primò; Vigiliam illam per anticipationem festiuitati annumerari; perinde ac si dies Pentecostes iam completi sint, vti patet ex officio Missæ. Respondetur secundò: Nihil obstare, quin ieiunium hoc, tametsi fortè olim vsitatum non fuerit, noua Ecclesiæ consuetudine postea introductum fuerit, sicuti dicam infrà de ieiunio, seu abstinentia in diebus Rogationum. Vide Bellarm. cit. lib. 2. c. 23.

7 Dubitabit quispiam An, & quomodo differant statio, ieiunium, & vigilia? Respondeo: Re ipsa quidem differunt: sed quia interdum in eosdem dies concurrere solebant, ideo promiscuè apud scriptores ecclesiasticos quandoque vsurpata reperiuntur. Explicatur: Nam (vt dixi superiore cap.) sacrificium Missæ in diebus ieiuniorum post meridiem celebrari olim solebat, cui postea vespertinum officium annectebatur: quo toto tempore populus Christianus in ecclesia orationi intentus perstabat, neque antè ad cibum sumendum discedere audebat, sicuti constat ex cap. solent, distinct. 1. de consecrat. & Tertulian in lib. de ieiunio, vbi ait, stationem finiri hora nona, vel ad vesperam. Hæc igitur causa est, cur ieiunium propter coniunctionem, quam cum diuturna in ecclesia commoratione habebat, interdum *statio* appelletur à Patribus, Tertulian. lib. de orat. in fine, S. Hieronym. lib. 2. aduersus Iouinianum, Cassiano lib. 5. institut. renuntiantium, cap. 20. & collat. 22. cap 29. S. Ambros. sermone 25. de Quadragesima: *ieiunia nostra*, inquit, *stationes vocantur, quòd stantes, & commorantes in eis, inimicos insidiantes repellamus*: si quidem diurnæ quasi excubiæ orantium, & ieiunantium in ecclesia *stationes* appellabantur, vocabulo ex militia desumpto, sicuti testis est Rabanus Maurus de institutione Clericorum, lib. 2. cap. 18. Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particulari, cap. 22. Postea verò vsus obtinuit, vt aliorum etiam solemnium dierum, quibus non ieiunabatur, in ecclesia commorationes, *stationes* dicerentur.

Denique quia populus Christianus pridie festiuitatum solemnium, post solutam stationem, & cibum sumptum, iterum ad ecclesiam nocturno tempore reuerti solebat, vt ibi in orationibus vigilaret, dum Clerici nocturnas preces, ad modum militarium vigiliarum, instituerent; ideo plerumque vigilia post stationem, & ieiunium instituebatur: quamuis etiam non obstet, vigiliam fieri sine ieiunio in Epiphaniæ, & Ascensionis; sicuti, & vise versa, stationes & ieiunia sine vigilia, ad quam populus etiam accedere deberet, frequenter instituebatur. Vide Leonem I. sermone 1. de ieiunio Pentecostes, sermone 9. de ieiunio 7. mensis, & sermone 2. de ieiunio decimi mensis: *Quarta igitur, & sexta feria ieiunemus; Sabbatho autem apud B. Petrum Apostolum pariter vigilemus.*

Præterea Aduentum Domini ieiunio celebrari solitum esse, etiam in Ecclesia Romana, testatur Radulphus Decanus Tungrensis lib. de canonum obseruantia propos. 16. & Innocentius III. cap. 2. de obseruation. ieiunij. Eiúsque consuetudinis vestigium adhuc apparet, tum in ritu Romani Breuiarij, in quo preces tempore Aduentus ad horas singulas recitantur, sicut in diebus ieiuniorum; tum in regulis quorundam Ordinum regularium, qui ieiunium Aduentus, perinde ac Quadragesimæ, celebrant. Ait verò Radulphus loco cit. quòd *Aduentus Domini apud Romanos incipit prima Dominica post crastinum Catharinæ: Ambrosianus verò Aduentus habet sex septimanas, & incipit Dominica post Martini.*

Tres Rogationum, seu Litaniarum dies, qui ante Ascensionem Domini celebrantur, S. Mamertus Viennensis Episcopus instituit, eisdémque ieiunia indixit, ad auertendos luporum incursus, quibus eo tempore Gallia infestabatur, sicuti testatur Greg. Turon. lib. 2. historiæ Francorum, cap. 34. Idqúe ieiunium receptum legimus in Concilio Aurelianensi 1. cap. 29. circa tempora Horsmidæ Papæ: *Rogationes, id est, Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solemnitate soluatur. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.* refertur in c. rogationes, d. 3. de consecr. Sed & in Romana Ecclesia eo triduo tum rogationes seu supplicationes; tum abstinentiam à carnibus olim vsitatam fuisse, testatur Ordo Romanus, cap. de Litania minore. cuiusmodi abstinentia adhuc hodie in pluribus locis obseruatur; licet non ex præcepto, sed consilio. Vide Baron An. 475. n. 12. & seqq. Bellarm. cit. lib. 2. de bonis operibus in particulari, Azor cit. lib. 7. c. 15. quæst. 4. 8

Restat, vt dicamus; Vtrum Dominica die ieiunare licitum sit? Nam olim id prohibitum fuisse, colligitur ex c. post Pascha, d. 76. & c. ieiunium, c. ne quis, d. 3. de consecratione. Respondeo cum Bellarm. cit. lib. 2. c. 23. Duas ob causas ieiunium in Dominicis diebus ab Ecclesia non celebrari: Prima est ob lætitiam & celebritatem diei, quippe in qua memoria resurrectionis Christi peragitur; quamobrem neque genua orantes flectere, sed stare solent secundùm antiquam traditionem in Concil. Nicæno can. 20. Laodiceno 29. & apud Petrum Alexandrinum can. de lapsis, qui extat to. 1. Concil. Hilarium præfat. in Psalmos, & alios apud Bellarm. l. c. II. erat ad refutandum hæreticorum errorem, qui negantes Christi resurrectionem, diem Dominicam in luctu, & ieiunio transigebant ad Ecclesiæ contemptum, sicuti expressè docent S. Ambros. epi. 8. ad Episcopos per Æmiliam, S. August. cit. epist. 86. ad Casulanum, & videri potest Baron. Anno Christi 58. n. 63. 9

Veruntamen non fuisse etiam olim in omnibus Ecclesijs simpliciter prohibitum ieiunium in Dominica die, colligitur ex S. Hieron. epist. ad Lucinium, 28. *Vtinam omni tempore ieiunare possemus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes fecisse legimus.* Et subdit: *Sed vnaquaque prouincia abundet in suo sensu.* Quibus verbis insinuat, quibusdam Ecclesijs prohibitum fuisse Dominica die ieiunare, sicuti testatur etiam Canon. Apostol. 65. Clemens lib. 5. constit. c. vlt. S. Ignat. epist. 5. ad Philippens. Tertull. in lib. de corona militis, S. Ambros. cit. ep. 83. S. August. cit. epist. 86. Isidorus relatus in c. post Pascha, d. 76. & S. Thom. q 147. a. 5. ad 3. Verùm cùm hodie, extinctis illis hæresibus, specialis prohibitio Ecclesiæ cesset, non est, per se loquendo, illicitum diebus Dominicis ieiunare, arg. cap. 3. de obseruat. ieiunij, vbi

dicitur; In die natalis Domini incidente in sextam feriam, non esse prohibitum fidelibus carnibus abstinere ob deuotionem; quin imò Regularibus illis, qui ad perpetuam carnium abstinentiam obligantur, necessariò abstinendum esse. Quod simili ratione de Dominica die dici debet; ideò quidem, vt si aliquis etiam non Regularis vouisset, omnibus diebus totius anni à carnibus abstinere, aut integrè ieiunare, tali voto etiam diebus Dominicis obligaretur, vt rectè Bellarm. loco cit. docet. Quare tantùm per accidens illicitum est die Dominica ieiunium celebrare: videlicet ex superstitione, errore, aut Ecclesiæ Catholicæ contemptu, sicuti hæretici olim ieiunabant: vel ratione scandali, si alijs diebus hebdomadæ comedens, sine vlla rationabili causa Dominicam diem ad ieiunandum eligat, inquit Bellarm. l. c. & eadem ferme docet Valent. disp. 9. q. 2. p. 4. imò & S. August. cit. epist. 86. ad Casulanum.

CAP. III.

DE CAVSIS LIBERANTIBVS à ieiunio.

SVMMARIVM.

1 *Pueri, & puellæ ante completum ætatis annum XXI. ieiunii lege non obligantur.*

2 *Probabilius est, senectutis certum tempus constitutum non esse; sed prudentis arbitrio definiendum, quando corporis vires ob ætatem deficiant, vt ieiunii lege homo liberari censeatur.*

3 *Ægroti conualescentes, pauperes laborantes &c. à ieiunii lege excusantur.*

4 *Lex ieiunij cessat, si consistere non possit cum opere præstantiore, aut maioris momenti.*

5 *Opus ieiunij præsertim, præcepti, plerumque melius est, quàm peregrinatio.*

6 *Ieiunij præceptum, sicuti & alia Ecclesiastica, moraliter intelligenda sunt, vt ijs non nimis homines grauentur.*

7 *Lex ieiunij quadragesimalis ita omnibus sæculis, & nationibus apud Christianos frequentatum est, vt irrationabilis censeri possit consuetudo eius abrogatoria.*

8 *Faciliùs accidit excusatio ab ea præcepti parte, quæ alteram refectionem in die ieiunij prohibet; quàm ab ea, quæ carnium esum prohibet.*

9 *Episcopi ob publicam causam ieiunium in aliam diem transferre non prohibentur.*

EXcusationes seu causæ à lege Ecclesiastici ieiunii liberantes, hæ sunt: Prima est ætatis imbecillitas. Quare pueri, & puellæ ante tertium septennium, seu
1 completos annos xxi. ieiunii lege non obligantur, sicuti docet S. Thom. communiter receptus q. 147. a. 4. ad 2. Nam eo tempore sunt in statu augmenti, sicuti testatur S. Basil. Psal. 114. ideóque frequentiore, & abundantiore alimento indigent. Quamquam etiam his ætate minoribus consultum & conueniens est, vt ieiuniorum tempore se exerceant, & assuefaciant, habita ratione ætatis, ac virium eorum, vti docet S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 2. §. 4.

Simili ratione à ieiunio excusantur senes, propterea quòd ob virium imbecilitatem, humorisque, ac caloris defectum, frequentiore cibo indigent. Contingit autem senectus plerumque anno ætatis sexagesimo, secundùm Caietan. cit. a. 4. ad 2. Nauar. cap. 21. num. 16. Sa ver. ieiunium, num. 9. Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 32. num. 17. Tolet. lib. 6. cap. 4. Angles de ieiun. quæst. 6. diffic. 6. Nam *dies annorum nostrorum septuaginta anni*, Psal. 89. Ergo qui sexaginta annos habet, senescit, cùm propè interitum sit. Quamuis alii, vt Syluest. ver. ieiunium, quæst. 6. dicto 2. Gabr. in 4. distinct. 15. quæst. 3. a. 1. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 17. quæst. 4. septuagesimum ætatis annum senibus assignant, in qua à ieiunii obligatione ordinariè eximi debeant; quemadmodum & à personalibus muneribus, iuxta l. vlt. C. Qui ætate &c. lib. 10.

Sed dubium est, vtrum hoc tempus ætatis 70. vel secundùm alios 60. annorum, determinatum sit ad excusationem ieiunii adferendam; ita vt, tametsi aliquis firmo adhuc corpore existens, ieiunii difficultatem facilè perferre possit, nihilominus tamen excusetur? Negant talem excusari Caietan. Nauar. Tolet. Syluest. Azor ll. cc. S. Anton. p. 2. tit. 6. cap. 2. §. 6. Bartholom. Medina quæst. 9. de ieiunio, Less. lib. 4. cap. 2. dub. 6. Valentia disput. 9. p. 5. aliique Doctores plerique. Ratio est: Quia senectus non ita definitum tempus ætatis habet sicuti adolescentia; sed alij citiùs, alij tardiùs senescunt. Quare licet senectus plerùmque accidat anno ætatis sexagesimo, ideóque à ieiunij lege eximat, quod proinde in dubio etiam præsumi debet; tamen sicuti si constet, aliquem verè senuisse, ac viribus defecisse circa annum ætatis 50. à ieiunij lege liber censeri debet; ita & vice versa, si certum sit aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere, talis obligatus esse videtur; cùm re vera senex, siue viribus propter ætatem deficiens non sit.

Contrariam tamen sententiam defendit Sanchez lib. 7. de matrimon. disput 32. num. 17. Lamas p. 3. methodi, cap. 5. §. 20. Angles cit. loco. Fundamentum est: Quòd sicut iuuenibus certa ætas definita est, ante quam ieiunij lege non obligantur; ita etiam senibus definienda est, supra quam non ampliùs obligentur: quia expedit, legis obligationem ita definitam esse, vt sciatur, quinam sub ea comprehendantur, vel non; ne ex vna parte facilis humanæ legis negligentia, ex altera verò nimia solicitudo & anxietas oriatur.

Sed retenta priore sententia, quæ communis est, respondetur; Differentiam esse, quòd omnes homines à 2
prima ætate, & per pueritiam, adolescentiámque crescant, & augeantur, ideóque lex ieiunij in eos non conueniat, tametsi alioquin fortes, & sani sint: quamobrem necessariò tempus ætatis definiendum fuit, tanquam, finis adolescentiæ, in quo ordinariè obligari incipiant, vt rectè argumentum conuincit. At verò posteaquam homines ieiunij obligationem contraxerunt, non conuenit eos liberari, nisi aliqua mutatio interueniat, videlicet infirmitatis, aut senectutis; cùm & hæc infirmitas quędam sit. Talis autem corporis mutatio, virium infirmitas, &, vno verbo, senectus non omnibus circa idem tempus contingit; sed aliquibus anno quinquagesimo, alijs sexagesimo, alijs septuagesimo: ergo non oportet certum tempus ætatis definire, in quo homines propter senectutem ieiunij lege exoluantur. Quare neque vniuersali consuetudine, aut communi Doctorum consensu talis ætas senibus definita est, sicuti adolescentibus tertium septennium; quia, vt dixi, ad xxi. annum ætatis vsque omnes adolescunt, sed non omnes anno sexagesimo ætatis senescere incipiunt, sed alij citiùs alij tardiùs. Interim non nego, sexagenarium habere pro se præsumptionem senectutis, vt in dubio de virium sufficientia, ieiunij lege se liberum censere possit.

Illud verò multò improbabilius est, quòd aliqui apud Sanchez omnes fœminas quinquagenarias, quippe quæ natura debiliores citiùs senescere solent, lege ieiunij liberent. In qua sententia refutanda non immoror; cùm ipse tandem Sanchez concludat, eam in praxi *non esse tutam*: neque scio aliquem Doctorem classicum, qui eam defenderit.

Sed & improbabilem censeo sententiam eiusdem Thom. Sanchez lib. 4. moral. c. 11. n. 54. Eum, qui vouit se ieiunaturum certis diebus hebdomadæ, vel anni, in perpetuum seu *toto vitæ tempore*, excusari, seu liberari, postquam ad sexagesimum ætatis annum peruenerit; propterea, quòd votum ieiunij obligat instar legis Ecclesiasticæ de ieiunio: Atqui Ecclesiastica lex ieiunij communiter lata non obligat sexagenarios, secundùm

probabilem quorundam sententiam: Ergo nec obligabit votum; nisi de alia vouentis intentione constet. Verùm, posita etiam illa sententia, quam suprà improbaui, respondetur; Votum obligare quidem instar præcepti Ecclesiastici, quod attinet ad formã & modum ieiunandi; non item, quod attinet ad personas: Quæ enim præcepto Ecclesiastico non obligantur, ex propria voluntate se obligare possunt ad ieiunandum. Nam adolescentes licèt ex lege Ecclesiastica ante completum XXI. annum ieiunare non teneantur; obligantur tamen ex voto edito v.g. in Ordine S. Francisci ad obseruanda certarum dierum ieiunia, sicuti ipsemet Sanchez cum communi sententia fatetur n. 56. contra Barthol. Medinam cit. §. 10. & Graffis p. 1. decis. lib. 2. c. 37. num. 42. Ergo similiter, tametsi ponamus, sexagenarios, etiam robustos, liberari lege Ecclesiastica ieiunij, non obstat tamen, quominus ad ieiunandum ea ætate voluntario voto se aliquis obliget: idque ipso facto facere præsumitur, quando vouet, se *perpetuo* seu *toto vitæ suæ tempore* ieiunaturum. Intelligitur id tamen, quamdiu sine notabili corporis detrimento ieiunare potest.

3 Altera, eáque similis præcedenti, causa est, corporis infirmitas: qua ratione à ieiunii lege excusantur ægroti, conualescentes, qui infirma admodum complexione sunt, prægnantes, lactentes, qui ob ieiunium molesta insomnia patiuntur: qua de re videri potest Richar. in 4. d. 15. a. 3. q. 4. S. Anton. cit. c. 2. §. 6. Caiet. in sum. ver. ieiunium, & cit. q. 174. a. 4. Syluest. ver. ieiunium, q. 4. Nau. c. 21. n. 16. Azor tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 5. Less. cit. dub. 6. Valent. cit. p. 5.

Tertia est paupertas, qualis eorum est, qui ostiatim mendicant, & vniuersim qui habere non possunt, quod eis ad vnicam comestionem sufficiat, sicuti docet S. Thom. communiter receptus cit. q. 147. a. 4. ad 4. Sylv. ver. ieiunium, num. 24. S. Anton. lo. cit. ver. quartò, Nau. c. 21. num. 16. Addo primò; laborantibus, & famulantibus Catholicis apud nos in oppidis hæreticorum permitti posse, vt diebus ieiuniorum carnibus vescantur, dummodo scandalum tolli possit; si nimirum dicant, se in tali casu necessitatis, Ecclesiæ præcepto non obligari. Verùm Societas IESV in his septentrionalibus partibus ob maiorem securitatem à Sum. Pontifice priuilegium accepit dispensandi cum talibus. Addo secundò; Tolerari apud nos consuetudinem; vt finitis Baccanaliorum diebus carnium reliquiæ, quæ à diuitibus absumi non poterant, dentur pauperibus absumendæ.

Quarta causa est corporis labor, qui cum ieiunio facilè non consistit. Cuiusmodi est agricolarum, fabrorum, sutorum, iter necessarium pedibus facientium, cursorum: Item famulorum, & famularum, quæ maioribus laboribus occupantur, cuiusmodi censeri non debent fila ducere, nere, aut vestes sarcire. Quare Less. lib. 4. c. 2. num. 43. ait, ex hoc capite non excusari pictores, quorum opus ingenii potiùs est, quàm virium; neque tonsores, sartores. Porrò non refert, vtrum labor vehementior & qui cum ieiunio non bene consistit, corporis, an animi sit: quare Concionatores, & Professores interdum ratione laboris à ieiunio excusari, notat Caietã. q. 147. a. 3. prope finem, Medina C. de ieiun. q. 9. §. hoc tamen non obstante. Item, vtrum labor corporis ex obligatione officii suscipiatur; an verò oblata peropportuna, & aliàs non occurrente occasione damni vitandi, vel lucri acquirendi: vt si mercator ad nundinas proficiscatur, aut ad alia negotia, quæ commodè differri non possint, sicuti docent Medina, Less. cit. locis, Syl. cit. n. 24. & 26. Tolet. lib. 6. cap. 4. vbi similiter id tradunt de labore animi, si alicuius conciones v.g. sint vtiles populo, posse excusari à ieiunio, etsi sine obligatione tale munus obeat.

Id obiter hoc loco annotare placet, Quamuis Doctores communiter, cùm de iter facientibus quæstionem mouent, solos pedestres à ieiunii lege exemptos esse dicant; non rarò tamen accidere, vt etiam qui equo, aut curru vehuntur, non paucorum, sed octo, aut decem dierum itinere, corporis concussionem, ac defatigationem patiantur, ob quam ieiunium difficulter perferant. Veruntamen in hac re certa regula tradi non potest; nisi quam sæpius dedi, Ecclesiasticam legem non obligare cum magna difficultate.

Quinta, eáque ferme comprehensa in priore causa, est *pietas*. Qua ratione ieiunii obligatio cessat, vt operi præstantiori, vel maioris momenti, incumbere possis, quod cum ieiunio non facilè consistit, nec commodè differri potest. Quale imprimis est opus misericordiæ corporalis, vel spiritualis, vt Infirmarii, Concionatoris, Ludimagistri, de quibus antè dixi. Secundò, Opus iustitiæ, si maritus ieiunans vxori coniugii debitum reddere non possit, quia infirma complexione est, sicuti notant Caietan. in sum. ver. ieiunium, Sa num. 9. Less. num. 44. Tolet. lib. 6. cap. 4. num. 6. Sanchez lib. 9. disput. 3. num. 10. vbi ait, in tali casu obligari etiam maritum ad soluendum ieiunium, si vxorem debitum constanter exacturam; vel ob eius denegationem, incontinentiæ periculum subituram intelligat. Item opus charitatis, vt si vxor mariti iram & contentionem effugere non possit, nisi cum ipso cœnet; modò ieiunium non prohibeat ex Religionis contemptu, sed ob aliam causam, sicuti docet Abbas in rubric. de obseruat. ieiunii, num. 8. Caiet. in sum. ver. ieiunium, §. excusantur infirmi, Syluest. num. 25. Nauar. c. 21. num. 19. Medina cit. quæst. 9. §. ad eundem casum, Less. cit. num. 44. Ratio horum omnium est, quia non oportet ieiunium ab Ecclesia indictum, maioris alicuius boni esse impediens, sicuti ex cap. non mediocriter, dist. 5. de consecrat. notauit Caiet. 2. 2. quæ. 147. a. 3.

Deinde monent Gabr. in 4. distinct. 16. quæst. 3. a. 1. notab. 4. Caietan. cit. a. 3. & in sum. verb. ieiunium, §. ex pietate, Nauar. cap. 21. num. 18. Voluntariam peregrinationem non semper esse sufficientem causam soluendi ieiunij ab Ecclesia præcepti. Nam opus ieiunii ferme salubrius est animæ, quàm peregrinatio sine ieiunio; atque communi Ecclesiæ præcepto satisfacere ad meritum obedientiæ pertinet. Quare simili ratione peregrinatio in die festo institui non debet, si idcirco Missa negligenda sit. Limitat tamen Caietan. Nisi peregrinatio ad locum pium videatur esse valdè vtilis ad cultum diuinum; vt quia est persona magnæ auctoritatis, ex cuius peregrinatione multùm augebitur communis deuotio, illa autem non potest simul ieiunare & peregrinari; neque peregrinationem differre. Deinde certum esse debet, peregrinationem longinquam causa pietatis institui posse, nihil obstante, quòd dies ieiunij per accidens incidat, in quo propter corporis defatigationem cœnare debebis. Qua de re vide Gabr. in 4. d. 16. q. 3. a. 1. notab. 4.

Denique ait Nauar. cap. 21. num. 18. Si peregrinatio ex voto, vel Confessarij præcepto debeatur, & res ita accidat, vt alio, quàm ieiunii die commodè institui non possit, iustam hanc esse causam soluendi ieiunii, si id cum peregrinatione seruari nequeat.

His quædam addenda sunt: Primum. Quamuis illicitum sit, non necessaria corporis exercitia v. g. pilæ lusum instituere, cum proposito ieiunium idcirco soluendi; posteaquam tamen corpus tali labore defatigatum est, vt ieiunium perferri commodè non possit, iam sufficiens causa excusationis adest, quomodò intelligo Palud. in 4. dist. 15. q. 4. a. 1. Barthol. Medinam in sum. li. 1. c. 14. §. 10. ver. ad caput istud.

Alterum ex Syluest. verb. ieiunium, quæst. 8. Caiet. eodem verbo, §. Quoad tertium. Nauar. cap. 21. num. 20. Tolet. lib. 6. cap. 4. in fine: Tametsi nulla ex dictis causis excusantibus re ipsa adsit; si tamen bona fide, ac pro-

babili ratione adesse existimetur; atque idcirco aliquis non ieiunet, vel in nocturna cœnula consuetam quantitatem excedat; non potest culpæ saltem mortalis, condemnari. Quia moralia præcepta moraliter interpretari conuenit; neque Ecclesiæ intentio est, graue aliquod iugum conscientiis fidelium iniicere. Quamobrem monet Caietanus, vt Confessarii pœnitentes suos non nimis vrgeant, si rationem aliquam, quæ ipsis probabilis & iusta apparet, afferant, cur in Quadragesima tantùm bis, vel ter per hebdomadem ieiunent; ne fortè si ipsis denique contradicant, vel nunquam omnino ieiunent, vel ob conscientiam grauiùs peccent; qui alioquin sine omni culpa, vel saltem sine mortali fuissent. Eaque doctrina Caietani magis etiam locum habere potest in septentrionalibus frigidioribus regionibus.

Adde, quòd Pius IV. Anno 1563. priuilegium Societati IESV concessit, ad dispensandum cum iis, qui in septentrionalibus his partibus ad ieiunandum tota Quadragesima adduci non possunt: vt videlicet aliquoties in hebdomade iis ieiunare sufficiat.

Quòd verò aliqui existimant, per consuetudinem
7 quibusdam Germaniæ locis introductum esse, vt ter in hebdomade per Quadragesimam secularibus ieiunare sufficiat: de ea nihil omnino testari possum. Imò arbitror, irrationabilem fore hanc consuetudinem, nec Prælatos Ecclesiæ in eam consensuros; quippe quæ contra tam sanctum, & Apostolicum, omnibus seculis, ac nationibus apud Christianos celebratum ieiunii quadragesimalis institutum tendat. Interim plerique his frigidioribus regionibus causam aliquo modo probabilem afferunt, cur non omnibus diebus ieiunent, attamen à carnibus abstinentes: quos Confessarii absoluere possunt.

Tertium. Causæ, quas dixi excusantes à ieiunii lege, plerumque locum duntaxat habent secundùm eam præcepti partem, quæ alteram refectionem prohibet; rariùs autem secundùm alteram partem, quæ est à carnibus abstinentia. Si tamen euidens causa necessitatis adsit, carne vescendi propter corporis infirmitatem, tunc dispensatione opus non est: In dubio verò petenda ab Episcopo, vel eo absente à Parocho, secundùm cuiusque diœcesis consuetudinem. Et videtur hoc casu infirmitatis, quo alicui per dispensationem conceditur carnium esus, secundùm benignam interpretationem etiam concessum, vt refectionem repetere possit, sicuti notauit Less. dub. 6. in fine, Tolet. lib. 6. cap. 5. Non ita verò, si alia causa sit carnes comedendi, v.g. quia alij cibi facilè haberi non possunt; vel quia homo ab ijs abhorret; his casibus, si vna refectione carnium contentus esse possis, ab altera abstinere debes, sicuti docet Ioan. Medina q. 5. §. in huius sententiæ: eodemque modo intelligi potest Caiet. cit. q. 147. a. 7. Nau. cit. c. 21. n. 22.

Ad extremum circa dispensationem in lege ieiunii aduerte; Minorem, eámque priuatam causam sufficere, vt cum vno, vel paucis in ieiunii lege per auctoritatem Prælati dispensetur; maiorem verò, eámque publicam, vt cum integra Communitate dispensari possit. Qua ratione docet Abbas in rubr. de obseruat. ieiunij num. 10. Si ieiunium ab Ecclesia præceptum incidat in festum solemne, peculariter in aliqua diœcesi, vel ciuitate celebrari solitum, posse auctoritate Episcopi ieiunium in 9
alium v.g. præcedentem diem transferri. Qua etiam ratione fortasse aliquis respondere poterit; Si vigilia S. Matthiæ incidat in Feriam secundam, vel tertiam Quinquagesimæ, iustam fore causam, vt Episcopus tale ieiunium in præcedens Sabbathum transferat, si animaduertat, homines eius loci ita comparatos, & ad intemperantiam ijs diebus procliues esse, vt plurimi (nisi dicta commutatio fiat) ieiunium violaturi sint; etiam cum carnium esu, non sine scandalo. Siquidem ob specialem causam pro vna vice in lege vniuersalis ieiunii dispensare, aut commutare ad Episcopum pertinere debet: cùm eius officium sit spirituali subditorum saluti inuigilare, scandala infirmorum tollere &c. Videri potest Gabr. in 4. d. 16. q. 3. a. 3. dub. 2.

TRACTATVS NONVS.

DE ECCLESIASTICA IMMVNITATE.

CAP. I.

QVID SIT ECCLESIASTICA immunitas.

SVMMARIVM.

1 *Immunitas Ecclesiastica est ius, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communibus oneribus liberæ sunt.*

2 *Triplex est immunitas Ecclesiastica; localis, realis, & personalis.*



1 IMMVNITAS dicta est quasi *muneris vacatio*, prout munus inter alia onus significat, cuius remissio siue liberatio immunitatem præstat, sicuti habetur in l. munus, 18. ff. de verborum significat. & l. 1. ff. de iure immunit. Quare Ecclesiastica immunitas sic rectè definitur: *Ius, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ, & exemptæ sunt.* Quare alio nomine appellari solet *libertas*, seu *exemptio Ecclesiastica*, arg. c. aduersus, de immunit. Eccles. Et ita docet Couar. 2. resol. ca. 20. in princip. Ioan Lupus tract. de libertate Eccles. p. 2. q. 11. in princ. Syl. ve. Immunitas, in princip. Suarez in defensione Fidei Catholicæ, lib. 4. cap. 1. Azor t. 2. instit. moral. lib. 9. c. 8. in principio.

Data opera, in definitione vsus sum numero plurali, *loca, res, vel personæ.* Quia particularis alicuius Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ personæ exemptiones, seu priuilegia nomine Ecclesiasticæ immunitatis comprehendi non solent; sed solùm exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum, vel omnibus locis, aliisue rebus Deo peculiariter dicatis, communes sunt, sicuti annotauit Innoc. & Abb. in c. nouerit, n. 2. de sent. excommun. Caiet. in sum. ver. immunitas Ecclesiastica, Suarez cit. c. 1. n. 11. & de censuris disp. 21. s. 2. n. 89. Quæ ipsa causa est, cur Clerici, ne iuramento quidem, Ecclesiasticæ immunitati renuntiare possint, c. si diligenti, de foro compet. quia non ob particularem aliquorum, sed communem Ecclesiasticæ hierarchiæ fauorem constituta est.

Ex eadem definitione colligitur, quòd triplex sit Ecclesiastica immunitas: I. Localis, quæ Ecclesiis & simi- 2
libus Ecclesiasticis locis cōpetit. II. Realis, qua aliæ res,

seu bona Ecclesiastica gaudent. III. Personalis, quæ personis Ecclesiasticis debetur. Sin verò immunitatis nomen latiùs accipere velimus, addi debet quarta species, quæ est negotiorũ, seu causarum Ecclesiasticarum, suapte natura exemptarum à potestate seculari, de qua mox seq. c. dicam; postea verò de aliis tribus immunitatis speciebus, in definitione comprehensis.

CAP. II.

DE CAVSIS, ET NEGOTIIS Ecclesiasticis à ciuili potestate omnino exemptis.

SVMMARIVM.

1 *Causæ omnes spirituales secundùm propriam institutionem à secularium Iudicum potestate liberæ sunt.*

2 *Causæ spirituales censentur, quæ ad Dei cultum, vel spiritualem animæ salutem, directè spectant.*

3 *In causis merè ciuilibus Iudex Ecclesiasticus ordinariè se non immiscet.*

4 *Crimina alia sunt merè Ecclesiastica; alia merè ciuilia, & alia mixta.*

5 *Crimina mixti fori censentur; sponsaliorum violatio, adulterium, vsura, blasphemia, periurium, sortilegium, sacrilegium.*

6 *In criminibus mixti fori vnus Iudex non præiudicat alteri, quominus & ipse in suo foro cognoscere, & punire possit.*

7 *Crimen interdum mixti fori censetur, secundùm ordinem ad diuersos effectus.*

8 *Si circa crimen mixti fori quæstio iuris incidat, solius Ecclesiastici Iudicis est definire.*

9. *Si quæstio spiritualis incidat coram Iudice seculari, supersedere is debet causa principali, donec incidens coram Iudice Ecclesiastico terminetur.*

10 *Si facti quæstio incidat super vsura, periurio &c. Iudex secularis in foro suo inter laicos cognoscere potest.*

11 *Si lis sit de rebus Ecclesiasticis, puta beneficio, iure decimarum, iure patronatus: Iudex secularis ne in possessorio quidem iudicio competens esse potest.*

12 *Causa proprietatis, & causa possessionis quoad iudicialem cognitionem connexæ sunt, & diuidi non debent.*

13. *Si quæstio non sit de possessione iuridica: sed solo facto laici turbantis, vel pellentis Clericum è possessione beneficii, aut iuris decimarum: secularis Iudex cognoscere non prohibetur contra laicum.*

14 *Si laico ab Ecclesia decimæ in feudum concessæ sunt, non ideo consequens est, concessum etiam esse ius iudicandi de talibus decimis.*

15 *Ortâ controuersiâ inter Clericum, & laicum de decimis, sintne Clericales, an laicales: ad Ecclesiasticum Iudicem pertinet cognoscere, ac iudicare.*

1 CATHOLICA veritas est, quam soli hæretici negant; Quòd causæ omnes spirituales, suapte natura, & institutione diuina ab omni secularium Principum potestate, & iurisdictione penitus exemptæ ac liberæ sint. Quare etiam Ecclesiasticæ appellantur, quia earum cognitio, ac tractatio ad Ecclesiæ Prælatos propriè spectat.

Pro pleniore intellectu NOTANDVM EST PRIMO: Quòd potestas seu iurisdictio Ecclesiastica penitus diuersa, & discreta est à potestate seu iurisdictione ciuili; quia illa spiritualis, ac supernaturalis est, tum ratione originis, tum ratione finis sui: hæc verò & naturalem originem habet, & temporalem pacem, ac tranquilitatem tanquam finem spectat, sicuti latiùs explicaui lib. 1. tr. 4. c. 5. princip. & videri potest Nau. c. nouit, de iudic. notab. 3. num. 88. & lib. 1. consil. 1. de foro compet. edit. 2. Hîc verò addo, quæ ad Constantium Imperatorem dixit Hosius Episcopus apud S. Athanas. in Epist. ad solitariam vitam agentes: *Ne temisceas Ecclesiasticis: neque nobis in hoc genere præcipe; sed potiùs ea à nobis disce.* Atque ipsemet Athanasius in ead. epist. *Si istud est iudicium Episcoporum, quid commune cum eo habet Imperator? Quando à condito æuo id auditum est; quando Iudicium Ecclesiæ auctoritatem ab Imperatore accepit?* S. Ambros. lib. 5. epist. 33. ad Marcellinam sororem. *Nolite grauare, Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere; sed si vis diuinitus imperare, esto Deo subditus: scriptum est, Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotes Ecclesiæ: publicorum tibi mænium ius commissum est; non Ecclesiæ.* Et S. Nazianzenus orat. 17. ad ciues graui timore perculsos: *Quid autem vos Principes, & Præfecti? ad vos enim iam nostra se conuertit oratio.* Et infrà: *Vos quoque lex Christi imperio meo, ac throno subijcit: Imperium enim nos quoque gerimus; addo etiam præstantius, ac perfectius: nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere.* Quod ipsum agnouerunt Imperatores Constantinus apud Ruffinum lib. 1. histor. cap. 2. Theodosius ad Synodum Ephesinam apud Adrianum in epist. ad Michaelem Imperat. Valentinianus apud Sozom. lib. 6. cap. 7. & 21. Basilius Imperat. in VIII. Synodo Oecumen. in VI. actione.

2 SECVNDO NOTANDVM. Causæ spirituales seu merè Ecclesiæ (id est, propriè spectantes ad spirituale regimen Prælatorum Ecclesiæ) censentur omnes illæ, quæ sunt de Fidei doctrina, Sacrificio, & Sacramentis, Ministrorum ordinatione, officiis, beneficiis; ecclesiarum, vasorum, virginum consecratione, aliisque sacramentalibus; item de reliquiis, veneratione, canonizatione Sanctorum, votorum obligatione, & obseruatione, & omnibus denique, quæ vel ad Dei cultum, vel spiritualem animæ salutem, atque à peccatis curationem spectant, sicuti videre est apud Alber. Pighium lib. 4. de cœlesti hierarchia cap. 2. Couar. in pract. qq. c. 31. concl. 1. Nau. c. nouit, de iudicijs, notab. 6. Suarez lib. 4. de legibus, c. 11. Ioan. Salas de legibus, tract. 14. disput. 9. sect. 5. Nam omnis potestas iurisdictionis versatur circa propriam materiam, qua veluti limite suo continetur: materia autem potestatis desumitur ac definitur ex proprio fine, ad quem ordinatur: cùm igitur omnes illæ causæ, quas recensui, tendant ad finem spiritualem, ac supernaturalem; sequitur, quòd propriè sint potestatis spiritualis ac Ecclesiasticæ, & quòd secularis potestas, sua auctoritate, ac sine facta commissione, ad eas se extendere nullo modo possit: Non enim directè, cùm tales causæ extra limites sint, ac veluti extra sphæram materiæ eius: Neque indirectè; cùm indirecta extensio potestatis locum non habeat, nisi erga materiam subordinatam ratione finis: non autem spiritualia temporalibus subordinata sunt; sed è contrario temporalia ad spiritualia, & æterna, tanquam media ad finem, referuntur, sicuti egregiè docet Bonifac. VIII. extrauag. vnam sanctam, de maior. & obedientia.

3 Causæ autem merè ciuiles dicuntur, quæ sunt de laicorum dominio, tutela, contractibus, testamentis, ac similibus, quæ formam suam, atque obligationem à ciuili iure acceperunt, cuiusmodi causis Ecclesiastici Iudices, ac Pastores ordinariè se non immiscere possunt; quia vtriusque cùm ciuilis, tum Ecclesiasticæ potestatis officia discreta esse debent, sicuti ait Nicol. 1. epist. ad Michaelem Imperat. Idemque habetur in c. nouit, de Iudicijs, c. per venerabilem, c. causam quæ. 2. Qui filij sint legitimi, & docet Nau. cit. c. notauit, notab. 3. num. 21. Dixi autem *ordinariè*: At verò extraordinariè Ecclesiasticus iudex se immiscere potest, puta propter defectũ iustitiæ in foro seculari, sicuti docent Gl. & DD. in c. licet, 1. de foro compet. Item in causis personarum miserabilium: vti colligitur ex. 1. & 2. d. 87. & c. ex parte, de foro compet. & docet Abb. in c. cæterùm, n. 16. de iudiciis. Deinde per modum denuntiationis Euangelicæ ad Prælatos Ecclesiæ pertinet de quouis peccato mortali cognoscere; aut, si Reus corrigi se non patiatur, ad censuram illi infligendã procedere, secundùm Innocentium in cit. c. nouit, de Iudiciis, vbi videri potest Abb.

n.49.& seqq. Nau. notabili 6. Robertus Maranta in speculo aureo, dist. 11. n. 11.

Denique sunt aliquæ causæ mixtæ, quæ ad vtrumque tum seculare, tum Ecclesiasticum forum pertinere possunt; ideoque datur locus præuentioni: quod potissimum accidit in criminibus, quæ dicuntur mixti fori, vt statim dicam.

TERTIO NOTANDVM. Ex doctrina Gl. in summa causæ, 11. quæst. 1. Abb. c. cùm sit, de foro compet. ad
4 finem, Nauarri in cit. notab. 6. num. 39. Iacobi Almaini de potest. Papæ, ca. 10. Crimina alia sunt merè Ecclesiastica, alia merè ciuilia, alia mixta. Crimen merè Ecclesiasticum dicitur primò, quod solùm canonico, aut diuino positiuo iuri aduersatur, vt violatio ieiunii, & aliorum præceptorum Ecclesiæ; Christi item, circa sacrificium, & sacramenta. secundò, quod iure etiam naturali prohibitum est, sed à seculari Magistratu non cognoscitur, nec punitur; vel quia ab eo cognosci non potest, propter suam spiritualitatem, vt hæresis, simonia; vel quia non solet cognosci: cùm nec prohibitum sit ciuili iure, vt violatio pacti simplicis, deceptio intra dimidium pretii iusti in emptionibus, & similibus contractibus, sicuti docent Innoc. & Abb. n. 50. in cit. c. nouit, Nauar. cit. notab. 6. corol. 13. Item fornicatio simplex, sicuti docet idem Nauarrus corollario 11. n. 40. Clarus lib. 5. sentent. §. Fornicatio.

Crimen merè ciuile seu secularis tantùm fori, dicitur, transgressio legis merè temporalis & politicæ, v. g. de non portando armorum genere, non euehendo frumento, soluendis tributis; item violatio contractuum, testamentorum, & similium, quæ secundùm formam iuris ciuilis regulari debent: eiusmodi enim causis Ecclesiasticus Iudex non se immiscet; nisi fortè propter necessitatem, ideóque per accidens, & indirectè.

Crimina mixta, seu vtriusque fori censentur, quæ vel vtroque positiuo iure, canonico, inquam, & ciuili, prohibita sunt, v. g. nocturna gestatio armorum post certum campanæ signum, quæ multis locis ab vtraque potestate prohibetur, teste Nauar. cit. n. 40. vel quæ iure etiam naturali vetita, atque ita comparata sunt, vt, licet propriam spiritualitatem non habeant, tamen non solùm statui politico, sed etiam supernaturali fini Reipub. ecclesiasticæ specialiter repugnent. Talia crimina plura afferri solent, vti videre est apud Gloss. & Abb. c. cùm
5 sit, de foro compet. I. est Sponsaliorum violatio, vti docet Abb. c. ex litteris, 2. n. 4. de sponsal. Rosella verb. sponsalia, n. 3. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 29. n. 9.

II. Adulterium, sicuti docent Canonistæ in c. gaudemus, de diuort. Abb. c. tuæ, n. 6. de Procurat. Couar. in epist. p. 2. cap. 7. §. 7. n. vlt. Clarus lib. 5. §. fin. q. 37. n. 5. D. Martha p. 2. de iurisdict. c. 19. n. 3. Sanchez lib. 10. disp. 8. num. 16. Rationem dat Abb. in cit. c. cùm sit, n. 24. Quia per adulterium peccatur contra matrimonium, quod est vnum de sacramentis Ecclesiæ; & sic aliquo modo peccatur contra Ecclesiam. Quæ ratio est, cur etiam sacrilegia in Ecclesiastico foro puniantur. Veruntamen Molina to. 3. disput. 90. n. 9. contendit, crimen adulterii, perinde ac furtum, secundùm se esse merè seculare: Idémque multò magis diceret de violatione sponsaliorum, si de horum valore non agatur: ideóque de tali crimine Iudicem Ecclesiasticum non cognoscere in ordine ad pœnam; sed solùm per viam denuntiationis ad auertendum malum peccati, scandalum, vel alterius personæ iniuriam.

Illud verò bene admonet Sanchez n. 17. Licet crimen adulterii secularis fori sit; tamen causam diuortii, eique accessoriam quæstionem alimentorum, ac dotis amittendæ, ad solum Iudicem Ecclesiasticum spectare, iuxta cit. c. tuæ; & c. de prudentia, de donat. inter virũ. Quamobrem si lite coram seculari Iudice mota, de alimentis præstandis vxori separatæ à marito, is opponat adulterii crimen, ob quod mulier iure alimentorum priuata sit: Iudex secularis lite supersedere debet, donec quæstio incidens ab Ecclesiastico terminetur, iuxta c. per tuam, de ordine cognitionis c. lator, Qui filii sint legitimi.

III. Vsuræ crimen, quod aliqui apud Abb. cit. c. cùm sit, n. 17. merè Ecclesiasticum esse dixerunt: Ipse verò Abb. ibid. Couar. lib. 3. resol. c. 5. Clarus lib. 5. sent. §. vsura, & alii communiter, dicunt esse mixti fori. Aduerte tamen, quòd Ecclesiasticus Magistratus de vsuræ crimine cognitionem, ac punitionem sibi vendicârit, causam hanc esse; quòd olim Cæsareo iure multæ vsuræ impunitæ, imò licitæ censebantur, sicuti obseruauit Couar. n. 1. Alioquin verò si eius criminis naturam secundùm se spectemus, merè ciuile censeri debet, sicuti homicidium, furtum, & similia scelera aduersus iustitiam commutatiuam.

IV. Blasphemia, sicuti constat ex c. 2. de maledicis, vbi id docent Abb. n. 9. Prosper Farinac. in practica criminali, tit. 3. q. 20. n. 39. Azor to. 1. lib. 9. c. 28. q. 5. Sanchez lib. 2. moral. c. 32. numer. 37. Verùm si blasphemia hæreticalis sit, seu cum hæresi, aut infidelitate iuncta, tunc ad Inquisitores, aliùmue Ecclesiasticum Iudicem propriè pertinet.

V. Periurium, sicuti docent DD. in c. testimonium, de testibus, Abb. in cit. c. cùm sit, n. 21. Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 7. n. 2. Cùm enim hæc crimina, blasphemia & periurium, grauissima sint; quippe directè tendentia contra Deum supernaturaliter nobis reuelatum, ideóque iuncta cum Christianæ Religionis vilipensione aliqua, ideo ad Ecclesiasticorum Prælatorum curam quàm maximè etiam pertinet, talia crimina tollere, ac punire.

VI. Est sortilegium, seu magia illicita, sicuti constat ex c. contra idolorum, 26. quæst. 5. & l. nullus aruspex, C. de malef. & mathemat. & docent Abb. in cit. c. cùm sit, n. 26. Prosper Farinac. cit. quæst. 20. n. 87. & seqq. Clarus lib. 5. sent. §. hæresis, n. 25. Est enim crimen hoc Ecclesiæ perniciosum, quippe iunctum cum Fidei periculo, DEI irreuerentia & sæpe rerum sacrarum indigna tractatione.

VII. Est sacrilegium, vti habetur in cit. c. cùm sit, de foro compet. Nomine autem sacrilegii intelligi debet non tantùm furtum sacrilegum; sed quæuis indigna tractatio, seu violatio rei sacræ; siue sit personæ per fornicationem, stuprum, verberationem; siue loci sacri per seminis, aut sanguinis effusionem, criminosi extractionem; denique quæuis Ecclesiasticæ immunitatis violatio. Additur verò in cit. c. cùm sit, quòd in tali causa videlicet Ecclesiæ læsæ, Rector, sub quo maluerit Iudice, Reum conuenire possit: quare hoc casu datur locus præuentioni.

Sed si ab vno Iudice causa cognita fuit, vtrum etiam alter Iudex saltem ex officio procedere, & Reum punire possit, diuersimodè loquuntur DD. vti videre est apud Couar. 2. resol. 10. n. 6. Gomez 3. resol. c. 1. numer. 6
4. Clarum in §. fin. qu. 57. Arbitror dicendum primò: Si ab vno Iudice Reus absolutus fuerit, alter nihilominus causam cognoscere, & si secundùm allegata nocens reperiatur, punire eum potest. Ita ex communi Couar. & Clarus ll. cc. Quia iurisdictio Ecclesiastica, & secularis sunt omnino separatæ ac distinctæ: ergo absolutio in vno iudicio non parit exceptionem rei iudicatæ in altero iudicio.

Secundò: Si pœna ab Ecclesiastico Iudice inflicta sit tantùm spiritualis, v. g. excommunicationis, non prohibetur Iudex secularis Reũ afficere pœna sui fori propria; videlicet corporali, aut mulcta pecuniaria. Ita ex communi docent Prosper Farinacius cit. tit. 3. q. 20. n. 39. Nau. lib. 2. consil. 1. de iudic. edit. 2. Quòd verò Clarus §. fin q. 37. n. 8. & alii quidam docent apud Couar. in pract. qq. c. 10. n. 2. Episcopum in criminibus communis fori,

fori, in quibus contra laicos procedendi ius habet, non posse tamē eos carere, vel incarcerare, aut in personas, & bona eorum executionem facere; sed tantùm censuras comminari, & infligere; id, spectato communi iure, verū non est, sicuti monet ipsemet Couar. cit. loc. D. Martha p. 2. de iurisdict. c. 29. Gutierez li. 1. pract. q. 45. n. 2. & cōstat ex c. attendendum. 17. q. 4. cit. c. contra idolorum, c. vlt. §. si quis verò, de pœnis in 6. & Trident. sess. 25. c. 3. de reform.

Tertiò: Si Ecclesiasticus Iudex Reum in suo foro puniuit leuiùs, quam merebatur; siue id factum sit ob ignorantiam iuris, aut facti, aut similem accidentariam causam; siue quia Iudex non de toto delicto iudicare vult, sed tantùm secundùm qualitatem pertinentem ad suum forum: vt si Clerici occisorem puniat, quatenus sacrilegus est, non quatenus hominis iniustus occisor, vti explicat Mol. tr. 3. disp. 49. n. 3. tali casu, Iudex secularis, causâ denuo in foro suo cognitâ, Reum punire non prohibetur, sicuti docet Abb. cit. cap. cùm sit, num. 1. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 54. n. 5. Clarus cit. q. 57. n. 12. & 14.

Quartò: Si Reus in vno foro, nullâ interueniente ignorantia, & fraude, de crimine totaliter iudicatus, & punitus fuit, non potest deinde in altero foro iudicari, aut puniri: ita Molina, Clarus. ll. cc. Quia æquitas non patitur, vt idem de eodem crimine bis iudicetur, & puniatur: Et quamuis Ecclesiastica ac ciuilis potestates diuersæ sint; tamen vna alteram iuuare; & vna alteri, quatenus æquitatis ratio permittit, consentire debet, arg. c. 1. de noui operis nuntiatione.

Porrò ne fallatur quispiam, cùm dicitur, quædam crimina esse mixti fori; intelligi id debet in ordine ad laicos tantùm. Nam crimina Clericorum à solo Ecclesiastico Iudice cognosci, ac puniri posse, infrà dicā. Dein de intelligi debet in ordine ad Christianos, nō infideles, v. g. Iudæos: hi enim, cùm legibus Ecclesiasticis subiecti non sint, quippe extra Ecclesiam existentes, à Prælatis Ecclesiæ iudicari, vel puniri non possunt; nisi indirectè, prohibendo v. g. fidelibus, ne cum Iudæo commercium habeant, antequam satisfaciat, iuxta c. postulasti, de Iudæis. Si tamen Iudæi sub protectionem Magistratus Ecclesiastici se commiserint, etiam ab eo crimina ipsorum cognosci, ac puniri posse, ait Prosper Farinac. in cit. q. 20. n. 41.

7 QVARTO NOTANDVM. Interdum contingit, crimen mixti fori esse, sed in ordine ad diuersos effectus. Exempli causa: Si quis seipsum interfecisse dicatur, causa ista ad ciuile tribunal spectat in ordine ad confiscationem bonorum, secundùm consuetudinem regionis: ad Ecclesiasticum verò tribunal pertinet in ordine ad sacram sepulturam mortuo denegandam. In quo casu si Iudex secularis prior cognouerit de causa, & modo occisionis, atque processus informationem ad ordinariū Ecclesiasticū Iudicē transmittat; tametsi is non prohibeatur rem in suo Consistorio magis examinare, vt iustā sententiā de sepultura ferre possit; si tamen transmissæ informationes omni prorsus suspicione erroris carere videantur, æquitas & mutua concordia postulat, vt ijs Ecclesiasticus Iudex acquiescat, & secundùm eas sententiam proferat: quandoquidem Iudex secularis, atque Ecclesiasticus se mutuem adiuuare debent.

8 QVINTO NOTANDVM. Circa crimina, & alias causas, quæ mixti fori censentur, exactè interdum distinguere oportet; vtrum quæstio iuris sit, an facti, quæ in iudicium venit. Quæstio iuris est, v. g. vtrum talis contractus licitus sit, an verò vsurarius? Vtrum tale iuramentum licitū sit, an illicitum? obligationē pariat, necne? Vtrū magis naturalis sit, an verò superstitiosa, & illicita? Vtrū matrimoniū, vel sponsalia valeant, rescindi possint? Eiusmodi quæstiones de iustitia, aut valore eorū humanorū actuū, qui propter annexam spiritualitatē, aut errandi periculum, secundùm ius canonicum, ac diuinum examinari debent, ad solū Ecclesiasticū Iudicem spectant. Ita de vsuræ crimine docent Abb. in cit. c. cùm sit, n. 17. D. Martha p. 2. de iurisdict. c. 7. Mol. to. 2. disp. 333. Clarus §. fin. q. 37. num. 2. vbi ait: *Si vertitur quæstio iuris super vsura, cognitio spectat ad Iudicem Ecclesiasticum: neque potest Iudex secularis in ea vllo modo se intromittere; & ita concludunt omnes Doctores tam Legistæ, quàm Canonistæ.* Ratio est: Quia ex iure ciuili satis cognosci non potest, quid vsura sit, aut quinam contractus velut vsurarii damnari debeant; sed potius secundùm sacros canones id examinari oportet. Si tamen aliqua forma contrahendi in Imperio, alioue regno Christiano veluti vsuraria ciuili decreto damnata sit; v. g. census tali forma institutus: tunc ad secularem Iudicem pertinet cognoscere, an contractus eā forma dānata institutus, ideoque rescindendus sit, necne: tū quia hoc casu non de alieno, sed proprio iure iudicat: tum quia plerumque potiùs de facto iudicium fertur.

Deinde ait Clarus cit. q. 37. n. 2. in fine; Si quæstio vsurarum non principaliter, sed incidenter in iudicium veniat, per modum exceptionis contra actorem; posse, & solere Iudices seculares cognoscere, tametsi quæstio iuris sit. Cui tamen doctrinæ obstat c. tuam 9 de ordine cognitionis, & expressiùs c. lator, Qui filii sint legitimi, vbi habetur; Si petenti hæreditatem obiiciatur ex illegitimo toro natum esse, quæstionem hāc ad Iudicem Ecclesiasticum transmittendam esse: quare generalem regulam tradit Abb. ibi nu. 3. *Si spiritualis quæstio incidat coram seculari Iudice, supersedendum est in causa principali, donec incidens terminetur à Iudice Ecclesiastico.* Posteà verò remittenda est causa ad secularem Iudicem qui eam inchoârat, vti idem ait n. 5. Et in cit. c. tuam inquit n. 4. *Exemptio peremptoria, quæ suapte natura examinanda est coram alio Iudice, operatur effectum dilatorium causæ principalis: differt enim, & suspendit iurisdictionem Iudicis causæ principalis, donec fuerit super peremptorio iudicatum.* Cùm ergo Doctores communitèr fateantur quæstionem de contractu, vtrum vsurarius sit, Ecclesiasticam esse, seu pertinentē ad Ecclesiasticum Iudicem, quippe cuius proprium est inter lepram, & non lepram, peccatum & non peccatum discernere; sequitur, secularem Iudicem, ne super incidente quidem quæstione vsurarum, si ea iuris est, cognoscere posse; & si ignoscat, ab Ecclesiastico inhiberi posse. Videri potest D. Martha p. 2. de iurisdict. c. 43. n. 75.

De crimine periurii, ac vinculo iuramenti idem ex communi docent Felinus c. 2. n. 28. de sponsal. Gail. lib. 1. obseruat. 38. n. 5. Abb. cit. c. cùm sit, n. 21. & cap. cùm contingat, num. 15. de iureiurando: *Cùm ex rationum, & opinionum conflictu redditur saltem probabile dubium de valore iuramenti, non potest Iudex secularis cognoscere; sed debet referre ad Iudicem Ecclesiasticum.* De sponsalium valore docet idem Abb. in c. ex literis, 2. n. 4. de spōsal. Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 29. num. 9. Et de matrimonii valore idem Sanchez lib. 3. disp. 54.

Facti autem quæstiones sunt, cùm non dubitatur, an talis contractus vsurarius sit, vel iuramentum obligatorium, quod interuenit; sed dubitatur de facto, vtrum 10 re ipsa vsuraria pactio, vel iuramentum intercesserit: tunc Iudex secularis in foro suo inter laicos causam examinare, testes admittere, & Reū confessum, aut conuictum ad iuramenti obseruationem, vsuræ restitutionem compellere, eundémque, tanquam iuramenti violatorem, aut vsurarium, punire potest. Circa sponsalia verò bene monet Sanchez; Cùm orta de iis controuersia communiter opponi soleat, ea valida non fuisse, vel legitimā rescindendi causam adesse, de quo solo Ecclesiasticus cognoscere debet; ideò regulariter ad eum pertinere causas spōsaliorū. Si tamē hæc nō opponatur,

competens etiam erit Iudex laicus, vt sponsaliorum fidem compellat, & violatorem puniat, vt suprà dixi notan. 2. De matrimonio similiter, si aliquo modo dubitetur, an irritum sit, v. g. clandestinè contractum; ad Iudicem Ecclesiasticum spectat; testium depositiones recipere, ac iudicare. Sin verò constet clādestinè contractum, ideóque irritum esse, tum etiam secularis Iudex pœnas sui fori, in clam & illegitimè celebrantes inferre potest, sicuti docet Sanchez cit. disp. 54. concl. 1. De iuramenti autem valore interdum secularis Iudex cognoscere, ac definire potest, propterea quòd vires iuramenti interdum saltem indirectè ex iuris ciuilis dispositione pendeant: Siquidem ciuilis lex interdum ob bonum publicum impedire potest quominus contractus Reipublicæ perniciosus, quamuis interposito iuramento, impleri debeat. An verò legislator id intenderit, ad ciuilem Iudicem pertinet examinare.

Sexto Notandvm. Sicuti de rebus aliis ita etiam de Ecclesiasticis, puta Ecclesiastico beneficio, iure decimarū iure patronatus &c. duplex iudiciū institui potest: Vnum de possesione, quod dici solet iudiciū possessoriū; & alterū de proprietate, quod dici solet petitoriū, sicuti cōstat exc. 1. & toto tit. de causa possess. & proprietatis. Quod ad causā proprietatis, siue petitoriū iudiciū attinet; vt cùm quæritur, vtrū Titius sit canonicè institutus in beneficio, vtrū ius decimarum, ius eligēdi, ius patronatus, ius sepulturæ ipsi competat; vtrum Caia sit legitima vxor Sempronii, de huiusmodi nemo Catholicorum negat, solius Iudicis Ecclesiastici esse cognoscere, ac iudicare, sicuti constat ex c. 2. & 3. de iudiciis, c. causam, 2. Qui filii sint legitimi. De possessorio autem iudicio est controuersia inter Iuristas: Nam Selua p. 1. de beneficiis, q. 7. num. 12. Petr. Greg. Tholos. de benefic. cap. 40. num. 10. & alii apud Couarruuiam in pract. qq. 35. Nicol. Garciam p. 1. de beneficiis, cap. 2. num. 50. existimant, laicum etiam Iudicem in causa possessionis, v. g. beneficii, adipiscendæ, retinendæ, aut recuperandæ competentē esse. Probāt ex doctrina Gl. in c. literas, de iuramento calumniæ; possessionem rei spiritualis non spiritualem, sed temporalem esse; quia non in iure, sed in mero facto consistit: quare in l. naturaliter, §. 1. ff. de acquirēda possess. dicitur, *quòd proprietas nihil commune habet cum possessione.*

11 Sed contraria sententia est vera, quam docet Couar. l. c. Ioan. Gutierez lib. 1, canonic. qq. c. 34. n. 21. Nicol. Garcias l. c. Azor t. 1. lib. 5. ca. 14. q. 1. Probari autem debet fundamento opposito contrariæ sententiæ; videlicet, tametsi mera occupatio siue detentio rei in facto consistat, tamen possessionem iustam non esse sine iure: cùm sit ius insistendi, siue detinendi rem aliquam, sicuti definit Gl. in l. 1. ff. de acquir. vel amittenda rerum possess. Abb. in cit. c. litteras, n. 6. & 8. de iuram. calūniæ. Consequenter possessio rei spiritualis, itidem spiritualis est: sequitur enim naturā proprietatis: quare sicuti laicus proprietatis in capax est, ita & possessionis iuris spiritualis, vti expresè habetur in c. causā, de præscriptionibus: & sicuti causa proprietatis, ita & causa possessionis circa spiritualia, ad solum Ecclesiasticum Iudicem spectat, sicuti satis colligitur ex c. 1. & Clem. vn. de causa possess. & proprietatis, Clem. vn. de sequestratione possessionum & fructuum, & Clem. dispendiosam, de iudiciis.

12 Ad l. naturaliter, pro priore sententia allegatam respondetur; Proprietatem nihil commune habere cū possessione, quoad acquisitionem: quia separari possunt; vt penes aliū sit rei dominiū, & penes aliū rei possessio: At verò quoad cognitionem iudicialem, causas possessionis & proprietatis connexas esse, neq; diuidi debere, sicuti cauetur expresè in l. nulli, C. de Iudiciis, & in cit. c. 1. Causæ continentiā diuidendā non esse; ideóq; non posse alium super causa possessionis, & aliū super causa proprietatis Iudicē postulari. Ratio est, partim quia causa possessionis sæpe obtineri non potest, nisi exhibito iure, siue titulo aliquo proprietatis: partim quia iudiciū possessoriū multùm præiudicat petitorio; propter subleuationem probationis, & iuris prærogatiuam: quandoquidem in dubio seu pari causa possessori res adiudicari debet.

Accedit id speciale in beneficijs Ecclesiasticis, quòd ea à laicis possideri non possint: eadémque est ratio de decimis spiritualibus, siue clericalibus: earum enim possessionis incapacem esse laicum, habetur in cit. c. causam, de præscript. Quamobrem etiam possessoria causa beneficiorum, & spiritualium decimarum necessariò inter Clericos agitatur: consequenter solus Iudex Ecclesiasticus competens esse potest; non solùm propter qualitatem causæ, vt suprà dixi; sed etiam propter qualitatē Rei cōueti, qui à seculari iurisdictione exēptus est. 13

Cæterùm, si controuersia non sit de iure possidendi, siue possessione iuridica; sed de solo facto laici turbantis, vel pellentis Clericum è possessione beneficij, iuris decimarum, tunc receptissima est DD. sententia, causam esse mixti fori, ideóq; Clericū contra laicū turbatorem, vel spoliatorem agere posse interdicto retinendæ, vel recuperandæ possessionis, etiam corā Iudice laico: quia is iudicaturus nō est de iure, sed solo facto, siue iniuria illata à laicis: sicuti si laicus personā sacram violauerit, Ecclesiam inuaserit, calicem consecratum abstulerit; causā cognitā à seculari Magistratu, compelli potest, vt iniuria absistat, & damnum compenset: quia sacrilegij crimen est mixti fori. Quare hanc sententiam tradit Abb. in cap. literas, n. 8. de iuram. calumniæ, Gutierez cit. c. 34. num. 42. Rebuffus tract. de decimis, q. 10. n. 3. Nicolaus Garcias cit. c. 2. n. 59. D. Martha p. 2. de iurisdict. c. 43. n. 18. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 38. contra Azor cit. c. 14. q. 1. qui pro sua sententia allegare videtur Couarruuiā: sed is non fauet; cùm apertè loquatur in casu, quo Clericus reus est. Nā si contra laicū agatur in quæstione meri facti, v. g. quia decimas soluere recusat; vtrumlibet Iudicem secularem, vel Ecclesiasticum adiri posse, expresè ait idem Couar. n. 2. Qua simili ratione dicunt aliqui, si Clericus à laico iniustè impediatur ab vsu iurispatronatus, funeris &c. posse Iudicem secularem de eiusmodi personali iniuria cognoscere, vti videre licet apud D. Martham p. 2. de iurisdict. c. 41. n. 8. Gaill. cit. obseruat. 38. n. 8.

Veruntamen si in eiusmodi casu quæstio de iure, seu proprietate admisceatur; puta laicus conuentus interdicto retinendæ, aut recuperandæ possessionis decimarum, contendat feudales, seu laicales esse; vel conuentus de solutione decimarum, exemptionis priuilegium, vel præscriptionem alleget; tunc haud dubiè ad Ecclesiasticum Iudicem causa referenda erit.

Denique non dubito, contra laicum conductorem decimarum, post moram soluendi, agi posse coram Iudice laico: quia non agitur de iure, aut possessione decimarum; sed de pretio conductionis, qui est contractus politicus, sicuti ex communi docet Couar. cit. n. 2. Gutierez n. 49. contra Azor to. 1. lib. 7. c. 25. q. 6.

Locutus autem sum duntaxat de decimis clericalibus, quæ ratione spiritualis tituli percipiuntur; ideóque in personam laicam nulla prorsus concessione, aut priuilegio cadere possunt. Aliæ verò sunt, quæ dici solent laicales; quia à laicis etiam personis perpetuo iure percipiuntur: quæ, vt iustæ sint, fundari debent vel in Sūmi Pontificis concessione, vel etiam aliorum Prælatorum concessione, facta tamen ante Concilium Lateranense, sicuti dixi suprà hoc lib. tract. 6. cap. 6. num. 8. De his verò decimis, cùm à titulo & iure spirituali separatæ sint, seculares Iudices passim cognoscere, testatur Couar. cit. n. 2. quem sequitur Canisius cit. c. 18. num. 15. Neque dubitari debet, quin legitima talis consuetudo existat, si decimæ titulo oneroso, v. g. permutationis, in laicos translatæ fuerint, sicuti notauit Azor cit. li.

7.c.25.q.3. §. Cæterùm: Multóque magis, si ponamus decimas secundùm primam originem suam merè laicales esse, de quibus ex Pet. Greg. dixi eod. tract. 6. c. 1.

14 At verò si titulo gratuito in feudum concessæ sint à Sum. Pontifice, vel aliis Episcopis; non ideo consequens est, iudicialem cognitionem de eiusmodi decimis ad Iudicem secularem spectare: tum quia tales decimæ non omnino alienatæ sunt ab Ecclesia, sed tantùm quoad dominium vtile: est autem receptissima regula Doctorum; Controuersiam de feudo coram domino feudi decidi oportere; cùm sæpe numero eius etiam intersit: tum quia eiusmodi concessiones, vel priuilegia, quæ Ecclesiæ, & iuri communi derogant, extendi non debent. Igitur tametsi laico concessum sit ius fructuum decimalium percipiendi, vel beneficia conferendi; non ideo sequitur, concessum etiam esse ius iudicandi de causis decimalibus, beneficialibus: cùm hæc iura diuersa, & separata sint. ídque notauit Rebuf. tract. de decimis, q.10.n.35. Azor cit. q.3.§. hoc posito.

15 Multò minùs probanda est consuetudo illa ciuilium Iudicum apud Couar. cit. c.2. ver quartò, qui orta controuersia inter laicum & Clericum de decimis, sintne laicales, an clericales, cognoscunt de possessione laici, quippe quam meri facti esse aiunt, eámque, si immemorialem esse deprehendant, laico ius decimandi adiudicant, & contra Ecclesiasticos omnimodè defendunt. Cùm enim in hoc casu quæstio principalis omni iure ad Iudicem Ecclesiasticum spectans de iure proprietatis sit; sequitur etiam accessoriam, quæ est de possessione, ab eodem Iudice cognosci oportere, iuxta cit. l. nulli, C. de Iudiciis. Accedit id speciale, quòd, vti dixi cit. tract. 6. c. 6. num. 8. Laici decimas possidere non possunt; consequenter neque præscribere, nisi titulum seu concessionem exhibeant; vel saltem ostendant, constantem famam esse de concessione ipsis facta. Cognitio autem siue examinatio tituli, & iustitiæ eius, ad Ecclesiasticum Iudicem spectat; sicuti in simili notauit Abb. c. quanto, num. 11. de iudiciis. Ad hoc respondent aliqui, ipsam possessionem immemorialem inducere præsumptionem tituli, ac priuilegii, iuxta c. 1. de præscript. in 6. & c. super quibusdam, de verbor. significat. Sed bene replicat Abb. in cit. c. causam, num. 2. Veram esse hanc doctrinam, modò aliquis præscriptionis capax sit: non item, si iura aliquem incapacem reddant ciuilis possessionis, ac præscriptionis, propter magnam præsumptionem iniustè detineri; sicuti factum est in casu decimarum, quas laici possident, si titulum vel exhibere, vel verosimilibus coniecturis probabilem reddere non possint. Videri potest Rebuffus de decimis, qu. 10. n. 43. & sequentibus.

CAP. III.

DE ASYLO, SEV IVRE IMMVNItatis constituto ecclesiis.

SVMMARIVM.

1 *Legibus tum ciuilibus, tum canonicis asylum, seu ius immunitatis Reis ad ecclesiam confugientibus constitutum est.*

2 *Non solùm templa, & sacella; sed etiam alia loca religiosa, vt hospitale Episcopi auctoritate fundatum, monasterium, quin & Episcopi palatium, Ecclesiastica immunitate gaudent.*

3 *Immunitas ecclesiæ Reis concessa, ampliùs se, quàm ecclesiæ violatio extendit.*

4 *Probabile, ac decens est, vt Reus confugiens ad Sacerdotem S. Eucharistiam manibus ferentem, ab ecclesia defendatur.*

5 *Alius est reus debiti; & alius reus criminis.*

6 *Nemo criminosus ad ecclesiam confugiens extrahi inde debet, nisi in casibus iure exceptis.*

7 *Qui prope ecclesiam fiducia immunitatis deliquit, non ideo hoc priuilegio priuandus est.*

8 *Publicus latro, vel agrorum depopulator, hæreticus, & qui per insidias hominem occidit immunitate loci sacri gaudere non debent. Secùs dicendum de iis, qui sine insidiis, ex proposito hominis cædem aggrediuntur.*

9 *Assasini nomen non eodem modo à Doctoribus accipi solet.*

10 *Omnes fideles, etiam excommunicati, non item infideles hac immunitate gaudere possunt.*

11 *Clerici, qui exemptionis priuilegio gaudent, confugientes ad Ecclesiam propter delictum, ab Ecclesiastico Iudice suo extrahi possunt.*

12 *Si infidelis reus ad ecclesiam confugiens sacrum Baptisma non simulatè petere videatur defendendus est.*

13 *Immunitatis Reorum ad ecclesiam confugientium plures, iique magni effectus sunt.*

14 *Iudex secularis Reum extra casus iure, vel legitima consuetudine exceptos, è loco sacro extrahens, sacrilegium committit: ipsique Iudex Ecclesiasticus resistere potest, præsertim censuris.*

15 *Processus iudicii contra Reum illegitimè extractum, ipso iure irriti sunt.*

QVÆSTIO PRIMA. Quo iure asylum, siue immunitas Reis, ad ecclesiam &c. confugientibus, constituta sit? Respondeo; Legibus tum ciuilibus Chri- 1 stianorum Imperatorum, Cod. de his qui ad ecclesiam confugiunt: Et Auth. de mandatis Principum, §. Sed nec homicidis, tum multò magis canonicis statutis, quibus etiam dictæ leges ciuiles approbatæ, & stabilitæ fuerunt, sicuti constat ex cap. inter alia, de immunit. Eccles. ibi: *iuxta sacrorum statuta canonum, & traditiones legum ciuilium.* Et c. id constituimus, 17. q. 4. Concil. Aurelian. 1. cap. 3. *Id constituimus obseruandum, quod Ecclesiastici canones decreuerunt, & lex Romana constituit, vt ab ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi Reos abstrahere omnino non liceat*, c. eos qui, d. 87. ex Concil. Arausicano 1. can. 5. *Eos, qui ad ecclesiam confugiunt, tradi non oportere; sed loci sancti reuerentia, & intercessione defendi.* Vide etiam cap. sicut antiquitus, cap. Reum, cap. si quis contumax, cap. definiuit, eadem quæst. 4. S. August. epist. 187. ad Bonifac. & S. Chrysost. serm. inuectiuo contra Eutropium, tomo 5.

Enimuero licet probabilior sit sententia Couarruu. 2. resolut. cap. 20. num. 2. & aliorum, contra Abulensem in cap. 20. Iosue, quæst. 7. In lege veteri, præter ciuitates refugii, de quib. cit. c. 20. etiam ipsum templum Hierosolymitanum Reis pro asylo constitutum fuisse. idque colligi videtur ex cap. 21. Exodi. *Constituam tibi locum, in quem fugere debeas.* videlicet altare templi; attamen lex illa Mosaica post Christi mortem expirauit; ideóque non ex illius obligatione, sed solùm ad imitationem, & multò magis secùdùm iuris naturalis congruam æquitatem, talis immunitas sacratis locis concessa est. Dico *congruam æquitatem*: Non enim id absolutè præcipit lex naturalis, etiam supposita sanctitate loci; quippe cui extractio malefactorum, quæ per se iusta est, haud repugnare videtur. Multò minùs lex positiua Euangelica talem immunitatem decreuit: quandoquidem Christus, supra legem naturæ, ac Fidei, nullas leges cæremoniales præscripsit; nisi circa ritus Sacrificii & Sacramentorum: reliqua verò Ecclesiæ disponenda reliquit, sicuti notauit Couar. l. c. n. 2. & Suarez t. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. cap. 8. n. 13.

QVÆSTIO SECVNDA. Quænam loca immunitate gaudeant? Respondeo; Inprimis templa, & sa- 2 cella, Episcopi auctoritate consecrata, vel benedicta, aut alia ratione, v.g. crucis erectione, deputata ad publicum Sacrificii, & Sacramentorum vsum. Nàm talia loca sacra censentur, ideóque *nullis temerariis ausibus profananda sunt*, c. penult. de immunitat Eccles. vbi id explicat Abb. n. 5. & Syl. ver. immunitas, 1. q. 1. vbi eadem ratione infert, etiam oratoria, Ecclesiastica immunitate gaudere, si cum Episcopi auctoritate diuinis officiis deputata, licet nec consecrata, nec benedicta sint. Secùs autem sentiendum de priuatis oratoriis, in quibus Papa, vel Episcopus licentiam dedit Missam celebrandi; hæc enim immunitate Ecclesiastica non gaudent, vti ex communi annotauit Sanchez li. 9. de matrimon. disp.

15. num. 59. Quod autem ait ibidem, oratoria non consecrata, neque benedicta, sed ad publicum cultum diuinum deputata, sanguinis, aut seminis effusione, aliísque modis violari, id etiam Gloss. arbitratur c. vlt. de consecrat. eccles. ver. non consecrata. Sed consuetudine receptum non videtur: cùm neque ex dicto c. vlt. satis colligi possit; quando dicitur, Ecclesiam non consecratam, si polluta fuerit, aquâ exorcizatâ lauandã esse. Intelligitur enim de ecclesia benedicta, si sanguinis v.g. iniusta effusione polluatur, simplici aqua benedicta à Presbytero reconciliari posse. Vide quæ dicam li. seq. tract. 5. c. 5.

Atque extendenda est hæc immunitas. I. Vt locum etiam habeat in ecclesia interdicta; similiter & in polluta, aut violata, & nondũ recõciliata. Quia hæ iuris censuræ, seu impedimenta, cùm quasi pœnalia & odiosa sint, extendi non debent vltra casus iure expressos, sicuti videre est apud Abbatem in cit. cap. penult. Syluest. ver. immunitas, 1. quæst. 1. Iulium Clarum §. practica criminalis, q. 30. num. 3. Suarez cit. lib. 3. cap. 9.

II. Vt locum etiam habeat in ecclesia, licet nondum in ea diuina officia celebrari cœperint, vti excommuni docent Couarruuias cit. cap. 20. num 4. Syluest. Suarez ll. cc. & constat ex iis quæ dicam lib. 5. tract. 5. c. 5. num. 1.

III. Vt locum etiam habeat in cœmiteriis: quia cœmiteria eisdem gaudent priuilegiis, quibus ipsæ ecclesiæ, teste Abbate in cap. cùm ecclesia, num. 2. de immunitate ecclesiæ.

IV. Vt dicta immunitas sit in omnibus locis seu habitaculis ecclesiæ, puta sacristia, porticu, atrio *quolibet modo ecclesiæ adhærentibus*, sicuti dicitur in cap. si quis contumax, 17. q. 4. vbi Gloss. ver. *adhærentibus* allegat l. ff. de rei vindicat. *Quæ religiosis adhærent, religiosa sunt.* Et in cap. sicut antiquitus, cap. quisquis, cap. definiuit, eadem quæst. 4. extenditur ius immunitatis ad domus, atria, & quæcunque loca existentia in circuitu 40. passuum in ecclesiis maioribus, 30. verò in minoribus. Verùm per consuetudinem, qua hodie vtimur, pro dictorum passuum circuitu, nunc tali iure gaudet ambitus cœmiterij ab Episcopo deputatus, vti annotauit Nauar. cap. 25. num. 18. Suarez cit. cap. 9. num. 8. Clarus cit. q. 30. num. 1.

V. Ob similitudinem rationis ex allegatis iuribus deducit Couar. cit. c. 20. n. 18 etiam eum per ecclesiæ immunitatem defendi oportere, qui cùm ad ecclesiam confugisset, eam clausam inueniens, manu portas earúm ve ansam, aut vectes apprehendit. quod etiam Igneus respondit in l. 1. ff. ad Syllanum, testatus Rhotomagi sæpius ita responsum fuisse. Præterea vt locum habeat ius immunitatis, tametsi aliquis in superiore parte fabricæ, vel in turri, vel etiam supra tectum ecclesiæ existat, sicuti Suarez notauit num. 7. Neque obstat, quòd in talibus locis ecclesiæ non polluatur: nam ecclesiæ violatio odiosa est; immunitas autem fauorabilis: quare hæc à iure, & consuetudine optima iuris interprete, magis extenditur, quàm illa. Atque hæc de immunitate templorum, & locorum adhærentium.

Secundò; Immunitatis iure gaudent omnia alia loca, quæ canonico iure religiosa censentur, vt Hospitale Episcopi auctoritate constitutum, iuxta cap. ad hæc, de religiosis domibus. Item Religiosorum domus, seu monasteria, cum toto ambitu claustri, sicuti colligitur ex c. ligna, d. 1. de consecrat. & docent DD. communiter, atque consuetudo confirmat.

Tertiò, Episcopi palatium, sicuti constat ex c. id constituimus, 17. q. 4. Idqúe locum habere Gloss. admonet, etsi palatium ab ecclesia seiunctum, siue extra 40. passus constitutum sit: quam sententiam, vt communiter receptam, commendat Abb. c. penult. numero 9. de immunit. ecclesiæ, Couarruu. cit. cap. 20. num. 5. ver. quintò, qui tamen admonet, consuetudine aliter obseruari, vt videlicet Episcopi domus immunitate non gaudeat, nisi sit posita intra 40. passus ecclesiæ matricis. Idémque notat Clarus §. fin. q. 30. n. 2.

Quartò, Archidiaconus in c. quæsitum, 13. quæst. 2. Abb. in c. sanè, n. 2. de celebr. Missarum, Syluest. ver. immunitas, 3. quæ. 1. Nau. cit. n. 18. D. Martha de iurisdict. p. 2. c. 50. in fine, Clarus cit. §. fin. seu in pract. criminali, q. 98. n. 2. Sa ver. ecclesiæ immunitas, n. 1. Suarez cit. c. 9. in fine, & alii docent; Fugientem ad Sacerdotem S. Eucharistiam manibus portantem, simili immunitate gaudere, vt inde auelli non possit. Quæ pia admodum, & valde probabilis extensio est: siquidem corpus Christi longè dignius est, imò ratio, & quasi fundamentum immunitatis concessæ locis sacratis, seu religiosis. Quia tamen de hoc nihil in iure expressum reperitur, ideo Gloss. in cit. c. quæsitum, contrarium docet, propterea, quòd *priuilegium ad non expressa per consequentiam trahi non debet.* Couarruuias verò in cit. c. 20. num. 6. dubius est in hac re. Profectò valde rationabile apparet, vt Reus ita confugiens, salutẽque suam quærens, ab ecclesia defendatur; ídque arbitror in praxi obseruandum fore. Ad obiect. Gloss. respondetur cum Abb. Quin imò priuilegium extendi posse vltra casum expressum, ex voluntate priuilegiantis rationabiliter præsumpta. 4

Non desunt etiam apud Clarum l. c. n. 5. qui dicunt; Si Reo ad supplicium ducendo Cardinalis obuiam factus, pileum suum imponi faciat, à morte liberandũ esse. quod verum censeri debet, vbi per consuetudinem tale priuilegium Cardinalibus concessum est; qui, vt Clarus ibi ait; Regibus æquiparari debent.

QVÆSTIO TERTIA. In quibus causis immunitas Reo præstanda sit? Respondeo: Reus alius est in causa ciuili, qui dicitur *reus debendi*, siue debitor: alius in causa criminali, id est, reus criminis, ac pœnæ. De Reo prioris generis; Num videlicet debitis grauatus, si ad ecclesiam confugiat, tutus esse debeat, vt inde extrahi non possit, Doctores non omnes consentiunt. Negat enim Iason in l. vinum, ff. si certum petatur. Sed alij communiter, & rectè affirmant. apud Abb. c. inter alia, n. 22. de immunit. eccles. Syluest. ver. immunitas, 3. q. 3. dicto 6. Nauar. c. 25. n. 19. Couarruu. cit. c. 20. n. 14. Gutierez lib. 1. pract. q. 1. n. 13. & sumitur apertè ex l. 1. & vlt. C. de his, qui ad ecclesiam confugiunt, vbi habetur, quòd talis ob ciuilia debita ad ecclesiam confugiens, per se, vel per procuratorem in iudicio comparere possit: sin id facere detrectet, vel differat, Iudicem, post solemnium edictorum citationem, bona debitoris apprehendere, & ex iis petitoribus ad modum debiti satisfacere posse. Idémque obseruandum aiunt DD. citati, tametsi ad ecclesiam confugiens publicorum tributorum debitor sit, non obstante Auth. de mandatis Principum, §. publicorum: quippe cum hæc constitutio iuri Pontificio aduersetur. Cæterùm hoc ius immunitatis respectu debitorum ex causis ciuilibus in quibusdam regnis non vsqueadeo obseruari, monet idem Coua. cit. n. 14. ver. Nec tamen me latet: præsertim, si per fraudem bonis absconsis, vel secum delatis in ecclesiam se recipiant, vti Gutierez loco cit. obseruauit. 5

De Reis verò propriè dictis, siue ex crimine, generalis & communiter approbata regula est; Neminem criminosum, ad ecclesiam confugientem, inde extrahi posse, nisi in casibus iure, vel æquiualente consuetudine exceptis, sicuti videre est apud Naũ. lo. cit. Clarum cit. qu. 30. n. 8. Suarez c. 11. n. 4. Casus autem excepti sunt hi: I. Si crimen, ídque graue, in ipsa ecclesia committatur, sicuti habetur in c. vlt. de immunit. eccles. *Cùm in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium inuocet, qui deliquit in legem.* de quo videri potest 6

Abb. ibid.n.8.Nau.n. 20.Couar.n.15.Suarez.cit.c.11.n. 6.vbi monent; Nihil referre, vtrum quis in ecclesia delinquat ex præsumpta spe immunitatis, an sine tali præsumptione: nam vtroque casu Reum priuilegio immunitatis priuari, consuetudo optima iuris interpres declarat Idémque sentiendum, etsi delinquens in ecclesia existens occidat, v. g. vel occidi mandet hominem extra ecclesiam existentem; vel, vice versa, extra ecclesiam existens occidat, vel occidi iubeat hominem in ecclesia existentem. Siquidem vtroque horum casuum delinquens iniuriam infert ecclesiæ, seu sacro loco, ideóque indignus est, vt inde defendatur, ex quo potiùs pœnam meretur. quæ est ratio prima cit. c. vltim. de immunit. eccles. Et ita docent Abb. in cit. c. vlt. n. 12. Nauar. c. 25. n. 21. Suarez l. c. D. Martha de iurisdict. p. 2. c. 51. n. 26.

7 Illud verò non satis probatum est, quod tradunt Hostiensis in sum. de immunitate ecclesiæ, §. in quantum, Couar. num. 15. D. Martha cit. c. 51. num. 2. Si quis prope ecclesiam ex proposito deliquerit, fiducia ecclesiasticæ immunitatis consequendæ, eodem iure priuari, & ab ecclesia extrahi posse. Nam talis re vera non delinquit contra reuerentiam ecclesiæ: cùm in ea peccatum non perpetret, sed patrati delicti immunitatem duntaxat se consecuturum speret: quare contrarium probabilius docent Abb. c. inter alia, n. 18. de immunit. Eccles. Angel. ver. immunitas, §. 17. Nau. c. 25. n. 22. Suarez cit. c. 11. n. 9.

8 Alter casus exceptus habetur apertè in c. inter alia, de immunit. eccles. *Nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum*, vulgò ein Zandreuber. Nam vt tales homines indigni reddantur beneficio immunitatis, requiritur (inquit ex communi Clarus cit. q. 30. n. 9.) eos vias publicas paratis insidiis obsidere ad homines interficiendos, vel agros depopulandos. Vide Abb. in cit. c. inter alia, n. 5.

Tertius casus habetur in c. 1. de homicid. quod est sūptū ex c. 21. Exodi: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo auelles eum.* Cuius rei exemplum habemus in Salomone Rege 3. Regum 2. qui Ioab ad altare confugientem impunem non reliquit: quia per insidias Abner occiderat 2. Reg. 3. & Amasam 2. Regum. 20. Et simile est, si quis hominem veneno enecet: cùm id sit homicidium qualificatum, ac proditorium; teste Couar. cit. c. 20. num. 7. Gomez lib. 3. resolut. cap. 3. num. 7. Mol. tract. de iustit. disput. 24. Hieron. Gigante de crimine læsæ Maiest. q. 10. num. 23. D. Martha lib. 2. cap. 51. num. 8. argumen. l. 1. §. occisorum, ff. ad S C. Sillanianum, & l. 1. Cod. de Malef. & Mathematicis: *Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio.*

Sed controuersia est inter Doctores, vtrum illi ecclesiæ immunitas prodesse debeat, qui non quidem per insidias hominem incautum occidit, v. g. à tergo aggrediendo, tamen de industria, seu ex proposito. Talem homicidam immunitatis asylo non gaudere, sed extrahi posse, docent Clarus §. fin. quæst. 30. num. 12. Molin. tract. 3. de iust. disput. 23. Andr. Fachinæus p. 3. lib. 9. controuers. cap. 93. Sed contraria sententia est vera, & tenenda, quam tradit Couarruuias cit. cap. 20. num. 7. Suarez cap. 11. num. 13. Nam exceptio illa à lege communi ecclesiæ valde fauorabili odiosa censeri debet; ideóque non extendenda; sed potiùs strictè interpretanda, seruata verborum proprietate. Verba autem textus propriè explicantur si duæ illæ voces per industriam, & *per insidias* coniunctim sumantur; vt posterior sit limitatio seu determinatio prioris, sensúsque sit, si quis occiderit *per industriam insidiosam*, sicuti Couarruuias vertit. Videri etiam potest Ioan. Gutierez lib. 1. pract. quæst. 2.

9 Quartò excipiunt aliqui apud eundem Couarruuias num. 10. Si Assasinus ex alterius mandato hominem insidiosè occidat. Sed sciendum est *Assasini* nomen duobus modis à Doctoribus vsurpari: Primò latè, pro omni eo, qui pretio conductus hominem incautum occidit: & tunc casu non videtur distinctus à præcedente: siquidem in illo æquè mandans, ac mandatarius immunitatis iure priuantur: quia *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*, regul. 72. in 6. Dummodò effectus, siue cædes re ipsa sequatur: nam solus conatus, siue aggressio, aut etiam vulneratio nōn videtur sufficiens, vt reus ad ecclesiam confugiens inde extrahi possit; sicuti notauit Suarez cit. cap. 11. numerò 14. Secundò strictè & propriè, Assasini dicebantur infideles ex Syria, qui fas esse arbitrabantur, quoscunque Regis sui inimicos, ipso iubente, necare. de quibus mentio est in cap. 1. de homicid. in 6. Ex quo textu colligi videtur, Christianum mandantem per eiusmodi Assasinum homicidium patrari, etiam effectu non secuto, immunitatis iure spoliati posse, sicuti idem Suarez notauit num. 16. & videri etiam potest Couarruuias cit. num. 10. Nauar. cap. 27. num. 136. Suarez tom. 5. disput. 23. num. 46. Ex quorum doctrina intelligitur, pœnas, ac censuras decretas in cit. cap. 1. de homicidio in 6. aduersus crimen Assasinorum, hodie non ita locum habere; cùm tales Assasini infideles, de quibus ibi mentio fit, nunc non grassentur.

Quintò in cit. Authent. de mandatis Principum, cap. 11. habetur; Neque homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus, sanctorum terminorum tutelam concedendam esse. Verùm id iure canonico correctum esse, constat non tantùm ex c. de raptoribus; 36. q. 1. sed etiam ex cap. inter alia, de immunit. ecclesiæ, vbi dicitur: *Si liber, quantumcunque grauia maleficia perpetrauit, non est violenter ab ecclesia extrahendus.* Et paulò pòst: *Et hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum.* quæ exceptiones confirmant regulam in alijs. Atque ita docet Abb. cit. cap. inter alia, num. 14. Angelus ver. immunitas, §. 17. Syluest. 3. quæst. 2. Suarez cap. 11. 17. & esse communem ait Ioan. Faber Institut. de his, qui sunt sui, vel alieni iuris, §. Sed & hoc tempore, Clarus cit. q. 30. num. 10. Licet contrarium de virginum raptoribus sentiat Couarruu. num. 8. eò quòd grauissimum crimen sit: quæ tamen ratio nullius momenti est; cùm apertè repugnet iuris canonici constitutio in dicto cap. inter alia: Atqui in hac materia iuri canonico potiùs, quàm ciuili adhærendum esse, fatetur ipse Couarruu. num. 3. & alii communiter. Quare hæc sententia defendi non potest, nisi vigore consuetudinis; si alicubi scientibus & tacitè consentientibus Ecclesiæ Prælatis, introducta sit; sicuti etiam consuetudine obtentum esse, monet idem Couarruu. num. 13. in fine; & D. Martha tract. de iurisdict. p. 2. cap. 51. num. 23. Vt fures, etiam simplices, ad ecclesiam confugientes, à seculari Iudice extrahi possint. Cùm enim hoc crimen propter eius frequentiam valde perniciosum Reipublicæ existat, ideo consuetudo obtinuit, vt in multis casibus inter excepta numeretur. Veruntamen in Gallia fures ecclesiæ immunitate gaudere, testatur Clarus num 14.

Sextò aliqui apud Couarruu. num. 15. Suarez num. 18. excipiunt; Si Reus iam captus, ex custodia, vel manibus Ministrorum elapsus, ad ecclesiam confugiat; item si in arresto positus sub iuramento promiserit se permansurum; huiusmodi casibus ecclesiæ immunitatem ipsi non profuturam. Verùm contraria sententia est communis, quam Couar. & Suarez ibidem sequuntur, item Abb. cit. c. inter alia, in fine, Syl. ver. immunitas, 3. q. 3. §. quintum, Angelus §. 19. Cùm enim immunitas in fauorem ecclesiarum introducta sit; delictum Rei præiudicare non debet. Nihilominus talem ex

arresto aufugientem à Prælato ecclesiæ tradi posse; præstita priùs cautione de immunitate pœnæ corporalis, notant Couarruu. Syluest. Suarez ll.cc.

Denique hæretici crimen plerique excipiunt, vt videre est apud Couar.num.11. ver. decimoquarto, Martha cit.c.52.num 29.vbi rationem affert: Quia illi delinquunt contra ecclesiam; ideo non merentur ab eà defensionem. Idémque docet Sa num.3. de Reis læsæ Maiestatis in Principem, vt saltem cum Episcopi licentia extrahantur. Vide etiam Clarum q.30.num.10.& q.36.num.27.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum omnes homines non tantùm fideles; iique tum Clerici, tum laici; sed
10 etiam infideles immunitate ecclesiæ in casibus iure concessis gaudere possint? Respondeo, & dico I. Fideles gaudent immunitate, etsi excommunicati sint. Ita ex communi Couar. num. 11. Ratio est: Quia excommunicatio non habet alios effectus, nisi qui iure expressi sunt: hic autem expressus non reperitur, vt delinquentem ecclesiæ immunitate priuet. Idémque multò magis dicendum de censurâ personalis interdicti, sicuti notauit Suarez cap.10.numero 3.

Dico II. Immunitas hæc ecclesiarum propriè tantùm introducta videtur comparatione Iudicum secularium, quominus Reos ab ecclesia extrahere possint; non item comparatione Iudicum Ecclesiasticorum. Ita singulariter notauit Azor to. 2.lib.9.c.9.q.9. §. Quid de pagano, Suar.cit.c.10. num.6.& nm.13.argum. c.inter alia, de immunit. Eccles.

11 Hinc intelligitur primò; Clericos delinquentes, etsi ad ecclesiam confugiant, tamen ab Ordinario suo ad Ecclesiasticum iudicium extrahi posse. Ita enim consuetudine obseruari, testantur Abb.num.13.Syl.qu. 3.§.tertium, Nauar. cap. 25. num. 21. & 22. Remigius de Gonny, de immunit. eccles. Fallentia 21. Clarus quæ. 30. num.16. Ratio est: Tum quia Iudex Ecclesiasticus maiorem potestatem habet in ecclesiam, ex qua Reus extrahitur, quàm secularis: tum quia in iudicio Ecclesiastico non ita seuerè agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam, sicuti in seculari: quamobrè Ecclesiasticum iudicium etiam in ecclesia exerceri potest, non autem seculare; sicuti bene annotauit Abb. in cit.n.13. c.inter alia, & habetur in c.vlt.2.q.1.

Intelligitur secundò; Quibus casibus Iudex secularis capere potest delinquentem Clericum in minoribus, si beneficiatus non sit, nec habitum & tonsuram gestans alicui ecclesiæ seruiat, iuxta Trident. sess.23. cap. 6. de reform. iisdem haud dubiè locum esse immunitati ecclesiæ: vt nec à Iudice seculari, nec Ecclesiastico extrahi queat. Quia Clericus in minoribus tali casu reputatur vt laicus; saltem non debet esse deterioris conditionis, quàm laicus.

Sed quid, si Clericus gaudens priuilegio fori committat delictum, ob quod seculari Iudici tradendus sit, nunquid ab Ecclesiastico extrahi poterit, vt illi tradatur? Respondeo cum Couarruu.cit.cap. 20. numero 16. Suarez cit.cap.10.num. 7. Crimina, ob quæ Reus clericus deponendus, & seculari Iudici tradendus sit, plerumque esse excepta, seu in quibus Ecclesiastica immunitas cessat; ideóque nullum locum propositæ quæstioni esse posse. Sin verò aliquod crimen sit, quod ab Ecclesiasticæ immunitatis defensione non excipiatur, & nihilominus ob id Clericus incorrigibilis Iudici seculari tradi possit, tunc Iudex Ecclesiasticus vel illum extrahere non debet, vel, si extrahat, curiæ seculari tradere nequit.

12 Dico III. Iudæi, & Pagani non gaudent immunitate ecclesiæ; excepto vnico casu, si ad ecclesiam confugientes, Baptismum non simulatè petere videantur. Sumitur ex l.1.Cod.de his, qui ad ecclesiam confugiunt, iunct. Gloss. marginali, & idem sentit alia Gloss. cit. cap. inter alia, verbo extrahendus. Angelus verb. immunitas, §.13. Suarez cap. 10.num. 10.contra Syluest. verbo immunitas, 3. quæst. 3. §. primum, qui cum Hostiensi, & aliis indistinctè ait; Iudæos, & Paganos ecclesiæ immunitate gaudere. Est item contra Remigium fallentia 18. Clarum quæst. 30. numero 17. Couarruu. num. 11. qui sine exceptione aiunt; Infideles delinquentes ab ecclesia, in quam confugerunt, extrahi posse. Sed prior pars assertionis probatur: Tum quia par non est, ab ecclesia defendi eum, qui eius gremio, tutelæ, ac fidei se committere recusat, ait Couarruuias cit. numero 11. Tum quia canones, statuentes immunitatem Reis, videntur loqui secundùm materiam subiectam de personis sub iurisdictione ecclesiæ constitutis. Altera verò pars assertionis, siue exceptio illa probatur: partim quia per se valde æquâ est; partim quia satis apertè colligitur ex l.1.Cod. de his, qui ad ecclesiam confugiunt; ideóque etiam iure canonico locum habere debet, argum.cit. cap.inter alia, ibi, *iuxta statuta canonum, & traditiones legum ciuilium*. Veruntamen si infidelis post delictum commissum ad ecclesiam confugiens, Baptismum petat, cùm antea conuersionis nulla signa dedisset, præsumptio est contrà illum, quòd simulatè, & solùm pœnæ vitandæ causâ petat; ideóque, nisi contrarium apparere videatur, extrahi potest. Non tamen assentior Abbati in cit. cap.inter alia, num. 6. quem sequitur D. Martha cap. 51. num. 33. præsumptionem hanc iuris esse, ac de iure, contra quam non admittitur probatio in contrarium. Quin potiùs dicendum, ad Ecclesiæ Prælatum pertinere, vt in hoc casu examinet voluntatem Rei sacrum Baptisma petentis; &, si iudicârit veram esse atque à Deo inspiratam, immunitatem ipsi concedat, quominus à Iudice tunc extrahi possit, sicuti docet etiam Suarez loco citato.

QVÆSTIO QVINTA. Quinam sint effectus, siue commoda immunitatis Reorum ad ecclesias &c. confugientium? Respondeo, in his consistere: I. Quòd Reus in loco sacro &c.capi, incarcerari, aut vinculis constringi non possit. Ita habetur in c. definiuit, 17.q.4. 13 & l.præsenti, Cod. de his, qui ad ecclesiam confugiunt, & docet Couar.n.17. Suarez cap.12.num.5.& 6. aliique communiter.

II. Quòd interim, dum Reus intra ecclesiam &c. existit, sententia ad mortem, vel aliam pœnam corporalem in illum statui nequeat; sicuti habetur in cap. inter alia, de immunit. ecclesiæ, vbi id explicat Abb. n. 3. & monet, pecuniaria tamen pœna affici posse, sicuti colligitur ex verbis cit. cap. inter alia, *super hoc tamen, quod iniquè fecit, est aliàs legitimè puniendus*: idémque tradit Syluest. ver. immunitas, 3. quæst. 4. Azor cit. c. 9. quæst. 12. Suarez cit. cap. 12. vbi ait, nec pœnam seruitutis, exilii, aut triremium decerni posse; quia sunt admodum graues, & corporalibus æquiparantur; imò earum quasdam excedunt.

III. Prohiberi non potest, quominus victus, ac vestitus ad Reum deferantur, sicuti habetur in cit. l. præsente, & notat Abb.n.13. Couar. cit.n.17.ver.trigesimo primò, Suarez cap.12.n.4.& videri potest Azor q.13. Nihilominus potest Iudex custodiam ecclesiæ apponere, ne Reus liberè aufugiat, sed, sic extra ecclesiæ fines cōstitutus sit, capi & incarcerari possit. Data opera dico *constitutus sit*: Nam meritò Couar.n.17.ver.tricesimo tertio, cum Ioanne Andrea, & Ioan. Igneo monet, violari immunitatem ecclesiæ, si Reus, cùm solam vestem extra ecclesiam posuit, extrahatur, & capiatur. Idémque dicendum ait Suarez n.4. si pedem, vel manum extra ecclesiam posuit, capite, & aliis præcipuis corporis membris intra ecclesiam adhuc existentibus.

IV. Quòd rebus, aut bonis suis, quæ secum ad ecclesiā attulit, spoliari non possit, sicuti colligitur ex cit.

c. definiuit, & notat Suarez citat. cap. 12. num. 3. Nisi respectu eorundem bonorum, aut rerum delinquat: vt si res alienas, seu alteri obligatas ad ecclesiam detulit, vel si fœminam secum ad ecclesiam rapuit, ea ipsi auferri poterit, c. de raptoribus, 36. quæst. 1. Item, si arma ipsi prohibita intra ecclesiam tulit, sicuti notauit Couar. cit. c. 20. prope finem.

V. Isque præcipuus immunitatis effectus est. Quòd Reus per vim seu inuitus à loco sacro extrahi non possit: Si tamen rogatus, vel blandiciis, aut promissionibus illectus voluntariè exeat, non violatur immunitas, sicuti ex communi notat Nauar. c. 25. n. 21 Suar. cap. 13. n. 2. arg. c. inter alia ibi, *non est violenter extrahendus*. Secùs tamen dicendum, si dolo à Iudice eductus, postea capiatur, sicuti idem Suarez indicat. num. 17. Ecclesiæ tamen Prælatus Reum quandoque Iudici seculari tradere potest, exacto priùs iuramento, vel simili cautione immunitatis à pœna mortis, & omni corporali, sicuti colligitur ex c. id constituimus, c. Reum, 17. quæst. 4. & notat Abb. cit. c. inter alia, in fin. Syluest. ve. immunit. 3. quæst. 4. Suarez cit. cap. 13. num. 3. Azor to. 2. lib. 9. c. 9 q. 10.

4 Porrò siue Iudex secularis, si legitima Prælati ecclesiastici licentia, Reum inuitum, extra casus iure, vel consuetudine exceptos, ac permissos, à loco Ecclesiasticæ immunitatis extrahat, vel alia ratione immunitatem violet, sacrilegium committit, sicuti constat ex c. sacrilegium, 17. quæst. 4. & docet S. Thom. communiter receptus in 2. 2. quæst. 99. a. 2. ad 3. Et possunt personæ Ecclesiasticæ resistere Iudici: quia licitum est vim vi repellere, & Ecclesiasticam immunitatem tueri, ait Suarez num. 4. Modus autem defensionis erit claudere fores Ecclesiæ, & alia media externa adhibere ad impediendam violentiam; tamen sine armis, saltem quibus ipsi Clerici vtantur: nam in raro casu necessitatis, posse auxilium laicorum adhiberi ad ecclesiam in tali casu defendendam, ait Suarez ibid.

Ordinarius autem modus arcendi Iudicem à tali iniqua violentia est per censuras Ecclesiasticas, præsertim excommunicationis; nisi desistere, vel Reum iam extractum protinus restituere velit, iuxta cap. miror; 17. quæst. 4. quod est S. August. epistol. 187. ad Bonifac. *Ecclesiæ illæsum reuoca, quem vel irreligiosissimus rapuisti: oblatio verò domus tuæ à Clericis ne suscipiatur, indixi; communionémque tibi interdico, donec &c.* Atque ita notauit Couar. cap. 20. in fine, Abb. cap. inter alia, num. 62. Suarez cap. 13. num. 6. & alii communiter. Insuper Iudex illegitimè Reum ex ecclesia extrahens, vel contra ita extractum vlteriùs procedens, ex iustitia obligatur ad compensationem damnorum eidem Reo faciendam, sicuti docent Suarez citat. cap. 13. num. 9. Valentia tom. 3. disput. 6. quæst. 15. part. 1. ad 1. argument.

5 Denique processus iudicii post eiusmodi iniustam & violentam extractionem institutus, ipso facto irritus est. Si enim fundamentum iudicii iure non consistit, necesse est omnia quæ in eo fundantur irrita esse: sed omnis vlterior iudicii processus fundatur in captura, per quam veluti possessio in Reum acquiritur: ergo si captura illegitimè, & per iniustam violentiam attentata fuit, reliquus etiam processus ipso iure irritus censeri debet.

CAP. IV.

DE EXEMPTIONE CLERICOrum in causis criminalibus.

SVMMARIVM.

1 *Clerici in omnibus causis criminalibus plenissimum priuilegium exemptionis à foro secularium obtinent.*
2 *Quæ Iustinianus Imperator de Ecclesiasticis causis, ac personis decreuit, nullam vim obtinent.*
3 *Necessitas publici, aut priuati incommodi auertendi non tribuit seculari Magistratui iurisdictionem aliquam in Clericos; sed ius duntaxat defensionis naturalis.*
4 *Maior minoris, non minor maioris Iudicis negligentiam, ac defectum supplere debet.*
5 *Ecclesiastici Iudices contra subditos suos tunc seculare brachium inuocare possunt, si ordinarium iuris remedium ipsis deficiat.*
6 *Clericus in flagranti crimine deprehensus aut suspectus de proposito patrandi à seculari potestate capi potest, vt Iudici Eclesiastico tradatur.*
7 *Iudex secularis Clericos arma contra publicam prohibitionem in plateis gestantes non ita priuare potest, vt eorum restitutionem deneget: nisi Prælatorum Ecclesiasticorum consensus accedat.*
8 *Clericus debitor, si fugam meditetur, interim à Iudice seculari, aut creditore capi potest, vt Iudici suo sistatur, & ad solutionem eiúsue cautionem compellatur.*
9 *Clericus à seculari Iudice ad testificandum cogi non potest.*
10 *Si plures simul delinquant, omnes ab eodem Iudice iudicari debent.*
11 *Iudices seculares contra concubinas Clericorum procedere solent: sed id agere debent non vsurpata iurisdictione in personas Clericorum.*
12 *Qui post crimen commissum Clericus, vel Religiosus factus est, à seculari Magistratu iudicari non potest, nisi causa præuenta fuerit.*
13 *Si bona per accidens subiiciantur Magistratui, propter subiectionẽ personæ: tunc liberata, aut exempta persona, consequenter etiam bona eximuntur iurisdictione.*
14 *Clericus ad statum laicalem transiens iudicari potest à Iudice Ecclesiastico, propter crimina in clericatu commissa.*

CLERICOS in omnibus causis criminalibus plenissimum fori priuilegium obtinere, vt coram Iudice seculari conueniri, aut puniri nullo modo possint, 1
constat ex multis decretis Conciliorum, & Pontificum, quæ congerit Gratianus causa 11. quæstion. 1. Item ex Concil. Matisconensi 2. cap. 10. & lib. 2. decretal. tit. de Iudiciis, cap. at si clerici, cap. clerici, cap. qualiter & quando, cap. cum non ab homine, & tit. de foro compet. cap. 2. cap. si diligenti, cap. significasti Eandémque exemptionem Imperatores Christiani agnouerunt, & decreuerunt: Inprimis Constantinus I. apud Ruffinum lib. 1. aliàs 10. histor. cap. 2. *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi: vos verò non potestis ab hominibus iudicari.* quod dictum Constantini etiam Gregor. Papa refert in epist. ad Mauritium Imperatorem. Et lib. 16. Cod. Theodosiani, l. 7. de Episcopis, & Clericis decreuit idem Constantinus: *Vt Clerici minimè ad curias deuocentur; sed immunitate plenissima potiantur* Idem postea decreuit Constantinus Imperator, lib. 12. & sequent. eod. tit. Eámque immunitatem Clericorum à Iuliano Apostata impiè violatam, integre reuocarunt Theodosius, & Valentinianus Imperatores, sicuti videre est eod. tit. Cod. Theodosiani lib. 45. 46. 47. in qua ita habetur: *Priuilegia Ecclesiarum omnium, quæ seculo nostro Tyrannus inuiderat, prona deuotione renouamus. Clericos item, quos indiscretim ad seculares Iudices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reseruamus. Fas enim non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Quibus verbis manifesto indicant, immunitatem Clericorum adeò omni iure, diuino & humano, constitutam esse, vt sine tyrannide, & sacrilegio à Principe violari non possit.

Sed deinde iterum Iustinianus Imperator Ecclesiasticam immunitatem non parum minuere aggressus est Nouel. 83. collat. 6. tit. 12. vbi decreuit, Clericos, saltem in ciuilibus criminibus, puta furto, homicidio &c.

coram seculari Iudice conueniri posse; & si reos illos esse appareat, *prius ab Episcopo spoliari oportere sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu.* quod propter tem-
2 porum illorum iniuriam, postea etiam Matisconense Concilium I. can. 7. permisit. Verùm & hæc, & aliæ multæ leges, quas Iustinianus Imperator, limites suæ potestatis excedens, de Ecclesiasticis causis, ac personis condidit (vti videre est præsertim in Cod. de Episcopis & Clericis) nullius momenti censeri debent. Ipsáque constitutio illa, vt in ciuili crimine Clerici ad secularem Iudicem trahantur, correcta fuit ab Imperatore Friderico II. in Auth. *Statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat, contra constitutiones Imperiales, & canonicas sanctiones. Quòd si actor fecerit, iure suo cadat, iudicatum non teneat, & Iudex ex tunc potestate iudicandi priuetur.* Consentit c. at si Clerici, c. cùm non ab homine, de iudiciis. Ratio & æquitas huius exemptionis est: Quia valde indecens est, vt status inferior iudicet superiorem: sed Sacerdotes, aliique Clerici in digniore, & altiore statu sunt, quam laici, c. duo sunt, d. 96. Ergo indecens est, atque in contumeliam Ordinis clericalis cedit, si à laicis iudicentur, aut condemnentur. Quam rationem attulit Leo I. epist. 96. ad Episc. & Presbyt. Thraciæ, vbi queritur inprimis, ius, siue priuilegium fori clericalis, *quod & antiqui iuris formulis, & illibatis frequentiùs legibus confirmatum fuerat, præsenti tamen tempore calcatum fuiße: quocirca nobis visum est, vt hanc & sacræ legis & nostri ordinis contumeliam, & ad præsens vlcisceretur plena districtio, & obseruandam formulam constitueret in futurum.* Et Gregor. 7. lib. 8. epistol. 21. relatus in cap. 9 d. 96. *Quis dubitet, Sacerdotes Christi, Regum, & Principum omniumque fidelium patres ac magistros censeri? Nónne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subiicere, à quo credit non solum in terra, sed etiam in cælo se ligari posse, ac solui?* Item Concilium Matisconense 2. cap. 9. *Nefas est, vt illius manibus Episcopus aut iußione, de ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui innocato nomine Domini, ad saluationem corporis, animæque Eucharistiam sæpe porrexit.*

Plerique tamen Doctores excipiunt casum necessitatis: quod enim per leges non est licitum, necessitas quandoque licitum facit, cap. 4. extra, de regul. iuris. Verùm hic exactè considerandum est, quod necessitas seu publici, seu priuati incommodi auertendi, nequaquam tribuat Magistratui laico iurisdictionem in Cle-
3 ricos; sed solum ius defensionis, quam naturalis æquitatis ratio cuilibet permittit. Quapropter opus est, vt aliqua Clerici violentia antecesserit, vel saltem periculum violentiæ, quam necesse sit laicos per seipsos repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Ex quo colligitur primò; Ob defectum iustitiæ, siue negligentiam Ordinariorum, Clericos ad seculare tri-
4 bunal trahi non posse, sicuti significatur in cit. c. qualiter & quando, iuncta rubrica & Gl. ver. prohibemus, vbi id docet Abb. num. 7. eámque esse communem Canonistarum sententiam, testatur D. Martha casu 146. num. 8. rationes affert Abbas loco cit. Prima: Quia hoc naturale est, vt maior minoris; & non minor suppleat negligentiam, seu defectum maioris; Ecclesiasticus autem Magistratus maior est seculari, sicut spiritualia potiora sunt temporalibus, c. denique, c. duo sunt d. 96. Ergo Iudex secularis non supplet negligentiam Iudicis Ecclesiastici; sed potiùs vice versa, vti habetur in c. ex transmissa, c. licet, 1. c. ex tenore, de foro compet. Secunda: Quia seculares non sunt capaces iurisdictionis exercendæ in Clericos, præterquam ex commissione Prælatorum Ecclesiasticorum: qua seclusa, non possunt vlla consuetudinis diuturnitate defendi: quia qui incapax est possidendi, incapax etiam est præscribendi, argument. cap. causam quæ, de præscript. & videri potest Azor tom. 1. lib. 5. cap. 12. quæst. 1. §. sed dubitari.

Neque his obstat cap. filiis, 16. quæst. 7. vbi habetur; Si Episcopus, vel Metropolitanus res Ecclesiæ malè administret, Regis auribus intimandum esse: Id enim intelligi debet, non vt Rex iudicet (sicuti malè intellexit Gl. ibid. ver. Regi) sed vt admoneat, instet apud Ecclesiæ Prælatos; adiuuet, tanquam supremus Ecclesiarum sui regni patronus, seu aduocatus, ait Abb. cit. num. 7. in fine. Veruntamen, vt suprà dictum fuit, si Clerici suis criminibus seculari Reipubl. periculum vel molestiam creent, & remedium neque ab Episcopo, neque Summo Pontifice impetrari, aut expectari possit; in eiusmodi raro, & speciali casu locum habet ius necessariæ defensionis, secundum quam fieri poterit, quod recta ratio præscribit, ait Azor tom. 1. lib. 5. cap. 14. q. 2. idémque docet Suarez lib. 4. defens. cap. 34. numero 6. & 9.

Colligitur secundò: Spectato communi iure, & seclusis specialibus priuilegiis, non posse probari praxin illam, quam refert, ac defendere conatur Couar. in pract. qq. cap. 35. n. 3. §. ceterùm in hac regia: Quòd si aliquis seu laicus, seu Ecclesiasticus vi aut censuris opprimatur à Iudice Ecclesiastico; simplicem querelam deferre possit ad tribunal regium; tunc verò Senatoribus regiis competat acta omnia, & processum causæ Ecclesiasticæ ad se aduocare, & examinare: atque si iniustitiam commissam compererint, Ecclesiasticum Iudicem ad actorum rescissionem compellere.

Contra hanc praxin ita argumentari licet cum Suarez cit. cap. 34. num. 34. Acta, & processum iudicii ad se aduocare, examinare, & postea Iudicem ad eorundem rescissionem compellere, non competit, nisi Magistratui superiori comparatione inferioris, sibique subordinati: sed Ecclesiasticus Magistratus non est subordinatus seculari potestati, neque hæc vllam iurisdictionem aduersus Ecclesiasticos exercere potest, nisi ex delegatione. Ergo, nisi speciale priuilegium, seu commissio à Sede Apostolica habeatur, non potest praxis illa exerceri, sine vsurpatione alienæ iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ violatione. Quare necesse est, vt qui existimat, se iniuriam aut vim pati à Iudice Ecclesiastico, querelam deferat ad eius Superiorem, videlicet Metropolitanum, vel Summum Pontificem. Quod si in extraordinario casu id fieri non possit, tunc oppressus naturali iure & seipsum defendere & alios quoscunque etiam laicos, ad sui defensionem aduocare potest; modò iniuria manifesta sit, & nihil fiat per modum vsurpatæ iurisdictionis, sed solum per modum iustæ, ac necessariæ defensionis.

Confirmatur ex eo, quòd sacri canones neque ipsis Ecclesiasticis Iudicibus permittant contra subditos suos aduocare subsidium brachii secularis, nisi cum ordinarium iuris remedium deficit, sicuti colligitur ex c. si 5
quis Episcopus. & seq. 23. quæst. 8. cap. 1. de offic. ordinarii, ver. cùm opus est, & Clem. quia contingit, iun. Gl. ver. remediis, de religiosis domibus. Ergo multò minùs ipsis subditis licebit seculares in subsidium vocare contra Magistratum suum Ecclesiasticum; præterquam in casu necessitatis extraordinario, cùm nullum aliud remedium suppetit.

Colligitur tertiò; Probabiliter defendi posse, quod docet Abb. in c. cum non ab homine, num. 12. de iudiciis, & cap. vt famæ, de sent. excom. Nau. in man. c. 27. num. 82. & lib. 5. consil. 27. de sent. excommun. edit. 2. Syluest. ver. excommunicatio, 6. num. 14. Sa ver. Clericus, num. 5. Mol. tr. 3. disput. 56. num. 2. Auila de censur. p. 2. cap. 5. disput. 3. dub. 13. casu 13. 6
Clericum in flagranti crimine deprehensum, aut suspectum de proposito perpetrandi; vt quia noctu armatus

incendit; posse capi à ministro potestatis secularis, vt Ecclesiastico suo Iudici tradatur. Hæc, inquam sententia defendi potest contra Hostiensem, & alios, quos refert, & sequitur D. Martha casu 42. num. 11. modò hæ conditiones adsint: I. Quòd sit crimen perniciosum Reipublicæ, cuiusmodi est furtum, rapina, homicidium &c. II. Quòd non leuis sit suspicio, sed valde probabilis præsumptio sit, Clericum tale facinus meditari. III. Quod necessitas capiendi incumbat: si enim Clericus, oblato idoneo fideiussore, promittat se sistere Ordinario suo, capi, & incarcerare non debet. IV. Quod minister modum non excedat, v. g. pugnos impingendo ei, qui ire paratus est: sic enim excommunicationis pœnam non euaderet, vti habetur in cit. cap. vt famæ, & singulariter notauit Gl. in c. si clericos, ver. excedatur, de sent. excommun. in 6. Quibus tamen iuribus apertè requiritur, si oporteat laicos Clericum capere, & ad iudicium trahere violenter, vt id fiat de mandato Prælatorum, saltem tacito, vti Suarez annotauit cap. 34. numer. 15. Tunc enim non tam ipsi laici, quàm prælati, quorum auctoritate nituntur, contra Clericum procedere censentur. Alioquin valde difficile & moraliter impossibile erit intra terminos necessariæ defensionis consistere, & iurisdictionem in Clericos propria auctoritate non vsurpare: quod laicis prohibitum esse, suprà dixi.

Quare quod Couar. ait lib. 2. resolut. cap. 20. propè finem, & in pract. q. cap. 33. in fine Iulius Clarus in pract. crimin. quæst. 36. num. 26. Nauar. citat. consil. 27. num. 1. In Gallia, & Hispania consuetudinē esse, vt
7 Clerici arma gestantes lege ciuili prohibita, à seculari Iudice, vel ministro iis priuentur, sine obligatione restituendi; id aliter defendi non potest, nisi vt fiat cum consensu Prælatorum; aut Sum. Pontificis concessione. Etenim licet Clerici talibus legibus ciuilibus, ob publicam ciuitatis quietem latis, obligentur quoad vim directiuam; non tamen quoad vim coactiuam, vt à seculari Magistratu puniri queant. Tametsi autem arma Clerico eripere sine eius percussione &c. pertineat ad necessariam defensionem, quæ proinde seculari Magistratui aduersus Clericum concessa est; tamen armorum spoliatio, & amissio violentiam continet, & rationem pœnæ habet, quam secularis Iudex propria auctoritate, & sine vlla expressa, aut tacita commissione in Clericos, exercere haud potest: quare in tali casu Magistratus ciuilis arma Clericis erepta, eisdem vel restituere, vel ad Ecclesiasticum eorum Magistratum transmittere debet. Ita Suarez lib. 4. defens. cap. 34. num. 14. Vasquez 1. 2. disput. 167. cap. 4. num. 31 qui tamen limitationem addit; Nisi armorum vsus, tanquam Reipublicæ perniciosus ita prohibitus sit, vt neque domi retinere concessum sit: eiusmodi legem Magistratus ciuilis, ob bonum publicum, etiam contrà Clericos iustè defendere poterit.

Colligitur quartò; Similiter etiam defendi posse doctrinam eiusdem Abbatis in citat. cap. cum non ab homine, num. 10. & cit. cap. vt famæ, Nauar. cap. 27. num. 81. & 85. Syluest. & Sa ll. suprà citatis. Clericum creditorem, si fugiat, vel fugam meditetur, posse non
8 tantùm à Iudice seculari, sed etiam creditore priuato capi, ac detineri, vt Iudici suo sistatur, & ad solutionem compellatur; dummodò debitum alicuius momenti sit, quod à Clerico debitore, si aufugere permittatur, recipi deinde non possit. Nam hoc casu Clericus perinde se habet, ac si pecuniam alienam fugiens auferret: talem autem capi, & reduci posse nemo negat: quia contrà vim iniustam cuilibet se defendere naturali iure concessum est. Idémque dicendum, si Clericus graui iniuria laicum affecit, ob quam ille à Magistratu suo Ecclesiastico incarcerandus, atque ad satisfactionem compellendus erit; poterit hoc casu ad breue tempus à laico detineri, quatenus præcisè necessarium est ad iustitiam obtinendam: v. g: interim, donec testes aduocentur, vel Ecclesiastico Magistratui indicetur, ad fugam criminosi impediendam, sicuti docet Molina tr. 3. disput. 56. n. 2.

Restant Quæstiones: Prima. Vtrum Clericus à Iudice seculari citari, & compelli possit ad testificandum in causa, qua non agitur de pœna sanguinis alicui inferenda? Responsio est negatiua, cum S. Thom. 2. 2. quæst. 70. a. 1. Quia testimonium alicuius auctoritatiuè requirere, seu imperare actus iurisdictionis est ad proprium Superiorem spectans: Clerici autem exempti sunt à iurisdictione secularium Iudicum. Quòd si res postulare videtur, vt Clerici testimonium in aliqua causa habeatur, duo modi vsurpari poterunt: I. est, vt Clericus coram suo Ordinario examinatus deponat, ac depositiones eius, si opus esse videbitur, ad Iudicem secularem mittantur, sicuti docet Mascardus vol. 3. de probat. concl. 1358. num. 61. Prosper Farinac. in praxi criminali, p. 2. vbi de testibus, quæst. 61. num. 86. Nam iurisdictio Ecclesiastica, & ciuilis se inuicem adiuuare debent, sicuti docent DD. in c. nouit, de iudiciis. II. Vt Episcopus Clerico licentiam det coram seculari Iudice testificandi, sicuti docent Mascardus. l. c. Farinacius num. 83. D. Martha de iurisdict. part. 4. casu 128. num. 1. Verùm apud nos consuetudine obtentum esse videtur, vt Clerici seculares à Iudice, vel à partibus rogati ad testificandum, in causis, præsertim ciuilibus, vltro accedant, non requisita priùs Episcopi licentia. Quo casu certum esse debet, si Clericus falsum testimonium in iudicio dixisse putetur, causæ huius cognitionē, ac criminis punitionem Ecclesiastico Iudici committendum fore: qua de re Gutierez lib. 1. pract. qq. quæstion. 24.

Qvæstio Secvnda. Si Clericus, & laicus simul delinquant, vt in concubinatu, an tota causa aduersus vtrumque Reum ad Ecclesiasticum Iudicem pertinere debeat? Ita affirmant DD. plerique, vti videre est apud Iacob. Menoch. de arbitr. Iudicum quæstionibus, casu 371. num. 11. D. Martham cit. p. 4. casu 44. num. 7. contra Couar. in pract. qq. cap. 34. num. 1. Gutierez 10 lib. 1. pract. qq. quæst. 6. Ratio est: Quia generalis regula est, tradita à DD. in l. nulli, C. de iudiciis: Si plures simul delinquant, omnes ab eodem Iudice iudicandos esse: quare cùm Ecclesiasticus Iudex dignior sit laico, ad ipsum pertinebit in hoc casu vtrumque Reum iudicare. Monet tamen Menochius loco cit. sententiam hanc in praxi non obseruari; cùm passim Iudices seculares contra concubinas, & mulieres suspectas procedere soleant. Circa quam consuetudinem duo aduertenda sunt: I. Nullo modo licitum esse Iudici, vel apparitoribus in domum Parochi v. g. vel ecclesiam irruere, & mulierem inde extrahere: quia hæc est violentia vsurpata aduersus ipsos Ecclesiasticos. II. Probandam non esse consuetudinem quorundam Iudicum secularium, qui expensas factas in captura, & custodia mulierum suspectarum, aut fornicariarum à Clericis postea exigunt, tanquam qui expensarum causam præbuerint. Nam inprimis Clericus concubinarius harum expensarum causa per se non extitit; cùm eam capi non iusserit; sed solum per accidens suo delicto occasionem præbuit: ex quo sequitur quòd hęc expensarum exactio potiùs pœnæ rationem habeat, quæ clerico à seculari Iudice inferri non potest. Deinde per hanc condemnationem in expensas, iudicium fertur, saltem indirectè de crimine ipsius Clerici non citati, nec auditi, & interdū in hoc genere innocentis: idque non sine publica infamatione: quæ omnia excedunt Iudicis secularis potestatem.

Qvæstio Tertia. Si aliquis post crimen commissum Clericus, vel Religiosus fiat, vtrum à Iudice seculari iudicari, & puniri possit? Responsio est

negatiua, secundùm communem DD. sententiam, Abb. in c. de obligatis ad ratiocinia, Couar. in pract. qq. cap. 32. num. 4. Clari cit. quæst. 56. num. 43. Nauar. in comment. 2. de regular. num. 60. Prosp. Farinacii in pract. criminali tit. de inquisit. quæst. 8. num. 107. D. Marthæ casu 121. num. 20. Rodriquez tom. 2. regular. quæst. 2. art. 3. Gutierez lib. 1. pract. quæst. 5. Sa ver. Clericus, num. 9. Suarez lib 4. defens. cap. 15. num. 16. arg. l. hos accusare, ff. de accusat. Ratio est: Quia pri-
12 uilegium exemptionis introductum est ob honorem status clericalis: ergo omnes eo gaudere debent, qui statum clericalem assumpserunt: Et cùm fauorabile admodum hoc priuilegium sit, extendi potiùs, quam restringi oportet. Confirmatur: Si enim criminosus ad locum sacratum confugiens, inde extrahi, & à seculari Iudice puniri non potest, quantò minus si ipsamet persona sacra effecta est?

Excipiunt verò DD. communiter: Nisi Reus in fraudem Clericus, vel Religiosus factus sit. tunc aiunt à Iudice seculari contra eum procedi posse; quamuis nō ad pœnam corporalem (nisi Magistratus Ecclesiasticus illum degradatum tradat, ad quod tamen nullo iure cogi potest) sed solum ad mulctam pecuniariam. De eo autem dubitant, quibus casibus criminosus in fraudem clericalem assumpsisse censendus sit, vti videre est apud Abb. in cit. cap. 1. num. 5. Farinac. citat. quæstion. 8. num. 110.

Vt distinctiùs res appareat, respondeo, & dico I. Si persona à seculari Iudice præuenta erat, videlicet in custodiam coniecta, atque inde illegitimè, aut contra fidem datam erupit; tum plenum ius Iudici seculari reseruatur, procedendi etiam contra personam, sicuti docet Abb. cit. num. 5. Quod tamen limitandum est, nisi iam in sacris constituta sit: tunc opus erit Ecclesiastici Iudicis sententia, ac traditione.

Dico II. Si causa præuenta fuerat à seculari Iudice, videlicet per citationem, aut litis contestationem, procedi potest saltem ad mulctam pecuniariam, non obstante, quod Reus conuentus Ecclesiasticum statum assumpserit. Ita DD. citati, & sumitur ex cap. proposuisti, de foro compet. iun. Gl. ver. citatus, quòd *per solam citationem perpetuatur iurisdictio quoad causam illam.* His adde, quod Sixtus V. apud Rodriquez tom. 2. regular. quæst. 2. a. 3. plenam Iudicibus secularibus potestatem concessit procedendi contra eos, qui post susceptam accusationem, aut institutam inquisitionem Religiosi facti fuerunt; imò eorundem professionem irritam esse, pronuntiauit.

Dico III. Si causa, vel persona iudicialiter non præuenta est, sed solum infamatio aliqua antecessit; & infamatus postea clericalem statum assumpsit, non potest Iudex secularis contra illum procedere, etiam ad mulctam pecuniariam. Ita docet Suarez cit. lib. 4. cap. 15. num. 17. contra Couar. Clarum, Rodriqu. qui putant, aduersus talem procedi posse, tanquam fraude clericum factum, sed contrà est Quia non videtur aliquis fraude facere qui iure suo vtitur: criminosus autem, etsi de crimine infamatus sit, tamen post actam pœnitentiam, clericatum, vel habitum religiosum assumere iure potest. Ergo &c. Limita, Quòd fraudis suspicio seu præsumptio interdum esse potest, si quis post crimen, de quo infamatus vel accusatus fuit, minores ordines tantùm, vel beneficium Ecclesiasticum assumat, non id fieri ex animo dicandi se Deo, sed solum, aut principaliter, vt Iudicis manus effugiat; postea verò, cessante periculo recessurum à statu clericali: talis enim fraus criminoso prodesse non debet, vti Suarez loco cit. fatetur. Alioquin verò, his sepositis, non apparet ratio, cur criminosum factum postea clericum, vel Religiosum, Iudex secularis pecuniaria pœna condemnare possit. Quia Magistratus non potest criminaliter iudicare, & condemnare personas, super quibus iurisdictionem non habet; Mulcta autem pecuniaria per sententiam alicui imposita ob crimen commissum, est verè criminalis condemnatio personæ ad pœnam soluendam ex bonis suis: Ergo non potest competere Iudici seculari erga personas, quæ forum & statum secularem cum Ecclesiastico commutarunt.

Ad hoc verò respondent; Criminosum assumpto 13
clericatu, subiectum manere Iudici seculari ratione bonorum, non item ratione personæ. Verùm hoc loco, ne fallamur, exactè considerari debet, duplicem esse obligationem in bonis criminosi: Vna est per se, si nimirum bona ipso iure, per criminis commissionem, fisco obligata, vel commissa fuerint: hoc casu nulla est difficultas: quandoquidem secularis Magistratus de proprio iure cognoscit; illúdque exequitur. Altera verò est obligatio per accidens, atque dependens ab obligatione personæ: si nimirum bona criminosi non sint ipso iure confiscationi subiecta; sed solum indirectè, & remotè obligata; quia persona, propter crimen, in bonis suis puniri siue mulctari iure potest: hoc casu, cessante obligatione seu subiectione personæ, consequenter etiam cessat obligatio in bonis. Sicuti si ciuis Monachiensis, qui delictum commiserat, ob quod iure mulctari posset, ante cœptum iudicium mutato domicilio iurisdictione liberetur; non potest vlla deinde in ipsum sententia, seu executio attentari.

Neque his obstat, quod ex communi sententia docet 14
Couar. in pract. qq. cap. 31. num. 8. Clarus cit. q. 56. num. 11. Si quis, dum clericali priuilegio gaudet, delictum committat; ac postea, ducta vxore, illud amittat; tamen de crimine commisso ab Ecclesiastico, non seculari Iudice iudicandum esse: *inspicitur enim tempus delicti*, sicuti colligitur ex l. 1. ff. de pœnis. Ergo simili ratione, si laicus delinquens ad Ecclesiasticum statum transeat, à seculari nihilominus Magistratu iudicandus erit. Respondeo: Disparitatem esse, quia Clericus transiens ad statum laicalem non tam mutat forum, quam cumulat forum cum foro, vt nihil obstet, eum etiam ab Ecclesiastico Magistratu iudicari posse: At verò laicus transeundo ad statum clericalem non tantùm mutat forum, sed etiam statum personæ, secundum quem incapax fit, vt à seculari Iudice iudicetur. Causa vero huius disparitatis est, quòd nihil obstet, quominus aliquis in statu laicali positus à Iudice Ecclesiastico iudicari possit: obstat verò Clericorum immunitas, quominus aliquis in statu clericali à Iudice seculari iudicari queat.

CAP. V.

DE IMMVNITATE, SEV EXEMPTIONE Clericorum in ciuilibus causis.

SVMMARIVM.

1 *Clerici in causis etiam ciuilibus à seculari Magistratu exempti sunt.*
2 *Si persona exempta est, etiam res eius exempta sunt, nisi secundùm se ipsas obligationem habeant.*
3 *Si Clericus feudum habeat à Principe laico, coram ipso conueniri potest in causis feudalibus.*
4 *Bona immobilia Ecclesiæ donari possunt cum reseruatione iurisdictionis comparatione eorundem bonorum.*
5 *Actor clericus forum Rei laici sequi debet.*

CLERICOS in causis quoque ciuilibus, ideóque etiam realibus, à seculari potestate exemptos, & coram Ecclesiastico tantùm Iudice suo conueniendos esse, vtroque iure notissimum est, cap. nullus Clericus, cap. nullus Episcopus, cap. placuit, 1. & 2. causa 11. quæst. 1. cap. 2. c. at si Clerici, de iudiciis, c. si diligenti,

de foro compet. c. seculares, eod. in 6. & Authent. statuimus, C. de Episc. & Clericis. Quare hanc esse communem Doctorum sententiam, testatur Abb. c. qualiter, de iudic. n. 8. Mynsing cent. 1. obseruat. 22. num. 2. D. Martha p. 4. casu 125. Ratio est: Quia si bona non habeant obligationem per se, propriam sibi seu realem, sequuntur conditionem & statum personæ; ita vt si ea eximatur à iurisdictione, etiam bona ipsius exempta sint: siquidem fieri non potest, vt Iudex de bonis processum iudicii, atque sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, eidem iubendo; quæ sine iurisdictione in illam fieri non possunt. Quare *certum est* inquit Abb. cit. num. 8. *quod si persona exempta est; ergo etiam res.*

Non ignoro, aliquos Iuristas contrarium sentire, vti videre est apud Ioan. Fabrum §. vlt. num. 8. de satisdat. Mynsing. cent 1. obseruat. 22. n. 2. & cent. 4. obs. 95. Gaill. lib. 1. obs. 37. Clericos in causis realibus coram seculari Iudice conueniri posse: quia quisque sortitur forum in loco, vbi res sita est, vel contractus celebratus, l. vlt. c. vbi in rè actio c. vlt. de foro compet. Sed hoc vniuersim verum non est; & regula illa varias limitationes habet; quarum ea certissima est: Nisi persona priuilegiata, & omnino exempta sit, sicuti sunt Clerici à foro seculari: tunc enim seruandum est, quod in eadem l. vlt. dicitur: *Actor rei forum, siue in rem; siue in personam sit actio, sequitur.*

2 Verum tradita doctrina limitanda est secundum omnes Doctores, *Nisi bona, quæ à Clericis possidentur, comparatione laici obligationem habeant per se, sibique propriam.* Id verò accidit primò; Si à Laico, v. g. Imperatore, Rege in feudum data fuerunt, vel ipsimet Ecclesiæ vel alteri v. g. Comiti, Nobili, alteriue vasallo, qui postea Ecclesiæ donauit. Cum enim iste vasallus non potuerit plus iuris in Ecclesiam transferre, quam ipsi competebat, iuxta reg. 79. in 6. consequens est, quod dominium directum semper maneat penes primum conferentem; ad quem proinde propriè pertinet de controuersiis super feudo exorientibus iudicare, sicuti habetur expressè in c. ex transmissâ, c. verùm de foro compet. vbi Abb. num. 13. & in c. dilectus, 3. num. 4. de præb. Mynsinger. cent. 5. obseruat. 8. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 30. & 37. D. Martha casu 98. Suarez cit. lib. 4. cap. 14. num. 12. qui etiam meminerunt regalium feudorum, qualia Episcopis, & aliis quibusdam Prælatis Germaniæ ab Imperatore concedi solent, vt simul sint Imperii Principes; ideóque ratione horum bonorum, Imperatori perinde ac Principes seculares, subiecti: quia nihil obstat, *idem homo, diuersis respectibus, diuerso iure & qua-*
3 *litate censeatur:* quamobrem in controuersiis, quæ ratione feudalium dominiorum oriuntur, ab Episcopo non ad Papam, sed ad Imperatorem appellandum esse, monent DD. in cit. cap. verum, & c. solitæ, de maior. & obedientia: Quia *cùm dominus laicus cognoscit in causa feudali, potiùs iudicat super re sua, quam de Clerico: tunc tantum sit iudex respectu causarum, quæ oriuntur occasione feudi,* ait Abb. in cit. c. verum, num. 13. & in cit. c. dilectus, num. 4. *Si Ecclesia habeat feudum à laico, censetur vt laicus.* Et Baldus in l. de his, C. de Episc. & Clericis docet: Si tributum, vel pensio quæcunque adhæreat ipsi rei, quòd Iudex laicus; si iniustè negetur, prouidere sibi possit occupatione fructuum, vel possessionum, quæ sub sua iurisdictione sunt: modò nihil attentet contra personam Clerici: quia obligatio fundo inhærens est secundum se, sine ordine ad personam. Et Suarez lib. 4. defens. Fidei Catholicæ, cap. 34. num. 26. defendit consuetudinem, secundum quam Imperator in vasallos suos Clericos, aut Rex in ministros, & Consiliarios Clericos inquirit, eósque pecuniariis pœnis, depositione ab officio, aut feudi priuatione mulctat. Quia *tunc non considerantur nisi sub respectu mere ciuili, & maximè, quia sub ea conditione & pacto ad ea ministeria &c. acceptantur: quod pactum neque contra exemptionem Ecclesiasticam, neque bonos mores esse videtur.* Quamuis aliter censerit Innocent. in cit. c. verum, ibid. Abb. num. 17. Si aduersus vasallum Clericum, agatur de crimine, ob quod feudo priuari mereatur, eius cognitionem non ad Dominum feudi laicum pertinere, neque antè feudo priuari posse, quam ab Ecclesiastico Iudice condemnatus sit: quia de crimine Clericorum laicus nec directè, nec indirectè cognoscere possit.

Locutus autem sum in casu, quo feudum iure proprio agnationis ad Clericum pertinet: sin verò pertineat ad ipsum ratione Ecclesiæ, quam administrat, certum est priuari non posse ob crimen: cùm delictum personæ in detrimentum Ecclesiæ redundare non de- 4
beat.

Secundò: Si bona immobilia Ecclesiæ à laico domino donata fuerint cum reseruatione iurisdictionis &c. talis conditio, tanquam iusta, omnino seruanda est, sicuti docent DD. in c. verùm, de condit. appositis, cap. præterea, 2. de iure patronatus; & in specie hoc notauit Mol. tr. 5. disput. 6. & Suarez lib. 4. cap. 14. num. 13. vbi ait, seruandam esse conditionem, *Quoties bona à principio data fuerunt Clericis, vel Ecclesiæ, sub ea conditione, vt semper sub eodem foro maneant, sub quo tunc existebant.* Addit Molina l. c. *Sæpe eiusmodi dominia iurisdictionis secularis oppidorum translata à Magnatibus fuisse in Religiones, & alias Ecclesias; neque potuisse ad illas, sine speciali alia Principis concessione, transire maiorem iurisdictionem in ea oppida, quàm Magnates illi in ea habuerint,* vt supra etiam dixi. 5

Denique verò extra controuersiam est, si Clericus aduersus laicum actionem instituat, coram seculari Iudice comparere debere: Quia *Actor forum Rei sequitur;* c. si Clericus cap. cùm sit, de foro compet. Quibus tamen locis exceptiones ponuntur: I. Nisi consuetudine aliud obseruetur. II. Nisi causæ sint mixti fori.

CAP. VI.

DE IMMVNITATE, ET EXEMptione Ecclesiasticorum bonorum.

SVMMARIVM.

1 *Bona ecclesiarum, cum ad Dei speciale dominium pertinere censeantur, à secularium Magistratuum exactione libera, & immunia esse debent.*

Simili immunitate gaudere debent vasa, & ornamenta sacra, etiamsi in priuato oratorio sub particulari alicuius dominio existant.

2 *Non est æquum, vt bona Ecclesiæ à duplici Magistratu Ecclesiastico, & seculari, exactionibus grauari possint.*

3 *Onera merè realia, seu ipsis rebus inhærentia, ad Ecclesiam quoque aut Ecclesiasticum possessorem transferuntur.*

4 *Indictionis ordinariæ, seu tributa Principum inter onera merè realia numerari non debent: cùm imponantur ratione subiectionis personarum.*

5 *Munera alia sunt personalia; alia merè realia; & alia mixta, quæ videlicet personis imposita sunt comparatione rerum.*

6 *Clerici ab angariis, & similibus muneribus, quæ subditis à Magistratu seculari indicuntur, liberi esse debent.*

7. *Ad necessitatem aliquam tollendam, quæ ad ipsos etiam Clericos directè pertinet, non minùs, quàm laici concurrere, & contribuere debent.*

8 *Bona Clericorum ex titulo spirituali, seu clericali acquisita, procul dubio libera sunt à secularium Principum exactione.*

9 *Clerici in bonis etiam suis patrimonialibus immunitate fruuntur, prætorquam si negotiationem exerceant.*

10 *Priuilegia, quæ principaliter data sunt ob fauorem bonorum Ecclesiasticorum, non competunt Clericis respectu bonorum priuatorum: sed alia ratio est, si priuilegia data fuerint personis, siue statui Ecclesiastico; rebus autem accessoriè.*

1 BONA ad Ecclesias, & personas Ecclesiasticas spectantia in triplici genere continentur: Ad primum bonorum genus spectant ipsæ materiales ecclesiæ, & adiuncta cœmiteria; vasa item, vestes, & quæcunque consecrata, vel benedicta sunt, tanquam diuini cultus instrumenta. De quibus omnibus indubitatum est, ea speciali ratione à tributo, & vectigali, & quibuscunque exactionibus immunia esse debere. Ratio est: Quia hæc nullam temporalem vtilitatem habent, quæ in æstimationem venire possit: quandoquidem ad diuini cultus ministerium dedicata, nullis aliis vsibus humanis ac profanis applicari debent, iuxta c. quæ semel, & seqq. d. 19. c. ligna, & seqq. de consecrat. d. 1. l. inter stipulantem, §. sacram, ff. de verb. obligat. l. sancimus, C. de sacrosanct. Ecclesiis. Quæ eadem ratio conuincere videtur, vasa, & ornamenta sacra, etiamsi in priuato oratorio sub particulari alicuius domino existant, ex vi suæ consecrationis, à tributis, & censibus immunia esse: quia nullam temporalem commoditatem, aut vsum habere possunt, sicuti notauit Suarez cit. lib. 4. c. 19. num. 8. Deinde simili ratione, ab omni onere ac seruitio libera sunt ecclesiæ, areæ domus & horti iuxtà positi; item prædium, ex quo panis & vinum pro S. Eucharistia cōficienda, vel aliis rebus ad diuini cultus ministerium necessariis, colligi debent: Siquidem hæc omnia ferme alium vsum, aut fructum habere non possunt, nisi ordinatum ad sacrum ministerium, ideóque nullo prorsus alio onere, vel seruitio grauari, aut si antè grauata erant liberari debent, iuxta c. secundùm canonicam, c. sancitum est, 23. quæst. 8. & cap. 1. de censibus, vbi id notant DD. & Innocent. in cap. non minùs, de immunitat. eccles. Suarez cit. cap. 9. numer. 2. & cap. 20. numer. 17.

Alterũ genus continet bona Ecclesiarũ cùm immobilia, tũ mobilia, quæcunq; vel à fundatoribus, vel aliis fidelibus ad Dei honorem oblata seu donata sunt; vt à Prælatis Ecclesiarum, tanquam administratoribus, in pium vsum, puta ecclesiæ ornatum, Ministrorum, & pauperum sustentationem conuertantur. Cuiusmodi bona à tributo, & omni exactione fecularium potestatum libera esse oportere, habetur in c. non minus, c. aduersus, de immunit. Eccles. cap. 1. eod. in 6. Clement. vn. eod. tit. c. 1. de censibus c. quamquam, eod. in 6. & Constitut. Item nulla, quæ est Friderici Imperator. posita post l. 2. C. de Episc. & Clericis. Ratio est: Cùm hæc bona fidelium voluntate, ad Dei, & Christi cultum, specialiter oblata ac destinata fuerint, vt non in alios nisi pios vsus conuerti debeant, ideo omnes exactiones, quibus à seculari potestate grauantur, & in cultus diuini diminutionem cedunt, & in Christi iniuriam, atque irreuerentiam, quippe cuius illa bona quasi proprium patrimonium existunt: quamobrem *res Dominicæ* appellari solent, can. 40. Apostol. Vt planè hinc consequens sit, exemptionem hanc diuini iuris esse: quia filium Dei liberum esse oportet ab exactione Regum terrenorum, iuxta illud Matth. 17. *Ergo liberi sunt filii.*

Neque multum refert, siue dicas cum Nauarro in apolog. de redit. Ecclesiasticis: Bona illa Ecclesiastica (saltem priusquam ea Ecclesiæ Ministris, vel pauperibus particulatim applicantur) non esse sub humano dominio; sed solam eorum administrationem Prælatis Ecclesiasticis competere: quod valde probabile est, sicuti præter alios notauit Suarez cap. 18. num. 7. Siue dicas, Ecclesiastica illa bona esse sub humano dominio ipsius Ecclesiæ particularis, aut vniuersalis; tamen cum annexo onere seu obligatione, vt in pios vsus conuertantur: nam propter hanc eorum habitudinem negari non potest aliquo modo sacra esse, & peculiari ratione ad Deum pertinentia, sicuti dicam tract. seq. cap. 7. §. Superest quartus, & docet S. Thom. 2. 2. quæst. 99. art. 3. S. Ambros. in epist. 33. ad Marcellinam sororem, quæ refertur in cap. conuenior, 23. quæst. 8. & colligitur ex cap. 27. Leuit. vers. 14. *Homo si vouerit domum suam, & sanctificauerit Domino.* Et vers. 28. *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Et in cap. 3. causa 12. quæst. 2. *Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, siue homo, siue animal, siue ager &c. sanctum sanctorum Domino erit, & ad ius pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, inuadit, vel eripit, & vsque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, vt sacrilegus iudicatur.* Etenim hoc ipso, quod bona illa sacra, & Ecclesiastica sunt, à fidelibus ad Dei cultum, atque ob supernaturalem finem, in manibus Ecclesiasticorum Prælatorum oblata; administratio, & dispositio, & applicatio quæcunque talium bonorum ad eosdem Ecclesiæ Prælatos, & non ad seculi potestates pertinere potest.

Confirmatur. Cùm nemo dubitet, quin Summus Pontifex, tanquam supremus Ecclesiasticorum bonorum administrator ac dispensator, ob iustam causam onera, siue grauamina illis imponere; quin etiam Episcopus charitatiuum subsidium exigere possit; si idem quoque seculari Principi facere concessum esset, sequeretur, bona Ecclesiastica longè deterioris conditionis fore, quam secularia: quippe cum illa duplici onere à diuersis Principibus, seculari & Ecclesiastico grauari possent: quod à iure, & æquitate quàm maximè abhorret, sicuti notauit Hieron. Albanus in tract. de immunit. Ecclesiast. n. 65. & seqq. 2

Duæ tamen exceptiones ex omnium Doctorum sententia admittendæ sunt: I. Si fundator Ecclesiæ in fundatione moderatam aliquam præstationem Episcopi consensu sibi reseruauit: nam eiusmodi pacta, siue conditiones seruari oportere, colligitur apertè ex cap. verùm, de condit. appositis, c. cum delicti, de donat. & c. præterea, 2. iunct. Gloss. ver. institutos, de iure patronatus.

II. Si bona, antequam ad ecclesiam quocunque titulo deuenerunt, reali aliquo onere, seruitio, pensione, tributo obligata fuerunt. Nam res transit cum onere suo, cap. ex literis, de pignoribus: siquidem manifestum est, cùm qui venditione, donatione, legato &c. rem quampiam in Ecclesiam transfert, præiudicare non posse iuri alterius, quod in re illa habet: nam *sua quisque rei moderator, atque arbiter est*, & non alienæ, l. in re mandata, Cod. mandat: & videri potest Abb. in cap. cæterum num. 1. & 5. de iudiciis, Molin. tract. 2. tom. 3. priore, disp. 661. n. 2. & disp. 672 ante 1. concl. Gut. lib. 1. pract. quæst. q. 3. n. 15. 3

Cæterum, licet verissimum sit, onera merè realia, id est, quæ sine habitudine ad personæ qualitatem rebus ipsis iure perpetuo inhærent, ab Ecclesiasticis quoque possessoribus præstanda esse; aliqui tamen Doctores (vti videre licet apud Remigium de Gonny tract. de charitat. subsidio, quæst. 61. num. 57. Ægidium Thomatum tract. de collectis, summar. 2. num. 36.) in eo errare videntur, quod inter merè realia onera numerant eas præstationes seu tributa, quæ secularis Princeps lege ordinaria ac perpetua subditis de bonis eorum præstanda indixerat; ac proinde eiusmodi onera seu obligationes tributi vnà cum bonis seu possessionibus ad Ecclesiasticos quoque transire existimant, argum. c. si tributum, 23. quæst. 8. Quæ sententia rectè refutatur ab Abb. in c. vltim. num. 12. de vita & honestate Cler. Hieron. Albano tract. de immunitat. Eccles. Gutierez lib. 1. pract. quæstion. q. 3. D. Martha de iurisdict. p. 4. casu 11. num. 28. Suarez lib. 4. defens. c. 20. num. 12. Adamo Tanner in defens. libert. Ecclesiast. c. 13. prope finem, Less. lib. 2. c. 33. dub. 3. num. 21. Fundamentum esse debet: Quia onus soluendi eiusmodi tributa, quæ ex- 4

quæ ex legis indictione debentur, non est merè reale, sed conuenit rebus propter personas, quæ sub Principis iurisdictione existentes, lege tributi obligari possunt. Ergo si bona ex quibus tributa per legem imperata à subditis soluebantur, postea ad alios possessores ac dominos à Principis potestate omnino exemptos, deueniant, onere illo seu obligatione pariter eximi oportet: iuxta regulam Abbat. præc. c̄. allatam: *Si persona exempta est, consequenter etiam res eius.* Item *mutata persona, mutatur etiam conditio rei*, sicuti ex communi ipsorum Iuristarum sententia docet D. Martha part. 4. casu 125. n. 2. & 18. Gutierez cit. q. 3. n. 15.

Confirmatur: Dispositio legis desinit obligare, cùm in eum casum deuenit, in quo incipere non potuisset: dummodo eadem sit ratio non perseuerandi, quæ erat non incipiendi. Atqui fatentur etiam contrariæ sententiæ defensores; Principis lege lata de tributo pendendo non comprehendi bona, quæ eo tempore ad Ecclesias pertinent: quare ipsi distinguere solent inter præstationes reales, siue, vt ipsi vocant, munera patrimonialia; quod alia sint ordinaria, seu canonica, quæ communi lege ab antiquo tempore imposita erant: alia verò sint munera extraordinaria, seu superinducta, quæ ob causam superuenientem de nouo imperantur; ideóque ad Ecclesiast. bona se non extendunt, ob defectum iurisdictionis, seu (quod idem est) ob priuileg. exemptionis. Verùm hæc ratio similiter vrget, si bona, quæ sub dominio subditorū existentia, & ob eam causam tributis obnoxia sunt, postea perueniant ad Eccles. à legis latrice potestate Magist. secularis exemptā, vti cōsideranti patebit.

Adde, quòd nec Innoc. in c. non minùs, de immun. Eccles. Abb. in c. 1. de censib. n. 8. & c. vlt. n. 12. de vita & honest. Cler. & p. 1. consil 3. & 26. Syl. ver. immunit. 1 q. 5. & ver. gabella, 5. q. 3. Andr. Gaill. lib. 2. obs. 52. si diligenter eorum verba considerentur, à vera sent. dissentiunt. Non enim indistinctè, & vniuersim aiunt, Principis legè imponente tributa patrimoniis effici onus merè reale, ad quosuis possessores, etiam Cler. transiens: cùm & ipsi in hunc modum distinguere soleant: Munera alia esse personalia, & alia patrimonialia: Personalia dicuntur,
5 quæ personis iisq; subditis tantum, sine ordine ad patrimonii bona imponuntur: eáq; alia sordida sunt, vt calcis coquendæ, pistrini, aut stabuli obsequia, de quibus in l. maximarū, Cod. de excusat. num. lib. 10. Alia honesta vt tutela, cura, sicuti habetur in l. 1. ff. de munerib. & honorib. Ad personalia quoq; munera referri potest capitatio ciuium, id est, certa exactio à personis siue capitibus singulis, sine habitudine ad bona patrimonii, l. vn. Cod. de ciuium capitat. Atque ab his omnibus personalibus muneribus Clericos exemptos esse, nemo dubitat.

Munera autem patrimonialia, id est, quæ de patrimonii bonis indicuntur, duplicis generis existunt, vti habetur in l. rescripto, §. vlt. ff. de munerib. & honorib. Quædam enim personis tantùm subditis imperantur, cum habitudine ad patrimonii bona, ideóq; mixta appellari solent: quædam verò sunt munera merè realia, quæ rebus siue possessionib⁹ secundum se inhærent haud dubiè originem trahentia ex aliquo pacto censuali, feudali, aut emphyteutico, sicuti apertè indicāt Innoc. & Abb. ll. cc.

Insuper verò aliqui ex Doctorib⁹ speciatim loquūtur de patrimonialib⁹ munerib⁹, quæ in Imperio vsitata sūt, aiúntq; alia esse extraordinaria (alias collectæ dicuntur) quæ non habent certam præstationem quotannis recurrentem: & talia subditis tantùm, ac municipib⁹ imperari solēt. Cùm enim principaliter personis rerum suarum contemplatione imponantur, impositio hæc locum non habet, si personæ subditæ non sint, iuxto cit. l. rescripto, §. fin. Atque ab his muneribus Clericos, multóq; magis Ecclesias immunes esse oportere, habetur expressè in l. omnis, & constit. item nulla, C. de Episc. & Cler. alia verò esse munera ordinaria seu canonica, quæ possessionibus ipsis ab antiquo tempore ita inhærent, vt etiam à non subditis, puta extraneis, Clericis aliisq; exemptis præstanda sint, ratione prædiorum, seu possessionū suarum, cit. l. rescripto, & l. Imperatores, ff de publicanis, l. placet, C. de SS. Ecclesiis, l. de his, C. de Episc. & Clericis, l. 1. Cod. de indictionibus, lib. 10. & l. vlt. Cod. de exactor. tributorum, eod. lib.

Porrò inter eiusmodi munera seu onera ipsis possessionib⁹ inhærentia, ideóq; etiam à nō subditis, Clericis itē, atq; Ecclesiis possessoribus præstanda numerantur angariæ, seu vehiculares præstationes, siue ob Principis, vel exercitus transitum, siue ad vrbis munitionem, vel itineris, pōtiúmve constructionem, aut similem necessitatem, vtilitatémve comunem, vti habetur in l. 1. & l. munerum, § patrimoniorum, ff. de munerib⁹, l. sunt munera, ff. de vacat. & excusat. munerum, l. ad instructiones, l. neminem, C. de SS. Ecclesiis. Cuiusmodi ciuilibus constitutionibus adhuc hodie locum esse existimāt Innoc. & alii quidam apud Abb. in c. non minùs, n. 18. de immunit. Eccles. Remigium de Gonny tract. de subsidio charitatiuo, q. 62. Syl. ver. immunit. 1. n. 20. Gutierez lib. 1. pract. qq. q. n. 5.

Sed contraria sententia est vera, & à plerisq; Canoni- 6
stis approbata, teste Syl. lo. cit. & tradit Gl. in c. generaliter, 16. q. 1. ver. collationib⁹, Ioan. Andr. & Abb. cit. c. nō minùs, n. 17. Iasone in l. placet, C. de SS. Eccles. Gutierez cit. q. 3. n. 6. Suar. cit. l. 4. c. 26. Mol. tr. 2. t. 3. priore, disp. 672. Less. l. 2. c 33. dub. 3. Constitut. illas correctas esse ab Imperat. Frider. constit. Item nulla, C. de Episc. & Clericis, & multò clariùs per c. non minùs, & c. aduersus, de immunit. Eccles. vbi vniuersim prohibetur; Ne ex bonis Eccles. vel Ecclesiast. vllæ contributiones fiant ad communem necessitatem, vel vtilitatem, nisi Episc. cum clero iudicauerit, subsidia, vbi laicorum non suppetunt, seu non sufficiunt facultates, sponte, & sine vlla laicorū coactione conferenda esse, modò etiam Sum. Pontifex priùs consulatur. Rationem affert Abb. Quia laicis propriè incumbit subire munera & onera Reip. temporalis: personæ autem Ecclesiast. & bona Eccles. deseruire debent ad finem spiritualem.

Aduerte tamen inprimis, quod Iuristæ aliqui post Gl. in l. 1. § . hospites, ver. non aliter, C. de Episc. & Cler. cōtrou. istam inter Doctor. non congruè conciliare nituntur: quòd aliæ sint angariæ, aut similes præstationes, quæ ex antiquo ipsis rebus seu possessionib⁹ indictæ fuerunt, v.g. ratione feudi, aut contractu censualis, ideóq; à possessoribus, etiam non subditis, ipsísque Cler. & Ecclesiast. faciendæ, vti habetur expressè in cit. l. munerum, & Auth. de Ecclesiast. titulis, §. ad hæc. Talia enim onera, cū rebus ipsis adhæreāt, imò adhæserint, antequā in Ecclesiasticorū potestatem venirent, sequuntur possessorem, quicunq; sit: cum neque alia conditione à fundatoribus donari, & transferri potuerint in Eccles. nisi vt debita ex rebus seruitia supremo domino præstentur. Aliæ verò sunt angariæ, perāgariæ, vel aliæ similes indictiones, quæ principaliter personis non nisi subditis imponuntur, & collectarum nomine comprehendi solent. atque ab his Clerici liberi esse debent, iuxta cit. Constit. Friderici.

Secundò aduerte, quod Abb. in cit. c. non minùs, n. 19.
alium casum affert, in quo Clerici ad communem ne- 7
cessitatem vna cum laicis, etiam inconsulto Sum. Pontifice, contribuere debent: Videlicet si necessitas directè ac immediatè respiciat bona Eccles. aut Ecclesiast. vt si hostes infideles, aut hæretici (sicuti hoc tempore Caluinistæ in Germania) deuastent, aut proximè nisi occurratur) deuastaturi existimentur regiones Cathol. in quibus sunt prædia, & alia bona Ecclesiastica: tali casu ipsi etiā Clerici naturali iure contribuere tenentur; quamuis non secundū voluntatem, & exactionem laicorum; sed præmissa deliberatione etiā ipsorum Clericorū atque ad voluntatem, & imperium Ecclasiasticorum Prælatorū.

Quia *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari* c. adhæc de offic. Archidiaconi; & reg. 29. in 6.

Verùm vt Summus Pontifex prius consulatur, hoc casu speciali necessarium non esse arbitratur Abbas cit. loco: Tum quia necessitas non habet legem: quare etiam in c. peruenit, de immunit. Eccles. iuxta communiorem intellectum statuitur, vt tempore necessitatis nullus per Ecclesiæ suæ nomen excusetur à murorum vigiliis; quia *in necessitate cessat priuilegium* ait Gloss. ibi. Et Abb. num. 6. concludit, in magna necessitate, si aliter ciuitas defendi non possit, etiam Clericos obligari ad vigilias; idque naturali iure. Tum quia Concil. Lateranens. in dicto c. non minùs, loquitur de necessitate, aut vtilitate publica, id est, per se ac principaliter pertinente ad ipsam communitatem seu Rempublicam, cuius Clerici membra quidem sunt; sed priuilegiata atque exempta: hîc autem versamur in casu, quo specialiter vertitur periculum etiam ipsarum Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum bonorum, ad quorum proinde defensionem naturali obligatione concurrere debent, non minus; imò magis, quam si directè agatur de captiuorum, aut oppressorum Christianorum liberatione. Quam doctrinam reperies etiam apud Iulium Ferettum tractat. de gabellis, num. 129. & apud doctissimum Theologum Henricum à Gandauo quodlibet. 1. quæst. 31. in fine vbi ita scribit: *Pro expensis Principis factis pro Ecclesia in exercitu contra hostes Ecclesiæ, debent Ecclesia, & Clerici conferre, sicut & laici: Intelligo autem per hostes Ecclesiæ impugnatores fidei aut contra iustitiam Regum, vel ciuitatum. Nec tamen tunc, vt dicit Gloss. super illud, Necessitatis, per laicos, sed per Episcopos petetur, iuxta cap. non minùs, de immunitat. ecclesiæ. Nec similiter in aliis casibus prædictis, in quibus contribuere tenentur, nisi quòd fortè cogente necessitate, quæ legem non habet in casu defensionis Fidei, aut regni, aut ciuitatis, ponere possint manus ad res ipsorum, si per Episcopum ad hoc compelli non possent.* ad hoc intellige, quod iure naturali in casu maximæ necessitatis debent, atque fine iusta causa recusant.

Vide etiam Henriq. lib. 10. c. 15. num. 8. & 9. Mol. tract. 2. t. 3. priore, disp. 673. vbi simili ratione docet, si alicubi aquarum inundatio, aut vermium morsus deuastet prædia, quòd etiam Ecclesiæ & Ecclesiastici possessores vnà cum laicis contribuere teneantur: Aut si vicini omnes contribuant ad sternendam lapidibus viam, tum etiam Ecclesiastici, qui domos ibi habent, conferre debeant, secundum doctrinam Abb. in cit. c. non minus n. 16. Quia his casibus bonum quod intenditur, & ad quod contribuitur, directè ac proximè respicit bona Ecclesiæ aut Ecclesiasticorum, ait Mol. lo. cit.

8 Venio ad tertium, & vltimum genus bonorum, quæ ad singulas personas Ecclesiasticas, dominii capaces, propriè spectant. Eaque duplicis generis sunt, nam quędam ex titulo spirituali acquisita sunt, puta beneficiorum reditus, Missarum stipendia: quædam verò ex titulo temporali, v. g. hæreditate, arte, manuum labore; ideóque illa clericalia, hæc patrimonialia bona hoc loco appellari possunt. Bona clericalia seu ex spirituali titulo acquisita ab omni secularium Principum exactione, & tributo libera esse debere, est omnium Doctorum sententia, tradita in c. sancitum, 23. q. 8. c. 1. de censibus, c. aduersus de immunit. Ecclesiarum, & aliis iuribus postea citandis. Ratio est: Quia siue hæc Clericorum stipendia & lucra spectentur quoad titulum & causam acquirendi, siue spectentur quoad personas, à quib. acquisita sunt, neutra cōsideratione seculari potestati subiecta esse possunt. Nam titulus quidem acquisitionis sacer ac spiritualis est, personæ autem ipsæ Ecclesiasticæ, & omnino exemptæ à iurisdictione seculari. Deinde non est dubium (vt suprà etiam argumentatus sum) quin Sum. Pōtifex super his bonis, titulo spirituali acquisitis, tributum ad piam causam aliquam imponere possit: ergo oportet ea à secularium exactione libera esse: cùm æquitas non patiatur, ea duplici onere grauari.

Sed & in bonis patrimonialibus Clericos exemptos esse à secularium Principum iurisdictione, & exactionibus, est communis Doctorum sententia, quam docent Canonistæ, & nominatim Abb. in c. Ecclesia, n. 21. de Cōstit. & c. si Clericus n. 3. de foro compet. c. vlt. n. 4. de vita & honest. Cler. Legistæ, nominatim Bartol. in l. placet, C. de SS. Ecclesiis, D. Martha casu 49. Summistæ ver. immunitas, vbi Syl. 1. n. 9. & ver. excommunicatio, 9. excom. 5. n. 13. Nau. c. 17. n. 203. Med. C. de restit. q. 15. Less. lib. 2. c. 33. dub. 3. n. 19. Sairus lib. 3. thesauri, c. 22. Suarez cit. lib. 4. c. 24. contra Gl. marginalem in c. quamquam, de censib. in 6. ver. res ipsarum. Sumitur apertè ex c. aduersus, de immunit. Ecclesiarum, c. quamquam, de censibus in 6. Clem. vn. de immunit. Eccles. l. 2. & Constit. Item nulla, C. de Episc. & Cler. Nam his iuribus vniuersim prohibetur, ne Ecclesiasticis personis talliæ collectæ, aut aliæ quæcunque exactiones imponantur, vti videre est in cit. Clem. vn. & cit. constit. Friderici quia Ecclesiasticæ personæ, & res earum à secularium potestatum exactione immunes esse oporteat, vti habetur in cit. cap. aduersus, & apertissimè in cit. c. quamquam, vbi additur, id iure diuino ac humano constitutum esse. Ratio est: Quia soluere tributum &c. subditorum proprium est: cùm id signum sit subiectionis, testante Apost. ad Rom. 13. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram; sed etiam propter conscientiam: ideo enim & tributa præstatis.* Sed personæ Ecclesiasticæ immunes sunt à iurisdictione secularium: ergo etiam à tributis. Accedit, quòd cùm Domini seculares à Clericis, aliisque Ecclesiasticis personis spiritualia commoda accipiant, æquum non sit, vt etiam temporalia ab iis exigant, sed potiùs tribuant, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?*

Dices: Bona Clericorum patrimonialia, saltem antequam ipsi Clericatū assumerent, erant obligata exactioni secularis Magistratus: Ergo semel affecta transeunt cum hoc onere: cum alioquin fisco seculari præiudicium afferretur per Clericatus assumptionem. Respōdeo; Distinguendum esse inter obligationem: vel enim rebus in est tantùm per accidens ratione personæ, quæ seculari Magistratui subiecta est; tunc mutata conditione ac statu personæ, mutatur etiam status rei; adeò vt si persona ob status mutationem desinat esse subiecta alicui Magistratui, etiam bona eius libera esse debeat. Vel bona per se, siue realem habent obligationem alicuius tributi, aut pensionis ex præcedente pacto feudali, censuali emphyteutico, tunc nihil attendi debet; vtrum persona, quæ talia bona possidet, laicus sit, an Clericus subditus, an exemptus, vel extraneus. Præterquam quod in c. 1. de censibus habetur, vt *cuicunque ecclesiæ mansus integer sine vllo seruitio tribuatur*: vbi notant DD. communiter, quod fundator non possit super tali fundo onus aliquod imponere, vel si ab alio antè impositū erat, redimere debeat. Vnde ex sensu contrario argumentum sumi potest, ex aliis bonis, etiam Ecclesiarum, vel Ecclesiasticarum personarum, merè realia onera siue seruitia præstanda esse.

Deinde notandū est, quod habetur in c. vlt. de vita & honest. Clericorū, & clariùs in c. quāquam, de censib. in 6. *Ecclesiasticas personas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri pro reb. suis propriis quas non causa negotiationis deferūt vel deferri faciunt.* Cū enim Clerici negotiationib. ac lucris secularium hominū propriis inhiant, meritò etiā onera eorum sustinent. Tametsi Gl. in cit. c. quamquā, ver. facultatib. & Abb. in cit. c. vlt. n. 10. id explicant, locum duntaxat habere in rebus Clericorum propriis, non item ad Ecclesiam pertinentibus; aiuntque de his vectigal soluendum non esse, si Clerici administratores negotiationem etiam ipsis illicitam exerceant: quia *delictum perso-*

næ non debet in detrimentum ecclesiæ redundare; regul. 76. in 6. Puto tamen aliter in praxi obseruari, si negotiatio lucrosa sit.

RESTAT QVÆSTIO: An vniuersim vera sit regula, quam tradit Gloss. in c. Ecclesia, ver. personis Ecclesiasticis, de Constitut. & altera Gloss. in cit. c. vlt. de vita & honest. verbo facultatibus, & in c. quamquam, ver. ipsarum, de censibus in 6. Quod *bona Clericorum propria, & bona Ecclesiarum eodem iure ac priuilegio gaudent.*

10 Respondeo ex doctrina Abb. in supra cit. c. vlt. D. Marthæ casu 49. Couar. 1. resol. c. 4. Veram esse regulam in iis tantùm priuilegiis, quæ principaliter competunt personis, siue statui Ecclesiastico; rebus verò ipsorum accessoriè: v. g. vt coram seculari Iudice tanquam rei non conueniantur, etiam in causa ciuili ac reali: vt à vectigali, tributo, collecta non tantum merè personali, sed etiam mista, liberi & immunes sint. At verò priuilegia, quæ ob fauorem bonorum Ecclesiasticorum principaliter data sunt, ea non competunt bonis propriis singulorum Clericorum: tale est beneficium restitutionis in integrum, si Ecclesia in contractu læsa sit; item vt non tempore ordinario decem, vel viginti annorũ, sed quadragenario perficiatur vsucapio immobilium bonorum Ecclesiæ, sicuti ex communi notauit Abb. in c. vigilanti, num. 36. de præscript. & in cit. c. ecclesia, num. 7. Couar. 1 resolut. c. 4. num. 3. Ratio est: Quia bona Ecclesiastica inter res sacras numerantur: cuius rei signum est, quia eorum iniusta ablatio sacrilegium censetur: Non ita verò bona Clericorum propria præsertim ex temporali titulo acquisita, sacra censentur; consequenter nec eundem iuris fauorem merentur. Videri potest Suarez cit. lib. 4. defens. c. 23.

CAP. VII.

QVÆNAM PERSONÆ ECCLESIAstica exemptione gaudeant.

SVMMARIVM.

1 *Regulares vtriusque sexus, eorúmque Nouitii & Conuersi ecclesiastica immunitate gaudent.*
2 *Clerici minores gaudent priuilegio exemptionis, si habeant conditiones requisitas à Tridentino sess. 23. c. 6. de reform.*
3 *Priuilegium fori trahit secum exemptionem à tributis.*
4 *Clerici coniugati qui cum vna, eáque virgine, contraxerunt, si tonsuram, & vestes clericales deferentes ecclesiæ seruiant, canonis priuilegium & exemptionem fori in causis criminalibus retinent.*
5 *Religionis Nouitius ob crimen in Monasterio commissum, à seculari Iudice, etiam postquam ad seculum rediit, puniri non potest.*
6 *Mota quæstione de iurisdictione inter iudicem Ecclesiasticum, & secularem, decet magis ad Ecclesiasticum cognitionem pertinere.*

1 ASSERTIO I. Non tantùm Clerici; sed etiam Regulares omnes vtriusque sexus, etiam Nouitii eorum, & Laici conuersi à seculari potestate exempti & immunes sunt. Sumitur ex lib. 16. C. Theodos. de Episc. & Cler. l. 36. Auth. Iustiniani Imp. Nouella 123. §. si quis contra, collat. 9. quam allegat, & confirmat Gregor. I. Papa lib. 11. epist. 54. relatus in c. de persona, 11. q. 1. & ex c. Clericis, de immunit. Ecclesiæ, in 6. quibus iuribus expressa mentio fit exemptionis personarum regularium. Item ex c. non minùs, c. aduersus, extra eod. tit. & constit. Friderici Imperatoris *statuimus*, C. de Episc. & Clericis, quibus iuribus generatim eximuntur Ecclesiasticæ personæ: quo nomine cõprehenduntur quoque Regulares vtriusque sexus, eorumque Nouitii, ac Laici conuersi, arg. c. duo sunt, 12. q. 1. & aliorum quæ allegaui lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 4. vbi egi de priuilegio canonis si quis suadente, 17. q. 4. Notanda enim est regula, quam tradit Suarez lib. 4. defens. c. 29. num. 7. Quibus personis, ex vi status sui, competit priuilegium canonis, iisdem etiam priuilegium fori, seu exemptionis à potestate seculari; ac vice versa. Ratio est: Quia priuilegium canonis ideo personis concessum est, quia sacræ sunt, Deo dicatæ, ideoque Ecclesiasticæ; atqui ob hanc ipsam causam non oportet eas seculari potestati subiectas esse; sed ad Ecclesiæ tribunal pertinere. Ergo vtrumque priuilegium eisdem personis competere debet.

Assertio II. Non tantùm Clerici in sacris, sed etiam in minoribus ordinibus constituti, vel prima tantum tonsura insigniti, priuilegio gaudent exemptionis, iuxta cap. cùm non ab homine, de iudiciis, & c. 2. de foro compet. dummodo habeant conditiones requisitas à Concilio Tridentino sess. 23. c. 6. de reform. Videlicet, vt vel beneficium Ecclesiasticum obtineant, vel clericalem habitum & tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ, ex mandato sui Episcopi, deseruiant; vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos, versentur. Circa quam constitutionem quædam notanda sunt: I. Non ideo statim Clericus minoribus initiatus fori priuilegium amittit, si semel, aut iterum tonsuram, & habitum deferre intermiserit; sed tantum si non deferendi consuetudinem habuerit: Contrà, etsi semel dimiserit, si postea sine fraude, ac dolo resumpserit, recuperat priuilegium; adeò, vt si tempore criminis commissi, & antecedentibus etiam mensibus aliquot habitum clericalem gestasse compertum sit, à iurisdictione seculari exemptus censeatur, sicuti ex communi docet Couar. in pract. qq. c. 31. n. 8. Suar. lib. 4. defens. c. 27. n. 17. Syl. ver. excommun. 6. n. 4. 2

II. Etsi Clericus beneficiatus habitum & tonsuram nunquam deferat, non amittit tamen priuilegium fori, donec ab Episcopo ter monitus, incorrigibilem se ostenderit, iuxta c. in audientia, c. contingit, 45. de sent. excom.

III. Priuilegium fori, de quo hîc Concilium loquitur, trahit etiam secum exemptionem à tributis. Nam tributum soluere signum subiectionis est: consequenter qui à secularium iurisdictione solutus est, etiam ab exactione tributorum exemptus esse debet; Atque è cõtrario, si quis fori priuilegio non gaudet, sed iurisdictioni seculari subiectus est, v. g. Clericus in minoribus, qui habitum quidem & tonsuram defert, sed neque Ecclesiæ seruit, nec in studiis ex mandato Episcopi versatur; talis, inquam, etiam legibus tributorum subiectus esse debet, sicuti docet Suarez cit. c. 27. n. 14. & consuetudine ita obseruari notat Couar. cit. c. 31. in fine. Less. lib. 2. c. 33. dub. 5. Gutierez lib. 1. pract. q. 7. 3

Assertio III. Clerici coniugati, qui cum vnica, eáque virgine (non vidua, vel antea ab aliquo corrupta) contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant clericales, & statui eorum conuenientes, insuper alicuius Ecclesiæ seruitio seu ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ seruiant, ac ministrent, præter priuilegium canonis etiam fori exemptionem retinent; tamen duntaxat in causis criminalibus, siue criminaliter, siue ciuiliter agatur: in causis verò merè ciuilibus, atque tributorum soluendorum obligatione subiecti manent seculari potestati; nisi speciali lege, consuetudine, vel priuilegio etiam in his eximantur. Ita habetur in c. vn. de Cler. coniug. in 6. iunct. Trident. Concil. sess. 23. cap. 6. de reform. 4

Adde, Clericum coniugatum, etsi negotiationem aliquam exerceat, non ideo canonis, ac fori priuilegio priuari, sed neque per sententiam priuandum esse; nisi indecens negotiatio esse videatur. Verùm non omnis ne-

gotiatio, quæ aliis Clericis prohibita est, etiam coniugatis prohibita censeri debet, arg. c. Ioannes, de Cler. coniug. iunct. Gloss. ver. non potest, & notat Couar. cit. cap. 31. num. 8. Syluest. ver. Clericus 3. q. 3. Suar. cit. lib. 4. c. 28. n. 9. contra Clarum §. fin. q. 36. n. 12.

Ad extremum duo notanda sunt. I. Inter Ecclesiasticas personas aliæ sunt, quæ statum immutabilem habet, vt Clerici in sacris constituti, ac religiosi professi: quibus hoc commune est, vt priuilegium fori, seu exemptionis à potestate seculari regulariter non amittant, nisi eo per sententiam priuentur, in criminis pœnam, sicuti notauit Suarez cit. c. 29. n. 8. & dixi in lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3. Aliæ verò Ecclesiasticæ personæ sunt, quæ
5 statum mutabilem habent, quē fermè arbitratu suo abiicere possunt, eóque deposito clericalibus priuilegiis spoliari: vt Clerici in minoribus constituti, & Religionum Nouitii, præterquam, quod ob crimina in statu Ecclesiastico commissa, post eius mutationem, non à seculari: sed Eclesiastico Magistratu conueniri, ac puniri debeant, quia *tempus delicti inspiciendum est*, sicuti suprà etiam dixi c. 4. num. 14. & ex communi docet Couar. cit. cap. 31. num. 8.

Alterum. Si captus à Iudice seculari, excipiat, se Cle-
6 ricum esse, vel clericali priuilegio gaudentem (cuiusmodi exceptio, etiam post latam sententiam, à Clerico opponi potest, quandoquidem is nec expressè, nec tacitè in secularem iudicem consentire poterat) talis causa seu incidens quæstio non à seculari, sed Ecclesiastico Iudice cognosci debet, sicuti habetur expressè in c. si Iudex de sent. excom. in 6. Ratio est, tum ea, quæ in cit. c. affertur, quia quæstio est de re spirituali seu Ecclesiastica, videlicet de clericatu: tum ea, quam Couar. affert in pract. qq. c. 33. n. 1. quia mota quæstione super iurisdictione inter iudicem Ecclesiasticum, & secularem, meritò illius decisio ad Ecclesiasticum; tanquam maiore auctoritate præditum, refertur. Si tamen notorium sit, exceptionem friuolam, inanem, & solum fallendi causa oppositam esse, haud dubiè secularis Iudex, ea reiecta, in causa principali procedere poterit. Vide etiam Iulium Clarum lib. 5. sent. §. fin. q. 36. n. 21.

CAP. VIII.

QVO IVRE FVNDATA SIT Ecclesiastica immunitas, num positiuo tantum, ac etiam diuino, ac naturali.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio Ecclesiasticorum à seculari Magistratu tum quoad personas, tum quoad bona ipsorum à diuino iure proficiscitur.*

2 *In veteri lege Sacerdotes, & Leuitæ exempti erant à iurisdictione & tributis aliarum tribuum.*

3 *Laici Clericis gradu inferiores, eisdemque ferme infesti sunt.*

4 *Summus Pontifex, & Concilium generale ob iustam causam seculari Magistratui aliquam iurisdictionem, vel exactionem in Clericos committere, aut permittere possunt.*

NON pauci ex Theologis docuerunt; Exemptionem Clericorum à ciuilium Principum, & Magistratuum iurisdictione, tum quoad illorum personas, tum quoad bona Ecclesiastica, immediatè profectam esse ex Christianorum Imperatorum & Regum priuilegiis, cum consensu & approbatione totius Christiani populi concessis: quæ exemptionum priuilegia à Summis Pontificibus, aliisque Ecclesiæ Prælatis non tantùm acceptata, sed etiam propriis sanctionibus confirmata, & defensa fuerunt. Ita Victoria relect. 1. de potest. Eccles. §. sequitur consequenter, vt è contrario, propol. 2. Sotus in 4. d. 25. q. 2. a. 2. Ioan. Med. C. de restit. q. 15. Michael de Palatio cit. d. 25. disp. 3. concl. 3. Salon. 2. 2. q. 67. a. 1. controu. 1. concl. 5. Sairus lib. 3. thesauri, cap. 2. excom. bullari 18. Mol. tom. 1. tr. 2. de iust. disp. 31. Henriq. lib. 7. c. 24. & lib. 10. c. 15. n. 4. & alii, quibus ex Canonistis accedit Couar. c. 31. pract. quæstionum.

Addunt tamen huius sententiæ Doctores, quòd Principes & Magistratus seculares exēptionem Clericis cōcessam reuocare, eósque iugo suo subiicere nunquā possint, sine graui scelere & tyrānide. cuius rei rationes variæ afferri possunt: Primo. Quia Christianis Principibus naturalis, atque diuina obligatio incubuisse videtur, Clericos & omnes personas Christo peculiariter dedicatas à potestate & iurisdictione eximendi, quatenus ad conuenientem Christianæ Ecclesiæ statum necessarium erat, vti significat S. Thom. lect. 1. in cap. 13. ad Rom. Secunda, Quia immunitate ac libertate priuari nō possunt, nisi subditi: sed post concessa illa exemptionis priuilegia, toto approbante populo, personæ Ecclesiasticæ non amplius subditæ sunt seculari potestati: Ergo non possunt, immunitate sua priuari, sicuti argumentatur Michael de Palatio l. c. Tertia: Quia Summus Pontifex, B. Petri successor, per supremam potestatem à Christo traditam, statuere & præcipere potest ea omnia quæ ad Ecclesiæ conuenientem statum ac gubernationem necessaria sunt: talis autem est exemptio sacrarum personarum à ciuili Magistratu; quamobrem Papa illam non tantum cum consensu laicorum decretis suis confirmare potuit; sed etiamsi laicus Magistratus reluctaretur, indicere, atque præcipere, sicuti docet Innoc. in cap. 2. de maior. & obed. Idque confirmatur ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 10. communiter recepta, quod Ecclesia potestatem habet, Dei auctoritate sibi commissam, subditos infidelium ad Fidem Christi conuersos, illorum iurisdictione atque dominio eximere, si ita ad honorem Dei conueniens, aut necessarium esse iudicetur.

Altera eáque vera sententia est, dictam immunitatem siue exemptionem Clericorum à diuino iure proficisci; 1
legibus autem cum ciuilibus, tum canonicis declaratam, & confirmatam esse. Ita docet Gloss. in cap. Si Imperator, d. 96. Gl. in c. quamquam, de censibus, in 6. Innoc. in cit. c. 2. Abb. in c. Ecclesia, num. 6. de constit. Nau. in c. nouit, notabili 6. corol. 1. de iudiciis, & alii Canonistæ, quos refert, ac sequitur D. Martha de iurisdict. p. 2. cap. 6. Clarus §. practica criminalis, quæst. 36. princ. Inter Theologos vero eandem sententiam tenent Iacob. Almainus tract. de Eccles. potestate, c. 8. Ioan. Driedo lib. 1. de libert. Christiana c. 9. considerat. 3. & seqq. Bellarm. in opusculis, disp. de exempt. Cleric. Valentia t. 4. disp. 9. q. 5. p. 4. edit. vlt. Azor t. 1. lib. 5. c. 12. Adamus Tanner in defens. Ecclesiast. libertatis lib. 1. c. 17. Suarez in defens. Eccles. Cathol. lib. 4. c. 9. Probatur primò auctoritate Summorum Pontificum, & Conciliorum. In Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. 43. dicitur: *Nimis de iure diuino quidam laici vsurpare nituntur cùm viros Ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis iuramenta compellunt*: refertur in c. nimis, de iureiur. Et in Trident. sess. 25. c. 20. de reformat. *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam esse*: quibus verbis sublata est quorundam Doctorum interpretatio, nomine iuris diuini, quo Clericorum exemptio fundata dicitur, canonicū intelligendū: siquidem Tridentinū apertè inter Dei, & canonū sanctiones distinguit. Item in Concil. Lateran. sub. Leon X. sess. 9. Cùm à iure tam diuino, quam humano potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa sit, & similiter in Coloniensi habito Anno Christi MD. XXXVI. p. 9. c. 20. *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, iure pariter diuino, & humano introducta.* Bonifac. VIII. in c. quamquam, de censibus in 6. *Cū Ecclesiæ*

Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum iure humano, quinimo & diuino, ac secularium personarum exactionibus sint immunes. Vide etiam Constantinum Imperat. apud Ruffinum lib. 1. histor. qui in ordine 10. est, c. 2. Valentinianum, Theodos.& Arcadium in epist ad Optatum lib. 16. Codic. Theodos. tit. de Episc. iudicio.

Secuudò probatur ratione, quam legere potes apud Abb. in c. solitæ, n. 4. de maior. & obed. Nulla potestas siue iurisdictio, propria virtute se extendit vltra genus sui obiecti, tanquam proprios limites. Ecclesiasticæ autem personæ, & bona sunt extra obiectum, & proprios limites iurisdictionis secularis: ergo ad ea secularis iurisdictio extendere se non potest, per se ac propria virtute, sed solum ex commissione alterius, videlicet Ecclesiasticæ potestatis. Maior est certa. Minor probatur: Cũ enim materia siue obiectum cuiuscunque potestatis sumenda sit ex proprio fine ipsius; sequitur potestatis ciuilis, quæ per se ac directè ad finem temporalẽ ordinatur, propriã materiam ac obiectum esse oportere res temporales, ac politicas, non item sacras, id est, quæ ad Dei cultum per se ac directè spectant, ideóque suapte natura ac institutione ad supernaturalẽ finem tendunt: At verò inter ea, quæ sacra censeri debent, numerantur tũ personæ sacræ, id est, diuino cultui peculiariter dedicatæ, tũ loca sacra, tum bona omnia, quæ vel Ecclesiarũ ornatum, fabricã, vel Ministrorum sustentationẽ spectant: sicuti docet S. Th. 2.2.q.99.a.1. Ergo hæc omnia sunt extra obiectum secularis iurisdictionis, & propriè ad Ecclesiasticã potestatem pertinent.

Confirmatur I. Circa eadem óbiecta, easdémque res per se non versantur diuersæ potestates siue iurisdictiones. Certum autẽ est, Ecclesiasticã potestatem per se ac directè versari circa personas, & res Ecclesiasticas: Ergo circa easdem res per se non versatur potestas ciuilis, quippe quæ ab Ecclesiastica diuersa, ac discreta est. Maior tum per se nota est, tum inde probatur: quia alioquin necesse foret magnã confusionem oriri; si v. g. Prælatus Ecclesiæ circa personas, vel bona Ecclesiastica aliter disponat, & præcipiat; & aliter Princeps secularis, alter ab altero in suo iudicio non dependens, sicuti rectè notauit Suar. cit. lib. 4. c. 9. n. 17.

Confirmatur II. Quemadmodum contractus matrimonii, eo ipso, quod secundùm Christi institutionem sacer factus est, à seculari foro eximitur; itemque ædes, vasa, vestes, hoc ipso quòd à fidelibus ad pium vsum, siue ministerium sacrum oblata, & ab Ecclesiæ Prælato acceptata, & dedicata sunt, à secularium potestatum dispositione, iurisdictione, & exactione eximuntur, vt omnes fatentur: ita similiter fateri debemus, personas ipsas, & quæ ad earum sustentationem pertinent, posteaquam diuino cultui spontanea deuotione dedicata; & ab Ecclesiasticis Prælatis, tãquã Christi vicariis atque administratoribus, in suã tutelã, ac iurisdictionẽ acceptata sũt; eo ipso à seculariũ potestatum iurisdictione; & exactione exempta esse. Quam rationem attigit Innoc. in c. 2. de maior. & obed. *Quis eximit Clericos de iure Imperatoris, cũ priùs ei subessent? Respondetur, quòd Papa consentiente Imperatore. Sed hi non plenè eximunt: vnde dicimus, quòd exempti sunt à Deo Vel dic, quod Papa etiam sinè consensu Imperatoris, eos potuit eximere per suas constitutiones: quia cùm Clerici spirituales res sint, & ex toto corpus suum & animam dederint in seruitium & sortem Christi, per consequens Papæ iudicio, & constitutionibus subsunt.* Item Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperat. *Hi, quibus tantum humanis rebus & non diuinis preæsse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.* Ioannes VIII. c. si Imperator, d. 96. *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates.* Et paulò post: *Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi; sed à Pontificibus, & Sacerdotibus Deus Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes voluit ordinari, & discuti, recidíque de errore remeantes: Imperatores Christiani subducere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus; non præferre.* Theodos. Imp. apud S. Ambros. lib. 5. epist. 32. ad Valentin. Imp. *Non solum sermone docuit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis: hæc enim verba rescripti sunt; hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare,* Carol. Magnus lib. 6. capitularis, c. 109. *Fas non est, vt diuini muneris Ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* De bonis verò; siue prædiis Ecclesiasticis non alienandis cùm Basilius quidam illustris scripturam siue decretum edidisset, illud irritum esse declarauit Synod. IV. Romana sub Symmacho can. 3. *Ne exempla remanerent præsumendi quibuslibet laicis, quamuis religiosis, vel potentibus, in quacunque ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à Deo cura commissa docetur.*

Tertiò probatur ex veteri lege, in qua Dominus Leuitas, templi ministerio dedicatos, à reliquis tribubus sequestrauit, & Aaroni, atque filiis eius subiecit, sicuti legimus in c. 3. Numer. quòd locutus est Dominus ad Moysen ver. 10. *Dabis dono Leuitas Aaron; & filiis eius, quibus traditi sunt à filiis Israel. Aaron autem, & filios eius constitues super cultum sacerdotii:* Et infra n. 45. *Eruntque Leuitæ mei, Ego Dominus.* Et c. 8. Numer. *Statuésque Leuitas in conspectu Aaron; & filiorum eius, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, vt sint mei: & postea ingredientur tabernaculum fœderis; vt seruiant mihi, sicque purificabis & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi à filiis Israel.* Ex quibus locis satis manifesto colligitur, Leuitas non alteri, quam Aaroni, & successoribus eius Sacerdotibus subiectos fuisse. Bona autem, & possessiones Sacerdotum, ac Leuitarum fuisse ab exactionibus immunes, colligitur ex cap. 30. Exodi ver. 12. iuncto c. 1. ver. 47. Numer. quibus locis significatur, Leuitas & à tributo, & à militia immunes fuisse. Item ex c. 18. Numer. vbi habetur, à reliquis tribubus Israel, decimas pendendas fuisse Sacerdotibus, atque Leuitis. Ipsos quoque Leuitas secundas decimas, siue decimas decimarum Aaroni, & Sacerdotibus eius soluisse, sicuti explicat Iosephus lib. 4. antiquit. c. 4. Denique idem colligitur ex eod. c. 18. Numer. n. 20. iuncto cap. 35. quibus significatur, Aaroni & filiis eius, atque Leuitis non fuisse partem assignatam in diuisione terræ promissionis, sicut reliquis tribubus; sed postea ex tribubus, pro singularum facultate, fuisse vrbes & possessiones designatas pro tribu Leuitica; vt hæc esset quasi pars & possessio, à filiis Israel Deo oblata in Ministris eius. Quamuis autem leges istæ veteris testamenti desierint, tamen facilè ex iis colligitur, quanto nunc dignioris & excellẽtioris sacerd. ministri sunt, qui Clerici dicuntur, id est, sors ac possessio Domini, c. cleros, d. 21. tantò magis dicta immunitatis priuilegia in ipsis locum habere oportere.

Quartò probatur ex traditione: Nam omni tempore Ecclesia immunitatem suam, quatenus pro temporum varietate fieri poterat, contra seculares potestates defendebat, vti videre est apud Suarez cit. lib. 4. cap. 3. & 12. Adamum Tanner lib. 1. cap. 8. & seqq. Quare etiam Apostolus 1. ad Corinth. 6. seuerè præcepit, vt aliqui de Ecclesia statuerentur, ad quos Christiani suas causas, & controuersias deferrent. quod proinde necessario fuerat tribunal Ecclesiasticum; cum eo tempore inter Christianos nulla esset secularis potestas. Rationem verò huius præcepti affert S. Th. ibid. Quia si Christiani secularium hominum, qui tunc infideles erãt, iudicio sponte se subiicerent, Ecclesiæ quidem dignitati non parum derogaretur; Iudicibus verò occasio 3
præberetur calumniandi, & opprimendi fideles. Quæ

ratio licet hodie, cum Iudices seculares è fidelium numero sint, cesset quoad laicos; non tamen cessat quoad personas Ecclesiasticas: quippe quas non decet à laicis iudicari: Tum quia hi gradu & ordine in Ecclesia inferiores, ac subditi sunt: Tum quia constat, laicos Clericis infestos esse, in eósque potestate, si quæ concedatur, frequenter abuti, vti videre licet causa 2. q. 7.

Quòd vero attinet ad exemptionem à tributis, eam Christus Matth. 17. inprimis sibi tanquam filio naturali Regis omnium Regum terrenorum, tum verò etiam secundum quandam participationem B. Petro competere significauit: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis; an ab alienis? At ille* (Petrus) *dixit, ab alienis. Dixit illi* Iesus: *Ergo liberi sunt alii: vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare* &c. Ex quo facto discipuli reliqui collegerunt, B. Petrum ipsis omnibus à Christo prælatum fuisse, sicuti S. Hieron. ibi, & S. Chrysost. hom. 59. in Matth. Origenes in c. 18. Matth. hom 5. annotarunt: Tametsi verò Christus hoc loco priuilegium exemptionis præcipuè B. Petro, tanquam Vicario suo communicauerit, debet tamen id etiam reliquis Ecclesiasticis personis accommodari, quatenus eæ Christi, ac Dei seruitio peculiariter dedicatæ, è familia eius esse censentur, à secularium potestatum iurisdictione atque imperio immunes.

Ad extremum nota: Licet priuilegia exemptionis personis sacris seu Ecclesiasticis ita concessa sint; vt si po-
4 testates seculares ea violent, iniuriam Ecclesiastico statui inferant, & iuri tam diuino, quàm humano aduersentur; nihilominus is, qui toti Ecclesiæ præest, videlicet Summus Pontifex, vel Concilium generale, poterit ex iusta causa aliquid remittere de priuilegiis exemptionis; & secularibus Principibus permittere, vt aduersus Clericos aliquam iurisdictionem exerceant, vel tributa aliqua exigant, sicuti possunt Prælati Ecclesiæ aliquid contra Ecclesiasticam libertatem factitari; si sine scandalo, aut maioris mali periculo prohibere non valeant: qua ratione etiam Christus tributum pro se & Petro soluit, ne exactores scandalizaret: Et S. Paulus Cæsarem appellauit Act. 25. vt inferioris, sub Cæsare constituti, Iudicis sententiam declinaret; sicuti ipsemet significat c. 28.

CAP. IX.

QVIBVS MODIS IMMVNITAS Ecclesiastica violari solet.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastica immunitas duobus modis violari potest; vel solo facto, vel prætenta potestate seu iurisdictione, qui modus violationis longè grauior est.*

2 *Plures sunt speciales modi, quibus Ecclesiastica immunitas violatur.*

3 *Statuta secularium interdum directè derogant Ecclesiasticæ immunitati: interdum verò indirectè.*

4 *Personæ Ecclesiasticæ ad tutelam suscipiendam compelli non possunt.*

INPRIMIS notandum est; Ecclesiasticam
1 immunitatem duobus modis violari posse; vel solo facto, seu priuata vsurpatione iuris, v. g. res Ecclesiæ surripiendo, Ecclesiasticam personam verberando; vel sub prætextu publicæ potestatis seu iurisdictionis in Ecclesias, aut Ecclesiastica bona, & personas. Tametsi autem vterque violandi modus ex genere suo peccatum mortale sit; tum quia iniuriam continet aduersus iustitiæ virtutem; tum quia sacrilegii malitiam habet, contra religionis virtutem; tamen posterior multo grauior ac detestabilior censetur, arg. c. si verò 1. de sent. excommun. in quo habetur: Si Ostiarius, dum turbam arcet, Clericum percutiat, ab Episcopo absolui posse, nisi percussio grauis, siue enormis sit: At verò si Officialis, id est, Iudex, vel adparitor potestatis secularis, in Clericum manus iniiciat, ad Sedem Apostolicam mittendum esse: quia *non tantum iniuriam infert, sed etiam iurisdictionem vsurpat*, ait Abb. ibidem: *Nulli autem laico super Clericum tanta datur auctoritas*, cit. c. si verò. Quapropter posterior iste modus Ecclesiasticam libertatem violandi vix vnquam ex leuitate materiæ venialis efficitur: nam v. g. exiguum aliquod tributum à Clericis exigere, tanquam debitum laicæ potestati, non exiguam iniuriam continet cùm significet subiectionem Clericorum quæ ipsos dedecet.

Nunc verò subiiciam modos speciales, quibus Ecclesiastica libertas sub prætextu publicæ secularis potestatis violari solet. Primus est: Si Magistratus secularis Reum, ad Ecclesiam tanquam asylum confugientem, inde extrahere præsumat, præterquam in casibus iure canonico concessis. & præcipitur in c. antiquitus, 17. q. 4. vt talis, si monitus desistere nolit, excommunicetur. Sed Greg. XIV. in Constit. quæ incipit, *Cùm aliàs nonnulli*, excommunicationem ipso iure statuit contra immunitatis huius violatores.

Secundò; Si domini temporales in domibus Ecclesiarum hospitium sibi vendicent, tanquam iure debitum, cap. 1. de immunit. Ecclesiarum, iunct. Gl. ver. hospitium, vbi ait; *Sed charitatiuum hospitium petere possunt à Clericis.*

Tertiò: Si secularis Magistratus Clericos, tanquam reos, ad tribunal suum, præter iuris canonici dispositionem, trahere præsumat quod sub pœna ferendæ excommunicationis iure antiquo prohibitum erat, c. nullus iudicum, 11. q. 1. & c. 2. de foro compet. Nunc autem est excommunicatio Bullaris decima quinta.

Quartò: Si temporales rectores seu potestates, Ecclesias, vel Ecclesiasticas personas angariis, collectis, seu talliis, vel similibus exactionibus atque oneribus grauent: quod sub anathematis districtione prohibetur in c. non minùs, & c. aduersus, de immunit. Ecclesiarum. Nunc autem est excommunicatio Bullaris decima octaua.

Quintò: Si seculares potestates pedagia, gabellas, seu portatoria ab Eccles. vel Ecclesiast. personis exigant, pro rebus ipsarum propriis, & quas non causa negotiationis deferunt: quòd prohibetur in c. quamquam, de censibus, in 6. addita censura: *Qui contra fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis; si autem Collegium, vel vniuersitas ciuitatis, castri, vel loci alterius cuiuscunque, ipsa ciuitas, castrum, vel locus interdicti sententiæ ipso facto incurrat.* Hodie verò excommunicatio ista videtur Papæ reseruata in Bulla Cœnæ, excommunicat. 18. verbis illis, *vel similia extera.* Idque docent Syl. ver. excommunicatio, 9. n. 46. excom. 21. Suarez de censuris, disp. 23. s. 4. n. 23. Sairus lib. 3. thesauri, c. 22. n. 9. contra Nau. c. 27. n. 128.

Sextò: Si domini temporales iurisdictionem quamlibet reditus seu fructus ad Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum pertinentes vsurpent; vel quauis occasione, aut causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrent. Et annexum id habet excommunicationem Bullarem decimam septimam. Videri potest Caiet. ver. excommunicatio c. 27. Nauar. c. 27. n. 70. 71. ver. Sexta, Sairus lib. 3. c. 21.

Septimò: Qui statuta vel consuetudines contra Ecclesiæ libertatem introductas obseruari præcipiunt: vel secundum eas iudicare aut iudicata in publicam formam scribere præsumunt. His excommunicatio ipso iure decernitur in c. nouerit, de sent. excommun.

Octauò: Qui quouis modo impediunt, ne causæ ratione personarum, negotiorum, aut rerum ad forum Ecclesiasticum, ordinario, aut delegato iure pertinentes, vti sunt beneficiales, decimarum, &c. in eodem foro definiantur; vel qui talem causam ad forum seculare violenter trahere conantur. Contra hos excommunicatio ipso iure lata est in c. quoniam, de immunit. Ecclesiæ, in 6. & videri potest excommunicatio Bullaris decimaquarta, & decima sexta.

Nonò: Si Magistratus secularis Ecclesiasticas personas compellat ad munera sordida, c. generaliter, 16. q. 1. vel ad angarias, aut alia munera, seu seruitia indebita, Constit. Item nulla, C. de Episc. & Cleric. Hodie verò id prohibitum videtur excommunicatione Bullari 18.

Decimò: Si temporales domini subditis suis interdicant, ne Ecclesiasticis personis quicquam vendant, aut ne aliquid ab iis emant, aut ne eis molant, panem coquant, aut alia obsequia exhibeant: ob quam causam illi excommunicationis sententiam ipso facto contrahant, c. vlt. de immunit. Eccles. in 6.

Vndecimò: Si Laicus in bona Ecclesiasticorum, ea occupando, arrestãdo, contra iuris ordinem inuadat, sub pretextu debiti non soluti, iustitiæ non ministratæ, nec ministrandæ. Qua de re videri potest D. Martha p. 4. casu 41. n. 31. & casu 125. n. 18. Nam ordinariè non desunt ordinaria remedia querelam deponendi apud Superiorem, videlicet Papam; vel in causis Imperii feudalibus apud Imperatorem, vel Cameram Imperialem. Et bene notat And. Gaill. lib. 1. obseruat. 48. quòd arrestatio, seu occupatio bonorum in iure odiosa sit, ita vt neque à Iudice decerni soleat, nisi contra suspectum de fide violanda. Et eod. lib. 1. obseruat. 28. num. 3. Quòd ordinariè in Iudice non præsumatur negligentia, nisi probata sit legitima requisitio; adeò, vt non stetur iuramento partis dicentis, se non sperare iustitiam consequi.

Duodecimò: Si secularis potestas cum auctoritate se immisceat electioni Ecclesiasticæ: quo in casu electio fieri dicitur *per abusum secularis potestatis*, c. quisquis, de elect. vbi etiam pœnæ adiiciuntur, vt, qui tali electioni suæ consentit, electionis commodo careat, & ad quãcunque aliam dignitatem ineligibilis fiat, donec cum eo dispensetur etiam ab Episcopo, secundùm Gloss. ibi ver.
2 fiat. Clerici autem electores, qui electionem tali modo celebrare præsumpserunt, iure eligendi ea vice priuantur, & ab officiis, ac beneficiis penitus suspendi debent. Videri etiam potest c. sciant cuncti, de elect. in 6. vbi excommunicatio ipso iure infertur omnibus, qui Ecclesiasticam personam, eiúsue consanguineos, Ecclesias, aut bona grauant, propterea quòd eum, pro quo rogatur, eligere nolit, vel postulare, instituere, confirmare, vti Doctores communiter extendunt apud Suarez disp. 23. s. 4. num. 5. Sairum lib. 3. cap. 34. n. 8.

Decimotertiò: Si seculares potestates leges condant, vel statuta edant, aut seruari faciant, quæ Ecclesiasticæ libertati aduersantur, sicuti habetur in Authẽt. cassa & irrita, Cod. de SS. Ecclesiis, & c. nouerit, de sent. excommun. vbi tales excommunicantur. Hodie autem est excommunicatio Bullaris 15.

3 Notandum verò hîc est; Duobus modis statuta Ecclesiasticæ libertati contraria esse posse: Primò, si directè edita sint de rebus, vel personis Ecclesiæ, ideóque cùm expressa derogatione iuris Ecclesiastici, vel vsurpatione iurisdictionis super Ecclesiasticis personis, aut rebus: quod prohibetur in c. Ecclesia, de Constitut. & c. 2. de Iudiciis. Secundò, si statutum verbis quidem disponat de personis laicis, re ipsa autem tendat, atque ordinetur ad clericorum, vel Ecclesiarum læsionem, adeóque indirectè, aut implicitè Ecclesiasticæ immunitati repugnet. Cuius exemplum habes in c. vltim. de immunit. Ecclesiar. in 6. quod supra allegaui hoc cap. ver. octauò. Quamobrem generalem regulam tradunt Gl. in cit. c. vlt. Abb. & DD. communiter in c. quantò, de priuilegiis: Quòd *priuilegia etiam indirectè violanda non sint*; alioquin competat actio de dolo. *Certum enim est, quòd is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem*, reg. vlt. in 6. Idque rectè probatur ex cit. c. quantò, vbi reprehenditur, quòd quidam Episcopi, cùm sententiis suis Regulares exemptos ligare non possint, id ipsum via indirecta assequi nituntur; quandò in subditos suos excommunicationis, vel interdicti sententias proferunt, si in illorum molendinis molant, vel in furnis coquant, aut aliquid vendendo, aut emendo eisdem communicent: *& sic Apostolicorum priuilegiorum non vim, & potestatem; sed sola verba seruantes, dicti Ordinis Monachos quodammodo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt.* Vbi Gl. magna ait: *Nota, quòd non tantùm verba, sed vim, & potestatem priuilegiorum, legis, ac canonis seruare debemus. Item, fraus legi vel canoni fieri non debet: quia nihilominus quis incidit in legem.* Quibus consentire videtur cit. Bullaris excommunicatio decimaquinta, contra eos lata, *qui statuta, vel ordinationes in genere, vel in specie, quouis quæsito colore, aut prætextu ordinauerint, vel publicauerint; vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quouis modo restringitur; seu Sedis Apostolicæ quarumcunque Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè, aut indirectè, tacitè, vel expressè præiudicatur.* Interim verum est, quod docet Caiet. in summa, ver. excommunicatio, cap. 31. statutum, quod per se tendit ad bonum siue finem politicum, non esse censendum contra Ecclesiasticam libertatem, tametsi concomitanter, & per accidens aliquod ex eo Clerici detrimentum accipiant: quale est v. g. statutum de vectigali, vel parte aliqua, v. g. octaua, aut decima ex mercibus soluenda fisco; vel de moderanda externa pompa funeris. quod est exemplum Caietani. Vide etiam Sylue. ver. immunitas, 2. n. 5. Suarez lib. 4. defens. c. 33. & quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 13. n. 1. & 6.

Decimoquartò: Qui Clericum, vel Ecclesiasticam personam ad curam, seu tutelam suscipiendam compellit, l. generaliter, C. de Episc. & Cleric. & c. vltim. d. 88. quod est S. Cypriani lib. 1. epist. 9. ad Clerum, & plebem Furnitanorum, vbi ait, pro dormitione eius, qui Sacerdotem, aut altaris Ministrum tutorem constituere ausus est, oblationem seu deprecationem aliquam ab Ecclesia faciendam non esse. Agnationis tamen tutelam legitimam Clerici suscipere possunt, c. vlt. d. 86. multóque magis miserabilium, aut aliarum patrocinio destitutarum personarum curam, c. vl. c. 1. d. 87. iun. Gl. & c. 1. d. 88. Qua de re dixi lib. præced. tract. 4. de iustit. cap. 9. num. 4.

CAP. X.

VTRVM ECCLESIASTICA IMMUNITAS PER CONTRARIAM CONSUETUDINEM TOLLI, AUT MINUI POSSIT?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastica immunitas per solam consuetudinem, quamuis immemorialem, tolli, aut minui non potest.*
2 *Per priuilegium, seu concessiones Summi Pontificis laici capaces sunt alicuius potestatis in Ecclesia.*
3 *Exemptionem Clericorum conseruare, eámque læsam redintegrare ad clauem supremæ Ecclesiasticæ iurisdictionis pertinet.*

RESPONDEO. Consuetudo, quamuis immemorialis, si sola sit, & nullo titulo seu priuilegio Summ. Pontificis adiuuetur, non potest Ecclesiasticæ exemptioni quicquam derogare. Ita DD. in cap. Clerici, vbi 1

Abb. num. 5. & 6. de iudiciis. Baldus in rubr. Authent. cassa, Cod. de SS. Ecclesiis, Gl. in c. vlt. ver. rationabilis, de consuet. Abb. ibid. n. 5. Rochus sect. 5. n. 20. Ioan. Lupus de libert. Eccles. p. 1. q. 6. M. Anton. Gabrielius lib. 5. de præscript. concl. 1. n. 9. D. Martha de iurisdict. p. 4. casu 63. & 64. Azor to. 1. lib. 5. c. 13. q. 8. Suarez lib. 4. de fens. Fidei Cathol. c. 34. n. 10. Adamus Tanner lib. 2. defens. eccles. libertatis, cap. 16. Quamuis huic communi doctrinæ ex parte contradicant Couar. in pract. qq. c. 31. n. 5. & c. 35. Iulius Clarus lib. 5. sent. §. practica criminalis, q. 36. n. 3. vbi aiunt, licet Ecclesiastica immunitas vniuersim tolli non possit per consuetudinem; posse tamen ex parte vt in certis causis Magistratus secularis iurisdictionem exerceat, quæ alioquin ad Ecclesiasticos propriè pertinet.

Sed probatur assertio: Si consuetudo Ecclesiasticæ immunitati derogare potest, vel id fiet per modum reuocationis, interueniente scientia, ac patientia, ideóque tacito consensu Summi Pontificis: vel per modum legitimæ præscriptionis, quæ etiam ignorante Principe aduersus legem fieri potest. Sed neuter horum modorum sufficiens est: Non prior; Quia satis constat, Summum Pontificem huiusmodi consuetudinibus non præbere tacitum consensum approbatiuum; quin potiùs eas reprobare, & damnare per generalia edicta, & censuras Bullæ; particulatim verò interdum tolerare, quia ob periculum maioris mali efficaciùs resistere, & prohibere non potest. Nec posterior modus; Nam consuetudo, quæ vt irrationabilis damnata est, non potest via præscriptionis legem abrogare, sicuti constat ex c. vltim. de consuet. & dixi lib. 1. tract. 4. c. vlt. n. 8. Sed consuetudo aduersus Ecclesiasticam libertatem, tanquam irrationabilis, passim in iure damnatur. vti videre est in Auth. cassa, C. de SS. Ecclesiis, cap. 1. cap. ad nostram, cap. inter, de consuet. cap. cùm terra, de elect. c. Clerici, de iudic. c. nouerit. de sent. excom. Quare Gl. in in cit. c. Clerici, ver. consuetudine, & alia Gl. in cit. c. vlt. ver. rationabilis, ibid. Abb. n. 5. pro regula tradunt: Quòd *consuetudo irrationabilis est, quæ contra neruum Ecclesiasticæ disciplinæ, vel Ecclesiæ libertatem tendit.* Confirmatur primò: Vbi est incapacitas ex parte præscribentis, non potest procedere præscriptio: Sed Laici, vti aliorum iurium spiritualium, v. g. iuris decimarum, Ecclesiastici beneficii incapaces sunt; ita etiam iurisdictionis super Ecclesiasticas personas: Ergo non possunt eam via præscriptionis comparare. Confirmatur secundò: Omnis legitima præscriptio legis auctoritate & adminiculo niti debet; cùm sit beneficium à iure inuentum, & impertitum: Atqui præscriptio aduersus Ecclesiæ libertatem à nulla lege adminiculum capere potest: Non enim à ciuili, cùm ea limites suæ potestatis excedere non debeat: Non item à lege canonica; cùm sacri canones, eorúmque custos Sum. Pontifex huic præscriptioni semper resistant.

Veruntamen nemo dubitat, quim Sum. Pontifex
2 per speciale priuilegium ob iustam causam datum alicui Principi, aut Magistratui seculari ex parte aliqua derogare possit Ecclesiasticæ exemptioni; vt proinde virtute talis priuilegii Laici capaces sint iurisdictionis in Ecclesiasticas personas, secundùm limites concessionis. Quapropter, tametsi accidat titulum priuilegii vel concessionis modò exhiberi non posse, si tamen constans sẽper fama ac traditio fuerit de accepto priuilegio, ideóque laici iurisdictionẽ aliquam in Clericos exercuerint, fundantes se non in mera consuetudine, quippe quæ iuribus reprobata est; sed in titulo rationabiliter ac bona fide præscripto, tunc tandem præscriptioni locus erit per tempus cuius initij memoria non existat, sicuti docet Suarez cit. c. 34. n. 17. & latiùs explicaui lib. 1. tract. 4. vlt. num. 9.

Id porrò necessariò fatendum est, talem nihilominus immemorialem, & legitimè præscriptam consuetudinem à Sum. Pontifice tolli, ac reuocari posse. Cùm enim 3
præscriptio aduersus Ecclesiasticam libertatem, vt legitima sit, fundari debeat in gratia & priuilegio Apostolico; consequens est, quòd sicuti priuilegium à Sum. Pontifice reuocari potest, ita etiam præscriptio ex præsumptione priuilegii vim capiens, sicuti rectè notauit Suarez num. 18. Accedit, quòd exemptionem Clericorum conseruare, eandem diminutam redintegrare pertinet ad clauem supremæ spiritualis iurisdictionis, à Christo B. Petro, eiúsque successoribus datæ. Atqui contra hanc supremam potestatem in spiritualibus nulla vnquam præscriptio fieri potest, sicuti docet Innoc. in c. 2. de postul. Prælat. & in hoc omnes Doctores conuenire, testatur Aym. Crauetta de antiq. tempor. to. 2. tract. iuris, fol. 170.

Neque refert, tametsi concordata super ea re inter Ecclesiæ Prælatos, & Principem secularem edita, atque Sum. Pontificis consensu & auctoritate confirmata sint; nihilominus ex graui causa ad bonum publicum pertinente reuocari poterunt. Vel enim concordia ideo tantùm facta est, vt intelligatur, quousque priuilegia à Sede Apostolica gratuitò concessa se extendere debeant; & tunc manifestum, concordiam in gratuitis priuilegiis fundatam ex causa aliqua reuocari posse. Vel concordia transiit in pactum onerosum atque reciprocum; & tunc quoque ob causam grauissimam ad bonum Ecclesiæ pertinentem, Sum. Pontifex reuocare posset, vt bene Suarez docet: Idque probatur ex doctrina generali de priuilegiis, quæ licet à Principe ob merita, vel cum imposito onere alicui concessa fuerint; tamen ex plenitudine potestatis reuocari possunt, ob publicam grauissimam causam; quippe cùm eiusmodi casus in ipsa concessione, aut concordia semper exceptus censeatur: dummodo tamen parti priuilegiatæ compensatio damni fiat, si quod ex tali reuocatione patiatur, sicuti docet Suarez lib. 8. de legibus, c. 37. n. 5. & lib. 4. defens. cap. 34. num. 24.

Adde, specialem hîc rationem considerandam esse: Cùm exemptio siue immunitas in maximum bonum Ecclesiæ, & quidem diuino iure (vt plerique existimant) introducta & constituta sit, non posse Summum Pontificem sine iusta causa eidem aliquatenus renuntiare: alioquin irrita erit renuntiatio, & consequenter reuocari debebit. Deinde, etsi ab initio causa subsistente, iusta videbatur renuntiatio, siue concessio iurisdictionis in materia Ecclesiastica per Laicos exercenda; tamen ob rerum, ac temporum mutationem iniqua fieri potest, si cedere incipiat in contemptum Ecclesiastici status, atque Ecclesiæ detrimentum: quo itidem casu ad Summum Pontificem pertinebit reuocare concessionem: quamuis interdum maioris mali vitandi causa rationabiliter toleret.

TRACTATVS DECIMVS.

DE VITIIS OPPOSITIS VIRTVTI RELIGIONIS.



NOTANDVM est, ex S. Thom. 2. 2. q. 92. a. 1. Vitia Religionis virtuti opposita, alia esse secundùm excessum, & alia secundùm defectum. Illa communi nomine superstitionis comprehenduntur. Dicitur enim superstitio quasi supra conuenientem DEI cultum aliquid statutum. Qui tamen excessus non est secundùm quantitatem cultus absolutè: quia quantumuis homo Deum colat, minus est, quàm ei debetur, inquit S. Tho. cit. l. sed est excessus vel secundùm obiectum, si alius vt Deus colatur, qui Deus non est; vel secundùm circunstantias; si verus Deus colatur modo indebito.

Peccata secundùm defectum Religioni opposita duplicis generis sunt, teste Suarez t. 1. de relig. tract. 3. lib. de irreligiosit. c. 1. num. 6. Nam sicuti virtus Religionis duplices actus habet: quosdam primarios, quibus Deus secundùm se, ac directè colitur. cuiusmodi sunt adoratio, sacrificium, votum, iuramentum &c. quosdam verò secundarios, quibus res aliæ sacræ, siue Deo dicatæ, ob eiusdem honorem, coluntur, v.g. Sacerdos, Sanctorum reliquiæ, sacra vasa, sacra Scriptura: Sic alia peccata contra Religionem sunt, quibus Deo secundùm se irreuerentia irrogatur, siue eius cultui aut honori detrahitur, vt tentatio DEI, periurium, blasphemia, irreuerens oratio &c. Alia verò peccata sunt, quæ communi nomine sacrilegij comprehendi solent, quibus res aliæ sacræ siue Deo dicatæ indignè, & cum irreuerentia in Deum ipsum redundante, tractari solent.

CAP. I.

DE SVPERSTITIONE, Eiúsque speciebus.

SVMMARIVM.

1 *Superstitionis secundùm defectum ex parte obiecti tres species sunt; Idololatria, diuinatio, & vana obseruatio.*
2 *Superstitionis secundùm defectum ex parte cultus duo modi sunt: vel enim est cultus falsus, vel superfluus.*
3 *Falsas reliquias proponere, falsa miracula prædicare; aut scriptis mandare ex genere suo est peccatum mortale.*
4 *Si quis Deum colere aggrediatur tanquam Ecclesiæ Minister, cùm commissionem nullam habeat, aut talem non habeat, is grauiter peccat.*
5 *Superstitio cultus superflui, per se loquendo, veniale tatùm peccatum est.*
Cantus in ecclesia grauis, ac modestùs esse debet.

SVPERSTITIO est cultus falsi, sicut Religio veri, ait Lactantius lib. 4. instit. cap. 28. Quare, cùm verum, ac religiosum cultum duo necessaria sint; vnũ ad ex parte obiecti, vt Deus verus colatur: alterum ex parte modi, quo Deus colitur; vt nempe signum congruum & aptum ad diuinæ excellentiæ protestationem, ab homine exhibeatur; ideo si horum alterutrum desit, superstitio & falsus cultus efficitur: quandoquidem bonum ex integra causa, malum autem ex quouis defectu existit.

1 Ex primo capite, si nimirum error, siue defectus contingat circa obiectum, quia non verus, sed falsus Deus colitur, tres superstitionis species emergunt, teste S. Thom. quæst. 92. a. 2. Idololatria, diuinatio, & vana obseruatio. Etenim Diabolus ex superbia, atque in Deum, hominésque inuidia, diuinum honorem in omnibus affectat, iisdémque modis, quibus Deus, ab hominibus coli desiderat. Colimus autem Deum tum reuerentiam diuinæ eius excellentiæ debitam deferendo; tùm verò obsecrando ea, quæ solus ipse nobis largiri potest, partim quæ ad mentis nostræ instructionem, partim quæ ad actionum nostrarum directionem spectant. Ita etiam Diabolus homines edocet: Primò; Vt ipsi cultum ac reuerentiam soli Deo debitam exhibeant, per idololatriam: Secundò; Vt ab ipso petant rerum occultarum cognitionem, per diuinationem. Tertiò; Vt ab ipso actionum suarum directionem petant, per magiam, seu vanam obseruationem.

Ex altero capite, si videlicet error siue defectus contingat ex parte cultus, siue modi colendi verum Deum, duas species distinguit S. Thom. quæst. 93. a. 1. & 2. Vel 2 enim est cultus falsus ac mendax (saltem materialiter & obiectiuè, vt Caietan. ibi. notauit) quem S. Thom. cultum perniciosum vocat; quia omnis falsitas, & omne mendacium in materia Religionis Deo iniuriosum, ac maximè perniciosum est, teste S. August. in lib. de mendacio, c. 10. & lib. contra mendac. c. 3. vel est cultus tantùm inanis ac superfluus. Scriptum est, inquit Caiet. ver. superstitio, c. 1. *Veri adoratores adorabunt in spiritu, & veritate.* Ioan. 4. *Cultus autem perniciosus est contra veritatem; cultus superfluus recedit à spiritu.*

Porrò prior harum specierum, quam dixi esse cultus falsi, ac perniciosi, iterum diuiditur in duos modos: nam vnus modus falsitatis est cum ordine ad rem significatam, à qua discordat significatio cultus: Vt si quis hodie Deum colere præsumat cæremonia agni Paschalis, per quam ex diuina institutione futura Christi passio significatur. Eadémque ratio est de aliis Iudaicis cæremoniis, quibus ex Dei institutione significabatur gratia futura, & per Christum exhibenda; quæ tamen modò exhibita est. Huc pertinent falsæ, & perniciosæ traditiones hæreticorum, docentium, aliud in Sacrificio offerendum, quàm Christus, & Apostoli nobis tradiderunt, & Catholica semper Ecclesia tenuit: contra quos Irenæus lib. 3. aduersus hæreses, cap. 2. & 3. S. Cyprianus lib. 2. epistol. 3. S. Augustinus hæres. 64. & S. Th. cit. a. 1.

Huc etiam spectat, alienas reliquias pro Sanctorum reliquiis venerandas proponere; item falsa miracula prædicare, vel scriptis mandare; vel anathemata afferre, vt signa miraculorum, quando nulla contigerunt: quæ ex genere suo peccata mortalia sunt; cùm sint falsitates perniciosæ, ob quas minor deinde fides aliis veris reliquiis, & miraculis adhibetur, sicuti docet Caiet. ver. superstitio, c.1. Armilla, n.2. Nau. c. 11. n.27. ver. sextò, Sanchez lib.2. moral. c.37. n.9.

Alter modus falsitatis est ex parte ipsius colentis: si
4 quis Deum colat tanquam publicus, siue ab Ecclesia constitutus Minister, cùm commissionem nullam habeat; vel talem non habeat. Sicut enim falsarius censeretur ille, qui aliqua nomine alterius proponeret, quæ ei commissa non essent; ita vitium falsitatis incurrit, qui nomine Ecclesiæ cultum Deo exhibet, contra voluntatem Ecclesiæ, aut contra formam ab Ecclesia constitutum, & in eadem consuetum, sicuti scribit S. Thom. cit. q.93. a.1. Huc pertinet, si quis Sacrificium offerat, cùm Sacerdos non sit: cuius exemplum habemus in Saule 1. Reg.3. c.13. Vel si Sacerdos excommunicatus, & ab Ecclesia præcisus, nomine Ecclesiæ sacrificet, vel alia Sacramenta ministret; quæ ipsi commissa non sunt, sed prohibita. Item si Sacerdos non prohibitus, seu Minister non præcisus in Sacrificiis, aliísve publicis officiis, nomine Ecclesiæ à Deo precetur contra voluntatem, & ordinationem eiusdem Ecclesiæ: qua de re Suarez t.1. tr.3. lib.2. de superstit. c.2. n.11. & 18.

Posterior species cultus superstitiosi, quæ est secundùm superfluitatem, in eo consistit, quòd aliquis Deum colere aggrediatur eo modo, vel cæremonia, quæ neque ad ipsius Dei gloriam, neque ad spiritus excitandam deuotionem inseruit: aut quia cæremonia siue ritus inanis est, v.g. non nere die Sabbathi in honorē B. Virginis, interim aliis seruilibus laboribus insistendo; item orandi ante solis ortum, adhibito certo numero, situ, colore cereorum; audiendi Missam à Sacerdote, qui vocatur Ioannes, ait Nau. c.11. n.23. & vide n.35. Aut quia est cōtra statutum, vel consuetudinem Ecclesiæ, v.g. in Missa sæpius dicere Alleluia, plures facere cruces, quàm ordinatum est; dicere Gloria, vel Credo, cùm omittenda
5 sunt. Est autem huiusmodi superstitio cultum indebitum, siue superfluum exhibens, si contemptus, & scandalum absit, peccatum veniale tantùm, teste Caietano cit. cap.1. Less. lib. 2. cap.43. dub.1. num.5. Si tamen cultus non tantùm vanus sit, sed etiam turpis; puta si quis Deū colere intendat aliqua actione praua, vel turpitudinem continente, v.g. hominis immolatione, rei furtiuæ oblatione; item turpibus verbis in templo decantatis, vel solo etiam vocis, aut organi sono notabiliter lasciuo, & ad impuritatem prouocante, non videtur posse excusari à mortali: qua de re Caietan. 2.2. quæst. 91. a.1. & in sum. ver. organorum vsus, Armilla ver. cantus, num. 4. Barth. Medi. l.1. instruct. c.14. §.2. Valēt. t.3. dis. 6. q.9. p. vn. Suarez t.2. de Relig. vbi de horis canonicis, c.13. n.16. Sanchez lib.2. c.37. num. 7. Vide Trident. Concil. sess. 22. in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, & S. Hieron. lib. 3. commentar. c.5. ad Ephesios in ea verba, *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant ij, quibus psallendi in ecclesia officium est; Deo non voce, sed corde psallendum: nec in tragœdorum modum guttur, & fauces dulci medicamine liniendæ sunt, vt in ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum.*

Nunc breuiter colligamus, quæ hoc capite dicta sunt. Superstitio alia est secundum defectum in obiecto cultus; cuius tres species sunt, mox tractandæ. Alia verò est secundùm defectum in ipso cultu: & hæc iterum diuiditur: nam alius est cultus falsus ac perniciosus, alius cultus superfluus. Vtriusque verò duplex modus existit: Quia falsitas cultus aut tenet se originaliter ex parte rei cultæ seu significatæ; aut ex parte Ministri colentis. Denique cultus superfluus est, vel quia ex se ipso inanis, & ad spiritum excitandum inutilis est; vel quia ab Ecclesiæ statuto, aut consuetudine abhorret. Quo posteriore casu, licet, vt præcisè spectatur, idoneus esse possit ad Dei gloriam, & spiritus deuotionem; posito tamen Ecclesiæ contrario decreto, inutilis est, & peccato obnoxius, sicuti Caiet. notauit suprà cit. c.1.

CAP. II.

DE IDOLOLATRIA.

SVMMARIVM.

1 *Idolum est simulacrum falsum, seu rei non existentis species: quare differt ab imagine, quæ est vera rei similitudo, seu repræsentatio.*
2 *Idololatria dicitur seruitus, quæ soli Deo debetur, alicui creaturæ exhibita.*
3 *Adoratio & omnis latriæ cultus principaliter est in mente; secundariò in actione externa.*
4 *Externa signa cultus quædam propriè instituta sunt ad Deum colendum; quædam verò indifferentia sunt ad latriam, & duliam.*
5 *Idololatria alia perfecta est, alia imperfecta, alia externa tantùm & simulata.*
6 *Triplex apud Gentiles idololatria erat: Videlicet, vt Varro appellauit, Genus Theologiæ fabulosum, ciuile; & physicum.*

Εἴδωλον, græca vox, si generatim accipiatur, aliud 1
non est, quàm simulacrum falsum, siue rei non existentis fictitia species: vt si quis humanis membris caput canis, aut arietis formet; vel in vno hominis habitu duas facies fingat, ait Origenes hom.8. in Exod. & sequitur Theodor. q. 38. in Exodum, Euthymius in panopl. p.2. tit.19. Vasq. lib.2. de adorat. disp.1. c.1. In eóque differt idolum ab imagine: Nam *imaginis hæc natura est*, inquit Gregor. Nazianz. orat.36. *vt exemplar suum imitando referat.* Et S. August. lib. vii. Gen. super literam, cap. 16. *Omnis imago similis est ei, cuius imago est.* Idemque S. Damasc. orat. 3. de imaginibus notauit. Atque secundùm hanc acceptionem, quamuis restrictam, Scriptura sacra, & Ecclesiastici scriptores idoli nomen vsurpant, vt idem sit, quod falsi Dei simulacrum, sicuti definit S. August. super librum Iudicum, lib. 7. qu.41. In candémque sententiam Euthym. tit. 23. ait; *Aliud esse imaginem, & aliud idolum: nulla enim, aut falsa esse idolorum exemplaria: cùm Deos appellent eos, qui non sunt Dii, sed Dæmones. At imaginum apud nos vera sunt exemplaria, & verè referunt id, quod appellatur.* Ita etiam de Idolo loquitur Hierem. cap.10. *Confusus est artifex omnis in sculptili; quoniam falsum est quod conflauit, & non est spiritus in eis.* Et Habacuc c.2. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud furor suus conflatile, & imaginem falsam?* Et S. Paulus 1. ad Corinth. 8. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo*, id est, nullam veram, sed solùm putatitiam diuinitatem habet: *& quòd nullus est Deus, nisi vnus.* Quare idem Apostolus ad Rom. 1. gentium idola describens ait: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Vide etiam Sapient. c.14.

Porrò hinc, facta per synechdochen extensione, idolum frequenter appellari solet illud omne, quod vt Deus colitur, cùm Deus non sit, sicuti notauit S. Thom. quæst.94. art.1. in corp. Vasquez loc. cit. cap.3. Suarez t. 2
1. de Relig. tr.3. lib.2. c.3. num.5. Secundùm quam vsitatissimam acceptionem, idololatria aliud non est, quàm *seruitus, quæ soli Deo debetur, alicui creaturæ exhibita*: cuiusmodi seruitus græcè λατρεία dicitur, ac definitur, Voluntaria exhibitio signi protestantis supremā Dei excel-

lentiam, atque super res omnes dominium. Quare S. August. lib. 1. quæstion. super Genes. q. 16. *Dictum est* (Deut. 6.) *& illi soli seruies: quod est græce λατρεύσεις. Talis enim seruitus non nisi Deo debetur: Vnde damnantur idololatriæ; id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolo, quæ debetur Deo.* Quod in eisdem gentilibus Apostolus damnauit ad Rom. 1. *Seruierunt* (ἐλάτρευσαν) *creaturæ potiùs, quàm Creatori.*

Notandum verò est primò; Duplicem esse DEI adorationem, seu latriā; internā, & externā, teste S. Tho. 2. 2. quæst. 84. art. 2. & 3. Interior latria consistit in recognitione, seu mentali confessione supremi dominii, quam rationalis creatura Deo offert, ex affectu submissionis
9 ac reuerētiæ. Exterior autē latria consistit in exhibitione signi externi, quo creatura rationalis protestatur internā de DEI excellentia existimationem, & submissionis affectionem. Ex quo colligitur, DEI adorationem, omnemque latriæ actum principaliter esse in mente; secundariò autem in actione externa, tanquam signo expressiuo internæ submissionis & adorationis, sicuti significat S. Thom. cit. quæ. 84. art. 1. ad. 1. & art. 2 & 3. in corp. Scotus in 3. d. 9. q. 1. §. de primo sciendum, Suarez p. 3. t. 1. disp. 51. s. 2. & t. 1. de Relig. tr. 2. lib. 1. cap. 1. Bellarm. lib. 1. de cultu Sanctorum, cap. 12. Licet aliter sentiat Valentia. tom. 3. disput. 6. quæst. 3. part. 1. Less. lib. 2. c. 38. dub. 1. num. 4.

4 Notandum est secundò: Externa signa cultus quædam sunt propria latriæ, id est, communi hominum vsurpatione tantum instituta ad protestandam supremam excellentiam, & dominium DEI: cuiusmodi est Sacrificium, & quæ ad illud pertinent, templū, altare, &c. *Nulli Martyrum* inquit S. August. lib. 20. contra Faustum, c. 21. *sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memorias Martyrum constituimus altaria.* Et paulò post: *Illo cultu, quæ græcè latria dicitur, latinè vno verbo dici non potest, cùm sit quadam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Cùm ad hunc cultum pertineat oblatio Sacrificij; vnde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent; nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo.* Similia habet lib. 2. 2. de ciuit. cap. 10.

Alia verò signa indifferentia sunt ad latriam, & duliam, siue cultum inferiorem creaturis rationalibus exhiberi solitum: cuiusmodi sunt capitis inclinatio, genuflexio, suffitus quoque, seu incensum: Quæ secundùm se indeterminata, determinātur ab intentione mentis; vt, si exhibeantur creaturæ cuicunque ad diuinitatis in ipsa residentis contestationem, idololatria committatur: sin verò exhibeantur rationali creaturæ, puta homini, animæ, vel Angelo bono in significationem inferioris creatæ excellentiæ, ad duliam, siue obseruantiæ cultum spectet. Ita de duplici adoratione, quarū vna est ex affectu latriæ, altera ex affectu duliæ, siue inferioris obseruātiæ scribit S. Th. q. 84. a1. *Secundùm reuerētiā, qua creaturæ excellenti debetur, Nathan adorauit Dauidem, 3. Reg. c. 1 secundùm autem reuerentiam, qua debetur Deo, Mardochæus noluit adorare Aman, timens, ne honorem Dei transferret ad hominem, vt dicitur Hester 13. Et similiter secundùm reuerentiam debitam creaturæ excellenti, Abraham adorauit Angelos, & etiam Iosue, vt legitur Iosue cap. 5. Quamuis possit intelligi, quòd adorauerint adoratione latriæ Deum, qui in persona Angeli apparebat, & loquebatur.* Quemadmodum etiam cruces, & alias imagines Christi latria adoramus, & colimus; non quòd credatur inesse aliqua in iis diuinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad propotypa, ait Trident. sess. 25. de imaginibus Vide Athanas. vel si quis alius author est, q. 41. ad Antiochum, S. Gregor. I. lib. 7. epist. 53. ad Secundinum, Leontium li. 5. contra Iudæos apud S. Damasc. orat. 3. de imagin. & eundem Damasc. li. 4. Fidei Orthodoxæ. c. 17. & quæ dixi tract. 7. c. 5. n. 9.

Porrò ex dictis colligitur, triplicem idololatriam distingui posse, vt notauit Suarez cit. lib. 2. cap. 4. & 6. Prima est perfecta; cùm quis idolo diuinum honorem exhibere intendit, quia falsò existimat Deum esse: cuiusmodi idololatria cum infidelitate iuncta est.

Altera est minùs perfecta, cùm quis sciens idolo (id est creaturæ cuicunque, quæ vt Deus colitur) diuinitatem 5 nullam inesse; tamen ex prauo affectu, v. g. ex odio erga verum Deum, vel cupiditate aliquid à Diabolo obtinendi, ipsi Dæmoni; vel alteri creaturæ externum cultum, tanquam Deo defert. Cuiusmodi cultus licet à proprietate idololatriæ deficiat secundùm intellectum, quia non procedit ex falsa existimatione diuinitatis, tamen secundùm voluntatem non deficit, quia procedit ex affectu internæ reuerentiæ ac submissionis, tanquam erga Deum; in cuius etiam protestationem, ac signum externa actio exhibetur: imò hæc idololatriæ species priorem superare videtur in grauitate peccati: tum quia ex mera voluntatis malitia committitur; prior autem ob ignorantiam aliquo modo excusatur: tum quia aliquam etiam simulationem & mendacium perniciosum, Deóque iniuriosum continet.

Tertia demum est idololatria simulata, & impropriè dicta; cùm quis sine existimatione diuinitatis, & sine interno affectu colendi, ob Tyranni, vel populi metum, exteriùs tantùm idolo exhibet cultum latriæ, Deo vero debitum: quod nunquam etiam licitum est; cùm repugnet veræ Fidei confessioni, & sit plenissimum mendacium in cultu Religionis. quod Deo iniuriosum, & aduersus homines scandalosum est, vti notauit S. Thom. quæst. 94. art. 2. in corp. & art. 5. ad 1. ex S. Augustino lib. 6. de ciuit. c. 10. qui Senecam ita simulatè, ac mendaciter idola coluisse significat; & similiter Platonicos, vti indicat idem August. li. 10. de ciuit. Dei cap. 1. Est autem hæc merè externa idololatria, non vera & formalis; sed materialis tantùm & impropriè dicta. Quia ad omnem latriam siue exhibitionem cultus diuini requiritur affectus submissionis tanquam erga supremam excellentiam: ergo vbi talis affectus deest, non est verus latriæ cultus; sed simulatus: licet interim sit grauissimum peccatum, etiam contra Religionis virtutem. Vide etiam quæ dixi lib. 2. tr. 1. c. 11. n. 3.

Aliam diuisionem idololatriæ veterum Gentilium refert S. August. lib. 6. de ciuit. c. 5. & S. Thom. q. 94. a. 1. 9 vna erat erga homines mortuos, v. g. Iouem, Martem, Mercurium, Apollinem &c. quod Varro apud S. August. cit. loco *genus Theologiæ mythicon*, seu fabulosum appellat, eiúsque originem tradit sapiens cap. 14. Huc etiā spectat Platonicorum error, qui præter vnum supremū Deum, angelicos spiritus tanquam Deos cultu latriæ colebant, teste eodem S. August. lib. 12. de ciuit. c. 26. & li. 13. c. 16. Altera erga demortuorum hominum, vel bestiarum simulachra, secundùm se: quippe quæ animata esse, & vim diuinam in se continere existimabantur: quando diabolus decipiendi causa in statuas se insinuauit, atque responsa dedit, vt mirarentur Ethnici, ait S. August. li. 8. de ciuit. c. 23. potestatem suam Deos faciendi. Cuiusmodi idololatriæ genus Varro *Theologiam ciuilem* appellauit, quia in vrbibus, à sacrificulis & populo frequentatum. Tertia erat erga solem, lunam, sidera, ignem, aquam, aërem, & reliquas mundi partes; quippe quē animatum esse credebant, & diuino numine plenum, à quo res omnes generentur, moueantur, conseruentur. Idque *genus Theologiæ physicum* Varro nuncupauit; quia à naturalibus Philosophis inuentum fuerat.

Cap. III.

DE DIVINATIONE.

SVMMARIVM.

1 *Diuinatio est significatio occultorum ex pacto expresso, vel implicito cum Dæmone.*

2 *Si quis à Diabolo expressè, vel implicitè petat cognitionem earum rerum, quas ille naturaliter nosse potest, peccatum superstitionis ex genere suo mortale committit.*

3 *Qui vanis, & superstitiosis signis fidem adhibet, non iuuatur protestatione, quòd cum Dæmone societatem nullam habeat: cùm protestatio facto contraria sit.*

4 *Diuinatio per pactum cum Diabolo expressum maiorem deformitatem continet.*

5 *Astrologia duplex est, naturalis, & diuinatoria.*

6 *Somniorum triplex genus est: I. Quod naturaliter euenit. II. Quod à Deo immittitur. III. Quod à malo Dæmone prouenit.*

7 *Somnium diuinum à Diabolico viri sancti discernunt non tantùm ex obiecto, & fine eius; sed etiam ex interna somniantis, & è somno excitati affectione.*

8 *Sortium triplex genus est; diuisorium, consultatorium, & diuinatorium.*

Sortes diuisoria licitæ, & sæpe vtiles sunt ad lites dirimendas.

9 *Electiones Ecclesiasticæ sortibus fieri prohibentur.*

10 *Obseruationes vanæ sæpe non excedunt malitiam culpæ venialis.*

DIVINATIO dicta est, quasi diuinitatis æmulatio, seu ostentatio; quia per eam homo futura contingentia, & alia occulta ab humana cognitione remota, & diuinæ scientiæ propria cognoscere affectat: quare Esayæ 41. dicitur: *Annuntiate, quæ futura sunt in futurum; & sciemus, quia Dij estis vos.*

1 Definitur diuinatio apud Martinum Delrium lib. 4. disquisit. magic. c. 2. quæst. 1. Significatio occultorum, ex pacto cum Dæmone. Dicitur *significatio*: Quia instructio, siue prænotio occultorum per varia signa accidit; vnde variæ materiales species diuinationis existunt; sicuti videre est apud S. Thô. q. 95. a. 3.

Additur, *ex pacto cum Dæmone*: Nam quicunque res occultas, & quæ hominis naturalem cognitionem superant, scire vult; idque non Dei beneficio, ac reuelatione; necesse est, vt Dæmonis ope addiscere desideret, ideóque societatem ac pactum cum Dæmone, Dei, & humani generis hoste, expressè, vel tacitè ineat, contra illud Apost. 2. ad Corinth. 10. *Nolo vos fieri socios Dæmoniorum:* & docet S. Aug. lib. 2. de doctr. Christ. c. 23. & lib. 2. de Gen. ad liter. c. 17.

Consistit ergo malitia diuinationis in eo, quòd homo in assequenda rerum cognitione, cuius indigens, vel appetens est, non ad Deum, sed ad Diabolum, DEI, & hominum infestissimum inimicum pro instructione cõfugiat; quod in ipsius Diaboli, diuinitatem in omnibus affectantis, honorem; DEI verò contumeliam, & contemptum redundat; quando homo, relicto Deo, ad hostem potiùs illius se confert, quodammodò apostasiæ & læsæ Maiestatis diuinæ reus. Quare in c. Episcopi, 26. q. 5. *Subuersi* dicuntur, *qui relicto Creatore suo, Diaboli suffragia quærunt*. Et lib. 4. Reg. cap. 1. *Nunquid quia non erat Deus in Israel, mittis, vt consulatur Beelzebub Deus Accaron?* vbi Abulensis notauit, q. 7. ideo etiam peccasse Ochoziam, quia consulendo Beelzebub contemnebat Deum, ac si nullus esset. Vide Caiet. 2. 2. q. 95. a. 1. Origenem in lib. Numer. hom. 16. vbi ita ratiocinatur, non longè à fine: *Si expedit nobis scire futura, dicentur à Deo per Spiritum sanctum: si verò non dicuntur, nec denuntiantur, scito, quia nobis non expedit.*

2 Hinc colligitur: Licet grauius sit peccatum diuinationis, atque ad idololatriam propinquiùs accedat, si quis à Dæmone petat certam cognitionem earum rerum, puta actionum liberè futurarum, vel internarum cogitationum, aut affectionum, quarum scientia, & reuelatio DEI propria est; tamen negari non debet, quin etiam cognitionem aliarum rerum à Diabolo petere, quas ille naturali facultate comprehendere, aliísque manifestare potest, sit verè, ac propriè peccatum superstitionis, contra Religionis virtutem ex genere suo mortale: puta si aliquis Dæmonis ope scire desideret furti, vel homicidii occultum auctorem; vel futurorum ex libero hominum arbitrio dependentium effectuum cognitionem non omnino certam, sed coniecturalem ac probabilem, qualem Diabolus naturali sagacitate consequi potest. Quæ videtur sententia S. August. ll. suprà citatis S. Thom. cit. q. 95. a. 2. Caiet. ibidem, & in a. 5. eandémque tradit Nau. in c. nouit, notab. 2. de Iudiciis, Suarez tr. 3. lib. 2. de superstit. c. 8. n. 6. Sanchez lib. 2. c. 38. num. 9. contra Valent. tom. 3. disp. 6. q. 12. p. 3. paulò post princip.

Diuinatio duplex est; Vna, quæ fit cum expresso pacto, vel saltem explicito proposito ac voluntate aliquid à Dæmone discendi. Sufficit enim ad peccatum huius superstitionis, quòd homo à Diabolo scientiam, vel instructionem aliquam imploret, licet is non respondeat; vel quia adeò prohibetur, vel ob aliam causam, sicuti docet Caietan. a. 5. Sæpenumero tamen respondet, & hominem edocet, idque variis modis, qui ad materiales species siue differentias superstitionis pertinent, sicut videre est apud S. Thom. cit. q. 95. a. 3. Delrium lib. 4. disquis. magic. c. 2. q. 6. & 7. Suarez cit. c. 8. n. 2. Sanchez. n. 12. Less. lib. 2. c. 43. dub. 5. n. 25. Et quamuis alioquin mendax, & infidelis Diabolus sit; tamen vt homines magis sibi deuinctos teneat, atque in grauiora præcipitia deducat, sæpe promissis stans vera eos edocet, modò Deus permittat. Sed quia multarum rerum, maximè internarum cogitationum, ac voluntatum, & ex libertate pendentium euentuum certam notitiam non habeat, ideo de iis interrogatus nonnunquam falsa enuntiat; interdum ambiguis responsis interrogantem deludit: interdum verò casu aliqua eueniunt, sicuti à Diabolo prædicta erant.

Altera est diuinatio per pactum, ac societatem cum Dæmone implicitam: cùm quis notitiam alicuius rei ex signo aliquo consequi seriò confidit, quam illud naturaliter nullo modo indicare potest: tunc enim diuinator talem notitiam ab intelligentiore substantia tacitè desiderare conuincitur: cùm autem certum sit, eiusmodi signa vanitatis à Deo instituta non esse, neque bonos Angelos aliquid hominibus reuelare, absque Dei voluntate, ac iussu; restat, vt per eiusmodi signa à Dæmone cognitionem acquirere velit. Vide S. Th. 2. 2. q. 96. a. 1. Nauar. c. 11. n. 25.

Neque excusantur, qui talibus signis suapte natura vanis, ac inutilibus certam fidem adhibent, propter diuturnam multorum vtentium experientiam, quamuis interim protestentur, se nullam cum Dæmone societatem intendere, neque cognitionem aliquam ipsius ope seu ministerio consequi velle. Nam protestatio contraria facto nihil excusat: Illi autem re ipsa contra protestationem suam faciunt, quando adhibent signa, tanquam idonea ad cognoscendam veritatem, quæ nullam ad hunc finem proportionem, seu vtilitatẽ habere possunt, nisi ex institutione, & ope Dæmonis: quam proinde ipso facto petere censentur, ideóque etiam sæpe assequuntur, vt Dæmones se ingerant, & res occultas per eiusmodi signa edoceant, sicuti ipsa, quam dicunt experientia, testatur. 3

Verum tamen est, quòd diuinatio per pactum implicitum, minùs grauis, ac periculosa sit, quàm ea, quæ expressam Dæmonis inuocationem continet; idque ob plures causas: I. est; Quia peccatum diuinationis in eo maximè consistit, quòd idololatriæ (quæ grauissima superstitionis species est) rationem aliquam participat; 4

dum

dum homo Diabolum tali honore dignatur, vt ab ipso diuinitatis æmulatore rerum occultarum reuelationem petat: hic autem inordinatus honor siue superstitionis deformitas grauior est, si Dæmones exprese inuocentur quam si aliquid fiat, cui *dignum sit; vt Dæmones se ingerant*, ait S. Thom. quæst. 95. a. 3. ad 1. Accedit, quanto maior & euidentior est societas cum Diabolo, tanto euidentiorem esse apostasiam à Deo, ob quam Deus desertori suo gratiæ auxilia detrahit, & deceptori Diabolo derelinquit; vt rectè notauit Caietan. art. 4. esse hoc probabile signum reprobationis æternæ; quia sicuti ad initium felicitatis æternæ spectat conuersatio in hac vita cum Deo, & Angelis per preces &c. ita ad initium æternæ damnationis spectat societas, & conuersatio cum Dæmonibus. Quæ omnia magis in eos cadere, qui cum Dæmone expressum pactum ineunt, manifestum est.

II. Diuinatio cum pacto expresso sæpe alia grauissima flagitia adiuncta habet, puta adiurationem Baptismi, & apostasiã à Christo, idololatriã erga Dæmonem, per genuflexionem, sacrificium &c. cum blasphema deuotione ad perpetuum illius obsequium; eiusdemque reciproca promissione instruendi hominem sibi deuotum, sicuti notauit Less. lib. 2. c. 43. dub. 5. num. 28. Suarez cap. 8. num. 22. Martinus Delrius lib. 4. c. 1. q. 1. Quæ tamen cum diuinatione per pactum implicitum non ita concurrere solent.

III. Diuinatio per pactum expressum cum Dæmone nunquam à peccato mortali excusatur: quia nimis grauem, eámque manifestam deformitatem habet, sicuti docet Valentia disput. 6. q. 12. p. 4. Sanchez num. 18. At verò diuinatio per pactum implicitum interdum excusatur à mortali; vel propter ignorantiam non crassam (siquidem huius diuinationis seu obseruationis malitia licet secundùm se grauis sit, tamen non omnibus ita manifesta) vel propter imperfectionem superstitionis; si non certa fides, sed solum timor quidam, aut suspicio concipiatur euentus ita euenturi, sicuti prænotio signi vani indicat: quod tradit Caiet. cit. q. 95. a. 6. in fine, & q. 96. a. 3. & in sum. vet. superstitio, c. 9. Nau. c. 11. n. 38. Less. lib. 2. c. 43. dub. 8. n. 43. Suarez c. 10. n. 6. Sanch. n. 21.

Restat, vt aliquas species diuinitatis præsertim eius quæ per pactum implicitum fit, recenseamus ex doctrina S. Th. a. 5. & seqq. Vna est diuinatio per astra, quæ
5 astrologia iudiciaria vocatur. Est enim duplex astrologia, vna naturalis, eáque licita, & humano generi vtilis ars, per quam situs ac motus astrorum obseruantur; atque ex iis effectus naturales prędicuntur, partim qui necessariò euenturi sunt: vt eclipses; partim qui contingenter euenturi, quod propter concursum aliarum causarum impediri possint; cuiusmodi sunt pluuiæ, siccitas, aeris serenitas, salubritas, animalium morbi, &c.

Multò verò magis incerta esse solet coniectatio temperamenti ac propensionis naturalis, habita ex aspectu astrorum, obseruatò puncto natiuitatis cuiusque hominis, sicuti notauit Caiet. q. 95. a. 5. Suarez c. 11. num. 9. Sanchez n. 29. Ratio est tum quia temperamentum prolis non tantum ex cœli influxu, sed multò etiam magis ex materia conceptionis, ac nutritionis dependet: tum quia, vt S. August. notauit lib. 2. de doctr. Christ. c. 22. punctum illud siue momentum natiuitatis, quod Mathematici exactissimè obseruandum esse aiunt, deprehendi certò non potest, ob rapidissimum cœli motum; aliáque impedimenta. Accedit, quod vis astrorum haud dubie etiam in fœtum vtero materno inclusum influat; ideóque etiam punctum conceptionis, itẽque animationis obseruandum esse videatur, quorum tamen obseruatio Mathematicis multo magis impossibilis est.

Veruntamen, tametsi Astrologi naturales astrorum effectus, puta anni sterilitatem, pestis grassationem, nati pueri temperamentum, & naturæ propensionem maiore certitudine asseuerent, quàm ex astrorum aspectu consequi possunt; non committunt peccatum diuinationis contra Religionis virtutem; sed sæpe temeritatis ac mendacii, vti docet Suarez cit. c. 11. n. 12. Sanchez n. 29. Vide tamen, si placet, quæ Pet. Nau. lib. 2. de restit. c. 2. n. 28. & 80. congerit in defensionem astrologiæ iudiciariæ, si ex natiuitatis aspectu non particulares contingentes effectus; sed generatim prædicat propensionem naturalem, atque effectus inde consequentes, vt plurimum apud eos, qui naturæ suæ victoriam non assequuntur. Ex quo fieri solcat, vt eiusmodi cõiectatio non quidem certa, attamen probabilis existat.

Altera autem est astrologia diuinatoria, per quam ex astrorum aspectu euentus à libero arbitrio pendentes prædicuntur; vel præteriti, aut præsentes occulti effectus denuntiantur; v. g. Titium esse auctorem furti, aut homicidii occulti; Caium tale matrimonium contracturum, aut Episcopum futurum, gladio, aqua, igni, domus ruina periturum. Vel enim talis coniectatio seu iudicium fieri potest, quia astra sint causa talium effectuum, vel quia solum signa. Primum non potest dici de effectibus liberè contingentibus: tollitur enim libertas hominis ipsiusque opera tribuuntur fati necessitati, quod hæreticum est. Neque de effectibus casualibus; quia ij non proueniunt ex vnica causa, sed ex causarum fortuito concursu, quem Astrologi neque in sideribus, neque alio modo secundùm naturalem rationem deprehendere possunt: qua de re vide Gratianum causa 26. q. 4. Binsfeldium tit. C. de malef. & Mathemat. in l. 1. q. 2. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 46. Debet igitur alterum dici; Astra à Mathematicis iudiciariis obseruari, quatenus pura signa sunt, adeoque ex alicuius institutione significantia; & non Dei, aut boni Angeli, quandoquidem talis significationis nullum indicium extat in sacra Scriptura, quin potiùs tanquam vana prohibetur, vti videre licet apud Isaiam c. 47. Hierem. c. 10. *Iuxta vias Gentium nolite discere, & à signis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes: quia leges populorum vanæ sunt.* Restat ergo, vt Diaboli signa sint, expresso, vel tacito cum hominibus pacto instituta, sicuti testatur S. August. lib. 2. de doctrina Christiana c. 22. in fine. Vide etiam motum proprium Sixti V. contra astrologiam iudiciariam, tit. Cod. de maleficis & Mathematicis, & l. Mathematicos, Cod. de Episcopali audientia, & quæ congerit Gratianus causa 26. quæstion. 5.

Altera species diuinationis est physiognomia: cuius partes sunt, metoposcopia, & chiromantia: secundum quas ex corporis, puta vultus, manuum, &c. lineamentis liberè contingentes euentus; prospera vel aduersa fortuna prædicitur. Est tamen etiam physiognomia, chiromantia philosophica, ac naturalis, per quam ex corporis, & membrorum habitudine, & proportione, vultus item ac manuum lineamentis, de corporis valetudine, & temperamento, consequenter de hominis etiam ingenio, atque animi propensione coniectatio aliqua licitè fieri potest, vti docet Delrius lib. 4. c. 3. q. 4. Less. dub. 7. n. 45. Sanch. n. 44.

Tertia diuinatio est per somnia, de qua S. Thom. a. 6. Est autem somniorum triplex genus, nã pleraque na- 6
turaliter proueniunt, siue ex præcedente animi cogitatione, & affectione, siue ex corporis constitutione: quare licitum est somnia eo fine obseruare, vt vel præsens corporis valetudo, vel secuturus morbus, aut ex morbo conualescentia intelligatur. Quod si his maior fides habeatur, quam ex somnio coniici possit, ad vanitatem & temeritatem spectat; non ad superstitionis peccatum.

Alterum genus somniorum est, quæ à Deo immittuntur, exempla habemus in Gedeone Iudicum 7. in Daniele c. 2. Iosepho, & Magis c. 1. & 2. S. Matth. Et Num

V

12. ait Dominus: *Si fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Cuiusmodi somniis clarè aliquid ostendentibus necessarium est fidem dare, & obsequi; si sufficientia indicia adsint, ea à Deo esse.

Tertium denique genus somniorum est, quod à Diabolo, hominis phantasiam commouente, excitatur: atque eiusmodi somnium expresè, vel implicitè desiderare; aut fidem ei habere, actionesque suas ex illo dirigere ad superstitionem, ac diuinationem spectat. Tunc autem obseruatio somniorum illicita, & cum Dæmonis pacto coniuncta censeri debet; cùm ex eo vanè, ac temerè coniectatio fit de effectu liberè euenturo, aut merè casuali & fortuito; multóque magis si aliquis expresè desideret, vel etiam idcirco certo corporis situ somnum capiat, vt ipsi occultum aliquid reueletur. Cùm enim somnia non habeant vim naturalem significandi huiusmodi occulta, aut futura contingentia, sequitur postulari, vel acceptari tanquam signa instituta, & immissa ab aliqua substantia intelligente; & non à Deo, aut Angelo; (suppono enim non adesse indicia somnij diuini) ergo à Diabolo. Quapropter somniorum obseruatio prohibita est Leuit. 19. Deuter 18. apud Ecclesiast. c. 34. atque est ex genere suo peccatum mortale: sæpe tamen minuitur per ignorantiam, vel simplicitatē; vel si aliquis non certam fidem somnio habeat; sed solum ad cautelam, semel aut iterum ex eo actiones suas dirigat: quod licet vanum, & inutile plerumque sit, excusatur tamen à mortali, vti docet Caiet. ver. somniorum obseruatio, Nau. c. 11. n. 33.

Duo insuper obseruanda sunt: I. Viros sanctos &
7 exercitatos inter diuinum, ac diabolicum somnium discernere, non tantum ex materia siue obiecto, ac fine eius, vtrum ad rem bonam, ac honestam, an verò turpē impellat, (quandoquidem etiam *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis* 2. Corinth. 11.) sed etiam ex interna somniantis atque è somno excitati affectione: qualis est illustratio, & consolatio animi; insolita promptitudo ad Dei obsequium: ex quibus indiciis homo, vel secundum internum animi dictamem & instinctum; vel secundum sapientis viri iudicium, magnam probabilitatē vel etiam certitudinem consequi potest, somnium à Deo prouenire. Dæmoniaca autem somnia, vel ad malum inclinant, vel si ad id, quod boni speciem gerit, deceptionis causa; attamen animum perturbare, & ad Dei obsequium tardiorem reddere solent. In dubio autem, vtrum à Deo, an verò Dæmone proueniat non est illi fides habenda, iuxta illud Eccles. 34. *Nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne des in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia.* Vide S. Iustinum Mart. in resp. ad q. 21. S. Anton. apud Athanas. in vita eius, Martin. Delrium lib. 4. disquis. c. 3. q. 6. Less. cit. c. 43. dub. 8. Suarez c. 13. Sanchez n. 51. Pererium lib. 1. in Danielem, q. 3. Petr. Thyræum de spirituum apparitionibus, lib. 1. c. 10. & 16. & lib. 2. c. 4. & 6.

II. Obseruandum: Duplex esse somnium; Vnum propriè dictum, in quo vsus rationis liber & expeditus non est. Quia intellectus in hac vita dependet à sensibilibus phantasmatis: hæc autem in somno eleuatione vaporum perturbantur; ideóque intellectus dormientis nullam perfectam deliberationem, aut iudicium de rebus formare, consequenter neque peccare potest. Cæterum si phantasia hominis fortis sit, & eleuatus vapor non admodum copiosus, ac crassus; tunc non omnino ligantur sensus interni; sed apparent phantasmata, quamuis inordinata, vt facultas æstimatiua aliquo modo discernere possit; imò etiam intellectus interdum ratiocinari ac discurrere; quamuis valdè imperfectè, & non cum vera libertate; sicuti stultis quoque, atque ebriis euenit. Quæ est doctrina S. Thom. 1. part. quæst. 84. art. 8. ex qua colligit Suarez lib. 2. de superstit. cap. 13. num. 23. de tali somnio, vtrum à Deo immissum sit, iudicium fieri non posse à dormiente, nisi postquam ex somno euigilauit, exemplo Iacobi Gen. 28. qui cùm euigilasset de somno ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Et S. Petrus Act. 12. *Ad se reuersus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum.* Aliud verò est somnium impropriè dictum, ac potius ecstasis, & raptus, cùm intellectus dormientis eleuatur ad perfectè intelligendum, & iudicandum de reuelatis, sine dependentia à phantasmatis. qui modus eleuationis, ac reuelationis à Diabolo fieri non potest: quare certum signum est à Deo prouenire.

Tertia species diuinationis, est per sortes. Est autem triplex genus sortium; Diuisorium, consultatorium, & diuinatorium. Sortes diuisoriæ per se malæ non sunt; sed sæpe bonæ ac vtiles, siue ad honestum ludum, siue ad hæreditatis diuisionem: aut litis alicuius compositionem: dummodo litigantes, qui ius æquale habent, in sortitionem consentiant. Quo sensu Salomon dixit Prouerb. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.* Eáque ratione existimant aliqui, Apostolos orbem terrarum ad Euangelium prædicandum inter se diuisisse, vti videre est apud Fr. Turrianum lib 8. constit. cap. 5. Et S. August. epist. 180. ad Honoratum, tempore pestis sorte dirimendum esse existimat, qui ex Sacerdotibus periculum subire debeat. Præterea, si plures morte digni sint ob crimen commissum, neque expediat omnes puniri, sorte definiri posse, quis ex illis occidendus sit; idque in militia receptum esse, annotauit Less. lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 9. num. 58. Delrius lib. 4. c. 4. quæst. 1. Sanchez cit. c. 38. num. 60. Similiter ait Delrius, in certo periculo communis naufragii, nisi aliqui nauigantium in mare prosiliant, vel eijciantur; ex communi consensu sorte dirimi posse, quinam exsilire debeant: quod etiam docet Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 22. §. quartò dubitatur, & q. 50. in fine. Neque enim id est seipsum occidere; sed nauis qualecunque subsidium mortis euadendæ deserere, sicuti si aliquis tabulam, qua ex naufragio emergere posset, derelinquat, vt digniori obueniat. Sed quid si aliqui nauigantium in sortitionem consentire nolint? Respondet Maior, Tales ab aliis in mare eiici posse: Quod verum est, si illi sortitionem impedire conantur: tunc enim vim iniustam inferunt, contra quam alii se defendere possunt, vitæ plurium seruandæ causa. Sin verò non impediant sortitionem, sed consensum duntaxat abnuant, tunc ipsis etiam inuitis Nauarchus, vel in eius defectum nauigantes reliqui sortiri possunt, & sortis euentum exequi: de qua re Sanchez l. c. n. 62.

Denique nihil obstare, quominus lites etiam beneficiariæ sorte dirimantur, tamen cum ordinarii collatoris consensu, docent Suarez cit. lib. 2. c. 12. n. 12. Sanchez n. 78. Less. cit. n. 58. post Gl. in c. licet causam, ver. vti possidetis, de probat.

Sortes consultatoriæ sunt, in quibus occultæ veritatis manifestatio, aut consilii alicuius directio à Deo imploratur: quare licitæ sunt, si vel Dei iussu, aut instinctu fiat, vt Iosue c. 7. & in elect. Saulis 1. Reg. 10. vel si consilium nullum suppetat, & negotii grauitas exigere videatur, vt ad Deū consulendum cum reuerentia accedatur, conuenienter id fiet per sortes. Quare Salomon ait Prouerb. c. 16. *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* Cōmunior etiam est sententia quam tradit S. Chrysost. in Acta, c. 1. hom. 3. Beda in idem c. 1. S. Th. q. 95. a. 8. S. Antonin. p. 2. tit. 12. c. 1. §. 9. Suar. cit. c. 12. n. 20. Apostolos sortem misisse super Matthiam, & Ioseph, vt ostenderetur, quē ex his duobus Deus eligeret in Apostolatū, eámque Dei electionē signo visibili demonstratam fuisse, testatur S. Dionys. de cœlest. hierarch. c. 5. At vero cano- 9

nico iure c.vlt. de sortilegiis, prohibita est omnis electio vel compromissio ad officia vel beneficia Ecclesiastica quæ sortibus fit; eáque rescindi debet: imò iure ipso irrita est, saltem ea electio per sortes, quæ est ad pastorale officium ac dignitatem, iuxta c. quia propter de elect. & docet Abb. in cit. c. vlt. num. 5. Cæterum cum huiusmodi constitutionibus Summi Pontifices non obligentur, ideò, si dubitetur, vter duorum verè electus sit ad Pontificatum; discordiam hanc sorte componi posse, cum Cardinalium consensu, docet Felinus c. Capitulum n. 21. de rescriptis, Sanch. n. 80.

Diuinatoriæ sortes sunt, quibus latentis veritatis manifestatio, vel consilii directio non à Deo; consequenter à Dæmone expressè, aut tacitè imploratur: ideoque superstitiosæ, atque illicitæ sunt, vti ex dictis constat, atque prohibentur in c. si quis Episcopus, & c. sortes, 26. q. 5. Sin verò aliquis sortium directionem à Deo petat, absque iusta necessitate, aut sine debita reuerentia; pertinebit id ad peccatum tentationis, vel alterius irreligiositatis, sicuti docet Sanchez num. 85. & videri potest S. August. epistol. 119. & quæ congerit Gratianus causa 26. q. 2.

Aliæ diuinationes sunt, cùm ex auium, piscium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu &c. de liberis, aut fortuitis euentibus coniectatio accipitur: cuius species sunt auspicium, & augurium: Item omen cùm vox hominis præter intentionem, ac fortuitò prolata, in signum prosperi, vel aduersi euentus accipitur. Huc pertinent multæ vanæ, atque inutiles obseruationes; v. g. ex sternutatione, auris tinnitu, vulturis occursu, cor-
10 rigiæ ruptione, & millia eiusmodi, ait S. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 20. *Si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit.* Et iterum: *Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis, dum se calciat, sternutauerit; redire domum, si procedens offenderit: cùm vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quam præsens damnum dolere.* Plerumque tamen eiusmodi inanitates non superant culpam venialem; quia non fides, sed vana tantum formido eis tribuitur. Deinde negari non potest, dicta, & facta hominum interdum per diuinam prouidentiam assumi ad alicuius rei significationem, & hominis commonitionem, sicuti docet S. Thom. ar. 7. ad 3. Rectè tamen addit Caietan. ibidem, facilem in his credulitatem reprehendendam esse: requiri enim aliquod singulare lumen, siue instinctum Dei, vt aliquis ex eiusmodi signo, tanquam omine diuino, ad operandum moueatur.

CAP. IV.

DE MAGIA.

SVMMARIVM.

1 *Magia vna naturalis est, & altera superstitiosa.*
2 *Magia & diuinationis peccata eandem essentialem malitiam habent.*
3 *Magia per pactum implicitum censeri debet, si præter Ecclesiæ cõsuetudinem, aliquid adhibeatur, ad aliquid certò efficiendum, cuius vim naturalem habere non potest.*
4 *Gratia sanitatum hominibus, plerumque tantùm piis, confertur ita, vt sit personalis, & non affixa certæ rei, vel actioni, à quacunque persona vsurpetur.*
5 *Cultus superflui, qui præter Ecclesiæ consuetudinem vsurpantur, si non penitus tolli quantum fieri potest, emendari debent.*
6 *Magiæ superstitiosæ tres species sunt, videl. ars notoria, ars sanatiua corporum, & ars maleficiorum.*
7 *Si certum, vel quasi certum sit, rem quæ adhibetur ad morbum v. g. curandum, secundum se inutilem esse, nõn iuuat protestatio, quâ aliquis excludere velit pactum Diaboli.*
8 *Magus, si operam secundum artem suam præstitit, ac mercedem accepit, eam restituere non tenetur.*
9 *A Mago peti potest, vt signa magica destruat, seu dissoluat, non vtendo nouo signo magico.*

DVplex est Magia, Vna naturalis, quæ est ratio efficiendi mira opera, per applicationem naturalium agentium, sine ministerio Dæmonis. Altera verò magia 1
superstitiosa, quæ est ratio efficiendi mira opera Dæmonis ministerio, per signa ab ipso instituta. Etenim, sicut Christus Dominus sensibilia Sacramentorum signa instituit, ad animarum salutem, & sanctificationem; ita & Dæmon, malitiosus Christi æmulus, sensibilia signa imponit, quorum exhibitione & vsu, ipse aliquid operari solet ad animæ perditionem. Pleraque autem, quæ præced. cap. de diuinatione dixi, huc etiam transferenda sunt. Nam *si quis rectè consideret*, inquit Suarez
lib. 2. de superstitione, cap. 14. num. 10. *diuinatio & magia peccata sunt eiusdem rationis, solùmque materialiter differunt.* Per diuinationem enim petitur, vel desideratur à Dæmone rei occultæ cognitio; per magiam verò alicuius operis effectio: quare vtrumque peccatum eandem formalem malitiam & deformitatem habet; quæ est societas cum Dæmone, eiusdemque virtualis quædam veneratio, ac veluti idololatria. Quare etiam in Scriptura sacra hæc peccata simili modo prohibentur, vt videre est Leuit. 19. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis* (seu diuinatoribus) *aliquid sciscitemini.* Et cap. 20. *Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos &c. & interficiam illam.* 2

Duplex quoque magia est; Vna per pactum seu societatem explicitam cum Dæmone: cui sceleri per se grauissimo alia interdum flagitia adiungi solent; v. g. expressa apostasia à Christo, & Diaboli oratio, iuncta cum infidelitate: credunt enim magi, ac sagæ Diabolum non esse miserum, ac damnatum; sed potentem ac felicem, qui & ipsos felices reddere possit. Accedunt blasphemiæ in Christum, & Sanctos; sacrilega tractatio rerum sacrarum, inprimis SS. Eucharistiæ; non rarò etiam fœdissima peccata per carnalem cum Diabolo in phantastico corpore commixtionem. Vide Less. cap. 44. dub. 4.

Altera est magia per pactum cum Dæmone implicitum. Ad quam cognoscendam DD. communiter talem regulam tradunt: Quidquid præter Ecclesiæ consuetudinem adhibetur ad operationem aliquam secuturam, quam efficiendi, vel tali modo, v.g. in tanta distantia, celeritate, efficiendi, vim naturalem non obtinet; id ad magiam superstitiosam, & tacitam cum Dæmone societatem spectat. Cùm enim talis res non adhiberi possit vt causa naturalis, sequitur adhiberi vt signum; & non diuinum vel sacrum; cùm neque à Christo, neque ab Ecclesia institutum sit: ergo vt signum occulti pacti cum Diabolo. Ita S. Th. 2. 2. q. 96. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 12. c. 1. §. 11. Caiet. in summa, ver. incantatio, Nau. in c. nouit, notab. 2. de iudic. & in man. cap. 11. num. 31. Syl. ver. superstitio, q. 10. dicto 2. Tolet lib. 4. c. 14. n. 11. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 2. Sanchez lib. 2. c. 40. n. 44. & lib. 7. de matrim. disp. 95. n. 5. Suarez cit. lib. 2. c. 15. n. 13. & videri potest S. August. lib. 21. de ciuit. c. 6. & quæ congerit Gratianus in c. admoneant, & seqq. causa 26. q. 7.

Neque refert, quòd interdum in speciem pietatis signum crucis, sacra verba, & precationes adhibeantur; si tamen alia quoque vana & inutilia admisceantur, v. g. ignota nomina, aut characteres; vel si spes habeatur in modo scribendi, ligandi, vel quacunque vanitate, ad cultum Dei non pertinente, superstitiosum iudicari debet, ait S. Th. q. 96. a. 4. in corp. allegato c. non liceat 26. q. 5. Exempli causa: Euangelium S. Ioannis scriptum esse debere à virgine, in membrana virginea, oriente sole, & tribus funiculis collo alligatum; orationem aliquã dici oportere ad aures iumẽti ægri &c. Quinimò ta-

metsi nihil adhibeatur, nisi quod secundum se sanctum, vel pium sit, Deique cultum præ se ferens, v. g. sola ad Deum precatio, vnicus ex Psalmo versiculus, solum vinum ex Sacerdotis oblatione, sola oua Sabbatho sancto Crucifixo applicata, soli flores ex altari, si tamen in his certa fiducia conferendæ sanitatis, alteriusve temporalis commodi constituatur, à quacunque persona adhibeantur, superstitiosa iudicari debent, sicuti docent Ioan. Gerson p. 2. tract. de absolut. sacramentali, ver. vlterius ad illud, Mart. Delrius lib. 3. disq. magic. p. 2. q.4. sect.7. Suarez cit. c. 15.n.25. Less. lib.2.c.44. dub.3.

4 Nam licet Deus quibusdam conferat gratiam sanitatum quæ inter gratias gratis datas numeratur; tamen ita cōfert, vt sit gratia personalis, & non infaillibiliter annexa certæ rei, aut actioni, quam quiuis hominum adhibere, & effectum miraculosum præstare possit. Sed licet homo aliquis gratiam sanitatis conferendæ per sacram aliquam precationem, seu incantationem, alteriusve rei sacræ vsum, personaliter sibi vendicet; si tamen de mala vita suspectus, vel conuictus sit; non est ei fides habenda: quia licet Deus interdum homini peccatori gratiam gratis datam conferat; non tamen permanenter, & habitualiter atque ad arbitrium eius, sed solùm ad aliquem actum, propter occasionem Fidei defendendæ, vel augendæ, ait Suarez l. c. Verùm si res aliqua, aut cæremonia pietatis speciem gerens adhibeatur, non quasi certus, & infaillibilis effectus ex eo consequi debeat; sed quia inseruiat ad melius precandum, & efficaciùs à Deo aliquid temporale impetrandum; non potest id tanquam magicum condemnari: sed sæpe erit cultus inanis ac superfluus, contra Ecclesiæ consuetudinem, & interdum specialem irreuerentiam continens.

5 Videri potest Caietanus q. 96. a. 4. ex cuius doctrina colligitur, si homines rudes bona fide & ex mera deuotione ritum aliquem ab Ecclesia non receptum obseruent, interdum in sua simplicitate relinquendos esse; quia difficilè quidam abducuntur, quòd à maioribus suis sine suspicione mali acceperunt. Sanchez verò cit. cap. 40. num. 31. bene admonet, si eiuscemodi ritus speciales, qui superstitionem præ se ferunt, (v. g. certo die festo alicuius Sancti venam equis secare, eos ter circum templum obequitare; die S. Ioannis Baptistæ flores decerpere, vel ex materia Crucifixo in die Parasceues applicato, anulum fabricare ad morbos auertendos) si, inquam, talia populo dissuaderi omnino non possint; saltem edocendum esse, vt in iis certam spem non collocent, sed solum adhibeant ad seipsos magis excitandos, & commouendos; vt à tali Sancto, vel potius à Deo, per Christum Dominum, & Sancti huius intercessionem petant rerum suarum temporalium conseruationem, & augmentum, si ad animarum suarum salutem expediens fuerit. Præterea si fideles certo numero precum, candelarum &c. vtantur; edocendi sunt rectè eos id facere in honorem alicuius sacri mysterii; sed non ea persuasione, quasi deprecatio Deo grata futura non sit, si alius numerus adhibeatur: v. g. nisi septem Missæ pro defuncto dicantur, septem accensis candelis, septem datis eleemosynis, animæ defuncti non profuturum superstitiosa, & tollenda persuasio est.

Præterea Magia dupliciter accipitur; interdum latè, pro ratione efficiendi cuiuscunque operis, Dæmonis ope ac societate; tametsi illud admirabile non sit, sed ab homine etiam præstari possit, vti notauit Suarez cap. 15. 6 num. 1. Interdum verò propriè accipitur, pro ratione efficiendi opera mirabilia & humanam facultatem excedentia per societatem Dæmonis. Dicitur enim magia, quia ad ostentandam sapientiam, hominésque in admirationem mouendos vtilis est. Eius tres species distingui possunt; Prima est ars notoria, per quam certis verbis aliisve signis adhibitis, variæ scientiæ seu doctrinæ absque labore acquiruntur. qua arte Anabaptistæ vti dicūtur; sed cum abiecta perfidia ad Fidē orthodoxam redierunt, in pristinam inscitiam relabi.

Altera est, quæ refertur ad sanitatem, & immunitatem à vulneribus hominum, aliorúmque animalium corporibus præstandam per benedictiones, incantationes, insufflationes, scripturam, ligamina &c. quæ naturalem vim medendi non habere, ex vera philosophia notum est. Exempla talium vanitatum plurima sunt: Si ferrum, quo læsus es, in porcinum vnguem infigatur, aut certum genus arboris cædatur, sanitatem restitutum iri. Si loco vulneris circumligandi, arboris ramus, aut scamni pes ligetur, curationem secuturam: Vt olera ab erucis non infestentur summo diluculo quotidie scopis tergenda esse: Vt pluuia proueniat, Sanctorum imaginem aquis mergendam esse. Cæterum si dubitetur, vtrū rei ad sanandum applicandæ eiusmodi vis naturalis inesse, possit; non statim tanquam superstitio magica damnari debet; cum admirabiles rebus multis virtutes insint, plerisque etiam doctis incognitæ, sicuti bene ostendit Victoria in relect. de arte magica, q. 3. n. 6. Sanchez n. 44. Quare hoc casu suaderem homini, qui experientia motus, huiusmodi re tanquam idonea ad morbi alicuius depulsionem vti vellet; vt expresè protestaretur, si vlla vis diabolica ex quocunque pacto superstitioso subsit, nolle se effectum consequi: quod notauit Philiarch. to. 1. de offic. Sacerdotis, p. 2. lib. 3. c. 11. concl. 4. Sanchez n. 25. Verùm si certum, aut propè certum sit, rem quæ adhibetur, secundum se vanam & inutilem esse, non excusabit protestatio; cum sit contraria facto: Nisi id fiat non ad experiendum, sed ad conuincendū Diabolicam institutionem: qua ratione Caiet. 7 ait ver. incantatio, se demonstrasse superstitionem illam mouendi anulum, pronuntiato versiculo Psalmi: cū enim protestaretur, nolle se versum pronuntiare secundū Diaboli institutionem; sed ad Deum laudandum, anulum motum non fuisse.

Porro ad hanc etiam speciem referuntur aliæ mutationes corporum, quæ in hominum vtilitatem aliquam fiunt, & à causis naturalibus tali modo prouenire non possunt; v.g. thesauri occulti inuentio, & transportatio, nubium repentina congregatio, deductio de loco ad locum distantem. quod sagis accidit, vt re ipsa interdum deferantur ad montes, prata, cellas vinarias Dæmonis auxilio, sine strepitu reseratis seris, iterúmque clausis, sicuti ex communi docent Syl. ver. hæresis, 3. q. 6. Paulus Grilland de sortilegiis, q. 7 Malleus maleficorum p. 1. q. 1. & p. 2. c. 3. Iacob. Simanca de Cathol. instit. tit. 37. n. 6. Delrius lib. 2. magic. disquis. q. 16. Azor t. 1. lib. 9. c. 25. q. 3. Less. cit. c. 44. dub. 3. n. 15. Suarez cit. lib. 2. c. 16. n. 24. Pet. Thyræus de spirituum apparitionibus lib. 2. c. 13. contra Nau. c. 11. n. 38. ver. trigesimo secundo, Rodriq. t. 1. c. 7. concl. 9. qui fauet auctor c. Episcopi, 26. q. 5. Interim verum est, sæpe magis, ac sagis talia euenire per phantasticam Dæmonis illusionem.

Tertia species est, quæ refertur ad nocumentum hominibus, iumentis, segetibus &c. inferendum; & propriè maleficium, seu veneficium appellatur: ideoque cum iniustitia iuncta est, vnde restituendi obligatio nascitur; adeò, vt quibus locis per consuetudinem obtentum est, maleficorum bona confiscari, ex iis fiscus illata damna resarcire teneatur, iuxta l. non possunt, ff. de iure fisci, Quia *id bonorum cuiusque esse intelligitur, quod ari alieno superest.* Idémque de hæredibus dicendum, si bona ad ipsos deferātur, vti sumitur ex c. in literis, de raptorib.

Ceterum si magus, vel ariolus seu diuinator operam suam alicui præstitit, accepta mercede; licet paciscendo peccārit, tamen in conscientiæ foro ad restitutionem rei datæ non obligari, docent Rodriq. t. 1. sum. c. 7. 8 conclus. 4. Petr. Nau. lib. 2. de restit. c. 2. p. 1. n. 117. San-

chez cap. 38. n. 96. & conſtat ex iis, quæ dixi lib. præced. tract. 4. de iuſt. c. 4. n. 8. Addit verò Sanchez non improbabiliter, contra Pet. Nau. & alios, magum ad reſtitutionem non teneri, tametſi res ab ipſo poſtulata non euenerit; dummodo is artis magicæ peritus, operam & diligentiam adhibuerit, cùm ea pretio æſtimabilis ſit: quemadmodum etiam medicus, inquit ille, qui iuxta artis præcepta medicatus eſt, non debet mercedem reſtituere, ægro moriente. Idque ſumitur ex l. item apud, §. ſi quis Aſtrologus, iun. Gl. ver. non poteſt, ff. de iniuriis.

Diſputant verò DD. Si homo aliquis, vel beſtia maleficio crucietur, vtrum liceat magum accerſere ad illud ſoluendum? Prò cuius intellectu ſupponendum eſt ex Henrico Gandauenſi quodlib. 5. quæſt. 33. Mart. Delrio lib. 6. diſquiſit. magic. c. 2. ſect. 1. quæſt. 2. & 3. Leſſ. lib. 2. c. 44. dub. 6. Sanch. lib. 7. de matrimon. diſp. 95. Maleficium duobus modis ſolui poſſe; primò deſtruendo ſigna, ex quibus maleficium per Dæmonis pactum dependet. Secundò adhibendo noua ſigna, quibus ex pacto cum Dæmone inito maleficium deſtruatur. Quo poſitò reſpondeo, & dico I. Qui certò, aut probabiliter ſibi perſuadet, maleficium à malefico priore modo ſolui poſſe, eum accerſere poteſt; tametſi ſuſpicetur, talem illum artem à Diabolo edoctum fuiſſe: ſiquidem arte bona, quam malè didicit, bene vti poteſt. Adde, tametſi aliquis ſuſpicetur, magum eo modo licito, quo vti poſſet ad maleficii deſtructionem non vſurum, ſed altero illicito, per nouum ſignum, & pactum magicum; nihilominus accerſiri, & rogari poſſe, ſicuti docet Leſſ. num. 46. Suarez lib. 2. cap. 18. n. 9. Sanchez cit. diſp. 95. num. 12. & lib. 2. moral. cap. 41. num. 13. & conſtat ex iis, quæ dixi lib. 2. tract. 3. cap. vlt. aſſert. 2. Rectè tamen monent Doctores, ſi ſpes ſit magum obtemperaturum eſſe, facta expreſſa petitione, aut conuentione, vt modo licito, & non illicito vtatur; tùm quemlibet ex lege charitatis obligari, vt magum ad id adhortetur: cùm hac ratione graue peccatum proximi facili negotio impediri poſſit.

Dico II. Qui certò vel probabiliter ſibi perſuadet, maleficium à malefico non niſi poſteriore modo, videlicet per magicum ſignum, ſolui poſſe; mortaliter peccat, ſi eum, quantumuis paratum, accerſat, & maleficium deſtruere iubeat. Ita docent DD. citati: Quia nunquam licitum eſt ab aliquo petere, ſeu aliquem iuſſu, vel conſilio inducere ad id agendum, quod ab eo ſine peccato fieri non poteſt, vti dixi cit. c. vlt. aſſert. 1. Adhibere autem ſignum magicum per pactum & ſocietatem cum Dæmone, per ſe, & intrinſecè malum eſt, ideóque à nemine ſine peccato fieri poteſt: cùm negatiuo præcepto iuris naturalis repugnet: Ergo tale opus petere, vel aliquem ad id inducere, ſemper eſt illicitum; & quidem mortaliter, cùm inductio hæc ſit ad graue peccatum.

Dico III. Si dubitetur, vtrum maleficium à mago priore licito modo ſolui poſſit, an ſolùm poſteriore & illicito; non poteſt ab eo peti. Ita Suarez cit. c. 18. num. 8. Leſſ. cit. dub. 6. n. 46. Delrius cit. c. 2. ſect. 1. q. 2. Sanch. cit. c. 41. n. 7. Ratio eſt: Quia in dubio facti, cùm agitur de periculo peccandi, Deum inhonorandi, tutior pars amplectenda eſt. Notant autem dicti auctores, de eo, qui maleficii auctor fuit, facilius præſumi poſſe, eum ſigna, quæ ipſemet poſuit, deſtruere, eorúmque moralem effectum tollere poſſe: ad quod præſtandum ex iuſtitia obligatus eſt, ideóque etiam minis, ac verberibus cogi poteſt. De alio verò, qui maleficium non poſuit, non ita facilè præſumendum, ſigna deſtruere poſſe ſine noua cum Dæmone pactione: quare ſi talis operam ſuam polliceatur, examinari debet; quam rationem ſoluendi maleficii teneat, à quo acceperit ſigna dæmoniaca tali loco, aut modo poſita eſſe, & quamdiu dubium manet, eius opera vtendum non erit.

CAP. V.

DE TENTATIONE DEI.

SVMMARIVM.

1 *Tentatio alia eſt ſeductionis, & alia probationis.*

2 *Peccatum tentationis Dei duplex eſt: Vnum propriiſſimè dictum, quod ex infidelitate oritur, alterum minùs propriè dictum, quod ex præſumptione, aut nimia confidentia prouenit.*

3 *Quidam veteris teſtamenti Patres abſque peccato ſignum petierunt diuinæ apparitionis, aut præcepti.*

4 *Tentatio Dei alia eſt cum expreſſa petitione extraordinarii ſigni aut auxilii diuini, ſine neceſſitatis cauſa, alia verò eſt interpretatiua: quò ſpectant purgationes vulgares per ferrum candens &c.*

5 *Iudex grauiter peccat, ſi contra ſuſpectas perſonas prohibitis purgationibus vtatur.*

6 *Per orationem ſine debita animi diſpoſitione à Deo impetrare aliquid velle, cenſetur eſſe veluti quædam tentatio Dei.*

7 *Peccatum tentationis Religionis virtuti oppoſitum, & ex genere ſuo mortale eſt.*

SI nominis acceptionem ſpectemus, duplex eſt tentatio: Vna ſeductionis, ſeu inductionis ad peccatū. 1
quæ neque actiuè in Deum cadit: *Ipſe enim neminem tentat*, ait S. Iacob. cap. 1. neque paſſiuè, vt per ſe notum eſt. Altera verò tentatio eſt probationis, ſiue experimenti: quo modo in ſacra Scriptura Deus dicitur tentaſſe Iob, Tobiam c. 2. Tob. & Deut. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat*, id eſt, ab omnibus cognoſcatur, *vtrum diligatis eum, an non.* Hoc autem ſenſu Deum à nobis tentari, eſt peccatum contra Religionis virtutem, de quo hoc loco agendum.

Duplex eſt peccatum tentationis, vti annotauit Suarez t. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. c. 2. Vnum propriiſſimè 2
dictum, quod oritur ex infidelitate, ſeu dubitatione de aliquo Dei attributo, v. g. præſentia, omnipotentia. Quo ſenſu legimus de Iſraelitis Exod. 17. *Tentauerunt Dominum dicentes, Eſt ne Dominus in nobis, an non?* Et Pſal. 77. *Tentauerunt Deum in cordibus ſuis* &c. *Nunquid poterit Deus parare menſam in deſerto.* Cuiuſmodi tentatio per ſe, & intrinſecè mala, ex grauiſſimis contra Deum peccatis exiſtit.

Alterum eſt peccatum tentationis minùs propriè dictum, quod non ex infidelitate aut dubitatione de Dei aliqua perfectione, ſed plerumque ex præſumptione, aut nimia confidentia oritur: cùm quis ſine vtilitatis ac neceſſitatis cauſa à Deo petit vel voluntatis ſuæ, vel alterius rei miraculoſam declarationem, ſicuti docet S. Auguſt. lib. 16. de ciuit. cap. 19. & lib. 22. contra Fauſtum c. 36. S. Th. 2. 2. q. 97. a. 1. Dixi, *ſine vtilitatis ac neceſſitatis cauſa.* Nam ſi extraordinarium ſignum, ſiue declaratio alicuius rei valde vtilis ſit ad noſtram, vel aliorum ſalutem; item ad Dei voluntatem implendam, atque alia ordinaria media veritatis cognoſcendæ non ſuppetant; tum licitum eſt humiliter à Deo ſignum petere pro opportuna inſtructione, ſicuti docet Gl. ſuper cap. 6. Deuter. quam allegat S. Th. cit. q. 97. a. 1. & 2. Caiet. ibid. Toletus lib. 4. c. 19. Sanchez lib. 2. moral. c. 34. n. 9. Suarez cit. c. 2. n. 12.

Hac ratione DD. communiter à peccato excuſant ſeruum Abrahami, qui Gen. 24. petiit à Domino ſignū: *Puella, cui ego dixero; Inclina hydriam tuam* &c. Nam verba illa dixit ad Dominum per modum orationis atque haud dubiè ex inſtinctu diuino, ad oſtendendam magnam Dei miſericordiam, & prouidentiam circa ſemen Abrahæ. Vide Abulenſem ibidem, & Suarez tom. 1. de relig. tr. 3. lib. 2. de ſuperſtit. c. 10. num. 7. poſt S. Th. 2. 2. q. 95. a. 7. ad 3. Idémque ſentiendum de Ionatha 1. Reg. 14. petiiſſe ſignū à Domino; ſed præmiſſa oratio-

ne ad Deum. Similiter Apostoli motu Spiritus sancti petiuerunt à Deo, vt signa fierent in nomine Iesu, ad virtutem eius infidelibus manifestandam, vt videre est Actor. 4. Nunc tamen si quis absque euidente Dei instinctu miraculum coram hæreticis fieri peteret ad ipsorum conuersionem, is Deum tentaret, propter defectum necessitatis; cum non desint ipsis aliæ notæ seu argumēta veritatis agnoscendæ: quorum primum ac præcipuum est perpetua Ecclesiæ traditio, ac testimonium. Similiter tentaret Deum, qui coram Gentilibus miraculum fieri peteret, si eorum conuersio probabiliter non speraretur: quia deesset tunc iusta vtilitatis causa, sicuti notauit Tol. cit. c. 19. ver. altera est vtilitas.

Præterea si alicui specialis apparitio, vel reuelatio fiat sine sufficientibus indiciis quibus prudenter moueri debeat ad credendum, eam à Deo esse (nam etiam ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, 2. ad Corinth. 11.) tunc à Deo humiliter interdum peti potest signum aliquod, quale ipsi visum fuerit dare, ad maiorem instructionem, aut securiorem voluntatis ipsius executionem. Cuius rei exemplum aliquod habemus in Beatissima Virgine Maria Luc 1. *Quomodo fiet illud?* sicuti annotauit S. Augustin. lib. 17. de ciuit. cap. 24. Zacharias autem eod. cap. procul dubio peccauit, signum petendo, *Vnde sciam hoc?* quamobrem etiam punitus fuit. Non quod dubitarit de potentia Dei; sed quia non credidit bonum Angelum esse, ex Dei mandato talia prædicentem, cùm tamen adeò apertè se ipsi exhibuerit, & tot signa legationis præ se tulerit, ait Maldonatus ibi: quamobrem etiam reprehenditur ab Angelo, non quòd Deum omnipotentem, aut veracem credere noluerit; sed *eris tacens*, inquit, *pro eo, quòd non credidisti verbis meis.*

3 Gedeonem cap. 6. Iudicum, *Si inueni gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me;* eodem modo, sicuti Zachariam peccasse existimat S. Thom. quæstion. 97. a. 2. ad 3. Sed Abulensis, Lyranus, & alii excusant eum; ideò signum petiisse, quia non satis cognoscere poterat, vtrum is, qui secum loquebatur, à Deo missus esset. Sed mihi magis placet expositio Suarez cit. cap. 2. dubio altero; qui ait, Gedeonis petitionem eodem modo à peccato defendi posse, sicuti Abrami cap. 15. Gen. *Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sum eam:* videlicet terram promissionis. Petiisse eos signum à Deo, nòn quod dubitarent an Deus esset, qui loqueretur per Angelum (vterque enim id antè agnouerat, sicuti ex textu colligitur) multò verò minùs dubitasse, vtrum Deus in dictis, aut promissis verax esset; sed partim, vt se ipsos recordatione accepti signi clarioris tantò magis confirmarent, partim etiam populò tantò certiorem fidem facere possent. Qua eadem ratione cap. 7. Isaiæ legimus, Deum præcepisse Achaz Regi; *Pete tibi signum*, &c.

4 Porrò aduertit S. Thom. in quæst. 97. in corp. a. 1. Duobus modis extraordinarium à Deo signum, vel auxilium sine causa vtilitatis ac necessitatis peti posse; videlicet expresse, & interpretatiuè: quorum vtrumque ad Dei tentationem pertinere censetur. Exempla tentationis expressè supra assignaui. Interpretatiua verò Dei tentatio est, cum quis opus aliquod aggreditur, vel aliquid se consecuturum existimat, sine conuenientibus mediis, adeóque contra ordinem communis prouidentiæ diuinæ: tunc enim extraordinarium à Deo effectum, seu auxilium tacitè implorare censetur: quòd ipsum, si absque iusta causa vtilitatis ac necessitatis fiat, vel ex dubitatione de Dei omnipotentia, prouidentia, &c. vel ex præsumptione seu nimia confidentia, tunc Deus ab homine tentari dicitur, sicuti etiam loquitur S. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 36. & in lib. de opere Monachorum cap. 27. Exempla sunt: Si quis in puteum se conijciat, ad declarandam Dei circa se prouidentiam; vel super carbonibus ardentibus incedat ad ostendendam innocentiam: quò spectant purgationes, quæ dicuntur vulgares per ferrum candens, aquam feruentem, aquam frigidam, monomachiam, prohibitæ in lib. 5. Decret. de purgat. canonica, & de purgat. vulgari. causa 2. quæst. 4. c. consuluisti, c. monomachia. Vide Binsfeld. de confess. malefic. mem. 2. concl. 7. dub. 1. Delrium lib. 4. disquis. magic. cap. 4. quæst. 4. vbi ostendit; Deum interdum miraculis huiusmodi delictorum purgationes ostendisse; videlicet propter simplicitatem innocentium, qui interdum etiam ad talē purgationis modum compellebantur, sicuti colligitur ex c sæpe contingit, 2. q. 4. Atque testatur S. August. epistol. 137. ad Hipponenses, ad sepulchra SS. Martyrum eiusmodi purgationes, aut commissorum criminum ostensiones mirabilibus signis factas esse. Videri potest Baron. An. 412. n. 29.

Quòd verò Deus Numer. c. 5. præcipit, mulierem de adulterio suspectam aquis amaris purgandam esse, id pertinebat ad leges cæremoniales, quæ nunc abolitæ sunt.

Id verò hîc moneo, grauiter peccaturum Iudicem, si contra personam aliquam, tanquam proditam; eiusmodi signo probationis per aquam feruentem, ferrum candens, aut sanguinem ex occisi cadauere in hominis præsentia fluentem &c. ad torturam, vel condemnationem, vel si non prodita videatur, idcirco ad absolutionem eius procedat. Ratio est: Quia Iudex in processu contra Reos, indiciis ac probationibus vti debet, quæ humano ac naturali modo deprehendi possunt: quales non sunt effectus illi; quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis incognita est. Qua eadem ratione peccabit Iudex, si procedat contra personas, quas malefici per diuinationem, incantationem, vel similem illicitum modum cognouerunt, & denuntiârunt: quia non vtitur indiciis humanis, aut naturalibus, sed diabolica reuelatione. 5

Præterea dicunt DD. esse interpretatiuam Dei tentationem, si quis martyrio temere se offerat; si quis in morbo periculoso medicinas respuat; si quis non paratus, nec præmeditatus ad prædicandum Dei verbum accedat. Qua de re Nau. c. 11. n. 40. & 41. Lopez p. 1. instruct. c. 41. ad finem, Sanchez lib. 2. c. 34. n. 14. Veruntamen, vt eiusmodi temeritates sint peccata tentationis Dei necesse est intentionem operantis aliquo modo ad Deum dirigi, tacitè ab ipso implorando extraordinarium auxilium, sine causa vtilitatis ac necessitatis, vti Suarez notauit c. 3. num. 4. Atque ita putat S. Th. a. 3. ad. 2. intelligenda esse verba Ecclesiastici c. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo tentans Deum.* Quia impetrare aliquid velle à Deo sine animi humilitate, ac reliqua dispositione, quæ requiritur, videtur esse quædam tentatio Dei. 6

Ad extremum notanda est doctrina S. Thom. in eod. a. 3. in corp. & ad. 2. Licet tentatio Dei partim ex infidelitate, partim ex præsumptione originem ducat; quarum illa virtuti Fidei, hæc spei opponitur; tamen tentationis peccatum propriè, ac formaliter Religioni oppositum esse. Nam sicuti ad Religionis virtutem spectat, ex Fide, ac Spe in Deum concepta cultum ac reuerentiā eidem exhibere per orationes, vota &c. ita è contrario ad irreligiositatem pertinet ex defectu Fidei, aut nimio excessu Spei irreuerentiam Deo irrogare, petendo ab illo sine causa rationabili extraordinarium, ac miraculosum effectum. 7

Est autem tentationis peccatum ex genere suo mortale: licet veniale esse possit, non tantum ob imperfectionem actus, sed etiam propter leuitatem materiæ, sicuti testantur Caiet. in sum. ver. tentatio, Tol. lib. 4. c. 19. num. 7. Less. lib. 2. c. 45. dub. 1. num. 4. Sanchez l. c. num. 5. Vt si in morbo periculoso respuas medicinas,

temere confidens à Deo sanitatem consecuturum; non tamen expressè petita curatione miraculosa: vel si malè, aut irreuerenter orans, speres tamen, te impetraturum à Deo ea, quæ communiter rogari, & impetrari solent.

CAP. VI.

DE BLASPHEMIA.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemia est maledictio, seu contumelia in Deum formaliter, ac directè opponitur laudi Dei.*

2 *Blasphemia, sicuti & hæresis, in intellectu consistit, exterioribus autem verbis aliisue signis manifestatur.*

3 *In ebrietate homo propriè non blasphemat, cùm mente & intellectu captus sit.*

Neque verba blasphema, quæ ex impetu prauæ consuetudinis proferuntur, veræ blasphemiæ rationem habent.

4 *Peccatum blasphemiæ diuersum est ab infidelitatis peccato, quamuis frequenter ex eo originem trahat, sicuti & ex aliis peccatis, quæ contra Deum committuntur, qualia sunt desperatio, odium Dei &c.*

5 *Peccatum tentationis Dei interdum blasphemiæ rationem habet.*

6 *Blasphemia alia est cum directa intentione inhonorandi Deũ; alia cum indirecta, ac virtuali, vtraque verè blasphemia est, licet illa grauior, & perniciosior.*

7 *Blasphemia item alia est simplex, & alia hæreticalis.*

8 *Qui in ira contra hominem sacra verba falsitatem non continentia irreligiosè profert, propriè non blasphemat.*

9 *Blasphemia interdum fit cum iuramento peruerso; interdum sine eo.*

10 *Blasphemia in Sanctos, quia tales sunt, in Deum redundat: quare eiusdem rationis est cum blasphemia in Deum.*

11 *Creaturis irrationalibus pluribus modis maledici potest.*

12 *Blasphemiæ differunt in grauitate contumeliæ ideóque modus blasphemandi in sacra Confessione inquirendus est.*

1 BLASPHEMIA, si vocis significationem spectes aliud non est, quàm maledictio, seu verbum conuitii, aut contumeliæ: communiter tamen non pro quouis verbo contumelioso accipitur. sed quod contra Deũ tendit, sicuti annotauit S. August. eiusque rei rationem attulit lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 11. *Est autem blasphemia, cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque iam vulgò blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de hominibus namque dubitari potest: Deus verò sine controuersia bonus est.* Quare hæc est definitio blasphemiæ: *Maledictio, siue verbum contumeliæ, aduersus Deum.*

Exinde colligitur primò: Quod blasphemia directè, ac formaliter opponitur laudi DEI. Quemadmodum igitur laus DEI duplex est; vna interna siue mente conclusa, altera externa siue verbis prodita; ita etiam blasphemia alia est cordis, & alia oris, inquit S. Th. 2. 2. q. 13. a. 1. in corp.

2 Colligitur secundò: quòd peccatum blasphemiæ, sicuti & hæresis, in intellectu consistit; quamuis requirat prauam voluntatis affectionem formalem, vel virtualem: cùm nullum sit peccatum nisi voluntarium. Externis porrò signis, præsertim verborum, interior blasphemia manifestatur, magísque consumatur. Dico, *præsertim verborum*: nam si quis nutu, vel alio facto externo, v. g. in cœlum expuendi, Deo contumeliam inferat, erit hoc peccatum à blasphemia essentialiter non distinctum; sed ad eam reducendum, sicuti notauit Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. num. 3. & 5. Quæ omnia proportionali modo dici possunt de adoratione, & laude Dei; eam in intellectu consistere, per piam voluntatem moto, & applicato ad agnoscendam, & confitendam Dei excellentiam, externis autem signis præsertim verborum, manifestari, ac magis consummari.

Colligitur tertiò; Si quis verba blasphemiæ proferat, animo nec actualiter, nec virtualiter aduertente, puta in ebrietate, non esse blasphemiam propriè dictam; sed tantum materialem: nihil obstante, quòd homo scierit, se in ebrietate talia verba effutire solitum, & nihilominus se inebriauerit, sicuti docet Vasquez 1. 2. disput. 127. cap. 3. Luisius Turrianus in 2. 2. disput. 58. dub. 2. §. solum remanet. Ratio est: quam dedi lib. 2. tract. 1. cap. 14. num. 2. Quia malitia periurii, blasphemiæ, sicuti & hæresis, in intellectu substantialiter perficitur, ideóque esse non potest actuale peccatum hæresis, blasphemiæ &c. nisi concurrente intellectu, qui actu aut virtute intelligat, seu aduertat ad verba, quæ ore pronuntiantur; vti etiam Suarez significat tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. num. 11. iuncto cap. 4. num. 2. in fine, vbi egregiè annotauit, ipsam blasphemiam internam intellectus, esse executionem, & quasi completionem internæ voluntatis, siue affectus blasphemandi; quamuis posteà externo signo verborum magis, se accidentaliter tantum, consummetur. Non ita verò se habet res in homicidio, & similibus peccatis, quæ externo opere consummari dicuntur: horum enim vnica executio consistit in externa actione; in animo autem tantum intentio, ac desiderium. Quare breuiter dici potest; mentale homicidium v. g. non esse re vera, sed imputatiuè tantum homicidium; at verò mentalem hæresin, blasphemiam, & similia peccata in intellectu consistentia, esse verè ac propriè peccata hæresis, blasphemiæ. Confirmatur etiam ex eo, quia blasphemia est species quædam contumeliæ: ad contumeliam autem requiritur scientia ac dolus, iuxta l. 5. ff. ad L. Aquiliam, non enim contemnit qui ignorat, sicuti colligitur ex l. si ignorans, ff. locati. Quamobrem contumeliam homini intulisse censendus non est, qui verba contumeliosa in ebrietate protulit; nisi ea ipsa intentione se inebriarit, vt conuitia in Deum, vel hominem effutire posset. 3

Et quod dixi de dispositione ebrietatis, idem eadem ratione dici debet de verbis blasphemis, quæ ex praua consuetudine, quam quis extirpare negligit, ante rationis animaduersionem proferuntur; non esse verè, ac propriè peccata blasphemiæ, sicuti docent Turrianus l. c. & Nauar. cap. 12. num. 84. Nihilominus continent grauem irreuerentiam siue irreligiositatem materialem; ideóque reprehensione, ac pœna digna censentur; non quod in se, ac formaliter peccata sint; sed quia praui effectus peccatorum, puta voluntariæ consuetudinis, vel ebrietatis: quam homo etiam idcirco deuitare debebat, quia perspexit esse causam, & quasi semen consequentium blasphemiæ verborum: quæ proinde ipsi indirectè siue in causa voluntaria censentur, vti dixi in lib. 1. tract. 2. c. 3. n. 6.

Colligitur quartò; Peccatum blasphemiæ distinctum esse ab infidelitate. Quia infidelitas est erroneus assensus contra Fidem: blasphemia autem est, mala verba dicere contra Deum: ad quod minimè requiritur assensus, sicuti notauit Valentia tom. 3. disput. 1. quæst. 13. p. 2. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 32. num. 3. Quemadmodum etiam hominem, furem v. g. per contemptum appellare possum, probe sciens, talem re ipsa non esse. Item malum aliquod ipsi imprecari, siue maledicere, non sine contumelia, sed absque intellectus errore siue falso assensu. Quopropter blasphemiæ peccatum in fidelibus etiam locum habet: quia non Fidei, sed Religionis virtuti opponitur: est enim *blasphemia*, inquit Hugo Victorinus in lib. de fructu carnis, & spiritus, cap. 6. *cum probrosa irreligiositate, & diminutione honoris diuini, vituperium, ac conuitium.* 4

Illud verò in confesso est, frequenter blasphemiam ex infidelitate, & aliis peccatis, quæ contra Deum com-

mittuntur, originem trahere; vel cum iis vno, eodéque actu coniuncta esse. Nam infidelis, aut hæreticus, v. g. Arianus, ex falsa persuasione, quam de DEI filio concepit, facile in blasphemiam prorumpet; negando, eum esse eiusdem substantiæ cum Deo Patre: quæ locutio diuersa habitudine & Fidei, & Religionis virtuti repugnat. Deinde si quis exterius tantum Deum, vel Christum, aut Religionem Christianā abneget, is non solum deficit in externa Fidei confessione, sed etiam blasphemat, sicuti de S. Petro Christum negante docet S. Tho. quodlib. 9. q. 7. a. 14.

Secundò, Desperatio non tantum est radix blasphemiæ (quia homines à blasphemando absterreri solent timore inferni: quare posteaquam desperarunt se pœnas æternas euasuros esse, *feruntur ad omne id quod eis peruersa voluntas suggerit*, sicuti de damnatis Deum blasphemantibus ait S. Thom. quæst. 13. a. 4. ad 1.) sed etiam cum homo in verba desperationis prorumpit, actu ipso blasphemat: quia derogat bonitati, veritati, aut potentiæ Dei, ait Suarez citat. lib. 1. cap. 6. numer. 9.

5 Tertiò, Similia dici possunt de odio Dei, esse causam, & radicem blasphemiæ, præsertim in damnatis: quia pronum est, quem aliquis odit, eidem maledicere. Atque ipsa etiam odii erga Deum significatio, vel expressio per verba, est quædam blasphemia, seu maledictio Dei, vti idem Suarez notauit.

Quartò, Tentatio Dei, ea præsertim, quæ ex infidelitate, seu dubitatione de diuina potentia oritur, est etiā quædam blasphemia, sicuti aperte colligitur ex Psalm. 77. *Et malè locuti sunt de Deo, dixerunt; Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?*

6 Peccati blasphemiæ variæ diuisiones sunt: Prima. Blasphemia alia fit cum directa intentione inhonorandi Deum, alia verò cum intentione indirecta, ac virtuali. Illa præcipuè reperitur in infidelibus, siue non credentibus, interdum verò etiam in credentibus Deum esse, sed de eius misericordia desperantibus; vel ob iustitiæ vindictam odio, ira, ac indignatione cum persequentibus, quod damnatis maximè conuenit. Indirecta, seu virtuali intentione committitur blasphemia, cùm quis scienter, ac seriò loquitur verba, quæ vel ex propria significatione, vel ex modo proferendi, aliisue circumstantiis, diuini honoris diminutionem continent; quamuis eam homo directè non intendat. Cuiusmodi blasphemandi modus licet minùs grauis, ac perfectus sit, tamen verè, ac propriè est blasphemiæ peccatum, sicuti indicat S. Thom. cit. quæst. 13. a. 1. ad 1. iun. Caiet. ver. quoad tertium, Bannes notab. 4. & expressè docent Valentia cit. quæst. 13. p. 1. §. secundò aduertendum, Sanchez 2. moral. c. 32. num. 2. Quemadmodum etiam ad peccatum detractionis, & contumeliæ erga hominem non requiritur formale nocendi propositum; sed sufficit virtuale, sicuti dixi lib. 3. tract. 3. de iust. p. 2. c. 3. n. 4.

7 Altera diuisio. Blasphemia alia est hæreticalis, & alia simplex. Hæreticalis blasphemia est, quæ falsitatem continet, dum aliquid tribuitur Deo, quod ipsi non cōuenit, v. g. iniustum esse: vel negatur de eo, quod ipsi conuenit, v. g. non curare res nostras: vel dum creaturæ tribuitur, quòd Deo proprium est: vt si amasium mulier Deum, vel creatorem suum appellet. Necesse tamen non est, huiusmodi blasphemias cum infidelitate, aut hæresi iunctas esse; cum etiam locum habeant in Dæmonibus, hominibus damnatis, ac malis Christianis, qui illas falsas, ac nefarias esse non ignorant. Dicuntur tamen hæreticales blasphemiæ, quia falsum de Deo significantes, cum hæresi similitudinem gerunt; & sæpe hominem Christianum ita blasphemantem de hæresi suspectum reddunt, sicuti notauit Lactantius Finellius de casibus reseruatis, casu 3. n. 28.

Blasphemia simplex est, quæ falsitatem non continet, sicuti docet Azor tom. 1. lib. 9. c. 28. quæst. 1. & 2. Suarez cap. 4. num. 9. contra Caiet. cit. a. 1. Valent. cit. p. 1. vel quia non enuntiatiuè, sed modo imperatiuo, aut optatiuo concipitur, v. g. *vtinam non sit Deus, despereat Deus*: vel quia id, quod verum est, de Deo enuntiatur; sed per modum despectionis aut indignationis aduersus Deum: tales sunt blasphemiæ per crucem, per sanguinem, per sacramenta Dei. Vbi duo aduerte: Primum ex Suar. c. 5. nu. 7. Nihil referre ad essentialem rationem blasphemiæ vtrum aliquis expressè, an tantum implicitè enuntiet de Deo, quod falsum est; vel enuntiet, quando verum est per modum indignantis, aut contemnentis: Vt si quis dicat, *O Deum iniustum!* quæ hæreticalis blasphemia est. Vel cum indignatione dicat, *O Deus crucifixe, ò Dei vulnera, ò Dei sacramenta.* 8

Alterum ex Caiet. ver. blasphemia, Armilla eod. ver. num. 1. Nau. c. 12. num. 85. Valent. cit. p. 1. Sanchez cit. c. 32. num. 30. contra Suarez cit. lib. 1. c. 6. Non esse propriè blasphemiam, in ira, vel rixa cum aliquo, enuntiare aliquid de Deo explicitè, vel implicitè, quod verum est: v. g. *corpus Dei, vulnera Dei, chrisma, sacramenta Dei*; si affectus indignationis non tendat contra Deum, sed tantum contra hominem, vel iumentum, cui aliquis irascitur: quod ex modo dicendi, aliisque circumstantiis colligendum est. Verùm tametsi talia verba sacra in rixa temere, & irreuerenter proferre non sit propriè blasphemia; est tamen peccatum cuiusdam irreligiositatis, siue sacrilegii, altero Decalogi præcepto prohibitum, c. 5. Deut. *Non vsurpabis nomen Domini Dei tui frustra.* Sed esse tantum veniale peccatum, aiunt Caiet. Armilla, & Sanchez ll. cc. Quamuis ob scandalum, vel periculum formaliter blasphemandi mortale fieri potest; ideóque homines à tali irreligiositate, & apparente blasphemia meritò absterrentur. Accidere tamen potest casus, vt hominem Confessarius absoluere debeat, tametsi tali consuetudine (quippe non mortaliter mala) abstinere nolit. Exempli causa; Est belli Dux, qui in Confessione ait, se milites suos ita malè affectos, ad conflictum cum hoste adigere non posse; nisi veluti iratus, verba sacra effundat, *Sacrament. Sotis Chrysam.* Quæ verba testatur se proferre non alia mente, nisi vt militibus metum veluti iratus incutiat. Hæc in Christiano homine laudanda non sunt, sed neque peccati mortalis damnari semper possunt.

Tertia diuisio. Blasphemia interdum fit absque iuramento: interdum verò coniuncto iuramento peruerso, puta, si quis per idolum, siue falsum Deum iuret, vel 9 per creaturam, sine ordine ad Creatorem, sicuti docet Sotus lib. 8. de iust. quæst. 1. a. 6. & q. 2. a. 3. concl. 1. Suarez cit. c. 6. n. 13. Sanchez cit. cap. 32. n. 9. & 10. Item si quis proferat iuramentum execratorium cum despectu Dei, v. g. *Non viuat Deus, pereat Deus, nisi hoc verum sit.* Qua de re Suarez cap. 5. num. 8. Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 7. n. 13. Sanchez num. 24. & 25. Vel si per modum spernentis aliquis execratoriè iuret, *per capillos Dei, per caput Dei:* quomodo intelligi debet c. si quis, 22. quæst. 1. & Auth. Vt non luxurientur homines, collat. 6. & notauit Sotus l. cit. Tolet. lib. 4. c. 13. num. 6. Sanchez num. 29. Suarez c. 6. n. 11.

Quarta diuisio. Blasphemia alia est in Deū, & alia in 10 Sanctos. Hæc diuisio colligitur ex c. 2. de maledicis, & S. Thom. cit. quæst. 13. a. 1. ad 2. vbi ait: *Sicuti Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita & blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Quare vtraque blasphemia censetur esse eiusdem speciei; quia eandem rationem malitiæ continet, videlicet diuini honoris imminutionem, sicuti docet Caiet. cit. a. 1. in fine, & Suarez cap. 5. num. 5. Quod tamen intelligi debet, si Sanctis

aliquis maledicat, quatenus sancti sunt, siue cum habitudine ad Deum, saltem virtuali, sicuti docet Suarez c. 5. num. 6. Sanchez num. 27. Secus, si contumelia in Sanctos, cum Christo regnantes, iactetur, non vt sancti, siue beati sunt; sed vt quidam homines in terris fuerunt, quibus nunc excellētia sanctitatis accidentaria est: vt si quis ioco de SS. Chrispino & Chrispiniano dicat, fuisse sutores; aut de SS Ioan. & Paulo fuisse Eunuchos, ait Bannes qu. 13. a. 2. non videtur hæc esse blasphemia, cùm in Deum non redundet; sed peccatum contra obseruantiam, siue cultum duliæ, tanto maiorem Sanctis, siue beatis debitum, quantò maiorem à Deo excellentiam consecuti sunt: attamen dicta conuitia, si non ex odio, aut indignatione contra Sanctos, sed ioco dicantur, esse peccata tantum venialia ob materiæ paruitatem, docet Bannes ibid. & Sanchez num. 42. Eadémque ratione, si quis ita vituperium dicat in sacramenta Dei, vel quascunque res sacras, blasphemare propriè censendus est: quia sicuti cultus earum, ita & contumelia ipsis irrogata, respectiua est, atque ad Deum auctorem earum redundans, vti docet Corduba in quæstionar. lib. 1. q. 17. §. 15. Sanch. n. 22.

Imò etiam, si quis aliis creaturis in hoc mundo existentibus rationalibus, aut irrationalibus, maledicat, quatenus creaturæ Dei sunt; adeóque cum habitudine ad Deum, haud dubiè blasphemat. Id tamen discrimen est, quod maledictio, siue conuitium prolatum in res sacras, vel Sanctos in cœlo, censeatur referri in Deum; nisi circunstantiæ, & modus dicendi indicet, à tali habitudine præscindi. At verò maledictio aduersus homines in terris existentes, vel aduersus creaturas irrationales non sacras, plerumque alia intentione, quàm Deum inhonorandi, fieri solet. Verùm de maledictione erga homines dixi in lib. 2. tr. 3. c. 8. n. 6.

Irrationalibus verò creaturis quatuor modis maledi-
11 ci posse, notauit S. Thom. 2. 2. quæst. 76. a. 2. Tolet. lib. 4. cap. 13. Primò, quatenus creaturæ Dei sunt, qua ratione ad blasphemiam pertinet, teste S. Thom. citat. q. 76. a. 4. ad 1. Caiet. 2. 2. q. 13. a. 1. in fine, Nau. c. 12. man. n. 87. & c. 23. n. 117.

Secundò, quatenus ad dominium, vel vsum hominis spectant: cuiusmodi maledictio duplex est; vna imperii efficacis, quomodo Deus Gen. 3. maledixit terræ, & Christus Marci 11. ficui. Altera inefficax, per modum simplicis optationis: quomodo homines maledicere solent possessionibus eorum, quos odio prosequuntur: nam talis maledictio ab odio imperatur, de quo satis dixi cit. l.

Tertiò, per rhetoricam priscis temporibus in planctu vsitatam hyperbolem siue exaggerationem, ad significandam animi mœstitiam, quæ ex mali alicuius euentu concepta est: quo sensu Dauid 2. Reg. 1. maledixit montibus Gelboe, in quibus Saul, & Ionathas occubuerunt. Et Iob. c. 3. Hierem. cap. 20. maledixerunt diei, in qua nati sunt; vel propter originalem culpam, quam nascendo contraxerunt, & consequentes pœnalitates, vti docet S. Thom. cit. quæst. 76. a. 2. vel quia attendendo præcisè ad molestias, quas homo interdum patitur, & seclusa voluntate Dei, ac patientiæ fructu, melius iudicatur esse homini, si natus non esset: quo sensu Ecclesiastes loquitur c. 4. idque notauit Mol. tr. 4. de iust. disp. 22. n. 9.

Quartò, quatenus creaturæ irrationales absolutè spectantur; & sic saltem otiosus actus est, ipsis maledicere, præterquam quod inordinatus affectus iræ, ac impatientiæ admisceri soleat. Ita S. Th. Caiet. Nau. ll. cc. Mol. n. 13.

Ad extremum addo; Si pœnitens in Confessione absolutè dicat, se blasphemasse, ad officium Confessarii pertinere, duas plerumque circumstantias inquirere: Prima est; Quo modo, aut quibus verbis blasphemarit; Tametsi enim probabile est, omnes propriè dictas blasphemias vnius speciei esse, sicuti docet Caiet. cit. quæst. 13. a. 1. & in sum. ver. blasphemia, differunt tamen in grauitate, ac veluti quantitate iniuriæ, ac despectionis contra Deum: ob quam causam satis non est in Confessione dicere, se furatum esse, aut contumeliam proximo intulisse; nisi exprimatur, quanta iniuria, aut quantum damnum fortunarum, honoris &c. illatum sit, sicuti constat ex ijs quæ dixi lib. 1. tractat. 2. cap. 10. n. 3. & videri potest Sanch. n. 29.

Altera est; Vtrum blasphemia prolata sit cum formali, ac directa intentione inhonorandi Deum. Ratio 12
huius est, tum quia hæc circumstantia intrinsecè aggrauat, & auget despectum, siue inhonorationem Dei, in qua essentialis malitia blasphemiæ consistit, tum etiam quia huiusmodi peruersa intentio sæpe prouenit ex odio saltem abominationis erga Deum, quod est peccatum specie distinctum à blasphemia. Quia tamen non semper ex odio prouenit, sed interdum tantum ex ira, tædio, aut desperatione; ideo ad radicem grauissimi huius peccati cognoscendam, & curandam, expedit, vt Confessarius hominem, affirmantem se expressa intentione Deo maledixisse, deinde examinet, quanam ratione motus Deo optimo contumeliam verbis inferre in animum induxerit.

Si verò pœnitens neget, affectum indignationis suæ erga Deum directè se extendisse; sed solum aduersus hominem vel iumentum, cui iratus fuerat; tunc Confessarius attendat ad verba, quibus homo vsus fuit: si enim secundum se diuini honoris diminutionem nullam exprimunt, non censenda est blasphemia, neque mortale peccatum, vt supra dixi. Sin autem verba talia, aut tali modo prolata sint, vt contumeliam Dei, aut sacramentorum significent, videlicet *gemb donnen Sacrament. ganb Saleen Sacrament. dab duch. Sottes Chrysam schendte*; censeri debent blasphemiæ; dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Sæpe autem homines eiusmodi verba blasphema proferunt inaduertenter, ac materialiter tantùm non attendentes quid significent; tum verò excusantur à grauitate peccati, propter imperfectionem cognitionis, ac voluntarii; modò interim conentur peruersam eiusmodi consuetudinem deponere.

CAP. VII.

DE SACRILEGIO.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium dicitur rei sacræ violatio.*

2 *Sacrilegii tres species sunt: I. contra personas sacras. II. contra loca sacra. III. contra alias res sacras, seu cultui diuino dicatas.*

3 *Sacrilegium contra personas sacras quatuor modis committitur.*

4 *Si Clericus in sacris, vel Religiosus fornicetur, multiplex peccatum committit.*

5 *Locus sacer censetur, qui publica Ecclesiastica auctoritate deputatus est ad sacra officia, licet nondum consecratus, aut benedictus sit: quare talis locus immunitate, & priuilegiis Ecclesiasticis gaudet.*

6 *Non omnis locus sacer, aut pius Ecclesia dici potest: quamuis Ecclesiarum priuilegia ferme etiam ad loca sacra, videl. monasteria & Xenodochia, quæ publica auctoritate instituta sunt, extendi solent.*

7 *Oratorium, quod publicam in loco eminente campanam habet, censetur esse publicum, vt Ecclesiastica immunitate gaudeat.*

8 *Sacrilegium aduersus locum sacrum accidit, I. Violando loci sacri immunitatem. II. Polluendo ecclesiam, vel cœmiterium. III. Exercendo profanam actionem, quæ reuerētiæ loci sacri repugnat, cuiusmodi sunt iudicii secularis exercitium, item negotiationes, conuiuia.*

9 *Voluntaria iurisdictionis actus, videl. dispensatio, tutoris datio; item Doctoratus collatio, in ecclesiis fieri non prohibentur.*
10 *Comedia, & tragadia, qua ad pietatem mouent, in ecclesia institui possunt,*
11 *Agapes olim in ecclesiis institui solita, postea sublata fuerunt.*
12 *Indigna tractatio S. Eucharistia, alia omnia sacrilegia grauitate superat.*
13 *Sacrilegium, quod committitur indigna rerum sacrarum tractatione, varios gradus habet, secundum varietatem ipsarum rerum.*
14 *Multa sacrilegia committi possunt circa res sacras non decenter tractandas, seruandas.*
15 *Qui legata pia, vel alia ecclesiastica iura, aut bona peruertunt, sacrilegium committunt.*
16 *Furtum sacrilegum committitur vel auferendo rem sacram de loco sacro; vel non sacram de sacro: vel sacram de non sacro.*
17 *Qui calicem sacrum è loco non sacro surripit propriè dictum sacrilegium committit,*
18 *Qui crumenam alicui in ecclesia abscindit, videtur esse fur sacrilegus, licet in externo foro non ita puniatur.*
19 *Qui furtum sacrilegum cum violenta effractione committit, excommunicationem incurrit.*

1 SACRILEGIVM secundum primæuam acceptionem, idem est, quod rei sacræ furtum. Dicitur enim sacrilegus, quasi sacrum legēs siue compilans, sicuti notauit Paulus Iureconsul. in l. sacrilegi, ff. ad l. Iuliam peculatus Isidorus lib. 10. origin. lit. S. D. Thom. quæst. 99. art. 1. Hinc verò extensa fuit significatio vocis, vt comprehendat omnem violationem seu irreuerentiam rei sacræ, id est, Deo dicatæ. Nam ex eo, inquit S. Thom. quod aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitvr aliquo modo diuinum (id est quasi peculiaris possessio Dei) quamobrem ei reuerentia debetur, quæ redundat in Deum; adeóque etiam irreuerentia, seu indigna tractatio rerum sacrarum ad iniuriam Dei spectat: vt proinde hæc sit definitio sacrilegij, quam Gloss. tradit in c. sacrilegium, 17. quæst. 4. *rei sacræ violatio.* Et S. Thom. art. 2. *In sacrilegio inuenitur specialis ratio deformitatis, qua scilicet violatur res sacra per aliquam irreuerentiam in Deum redundantem; & ideo est speciale peccatum Religioni oppositum.*

2 Porrò idem S. Thom. art. 3. pro diuersitate rerum sacrarum, seu Deo dicatarum tres species sacrilegii distinguit: vnam contra personas sacras, alteram contra loca sacra, tertiam contra res alias sacras, seu cultui diuino dicatas. Inprimis verò notandum hîc est, rem sacram propriè eam tantum censeri, quæ publico ritu, aut institutione ad Dei cultum deputata est, sicuti docet Iureconsul. l. in tantum, l. sacra, ff. de rerum diuis. & notauit Pet. Gregor. Tholos. lib. 33. Syntag. cap. 14. & Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 3. de sacrilegio, cap. 2. num. 1. vbi rectè monet, non quolibet priuato proposito, aut voto rem, aut personam sacram effici; sed necesse esse, vt publicam ex iure consecrationem, vel deputationem ad Dei cultum habeat.

3 Quòd attinet ad personas, ea duobus modis ad cultum Dei dicatæ, seu sacratæ sunt; videlicet per sacram ordinationem, vel per statum Religionis, eiusve aliquam participationem. Earundem verò personarum sacrilega violatio quatuor modis accidit: Primò Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum, aduersus priuilegium canonis. si quis suadente, 17. quæst. 4. quod ex motiuo virtutis Religionis Ecclesiasticis, atque Deo sacratis personis concessum est. Secundò; personas Ecclesiasticas subiiciendo fori sæcularis iudicio, aduersus priuilegium exemptionis illarum. Tertiò; Ab eisdem tributum exigendo aduersus Ecclesiasticam immunitatem, siue exemptionem à talibus oneribus, sicuti constat ex ijs quæ dixi tract. præc. cap. 6. Quartò; Luxuriosè violando corpus personæ Deo sacratæ per votum continentiæ perpetuæ, sicuti docet S. Thom. 2. 2. quæst. 99. a. 3. & quæst 154. art. 10. Idque intelligendum est tam de persona, quæ aduersus proprium votum fornicatur; quàm de altera, quæ illam violat, seu turpitudinis complex est, sicuti ex communi docet Syl. ver. sacrilegium.

Tametsi autem Suarez tract. 3. lib. 3. de sacrilegio, 4
cap. 3. existimet, in eiusmodi peccato vnicam malitiam contra virtutem Religionis reperiri, quæ sit infidelitas erga Deum, siue irreligiosa violatio voti, ideóque non esse sacrilegium propriè, sed lato modo, quatenus omne peccatum aduersus Religionem irreligiositas dici potest, tamen contraria sententia est communis, significata in Concil. Tolet. 2. cap. 1. à Gelasio Papa, c. virginibus, 27. quæst. 1. & expressè tradita à S. Thom. cit. art. 3. ad 3. *Formaliter*, inquit, *& propriè illud solum peccatum sacræ personæ est sacrilegium, quod agitur directè contra eius sanctitatem*; siue aduersus id, ad quod consecrata est: *puta si virgo Deo dicata, fornicetur.* *Similiter* (inquit, Caiet. ver. sacrilegium) *sacrilegium est, si Sacerdos fornicetur: quia sanctificatus est ad castitatem; non autem si blasphemet: quia non est ad eius oppositum directè sanctificatus.* Quare libenter fateor; Si Clericus in sacris ordinibus constitutus, vel Religiosus vtriusque sexus fornicetur, præter peccatum intemperantiæ, siue luxuriæ, duplicem malitiam aduersus virtutem Religionis admitti; vnam violationis voti, & alteram sacrilegii propriè dicti; & ob hanc ipsam causam, non satis in Confessione dicere, se votum castitatis violasse; sed necesse est circumstantiam Religionis, vel ordinis sacri explicare, sicuti docet Medina in summa lib. 1. cap. 14. §. 18. Arrag. 2. 2. quæst. 88. art. 7. in fine, Rodriquez tom. 1. sum. cap. 53. conclus. 15. licet contrarium sentiat Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 27. num. 27. Sin autem sermo sit de violatione voti castitatis priuati, seu ab Ecclesia non acceptati, amplector doctrinam Suarezij, esse hoc sacrilegium tantum latè, & impropriè. Nam propriè dictum sacrilegium est rei sacræ violatio: Persona autem sacra non efficitur, nisi ex publico iure cultui diuino dicata sit, videlicet per sacri ordinis susceptionem vel statum Religionis. Ergo harum tantum personarum luxuriosa violatio sacrilegii peccatum est. Vide etiam quæ dixi tract. 2. c. 10. n. 4. exemplo 111.

Quod attinet ad loca sacra, notandum est primò; 5
Locum sacrum censeri eum, qui publica auctoritate deputatus est ad sacrificium Missæ, vel alia Ecclesiæ sacramenta, aut diuina officia peragenda; tametsi necdum consecratus, aut benedictus sit, vti habetur in c. ecclesiæ, de immunit. Ecclesiar. vbi id notat Abb. num. 4. & in c. vlt. num. 4. de censibus, Syluest. ver immunitas, 1. quæst. 1. & ver. loca religiosa; quæst. 2. Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. de reuerentia debita rebus sacris, cap. 9. Dixi autem primò. *Publica auctoritate*, quia priuata non consecrata; nec benedicta oratoria, aut eremitoria inter loca sacra numerari non debent; tametsi Episcopus licentiam dederit Missæ sacrificium in iis celebrandi: quia nihilominus ad nutum fundatoris in profanos vsus conuerti possunt, vti notauit Abb. cit. c. vlt. num. 4. Syluest. cit. quæst. 2. Clarus lib. 5. sent. §. fin. quæst. 30. num. 7. Suarez cit. cap. 9. num. 10. Sanchez lib. 9. de matrimon. disput. 15. quæst. 3. num. 39. Quapropter neque ecclesiastica immunitate talia priuata oratoria gaudent, sicuti notat Abb. in c. patentibus, num. 3. de priuileg. Clarus, Suarez, & Sanchez ll. cc. Denique nec Episcopi potestati, iurique visitandi subsunt, vti dicitur in c. vlt. de censibus: cùm tamen loca omnia sacra, seu religiosa eidem subdantur, cap. 1. §. deinde liceat, eodem in 6. Et quod dixi de oratorio priuato, similiter intelligendum de xenodochiis, quæ Episcopi auctoritate erecta non sunt, sicuti ex Innocent. refert Abb. in c. abolendæ, n. 4. de sepult. & cit. cap. vlt. de censib.

Notandum est secundò; Locum sacrum latiùs patere
6 quam Ecclesiam. Nam locus sacer seu religiosus censetur, quicunque ad vsum pium, ac religiosum publicè destinatus, ac veluti Deo dicatus est; ideoque vsibus profanis deputari ampliùs non potest, iuxta iuris regulam 51. in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlterius transferendum.* Quare locis sacris, seu religiosis annumerantur etiam monasteria, & xenodochia, si Episcopi auctoritate erecta sint, vt videre est in c. adhæc, & toto ferme tit. de religios. domibus, & docet Abb. in c. de xenodochiis, num. 3. eod. tit. vbi ait: Si xenodochia sine Episcopi auctoritate ædificata sint, non censentur religiosa; ideóque Episcopus de eorum reditibus disponere non potest, sed solus patronus seu fundator.

Porro ecclesia appellatur locus, qui ab Episcopo consecratus, aut alia ratione, v. g. crucis erectione, deputatus est ad publica officia diuina, & sacramentorum vsum, sicuti constat ex cap. vltim. de consecrat. eccles. iunct. Gloss. ver. non consecrata, & ex cap. penult. de immunit. ecclesiar. & docet Couaruu. 2. resolut. cap. 20. n. 4. Quod verò Syluest. ait ver. hospitale num. 4. Sa ver. ecclesia, num. 1. Nomine ecclesiæ in fauorabilibus venire etiam Monasteria, Xenodochia, & alia pia loca; id secundum extensionem priuilegiorum intelligi debet. Nuspiam enim in iure monasterium, vel xenodochium materialis ecclesia appellatur; sed priuilegia immunitatis, quæ ecclesiis data sunt, etiam ad illa loca extenduntur, argument. l. omnia priuilegia, Cod. de Episcopis & Clericis, & cap. adhæc, de religiosis domibus, & notat Abb. in c. accedentibus, num. 3. de priuilegiis.

Præterea, quod aiunt Syluest. ver. ecclesia, 2. num. 1. & Abb. in rubr. de consecrat. ecclesiæ, & cap. vltim. eodem tit. ecclesiam, antequam consecrata sit, non propriè ita appellari; sed potius basilicam, id sumptum est ex Gloss. in cap. 1. de religiosis domibus, ver. dedicanda, vbi ait; *Ecclesiam* appellari, cùm consecratur; sicuti electus in consecratione nomen assumit Episcopi. In iure autem canonico id nullum fundamentum habet, sicuti apparet ex cap. penult. de immunit. Eccles. vbi dicitur: *Si ecclesia non consecrata cuiuscunque fuerit semine, vel sanguinis effusione polluta*; aqua protinus exorcizata lauetur, ne diuinæ laudis organa suspendantur. Et in cit. cap. penult. *Ecclesia in qua diuina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur. Quia obsequiis diuinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda.* Quam rationem etiam Gloss. reddidit in supra cit. cap. vlt. *Quia locus ille auctoritate Episcopi dedicatus est diuino cultui; &, quod semel Deo dedicatum est, ad profanos vsus redire non debet*: quare mox subiungit, sacrilegii crimen committere eum, qui locum nondum consecratum, sed ab Episcopo ad sacra mysteria deputatum violat. Nam per eiusmodi deputationem, publica Episcopi auctoritate factam (quod fieri potest per quamuis benedictionem, aut crucis erectionem &c.) locus sacer & ab humanis vsibus secretus efficitur; ideóque omnibus ecclesiarū immunitatibus, ac priuilegiis gaudet; quamuis fortè Sacrificia, & alia diuina officia nondum in eo celebrari cœperint, sicuti docet Gl. cit. cap. vltim. Abb. cit. cap. penult. num. 5. Couar. cit. cap. 20. num. 4. Angel. ver. immunitas, §. 25. Syluest. eodem ver. 1. quæst. 1. Ioan. Faber tit. instit. de rerum diuis. §. nullius, Sanchez cit. disput. 15. num. 39. Non enim ideo locus sacer fit, quia in eo sacrificium celebratur; sed potius ideo in eo sacrificare licitum est quia sacer seu ad cultum diuinum publica auctoritate deputatus est, sicuti bene notauit Suarez cit. lib. 3. cap. 9. num. 4. Vtrum autem talis locus sanguinis, aut seminis effusione polluatur, dicam lib. seq. tract. 5. cap. 5. n. 2.

Ex dictis etiam colligitur, veram non esse regulam Syluestri ver. ecclesia, 2. num. 1. Statutum puniens delinquentem in ecclesia, locum non habere in ecclesia non consecrata: cùm non sit propriè ecclesia. Sed rectius loquitur Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 3. c. 1. num. 1. *Si locus publicè sit destinatus pro vsu fidelium ad Missas, & conciones audiendas, recipiendáque sacramenta, simpliciter solet appellari ecclesia.* Imò Syluester rectè docuit ver. interdictum, 6. quæst. 5. Clericum, cui ecclesiæ ingressus interdictus est, celebrantem in oratorio non priuato; sed in ecclesia, aut capella nondum consecrata, fieri irregularem; quia satis est, quod sit Episcopi auctoritate fundata. quod etiam ex communi notauit Sanchez cit. n. 39.

Porro si dubitetur, vtrum oratorium publica aucto- 7
ritate Episcopi constructum ac dedicatum sit, signum eius esse solet, si in ea sit campana publica, seu in loco eminente posita, populi conuocandi causa ad officia diuina. Nam in priuatis oratoriis non nisi priuata campana haberi potest, ad conuocandos incolas domus. Ita Abb. in c. patentibus, num. 1. & 2. de priuileg. Sanchez cit. disput. 15. num. 39. Mascard. de probat. concl. 869. n. 3.

His ita positis, dicendum est, sacrilegium aduersus 8
locum sacrum tribus modis accidere posse: I. Violando ecclesiæ, aut loci sacri immunitatem, qua de re dixi tract. præced. cap. 3. II. Polluendo ecclesiam, aut cœmiterium vno ex quinque modis, quos referam lib. seq. tract. 5. cap. 5. num. 7. III. Exercendo actionem profanam, quæ vel ex sua natura, vel canonici iuris prohibitione, loci sanctitati repugnat; licet per eam ecclesia violari non censeatur. Talis actio inprimis est cognitio, aut placitum, siue sententia iudicii secularis, sicuti habetur in c. decet, de immunit. ecclesiarum, in 6. *Omnis in ecclesiis secularium iudiciorum strepitus conquiescat; nulla inibi causa per laicos, criminalis maximè, agitetur: sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.* Et paulò post: *Processus Iudicum secularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis omni careāt robore firmitatis.* Nota autem primò; Quòd sermo tantum sit de iudiciis secularibus: nam causas Ecclesiasticas in ecclesia agere, honestum ac decens est, sicuti habetur in c. vlt. quæst. 2. & notat Gloss. in c. cùm ecclesia, ver. effusione, de immunit. ecclesiarum, argum. cap. qua fronte, de appellat. vbi id notat Abb. num. 2.

Nota secundò; Quod dicitur, *maximè criminalis.* Nam *causas, vbi de sanguinis effusione, & corporali pœna agitur, in ecclesiis, vel cœmiteriis agitare, sub interminatione anathematis prohibemus*, ait Lucius III. in cit cap. cum ecclesia: *Absurdum enim est, & crudele, ibi iudicium sanguinis exerceri, vbi est tutela refugii constituta.* Ex quo colligit Abb. ibidem num. 3. Syluest. eod. ver. 1. quæst. 1. num. 17. Suarez cit. lib. 3. cap. 4. num. 17. & habetur in c. Sanctorum, 10. quæst. 2. quod ecclesia siue templum conuertendum non est in propugnaculum, siue munitionem contra hostem, excepto casu necessitatis in bello defensiuo, arg. c. 2. de custodia Eucharistiæ.

Nota tertiò; Sermonem esse tantum de inuoluntariæ,
non item voluntariæ iurisdictionis actibus; cuiusmodi 9
sunt dispensationes, pupillorum prouisiones &c. Talia in ecclesia validè fient, sicuti docet Abb. cit. cap. cum ecclesia, num. 6. Syluest. ver. immunitas, 1. quæst. 2. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 9. quæstion. 3. Imò interdum etiam licitè, si actus ad pietatem, vel Ecclesiæ honorem spectet, eóque officia diuina non impediantur, vti Suarez docet cit. lib. 3. cap. 4. num. 14. Quod simili ratione dicendum est de collatione graduum Doctoratus: Non item de conuentibus, consiliis, seu parlamentis secularium, quæ merè politica sunt, & ad rem Ecclesiasticam, vel pietatem non pertinentia: talia enim prohibentur in citat. cap. decet, & notat Abb citat. cap. cum

ecclesia, in fine, Angel. ver. immunitas, §. 5.

Alia actio in ecclesiis prohibita est negotiationis, seu mercaturæ. Sic enim legimus in cit. c. decet: *Cessent in ecclesiis, earúmque cœmiteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, ac fori cuiuscunque tumultus.* Quandoquidem etiam Dominus Matth. 21. Omnes vendentes, & ementes in templo eiecit: *quia domus orationis est* Nam *difficile est,* inquit Leo I. epist. 90. aliàs 92. ad Rusticum, relatus in cap. 2. d. 5. de pœnit. *inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum.* Et videtur excusari non posse à mortali peccato, si aliquis templum per se, & ex instituto deligat tanquam locum mercaturæ, officinam ibi erigendo: quia censetur hæc grauis irreuerentia loci sacri, quam Christus in Iudæis reprehendit Ioan. 2. *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Videri potest Syluest. ver. negotiatio, quæst. 2. Conradus de contractibus, quæst. 51. conclus. 2.

Verùm si tractatus tantum emptionis alteriusve contractus in templo instituatur, merce alibi existente, non videtur esse peccatum, nisi veniale, sicuti docet Caiet. ver immunitas §. Discernendum est autem, Sotus lib. 6. de iust. quæst. 2. art. 2. post quintam conclus. Angelus ver. negotiatio, §. 2. Molina tom. 2. disp. 344. & videri potest Medina de restitut. quæst. 30. ver. Quartò, Suarez 3. par. tomo 3. disput. 81. sect. 8. col. 3. Deinde si venditio per accidens fiat in templo, v. g. in transitu, vel in recessu propter pluuiam veniale vel nullum peccatum esse potest, consideratis circumstantiis, vti Caiet. Suarez & alii notarunt. In cœmiterio autem officinam rerum venalium constituere, aiunt esse minorem irreuerentiam, ideóque peccatum veniale tantum: imò si res vendendæ ad populi deuotionem seruiant, v. g. candelæ, vel panes ad altare offerendi, quibusdam locis tanquam honesta consuetudo toleratur in cœmiteriis; imo etiam in ipso templo tolerari posse, si sine strepitu fiat, atque diuini cultus augendi causa, ait Angelus ver. immunitas, §. 9. Mol. loc. cit. quamuis melius sit, talia extra ecclesiam haberi.

10 Ad hoc genus spectat etiam, quod in dotem. c. decet habetur: *Nullus seditionem in ecclesia excitet, conclamationem impetum committat.* Ex quo colligit Nau. de orat. ca. 5. n. 25. In templo instituendos nō esse ludos ac tripudia, clamore profano: quæ expressius prohibentur in cap. cùm decorem, de vita & honest. Clericorum. Ludi tamen honesti, comœdiæ, ac tragœdiæ, quæ ad pietatem mouent, à templo alienæ non sunt, sicuti notat Gloss. cit. cap. cum decorem, ver. monstra laruarum, Suarez lib. 3. de reuerentia debita rebus sacris, cap. 6. n. 4. Sa ver. ecclesia, n. 4.

Item quod in eod. cap. decet, legimus. *Cessent vana, & multò fortius fœda & profana colloquia: cessent confabulationes qualibet.* Quod intelligitur inter diuina officia, vt ex sequentibus verbis manifestum est. Nam alioquin in templo colloquium honestum instituere, nullam irreuerentiam continet. Qua de re Sanchez citat. ca. 6. n. 6.

11 Præterea in cap. non oportet, 2. d. 42. quod sumptū est ex Concil. Laodiceno can. 28. *Non oportet in basilicis, seu ecclesiis agapen facere & intus manducare.* Quid agape sit, explicat Tertull. in apologet. cap. 39. *Cana nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod est penes Græcos dilectio. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus.* Fuerunt autem, publica ista, & sacra Christianorum conuiuia, ex quibus etiā pauperes pascebantur triplicis generis, sicuti Baronius annotauit Anno Christi 57. n. 137. ex S. Nazianzeno carmine 10. de diuersis vitæ generibus, Connubialia, Funeralia, & Natalitia, quæ postrema dicta sunt, quòd in SS. Martyrum natalitiis festis instituerentur. Quamquam agapes nunquam absolutè sublatæ fuerunt, sed tantum ne in ecclesiis celebrarentur: contra hunc enim abusum extat etiam decretum 30. Concil. Carthag. cúmque reprehendit S. August. lib. 6. Confess. cap. 2. & epistol. 64. ad Aurelium, vbi loco conuiuiorum suggerit alias *oblationes pro spiritibus dormientium, quas verè aliquid adiuuare credendum est,* introducendas esse: videlicet, *Si quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præsenti pauperibus eroget.* Porro satis indicatur in cit. cap. non oportet, & vsus Ecclesiarum nunc confirmat, vniuersim prohibitum esse, ne in ecclesiis cibus & potus, perinde vt in locis profanis, capiatur; nisi pietas, vel necessitas aliquando cogat, iuxta cit. can. 30. qui refertur cap. nulli, d. 42. Quamobrem etiam Apostolus 1. ad Corinth. 11. pro absurdo habuit, quod fideles peracta Synaxi, post Sacramentorum participationem (vti S. Chrysost. interpretatur hom. 27.) agapen instituerent: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis.*

Simili ratione in cap. 2. de custodia Eucharistiæ dicitur: *Firmiter prohibemus, ne suppellectilia in ecclesiis admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates vrgentes ad eas oporteat haberi refugium.* Verum hac prohibitione non comprehendi sacristiam & alia loca ecclesiis iuncta, notat Suarez cit. cap. 6. num. 1. Deinde monent Caietan. in summa ver. immunitas, Mol. cit. disput. 344. Sa ver. ecclesia, n. 3. plerūque esse tantum peccata venialia, comedere in ecclesia sine necessitate, confabulari, concilia facere, hospitari, nautica ligna ibi seruare &c.

Quod attinet demum ad alias res sacras, siue cultui diuino dedicatas, earū quatuor veluti gradus distinguit S. Thom. quæst. 99. art. 3. Nam *primum & summum locum inter res sacras obtinent sacramenta, quibus homo sanctificatur; quorum præcipuum est Eucharistiæ sacramentum, quod Christum ipsum continet: & ideò sacrilegium, quod contra hoc sacramentum committitur, grauissimum est inter omnia.* Idemque docet Caiet. cit. a. 3. resp. ad dub. 6. Imò Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. de sacrileg. cap. 6. num. 2. annotauit, irreuerentiam, quæ S. Eucharistiæ irrogatur, esse peccatum diuersi altiorisque ordinis, quam sint sacrilegia, quibus res aliæ sacræ inhonorantur; propterea quod illud directè, ac principaliter tendit contra personam Christi in sacra Eucharistia contentam, quæ absoluta latria coli debet, sicuti docet Trident. sess. 13. cap. 5. & can. 6. Quare Pet. Greg. Tholosanus lib. 33. syntag. cap. 15. num. 2. ait, semper in ea opinione se fuisse, *sacrilegos qui impia ac detestanda manu sacram Eucharistiam contrectarunt, vt* [illegible] *arculam,* [illegible]*, tollerent; igne viuos comburendos esse, ob sacrilegium & impietatem.* 12

Secundum locum post sacramenta, tenent vasa consecrata ad sacramentorum susceptionem; item altaria, & ædes sacræ; crux, & imagines Christi. Quin & Sanctorum imagines, ac reliquiæ: siquidem etiam hæ (inquit Suarez cit. lib. 3. cap. 6. num. 7.) secundùm vsum Ecclesiæ æstimantur vt instrumenta diuini cultus; ideóque habentur sacræ non tantum in ordine ad Sanctos; sed etiam in ordine ad Deum. Huc etiam reuocari possunt sacrum chrisma, & oleum benedictum. Item sacra nomina Dei, Christi, & Sanctorum, sacrum Euangeliū & tota Scriptura canonica, à Spiritu sancto inspirata, vti notauit Suarez n. 9. 13

In tertio gradu ponit S. Thom. quæ pertinent ad ornatum altarium & Ministrorum, quorum pleraque etiā benedicta sunt: quare huc quoque reduci possunt cerei, aqua benedicta, & reliqua huiusmodi sacramentalia. Hæc enim omnia, quæ numeraui, peculiari aliqua ratione ad Deum referuntur, vel ipsi dicata sunt; & ob id sicuti cultum religiosum merentur, ita eorundem inhonoratio siue indigna tractatio ad sacrilegii crimen pertinet; quòd tanto grauius est, quantò & res sacra,

& irre-

& irreuerentia seu inhonoratio eius maior, ac notabilior existit: v. g. sacramenta indignè ministrare, vel suscipere; sacram Scripturam peruertere, vel eâ ad res obscœnas & turpes abuti; item sacra vasa ad vsus profanos adhibere: quod factum Deus c. 5. Danielis in Rege Babyloniæ Balthasar grauiter puniuit.

Neque verò necesse est ad sacrilegii crimen, vt quis directam intentionem habeat res sacras inhonorandi ac contemnendi; quod infidelium, & hæreticorum proprium est; sed ipsa indigna earum vsurpatio, vel tractatio, si aduertenter, quamuis ob alium finem, seu vtilitatem, fiat, debito rebus sacris honori, ac reuerentiæ repugnat. Hoc tamen discrimen est, quòd inhonoratio, quæ fit ex proposito siue intentione formali, semper sit mortalis, quippe rei sacræ contemptus, indirectè etiam in Deum redundans. Inhonoratio verò per intentionem virtualem, venialis esse potest, non
14 tantùm ob imperfectionem actus, sed etiam ob materiæ leuitatem, sicuti ex communi docet Valent. t. 3. disput. 6. quæst. 15. p. 2. Suarez cit. lib. 3. cap. 7. num. 2. Qui rectè etiam notat numer. 4. tametsi sacrilegium plerumque sit peccatum commissionis, interdum tamen posse esse omissionis: v. g. Si ecclesiæ Ministri sacrum fontem baptismalem ab immunditiis, seu sordibus non custodiant, sacra vasa, & pallas lauare, vel reficere negligant, iuxta cap. 2. de custod. Eucharistiæ: Si Chrisma, & sacram Eucharistiam custodire, adhibitis clauibus, intermittant, sicuti habetur in c. 1. eodem tit. & cap. sanè, de celebrat. Missarum, vbi etiam alia præcipiuntur, quorum neglectus ad sacrilegii crimen reduci potest: Videlicet, vt *cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, populus se reuerenter inclinet: Vt Sacerdos decenti habitu S. Eucharistiam, superposito mundo velamento, ad infirmos ferat, & referat, manifestè ac honorificè ante pectus, cum omni reuerentia ac timore, semper lumen præcedente.* Vbi obiter nota cum Abb. in cit. cap. sanè, sacram hostiam in ciborio seu pixide relinquendam esse, cùm ab ægroto ad ecclesiam reditur, ne vas vacuum à populo adoretur. Alia quoque, eáque grauia sacrilegia ab ecclesiæ Ministris committi possunt in negligente asseruatione, ac renouatione S. Eucharistiæ, vti notum est.

Superest quartus gradus rerum sacrarum, in quo ponit S. Thom. bona omnia tam mobilia, quàm immobilia, quæ deputata sunt ad sustentationem Ministrorū Ecclesiæ. Quem postremum gradum datâ operâ à tribus prioribus seiungo; quia bona eiusmodi Ecclesiastica, prædia inquam, frumentum, pecunia &c. ad communem Ministrorum ac pauperum sustentationem, & templorum fabricam deputata, non ita propriè, ac simpliciter inter res sacras recensentur, sicuti illæ, quæ vel speciatim ad Dei cultum consecratæ, vel benedictæ; vel specialiter institutæ sunt, veluti instrumenta diuini cultus, sicuti notauit Ioan. Faber. tit. Institut. de rerum diuis. §. nullius, Suarez in defens. Fidei Catholicæ, lib. 4. cap. 17. n. 6. Quare Angelus verb.
15 sacrilegium, prope finem ait; Ecclesiasticorum bonorum iniquam vsurpationem non propriè, sed *largo modo sacrilegium appellari*. Nihilominus in iure canonico ita passim appellatur, sicuti annotauit Gloss. cap. cùm sit, ver. malefactores, de foro compet. Syluest. ver. sacrilegium, dicto 1. Tholosanus lib. 33. syntag. c. 27. num. 2. & videre licet cau. 12. q. 2. c. nulli liceat, & cau. 17. quæst. 4. can. 4. *Sacrilegium, & contra leges est, si quis, quod venerabilibus locis relinquitur, prauæ voluntatis studio, suis tentauerit compendiis retinere* quod est dictum Gregor. I. lib. 8. epist. 6. ad Sabinum Diaconum. Similia habentur in cap. sicut qui, & cap. qui rapit, c. quisquis, ead. quæst. Ratio verò est: Quia bona ista ex prima sui institutione, atque offerentium voluntate, eam conditionem habent, vt, quia ad Dei, & Christi honorem oblata, ac destinata sunt, non in alium vsum, nisi pium conuertantur. Quare certum est, eos, qui legata pia aliáque iura & bona Ecclesiastica iniquè supprimunt, detinent, occupant, defraudant, non simplicem iniustitiam committere, sed qualificatam, quæ qualitas necessariò in Confessione explicanda sit. Accedit, quòd inuasio, vel spoliatio bonorum Ecclesiasticorum sit contra immunitatem Ecclesiasticam: cuius violatio ad sacrilegii crimen spectat, sicuti dixi præced. c. 6. princ. & in fine. Alia verò ratio est, posteaquam bona Ecclesiastica pauperum, vel Ministrorum Ecclesiæ, per legitimam dispensationem propria facta sunt.

Hîc verò solum explicabo trimembrem illam di- 16
stinctionem, c. quisquis, 17. q. 4. *Sacrilegium* (id est furtum sacrilegum) *committitur auferendo sacrum de sacro loco, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro.* Aduerto autem, furtum siue oblationem rei iniquam duobus modis secundùm canones qualificari; vt aduersus Religionis etiam virtutem sit, & ad sacrilegii speciem pertineat: Primò, ratione ipsius rei ablatæ, si sacra, siue ad Dei cultum specialiter deputata sit, v. g. sacratus calix, vel reliquiæ Sanctorum, quarum furtum sacrilegū esse docet Syl. ver. reliquiæ. q. 2. S. Anton. 3. p. tit. 12. cap. 8. & alii communiter. Secundò, ratione loci sacri, cui specialis reuerentia; atque immunitas debetur: quæ proinde sacrilegè violatur, si res etiam non sacræ ex eo surripiantur. Ex quo intelliguntur duo posteriora membra diuisionis: primum autem ex ambobus componitur, ideóque duplicem malitiam sacrilegii cōtinet, si res sacra ex loco sacro surripiatur.

Legistæ in l. Diui, & l. sacrilegi, ff. ad l. Iuliam peculatus, Iacobus Menochius lib. 2. de arbitrariis Iudicū quæstionibus, casu 389. aiunt, ad sacrilegium propriè dictū vtrumque requiri; & quòd res sacra ablata sit, & è loco sacro, ex quo inferunt, si quis calicem consecratum ex oratorio priuato surripiat, nō propriè, sed quasi sacrilegum esse, argum. cit. l. sacrileg. Item qui res priuatorum, in ædem sacram depositas surripuerit, furem, & non sacrilegum censeri, iuxta cit. l. Diui.

Verùm hæc inseruiunt quidem ad externum forum, vt tales mitiùs puniātur, quàm ii, qui vtrāque ma- 17
litiam vno actu coniungunt, rem sacram è loco sacro surripientes; tamen audiendi non sunt, cùm negant, illos etiam verè ac propriè sacrilegos esse: partim quia non ad leges ciuiles, earúmque interpretes, sed ad sacros canones pertinet definire, quidnam sacrilegii crimen sit: id autem clarè definitum est in cit. c. quisquis, 17. qu. 4. partim verò quia illæ leges, quas adducunt, parùm probant, sicuti rectè notauit Petrus Tholosanus cit. lib. 33. cap. 14. num. 8. Nam in l. sacrilegi, ait Paulus Iureconsultus, Sacrilegiū esse, qui publica sacra cōpilauerit: qui verò priuata sacra ampliùs, quàm furem, minùs quàm sacrilegū mereri. Atqui calix v. g. ab Episcopo ad Missæ sacrificium, quod semper publicum censeri debet, consecratus, inter publica sacra proculdubio numerandus est. Quæ autem priuata sacra censeantur, explicat Gloss. ibi ver. compilarunt. Ad l. Diui, respondeo; Rectè rescriptum fuisse, *res priuatorum, si in ædem sacram deposita, subreptæ fuerint, furti actionem esse*, ad recuperationem rei; sacrilegii tamen etiam ad publicam vindictam. Nam *locus facit, vt idem vel furtum, vel sacrilegium sit*, ait Claudius Saturninus in l. aut facta, ff. de pœnis. Et clare Cicero lib. 2. de legib. *sacrilego pœna est, neque ei soli, qui è sacro abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum.* Quare hanc sententiā, quòd furtum rei non sacræ ex loco sacro, sacrilegii crimen sit; docet Gloss. & Canonistæ in cit. cap. sacrilegium, & cap. quisquis, 17. q. 4. Angelus, Syluester, Armilla, Sa verb. sacrilegium, Nau. c. 6. num. 4. Suarez t. 1. de relig. tra. 2. lib. 3. de reuerentia debita locis sacris, cap. 5. Eáque certa esse videtur, quod attinet ad res in templo depo-

Hh

ſitas; quia aliquo modo pertinent ad eccleſiam, in cuius fidem atque immunitatem ſuſceptæ ſunt: idque ſatis confirmatur ex lib. 2. Machab. c. 3.

18 Quod verò attinet ad alias res in templo non ſub ſpeciali cuſtodia, ſed quaſi per accidens exiſtentes, vtrum v.g. crumenam alicui in eccleſia abſcindere, ſit furtum ſimplex, an qualificatum; cuius qualitas, ſiue circumſtantia ſacrilegii neceſſariò in Confeſſione explicanda ſit; non tam certa eſt ſententia, quæ affirmat; attamen communior, & probabilior, quam docent Doctores citati contra Victoriam, in ſumma, de Confeſſ. num. 194. ver. Quæritur, vtrum circumſtantia loci, Sotum in 4. diſtinct. 18. quæſt. 2. art. 4. ver. de die autem feſto. Nam ad fauorem ac reuerentiam eccleſiarum rationabiliter pertinet, vt res omnes in iis poſitæ à furtis, & rapinis liberæ ſint: quam proinde immunitatem ſacri canones ſtatuere potuerunt; ſtatuiſſe autem ſatis colligitur ex cit. c. quiſquis: Si enim mercatus in eccleſia eã maximè ob cauſam prohibitus eſt, quia fraudes in illo interuenire ſolent, quæ ſanctitatem loci valde dedecent; quantò magis iniuſtitiam furti decet in eccleſia prohibitam eſſe?

19 Ad extremum nota, furto ſacrilego excommunicationem ipſo iure (ſaltem antiquo) annexam non eſſe, niſi ſit cum effractione violenta; ſicuti colligitur ex c. conqueſti, de ſent. excom. & notat ibi Gl. ver. excommunicatos. Idque ſimiliter dicendum de incendiariis eccleſiarum; cùm & hæc quædam violenta quaſi effractio ſit: idque docet Gl. in c. tua, ver. publicati, eod. tit. Suarez t. 5. diſp. 22. ſ. 2. n. 16. Quare vtroſque, poſtquam ab Epiſcopo denuntiati ſunt, pro abſolutionis beneficio ad Sedem Apoſtolicam mittendos eſſe, dicitur in cit. iuribus. Quod intellige, niſi in prouincia aliquis à Sede Apoſtolica priuilegiatus ſit, vt à cenſuris iuris Papæ reſeruatis abſoluere poſſit. Vide etiam Trident. ſeſſ. 22. c. 11. reform. vbi excommunicatio Papæ reſeruata decernitur, vſurpantibus iura, aut bona Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticorum redituum, donec reſtituant.

CAP. VIII.

DE SIMONIA.

SVMMARIVM.

1 *Simonia à Simone mago hæretico appellata: tamen ſine hæreſi in praua voluntatis affectione conſiſtere poteſt.*

Simonia dicta eſt à Simone mago, qui primus tempore legis Euangelicæ, tali peccato ſe obſtrin-
1 xit. cùm Act. c. 8. *pecuniam Apoſtolis obtulit, dicens; Date & mihi hanc poteſtatem, vt, cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Quod ea intentione petiiſſe putatur, vt hac poteſtate accepta, poſtea dona Spiritus ſancti, aliis pecuniam diuendere, atque ita Spiritũ ſanctum tanquam ſeruum, ſuo arbitrio ſubiectum habere poſſet, vti notauit Tharaſius Conſtantin. Patriarcha in epi. ad Adrianum Papam, relatus, in c. eos qui, 1. q. 1. Et ſimilia Vrban. II. in c. Saluator, habet 1. q. 3. Epiphan. hær. 21. Cyril. Hieroſolym. catech. 16. S. Auguſt. tract. 10. in Ioan. *Putabat Apoſtolos mercatores eſſe, quales Dominus de templo flagello eiecit: talis enim ipſe erat, & quod venderet, emere volebat.*

Tametſi verò Simon magus peſtifero iſto errore imbutus fuerit, quòd dona miraculoſa ſancti Spiritus pecunia acquiri, & quaſi venalia fieri poſſent; (quamobrẽ peccatum hoc ab auctore ſuo *hæreſis Simoniaca* paſſim in iure appellatur, vti videre licet in c. quoties, de ſimonia, & cit. cau. 1. q. 1. c. Preſbyter, c. quiſquis, c. quicunque, c. fertur, c. Petrus, quod eſt S. Ambroſ. l. 2. de pœnit. c. 4.) certum nihilominus eſt, ſimoniæ vitium conſiſtere poſſe, ſine errore intellectus veræ Fidei contrario in praua duntaxat affectione, atque indigna hac tractatione rerum ſpiritualium; quaſi perinde ac aliæ res profanæ, venales ſeu pretio æſtimabiles fieri poſſint, ſicuti notauit S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 5. princ. Suarez t. 1. de relig. tr. 3. lib. 4. de ſimonia, c. 1. n. 6. & ſumitur ex Gloſ. in c. firmiſſimè, ver. hæreticum, de hæret.

§. I.

QVID SIT SIMONIA.

SVMMARIVM.

2 *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.*

3 *Quædam ſunt ſpiritualibus annexa antecedenter, quædam concomittanter, quædam autem conſequenter.*

4 *Simonia eſt ſpecies quædam ſacrilegii, iuri naturali repugnans ſuppoſita Fide, & reuelatione donorum ſpiritualium: quatenus res ſacra ita vilis reputatur, vt veluti venalis proponatur.*

5 *Simonia peccatum interdum etiam iuſtitiæ aduerſatur ex parte vendentis rem ſpiritualem pro temporali.*

6 *Fama & corporis integritas quodammodo pecunia æſtimari poſſunt; non ita vero res ſacra ſeu ſpiritualis.*

Simonia definitur; *ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* 2
Ita Gl. communiter recepta in cauſa 1. q. 1. in princ. ver. quidam, Canoniſtæ in rubr. de ſimonia, vbi Binsfeldius notab. 7. S. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. Alexan. Alenſis part. 2. q. 187. mem. 2. Palud. in 4. d. 25. q. 5. a. 1. concl. 1. Richar art. 2. q. 1. Adrianus quodlib. 9. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 5. §. 1. Nauar. cap. 23. man. num. 100. Victoria relect. de ſimon. p. 1. n. 7. Leſſ. lib. 2. c. 35. dub. 1. n. 3. & ſumitur ex c. quæſitum, de rerum permutat.

Dicitur *ſtudioſa voluntas*, tum quia ſimonia, ſicuti & alia omnia peccata, voluntatis deliberationem exigit: tum quia ad eſſentialem malitiã huius peccati, haud requiritur, vt pactum vel mutuo conſenſu, vel re ipſa perficiatur; ſed ſufficit affectio vnius ſimoniaca, cum opere ſubſecuto, vti infrà §. 7. explicabitur.

Emendi, aut vendendi, quod verbum latè accipi debet, vt comprehendat omnem contractum oneroſum ſeu reciprocum, in quo res temporalis, tanquam pretium ſiue æſtimatio rei commutatæ, ſeu viciſſim datæ, interuenit, ſicuti notauit S. Th. cit. a. 1. ad 5. Nauar. c. 23. num. 105. Eóque ſenſu accipi debet c. vlt. de pactis: *Pactiones factæ à vobis, pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cùm in huiuſmodi omnis pactio omníſque conuentio debeat omnino ceſſare; nullius penitus ſunt momenti.*

Aliquid ſpirituale, id eſt, quoduis ſupernaturale donum ad animæ ſalutem directè inſtitutum. *Vel ſpiri-* 3
tuali annexum. Circa quæ verba notandum eſt primò ex communi doctrina; Quædam eſſe annexa ſpiritualibus antecedenter, vt ius patronatus ad Eccleſiaſticum beneficium, vaſa, & veſtes ſacræ ad Sacrificium, & ſacramenta. Quædam verò eſſe annexa concomitanter, vt labor corporis in ſacrificando, ſacramenta adminiſtrando. Alia denique eſſe annexa conſequenter, vt reditus beneficiorum, qui dantur propter ſpirituale officium.

Secundò notandum eſt; Traditam ſimoniæ definitio-
nem accipi poſſe tum latè & valde æquiuocè, vt cõpre- 5
hendat etiam ſimoniam, quæ eſt contra ſolũ ius Eccleſiaſticũ: pro qua acceptione pugnat Suarez c. 7. tũ ſtrictè, propriè, atque vniuocè pro ſola ſimonia, quæ iuri naturali aduerſatur. Iuxta quam acceptionem, quæ mihi magis placet, verba illa *ſpirituali annexum*, duobus modis explicari poſſunt; Primò, ſecundùm Nau. c. 23. n. 100. ver. ſecundo, vt per annexa ſpiritualibus tolẽ

ligantur, quæ non ex iure diuino sacra & spiritualia sunt; sed ex Ecclesiæ institutione, per potestatẽ à Christo traditam, spiritualia effecta; ita vt eorum postea vilipensio atque venditio verè coram Deo sacrilega, & simoniaca existat. Huiusmodi res sunt sacra vasa, vestes, Ecclesiastica beneficia, patronatus &c. Secundò, vt per annexa spiritualibus intelligantur ea, quæ licet in se temporalia sint, tamen ita per se, & inseparabiliter rei spirituali cohærent, vt vendi non possint, nisi etiã spirituale venditum censeatur simoniacè: talia sunt labor & defatigatio corporis per se, & intrinsecè requisita ad sacram functionem; item reditus Ecclesiasticorum beneficiorum &c.

Sin verò alicui definitio illa obscura videtur, propter particulam illam *spirituali annexum*, quæ variam significationem explicationémque patitur, accipiat aliam à Suarez t. 1. de relig. tr. 3. lib. 4. de simon. c. 1. n. 7. *Sacrilegium, quod committitur in emptione & venditione, vel simili contractu, quo res spiritualis, vt talis, pro temporali commutatur.* Quamuis Suarez videtur ista definitione etiam comprehendere voluisse simoniam contra merum ius ecclesiasticum. quod mihi non placet, vt infrà dicam §. 6.

Corollarium I. Essentialis malitia simoniæ in eo consistit, quòd res sacra, aut spiritualis indignè ac irreligiosè tractatur, si cum re temporali in commutationẽ ducatur; perinde ac si tam vilis sit, vt instar tẽporaliũ rerũ venalis proponi possit. *Quis enim non vile putat esse quod venditur?* ait Hormisda Papa in epist. ad Episc. Hispaniæ, idémq; notauit S. Hieron. in c. 10. Matth. super illa verba, *Gratis accepistis, gratis date.* Perinde etiam agitur, quando res spiritualis cum temporali in commutationẽ affertur, ac si illa nõ minùs, quàm hæc libero hominũ dominio, potestati, aut vsui subiecta sit; & nõ à solius Dei gratuita voluntate, & operandi virtute dependens. Quã vtramque rationem affert S. Th. cit. a. 1. & colligitur ex dicto S. Petri in cit. c. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditione: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri posse.* Et S. Pauli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et c. 3. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.* Quare S. Petrus Act. 3. cùm claudũ ex vtero matris in nomine IESV erexisset, admiranti populo dixit: *Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini? quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare. Deus Abraham &c.*

Corollarium II. Simoniæ peccatum est propria quędam species sacrilegii, aduersus virtutẽ Religionis, cùm
4 sit irreligiosa, & indigna tractatio rei sacræ, ac spiritualis, vti explicatum est. Adde, simoniæ peccatum est vnũ ex grauissimis; idémq; Ecclesiæ valde perniciosũ, sicuti partim colligitur ex graui obiurgatione S. Petri: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Partim ex variis decretis canonicis, vt c. reperiuntur, 1. q. 1. vbi appellatur *execrabile flagitium*, c. 1. quis Episcopus, ead. q. *turpissimum lucrum*, c. sane, 15. q. 3. *instar publici criminis, vt læsæ maiestatis puniendum*: & in c. sicut, 1. de simonia, *Simoniacæ pestis sui magnitudine alios morbos vincit*; quia, cùm hominem semel cepit, mox latiùs se diffundit, ac totum occupat, propter inexplebilem auaritiæ cupiditatem.

Addit Nau lib. 5. consil. 52. n. 3. de simoniæ dit. 2. Suarez cit. l. 4. c. 3. n. 5. Peccatum simoniæ veniale fieri non posse, ob materiæ leuitatem; sed solùm ob actus imperfectionem, propter ignorationem. Est enim grauis irreuerentia & irreligiositas, imò virtualis quædam blasphemia, quodcunque donum gratiæ spiritualis ita tractare, ac si res vilis sit, vel ab arbitrio & potestate hominis dependeat; vt pretio æstimari, ac vendi possit; adeóque donum supernaturale non sit: hoc autem fit per omnem simoniam; saltem eam, quæ naturali iuri aduersatur, vt mox dicam.

Corollarium III. Simonia, supposita Fide, & reuelatione donorum gratiæ spiritualium, iuri naturali aduersatur, sicuti docet S. Th. cit. quæ. 100. in corp. art. 2. & colligitur apertè ex cit. c. 8. Act. Quare Christus Matth. 10. verbis illis, *Gratis accepistis, gratis date*, non nouum præceptum posuit; sed quod spiritualium gratiarum naturalis conditio exigit, hoc explicauit, atq; præcepit: In quem locum ita S. Hieron. commentatus est: *Ego Magister, & Dominus absque pretio hoc vobis tribui; & vos sine pretio date, ne Euangelij gratia corrumpatur.* Vilesceret enim gratia Euangelii, neq; Dei donũ æstimaretur, sed humana inuentio atq; possessio, si pecunia comparari posset: eas enim res vẽdere solemus, quæ nostri arbitrii, vel potestatis sunt. Quare etiã Apost. Petrus epist. 1. c. 4. *Vnusquisque prout accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

Corollarium IV. Simonia interdũ etiam iustitiæ repugnat ex parte vendentis; si in compẽsationem rei, quatenus præcisè spiritualis est, tẽporale aliquid accipiat. Ita 5
docet Suarez cap. 4. n. 7. Less. c. 35. dub. 28. n. 161. & seqq. Qui enim rem temporalem ab altero accipit, sine vllo iure accipiendi, is iniustitiam committit. Sed dans alteri rem merè spirituale, nullũ omnino ius habet vicissim accipiendi rẽ temporalẽ. Neq; enim accipere potest, ex titulo gratuitæ donationis, aut remunerationis, quia suppono, alterum non habere intentionẽ donandi: seu gratis dandi. Neq; ex titulo oneroso seu reciproco, quia talis contractus seu commutatio rei temporalis cũ spirituali ipso iure naturali, diuino, & Ecclesiastico irrita est: consequenter neq; dominiũ rei temporalis per eã transfertur, sed restitutioni obnoxia manet, vt infrà dicam.

Contra dicta obiicitur primò: Iniuria non fit volenti: 6
Sed emens simoniacè rem merè spiritualem vltrò consentit, vt pro ea accipiatur res temporalis: Ergo non fit ipsi iniuria. Respondeo; Hoc eum velle non posse, vt res temporalis veniat in compensationem rei spiritualis, quippe quæ suapte natura pretio temporali æstimari nõ potest; consequenter neque ius alteri dari potest rem temporalem pro spirituali reciprocè accipiendi. De titulo verò donationis seu remunerationis dicam §. seqq.

Obiicies II. Fama, corporis integritas, aut virginitas, licet sint bona altioris generis, atque ordinis; tamen pecuniã æstimari, & quodammodo in commutationẽ cũ ea venire possunt, sine peccato iniustitiæ: Vt si mulier pro pecunia corporis sui copiam faciat; vel innocẽs aliquis famæ suæ iacturã in alterius nocentis gratiã sustineat. Item si mulier stuprum passa; vel aliquis per iniuriã infamatus, vulneratus, in eius cõpensationem, via transactionis, aut iudicialis sententiæ, pecuniam recipiat. Ergo simili ratione non est peccatum contra iustitiam, rem spiritualẽ quamuis lõgè excellentiorẽ, pecunia æstimare, & quasi commutare. Respondeo, negandam esse consequentiam. Est enim discrimen, quòd famæ, & corporis bona temporalia, atque humana sunt, seu humano iuri, arbitrio, & vsui deputata; ideóque mirũ non est, si cum alio temporali, videlicet pecunia, aut altera re pecunia estimabili quodammodo commutentur. Dico *quodammodo*; quia propriè dicta commutatio neq; hîc locũ habere potest: cùm fama, & corporis integritas alicui ablata, per pecuniã compensari non possint æquiualenter, vt dixi lib. præced. tract. 3. de iustit. p. 2. c. 7. n. 3. At verò spiritualia bona humano iuri & arbitrio subiecta non sunt: quare ipsis omnimodè repugnat, instar humanarũ ac temporalium rerum pecunia æstimari, aut venalia exponi. Quamuis hæc obiectio conuincere videtur, si cum re spirituali, v. g. iure patronatus aliquis honor humanus conuictus sit non esse contra iustitiam, illius ratione aliquod temporale pretium

exigere sicuti dicam infra n.83.

Obiicies III. Qui alioquin rem suam v. g. canem, non venditurus est, quia singularem erga eum affectionem gerit, si ab altero ad vendendum rogetur, potest affectionem illam, seu voluptatem, qua se in gratiam alterius priuat iustè æstimare, & tãtò cariùs vendere; modò hanc mentem suam emptori explicet. Ergo simili ratione, si quis singularem affectionem gerat erga rem sacram, v.g. calices, agnos consecratos, reliquias Sanctorum; qua se in gratiam alterius priuare debeat, iustè petere potest compensationem aliquam pecuniæ. Respondeo; Imprimis certum esse, talem fore simoniacum aduersus virtutem Religionis; si pro affectione, quam erga rem sacram gerit, quatenus sacra & spiritualis est, pecuniariam compensationem accipiat. Deinde fateri possumus, talem non peccaturum cõtra iustitiam, si pretium moderatum sit, comparatione voluptatis, quam ex tali re sacra, etiam vt sacra, capit, sicuti docet Suarez c. 59. n. 42. Imò Lessius dub. 28. n. 159. arbitratur, pro iactura spiritualis vtilitatis, quam dans alteri sacras reliquias v.g. patitur, sine peccato iniustitiæ pecuniariam compensationem accipi posse: consequenter si alicui per vim & iniuriam auferantur; licitè huius damni spiritualis compensationem postulari. Quæ tamẽ mihi non placent, sicuti neque Suarez l. c. n. 43. Quia damnum spirituale non potest pecunia æstimari, aut reparari: quamquam in posteriore casu aliquid exigi potest ex vindicatiua iustitia, in satisfactionem pro iniuria illata.

---

§. II.

QVALE PRETIVM IN SIMONIA requiratur.

SVMMARIVM.

7 *Spectata rei naturâ; non est simoniacum, rem spiritualem cum spirituali commutare.*

8 *Neque simonia est, rem temporalem gratuito dare, aut remunerationis causa offerre ei, qui rem spiritualem exhibet: quãuis propter periculum affectus simoniaci, talia interdum Ecclesiastico iure prohibeantur.*

9 *Si antidoralis remuneratio pro exhibita rei spirituali in obligationem pacti ex iustitiâ, aut fidelitatis virtute deducatur, simoniæ vitium committitur.*

10 *Qui beneficium Ecclesiasticum confert, aut pecunias mutuò dat, generaliter monere potest, vt gratum se exhibeat is, cui datur; sed nullâ noua pretio æstimabilis obligatio imponi debet.*

11 *Simoniâ non est promittere, aut donare alteri rem temporalem, sub conditione, aut modo, vt ab illo opus spirituale præstetur, non tamen per modum retributionis, seu commutationis.*

12 *Spectatâ rei naturâ, non est simoniacum, præstare alteri officium spirituale, principaliter propter rem temporalem, quæ inde proueniet, non vt pretium.*

13 *Clerici ministrantes fidelibus spiritualia, ab iis temporalia accipiunt, vel iustum, ac debitum vitæ stipendium.*

14 *Stipendium Clerico spiritualia ministranti non datur, vt mera eleemosyna; sed vt iustitiæ debitum, tametsi pauper non sit.*

15 *De stipendio sibi debito Clericus pacisci potest; modò absit exactio, turpis auaritiæ, aut simoniæ speciem præ se ferens.*

16 *Si Parochus ex decimis, aliisue prouentibus sufficientem sustentationem habeat, non potest aliquid pro sacramentorum ministratione, & similibus officiis exigere; nisi consuetudine legitimè præscripta adiuuetur.*

17 *Speciale id est in Societate Iesu, quòd pro officiis ad proximum erudiendum, aut spiritualiter adiuuandum exercitis, nullum temporale stipendium, vel eleemosynam accipere possit, seu in communi, seu in particulari.*

18 *In fundatione Collegii non potest Societas Iesu se obligare ad dandum Concionatorem, Confessarium, aut S. Theologiæ Professorem.*

19 *Si Religosus Societatis Iesu pro sacro ministerio pecuniam accepit, restituere debet danti.*

20 *Religiosus Societatis Iesu non potest spirituale ministerium præstare eo pacto, vt stipendium exinde alteri personæ proueniat: potest tamen Sacerdotem alium obligatum ad Missas v.g. legendas, loco eius sacrificando liberare.*

21 *Si Minister in casu necessitatis sacramentum ministrare non vult, nisi oblata ipsi pecuniâ, non est illicitum dare ad redimendum iniustam vexationem.*

22 *Qui in beneficio Ecclesiastico ius acquisitum habet, altera persona quacunque eum iniustè vexante, vexationem istam pecuniâ redimere non prohibetur: Sin verò ius plenè acquisitum non habet, simoniam saltem iuris positiui committere censetur, offerendo pecuniam tali personæ, quæ per se, ac directè eius promotionem impedire vult.*

23 *Simoniacum non est, neque illicitum, offerre pecuniam electoribus, ne exequantur propositum eligendi personam indignam.*

24 *Non est simoniacum in absolutione, vel dispensatione pecuniam exigere, non vt pretium pro collata facultate: sed vt pœnam, seu mulctam.*

CERTVM est, ad rationem simoniæ pretium requiri. Nam malitia eius consistit in irreligiosa emptione, aut venditione rei spiritualis: emptio autem, ac venditio sine pretio esse non potest. Verùm, sicut suprà dixi, verbum emendi ac vendendi latè hoc loco accipiendum est, vt comprehendat omnem commutationem siue contractum reciprocum; ita etiam nomen pretii latè hîc accipi debet, vt comprehendat non tantùm pecuniam, sed omnem rem temporalem æstimabilem, vel vtilem, quæ vicissim seu reciprocè pro re spirituali datur, vel accipitur.

ASSERTIO PRIMA. Ex rei natura, siue spectato iure diuino, simonia non est, vnam rem spiritualem 7
cum altera spirituali permutare, v.g. sacras reliquias cũ sacris reliquiis; item ius patronatus cum altero iure patronatus; aut beneficium Ecclesiasticum cum altero beneficio, sicut colligunt DD. ex c. statuimus, c. super eo, de transact. & c. ad quæstiones, vbi id notat Gl. ver. per se queat, de rerum permutatione.

ASSERTIO SECVNDA. Ex rei natura non est 8
simonia, rem temporalem ac pretio æstimabilem gratuitò donare ei, qui spiritualem aliquem actum, aut officium exhibet. Sumitur ex c. sicut Episcopum, 1. q. 2. c. etsi quæstiones, c. dilectus, 2. in fine, c. tuã, de simonia. Ratio est: Quia donum gratuitum opponitur pretio; quippe quod tanquam vicissim ex iustitia debitum promittitur, aut datur. Neque refert, siue donum temporale offeratur post spirituale officium præstitum, siue simul, siue ante, idque etiam cum intentione, vt donatarius ex gratitudinis virtute moueatur ad spirituale beneficium præstandũ: Sicuti neq; vice versa simoniacũ est, conferre alicui quodcunq; donum, aut beneficiũ spirituale, etiam cum intentione, vt alter ex gratitudine moueatur ad remunerandum dono aliquo temporali. Constat ex iis, quæ in simili de vsura docui lib. præced. tr. 4. de iust. c.16. n.4. & docet Sotus lib. 9. de iustit. q. 7. a. 1. Suarez cit. lib. 4. c. 45. n. 4. contra Innoc. in c. tuam, de ætat. & qualitate. Interdũ tamen præsũptio esse potest affectionis simoniacæ, præsertim si munera antecedant: quamobrẽ nõ rarò talia tanquam simoniaca Ecclesiastico iure prohibentur, vt infra dicam.

Illud verò certum esse debet, simoniam esse, si quis 9
ita paciscatur: *Dono tibi pecuniam, seu aliam rem pretio æstimabilem, tali conditione, seu modo, vt mihi vicissim ex gratitudine præstare debeas rem aliquam spiritualem.* Vel sic: *Præsto tibi hanc rem, vel officium spirituale; ea tamen conditione, vt obliges te ex gratitudine mihi præstaturum donum aliquod temporale.* Ita docent Felinus c. ad audientiã n. 2. de rescript. Couar. 1. resol. c. 20. n. 4. Suarez n. 9. Quia eiusmodi conuentiones nomine donationis, aut remunerationis conceptæ, re ipsa simoniacæ permutationes existunt. quod ostenditur primò in simili: Nam si quis à me petat, vt librum ipsi donem; ego autem respõdeã, contentũ me esse, sed ea conditione, vt vicissim mihi donet ensem; hæc ipsa erit permutatio, nõ libera

donatio. Secundò ratione: Tunc datio rei non est gratuita, seu onerosa, & reciproca, ideóque non donatio, sed permutatio; quando dans alteri non confert ius accipiendi, nisi vicissim præstet aliquid ipsi danti, ad quod, seclusa hac speciali & positiua conuentione, alioquin obligatus non esset; Id autem fit in suprà dictis pactionibus: Ergo non sunt donationes, sed permutationes. Maior est clara: Quia tali casu ob rem datam imponitur accipienti nouum onus vicissim aliquid dandi, in quo essentialis ratio pactionis onerosæ, consistit. Minor etiam patet. Quia accipiens donum aliquod gratuitum, ordinariè ex gratitudinis virtute non obligatur ad remunerationem faciendam in certo rerum genere, aut specie; vel determinato aliquo tempore. Ergo pactione illa imponitur accipienti nouum onus seu obligatio vicissim aliquid dandi.

10 Deinde etsi ponamus, donatarium, propter specialem necessitatem donantis, ex naturali æquitate gratitudinis, secundùm prudētiū virorū arbitriū, obligari ad certam antidoralem donationem faciendam; nihilominus si ea in pactum modis suprà dictis deducatur, nouū onus seu obligatio pretio æstimabilis imponitur. Etenim, seclusa tali pactione, donatarius iure cogi non posset ad tale antidoron præstandum, etsi rem sibi donatam retinere vellet: siue, vt aliis verbis dicam, donatarius nō censetur iniuriam facere, aut fidem violare; sed tantùm ingratus esse, si antidoralem donationem intermittat. Ergo imponitur ipsi noua, & reciproca obligatio. Cōfirmatur: Nam, nisi id dicamus, consequens erit, nullam esse simoniā, nullámque vsuram iuri naturali repugnātem, quam non liceat tali contrahendi formula declinare: Semper enim dicere possum; Gratis, ac liberaliter conferam tibi hanc rem spiritualem, sed ea conditione, vt vicissim mihi ex gratitudine obligatus sis ad dādam pecuniam. Item, Gratis ac liberaliter tibi mutuabo centum; sed ea lege, vt præter sortem, quam vi mutui debes, titulo etiam gratitudinis mihi numeres septem. Hoc autem aliud nō esset, quàm viam patentissimam vsuris, ac simoniis, diuino iure prohibitis, patefacere.

Id verò rectissimè annotarunt Felinus, & Couar. ll. cc. Nau. c. 23. n. 106. ver. ad quartum, Suarez cit. c. 45. n. 6. 8. & 13. Simoniacum non esse, si alicui v. g. Ecclesiasticum beneficium conferas ea intentione, ac protestatione, vt hoc modo obligatione antidorali gratitudinis te exoneres. Item, Si alicui Ecclesiasticum beneficium conferas cum generali protestatione, quòd is obligatus tibi esse debeat ad remunerandum; modò absit intentio nouam, & quasi positiuam obligationē imponendi, quæ alioquin secundùm rei naturam non inesset. Id enim optimè requirit Couar. *vt vel adiiciatur, quòd promittens remuneratione nō plus obligetur, quàm aliàs tenebatur; vel colligitur ex ipso facto, & paciscentium mente, nihil per hanc conuentionem adiici antidorali obligationi.* Qua simili ratione diuites, cùm pauperibus eleemosynam dant; eos hortari solent, vt pro ipsis orent; quasi aliàs nihil daturi essent; & pauperes vicissim se oraturos profitentur, ac promittunt.

Denique hîc obiter notandum; Doctrinam hoc corollario traditam, totam etiam locum habere in cōtractu mutui: si videl. instituatur cum intētione, aut protestatione generali remunerationis; ita, vt nulla noua, aut positiua obligatio mutuatario imponatur; non fore periculum vsuræ; secùs, si noua obligatio expressè, vel tacitè adiiciatur. Quæ est doctrina S. Tho. q. 78. a. 2. ad 2. bene explicata à Caiet. ibidem.

11 Assertio Tertia. Ex rei naturâ simonia non est, promittere, donare, aut legare, alicui rem temporalem, ac pretio æstimabilem, sub conditione, aut modo, vt ab altero opus bonum spirituale præstetur, non per modum retributionis, seu commutationis. Ita docet Gl. in c. debet. 23. q. 4. Adrianus quodlibeto 9. a. 3. resp. ad 3. principale, Nauar. cap. inter verba, 11. quæst. 3. concl. 5. n. 17. Sanchez lib. 1. de matrimon. disput. 39. concl. 3. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 39. Suarez de simonia c. 16. n. 12. Ioan. Malderus 2. 2. tr. 9. cap. 3. dub. 7. Exempla sunt: Si parentes filiis munera promittant, sub conditione, vt sacramenta frequentent: Si Christianus infideli donet, sub conditione, vt sacrum Baptisma suscipiat: Si puella viro hæretico futuras nuptias spondeat, vel Princeps infideli mortis decretum supplicium remittat, sub conditione, si ad Fidem conuertantur: si puellæ, aut alteri personæ aliquid donetur, sub conditione, si Religionem ingressa fuerit. Licet contrarium sentire videantur S. Anton. part. 2. tit. 12. c. 2. §. 1. Abb. c. cùm in ecclesia, n. 7. & c. dilectus, 2. num. 7. de simon. Med. C. de restit. quæst. 27. circa quartum argum. Syluest. ver. Religio, 2. q. 2. & ver. simonia, q. 8. dicto 3. Angelus eod. ver. 3. §. 26. Imò & S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. & quæst. 189. art. 9. in corpore ait; *Simoniacum esse, alterum ad Religionem trahere muneribus, si pactum interueniat*, argum. c. quàm pio, 1. quæst. 2.

Assertio nostra probatur: Non committitur simonia, vbi non est contractus onerosus, & reciprocus; sed liberalis datio, siue donatio. Si autem promissioni, aut dationi adiiciatur conditio, vel modus, qui promissario, vel donatario vicissim non afferat obligationem simpliciter; sed solùm: si rem promissam accipere, vel rem donatam retinere velit, quòd aliquid ab ipso fieri debeat non tamen in gratiam, & vtilitatem dantis: tunc non transit in contractum reciprocum, sed manet liberalis pactio; vel donatio sub tali conditione, modo: Ergo non est simoniaca: imò neque illicita datio, aut pactio si vnus syncerè det, vel promittat, vt alterum ad bonum spirituale inducat, vel ab impedimento abducat; alter verò opus spirituale perficiat non propter rem temporalem, tanquam finem & causam principalem; licet vt secundariam & impulsiuam. Maior huius discursus est certa: Minor declaranda: Sicuti enim aliæ conditiones gratuitis promissionibus, aut donationibus adiici possunt, v. g. *Si nauis ex India venerit; si pater tuus mortuus est*; ita etiam si tale quippiam à promissario, vel donatario factum fuerit.

Neque enim potest assignari diuersitatis ratio; modo hæc duo absint: Primum est, vt obligatio promissario vicissim non imponatur simpliciter: sic enim efficeretur contractus onerosus, *Do tibi, vt in te suscipias obligationem faciendi istud.* Quare si talis pactio sit de opere spirituali pro data re temporali; meritò censetur simoniaca: v. g. *do tibi centum, ea lege ac obligatione, vt Religionem ingrediaris*: quæ est responsio Bonifacij in cit. c. quàm pio, eadémque esse videtur opinio S. Thom. ll. suprà cit. Suarez cit. c. 16. num. 14. Molin. cit. disp. 93. Malderi cit. dub. 7. §. sed difficultas est. Alterum est, vt conditio non sit de dando, vel faciendo aliquid in vtilitatem dantis, aut promittentis, sed neque alterius personæ, cuius ille quasi vicem subeat. Nam sic conditio re ipsa transiret in commutationem saltem innominatam; & quidem simoniacam, si versetur circa opus spirituale pro temporali: v. g. *Do tibi decem aureos, si mihi, vel amico meo dederis sacras reliquias.*

At verò his duobus sepositis, sicuti licitum est, secundùm doctrinam S. Thomæ & aliorum, simpliciter alicui promittere, vel donare rem temporalem, vt illum ad opus bonum spirituale inducam; ita etiam licitum esse videtur, promittere, aut dare sub conditione, vel modo, vt tunc rem accipere, aut retinere promissarius, vel donatarius possit, si opus bonum spirituale ab ipso perfectum fuerit. Qua ratione nihil frequentius est, quàm vt adolescentibus sumptus studiorum ministrentur, sub conditione, vt statum Ecclesiasticum amplectantur: alioquin verò sumptus restituere debeant.

ASSERTIO QVARTA. Ex rei natura simonia
12 non est, præstare alteri spirituale officium, vel exhibere rem aliquam spiritualem, principaliter propter rem temporalem, videlicet speratam eleemosynam. Ita Caietan. in sum. ver. simonia, circa tertium caput, Sotus lib. 9. de iustit. quæst. 6. art. 2. Sanchez lib. 2. moral. cap. 43. num. 22. contra Adrian. quodlib. 9. art. 3. Nauar. cap. 17. num. 169. & cap. 23. num. 101. Armillam ver. reliquiæ, num. 1. Philiarchum tom. 1. de officio Sacerdot. part. 2. lib. 3. cap. 9. vbi aiunt: esse venditionem latè acceptam, & turpem quæstum, si reliquiæ exponantur principaliter propter largiores oblationes, & eleemosynas: quod verum non est, si intentio illa in pactum expressum, aut tacitum non deducatur, ideóque nihil vt pretium accipiatur. Quare, quod S. Thom. ait quodlib. 8. quæst. 6. Clericum simoniacum esse, si propter distributiones, tanquam finem operis principalem, in ecclesiam veniat; intelligi debet, si finis ille tanquam operis pretium intendatur, vti bene explicat Caietan. l. cit. & S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 3. Tali autem seclusa intentione, ait Sanchez cit. loco, deordinationem voluntatis operantis spirituale, principaliter propter lucrum temporale, esse culpam tantum venialem: quandoquidem finis huius appetitionis mortaliter prauus non est, sed solum inordinata eius appetitio. Qua de re videri potest Nauar. cap. inter verba, 11. q. 3. conclus. 5. num. 25.

13 ASSERTIO QVINTA. Simonia non est, si Ecclesiæ Ministri fidelibus spiritualia ministrantes, ab eisdem temporalia per modum stipendii, ac necessariæ sustentationis suæ recipiant. Ita S. Thom. ab omnibus receptus 2. 2. quæst. 100. art. 2. in corp. & quodlib. 6. a. 10. Sumitur ex cap. 10. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Et Apost. 1. ad Corinth. 9 *Quis militat suis stipendiis vnquam?* Etenim naturalis iustitia exigit, vt ei, qui in alterius gratiam, atque commodum occupatus est, & laborat, sufficiens victus seu sustentatio, considerato statu personæ eius, præbeatur.

Ex quo infertur primò; Eiusmodi stipendium non dari Clericis tanquam pretium spiritualis officii: quia non commensuratur operi, eiúsque dignitati, aut vtilitati; sed dignitati, ac conditioni personæ operantis, seu in alterius gratiam occupatæ, sicuti notauit Suarez cap. 46. num. 1. Nisi malis aliter explicare, sed in idem recidet; stipendium deberi ministerio spirituali, non quatenus spiritualis operatio est, & salutem animæ tribuit, (sic enim gratis ministrari debet) sed quatenus præcisè seruitium est, siue operatio in alterius gratiam suscepta. Cùm enim omni seruienti siue operanti competens sustentatio, seu stipendium debeatur, cur non etiam Ministris Ecclesiæ? Consequenter ipsi quoque Ministri, si stipendium accipiant, vel sibi dari paciscantur, ex iustitia obligantur ad spirituale officium: alioquin stipendium restituere debent; quippe quod ipsis datur propter officium; consequenter restitutioni obnoxium est, tanquam datum ob causam, causâ non secutâ. Neque enim verò officium spirituale ita gratuitò ministrari debet, vt omne simpliciter debitum ex iustitia excludat: sed solum debitum ob acceptionem pretii temporalis. Nam qui v. g. gratis se obligauit ad sacrificandum alteri, ille ex iustitia obligatus manet, si tam strictè se obligare intenderat: similiter, & ille, qui pactus est, se sacrificaturum pro altero, si is vicissim aliquot v. g. rosaria pro ipso recitet.

Infertur secundò; Tale stipendium debitum esse Clerico ministranti, v. g. Missam celebranti, tametsi non
14 indigeat; sed aliunde sufficientem sustentationem habeat: Ratio est: Quia non datur illi vt mera eleemosyna ex misericordia; sed tanquam ex iustitia debitum: cui obligationi accidentarium est, quod ex aliis bonis se alere possit. Nemo enim suis stipendiis militare, siue alteri operari cogitur. Quæ est communis Doctorum sententia, contra Richar. in 4. d. 25. art. 3. quæst. 1. ad 2. Angelum ver. Simonia, 2. n. 6. Syl. q. 9. dicto 3. Quibus tamen & praxis repugnat, & Concil. Agathense cap. 36. relatum in cap. vlt. 1. quæst. 2. *Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter, vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum seruitii sui meritum, per ordinationem canonum à Sacerdotibus consequantur.* Quamobrem si reditus parochiales ex decimis &c. nimis tenues censeatur, potest haud dubiè Episcopus alias oblationes Parochianis imperare, quas v. g. sub Missæ sacrificio, vel sacramentorum receptione in subsidium conferant, sicuti docet Abb. in c. suam, n. 10. de simon. Suarez c. 27. in fine.

Infertur tertiò; Licitum quoque esse de tali stipendio 15
pacisci. Quæ est communior DD. sententia, Gloss. in cap. significatum, ibid. Abb. num. 8. de præben. Guliel. Redoani p. 2. de simon. cap. 27. Caietan. 2. 2. quæst. 100. art. 3. Soti lib. 9. quæst. 6. a. 1. Binsfeld. de simon. cap. 42. quæst. 1. conclus. 6. Less. lib. 2. cap. 35. num. 49. Suarez cit. cap. 46. num. 4. contra Alexand. Alensem pa. 2. quæst. 187. mem. 4. a. 1. §. 2. Richardum in 4. d. 25. art. 3. quæst. 2. ad. 2. S. Anton. part. 2, tit. 1. c. 5. §. 3. Syluest. loco cit. quibus fauet S. Thom. cit. a. 3. in corp. Quod enim naturali iure ex iustitia debetur, illud etiam in pactum deducere licitum est: sed stipendium Clerico ministranti iure naturali debetur secundum substantiam. Ergo &c. Cæterum cum quantitas stipendii iure naturali determinata non sit, ideo necesse est eam lege, aut consuetudine; vel, si hæc in specie nihil præcipiant, partium conuentione taxari, ac determinari.

Sed limitari debet primò; Modò caueatur exactio turpis auaritiæ, aut simoniæ speciem præ se ferens; tanquam pecunia exigatur non vt stipendium, sed vt pretium: si v. g. spirituale priùs non conferatur, quàm pecunia numerata sit, aut de ea numeranda cautio præstita. quod prohibetur in c. in tantum, & c. audiuimus, de simonia. Quamuis talis exactio propriè simoniam non contineat; quia non mutat modum debiti, sicuti notat Caietan. in sum. ver. simonia, §. quartò nota.

Secundò limitari debet: Nisi Ecclesiæ Pastor, aliusue beneficiatus sufficientem à fidelibus sustentationem 16
habeat, v. g. ex decimis, aliisue prouentibus, quorum ratione ex iustitia obligatus sit ad spiritualia ministranda; tunc iniuriam infert, si aliquid præterea exigat, v. g. pro sacramentorum ministratione. Quod videntur docuisse Gloss. & Abb. in c. suam, de simon. Nam vniuersim omnis exactio iniusta est, quæ fit ratione operis, alioquin ex iustitia debiti, cum tunc desit ius siue titulus exigendi, sicuti constat ex iis quæ dixi lib. 3. tom. 4. de iustit. cap. 4. num. 9. Præterquam, quod talis exactio speciem quoque simoniæ gerat, teste S. Thom. cit. quæst. 100. art. 3. ad 2. ideóque positiuo iure vt simoniaca interdum prohibeatur, vt infrà patebit.

Sublimitari tamen debet hæc doctrina; Nisi sit consuetudo legitimè præscripta, vt fideles aliquid offerant Parochis, aliisue Ministris, tametsi alioquin sufficientes prouentus habeant. Quæ consuetudo duobus modis legitimè constitui potest; Primò si ipsimet fideles temporis diuturnitate eam, cum Prælatorum tacito consensu, veluti piam quandam legem introducant: tunc enim retineri debet; modò non ipsimet Parochi ad eius obseruationem subditos vi compellant; *sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare*, dicitur in c. ad Apostolicam, de simon. & notat S. Thom. 2. 2. quæst. 86. art. 1. ad 3. Caiet. ver. simonia, cap. 2. §. quartò nota, Suarez cap. 47. num. 2. Secundò, si consuetudo aliquid exigendi in administratione sacramentorum, in admissione ad monasterium, canonicatum &c. ratione

bili causa subnixa esse videatur, saltem attendendo ad eius originem; quia v. g. reditus parochiales olim valde tenues erant, tunc cessante etiam causa tenuitatis, si nihilominus præstatio, veluti debita, longo tempore, videlicet decennio, cum bona fide, recipientium durauit, ius per præscriptionem introductum censeri potest: modò non fiat per violentam exactionem, vel aliam auaritiæ aut simoniæ speciem, ita vt consuetudo, spectatis circumstantiis turpis appareat, iuxta c. non satis, c. cum in Ecclesiæ, c. sicut pro certo, c. Iacobus, de simonia. Et ita docet Gerson p. 2. operum tract. de simonia, ad secundam rationem, Abb. in cit. c. suam num. 4. Nauar. c. cit. num. 102. ver. vndecimò, Binsfeld. cap. 44. qu. vn. Suarez cap. 48. & colligitur ex Trident. sess. 24. c. 14. de reform. ibi, *illis tantum consuetudinibus, quas vt laudabiles* Episcopi *probauerint, exceptis; reliquias vt prauas, & scandalosas reijciant, & aboleant.* Sed de hac re infrà pluribus.

17 Porrò id speciale est in Societate Iesu: quod pro Missarum sacrificiis, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius sacramenti administratione, vel quouis alio pio officio ex iis, quæ iuxta suum institutum Societas exercet, stipendium vllum, vel eleemosynam, quæ ad compensationem huiusmodi ministeriorum dari solet, neque in particulari admitti potest, vti habetur in exam. generali, cap. 1. §. 3. vbi significatur, hanc accipiendi impotentiam esse modum quendam seu speciem paupertatis, quam Religiosi Societatis Iesu vouent, iuxta constitutiones eius: vt proinde violans hanc constitutionem, (in qua nec ipsemet Generalis Præpositus dispensare potest, vti habetur Congregat. V. Generali, can. 1.) peccatum mortale committat; nisi paruitas materiæ excuset, sicuti docet Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. part. 3. dub. 2. num. 183. Rodriquez tom. 2. Regular. quæst. 29. art. 13. Sanchez lib. 7. moral. cap. 28. numer. 5.

Cæterum si ab iis, qui spiritualia recipiunt, aliquid gratis detur, aut in signum gratitudinis, sine vitio accipi potest; cùm id non habeat rationem compensationis, aut stipendii pro spiritualium ministratione, vti apertè indicatur p. 6. Constit. cap. 2. §. 6. in declarat. lit. g. & notat Sanchez num. 2. Qua simili ratione inquit Nau. num. 184. *Si alter centum argenteos liberè daret, secluso pacto; & ego gratificandi causa centum sacra promitterem, sine dependentia vnius promissionis ab altera, licitum esset.* Et Sanchez num. 3. admonet, pro necessariis ad spiritualia ministranda fas esse aliquid accipere etiam ex pacto: vt si Sacerdos ad missionem destinandus sit, peti potest viaticum, & sustentatio, dum ibi versatur. Quo etiam modo petuntur reditus necessarii ad fundanda Collegia, in eisque disciplinas ducendas &c.

Id verò peculiare est, quòd in p. 4. Constit. cap. 7.
18 §. 8. cauetur, ne in fundatione ac dotatione Collegii suscipiatur obligatio dandi Concionatorem, Confessarium, aut Lectorem Theologiæ. Quamuis enim æquitatis, ac gratitudinis ratione hæc ministeria in fundatis Collegiis exerceamus; non tamen ex obligatione ratione dotationis. Excipi verò debet, nisi obligatio docendæ Theologiæ esset accessoria Vniuersitati; eam enim acceptans Societas ex consequente obligatur ad ordinarias eius lectiones, etiam Theologiæ, vti Sanchez notauit n. 4.

19 Sed dubitatur hoc loco primò; Si Societatis Religiosus pro sacro ministerio pecuniam, vel aliud pretio æstimabile recepit, an, & cui reddere teneatur? Respondet bene idem Sanchez num. 11. Quòd reddere debeat danti. Nam inprimis seruare, & expendere in vsus, quamuis alioquin concessos, non potest; cùm nullus Superior talem expendendi licentiam concedere queat. Neque verò Superior pecuniam pro vsibus Collegii, aut Domus accipere potest: cùm talis acceptio Constitutionibus, & voto paupertatis repugnet. Restat igitur vt obligatio incumbat restituendi danti, non quidem ob legem iustitiæ, quippe quæ violata non est, sed propter voti religionem: sicuti si quis vouisset, se Deo gratis seu nullo pretio accepto patrocinaturum, is pretium acceptum danti restituere deberet, non iustitiæ, sed voti obligatione. Si tamen alter, cui pecunia reddenda, contentus sit, vt nomine eius pauperibus detur, satisfiet obligationi, iuxta ea quæ dixi hoc lib. tract. 5. cap. 7. num. 16.

Dubitatur secundò; Vtrum Religiosus Societatis Iesu præstare possit officium spirituale, pro quo stipendium dabitur non ipsi aut Societati, sed alteri personæ applicandum? Respondeo. & dico I. Si Religiosus paciscatur se sacrum v. g. facturum, & stipendium dandum esse consanguineo pauperi, vel alteri personæ, peccat contra paupertatis votum. Ita Pet. Nau. n. 184. Sanch. num. 15. Quia re vera sacro ministerio pecuniam acquirit personæ illi, quam designat; ideóque perinde est, ac si ipsemet acciperet, & arbitratu suo expenderet. Eadémque ratio est, si paciscar cum Titio, vt stipendium accipiat, sibique retineat, pro Missa quam lecturus sum. 20

Dico II. Si obligatio faciendi sacra v. g. modò incumbat Sacerdoti pro stipendio, vel eleemosyna, ex Capellania, aut quacunque fundatione, aut dispositione, ita vt onus illud recusari amplius non possit, non peccat Sacerdos Societatis, si legendo Missas alterum obligatum suo onere liberet. Ita bene docet Sanchez num. 18. Quia hoc casu dispositio, seu pactum præcessit, atque ius stipendii plenè acquisitum est: consequenter Religiosus sacrificando non cooperatur pactioni; seu, vt clarius dicam, suo sacrificio non acquirit pecuniam; sed solum liberat alterum sua sacrificandi obligatione, idque gratis. Neque refert, quòd Capellanus v. g. qui ipsemet sacrificare impeditus est, alterum substituere debuisset dato stipendio: quia stipendium illi dedisset ex propria conuentione, non ex dispositione testatoris. Quare si testator ita disposuisset, *detur ei qui sacrificabit, tanta pecunia;* & ego in gratiam Titii Sacerdotis, vel cuiuscunque alterius personæ sacrificem, vt pecunia ipsi proueniat, peccabo contra paupertatis votum, vt suprà dixi.

Deinde, si conuentio seu dispositio omnino perfecta non sit, sed integrum resilire, aut stipendium acceptum restituere, non potero sacrificando ad plenam pecuniæ acquisitionem cooperari: secùs autem est, si, vt suprà dixi, onus sacrificandi recusari nulla ratione possit; tunc enim solum libero alterum obligatione sua, nihil ei acquirendo.

Exinde patet etiam ratio responsionis P. N. Generalis Claudii Aquauiuæ, apud eundem Sanchez num. 23. hos, qui onere Missarum dicendarum grauati sunt, ad Societatem Iesu admittendos non esse, donec satisfecerint; nisi magnis dotibus præditi sint: & tunc ex patrimonio ipsorum Clericis secularibus soluendum esse stipendium, vt obligationi satisfaciant: alioquin verò ipsosmet receptos, aliósque eorum nomine ad sacra facienda à Superiore destinandos fore.

Addit Sanchez num. 25. tametsi Sacerdos in Societate stipendium pro Missis legendis accepisset, & absumpsisset aduersus paupertatis votum, obligatum tamen manere ad sacra per se, vel per alium persoluenda; quia Religiosus ex pactione, aut contractu naturaliter obligari videtur, vt satisfaciat, quatenus sine Ordinis, aut regulæ, quam vouit, præiudicio satisfacere potest.

ASSERTIO SEXTA. In casu, quo Minister, qui vnicus adest, ex prauo & simoniaco affectu, non vult sacramentum morituro necessarium conferre, nisi ipsi 21

pecunia detur, simoniacum non est, neque illicitum, eam offerre, non tanquam pretium sacramenti, sed vt ea ratione emolliatur hominis animus, atque auaritia eius expleatur; & sic, vt alii dicunt iniusta vexatio redimatur seu mea, seu alterius cuiuscunque hominis, cui ex Christi institutione sacramentum debetur. Hæc est sententia Alberti Magni in 4. distinct. 5. art. 1. ad finem. Adriani quodlibet. 9. art. 3. ad 2. principale, §. in hoc articulo consistit difficultas, Maioris in 4. distinct. 25. quæst. 5. Binsfeld. in cap. 9. de simon. quæst. 3. Valentiæ tom. 3. disput. 6. quæst. 16. p. 3. quæst. 3. Suarez de simon. cap. 12. num. 13. Less. lib. 2. cap. 23. §. 3. contra S. Thom. in 4. d. 25. quæst. 2. ver. deinde quæritur de simonia, & 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 1. Palud. in 4. d. 5. quæst. 3. Syluest. ver. simonia, quæst. 8. Arrag. cit. art. 2. circa solut. ad 1. existimantes, id ex rei natura simoniacum, ideóque nunquam licitum esse; ac potius permittendum, vt infans sine baptismo moriatur, quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Item contra Abb. c. cum in ecclesiæ, num. 5. de simon. Caietan. cit. quæst. 100. art. 2. ad 1. Redoanum part. 1. c. 6. num. 8. Angelum ver. simonia, 2. §. 12. qui fatentur pecuniam tali casu dari posse propter rediniendam iniuriam infantis in extrema ineuitabili necessitate constituti, (quod etiam refert, & non improbat Richard. cit. distinct. 25. art. 3. quæst. 1. S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 16.) non autem in causa adulti, quippe qui alio modo, videlicet per contritionem, consulere sibi potest. Sed probatur assertio: Dare pecuniam in tali casu, vel esset illicitum, quia in seipso simoniacum est; vel quia inductiuum ad peccatum simoniæ. Neutrum dici potest; non primum: si enim precibus, aut minis, cur non etiam muneribus alterius animum immutare liceat, vt prauum affectum seu odii, seu iræ, seu auaritiæ deponat quo ille impeditur à debito virtutis opere præstando: Dices fortasse: Propterea non esse id licitum, quia datio pecuniæ in hoc casu ordinatur ad recipiendum spirituale sacramentum: ergo adest intentio simoniaca. Respondeo; antecedens verum esse, sed negandam consequentiam. Non enim eò ordinatur, tanquam sacramenti pretium, siue loquamur de intentione operantis, siue de natura operis. Quod ex eo manifestum est, quia dans pecuniam non intendit nouam aliquam obligationem sacramenti ministrandi imponere accipienti; sed solum auaritiam eius explere, & peruersæ voluntatis impedimentum tollere: vt eo sublato, ex naturalis, ac diuini iuris dictamine, & obligatione moueri possit ad ministrandum sacramentum. Quare ipsa etiam pecuniæ datio, si loquamur de intentione seu natura operis, non nisi per accidens ordinatur ad ministrationem sacramenti, videlicet tanquam remouens prohibens. Confirmatur à simili: Nam etiam datio stipendii ex operantis intentione ordinatur ad sacramentorum v. g. ministrationem; siquidem *beneficium datur propter officium*: tamen quia non datur vt pretium operis spiritualis, sed vt necessaria sustentatio personæ, ideò non est datio simoniaca.

Neque secundum dici potest: Quia dans pecuniam non intendit alterum inducere in peccatum simoniæ, sed abducere à peccato iniustæ vexationis. Neque refert, etsi dans aduertat, accipientem ministraturum esse sacramentum simoniacè propter pecuniam, tanquam pretium: ille enim nihilominus bonam intentionem seruare potest, permittendo huius peccatum, in casu, quo grauissima seu propria, seu alterius hominis spiritualis necessitas cogit. Etenim quod datio pecuniæ in tali casu sit tantum materialis cooperatio: & non formaliter inductiua ad peccatum simoniæ, inde probatur: Quia posita etiam acceptione pecuniæ, poterit Minister sacramentum rectà intentione, atque gratis administrare; & pecuniam accipere non vt pretium sacramenti, sed vt liberali voluntate datam ad explendam eius malignam cupiditatem; quamuis propter iniuriam accipientis postea concedatur danti repetitio, iuxta l. 3. ff. de condict. ob turpem causam, & docet Gloss. communiter recepta in c. dilectus, 1. de simon. ver. promissionem. idque intelligi debet iuxta ea quæ dixi lib. 3. tract. 4. c. 4. n. 8.

Simili ratione, ait Suarez cap. 12. num. 20. Si Tyrannus quispiam, seu infidelis sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, sacrilegè detineat; licitum est ipsi pecuniam dare, imò etiam sponte offerre, vt à sacrilegio cesset, & sacram Eucharistiam Ecclesiæ restituat; esto is pecuniam animo simoniaco accepturus existimetur. Eademque ratio est, si sacræ reliquiæ ab hæreticis indignè tractentur, licitum est ipsis pecuniam offerre, non vt eâ emantur; sed vt ab iniuria in locum decentem vindicentur. Sicuti si latroni pecuniam offeram, vt vitæ meæ parcat, re vera non emo vitam meam, sed dicor redimere vexationem meam; quia munere dato animum hominis exsatio, vt deinde à vexatione abstineat. Sed quid de beneficiis Ecclesiasticis: Nam in his specialia quædam sunt.

ASSERTIO SEPTIMA. Qui in beneficio ius 22
acquisitum habet, altera quacunque persona iniustè illum impedire volente, vexationem hanc pecunia redimere potest, sine simoniæ vitio. Ita S. Thom. quæstion. 100. art. 2. ad 5. & in 4. d. 25. vbi de simonia, & idem Abb. in c. cùm pridem, num. 9. de pactis, S. Anton. cit. cap. 5. §. 13. quæst. 3. Nauar. cap. 23. num. 101. Less. cit. cap. 35. dub. 18. Suarez cit. cap. 50. argum. c. quæsitum iunct. Gloss. causa 1. quæst. 3. Ratio est: Qui enim habet ius spirituale acquisitum, is non dat pecuniam pro eo acquirendo; sed solum pro aduertenda iniuria, seu vexatione: Nam iniuriam pecunia redimi posse, constat ex l. 1. & 4. ff. de condict. ob turpem, vel iniustam causam.

Exinde probabiliter sequitur, si quis pleno, ac certo iure acquisito in beneficio, vel alia re spirituali iniustè impediatur ab eius possessione requirenda; vel si acquisita per iniuriam spolietur, posse talem iniuriam seu violentiam pecunia redimi, sicut docent Abb. in cit. c. dilectus, num. 4. cum addit lit. d. Nauar. num. 102. ver. octauò, Less. cit. dub. 18. num. 110. Suarez cit. cap. 50. num. 31. contra Gloss. in c. decimas, 2. causa 16. quæst. 7. Redoanum. part. 3. de simon. cap. 22. num. 2. Ratio est: Quia cum titulus beneficii spiritualis plenè, ac certo acquisitus est, omni iure debetur possessio; quemadmodum & fructus beneficij: Ergo si per iniuriam denegentur, & beneficiatus pecunia redimat, nec directè nec indirectè seu consequenter, comparat sibi ius beneficii spiritualis; sed meram corporalem possessionem, quæ vt præcisa à titulo spirituali consideratur, in facto tantum consistit: secus dicendum foret si ipsum ius, siue titulus beneficii in dubium vocaretur; atque idcirco possessio, vel reditus beneficii negarentur: hoc enim casu qui possessionem, aut reditus beneficii pecunia sibi compararet, censeretur consequenter ipsum ius spirituale comparare: quandoquidem possessionem & reditus beneficii Ecclesiastici accipere non potest, nisi ex vi spiritualis iuris ac tituli.

ASSERTIO OCTAVA. Si quis in beneficio ius plenè acquisitum non habens, pecuniam offerat ei, qui per se, ac directè impedire vult, quominus ille ius acquirat, simoniam committere censetur, saltem ex positiuo Ecclesiastico iure. Ita DD. citati, aliique communiter. Dixi autem primò, *Quamuis iniustè aliquis impediatur*. Nam si iuste impedire volenti aliquis pecuniam det, vt absistat, v. g. impedimentum occultum non denuntiet; tunc multò certiùs est, simoniam committi, sicuti ex communi docet Nauar. lib. 5. consil. 41. num. 2. de simon. edit. 2. ex c. Matthæus, de simonia, in quo

secundum probabilem expositionem, simoniacus iudicatur, qui à maiore parte Capituli electus, aliquibus contradicentibus, vni eorum pecuniam obtulerat, ne ille subsecuturam confirmationem, seu institutionem, haud dubiè ex aliqua causa, impugnare intermitteret, sicuti exponit Suarez c. 50. n. 8.

Secundò dixi, Si aliquis *per se, ac directè*. Nam si quis tantum remotè ac per accidens impedire atque vexare velit; cùm ad ipsum non pertineat conferre, ius aliquod; tunc non videtur esse simoniacum, oblata pecunia iniustam vexationem redimere, v. g. ab eo, qui hominem loco detinere aggreditur, nec tempore opportuno ad petendum beneficium accedat; vel qui iniustè illum infamat, sicuti docet Sotus lib. 9. q. 6. a. 1. vel qui pretio, aut precibus importunis collatorem corrumpere tentat, vt alteri minus digno beneficium conferatur, sicuti docent Less. dub. 18. num. 19. Valent. citat. quæst. 16. p. 3. quæst. 3. conclus. 2. circumst. 2. Vgolin. tab. 1. de simon. cap. 9. §. 8. num. 3. Suarez cap. 50. num. 23. Ratio est: Quia huiusmodi hominibus non offertur pecunia, vt prosint, seu iuuent ad beneficium acquirendum (quod simoniacum foret: siquidem ipsum beneficium pecunia comparari censeretur) sed tantum vt non obsint, & non iniustè impediant, quod est propriè vexationem redimere.

Tertiò dixi; *Saltem ex positiuo Ecclesiastico iure*, consuetudine & stylo curiæ confirmato. Quia, vt Suarez aduertit num. 28. redimere vexationem ab eo, ad quem spectat ius spirituale conferre, v. g. si dem pecuniam præsentatori, aut electori, vt non præferant mihi aliquem indigniorem; vel confirmatori, vt me legitimè electum per iniuriam non repellat, huiusmodi pactiones censeri solent simoniacæ, arg. ducto ex c. sicut tuis de simonia. Ratio verò est: Quod cùm isti non tantum iniustè impedire, sed etiam iustè conferre possint aliquod ius spirituale beneficii, ideo, qui dat eis pecuniam vt non impediant, quatenus collatores sunt, is censetur non merè vexationem, seu impedimentum remouere velle; sed directè viam sibi ad beneficium pretio comparare, quam rem bene explicat Less. cit. dub. 18. num. 106. & 107. Quàmuis autē, seclusa hac formali intentione, non videatur esse simonia iuris naturalis: quia posset aliquis pecuniam dare collatori, v. g. ad remouendum eius malignum affectum odii, quo remoto, is postea non ex positiua obligatione seu pacto datæ pecuniæ, sed ex naturali dictamine moueatur ad beneficium conferendum, sicuti superiore assertione ratiocinatus sum; quia tamen id speciem gerit simoniacæ labis valde perniciosæ in materia beneficiali, ideo Ecclesiastico iure talis pactio tanquam simoniaca damnatur. Multò verò certius est: simoniam in tali casu committi ex parte accipientis, & consequenter electionem collationémque irritam fore, sicuti notauit Valent. cit. cōclus. 2. circumst. 3.

23 Denique verò aduertunt Caietan. tom. 2. opusc. tr. 9. de simon. quæst. 3. Sotus cit. quæst. 6. art. 1. prope finem, Less. dub. 19. Suarez cit cap. 50. num. 36. Simoniacum non fore, neque illicitum, offerre pecuniam electoribus v. g. ne exequantur propositum eligendi indignum, vel minùs dignum; & consequenter vt eligant dignum aliquem; saltem indefinitè seu genericè; idque intentione redimendi vexationem siue iniustum nocumentum Ecclesiæ. Sed quid, si manifestum sit, vnicum duntaxat dignum esse, nonne dando pecuniam, vt non eligatur indignus, & Ecclesiæ noxius, virtualiter alteri digno comparabitur aditus ad beneficium pecunia? Respondetur primò: Non est directè intendendum, aut postulandum, vt electores, acceptâ pecuniâ, eligant hanc particularem personam, quæ sola digna videtur; sed solum vt indignum non eligant, siue vt aliquem dignum: per accidens autem esse censebitur, si vnus solus dignus sit, qui eligi possit. Secundò; Hanc doctrinam præcipuè locum habere posse in electione Sum. Pontificis, de qua etiam sola Caiet. loquitur. Aliæ verò inferiores electiones irritæ erunt; quia simoniacæ ex parte accipientis pecuniam, saltem ob positiui iuris constitutionem. Ordinariè autem non est licitum cooperari ad talem electionem, vel collationem beneficii Ecclesiastici, sicuti notauit Adrianus cit. quodlib. 9. §. Quoad tertium principale, Valentia cit. circumstant. 3. Suarez cit. cap. 50. n. 42.

Assertio Nona. Non est simoniacum, in absolutione à peccato vel censura, aut dispensatione super impedimento aliquo canonico ex culpa contracto, pecuniam exigere; non tanquam pretium, in compensationem collatæ facultatis, sed vt pœnam seu mulctam pro commisso peccato, ad pias causas applicandam. Ita S. Thom. communiter receptus quæstion. 100. art. 2. ad. 3. 24

---

§. III.

DE DIVISIONE PRETII simoniaci.

SVMMARIVM.

25 *Pretium simoniæ diuidi solet in munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio.*

26 *Si pactum expressum, aut implicitum non interueniat, non est simonia, precibus, obsequiis, muneribus hominem commouere ad dandum aliquod spirituale, v. g. Ecclesiasticum beneficium.*

27 *Neque simoniacum est, conferre Ecclesiasticum beneficium propter amicitiam, consanguinitatem, aut actualem iniuriam tollendam.*

28 *Latro se obligans, quod imposterum nihil damni iniusti illaturus sit, nouam obligationem contrahit, pro qua pretium validè accipiet.*

29 *Per se loquendo, non videtur esse simoniacum, conferre beneficium debitori iniustam moram trahenti, sub conditione præsentis vexationis; statim amouenda: quamuis periculum scandali, vel simoniacæ affectionis facile admisceri possit.*

Vsitatvm est apud Ecclesiasticos Scriptores, vt pretium simoniæ *muneris* nomine significetur; sicuti videre est in cap. Saluator, quod est Vrbani II. causa. 1. quæst. 3. *Qui res* Ecclesiasticas *non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad propria lucra munere linguæ, vel indebiti obsequii, vel pecuniæ, largitur, aut adipiscitur, simoniacus est.* Et S. Gregor. I. homil. 4. in Euang. relatus in cap. sunt nonnulli, 1. quæst. 1. *Aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subiectio indebitè impensa. Munus à manu pecunia est. Munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum nullam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit.* Quapropter etiam S. Thom. quæst. 100. a. 5. aliique Doctores communiter pretium simoniæ diuidunt *in munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio.*

Circa hanc diuisionem notantum est primò; Vocabulum *munus* non ita accipiendum, vt significet donum liberale ac gratuitum; sed potius debitum iustitiæ commutatiuæ, adeóque grauamen aliquod ac onus, quæ acceptio munerum in iure etiam ciuili vsitatissima est, pro seruitiis, obsequiis, & tributis, quæ tanquam ex iustitia debita præstari, atque exigi solent, sicuti constat ex tit. ff. de muneribus & honoribus. 25

Notandum secundò: Per *munus à manu* intelligitur non tantum pecunia, quod est propriè dictum pretium; sed etiam omnis alia res materialis tum mobilis, tum immobilis, quæ quomodocunque pretio æstimabilis est;

Item debiti remissio, & solutionis dilatio, ac mutui datio. Exempli causa: Si quis Episcopo propter beneficium, vel ordines collatos aliquod remittat debitum, quod simoniacum esse, significatur in cap. veniens, 1. de testibus. Vel si quis ob eam causam pecuniam mutuauerit; aut quod eodem redit, numerandæ pecuniæ dilationem concesserit, sicuti significat Vgolin. de simon. tab. 1. cap. 9. §. 5. num. 2. Nauar. cap. 23. num. 101. in fine, & expressè Less. lib. 2. cap. 20. dub. 9. num. 64. Suarez cap. 38. num. 7. argum. l. quisquis, Cod. si certum petatur, vbi is, qui Iudici pecuniam mutuauerit, *quasi emptor legum*, vnà cum iudice exilii pœna plectendus dicitur: Neque refert quòd officium mutuandi pretio æstimabile non sit: cum alioquin pro mutuandi officio aliquid supra sortem accipere licitum esset. Constat enim ex præcedenti cap. nomen pretii in materia simoniæ latè accipiendum esse, vt non solum comprehendat propriè dictum pretium, quod est pecunia & quidquid pecunia estimabile est, sed etiam omnem aliam commoditatem temporalem, quæ alicui ex pacto datur pro re spirituali: nam in hoc ipso essentialis malitia simoniæ consistit, quod in ea spirituale cum temporali exæquatur, ac commutatur.

26 Notandum tertiò: Per *munus à lingua*, intelligitur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expressi, vel taciti, vt res aliqua spiritualis vicissim conferatur. Exempli causa: Laudabo, seu commendabo te apud Principem, si Ecclesiasticum beneficium mihi conferas. Quæ est iam recepta explicatio Abb. in c. suam, num. 3. de ætat. & qualitat. Caietan. ver. simonia, non longè à fine, ver. quintò nota, Victor. relect. de simonia, p. 1. num. 33. Nauar. cap. 23. num. 102. ver. decimò, Suarez cap. 40. Less. cit. cap. 35. dub. 2. cùm docent, requiri pactum explicitum, vel implicitum; eo verò seposito, non esse simoniam, quibuscunque precibus, vel adulationibus, pro se, vel alio, etiam indigno, Ecclesiasticum beneficium impetrare, licet aliis rationibus in ea re peccari possit. Ratio est: Quia ad simoniam non sufficit dare rem spiritualem ex motiuo rei temporalis; v. g. propter amicitiam, consanguinitatem, obsequia, preces, sed opus est, vt detur pro re temporali tanquam pro pretio, id est, in compensationem illius, velut ex iustitiæ obligatione: licet aliter senserit Gloss. in cit. cap. tuam, ver. nullum prorsus, S. Thom. in 4. d. 25. quæst. 3. quæ est de simonia, a. 3. ad 5. & 2. 2. quæst. 100. a. 5. ad 3. Durand. eadem d. q. 4. Adrian. quodlib. 9. a. 2.

Notandum quartò: Per *munus ab obsequio* intelliguntur quæcunque alia obsequia, seu seruitia alicui præstita, vel præstanda, sub obligatione conferendi beneficium Ecclesiasticum, vel aliam quampiam rem spiritualem. Exempli causa: Si collatori, sine alio salario inseruire velit, cum expresso, vel tacito pacto conferendi beneficii, sicuti docet S. Thom. communiter receptus in cit. quæst. 100. art. 5. Vict. cit. part. 1. num. 36. Hadrian. cit. a. 2. & sumitur appertè ex cap. cum essent. de simon. vbi videri potest Abbas n. 5.

Verum simonia non est, gratis alicui seruire, aut obsequia præstare, cũ spe, vt in eorũ remunerationem ad Ecclesiasticum beneficium quis præsentetur, aut instituatur: Neque ipse Episcopus, aut patronus simoniam committit, si ob talium remunerationem, vel ob perspectam hominis industriam, ius aliquod spiritualis beneficii eidem conferat, sicuti notauit Gloss. in c. cum essent. ver. promiserat, Syluest. ver. simonia, quæst. 16. dicto 4. modò absit pactum implicitum, quasi collator aut præsentator ex iustitia obligatus sit. Eiusmodi implicitum pactum interuenire ait Suarez cap. 39. num. 7., Si famulus sine omni salario, aut cum nimis modico collatori beneficiorum seruiat, tanquam ex officio, seu obligatione; ex isto enim modo seruiendi spectatis circumstantiis, plerumque nasci videtur obligatio remunerandi per collationem beneficii Ecclesiastici, quod seruiens intendit. Rectè etiam obseruauit Less. cit. dub. 20. obsequia, itemque munera, tametsi gratis præstentur, cum spe consequendi beneficium Ecclesiasticum, non vacare periculo; tum propter scandalum, & speciem interuenientis simoniæ; tum quia munera excæcant, & inducunt in peccatum acceptionis personarum vt eligatur persona minus digna, cum violatione iustitiæ distributiuæ.

Notandum quintò; Dictam diuisionem *in munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio* sufficientem esse; vt necesse non sit aliud membrum adiicere: siquidem omnia bona temporalia, & externa, quæ in communicationem, aut commutationem aliquo modo venire possunt, vel ad bona fortunæ seu diuitias spectant; vel per verba vocis aut scripturæ præstari possunt, vt laus, intercessio: vel denique per alia corporis membra, vti sunt alia omnia obsequia seu munera personalia. Quamuis huic communi doctrinæ contradicat Maior in 4. distinct. 25. quæst. 3. §. contra dicta, de diuisione illa trimembri curandum non esse; quia plura alia membra sint ex quibus simonia contrahitur; v. g. si qui propter consanguinitatem, vel timorem à Tyrãno incussum spirituale beneficium conferat.

Sed hanc sententiam falsam esse constat ex fundamento sæpius posito, ad simoniam requiri pretium saltem latè sumptum, id est, vt detur spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, per modum commutatiuæ compensationis ex iustitia.

Quare non sufficit ad simoniam dare rem spiritualem v. g. Ecclesiasticum beneficium, propter causam temporalem, puta amicitiam, cùm non intercedat pretium, seu reciproca datio, aut obligatio. Neque item simonia est dare, vel resignare alicui beneficium propter grauem metum damni emergentis, siue vt alter à vexatione manifestè iniusta absistat. Idque verum esse contendit Suarez cap. 37. num. 15. & 17. tametsi conditio expressè apponatur: *Resignabo tibi beneficium, si ab iniusta actione desistas.* Ratio est: Quia non quæuis conditio promissioni, aut dationi adiecta, facit contractum reciprocum, in quo simonia fundari debet, sed solum, si conditio vicissim afferat onus seu obligationem iustitiæ per modum cuiusdam commutationis. Nam qui puellæ v. g. dotem promittit, sub conditione, si nuptias celebrarit, si Religionem professa fuerit, is non censetur onerosum contractum celebrare: sed gratis promittere quamuis sub conditione, modo, ob causam. 27

Eademque ratione, reciprocus, aut simoniacus contractus non est, dare Clerico victum, seu stipendium sustentationis propter officium, adeoque sub conditione, si spiritualia gratis ministret; alioquin verò restituere stipendium debeat, tanquam datum ob causam, causâ non secutâ. Similiter licitum, & in Ecclesia consuetum est, donare, vel legare Ecclesiæ fundum, vel aliam quamcunque rem temporalem, sub conditione applicationis ad determinatum vsum pium, v. g. vt dies anniuersarius celebretur, etiam expresso, vt, si talis conditio non seruetur, reuocari possit donatio, aut legatum, iuxta c. verum de condit. appositis.

Præterea, si aliquis latroni vitam eripere volenti pecuniam det sub conditione, vt vexare intermittat, non est contractus iste reciprocus, sed gratuita donatio, quãuis propter metum facta, quia latroni in hoc casu nulla obligatio iustitiæ imponitur; sed sola conditio affertur quòd pecuniam accepturus sit, si præsente iniusta actione desistat: secùs tamen esse videtur, si latro accepta pecunia promittere debeat, etiam imposterum transituro v. g. mercatori nihil vnquam damni iniusti illaturum esse: nam hoc casu vim, ac metum inferendo, latro tametsi contra iustitiam peccet, re vera tamen ex parte sua 28

contrahit nouam, & quasi positiuam ex pacto illo obligationem, quam si postea violet, datæ fidei ac fœderis violator existet, sicuti etiam dixi lib. 3. tract. 4. de iust. c. 4. n. 9. not. 1.

Quapropter simili ratione dicendum; Non esse simoniam dare, vel resignare alicui beneficium, exigendo tanquam conditionem, vt is, cui resignatur ab actuali iniuria cesset: tunc enim non imponitur ipsi noua obligatio, sed solum exigitur quod per se ex iustitia debitum est. At verò simoniacum esse videtur; dare, aut resignare alicui beneficium, exigendo ab eo promissionem, quod futuro tempore nihil damni iniusti collatori, aut resignatori illaturus sit: sic enim noua obligatio fidelitatis, & humanæ fidei, siue fœderis à promittente suscipitur, in commodum exigentis.

Sed nunquid simoniacus est Episcopus, si debitori beneficium conferat, vt debitum ab eo cōsequi possit? Respondeo, non esse, si tale motiuum in pactum non deducat: Sin verò paciscatur, simoniam esse, docet. S. Thom. in 4. distinct. 25. vbi de simonia, a. 3. ad 2. Sed
29 Angelus verb. simonia 3. num. 38. negat: cùm neque vsura sit, mutuare alicui, cum pacto, vt pristina debita exoluat, sicuti colligi videtur ex cap. 1. de vsuris. Sed quidquid sit de illo textu, doctrina hæc videtur vera, eamque admittit Suarez cit. cap. 37 num. 18. quia hoc casu mutuans non censetur nouam obligationem imponere mutuatario, quando ea solum sibi dari postulat, quæ ex antecedentibus pactis liquidò debentur. Addit verò Suarez, non esse firmam semper argumentationem ab vsura ad simoniam; tum quia rerum spiritualium collatio purior adhuc esse debet, quam mutui: tum quia circa simoniam extant etiam positiuæ prohibitiones, præsertim in materia beneficiorum, in quibus omnes pactiones seu obligationes prohibitæ sunt. Nihilominus fatetur, si debitor manifestam vim, & iniuriam inferat debitum detinendo; posse dari spirituale aliquod, cum conditione præsentis vexationis statim amouendæ, dummodo scandalum, & omnis irreuerentia caueri possit.

§. IV.

DE RE SPIRITVALI, QVÆ EST materia simoniæ.

SVMMARIVM.

30 *Doctrinam seu instructionem scientiarum, etiam Theologiæ, pro mercede locare, aut quasi vendere, non est simoniacum, nec illicitum, per se loquendo; quàmuis peccari possit, si plus iusto, aut modo indebito exigatur.*

31 *Pro Doctoratu, & collata licentia docendi in Theologia &c. sine labe simoniæ aliquid tanquam pretium exigi potest.*

32 *Pro officio prædicationis, aut exhortationis spiritualis, aliquid accipere vt pretium operis, simonia est.*

Ludimagistri tamen pro puerorum instructione, etiam in Catechismo ediscendo, salarium accipere possunt.

33 *Gratiæ gratis datæ, vt sanitatis, prophetiæ, item gratia sanctificans, & sacramenta nouæ legis, atque sacramentalia omnia propriè sunt materia simoniæ.*

34 *Matrimonium non tantùm sacramentum est, sed etiam officium naturæ, atque contractus naturalis.*

35 *Vendere sacram Eucharistiam, præsertim infideli, aut venefico, grauissimum scelus est.*

36 *Pro iure sepulturæ aliquid accipi potest, si sponte offeratur; item vigore consuetudinis.*

37 *Materialia ecclesiæ, item obligatio certum locum præbendi in ecclesia ad sepeliendum, vel ad sedendum, pretio æstimabilia sunt.*

38 *Officia diuina, & quæuis orationes, etiam priuatæ, sine vitio simoniæ venire non possunt in commutationem pro re temporali seu pretio æstimabili.*

Cùm pauperibus pecunia datur, ea lege, vt orent secundum intentionem dantis, interpretandum id est per modum stipendij.

39 *In susceptione monialium aliquid recipi potest tanquam dos ad personæ sustentationem necessaria. Alioquin pro susceptione ad statum religiosum nihil accipi potest, nisi sponte & liberaliter offeratur.*

40 *Omnis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ materia simoniæ est: tales actus sunt, conferre Ecclesiastica beneficia, eligere, præsentare, dispensare, absoluere &c.*

41 *Labor corporis, qui in spiritualibus officiis per se exercendus est, secundum specificam rationem æstimari non potest: sed qui per accidens coniuncti sunt labores, molestiæ, impensæ, eæ in conpensationem venire possunt.*

42 *Pro ministerio sacro non datur propriè pretium operis, alioquin tantò plus deberetur, quantò dignius ministerium est: sed datur stipendium pro sustentatione personæ operantis.*

43 *Omissio iurisdictionis spiritualis, seu Ecclesiasticæ potestatis materia simoniæ est, quando ob talem omissionem homo auctoritatiuè obligatur, aut detinetur.*

DVo sunt quæ ad omnem simoniacam pactionem concurrere debent: quorum vnum est veluti *pretium*, id est, quæuis commoditas temporalis, cum alia re commutabilis. Alterum est veluti *merx*, id est, res aliqua spiritualis, seu spirituali annexa, quam in commutationem deducere pro re temporali, tanquam pretio, irreligiosum, & sacrilegum est. cùm igitur de simoniæ pretio hactenus dictum sit, sequitur, vt deinceps de materia, ac veluti merce simoniaci contractus dicamus.

ASSERTIO I. Doctrinas, seu instructiones naturalium artium, aut scientiarum, alteri quasi pretio vendere, seu mercede locare, non est simoniacum, neque iniustum, per se loquendo. Ita S. Thom. communiter receptus in 2. 2. quæst. 71. a. 4. ad 2. & quæst. 100. art. 3. ad 3. Prior pars probatur: Simonia est rei sacræ seu spiritualis (id est ad salutem animæ specialiter destinatæ) irreuerens tractatio, eam in commercium pro re temporali adducendo: sed scientia, doctrina, seu instructio rerum naturalium, moralium &c. non est sacra, spiritualis seu ad salutem animæ specialiter destinata, Ergo eam, quasi pretio vendere, siue mercede locare non est simoniacum. Posterior pars probatur: Quia exterior illa actio instructionis, quæ fit voce, aut scriptura; atque ab interna mente, arte, seu scientia dirigitur, communi hominum iudicio, pretio æstimabilis est; & quidem tantò magis, quantò exellentior est ars, peritia, seu industria hominis; quamuis labor corporis, quo tale artificium, doctrina, seu instructio proponitur, exiguus sit. Quamobrem maiore salario conducuntur excellentiorum artium, seu scientiarum Magistri; maiore item, qui in vnaquaque arte peritiores habentur. Ex quo manifestum discrimen colligere licet inter salarium, quod Doctori, vel aduocato datur, & stipendium, quod Ministro Ecclesiæ confertur: id enim sine vitio simoniæ augeri non potest, propter præstantiam ministerii; vt v. g. plus detur Sacellano quàm Concionatori, quia sacrificii opus præstantius est, quàm exhortationis: sed præcisè datur stipendium ad sustentationem personæ alteri in spiritualibus ministrantis, sicuti supra dixi hoc cap. §. 2. numer. 13. 30

Dixi autem in assertione, *per se loquendo*. Per accidens enim iniustitia committi potest; vt si quis duplicatum salarium accipiat, v. g. Professor artium, qui iustum publicum salarium habens, nihilominus à scholaribus collectam exigit; præterquàm si priuata instructione extraordinarium officium discentibus impendat. Qua de re Abb. in c. quia nonnullis, num. 3. de Magistr. S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 5. §. 17. notab. 6. Præterea si Doctor seu instructor non solum æstimet instructionem, quatenus ab ipso proficiscitur; sed etiam, quatenus in discente suscipitur, vt tantò maiorem mercedem exigat, quanto magis, aut breuiore tempore ille proficit: cùm tamen doctrina quam discipulus ingenio, ac labore suo acqui-

rit, ipsius propria sit; consequenter ei à docente vendi non possit, sicuti notauit Suarez cit. lib. 4. de simon. c. 8. n. 12.

Assertio II. Simoniacum non est, neque illicitum pro doctrina Theologiæ scholasticæ, casuum conscientiæ, aut interpretationis Scripturarum iustæ æstimationis mercedem accipere. Ita ex communi Hadrian. quodlib. 9. art. 1. in fine, Caiet. cit. quæst. 100. art. 3. §. ad secundum dicitur, Victor. relect. de simon. p. 1. num. 5. §. dubium tamen particulare, Sotus lib. 9. quæst. 5. art. 1. & quæst. 6. art. 2. Less. cit. c. 35. dub. 13. Suarez cit. lib. 4. cap. 18. contra Palud. in 4. d. 25. quæst. 5. Syluest. ver. simonia, quæst. 10. Probatur: Doctrina, seu instructio discursiua in materia Theologica neque supernaturalis est ex parte principii; neque ex parte finis. Non enim ex parte principii: Quia licet perfectus assensus Theologicus à fide supernaturali & infusa pendeat, ipsa tamen doctrina discursiua, quatenus discipulo proponitur, omnino naturalis, & acquisita est, à supernaturali Fide per se ac necessario non dependens: quod eo argumento colligitur, quia etiam hæreticus, & Fide supernaturali destitutus, imò etiā dubitans de veritate doctrinæ Theologicæ, eandem tamen ex humana, & acquisita peritia, suppositis reuelatis, & communiter creditis Fidei propositionibus, alios edocere posset, sicuti notauit Less. num. 81. Non item ex parte finis: Quia instructio illa discursiua Doctoris per se non ordinatur ad spiritualem animæ salutem: cùm ex se non moueat pium voluntatis affectum; sed solum dirigat intellectum ad discursum naturali facultate sua, suppositis Fidei reuelatæ propositionibus.

Corollarium I. Pro licentia docendi, tum in aliis
31 artibus, ac scientiis; tum etiam in Theologia; itemque pro doctoratu, siue magisterio, sine labe simoniæ, aliquid tanquam pretium exigi potest. Quia publicæ eiusmodi approbationes, & facultates diriguntur ad actus, qui per se spirituales non sunt. Ita docet Suarez cap. 18. num. 14. idque certum esse videtur, spectato iure naturali, ac diuino: Ecclesiastico autem tit. 5. decretal. de Magistris, vel tantùm prohibetur tanquam illicitum, seu iniustum, si Doctores habentes iustum stipendium ab Ecclesia, exactiones faciant ab aliis volentibus in eadem Ecclesia scholas regere, cap. 3. eod. tit. vel si tanquam simoniacum prohibetur in cap. 1. & 2. id non fit vniuersim; sed tantum, si Prælati Ecclesiastici, quibus ratione spiritualis officii, aut iurisdictionis suæ competit, docendi licentiam vnà cum Ecclesiastico beneficio conferre, aliquod concessionis pretium exigere præsumant.

Corollarium II. Tametsi onus cathedræ, siue obligatio docendi beneficio Ecclesiastico annexa sit, non tamen idcirco simoniacus Magister censeri debet, si pro docendi officio à discentibus mercedem exigat. Quia docendi officium, cui Ecclesiastici reditus legitima auctoritate applicati sunt, iuxta cap. 1. & 2. de Magistris, temporale manet: Ergo non est simonia iuris naturalis pro eo pretium exigere: neque iure Ecclesiastico talis exactio vt simoniaca prohibetur in cap. 1. & 4. eod. tit. sed solum vt iniusta, si Magister iustum ab Ecclesia stipendium habeat, cum eo expresso, aut tacito pacto, vt discipulos gratis doceat. Qua de re S. Anton. cit. loco Suarez cit. c. 18. n. 17.

32 Assertio III. Officium, & actio Concionatoris, seu spiritualis prædicatoris, exhortatoris, est materia simoniæ; id est, pro tali officio aliquid temporale tanquam pretium operis, accipere, est simoniæ peccatum contra ius naturale, & diuinum. Sumitur ex cap. 10. Matth. *Euntes autem prædicate, dicentes; Quia appropinquauit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate &c. gratis accepistis, gratis date.* Et docet S. Thom. communiter receptus cit. quæst. 100. art. 3. ad 2. Ratio est: Quia verbum Dei, & Euangelium, quod prædicatores, tanquam os Spiritus sancti enuntiant, est maximum donum spirituale; ad animarum salutem per se, ac principaliter institutum; vt & intellectus eo supernaturaliter illuminetur, & voluntas ad vitam æternam inflammetur. Quod sine gratia Dei excitante, & adiuuante fieri non potest, iuxta illud Christi apud Ioan. 15. *sine me nihil potestis facere*: & Apost. 1. Corinth. 3. *Ministri eius, cui credidistis; & vnicuique sicut Dominus dedit. Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus.*

Loquor autem de exhortatione spirituali & ad finem supernaturalem tendente. At verò ad opus iustitiæ, fortitudinis, alteriusue virtutis moralis, ac naturalis, ob finem politicum, alterum exhortari pro constituta mercede, simoniam non continet, sicuti notauit Suarez cit. cap. 18. num. 33. afferens exemplum pædagogi, qui à patre familias salario conductus est ad filium honestis moribus informandum. Adde ex eod. Suarez num. 24. Ludimagistros etiam pro simplici doctrina Christiana pueris tradenda mercedem accipere posse: quia non tradere eam solent modo exhortatorio, sed sicuti aliarum artium præcepta, exercendo puerorum memorias. Denique num. 21. idem annotauit, pro responso, seu consilio morali mercedem accipi posse: quia per se, ac directè doctoralis aliqua instructio est; licet per accidens, & consequenter inseruiat ad pacandam conscientiam.

Assertio IV. Gratiæ gratis datæ, vt sanitatis, Prophetiæ, itémque gratia sanctificans propriè sunt 33
materia simoniæ. Est communis doctrina, quæ sumitur ex c. eos qui, 1. quæst. 1. & c. sicut pro certo, de simon. & S. Thom. quæst. 100. a. 1. ad 4. vbi ait, à Simone simoniam conuentionalem, à Giezi verò etiam realem commissam fuisse, 4. Reg. 5. Quia iste curationem lepræ ab Elisæo gratis collatam, vendidisse præsumitur, acceptis argenti talentis, atque idcirco *lepram* peccati *hæreditasse*, ait Cyrill. catech. 16. Simon verò oblata pecunia emere voluit potestatem ministerialem conferendi gratiam sanctificantem, vt eandem postea diuendere posset. sicuti supra dixi hoc c. princip.

Notat verò Suarez cap. 9. num. 8. Gratias spirituales duobus modis vendi posse de facto, licet non iure: Primò in concreto; si aliquis v. g. Sacerdotem, propter characterem sacerdotalem, cariùs diuendat; aut alium Christianum, quia prophetiæ aut sanitatis conferendæ dono, vel gratia sanctificante præditus est. Secundò, secundum se, & quasi in abstracto, sicuti apparet in peccatis Simonis, & Giezi.

Assertio V. Sacramenta septem, à Christo Domino instituta, propriè sunt materia simoniæ. Ita habetur in c. cum in Ecclesiæ, de simon. & docet S. Thom. cit. a. 1. ad 6. & toto a. 2. Cæterum; cùm in sacramentis duplex materia sit; remota, & propinqua; remota, quatenus secundùm se spectata res merè temporalis est, v. g. panis, vinum, oleum, pretio vendi potest; dummodo scandalum absit, & iustitia non obliget ad eiusmodi rerum expensas gratis faciendas, v. g. ratione parochialis beneficii; ac denique nulla lex Ecclesiastica prohibeat, sicuti prohibetur Episcopis, ne pro sacro oleo, aut chrismate, quod ad parochias mittunt, aliquid exigant, c. placuit, 1. quæst. 1. c. ad nostram, de simon. Alioquin verò chrisma vendere ratione materiæ si scandalum, & suspicio simoniæ absit, neque iustitia obliget ad ministrandum gratis, non videtur esse illicitum, sicuti docet Vgol. tab. 1. cap. 37. §. 3. num. 3. Sotus lib. 9. quæst. 6. art. 1. ver. Per hæc de vasorum. Verùm pro materia propinqua, quæ fermè in actione transeunte consistit, v. g. absolutione, vnctione, sicuti & pro ipsa forma, seu prolatione verborum, aliquid vt pretium exigere, simonia est aduersus ius naturale;

turale, ac diuinum. Ratio est: Quia sunt actus potestatis spiritualis, qui nullam aliam vtilitatem, vel estimationem habere possint; quam quod ex Christi. institutione, & gratia, ad animarum salutem conferant. quæ tota ratio spiritualis est.

34 Solum notandum est ex doctrina S. Th. cit. a. 2. ad 6. Quod matrimonium non tantum sit sacramentum; sed etiam officium naturæ, seu naturalis, ac politicus contractus, quē ratio sacramenti non destruit, sed supponit. Quare secundū hanc fundamentalē considerationē, dare aliquid puellæ, vel parentibus eius, vt consensū præbeāt, vel internuntiis, vt eūdē procurent, non est illicitū, sicuti colligitur ex c. de illis de condit. appositis. Præterea si personarum aliqua inæqualitas sit, v. g. vna nobilis, altera ignobilis, vna senex, altera iuuenis; eiusmodi inæqualitatem pecunia compensare, illicitum non est. qua de re videri potest Vgolin. tab. 1. c. 46. §. 2. Suarez cap. 10. & seqq.

Denique hoc peculiare habet sacramentum Eucharistiæ, quod ad eius intrinsecam constitutionem non tantum pertineant species sacramentales; sed etiam ipse 35 Christus, Deus verus & homo sub speciebus contentus, sicuti dicam lib. 5. tr. 5. cap. 1. Quapropter vendere S. Eucharistiam non tantùm peccatum simoniæ est, quatenus sacratæ species vilipenduntur; sed etiam aliud sacrilegium altioris & grauioris ordinis immediatè tendens in vilipensionem personæ Christi, iuxta ea quæ dixi c. præced. n. 12. Idque sacrilegium geminum efficitur, si S. Eucharistia venefico vendatur indignè tractaturo: quod peccatum simile est proditioni Iudæ. Quamuis Iudæ peccatum propriè non fuit simoniæ: quandoquidem is Christum Iudæis vendidit, tanquam naturalem hominē; sine vlla æstimatione sanctitatis, diuinitatis, alteriusve spiritualitatis. Quare licet non tantùm iniustitiam, sed etiam sacrilegium grauissimum commiserit; non tamen propriè simoniam, sicuti notauit Suarez cap. 9. num. 4.

ASSERTIO VI. Sacramentalia omnia, siue sacræ accidentales ceremoniæ pro administratione sacramentorum, & Missæ sacrificio ab Ecclesia institutæ, sunt propriè materia simoniæ. Est communis doctrina, sicuti videre est apud Sotum lib. 9. quæst. 6. a. 1. Nau. c. 23. n 99. Suarez cap. 14. & sumitur ex c. cum in Ecclesiæ, de simon. Ratio est; Quia sunt res spirituales; siue considerentur secundùm earum principium; sunt enim supernaturali à Christo accepta potestate institutæ, atq; alicui sacro ordini annexæ: siue considerentur secundū earum finem: siquidem ad spiritualem animarum salutem per se ac directè ordinantur, puta variæ benedictiones, consecrationes, de quibus dicam lib. seq. tract. 9. c. 13.

Exinde colligitur, omnes omnino actus procedentes ex potestate ordinis, siue ex Christi, siue Ecclesiæ institutione, esse materiam simoniæ contra ius naturale, ac diuinum: quia spirituales sunt tam ex parte principii, quam ex parte finis, sicuti colligitur ex S. Th. q. 100. a. 3. & tradunt Canonistæ in c. consulere, vbi Abb. n. 3. de simon. qui addit n. 6. & 7. etiamsi minorum ordinū sacræ functiones, vt Sacrificio ministrare, sacram lectionem legere à non ordinatis, seu laicis peragātur, non posse tamen pro eis pretium exigi, propterea quòd suapte institutione, ac fine, spirituales sint. At verò vendere ipsam materiam rerum sacratarum, secundùm se pretio æstimabilem, vt sacros calices, vestes, numismata benedicta &c. simoniacum non esse, constat.

ASSERTIO VII. Pro iure sepulturæ, siue vt ali-36 quis in certo loco ecclesiæ, aut cœmiterii sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere, simoniacum est, saltem ex iure Ecclesiastico. Quæ est communis DD. sententia S. Th. q. 100. a. 4. ad 3. Anton. cit. c. 5. §. 22. Syl. ver. sepultura, q. 2. & ver. simonia, q. 11. & 12. Binsfeld. super c. audiuimus, de simon. q. 1. Suar. c. 14. n. 15. Et habetur apertè in cit. c. audiuimus, & in c. abolendæ, de sepult. vbi Gl. Abb. & alii Canonistæ.

Sed nota primò ex S. Th. l. c. fundum haud dubiè emi posse ad vsum sepulturæ sacræ, exemplo Abrahæ Gen. 23. Imo in casu necessitatis fundum, in quo ecclesia, vel cœmiterium situm est, vendere non est illicitum; sicuti & ipsam ecclesiam, æstimando saltem expensas, quæ in ea factæ sunt, vel necessariò fieri deberent. Nam huius- 37 cemodi materialia, quibus consecratio, seu spiritualitas quasi accidentaliter annectitur, semper secundū se æstimabilia, & vendibilia manent; ecclesiastica inquam, vasa, & vestimenta sacra: dummodò ipsa consecratio non æstimetur, sed vna cum materiali transeat, sicuti notauit Suar. cit. c. 14. n. 12.

Nota secundò: Licet non possit pro sepultura aliquid exigi vt pretium, posse tamen accipi, si sponte offeratur; itē si diuturna consuetudo introducta sit, vt aliquid detur, absque turpi exactione, specie auaritiæ, illa seruari debet, iuxta c. ad Apostolicā, de simonia & notat Gl. in cit. c. abolendæ, ver. exigere ibid. Abb. n. 7. & in c. suam, n. 4. & 5. de simon. Maior. in 4. d. 25. q. 4. Sylu. ver. sepultura, q. 2. & ver. simonia, q. 11. dict. 1. Vgol. tab. 1. c. 44. §. 2. n. 14. Binsfeld. cit. q. 1. concl. 4.

Nota tertiò: Si quis certū locum ecclesiæ, vel cœmiterii sibi, suæque familiæ tanquā propriū vendicare velit, non videtur esse prohibitum pro tali iure aliquid exigere, præsertim vbi consuetudo viget. Quia talis obligatio incumbens Clericis, quòd alium in eo loco sepelire non possint, videtur esse pretio æstimabilis, sicuti notauit Suar. n. 22. nec dissentit Arrag. cit. q. 100. a. 4. ad 3. Binsfeld. concl. 3. in fine, vbi notat, eandem rationem esse de locis, quæ in ecclesia certæ familiæ ad sedendum iure proprio destinantur, & quasi locantur; atque pecunia his titulis accepta ad ecclesiæ fabricam deputatur.

ASSERTIO VIII. Diuina officia, & quæuis orationes non tantum publicæ, sed etiam priuatæ, sunt propriè materia simoniæ. Est communis doctrina cum S. Th. q. 38 100. a. 3. Quāuis nihil obstat, quominus aliquid petatur v. g. pro officio funebri, & pro processione, crucis gestatione & c. non per modum pretii, sed ratione laudabilis cōsuetudinis; vel ad necessariā sustentationem Ministrorū Vide Syl. ll. cc. Vgol. tab. 1. c. 44. n. 15. Suar. c. 15. n. 7. Porrò pro officiis merè corporalib. vti sunt tumulū facere, ornare, funus gestare, aliquid vt pretium laboris exigi posse, dubitari non debet.

Quod verò ad priuatas orationes attinet, ait S. Th. a. 3. ad 2. Pauperibus dari eleemosynas ex gratuitā beneficentia, ad prouocandū illorum animos, vt gratis, & ex charitate orent. Cùm verò pauperibus pecunia datur ea lege, vt certis horis, aut diebus ad dantis intentionē orare teneantur (quod apud nos Magnates, occurrente aliqua necessitate, facere consueuerunt) interpretandum est ad modū dispendii, quale etiam Sacerdoti dari solet, vt pro certa causa sacrificet, sicuti annotauit Suarez cit. c. 15. n. 9.

ASSERTIO IX. Accipere aliquid tanquam pretiū pro susceptione ad statum religiosum, secundū se simoniacū est; at verò pro sustentatione personæ aliquid accipere, vel exigere, non est illicitum, si Monasteriū inops sit, & regula Ordinis permittat: Sin verò diues sit Monasterium, videtur esse simoniæ iuris Ecclesiastici: quā- 39 uis contraria diuturna consuetudo, quæ in Monialium Monasteriis obtinuit, damnari facilè non possit. Hæc assertio habet quatuor partes, quarum prima indubitata est. Nam status Religionis spiritualis est; consequenter materia simoniæ, aduersus ius diuinum.

Altera pars est S. Th. cit. q. 100. a. 3. ad 4. S. Anton. cit. c. 5. §. 18. Vict. p. 2. relect. de simon. n. 12. Soti lib. 9. q. 6. a. 2. Syl. ver. simonia, q. 15. Angel. eod. ver. 4. Nau. de redit. Eccles. q. 1. mon. 62. Less. cit. c. 35. dub. 12. asserit

3. Binsfeld. in c. 9. de simon. q. 1. concl. 2. Philiarchi t. 2. de offic. Sacerdot. lib. 6. c. 7. Suarez c. 17. n. 7. Nam sicuti in matrimonio carnali considerari potest & ratio sacramenti, & onus sustentandi coniugem, familiámq; cuius intuitu dos à puella exigitur, licet pro sacramento ipso accipere simoniacum esset: Ita etiam in matrimonio spirituali, seu Religionis professione duo considerare licet; & statum spiritualem, & onus alendi personam, quorum posterius temporale, ac pretio æstimabile est.

Tertia pars sumitur ex c. non satis, c. veniens ad nos, c. dilectus 2. c. quoniam, vbi id notat Gl. ver. paupertatis prætextu, de simon. & extrauag. 1. eod. tit. & traditur à S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. ad 7. *Si sine grauamine possit recipi Nouitius, simoniacū est aliquid exigere.* Victor. l. c. Caiet. 2. 2. q. 100. a. 3. circa resp. ad vlt. Rosella ver. simonia, 5. n. 1. Armil. n. 68. Suarez cit. c. 17. nu. 10. & de censuris, disp. 22. s. 5. n. 10. contra Sylu. ver. simon. q. 15. dicto 2. Sotum cit. a. 2. in fine. Philiar. cit. c. 7. Binsfeld. concl. 4. Tolet. lib. 5. c. 89. n. 9. Cùm enim Monasteria sufficienter dotata, & Ecclesiæ auctoritate ita instituta sunt, vt Religiosi gratis recipiantur, & alantur; cessat ius exigendi aliquid ratione sustentationis: consequenter videtur exactio fieri pro ipsa susceptione ad statum, & ius Religionis, quod spirituale est; vt meritò saltem Ecclesiastico iure simoniacum censeri debeat, sicuti colligitur ex citatis iuribus.

Quartam partem tradit Philiarchus cit. c. 7. Binsfeld. cit. concl. 4. & placet Lessio cit. dubio 12. num. 70. Suarez cit. s. 5. num. 13. Cùm enim expediat Monialiū Monasteria sufficientes reditus habere, ne vagandi, aut cum secularibus communicādi occasio ipsis præbeatur, rarò accidet, vt non probabilem titulum exigendi dotem moderatam (præsertim exigente consuetudine diuturna) prætendere possint; quò & de redituum sufficientia securiores sint, & plures etiam, quam alioquin deberent, recipere possint: quam iustam causam esse aliquid in ingressu petendi, docent Caiet. Armilla, Nauar. ll. cc. & colligitur ex Trident. sess. 25. cap. 3. de Regular. Quapropter Summi etiam Pontifices declararunt, nolle se, vt Moniales censuram aliquam incurrant eò quòd ingressu, aut professione suarum aliquid exigant, sicuti testantur S. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 67. Syl. ver. excommunicatio, 7. excommun. 44. Nauar. c. 27. n. 106. excom. 20. Id verò obiter hîc notandum, quod consuetudo diuturna in eiusmodi faciliùs cohonestet, quàm statutum: quia statutum vt aliquid detur in ingressu, prima sua origine exactionem continet, sed consuetudo habere potuit originem voluntariam, vt videl. ipsimet ingredientes in talem consuetudinem sponte consenserint, atque progressu temporis diuturni firmata fuerit, vt in simili docet Abb. in c. cum M. n. 25. de constit.

Porrò de tollendis abusibus, qui fiunt circa apparatus, & sumptus conuiuiorum, in susceptione, aut professione Regularium cum quadam exactione, seu pacto expresso, vel tacito, videri potest Nau. suprà cit. qu. 1. monito, 61. Binsfeld. conclus. 5. Nam eiusmodi consuetudo tanquam corruptela damnatur in dicta extrauag. vbi tamen additur licitum esse cum gratiarum actione recipere, si quid sponte, ac liberaliter sine omni pactione oblatum fuerit. Vide etiam Suarez in cit. c. 17. n. 18. & cit. sect. 5. ad finem.

ASSERTIO X. Omnis actus iurisdictionis Ec-
40 clesiasticæ est materia simoniæ. Est communis assertio, quæ sumitur ex c. ad nostram de simon. vbi generatim prohibetur, ne *pro ministerio Ecclesiastico* aliquid exigatur. Ratio est: quia sicuti potestas Ecclesiastica spiritualis est cum ratione principii tum finis; ita etiam actus ab ea procedentes. Quare simoniacum est, pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis, c. nemo, c. Presbyterorum, de simonia: pro delegatione facultatis ad audiendas Confessiones, vel data alicui licentia eligendi Confessorem, sicuti ex communi notauit Anton. cit. c. 5. §. 16. Suarez c. 19. num. 5. Item pro concessione indulgentiarum: quamuis contributio pecuniæ, ad piam causam applicanda, exigi possit per modum eleemosynæ tanquam requisitæ conditionis ad indulgentiam lucrandam. Similiter pro absolutione à censuris, iuxta c. ad aures, de simon. & omni actu iurisdictionis contentiosæ quidquam accipere prohibitum est in c. cum ab omni, de vita & honest. Cleric. itemque procurationis causa pro visitationib. in quib. tamen permittitur moderata victualia petere, & accipere ab iis, qui visitantur, iuxta c. 1. & 2. de censib. in 6. & Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de reform.

Simoniacum item est, quamcunque dignitatem, curā aut iurisdictionem Ecclesiasticam pro temporali pretio alicui conferre, vel ad eā eligere, præsentare, sicuti colligitur ex c. consulere, de simon. & magis patebit §. seq. Similiter pro actib. voluntariæ iurisdictionis, v. g. pro dispensationib. in voto, iuramento, matrimonii impedimento, irregularitate, aliâve Ecclesiastica lege aliquid vt pretium accipere, simon. est aduersus ius naturale, sicuti docet S. Th q. 100. a. 3. ad 3. & videri potest extrauag. Bonif. VIII. renouata, & aucta à Greg. XIII. constitut. 28. quæ incipit Ab ipso, vbi præter alias pœnas excōmunicatio latæ sententiæ iis infligitur, qui aliquid accipiunt dant, vel promittunt, aut paciscuntur pro impetrata gratia, aut iustitia apud Sedem Apostolicam. Veruntamen nihil obstat, quominus in eiusmodi dispensatione, aut absolutione à censuris aliquid imperetur per modum commutationis, aut mulctæ ad causam piam applicandæ, sicuti notauit S. Th. a. 2. ad 3. Quin & per modum stipendii applicandi Officialibus, aut ipsimet dispensanti, absoluenti, moderatum aliquid petere, vel accipere, non est simonia iuris naturalis: quamuis id sacri canones prohibeant, propter speciem, ac suspicionem simoniæ, sicuti colligitur ex cit. c. ad nostram, & Trident. sess. 25. c. 18. de reform. ac docet Nau. consil. 18. n. 5. de pœnit. & remiss. edit. 2. Vgol. de simon. tab. 1. c. 52. n. 5. Suarez & Less. ll. cc.

Cæterum cum eiusmodi prohibitio ex iure tantum positiuo proueniat, ea non ligari Sum. Pontificem, quominus ex iuxta causa à communi iure discedere possit, annotauit Guil. Redoanus de simonia, p. 1. c. 21. Reb. reg. de dispensat. Gl. 5. n. 13. Vgolin. & Nauar. ll. cc. Quin etiam si in alio episcopatu diuturna consuetudo viguit, vt aliquid in eiusmodi dispensationibus &c. exigatur applicandum Episcopo, aut Officialibus eius, non poterit simoniæ criminis damnari; quia præsumendum est, eiusmodi consuetudinem ex legitima causa, titulo, priuilegio introduci cœptam, huc vsque perseuerasse: quamuis consultum valde esset, tales consuetudines, speciem mali præ se ferentes, tollere: si quidem Episcopi, qui sufficientes reditus habent, ex lege iustitiæ obligati sunt ad stipendia iusta Officialibus suis soluenda, ne pro spiritualibus functionibus aliquid loco stipendii exigere cogātur ab iis quib. administrant, sicuti notauit Sotus cit. q. 6. a. 1. ante resp. ad 1. Less. cit. d. 10. in fine, Suar. cit. c. 15. & colligitur ex c. cùm ab omni de vita & honest. Cler. Quod multo etiam magis obseruandum est in collatione ordinū, in qua ne aliquod munus accipiatur ab Episc. eiusque Ministris, canones seuerius prohibent, sicuti videre est in Conc. Bracar. 2. c. 3. c. si quis Episc. 1. q. 1. quod est Conc. Chalced. c. 2. c. sicut Episcopum, 1. q. 2. quod est Greg. I. lib. 4. epist. 44. & refertur etiam in c. 1. de simon. & Conc. Trid. sess. 21. c. 1. de reform. vbi decernitur, vt *nihil pro collatione quorumque Ordinum etiam clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum Episcopi & alii ordinum collatores, aut eorum Ministri quocunque prætextu accipiant. Notarii verò, si eis nullū salariū st*

constitutum, decimam tantum aurei partem accipere possint. Quæ tamen constitutio pluribus locis nondum recepta est, sicuti notauit etiam Less. cit. dub. 10. n. 62. §. aduerte tamen.

Restant duæ QVÆSTIONES: PRIMA est: Vtrum pro corporali labore, molestia, ac defatigatione, quæ subeunda sunt in spiritualibus ministeriis, v. g. administratione sacramentorum, Sacrificio, ecclesiarum consecratione, pretium, siue mercedem accipere licitum sit?
41 Resp. Vnum hîc certum esse, quod pro labore, & obligatione, quæ sacro ministerio per accidens coniuncta sunt, aliquid vt pretium accipi possit: v. g. si Sacerdos iter milliaris conficere debet ad Missam celebrandam: item si cooperator obligare se debeat ad persistendum toto anno, præsertim pestis tempore. Ita Caiet. cit. q. 100. a. 3. ver. patet tertiò, & in sum. ver. simonia, regula quinta, Nau. c. 23. n. 102. notab. 10. ver. quibus addo, Less. dub. 8. Suar. c. 21. n. 11. Ioan. Chapeauille de modo ministr. sacramenta tempore pestis, c. 1. q. 18. Ratio est: Quia tunc pretium non accipitur pro ipso opere spirituali; sed pro onere corporali, quod illi accidentaliter, ac separabiliter coniunctum est, videlicet pro extraordinario itinere, obligatione tanto tempore permanendi, pestis tempore extraordinarios labores, fœtores tolerandi, vitæ periculum subeundi.

Alterum verò controuersum est; vtrum labor seu defatigatio corporis, quæ per se ac necessario coniuncta est cum sacro ministerio, puta celebratione Missæ, sacra exhortatione, ecclesiæ consecratione, pretio æstimari, aut mercede locari possit? Affirmat Adrian. quodlib. 9. a. 1. Richar. in 4. d. 25. a. 3. q. 3. Bonau. a. 1. q. 4. prope finem, Gl. in c. significatum, de præben. ver. ita quod. Cũ enim omnis labor corporalis mercede locari possit; cõsequenter etiam ille, qui in spiritualibus functionib. subeundus est: iuxta verbũ Christi apud S. Luc. c. 10. *Dignus est operarius mercede sua.* Confirmatur: Vbi est meritũ operationis secundũ iustitiam, ibi merces debetur: quia meritũ, ac merces correlata sunt, iuxta illud Mat. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Sed in Clerico spiritualia ministrante est meritum operationis secundũ iustitiam, sicuti habetur in causa 1. q. 2. c. vlt. ex Concil. Agath. c. 56. *Clerici stipendia sanctis laboribus debita secundum seruitii sui meritum consequantur.*

Sed alii communiter negant, S. Th. in 4. d. 25. q. 3. a. 2. q. 2. Durand. q. 3. n. 10. Palud. q. 5. a. 2. concl. 1. Abb. in c. suam, n. 4. de simon. Syl. ver. simonia, q. 9. dicto 3. Sotus cit. q. 6. a. 1. Suarez & Less. ll. cc. Nam operatio & labor corporis non est pretio æstimabilis, nisi in ordine ad opus, cuius causa suscipitur, si ergo opus spirituale, ideóque inuendibile est: neque corporis labor, per se intrinsecè, ac necessario requisitus, vendi, aut pretio æstimari poterit. Etenim, cum corporalis labor nihil per se proficiat, absque spirituali operis fructu, *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit*, vti habetur in c. si quis obiecerit, 1. q. 3.

Veruntamen existimo, Doctores in re ipsa, sacris canonibus satis definita, non dissentire, ac facile conciliari posse, si dicatur: Quod operatio & labor corporis in spiritualibus ministeriis ad alterius gratiam, voluntatemq; susceptus, duobus modis considerari possit: Vel in ordine ad opus spirituale, secundũ propriã, & specificam eius rationem, vtilitatemque; vel in ordine ad operantẽ, secundũ genericã rationẽ operis aut seruitii in alterius gratiam præstiti. Secundũ priorẽ consideratione, dico cũ S. Th. & communi Doctorũ sententia: Pro labore corporali per se coniuncto cum spirituali ministerio pretiũ accipi non posse: quia æstimanda esset ipsa spiritualis functionis dignitas, atque vtilitas. Secundum posteriorem verò consideratione dico; Ecclesiasticis Ministris, propterea quòd in spiritualibus occupati sunt in gratiã fidelium, ex iustitia deberi temporalia, non vt pretium operis specialis, sed vt sustentationem vitæ. Cum enim omnibus aliis operantibus ad alterius voluntatem necessaria sustentatio naturali iure debita sit, cur non etiam iis, qui in spiritualibus ministeriis occupantur? 42
Quia tamen sustentatio ista non commensuratur valori, dignitati, vtilitatique operis secundum propriam specificam rationem suam, ideo non potest appellari pretium siue æstimatio operis, nisi impropriè & abusiuè, vt idem sit quod merces, id est, quodcunque premium ex iustitia debitum operanti, quamuis non secundum commensurationem operis; sicuti etiam vita æterna dicitur merces operum, licet in proportione multum excedat, iuxta illud ad Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Idque notauit S. Th. q. 100. a. 1. ad 3. Quo etiam sensu Numer. c. 18. decimæ Leuitis dicuntur assignatæ tanquam *pretium pro ministerio*: & Luc. 10. dicitur *operarius dignus mercede sua.*

Sin verò mercedis nomen strictè accipiatur, vt idem sit quod pretium seu æstimatio operis, tunc negari debet pro ministerio Ecclesiastico mercedem exigi posse, sed rectissimè dicitur Ecclesiastico ministro dari stipendium sustentationis; quia datur cum habitudine ad personam operantem: quatenus ea, consideratis qualitatibus, v. g. generis nobilitate, doctrina, studio, & laboribus assiduis, magis indiget, aut digna est. Quemadmodum enim, si persona aliqua constituatur, vt ad voluntatem alterius laboret, sine vllo fructu, & vtilitate, v. g. ædificando, & ædificata mox destruendo; licet huic homini non debeatur propriè pretium operis, cum illud nullius æstimationis, ac valoris sit; debetur tamen merces sustentationis, spectata qualitate personæ laborantis in alterius gratiam: Ita similiter ministranti spiritualia non debetur pretium, aut merces operis, quod licet dignissimum, atque homini vtilissimum, tamen propter spiritualem eleuationem suam, inæstimabile est: sed debetur stipendium sustentationis personæ, sicuti S. Augustin. docet lib. de pastoribus, cap. 2. vbi postquam dixisset, prædicatoribus Euangelii debitum esse temporalem victum, postea subiungit; *Vnde viuitur, necessitatis est accipere, charitatis est præbere; non tanquam venale sit Euangelium, vt illud sit pretium eius, quod sumunt, qui annuntiant, vnde viuant. Si enim sic vendunt, magnam rem vili pretio vendunt; accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à Domino: non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Euangelij seruiunt: non exspectẽt illi mercedem nisi vnde & isti salutem.*

ALTERA QVÆSTIO. Vtrum omissio actus spiritualis materia simoniæ sit, v. g. si Minister pecuniam accipiat, vt officium canonicum non recitet, non sacrificet, pœnitentem non reconciliet: Respondeo: quod 43
non omnis omissio actus spiritualis, quamuis alioquin debiti, propriè est materia simoniæ, sed ea solum omissio quæ est actus iurisdictionis aut potestatis Ecclesiasticæ; ita vt eam non exercere, sit moraliter hominem auctoritatiuè ligare, aut detinere. Prior pars responsionis est ex mente Innoc. in cap. nemo Presbyterorum, de simon. Adriani quodlib. 9. a. 2. in princ. Less. dub. 11. Ratio est: Quia simonia non committitur, nisi spirituale aliquod in commercium, seu contractum veniat: sed omissio operis spiritualis, v. g. Sacrificii, canonici officii, si mera & pura sit, nullumque moralem spiritualem effectum pariens, non est aliquid spirituale; consequenter neque materia simoniæ. Cæterum, si aliquis pecuniam accipiat, non præcisè ac purè, quia opus spirituale in gratiam alterius amittit, quod alioquin exercere vellet, sed tanquam in compensationem iacturæ fructus spiritualis, quem ex opere sacro, v. g. oratione, sacrificio percipere posset manifestam simoniam committit.

Altera pars est ex mente S.Th. q. 100. a.3. ad 3. Palud.d. 25. q. 5. Syl. ver. simonia q. 9. dict. 5. c. 22. n. 9. & habetur expressè in cit. c. nemo, vbi vtrumque simoniacum dicitur, & munus accipere, vt pœnitentē reconcilies; & munus accipere, vt pœnitentē à reconciliatione remoueas: Simile est, si Iudex in foro externo absolutionem à censuris non daturum se spondeat; vel examinator non approbaturum se dignos ad ordines, aut Ecclesiasticum beneficium, propter datam sibi ab altero pecuniam. Ratio est: quia vtrumque horum, videlicet absoluere, & ligatum detinere; approbare, & reprobatum declarare, Ecclesiasticæ iurisdictionis, muneris aut potestatis actus est; ideóque vtrumque simoniacum, si propter pecuniam, siue pretium qualecunque fiat.

§. V.

DE SIMONIA, QVÆ COMMITtitur in beneficiis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

44 *Simonia commissa in beneficiis Ecclesiasticis videtur esse contra ius diuinum.*

45 *Prouentus beneficiorum Sum. Pontifex à titulo spirituali separare potest, eosque vendere absque simoniæ vitio.*

46 *Annatam, seu fructus primi anni ex beneficio spectato iure communi, solus Pontifex sibi deposcere potest: sed per consuetudinem etiam Episcopi quibusdam locis primorum fructuum nomine, aliquid à promotis postulant.*

47 *Pensiones illæ, quæ propriè clericales, seu Ecclesiasticæ sunt; absque vitio simoniæ emi, aut vendi non possunt.*

48 *Pensiones mixtæ, id est, quæ Clericorum propriæ sunt, sed non ob sacrum ministerium designatæ, emi non possunt quamuis redimi possint.*

49 *Non est simoniacum Vicario minuere onus redituum dandorum principali cum pacto voluntariè ab ipso acceptando, vt in ingressu annatam soluat.*

50 *Permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum, si propria pactione fiat sine Episcopi auctoritate, irrita est, & simoniaca ob Ecclesiastici iuris prohibitionem.*

Partes tamen non prohibentur prius tractatum instituere de permutatione, quæ Ordinarii auctoritate perfici debeat.

51 *Omnis commutatio rei spiritualis cum altero spirituali habente annexum temporale, simoniaca in iure censetur.*

52 *Episcopus approbare potest permutationem beneficii cum pensione clericali, non quidem ordinariè, sed in casu speciali alicuius necessitatis.*

53 *Expensæ, quæ de iure faciendæ sunt, in permutatione beneficiorum in pactum propria auctoritate deduci possunt; sed non aliæ.*

54 *In permutatione beneficiorum inæqualitas fructuum impositione annuæ pensionis compensari potest, interueniente auctoritate Papæ, non item Episcopi, excepto casu extraordinario necessitatis.*

55 *Transactio differt à compositione amicabili.*

56 *Orta lite beneficiaria, possunt eam partes amicabiliter inter se componere, non autem propriè transigere.*

57 *Transactio in aliis rebus spiritualibus, præter beneficia, fieri potest inter partes, sine interuentu rei temporalis.*

58 *Omnis pactio in Ecclesiasticis beneficiis, quæ propria auctoritate fit tanquam simoniaca damnatur.*

59 *Episcopus, & Iudex delegatus, parti litiganti per modum transactionis adiudicare potest pensionem annuam, in compensationem expensarum vel ad vitæ necessariam sustentationem.*

60 *Ius patronatus videtur esse materia simoniæ, spectato diuino iure.*

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum simonia in beneficiis Ecclesiasticis sit solum ex iure ecclesiastico, an etiam ex diuino? Priorem partem tenent Canonistæ plerique, cum Gl. in c. ex parte, 1. de offic. delegati, ver. dimittere, & c. cum pridem, de pactis, ver. illicitè, Iul. Clarus lib. 5. sent. ver. simonia, n. 5. Nau. cap. 23. n. 108. ver. nonò, Less. cit. c. 35. dub. 4. num. 26. Nicol. Garcias de benef. p. 1. c. 2. n. 9. Posteriorem vero partem 44
amplexi sunt plerique Theologi. Durandus in 4. d. 25. q. 5. n. 11. Palud. ead. d. q. 4. a. 3. Caiet. t. 2. opusc. tract. 9. de simon. q. 1. Victor. relect. de simon. p. 1. n. 44. Valent. t. 3. disp. 6. q. 16. p. 2. Rodriq. t. 2. sum. c. 56. concl. 3. & 5. & sequitur Couar. reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 8. Abb. c. extirpandæ, §. qui verò, num. 53. de præben. quæ sententia vera est, & sumitur ex c. si quis obiecerit, c. Saluator. c. ex multis, de simon. Ratio est: quia licet in beneficio Ecclesiastico contineatur ius percipiendi temporales reditus, quod secundum se pretio æstimabile est; attamen illud à prima beneficiorum institutione ita connexum, atque fundatum est in spirituali officio, vt non nisi ob illud, seu ratione illius alicui competere possit. Datur enim beneficium, siue prouentus Ecclesiasticus tanquam debitum stipendium, propter officium, siue ministerium spirituale; consequenter, si alicui vendatur ius beneficialium prouentuum, venditur etiam illi ius spirituale exercendi officium, cum sine eo stipendium Ecclesiastici beneficii neque esse, neque intelligi possit: cui consonat regula Paschalis Papæ in cit. c. si quis obiecerit: *Quisquis horum alterum vendit sine quo alterum non prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.* Quæ tamen ratio locum non habet v. g. in vendito fundo, cui ius spirituale patronatus annexum est, neque in calice argenteo consecrato: quia sicuti hæc temporalia suapte natura non pendent ab annexo spirituali; ita etiā secundum se vendi & æstimari possunt, non æstimato spirituali.

Locutus sum autem de reditibus Ecclesiastici beneficii formaliter, & in sensu composito; id est quandiu prouentus Ecclesiastici per auctoritatem Ecclesiasticam nec re, nec virtute à spirituali munere separati sunt, sed iuxta primæuam naturam & institutionem, debentur tanquam stipendium sustentationis pro spirituali munere. Nam inprimis certum est, decimas aliosque Ecclesiasticos prouentus à Sum. Pontifice, tanquam vniuersali Ecclesiasticorum bonorum administratore, re ipsa separari posse à spirituali titulo; vt non amplius debeantur spirituale ministerium, sed propter aliam causam, seu titulum: qua facta separatione, ius prouentuum emi ac vendi posse, nemo dubitat. de quo vide Vgolin. tab. 1. cap. 3. §. 5. Nauar. loc. cit. Suarez cap. 24. num. 23. Virtualem autem seu implicitam separationem cernere potes in hoc casu. Si Papa conferat alicui beneficium Ecclesiasticum, reseruata sibi annua pensione, seu portione redituum; eamque pensionem à titulo spirituali eius beneficii separatam, statim ab initio vendat beneficiato; ita, vt aliter nolit illi gratiam collationis beneficii facere, nisi is in redemptionem pensionis consentiat: non erit id simonia; sicuti neque vsura est, si alicui nolis mutuare pecuniam, nisi is vicissim tibi statim mutuare, aut vendere velit triticum, sicuti suprà dixi libro præcedenti, tract. 4. de iust. cap. 16. num. 3. & docet Suarez cit. cap. 24. num. 30. Simile quiddam est: Si Parochus à Sacerdote pretium exigat, propterea quòd ipsi licentiam det in parochia stipem lucrandi, celebratis Missis, simonia committi videtur: cùm enim stips, siue pecunia detur propter Sacrificium, eo ipso, quod licentia accipiendæ stipis venditur, etiam ius sacrificandi vendi videtur. Si autem parochus, qui propter onera, & administrationem parochiæ, quæ ipsi incumbit, iustè aliquam partem stipis, aut oblationis de Sacrificiis Cooperatoris sui capere potest, cum eodem paciscatur, vt proportione sibi competente, in singulos annos, certam pecuniæ summam numeret, non erit hæc pactio simoniaca, sed iusta venditio.

QVÆSTIO SECVNDA. An simonia sit, si collator beneficii partem aliquam redituum sibi deposcat?

Respondeo, & dico I. Simoniacum haud dubiè est, si collator aliquid exigat pro ipsa beneficii collatione, quippe quæ est spiritualis muneris actus.

Dico II. Non est ex rei natura simoniacum, si collator partem aliquam redituum subtrahat, vt ad Ecclesiasticum aliquem vsum conuertatur; quamuis id in com-
46 modum etiam ipsius conferentis cedat. Etenim tali ratione Sum. Pontifex annatam, id est, primi anni fructus seu integros, seu partem aliquam sibi deposcere solet: de quo videri potest Thomas Campeius tract. de annatarum institut. ac defensione, Azor tom. 2. lib.7.cap.12. Nauar. c. 23. num. 108. ver. octauò, qui id probat ex plenitudine potestatis Papalis: potest enim beneficia extinguere, alia aliis vnire, diuidere, reditus eorum augere & diminuere: potest etiam partem redituum beneficiorum vacantium, & non vacantium, cum consensu beneficiariorum; imò, & sine illo, ob iustam causam applicare alicui bello pio, vel aliis piis operibus, & necessitatibus; & consequenter annatas, vel compositiones necessitatibus Sedis Apostolicæ vel aliis piis operibus applicare.

Sed & Episcopi olim primos fructus ex beneficiis sibi reseruare pluribus locis solebant: cuius rei testis est Gerson p. 2. operum tract. de simon. obiect. 3. Quod tamen iuri communi consonum non est, vti colligitur ex c. vn. Vt beneficia sine diminutione conferantur, vbi id indicat Abb. n. 15. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. ad vlt. & sumitur ex Trident. sess. 24. c. 14. de reform. Imò Nau. c. 23. num. 102. in fine, arbitratur, eo loco reprobari consuetudinem aliquid recipiendi à beneficiariis possessionem capientibus: quod etiam annotatum reperies in declarat. Cardinal. super cit. cap. 14. Verùm hæc Tridentina Constitutio non omnibus locis recepta est: cùm adhuc hodie in quibusdam episcopatibus propter diuturnam consuetudinem nomine primorum fructuum aliquid accipiatur; sed vt talis exactio augeatur, aut de nouo introducatur, permittendum non videtur.

TERTIA QVÆSTIO. Vtrum pensionem emere aut redimere simoniacum sit? De pensionibus vide quæ dixi suprà tract. 2. c. vlt. Quod ad præsentem quæstionem attinet, dico I. Pensiones merè temporales, quæ etiam laicis ob iustam causam designari, ac competere possunt ex Ecclesiasticis prouentibus, sine vitio simoniæ venduntur, ac redimuntur. Est communis assertio, Victor. p. 1. num. 52. Soti lib. 9. quæst. 7. a. 2. Tol. lib. 5. c. 92. Lessij c. 35. dub. 21. assert. 2. Suarez c. 26. n. 5. Nam postquam hæ pensiones à spirituali titulo beneficii legitima auctoritate separatæ sunt, neque spirituales existunt, neque spiritualibus annexæ, consequenter nec materia simoniæ.

47 Dico II. Pensiones propriè spirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, v. g. Concionatori, Coodiutori Episcopi, sine simonia emi, aut vendi non possunt. Est communis etiam doctrina. Cum enim talis pensio, non minùs, quam beneficium Ecclesiasticum in spirituali officio fundatum sit, qui illam emit, aut vendit, spiritualem etiam titulum emere aut vendere censetur, sicuti præter alios docet Nauar. in man. cap. 23. num. 121. & lib. 3. consil. 11. de rebus Eccles. non alien. edit. 2. Quo cum non pugnat, quin pensionarius, retenta obligatione spiritualis officii sui, ipsas temporales pensiones seu fructus alicui ad vitam suam vendere, aut locare possit, absque simoniæ vitio, sicuti notauit Less. dub. 22. n. 122. Suarez n. 10

48 Dico III. Pensiones mixtæ, quæ Clericorum quidem propriæ sunt; verùm non ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam designatæ, v. g propter Clerici paupertatem, senium, litis compositionem, beneficii resignationem, licet emi, ac vendi nequeant, tamen redimi possunt, saltem vbi constitutio Pii V. eiusmodi pensionibus obligationem officii B. Virginis imponentis, recepta non est. Ita docet Tolet. lib. 2. c. 92. Less. cit. dub. 22. n. 125. Binsfeld. de simon. c. 9. q. 2. conclus. 3. Suarez cit. c. 26. Priorem partem probat stylus curiæ Romanæ, quæ eiusmodi venditiones tanquam simoniacas damnat; propterea quòd pensiones clericales similitudinem quandam cum beneficiis gerant, sicuti notauit Nau. l. cit. & consil. 65. de simon. edit. 2. Posteriorem partem, præter citatos Doctores defendit etiam Caiet. t. 1. opusc. tract. 31. resp. 10. Ratio est: Quia redimere pensionem non est emere aliquod ius spirituale; sed extinguere onus seu obligationem temporalem, soluendi annuatim certam summam pecuniæ, aut fructuū: dūmodò talis redemptio non ita instituatur, quasi per eam extingui debeat spiritualis obligatio recitandi officii B. V. ex decreto Pij V. vbi receptum est: tunc enim simonia committi censetur, secundum stylum curiæ Romanæ, de quo testatur Nau. cit. consil. 65. n. 3.

Ex dictis resoluere potest hunc casum: Cuidam Ecclesiæ Collegiatæ parochia incorporata est: ad quam Capitulum Canonicorum constituere solet Vicarium perpetuum, relictis ei omnibus decimis, ac prouentibus, ita tamen vt ex his copiosis parochiæ fructibus 100. aureos Capitulo quotannis soluere teneatur: Simul verò aliud pactum cum Vicario inire solet, vt statim ab initio redimat onus totius pensionis 500. aureis; vel dimidiæ pensionis 250. aureis, vt deinceps nonnisi 50. annuatim pendere cogatur; quæritur, vtrum id absque simoniæ vitio fieri possit? Respondeo, & dico; Non esse con-
uentionem simoniacam, neque illicitam; modò Vicarius ad talem redemptionem non obligetur; sed in libera eius voluntate relinquatur, vtrum malit partem illam fructuum annuatim soluere, an verò totam obligationem, vel partem eius iusto pretio, videlicet quinque annatis, redimere. Nam simonia, omnium consensu, pro materia habet rem spiritualem, vel saltem aliquo modo annexam spirituali: sed in dicta conuentione redimitur res merè temporalis, videlicet obligatio soluendi aliquam partem redituum, quam Capitulum annuatim iustè à Vicario exigere posset. Ergo non interuenit simonia. 49

Dixi autem, *modo Vicarius obligetur*: Nam eiusmodi vicariæ perpetuæ, sicuti & alia omnia beneficia, purè ac simpliciter conferri debent, sine omni pactione seu obligatione: cum alioquin simoniacæ censeantur, saltem ex Ecclesiastico iure, sicuti ex communi notauit Tol. cit. c. 92. assert. 1. Suarez c. 26. num. 20. qui loquitur de Episcopo, cuius episcopatus grauatus est pensione tribuenda Concionatori; & rectè ait, simoniacum censeri Episcopum, si munus concionandi alicui conferat, ea conditione siue pacto, vt is pensionem annuam statim redimi patiatur: non fore tamen simoniam, si constitutus Concionator, in eiusmodi redemptionem liberè ac sponte consentiat. Idem verò accidit in præcedente casu: non enim obligatio imponitur Vicario redimendi portionem annuam, quam Capitulo præstare deberet; sed potius gratia illi fit, quando optio ei datur vel annuatim præstandi, vel statim redimendi.

Neque his obstat, quod fieri possit, vt is, qui por-
tionem, vel quamcunque pensionem Ecclesiasticorum 50
fructuum iusto pretio redimit, primo statim anno moriatur, ideoque fructus, vel pecuniam, quam ab initio soluere cogebatur, nunquā recipiat. Respondetur enim; Posse etiam contra fieri, vt qui pensionem redimit, diu viuat, ideoque ex redemptione magnum commodum ferat. Nihil autem frequentius est, quàm vt aliquis ius pro tempore vitæ suæ emat, vel obligationem pro tempore vitæ suæ redimat, æquali periculo tum commodi, tum incommodi reportandi se subiiciens, sicuti apparet in censu vitalitio.

Similis casus: Titius procurauit Caio parochiam, ex qua ille pensionem annuam 100. flor. percipit; optat autem idem Titius, vt Caius pensionem hanc redimat numeratis semel 100. florenis, vtrum id fieri possit absque simoniæ vitio? Respondeo: Si Titius paciscatur cum Caio, vt ad parochiam suâ industriâ promotus, dictam pensionem redimere teneatur, haud dubiè simonia est. Secus, si Caius ad parochiam ope Titii promotus libera voluntate redimat pensionem, quæ alioquin redimibilis est.

QVARTA QVÆSTIO. Vtrùm sit simonia, beneficium Ecclesiasticum permutare cum altero beneficio? Respondeo, & dico I. Permutatio beneficiorum si priuata pactione, & sine legitima auctoritate Episcopi fiat, non solum irrita est; sed etiam simoniaca, ex dispositione iuris Ecclesiastici, sicuti habetur in c. quæsitum, & cap. cùm vniuersorum, de rerum permutat. Et qui beneficium suum cũ altero propria auctoritate permutare ausus fuit, illud amittere meretur; quod intellige per Iudicis sententiam, iuxta c. olim eod. tit. Nã ipso iure cùm permutatio sine Superioris consensu irrita sit, beneficiũ permutanti, aut renuntianti non amittitur; quia quod nullum seu inane est, nullũ effectum producere potest, sicuti docet etiam Nau. c. 23. n. 105. Quãuis autem spectata rei natura, simoniacum non sit beneficium cum beneficio permutare, cum vtrumque spirituale sit, ideóque cum legitima prælati auctoritate talis beneficiorum permutatio fieri possit, iuxta c. ad quæstiones, de rerum permut. Clem. vn. eod. tit. & docet S. Thom. quæst. 100. art. 1. ad 5. si tamen priuata partium conuentione fiat, periculum est simoniacæ intentionis; ne qui ita permutat, oculum mentis suæ ad temporales vberes reditus conuertens, eos pro tradito spirituali suo beneficio, aut dignitate, emere; vel vice versa, pro tradendo sibi spirituali aliquo officio, vendere intendat, sicuti notauit Nauar. c. 23. num. 100. ver. tertio. Quamobrem positiuo iure omnis eiusmodi pactio circa beneficia Ecclesiastica, tanquam simoniaca, prohibetur, cit. c. quæsitum, c. quam pio, 1. quæst. 2. c. cum pridem, c. vlt. de pactis.

Veruntamen nihil obstare videtur, quominus partes prius inter se tractare, & conuenire possint de permutatione facienda; verùm non absolutè, & quasi per ipsos exequenda sit: sed cum conditione, relata in consensum Episcopi, in cuius manu beneficia resignare velint, gratia permutationis faciendæ, sicuti colligitur ex cap. vn. de permutat. & cit. Clem. vn. vbi Gloss. ver. volentibus *Tractatus permutationis inter partes præcedere potest, tamen ipsa permutatio expeditur Iudicis officio*, & consentit Abb. in c. quæsitum, num. vlt. de rerum permut. Sylu. ver. permutatio 2. q. 5. Nau. lib. 5. consil. 18. de simon. edit. 2. Binsfeld. c. 12. de simon. q. 5. conclus. 3. Suarez c. 32. num 7. qui addit num. 8. Mutuam partium conuentionem non reuocandi, aut impediendi, quantum in ipsis est, permutationem, sed eam Prælato proponendi, in conscientiæ foro validam, & obligatoriam esse: cum nullo iure prohibita reperiatur.

Dico II. Similiter simoniacæ censeri debent omnes
51 pactiones, seu commutationes, quæ fiunt circa actiones, aut iura inchoata, & necessaria ad beneficiorum consecutionem; item commutationes illæ, quæ fiunt circa quæcunque spiritualia, quibus temporale aliquod annexum est consequenter, licet propriè beneficia Ecclesiastica non sint. Ita ex communi docet Nauar. c. 23. num. 100. Suarez citat. cap. 32. num. 14. & seqq. Exempla prioris partis sunt: Si paciscar, me electurum ad episcopatum Titium; vt is, vel alius cui promitto, eligere, præsentare, instituere aut confirmare velit me, vel alterum ad aliud beneficium, cuiusmodi casus ponitur in cap. de hoc, de simon. vbi id notant Doctores & Abb. in cap. cum essent, eodem in fine. Exempla posterioris partis sunt: Si quis beneficium permutet cum vicaria, cooperatura, aut capellania non collatiua, sicuti colligitur ex cit. c. quæsitum, de rerum permutat. vbi generatim dicitur: Simoniacam pactionem esse, quæ fit circa spiritualia, vel connexa spiritualibus. Ratio est, quam præcedenti assertione dedi: Quia quando vnum spirituale cum altero spirituali commutatur, cui temporale commodum annectitur; periculum atque suspicio est, ne id fiat intuitu rei temporalis, adeóque per rem temporalem comparetur ius spirituale quamobrem tales omnes pactiones iure & consuetudine Ecclesiastica tanquã simoniatæ damnantur, sicuti colligunt DD. ex citatis iuribus, &c. cum pridem, cap. vltim. de pactis, c. ex parte, 1. de offic. deleg.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum simoniacum sit permutare beneficium cum pensione, aut portione præstimoniali; In qua quæstione inprimis nemo dubitat, simoniam esse, si talis permutatio sola partium pactione instituatur. Deinde verò supposita distinctione, inter pensiones siue portiones præstimoniales, quæ in titulum beneficii erectæ sunt; & alias pensiones, quæ exutâ beneficii naturâ, vel merè temporales sunt, vel mixtæ & clericales. Respondeo, & dico I. Beneficium cum pensione spirituali siue præstimoniali portione in titulum beneficii erecta, cum Ordinarii auctoritate, permutari potest. Est communis; quam docet Suarez c. 33. assert. 1. Nam tale præstimonium verè beneficium est, sicuti dixi hoc lib. tr. 2. c. 5. n. 6. 52

Dico II. Episcopus iure ordinario non potest approbare permutationem beneficii cum pensione, etiam clericali, quæ non est beneficium. Ita Suarez l. c. Probatur: Episcopus non potest admittere conditionalem resignationem beneficii in fauorem certæ personæ, sed eam tantum, quæ fit causa permutationis cum altero beneficio, sicuti dixi eod. tract. 2. c. 17. n. 6. Pensio autem, de qua hic loquimur, est beneficium. Ergo &c. Cæterum si Clericus, qui ob senium v. g. beneficio præesse non potest, purè illud resignet in manu episcopi, petens sibi necessariam vitæ sustentationem suppeditari; nihil obstat quin Episcopus tale beneficium pensionario alicui conferre possit; eiusque pensionem, si iam vacare incipiat, alteri illi qui beneficium resignauerat, tribuere. Loquor enim de pensionibus, siue portionibus, quæ in aliqua Ecclesia ab antiquo tempore separatæ esse possunt à prouentibus Ecclesiasticorum beneficiorum, vt Episcopi, vel Capituli auctoritate, indigentibus Clericis suppeditentur, sine onere officii horarii.

Præterea, si Titius parochus in morbum inciderit; qui diuturnus existimabatur, ideóque beneficium resignare coactus fuit; quod Episcopus contulit Caio, reseruans tamen pensionem Titio ægrotanti: Postea verò, præter opinionem accidat, vt Titius reualescat, & Caius perpetuum morbum contrahat; quid obstabit, si Episcopus beneficium parochiale, sine præcedente pactione partium, restituat Titio, pensionemque ipsius assignet Caio.

Dico III. De Papa non est dubium, quin possit instituere permutationem beneficii, cum pensione. Si tamen pensio non sit annexa vlli obligationi spiritualis officii, ne quidem officii B. V. recitandi; tunc securius est, vt id non fiat præcedente partium pactione: sed beneficium resignetur Papæ in gratiam pensionarii, adiuncta petitione; vt quia pensionarius pensione sua amplius non indiget, eam resignare iubeatur, vt resignanti, non in pretium resignationis, sed causa sustentationis proueniat, sicuti Suarez n. 10. explicat.

His denique adde, simoniam fore, si partes permu- 53
taturæ, aut resignaturæ beneficium, inter se priuatim paciscantur de expensis ab vno eorum faciendis, sicuti ex communi notat Suarez cap. 35. num. 24. Præter-

quam quatenus expensæ de iure ab aliquo faciendæ sunt, iuxta receptam regulam: *Quod de iure, seu ex iustitia fieri oportet, idipsum in pactum deduci potest, absque vitio simoniæ.*

QVÆSTIO SEXTA. Vtrum sit simonia, in permutatione beneficiorum, fructuum inæqualitatem pecunia, vel pensione annua ex pinguiore beneficio detracta compensare? In qua quæstione consentiunt Doctores, id priuata solùm conuentione fieri non posse, sine labe simoniæ: Dissentiunt verò, vtrum simonia cum sit, si Superioris, puta Episcopi, auctoritas intercedat? Negant Angelus ver. permutatio, §. 6. Syluest. eodem ver. 2. quæst. 6. Less. dub. 17. num. 101. & probant ex cap. ad quæstiones, de rerum permut. vbi Clemens III. respondit, Ecclesias parochiales auctoritate Episcopi permutari posse, ita, vt si possessiones vnius abundantiores sint, excessus pecunia compensetur.

54 Sed contrarium docent Abb. in cit. c. ad quæstiones, num. 3. Adrianus in quodlib. 9. ar. 3. ad quintum, Nau. c. 23. num. 100. notab. 3. Arrag. 2. 2. quæst. 100. art. 4. ver. tertiò est aduertendum, Couar. 1. resolut. c. 5. num. 8. & 9. Vasq. de benefic. c. 2. num. 178. Suarez c. 34. num. 9. Ratio est: Quia fructus siue reditus beneficiales ita annexi sunt spirituali titulo, vt nemini deberi possint, nisi ratione spiritualis præstiti officij, consequenter, qui reditus beneficiales emit, ipsum titulum siue ius officij emere conuincitur, vt suprà etiam argumentatus sum, num. 44. Quare ad euitandam simoniam necesse est reditus à spirituali titulo priùs separari, quàm in contractum, siue commutationem pro pecunia venire possint: cùm autem talis separandi facultas Episcopo iure ordinario non competat, argum. cap. nisi essent, de præbend. sequitur, quòd is approbare non possint, vt vberioris beneficij reditus pecunia compensentur: quamuis id Papa possit, ex plenitudine suæ potestatis, sicuti docet Caietan. 2. 2. quæst. 100. art. 4. verb. ad primum horum, Suarez cap. 34. num. 12. Sed non facilè solet talis modus compensationis etiam à Papa approbari per interuentum pecuniæ, propter speciem ac periculum simoniæ; sed alter modus conuenientior, vt beneficio pinguiori pensio imponatur, soluenda alteri, qui tenuius beneficium accipit. Quod ipsum iure quidem ordinario Episcopo concessum non est; sed fortasse in casu extraordinario necessitatis, aut magnæ vtilitatis, vocatis iis quorum interest, etiam ab Episcopo talis pensio imponi poterit. Vide quæ dixi suprà nu. 52.

Ad cap. ad quæstiones respondent Couarru. & Suarez. ll. cc. ex doctrina Abb. ibid. Sermonem esse de parochialibus Ecclesiis, quæ duabus Conuentualibus vnitæ erant, vnà cum possessionibus, non in titulum beneficij, sed in proprietatem ad Fratrum sustẽtationem: quamobrem tales possessiones quasi temporales censeri solent; atque in permutatione seorsim ac separatæ à iure Ecclesiarum spirituali æstimari, ita, vt quatenus ex vna parte superant, excessus pecunia refundatur, sine ordine ad iura spiritualia, sicuti etiam docent Abbas num. 4. aliique Doctores in cap. cùm venerabilis, de except. Pro quo inseruire potest regula, quam tradunt Canonistæ communiter: Quòd *vnio beneficij facta in perpetuum alicui ecclesiæ operatur extinctionem tituli, vt ampliùs beneficium non censeatur; sed velut prædium ecclesiæ eius, cui vnio facta fuit,* sicuti dixi hoc lib. tract. 2. ca. 9. num. 2.

QVÆSTIO SEPTIMA Vtrum transactio seu pactio onerosa ad terminandam litem beneficialem

55 absque simonia fieri possit? Transactio dicitur, cùm in lite dubia aliquid remittitur, altero retento, aut vicissim petito, l. 1. ff. de transaction. & l. transactio, C. eod. Quare differt à pacto seu remissione gratuita, quæ etiam *amicabilis compositio* appellatur, c. super eo, de transact. Nam qui ita *paciscitur donationis causa, rem certam, & indubitatam liberalitate remittit,* cit. l. 1. vt si aliquis, lite, quam iustè mouere potest, gratis cedat, omnémque actionem remittat: vel si creditor, cui liquidò iure centum debentur, exactis octoginta, viginti remittat: vel si Summus Pontifex, parte debitorum incertorum condonata, reliquum in pias causas erogari præcipiat, censeri non debent propriè transactiones; sed liberales compositiones, sicuti dixi etiam lib. 3. tract. 4. de iust. c. 31. nu. 2.

Nunc respondeo, & dico I. Orta lite de Ecclesiastico beneficio, vel alia re spirituali, non prohibentur 56
partes gratis, & amicabiliter inter se componere. Ita habetur expressè cit. in cap. super eo, vbi Abb. notat num. 2. duobus id modis fieri posse; primò, si vnus spõte & gratis iure suo cedat, litémque deserat: etsi nihil obstet, quominus postea donum ex gratitudine sibi oblatum recipiat. Secundò, si in arbitros compromittant; vt illi parti rem totam adiudicent, quæ potiore iure niti videtur. Et posse vtrumque modum compositionis absque Superioris consensu institui, docet Abb. ibid. præterquam, si oporteat possessorem beneficij illud dimittere, quod sine Superioris auctoritate fieri non potest, sicuti habetur in c. admonet, c. quod in dubiis, de renuntiat. & videri potest Vgol. tab. 1. cap. 29.

Dico II. Transactio simoniaca est, in qua ex vna parte beneficium Ecclesiasticum, ex altera verò parte res temporalis datur, remittitur, retinetur. Ita habetur expressè in cap. cùm pridem, de pactis, cap. super eo, cap. constitutus, de transact. cap. 2. de arbitris. Exempla sunt: Si in lite beneficiaria litiganti pecunia detur, vt à lite desistat; vel ipsi beneficium relinquatur, vt pecuniam offerat, vel pecuniarum debitum remittat: cuiusmodi pactiones in dictis iuribus tanquam simoniacæ damnantur. Eadémque ratio est, si controuersia orta sit de alia quacunque re spirituali, v. g. sacris reliquiis, iure patronatus, eáque per transactionem, interuentu alicuius rei temporalis, ac pretio æstimabilis, dirimatur, sicuti constat ex cit. cap. super eo, & cap. præterea 1. de transactionibus. Ratio est: Quia transactio est reciprocus contractus, & species quædam commutationis: spiritualia autem cum temporalibus commutari non possunt, sine vitio simoniæ.

Dico III. Licet controuersiæ, quæ circa alias res, vel iura spiritualia versantur, terminari possint offerendo, vel retinendo aliud spirituale; id tamen conces- 57
sum non est in materia beneficiali, nisi Prælati auctoritas intercedat. Ita ex communi docet Suarez cap. 51. assert. 2. & 3. Prior pars assertionis probatur: Nam, vt paulò antè dixi, transactio est species quædam permutationis: spirituale autem cum spirituali permutari nihil prohibet, sicuti constat ex cap. ad quæstiones, & cap. vlt. vbi id notat Gloss. ver. temporalia, de rerum permutat. Exempla sunt: Si controuersia orta sit inter Prælatos de iurisdictione spirituali, transactionem facere possunt, diuidendo loca, vel actus iurisdictionis. Si lis orta sit de reliquiis, potest fieri transactio, vt vni relinquatur, qui obligatus sit alias reliquias in compensationem dare. Verùm si materialia ornamenta adiuncta sunt, ea seorsim æstimari, & in commutationem venire debent, sine ordine ad permutationem sacrarum reliquiarum secundùm se. Eademque ratio est, si ecclesia v. g. parochialis cum possessionibus, vel decimæ spirituales alicui Monasterio incorporatæ sint ad sustentationem Fratrum; tunc orta aliqua controuersiâ cum altero Monasterio, transactio fieri potest; ita, vt contractus nõ misceantur, sed iura spiritualia seorsim in commutationem veniant; postea verò temporales prouentus, à pristini extincti beneficij titulo separati, æsti-

mentur, iuxta c. ad quæstiones, paulò antè explicatum.

Posterior pars sumitur ex cit. cap. constitutus, & cap.
58 super eo, vbi id Abb. notat, aliique communiter. Ratio est: Quòd omnis reciproca pactio, conuentio, permutatio in beneficiis Ecclesiasticis, quæ propria auctoritate fit, tanquam simoniaca prohibeatur, Ecclesiastico iure. Verùm cum Prælati, aut Iudicis Ecclesiastici auctoritate, perinde ac permutatio, ita & transactio in beneficiis iusta de causa fieri potest, designando etiã annuam pensionem ex beneficij reditibus soluendam ei, qui alteri beneficium relinquit, sicuti constat ex casu cap. nisi essent. de præben. vbi respondetur; Si duo electi ad aliquam dignitatem, compromittant in Iudicem (ordinarium, aut delegatum) posse eum, tanquam arbitrum, vnum compromittentium confirmare, & alteri pro bono pacis de reditibus prouisionem facere. de quo Abb. ibid. num. 4. Quinimò, etiamsi compromissio fiat in alios arbitros Clericos, cui alioquin nullam super ea causa iurisdictionem habent; posse eos litem componere, vni parti, quæ potiore iure nititur, beneficium adiudicando, & alteram partem præstatione aliqua grauando, colligitur ex cap. 2. de arbitris, vbi Abb. num. 10. & Suarez cit. cap. 51. in fine. Dummodo beneficium non deseratur ab eo, qui illius possessionem iam ceperat, sicuti suprà dixi, & notat Abbas in cap. de cætero, num. 1. de transactionibus. Nulla item pensio annua in beneficio designetur: id enim fieri non potest sine auctoritate Ordinarij; aut saltem Iudicis delegati, iuxta ea, quæ dixi suprà tr. 2. c. 18. n. 3. & notat Abb. l. c. n. 2. Suarez n. 24.

Illud denique Doctores citati, aliique communiter aduertunt, pensionem, aliámue præstationem temporalem, sola prouidentia Prælati, Iudicis, aut arbitri, propter bonum pacis, resignari posse; non item, si partium litigantium pactio, & inchoata transactio antecessit, sicut colligitur ex c. cùm pridem, de præb. Vbi Papa noluit confirmare transactionem à partibus propositam, vel beneficium Ecclesiasticum alteri litigantium cedatur; is verò pro expensis tres marchas argenti soluere debeat, *pro eo quòd videbatur prauam illicitæ pactionis speciem continere.* Si tamen agatur non de sola temporalitate, sed de pensione aliquo modo spirituali, & naturam beneficii participante, qualis dari solet propter spirituale aliquod officium; tunc nihil obstare videtur, quin partes inter se conueniant, eámq; conuentionem Episcopo confirmandam offerant, sicuti suprà dixi in permutatione beneficiorum, & notauit Suarez cit. c. 51. num. 20. Ratio est: Quia in hoc casu non temporale pro spirituali; sed spirituale pro spirituali datur, aut commutatur; quod non ita simoniæ speciem præ se fert, etiam in materia beneficiali, si Ordinarii auctoritas posteà accedat.

59 Illud solùm in dubium vocari potest: Quomodo à simoniæ labe excusari possit, si Episcopus, Iudex delegatus, aliúsue Clericus arbiter designet parti litiganti præstationem merè temporalem, vt à lite beneficiaria recedat? Respondeo, id fieri non posse, tanquam in compensationem dubii iuris, quod pars illa ad beneficium habet; quippe cùm illud spirituale sit, ideóque pretio temporali absque simoniæ vitio non redimatur: verùm aliis de causis seu titulis eiusmodi temporale adiudicari potest parti, quæ à lite beneficiaria recedit, videlicet in compensationem laborum, & expensarum, quas in litigando frustra faceret; vel ad necessariam sustentationem personæ, quæ à iure & actione desistit; ac denique in bonum pacis, & concordiæ, quæ ipsi etiã transigenti vtilis est, adeóque pretio æstimabilis, sicuti notat Suarez cit. c. 51. n. 22. & videri potest Abb. in
60 cit. c. 2. de arbitris, n. 10.

QVÆSTIO OCTAVA. Vtrum ius patronatus sit materia simoniæ, & num ex iure diuino? Ad primã partem certa est responsio affirmans, apud S. Thom. quæst. 100 a. 4. ex c. præterea, de transactione, c. quia Clerici, c. de iure, de iure patronatus, vbi dicitur, si patronatus per se vendatur, venditionem, tanquam simoniacam, irritam decerni oportere. Circa alteram verò partem dissentiunt DD. Nam multi Canonistæ, nominatim Abb. in c. quantò, num. 6. de iudic. Rochus Curtius de iure patron. ver. ius, num. 2. Selua p. 1. de benef. q. vlt. prope finem, & alii, quos citat, & sequitur Binsfeld in rubr. de simon. notab. 7. existimant, ius patronatus non esse quid spirituale secundùm se, sed solùm annexum spirituali antecedenter; ideóque eius venditionem non esse prohibitam, quia ex se mala & simoniaca sit; sed esse malam, & simoniacam, quia sacris canonibus prohibita est; sicuti & venditio chrismatis, officiorum Thesaurarii &c.

Alii verò contrarium rectius docent, Gl. in cit. c. præterea, ad finem. Nau. in rubr. de Iudiciis, num. 30. & alii, quos citat, & sequitur Suarez c. 28. n. 7. Ius patronatus, siue præsentationis licet sit annexum spirituali antecedenter, videlicet Ecclesiastico beneficio; tamen etiam secundùm se spirituale quid esse: *quia nihil repugnat*, inquit Nau. *vt vnum & idem sit spirituale, & annexum spirituali.* Nam sic vasa, & vestes consecratæ spiritualia sunt principaliter propter habitudinem ad Sacrificium, & sacramenta, ad quæ antecedenter ordinantur, sicuti ius patronatus ad Ecclesiasticum beneficium; idque constat ex doctrina S. Th. q. 99. a. 3. Et tamen ipsæ etiam sacræ vestes, & vasa secundùm se spiritualia censentur propter Ecclesiæ institutionem, & consecrationem; & quà talia vendi, aut pretio æstimari non possunt, sine vitio simoniæ aduersus ius diuinum, supposita Ecclesiæ illa institutione. Quare simili modo, si ius patronatus seu præsentationis, Ecclesiastica potestate institutum, secundùm se vendatur, aut fundus, cui tale ius annexum est, illius ratione pluris æstimetur, committitur simonia aduersus ius naturale, & diuinum. Quia venditur id, quod per se, ac intrinsecè spirituale est; siue consideretur ratione principii, à quo promanat, quæ est Ecclesiastica potestas, per quã etiam beneficia instituta sunt; siue ratione proprii actus, quæ est præsentatio ad beneficium spirituale, per quam ipsi præsentato potentia, siue ius saltem passiuum, acquiritur, vt ipse ad beneficium institui possit, atque etiam debeat, idoneus sit, sicuti habetur in c. significasti, de iure patronatus. Quapropter ius præsentandi valde affine est iuri eligendi ad prælaturam: quare sicuti ius illud eligendi secundùm omnes spirituale est, tum ex origine sua, tum ex proprio actu, & obiecto seu termino, ad quem ordinatur; ita & ius præsentandi. Nam de hoc, tanquam principali iure, loquimur, cùm dicimus, patronatum sine simonia vendi posse.

§. VI.

QVOTVPLEX SIT SIMONIA.

SVMMARIVM.

61 *Simonia alia ex naturali iure, alia ex Ecclesiastica tantùm constitutione.*

62 *Officia quædam Ecclesiæ, quamuis circa res temporales, Ecclesiastico iure vendi prohibentur.*

63 *Officia secularis potestatis vendere consultum non est, sed Reipub. perniciosum.*

64 *Papa simoniam incurrere potest, præsertim contra ius naturale, ac diuinum.*

65 *Officiales in Curia Romana, non minus, quam aliorum Prælatorum Ministri simoniam committere possunt, si pro data, aut promissa pecunia aliquid spirituale impetrent: quamuis pro labore accidentaliter coniuncto aliquid sine vitio simoniæ ac-*

tipi possit.
66 *Simonia solo Ecclesiastico iure introducta, est peccatum irreligiositatis; sed non proprie peccatum simonia.*
67 *Simonia alia mentalis est, alia conuentionalis, & alia mixta.*

EXPLICATIS iis, quæ ad essentiam simoniæ spectant; nunc diuisiones eius aggredimur.

Prima diuisio. Simonia alia est prohibita, quia mala est; alia vero mala, quia prohibita est. Ita docet Gloss. communiter recepta in cap. ex parte, 1. ver. remittere, de offic. delegati, Ibid. Innoc. Hostiensis, Palud. in 4. distinct. 25. quæst. 4. a. 2. contra Durand. in 4. d. 25. quæst. 5. Sensus diuisionis est, quòd alia simo. sit quæ iuri natur. ac diuino repugnat: alia verò, solùm quæ ex rei natura simon. non est, sed ex Ecclesia sprohibitione, sicuti explicat Hen. de Gádauo quodlibet 9. q. 26. 61

Porrò non rectè aliquis dixerit; Simoniam iuris naturalis eam esse, quæ circa spiritualia versatur; simoniam verò iuris Ecclesiastici, quæ circa annexa spiritualibus. Fallit enim hæc regula tripliciter; Primò, quia quædam sunt spiritualibus antecedenter annexa, quæ tamen secundùm se sacra & spiritualia sunt; ideóque eorum venditio diuino iuri aduersatur, vt ius patronatus, sacra vasa. Secundò, quia quædam sunt secundùm se quidem temporalia, tamen ita inseparabiliter suapte natura annexa spiritualibus (idque vel concomitanter, vt labor intrinsecus, & per se necessarius ad sacraméta, Sacrificium; vel consequenter, videlicet reditus beneficii Ecclesiastici) vt talium venditio diuino etiá iuri repugnet. Tertio fallit, quia licet materia spiritualis sit, si tamen alterum, quod ad simoniacam pactionem concurrit, non sit propriè temporale pretium, non potest esse simonia iuris diuini, sed solùm Ecclesiastici: idque vel quia temporale non est, sed potiùs spirituale, quod cum altero spirituali commutatur, vt Ecclesiasticum beneficium cum beneficio; vel licet merè temporale sit, tamen non est pretium commutationis, sed donum liberale. qua ratione in Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reform. prohibetur examinatoribus ad beneficia: *Ne quicquam prorsus occasione huius examinis accipiant; alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quàm dantes incurrant.* Et de admissione ad ordines similia habentur sess. 21. cap. 1. de reformat. & de non recipiendis muneribus in visitatione contra Constitut. Innocent IV. sub pœna interdicti Episcopo impositæ; aliis verò inferioribus Clericis sub pœna suspensionis ab officio, ac beneficio, nisi intra mensem duplum restituant Ecclesiæ, à qua acceperunt, cap. exigit, iunct. ca. 1. & c. felicis, de censibus in 6.

62 Quare aliter dicendum est; Simoniam solius iuris Ecclesiastici duplicem esse; Vnam, quæ versatur circa materiam, quæ neque in se, neque proxima habitudine, aut intrinseca dependentia; sed solùm remotè, vel accidentaliter rei spirituali annexa est: cuiusmodi annexio & habitudo non sufficeret ad vitium simoniæ, spectata rei natura: nisi Ecclesiastica constitutio accederet. Hac ratione solo Ecclesiastico iure prohibitum est, ne pro sacro oleo, vel chrismate aliquid exigatur, cap. nó satis, de simon. quamuis alioquin, spectata rei natura, simoniacum non sit, materiam rei spiritualis, pretio secundùm se æstimabilem, vendere, sicuti dixi suprà §. 4. assert. 5. & 7. Præterea in Concil. Chalcedon. cap. 2. relato in cap. si quis Episcopus, 1. quæst. 1. seuerissimè tanquam simoniacum prohibetur, ne Episcopus pro pecunia aliquem promoueat ad officium *dispensatoris*, id est Oeconomi, seu administratoris rerum Ecclesiasticarum; aut *defensoris*, seu Syndici; aut Iudicis circa res temporales Ecclesiæ; vel *Mansionarii*, quæ videtur esse pars œconomiæ, ad distribuendas mansiones Clericis. Vide Vrbanum II. in c. Saluator, 1. quæst. 3. Gl. ibid. & in cit. c. si quis Episcopus, vbi rectè ex textu colligit, idem sentiendum esse de officio Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerii, qui & Magister chori dici potest; item de officio Sacristæ, Thesaurarii seu custodis. Nam licet dicta officia simpliciter temporalia sint, eorundémque actus, & proximum obiectum temporale, ideóque, spectato iure naturali ac diuino, sine vitio simoniæ vendi possint; quia tamen saltem remotam ordinationem ad finem spiritualem & supernaturalem habent, nec non ab Ecclesiastica Prælatorum iurisdictione à Christo concessa, instituuntur; ideo propter seruandum Ecclesiæ decorem, & vitanda incómoda, quæ sequerentur, si talia officia venialia essent, Ecclesiasticis canonibus eorum venditio tanquam simoniaca prohibetur; sicuti colligitur ex citatis iuribus; & plerique Doctores fatentur apud Caiet. ver. simonia, reg. 3. Victor. p. 1. de relect. num. 16. Abb. in cap. consulere, de simon. Suarez cap. 29. num. 4. Quamuis alii qui negant eiusmodi officia, si spiritualem functionem non habeant, & in laicum etiam cadere possint, materiam simoniæ esse, vt videre est apud Innocent. c. 1. Ne Prælati vices suas &c. Syluest. ver. simonia, quæst. 13. dicto 7.

Illud verò certum est; licet officia ipsa, secundùm probabiliorem, & sacris canonibus conformiorem sententiam, vendi non possint, ipsas tamen officiorum functiones, vtpote merè temporales, sine vlla simoniæ suspicione æstimari, & pro mercede, seu pretio propriè dicto vendi, vel potius locari posse, sicuti notauit Suarez n. 13.

De aliis verò merè temporalibus officiis, seu muneribus; quæ à secularibus potestatibus conferuntur, 63 quòd ea vendere per se quidem iniustum non sit; attamen minùs consultum, imò plerumque Reipublicæ perniciosum, docet S. Thom. opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ, Gabr. in 4. d. 15. quæst. 5. in fine, Caietan. in sum. ver. officiorum venalitas, Vasquius p. 1. illustr. controuers. c. 42. 43. Binsfeld. in c. 35. de sim. quæst. 2. conclus. 2. quia hac ratione inepti homines ad publica munera assumuntur, qui subditos iniquis plerumque exactionibus grauant.

Ex dictis dubium resolui potest, quod mouent Canonistæ in c. 1. de simon. Vtrum Papa simoniacus esse possit? Respondeo, & dico I. Summus Pontifex incurrere potest simoniam contra ius naturale, & diuinum. Ita S. Thom. quæst. 100. a. 1. ad 7. Palud. in 4 distinct. 25. quæst. 4. a. 1. Durandus eadem dist. quæst. 5. Nau. c. 23. num. 108. princ. Victor p. 1. num. 39. Syluest. ver. simonia, quæst. 4. Binsfeld. in cit. c. 1. q. 2. Lessius lib. 2. c. 35. dub. 5. Suarez c. 51. Nam Papa perinde ac alii, naturalibus, ac diuinis legibus obligatur, Quamquam, si simoniam committat, ab hominibus iudicari, & puniri non potest, ideóque nec pœnas seu censuras canonum incurrit. Quia *ipse à nemine iudicandus est, nisi deprehendatur à fide deuius*, siue hæreticus, c. Papa d. 40. 64

Dico II. Pontifex non facilè incurrere potest simoniam, quæ ex iure tantùm Ecclesiastico promanat. Hæc est communior Doctorum sententia, vt videre est apud Victor. Syl. Nau. Binsfeld. Suarez ll. cc. Ratio est; Tum quia pleræque simoniæ, iure Ecclesiastico introductæ, peculiari ratione ad inferiores pertinent, non ad Sum. Pontificem, sicuti ostendit Suarez num. 5. Tum quia, si aliqui canones Ecclesiastici circa hanc materiam simoniæ sunt, quorum obseruatio æqua ratione ad Papam pertinere videatur; tamen, occurrente iusta causa, propter quam cum altero dispensare posset, ipse non obligabitur. Verùm si in tali casu, qui rarissimus est, ratio nulla sit ab vniuersali lege Ecclesiastico discedendi, tum etiam Papa simoniæ labem contrahere videtur; cùm & ipse, ex communiore Doctorum sententia, legibus ecclesiasticis, quoad vim di-

trectiuam, obligatus sit, sicuti dixi in lib. 1. tract. 4. c. 9. n. 3. & inter alios docet Victor. n. 39. Binsfeld. conclus. 3. Less. n. 33.

Porrò in Curia Romana simoniam committi posse ab Officialibus etiam aduersus sacros canones, dubitari non potest. Imò etsi Papa id sciat, & dissimulet,
65 non ideo statim præsumendam esse dispensationem, notauit Suarez cit. c. 52. n. 11. Quamuis si diuturno tempore, cum scientia & patientia Pontificis, non obseruetur lex Ecclesiastica, quæ tanquam simoniacum prohibent quod per se malum, atque illicitum non est, tunc ea per desuetudinem abrogata censeri potest. Adde, Officiales Papæ, non minùs, quàm aliorum Prælatorum Ministros, Oratores, & quoscunque intercessores simoniam committere, si pro data, vel promissa pecunia alteri impetrent Ecclesiasticum beneficium, sacrum ordinem, vel aliud spirituale, sicuti docent Innoc. in c. tuam, de ætat. & qualit. Innoc. & Felinus in c. tanta de simon. Syl. ver. simonia, q. 6. Nau. c. 23. n. 106. ver. ad quintum, Suarez c. 53. n. 14. & sumitur ex c. præsentium, 1. quæst. 5. Ratio est: Quia si intercessori, vel laudatori pretium detur propter beneficium impetrandum, emitur quodammodo, & æstimatur ipsum beneficium; tum quia intercessio, propter ordinem ad illud, valorem seu dignitatem compensationis acquirere censetur; tum quia ipsa beneficii collatio prouenit quodammodo ab ipso intercessiore, tanquam causa moraliter mouente collatorem: quare, *paria sunt*, inquiunt, *dare collatori, & dare tertio, vt moueat collatorem ad conferendum.* Si tamen aliquid detur Officiali pro præbendo aditu, vel pro labore accidentaliter coniuncto sæpius eundi, ac redeundi ad collatorem, non erit simoniacum, sicuti Nauar. ibid. notauit, & Suarez n. 17. vbi addit; si Officialis, vel Orator meram exhibeat informationem causæ, vt testimonium veritatis, sine vlla suasione, deprecatione, posse aliquid accipi; propterea quòd officium Aduocati, Informatoris, Testis, etiam in causa spirituali, temporale, ac pretio æstimabile esse possit. Quamuis talia in praxi non carent periculo simoniæ: quapropter si labor, & temporis iactura notabilis est, tutius erit aliquid accipere, solùm per modum stipendii ad sustentationem vitæ.

66 Aliud dubium est: Vtrum simonia solo Ecclesiastico iure introducta, sit verè, propriè, & vniuocè simonia appellanda? Respondeo, & dico I. Esse hoc peccatum contra virtutem Religionis, & speciem quandam irreligiositatis, ac sacrilegii, sicuti præter alios notauit Valent. q. 16. p. 5. contra Duran. in 4. d. 25. q. 5. n. 6. vbi ait, esse peccatum duntaxat contra obedientiam. Probatur assertio: Nam lex positiua, præsertim Ecclesiastica, præcipiens aliquem actum, alioquin indifferentem, ex motiuo alicuius virtutis, facit eum materiam necessariam eiusdem virtutis; & vice versa, prohibens actum, alioquin indifferentem, ex motiuo alicuius vitii, efficit eum moraliter malum sub genere vitii aduersantis eidem virtuti, sicuti videre est in exercente mercatū in loco sacrato, & in fornicante cum consanguinea in tertio, vel quarto gradu: nam prior ille sacrilegium committit, posterior incestum, ex solius Ecclesiasticæ legis prohibitione. Atqui similiter pactiones aliquæ, licet spectato solo iure naturali, ac diuino, simoniacæ non sint, quia tamen similitudinem, atque periculum simoniæ in se continent, ideo Ecclesiasticis canonibus, intuitu religionis, siue reuerentiæ rebus sacris, ac spiritualibus conseruandæ, prohibentur. Ergo dicendum, transgressionem talium legum Ecclesiasticarum esse peccatum contra virtutem Religionis, & speciem quādam sacrilegii, ex genere suo mortalem.

Dico II. Simonia, quæ est contra solum ius Ecclesiasticum, eisdem pœnis, ac censuris in sacris canonibus subiicitur, quibus aliæ simoniæ, quæ iuri diuino aduersantur. Hæc est communior DD. sententia, sicuti fatetur Arrag. 2.2. q. 100. a. 6. dub. vlt. quamuis ipse contrarium sentiat; item Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 436. vbi negat, permutantes beneficium cum beneficio, vel pensionem sibi reseruantes sine Superioris legitima auctoritate, excommunicationem, aut priuationem beneficii ipso iure incurrere. Sed contrarium docet Redoanus p. 3. c. 8. n. 3. Nau. c. si quando, de rescript. except. 4. Suarez c. 55. n. 9. arg. c. cùm olim, de rerum permut. c. de hoc, de simon. iuncta extrauag. 1. & 2. eod. tit. Ratio verò est: Quia licet simonia ex solo iure positiuo descendens, non sit verè, ac propriè peccatum simoniæ; tamen per iuris canonici dispositionem ei æquiparatur, ideóque eisdem pœnis subiicitur, vti notauit Sotus lib. 9. q. 5. a. 2. ante resp. ad argum.

Dico III. Si res exactè consideretur, videtur mihi vera resolutio Soti, & Valentiæ locis citatis, Arrag. 2. 2. q. 100. a. 1. assert. 2. & cit. dub. vlt. Binsfeld. in rubr. de simonia, notab. 12. conclus. 3. & 5. Nullam verè, propriè, atque vniuocè dictam simoniam ex solo iure positiuo oriri posse, quemadmodum etiam fieri non potest, vt contractus, qui sua natura vsurarius non est, per Ecclesiasticam aut ciuilem legem verè, ac propriè vsura fiat. Nam sicut omnis vsura debet esse lucrum ex mutuo, consequenter, vbi hæc ratio reperitur, ibi vsura est contra ius naturale, & diuinum: vbi verò non reperitur, ibi non est verè, ac propriè vsura; quamuis illicitus, ac pœnis vsurariorum subiectus contractus esse possit, propter positiuam legem, vbi ea in vigore est. Sic etiam omnis simonia debet esse emptio, & venditio, id est, reciproca & onerosa commutatio rei spiritualis pro temporali, & pretio æstimabili: quæ ratio vbi reperitur, ibi simonia est iuri naturali, ac diuino repugnans; vbi verò non reperitur, ibi non est verè, ac propriè simonia; licet possit esse pactio irreligiosa, & sacrilega, propter Ecclesiasticæ legis prohibitionem: quod ipsum apertè significat Nau. cit. n. 100. ver. secundò; imò hanc esse communem sententiam Doctorum, ait Valent, l. cit. licet eam impugnet Suarez c. 7. & 29.

Altera diuisio: Simonia alia est mentalis, alia conuentionalis, alia realis. Mentalis simonia dicitur hoc 67
loco, non ea, quæ in sola mente siue proposito consistit committendi simoniam: sed quæ in externum opus transit, quod licet exterius nullo modo, nec per se, nec propter adiuncta, simoniacum appareat, ex sola tamen intentione, & affectione tale est. Videlicet, si aliquis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex iustitia debeat, pro obsequio v. g. temporali ipsi exhibito, licet nulla, nec expressa, nec tacita pactio antecesserit. Et, vice versa, si aliquis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione iustitiæ eam debeat pro re spirituali sibi ab altero collata, nulla prorsus antecedente pactione, sicuti bene explicat Vgol. tab. 2. in fine. Quare simonia mentalis plerumque accidit ex parte tantùm vnius dantium: quamuis etiam contingere possit ex parte vtriusque; sed casu, non ex conuentione, sicuti notauit Suarez c. 41. n. 3. in fine.

Conuentionalis simonia dicitur, quæ in pactionem mutuam, expressam vel tacitam transit; sed reali traditione, seu excutione nondum consummata est. Cuiusmodi simonia, inquit Less. dub. 6. *non tantùm fit verbis expressis & directis, sed etiam obscuris & obliquis; interdum nutibus, vel sola pretij oblatione, in speciem donationis; tamen ex circumstantijs aduerti potest.*

Porrò conuentionalis simonia est duplex; vna purè conuentionalis, cùm ex neutra parte traditio secuta est: altera mixta, cùm vel traditio rei temporalis, siue pretii tantùm facta est, nondum tradita re spirituali, vel, vice versa, traditio rei spiritualis facta est, nondum

tradito pretio temporali. Inter quas simonias hæc posterior detestabilior apparet, & magis accedens ad malitiam & consummationem simoniæ realis. Nam deformitas, & irreligiositas peccati simoniæ in eo consistit, quòd res spiritualis in commutationem veniat pro temporali pretio: id verò consummari videtur hoc ipso, quòd res spiritualis tali intentione propter præcedentem pactionem traditur, sicuti notauit Suarez cit. c. 41. n. 8. & seqq.

Ex quibus etiam patet, quid sit simonia realis, videl. quæ ipsa rei traditione perficitur & consummatur; siue ex parte vnius tantùm contrahentium, quæ dicitur simonia mixta; siue ex parte vtriusq; quæ perfectè consummata, & simpliciter realis est.

Corollarium I. simonia conuentionalis est quasi media inter mentalem, & realem: Quia mentali simoniæ conuentionalis superaddit externam pactionem expressam, vel virtualem: Ipsi verò conuentionali realis simonia superaddit executionem, seu traditionem rerum, de quibus simoniaca conuentio facta est.

Corollarium II. Si quis fictè promittat dare rem spiritualem pro temporali, sine animo se obligandi, ac soluendi, is conuentionalem simoniam non committit: quia non est conuentio sine consensu in obligationem. Eadémque ratione neque is, qui fictè promittit dare rem temporalem pro spirituali, conuentionalem simoniam committit, sicuti rectè docet Caiet. t. 2. opusc. tr. 9. q. 2. Sotus lib. 9. q. 8. a. 1. licet contrarium sentiat Nau. c. 23. n. 106. ver. ad tertium, quem refutat Valent. cit. q. 16. p. 5. Alter verò, qui ita deceptus, dat rem temporalem pro promissa spirituali; vel spiritualem pro promissa temporali, simonia duntaxat interiore ac mentali delinquit; propter quem nulla pœna incurritur: quamuis vterque à Iudice puniri possit, sicuti docet Suarez c. 42. n. 4.

§. VII.

DE POENIS SIMONIÆ.

SVMMARIVM.

68 *Pœnæ simoniacis decretæ intelligendæ sunt, si simonia ex vtraq; parte per traditionem completa sit.*

69 *Nulla simonia iuris pœnam ipso facto inducit, nisi ea, quæ est in Religionis ingressu, ordine, ac beneficio Ecclesiastico.*

70 *Raro propter datum aliquid in ingressu Religionis, etiam virorum, simoniæ vitium incurritur; & non nisi secuta professione.*

71 *Propter simoniacam collationem, & susceptionem ordinum, etiam primæ tonsuræ, incurruntur censuræ excommunicationis, & suspensionis; quæ Sedi Apostolicæ reseruantur.*

72 *Propter simoniam realem, & completam in beneficio Ecclesiastico contrahitur etiam excommunicatio Papæ reseruata; & electio, præsentatio, confirmatio, institutio irrita est: Nihil obstante, quod electus, prouisus &c. id ignorauerit; excepto, si in fraudem pecunia data fuerit; vel si ille expressè contradixerit.*

73 *Simoniacè electus: aut prouisus inhabilis efficitur, quominus per dispensationem Episcopi idem beneficium consequi possit.*

74 *Beneficium simoniacè obtinens alijs beneficijs ipso iure non priuatur; neq; inhabilis fieri videtur ad alia obtinenda, ante Iudicis sententiam.*

SVPPONENDVM est primò; Nullam pœnam iuris incurri propter simoniam mentalem. Ita colligitur ex c. vlt. de simon. & docent Doctores omnes. Imò aliqui arbitrantur, non posse puniri: quia licet à
68 simonia mentali opus externum imperetur, tamen in tali opere simoniaca labes non satis proditur, vt de illa Ecclesia iudicare queat.

Supponendum secundò; Propter simoniam purè conuentionalem nullam pœnam, & censuram iuris incurri, excepta simonia confidentiali, de qua postea. Ita ex communi docet Nau. c. 23. n. 104. Less. lib. 2. c. 35. dub. 27. Suarez c. 55. n. 12. Cùm enim canones, simoniacis censuras inferunt, non meram conuentionem, sed dationem, acceptionem, ordinationem, aliámve realem executionem exprimunt, sicuti videre est in extrauag. 1. & 2. de simon. aliísque iuribus, quæ Suarez allegat n. 53.

Deinde consentiunt Doctores, eam simoniam pœnis canonum subiectam non esse, quæ completa tantùm est traditione rei temporalis: dubitant verò de altera, quæ completa est traditione rei spiritualis, quamuis nondum soluto pretio. Nam per hanc simoniam omnes pœnas iuris incurri, perinde ac si vtrinque completa esset, existimát Caiet. ver. simonia, §. primum est, Sotus lib. 9. q. 8. a. 1. Tolet. lib. 5. c. 93. Nicol. Garcias p. 8. de benefic. c. 1. n. 21. quæ sententia valde probabilis est, quamuis contraria secura, quam defendit Nau. l. c. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 8. n. 7. Armilla ver. simon. n. 4. Binsfeld. in rubr. de simon. notab. 15. obser. 3. Vgol. de simon. tab. 3. c. 5. Less. cit. dub. 27. Binsfeld. c. 46. q. 2. conclus. 5. Nam ita seruari in Curia Romana, testis est Nau. ibid. & alter Nau. lib. 2. de restit. c. 2. n. 428. Ratio verò est: Quia pœnæ, præsertim tam graues, strictæ interpretationis esse debent; vt cùm decernuntur propter aliquem actum peccaminosum, intelligantur de actu omnino completo. Confirmátur ex 1. & 2. extrauag. de simon. vbi excommunicantur; *tam dantes, quàm accipientes* temporale quippiam pro Ecclesiastico beneficio, vel Religionis ingressu; ergo sicuti id explicari potest, ac debet, dummodo electio, vel confirmatio; item admissio, seu ingressus ad Religionem secutus sit; ita similiter, cùm canones censuram decernunt ordinatoribus, electoribus, collatoribus, ipsísque electis, aut prouisis simoniacè, vt in c. insinuatum, c. de simoniacis, de simon. explicari possunt, modò traditio etiam rei temporalis secuta fuerit. Quamobrem non improbabiliter docet Henriq. lib. 13. c. 19. n. 2. lit. i. Less. n. 155. & indicant Nau. cit. n. 104. ante §. succedit autem quæstio, & Couar. suprà cit. n. 7. Licet in foro externo, completâ vtrinque simonia, pœnæ iuris, secundùm stylum curiæ Romanæ, interdum retro trahantur ad tempus factæ conuentionis simoniacæ; tamen id locum non habere in foro conscientiæ, & ante Iudicis condemnationem; ideóque simoniacè prouisum v. g. si, post temporis interuallum, pretium numerauit, non obligari ad restitutionem fructuum antè perceptorum, neque ad resignationem alterius beneficii; quod in dicta simonia nondum omnino completa, & consequenter excommunicatione, & aliis pœnis canonum nondum actualiter ligatus, acceperat. Vide etiam Suarez c. 57. n. 50. & seqq.

Supponendum tertiò; Nullam simoniam, etiam realem, & completam; iuris pœnas ipso facto inducere, 69
præter eam quæ est in Religionis ingressu, ordine, ac beneficio. Ita ex communi Syl. ver. simon. q. 19. Caiet. ver. excommunicatio, c. 72. Nau. c. 23. n. 111. ver. sextò, Binsfeld. in rubr. de simon. notab. 15. obser. 5. Suarez cap. 55. num. 5. Lessius dub. 23. in princ. Quamobrem de his solùm deinceps in specie agendum est.

Quod attinet ad simoniam in ingressu Religionis, primò decreta est ab Vrbano IV. pœna excommunicationis tam dantibus, quàm accipientibus, vti videre licet in extrauag. 1. de simon. Item conuentui seu Capitulo pœna suspensionis; quarum vtraque Sedi Apostolicæ ibidem reseruatur. Existimat tamen Less. n. 131. extrauagantem istam non esse receptam: quamobrem Nau. consil 85. & 87. de simon. edit. 2. in manu c. 23. n. 103. respondit; Non incurri excommunicationem

propter simoniam aliam, nisi quæ est in ordine, & beneficio Ecclesiastico.

Deinde suprà dictum fuit, has pœnas reuocatas esse circa Moniales. Sed & in Religionibus virorum rarò hanc simoniam committi, fatetur Suarez c. 59. n. 7. propterea quòd vel tenuitas redituum Monasterii, vel diuturna consuetudo talem exactionem cohonestare possit. Interdum verò sine obligatione ac sponte aliquid offertur ab ingredientibus, quod nullo modo prohibitum est accipere.

Duo adde: Primum ex Suarez l. c. Licet simonia committi etiam possit dando aliquid pro ingressu, seu receptione ad habitum; pœnæ tamen iuris non incurruntur, nisi professio subsequatur, antequam simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur. Ratio est: Quia cùm talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiendam professionem; eâ non secutâ, non censetur perfectè consummata simonia.

Alterum ex Less. cit. dub. 23. in fine, Vgol. tab. 1. c. 4. §. 4. Suarez c. 57. n. 8. Quod in c. de Regularibus, & c. quoniam, c. dilectus, 2. de simonia, iuncta extrauag. 1. significatur, Religiosos, simoniacè ad professionem admissos, expellendos esse, & in aliud arctius Monasterium ad pœnitentiā agendā includendos, hanc pœnam non obligare ipso iure, & in conscientia antequam à Iudice legitimè infligatur, sed post condemnationem non potest inferior Papā dispensare, seu restituere, præterquam si ignorantia intercesserat, iuxta c. de Regularibus: aut si necessitas postulet vt in eodē Monasterio simoniacus remaneat, iuxta cit. c. quoniam, & docet Suarez c. 61. n. 7.

Neque refert, quòd Nau. comment. 4. de Regular. n. 25. contrarium sentiat; Si quis simoniacè professus sit, licet eius professio valeat, vti omnes fatentur; tamen non acquirere ius sustentationis seu portionis ex reditibus communibus; neque vocis actiuæ, aut passiuæ in Conuentu: cùm hæc sint instar præbendæ canonicæ, cuius simoniacus incapax esse debet. Respondetur enim: Cùm canones collationes beneficiorum simoniacè factas irritas esse decernunt, strictè interpretandos esse; vt non comprehendant monachatum, atque ius illud sustentationis, vocis item actiuæ, vel passiuæ, quod per quamlibet religiosam professionem acquiritur, sicuti notauit Suarez c. 57. n. 9.

Secundò, quod attinet ad simoniam realem, & completam in ordine; per eam incurritur inprimis excom-
71 municatio Papæ reseruata tam ab ordinante, quàm ordinato, vti habetur in extrauag. 2. de simon. Idque intelligendum etiam videtur de prima tonsura: quia per eam, vsitato loquendi modo, aliquis ordinari dicitur, id est, in ordine Clericorum constitui, sicuti ex communi notauit Vgol. tab. 4. c. 3. n. 2. & cap. seq. n. 1. Suarez c. 5. n. 5. contra Less. dub. 24. n. 133. Adde, quod Nau. respondit lib. 5. consil. 59. de simon. edit. 1. Auila p. 3. de censur. disp. 5. dub. 9. simoniam commissam in reuerendis seu dimissoriis commissam censeri in ordine: quandoquidem reuerendæ seu dimissoriæ literæ ordinantur ad ordines, tanquam media ad finem.

Deinde ordinans simoniacè incurrit suspensionem iuris à collatione omnium ordinum, per triennium, spectato iure antiquo, c. penult. de simon. At verò per Bullam Sixti V. editam contra malè promouentes & promotos, suspensus manet *à collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerum pontificalium*; ac denique interdicitur illi ingressus ecclesiæ: & reseruantur hæ censuræ Sedi Apostolicæ, tametsi simonia occulta sit. Ordinatus verò simoniacè incurrit suspensionem ab ordinibus, non tantùm quos simoniacè suscepit, sed etiam omnibus simpliciter, extrauag. 2. de simon. ibi, *omnes, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* quæ est communis sententia apud Abb. c. de simoniacè, n. 5. eod. tit. Syl. ver. suspensio, q. 7. Auil. p. 3. de censur. disp. 5. dub. 9. concl. 1. Suarez t. 5. de censur. disp. 31. s. 4. n. 33. Less. cit. dub. 24. n. 135. Quamuis vterque horum meritò dubitat, an fortè dicta verba explicari possint accommodatè, quòd simoniacè ordinati, à suorum ordinum, quos ita acceperunt, executione suspensi esse debeant, sicuti etiam antiquo iure c. per tuas, 3. & c. penult. de simon. decretum erat; vbi additur, dispensationem super hac suspensione Sum. Pontifici reseruari.

Porrò si ignorante eo, qui ordinatus est alius pretium simoniacè obtulit, nulla censura suspensionis incurri videtur ab eo, qui ignorauit, & culpa caruit, sicuti docet Nau. c. 25. n. 68. Henriq. lib. 5. c. 37. n. 4. Suarez cit. s. 4. n. 40. Less. n. 136. & sumitur ex cit. c. de simoniacè, ibi: *Cùm quidam ipsis ignorantibus simoniacè ordinentur, possunt (quia simoniaci non sunt) in suis ordinibus remanere*, quāuis Gl. ibi dicat *dispensatiuè*; quasi alioquin ministrare non possint, postquam sciuerint, quod etiam docent Abb. in cit. c. de simoniacè, num. 7. Sylu. cit. quæst. 7. dicto 1. Auila citat. dub. 9. conclus. 2. quin & S. Thom. quæst. 100. art. vltim. ad 3. arg. cap. præsentium, 1. quæst. 5. quod tamen non conuincit: quia textus significat, non defuisse omnem culpam in ordinato; ideóque laborasse ignorantia culpabili. Etenim quotiescunque suspensio in iure refertur, censenda est propter culpam imposita: nisi contrarium expressè significetur, sicut exprimitur in c. ex insinuatione, c. nobis, de simonia, & aliis iuribus postea citandis; vt qui beneficium per simoniacam interuentionem, quamuis eius vitii ignorans, adeptus fuit, illud dimittere debeat.

Illud etiam addendū, quod tum mediator seu procurator pecuniam offerens, vt alter ad ordines, vel beneficium Ecclesiasticum admittatur, secuta ordinatione vel collatione, excommunicationem ipso facto incurrat, iuxt cit. extrauag. 2. tum etiam, ac multo magis ipse collator, vel ordinator: consequenter qui postea à tali Episcopo simoniaco, post contractam excommunicationem, ordines accepit, ab eorum executione suspensus est; non tam propter culpam suscipientis, quam propter vitium conferentis: cùm enim ordinator executionem ordinis propter suspensionem, aut excommunicationem non habeat, non potest illam alteri conferre. Vide Couar. c. alma, p. 1. §. 6. num. 6. Suarez de censuris, disp. 31. s. 1. n. 61.

Tertio quod attinet ad simoniam realem, ac completam in beneficiis, inprimis excommunicationem, Sedi 72
Apostolicæ reseruatam incurrit, qui eligendo, præsentando, confirmando, aut instituendo ad beneficium Ecclesiastium, simoniam commiserit, extrauag. 2. de simon. Oportet autem nomen beneficii strictè accipere, vt non comprehendat pensiones, vel vicarias temporales. Deinde omnis simoniacè facta electio, præsentatio, confirmatio, collatio, aut quæuis alia dispositio ad dignitatem, personatum, officium Ecclesiasticum, aut quoduis beneficium irrita est, nullúmque ius per eam acquiritur, neque prouisus fructus suos facit; sed ad eorum omniū restitutionē, sub animæ suæ periculo astrictus est. Ita habetur in cit. extrauag. 2. & in c. Matthæus, de simonia. Insuper monet Suarez c. 57. n. 47. Nomine officiorum Ecclesiasticorum, non ea tantum intelligenda esse, quæ propriè Ecclesiastica beneficia sunt, sed quæcunque spiritualem iurisdictionem, aut administrationem habent; qualia sunt officia Religionis, puta Prioris, Guardiani, Prouincialis, Generalis, non item officia temporalia Custodis, Syndici &c. quæ licet vendi prohibentur, eorum tamen venditio irrita ipso iure censeri non debet.

Simoniacè item electus, vel prouisus inhabilis fit, 73
quominus per dispensationem Episcopi idem beneficiū consequi possit, c. nobis fuit, de simon. c. penult. de elect. Vbi tamen excipitur, si beneficium simplex sit, & prouisus

& prouiso ignorante, ac ratum non habente, simonia ab aliis commissa; post liberam resignationem Episcopum dispensare posse. Quæ exceptio firmat regulam in aliis casibus; vt, si simonia quomodocunque commissa fuerit in adeptione beneficii duplicis; vel in simplici, sciente prouiso, aut electo; vel denique eo ignorante, ac post notitiam non renuntiante, sed Iudicis sententiam exspectante, Episcopus dispensare non possit ad idem beneficium consequendum, sicuti notauit Abb. in cit. c. de simoniacè, n. 7.

Porrò ex iisdem iuribus, &c. sicut tuis, de simonia, constat, irritam esse electionem, confirmationem, institutionem, quæ simoniacè facta fuit, quamuis ignorante electo, confirmato, instituto. quod docet etiam S. Th. communiter receptus cit. a. vlt. ad 3. Abb. c. penult. de elect. Suarez c. 57. n. 35. contra Nau. consil. 95. de simon. edit. 2.

Limita; Nisi aliquis in fraudem eligendi aut instituendi, ipso ignorante, pecuniam largiatur, vt eundem ad beneficium inhabilem reddat: nam talis fraus homini malitioso contra innocentem prodesse non debet, c. nobis fuit, & cit. c. sicut, de simon. Præterea excusatur electus, vel institutus, electióque vel institutio valida reputatur, si is expressè contradixerit, aut prohibuerit, ne simoniaca datio, vel acceptio interueniret; quæ tamen nihilominus eo ignorante facta est. Sed etiamsi in tali casu, beneficio alicui validè, & legitimè collato, postea is simoniam ab altero commissam ratam habeat; valde probabile est, ante Iudicis sententiam non infirmari collationem, quippe quæ semel absolutè, & validè peracta fuit, sicuti docet Nauar. consil. 10. n. 4. de simon. edit. 2. Adrian. quodlib. 9. a. 3. Suarez c. 57. n. 32. & inclinat Less. dub. 25. n. 144. Qui etiam illud rectè notasse videtur n. 138. Si simonia commissa fuerit in confirmatione, vel collatione, propter quam ea irrita existat, non ideo tamen irritam etiam censendam esse electionem, vel præsentationem, arg. c. si confirmationem, de elect. in 6. vbi habetur, si confirmatio irritetur vel irrita declaretur propter defectum substantialem iurisdictionis, non propterea etiam præcedentem electionem, (si aliàs canonica fuit) infirmari.

74 Restant duo dubia: Primum. Vtrum beneficium simoniacè obtinens priuetur etiam suis beneficiis ante legitimè obtentis? Respondeo, talem causa cognita priuandum, ac deponendum esse per Iudicis sententiam, si simonia per culpam eius commissa fuit, sicuti colligitur ex c. Presbyter 1. quæst. 1. c. sicut simoniaca, c. de hoc, de simon. & docent DD. communiter. Ante latam verò sententiam, simoniacus potest in conscientiæ foro beneficia antè legitimè obtenta, ac possessa retinere, & fructus percipere. Ita docent Vgol. de simon. tab. 4. c. 6. §. 6. Henriq. cit. c. 37. n. 5. Auila p. 3. disp. 5. in fine, Suarez cap. 58. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 2. n. 9.

Secundum. Vtrum simoniacus in beneficio ipso iure inhabilis sit, etiam ad alia beneficia obtinenda? Negat Nauar. consil. 91. & 92. de simon. edit. 2. Sed affirmant Vgolin. l. c. Suarez cap. 58. in fine, propter Bullam Pii V. quæ incipit, *Cum primum*, & est 5. in Bullario: Ait tamen Suarez, constitutionem illam secundum hanc sui partem vsu receptam non esse; ideóque opinionem Nauarri in praxi tutam esse; vt necesse non sit dispensationem petere ante Iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis; nisi certò constet, alicubi Bullam illam maiore rigore receptam esse.

§. VIII.

DE SIMONIA CONFIDENTIÆ.

SVMMARIVM.

75 *Simonia confidentialis quatuor modi sunt.*
76 *Simoniæ confidentialis plures pœnæ canonicæ decretæ sunt.*
77 *Beneficium simoniacè renuntians non perdit illud ipso iure; cùm renuntiatio sit irrita.*
78 *Mediator simoniacus non incurrit censuram, nisi simonia, etiam confidentialis, opere completa sit.*

SPECIALIS hæc simonia à summis Pontificibus Pio IV. in Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem*, & Pio V. in bulla quæ incipit *Intolerabilis*, damnata est; contra eos qui beneficium Ecclesiasticum, simplex aut curatum, regulare aut seculare, alicui procurant eligendo, præsentando, confirmando, instituendo, resignando cum certa confidentia, id est, expresso, aut tacito pacto, vt is, cui procuratur, elapso [illegible] tempore, illi ipsi qui procurauerat, vel alteri resignet; vel pensionem, aut fructus ex eo præstet. Vide Nau. c. 23. n. 109. & 110. Binsfeld. rubr. de simon. notabili 16. Nicolaum Garciam de benef. p. 11. c. 3. §. 2. Barth. Vgol. tab. 1. c. 22. Maiolum lib. 5. c. 45. Less. c. 35. dub. 16. Mascard. t. 3. de probat. concl. 1306.

Quatuor modi simoniæ confidentialis distingui solent: Primus dicitur *accessus*, habetque locum in eo qui 75
ad beneficii Ecclesiastici prouisionem concurrit eligendo, præsentando, aut confirmando, si id agat cum certa confidentia, id est, pactione aliqua interueniente, vt beneficium postea ipsimet, vel alteri, v. g. nepoti ipsius resignetur.

Alter dicitur regressus, habétque locum in eo qui renuntiat beneficium in fauorem alterius, cum certa confidentia, quod postea tempore conueniente ad ipsum renuntiantem, vel aliam personam, v. g. consanguineũ eius, idem beneficium regressum fit. Quorum modorũ simoniæ confidentialis mentio fit in Trident. sess. 25. c. 7. de reformat. atque idcirco sacris constitutionibus aduersari dicuntur, quia *hæreditariæ successionis imaginem referunt*. Quapropter ibidem etiam prohibetur, *ne coadiutoriæ cum futura successione permittantur, nisi vrgens necessitas, aut euidens vtilitas postulet, & causa prius diligenter à Sanctissimo Romano Pontifice cognitâ.*

Tertius modus dicitur *ingressus*, si aliquis beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, alteri renuntiet; eâ confidentiâ seu pacto, vt postea eius possessionem iterum ingrediatur, si is, cui resignauerat, mortuus fuerit, vel Episcopus v. g. factus. Quod in fraudem ab iis fieri posset, qui ad beneficium retinendum inhabiles, illud alioquin dimittere deberent, sicuti optimè declarat Vgol. cit. c. 22. §. 2.

Quartus modus tam in renuntiante beneficium, quàm in conferente &c. locum habere potest, si illud alicui obuenire faciant cum prouidentia, seu pacto, vt ex eo pensio, seu pars redituum ipsi renuntianti, aut conferenti, vel alteri personæ, pendatur. Verùm Nauar. consil. 76. num. 6. de simon. edit. 2. Vgolin. tab. 1. c. 22. §. 1. existimant, non esse simoniam confidentiæ, si pensio, vel pars fructuum ipsi dimittenti, vel procuranti designetur; sed solùm si alteri personæ, propter verba Pii V. *Vt beneficium in euentum regressus, vel accessus eidem dimittente, vel alteri postea conferatur; aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concedantur, vel pensiones soluantur ex ipsis, hæc confidentia censeatur.* Secundùm quã lectionẽ atque intellectum, Bullam Pii V. consuetudine receptam

esse, testatur additio Nau. ad consil. 78. Menochius de arbitr. qq. centur. 6. casu 566. in fine, Nicolaus Garcias part. 11. cap. 3. §. 2. num. 163. Less. cit. dub. 16. num. 37. in fine.

Illud porrò rectè monet idem Nauar. consil. 77. de simon. Suarez cap. 43. num. 11. Non confidentialem, sed aliam communem simoniam committi, si aliqui permutent inter se beneficia, cum confidentia seu pacto regrediendi, vel eadem resignandi aliis, v. g. consanguineis. Nam Pontifices absolutè loquuntur de renuntiantibus, seu cedentibus, quo nomine, præsertim in materia tam odiosa, ac pœnali, intelligi non debet renuntiatio, quæ fit causa permutationis. Secùs autem esse videtur, si ipse Episcopus, admittens talem permutationem, paciscatur de parte fructuum inde suo consanguineo v. g. pendenda.

76 Pœnæ contra simoniacos confidentiales à dictis Pontificibus decretæ sunt hæ: I. Episcopi, & alii Prælati superiores interdictum ab ingressu ecclesiæ; inferiores autem pœnam excommunicationis Sedi Apostolicæ reseruatæ incurrunt.

II. Resignatio, vel collatio beneficij, in quo talis simonia committitur, irrita est; & prouisus inhabilis fit ad idem beneficium postea obtinendum. Monet tamen
77 Sa ver. simonia num. 7. quòd *renuntians simoniacè puniri quidem potest, & priuari beneficio; non tamen perdit ipso iure, quia renuntiatio nulla est:* quod autem nullum est, nullum effectum producit. Idem docet Nau. c. 23. n. 105. Garc. ci. §. 2. n. 214. plures alios allegans.

III. Inducitur priuatio omnium beneficiorum, ac pensionum priùs obtentarum: non tamen in conscientia per ipsum Reum exequenda ante Iudicis sententiam, sicuti notauit Vgol. cit. c. 22. § 4. n. 4. Less. cit. c. 35. dub. 26. principio, Suarez c. 43. n. 13. & constat ex iis quæ dixi li. 1. tr. 4. c. 15. n. 6.

IV. Beneficia in confidentiam collata, & accepta Sedi Apostolicæ reseruantur, vt ab inferioribus conferri non possint. Fructus quoque interim malè percepti Cameræ Apostolicæ applicari debent.

Ad extremum notandum est; Ad pœnas istas incurrendas necessarium esse, vt simonia confidentialis opere impleta sit, dato, & accepto beneficio; licet accipiens vicissim suam promissionem non impleuerit, v. g. pensio-
78 nem nondum soluerit. Veruntamen Nauarri doctrinam c. 23. n. 110. ver. adde nouè vndecimò; Quòd etiam mediator simoniæ confidentialis excommunicationem incurrat, Binsfeld. in rubr. ver. postremò suprà dictis, non rectè intellexisse videtur de excommunicatione lata in Bullis piorum Pontificum: cùm ii huius extensionis non meminerint; sed accipi debet de ea, quæ à Paulo II. in extrauag. 2. de simon. lata est contra mediatores simoniæ in beneficio. Quare hæc excommunicatio non incurritur à mediatoribus, priusquam simonia, etiam confidentialis, ab vtraque parte tam accipientis, quàm dantis completa sit, sicuti notauit Suarez cit cap. 43. in fine.

---

§. IX.

DE RESTITVENDI OBLIGATIONE, propter simoniacè accepta.

SVMMARIVM.

79 *Qui simoniacè vendit, ac tradit rem spiritualem, in qua nullum temporale ius, vel commodum habet, acceptum pretium restituere debet danti.*

80 *Sicuti in vsura non est titulus transferendi dominium, ita nec in simoniaca pactione.*

81 *Regula illa, Si turpitudo sit tam ex parte dantis, quàm accipientis, restitutio Ecclesiæ, vel pauperibus fieri debet; ad forum externum, non internum conscientiæ spectat. Vide infra numero 84.*

82 *Qui simoniacè vendit rem spiritualem, in qua aliquod temporale ius siue commodum habet, is pretium, spectato naturali iure, retinere potest ante condemnationem.*

83 *Qui ius patronatus simoniacè vendit, non obligatur ad restitutionem rei acceptæ.*

84 *Qui ob electionem, aut promotionem ad beneficium aliquid simoniacè accepit, satisfacit, si danti restituat.*

85 *Vtrum restitutio pretio simoniacè dato, etiam res spiritualis vicissim reddi debeat, varia consideratio est.*

ASSERTIO I. Qui simoniacè vendit, ac tradit rem spiritualem, in qua nullum temporale ius, vel 79
commodum habet, acceptum pretium naturali ac diuino iure restituere debet danti, nisi is sponte remittat, ac condonet. Hæc assertio est ex mente Adriani quodlib. 9. a. 3. Henrici quodlib. 6. q. 26. Medinæ lib. 2. instruct. c. 14. §. 21. Soti lib. 9. q. 8. a. 1. Bannes 2. 2. q. 32. a. 7. concl. 14. Suarez cap. 59. Sed est contra Caiet. ver. simonia, prope finem, & 2. 2. q. 100. a. 6. Victoriam p. 2. relect. de simon. n. 4. Couar. regula peccatum, p. 2. §. 2. n. 7. Syl. ver. simonia, q. 20. Nauar. c. 23. n. 103. & 104. Philiar. tom. 2. lib. 6. c. 26. qui licet fateantur in simonia conuentionali acceptum pretium restituendum esse danti, ante Iudicis condemnationem, secùs verò dicendum existimant, si simonia vtrinque completa; & opus spirituale præstitum, adeóque causa, ob quam pecunia data est, secuta fuerit: tunc aiunt non danti, sed Ecclesiæ restituendum esse.

Probatur assertio: Quia accipiens pretium temporale pro re spirituali alteri communicata lædit iustitiam cōmutatiuam: Ergo debet parti læsæ restitutionem facere. Antecedens probatur, partim quia res spirituales non sunt pretio æstimabiles, ac vendibiles, vti argumentatus sum suprà §. 1. n. 5. partim quia Ecclesiæ Ministri non domini sunt spiritualium charismatum, sed tantum dispensatores; ad eum modum, quo eleemosynarius à domino pecunias accipit pauperibus, quos dignos iudicauerit, distribuendas. Quamobrem non tantùm aduersus dominum, sed in ipsos etiam pauperes iniuriosus erit, atque ad restitutionē obligabitur, si pro danda eleemosyna, quam gratis dare debet, aliquid exigat. Ita etiam ratiocinandum est de iis, qui spiritualia ministrant pro pretio, agere eos non tantum irreligiosè contra Deum, sed etiam iniuriosè contra homines; ideóque restituendi obligationem ipso naturali, ac diuino iure contrahere, vti significat etiam S. Thom. citat. quæst. 100. a. 6. in corp.

Neque obstat primò; Etsi aliquis obligatus non sit ad spiritualia dispensandum: nihilominus enim, si dispēsare velit, debet gratis dispensare, sicuti & natura spiritualis muneris, & voluntas supremi eorum auctoris ac domini postulat. Confirmatur ex eo; Quòd sæpe nec eleemosynarius obligatus sit, vt det personæ determinatæ; si tamen dare velit, iustitiam commutatiuam violabit, nisi gratis det.

Non obstat secundò; Quòd dans pretium pro re spirituali consensit in illam dationem, ideóque dominium transtulisse videtur. Respondeo enim; Dantem variis modis affectum esse posse, primò vt statim ab initio liberaliter donet in remunerationem, licet alter simoniaca intentione accipiat, tanquam datum ex iustitiæ obligatione. Quo casu fateor, nullam restituendi obligationem contrahi; dummodo accipiens, postea deposito errore suo, probabiliter sibi persuadeat, munus ex liberalitate donatum fuisse. Atque in hoc casu verum est, quod docet S. Th. cit. a. 6. ad 6. & alii apud Binsfeld. c. 46. q. 1. conclus. 2. simoniam mentalem non obligare ad restitutionem, atq. c. vlt. de simonia. Alia verò ratio est, si affectus simoniacus sit tam ex parte dātis, quàm accipientis, vt mox dicam ver. tertiò. Secun-

dò, Vt ab initio quidem simoniacè datum, & acceptum sit pretium; sed postea eius restitutio liberaliter condo-
80 nata à dante: quo in casu secundùm nostram sententiã accipiens retinere poterit, donec à Iudice condemnetur, vt Ecclesiæ restituat. Tertiò, Vt dans rem temporalem pro spirituali nunquam habuerit animum donandi, sed simoniacè dandi; licet hanc intentionem in pactum non deduxerit: hoc casu dico, dominium rei datæ non transferri, ideóque restitutioni obnoxium permanere: quia sicuti in vsura non est titulus accipiendi aut acquirendi auctarium ratione mutui dati; ita in simonia non est titulus accipiendi aut acquirendi quamcunque rem temporalem pro eo, quòd res spiritualis collata fuit, vti indicat Henricus cit. q. 26. & clariùs docent Sotus, Less. Suarez ll. cc. Maior in 4. d. 27. q. 7. Medina li. 1. instruct. c. 14. §. 21. Quamuis hæc similitudo inter vsuram, & simoniam displiceat Gl. in cit. c. vlt. ver. affectu animi, Caiet. Nauar. Philiarcho ll. cc. Valentiæ to. 3. disp. 6. q. 16. p. 6. Confirmatur: Vel dans sciuit simoniaco affectu spiritualia validè emi non posse, vel ignorauit: si ignorauit, error iste inuoluntarium efficit: si autem sciuit, tunc non nisi materialiter, & sine intentione abdicandi à se dominiũ, pretium dedit, quia aliter rem spiritualem consequi non potuit.

81 Non obstat tertiò; Quòd turpitudo delicti tam dantem, quàm accipientem afficiat; ideóque dans indignus esse videatur, vt ipsi restitutio fiat, arg. l. 2. C. de condict. ob turpem causam. Quamobrem S. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. in corp. & q. 62. a. 5. ad 2. Hadr. quodlib. 9. a. 3. Couar. regula peccatum, p. 2. §. 2. n. 6. & 7. Syl. cit. q. 20. dicto 2. Nauar. cit. n. 105. Less. dub. 31. & alii generatim aiunt, quæ simoniacè accepta fuerunt, ea post præstitam rem spiritualem non danti; sed Ecclesiæ, vel pauperibus restituẽda esse. Sed contraria sententia mihi placet, quæ est Soti, Barthol. Medinæ, Bannes ll. cc. Ioan. Medinæ q. 20. de restit. ver. sunt tamen in hac, & clariùs in q. 4. de rebus per vsuram acquisitis, §. his non obstantibus, ver. ideo videtur dici aliter posse, Suarez cit. c. 59. n. 27. ad 4. & cap. 60. n. 1. Quia nulla lex Ecclesiastica afferri potest, quæ ante omnem Iudicis sententiam, in conscientia obliget, vt acceptum simoniacè ad pios vsus conuertatur. Quamuis hoc ipsum in pœnam delicti à Iudice iustissimè decernatur, iuxta ci. l. 2. & l. si ob turpem, ff. eod. A quibus ciuilibus constitutionibus non dissentiunt canones; imò consentiunt, vti colligitur ex c. audiuimus, de simon. vbi Episcopus accipiens pecuniam pro beneficii collatione dãnandus esse dicitur, vt *duplicata restituat in vtilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter conuertenda.* Quare rectè dicitur apud Sa ver. simonia, num. 10. *Ante sententiam ei à quo accepta est simoniacè pecunia, reddenda est, post sententiam pauperibus, vel Ecclesiæ.*

Corollarium. Qui aliquid temporale pro Sacrificio, sacramenti ministratione, consecratione, benedictione, vel simili functione merè spirituali accepit, tanquam pretium spiritualitatis, is tenetur ad restitutionem; nisi ipsi alter sponte, ac liberè condonet. Dico tanquam *pretium spiritualitatis*; Quia si aliquid accipiat, tanquam stipendium vitæ, quod omni laboranti in gratiam alterius iure naturali debitum est, non tenetur ad restitutionem, nisi post Iudicis condemnationem, si aliquid acceptum fuit, in casu, quo id lex Ecclesiastica prohibet. Imò etiam, spectato iure naturali, Minister, qui ratione officii, ac decimarum, ex iustitia obligatus est sacra ministeria fidelibus præstare; si prætereà aliquid indebitè exigat, eisdem restituere tenetur. Eadémque ratio est, si Episcopus, aliúsve Ecclesiæ Prælatus vendat beneficia, aliáve officia Ecclesiæ, etiam temporalia, quorum collatio ad ipsum ratione muneris sui pertinet: siquidem illorum dominus non est, sed dispensator à Deo constitutus, sicuti notat Suarez cap. 59. numer. 13. confirmans id exemplo œconomi à patrefamilias constituti, vt distribuat officia domus; item hæredis à testatore grauati, vt legata pia, aut dotes distribuat.

Assertio II. Qui simoniacè vendit rem spiritualem, in qua aliquod temporale ius, siue commodum habet, is 82
pretium, spectato iure naturali retinere potest; si neque à iure, neque à Iudice ecclesiastico condemnetur. Ita docet Less. dub. 28. nu. 160. Suarez c. 59. n. 35. arg. c. vlt. de simon. Ratio est: Quia licet venditio eiusmodi rei spiritualis, habentis annexum commodum temporale, simoniaca sit; tamen non est iniusta, si temporalis commoditas, quæ in alterius gratiam dimittitur, iusto pretio compensetur. Exempla sunt: I. si quis Ecclesiasticum beneficium alteri simoniacè vendat.

II. Si quis officium temporale Ecclesiæ, v. g. Custodis, Syndici, alteri contra sacros canones vendat. Monet verò Suarez, vtrumque horum intelligendum esse de renuntiante, seu cõmodo temporali præbẽdæ aut officij se abdicante, in gratiã alterius, non item de conferente; quippe qui ex proprii muneris obligatione, Ecclesiæ officia, & beneficia dignis dispensare debet, & quidẽ gratis, sicuti annotauit etiã Sotus lib. 6. q. 8. a. 1. ad sext. arg.

III. Si Monasterium pro admissione alicuius ad Religionem, simoniacè aliquid accepit, non tenetur ad restitutionem, sicut colligitur ex c. vlt. de simon. Ratio est: Quia susceptio ad Religionem habet annexum onus sustentandi personam, quod pretio æstimabile est. Verùm si Religiosus propterea, quòd simoniacè professus sit, ad aliud Monasterium transeat, vel transire compellatur, tunc pecunia, quam dederat, ipsi restitui debet, vt illam ad alterum Monasterium tanquam dotem secum adferat. qui videtur esse sensus cap. veniens, de simon. sicuti notauit Gl. in cap. de hoc, ver. restituant, eodem titulo.

IV. Qui ius patronatus vendit, datum sibi pretium
retinere potest, secundùm eundem Suarez n. 42. Nam 83
licet ius patronatus simpliciter spirituale sit; eiúsque proinde venditio simoniaca; non tamen iniusta; si attendatur ad temporalem commoditatem, v. g. honorem humanum, qui secundùm se pretio quodammodo æstimari potest, quamuis irreligiosè, eò quòd in iure spirituali fundatus sit. *Idémque dicendum* ait Suarez, *de quacunque re sacra, etiam vt sacra est, si possessio eius habeat temporalem commoditatem adiunctam; siue illa commoditas consistat in lucro, vt solet esse in miraculosa imagine; siue consistat in aliquo speciali honore humano, vel voluptate peculiari quam aliquis capit ex vsu vel possessione talis rei.*

Dixi autem in assertione; Pretium retineri posse, *nisi vel à iure, vel à Iudice Ecclesiastico restitutio imperetur.* Vbi de Iudice nihil ampliùs dicendum est, quàm ab eo condemnari posse simoniacè accipientem, vt pretium Ecclesiæ, vel, si ita videbitur, eiusdem Ecclesiæ pauperibus restituat, sicuti DD. communiter docent. Iura autem Ecclesiastica, quibus simoniacus ipso facto condemnetur ad restitutionem Ecclesiæ faciendam, difficile est assignare: quamuis in hoc casu, quo aliquis pretium accipit pro renuntiatione beneficii; vel pro electione, aut præsentatione ad illud, consentire videntur DD. ante omnem Iudicis sententiam incumbere restituendi obligationem. Arbitror tamen id non proficisci ex sola lege Ecclesiastica, sed, hac supposita, ex naturali, & diuino iure. Nam Ecclesia dat potestatem eligendi, assentiendi, præsentandi ad Ecclesiasticum beneficium, cum conditione, vt id gratis, nullóque pretio accepto præstetur; similitérque dat alicui beneficium ita, vt nullum ius habeat illud in pactum onerosum, ac simoniacum deducendi; adeò quidem, vt omnes eiusmodi pactiones ac commutationes ex vtraque parte irritæ sint; & consequenter obligatio restituendi incumbat, sicuti colligitur ex c. de hoc, de simon. ibi: *Cùm ea*, quæ ab Episcopo receperunt, *sine graui suæ salutis periculo retinere non possint.*

Sed tunc quæstio est; Cuinam in tali casu simoniacus collator, elector, aut præsentator restitutionem facere debeat? Communior est responsio, quòd non danti; sed Ecclesiæ illi, in cuius iniuriam simonia commissa est. Ita S. Tho. q. 32. a. 7. & qu. 62. a. 5. Abb. in cit. c. de hoc. n. 5. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 2. nu. 6. Victor. p. 2. relect. de simon. n. 6. Suarez ca. 60. nu. 8. Quamuis aliqui dicant, consuetudine obtentum esse, vt pauperibus restituere liceat. Sotus vero loco cit. Bánes cit. a. 7. dub. 2. concl. 4. Sa ver. simonia, n. 10. & alii recentiores apud Less. dub. 31. n. 171. non improbabiliter docent, ante Iudicis sententiam restituendum esse
84 ei, qui dedit; propterea quod nulla lex Ecclesiastica afferri possit, quæ disertè præcipiat, Ecclesiæ restituendum esse, ante sententiam. Nam ad cit. c. de hoc, responderi potest; Regem illum ac Principes in conscientia quidem obligatos fuisse ad restitutionem pecuniæ acceptæ, propter assensum præstandum electioni Episcopi Oximensis, verùm vt Ecclesiæ restituerent, id Papæ, & Episcopi auctoritate iniungendum fuisse: vel fortasse pecunia illa ex bonis Ecclesiæ accepta fuerat, ideóque eidem *sine diminutione restituenda.*

Neque obstat, quòd Nauar. lib. 5. consil. 89. de simon. edit. 2. obiicit: Turpiter acceptum restituendum non esse turpiter danti, cùm sit in pari turpitudinis causa: nam regula illa locum habet in foro externo, in quo Iudex in pœnam delicti dantem priuabit commodo restitutionis, quæ ipsi, spectato alioquin naturali iure, deberetur, cùm titulus accipiendi iniustus, & irritus fuerit. Id verò rectè adiicit idem Nau. in fine dicti consil. Si is, cui restitutio fieri deberet, eam liberaliter remittat, cessare omnem restituendi obligationem.

Sequitur, vt dicamus; Vtrum iis casibus, quibus pre-
85 tium simoniacè acceptum restitui debet; etiam res, quæ pro pretio simoniacè data fuit, danti restituenda sit? Circa quam quæstionem aduerte primò; Si reciproca traditio siue commutatio simoniaca tantum fuit, non item iniusta; tunc sicut pretium retineri potest vsque ad Iudicis condemnationem, ita & res, quæ pro pretio data fuit; puta officium temporale Ecclesiæ, pensio clericalis quæ in beneficii titulum erecta non est, item ius patronatus &c. sicuti docet Suarez c. 57. n. 13. & 14. Propterea, quòd nullum ius Ecclesiasticum extet, quo horum venditio simoniaca, etiam irrita decernatur. Deinde si pretium simoniacè, atque iniustè acceptum sit pro spirituali functione transeunte, v. g. sacra ordinatione, vel alterius sacramenti collatione, Ecclesiæ vel calicis consecratione, tunc licet ea valida sit, secundùm omnes, nihilominus tamen pretium restituendum est, iuxta ea quæ suprà dixi assert. 1. Quamobrem hoc casu obligatio restituendi vni tantùm simoniacè commutantium parti incumbit.

Igitur dicendum nobis restat de rebus sacris permanentibus, iniustè pariter ac simoniacè datis pro pretio: cuiusmodi sunt officia & beneficia Ecclesiastica, sacra vasa, vestimenta, reliquiæ, quando in eorum commutatione, seu venditione ipsa met spiritualitas æstimatur. Et quidem de Ecclesiasticorum beneficiorum renuntiatione, collatione, electione, iam suprà dictum fuit, irritas omnino esse, si per simoniam fiant; ideóque beneficia retineri non posse, sed vnà cum fructibus relinquenda esse, sicuti colligitur ex extrauag. 2. de simon. Eadémque ratio est de Ecclesiasticis officiis. Quod verò attinet ad alias res sacras permanentes, distinguendum mihi videtur; Vtrum in iis, quod spirituale est, tanquam principale se habeat, an verò tanquam annexum, seu accessorium. Ad prius membrum pertinere videntur vasa, & vestes sacratæ, quæ si cariùs vendantur propter spiritualem consecrationem, excessus pretii restitui quidem debet; sed contractus validus esse videtur; quia vtile per inutile, præsertim annexum & accessorium, vitiari non debet. Ad alterum verò membrum pertinere videntur sacræ reliquiæ, quæ si vendantur ratione spiritualitatis, cōtractus irritus est; ideóque restituto pretio, restituendæ etiam videntur reliquiæ, tanquam datæ sub causa & conditione acquirendi pretii; licet aliter sentire videatur Suarez c. 59. n. 33. Sed hæc sufficiant, adeóque finem imponimus etiam huic libro de materia Religionis, ex animo optantes, vt omnia ad Dei optimi gloriam cedant. Amen.

FINIS.

THEOLOGIÆ MORALIS LIBER QVINTVS.

DE SACRAMENTIS, ET SACRIFICIO NOVÆ LEGIS.

AVCTORE PAVLO LAYMANN,
SOCIETATIS IESV THEOLOGO.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus Petri Billaine, viâ Iacobæa, ſub ſigno bonæ Fidei.

M. DC. XXVII.



LIBRI QVINTI TRACTATVS PRIMVS. DE SACRAMENTIS IN COMMVNI.

CAP. I.

DE NOTIONE AC definitione Sacramenti.

SVMMARIVM.

Inter varias sacramenti acceptiones, ea ad propositum nostrum spectat, pro sacro signo, & cæremonia, quâ homo Deo sacratur, seu initiatur.



SACRAMENTVM à *sacro* deriuari, notissimum est: Eius apud veteres Romanos, ac profanos Scriptores duæ significationes reperiuntur. Primò apud Varronem lib. 4. de lingua latina, Sacramentum dicitur pecunia, à duobus in iudicio contendentibus pignoris loco deposita, ita vt qui vicisset, suam partem auferret; qui victus esset, ærario relinqueret. Secundò, omne religiosum iuramentum, seu quod iuramento affirmatum est, sacramentum latinè dicitur, sicuti etiam notaui lib. præced. tract. 3. c. 1. principio.

In sacra autem Scriptura, & apud Ecclesiasticos Scriptores, sacramentum idem est, quod *μυστήριον*, Mysterium autem tribus modis accipitur, vti Bellarm. obseruauit lib. 1. de Sacrament. cap. 8.

Primò, pro re arcana & occultanda, præsertim si sacra sit, Sapien. 2. *Nescierunt sacramentum Dei*, Prouerb. 20. *Qui reuelat mysteria*, id est, secreta amicorum. Matth. 13. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Ad Ephes. 1. *Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ.* 1. ad Corinth. 13. *Si nouerim mysteria omnia*, id est, sacramenta, vti vertit S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio, c. 17.

Secundò, pro signo rei latentis, præsertim sacræ, vt Danielis 2. v. 19. *Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est.* Et infra vers. 30. *Mihi sacramentum hoc reuelatum est*, videlicet, quid statua Nabuchonosor significaret. Apocal. 17. v. 5. *In fronte eius*, meretricis magnæ, *nomen scriptum, Mysterium.* Et v. 7. *Ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam*, id est, quidnam significent. Ad Ephes. c. 5. coniunctio viri & vxoris in coniugio, magnum mysterium, seu sacramentum dicitur coniunctionis Christi & Ecclesiæ.

Tertia, & ad propositum propriè pertinens sacramenti acceptio est, pro cæremonia hominem sacrante, adeóque pro signo rei sacræ, & occultæ, non cuiuscunque, sed per quam homo sacratur, & initiatur Deo. Quo sensu S. Ambros. librum scripsit de ijs, qui mysterijs initiantur. S. August. lib. 15. de ciuit. cap. 26. ait credentes sacramentis initiari. Et epist. 118. ad Ianuar. cap. 1. quòd Christus sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis societatem noui populi colligauit. S. Cyprianus lib. 2. epist. 1. ad Stephanum Papam, de fidelibus inquit: *Tunc demum plenè sanctificati, & esse filij Dei possunt, si sacramento vtroque*, Baptismi & Confirmationis *nascantur.* Tertullian. in lib. de præscript. c. 16. ait, quòd diabolus res sacramentorum diuinorum æmulatur. Denique S. Thom. 1. 2. quæst. 120. a. 5. in corp. *Sacramenta propriè dicuntur illa, quæ adhibentur Dei cultoribus ad quandam consecrationem, per quam deputantur quodam modo ad cultum Dei.*

Aduertendum autem est, in hac apud Patres, & Ecclesiasticos Scriptores vsitatissima sacramenti acceptione, etiam priores duas ex sacra Scriptura petitas acceptiones comprehendi: Siquidem sacramentum, de quo agimus, continet rem arcanam, & sacram; eandémque significat, sed speciali quadam ratione, vt tanquam cæremonia ad hominis sacrationem spectet.

CAP. II.

De definitione Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Sacramenti definitio est, signum visibile inuisibilis gratiæ, ad populum Deo sanctificandum, diuinitus institutum.*
2 *Ad rationem sacramenti pertinet, vt stabilem institutionem, ac vsum habeat.*

SACRAMENTVM ex doctrina Magistri in 4. d. 1. S. Thom. 3. p. quæst. 60. a. 2. & 3. ita rectè definitur; Visibile signum inuisibilis gratiæ, ad populum Dei sanctificandum, diuinitus institutum. Dicitur *visibile*, id est, externum ac sensibile signum, siue cæremonia: *Si enim incorporeus esses*, inquit S. Chrysost. hom. 83. in Matth. *nudè ipse dona incorporea tibi tradidisset: sed quia corpori coniuncta est anima tua, ideo rebus sensibilibus tibi intelligenda traduntur.* Similia habet hom. 69. ad populum Antiochenum, Cyrillus Hierosolymitanus catech. 3. paulò post princip. Et S. August. lib. 19. contra Faustum, c. 11. ait, quòd in 1

nullum nomen religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligantur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimùm. Vide S. Thom. q. 61. a. 1.

Additur, *inuisibilis gratiæ*, qua homo iustificatur. Quia vt S. Th. notauit cit. a. 3. ad 3. non omne signum rei sacræ sacramentum est; sed quo significatur perfectio sanctitatis humanæ, quæ est gratia iustificans. Quare per hanc particulam à definitione sacramenti propriè dicti excluduntur sacramentalia; vti sunt prima tonsura, aqua benedicta, & variæ consecrationes: quippe quæ instituta non sunt ad significandum perfectam hominis sanctitatem, seu iustitiam.

Ad populum Dei sanctificandum. Qua definitionis particula indicatur, signum oportere esse practicum, adeóque sacram cæremoniam, cuius vsu, seu applicatione fideles sanctificentur, ac veluti symbolo seu nota ab alijs gentibus discernatur. Quamobrem sacrificia cùm veteris, tum nouæ legis, licet sacra signa sint inuisibilis gratiæ per Christum conferendæ, teste S. August. lib. 10. de ciuit. c. 5. tamen propriè sacramenta non sunt: quia per se, ac directè ad Dei supremam excellentiam contestandam, non ad homines sanctificandos instituta fuerunt. Neque refert, quòd Scholastici in 4. d. 1. ex Hugone de sacrament. lib. 1. p. 11. c. 3. sacramenta legis naturæ aiunt fuisse decimas, oblationes, & sacrificia. Rectè enim notauit Durandus ead. d. 1. q. 2. num. 7. Eiusmodi opera protestantia fidem, & obedientiam erga Deum non esse sacramenta, nisi secundùm largam acceptionem, qua omne signum rei sacræ sacramentum appellatur.

Diuinitus institutum, secundùm doctrinam S. Th. q. 64. a. 2. Cùm enim solius Dei sit populum sibi congregare, siue Ecclesiam constituere; ideo ad ipsum solum pertinet ritus siue ceremonias decernere, quibus populus suus initiandus, & ab alijs distinguēdus sit. Accedit, quòd sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis: tale autem signum nullum esse potest ex natura rei: sequitur ergo, vt sit ex impositione, & quidem Dei; quippe qui solus est auctor gratiæ, ideóque solus signa eius à se conferendæ instituere potest. Quæ ratio maximè id ostendit de sacramentis nouæ legis, vtpote quæ eandem animæ inuisibilem gratiam, quam significant, ex opere operato conferunt, quod sine institutione diuina fieri nequit.

2 Corollarium. Ad rationem propriè dicti sacramenti pertinet, vt perpetuam, seu stabilem institutionem, ac vsū habeat, pro statu durantis Ecclesiæ. Quamobrem linguæ igneę, quæ die Pentecostes apparuerūt; itē insufflatio Christi in Apostolos Ioan. 20. verba Christi ad paralyticū, *Remittuntur tibi peccata tua*, Matth. cap. 9. licet signa fuerint gratiæ inuisibilis ad hominis sanctificationem; tamen propriè sacramenta censeri non debent.

CAP. III.

De discrimine Sacramentorum.

1 *Sacramenta noua legis non tantùm gratia significatiua: sed etiam operatiua sunt: in quo differūt à veteribus sacramentis. Vide post n. 6.*

2 *Post lapsum hominis institui oportebat sacramenta: non ante.*

3 *Pro paruulorum sanctificatione, etiam ante circumcisionem, aliquod à Deo remedium institutum erat.*

4 *Post legem etiam circumcisionis, credibile est certam aliquam cæremoniam fuisse pro foemellis, & masculis, ante circumcisionem morituris.*

5 *Circumcisio non conferebat gratiam sanctificantem ex opere operato: sed ex Fide in Christum: attamen vt ordinarium remedium à Deo institutum.*

6 *Valde probabile est, quòd Sacramenta noua legis ad hominis sanctificationem concurrant, non vt causa physica, sed tantùm morales.*

1 ASSERTIO. Sacramenta alia sunt, quæ spiritualem gratiam non tantùm significant, sed etiam ex vi institutionis suæ certò operantur: & hæc sunt sola, & omnia nouæ legis sacramenta. Alia verò sunt, quæ gratiā spirituale significant tantùm; non item ex vi institutionis suæ operantur; & hæc sunt sacramēta legis veteris, atque legis naturę. Ita docet S. Th. q. 62. a. 5. in corp. quòd *sacramenta veteris legis non habebant in se aliquam virtutem, qua operarentur ad conferendā gratiam iustificantem: sed solùm significabant Fidem, per quam homines iustificabantur.* Quod ipsum de circumcisione docet in resp. ad. 3. & clariùs in q. 70. a. 4. *In circumcisione conferebatur gratia, quantùm ad omnes gratiæ effectus: aliter tamen, quàm in Baptismo. Nam in Baptismo confertur gratia ex virtute ipsius Baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iam perfectæ. In circumcisione autem conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute Fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio: ita scilicet, quòd homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus per se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apost. ad Rom. 4. dicit quòd Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei: quia videlicet iustitia erat ex fide significata, non ex circūcisione significante.* Eandémque sentētiam probauit Sotus in 4. d. 1. q. 3. a. 6. Ferrariensis lib. 4. contra Gentes, cap. 57. Bellarm. lib. 2. de sacram. cap. 13. & seqq. Vasq. 1. 2. 2. disp. 184. c. 2. qui id probant auctoritate SS. PP. & Apostoli 1. ad Corint. 7. vbi ait, quòd *circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* Ad Galat. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed noua creatura:* id est, gratia iustificans, per fidem. Ad Coloss. 2. circumcisionem comparans cum Baptismo, ait: *Circumcisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo.* Ex quibus verbis manifestum est, quòd circumcisio Iudæorum vi sua tantùm carnem spoliat; Baptismus autem vi sua peccata tollit, & gratiam confert. Quare ad Galat. 4. idem Apostolus circumcisionem, & alias cæremonias legales vocat, *infirma, & egena elementa*; non aliam ob causam, nisi quia ex se, siue ex opere proprio vim iustificandi nullam habent. Huc etiam spectant testimonia SS. Patrum, quæ congerit Suarez disp. 5. s. 1.

Pro pleniore traditæ assertionis intellectu notandum est primò, quòd docent S. Thom. q. 61. a. 2. Richard. d. 1. a. 2. q. 2. Durand. q. 2. Palud. q. 3. In statu innocētię, seu ante lapsum humani generis nulla instituta esse sacramenta; quia neque indigebat ijs homo, quatenus sunt medicinæ aduersus peccatum, à quo liber fuit: neque quatenus ad animæ maiorem perfectionem ordinantur: quandoquidem Deo ritè subiectus, facili animi motu, ipsi vniri potuit, & sic internam perfectionem conseruare, atque augere: neque verò opus erat, eum externis corporeis signis excitari. Post lapsum verò generis humani oportebat institui sacramenta, id est, visibilia signa, quibus homo fidem suam protestaretur in Christum saluatorem venturum, ait S. Thomas cit. quæst. 61. a. 3. Talia erant circumcisio, agnus Paschalis, consecratio Sacerdotum, & lustrationes quædam ab immunditijs legalibus, atque expiationes à peccatis externis, de quibus S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 5. 2

Deinde probabilius est, ante datam circumcisionem semper in lege naturæ fuisse, post hominis lapsum, verum sacramentum pro sanctificatione paruulorum quod docuit S. Aug. lib. 5. contra Iulian. c. 11. *Neque ideo credendum est*, ait, *ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat fides Mediatoris in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis: quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causā Scriptura latere voluerit.* Idémque sensit Scotus in 4. d. 1. q. vlt. Palud. q. 5. a. 5. Gabr. q. 2. a. 3. concl. 2. Suarez. 3. p. disp. 4. s. 2. Coninck quęst. 61. art. 3. n. 18. contra S. Bonau. ead. d. 1. a. 1. q. 2. Rich. a. 5. q. 3. Sotū d. 2. q. 1. a. 4. §. His tamen nihil obstantibus, Vasq. 3. p. q. 61. a. 3. & disp. 165. cap. 1. & 2. existimantes, paruulos sola fide parentum absque sensibilis signi expressione sanctificari potuisse. 3

Adde,

4 Adde, quod dicitur vniuersim de paruulis ante datam circumcisionem; similiter sentiendum esse de fæmellis post legem circumcisionis; item de masculis, si in mortis periculo existerent ante diem octauum, quo circumcidi deberent: his enim omnibus ad delendum originale peccatum, remedium aliquod adhiberi oportebat; quod quale fuerit, licet scriptum non sit, credibile tamen est fuisse aliquod externum, idque certum ac determinatum signum, vt esset stabilis religiosa cæremonia & propriè sacramentum, sicuti contra Suarez cit. disp. 4. s. 3. & alios (negantes fuisse determinatam cæremoniam) probabiliter docet Scotus d. 1. q. vlt. ver. Respondeo nullo tempore, Coninck cit. a. 3. num. 22. Quia hæc videtur sententia S. Aug. cit. c. 9. quam indicat etiam Bellarm. lib. 3. c. 21. proposit. I. vbi ait, quòd in omni lege materia sacramētorum fuerit determinata à Deo, licet non eodem modo. Nam sicuti lex naturæ diuinitus inspirata erat hominum cordibus, ita etiam sacramenta inspirabantur præcipuis Patriarchis, vt Adæ, Noe, Abrahæ, qui alios deinde docebāt. Lex verò Mosaica, sicuti per Moysē promulgata, & publicè scripta fuit in tabulis, ita etiam sacramenta illius temporis per Moysen tradita, & literis mandata fuerunt. Denique quia legis nouæ auctor est verbum incarnatum, ideo etiam ab ipso sacramento nostro determinanda fuerunt.

Notandum secundò; Quod circumcisio à Deo instituta fuerit principaliter quidem, vt filij Abraham, populus ab ipso electus, hac expressiore protestatione in Christum venturum congregaretur, & à reliquis populis discerneretur; secundariò verò, vt esset in remedium peccati originalis, præsertim paruulis. Quam posteriorem partem expressè docuit S. Aug. lib. 16. de ciuit. cap. 27. & lib. 2. de nupt. cap. 11. cuius verba referuntur c. ex quo, d. 4. de consecrat. S. Greg. lib. 4. Moral. cap. 2. & refertur ead. d. can. quod autem, S. Bernard. epist. 77. quæ est ad Hugonem de S. Victore, Innoc. III. in c. maiores, de Baptismo, vbi expressè ait, quòd *originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium*: Et quòd *Baptismus successerit loco circumcisionis.*

5 Nihilominus negandum est, quòd circumcisio sit causa gratiæ efficiens; siue, quòd gratiam ex opere operato conferat. In quo consentio cum Cano, Soto, Bellarmino, Vasquez loc. citatis, Becano in analogia veteris & noui testamenti, cap. 15. q. 4. contra Scotum in 4. dist. 1. quæst. penult. & vlt. Durand. ibid. quæst. 5. num. 10. Palud. quæst. 5. a. 4. Gabr. quæst. 4. a. 1. concl. 2. Probatur tum ex Apostolo locis suprà cit. & Patribus, quos citat Bellarm. lib. 2. c. 15. ex Concilio Florentino in decreto Eugenij post sess. vlt. §. quintò Ecclesiasticorum sacramentorum, vbi ait, quòd nouæ legis sacramenta *multùm differunt à sacramentis antiquæ legis: illa enim non causabant gratiam: sed illam solùm per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* In Scholis dici solet, quòd sacramenta nouæ legis effectum suum, ipsámque gratiam sanctificantem conferunt *ex opere operato*; id est, hoc ipso, quòd opus secundùm Christi institutionem peractum est; absque vlla dependentia ex merito, aut pia dispositione seu conferentis, seu suscipientis; modò tamen is sacramenti, secundùm propriam cuiusque naturam, capax sit, nullúmque obicem ponat, vti explicat Sotus d. 1. q. 3. a. 1. colum. antepenult. At verò sacramenta legis veteris nec paruulos, nec adultos ita spiritualiter sanctificabāt: quamuis enim in eorum susceptione gratia sanctificans conferri potuerit; imò circumcisio à Deo instituta fuerit pro paruulis Iudaici populi, tanquam ordinarium remedium, seu conditio sine qua non ipsorum sanctificationis, vt suprà ex probabiliore sententia dixi, contra Vasquez 1. 2. disput. 183. cap. 3. tamen in circumcisione v. g. non conferebatur gratia virtute circumcisionis, siue ex vi operis; sed ex virtute fidei in Christum Saluatorem, adeóque, vt aiunt, *ex opere operantis*; videlicet suscipientis sacramentum, si adultus esset, qui propriam fidem, & bonæ voluntatis actualem dispositionem, seu contritionem afferre posset; vel alterius seu ministrantis, seu offerentis, si paruulus esset, qui cùm fidem, ac bonam voluntatem propriam non haberet, eius voluntas, secundùm benignam Dei acceptationē, censebatur pia voluntas eius, qui curam paruuli suscipiebat, eum Deo in fide Christi offerens, sicuti expressè docet S. Thom. 3. p. q. 70. a. 4.

Alioquin si dicamus, signum circumcisionis sufficiens fuisse, vt eius applicatione illico daretur gratia paruulis, etiam sine fide parentis, aut ministri, (quod tanquam probabilius cum antiquis quibusdam Scholasticis docet Suarez) non satis intelligo, quomodo negari possit curcūcisionem respectu paruulorū fuisse causam gratiæ sanctificantis: cui tamen repugnat Apostolus, sæpe inculcans, omnia fuisse inania, & infirma elementa; ideóque abolita esse, propter infirmitatem & inutilitatem suam, Hebræor. 7.

Neque enim satisfaciunt primò, qui respondent, per circumcisionem rite exhibitam à Ministro, quamuis sine fide, paruulis collatam fuisse gratiam sanctificantem, ex gratuita miseratione Dei, propter necessitatem paruulorum: ideóq; non propriè ex vi sacramenti circumcisionis. Si enim Deus in lege Moysis circumcisionem stabiliter instituit, vt per eam paruuli iustificarentur sola applicatione ministrantis voluntariè, & cum intentione, verum non est, quod Apostolus vniuersim significat ad Rom. c. 2. & 4. ad Corinth. 1. c. 7. Circūcisionem nihil esse, quia ex fide in Christum contingat iustificatio, non ex circumcisione. Potuissent enim Iudæi respondere, se in infantia sua per circumcisionem iustitiam consecutos fuisse, sine fide actuali in Christum: adeóque circumcisionem plurimùm ipsis profuisse: siue magnum inter circumcisionem & præputium discrimen esse, cùm per eam, etiam sine fide in Christum, paruulis secundùm gratuitam Dei liberalitatem, certa lege & institutione, iustitia tribuatur: non ita verò in circumcisis, siue in præputio manentibus.

Neque satisfaciunt secundò, qui respondent, nouæ legis sacramenta gratiæ instrumentaliter efficiendæ vim physicam habere; at verò circumcisionem solùm vt moralem causam, propter pactum & institutionem Dei; ad paruulorum sanctificationem concurrisse. Nam imprimis valde incertum est, imò secundùm multorum sententiam impossibile, quòd sacra materialia symbola vim aliquam physicè producendi gratiam habeant: sed dicuntur ea virtutem sanctificandi habere moraliter: quia ex voluntate & institutione Christi, Deíque patris acceptatione, sacrorum signorum seu sacramentorum exhibitioni infallibiliter annexa est gratia sanctificans, per Christi merita conferenda. Quæ est sententia S. Bonau. in 4. d. 1. a. 1. q. 4. §. est etiam aliorum magnorum, Scoti in 4. d. 1. q. 5. Richar. a. 4. q. 2. Dur. q. 4. Gabr. q. 1. a. 2. concl. 2. & 7. Vasq. 3. p. disp. 132. Coninck q. 62. a. 4. dub. vn. contra Thomam Caietanum in cit. q. 62. a. 4. Palud. in 4. d. 1. q. 1. concl. 2. Ferrariens. 4. contra Gentes, c. 57. Dominic. Sotū cit. d. 1. q. 3. a. 1. Suarez disp. 9. s. 1. & 2. & plures alios, vim instrumentalē physicam sacramēto tribuētes. Deinde hæc ipsa ratio (quam Doctores illi circumcisioni tribuunt) sanctificātem gratiam paruulis infallibiliter cōferendi, tanquam signum moraliter practicum, secundùm Dei institutionem & pactum: magnam profectò vtilitatem, firmitatémque continet: quemadmodum si Rex chirographum sigillo suo munitum alicui daret, ad cuius exhibitionē Rex potentissimus ac fidelissimus statim obligatus esset exhibere, & certò etiam exhibiturus solutionem. Quis diceret, chirographum hoc inane, nullius vtilitatis, aut firmitatis: eò tantùm, quòd physicè non operaretur pecuniæ solutionem: sed solùm vt 6

signum certum, ac moraliter efficax?

Itaque concludo, Quòd sacramentum genericè sumptum sit sacra, & stabilis cæremonia, diuinitus instituta ad homines aliquo modo sanctificandos, & spiritualem gratiam significandam: Differentia autem inter vetera, & abolita, ac nouæ legis sacramenta in eo consistit; quòd illa gratiam, seu animæ sanctitatem figurabant, & significabant tantùm; hæc autem non tantùm significant, sed etiam operantur: quamobrem sunt signa gratiæ practica seu operatiua. Vide Trident. sess. 7. in canonibus de sacramentis in genere, & S. August. in psal. 73.

CAP. IV.

De materia & forma Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

1 *In sacramentis nouæ legis non tantùm sensibilis materia; sed etiam verborum forma requiritur.*

2 *In sacramentis plerumque duplex materia reperitur, remota, & propinqua.*

3 *Sacramenta illa, quæ in vsu, seu actione transeunte consistunt, re & verbis, veluti materia ac forma, essentialiter componuntur.*

4 *Mutatio materiæ, aut formæ sacramenti alia est substantialis, & alia accidentalis.*

5 *Error priuatus Ministri non obstat valori sacramenti; modò veram materiam & formam adhibeat, cum intentione saltem implicitè faciendi, quod Christus instituit, vel vera Ecclesia facere intendit.*

6 *Si Minister existimet esse puerum, cùm sit puella, quam v.g. baptizat; vel esse Titium quem ordinat, cùm sit Caius, validum est sacramentum.*

NOTANDVM est ex S. Th. q. 60. a. 6. ad 3. Sicuti ante Christi aduentum, & Euangelij promulgationem Fides in Christum, & SS. Trinitatem obscurè & implicitè populo proposita erat; ita & sacramenta legis veteris, quibus Christus, & iustificatio nostra per Christum figurabatur, imperfectè ac confusè significantia symbola erant. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, ait Apostolus ad Hebræos, cap. 7. In noua autem lege, reuelata Christi redemptione, etiam mysteria siue sacramenta, quibus sanctificamur, expressiora & clariora esse oportebat. At verò notissimum est, quòd, licet pleræq; res sensibiles tanquam symbola assumi & institui possint ad aliquid significandum; tamẽ earum significatio obscura, ænigmatica, plerisque incognita, ac proinde imperfecta esse soleat; nisi per verba declaretur, ac determinetur, atq; ita certior, expressior, ac perfectior efficiatur.

Assertio I. In sacramentis requiritur res siue materia aliqua, sensibilis determinata, puta in Baptismo aqua, in Cõfirmatione oleum, balsamo mixtum. Ita S. Th. q. 60. a. 5. & probat: Cùm sanctificatio hominis in potestate Dei sit, ideo non pertinet ad hominem suo arbitrio assumere res, quibus sanctificetur; sed hoc esse ex diuina institutione determinatũ. Quæ doctrina licet à S. Th. propriè tradita sit de sacramentis nouæ legis; tamen suo modo etiam locum habet in sacramentis veteribus; quippe quæ & ipsa in aliqua re sensibili à Deo reuelata ac determinata consistebant, vt agnus Paschalis, circũcisio, &c. Ante circumcisionem verò, etsi aliqui sentiant, pro paruulis; & post circũcisionem pro fœmellis nullum in specie symbolum determinatum fuisse; oppositum tamen probabilius esse, præc. c. dictum est. Id verò minùs negari potest, saltem in genere fidelibus inspiratum ac traditum fuisse, vt aliquam externã precem, benedictionem, oblationémque ad Deum pro paruulis suis fideles adhiberent.

2 Assertio II. In sacramentis, saltem ijs, quæ in vsu, seu actione trãseunte consistunt, duplex est materia; remota, & propinqua. Materia remota dicitur res illa, quæ in sacramentũ assumitur, seu circa quam actus aut cæremonia sacra exercetur; vt aqua, oleum. Materia propinqua dicitur, ipse actus, seu vsus rei illius sensibilis, puta ablutio, vnctio.

Assertio III. In sacramentis nouæ legis præter sensibilem materiam, seu materiale symbolum, requiruntur etiam verba. Ita S. Tho. a. 6. & Concil. Florent. in decreto Eugenij: *Omnia sacramenta tribus perficiuntur; videlicet rebus tanquam materia; verbis tanquam forma; & persona ministri.* Et addit: Horum *si aliquod desit, non efficitur sacramentum.* Oportet autem intelligere verba propriè dicta: & quidem vocalia, vti constat ex traditione Ecclesiæ, præterquam quòd in matrimonio regulariter quidem talia verba concurrant; sed non semper ac necessariò, sicuti idem Florentinum apertè notauit §. Septimũ sacramẽtum. Nam matrimonij sacramentum fundatur in contractu naturali, cuius constitutionem Christus non mutauit, sed tantùm ad sacramenti dignitatem inter baptizatos euexit: est autem id cõmune omni contractui inter homines, vt spectato iure naturali, per mutuũ cõsensum, quocunque externo signo manifestatum, perficiatur.

Nunc probatur assertio: Nam sacramenta nouæ legis clarã & expressam gratiæ sanctificantis significationem habere debent: hanc autem consequuntur per verba, quippe quæ propriè instituta sunt ad ignota explicãdum, ambigua determinandum. Confirmatur: Doctrina, seu intelligentia rerum intelligibilium occultarum, homini comparatur tum per inuentionem, cui inseruit visus rei sensibilis obiectæ; tum per disciplinam, quæ verbis accipitur: quare ad perfectam mysteriorum nouæ legis intelligentiam tum sensibilis materia, tum verba necessaria fuerunt.

Nota autem, quòd materia & forma in sacramentis dicantur secundùm analogiam seu proportionem materiæ, ac formę physicæ; Nam sicuti materia confusa ac potentialis per aduentum formæ naturalis; ita significatio confusa & imperfecta rei sensibilis per adiectionem verborũ determinatur, ac veluti formatur. *Ad perfectionẽ significationis sacramentalis*, ait S. Th. cit. a. 6. in corp. *necesse fuit, vt significatio rerũ sensibilium per aliqua verba determinaretur: aqua enim significare potest & ablutionem, propter suam humiditatem; & refrigerium, propter suam frigiditatem: sed cùm dicitur, Ego te baptizo in nomine Patris &c. manifestatur, quòd aqua vtimur in Baptismo ad significandam emundationem spiritualem.*

Assertio IV. Sacramenta illa, quæ in vsu seu actione transeunte posita sunt, ex re & verbis, tanquam materia & forma essentialiter componuntur. Sumitur ex Florent. loco suprà cit. S. Th. ll. cc. Alensi in 4. p. q. 8. mem. 3. a. 1. & 2. & videri potest Suarez disput. 2. s. 2. assert. 1. Vasquez disput. 129. Probatur & explicatur: Cùm sacramenta ista, puta Baptismus, Confirmatio &c. esse successiuum habeant; ideo eorum partes, ex quibus moraliter constituuntur, aut componuntur, successionem quoque seu transitum habere debent: talia autem sunt sensibilis materiæ applicatio, & verborum formæ prolatio. 3

Si quæras, quanta debeat esse coniunctio inter materiam & formam sacramenti, v.g. inter aquæ affusionem, & verborũ pronuntiationem? Respondetur, debere esse tantam, vt spectata natura cuiusque sacramenti, secundùm moralem hominum æstimationem, forma verborum habitudinem determinationis retineat ad materiam, seu symbolum subiectum, sicuti latiùs explicabo tract. 2. c. 7. q. 3. Porrò sacramenta quæ in esse permanente consistunt, qualis est SS. Eucharistia, non posse propriè cõponi ex materia & verborũ forma, manifestum est: quia verba successiua & transeuntia sunt: nullum autem permanens ex partibus successiuis essentialiter constitui potest. Vide quæ dicam tract. 10. p. 2. c. 2. assert. 3.

Assertio V. Si in præscripta materia, aut forma sacramenti, mutatio fiat, refert vtrum ea substantialis sit, ideóque sacramentum irritum; an verò accidentalis tantum, ideóque sacramentum validè collatum; licet non absque peccato, nisi necessitas, aliáue causa excuset. Ita docet S. Thom. quæst. 60. a. 8. Duran. in 4. d. 3. quæst. 2. Adrian. 4

in 4. de Baptismo, quæst. 2. §. de secundo videndum, alijque communiter. Tunc materiæ mutatio substantialis censeri debet, quando tanta est, vt secundùm communem vsum, & æstimationem hominum, differat ratione, & appellatione à materia, quam Christus præscripsit, & Ecclesia vsurpat. Dico *secundùm communem vsum, & æstimationem*: Cùm enim sacramenta moralia signa sint, & ipsorum materiæ in humanis actionibus, vel in ordine ad illas à Christo determinatæ; ideo in cognoscenda sacramenti materia, potiùs ad moralem eius vsum & conceptionem, quàm physicam plerisque hominibus ignotam formam, siue naturam attendere oportet, sicuti bene docet Suarez disp. 2. s. 4. reg. 3. Exempli causa; massa farinacea digesta, sed nondum pista, non est materia S. Eucharistiæ; quia non est panis ac cibus humanus; siue differat à pane formâ physica, siue non. Et aquæ artificiales seu humores mixti, si communem vsum & appellationem aquæ elementaris amiserũt, non videntur esse materia Baptismi; siue forma substantialiter mutata sit, siue non. Vide quæ dicam tract. seq. c. 3. Accidentalis autem mutatio materiæ censeri debet, si nihilominus materia eundem moralem vsum & æstimationem retineat; licet aliqua qualitas desit, quæ ex præcepti necessitate requiritur, puta si aqua turbida sit, panis ater, immundus.

Formæ sacramentorum mutatio substantialis censeri debet, per quam alius orationis sensus efficitur, vti docet S. Thomas quæst. 60. a. 8. Cùm enim verbi seu orationis essentia, & quasi anima sit sensus ac significatio; ideo si verba ponantur aliam significationem habentia, non eadem, sed alia verborum forma iudicatur. Accidentalis verò mutatio formæ est I. Si verba materialiter tantùm mutentur; quia alia eundem sensum habentia vsurpantur, v. g. si pro *baptizo*, dicatur *abluo*. II. Si vox vna, vel plures mutentur aut omittantur, quæ non pertinent ad substantiam formæ: vt si in forma Baptismi omittatur pronomen *Ego*, vel in forma Eucharistiæ, *enim*: cuiusmodi minutiorem mutationem, si sine scandalo & contemptu fiat, veniale tantùm peccatum fore, ob materiæ leuitatem, ait Coninck cit. a. 8. dub. 2. num. 84. III. Si Minister, ob præcipitationem, aut balbutiem linguæ, omittat vel mutet verborum litteras, præsertim extremas: v. g. *Ego te baptizo in nomine Patri. Hoc est corpus meu. Ego te absoluo à peccatis tui.* Dico autem *præsertim extremas*; quia primæ syllabæ, aut litteræ mutatio plerumque audientibus alienum sensum adfert, formámque vitiat; v. g. *Ego te baptizo in nomine matris: Ego te baptizo in nomine Patris, & milij.* Quæ est doctrina S. Thomæ quæst. 60. a. 7. ad 3. Palud. in 4. d. 3. quæst. 1. a. 3. ver. secundo modo, Soti d. 1. q. 1 a. 8. & aliorum communis.

Atque hoc est, quod Zacharias I. Papa S. Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo epist. 6. respondit, & refertur d. 4. de consecrat. c. retulerunt; validum esse Baptisma, quod Sacerdos in Boiariorum prouincia, propter latini eloquij imperitiam, tali forma contulerat: *Ego te baptizo in nomine patria, & filia, & spiritu sancta.* Quamuis enim hæc verba ita corrupta nihil significent ex virtute impositionis; accipiuntur tamen vt significantia ex accommodatione vsus, ait S. Thomas cit. a. 7. ad 1. idémque docet Halensis p. 4. quæst. 13. mem. 3. a. 3. §. 2. & 3. Monet tamen Zacharias Papa, irritum fore Baptismum, si Sacerdos talia verba proferat ad inducendam hæresin, aut errorem suum, existimans v. g. quòd Deus Pater habeat filiam, vti Sotus lo. cit. exponit. Plura de mutatione formæ dicam tract. sequent. cap. 4.

Hoc autem loco quæstio tractanda est cum S. Thoma a. 8. An, & quo modo priuatus error, aut sinistra intentio Ministri formam pronuntiantis, sacramentum irritum reddere possit? Respondeo, & dico I. Si Minister veram materiam adhibeat, & substantialem verborum formam proferat, cum intentione faciendi quod Christus instituit, vel quod Christi Ecclesia facere intendit, verè efficitur sacramentum; tametsi is priuato errore contra veritatem sacramenti teneatur. Ita docent Palud. in 4. dist. 3. quæst. 1. a. 3. Gabr. ibidem quæst. vn. a. 2. concl. 3. Adrianus in 4. de Baptismo, quæst. 2. §. ad videndum, ver. Respondeo. Suarez disput. 2. s. 5. Coninck cit. a. 8. dub. 1. num. 61. Sumitur ex Trident. Conc. in sess. 7. can. 4. de Baptismo, Concilio Arelatensi I. can. 8. *Si ad Ecclesiam aliqui de heresi* Ariana *venerint, interrogent eos nostræ Fidei Sacerdotes symbolum: & si peruiderint, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponantur, vt accipiant Spiritum sanctum.* S. Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 15. relato in c. 48. d. 4. de consecr. *Satis ostendimus, ad Baptismum, qui verbis Euangelicis consecratur, non pertinere cuiusque vel dantis, vel recipientis errorem, siue de Patre, siue de Filio, siue de Spiritu sancto aliter sentiat, quàm cœlestis doctrina insinuat.* Quamobrem qui ab Arianis veram verborum formam retinentibus baptizati erant, ad Ecclesiam Catholicam reuersi, denuò baptizati non fuerunt, sicuti habetur in cit. can. 8. Concil. Arelatensis, 1. & Concil. Arelatens. 2. can. 17. & apud Innocent. I. epist. 22. ad Episcop. Macedoniæ cap. 5. Siricium Papam epist. ad Himerium Episcopum, cap. 1. Zachariam Papam epist. 11. ad Bonifacium, quæ incipit, *Sacris liminibus*, Nicolaum Papam respons. ad Bulgaros, cap. 15. Deinde Græci verè consecrant in pane fermentato, quamuis perperam existiment hunc ritum seu qualitatem materiæ ad sacramenti substantiam pertinere: verè etiam baptizant hac forma, *Baptizetur seruus Christi*; licet errantes arbitrentur talem verborum ritum, quo persona Ministri non exprimitur, ad sacramenti necessitatem spectare.

Probatur; Sacramentum semper conficitur, si adsit materia & forma substentialis, insuper intentio conferendi sacramentũ, saltem confusa & implicita, dum Minister facere intendit, quod Christus instituit: At verò cum eiusmodi intentione consistere potest error speculatiuus, eíque errori interdum correspondens priuata intentio malè conferendi sacramentum, v. g. ministrandi Baptismum per Filium, Patre minorem. Cùm enim hæc intentio conditionalis sit, seu ex suppositione existimationis falsæ, quòd hæc ipsa sit Christi institutio; ideo superatur ab altera confusa ac generali intentione, quæ absoluta est faciendi, quod Christus instituit. Quemadmodum si quis quærat, & omnimodè habere desideret equum suum, quem amisit; etsi particulari speculatione erret, existimans non esse suum equum, qui reuera suus est; ideóque eum respuat; is tamen, absolutè loquendo, potiùs hunc ipsum habere cupit. Vult enim habere equum suum: hic autem, qui offertur, equus eius est: Ergo, absolutè loquendo, eum habere vult; licet per accidens, atque ex hypothesi speculatiui erroris, nolit.

Requiritur tamen hoc casu, vt Minister actuali contraria intentione non excludat sacramenti veritatem: Puta si Arianus nolit Baptismum cum inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus sancti valere, nisi Pater sit Filio maior. Vel si Græcus nolit Eucharistiam confici, nisi panis fermentatus sit de necessitate sacramenti; tali casu sacramentum irritum erit; non quidem propter defectum materiæ, aut formæ; sed propter defectum intentionis.

Dico II. Si Minister errorem suum contra sacramenti veritatem in forma exprimat, siue in formam expressè inducat, nullũ efficitur sacramentũ: cùm hæc sit substantialis mutatio formæ. Sumitur ex S. Athanasio orat. 3. cõtra Arianos, circa medium, S. Greg. I. lib. 9. epist. 61. ad Quirinum Episcopum, & refertur in c. hi verò, d. 4. de consecrat. Exempli causa, si Arianus minister ita dicat: *Ego te baptizo in nomine Dei Patris maioris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Dico III. Si forma verborum, contra Ecclesiæ consuetudinẽ mutata, duplicem sensum habere possit; vnum

qui ſit contrarius veritati & ſubſtantiæ ſacramenti ; alterum, qui non ſit ; tunc ſpectanda eſt intentio Miniſtri, vtrum is ſubſtantialem errorem inducere voluerit, néc-ne. Et quidem in dubio præſumendum eſt voluiſſe inducere, ideóque ſacramentum irritum eſſe, ſi Miniſter de induſtria formam mutauit, ac vitiauit ; ſecùs, ſi inuoluntariè, aut propter imperitiam. Hæc videtur eſſe doctrina S. Th. a. 7. ad 3. & a. 8. in corp. & colligitur apertè ex c. retulerunt, d. 4. de conſecrat. Ratio ſumi debet primò ex defectu intentionis Miniſtri : quia enim talis Miniſter actualem & abſolutam intentionem habet conferendi ſacramentum ſecundùm falſum ſuum intellectum, non poteſt habere implicitam intentionem faciendi, aut ſignificandi, quod Chriſtus inſtituit, aut Eccleſia intendit: cùm iſta intentio contraria, & repugnans ſit actuali abſolutæ eius intentioni. Secundò ex defectu ſubſtantialiali ipſius formæ : Si enim ea ſpectatis tum verborum ſono, tum pronuntiandi modo, aliiſque circumſtantiis omnibus, ambiguum, ac indeterminatum ſenſum habeat ; determinabitur ad vnum certum ſenſum ab intentione Miniſtri proferentis : quare ſi hic ſenſus ſit contra veritatem ſacramenti, forma ſubſtantialiter vitioſa cenſeri debet.

Exemplum habes : Si ſacerdos ita conſecret, *Hoc eſt quodam modo corpus meum*; duplex ſenſus eſſe poteſt; vnus, qui eſt contrarius veritati, & eſſentiæ ſacramenti, hoc eſt in figura corpus meum : alter, qui contrarius non eſt ſacramento, ideóque mutationem ſubſtantialem formæ non adfert, hoc eſt corpus meum modo exiſtendi incorporeo. Quare ſi forma illa verborum vſurpetur à Sacerdote Caluiniana hæreſi infecto, præſumi debet vitioſa. Similiter hæc verborum forma, *Baptizo te in nomine Patris per Filium, in Spiritu ſancto*, poteſt quidem ita explicari, vt ſenſum verũ habeat; ſi tamen à Miniſtro Arianæ hæreſis vſurpata fuerit, præſumitur errorẽ ſuum de inæqualitate perſonarum inducere, & ſenſum ſubſtantialem formæ corrumpere voluiſſe. Videri poteſt Suarez diſput. 2. ſ. 4. ver. ſecunda mutatio, & ſ. 5. ver. in vtroque. Vaſquez 3. p. diput. 129. c. 7. Coninck. cit. dub. 1. Nauar. lib. 3. conſil. 4. num. 6. de Baptiſmo, edit. 2. vbi ex eodem fundamento reſpondet, quòd Baptiſmus ab hæreticis exiſtimantibus Spiritum ſanctum non eſſe verum Deum, tali forma collatus, *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus*, pro irrito habendus ſit. Quod verũ tantùm arbitror ſecundùm præſumptionem, non habuiſſe Miniſtrum ſufficientem intẽtionem baptizandi in SS. Trinitate. Interim fieri potuit, vt tametſi Miniſter errore illo teneretur, habuerit tamen intentionem generalem & bonam non aſtrictam ſuæ erroneæ opinioni, ſed vſurpandi verba ſecundùm veram, & Chriſti inſtitutioni conformem ſignificationem, quam habere poſſunt : conſequenter cùm forma illa verum ac legitimum ſenſum habere queat, neque ab intentione practica Miniſtri, aut per alias circumſtantias determinata ſit ad ſignificationem falſam ; tali caſu ſacramentum validè confertur. quæ eſt doctrina Suarez cit. ſ. 5. Coninck n. 67.

6 Dico IV. Licet Miniſter verborum formam pronuntians verſetur in particulari errore circa perſonam baptizandam, ordinandam, alteriúſue ſacramenti ſubiectum, (excepto matrimonio) ſi tamen ſeruet actualem, aut virtualem intẽtionem Eccleſiæ, vel Chriſti inſtitutoris, ſpeculatiuus ille error nihil obſtat intentioni morali ac practicæ. Ita ex cõmuni Victoria de Baptiſmo n. 34. Exempli cauſa: Si puerum te exiſtimes baptizare, cùm puella ſit; vel Titiũ in ſacerdotẽ ordinare, cùm Caius ſit. Nam hæc ordinaria & vſitata eſt, ac eſſe debet Miniſtri intentio, vt baptizetur, ordinetur, conſecretur ſubiectum aut materia, quæ capax & præſens eſt, dum ſuper ea verborum forma profertur: quam proinde intentionem vnuſquiſque ſeruare cenſetur, niſi eam expreſsè excludat. Quinimo tametſi Epiſcopus ante ordinationem generatim dixerit, nolle ſe ordinare excommunicatos, ſuſpenſos, irregulares, aut eos qui ex aliena diœceſi ſunt ; poſteà verò talis aliquis furtiuè ſe ingerat, valida erit huius ordinatio. Quia Epiſcopus ſemper cenſetur habere, ac retinere practicam abſolutam intentionem ordinandi hominem præſentem non verò conditionatam, *niſi excommunicatus ſis* &c. quandoquidem appoſitio talis conditionis cõformis non eſt Eccleſiaſticæ cõſuetudini, imò ſacrilegio obnoxia, vti docet Henriq. lib. 2. cap. 8. num. 5.

Cur autem exceperim matrimonium, ſuo loco patebit. Nam ſacramentum illud multa ſpecialia habet; quia in humano contractu fundatur, eiúſque naturam & conditiones ſequitur, inter quas vna eſt, quòd error ſpeculatiuus circa ſubſtantiam, ſeu perſonam determinatam vitiat contractum matrimonij ; cùm tollat conſenſum contrahentis, ſicuti dicam hoc lib. tract. vlt. p. 4. c. 2.

CAP. V.

De cauſa efficiente ſacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

1 *Solus Deus primarius auctor & inſtitutor eſt ſacramentorum nouæ legis : Chriſtus autem, quà homo, duobus modis eorum auctor, & inſtitutor dici poteſt : nimirum quia eam nobis inſtitutionem ex condigno promeruit ; & quia cum poteſtate excellentiæ promulgauit.*

2 *Poteſtas inſtituendi ſacramenta miniſterialiter puro homini communicari poteſt; quamuis non tã excellenter, vt Chriſto competebat.*

3 *Omnia nouæ legis ſacramẽta à Chriſto immediatè inſtituta fuerũt.*

4 *Solus Deus, vt cauſa ſimpliciter principalis, interiores effectus ſacramentorum operatur, ſed Chriſtus homo, vt cauſa principalis meritoria.*

5 *Humanitas Chriſti operatur interiores ſacramentorum effectus, tanquam inſtrumentum coniunctum diuinitatis.*

6 *Fides aut probitas Miniſtri non requiritur ad ſacramenti valorem.*

7 *Mortaliter peccat Miniſter, ſi in ſtatu peccati mortalis miniſtret ſacramentum, ad cuius miniſtrationem ordinatus eſt.*

8 *Idem quoq; ſentiendum de Sacerdote baptizante non ſolemniter, in caſu neceſſitatis; Et de Diacono, ſi ex commiſſione Sacerdotis baptizet, vel S. Euchariſtiam porrigat in ſtatu peccati mortalis.*

9 *Si laicus, vel alius Clericus, præter Sacerdotem, in caſu neceſſitatis baptizet cum conſcientia peccati mortalis, non videtur plùs, quam venialiter peccare.*

10 *Probabile eſt, Diaconum non peccare mortaliter, ſi in ſtatu peccati mortalis in Miſſæ officio miniſtret; niſi id frequenter, ſeu per conſuetudinem fiat.*

11 *Intentio alia eſt actualis, alia virtualis, & alia habitualis ſeu interpretatiua: Actualis, ſicuti & virtualis, vel explicita eſt, vel implicita.*

12 *Ad neceſſitatem ſacramenti requiritur formalis intentio Miniſtri, ſaltem implcita; nec ſufficit habitualis in cauſa, aut merè interpretatiua.*

13 *Ad ſacramenti valorem neceſſaria eſt intentio abſoluta; ideoque nihil efficitur, ſi Miniſter v. g. baptizet ſub conditione pendente in futurum.*

QVÆSTIO PRIMA. A quonam ſacramenta nouæ legis inſtituta ſint ? Reſpondeo, & dico I. Solus Deus eſt primarius auctor & inſtitutor ſacramentorum. 1
Ita S. Thom. q. 64. a. 2. Scotus d. 2. q. 1. Palud. q. 1. a. 2. & 3. Durandus quæſt. 1. & alij. Probatur : Nam is propriè dicitur auctor & inſtitutor ſacramentorum, qui eis virtutem confert, quæ eſt ſanctificandi homines ; ſolus autem Deus principaliter eſt auctor gratiæ ſanctificantis: Ergo ſolus ille eſſe poteſt primarius auctor & inſtitutor ſacramentorum. Vide quæ dixi ſuprà cap. 2.

Dico II. Chriſtus, quà homo, duobus modis dici poteſt auctor ſacramentorum nouæ legis: primò, quia eorum inſtitutionem & operationem nobis ex condigno promeruit: quamobrem ſacramenta de latere Chriſti in cruce pendentis fluxiſſe dicuntur. Secundò, quia ipſe erat diuinæ ſacramentorũ inſtitutionis interpres ad homines cum poteſtate conſtitutus, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 1. *Multis modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt in filio:* Quare in hoc etiam ſacramenta nouæ legis multùm ſuperant ſacramẽta vetera: quòd illa Deus miniſterio puræ creaturæ inſtituit, Eccleſiæq; tradidit, videlicet per Abrahamum, per Moyſen: quibus Deus per ſe, vel Angelum locutus fuit:

fuit: At verò nouæ legis sacramenta instituit Deus per Christum Mediatorem, qui propter vnionem hypostaticam habuit potestatem excellētiæ, per quam tum leges ferre, tum gratiam dare, aut dandam promittere, consequenter sacramenta instituere potuit, iuxta illud Mat. vlt. *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.*

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum potestas, quam Christus habuit sacramenta instituendi, alteri homini communicari possit; Respondeo, & dico I. Potestas, quam Christus habuit vt Deus, instituendi sacramenta authoritatiuè, & vt causa primaria effectus eorū, nulli homini communinari potest. Ita S. Thom. a. 4. & constat ex quęst. præced. dicto 2.

2 Dico II. Potestas instituendi sacramēta ministerialiter puro homini cōmunicari potest; quamuis non tam excellenter vti Christo competebat. Ita conciliantur Doctores, quorum alij negant potestatem instituendi sacramentum nouæ legis puro homini cōmitti posse, vt Scotus in 4. d. 1. quæst. 3. a. 2. Gabr. q. 2. a. 3. dub. 2. prop. 1. Vasq. disput. 135. c. 2. Alij autem affirmant, vt S. Th. quæst. 64. art. 4. & alij post S. August. tractat. 5. in Ioannem.

Pro intellectu aduerte, Duobus modis sacramētum à Deo institui posse per hominem; primò, vt ipsum ministeriū exhibeat, sitque merus diuinæ institutionis interpres, promulgator ac pręco: quomodo suprà dixi sacramenta vetera per Abrahamum, & Moysen instituta fuisse. Atque hoc sensu nemo negat, sacramēta nouæ legis institui potuisse ministerio hominis; puta per diuinam inspirationem, seu reuelationem factā alicui, v.g. Apostolo, vt certum signū tanquam infallibile ad conferendā gratiam Ecclesiæ proponeret. Eóque modo arbitror docuisse S. Bonau. in 4. d. 23. q. 2. Alensē in 4. p. q. 8. mem. 2. a. 1. cū Magistro in ead. d. 23. Sacramēta Confirmationis, & Extremæ vnctionis ab Apostolis post Christi ascensionē instituta fuisse per inspirationē Spiritus sancti, ad eum modum, inquit S. Bonau. sicuti Apostoli per reuelationē Spiritus sancti formā Baptismi ad tēpus mutârunt, vt baptizarent in nomine Christi, sine expressione SS. Trinitatis. de quo dicam tract. seq. c. 4. q. 1.

Veruntamen si rectè attendimus, hæc non est verè & propriè institutio hominis: quia vox institutionis nō nudū ministerium, sed potestatem aliquam secundùm proprium arbitrium decernendi ac determinandi significat: sicuti etiam olim circumcisio, & alia sacramenta non ab homine, sed à solo Deo immediatè instituta censebantur, quantumuis per Angeli, aut hominis ministerium.

Quare si hoc tantùm senserunt Halensis, & S. Bonau. eorum doctrina non videtur esse damnata in Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 14. canone 1. de Extrema vnctione, vbi definitur, sacramenta omnia nouæ legis, ipsámque Extremam vnctionem à Christo Domino instituta fuisse. Si enim Christus Apostolis, post ascensionem in cœlos, inspirasset certum signum siue cæremoniam pro hominum sanctificatione in Ecclesia vsurpandam, non ipsi institutores, sed promulgatores tantùm dici deberent. Nihilominus verissima, & communis est sententia, quòd Christus sacramenta omnia ante Ascensionē
3 instituerit, & Apostolis tradiderit; non autem quædam postea reuelauerit, aut inspirauerit; quod traditur à S. Th. cit. a. 4. ad 1. & in 4. d. 2. q. 1. a. 4. in fine, Scoto, ibid. q. 1. Durand. q. 1. Palud. q. 1. a. 2. & 3. Soto d. 5. q. 1. a. 4. Suarez disput. 11. sect. 1. Vasq. disput. 135. c. 1. Ratio est, Quia oportebat Christum Dominum, antequam ex hoc mundo ad Patrem migraret, perficere illud, cuius causa venerat: videlicet vt homines à peccati iugo redimeret, Ecclesiámque fundaret, nouo condito testamento: atqui pars præcipua noui testamenti sunt Sacrificium, & septem Sacramenta: Ergo oportebat ea à Christo ipso in his terris existente institui. Vide S. Thom. in 4. d. 23. q. 1. a. 1. q. 1.

Secundò intelligi potest, quòd Deus instituat sacramenta per commissionem homini factam, vt institutio proximè humana sit, remotè verò ac principaliter à Deo: qua ratione leges Ecclesiasticæ, & sacramentalia instituta sunt per potestatem Ecclesiæ, à Christo concessam. Quo sensu dico nihil repugnare, quin puro homini, v.g. Apostolis, aut Ecclesiæ à Deo, vel Christo committi potuerit potestas instituendi sacramenta, id est suo arbitrio designandi sensibilia signa, ad quorum exhibitionem infallibiliter conferretur gratia sanctificans: & fortasse hoc modo arbitratus fuit Magist. d. 23. sacramentum vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum fuisse, quod reprobatur in Tridentino sess. 7. canon. 1. vbi definitur: *Sacramenta noua legis à Christo instituta fuisse*, haud dubiè immediatè ac proximè, sicuti colligitur ex sess. 14. canone 1. de Extrem. vnct. vbi dicitur, sacramentum Extremæ vnctionis à Christo institutum, ab Apostolo Iacobo promulgatum fuisse. Itaque pro indubitato in fide Catholica habendum est, quòd de facto Apostoli, aut Ecclesia sacramentum aliquod neque instituerint, neque instituēdi potestatē acceperint. Quare inquit Suarez disput. 12. sect. 2. *Ecclesia sicuti numquam in se agnouit potestatem mutādi formas, aut materias sacramentorum: ita nec augendi, aut minuendi eorum numerum.*

Vltima pars assertionis: Si puro homini, aut Ecclesiæ diuinitus commissa esset potestas sacramenta instituendi, non futuram tam excellentem, sicuti in Christo, quippe ipsi subordinatam, ab eóque dependentem, docet S. Thom. citat. art. 4. ad 3. vbi ait, si Christus alijs Ministris communicasset potestatem sacramenta instituendi, ipse esset caput Ecclesiæ principaliter, alij verò secundariò. Cōsisteret autem hęc maior excellentia seu prętogatiua in duobus: I. Quòd Christus propter vnionem hypostaticam de condigno à Deo meritus sit hanc potestatem homines per sacramenta sanctificandi: purus homo autem non nisi de congruo, & per merita Christi, tanquam capitis principaliter in Ecclesiam influentis, meriti posset, vt symbola sacra ad aliorum sanctificationem institueret, vel vt ad inuocationem nominis sui, gratia v.g. baptismalis cōferretur. II. Christus instituit sacramenta per potestatem excellentiæ, secundùm quam cōstitutus est à Deo Patre auctor, legislator, & caput Ecclesiæ: ita vt talis potestas ratione vnionis hypostaticę ipsi debita, & quodammodo connaturalis esset: hominibus autem si conferretur, solùm esset participata: sicuti alia omnis potestas spiritualis Ecclesię collata ministerialis est, ac subordinata potestati Christi, cuius alij ministri atque vicarij sunt.

QVÆSTIO TERTIA. Quę sit causa efficiens interioris effectus sacramentorum? Respondeo, & 4
dico I. Solus Deus, vt causa simpliciter principalis, operatur interiores effectus sacramentorum, qui sunt gratia sanctificans, character &c. Ita S. Thom. q. 64. a. 1. & 3.

Dico II. Christus homo, vt causa principalis meritoria; operatur interiores effectus sacramentorū. Hæc est mens S. Thom. quæst. 64. art. 3. Vbi nota: Licet causa meritoria gratiæ in suo genere principaliter & excellentissimè reperiatur in Christo homini: simpliciter tamen esse dependentem à Deo: quia meritum habet ordinem ad auctorem gratiæ principaliorem, qui est Deus: quare licet Christus vt homo, dici possit auctor gratię in genere causę meritorię: tamen in genere causæ simpliciter efficiētis solus Deus est auctor gratię.

Dico III. Humanitas Christi, secundùm potestatem 5
excellentiæ, quam propter vnionem hypostaticam,

operatur interiores effectus gratiæ, tanquam instrumentum coniunctum diuinitati. Ita colligitur ex S. Thom.3. p. q. 7. a. 6. & q. 64. art.3. vbi addit: Quòd Christus propter hanc vnionem, habeat potestatem ministerij principalis, quæ dicitur potestas excellentiæ; ita vt comparatione aliorum ministrorum ipsi subordinatorum, obtineat quandam principalitatem & causalitatem. Siquidem alij Ministri vt Paulus, Iacobus, secundùm Christi institutionem & imperium, solùm exhibent exterius ministerium, & applicationem symbolorum, quæ ex Christi meritis gratiæ sanctificantis virtutem in se continent. Quare Ioannis cap.1. legitur de Christo, *Ille est qui baptizat in Spiritu sancto*; & tamen Ioan. 4. initio dicitur, quòd *Iesus non baptizauit, sed discipuli eius.*

6 QVÆSTIO QVARTA. Vtrum bonitas, aut sanctitas Ministri requiratur ad sacramentorum ministrationem? Respondeo & dico I. Fides, aut probitas Ministri non requiritur ad validā sacramenti ministrationem; sed æquè per malos, aut hæreticos, atque per bonos, & Catholicos virtus sacramenti ex opere operato confertur. Ita contra Agrippinum Africanum, qui vixit tempore Zepherini Papæ; si item Cyprianum, & alios Episcopos in Concilio Africano, docuit Stephanus Papa: Et contra Donatistas hæreticos S. Aug. tract. 5. in Ioannem, lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, & lib. 6. cap. 1. vbi ait, id generalis Concilij auctoritate definitum fuisse, quòd Baptismus collatus ab hæreticis animarum deprædatoribus valeat. Quare Concil. Arelat.2.cap. 17. Laodicensi cap. 7. decernitur, vt, qui ab hæreticis in forma SS. Trinitatis baptizati essent, si reuersi, & Ecclesiæ, abiurata hæresi, reconciliati fuerint, præmissa chrismatis vnctione (si id sacramentum non acceperant) ad sacram Synaxin admittantur. Cuius rei testes etiam sunt Siricius Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem, cap.1. Gennadius Massiliensis lib. de Eccles. dogmat. cap.52. Theodoretus hæret. fabularum lib. 3. Concilium Romanum sub Syluestro Papa, Gregor. 1. lib.9. indict.4. epist. 61. ad Quirinum. Videri etiam potest Anastasius Papa in epist. ad Anastasium Imperat. apud Baron. Anno 497. num. 10. Gratianus in c. rebaptizare, & seqq. d. 4. de consecrat. Concil. Constantiense c. 8. Trident. sess. 7. can.12. de sacram. Magister, & alij Scolastici in 4. d 5.

Hæc veritas probari aliter non potest; nisi ex Christi institutione, quam per traditionem accepimus; quòd sacramenta conferantur, & operentur virtute diuina, ex Christi meritis; non ob bonam dispositionem, aut merita Ministri: quod alij dicunt, sacramenta, secundùm Christi institutionem ac meritum, conferre effectum ex opere operato; & non ex opere aut merito operantis Ministri; modò is essentialia adhibeat, quæ sunt materia, forma, & debita intentio. Videri possunt Eusebius lib. 7. histor. c.3. S. Aug. lib.2. contra Donatistas, cap.7. & lib.5. c.23. Vincentius Lirinensis in suo opusculo aduersus hæreticos, non procul à principio, ver. sed ne longum fiat, vbi testantur; Stephanum Papam non aliud Africanis opposuisse præter traditionem, quæ semper in Ecclesia viguerat, vt, qui ab hæreticis ministris secundum præscriptam formam baptizati sunt, ad Ecclesiam Catholicam reuersi, iterum non baptizarentur.

7 Dico II. Mortaliter peccat Minister, si mortalis peccati conscius, sacramentum aliquod ministret; si Eucharistiam consecret; vel consecratam fidelibus dispenset. Ita S. Thom. quæst. 64. art. 6. Henric. de Gandauo quodlib. 6. q.30. Richard. in 4. d.5. a.3. q.3. Adrian. in 4. de Baptis. quæst.3. §. viso. Caiet. tom. 2. opusc. q. vn. de vsu rerum spiritual. Nau. cap.1. §. Sacerdos, d.6. de pœnit. Scotus d. 1. quæst.5. a.6. Victoria de Baptismo, num.28. Vasq. disp. 136. c.3. Suarez disp.16. sect.3. Henriq. lib.1. cap.29. Sumitur ex c. vlt. de cohabit. Clericorum & mulierum, c. vlt. 15. quæst.8. quod est Nicolai Papæ respons. ad Bulgaros, cap.17. S. August. lib. 2. contra Parmenianum, cap. 10. *Omnia sacramenta cùm obsint indignè ministrantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus*: refertur in c. omnia, 1. q.1. vbi plura PP. testimonia à Gratiano congeruntur. Sed bene interpretandum est, quod ex Gelasio Papa ad Elpidium Episcopum refertur: *Sacrosancta Religio, quæ Catholicam continet disciplinam, tantam sibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet, nisi purâ conscientiâ, non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini mysterij consecrationem cælestis Spiritus aduocatus adueniet, si Sacerdos, & qui eum adesse deprecatur, criminosis plenus actionibus reprobetur?* Vult dicere, quòd talis Minister Spiritum sanctum quodammodo contristet, vt hac consideratione ipsi gratum non sit inuocari, & aduenire.

Ratio assertionis sumi debet, partim ex sanctitate ac dignitate sacramenti, quod conficere, vel ministrare in statu peccati mortalis, velut sordidum Christi instrumentum, non vacat irreuerentia: partim verò ex sanctitate & dignitate officij seu potestatis sacerdotalis: Est enim Sacerdos publicus Ecclesiæ minister, à Christo institutus; in eúmque finem ordinationis gratiam accepit, vt sacramenta fidelibus sanctè ministret: igitur ratione status ac ordinis sui, adeóque ex proprio officio, ipsi incumbit, vt tale ministerium dignè ac decenter obeat.

Amplia primò, idem dicendum esse de Sacerdote in casu necessitatis non solemniter baptizante: cùm & is hanc sacramenti ministrationē ex officio ratione ordinationis suæ exerceat, sicuti bene docuit Palud. in 4. d. 5. quæst.2. art. 2. ver. ad secundum de necessitate. Angelus ver. Baptismus, 5. §. 10. Adrian. in 4. de Baptismo, q.3. in fine, Vasq. cit. cap.3. Coninck quæst.64. a.6. dub.1. num. 36. contra quosdam apud Duran. in 4. d. 5. quæst. 2. num. 5. quos sequitur Syluest. ver. Baptismus, 3. num.5. Caiet. 3. p. quæst.64. rt. 6. Henriq. cit. c. 29. num. 4. Suarez cit. disp.16. sect. 4. Veruntamen in hoc casu Sacerdos per accidens excusari potest, si periculum in mora sit, & contritionis actum tam citò elicere se non posse arbitretur, sicuti notauit Durand. cit. quæst.2. num.6. Gabr. eod. d.5. q. vn. a.3. dub.2. eodémque modo intelligendus S. Thom. cit. a.6. ad. 3. 8

Amplia secundò, idem dicendum esse de Diacono, si ex speciali Sacerdotis delegatione Baptismum administret; multóque magis, si ex simili commissione sacram Eucharistiam alicui porrigat: Quia & ipse tunc hæc sacramenta ministrat ratione ordinationis suæ, quippe per quā habilis redditur, vt talia sacra ministeria ipsi à Sacerdote cōmittantur: cúmque Diaconus in his suppleat vicem Sacerdotis, conuenit eum similem quoque obligationem dignè ministrādi in se suscipere. Quamuis Vasq. cit. c.3. n. 39. contra alios existimet, neque Sacerdotem mortaliter peccare, si in statu peccati mortalis S. Eucharistiam fidelibus porrigat: quia tunc non conficit sacramentum, sed dispensat. Ad quod respondeo; Ipsam hanc dispensationem excellentissimi sacramenti esse munus dignissimum, Sacerdoti ex vi ordinationis suæ commissum, ideóque indignè illud obire, esse graue sacrilegium, ac mortale peccatum, secundùm doctrinam S. Th. communiter receptam in 4. d. 24. q.1. a. 3. quæstiun.5. Henrici quodlib. 6. q.30.

Dico III. Si laicus, vel alius Clericus, præter Sacerdotem, in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, non videtur plùs, quàm venialiter peccare. Ita videtur indicare S. Thom. cit. art. 6. ad. 3. & docet Caietan. ibid. Syluest. ver. Baptismus, 3. n.5. Sotus in 4. d.1. quæst.5. a.6. in fine, Suarez cit. sect.4. Henriq. lib.1. c.29. num.4. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 6. num. 4. Coninck cit. a.6. dub. 1. num.37. contra Gabr. in 4. d. 5. quæst. vn. a. 3. dub.2. in fine, Vasq. disput. 136. cap.3. num. 30. Cùm enim tales non ex vi status & ordinationis suæ, sed solùm per accidens propter casum necessitatis sacramentum ministrent; non incumbit illis tam magna obligatio ministrandi in statu gratiæ. Quare idem quoque 9

que dicendum de contrahentibus matrimonium in statu mortalis peccati cognito, non peccare eos mortaliter tanquam ministrantes sacramentum (cùm non sint ministri ad hoc consecrati) sed solùm tanquam suscipientes, vti docent Sotus, & Sanchez ll.cc. Henriq. lib. 11. cap. 2. in fine, Conink num. 38. & inclinat Suarez citat. sect. 4. ver. Ad fundamentum Durandi, contra Nauarrum cap. 1. §. Sacerdos, num. 10. distinct. 6. de pœnitent. Pet. Ledes. de matrimon. quæst. 42. art. 3. ver. ad vltimum argumentum; Vasq. citat. cap. 3. num. 38.

10 Dico IV. Incertum est, & in vtramque partem probabiliter disputari potest, vtrum Diaconus & Subdiaconus mortaliter peccare censendi sint, (scandalo cessante) si cum conscientia mortalis peccati in ordine suo ministrent, & Euangelium vel Epistolam solemniter canant: Item si Sacerdos, vel Episcopus in statu peccati mortalis sacramentalia exerceat; ille nuptias, aquam, populum, interdum cum venerabili Eucharistiæ sacramento, benedicat; hic primam tonsuram conferat, oleum benedicat, altaria, templa, Chrisma, sacra vasa, virgines consecret.

Negant Sotus in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 4. ad 1. Valentia t. 4. disput. 9. quæst. 1. p. 4. ad 4. Suarez, Vasq. Conink ll. citat. Henriq. lib. 10. c. 13. n. 3. qui tamen n. 5. excipit consecrationem chrismatis, & olei infirmorum: quia hæc ex diuina institutione proximè referuntur ad sacramenta Confirmationis, & Extremæ vnctionis. Ratio huius probabilis doctrinæ est, Quia ex SS. Patrum, & Ecclesiæ traditione non ita colligi potest, mortalem irreuerentiam à Ministris Ecclesiæ committi per indignum exercitium aliorum ministeriorum, quæ proximè non tendunt ad sanctificationem animæ ex opere operato; sicuti ex traditione habemus, mortalem irreuerentiam esse, si Minister malus & indignus sacramenta ministret, quippe quæ ex virtute meritorum Christi quasi quidam canales sint gratiæ sanctificantis in homines deriuandæ.

Affirmantem verò partem, tales Ministros mortaliter peccare, docent Angelus ver. Clericus, 8. §. 1. Syl. eod. ver. 2. num. 2. Victoria de Baptismo, num. 28. Caietan. quæst. 64. art. 3. respons. ad 1. Nauar. cap. 25. num. 72. Sa ver. ordo. num. 31. & sumitur ex c. vlt. de temporibus ordination. vbi *quæsitum est de Sacerdotibus, vel alijs Clericis, qui per reatum adulterij, periurij, homicidij, vel falsi testimonij, bonum conscientiæ rectæ perdiderunt?* Et respondetur: Si crimina eorum in iudicio probata, vel aliàs notoria non sint; monendos esse, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, vt in testimonium suæ damnationis *in susceptis etiam ordinibus non ministrent.* Ad hunc textum, quo posterior sententia valde probabilis redditur, respondet Suarez, Pontificem Gregor. IX. nihil in specie determinasse, quàm graue peccatum sit in singulis ordinibus ministrare cum peccato mortali, ideóque ex materia subiecta æstimandum id esse: Ait tamen, si Diaconus, vel Subdiaconus longo tempore, adeóque ex consuetudine altari ministret in statu peccati mortalis, vel ita ex officio ministrandi propositum habeat, mortaliter peccaturum. Idque sumi potest ex regula communiter recepta apud S. Thom. in 4. dinst. 5. quæst. 2. a. 2. quæst. 4. Quòd *quicunque in peccato mortali existens, exhibet se ministrum Ecclesiæ in quocunque spirituali, peccat:* videlicet propter indecentiam, ac irreuerentiam: ea autem propter frequentiam aut consuetudinem, magis, magisque aggrauari videtur. Sicuti si aliquis semel, aut iterum in loco sacro mercaretur, aut cum risu & ioco confabularetur, censeri posset irreuerentia venialis: sin verò id ageret frequenter, & per consuetudinem, quamuis absque contemptu: denique esset irreuerentia grauis, atque mortalis. Vide tamen si placet Vasq. disput. 136. cap. 4. vbi hanc doctrinam oppugnans, contendit, nullum omnino peccatum esse, si Diaconus & Subdiaconus in officio solemni ministrent cum conscientia culpæ mortalis.

Illud verò communiter fatenrur Doctores, contra Caietan. citat. quæst. 64. art. 6. Nauar. cap. 1. §. Sacerdos, num. 14. distinct. 6. de pœnit. Publicè prædicantem verbum Dei cum conscientia peccati mortalis, si scandalum cesset, non esse mortalis peccati damnandum. Quia prædicare non est actus ordinis, ad quem ritè peragendum Minister specialiter consecratus & sanctificatus sit, sicuti explicat Suarez cit. sect. 3. in fine.

Denique addendum est, si Sacerdos sacramentum aliquod ministraturus, mortalis peccati conscius sit, alterum horum ipsi agendum incumbere, videlicet vt vel præmissa Confessione sacramentalem absolutionem accipiat: vel per internum contritionis actum, cum proposito postea suo tempore confitendi, se in Dei gratiam restituat. Quapropter per accidens, nempe ob ignorantiam fieri potest, vt Sacerdos bona fide existimans se contritum esse, cùm non sit, sacramentum in peccato mortali administret, sine noua sacrilegij culpa.

QVÆSTIO QVINTA. An, & qualis intentio Ministri ad sacramenti necessitatem requisita sit? Notandum est, nomine intentionis intelligi voluntatem operandi quippiam, quæ duplex est, vna conditionata, & altera absoluta. Atque hæc variè distinguitur, videlicet in actualem, virtualem, habitualem, seu interpretatiuam. Eodémque recidit, si intentio diuidatur in formalem, & interpretatiuam: formalis autem subdiuidatur in actualem, & virtualem. Vtraque verò, tam actualis, quàm virtualis, denuo diuiditur in explicitam, & implicitam. 11

Intentio, siue voluntas actualis in eo Ministro est, qui cum rationis discretione attendit ad id, quod liberè agit. Virtualis intentio in eo Ministro est, qui nunc quidem non attendit; agit tamen ex antecedente rationali attentione, ac proposito; atque in ea dispositione est, vt iam quoque attendere posset, nisi animus ad alia distractus esset. Porrò attentio illa seu præsens, seu præterita vel est secundùm specificam rationem, vid. volo conferre sacramentum Baptismi; & tunc est explicita intentio; vel est secundùm generalem, & confusam rationem, volo baptizando facere, quod in Ecclesia Christi fieri solet; & tunc est intentio implicita. Habitualis denique, seu interpretatiua attentio in eo est, qui neque actualiter, neque virtualiter ex proposito rationali agit: ideóque materialiter tantùm symbola sacramentalia applicat, non vt sacra sunt, puta, si quis in somnis baptizet hominem. Ex quo sequitur, habitualem intentionem non esse propriè intentionem: cùm non sit actus voluntatis rationalis, cùm maneat in potentia, siue habitu: seu malis dicere, in hominum interpretatione: quia interpretamur aliquem velle v. g. baptizari, vel sacro oleo vngi, qui phreneticus est: propterea quod id cuperet, si rationis compos esset.

Non sum nescius, formalem intentionem interdum accipi, prout opponitur virtuali. Sed hoc loco commodius accipitur, vt etiam virtualem in se comprehendat: & quotiescunque aliquis modo humano, atque ex rationali proposito aliquid agat, censeatur habere intentionem formalem: siue ea actualiter præsens sit, siue virtualiter perseuerans. Huic autem formali, & propriè dictæ intentioni imprimis opponitur interpretatiua: si quis impræsentiarum neque actu, neque virtute manentem intentionem habeat, quamuis haberet, si rationis compos, siue ad habendam intentionem idoneus esset. Secundò opponitur intentio merè materialis, videlicet si quis symbola sacramentalia alicui applicet non vt sacra sunt, siue vt à Christo instituta ad sanctificandum, sed tantùm materialiter hominem v. g. abluat, & verba proferat.

His positis, respondeo & dico I. Ad necessitatem sacramenti requiritur, vt Minister intendat homini conferre sacramentum, saltem implicitè, si videlicet facere

velit quod vera Eccleſia ſolet, aut quod Chriſtus inſtituit, aut quod Sacerdotes Chriſtianorum facere conſueuerunt; etſi determinatè neſciat, aut non credat eſſe ſacramentum. Ita Florentinum in decreto Eugenij Papæ, Trident. ſeſſ. 7. canone 11. de ſacram. & docet S. Thom. q. 64. a. 8. & a. 10. ad 2. contra quoſdam apud Palud. in 4. d. 6. quæſt. 2. art. 3. Duran. ibid. quæſt. 2. arbitratos, formalem conferendi ſacramenti intentionem in Miniſtro non requiri. Ratio peti debet ex inſtitutione Chriſti, quã per traditionem & ſacram Scripturam didicimus; Quòd Miniſtri à Chriſto conſtituti ſint vt ſcientes ac volentes, ideóque rationali modo ſacra myſteria fidelibus diſpenſent, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Hoc autem fit, ſi intendant ablutionem v. g. vel vnctionem, cum adiecta verborum forma, homini adhibere non materialiter tantum, aut indifferenter; ſed formaliter vti ſunt ſacra ſigna, ſaltem ſecundùm generalem & implicitam intentionem: ſic enim verè ſunt Miniſtri Chriſti, cuius poteſtate ac imperio ſacra myſteria diſpenſantur. Quamobrem notauit S. Thom. d. 6. quæſt. 1. art. 2. q. 1. ad 1. Miniſtrum debere eſſe vt inſtrumentum animatum & rationale, quod non tantùm agitur, ſed etiam ſe agit ad exequendum ſuum miniſterium.

Nota obiter hoc loco, tametſi Miniſter Baptiſmi hæreticus nolit conferri gratiam ſanctificantem, aut Matrimonium contrahens nolit effici ſacramentum; ſi tamen hæc eius intentio proueniat ex priuato errore ſpeculatiuo, qua veluti conditione nititur; præualet intentio eius generalis, faciendi quod Chriſtus inſtituit, aut quod ſecundùm Dei ordinationem fieri debet, iuxta ea quæ dixi præced. c. n. 5.

Dico II. Etſi decens ſit, vt Miniſter, cùm ſacramenta miniſtrat, aut ſacrificat, habeat intentionem actualem, tamen ea ad valorem ſacramẽti non requiritur; cùm ſufficiat virtualis: puta, ſi aliquis propoſito ſacrificandi, vel baptizandi venit in eccleſiam; atque idcirco ſacras veſtes induit, ad altare, vel baptiſterium acceſſit; licet tunc, & in ipſa materiæ applicatione, formæ prolatione, ad alia cogitanda diſtractus; perficitur ſacramentum. Ita S. Thom. citat. art. 8. vbi ait: *Si in ipſo exercitio actus, cogitatio Miniſtri ad alia rapiatur, virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum: quamuis ſtudioſè curare debeat, vt etiam actualem intentionem adhibeat: ſed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate.* Prior aſſertionis noſtræ pars inde patet, quia tanta eſt Sacramentorum, & ſacri miniſterij dignitas, vt deceat illud peragere cum attẽtione mentis, & conſequenter voluntatis intentione actuali. Poſterior pars ex eo probatur: Quia Chriſtus non maiorem mentis attentionem, intentionémque requiſiuit ad Sacramentorum adminiſtrationem, quam ad alia humana negotia requiri ſoleat: at verò virtualis intentio ſufficit, vt actio aliqua cenſeatur modo humano, ac rationali fieri; quando imperata fuit ex libero actu voluntatis, eiúſque imperij ac motionis vi adhuc perdurat: quæ enim ex tali propoſito poſtea agimus, licet propter humanam imbecillitatem ad alia diſtracti, tamen liberè & humano modo agere cenſemur. Ita etiam hanc rem explicant Scotus in 4. d. 6. quæſt. 6. quæ incipit, Ad ſecundum ſic proceditur: ibidem Duran. quæſt. 2. num. 7. Palud. quæſt. 2. art. 3. ver. quartò. Gabr. quæſt. 1. art. 2. concl. 5. & art. 3. dub. 1. Suarez diſput. 13. ſect. 3. ver. Altera pars. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 2. c. 3. num. 4.

Dico III. Intentio merè habitualis, vel interpretatiua non ſufficit ad validam ſacramenti miniſtrationem. Ita Scotus Gabr. ll. cc. Rich. d. 6. art. 1. quæſt. 2. Caietan. citat. art. 8. Suarez citat. diſput. 13. aſſert. 2. Senſus eſt: Quòd qui in ſomno v. g. vel ebrietate, ſacra ſymbola materialiter adhibet, aut verba conſecrationis ſuper panem profert, propter conſuetudinem, & imaginationem nihil efficit: eſto, quòd actualem intentionem haberet, ſi animi compos eſſet; vel etiam eo propoſito ſe inebriarit, vt panem ebrius conſecraret. Ratio eſt: Quia actio miniſtrantis ſacramentum debet eſſe moralis, & propriè humana ac rationalis: talis autem eſſe non poteſt actio ebrij, aut dormientis: cùm non ſit in tali diſpoſitione, vt actiones ſuas dirigere, & cum libertate exercere queat. Quanquam eiuſmodi interpretatiua voluntas ſufficere poteſt in ſuſcipiente ſacramentum: quia ſicuti in naturalibus, ita etiam in moralibus maior perfectio requiritur in agente, quàm in patiente, ſeu ſuſcipiente.

Præterea, ſi aliquis propoſuerat homines baptizare; poſtea verò omnino immemor eius propoſiti, neque actu, neque virtute permanentis, ſed tantùm non reuocati, per ſolam imaginationem, aut conſuetudinem aquâ aliquem perfundat, cum verborum prolatione; non efficitur Sacramentum. Quamuis iſte caſus rarò accidere poterit in vigilante, & rationis compote.

Dico IV. Ad ſacramenti valorem requiritur intentio abſoluta; ideóque non ſufficit, ſi Miniſter baptizet, à peccatis abſoluat ſub conditione pendente in futurum; v. g. 13
ſi pater tuus conſenſerit, ſi concubinam domo eieceris. Ita ex communi Caiet. in ſum. ver. abſolutio, c. 1. ver. circa appoſitionem. Suarez diſp. 13. ſ. 3. aſſer. 3. Coninck cit. q. 64. a. 8. dub. 2. concl. 2. & 3. aliíque communiter, cùm aiunt, ſacramenti valorem non poſſe pendere à futuro contingente. Ratio eſt: Quia ſacra ſymbola debent à Miniſtri intentione explicita, aut implicita ſecundùm Chriſti inſtitutionem determinari, vt ſint practica & efficacia: Talia autem non ſunt, ſi eorum vis & efficacia ſuſpendatur à futuro contingente effectu. Sicuti ſi quis dicat ſe equum alteri donare, ſub conditione quòd nauis hoc menſe ex India ventura ſit, is efficaciter nondum vult donare; ita ſimiliter, qui à peccatis abſoluit ſub conditione, ſi pœnitens concubinam eiecerit, is nondum efficaciter abſoluere intendit. Diſcrimen tamen eſt, quòd donatio, & omnis alius contractus eueniente poſtea conditione perficitur, & abſoluitur: at verò ſacramenta (excepto Matrimonio, de quo dicam tract. vlt. p. 2. c. 7. aſſer. 2.) in euentu conditionis perfici non poſſunt: cùm ſacra ſymbola, quorum actualis exhibitio ad ſacramenti ſubſtantiam ſpectat, tunc non exiſtant.

Corollarium: Si quis miniſtret ſub conditione de præſente, vel præterito, ſtatim valet ſacramentum, ſi conditio eſt; non valet autem, ſi conditio non eſt: v. g. *Baptizo te, ſi baptizatus non fuiſti: abſoluo te, ſi capax es.* Ratio eſt: Quia conditio de præſente, aut præterito, cùm extra cauſam poſita, & non in futurum dependens ſit, non ſuſpendit intentionem, actionémque; ſed mox facit tranſire in abſolutam, efficacem: ſicuti ſi dicam, *volo tibi donatum, ſi pater tuus viuit; ſi mortuus eſt.*

CAP. VI.

De ſubiecto Sacramentorum, eorumdémque effectibus.

SVMMARIVM.

1 *Aliud eſt ſacramentum; & aliud eſt res ſacramenti.*
2 *Quædam ſacramenta viuorum ſunt, & quædam mortuorum.*
3 *Præter effectum gratiæ ſanctificantis, in ſingulis ſacramentis conferuntur ſpecialia actualia auxilia gratiæ.*
4 *Ad valorem ſacramenti in adultis requiritur ſuſcipiendi propria voluntas, ſaltem interpretatiua.*
5 *Ad conſequendam iuſtificationem in ſacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ neceſſariò requiritur in adultis pœnitentia; vel ſi peccatum mortale actuale non habent, alius pius animi motus in Deum.*
6 *Sacramenta æqualem gratiam conferunt omnibus ſuſcipientibus, ſi æqualiter diſpoſiti ſunt, ſecus, ſi inæqualiter.*

NOTANDVM eſt primò; Quòd aliud eſt ſacramentum, & aliud res ſiue effectus ſacramenti. 1
Quemadmodum enim omnis cauſa ab effectu ſuo diſtinguitur, & interdum re ipſa ſeparatur, ita & hîc fieri poteſt,

eſt, vt tota ſacramenti alicuius eſſentia conſiſtat; attamen effectus eius, quæ eſt gratia ſanctificans, non conferatur propter impedimentum ſeu obicem ſuſcipientis. Etenim ad ſacramenti inſtitutionem atq; eſſentiam haud pertinet, vt actu conferat gratiā; ſed vt ſit collatiuum gratiæ: ſicuti ad naturam & eſſentiam ignis non pertinet calefacere, ſed eſſe calefactiuum, quatenus eſt ex parte ſua. Quod Tridentinum indicauit ſeſſ. 7. can. 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi rite ea ſuſcipiant: ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit.*

Notandum ſecundò: Si quæratur de capacitate ſubiecti, videlicet hominis viatoris, aliter dicendum eſt in ordine ad ſacramenti valorem? & aliter in ordine ad ſacramenti effectum, quæ eſt gratia ſanctificans: idque colligitur ex priore notādo, & in aſſertionibus manifeſtum fiet.

2 Notandum tertiò: Quædam ſacramenta per ſe inſtituta ſunt ad tollēda peccata mortalia; adeóque ad hominē iuſtificandum, ſeu gratiam primam cōferendam ex opere operato: videlicet Baptiſmus & Pœnitentia, quæ proinde *ſacramenta mortuorum* appellari ſolent: Reliqua verò *ſacramenta viuorum* ſunt, id eſt, per ſe inſtituta pro iuſtificatis, ad iuſtitiæ augmentum, ſeu gratiam ſecundam conferendam ex opere operato. Veruntamen ſicuti ſacramenta, quæ per ſe ad homines iuſtificandos inſtituta ſunt, ſi inueniant ſubiectum antea iuſtificatum, conferunt illi gratiam ſecundā, ſeu gratiæ augmentum; cùm nihil omnino obſtet ex parte ſubiecti: ita ſimiliter ſacramenta, quæ per ſe inſtituta ſunt ad augēdam gratiam ſanctificantē, ſi in ſubiecto gratiam primam non inueniant, operantur & conferunt illam; modò in ſuſcipiente nullus obex iuſtificationis ſit. Ita ſpeciatim de ſacramento Euchariſtiæ, quòd peccatorem peccati ſui non conſcium, cum attritione bona fide accedentem iuſtificare poſſit, docent Scholaſtici in 4.d. 9. vbi S.Bonau.a.2.q.3. Scot.§.dicendū. Duran.q.4.n.7. Palud.q.2.a.1.& d.12.q.1.a.3.concl.2.

3 Notandum quartò; Præter effectum gratiæ ſanctificantis, qui omnibus ſacramentis communis eſt, vti docet S.Th.q.62.a.1. in ſingulis ſacramentis dantur ſpecialia auxilia gratiæ actualis, proportionata fini illi, ob quem ſacramenta ſingula inſtituta ſunt. Quo ſenſu videtur dixiſſe S.Th.a.2.ad 3. gratiam ſanctificantē in ſingulis ſacramētis ſpecialem eſſe, quatenus conſideratur vnà cum diuinis auxilijs, ad eundem cuiuſq; ſacramenti finem conferendis. Deniq; aliqua ſacramenta, quæ ſemel collata repeti non poſſunt, præter effectus gratiæ, etiam characterem indelebilem animæ imprimunt; de quo dicam c. ſeq.

4 Aſſertio I. Ad valorem ſacramenti requiritur in adultis ſuſcipiendi propria voluntas ſeu intētio, ſaltem interpretatiua. Hæc eſt communis, & vera doctrina S.Th.q.68.a.7. Alenſis 4.p.quæſt. 18. mem.1. Scoti in 4. d. 4.q. 4.§. circa ſecundum membrum diuiſionis, S. Bonau.ead. d.a. 2. q. 1. Rich. d.6.a. 2. quæſt.3. Duran. d. 4. quæſt.4.& 5. Palud.d.4.quæſt. 4.& d.6.q.2. Adrian. quæſt.1. de Baptiſmo, a.3. Maioris d.4. q. 2. propoſ. 5. contra Caiet. q. 68.a.7. qui non rectè intellectā ſententiā S. Doctoris in 4.d.6.q.1.a.2.quæſt. 3.& Innoc.III.in c. maiores, de Baptiſmo, docuit, ad valorem Baptiſmi v.g. non requiri vllam voluntatem ſuſcipientis, modò contrariam non habeat; ita vt ſi infidelis, qui de Baptiſmo nūquam cogitauit, dormiens baptiſetur, Baptiſmus validus cenſendus ſit. Sumitur aſſertio ex Concil. Carthagin.3. c.34. Arauſicano, 1.c.12. quæ loca referā in tr.6.c.8.n.3. S.Auguſt.lib.4. de Baptiſ.c.24. quod refertur in c. cùm pro paruulis, d.4. de conſecrat. Innoc.III. in cit.c.maiores, §.item quæritur, vbi reſponſum ſuum, quòd inuitis & reluctantibus Baptiſmus validè non confertur, inde oſtendit: *Quia plus eſt expreſſè contradicere, quàm numquam conſentire:* quaſi diceret, ſi adultus nullo modo conſentiens cenſetur habere obicem contrarium ſacramenti ſuſcipiendi, multò magis qui abſolutè contradicit. Eadémq; eſt doctrina S. Th.in cit.quæſt.3. Ratio verò eſt: Quia per ſacramenta homines initiantur, & conſecrātur Deo, vt in eius Eccleſia & cultu ſtabiles perſeuerent: ergo valde cōgruum eſt, vt proprium conſenſum afferant, ſi eius capaces ſint, videlicet adulti. At verò paruuli & perpetuò amentes, cum propriam voluntatem afferre non poſſint, ſacramenta ſuſcipiunt in fide ac voluntate Eccleſiæ, ac Chriſti; ne, ſi ſacramentorum incapaces ſint, omnino pereant.

Aſſertio II. ad conſequendam iuſtificationem primam in ſacramento, videlicet Baptiſmi, aut Pœnitentiæ, neceſſariò requiritur in ſuſcipiente aliqua pœnitētia ſeu dolor 5
animi ex motiuo ſupernaturali ſuſceptus de peccatis. Sumitur ex Trident.ſeſſ.6.c.6. & ſeſſ.14. c.4. S. Auguſt. epiſt.48. ad Vincentium, vbi generatim ait; *à quocūque ſeu magno, ſeu paruo peccato ad correctionem ſine pœnitentia non poſſe tranſiri.* Et lib.50. Homiliar. in homil.27. princ. *Neque ad Baptiſmum Chriſti, in quo omnia peccata delentur, quiſquam bene accedit, niſi agendo pœnitentiam de vita priſtina. Nemo enim eligit vitam nouam, niſi quem veteris pœniteat.* Et homil.vlt.c. 2. *Cæterorum hominum*, præter paruulos, *nullus tranſit ad Chriſtum, vt incipiat eſſe quod non erat, niſi eum pœniteat fuiſſe quod erat.* Ratio peti debet ex voluntate & inſtitutione diuina: Congruum enim eſt ac decens, vt, qui per peccatum propria voluntate ſe à Deo auertit illud deteſtando aliquo modo ad Deum accedat: alioquin peccati remiſſionem cōſequi nunquam poſſit. Vide quæ dicam tract.6.c.1. Porrò rectè monent Suarez diſp. 7.ſ.4. col.3. Coninck q. 62.a.1.dub.2. Si adultus ad Baptiſmum veniat iuſtificandus, nullum habens peccatum actuale mortale, non opus ei eſſe dolorem de peccatis, attamen alium pium motum animi, v.g. ſpei, aut charitatis quo in Deum feratur.

Aſſertio III. Iuſti ad conſequendū gratiæ augmentum in ſacramentis, quæ viuorum ſunt, præter ſuſcipiendi voluntatem, alia bona diſpoſitione neceſſariò non indigent. Ita ex communi Suarez diſp. 7.ſ. 4. aſſert. 4. Nam ſacramenta ex opere operato conferunt effectū gratiæ, modò in ſuſcipiente obex non ſit: non poteſt autē in voluntariè ſuſcipiente alius obex eſſe ſuſcipiendi gratiæ augmenti, niſi peccatum mortale: ergo ſi hoc abſit, confertur gratiæ ſanctificantis augmentum, cum annexis actualibus auxilijs diuinis, cuique ſacramentali gratiæ proprijs.

Aſſertio IV. Sacramenta æqualem gratiam omnibus 6
ſuſcipientibus conferunt, ſi æqualiter diſpoſiti ſunt; ſecùs, ſi inæqualiter: nam ſecundùm bonam ſuſcipientis, præſertim actualem, diſpoſitionem, deuotionémque, gratia vberior confertur. Ita docet S. Th.q.69. a. 8.& in 4. d. 4. quæſt.2.a. 3.quæſt.2. Alenſis p. 4. q. 21. mem. 3. S. Bonau. ead.d.4.quæſt.vlt. Richar.a.3.q. 3. Maior quæſt. 3. Sotus d. 6. q. 1. art. 6. Suarez diſp. 7. ſ.5. Prior pars, quæ etiam eſt S. Cypriani, lib. 4.epiſt.7. S.Chryſ.homil. 24.in Acta, probatur, contra Scotum in 4.d.4.quæſt. vlt. vtrum omnes baptizati, Paludan.ibidem, q.1.a. 2. Gabr. q. 2.a.2.concl.7. Caiet.q.64,a.1. Si enim ſubiecta æqualiter diſpoſita ſint, non poteſt aſſignari ratio, cur vni plus gratiæ conferatur, quàm alteri: Non enim ex parte ſacramenti, quippe quod virtutē operandi habens ex opere operato, ſecundùm legem & inſtitutionem DEI definitū effectum producit: Neq; ex parte Miniſtri propriam deuotionē afferētis, vt Caiet. opinatus eſt: nam nullus homo alteri gratiam ſanctificantem immediatè, ſeu propria alterius bona operatione non interueniente, etiam de cōgruo impetrare poteſt: cùm ſolius Chriſti officium ſit, homines ſanctificare, ſeu hominibus gratiam ſanctificantē apud Deū Patrē mereri, vti docet Maior d.4. q.3. col. 2. Suarez cit.diſp.7.ſ.5. contra Caiet. loco cit. Quod verò Palud. Scotus, & Gabr. dicunt, ideo paruulis diuerſos gratiæ ſanctificantis gradus in Baptiſmo infundi, quia ad diuerſos gradus gloriæ à Deo prædeſtinati ſunt, id totum incertum eſt; cum neque in Scriptura ſacra, neque per tra-

ditionem nobis reuelatum sit. Posterior pars, quæ tradita etiam est à S. Damasc. lib. 4. de Fide, cap. 10. & in Trident. sess. 6. cap. 7. aliter probari non potest, nisi quia congruum est, sacramēta ita à Deo instituta fuisse, vt eorum sanctificandi virtus secundùm maiorem præparationem, dispositionémque suscipientis, vberiorē gratiæ effectum producat. Confirmatur ex eo, quòd alioquin vehemens attritionis dolor, quem homo ad sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ affert, omni fructu careret. quod absurdum videtur.

CAP. VII.

De Charactere.

SVMMARIVM.

1 *Characteris, seu signi spiritualis animæ suscipientis sacramenta impressi, frequens est mentio apud antiquos Patres.*
2 *Tria sunt sacramenta, quibus indelebilis character animæ imprimitur, ideoque repeti non possunt; Baptismus, Confirmatio, & Ordo.*
3 *Character partim ad primam speciem qualitatis, partim ad secundam pertinet.*
4 *Effectus gratiæ in sacramentis non iterabilibus, si propter suscipientis indispositionem impeditus fuit, remoto obice, statim confertur.*
5 *Credibile est, etiam post acceptum sacramentum Extremæ vnctionis, Matrimonij, aut Eucharistiæ, nondum absumptis speciebus, remoto obice, gratiam conferri.*

CHARACTERIS nomine intelligimus spirituale, & indelebile signum, quod per quædam sacramenta
1 animæ suscipientis imprimitur, vt Christo tanquam Duci, aut Pastori suo deputetur, & consecretur. Eius rei testimonium habemus apud Apostolum 2. ad Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus; qui & signauit nos* (σφραγισάμενος) *& dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et ad Ephes. cap. 1. *In quo* Euangelio πιστεύσαντες, postquam credidistis, *signati estis Spiritu promissionis sancto.* Ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis.* Quæ loca explicans S. Chrysost. hom. 2. ad Ephes. ait: *Obsignati sunt & Israelitæ sed circumcisione, quemadmodum pecudes: obsignati sumus & nos, sed Spiritu, vtpote filij.* Similia habet S. Epiphan. hæres. 8. Eiusdémq; Characteris seu animæ impressi signi mentionem frequenter faciunt alij Patres, vt S. Dionys. de Eccles. hierar. c. 2. p. 3. de baptismo loquens: *Hunc ita accedentem diuina Maiestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit, sanctum efficiens, & sanctorum sortis, ordinisque participem.*

S. Basilius in exhort. ad Baptismum, quæ est homilia 13. *Tesseram Duces sub se militantibus dant.* Et infrà: *Nemo te, quarum, nostrarum, an aduersarij partium sis, nouerit, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras; nisi signatum sit super te lumen vultus Domini; nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices, Dei sum, signa non ostendens?*

Cyrillus Hierosolym. præfat. in Catecheses ait, quòd *Baptisma sit mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile.* & catech. 17. *Spiritus sanctus paratus est* in Baptismo *obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod Dæmones tremunt. cœleste quoddam & diuinum in te sigillum sanctificationis Dei.*

S. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 6. *Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, vt Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cœlestis effigiem.*

S. August. huius characteris frequenter meminit, eúmque omnibus baptizatis impressum, indelebilem esse testatur, eámque causam esse, cur apostatæ ad Ecclesiam redeuntes denuò baptizandi non sint: Contra epistol. Parmen. lib. 2. c. 13. *An fortè minùs hærent sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc* (militibus indita) *nota? cùm videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse indicatur.* Et tract. 5. in epist. S. Ioannis: *Baptisatus sacramentum habet, & magnum sacramentum &c. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore: videat si habeat charitatem, & tunc dicat, natus sum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.* Similia de Confirmationis sacramēto habet idem S. Doctor lib. 2. contra liter. Petiliani, c. 104. Ac denique de sacramento Ordinis in lib. de bono coniug. cap. 24. *Manet in ordinatis sacramentum Ordinationis, etsi aliquā culpa quispiam ab officio remoueatur, sacramento Ordinis semel imposito non carebit,* quamuis *ad iudicium permanent.*

Assertio. Tria sunt sacramenta, quibus character indelebilis imprimitur, ideoque repeti non possunt; Baptis- 2
mus, Confirmatio, & Ordo. Ita S. Thom. q. 63. a. 1. 5. & 6. Auctor antiquus inter opera S. Cypriani de ablutione pedum, S. Bonau. in 4. d. 6. q. 1. a. 3. Richard. d. 5. a. 2. quæst. 4. Palud. d. 4. quæst. 2. a. 3. & colligitur ex Innoc. III. c. maiores, de Baptismo, & definitur in decreto Eugenij, ver. Quintò. Trident. sess. 7. can. 9. Etenim per Baptismum signandus est homo, vt ab infidelibus segregatus sit, atque ad Christi ouile pertinens: qua similitudine vtitur S. Aug. lib. 6. de Baptismo contra Donat. c. 1. *Plenarij Concilij auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientē ad Christianæ vnitatis salutem, ab errore corrigi, & à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potiùs, quàm improbari.* Per Confirmationem signatur homo tanquam miles Christi ad pugnam deputatus: qua similitudine vsus est S. Basilius loco cit. Cyrill. catech. 3. ad Catechumenos, *Spiritus sanctus obsignabit animas vestras: deligendi estis in militiam magno Regi.* Per Ordinem denique signatur homo, tanquam deputatus Minister Christi, & dispensator mysteriorum Dei.

Exinde colligitur primò; Definitio characteris, quòd 3
sit qualitas spiritualis ac supernaturalis homini in quibusdam sacramentis diuinitus indita, partim vt eius anima ornetur ac bene disponatur secundum se; partim vt ea homo deputetur ad alia sacramenta quædam seu suscipienda, seu tradenda. Secundùm priorem considerationem, quatenus character est permanens qualitas inhærens, ac bene afficiens subiectum, pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ est habitus ac dispositio, sicuti docet Alensis p. 4. quæst. 19. mem. 1. a. 2. ver. ideo dicendum, S. Bonau. in 4. distinct. 6. p. 1. a. 1. quæst. 1. Suarez disp. 11. s. 3. Vasquez disp. 134. c. 3. num. 70. Coninck disp. 63. a. 2. num. 12. Secundùm posteriorem verò considerationem, quatenus character hominem extrinseca Dei voluntate ac deputatione, adeóque moraliter idoneum reddit ad sacramenta suscipienda, alijsque tradenda, reduci potest ad secundam qualitatis speciem, quæ est potentia & impotentia, sicuti docet S. Thom. quæst. 63. a. 2. Caiet. ibid. Richard. in 4. d. 5. a. 2. quæst. 1. ad 3. Nam inprimis character Baptismi idoneum reddit hominem, vt alia Christi sacramenta validè suscipiat; atque vt sacramentum Matrimonij ministrare possit: siquidem ipsi contrahentes, si baptisati sunt, eius sacramenti ministri existunt. Character Confirmationis moraliter disponit hominem, vt alia sacramenta, præter Baptismum, conueniētiùs suscipiat, atque etiam conferat, si reliqua requisita adsint: Deinde character iste cum gratia sanctificante, tribuit homini ius ad auxilia Dei actualia, quibus adiuuetur ad specialem finem sacramenti, videlicet vt confirmatus fidem Christi constanter tueatur ac defendat: cuiusmodi moralem potētiam in omni charactere agnoscit S. Thom. a. 4. ad 1. Character Ordinis hominem idoneum reddit inprimis ad conficiendum, & fidelibus dispensandum corpus Christi; item ad ministrandum sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis: Episcopalis verò character ad fideles confirmandos, ordinandósque. Quinetiam per characterem Presbyteratus homo idoneus redditur, vt ordinem Episcopatus

patus qui & ipse sacramentum est, validè accipere possit.

4 Colligitur secundò: Si suscipiens sacramentum aliquod ex imprimentibus characterem, obicem ponat gratiæ sacramentali, quia indispositus est, & quasi fictus accedit, v.g. ad Baptismum non afferens fidem, aut dolorem de peccatis; quòd remoto postea seu recedente fictione, videlicet assumpta bona dispositione fidei, pœnitentiæ, ex opere operato conferatur illi gratia sacramentalis. Ita de Baptismo docuit S. August. lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, c. 12. & lib. 3. c. 13. vbi ait, quòd Baptismus apud hæreticos homini collatus, etsi ipsi tunc operabatur mortem, conuerso tamen ad Ecclesiam Catholicam mox operetur salutem: quo nomine perfectam salutē seu animæ sanitatem intelligi oportet, quæ cōsistit in plena remissione peccatorū, tū quoad culpam, tū quoad pœnā. Vide quæ dicā tr. seq. c. 6. n. 5. De omnib⁹ verò sacramētis characterem imprimentibus hoc ipsum docet Richar. in 4. d. 4. a. 1. q. 2. ad 2. Maior ibid. q. 2. ver. circa sextam propositionem, Gabr. in 4. d. 17. q. 1. a. 3. dub. 2. Couar. c. alma, p. 1. §. 4. n. 13. in fine, Medina, C. de confess. q. 20. ver. ad secundam dicendum, Suarez disp. 28. s. 1. Coninck q. 62. a. 1. dub. 5. n. 72. Ratio est: Cùm sacramenta characterem imprimentia constituant hominem in statu immutabili; sed dum obex gratiæ durat, imperfecto ac diminuto: quia Character est quasi potentia passiua, quæ perfici debeat aduentu gratiæ sanctificantis, per quam demum ius acquiritur ad gratias actuales homini valde necessarias, vti docent S. Th. Alensis, Bonau. locis cit. ideo credendum est, Deum misericorditer ita instituisse, vt recedente obice, seu fictione, mox effectus gratiæ sacramentalis ex opere operato conferretur. Est autem hæc doctrina contra Sotum in 4. dist. 6. q. 1. a. 8. Vasq. disput. 62. a. 2. qui hanc vim soli Baptismo tribuunt.

5 His adde, probabile esse, quòd etiam per sacramentum Matrimonij, si durante coniugio obex tollatur, gratia sacramentalis ex opere operato conferatur: Item sacramentum Extremæ vnctionis, si positus obex eodem durante morbo auferatur. Quia licet characterem hæc sacramenta non imprimant, ideóque de his minus certò id, quod dixi, affirmari possit; tamen constituunt hominem aliquamdiu in tali statu, quo noua sacramenti susceptione gratiam sacramentalem consequi non possit: quare videtur ita à Deo misericorditer institutum esse, vt moraliter veluti habitu quodam perdurent ad eandem gratiam sacramentalem remoto obice conferendam. Accedit hoc speciale in sacramento Matrimonij, quòd in eo sacra symbola aliquo modo permanent: nam ob eandem rationem credibile etiam est, in sacramento Eucharistiæ, si obex suscipientis remoueatur, seu bona dispositio succedat, priusquam species sacramētales absumptæ sunt, gratiam sacramentalem ex opere operato conferri, vti notauit Coninck cit. dub. 5. num. 78.

CAP. VIII.

De numero Sacramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Septem sunt nouæ legis propriè dicta sacramenta, à Christo instituta. Vide n. 3.*

2 *Frequentissima apud Patres antiquos mentio est, eorum præcipuè sacramentorum, quibus homo simpliciter perficitur, Deóque initiatur, aut consecratur: qualia sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, sacra Ordinatio.*

1 ASSERTIO. Septem sunt nouæ legis propriè dicta sacramenta, congruenter à Christo instituta. Ita S. Th. q. 65. a. 1. & definiuit Trid. sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non esse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè sacramētum, anathema sit.* Nam in hanc doctrinā non solùm Latini omnes, sed etiam Græci, & Armeni cōsentiunt, sicuti apparet ex Concil. Florentino in decreto Eugenij, & responso primo Hieremiæ Patriarchæ Constantinopol. ad articulos confessionis Augustanæ, cap. 7. vbi ait: *Sacramenta ritúsque in hac ipsa Ecclesia rectè sentientium Christianorum sunt septem; Baptisma, Chrisma sancti Vnguenti, diuina Communio, manus impositio* (χειροτονία, seu Ordinatio) *Matrimonium, Pœnitentia, & sacrum Oleum.* Et paulò pòst: *Omnia hæc Dominus noster Iesus tradidit, eiúsque sancti Discipuli per ipsum.* Quare cùm in hanc doctrinam totus orbis Christianus, Occidens & Oriens, hactenus consenserit, contra eam disputare insolentissimæ insaniæ est, teste S. August. epist. 118. ad Ianuar. Præsertim cùm nullum vestigium in antiquitate appareat, quonam tempore vnum ex his sacramentis nouiter in Ecclesiam introductum, & institutum fuerit: ideóq; eorum origo ad prima tempora, videlicet Christi institutionem, & Apostolorum promulgationem referri debet.

Neq; refert, quòd nuspiam in Patribus antiquioribus expresè legamus, esse septem sacramenta: quia non erat ipsis propositum, sacramentorum numerum colligere; cùm neq; in dubium reuocaretur: sed recensebant sacramēta modò plura, modò pauciora, prout suo instituto inseruiebat. Et quidem frequentissimè reperies apud PP. 2 trium sacramentorū, Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ mentionem fieri; quia hæc cuilibet ad Ecclesiam Christi recepto, ad eius quandam consecrationem, & perfectionem, ordine conferebantur, vti videre est apud S. Dionys. de Ecclesiast. hier. c. 2. p. 2. *Sacerdotes indutum* (veste alba baptizatum) *rursus ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimæ Communionis participem facit.*

Eorundem trium sacramentorum mentionem facit Tertull. lib. de resurrect. c. 8. vbi explicat, quid homini in carne fiat, cùm anima eius Deo allegitur, seu consecratur. *Caro abluitur, vt anima emaculetur.* Ecce Baptismum. *Caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt & anima muniatur; caro manus impositione obumbratur, vt & anima ipsius illuminetur.* Ecce Confirmationis sacramentum, quod per impositionem manuum Episcopalium, & chrismatis vnctionem in crucis forma confertur. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Ecce Eucharistiæ sacramentum. *Igitur, vt retexam,* inquit c. 9. *Quam Deus*, hominis carnem animâ formatam, *manibus suis ad imaginem suam struxit &c. quam sacramentis suis, disciplinísque vestiuit; hæccine non resurget?*

Idem Tertull. lib. de præscript. aduersus hæreticos, c. 40. ait, quòd Diabolus ipsas res sacramentorum diuinorum in idolorum mystreijs æmulatur: *Tingit & ipse quosdam vtique credentes, & fideles suos: expiationem peccatorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mythræ: signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem.* Videri potest pro huius loci intellectu Iustinus Martyr in Apologia pro Christianis ad Antoninum Pium.

Sanctus etiam Ambros. in libro de ijs qui mysterijs initiantur, c. 7. in fine, vbi baptizatum alloquitur: *Repete, quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij, & virtutis, spiritum cognitionis & pietatis, spiritum sancti timoris, & serua quod accepisti. Signauit te Deus Pater, cōfirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis.* Et statim c. sequent. *His abluta plebs diues insignibus ad Christi contendit altaria: depositis inueterati erroris exuuiis, renouata in aquilæ iuuentutem, cœleste illud festinat adire conuiuium.* Et lib. 3. de sacrament. posteaquam in cap. 1. de Baptismo, eiusque cæremonijs dixisset, cap. 2. prosequitur: *Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi: quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis* (Intellige primum Sacer-

dotem seu Episcopum) *Spiritus sanctus infunditur.* Et paulò pòst: *Post hæc quid sequitur? venire habes ad altare:* de quo sacramento altaris, & transubstantiatione panis, vide quæ idem S. Pater disertè scribit lib. 4. c. 3. & seqq.

Adde his Cyrillum Hierosolymitanum in catechesi mystagogica 3. *Nobis post quam ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit illius* (Spiritus sanct:) *quo vnctus est Christus.* Et catechesi 4. *Beati Pauli doctrinæ satis potest vos efficere certißimos de diuinis mysteriis, quæ vobis donata sunt, qui facti estis Christi corporis, & sanguinis comparticipes.* Eodémque sensu accipi possunt verba, quæ ex S. Greg. I. refert Gratianus in cap. multi, 1. q. 1. & Rabanus Maurus de Ordine Antiphonarij, cap. 24. *Sunt autem sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi*: talia videlicet, quibus communiter omnes fideles Christo initiari solent ad Christianam perfectionem consequendam, quæ proinde etiam infantibus (saltem secundùm veteris Ecclesiæ morem) conferri possunt.

Frequentissima etiam apud Patres est mentio sacramenti Ordinationis, quippe quod homini Christiano tribuit perfectionem simpliciter dictam. Id legere potes primò apud S. Dionys. Areop. de Eccl. hierarch. c. 5. p. 1. vbi quatuor sacrorum mysteriorum commemorat: Baptismum, quem *sanctam regenerationem, purgationem, illuminantémque scientiam vocat.* Confirmationem, quam *vnguenti confectionem* appellat: *Synaxin*, & *Ordinem sacratiorem Pontificum.* quorum etiam officia diuinitus commissa recenset: *Diuina lex pontificalium ordinationum sanctimoniam, & diuini confectionem vnguenti, sacrámque altaris consecrationem, reuerendißimorum Pontificum officiis, atque virtutibus æterna sorte distribuit.* Ne autem quisquam de auctoritate huius libri dubitare possit, cum nomine S. Dionysij Areopagitæ citant Patres Concil. VI. Oecumenici, act. 4. Martinus I. Papa in Concilio Lateranensi to. 2. Concil. pag. 830. col. 1. edit. Coloniensis, Gregor. I. homil. 34. in Euangel. & ante ipsum Anastasius Sinaita in suo ὁδηγῷ, cap. 24.

Secundò apud S. Gregor. Nyssenum in orat. de S. Baptismate: *Panis initio est panis communis: sed vbi eum mysterium sanctificauerit, corpus Christi & dicitur, & est: eodem modo vinum; cùm sint res exigui pretij ante benedictionem, post sanctificationem, quæ à Spiritu procedit, vtrumque eorum excellenter operatur. Eadem verbi vis etiam Sacerdotem augustum, & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum.*

Tertiò S. August. contra epist. Parmeniani, lib. 2. c. 13. ait. *Nulla causa ostenditur, cur ille qui ipsum Baptisma amittere non potest, ius dandi* (id est, sacerdotalem potestatem) *amittere poßit. Vtrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur; illud cùm baptizatur, istud cum ordinatur; ideóque in Catholica vtrumque non licet iterari.* Et infrà: *Si vtrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento iniuria inferenda est.* Similia habet lib. 1. contra Donatistas, c. 1. Idémque S. Aug. quatuor sacramentorum meminit lib. 5. de Baptismo, cap. 5. *Si ad hoc valet, quod dictum est in Euangelio, Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur?* Arbitror autem cum Petro Canisio in Catechismo p. 3. vbi de Confirmat. cap. 2. Doctorem locutum esse de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, sacrâ ordinatione: id enim etiam ordo enumerationis horum sacramentorum persuadet.

Porrò alia tria sacramenta, Pœnitentia, Extrema vnctio, & Matrimonium, non ita vti reliqua instituta sunt ad homines Christo consecrandos, absolutè & simpliciter perficiendos. Quod inde ostendo, quia posset aliquis esse perfectissimus Christianus, & Christo perfectissimo modo consecratus, etsi nullum horum sacramentorum suscepisset. Nam Matrimonij quidem sacramentum in concupiscentiæ remedium institutum est; quam si quis aliter superare velit, melius est illi continentem viuere. Pœnitentiæ autem sacramentum (cuius veluti consummatiuum, & aliquo modo accessorium est sacramentum exeuntium, siue Extrema vnctio) per se ac principaliter pro lapsis institutum est, tanquam altera tabula post naufragium, seu alterum subsidium pro lapsu in peccatum mortale post baptismum: quare si quis à peccato mortali abstinens gratiam baptismalem illæsam seruet, Pœnitentiæ sacramento absolutè non indiget. Hæc fortasse causa est, cur Patres frequenter recensentes sacramenta, quibus Christianus efficitur, perficitur, Deóque consecratur, ijs in locis trium sacramentorum non meminerint: quamuis alibi eorundem quoque mentio à Patribus fiat, vti infrà manifestum fiet.

Quòd autem sacramenta septem congruenter à Christo pro humani generis auxilio instituta sint, ostendit S. Thom. quæst. 65. a. 1. Nam homines considerantur, vel vt singuli sunt, vel in ordine ad societatem. Prima consideratione homo, per se loquendo, tribus indiget secundum corpus, vt nascatur, crescat, & nutriatur: quibus spiritualiter tria sacramenta respondent: Baptismus, Confirmatio, & sacra Eucharistia. Per accidens verò necessarium est homini, vt remoueantur impedimenta videlicet ægritudines, & alia eiusmodi. Ita secundùm spiritum homo incurrit interdum infirmitatem, videlicet peccatum cuius rei causa duo sacramenta habemus, videlicet Pœnitentiam, quæ homini sanitatem adfert; & Extremam vnctionem, quæ etiam reliquias peccati, ipsúmque animi languorem aufert. Altera consideratione, videlicet, in ordine ad Communitatem, perficitur homo duobus modis: Primò, si accipiat præeminentiam super alios, & potestatem exercendi actus publicos, quod fit per sacram Ordinationem. Secundò, si propagationi humani generis, & piæ liberorum educationi inseruiat: quod fit per Matrimonium, institutum, vt & sacramentum sit, & naturæ officium.

TRACTATVS SECVNDVS, DE SACRAMENNTO BAPTISMI.

CAP. I.

De nomine, ac definitione Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus eſt ſacramentum regenerationis, per aquam in verbo.*
2 *Intentio, ſaltem implicita, conferendi ſacrum ſymbolum, eſt de neceſſitate ſacramenti.*



Ἄπτισμα, Græcâ vox, propriè immerſionem ſignificat, cui & Germanica reſpondet, *Tauffen, oder taucben.* Repetitur tamen vox βαπτίζω apud Scriptores (præſertim Eccleſiaſticos) etiam abſolutè pro *lauo* ſeu *abluo*: Vt meritò etiam Eccleſia vocem baptiſmatis vſurpet, ſiue ablutio fiat per immerſionem corporis in aquam, ſiue per affuſionem aquæ in corpus. Alijs verò pluribus nominibus tum in Scriptura ſacra, tum à Patribus ſacramentum iſtud afficitur, vti videre eſt apud Clementem Alexandrinum lib. 1. pædagogiæ, cap. 6. Nazianz. orat. 40. in ſacrum Baptiſma, Chryſoſtomum homilia ad baptizandos. Dicitur enim *lauacrum regenerationis*, ex Apoſtolo ad Titum 3. *Illuminatio*, ex eod. ad Hebr. 6. & 10. quia in Baptiſmo lumen Fidei infunditur: quamobrem etiam vocatur *indumentum*, & *vnctio ſpiritualis*, item *donum, gratia*, & *perfectum*, quia plena in eo peccatorum remiſſio confertur: Deinde appellatur *Circumciſio*, ad Coloſſ. 2. *Crux & ſepulchrum*, Rom. 6. Nam in Baptiſmo deponentes corpus peccati, induimus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, ideóque conformamur Chriſto, qui in cruce peccatum humani generis deſtruxit, & ſuperata mortalitate, poſt ſepulturam reſurrexit, iterum non moriturus, ſicuti etiam notat Cyrillus catech. 3. S. Ambroſ. lib. 2. de ſacram. in fine, & lib. 3. in princip. Denique etiam *ſigillum*, ſeu *ſignaculum*, ex Apoſtolo ad Epheſ. 1. & videre eſt apud S. Ambroſ. lib. 2. c. 7. & lib. 3. de ſacram. c. 2. Cyrillum catech. 3. & 17. Nazianz. cit. orat. 40. Propterea quia in Baptiſmo, impreſſo charactere ſpirituali, animæ ſignantur, quod ad Chriſti ouile, atque dominium ſpectare debeant. Vide Vaſq in 3. p. t. 2. diſp. 140. cap. 1. Suarez p. 3. t. 3. diſput. 18. a. 1. Bellarm. de ſacram. Baptiſmi, c. 1.

1 Baptiſmus definitur in catechiſmo Romano p. 2. c. 2. *Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo.* Vbi nomen *Sacramenti* locum generis tenet; *regeneratio* autem differentiæ. Nam id proprium Baptiſmi eſt, quòd homini primam ſpiritualem vitam conferat, iuxta illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, id eſt, poſtquam ſemel corporaliter quis natus eſt in peccato, niſi denuo naſcatur per aquam, & Spiritus ſancti virtutem, *non poteſt introire in regnum Dei.* Ad maiorem autem declarationem additur in definitione tum materia ſacramenti, *per aquam*; tum forma, *in verbo*. Vtraque enim, per Dei virtutem, ſpiritualem effectum conferunt, conuenienter Apoſt. ad Epheſ. 5. *Mundans* Eccleſiam *lauacro aquæ, in verbo vitæ.* Et S. Auguſt. tr. 80. in Ioan. relatus in cauſa 1. q. 1. *Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum: vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo?*

Notandum porro eſt, voculam, *per aquam* debere intelligi accommodatè ad inſtitutionem Baptiſmi, non habentis eſſe permanens, ſed ſucceſſiuum; vt ſenſus ſit, per aquam, id eſt, *per lauacrum*, ſiue *ablutionem aquæ. Sacramentum enim*, inquit S. Th. 3. p. q. 66. a. 1. *non perficitur in ipſa aqua, ſed in applicatione aquæ ad hominem, quæ eſt ablutio; & ideo Magiſter in 4. d. 3. ſentent. dicit, quòd Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior, facta ſub forma præſcripta verborum.* Quamquam neque hæc definitio omnino perfecta eſt; cùm ſolum explicet partes Baptiſmi materiales. Nam licet verba, ſi comparentur cum ſenſibili elemẽto, habeant ſe vt forma, illud determinans, ac perficiens, ſi tamen conſiderentur in ordine ad totalem ſacramenti eſſentiam, cuius vltima forma conſtitutiua eſt ſacra ſignificatio, tam ipſi elemento, quàm verbis ex Chriſti inſtitutione adueniens; ſic vtraque pars, elementum, inquam, & verborum prolatio, ſunt veluti partes materiales totius ſacramenti; forma autem eſt ſacra ſignificatio, ſicuti rerum artificialium, v. g. domus exemplo, id explicat Suarez p. 3. to. 3. diſ. 2. ſ. 1. §. ſecundò eſt difficultas.

Ex his colligitur primò; Senſum paulò antè traditæ definitionis hunc eſſe oportere; Quòd Baptiſmus ſit quoddam compoſitum ex ablutione, & certa verborum forma, à Chriſto ad ſpiritualem hominis generationem inſtitutis. Ad quem etiam modum Henriq. definiuit lib. 2. c. 1. n. 9. *Baptiſmus eſt ablutio hominis, per aquam, ſub præſcripta verborum forma, ex Chriſti inſtitutione, in regenerationem ſpiritualem.* Nam his definiendi formulis clariùs exprimitur ſacra ſignificatio ſymbolorum.

2 Colligitur ſecundò; Si ablutio hominis materialiter adhibeatur, cum materiali verborum vulgariter ſignificantium prolatione, & non quatenus ſacra ſigna ſunt à Chriſto inſtituta, nullum ſacramentum fieri. quod alijs verbis dicitur; Ad ſacramenti valorem neceſſariò requiri, vt Miniſter intentionem habeat ſaltem virtualem, & implicitam conferendi ſacramentum, vt explicaui tr. præced. cap. 5. num. 11. & videri poteſt Richard. in 4. diſtinct. 6. a. 1. q. 2. Suarez diſp. 13. ſect. 2.

Obijciet aliquis factum S. Athanaſij, qui cùm adhuc puer per ludum pueros catechumenos baptizaſſet, quaſi inter ipſos Epiſcopus eſſet; Alexander Patriarcha Alexandrinus, re intellecta, ratum eſſe Baptiſma iudicauit; quia ſecundùm ſubſtantialem Religionis Chriſtianæ ritum collatum eſſet, ſicuti teſtatur Ruffinus lib. 1. hiſtor. c. 14. Sozom. lib. 2. c. 16. & refert Gratianus in c. Spiritus ſanctus, 1. q. 1. Reſpondeo: Duobus modis poſſe aliquid fieri per iocum, ſeu ludum: primò fictè, aut ſimulatè, animo irritendi, aut repræſentandi tantùm, quo modo Coninck 3. p. tom. 1. quæſt. 64. art. 8. dub. 1. num. 65. exiſtimat, Geneſium (de quo in Martyrologio die 25. Auguſti) cùm adhuc minus eſſet, in ſcena irriſoriè baptizatum, verum ſacramentum non accepiſſe: nihilominus à Chriſto ſingulari & extraordinaria gratia præuentum fuiſſe. Sicuti enim S. Paulus cœleſti gratia ſubito immutatus fuit, dum Chriſti diſcipulos perſequeretur: ita & S. Geneſius, dum ſacramenta Chriſti rideret. Secundo: Animo verè efficiendi rem, quamuis extrinſecus finis ſit ludus, ſeu repræſentatio alicuius rei: ſicuti ſi quis verè cũ alijs edendo, ac bibendo, coniuiũ Aſſueri repræſentare intendat: atque eiuſmodi ludicra intentio non eſt cõtra ſubſtantiam ſacramenti: quia non tollit eius obiectum intrinſecum, licet inconuenienter adiungat finem extrinſecum. Et hoc modo S. Athanaſius inter ludendũ validè baptizaſſe iudicatus fuit: quia poſtea

examinatus, respondit, habuisse se intentionem faciendi id, quod vidisset Episcopum facere: quamobrem non quoslibet, sed Cathecumenos tantùm baptizauit.

CAP. II.

Quo tempore Sacramentum Baptiſmi à Chriſto inſtitutum fuerit.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmi ſacramentum Chriſtus ante paſſionem ſuam inſtituit.*
2 *Apoſtoli ante paſſionem Domini Baptiſmum Chriſti acceperunt.*
3 *Inter Baptiſmum Chriſti, & baptiſmum Ioannis magnum diſcrimen eſt.*
4 *Baptiſmus Ioannis homines vi ſua non ſanctificabat: quare baptizati à Ioanne iterum Chriſti Baptiſmate baptizari debebant.*

1 RVPERTVS lib. 4. in Ioannem ſuper illa verba Ioan. 3. *Venit Ieſus in Iudæam*, & alij apud Vaſq. diſp. 140. c. 2. docuerunt, ſacramentum Baptiſmi à Chriſto inſtitutum fuiſſe poſt paſſionem, & reſurrectionem, quando Matth. vlt. diſcipulis dixit; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Sed contraria ſententia eſt communis & vera; Chriſtum inſtituiſſe ſuum Baptiſma ante paſſionem, ſicuti docet S. Auguſt. tract. 15. in Ioan. in princip. Magiſter in 4. diſtinct. 3. ibid. Scotus q. 4. a. 1. Rich. a. 5. q. 1. Gabr. q. vn. a. 3. dub. vlt. Sot. q. vn. a. 2. concl. 1. Maior q. 1. concl. 3. S. Th. Caietan. & alij in 3. p. quæſt. 66. a. 2. Adrian. in 4. de Baptiſmo, quæſt. 1. a. 1. §. circa primam partem, Victoria de Baptiſmo, num. 8. Viualdus in candelabro de inſtit. Baptiſmi n. 15. Probatur primò: Baptiſmum Chriſti diſcipuli eius adminiſtrabant ante paſſionem: Ergo tunc Chriſti Baptiſmus inſtitutus fuerat. Nota eſt conſequentia: Quia vſus & adminiſtratio ſupponit inſtitutionem. Antecedens probatur primò ex cap. 3. Ioan. *Poſt hæc venit Ieſus, & diſcipuli eius in terram Iudæam, & illic commorabatur cum eis, & baptizabat*; quanquam non per ſeipſum, ſed per diſcipulos ſuos, ſicuti explicatur c. 4. Ioan. Hoc autem nullo modo dici potuiſſet, niſi diſcipuli baptizaſſent Baptiſmo non Ioannis, ſed ipſius Chriſti, ſicuti notauit S. Auguſt. loco ſuprà cit. vbi ait: *Baptizabat* Chriſtus, *quia ipſe mandabat; non baptizabat, quia ipſe non tingebat: præbebant diſcipuli miniſterium corporis, præbebat ille adiutorium maieſtatis.*

Confirmatur: Si diſcipuli Chriſti baptizaſſent baptiſmo Ioannis, non eo quem Chriſtus poſtea inſtituit, non fuiſſet cauſa, cur Ioannis diſcipuli indignarentur, Ioan. 3. *Rabbi, Qui erat tecum trans Iordanem, cui in teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Quod magis etiam ex reſponſione Ioannis innoteſcit, qua palàm teſtatur, Chriſtum maiorem ſe eſſe, de cælo veniſſe, & ſuper omnes eſſe, quod & c. 1. Ioann. dixerat, ſe *baptizare in aqua:* Chriſtum autem *baptiſare in Spiritu ſancto.* Idipſum S. Nazianzen. ita intellexit orat. 39. in ſancta lumina. *Baptiſauit Ioannes, non iam ille quidem Iudaico more (non enim aquâ ſolùm, ſed etiam ad pœnitentiam) nondum tamen prorſus ſpiritualiter. Nec enim addit, in Spiritu. Baptiſat quoque Ieſus, ſed in Spiritu: quod quidem perfectum, numeriſque omnibus abſolutum Baptiſmum reddit.* Quæ ipſa etiam cauſa eſt, cur plerique derelicto baptiſmate Ioannis, acceſſerint ad Baptiſmum Chriſti; ipſiuſmet Ioannis tum teſtimonio, tum admonitione permoti.

Probatur ſecundò; Quia valde credibile eſt, Apoſtolos ante paſſionem Chriſti baptizatos fuiſſe vero Baptiſmi ſacramento, ſicuti docet S. Auguſt. epiſt. 108. explicans illud Ioan. 13. *Qui lotus eſt* per Baptiſmum, *non indiget, niſi vt pedes lauet*: & epiſt. 163. exinde colligens; Quia veriſimile non eſt, Chriſtum Euchariſtiæ ſacramentum in cæna vltima Apoſtolis dediſſe nondum baptizatis. Sed & eodẽ tẽpore Sacerdotes Apoſtolos ordinauit, Matth. 26. dans eis poteſtatem conſecrandi, ſeu conficiendi corpus ſuum, ſicuti teſtatur Trident. ſeſſ. 23. c. 1. Quod non ſatis cõuenienter, aut non omnino ſecundùm ordinem diuinæ inſtitutionis factum eſſet, ſi non antè baptizati, ipsúmque Baptiſmi ſacramentum necdum inſtitutum fuiſſet: quandoquidem Baptiſmus initium, ac profeſſio nouæ legis; ianua ſeu introitus ad ſacramenta reliqua: quemadmodum & in lege veteri circumciſio, quæ erat figura Baptiſmi, ante reliquas cæremonias, v.g. agni Paſchalis, inſtituta fuerat. Adde, quod Niceph. l. 2. hiſt. cap. 3. ex Euodio teſtatur, Chriſtum ſuis manibus baptizaſſe Petrum. Imò quòd ipſum ſuum Baptiſtam poſtea baptizârit Chriſtus, ſignificat Nazianz. cit. orat. 39. Itemque B. Virginem ante Apoſtolos à Chriſto ipſo baptizatam, ait Euthymius in cap. 3. S. Ioannis.

Cæterùm quod Patres, & Scriptores antiqui aiunt, Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum cùm in Iordane baptizaretur à Ioanne; & aquas tunc ſanctificaſſe contactu ſuo; id non propriè, ſed figuratè accipiendum eſt: Partim quia Baptiſmus Ioannis diſpoſitio quædam erat, ac præparatio ad ſacramentũ Baptiſmi, excitãs Fidẽ in Chriſtũ, ac pœnitentiã peccatorũ; cui præparationi Chriſtus ipſe à Ioanne baptizatus teſtimonium præbuit, ideóq; ſuũ mox inſtituendum Baptiſmum quaſi initiauit, ſicuti notauit Nazianz. orat. 39. in ſacra lumina, Auctor lib. 3. de mirabil. Scripturæ c. 5. apud S. Auguſt. tom. 3. Partim, quia ſuper Iordane, cùm Chriſtus baptizaretur, SS. Trinitas, quæ in ſacramento Baptiſmi poſtea inuocanda erat, palàm manifeſtata erat: quando & vox Patris audita eſt, *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui:* & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ viſus eſt, Matt. 3. Marci 1. Luc. 3. Propriè autem Chriſtus Dominus, tanquam nouæ legis lator, Baptiſmatis ſacramentum inſtituit, poſteaquam à Ioanne baptizatus, diſcipulos collegit: quos, inſtituto à ſe Baptiſmo, partim proprijs, partim diſcipulorum manibus baptizauit, & ad alios baptizandos deſtinauit.

Quæres, Quodnam ſit diſcrimen inter baptiſmũ Ioannis, & Baptiſmum Chriſti? Reſpondeo, non vnum eſſe, ſed multiplex. I. Ratione inſtitutionis: Non quòd Ioannis Baptiſma Deum auctorem & inſtitutorem non ha- 3
beat; cùm ipſe diuinum baptizandi mandatum acceperit, ſicuti teſtatur c. 1. Ioannis: *Qui miſit me baptiſare* &c. Sed quia Ioannes purus homo ante nouæ legis lationem promulgator fuit ac miniſter eius baptiſmi, non vt eſſet ſacramentum, ſeu ſtabilis cæremonia ad hominum ſanctificationem, ſed veluti catechiſmus, ſeu ſacramẽtale quoddam diſponens ad Baptiſmum Chriſti, ſicuti docet S. Th. 3. p. quæſt. 38. a. 1. ad 1. *Præludium* ſiue *procemium Euangelicæ gratiæ*, ſecundùm Iuſtinum quæſt. 37. ad Orthodoxos: *Introductorium ad perfectionem*, apud Cyrillum lib. 2. in Ioan. c. 57.

II. Ratione formæ: Nam Baptiſmus Chriſti confertur cum inuocatione SS. Trinitatis: ſed baptiſmus Ioannis tali forma non conferebatur, quia non continebat expreſſam fidei Euangelicæ profeſſionem.

III. Ratione effectus: Quia Baptiſmus Chriſti ex opere operato confert internam, & ſpiritualem ablutionem
per Spiritum ſanctum: ſed baptiſmus Ioannis vi ſua, ſiue 4
ex opere operato ſolùm externam ablutionem, ſicuti Ioannes teſtatur cit. cap. 1. Ioan. *Ego baptiſo in aqua.* Et infrà: *Hic eſt, qui baptiſat in Spiritu ſancto.* Quare S. Auguſt. in Enchirid. cap. 49. *Non renaſcebantur, qui baptiſmate Ioannis baptiſabantur; à quo & ipſe* (Chriſtus) *baptiſatus eſt: ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat, parate viam Domino: huic vni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur.* Similia habet Gregor. Nazianz. orat. 39. in ſancta lumina, Baſil. in exhortat. ad Baptiſmum, Cyrillus Alexandr. cit. cap. 57. Et Tertull. de Baptiſmo, cap. 10. idcirco ait, baptiſmum Ioan. humanum dici poſſe, quia nihil cæleſte præſtabat, item fuiſſe diuinum *mandatu*, non *poteſtate*. quod etiam docuit S. Thom. cit. quæſt. 38. artic. 2. in corp. Ad effectus diſcrimen etiam pertinet: quòd Chriſti Baptiſmus

mus animæ characterem indelebilem imprimat: Ioannis autem Baptismus nihil tale efficere potuit.

IV. Baptismus Ioannis insufficiens fuit; quamobrem qui à Ioanne baptizati erant, debebāt Christi postea Baptismum accipere, sicuti constat ex cap. 19. Actuum Apostolorum, & notauit S. August. tract. 5. in S. Ioan. & lib. 5. contra Donatist. c. 9. Hieron. in Dialogo contra Luciferianos, Innoc. 1. epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ, c. 5. Beda in cap. 3. Lucæ. *Egrediebatur enim ad eum* Ioannem *omnis Iudææ regio, & baptizabantur ab illo*, ait Marcus cap. 1. Et tamen in diebus Pentecostes omnes sine discrimine ad Baptismum Christi vocantur, Act. 2. *Baptizetur vnusquisque in nomine Iesu Christi.* Adde, quòd ipsos quoque Apostolos aliquos à Ioanne Baptizatos fuisse credibile sit, præsertim Andream, qui discipulus eius fuerat. de qua re Tertull. lib. de Baptismo, c. 12. Et tamen omnes Apostoli baptizati postea fuerunt Baptismo Christi, sicuti docet S. August. Epist. 108. ad Seleucianum.

V. Ratione ministerij differunt: quia Baptismus Christi non solùm ab ipso Christo, & Apostolis eius; sed etiam ab alijs quibuscunque conferri potest: Baptismus verò Ioannis à solo Ioanne conferri debebat; quia ipse solus ad baptizandum missus fuerat.

VI. Ratione necessitatis: Nam Ioannis baptismus non fuit ad salutem necessarius necessitate medij, & fortasse nec ratione præcepti; sed solùm in consilio positus, Marci I. Sed Christi Baptismus necessarius est hominibus ad salutem. Quamobrem vniuerso mundo propositus est, Matth. vlt. *Euntes, docete omnes gentes baptisantes eos*; at verò baptismus Ioannis soli populo Iudaico.

CAP. III.
De Materia Baptismi.
SVMMARIVM.

1 *Materia remota sacramenti baptismi est aqua simplex, seu elementaris; propinqua autem est ablutio per aquam.*
Glacies non resoluta non est idonea materia baptismi.
2 *Infans in vtero baptizari potest, si eius corpus aqua perfundatur, adiecta verborum forma.*
3 *Certum est, baptismum valere, si caput, pectus, vel scapuli aqua abluantur: de ceteris vero corporis partibus, vt manu, pede &c. dubium est.*
4 *Non pertinet ad substantiam baptismi, vtrum conferatur per aspersionem seu affusionem aquæ; an verò per corporis immersionem, vnam vel trinam: sed cuiusque ecclesiæ consuetudo in ea re sequenda est.*
5 *Si Minister prolem in puteum coniiciat, cum adiecta verborum forma, animo baptizandi pariter & occidendi; quamuis grauiter peccet; tamen baptismus validus esse videtur.*

1. ASSERTIO I. Materia remota huius sacramenti est aqua simplex, seu elementaris. Definitum est in Concil. Florentino in decreto Eugenij Papæ, & Trident. sess. 7. de Baptismo canone 2. & sumitur ex illo S. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. Ephes. 5. *Mundans lauacro aquæ.* Ratio institutionis est: Tum quia aqua, ob naturalem abluendi proprietatem, valde conueniens symbolum est internæ spiritualis ablutionis, ac renouationis: tum quia huius passim redundantis, & vbique necessarij elementi copia vix vnquam deesse potest, ad sacramentum Baptismi tam paruulis, quàm adultis ad salutem necessarij, conferēdum. Vide plura apud S. Thom. art. 3. Richard. in 4. d. 3. a. 3. q. 1. Durādum ead. d. q. 4. Sotum q. vn. a. 3. Victorium de Baptismo, num. 12. Petr. Sotum lect. 1. de Baptismo, Viualdum in Candelabro, cap. de materia Baptismi, num. 13. Suarez disp. 20. sect. 1.

Corollarium. Aquæ artificiales, & humores mixti, videlicet aqua rosacea, quæ ex sale resoluitur, lacrymæ, saliua, vrina, cereuisia, iusculum &c. non sunt materia Baptismi, sicuti colligitur ex c. penult. de Baptismo, & docet S. Thom. cit. q. 66. a. 4. Scotus in 4. d. 3. q. 3. Richar. cit. a. 3. q. 2. Gab. cit. q. vn. a. 1. Sot. cit. q. vn. a. 4. aliique cōmuniter. Ratio est Quia, vti ex Scriptura, & Ecclesiæ traditione habetur, materia Baptismi à Christo instituta est aqua simpliciter dicta elementaris, & vsualis: talis autem secūdùm communem & vsum & conceptionem hominum (quam in agnoscēda materia & forma sacramēti, eiúsque substātiali mutatione potissimùm considerandam esse, dixi tract. præced. c. 4. n. 4.) non censentur aqua rosacea, lacrymæ, & quæ antè enumeraui: ideo Baptismus in tali materia collatus irritus est.

Monent tamen DD. aliqui, vt videre est apud Sotum cit. c. 4. Suarez disp. 20. sect. 1. assert. 2. Ægid. Coninck cit. a. 4. dub. 1. num. 23. Si iusculum valde tenuiter coctum sit, siue valde parum succi carnei admixtum habeat, posse esse materiam Baptismi sufficientem, quamuis non conuenientem extra necessitatis casum. Quia ita docet S. Th. cit. art. 4. ad. 4. de lixiuio, & aquis sulphureis, esse sufficientem Baptismi materiam; non obstante, quòd per calefactos cineres, vel terram sulphuream transierint; cùm nihilominus retineant naturam, & plerasque proprietates aquæ; licet ad aliquos vsus, v. g. ad bibendū adhiberi non soleat. Id autem simili ratione dici potest de aqua, in qua caro v. g. decocta fuit, cum succi carnei modica admixtione. Si tamen dubitetur, quanta fuerit decoctio iusculi, vel cereuisiæ; adeóque vtrum liquor ille naturam aquæ, & plerasque proprietates habuerit, néc ne: Baptismus sub conditione repetendus erit.

Accidentalis mutatio materiæ Baptismi censeri debet, si nihilominus eundem communem vsum ac conceptionem retineat: vt si aqua sit calida, turbida, aut pluuia, vel ex glacie, niue, grandine expressa: vel si alienum liquorem in modica quantitate admixtum habeat: secùs, si immodica admixtio sit, vt potiùs alia substantia censeatur: sicuti lutum magis terra est, quàm aqua, & vinum lymphatum magis vinum, quàm aqua, ait S. Thom. cit. art. 4. in corp. & videri potest Sotus cit. a. 4. Henriq. lib. 2. cap. 6. num. 2. Viuald. in candelabro, de Baptismo, c. de materia.

Assertio II. Materia propinqua huius sacramenti est ablutio per aquam. Est communis cum S. Th. cit. q. 66. art. 1. Probatur tū ex Apostolo ad Eph. 5. *Mundans lauacro aquæ*, tum ratione Materia sacramenti proxima, & moraliter constitutiua est, quæ per verborum formam ac significationem determinatur: Forma autem verborum, *Ego te baptiso*, significat, & determinat non ipsam aquam secundum se, sed quatenus est in vsu, seu ablutionem per aquam. Ergo &c.

Corollarium I. Quamuis glacies substantiam aquæ seruet, tamen non est valida Baptismi materia: cum apta non sit ad corpus continuo fluxu abluendum. Quæ est communis doctrina, apud Scotum distinct. 3. quæst. 3. §. quod additur, Sotum ead. d. q. vn. a. 4. Suarez cit. disp. 20. sect. 2 §. Atque hinc obiter, licet in dubium reuocet Maior in 4. d. 2. q. 1. in fine. Idémque, quod de glacie, sentiendum etiam est de luto, sicuti bene notauit Scotus.

Corollarium II. Non sufficit ad Baptismum, si vestes hominis baptizandi aqua aspergantur, sed opus est, vt ipsum corpus hominis tangatur, & abluatur, iuxta verba S. Augustini: *Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat.*

Corollarium III. Non sufficit ad Baptismum quæuis minima aquæ gutta, sed opus est tanta quantitate, vt eius infusione corpus hominis, vel principalis eius pars moraliter ablui dicatur, sicuti ex communi docet Sotus in 4. distinct. 3. quæst. vn. art. 7. ver. atque idem. Melchior Zambrana cap. 1. de Baptismo, dub. 4. Suarez disput. 20. sect. 2. colum. antepenult. ver. quare non est probanda. Valentia t. 4. disput. 4. quæstio 1. p. 2. columna 4. ver. itaque sequitur, contra Vasq. disp. 145. c. 4. Henriq. lib. 2. c. 7. num. 1. & c. 21. num. 4. qui opinionis suæ probationem affert ex cap. 2. Act. vbi legimus, vno die ferme tria millia hominum baptizatos fuisse, quod fieri nō potuisse videtur, nisi per aspersionem confusam; quomodo aqua benedicta

in populum spargitur, vt singulos non nisi vnica gutta contingat. Sed respondetur: Non minùs verisimile esse, ter mille, aut plures homines per aquæ affusionem singulis factam baptizari potuisse, quàm totidem vno die ab Episcopo confirmari; præsertim cùm non vnus solus, sed plures Ministri seu Discipuli Domini baptizandis hominibus operam nauasse credibile sit, vti docet Sotus cit.a. 7. in fine, Salmeron tr.15. in Acta Apostol. Zambrana cit. dub.4.

Qvæstio Prima. Vtrum necesse sit, hominem perfectè natum, siue ex vtero matris egressum esse, vt validè baptizari possit? Ita affirmarunt aliqui ex S. August. epist. 57. ad Dardanum, vbi ait, quod *renasci quispiam non potest, antequam natus sit.*

2 Sed contrarium verum est, quod docet S. Th.q.68.a. 11. Nau.c.22.n.7.& alij. Nam substantia Baptismi consistit in ablutione corporis, cum prolatione verborum, intentione conferendi sacramenti: hæc autem fieri possunt, etsi infans nondum perfectè natus, seu ex vtero egressus sit; sed vnam solam corporis partem, videl. caput exeruerit; vel si matris demortuæ vterus apertus sit, in eóque infans adhuc victitans baptizetur. Dico *demortuæ*; Nam viuentem aperire, aut interficere, vt infans ad Baptismum deuenire possit, licitum non est, sicuti bene docet Alensis p.4.q.17.mem.4. Victoria de Baptismo num.32. Excepto vnico casu, si mater sit morte digna, & ita res comparata, vt si supplicium differatur (sicuti ordinariè differri debet vsque ad partum, iuxta l. prægnantem, ff. de pœnis) priùs moriatur infans, quàm ad natiuitatem perueniat, sicuti contra Palud. in 4. distinct. 6. q.1. concl.3. notat Suarez in comment. cit. a. 11. vbi tamen addit, casum hunc vix moralem ac practicum esse; quia plerumque maius imminebit periculum proli ex matris interfectione, sicuti etiam Sotus notauit in 4. d.5. q.vn.a.11. ver. tertiò agitur.

Ad auctoritatem S. August. respondetur; Nihil aliud velle, quàm secundum ordinariam Dei legem, neminem sanctificari in vtero clausum: sed omnes indigere lauacro aquæ, vt secundùm proprium corpus abluantur. Quo sensu etiam Isidorus dixit lib.1. de summo bono cap. 24. relatus in cap. 115. distinct. 4. de consecrat. *Qui in maternis vteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt; quia qui natus adhuc secundùm Adam non est, renasci secundùm Christum non potest.* Cuius rei ratio reddi non potest, nisi quia infans, dum in matris vtero clausus est, ferme secundùm se aqua ablui nequit: Sin autem obstetrix tam perita sit, vt manu in vterum inserta, prolem aqua perfundere possit, adiecta verborum prolatione, valiturum Baptismum, rectè docent Victor. num.31. Viuald. de modo Baptismi, num.16. ver. Si autē puer. Chapeauille de modo ministr. sacram. tempore pestis, c. 2. quæst. 10. contra Maiorem in 4. distinct. 2. quæst. 2. §. quartò arguitur, in fine.

3 Qvæstio Secvnda. Quænam pars corporis aqua ablui debeat, vt Baptismus valeat? Respondeo cum S. Th.q.68. a.11. ad 4. & in 4.d.6. q.1. art.1. quæstiun.1. ad 3. Scoto in 4.d.4.q.3. §. ad quæstionem dico, Gabr. ibid. q.2.a.3.dub.2. Syluest. ver. Baptismus, 4. q. 1. Vict. num. 31. Petr. Soto cit. sect.1. Suarez cit. sect.2. Zambrana cit. cap.1. dub.3. Haud dubiè Baptismum validum esse is, si caput hominis abluatur: cùm hæc sit præcipua corporis pars, quippe in qua sensus ac ratio vigent. Idémque sentiendum aiunt Sotus, & Suarez ll.cc. Vasq. circa q.68.a.11. de scapulis, ac pectore: nam etiam hæ præcipuæ corporis partes sunt; quarum si vna abluatur, corpus hominis simpliciter lotum dici solet.

Verùm si alia pars corporis, v. g. manus, pes, vel solus digitus abluatur, tunc dubium est an Baptismus valeat: cùm neque ex Scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione satis cōstet, & Doctores dissentiant, vt videre est apud Maiorē in 4. d.2. quæst.2. §. quartò arguitur. Quare extra necessitatis casum ita conferendus non est. Si autem propter necessitatem collatus fuit (v.g. si infans, cui periculum mortis imminere videtur, solùm pedem, manum, vel digitum exeruit) postea remoto periculo, sub conditione repetendus est Baptismus, sicuti docet Halensis p.4.q.17.mem.3.

Idémq; sentiendū videtur, si infans pelle adhuc secundina circumdatus, propter periculū baptizetur. Etsi enim probabile sit, talē Baptismū valere: sicuti indicat Angelus ver. Baptismus, 6. §.4. Armilla n.38. & alij mox citandi; nō tamen id certum est: quia talis pellis non videtur esse propriè pars infantis, sed habere se quodammodo vt vestis, ait Zambrana de Baptismo, dub.3. n.8.

Eadémque ratio est, si soli capilli abluantur, vt corporis caro non tangatur: etsi enim valere talem Baptismum, existiment Sotus in 4. d.3. q.vn.a.7. ver. Ecquid autem, Vasq. disp.145. cap.4. num. 31. Toletus lib. 2.c.18. in fine, Henriq. lib.2.c.7.n.2. Coninck cit.q.66.a.7.dub.2. tamen id certum non est, teste ipsomet Soto; & contrarium docet Zambr. cit. dub.3.n.7. Quia capilli neque per se sunt propriè pars corporis; neque ijs ablutis, si aqua ad cutem non penetret, propriè ipsum caput abluitur.

Qvæstio Tertia. Vtrum ablutio in Baptismo fieri debeat per immersionem, an per affusionem? 4
Respondeo, & dico I. Olim ordinarium baptizandi ritum fuisse per immersionem; licet etiam per aspersionem, vel affusionem aquæ interdum conferri soleret, præsertim propter necessitatē, sicuti docet S. Cyprianus lib. 4. epist.7. ad Magnum, quæ apud Iacob. Pamelium est 76. & S.Th.cit.q. 66. a. 7. vbi causas enumerat, ob quas Baptismus fieri possit per modum aspersionis, vel per modum affusionis; videlicet *propter magnam multitudinem baptizandorum; propter aquæ paucitatem; propter debilitatem Ministri, qui non possit sustentare baptizandum: aut propter debilitatem baptizandi, cui possit imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum,* inquit, *quòd immersio non sit de necessitate Baptismi.* Ratio est: Quia Christus symbolum sacramenti Baptismi instituit corporis ablutionem per aquam: illa autem fieri potest non solùm immergendo corpus, sed etiam aspergendo, vel affundendo aquam. Ergo hoc discrimē pertinet ad accidētales ritus Baptismi: qui pro temporum, & locorum varietate mutantur. Nam hodie in multis Ecclesijs Baptismus non per immersionem, sed affusionem confertur. Videri potest Rich. in 4. d.3.a.4.q.3.

Dico II. Licet olim præceptum fuerit, vt Baptismus non vna, sed trina mersione conferretur, sicuti constat ex Apost. canone 50. & Pelagio Papa c. multi, de consecrat. d.4. idque contra Eunomiū, & similes hæreticos, qui vnà cum SS. Trinitatis necessaria inuocatione, etiam sanctum Baptisma peruertebant, dicentes semel tantùm mergendum esse, inuocata Christi morte. Postea verò in Hispania, contra Arianos hæreticos, abutentes trina mersione ad significandū, tres personas, quæ inuocantur, non vnius naturæ esse: statuerunt Patres, vt semel tantùm mergendo Baptismus fieret, sicuti videre est in Concil. Tolet. 4. canone 5. vbi etiam responsio Gregorij I. ad Leandrum Hispalensem Episcopum refertur, ex lib. 1. epist. 41. *De trina mersione Baptismatis nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in vna Fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quod tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri,* (hæc enim altera causa reddi potest, cur trina mersio fiat, teste S. Hieron. in illud c.4. ad Ephes. *Vnus Dominus* &c.) *neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quæ dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem Baptismate in aquam vel ter, vel semel immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari: sed quia nunc vsque ab hæreticis infans in Baptismo tertiò mergebatur, faciendum apud vos esse*

esse non censeo; ne, dùm mersiones numerant, diuinitatem diuidant, dùmque, quod faciebant, faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur. Ad quem locum Baron. Anno 591. num. 31. annotandum duxit; *Cum hæreticis, quantùm fieri potest, neque in bonis communicandum; cùm eadem illi non bene, sed malè, diuersâ videlicet peragant intentione.* Videri etiam potest Vasq. disp. 145. c. 1.

Quare ex dictis constat, ad valorem Baptismi nihil interesse; vtrum fiat per aquæ affusionem, an verò corporis immersionem, vnam, vel trinam, vt tamen licitè fiat, cuiusque Ecclesiæ consuetudo seruanda est: excepto casu necessitatis, propter quam affusione aquæ vtendum etiam in Ecclesijs, quibus alioquin ordinarius baptizandi modus est per immersionem, sicuti suprà ex S. Th. intelleximus. Deinde si in aliqua Ecclesia trina mersio vsitata sit, vna tantùm adhiberi poterit, cum integra prolatione formæ, ob periculum moræ, ne infantem priùs mori contingat, quàm tres mersiones fiant.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum valiturus sit Baptismus, si Minister infantem in flumen, vel puteum deijciat, adiecta verborum forma, cum intentione cõferendi sacramẽtum? Respondeo, & dico I. Talem baptizandi modum
5 semper illicitum esse. Quia innocentem directè, ac per se occidere numquam fas est: talis autem deiectio per se ac directè tendit ad infantis occisionem. Ergo, ne eo quidem casu licita est, v. g. si Tyrannus infantem occisurus sit, & infans alio modò baptizari non possit. Veruntamen si infanti probabiliter alioquin morituro, timeatur acceleratio mortis, ex infusione aquæ, etiam modicæ potest tunc, ac debet exigua corporalis vitæ vsura negligi, maioris spiritualis iacturæ cauendæ causa: quandoquidẽ hoc casu acceleratio mortis per accidẽs euenit ex aquæ affusione, quippe quæ per se, ac directè ad abluendum tendit, non ad occidendum, sicuti notauit Suarez disp. 20. s. 3. Vasq. disp. 145. in fine cap. 3. Zambr. dub. 12. n. 9. & 10. Quamuis hic casus moraliter vix accidere potest, si adhibeatur cautio, vt aqua modica, & non nimis frigida sit; sed tepefacta per admixtionem aquæ calidæ non benedictæ, & corpus statim abstergatur, sicuti etiam notauit Scotus in 4. d. 5. q. 3. §. iuxta hoc. Gabr. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 4. Coninck q. 66. a. 7. dub. 1. n. 76. Chapeauille c. 2. tractatus sui, q. 12.

Dico II. Probabilius est, Baptismum tali in puteum v. g. deiectione validè conferri. Ita Abb. in c. non vt apponeres, n. 4. de Baptismo, Gab. in 4. d. 4. q. 2. a. 3. dub. 4. Vict. n. 18. Suarez cit. s. 3. Vasq. disp. 145. c. 3. Ægid. Coninck q. 66. a. 7. dub. 1. Viualdus de modo Baptismi, n. 6. contra Scot. in 4. d. 5. q. 3. Richar. d. 4. a. 4. q. 2. Palud. in 4. d. 6. q. 1. a. 3. Sotum in 4. d. 3. q. vn. a. 8. propos. 2. Angelum ver. Baptismus, 4. n. 1. Syl. 4. n. 10. Armillam n. 30. aliàs 40. Tolet. lib. 2. c. 18. Quòd enim hi tanquam fundamentum suæ sententiæ astruunt; Ad Baptismum necessariò requiri non tantùm immersionem, sed etiam emersionem, id falsum est quandoquidem ad substantiam & valorem Baptismi quæuis corporis ablutio, sufficit, vt suprà dictum ex doctrina S. Th. communiter recepta in q. 66. a. 7. Deinde, si infans in aquam immersus post prolatam verborum formam ex Ministri manibus labatur, ac moriatur, quis negabit eum baptizatum esse? Profectò id fatetur Sotus loco cit. consequenter fateri etiam debet, emersionem non esse de necessitate sacramenti.

Quod verò secundò obijciunt: Baptismum ex propria institutione tendere ad vitam homini conferendam, non ad mortem; id facilè refellitur, si dicas; Baptismum per se vitam homini spiritualem conferre; nihil obstante, quòd per paruam Ministri intentionem etiam ad mortem corporis referatur: sicuti si Minister, dum formam baptismi pronunciat, aqua feruente perfundat infantẽ, proposito baptizandi pariter & occidendi; quis neget verè baptizatum esse? Idque etiam fatetur Sotus propos. 1. Quia licet corpus occidatur, animæ tamen salus confertur, adhibitis sacramentalibus signis, à Christo institutis.

CAP. IV.

De forma Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Forma Baptismi in Ecclesiis Occidentalibus est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*
2 *Ad substantiam formæ pertinet, vt tum actus baptizandi, tum persona baptizanda, tum vnitas trium Personarum, in diuinis significetur.*
3 *Ad valorem Baptismi non sufficit SS. Trinitatis implicita nominatio, sed requiritur expressa.*
4 *Dubium est, an valeat Baptismus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque.*
5 *Ad essentiam formæ spectat, vt vocabulum* in nomine *exprimatur.*
6 *Accidentales mutationes formæ Baptismi administrationem illicitam reddunt, excepto necessitatis casu.*

FORMA Baptismi in Occidentalibus Ecclesijs consueta, hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Ita tradit Concil. Florentin. in decreto Eugenij, & sumitur ex verbis apud S. Mathæum cap. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ratio institutionis est: Cùm Baptismus sit primum sacramentorum atque introitus in Ecclesiam Christi; oportet in eius susceptione expressam Fidei Christianæ professionem facere per inuocationem Dei vnius, ac trini: quippe cùm hoc sit primarium obiectum Fidei Euangelicæ, necnon causa principaliter efficiens regenerationem spiritualem, sicuti notauit S. Thom. q. 66. a. 5. in corp. 1

Quòd si dicta forma in baptizando mutetur, considerare oportet, vtrum mutatio substantialis fuerit, ideóq; Baptismus repetendus; an verò accidentalis tantùm, iuxta ea quæ dixi tract. præced. c. 4. n. 5. Substantialis mutatio formæ in Baptismo accidit primò, si actus baptizandi non exprimatur, sicuti indicat Concil. Florent. in cit. decreto Eugenij, §. primum autem: *Si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum S. Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Et Alexander III. in cap. 1. de Baptismo: *Si quis puerum ter aquis merserit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit; Ego te baptizo, non est puer baptizatus.* Probatio peti debet ex institutione Christi, quam traditio, & praxis Ecclesiæ ostendit. Congruens autem ratio est, quia forma verborum in sacramento determinare debet materiam, eiúsque significationem formare: quare cùm materia propinqua huius sacramenti sit actio Ministri, videlicet ablutio, necesse est, hanc actionem aliquo modo significari, ac determinari, quòd videlicet non fiat v. g. corporis refrigerendi causa, sed ordinetur ad internam animæ ablutionem, virtute SS. Trinitatis ministerialiter operandam. Etenim forma sacramenti practica esse debet, ideóq; eiusdem rei significatiua, & operatiua. 2

Quare non placet sententia, quam indicant Sotus d. 3. q. vn. a. 5. Suar. disp. 21. s. 2. assert. 2. Ad essentiam formæ non requiri, vt in ea seu explicitè, seu implicitè significetur actio prout à persona Ministri procedit: modò non etiam excludatur; quod fiet, si dicas, *Christus te baptizat, à peccatis absoluit; non ego*: tali enim forma vitiari sacramentũ, certum est. Priorem autem doctrinæ suæ partem probant ex forma Græcis vsitata: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: in qua, vti S. Th. ait. a. 5. ad. 1. actus baptizãdi non tribuitur Ministro, sed Christo & Deo, tanquam causæ principali, ad euitandum errorem, quo aliquis existimare posset, effectum

Baptiſmi ſecundùm baptizantium dignitatem, ac merita conferri: quòd reprehendiſſe Apoſtolum 1. ad Corinth. 1. exiſtimat ibidem S. Thom. & S. Auguſt. de vnico Baptiſmo contra Donatiſtas, lib. 5. c. 13. relatus in c. 47. diſt. 4. de conſecr. *Cùm tantum valeat Baptiſmus per hominem contemptibilem, quantum per Apoſtolum datus; ita nec illius eſſe cognoſcitur, ſed Chriſti.* Ad hoc reſpondeo; Fructum ſpiritualem ſacramenti, qui ex Chriſti inſtitutione, per externam ſenſibilem actionem Miniſtri confertur, procedere à Deo tanquam cauſa inſtrumentaria, ſeu miniſteriali; ſecundum poteſtatem ipſi à Deo conceſſam, iuxta illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Et videri poteſt S. Thom. quæſt. 64. art. 1. & 2. Quare, cùm forma ſacramenti ſit practica oratio, ſignificare debet effectum procedere tum à Deo vt cauſa principali; tum ab ipſo Miniſtro, vt inſtrumentali: ſeu, vt breuiùs dicam, vtramque actionem ſeu cauſationem cùm Dei, tum Miniſtri in forma ſignificari oportet, vti indicat S. Thom. q. 66. a. 5. & expreſſiùs tradunt Alex. Halenſ. in 4. p. q. 13. a. 2. §. 2. Vtrum hoc verbum baptizo, Vaſq. diſp. 142. Coninck quæſt. 66. a. 6. dub. vn. concl. 1. Bellarm. de Baptiſmo, c. 3. §. nam inprimis, & conſtat ex Florentino cit. §. Primum autem.

Et quidem in forma Latinorum actio Miniſtri clarè exprimitur, *Ego te baptiſo*; cùm autem additur, *In nomine* ſeu auctoritate *Patris* &c. ſignificatur, totum id fieri in virtute Dei vnius, ac trini, tanquam principalis cauſæ agentis: Quomodo etiam verba S. Auguſt. intelligi debent; Baptiſmum *eſſe Chriſti*, vt cauſę principaliter efficientis, quà Deus eſt; & vt cauſę principalis meritoriæ, quà homo eſt: *& non eſſe huius, vel illius hominis*, niſi vt extrinſecum miniſterium, ex eiuſdem Dei, & Chriſti inſtitutione, ac voluntate, exhibentis. In forma verò Græcorum, clarè exprimitur actio cauſæ principalis: *Baptizetur ſeruus Chriſti, in nomine Patris*, &c. Interim verò, dum Miniſter talem formam pronuntians, exercet ritum externum ſacramenti ſubſtantialem, ſaltem indirectè, & implicitè ſignificat, effectum ſacramenti à SS. Trinitate conferri per eam, quam ipſemet ſimul exercet, actionem miniſterialem videlicet ablutionem: ſicuti ſi legatus aliquis, aut diſpenſator ex voluntate Domini ſui tradendo alteri domum, aut equum dicat: *Hic equus tibi datur, donatur auctoritate Domini mei*, talibus verbis, iunctis cum exteriore traditione, implicitè, ſeu ipſo facto ſignificat donationem fieri per hoc ſuum miniſterium.

Quapropter diſplicet etiam ſententia Vaſquez cit. diſ. 142. c. 2. n. 19. reijcientis hanc formā tanquā irritam: *Baptiſat*, vel *baptiſet te Chriſtus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: quòd per eam actio tantùm cauſę principalis, non item cauſæ miniſterialis ſignificetur. Sed contrarium rectè docet Sotus cit. a. 5. colum. 5. Henriq. lib. 2. c. 8. n. 3. Quia hic ipſe ſenſus eſt formæ græcanicæ, *Baptiſetur ſeruus Chriſti* à Chriſto, vel Deo *in nomine Patris* &c. Igitur dicendum, quòd hac formula, Baptiſet te Chriſtus; item, *Baptiſeris ſeruus Chriſti*, vel *Baptiſetur ſeruus Chriſti, in nomine Patris* &c. perſona Miniſtri, ſeu actio, quatenus à perſona Miniſtri procedit, implicitè ſignificetur: vt ſenſus ſit, *Baptiſat, vel baptiſet te Chriſtus*, per me exercentem hanc ſenſibilem actionem, *in nomine* ſeu auctoritate *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vbi τὸ *in nomine*, ſeu *auctoritate* non eſt referendum ad actionem Chriſti, aut Dei: ineptè enim diceretur, quòd Deus baptiſat in nomine ſeu auctoritate &c. ſed referri debet ad actionem Miniſtri, quæ indirectè hic ſignificatur, atque in quorumdam ſacramentorum formis clarè exprimitur: vt in ſacramento Pœnitentiæ, *Deus te abſoluat, & ego auctoritate illius.* Item in ſacramento Extremæ vnctionis, *Per iſtam ſanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus*, &c.

Secundò accidit ſubſtantialis mutatio ſeu defectus in Baptiſmo, ſi perſona baptizanda nec ſpeciatim, nec generatim exprimatur. Ita ſignificat S. Thom. quæſt. 66. art. 5. ad 4. & docet Aleuſis p. 4. quæſt. 15. mem. 3. a. 2. Abb. c. 1. de Baptiſmo, num. 7. Sotus in 4. d. 3. q. vn. art. 5. §. ex hac ergo, Suarez diſput. 21. ſ. 2. aſſert. 3. Vaſq. diſp. 142. cap. 3. Ægid. q. 66. a. 6. dub. vn. concl. 3. Henriq. lib. 2. cap. 8. n. 4. Viualdus in candel. de forma Baptiſmi, num. 8. & ſumitur ex illo Matth. 28. *Baptiſantes eos* &c. Ratio eſt: Quia forma verborum debet determinatè ſignificare actū baptiſādi, qui eſt ablutio, cōſequenter debet ſignificare, & exprimere patiens, ſeu ſubiectum: quippe ex quo ipſe actus baptiſādi, ſeu ablutio determinationem ſuam accipit. Confirmatur: Ideo etiam in forma Baptiſmi perſona altera à baptizante exprimi debet, vt appareat, quòd ex Chriſti inſtitutione *inter baptiſantem, & baptiſatum debeat eſſe diſcretio*; & nemo à ſe ipſo baptizari poſſit, ſicuti definitur in c. debitum, de Baptiſmo. Ideóque inferunt DD. non valiturum Baptiſmum, ſi quis alterum abluendo dicat: *Ego te Baptiſo in nomine Patris* &c.

Ex quo diſcrimen infertur; Quòd non ita neceſſarium ſit, vt in forma directè ſignificetur, ſeu exprimatur perſona baptizans, ſicuti neceſſarium eſt exprimi perſonam quæ baptizatur. Ratio eſt, quia forma Baptiſmi exprimere debet materiam propinquam, quæ eſt ablutio: ea autem magis determinatur à ſubiecto, in quo recipitur, quàm ab agente, à quo procedit. *Conſiſtit enim Baptiſmus*, ait Henriquez cit. num. 4. *in ablutione paſſiua.* Quamobrem ſi plures ſimul vnam perſonam baptizant, vnus eſt baptiſmus: & vice verſa, ſi vnus plures perſonas vna actiua affuſione aquæ baptizet, dicens: *Ego vos Baptiſo in nomine Patris* &c. plura Baptiſmata ſunt, ſicuti docet Sotus in 4. d. 4. quæſt. vn. art. 4. ad 2. argum. Henriq. lib. 2. cap. 7. num. 5. Cæterùm ſaltem indirectè perſonam Miniſtri in forma ſignificandam eſſe, ſuprà dixi: quia implicitè ſaltem ſignificari debet ablutionis actum à miniſteriali agente procedere.

Tertiò accidit ſubſtantialis defectus in Baptiſmo, ſi non ſignificetur vnitas trium Perſonarum in diuinis: quare hæc forma eſt contra veritatem Baptiſmi: *Ego te baptiſo in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, teſte S. Hieron. ſuper c. 4. ad Epheſ. relato in c. eodē modo, d. 4. de conſecrat. *Non baptiſamur in nominibus Patris, &c. ſed in vno nomine, quo intelligitur Deus.* Et S. Auguſt. lib. 3. contra Maximin. c. 32. *In nomine, non in nominibus; quia hi tres vnum ſunt.* Valet tamen Baptiſmus, ſi conferatur, *in nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus ſancti.* Quia idem eſt ſenſus, qui formæ communis, atque conſuetæ.

Eſt autem Quæstio Prima. Vtrum ad eſſentiam, & valorem Baptiſmi neceſſaria ſit explicita inuocatio SS. Trinitatis: an verò implicita ſufficiat: v. g. *Ego te baptiſo in nomine Dei*: vel, *Ego te baptiſo in nomine Patris*: vel, *Ego te baptiſo in nomine Chriſti*: vel, *Ego te baptiſo in nomine SS. Trinitatis.* Prima ſentētia fuit Stephani Papæ apud Cyprianum, epiſt. 73. ad Iubaianum, S. Ambroſ. lib. 1. de Spiritu ſancto, c. 3. Nicol. I. Papæ reſponſ. ad Bulgaros, 104. *Si hi in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptiſati ſunt,* (*vnum quippe idemque eſt, vt S. Ambroſius exponit*) *conſtat eos non eſſe denuo baptiſandos.* Idem quoque expreſsè docuit S. Bernard. epiſt. 340. vbi conſultus de quæſtione iſta; *Raptum, ex vtero puerum, ob periculum mortis, laicus baptiſauit, communem verborum formam non tenens: ſed dicens, Baptiſo te in nomine ſanctæ, ac veræ crucis*; ita reſpondit: *Ego hunc Baptiſmum duco, neque ſonum vocis veritati Fidei, & pietati intentionis præiudicare.* Et paulò pòſt: *Legimus in Actis cap. 10. non modò in nomine Patris, & Filij, & Spiritus*

tus sancti: verùm etiam in nomine Domini Iesu Christi aliquos baptisatos. Eandémque sententiam secutus est Beda in cap.10. Actorum, Magister in 4.d.3. Adrianus de Baptismo, q.2. ver. Ad rationes ante oppositum. Caietan. 2.2. quæst.66.a.5. & probabilem censet Maior in 4.d.2.q.2.

Sed contrariam, eámque veram sententiam, quòd ad sacramenti substantiam expressa SS. Trinitatis inuocatio requiratur, docuit S. Cyprianus in cit. epist. ad Iubaianum, S. Damascenus lib.4. de Fide, cap.10. & alij Patres apud Vasq. disp. 143. c.3. quam etiam definiuisse videtur Pelagius Papa in c. si re vera, d.4. de consecrat. & Zacharias Papa c. in Synodo, ead. d. eámque secutus est S. Tho. q.66.a.6. S. Bonau. in 4.d.3.a.2.q.2. Richard. a.2.q.3. ad 10. ibid. Scotus q.3. §. Tertiò de forma. Duran. q.1.n.8. & 9. Palud. q.1.§. secundum est, Gabr. q.vn.a.2. concl.4. & coroll.1. Bellarm. de Baptismo, c.3. Lorinus in cap.2. Actor. Vasq. disp.143.c.2. Suarez disp.21.s.3. Henriq. lib. 2. c.10. Probatur ex institutione Christi, Matth. 28: *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Quibus verbis formam Baptismi à Christo traditam esse, testatur canon 49. Apostolorum, & communis Patrum consensus. Ratio institutionis est: Cùm Baptismus sit sacramentum Fidei, & introitus in Ecclesiam Christi, debet eius externa professio correspondere Fidei internæ: Atqui ingressurum in Ecclesiam Christi oportet habere explicitam Fidem trium Personarum in diuinis: Ergo eiusdem etiam Fidei in Baptismo explicita professio fieri debet. Quare S. Basil. lib. de Spiritu sancto, cap.12. ait: *Sicuti credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; sic & baptisamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Adde, quòd aliqui non improbabiliter eandem veritatem confirmant ex c.19. Act. vbi legimus; Cùm S. Paulus venisset Ephesum, & inuenisset quosdam discipulos, seu credentes in Christum, existimasse eos baptisatos, ideóq; quæsisse; an etiam Spiritum sanctum accepissent, videlicet per impositionẽ manuum alicuius Apostoli, vel Episcopi in sacramento Confirmationis; collaturus ipsis, nisi accepissent. Tunc responderunt illi; *Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus.* Miratus Apostolus subiecit, *In quo ergo baptisati estis?* Quasi diceret, si Baptismate à Christo instituto baptisati estis, necessariò de Spiritu sancto audiuistis; quia Baptismus Christi sine inuocatione Spiritus sancti non confertur. *Qui dixerunt, in Ioannis baptismate: His auditis, baptisati sunt in nomine Domini Iesu,* id est, Baptismo, non quem Ioannes, sed quem Christus instituit. Ita enim intelligi oportet, quod in Actis legimus, Apostolos baptisasse in nomine Christi, id est, Baptismo ipsius auctoritate instituto, cum expressa professione Fidei in Christum. Quare S. Cyprianus cit. epist. explicans verba S. Petri Act. 2. *Baptisetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini* IESV *Christi,* ita scribit: *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur.*

Neque verò aliud sensit S. Basil. cit. c.12. de Spiritu sancto, itémque S. Ambros. cap.3. qui tum hæc, tum pleraque alia ex tractatu Basilij sumpsit. Posteà verò Nicolaus Papa, cùm interrogatus esset; Num Baptismus valeret à Iudæo collatus; respondit valere: obiter & per accidens adiungens, tametsi solùm in nomine Christi administraretur, motus auctoritate Ambrosij, quem tamen non rectè intellexisse videtur. Nihil igitur ibi Pontifex definiuit; sed obiter asseruit doctrinã probabilem, quam olim, & adhuc hodie aliqui Doctores defendunt. Ad rationem verò, quàm Nicolaus Papa insinuauit; vnum, idémque esse, seu quis cum expressa inuocatione SS. Trinitatis, seu cum implicita baptiset, responderi debet, axioma illud: *Expliciti, atque impliciti eadem virtus est;* locum nullum habere in sacramentis, quippe quæ ex propria institutione signa exprimentia esse debent.

Atque hæc quidem explicatio longè probabilior videtur, quàm ea, quæ à S. Th. traditur quæst. 66.a.6. ad 1. Apostolos ex speciali priuilegio interdum baptisasse cum solius Christi expressa inuocatione; vt nomen hoc, quod Iudæis, ac Gentilibus odiosum erat, tantò honorabilius redderetur: quod etiam senserunt Alensis p.4.q.13. mem. 3.a.4.§.2. S. Bonau. Richardus, Durandus, Gabriel, Maior ll.cc. Sed contrà existimandum videtur, materias, & formas substantiales sacramentorum semper easdem in Ecclesia retentas, & per nullam dispensationem Dei mutatas fuisse: cùm neque ex Scriptura, neque ex traditione talem dispensationem asserere cogamur. Neque coniectura S. Thom. conuincit; quandoquidem nihilominus Christi IESV nomen in forma exprimi poterat, etiamsi Pater, & Spiritus sanctus non omitterentur; sicuti etiam non omitti, sed in prima statim Ecclesia expressam professionem SS. Trinitatis in Baptismo fieri valdè multùm intererat, ideoque tanquam necessaria forma à Christo tradita fuerat. Quam doctrinam expressit etiam S. Damascenus lib.4. de Fide orthodoxa, cap.10. *Etsi Apostolus his verbis vtitur, in Christum, & in mortem ipsius baptisati sumus; non tamen hoc vult, Baptismi formulam his verbis constare debere: Verùm hoc, Baptismum mortis Christi figuram præferre: Baptismus siquidem per triplicem immersionem tres dies, quibus Dominus tumulo conditus iacuit, significat. Quare in Christum baptisatum esse, nihil aliud indicat, quàm in eum credendo salutifera aqua tingi. Fieri autem non potest, vt in Christum credamus, nisi Patris, & Filij, & Spiritus sancti confessione imbuti simus. Christus enim Dei viuentis est Filius, quem Pater Spiritu sancto vnxit.* Et paulò post: *Quænam verborum forma adhibenda esset, Dominus discipulis in hæc verba exposuit: Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum validus sit Baptismus, si forma verbis æquiualentibus proferatur, v. g. *Ego te baptiso in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque.* 4
Affirmat Gl. in c. multi sunt, dist.4. de consecrat. Caietan. quæst.66.a.5. Victoria de Baptismo, n.13. Ratio est: Nam vbi tantùm accidentalis mutatio formæ fit, validum est sacramentum. In dicta autem forma tantùm est mutatio accidentalis: Nam formæ essentia consistit in significatione: verba autem illa, *Genitor, Genitus, & ab vtroque Procedens,* non mutant verborum sensum: cùm & ipsa sint propria nomina, quibus tres Personæ diuinæ significari, & appellari solent; ideóque æquipolentia, & synonima, alijs communiter in forma vsurpatis vocibus, *Pater, Filius, & Spiritus sanctus.*

Contrarium verò docent DD. communiter, Halensis p.4.q.13. mem.2.a.3.§.1. S. Thom. q.66.a.5. ad 7. S. Bonau. in 4.d.3.a.2.q.3. Richard. ibid. a.2.q.3. ad 8. Scotus q.2. ver. Tertiò de forma, Duran. q.2.n.5. Palud. q.1. ver. secundò in speciali, Gabr. q.vn.a.2. concl.4. & a.3.dub.1. Sotus q. vn. a. 5. ver. hoc ergo interim. Ratio est: Quia credibile est, & praxis Ecclesiæ ostendit, Christum pro forma sacramenti adeò necessarij, in quo & Fidei Christianæ professio fieri debet, instituisse, ac determinasse talia verba, quæ in quauis lingua ad SS. Trinitatis mysterium significandum communiter ab Ecclesia vsurpari solent: Talia autem in lingua Romana sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ergo, &c. Verùm hoc argumentum non omnino conuincere videtur: quia licet Christus ita potuerit formam Baptismi instituere, tamen ita instituisse non satis constat. Cùm ergo res dubia sit; si quis sub talibus nominibus, *Genitoris, Geniti, Procedentis ab vtroque,* baptisatus esset, iterum sub conditione formâ consuetâ baptisari deberet, vti bene annotauit Sotus cit. a.5. in fine, Suarez disp. 21. s.4.

QVÆSTIO TERTIA. Quid sentiendum sit de tali forma, habeátne essentialem defectum? *Ego te baptiso in Patre, Filio, & Spiritu sancto:* vel, *Ego te baptiso cum Patre, Filio, & Spiritu sancto:* Talem Baptismum valere existimat Paulus Comitolus lib.1. moral. resp. q.10. Sed contrarium mihi magis placet. Communis enim doctrina est apud Sotum d.3. q.vn. a.5. ad 6. Valen. t.4. disp.4. q.1. p.2. ad 4.

dub.4. Suarez disp.21. s.2. Henriq.lib.2. c.8. n.2. Ægid. Coninck q.66.a.6. dub.vn.n.59.ex Innoc.c.1.de Baptis-
5 mo;vocabulum *nomine*, seu *in nomine* pertinere ad essentiam formæ: quia per illud significatur non tantùm virtus,sed etiam inuocatio ac professio Dei vnius,sicuti docet S. Hieron. in c.28. Matth.& in c.4. ad Ephes.super illa verba,*Vnus Dominus, vna Fides*. S. Ambr.lib.2.de sacram.c.7. S.August.lib.5. contra Maxim. c.23. Innoc.in cit.c.1. Quare inferunt,etiam hanc formam dubiam esse, *Baptiso te in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; ideoq; Baptismum sub conditione repetendum esse:Nam *nomen* plus significat, quàm *virtus*.

Idem Comitolus lib. 1. q. 7. respondit, validum non fuisse Baptismum,quo mulier domi infantem baptisauit. *Ego te baptiso in nomine Patris: Ego te baptiso in nomine Filij: Ego te baptiso in nomine Spiritus sancti*; ad singulas partes formę aquā infanti affundens. Verùm contrà argumētari possumus: Vel talis Baptismus irritus iudicatur, propter trinam aquæ aspersionem, seu affusionem; vel propter repetitionem verborum, *Ego te baptiso*, vel denique propter omissionem copulatiuæ, *Et*. Nihil horum dici potest: Non I. Quia sicuti non refert, vtrum quis infantem semel tantùm,an ter immergat in aquam; ita etiam nihil ad sacramenti substantiam referre videtur, vtrum aqua ei semel affundatur,an verò ter ob mysterium SS.Trinitatis. Nec II. Quia illa repetitio, licet in forma consueta non exprimatur,tacitè tamen ex modo loquēdi,& ipsa verborum constructione intelligitur. Sensus enim est: Quòd Minister non tantùm in nomine Patris baptiset, sed etiam in nomine Filij baptiset,& in nomine Spiritus sancti baptiset; hocipso, quòd in nomine SS.Trinitatis baptisat. Neque tertium probabiliter asseritur: cùm sit communis doctrina,sola omissione copulæ *Et* non vitiari Baptismum. Facilè igitur defendi potest, Baptismum in dicta forma validè collatum fuisse. Quamuis in praxi non repugnarem, vt iterum conferretur sub conditione;propterà quòd tali baptisandi modo, quo tres ablutiones fiunt, & forma verborum ad singulas ablutiones discriminatim sine copulatiua *Et* pronuntiatur; non satis exprimi videtur vnius diuinitatis essentia.

6 Porrò ex dictis facile est intelligere, quæ mutationes formæ accidentales tantùm sint,quibus Baptismus illicitus fit,nisi necessitas excuset; sed tamen validus manet. Exempla sunt: I. Si in forma latina omittatur pronomen *Ego*. II. Si Baptismus solemnis in alio idiomate conferatur,quàm Ecclesia præscribit; videlicet in Romana Ecclesia non latino, sed vulgari. Cæterùm si homo illiteratus, v.g. obstetrix, in casu necessitatis priuatim baptiset, consultius est,vt vulgari seu communi idiomate formam pronuntiet,sicuti notauit Sotus d.1.q.1.a.8.circa 4.concl. ver.in mutatione verò. III. Si verborum transpositio fiat,ita vt idem sensus retineatur, v.g. *Te ego baptiso in nomine Patris*: vel, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ego te baptiso*. Qua de re Halensis 4.p.q.13. mem.3.a.3.§.5. Item secundùm Scotum in 4.d.1.q.2.Sotum d.1.q.1.a.8. in fine: si Minister ita dicat: *Ego te baptiso in nomine Filij,& Patris,& Spiritus sancti, Amen*, Sacramentum validè confertur: excepto si Minister errorem inducere intendat, quasi Filius sit principium Patris: tunc enim corrumpit substantialem sensum formæ, & consequenter veritatem Baptismi. Sed Alex. Halensis cit. §. non improbabiliter ait, si ordo emanationis in diuinis in forma verborū mutetur, non conferri sacramentum: quare Baptismus in hoc casu sub conditione repetendus foret.

IV. Si verborum modica interruptio fiat, v.g. si Minister, dicto,*Ego te baptiso in nomine Patris*,tussiat,expuat,vel iubeat aquam afferri; ac postea reliquam verborum formam cum ablutione adijciat. Cæterùm si notabilis verborum interruptio fiat, siue per simplicem cessationem, siue per alterius actionis interpositionem, irritum est sacramentum, vti docet S. Thom. cit. quæst. 60. a.8.ad 3. Richard.in 4.d.3.a.2. quæst. 3. ver. quantum ad tertium, Maior in 4.d.2.quæst.1.Sotus cit. a.8. prope finem, Suarez disp.2.s.4.ver.quarta mutatio. Nam oratio vt vna sit, vnúmque integrum sensum efficiat, debet constare vocibus coniunctim seu cohærenter prolatis;saltem morali coniunctione.

V. Si superflua additio fiat, v.g. *Ego Iacobus te baptiso in nomine* &c. vel, *Ego te baptiso in nomine Patris Omnipotentis, & Filij eius vnigeniti, & Spiritus sancti Paracliti. & B.Maria Virgo te adiuuet.* Si autem dicat Minister: *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,& B.Virginis Mariæ*, distinguit S.Th. quæst.60.a. 8.Sotus cit.a.8. concl. 6.Suarez disp.2.s.5.in fine. Vel Minister habuit intentionē inuocandi B. Virginem, quasi in nomine eius: sicuti & in Patris, ac Filij, ac Spiritus sancti, Baptismus conferretur; tunc irritum est sacramentum: quia sensus verborum à Ministro intentus est contra veritatem & sensum substantialem formæ à Christo institutum. Vel Minister habuit intentionem inuocandi B. Virginem, non quia ipsa gratiam sacramenti conferat, sed quia aduocatrix,& adiutrix sit ad impetrandam: ideóque alio sensu inuocauit nomen Virginis, quàm verbis antecedentibus SS. Trinitatem: tunc sacramentum consistit; quia sustantialis significatio formæ à Christo institutæ mutata non est: sed solùm aliqua adiectio facta, quamuis illicitè præter consuetudinem Ecclesiæ. Qua de re videri etiam potest S. August. lib. 6.de Baptismo,c.25.

CAP. V.

De vnitate Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est vnitas Baptismi: specifica, & numerica.*
2 *Triplex baptisma distingui solet: Fluminis, sanguinis, flaminis: sed duo posteriora non sunt sacramenta.*
3 *Si dubium rationabile sit de valore collati Baptismi, repeti debet sub conditione.*
Sufficit vnius oculati & minimè suspecti testis affirmatio de collato alicui Baptismo.
4 *Faciliùs sub conditione repetitur Baptismus in infante, quàm adulto.*

Dvplex est vnitas Baptismi, quatenus nouæ legis sacramentum est;specifica,& numerica. De specifica vnitate Apostolus loqui videtur ad Ephes. c.4. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma*. Hortatur enim Ephesios ad vnitatem & concordiam charitatis, quia vnum corpus sint,eadem spe in Ecclesiam vocati: & quia vnus Deus, & Pater omnium, vna item Fides, & vnum Baptisma: quod non nisi de specifica vnitate intelligi posse videtur. Neque his obstat primò: Quòd tria Baptismata distingui solent: *Baptismus fluminis, sanguinis, & flaminis*, sicuti habetur in Gl. ordinaria ad c.6. epist. ad Hebræos, & apud S. Th.q.66.a.11. Nam solus Baptismus fluminis sacramentum est:alia verò duo analogicè baptismata appellantur: propter conuenientiam, quam gerunt cū Baptismo aquæ,non ratione signi sacramentalis, sed quoad effectum illius: quatenus supplere possunt sacramentum Baptismi, quod attinet ad culpæ remissionem, ac spiritualem renouationem, vti explicaui in lib. 3. s. 3. n. 2. Eóque sensu S. Cyprianus dixit lib. 1. epist. 2. ad Cornel. & in epist. ad Iubaianum, quòd *Martyr suo sanguine baptisatur*. Et S. August. lib. 13. de ciuit. c. 7. *Quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si ablueruntur sacro fonte Baptismatis.* Ob eandémque causam dixit serm. 17. de verbis Apost. quòd *iniuriam infert Martyri, qui orat pro Martyre.*

Nec obstat secundò: Quod in Baptismo fluminis duplex esse potest baptizandi modus; per aspersionem, & & immersionem: est enim hæc merè accidentalis diuersitas

ſitas: non tantùm ſi materialiter ſpectetur, quatenus vtraq; eſt corporis ablutio, ſed etiam ſi formaliter in ratione ſacri ſigni: quatenus vtraque eundem effectum ſpiritualis regenerationis, ſeu renouationis, ſignificat, & operatur.

De numerica verò vnitate Baptiſmi, quòd videlicet hoc ſacramentum non niſi ſemel homini conferri, ſeu nunquam iterari poſſit, teſtantur Patres in ſymbolo Conſtantinopol. *Confiteor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum*, & in Conc. Lateran. c. firmiter, Florent. in decreto Eugenij, ver. Quintò. Trident. ſeſſ. 7. can. 11. & docent S. Auguſt. lib. de vnico Baptiſmo, S. Th. q. 66. a. 9. qui id probat ex cit. c. 4. ad Epheſ. *Vna Fides, vnum Baptiſma*. quem locum eodem ſenſu intellexit S. Leo I. epiſt. 35. ad Leonem Rauennatem Epiſc. relatus in c. cùm itaque, d. 4. de conſecr. & Ambroſ. lib. 2. de pœnit. c. 2. vbi eandem veritatem confirmat ex Apoſt. ad Heb. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati*, (per Baptiſmum, in quo lumen Fidei infunditur) *rurſus renouari ad pœnitentiam*; id eſt poſt lapſum pœnitentes, per alterum baptiſmum denuo renouati, ſicuti & alij Patres exponunt apud Suar. diſp. 22. ſ. 2. Bellarm. lib. 1. de pœnit. c. 13. & colligitur ex ratione, quam reddit Apoſtolus; *Rurſum crucifigentes ſibi Filium Dei*. Etenim Baptiſmus repræſentationem continet mortis, ſepulturæ, ac reſurrectionis Chriſti: quare ſicut Chriſtus ſemel tantùm mortuus eſt, & reſurrexit; ita & nobis ſemel tantum per Baptiſmatis ſacramentum peccatis mori, & ſpiritualiter reſurgere conceſſum eſt, ſicuti etiam ſignificatur ad Roman. 6.

Alias congruentias affert S. Th. cit. a. 9. Nam Baptiſmus eſt ſpiritualis quædam generatio, ſeu natiuitas, ſicuti colligitur ex verbis Chriſti Ioan. 3. Quare ſicuti homo vterum matris ſuæ nõ poteſt repetere ac renaſci corporaliter; ita nec Baptiſmus & ſpiritualis natiuitas, ſeu renouatio repeti poteſt, ſicuti notauit S. Aug. tr. 11. in Ioan. c. 3. in illa verba Nicodemi, *Nunquid poteſt* homo *in ventrem matris ſuæ iteratò introire*? Item per Baptiſmum impreſſo charactere, Chriſto cõſignamur, vt ad corpus eius myſticum ſiue Eccleſiam pertineamus, teſte Dionyſ. Areop. de Eccl. hier. p. 2. c. 2. *Accedentem ad Baptiſmum, diuina Maieſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucẽ ſuam perinde, ac ſignum aliquod tradit, ſanctum efficiens, & ſanctorum ſortis, ordiniſque participem.* Ergo ſicuti character, quippe indelebilis, repeti non poteſt; ita neque Baptiſmus, teſte S. Aug. lib. de Baptiſmo, c. 1. & Cyrillo Hieroſol. in præfat. catecheſ. vbi Baptiſma vocat *ſignaculum ſanctum, indelebile*. Denique Baptiſmus principaliter inſtitutus eſt ad tollendum peccatum originale, hoc autem peccatum vnicum eſt, & ſemel ablatum iterum non contrahitur: quare etiam remedium eius ſemel tantùm applicari debet, ſicuti inter alios notauit Alenſis p. 4. q. 23. mem. 7. Alia autem actualia peccata iterum incurri poſſunt; ideóque & ſacramentum Pœnitentiæ, alterum poſt lapſum animæ remedium, iteratò aſſumi.

Porrò aduertendum eſt, Baptiſmum duobus modis repeti poſſe; Primò abſolutè, & hoc ſine graui ſcelere non contingit; præterquam ſi fiat inuoluntariè ex inuincibili ignorantia: qualis tunc cenſeri debet, ſi poſt diligentem inquiſitionem nullum probabile indicium, ſuſpicio, vel præſumptio adſit Baptiſmi antea collati. Secundò, ſub conditione, qualis ponitur in c. 2. de Baptiſmo: *Si*
3 *baptiſatus es, non te baptiſo: ſed ſi non baptiſatus es, ego te baptiſo in nomine Patris &c.* Cuiuſmodi conditionalis Baptiſmus conferri poteſt, ac debet, quotieſcunque poſt diligentem inquiſitionem, probabile, ſeu rationabile dubium manet, vtrum Baptiſmus verè homini collatus ſit, nécne. Idque tam in dubio iuris, quàm in dubio facti, vti bene annotauit Abb. in c. 2. num. 3. de Baptiſmo.

Dubium iuris eſt, ſi oppoſitæ Doctorum ſententiæ probabiles cenſeantur, v. g. vtrum valeat Baptiſmus collatus in nomine Chriſti, aut collatus in nomine SS. Trinitatis, abſque diſtincta expreſſione perſonarum: Item ſi infans baptiſatus ſit ſolo pede, aut brachio ex vtero matris, exerto; vel ſecundina pelle inuolutus, de quibus ſuprà dixi cap. 3. num. 3. Dubium facti eſt, ſi abſolutè incertum ſit, vtrum Baptiſmus fuerit collatus, nécne. Exempla ſunt: I. Si aliqui inter infideles nati ſunt, à parentibus quidem Catholicis, ſed quibus barbari, ſeu infideles infantes ſuos ſtatim abripuerunt; hi ſi poſtea à Chriſtianis redimantur, baptiſandi ſunt ſub conditione; quando nec ipſimet, nec parentes eorum, nec alij de Baptiſmo antè collato teſtari poſſunt, c. paruulus, c. placuit de infantibus, d. 4. de conſecrat. II. Si infans expoſitus ſit, nulla ipſi adiecta ſchedula, quæ de Baptiſmo teſtificetur. III. Si obſtetrices, quæ ob neceſſitatem ſe baptiſaſſe infantes aiunt, de veneficijs ſuſpectæ ſint; aut aliquando confeſſæ ſe non rite baptiſaſſe; vel ſi à Parocho examinatæ (ſicuti examinari debent, vti notat Catech. Roman. p. 2. cap. 2. §. 43. Sotus in 4. diſtinct. 3. q. vn. a. 9. Suarez diſp. 31. ſ. 6. §. de quo præcepto, Ægid. Coninck quæſt. 66. a. 9. dub. 1. num. 94.) qua materia, forma, & qua corporis parte baptisârint, non ſatis conſtanter reſpondeant.

Quòd verò Sotus loco cit. grauiter reprehendit conſuetudinem quorundam Parochorum, qui omnes infantes, quos obſtetrices ob neceſſitatem baptiſatos à ſe aſſerunt, ſub conditione iterum baptiſant: hæc reprehenſio intelligi debet, ſi interim moralis certitudo adſit, infantes domi legitimè baptiſatos eſſe, ſicuti notat Suarez cit. loco, & Zambrana de Bapt. c. 1. dub. 1. Veruntamen in quibuſdam locis, vbi experientia conſtitit, obſtetrices non rarò à Diabolo deceptas, in ipſius nomine baptiſare ſolitas, cõſuetudo obtinuit, vt omnes infantes, quos mulier affirmat ſe domi baptiſaſſe, iterum ſub conditione baptiſentur: quam ego conſuetudinem reprehendere non audeo; imò approbatam reperio in Paſtorali Romano, edito Antuerpiæ Anno 1607. pag. 20. & 31. cùm reuera aliquod dubium & periculum animæ ſubſit; ideóq; ceſſet irreuerentia ſacramenti. Neque enimuero repetitur Baptiſmus, ſi in tali caſu, quo non ſatis conſtat collatum fuiſſe, ſub cõditione confertur: Quia, vti dicitur in c. venient, de Preſbyt. non baptiſato; *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum.* Et in c. ſolemnitatis, 1. diſt. 1. de conſecrat. *Talis trepidatio non facit iterationem: quoniam non monſtratur eſſe iteratum, quod neſcitur eſſe factum.* Et in c. ſi nulla, d. 4. de conſecrat. ait Leo I. *Non interuenit temeritas præſupmtionis, vbi eſt diligentia pietatis.* Et enim hîc maximè locum habet dictum illud, Quòd *in dubio inclinandum ſit in fauorem animæ, ſeu pars tutior præferenda.* Quandoquidem ſi homo, qui verè baptiſatus non eſt, in infantia moriatur, ſaluari non poteſt: ſin autem adoleſcat, nullũ aliud ſacramentum validè ſuſcipit; & conſequenter nec licitè, ſi de ſuo Baptiſmo rationabiliter dubitet: quandoquidem Baptiſmus eſt ianua, ac veluti paſſiua diſpoſitio ad alia ſacramenta, ſine qua nullum aliud validè ſuſcipitur.

Dixi tamen ſuprà, vt Baptiſmus ſub conditione conferri poſſit, oportere eſſe dubium moraliter probabile ſeu rationabile. Alioquin ſufficere nobis debet moralis certitudo, cùm infallibilis notitia de accepto Baptiſmo haberi non poſſit. Imò in hoc caſu ad fidẽ faciendam ſatis eſt vnus teſtis oculatus, de quo nulla ſuſpicio eſſe poſſit pernicioſi mendacij: ſicuti colligitur ex c. paruulos, diſtinct. 4. de conſecrat. Idémque locum habet, ſi dubitetur num Eccleſia conſecrata ſit, ſecundùm doctrinam Innoc. in rubr. de conſecrat: Quòd *ſcriptura in marmore, vel vnus teſtis fidem facit de Eccleſiæ conſecratione.*

Præterea ſi homo inter fideles natus, & in Fide Chriſti educatus fuit, quãuis nullũ aliud teſtimonium accepti Baptiſmi habere poſſit: præſumendũ tamen eſt, legitimè baptiſatum fuiſſe: adeò, vt *hæc præſumptio pro certitudine habẽda ſit, donec euidentiſsimis, argumentis cõtrarium probetur*, ait 4

Innoc. in c. veniens: Vbi fortaſſe idcirco euidentiora argumenta in partem contrariam Innoc. requirit, quia loquitur de adulto, qui per Fidē, & actum cōtritionis ſaluari poteſt, etiamſi ſacramentũ Baptiſmi non acceperit: qui etiam inter Chriſtianos natus & educatus alia ſacramenta participauit, ideóque difficilius, & cum maiore populi admiratione ac ſcandalo Baptiſmũ, quamuis ſub cōditione accepturus eſſet. Nihilominus exiſtimo, interdum etiam adulto inter fideles educato conferendum eſſe Baptiſmũ ſub cōditione, ſi tales cōiecturæ adſint (puta quia v.g. à veneficis parentibus natus eſt, à Diabolo valde infeſtatur, nec ſciri poteſt vllo indicio vbi, vel à quo baptizatus fuerit) quæ præſumptionē accepti Baptiſmi tollant, & contrarium veriſimile efficiant. Idémque dicendum in dubio iuris, ſi videlicet cōſtet, Baptiſmũ collatũ fuiſſe: ſed in materia, vel forma dubia, vti obſeruauit Coninck cit. dub. 1. concl. 4. Dummodo, quantùm fieri poteſt, ſcandalum caueatur; ideóq; expoſitâ causâ parētibus hominis baptiſandi, & patrino &c. cur rebaptiſare oporteat (ſi cauſa manifeſta non ſit) agatur id remotis arbitris, & clauſis tēpli foribus, ait Zambranus c. 1. dub. 4. & cũ expreſſa conditione, *Si non es baptiſatus* &c. ſicuti rectè admonet Ioan. Chapeauille de modo miniſtr. ſacram. tēpore peſtis, c. 1. q. 1. ver. ſextò, vbi etiam regulam tradit; *Si dubium de valore ſacramenti publicè notum eſt, conditio in eius collatione exprimi debet: Sin verò occultum ſit, conditio tacitè ſubintelligenda*, v. g. cùm dubitatur de confitentis diſpoſitione.

CAP. VI.

De ſuſcipientibus Baptiſmum.

SVMMARIVM.

1 *Omnis homo viator eſt capax Baptiſmi ſubiectum.*

2 *Vt Baptiſmum validè ſuſcipiatur, ſufficit, & requiritur aliquis conſenſus in adulto.*

3 *Ad valorem Baptiſmi non requiritur Fides, aut alia bona ſuſcipientis diſpoſitio.*

4 *Vt Baptiſmus rectè, ac fructuosè ſuſcipiatur, requiritur in peccatore aliqua pœnitentia, ſaltem attritionis, ex motiuo ſupernaturali ſuſcepta.*

5 *Baptiſmalis gratia, remoto obice indiſpoſitionis, ex opere operato homini baptiſato prouenit.*

6 *Extra caſum martyrij, Baptiſmus re ipſa ſuſceptus eſt ſimpliciter neceſſarius paruulis ad ſalutem: adultis verò ſufficit, ſi in voto, ſaltem implicitè ſuſceptus ſit.*

7 *Baptiſmus adultis ad ſalutem neceſſarius etiam eſt ex diuini præcepti obligatione.*

8 *Baptiſmatis ſacramentum non diu differendum, ſed cumprimum commodè poteſt, ſuſcipi debet.*

9 *Extra neceſſitatis caſum non debet Baptiſmus ſine ſolemnitatibus conferri, tametſi vnum, aut alterum menſem expectandum ſit, v. g. dum patrini aduentant.*

10 *Liberi inuitis infidelibus parentibus, in quorum poteſtate ſunt, validè quidem, ſed non licitè baptiſantur: quibuſdam caſibus exceptis.*

11 *Inuitis etiam parentibus hæreticis, licitum eſt illorum liberos catholico ritu baptiſare.*

12 *Si parentes hæretici ad Catholicum miniſtrum filios baptiſandos deferant, baptiſari interdum poſſunt, tametſi ipſis reſtituendi ſint.*

13 *Vtrum, & quomodo baptiſandum ſit monſtrum, de quo dubitatur, ſitne homo, an beſtia, vel ſitne vnus, an duo homines, varia conſideratio eſt.*

1 PRIMA QVÆSTIO. Quod ſit ſubiectum capax Baptiſmi nouæ legis ſacramenti? Reſpondeo: Omnis, & ſolus homo viator nondum baptiſatus tam paruulus, quàm adultus. Eſt hæc aſſertio de Fide, quæ ſumitur ex cap. vlt. S. Matth. *Euntes, docete omnes gentes, baptiſantes eos* &c. & Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ; qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſaluus erit.* Probatur ex eo: Quia omnes homines ita à Deo creantur, vt capaces eſſe poſſint ſpiritualis ſalutis, ac vitę ęternę: ſalus autem & vita hominibus poſt Euangelij promulgationem ordinariè non contingit ſine Baptiſmo, iuxta verbum Chriſti Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Et quidem de infantibus, quòd abſque Baptiſmo morientes vitam æternam non conſequantur, aduerſus Pelagianos definierunt Patres Concilij Africani ſub Cœleſtino, c. 77. Mileuitani c. 1. Innoc. I. epiſt. 25. ad Concil. Mileuitanum. Vide S. Auguſt. de peccato originis, c. 7.

SECVNDA QVÆSTIO. Qualis diſpoſitio in adultis neceſſaria ſit ad Baptiſmi ſuſceptionem? De adultis loquor: Quia in paruulis, ſeu infantibus, Fidem aliámue bonam diſpoſitionem actualem requirere, aliud non eſt, quàm ipſis ſenſibus, & euidentiæ veritatis reſiſtere velle, vti S. Auguſt. ait in epiſt. 57. ad Dardanum, circa medium. Ad quæſtionem reſpondeo, &
dico I. Vt Baptiſmus validè ſuſcipiatur, requiritur, ac 2
ſufficit qualiſcunque conſenſus ſuſcipientis voluntarius: ſeu præſens, ſeu preteritus, & non retractatus. Ita definiuit Innoc. III. in c. maiores, §. item quæritur, de Baptiſmo: vbi tria potiſſimum aſſerit: I. Requiri in adultis conſenſum: & ſimpliciter contradicentes, ſeu inuitos validè non baptiſari: quod eo etiam ſigno oſtendit, quia Eccleſia numquam ſolet eos, qui contra voluntatem baptiſati ſunt, ad Fidei Chriſtianæ obſeruationem compellere. Ratio verò congruentiæ eſt, quia ad ſuauem Dei prouidentiam ſpectat, ſacra Chriſtiana ita inſtituta fuiſſe, vt ijs non initiarentur vtentes ratione, niſi aliquo modo conſenſerint. II. Non requiri conſenſum actualiter, aut virtualiter præſentem, cùm ſacramentum ſuſcipitur, ſed ſufficere interpretatiuum: ſi videlicet homo actualem voluntatem ſacramenti ſuſcipiendi habuerat, eámque poſtea numquam retractauit: tunc morali æſtimatione ſeu interpretatione perſeuerat etiam in amente, dormiente, ebrio, vt proinde tales validè baptiſentur, confirmentur &c. III. Sufficere conſenſum voluntarium, quamuis cum inuoluntario mixtus ſit: videlicet vi, aut metu quocunque extortus, ſicuti etiam docent Halenſ. p. 4. quæſt. 18. mem. 1. S. Bonau. in 4. diſt. 4. art. 2. q. 1. Richar. diſt. 6. art. 3. q. 2. Maior q. 2. in propoſitionib. & alij. Quamobrem ita baptiſati ſubijciuntur iuriſdictioni Eccleſiæ, & coguntur ad Fidei obſeruationem. Ratio congruentiæ eſt: Quia ex vna parte, quod metu ſit, ſimpliciter voluntarium eſt: ex altera verò parte, multùm intereſt, Baptiſmum in eiuſmodi hominibus validum eſſe, ne facilè aliquis excuſationem metus prętendere poſſit, & ſic *nomen Domini blaſphemetur; & Fides, quam ſuſceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur*, ait Innoc. in citato cap. maiores. Tota verò hæc aſſertio pendet ex inſtitutione Chriſti, quam nobis Eccleſię traditio & praxis oſtendit.

Dico II. Ad valorem Baptiſmi non requiritur Fi- 3
des, aut alia bona diſpoſitio ſuſcipientis: ſed ſufficit libera eius voluntas, quamuis habita ob peruerſum finem, v. g. propter flagitium patrandum, propter Principis fauorem, vel lucrum temporale conſequendum. Eſt certa aſſertio ex citat. c. maiores, §. item quæritur, & cap. de Iudæis, diſtinct. 54. & traditur à S. Auguſt. lib. 2. contra Petilian. cap. 35. & lib. de catechiſandis rudibus cap. 17. S. Thom. 68. art. 8. Alenſi p. 4. quæſt. 18. mem. 2. a. 2. §. 2. & art. 3. Richar. in 4. diſtinct. 4. art. 1. quæſt. 2. & diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 1. Maiore in 4. diſtinct. 4. quæſt. 2. propoſ. vlt. Omnino enim conueniens fuit, ſacramenta ita à Chriſto inſtitui, vt eorum vſus vniuerſalis, atque exploratus eſſet; id eſt, quatenus moraliter poſſibile, ſciretur, vtrum homo ſacramentum ſuſcepiſſet, nécne: hoc autem fit, ſi neque ob miniſtrantis,

tis, neque ob suscipientis malitiam, sacramenti valor impediatur, dummodo vtriusque voluntas concurrat: Quod S. Thom. cit. a. 8. his verbis docet. *Sacramentum non perficitur per iustitiam hominis dantis, vel suscipientis Baptismum; sed per virtutem Dei.* Itaque aliud non requiritur, quàm vt materia, ac forma sacramenti, secundùm institutionem Christi, applicetur, libera voluntate tum ministrantis (nam Deus disponens omnia suauiter, in sanctificandis hominibus per sensibilia signa, seu sacramenta, hominum ministerio vti vult) tum etiam suscipientis, saltem generali & confusa ratione faciendi, vel suscipiendi, quod Christiani faciunt, vel suscipiunt; cùm enim tunc adsint sacramenti substantialia, ideo verè ac validè efficitur sacramentum, vti notauit S. Thom. cit. art. 8. ad. 1. Et debet hæc doctrina etiam ad alia sacramenta applicari; excepto Pœnitentiæ sacramento, de quo infrà.

Dico III. Ad sacramenti cuiuscunque vltimatum effectum, qui est sanctificans gratia, omnino requiritur bona suscipientis adulti dispositio, conueniens sanctitati sacramenti, quod suscipitur. Est certa assertio; Quia sancta sanctè tractari debent. Sed vt speciatim hîc dicam de Baptismo, qui (vti definitum leges in Concil. Carthag. 4. c. 1.) per se ac principaliter institutus est ad peccata, imprimis originale, tum etiam actualia omnia virtute ac meritis Christi, penitus tollenda, adeóque ad primam gratiam iustificantem conferendam; nisi suscipiens iam antè per contritionem iustificatus fuerit: huic enim non prima gratia, sed gratiæ augmentum confertur. Ad hunc, inquam, vltimatum Baptismi effectum, quæ est plena peccatorum remissio, iustificatio, ac renouatio; inprimis in suscipiente adulto requiritur Fides supernaturalis, tanquam fundamentum iustitiæ Christianæ, deinde pœnitentia seu dolor de peccatis commissis actualibus, iunctus cum proposito seruandi mandata Dei, & legem Christi, sicuti colligitur ex c. vlt. Marci: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit* &c. Act. cap. 2. *Pœnitentiam agite, & baptisetur vnusquisque vestrum.* Quæ ipsa causa fuit, cur S. Ioannes populum preparârit ad Christi Baptisma suscipiendum, prædicando pœnitentiam, Matth. 3.

4 Veruntamen opus non est, vt contritio hominis baptisandi perfecta sit, seu integra conuersio animi ad Deū super omnia dilectum, sed sufficit attritio, seu qualiscunque dolor animi de peccato, ex supernaturali motiuo conceptus, sicut infrà explicabo tr. 6. cap. 1. num. 9. & cap. 2. num. 2. & docet S. Thom. quæst. 68. art. 4. & q. 79. a. 3. ad 2. vbi ait; Eum non inconuenienter accedere ad Baptismum, qui habet conscientiam peccati mortalis. Et q. 80. a. 4. ad 2. hoc discrimen esse ait inter sacramentum Eucharistiæ, & sacramenta Baptismi, ac Pœnitentiæ: quòd Eucharistia sit medicina hominem confortans, quæ dari non debet, nisi liberatis à peccato: Baptismus autem, & Pœnitentia sint quasi medicinæ purgatiuæ, quę dantur ad tollendam febrem peccatorum: sunt enim hæc sacramenta per se instituta, vt hominem iustificent; ac proinde non requirunt antè iustificatum esse.

Ex quo etiam infertur, quòd exterior sacramentorum Confessio à baptisandis exigi non debeat, sicuti annotauit S. Bonau. in 4. distinct. 16. p. 2. a. 1. quæst. 2. & S. Ambros. lib. 3. de sacrament. cap. 2. *Etiamsi non confiteatur* (exteriùs) *peccatum, qui venit ad Baptismum; tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quòd baptisari petit, vt iustificetur, hoc est, vt à culpa ad gratiam transeat.* Et S. Thom. quæst. 68. art. 6. *Duplex est peccatorum confessio: Vna interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum requiritur ante Baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat, non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ. Alia est peccatorum confessio exterior, quæ fit Sacerdoti: & talis confessio non requiritur ante Baptismum, quia pertinet ad sacramentum Pœnitentiæ.* Et paulò pòst: *In baptisatis non requiritur specialis confessio peccatorum: sed sufficit generalis, quam faciunt, cùm secundùm ritum Ecclesiæ abrenunciant Sathanæ, & omnibus pompis eius &c. Si qui tamen baptisandi ex deuotione sua peccata confiteri vellent, esset eorum confessio audienda: non ad hoc, quòd eis satisfactio imponeretur; sed ad hoc; quòd contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur.* Qua ipsa ratione Catechumenis opera pœnitentiæ ad suorum criminum curationem, per modum medicinæ, salubriter imponuntur.

His adde, peccata, quæ ante Baptismum commissa sunt, neque posse esse materiam absolutionis sacramētalis post Baptismum conferēdæ. Etenim potestas clauium, Ecclesiæ à Christo collata, extendit se ad eas personas tantum, quæ Ecclesiasticæ iurisdictioni subiectæ sunt, & respectu eorum actuum, quos tempore subiectionis cōmiserunt. Est enim sacramentum Pœnitentiæ propriè pro lapsibus seu peccatis fidelium à Christo institutum. Quapropter si quis fictè, id est, sine Fide, aut pœnitentia Baptismū acceperit, postea hanc ipsam fictionem, ac indispositionem suam, & actualia peccata ea duntaxat, quæ post susceptum Baptismum ab ipso commissa sunt, sacramentaliter confiteri debet. qua de re Maior in 4. d. 4. q. 2. §. circa tertiam propositionem.

Deinde si loquamur de sacramentis, quæ iterari non possunt; videlicet Baptismo, Confirmatione, ac Ordine, non carent, illa omni effectu suo, sicuti notauit S. Th. cit. q. 68. a. 8. *Duo efficiuntur in animo per Baptismum; character, & gratia: quare dupliciter aliquid requiritur ad Baptismum; vno modo, sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus sacramenti: & hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad Baptismum. Alio modo requiritur aliquid, sine quo character Baptismatis imprimi non potest: & sic recta Fides baptisati non requiritur, dummodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti.*

Corrollarium. Cùm Baptismus iterari non debeat, peccatum autem originale, quin & actualia, sine Baptismo, secundùm ordinariam Dei legem, remitti non soleant: ideo, ne fateri cogamur, eiusmodi homini, qui mala sua dispositione, suscipiendæ gratiæ baptismalis obicem posuit, nullum ampliùs salutis remedium suppetere; dicere debemus, antea collatum Baptismum morali habitudine id operari, vt postea remoto obice, siue vt Doctores loquuntur, recedente fictione, assumpta, inquā, bona dispositione Fidei, pœnitentiæ &c. baptisatus consequatur gratiam Baptismi, & plenam remissionem eorum omnium peccatorum, quibus tempore Baptismi obnoxius fuerat: perinde ac si Baptismum rite dispositus accepisset: excepto quòd peccatum illud sacrilegæ fictionis post remotum obicem, vnà cum alijs mortalibus post Baptismum commissis, sacramentaliter confiteri teneatur, vt suprà dixi. Et videri potest S. Thom. q. 69. art 10. S. Bonau. in 4. dist. 4. a. 2. q. 3. Sotus ead. dist. circa secundum membrum diuisionis, §. respondeo, fictus dicitur. 5

Qᴠæstio Tertia. An, & qua ratione Baptismus sit hominibus in noua lege ad salutem necessarius? Respondeo & dico I. Extra casum martyrij, Baptismus re ipsa susceptus medium est simpliciter ad salutem necessarium paruulis, & vsum rationis nunquam assecutis. Ita contra Pelagianos definitum est in Concil. Mileuitano, cap. 2. & refertur in c. placuit, vt quicunque paruulos, dist. 4. de consecrat. & ab Innoc. 1. epist. 26. ad Concil. Mileuit. Innoc. III. in c. maiores, de Baptismo, Trident. sess. 5. decreto de peccato originali, num. 4. & sess. 7. can. 5. de Baptismo, & docuit S. August. tum alibi sæpe, tum lib. 3. de anima, c. 9. *Noli credere, noli dicere, infantes, antequam baptisentur, morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Videri potest Bellarm. lib. 1. de Baptismo, cap. 4. Suarez disput. 25. sect. 1. & 2. vasquez disp. 154. c. 1. 6

Sumitur hæc veritas ex verbis Christi cap. 3. Ioan. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Paruuli autem possunt intrare in regnum Dei; quia *talium est regnum cœlorum*, ait Christus Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18. Nam *sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt: sic per vnius iustitiam &c.* quod est argumentum Apost. ad Rom. 5. Eapropter necessarium est, ait S. Thom. quæst. 68. art. 9. paruulos baptisari; vt sicut per Adam mortalitatem, & damnationem incurrerunt nascendo: ita per Christum salutem cõsequantur renascendo. Idque etiam Christus significare videtur Ioan. 3. *Quod natũ est ex carne, caro est*; videlicet homo carnalis, peccato obnoxius: & *quod natum est ex Spiritu, spiritus est*, videlicet homo spiritualis ac Deo acceptus. Vide Sotum in 4. d. 5. quæst. vn. a. 1.

Dixi autem, *extra casum martyrij*: Nam Christianorum infantes, si ex odio Fidei in Christum (quamuis adhuc in vtero matris existentes, saltem directa etiam in eos intentione) occidantur, salui fiunt, vt constat exemplo SS. Innocentium, & tradit Caiet. 2. 2. quæst. 124. a. 1. Palud. in 4. distinct. 6. q. 1. a. 3. concl. 1. Nau. lib. 3. consil. vlt. de Baptis. edit. 2. cum addit.

Dico II. Baptismus à Christo institutus re ipsa, vel voto susceptus, medium est ad salutem necessarium adultis seu ratione vtentibus. Est assertio certa, quæ traditur in Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. vbi dicitur: Quòd *translatio* à statu peccati in statum gratiæ *post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non possit, sicuti scriptum est; Nisi quis renatus fuerit ex aqua.* Nota autem, quod dicitur, *aut eius voto*: Etenim per actum cõtritionis ac dilectionis Dei super omnia, in qua continetur etiam propositum seu votum, saltem implicitum, seruandi mandata Dei, & consequenter in noua lege recipiendi sacramentum Baptismi (si eius suscipiendi copia sit) hominem adultum verè à peccatis iustificari, & ius adoptionis filiorum Dei consequi, constat tum ex alijs Scripturæ locis, tum ex c. 10. Act. Apost. *Numquid aquam quis prohibere poterit, vt non baptisentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos?* Et traditur in c. debitum, de Baptismo, & c. 2. de presbytero non baptisato, allegatis etiam testimonijs S. August. lib. 8. de ciuit. & S. Ambrosij in orat. de obitu Valentiani Imperatoris, & videri potest S. Bernar. epist. 77. ad Hugonem Victorinum, allegans testimonium eiusdem August. lib. 4. de Baptismo, cap. 22. & quæ infrà dicturus sum. tract. 6. cap. 1.

7 Dico III. Baptismus adultis in noua lege ad salutem necessarius etiam est ex diuini præcepti necessitate. Ita ex communi Scotus in 4. distinct. 4. circa tertium mem. diuisionis, Gabr. in 4. dist. 4. quæst. 2. a. 3. dub. 1. Sotus in 4. distinct. 5. quæst. vn. art. 1. Ægid. Coninx quæst. 69. a. 2. dub. 1. concl. 4. qui rectè etiam notant, hanc diuini præcepti obligationem diuersam esse ab ea, quæ ex necessitate medij sequitur. Nam discipuli, seu credẽtes in Christũ ante eius passionem, (inter quos etiam Nicodemus Ioan. 3.) iustificabantur, sine respectu obligationis ad Baptismum suscipiendum; quippe cuius nondum sufficienter promulgati nulla adhuc extabat lex seu obligatio. Et tamen illi ipsi post promulgatam Euangelij legem ex diuino præcepto obligari cœperunt ad Baptismum suscipiendum, si ante non accepissent. Quare verbis ijs Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Et Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis* &c. significauit Christus, qualis futura esset horum sacramentorum necessitas, cùm lex Euangelij obligare cœperit, videlicet post mortem suam (vti volunt Henriq. lib. 2. c. 2. num. 4. Viualdus in candelabro c. de Baptis. institut. Mol. tr. 5. disp. 62. Vasquez 1. 2. disp. 181. c. 2.) Vel (vti non improbabiliter arbitrantur Scotus in 4. d. 3. q. 4. §. quantum ergo ad istum articulum, Gabr. in 4. d. 1. quæst. 4. a. 3. in 2. notando, & concl. 2.) post publicam promulgationem ab Apostolis factam in die Pentecostes Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptisetur vnusquisque vestrum.* Quamuis etiam tunc lex Euangelica innumeros homines, inuincibili eius ignorantia laborantes, in actu secundo non comprehenderit; sicuti neque hodie eos obligat, quibus nondum promulgata est.

QVARTA QVÆSTIO. De tempore, quo Baptismus suscipiendus sit. Respondeo & dico I. Adulti diuino Christi præcepto obligantur ad sacramẽtum Baptismi suscipiendum, cum primum commodè possunt. Est communis apud Caiet. 3. p. q. 68. a. 3. Sotum in 4. distinct. 5. quæst. vn. art. 3. Vasquez disput. 149. cap. 4. Suarez disp. 31. sect. 2. Ratio est: Quia Baptismus est sacramentum Fidei, & introitus ad Ecclesiam Christi: siquidem in Baptismo Fidem Christi solemniter profitemur, & corpori eius mystico, id est, Ecclesiæ inserimur, aliorúmque sacramentorum, & Sacrificij capaces efficimur. Hæc autem talia sunt, vt ex propria institutione ad totum vitæ tempus pertineãt. Propositum enim erat Christo fideles suos in hac vita ad vnam visibilem Rempublicam, seu Ecclesiam congregare, in vna Fide, sub vno Capite, eorundem sacramentorum vsu; ad quam Ecclesiam ingressus pateat per baptismum. Ergo is repugnat institutioni, ac volũtati Christi, qui sine necessitatis causa, Baptismum per totum vitæ cursum vsque ad exitum seu mortem differt. Cùm autem impossibile sit, in ipso vitæ cursu certam ætatem seu tempus obligationis designare: sequitur, vt dicamus, diuini huius præcepti obligationẽ hominibus incumbere, cumprimum illud moraliter implere possunt; dummodo antea in Fide instructi, ac probati sint: de qua re S. Th. cit. a. 3.

Nec obstat, quòd olim tam in Occidẽte, quàm Oriente multi Baptismi susceptionem vsq; ad ætatem maturiorem, vel etiam mortis periculum, differre soliti sint. Nam hunc morem, profectum ex indiscreto Zelo, & nimia reuerentia sacramenti; itémque timore, ne post gratiam Baptismi susceptam relapsus in peccatum contingat, reprehenderunt Patres, vt Basil. hom. exhortat. ad Baptismum, Nazianz. orat. 40. in sanctum Baptisma, Chrysostomus homil. 1. in Acta, & homil. 13. in epist. ad Hebræos.

Adde, tametsi olim certa tempora destinata fuerint, videlicet Vigilia Paschatis, ac Pentecostes, quibus solis sacrũ Baptisma conferri oportebat, nisi mortis periculum vrgeret, sicuti videre est apud Tertull. lib. de Baptismo, cap. 19. Siricium Papam epist. 1. ad Himerium Tarraconensem, c. 2. Leonem I. epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, & referuntur c. 11. & seqq. d. 4. de consecr. & apud S. Th. cit. a. 3. Richar. in 4. dist. 6. a. 4. q. 3. Postea tamen cùm Christianus populus valde auctus esset, & variæ occasiones mortis contingerent, visum fuit Prælatis Ecclesiæ Baptismi ministrationem omni tẽpore concedere: quamuis adhuc hodie solemnitas Baptismi Paschali tempore vel in paucis adultis Romę celebrari solet, vti notauit Rupertus lib. 4. diuinorum officiorum, c. 18. & videri potest Vasq. disp. 150. c. 3.

Dubitant verò Doctores, vtrum Ecclesia hominibus non baptisatis, vel Cathecumenis determinare possit tẽpus, quoad suscipiendũ Baptismũ obligentur? Et vera est responsio; Directè non posse eos obligari aliquo Ecclesiæ præcepto: *Cùm Ecclesia*, ait Trident. sess. 14. cap. 2. *iudicium in neminem exerceat, qui non prius in ipsam, per Baptismi ianuam, fuerit ingressus: Quid enim mihi, inquit Apost. 1. Corinth. 12. de ijs, qui foris sunt, iudicare?* Sed tantùm indirectè, quando cognita dispositione baptisandorum, certum tempus designat, quo rite ac decenter baptisari possint; adeò, vt si illi neglecta hac opportunitate Baptismum differant, contra diuinum præceptum delinquant. Ita Suarez disp. 31. s. 2.

Dico

Dico II. Parentes, & alij, qui curam infantium gerũt, Ecclesiastico præcepo, etsi non scripto, tamen consuetudine introducto obligantur, vt illos quamprimum cõmodè fieri potest, ad sacrum Baptisma offerant: ipsisque negligentibus, Pastores animarũ suam in ea re auctoritatem interponere debent. Ita ex communi docet Suarez disp. 25. sect. 2. §. vltimo ergo. Porro illud, *quamprimum commodè fieri potest*, ita explicat Sotus dist. 5. q. vn. a. 3. *Cùm puer statim baptisari iubetur, non intelligitur eadem natiuitatis die, aut tertia, aut quarta, sed quando commodè potest in Ecclesiam portari, & mergi, quod est octauo, vt moris est, vel decimo, aut duodecimo die.* Sed maximè placet, quod docent Suarez l. c. & Henriq. lib. 2. c. 4. n. 3. prudentis viri iudicio cõmitandum esse, vt non nimis sine causa differatur Baptismus, aduersus Ecclesiæ cuiusque consuetudinẽ.

Cæterum si causa adsit, cur solemnis Baptismus differri debeat, quia v. g. patrini exspectandi sunt; eo casu non oportet priuatim baptisare infantem, & intermissas cæremonias postea adhibere. Id enim licitum non est extra casum necessitatis: nulla autẽ ordinariè necessitas vrget, tametsi vnum, aut sesqui mensem exspectandum sit, donec cum decente solemnitate Baptismus infanti conferri possit: quamquam tanta, vt dixi, dilatio non nisi ex graui causa fieri debet, & tunc aduigilare oportebit infanti, ne ex ingruente aliqua infirmitate sine Baptismo decedat. Quare rectè etiã scripsit Armilla ver. Baptismus, n. 45. *A peccato non excusantur* (Magnates) *qui primò pueros baptisari faciunt in domo sine solẽnitate, extra necessitatis casum: sed propter maiorem pompam, vel expectationem compatrum. Non enim hæc est sufficiens causa, & illi verè non efficiuntur compatres: quia iam erat puer baptisatus, vti dicit Angelus ver. Baptismus*, 4. Idémque ex communi notat Nau. cap 22. n. 40.

10 QVINTA QVÆSTIO. Vtrum infidelium filij, etiam inuitis parentibus, baptisari possint? Respondeo, & dico I. Eos validè baptisari, parentibus non consentientibus, vel etiam repugnantibus. Hæc est communior Doctorum sententia, S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 9. Caiet. 2. 2. q. 10. a. 12. & 3. p. q. 68. a. 10. Vasq. disp. 154. c. 6. Ægid. q. 68. a. 10. concl. 1. contra Durandum in 4. d. 4. q. 7. Palud. ead. d. 4. q. 4. quib⁹ ex parte assentiri videtur Syluest. ver Baptismus, 4. q. 7. Ratio est; Quia sicuti ad valorẽ Baptismi non requiritur fides particularium seu proximè offerentium: cùm infantes non baptisentur in Fide ipsorum, sed in Fide totius Ecclesiæ Christianæ; ita nec requiritur voluntas proximè offerentium ad Baptismum: cùm non baptisentur secundùm eorum voluntatem, sed secundum voluntatem Christi, & Ecclesiæ. Quare S. Augusț. epist. 23. ad Bonifac. relatus à S. Thom. quæst. 68. art. 9. *Offeruntur paruuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus (quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt) quàm ab vniuersa societate sanctorum, & fidelium.*

Dico II. Inuitis parentibus infidelibus, ordinariè non est licitum eorum infantes baptisare; præterquam si parentes, vel eorum paruuli mancipia Christianorum facta sint. Ita S. Thom. 2. 2. q. 10. a. 12. & 3. p. q. 68. a. 10. Richar. in 4. distinct. 6. a. 3. q. 3. aliique communiter, contra Scotum in 4. dist. 4. q. vlt. Gabr. q. 2. a. 3. dub. 5. Vel enim paruuli abstrahuntur à cura & potestate parentum, in Fide Christiana post Baptismum educandi; vel non abstrahuntur, sed parẽtibus postea restituuntur. Primum fieri non potest, sine iustitiæ violatione: cùm parentibus etiam infidelibus ius seu potestas in liberos suos cõpetat, quo inuiti spoliari non possunt. Alterum verò fieri non potest sine Christianæ Religionis ignominia: cùm Deo per Baptismum consecrati infantes, si infidelibus parentibus restituantur, manifesto periculo apostasiæ exponantur.

Quamobrem in Concilio Toletano 4. sicuti refertur c. Iudæorum, 28. q. 1. decretum est; Vt Iudæorum filij, & filiæ à consortio parentum separentur, ne eorumdem inuoluantur erroribus. Quæ ratio, vt id obiter dicam, etiam ostendit, paruulos, quãuis volentibus, seu offerentibus parentibus infidelibus (quia v. g. experti sunt, per Baptismum corporis infirmitatem, aut Dæmonis infestationem depelli) ordinariè baptizandos non esse, si parentibus in infidelitate persistentibus restituendi sint. Confirmatur assertio ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, quæ satis ostendit, Christi voluntatem non fuisse, vt infideles cogantur ad Fidem Christianam suscipiendam, vel suos infantes eidem offerendos, sicuti docet S. Thom. cit. a. 12. & constat ex d. 45. c. qui Syncera, c. de Iudæis, & c. sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis.

Dixi autem in assertione *ordinariè*: Nam excipitur primò, si infans constitutus sit incerto mortis mox euenturæ periculo, baptizari potest etiam inuitis parentibus, si scandalum absit. Nã hoc casu infans baptisatus parentibus relinqui potest: vel etiam si ipsis auferatur, parum tamẽ adimitur, quando alioquin statim decessurus esset: quis autem neget, vt extremæ alterius spirituali necessitati succurratur, fas esse modicum quid domino inuito auferre? Atque ita docet Suarez disp. 25. s. 3. Gregor. de Valentia t. 4. disp. 4. quæst. 3. p. 3. colum. 2. Henriquez c. 25. num. 2. Ægid. Coninck q. 68. a. 10. dub. vn. n. 76.

Secundò, Si infans ab infidelibus parentibus iustè, vel iniustè abstractus sit, & ipsis non possit, vel saltem non debeat restitui, tunc baptisandus est, etiam parentibus inuitis. Quia hoc casu, inquit Henriq. quasi non censetur habere patrem, vel tutorem, ideóq; succedit mater Ecclesia, vt prolem recipiat, baptiset, & instruat. Idémq; docet Sotus d. 5. a. 10. §. Contra hanc autem Vasquez disp. 155. cap. 3. num. 29. Azor t. 1. lib. 8. cap. 25. quæst. 4.

Tertiò, Si alter parens filium baptisari velit, altero reluctante, præferenda est volũtas iusta iniustæ, in fauorem prolis innocentis, & Fidei Christianæ, sicuti colligitur ex cit. Concil. Tolet. c. 62. relato in c. Iudæi, 28. q. 1. & ex c. ex literis, de conuers. infidelium, atq; ex cõmuni docet Palud. in 4. d. 4. q. 4. in fine, Vasq. l. c. Azor q. 3. Ægid. n. 83. Sa ver. Baptismus, n. 11. Quemadmodũ etiam diuortio inter coniuges facto, proles est relinquẽda coniugi innocenti; quippe apud quẽ tutiùs manet. Caueri tamen debet periculũ apostasiæ, & sacrilegij: quare priùs, quàm baptisetur infans parẽte reluctante, abstrahi debet. Adde, quod dixi de patre, eo volẽte, licet matre reluctante, posse prolem baptisari: intelligẽdum quoq; esse de auo paterno, quippe qui in locum patris defuncti successit, sicuti testatur additio Nauar. consil. 4. de conuers. infidel. edict. 2.

Quartò, Si puerũ ad rationis vsum peruenisse ex signis probabiliter colligatur, etiam inuitis parentibus baptisari debet: quia homo ratione prædıtus in ijs, quæ ad animæ salutem pertinent, sui arbitrij esse debet. In dubio autem de vsu rationis, quid faciendum sit, dixi lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 41.

Quintò, Si filij infidelium perpetuò amentes sint, baptisari possunt inuitis parentibus: quia alioquin omni spirituali remedio spoliati essent, quãdo nulla spes est ad propriũ rationis vsum peruẽturos. Quare hoc casu ab iniuria excusata censetur qualis qualis violatio parẽtibus illata, propter extremam necessitatem baptisandorum.

Porrò eadem assertio secunda intelligi debet etiam de ijs Paganis, ac Iudæis, qui ciuiliter subiecti sunt Christianis Principibus, tanquam eorum vasalli, tributarij, indigenæ: siquidem tales, vti alia iura & rerum dominia, ita etiam ius patriæ potestatis in liberos retinent, quo sine iniuria spoliati nõ possunt, sicuti indicat S. Th. q. 68. a. 10. ad 2. & docet Duran. in 4. d. 4. q. 6. Sin verò infideles iusto bello, vel alio titulo in Christianorum seruitutem

redacti sint, sicuti alia eorum iura, & dominia, ita & ius patriæ potestatis domino ipsorum, à quo capti tenentur, gentium iure acquiritur: qui proinde paruulos ipsis auferre, alijs donare, vendere, & consequenter etiam Baptismo abluere iure potest, sicuti bene docet Duran. cit. q.6. Viualdus de modo Baptismi, num. 14. Suarez disp. 25. s.4. Ægid. Coninck cit.q.68. a.10. dub. vn.n.86. cõtra Caiet.cit.q.68.a.10.Azor cit.lib.8. cap.25.q.7. Similiter liberos Turcarum, & Saracenorum (contra quos tanquam hostes Fidei Christianæ, & regionum inuasores iustum bellum indictum est) captiuare, & captos inuitis parentibus baptisare fas est, inquit Henriq.cit.c.25.in fine. Et si verò plerumque expediat, hoc casu paruulos ab infidelibus parentibus abstrahere; multò magis, postquã capti, & abstracti sunt, eosdẽ baptisare, & Christianè educare oporteat: quandoq; tamen fas erit eosdem parentibus relinquere, aũt restituere; vel alijs infidelibus vẽdere, permittendo malum peruersionis eorum ob iustam causam; vel quia dominis nimis difficile accidit, paruulos captiuos alere, & educare; vel quia captiuorum redemptio iure gentium introducta, interdum necessaria est ad pacem, ac fœdera seruanda: & maiora mala captiuorum etiam Christianorum cauẽda. qua de re Suarez s.6. Vasq. disp.155.c.7. Henriq. cit. c.25. n. 1.& 2. Coninck q.68.a. 10.dub.vn.n.87.

Dico III. Quandocunque infideles, aut eorum filij validè baptisantur, quamuis cum iniuria, efficiuntur subditi Ecclesiæ, vt proinde necesse sit eos postea ab infidelium consortio segregare, ne Fides Domini blasphemetur. Ita docet Ægid. Coninck cit. dub. vn. n. 83. ex Concil. Tolet. 4. can.55. 58.& seqq. Nã sicuti iniustus dolus non vitiat matrimoniũ, quominus ex eo obligatio oriatur: ita neq; vitiat obligationẽ Baptismi: quandoquidem vtriusque sacramenti indissolubilis natura est, & institutio, quę nobis per traditionem innotuit.

11 Dico IV. Inuitis etiam parentibus hæreticis, licitum est eorum filios catholicè baptisare. Hęc est certa assertio, quæ satis colligitur ex Concil.4. Tolet. c.56. relato in c. de Iudæis, d.45. Ratio est: Quia hæretici Ecclesiæ iurisdictioni subiecti sũt, à qua proinde sine iniuria cõpelluntur, vt paruulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant, & in Fide ac Religione Catholica instruant: sin verò id facere recusent, infantes ab eorum cura abstrahi, & baptisari iure possunt.

His annexa sunt duo dubia. Primum: Si parentes deserta Fide Catholica, ad hæreticos transfugiant, vtrum Magistratus liberos eorũ retinere possit, in Fide Catholica instruẽdos, an verò repetentibus restituere teneatur? Respondeo & dico I. Ad Ecclesiasticũ Prælatum, seu Pastorem haud dubiè pertinet, paruulos, qui Fidem Catholicam per Baptismum, semel susceperunt, retinere: atq; impedire, ne ab hæreticis peruertantur.

Dico II. Idipsum etiam secularis Magistratus, cui liberi ciuiliter subiecti sunt, saltem ex Ecclesiastici Prælati commissione expressa, vel tacita, exequi potest. Accedit, quòd spectato cõmuni iure Ecclesiastico, parentes iure patriæ potestatis, propter hæresis crimen, excidunt, c.2.§.vlt.de hæret.in 6. Quãuis hæc in Germania nostra non ita locum habent; tum propter pacta & fœdera cum Augustanæ confessionis sectatoribus inita; tum etiam propter euitandum maius malum: quandoquidem hæretici oblata simili occasione, idem & ipsi de infantibus in sua ditione existentibus, facturi essent.

12 Alterum dubium: Vtrum Sacerdotes Catholici licitè baptisare possint hæreticorum liberos; quamuis post Baptismum parẽtibus restituendi sint, cum probabili periculo, vt ab ijs peruertantur? Negãt Suarez disp.25.s.5. Ægid. Coninck cit.dub.vn.n.81. Et colligi videtur ex eo, quod suprà dictum, liberos infidelium Iudæorum, vel Paganorum ordinariè baptisandos nõ esse, propterea quòd eisdẽ restitui deberent, cum manifesto periculo peruersionis, & apostasiæ. Hæc enim ratio similiter locum habet, si liberi post Baptismum restituendi sint parentibus hæreticis, qui liberum Religionis suæ exercitium publicè, vel priuatim habere noscuntur.

Nihilominus contraria praxis apud nos à viris doctis, ac pijs sæpius obseruata fuit; & rectè quidem. Quia periculum peruersionis non est adeò propinquum, aut certum: cùm fieri possit, vt infantes ante vsum rationis moriantur, & per Baptismũ saluentur. Obseruatum enim alicubi esse intellexi, tertiã partem hominum, qui in hanc lucẽ eduntur, ante cõpleti septẽnij ætatem decedere. quamobrem Nauar.lib.3.consil.5.de Baptis.edit.2. & alij apud Azor cit.cap. 25. q.6. responderunt, Si parentes Pagani paruulos suos sponte ad Baptismum deferant, vt ea ratione à morbo, vel Dæmonis vexatione liberantur, ad eorũ petitionem baptisari posse. Sed quia hanc doctrinã suprà reieci, sicuti etiam ab alijs plerisq; reijcitur: dicendum insuper est, diuersam esse rationem de liberis hæreticorum nostrorũ, atque aliorum infidelium: Tum quia hæretici Christi nomẽ, & sacra Christiana non detestantur, vt alij infideles: neq; filios suos per incantationes &c. Dæmonijs deuouent, sicuti Pagani solent: Tũ quia plerumque spes non parua est, vt hæreticorum liberi aliquando in Fide Catholica instruantur: quam idcirco etiam libentiùs recipiunt, si sciant à Catholico Sacerdote se baptisatos fuisse. Addi etiam potest, tametsi à parẽtibus, & ministris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur: interdũm ignorãtia difficulter vincibili laborare, & pertinaces hęreticos non esse: vt proinde tales donũ Fidei baptismalis retineãt, & saluari possint, si de peccatis post Baptismum commissis, vera contritione doleant. Vide quę dixi lib.2.tract.1. c.12.n.3.

Sexta Qvæstio. Vtrum monstra baptisari possint? Respondeo: Monstra, de quibus circa Baptismum difficultas esse potest, in duplici genere sunt: Primum eorũ, de quibus dubitatur, vtrum homines, an bestiæ sint, cuiusmodi ex bestialitatis peccato interdum prouenire solent. In quibus præcipuè inspici debent membra principalia: videlicet caput, ac pectus, quippe sub quo cor latitat: quæ si humanam formam habeant, baptisari debet mõstrum: secùs, si bestialem formam præ se ferant. Quòd si autem tota reliqua corporis constitutio humana sit, præter caput, quod ferinum existat, putat Paulus Comitolus lib.1.moral.qq.q.8. dubitandum non esse, quin homo sit, ideóque baptisandum: propterea quòd princeps animalis membrum sit cor: ideóque, si id humanum appareat, censeri debeat anima rationali informatum. Sed Nauar.lib.3.consil.3. de Baptismo, edit.2. dubitat de tali mõstro, & meritò: quia non est certa sententia, cor esse mẽbrum princeps animalis: cùm præcipuæ operationes sensitiuæ in capite, siue cerebro resideant: ideoque præcipuum animæ organum ac sedes videri possit caput. quod Medici sentiunt. Quare, si tale monstrum nascatur, Baptismus aliquamdiu differendus est, donec certiùs cognoscatur, num homo sit, necne. Si tamen mortis periculum imminere videatur, baptisari debet sub conditione: *Si tu es homo, ego te baptiso* &c.

Alterum monstri genus est, de quo dubitatur, sitne vnus homo, an duos & ideo vno, an duobus Baptismatis abluendũ. De hoc dicendũ primò: Si constet ex operationũ diuersitate esse duos homines, quia altero v.g. monstri capite dormiente, alterum vigilat, loquitur: vel vno existente probo, alter est improbus (cuiusmodi monstrũ extitisse, testes sunt Scot.in 4.dist.6.q.2.§. de quarto membro. Henric.de Gãdauo quodlib.6.q.14.) baptisari debẽt distinctis verborum formis, & ablutionibus. Nam si tale monstrum vna simplici forma baptisaretur, *Ego te baptiso*, non determinando, in quem ex illis duobus hominibus Ministri intentio feratur, tunc neuter eorum baptisatus esset, sicuti rectè monet Henricus l. c. Si autem Minister vnum certum caput, & sub eo hominem existentem

existentem baptisare intendat, tunc alter homo Baptismo carebit. In necessitate tamen, si periculum in mora sit, baptizari potest tale monstrum vna aquæ affusione, vnáque formæ pronuntiatione, quæ virtute gemina sit: *Ego vos baptiso in nomine Patris &c.* Sicuti notauit Syl. ver. Baptismus, 3. q. 10. Extra necessitatē verò recedēdum non est à forma Ecclesiæ consueta; sed vterque sigillatim baptizandus, vti docet Comitolus lib. 1. q. 4.

Dicendum secundò: Si non satis appareat, vtrum sit vnus, an duo homines; quia duo quidem capita extant, sed vnum pectus; vel contrà, duo pectora sunt, sed vnum caput: neque enim obstare videtur, quominus vna anima duo corda sub vno capite informet: itémque fieri potest, vt sub duobus capitibus vnum pectus appareat, in quo tamen duo corda, & duæ animæ lateant. In tali, inquam, dubio Baptismus differendus aliquamdiu erit, donec certius aliquid cognoscatur. Si tamen periculum in mora sit, tunc vnum caput absolutè baptisetur, alterum verò sub conditione: *Si non es baptisatus, ego te baptiso* &c. Vel si vnum duntaxat caput sit, reliqua verò ei cohærentia, puta pectus & cætera duplicia, tunc vnum pectus absolutè baptisetur, alterum verò sub conditione, sicuti ex communi Viuald. de Baptismo, cap. vlt. num. 24. Maior in 4. d. 6. quæst. 1. §. Quartò arguitur.

CAP. VII.

De Ministro Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Quiuis homo ratione præditus Baptismum validè ministrare potest, quamuis non licitè; nisi idipsi ab Ecclesia ratione ordinationis suæ commissum sit.*

2 *Episcopis & Presbyteris ex vi ordinationis competere potest ordinarium baptisandi officium.*

3 *Diaconi ex commissione Sacerdotis solemniter baptisare possunt: non autem Clerici inferiores.*

4 *Si præsente Sacerdote alius inferior Clericus baptiset, etiam in casu necessitatis, mortaliter peccat: Idemq; sentiendum, si presente fideli, seu baptizato, infidelis vel non baptisatus ad baptisandum aggrediatur.*

5 *Minister Baptismi debet esse vnus: quare si alius materiam adhibeat, alius formam proferat, nihil efficitur.*

6 *Non est improbabile, quòd noui Sacerdotes cum Episcopo verba consecrationis materialiter tantùm proferant: sed consultissimum ipsis est, vt proferre velint secundùm Ecclesiæ intentionem seu voluntatem.*

7 *Vnus Minister plures homines validè baptisat: sed non plures Ministri eundem hominem baptisare possunt, si concurrant vt causæ partiales: seu ita, vt vnus ab altero dependeat.*

8 *Ad valorem sacramenti satis est, si materia & forma moraliter iungantur, seu simul concurrant.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Quisnam sit Minister sacramēti Baptismi? Respondeo & dico I. Quiuis homo ratione præditus potest esse minister Baptismi, ita vt sacramentum valeat. Sumitur ex c. firmiter, de Sum. Trinit, & Concil. Florent. in decreto Eugenij IV. c. ad limina, 30. q. 1. c. in necessitate, c. Romanus, d. 4. de consecr. & docent S. Th. q. 67. a. 3. Scotus in 4. d. 5. q. 1. Richar. in d. 5. a. 4. q. 1. & 2. Nititur autem assertio institutione Christi, quam Ecclesiæ vsus, atque traditio ostendit. Rationem verò institutionis tradit ibi S. Thom. Cùm Baptismi sacramentum adeò hominibus ad salutem necessarium sit, ideo sic à Christo institutum fuit, vt & materia ipsius omnibus communis ac obuia esset, atque minister sacramenti formam valde in Ecclesia vsitatam, omnibúsque notam proferens, quilibet homo esse posset.

Dico II. Peccat tamen, quicunque extra necessitatis casum baptisat, cui id iure seu ex officio non competit. Ita S. Thom. communiter receptus in cit. a. 3. ad 1. Tertul. lib. de Baptismo, c. 17. S. August. lib. 2. contra epist. Parmeniani, cap. 13. *Sed etsi nulla necessitate vsurpetur,* (Baptismus) *& à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum; quamuis rectè dici possit illicitè datum.* Atque esse hoc peccatum mortale, rectè docuit Richar. in 4. d. 5. a. 4. q. 1. Sotus d. 4. q. vn. a. 3. Nauar. c. 22. man. num. 7. Valentia t. 4. disp. 4. q. 2. p. 1. Suarez disp. 31. s. 4. assert. 2. §. Sed quæres an saltem, contra Henriq. c. 29. n. 1. lit. b. in cōment. Nam canones, ob honorem sacramenti, seuerè præcipiunt, vt extra necessitatis casum, Sacerdos solemniter baptiset in Ecclesia, sicuti videre est in Clem. vn. de Baptismo. Peccat igitur Sacerdos mortaliter, si extra necessitatis casum non solemniter baptiset: peccat item mortaliter alienus Sacerdos, si absque licentia proprij Sacerdotis expressa, aut rationabiliter præsumpta, solemniter baptiset, sicuti colligitur ex c. interdicimus, 16. q. 1. & fatetur Henriq. cit. c. 29. n. 2. Ergo multò magis mortaliter peccat laicus, qui & sine licentia legitima sacerdotis proprij, & sine solemnitate extra necessitatem baptisat.

Dico III. Episcopis, & Presbyteris ex vi ordinationis suæ competere potest ordinarium officium baptizandi. 2
Ita docet Concilium Florent. in decreto Eugenij, & S. Th. q. 67. a. 2. Cùm enim Sacerdotes omnes, vi consecrationes suæ, accipiant potestatem in corpus Christi verum, quia illud conficere possunt; consequenter etiam idonei fiunt, quibus ordinaria potestas conferatur in corpus Christi mysticum, fideles colligendo per Baptismum, spiritualiter pascendo per verbi Dei prædicationem, à peccatis absolutionem, adeóque ipsos disponendo, vt etiam ad excellentissimum Eucharistiæ sacramentum accipiendum idonei reddātur. Verùm cùm officium pascendi, seu cura animarum proximè non proueniat ex ordinatione, sed sit potestas iurisdictionis ab Ecclesia, siue Ecclesiastico Prælato collata: hinc est, quòd officium baptisandi (sicuti & prædicandi, à peccatis absoluendi, aliisque sacramentis pascendi) per se primò conueniat Episcopis, seu primis Sacerdotibus; Romano quidem respectu totius orbis; alijs verò respectu suæ diœcesis: At verò inferioribus Sacerdotibus, seu Presbyteris per cōmunicationem Episcoporum. Quare Tertullian. lib. de Baptismo, c. 17. *Dandi quidem* (Baptismum) *habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc Presbyteri, & Diaconi* (quamuis aliter Diaconi, quàm Presbyteri, vt postea dicam) *non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.* Et S. Hieron. contra Luciferianos: *Inde venit, vt sine chrismate & Episcopi iussioni, neque Presbyteri, neque Diaconi ius habeant baptisandi.* Et Leo I. epist. 88. in fine: *Neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire; nec præsente Antistite infantem tingere aut signare:* vngendo videlicet chrismate in pectore. Et similia habentur in Concil. Bracharensi Martini, can. 51. sicut refertur in c. omni tēpore, d. 4. de consecrat. Neque his obstat responsum Innocen. I. epist. ad Decent. c. 3. *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu Episcopo præsente, baptisant, chrismate baptisatos vngere licet*: quia ab Episcopo auctoritatem acceperunt, vt Tertull. dixit.

Corollarium. Grauiter peccant parentes, si prolem suam Parocho alieno, absque proprij licentia, baptisandam offerant: tum quia peccato alieno cooperantur; tum quia Ecclesiæ ordinationi, cum violatione iuris alieni aduersantur.

Dico IV. Ex Episcopi, vel Sacerdotis proprij commissione, ob rationabilem causam factā, etiam Diaconi solemniter baptisare possunt. Ita docet Gelasius Papa Epist. ad Episcop. Lucaniæ, relatus in c. Diaconos, dist. 93. *Absque Episcopo, vel Presbytero baptisare non audeant* (Diaconi) *nisi prædictis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat.* Ratio est: Quia Diaconi ad hoc or- 3

dinantur, vt sint ministri Sacerdotum: ergo valde conuenienter illis ex rationabili causa committuntur ministeria sacerdotalia, quorum ipsi capaces esse possunt: cuiusmodi sunt prædicare, baptisare, sacram Eucharistiam populo præbere. Notandum verò est discrimen inter Diaconum, & Presbyterum, quod attinet ad potestatem baptizandi. Hæc enim iure ordinario Presbytero conferri potest, vt ipsi tanquam ex proprio pastorali officio competat; Diacono autem extraordinariè tantùm ob aliquam incidentem causam, à sacerdote proprio delegari: puta, si is propter baptizandorum multitudinem, grauem infirmitatem, vel excommunicationis censuram, Baptismum petentibus neque per se, neque per substitutum Sacerdotem, satisfacere possit: qua de re Gl. in cit. c. Diaconos, Sot. in 4. d. 4. q. vn. a. 1. Suarez disp. 25. s. 2. Vasq. disp. 147. cap. 4. Et S. Th. q. 67. a. 1. vbi ait: *Ad Diaconos non pertinet præbere aliquod sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio: sed assistere, & ministrare maioribus in sacramentorum exhibitione.*

Dico V. alij inferiores Clerici minùs, quàm Diaconus, de potestate baptisandi habent, duabus rationibus: I. Quòd Diacono etiam extra necessitatem extremam, ob rationabilem aliquā causam baptisandi potestas à Sacerdote proprio committi possit: non item Subdiacono, vel alteri Clerico inferiori. Porrò quamuis Henriq. lib. 2. c. 29. n. 1. Sa ver. Baptismus, n. 7. negent, tali casu concessum esse Diacono baptisare solemniter; contraria tamen sentētia est probabilior, Gl. in cit. c. diaconos, Suarez cit. s. 2. Valent. t. 4. disp. 4. q. 2. p. 1. Coninck cit. q. 67. dub. 3. Nam Baptismus extra casum necessitatis conferri non debet, nisi solemniter, sicuti ex communi docet Sotus in 4. d. 4. a. 3. concl. 2. consequenter, cùm canones permittunt, etiam extra hunc casum ex causa rationabili Diacono delegari potestatem baptisandi, intelligi debent de Baptismo solēni. II. Quòd in casu necessitatis, si Sacerdos absens sit, Diaconus iure suo baptiset præ alijs Clericis. Id tamē intelligi debet de Baptismo priuato, & non solēni, sicuti apertè colligitur ex cit. c. Diaconos, & notauit Suarez disp. 31. s. 4. ver. vltimò dicendum, Coninck cit. dub. 3. num. 26. vbi ait: Diaconum numquam solemniter baptisare posse, nisi ex speciali delegatione Sacerdotis.

Notant verò Doctores, S. Th. cit. q. 67. a. 4. in corp. Palud. in 4. d. 5. q. 2. a. 1. concl. 3. Domin. Sotus in d. 4. q. vn. a. 2. Syl. ver. Baptism. 3. §. 1. Nauar. cap. 22. n. 7. Viualdus cap. de Ministro Baptismi, num. 6. Suarez cit. s. 2. Vasquez disp. 147. cap. 5. Coninck dub. 2. in casu necessitatis extremæ hunc ordinem obseruandum esse; vt præsente Sacerdote, Episcopo, vel Presbytero, non baptiset Diaconus; præsente verò Diacono non baptiset Clericus inferior, aut laicus: Præsente etiam inferiore Clerico, baptisare non conuenit laicum: neque præsente viro, fœminam: denique neque præsente fideli, baptisato, alium non baptisatum, hæreticum, aut apostatam.

Quæres: Quale peccatum sit hunc ordinem sine necessitatis causa violare? Respōdeo cū Rich. in 4. d. 5. a. 4. q. 1. Negari nō posse, quin sit graue seu mortale peccatum
4 sacrilegij, si præsēte Sacerdote, cui ex vi ordinationis suæ conuenit baptisare, alius seu Clericus, seu Laicus, cui non nisi per accidens, seu in defectum Sacerdotis, in aliquo casu munus baptisandi cōpetere potest, Baptismum ministrare præsumat. Neque refert, tametsi Sacerdos contentus sit: cùm is talē licentiam sine iniuria ordinis, ac sacramenti concedere non possit. Circa alios verò inferiores Clericos, marē item & fœminam, non videtur esse culpa plusquam venialis, si ordo mutetur: imò nulla culpa erit, si causa subesse censeatur: vt quia in casu necessitatis obstetrix meliùs scit modum baptisandi: vel si virum accedere non docet ad baptisandum infantem non omnino ex vtero editum.

Arbitratur quidem Ægid. Coninck cit. q. 67. dub. 2. concl. 3. Esse etiam peccatū mortale, si prætermisso Diacono, alius inferior in necessitate baptizare præsumat, & allegat Suarez disp. 23. s. 2. vbi tamen nihil affirmat, sed postea disp. 31. s. 4. §. vnde tertiò, ex professo contrarium docet, cum Soto cit. d. 4. q. vn. a. 2. circa 2. concl. Ratio est: Quia Diacono ex vi ordinationis suæ non conuenit baptisare, nisi ei à Sacerdote committatur: quòd verò in casu necessitatis baptisare possit, id ei non alio modo competit, quàm alijs inferioribus Clericis, vel laicis: videlicet per accidens, propter defectum Sacerdotis. Quāuis verò Diaconus tanquam dignior inferioribus Clericis iure præferatur; ita tamen, vt in huius ordinis peruersione, non appareat mortalis indecentia.

Illud verò probabilius est, quod idem Coninck num. 22. tradit videri mortalem irreuerentiam, si præsente fideli baptisato, alius non baptisatus, præsertim infidelis, vel hæreticus, ad conferendum Baptismum assumatur. De qua re disputat Suarez cit. disp. 31. s. 4. §. sed obijcies.

Quæstio Secunda. Vtrum Minister Baptismi debeat esse vnus, an verò plures simul eundem hominem baptisare possint? Hanc quæstionem proponit S. Thom. quæst. 67. art. 6. S. Bonau. in 4. d. 5. art. 1. q. 1. Scotus d. 6. q. 2. a. 1. Durand. 3. quæst. 3. Palud. quæst. 3. 1. 3. Imprimis verò notandum est, varios modos excogitari posse, quibus duo, pluresue Ministri ad vnum hominem baptisandum concurrant. I. Vt vterque tam materiam, quàm formam absoluta baptisandi intentione simul administret. quo casu singuli dicuntur causæ totales Baptismi. II. Vt, dum vnus aquam affundit, seu materiam baptismi adhibet, alter verborum formam pronunciet: vel si vnus partem formæ vnà cum ablutione proferat, *Ego te baptiso:* alter quod reliquum est verborum adijciat: quibus casibus concurrere dicuntur vt causæ partiales. III. Vt licet vterque simul corpus abluant, & integram formam pronuntient: tamen intentionem habeant non baptisandi per sigillatim, sed dependenter ab alterius consortio & concursu; ideóq; iterum non vt causæ totales, sed vt partiales: Vt si dicant, *Nos te baptisamus* &c. 5

His positis, Respondeo, & dico I. Si duo, pluresue Ministri, materiam & formam Baptismi super vno homine baptisando, absoluta intentione, simul absoluant, singuli verè conficient sacramentum, tanquam causæ totales. Ratio est: Quia omnes, & singuli applicant omnia necessaria ad sacramentum, videlicet materiam, formam, & intentionem: atque vnius actio alterius actionem non impedit: cùm nullo modo inter se pugnent. Sin verò ex pluribus contentiosè eandem personam baptisare volentibus vnus præueniat, & priùs finiat; tunc ille solus baptisabit, & alij nihil efficient. Quæ est doctrina S. Th. q. 67. a. 6. Durandi, Paludani ll. cc.

Confirmari id solet ex consuetudine ferme vbiq; in Ecclesijs recepta, vt Sacerdotes nouiter ordinati cum Episcopo in Missarum solemnijs consecrent: vbi vides, plures Sacerdotes, tanquam causas totales, concurrere ad idem sacramentum Eucharistiæ conficiendum: inter quos principalis est Episcopus, veluti dux ac pædagogus aliorū: quare curandū illi est, vt non post alios verba consecrationis finiat: nam si alius quisquam absolutam consecrandi intentionem habens, ante alios ipsúmq; principalem sacrificantem Episcopum, verba consecrationis finiat, solus is consecrabit: quod incommodum vt euitetur, monēt Doctores, concelebrātes oportere habere intentionem conditionatam, videlicet consecrandi, si simul cum Episcopo verba consecrationis absoluant: non item, si præueniant.

Mihi verò magis placet cautio Caiet. 3. p. q. 82. art. 2. Henriq. lib. 8. cap. 18. n. 2. Suar. 3. p. disp. 61. s. 4. monentium, vt noui Sacerdotes seruent generalem intentionem proferendi verba, secundùm voluntatem Ecclesiæ: quia non desunt, qui existimant, illos verba consecrationis

tionis non dicere formaliter, & cum intentione consecrandi; sed tantùm recitatiuè, ac materialiter, in signum potestatis sibi concessæ, & memoriam Cœnæ vltimæ, in qua Christus corã Apostolis Missæ sacrificium instituit: in quam sententiam valde probabilem propẽdent etiam Richar. in 4. d. 13. a. 2. q. 1. Suarez l. c. Cùm enim moraliter impossibile sit, vt cum Episcopo celebrante concelebrantes eodẽ instante tẽporis verba cõsecrationis finiant, sicuti notauit Caiet. cit. a. 2. non apparet alius modus dictã cõsuetudinem defendendi ab incõmodis, quæ contra eam obijciunt, & ideo improbant Durandus in 4. d. 13. q. 3. Angel. ver. Euchar. 2. §. 3. Porrò qua ratione nihil obstet, quominus à duabus causis totalibus idẽ effectus diuina virtute proueniat, explicat Scot. d. 6. q. 2. a. 1. Caiet. cit. q. 67. a. 6. §. ad penult. quæstionem, Suarez disp. 23. s. 3. Coninck cit. a. 6. dub. 1. concl. 2. Vbi is aduertit, id facilè explicari secundùm eorum sententiam, qui dicunt, sacra signa tantùm moraliter propter Christi institutionem, ac promissionem, concurrere ad effectus sacramentorum.

Dico II. Si duo, pluresue, eundem simul baptisare conentur, tanquam causæ partiales, nihil efficiunt. Hæc est sententia S. Tho. cõmuniter recepta in cit. a. 6. contra Marsilium in 4. q. 4. a. 4. dub. 11. Idque probari debet ex institutione Christi, quam traditio, & praxis Ecclesiæ nobis ostendit. Cùm enim in Ecclesia inauditum sit, vt plures Ministri concurrant ad baptisandum; credibile est, formam verborũ eum sensum habere, quẽ omnes etiam communiter accipiunt; *Ego te baptiso*, id est, ego tanquam Dei ac Christi instrumentum, per hanc sensibilem actionem meam, absolutè confero tibi sacramentum Baptismi: Hoc autem ita simpliciter verum non esset, si plures Ministri vt causæ partiales, siue cum mutua inter se essentiali dependentia, baptisarent: quia singuli sacramentum non efficerent nisi secundùm quid, ideóque absolutè non baptisarent, sed cobaptisarent. Qui discursus etiam ad alia similia sacramenta applicari potest; videlicet Confirmationem, sacramentalem Absolutionem &c. E contrario verò validus est Baptismus, & in raro etiam casu licitus, si vnus Minister eodem tempore plures simul abluat, hac verborum forma: *Ego vos baptiso*, &c.

Quæstio Tertia. Vtrum necesse sit ad valorem Baptismi, itémque Confirmationis, Extremæ vnctionis, & Ordinis; vt in eorum ministratione, materia proxima, videlicet ablutio, vnctio, calicis traditio, eodem tempore cum verborum forma concurrant. Prima sententia est Gl. in c. detrahe, 1. quæst. 1. Sacramentum incipere, ac desinere esse, eodem vltimo temporis instante, quo forma verborum absoluitur. Ideóque ait, si infans extractus sit ex aqua, cùm vltimum verbum profertur, non valere Baptismnm. Quæ opinio communiter reijcitur: quia sacramentum Baptismi (eadémque est ratio de alijs suprà numeratis) succéssiuum est, ideóque in eius partibus talis duntaxat, propinquitas, & subordinatio necessaria est, vt per modum materiæ, ac formæ vnum sacramentum moraliter componant.

Altera sententia est Scoti in 4. d. 6. q. 2. a. 2. Richar. d. 3. a. 4. quæst. 2. Caiet. t. 1. opusc. tract. 26. de collat. Ordinis, Nauar. cap. 22. num. 7. Zambrani cap. 1. dub. 2. dicto 2. Necessarium esse, vt materia & forma, saltem secundùm aliquam sui partem concurrant, ideóque irritum esse sacramentum Baptismi, si post factam ablutionem statim subsequatur pronunciatio formæ, vel pronunciata formâ, mox sequatur ablutio. Ratio est: *Quia sacramenta, quod efficiunt, idem etiam significant*: nisi autem cum verbis eodem tempore concurrat ablutio, falsa est verborum enuntiatio, Ego te baptiso &c. Ergo nihil efficitur.

8 Tertia itáque probabilior sententia est, Victor. de Baptismo, num. vlt. Scoti in 4. d. 3. quæst. vn. a. 8. Henriq. lib. 1. cap. 9. num. 10. Suarez disput. 2. s. 2. Satis esse ad valorem sacramenti, si moraliter, id est, secundùm humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio ministri, & proxima materia, videl. ablutio, vnctio: sicuti in simili verè dicere censetur, *Ego bibo*, qui poculum in manum capit, statim illud ori applicaturus, bibendi causâ: neque enim credibile est, quòd Christus sacramenta, ad moralem hominum vsum accommodata, metaphysico rigori astringere voluerit.

Quamobrem quanta debeat esse coniunctio inter materiam & formam sacramenti, moraliter æstimari debet; & obseruari, ne fiat magna interpositio; vt ex modo agendi, & verba proferendi intelligatur, vnum alteri accommodatum esse. Hinc etiam fit, pro diuersitate sacramentorum diuersam propinquitatem requiri; maiorem quidem, cùm materia est actio Ministri, indicata per verbum indicatiui modi, *Baptiso te, Confirmo te, Do tibi potestatem*: vel, quod eodem redit, *Accipe potestatem*: aut per pronomen demonstratiuum, vti videre licet in Extremæ vnctionis sacramento, *Per hanc sanctam vnctionem*, &c. In sacramento Matrimonij tanta propinquitas requiritur inter mutuam traditionem & acceptationem, quanta necessaria esse solet ad humanum contractum. At verò in sacramento Pœnitentiæ, quod per modum iudicij perficitur, & cuius materia est actio pœnitentis, & seipsum accusantis, ea supponitur ante sententiæ prolationem seu absolutionem; coniunctio autem inter hæc, accusationem, inquam, & absolutionem, tanta esse debet, vt saltem idem iudicium moraliter esse censeatur.

CAP. VIII.

De Cæremonijs sacris, & in specie de ritibus circa Baptismum.

SVMMARIVM.

1 *Cæremoniæ sacræ apud Christianum populum vsitatæ, partim à Christo institutæ sunt, (vid. quæ ad sacrificij, & Sacramentorum substantiam spectant) partim verò ab Ecclesiâ institutionem legitimam habent.*

2 *Cæremoniæ sacræ maximam in Ecclesia Catholica vtilitatem habent.*

3 *Hæreticorum proprium est sacras cæremonias contemnere, & abolere.*

4 *Cæremonias, & ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare, est peccatum contra virtutem Religionis.*

5 *Cæremoniæ, quæ legitimam originem, vel auctoritatem non habent, si fieri possit, tollendæ sunt.*

6 *Cæremoniæ aliæ antecedunt Baptismi collationem, aliæ comitantur, & aliæ sequuntur.*

7 *Catechumeni alij competentes olim dicebantur, alij verò audientes.*

8 *Exorcismi ante Baptismum adhibentur, vt hominem Diabolus infestare desinat.*

9 *Chrismatio in fronte à solis Episcopis fieri potest; sed chrismatio in vertice etiam à Presbyteris.*

10 *Si propter casum necessitatis cæremoniæ in priuato Baptismo omissæ fuerint, postea in Ecclesia suppleri debent: idque etiam de exorcismis intelligi debet.*

Notandvm primò; Quòd cæremonia aliud non sit, quàm actus hominis externus, ad Deum colendum accommodatus, vt genuflexio, crucis formatio &c. Est igitur cæremonia actus externus virtutis Religionis. Plerumq; tamen cæremoniæ dicuntur, quæ publicam in fideli populo institutionem ac consuetudinem habent, & sacri quidam ritus sunt.

Notandum secundò; Quòd cæremoniæ apud Christianos vsitatæ partim à Christo institutæ sunt, videlicet, 1
quæ ad substantiam Sacramentorum & sacrificij Missæ spectant: partim verò ab Ecclesia institutionem habent. Ita enim S. Augustinus annotauit epist. 118. ad Ianuar. &

6. Christum instituto in cœna vltima sacramento corporis & sanguinis sui, *non præcepisse, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum.* Et paulò pòst: *Cùm verò ait Apost. de hoc sacramento,* 1. Cor. 11. *Cùm conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate &c. statim subtexuit; Cætera autem, cùm veniam, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.* Ex quo Augustini testimonio manifestè habemus, non pauca, quæ à Christo circa sacramentum Eucharistiæ præcepta non sunt, ab Apostolis, & reliqua Ecclesia tradita & ordinata fuisse: & ideo sine scelere omitti non posse, vti ead. epist. & seq. quæ est de ritibus Ecclesiæ, non semel idem S. Doctor inculcat. Videri etiam potest S. Basil. de Spiritu sancto, cap. 27.

Si enim cæremoniæ ad Deum colendum accommodatæ, ideóq; Deo gratæ sint, cur non ab hominibus exerceri possint, etiam si de ijs mandatum diuinū non acceperimus? Nunquid non grata fuerunt Christo obsequia Marthę? Magdalenę lachrymarum rigatio, capillorū tersio, Luc. 7. Mulieris alabastrum fractum, & effusum super caput eius, Matth. 26. Mar. 14. Et tamen hæc Dominus non præceperat. Quòd si verò cultus externi Deo exhibiti opera virtutis Religionis sunt, diuino Numini grata, cur non ab Ecclesia propter publicam Religionem, & Ecclesiasticam disciplinam seruandam præcipi possint? Ita vt in conscientia obligent, sicuti aliæ leges iustæ à legitima potestate profectæ, iuxta Apost. ad Rom. 13. & ad Hebræos 13.

Quanta olim fuit concertatio in Ecclesia de cæremonia Paschali? vt Pascha non cum Iudæis luna decimaquarta in quemcunque diem incidente celebraretur; sed semper Dominica die post decimamquartam lunam primi mensis, ob honorem resurrectionis Christi, sicuti dixi lib. præced. tr. 7. c. 1. num. 3. Vt ob eam causam Victor I. Papa Asianos hanc Antiquam, & ab Apostolis profectam Ecclesiæ constitutionem (can. 8. Apost. & epist. S. Ignatij 8. ad Philippenses) recipere nolentes à fidelium communione remouere voluerit, teste Eusebio, lib 5. histor. c. 22. & seqq. Et videri potest Epiphanius hæresi 50. & 70. S. August. hæresi 29. & epist. 119. de ritibus Ecclesiæ, c. 9. Baron. Anno Christi 151. Profectò diem Dominicum, non sabbathum ad Dei cultum deputatum esse, ex Christi mandato non prouenit; sed ex Ecclesiæ constitutione: cur ergo ipsimet Nouatores Dominicum diem celebrant; si cultus omnis, vt aiunt, eo ipso à Deo prohibitus est, quia ab ipso non præceptus?

2 Notandum tertiò: Cæremoniæ circa Missæ sacrificium, Sacramentorum ministrationem &c. magnam in Ecclesia vtilitatem habent. Nam sicuti ex interna fide, & affectione colendi Deum proficiscuntur, ita eandem erga Deum mentis deuotionem mirè excitant, & augent; sicuti testatur S. August. lib. 9. confess. cap 5. & in libro de cura pro mortuis, c. 5. vbi de genuflexionibus, manuum in cælum extensionibus ita scribit: *Nescio, quomodo, cùm motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hos, cordis affectus, qui, vt fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit.* Cùm enim homo corpore & animo constet, mira inter hæc consensio est; vt animus coram Deo humiliatus, suopte pondere feratur ad humiliandum corpus: atque vicissim corporis coram Deo submissio miram vim habeat ad corroborandum & augendum animi internum affectum. Et sapienter quidem id Deus Optimus disposuit, vt homo vtraque sui parte, animo videl. & corpore, ipsum colat, qui vtramque creauit, vtramque etiam glorificaturus est.

Accedit alia vtilitas cæremoniarum; Quòd per eas Fidei doctrina conseruatur, & posteris traditur. Videlicet ex festorum annua celebratione mysteriorum Christi intelligentiam percipimus: ex crucis, aquæ benedictæ, & similium rerum vsu, Crucifixi virtutem aduersus Dæmonis machinationes agnoscimus, ac profitemur: ex ritu exorcismorum & insufflationum, quæ baptisandis, etiam paruulis ante Baptismum adhibentur, intelligimus, omnes homines in peccato originali nasci. Qua ratione Pelagianos conuicit S. August. lib. 1. de peccator. meritis, & remiss. cap. 34. *Quid in illo* paruulo *agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur?* Etenim per exorcismos, & alia externa signa, quæ in Baptismi v. g. administratione adhibentur, fidelibus innotescit, quid Baptismus interiùs in animo operetur: quamobrem Catechismus Rom. p. 2. de Baptismo, §. 45. Parochos admonet, vt cæremoniarum vim & intelligentiam non tantùm ipsi calleant, sed etiam fidelibus exponant: nam ideo cathechismi pueri ac rudibus docendis institui debent.

Corrollarium I. Cęremonię in Ecclesia congruenter institutę magnū indicium prębent verę Religionis: certissimum autem argumentum esse debet, si apud aliquos sacri, & Ecclesiastici ritus iaceant, imò contemnantur, vt apud Caluinistas, & similes ipsorum, ibi veram Religionem non reperiri; hos non fideles aut religiosos, sed sacrilegos censendos esse. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas, ait S. August. lib. 19. contra Faustum, cap. 11. Sed sine sacris symbolis & cæremonijs, pietas & deuotio erga Deum perfici non potest. Siquidem experientiâ constat, hominum mentes visis externis actibus religionis, rerum cælestium æstimationem concipere, ac plurimùm commoueri ad pietatem. Quamobrem apud Catholicos ritus sacri in veneratione semper fuerunt; ab hæreticis verò contemnebantur. Exemplum habemus in Vigilantio hæretico ridente cereos clara luce ad sepulchra Sanctorum accēsos, & sacrarum reliquiarum cultū, vti testatur S. Hieron. in lib. contra Vigilantiam. In Aërio hęretico, apud S. August. hęresi 53. qui dicebat, *orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter celebranda esse ieiunia; sed cùm quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub lege.* In Fausto hæretico Catholicos calumniante, quòd Idola conuerterint in Martyres, quippe quos votis similibus colerent, apud S. August. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. Cui respondet Augustinus: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria.* 3

Corrollarium II. Cęremonias & ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare est peccatum contra Religionis virtutem, ex genere suo mortale: quamuis ob paruitatem materię veniale esse possit. Quare operam dare debent Parochi, & alij Ministri Ecclesię, vt ritus Ecclesiasticos, pręsertim circa sacrificium Missę, & Sacramentorum ministrationem, calleant, cum decore, & populi ędificatione exerceant, iuxta pręceptum Apost. 1. Corinth. 14. *Omnia honeste, & secundum ordinem fiant.* Multum enim ea res momenti habet ad Dei cultum: veræ Religionis splendorem ac dignitatem, fidelium pietatem ac deuotionem: aduersariorum confusionem: si templa, vasa sacra, & ornamenta munda seruentur: sacrę cęremoniæ à Ministris cum honestate, ac reuerentia peragantur. Contrà verò plurimùm rei Christianę obstant leuiculi Ministri, qui indecoro cantu, ineptis gesticulationibus insolitis, cæremonijs rem diuinam, cum populi scandalo, perturbant, ac dehonestant. 4

Loquor autem de cęremonijs, & ritibus qui vel

in Ecclesia vniuersali recepti, vel in Episcoporum Conciliis constituti, adeóq; certam, & indubitatam originem habent, eorum obseruationē diligenter custodiendā esse: Cōtrà verò illi ritus, si fieri possit tollēdi, qui in particularibus locis, aut Ecclesijs, sine certa auctoritate introducti sunt. Ita enim loquitur S. August. epist. 119. de ritibus Ecclesiæ, cap. 19. *Quod constituitur præter consuetudinem, vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possum: etiamsi multa huiusmodi propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, improbare non audeo.* Et paulò pòst: *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur; vt vix, aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt; vbi facultas tribuitur sine vlla dubitatione resecanda existimo.* Multùm enim interest ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem seruandam, ritus Ecclesiasticos, præsertim in sacrificio, & Sacramentorum ministratione, eosdem vbique seruari; ideóque Ecclesiæ principali Romanæ reliquas conformari.

Notandum quartò: Sacri ritus, ac cæremoniæ Ecclesiasticæ alio nomine *sacramentalia* appellari solent; quia pleraque ab Ecclesia instituta sunt, ad maiorem ornatum, & decentem venerationem Sacramentorum, aut Sacrificij. Quamuis etiam aliæ quædam cæremoniæ ac benedictiones, vt aquæ, agni cerei, fructuum, ad alios vsus fieri solitæ, extento vocabulo *sacramentalium* à Doctoribus comprehenduntur. De ijs omnibus dicam tract. 9. cap. 13.

6 Notandum quintò: Cæremoniæ, quæ in solemni administratione Baptismi olim adhiberi solitæ, & partim etiam hodie in vsu sunt triplici modo se habent, sicuti notauit Catechismus Rom. n. 46. & Vasq. disp. 166. c. 2. Nam aliæ antecedunt ipsum Baptismum: aliæ comitantur: & aliæ subsequuntur.

7 Inter cæremonias, quæ antecedunt primum locum tenet, quòd qui Baptismum desiderabant, sua nomina Ecclesiæ dare debebant, sicuti colligitur ex Concil. Carthag. 4. canone 85. S. August. lib. 9. confess. cap. 6. & lib. de cura pro mortuis, cap. 12. Ex eóque tempore *competentes & electi* dicebantur: alij verò Cathecumeni, qui ad Euangelij explicationem, & exhortationes tantùm admittebantur: nondum tamen Baptismum sibi dari petiuerant, *audientes*, sicuti meminit Isidorus lib. 2. de offic. Ecclesiast. c. 21. Seuerinus Binius t. 1. Conciliorum, in c. 4. Concil. Ancyrani, Vasq. cit. c. 2.

Altera cæremonia erat, Scrutinia septem, quibus petentium seu electorum animi ante Baptismum in Paschate conferendum, per sanctæ Quadragesimæ tempus exerceri ac probari solebant varijs manuum impositionibus, crucis consignationibus, & exorcismis, ieiunijs item, & quotidianis orationibus, Fidei Christianæ explicatione; seu symboli traditione, sicuti videre est apud Tertull. lib. de Baptismo, cap. 20. Leonem 1. epist. 4. ad Episc. Siciliæ, cap. 6. Siricium Papam epist. ad Himerium Tarraconensem, cap. 2. Concil. Carthag. 4. canone 85. & alios apud Iacob. Pamelium in Tertull. de Baptismo, princip. Suarez disp. 30. sect. 1. Mysteria tamen siue sacramenta non tradebantur Catechumenis; sed primùm in Paschate post acceptum Baptismum, *ne illa prodidisse potiùs, quàm edidisse* Episcopi æstimarentur, ait Ambros. in lib. de ijs qui mysterijs initiantur, cap. 1. Et similia habet Cyrillus Hierosolym. præfat. in catecheses, & catech. 18.

Tertia cæremonia est, consecratio aquæ baptismalis, cum trina infusione chrismatis, crucis specie: cuiusmodi consecratio adhuc hodie fieri solet duntaxat in Sabbatho Paschæ, & Pentecostes. Eius autem meminit Dionys. Areopag. cap. 2. Ecclesiast. hierarchiæ, p. 2. S. Cyprian. lib. 1. epist. 12. S. Basil. c. 27. lib. de Spiritu sancto, Ambros. lib. 1. de sacrament. cap. 5. & de ijs, qui mysterijs initiantur, cap. 3. S. August. hom. 27. ex 50. & lib. 6. contra Iulian. cap. 8. Gratianus cap. in Sabbatho, dist. 4. de consecrat. Videri potest Vasq. disp. 166. c. 2. Baron. Anno 417. ad finem.

Quarta est, trina Dæmonis exsufflatio, & exorcismi, cum crucis signationibus: quales adhuc hodie ipso die, quo seu adultus, seu paruulus baptizandus est, à Sacerdote adhibentur, sicuti videre est in Pastorali, siue rituali Romano: Et in antiqua etiam Ecclesia semper in vsu erant, sicuti constat ex Dionys. cit. loco, Cyrillo Hierosol. catech. 1. mystag. Chrysost. homil. de Adam, & Eua. S. Aug. lib. 1. de nup. cap. 20. & lib. 2. cap. 18. lib. 6. contra Iulianum, c. 5. Cœlestino Papa epist. 1. ad Episc. Galliæ, cap. 12. Isidoro lib. 2. de offic. c. 20. & videri potest Alex. Halensis p. 4. quæst. 10. S. Bonau. in 4. distinct. 6. a. 3. q. 2. Iac. Pamelius in cit. loco, ver. exsufflatur, & exorcizatur. Petr. Thyræus disp. de dæmoniacis, p. 2. cap. 18. Ratio huius cæremoniæ est, non quia Diabolus in non baptisatorum corporibus, tanquam obsessis, habitet: nec quia homo secundùm naturam malus sit; sed quia ex lapsu primorum parentum originem peccati, atque iustitiæ priuationē trahit; & idcirco Diaboli infestationibus magis obnoxius est, vti S. August. docet lib. 1. de Symbolo ad Catechum. c. 1. *Non creatura Dei in infantibus exorcizatur, aut exsufflatur: sed ille, sub quo sunt omnes, qui cum peccato nascuntur: est enim princeps peccatorum. Ac per hoc propter vnum qui lapsus est, & omnes misit in mortem, missus est vnus sine peccato, qui omnes in se credentes perducat in vitam æternam, liberans eos à peccatis.*

Quinta est, salis gustatio. Sacerdos enim salem priùs à se benedictum in os baptisandi imponit, ad significandam cælestem prudentiam, & expurgationem à putredine peccatorum, quam homo per lumen, seu gratiam Baptismatis consequi debeat. Hæc cæremonia antiquitus etiam in Ecclesia vsitata erat, sicuti constat ex Origine homil. 6. in Ezech. S. August. lib. 1. confess. c. 11. Concil. Carthag. 3. can. 5. Isidoro lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 20. Rabano lib. 1. instit. Cleric. c. 27. & alijs apud Gratianum d. 4. de consecrat. c. ex hinc, c. Sal.

Sexta est, quòd Sacerdos saliua aures, & nares baptisandi tingit; aures quidem, vt eas homo aperiat ad sermones Christi; nares autem, vt bonum odorem capiat pietatis æternę, sicuti explicat S. Ambros. lib. 1. de sacrament. c. 1. Rabanus de instit. Clericorum, lib. 1. cap. 27. quem refert Gratianus c. postea, ead. d. 4. & videri debet S. Thom. q. 71. a. 2.

Septima est, abrenūtiatio, quæ ad interrogationem Sacerdotis, Sathanę, & omnibus operibus ac pompis eius fit à baptisando, vel nomine eius à patrinis; sicuti videre est in Pastorali: idque ex antiquissimo tempore huc vsque retentum esse, colligitur ex Dionys. cit. c. 2. p. 2. Clem. lib. 7. constitut. c. 42. Tertull. lib. de corona militis, cap. 3. Cyrillo catech. 1. mystag. Ambros. lib. 1. de sacram. c. 2. & lib. de ijs, qui initiantur mysterijs, cap. 2. Hieron. in c. 6. Amos, qui etiam notant; Renuntiantem ad Occidentem constitutum fuisse, vbi est locus tenebrarum; sed mox iterum conuersum esse ad Orientem, vbi lucis regio est.

Octaua est, quòd homo baptisandus à Sacerdote oleo benedicto, quod Catechumenorum dicitur, in scapulis, & pectore vngi solet: sicuti etiam olim in more fuisse, testatur Amalarius lib. 1. de instit. Clericorum c. 27. & S. Chrys. homil. 6. in c. 2. epist. ad Colossen. *Inungitur (baptisandus) more athletarum, qui stadium sunt ingressuri*: Et similia habet Ambros. lib. 1. de sacrament. cap. 2. Vide etiam Innocent. 3. cap. vn. de sacra vnct. §. quia verò.

Nona est, Fidei professio, siue symboli recitatio, quam baptisandi proprio ore, si adulti sint; & paruuli per spon-

sores seu patrinos ad Sacerdotis interrogationem facere debent: ciúsque rei meminit etiam Dionys. in cit. p. 2. de Ecclesiast. hierarc. Clemens Rom. lib. 7. constit. cap. 41. Cyp. lib. 1. epist. 6. Ambros. lib. 1. de sacram. c. vlt. Hieron. in dialogo aduersus Luciferianos, S. August. de Victorino Romano Rhetore disserens, lib. 8. Confess. c. 2. *Vt ventum est ad horam profitendæ Fidei, quæ verbis certis, conceptis, retentísque memoriter de loco eminentiore in conspectu populi fidelis Romæ reddi solet ab ijs, qui accessuri sunt ad gratiam tuam* &c.

Inter cæremonias, quæ ipsum Baptismum comitantur, primo loco numerari potest; Quòd sacramentum istud ordinariè, & nisi necessitas v. g. propter asperum hyemis frigus, aliud postulet, ministrari non debet; nisi in loco sacro, seu baptisterio, vbi fontes sacri ad hoc specialiter destinati sunt, Clem. vn. de Baptismo, vbi tamen excipiuntur Regum, & Principum liberi; quamquam etiam hos non in loco profano, sed oratorio, aut sacello baptisari oportet.

Secundò, Quòd Baptismus conferatur per affusionem aquæ, vel per immersionem hominis, eámque vnam, aut trinam. Nam hæc etiam ad accidentales ritus pertinent; cùm ad sacramenti substantiam quæuis corporis ablutio per aquam facta sufficiat.

Tertiò, quòd sponsores, seu patrini adhibeantur, qui baptisandum teneant, pro paruulo respondeant, eique nomen imponant: sicuti etiam olim in circumcisione, cui Baptismus successit, imponi solebat, sicuti constat ex c. 1. Lucæ. Verùm de patrinis specialiter dicam c. seq.

Denique cæremoniæ, quæ ipsum Baptismum sequuntur, sunt hæ: Prima est vnctio chrismatis in vertice baptisati, sicuti constat ex c. si quis de alio, d. 4. de consecrat. vbi dicitur; chrisma recens esse oportere, siue eodem anno in die Cœnæ Domini consecratum; quod intelligi debet secluso casu necessitatis, seu imminentis mortis, in quo etiam veteri chrismate vtendum foret: qua de re Miranda in man. t. 1. quæst. 43. a. 4. Eiusdémque cæremoniæ meminerunt Patres, Dionys. cit. c. 2. Nazianz. orat. 40. in sacrum Baptisma, Ambros. lib. 3. de sacrament. c. 3. & lib. de ijs qui initiantur, cap. 6. Hieron. Dial. aduersus Luciferianos, Concil. Arausican. 1. ca-
9 none 1. Quamuis autem primis seculi omnis vnctio chrismatis à solis Episcopis fieri solita sit; postea tamen introductum, vt ea, quæ in vertice fit, Presbyteris committi possit, sicuti constat ex annotatis in vita Syluestri 1. Conc. Carthag. 4. canone 36. Tolet. 1. canone 20. Chrismatio autem in fronte Episcopis semper reseruata fuit. Qua de re vide quę scribit Alcuinus de diuin. offic. cap. de Sabbatho sancto. Significat autem hæc vnctio in vertice, ait Catech. Roman. p. 2. de Baptismo, num. 57. Baptisatum, *ab eo die Christo capiti tanquam membrum coniunctum esse, atque eius corpori insitum, & ea re Christianum à Christo; Christum verò à chrismate appellari.* Cyrillus verò catech. 3. mystagog. ait; Quòd chrisma *imaginem gerit illius, quo vnctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus.*

Altera est, Vestis candida, qua recens baptisatus induebatur, & vsque ad Dominicam *Quasimodo* gestare debebat, in signum puritatis animæ, sicuti Ambrosius testis est lib. de ijs qui initiantur, c. 7. *Accepisti vestimenta candida, vt esset indicium, quòd exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ candida velamenta.* Sed & hodie quoque obseruatur, vt candida vestis capiti infantis injiciatur.

Tertia est, Cereus accensus, qui baptisato in manus datur: ad significandum, fidem charitate inflammatam, quæ in Baptismo accepta, vsque ad vitæ finem seruanda, bonorúmque operum studio augenda est: vt, cùm Dominus vocauerit ad nuptias, cum face charitatis ardente possimus occurrere ei. Huius cæremoniæ meminit etiam Nazianz. cit. orat. 40. & Nicetas ibid.

Quarta cæremonia est, Lactis & mellis degustatio; quam olim vsitatam fuisse testatur Tertull. lib. de corona militis, c. 3. Hieron. citat. dialogo aduersus Luciferianos. Et videtur hoc significasse, quòd baptisati tanquam modò geniti infantes lac spirituale concupiscere, & gustare debeant, quàm suauis sit Dominus. Verùm hæc cæremonia in desuetudinem abijt. Vide plura apud Vasquez disput. 166. cap. 6. Henriquez lib. 2. cap. 13.

Ad extremum id notandum est: Cùm priuatim collato Baptismo, propter casum necessitatis cæremoniæ 10
omissæ fuerunt, postea sublato periculo, in Ecclesia supplendas esse, sicuti constat ex praxi Ecclesiæ, & colligitur ex c. 1. de sacram. non iterandis. Atque hoc etiam de exorcismis intelligendum esse, docet Richar. in 4. de 6. a. 6. quæst. 1. Viualdus in Candelabro, de Baptis. c. vlt. num. 18. Victor de Baptismo, n. 38. & habetur in Pastorali Romano: eo obseruato, vt cùm Minister homini baptisato Dæmonis eiectionem, atque gratiæ cœlestis donum precatur intentionem suam referat ad perfectiorem Diaboli, qui numquam omnino infestare desistit, repulsam, vberiorémque gratiæ cælestis communicationem. Vt proinde non intelligam, cur dixerit Paulus Comitolus lib. 1. respons. moral. quæst. 12. sacrilegium fore, & maximam sacramenti iniuriam, si Parochus puero priuatim baptisato, postea in Ecclesia exorcismos ad Dæmonem profligandum adhibeat.

Atque hæc quidem doctrina de supplendis cæremonijs obseruari debet tempore pestilentiæ cessantis: cùm enim infantes ex matribus peste infectis editi, in magno repentinæ mortis periculo versentur, frequenter accidit, vt priuatim baptisari debeant: neque tunc vacat semper Sacerdotibus omissas cæremonias in templo supplere, ideóque post pestilentiam, si superuiuant, ad Ecclesiam ducendi erunt.

Sed quid si homo, qui v. g. ab hæreticis in infantia absque solemnitatibus baptisatus erat, adoleuit: debétne, postquam ad Fidem Catholicam reuersus est, ad Ecclesiam perduci, vt omissæ solemnitates suppleantur? Respondeo: Non esse apud nos talem consuetudinem: fortasse ne rudis populus existimare possit, nos hæreticorum Baptisma, debitâ forma collatum, tanquam minùs validum improbare. Alioquin verò, si sine scandalo fieri possit, nihil erit alienum ab Ecclesiæ vniuersalis consuetudine, etiám in adultis, præsertim adolescentibus, omissas solemnitates supplere, sicuti ex Rituali Romano manifestum fiet: compertum enim fuit, eos fideles, qui priuatum Baptismum sine exorcismis, aliisque solemnitatibus acceperunt, à Diabolo magis infestati solitas esse.

CAP. IX.

De Patrinis.

SVMMARIVM.

1 *Patrinus, seu Spiritualis pater baptisati, hodie plerumque obligatione instruendi liberatus est: cùm pueri à parentibus & ludimagistris in Fide instrui soleant.*

2 *Ad munus patrini tria necessariò requiruntur; vsus rationis, sacramentum, & intentio.*

3 *Religiosi patrini esse non debent; nisi ad Episcopatum translati sint.*

4 *Patrinus vnus esse debet, isque mas, si puer baptisandus est; aut fœmina, si puella baptisanda: vel summùm duo, mas & fœmina. Attamen si plures tanquam patrini admittantur, credibile est, omnes cognationem Spiritualem contrahere.*

5 *In priuato Baptismo, qui necessitatis tempore confertur, opus non est patrino. Si tamen quispiam ex proposito [illegible] obeat, spiritualem cognationem contrahit.*

6 In pro-

6 *Improbari non potest consuetudo, secundùm quam quibusdam locis Catholici patrini existunt filijs hæreticorum, baptisante illos Ministro hæretico in forma SS. Trinitatis.*

7 *Hæreticus ordinariè, & sine grauis causa, ac necessitate, non potest admitti vt patrinus.*

1 PATRINVS dicitur quasi spiritualis pater, nutritius, ac pedagogus hominis baptisandi, qui eum ob solemnem sponsionem suam, accedente etiam Ecclesiæ præcepto, in Christiana Fide, cum necesse fuerit, instruere; præsertim Symbolum, & orationem Dominicam edocere obligatus est, iuxta c. vos ante, dist. 4. de consecrat. & docet S. Aug. serm. 215. de temp. S. Thom. q. 67. a. 8. Verùm vbi baptisati inter fideles educantur, atque à parentibus, parocho, vel ludimagistro in Fide Catholica instrui solent, tali obligatione fermè liberati sunt patrini, sicuti notauit idem S. Th. loc. cit. & ibid. Suarez, Ægid. Coninck, Sa, ver. Baptismus, num. 15. Henriq. l. 2. c. 14. n. 1. Addit Ægid. susceptorem siue patrinum tali obligatione tantùm teneri, dum baptisatus rudis est in doctrina Christiana; quo semel bene instructo, cesset obligatio: quia non ampliùs ille paruulus est, & pædagogo indigens.

2 Ad munus patrini quædam conditiones requiruntur vt validè obeatur: Prima est rationis vsus: Nam infans, seu, qui rationis discretionem assecutus non est, patrinus esse nequit: præter hoc tamen certa ætas ad id munus non requiritur, sicuti ex communi testatur Nauar. lib. 4. consil. 2. de cognat. spirit. edit. 2. Henriquez lib. 11. c. 11. n. 2. Sanchez lib. 7. disp. 61. contra Abb. c. debitum. n. 3. de Baptismo.

Altera est sacramentum: Nam non baptisatus non potest esse patrinus in Baptismo: & non confirmatus non potest esse patrinus in Confirmatione, sicuti habetur expressè in c. in Baptismate, distinct. 4. de consecrat. Idque intelligendum, vt etiam inualidè munus patrini suscipiant; ideóque cognationem spiritualem non contrahant. Quæ est certa sententia, quod attinet ad non baptisatum, & probabilior, quod attinet ad non confirmatum, si aliquem ex Confirmatione suscipere attentet. quā tenet Gl. in cit. c. in Baptismate, Alensis in 4. p. q. 28. mem. 2. a. 3. §. 1. Victor. de Cōfirmat. ad finem, Henriq. lib. 3. cap. 3. n. 3. Tolet. lib. 2. c. 24. Viualdus de Baptismo c. vlt. num. 29. Sanchez lib. 7. disp. 60. n. 20. contra Sotum in 4. dist. 24. q. 1. a. 5. Nauar. lib. 4. consil. 1. de cognat. spirit. edit. 2. Syl. ver. Matrimon. 8. num. 7. dicto 12. Tabienam ver. Confirmatio sacramentalis, quæst. 8. Sa, ver. Matrimonium, vbi de impedimento cognationis spiritualis, num. 5. Rodriq. t. 1. sum. cap. 227. concl. 4.

Tertia est intentio. Etenim vt aliquis verè patrinus censeatur, atque spiritualem cognationem contrahat, non sufficit eum materialiter tantùm tenere; sed requiritur formalis intentio gerendi munus spiritualis patris, secundùm Ecclesiæ consuetudinem.

Præterea quædam personæ sunt, quæ validè quidem patrini munus obire possunt, sed non licitè: Primò hæretici, apostatæ, & qui moribus infames sunt.

Secundò, Monachis prohibitum est, ne in sacramento Baptismi, vel Confirmationis susceptores sint, vti constat ex c. placuit commune, 16. q. 1. c. non licet, 5. d. 4. de consecrat. cap. Monachi, ead. d. 4. *Monachi sibi compatres, vel commatres non faciant; nec osculentur fœminas.* Existimat verò Ægid. Coninck 3. p. q. 67. a. 7. n. 56. nomine Monachorum eos tantùm intelligendos esse, qui solitudinem colunt, & sibi tantùm, non alijs vacant; non autem Religiosos Mendicantes, qui etiam alijs erudiendis operam nauant.

3 Sed contrarium mihi placet, omnibus Religiosis, saltem claustralibus, secundùm sacros canones, prohibitum esse munus patrini suscipere: quod etiam significat Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 60. n. 21. & lib. 6. moral. cap. 6. num. 24. Rodriquez t. 2. regul. quæst. 58. a. 3. & alij communiter. Quia ratio prohibitionis in omnibus locum habet; ne ob spiritualem cognationem contractam, nimia familiaritas cum secularibus, præsertim fœminis, contrahatur. Excipiunt tamen Rodriquez & Sanchez cum Glos. recepta in cap. statutum, 18. q. 1. ver. absoluit, quòd Religiosus Episcopus compater fieri possit.

Tertiò, parens non debet propriam prolem suscipere, sicuti constat ex c. peruenit, c. dictum est, 30. q. 1. & docet S. Thom. q. 67. a. 8. ad 2. Adeò, vt, si extra necessitatem ac temere propriam prolem suscipiat, cognationem spiritualem cum coniuge contrahat, ideóque debitum petere non possit, vt dicam in materia de Matrimonio.

Quartò minùs decens est, vt duo coniuges simul alienam prolem suscipiant, vti constat ex cap. vlt. 30. quæst. 4. quamuis id consuetudine cohonestari potest, teste Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 57. num. 5. Imò Nauarrus cap. 22. n. 39. Viualdus in Candelabro c. vlt. n. 29. absolutè negant, id hodie illicitum esse. Quare Coninck t. 2. disput. 32. dub. 2. concl. 2. rectè monet, duos coniuges simul suscipientes non contrahere cognationem spiritualem: nam alioquin talis susceptio grauiter ipsis prohibita esset.

Denique patrinus vnus esse debet, isque mas, si puer baptisandus; & fœmina vna, si puella baptisanda sit; vel summùm duo, mas & fœmina: siue puer, siue puella baptisetur, cap. non plures, distinct. 4. de consecrat. cap. quamuis, de cognat. spirituali, in 6. iuncta Trident. sess. 24. cap. 2. de reformat. matrimon. Vbi seuerè præcipitur Parochis, sub pœna ab Ordinario ipsis infligenda, vt ante omnia sciscitentur, quam, vel quos ij, quibus hæc cum incumbit, elegerint ad munus patrini: & præter eum, vel eos, neminem alium admittant: Quòd si alij vltra designatos (puta à parentibus, vel in eorum defectum à Parocho) accesserint, & baptisatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo modo contrahant. Videtur autem Concilium duntaxat hoc statuere in casu, quo vltra vnum, vel duos à parentibus vel similibus personis designatos; vel, si hi plures designârant, præter eos qui à Parocho electi, alij accesserint, vt veri patrini non sint, neque cognationem spiritualem contrahant. Sin autem, nemine designante, aliqui accesserint; vel si plures, quàm duo designati, neque à Parocho reiecti fuerint, propter negligentiam, aut ignorantiam; tunc probabilius est, omnes veros patrinos fore, atque cognationem spiritualem contracturos, sicuti docet Nauar. c. 22. num. 39. Henriquez cit. c. 11. num. 3. Sa ver. matrimon. de impedim. cognat. spiritual. num. 5. Viualdus cit. c. vlt. num. 30. contra Suarez t. 3. q. 67. a. 8. Rodriquez t. 1. sum. c. 227. num. 1. Nam constitutio correctoria iuris antiqui extendi non debet vltra casum expressum: Concilium autem solùm expressit casum, quo vltra designatos alij accesserint; & nihil dixit de casu, quo vel nullus designatus, vel plures, quàm duo designati, & admissi sūt: Ergo tunc standum est dispositione iuris antiqui, cit. cap. quamuis, sicuti etiam declarauit Congregatio Cardinalium super sess. 24. cap. 2. de reform. matrimon. cum hac tamen moderatione: vt si vnus tantùm tangat, vel è manibus baptisantis prolem immediatè suscipiat, ille solus cognationem contraxisse censendus sit: non etiam alter, vel alij, quamuis præsentes assistant. 4

RESTANT QVÆSTIONES: PRIMA. An, & quatenus patrini munus etiam in Baptismo priuato, tempore necessitatis conferendo, locum habeat? Respondeo, & dico I. Nullum est Ecclesiæ præceptum, vt in tali Baptismo patrinus adhibeatur. Ita Sotus in 4. d. 42. q. 1. art. 1. Henriquez lib. 2. cap. 18. in fine, Sanchez lib. 7. 5

disput. 62. Suarez q. 67. a. 8. Rodriq. cit. c. 227. concl. 2. contra Zambranum de Baptismo cap. 18. n. 7. Cùm enim tali casu necessitatis parentes ferme non possint idoneos eligere ad munus patrini, credibile non est, Ecclesiam talem eis obligationem imponere voluisse. Sed etsi aliquis in hoc casu materialiter teneat infantem baptisandum; non ideo patrinus eius efficitur; vt suprà dictum.

Dico II. Si aliquis in priuato Baptismo infantem teneat ex proposito, vt patrini munus obeat, verus patrinus fieri videtur, atque cognationem spiritualem contrahere. Ita Nauar. c. 22. num. 40. Viuald. vbi de cognat. spirit. num. 10. Armilla ver. Matrimonium, num. 14. Sa cit. num. 5. Suarez cit. art. 8. in fine, Coninck cit. disput. 32. dub. 2. concl. 5. Zambranus cit. c. 18. num. 4. argument. c. ad limina. c. de eo, 30. quæst. 1. contra Sanchez cit. disp. 62. num. 15. Rodriquez cit. concl. 2. ea ratione motos, quia adhibere patrinum est cæremonia instituta pro Baptismo solemni: ergo vbi talis Baptismus non est, censeri non debet verus patrinus, qui tenet, aut suscipit. Respondeo; Patrinum non tantùm adhiberi Baptismo propter maiorem eius solemnitatem; sed multò etiam magis propter obligationem instruendi baptisatum. Tametsi autem Ecclesia non præcipiat, vt talis patrinus seu spiritualis nutritius adhibeatur in Baptismo priuato; quia plerumque imminente periculo adhiberi non potest; tamen non prohibet etiam, quominus verè interueniat. Ex quo colligitur, quòd in priuato Baptismo, qui ob mortis periculum infanti confertur, pater non debeat suscipere, aut tenere tanquam patrinus: quia in hoc casu, nullo patrino opus est.

ALTERA QVÆSTIO. Vtrum Catholicus, rogatus à Lutherano hæretico, vt prolem suam è sacro fonte suscipiat, baptisante eam Ministro Lutherano, in forma sacrosanctæ Trinitatis, parere possit? Pro parte negante videtur esse primò; Quòd communicatio in sacris cum hæreticis, fidelibus interdicta sit: hæc autem est communicatio in sacris quod vel eo argumento colligitur, quia patrinus cum Ministro baptisante spiritualem cognationem contrahit: Ergo Catholico non licet infantem suscipere ab hæretico baptisante.

Secundò; Quia Lutherani hæretici, licet substantialem modum Baptismatis obseruent, accidentales tamen Ecclesiæ cæremonias per contemptum omittunt, & loco earum concionem habent: quam eorum hæreticam consuetudinem patrinus Catholicus, per se, vel procuratorē suum assistendo, approbare videtur: non sine scandalo, vel fortasse etiam tacita alienæ fidei professione. Propter quam rationem hanc partem quæstionis videtur tenuisse Nauar. lib. 1. consil. 1. de constit. n. 66. edit. 2. Azor to. 1. lib. 8. c. 11. q. 9.

6 Sed contraria sententia videtur vera, saltem in Germania nostra, vbi communicatio, & pax inter Catholicos & Lutheranos viget, ita vt ex rationabili causa etiam matrimonia inter eos instituātur. Probatur primò: Quia patrini officium est, vt externa susceptione profiteatur, quòd hominem modò spiritualiter genitum sacra vnda Baptismatis, suscipiat in curam suam, tanquam spiritualis eius nutritius, ac pædagogus. Id autem præstare, ac profiteri Catholicum nihil impedit, tametsi infans ab hæretico baptisetur in forma SS. Trinitatis; cùm enim talis infans verè sit effectus Ecclesiæ membrum, indiget instructione & informatione in Fide, ac vita Christiana: quā ipsi Ecclesiæ Prælati facere deberēt; sed quia eis non vacat, ideo ipsorum loco ex antiquissima consuetudine adhibetur homo alius idoneus, qui in suam instructionem, ac tutelam suscipiat baptisatum. Sicuti docet S. Th. 3. p. q. 67. a. 7. in corpore.

Secundò: Quia patrinus Catholicus suscipiendo ex sacro fonte baptisatum à Ministro hæretico, neque actiuè, neque passiuè concurrit, aut vllo alio modo cooperatur ad indebitam ministrationem Baptismi, sicuti consideranti manifestum erit: Interim verò impedit, vt Baptismus, qui indebitè seu non seruatis accidentalibus Ecclesiæ cæremonijs à Prædicante ministrandus erit, minùs tamen malè & incongruè administretur. Cùm enim alioquin patrinus hæreticus adhibendus fuisset, qui tacitè profiteretur, se prolem Ecclesiæ modò genitam, & ab eadem receptam, in hæresi instructurum esse: hoc nefas impedit Catholicus, quando eum præueniens, cum voluntate ipsorum parentum, accurrit, & seu expresè, seu tacitè, ipsóque facto protestatur, se hunc Ecclesiæ filium in vera Fide, quatenus sibi possibile erit, informaturum esse.

Ad primam rationem pro negante sententia allatam respondeo: Post extrauagantem Concilij Constantiensis, *Ad euidenda*, communicationem cum hæreticis, aliisq; excōmunicatis nominātim non denuntiatis, neque in sacris, nec politicis rebus, fidelibus interdictam esse: dummodo communicatio non sit in exercitio hæretico, vt cōmunicans censeatur facere contra externam veræ & orthodoxæ Fidei professionem, qualis hæc patrini communicatio non est: cùm, vt suprà dictum, non alia re, seu actiuè, seu passiuè, materialiter, seu formaliter communicet, quàm quòd puerum per ministerium Prædicantis hæretici, Ecclesiæ Catholicæ filium effectum, quasi nomine eius, in suam curam & protectionem suscipiat: hæc verò non hæreticæ, sed Catholicæ Religionis professio, atque exercitium est. Neque obstat, quod obijcitur de cognatione spirituali contrahenda cum Prædicante baptisante: ea enim secundùm Ecclesiæ institutionem sequitur ex Baptismo, non quatenus malè, sed quatenus rectè & validè à Prædicante administratur. Quod si talis cognatio seu cōpaternitas obesse deberet, quominus Catholicus licitè suscipere posset baptisatum ab hæretico: impedire etiam deberet, quominus Catholicus baptisare, vel è Baptismate suscipere posset filium hominis hæretici: quando quidem etiam cum ipso spiritualis cognatio seu confraternitas contrahitur.

Ad secundam rationem patet etiam ex dictis responsio. Et addo, quòd potiùs parentes hæretici, adhibentes patrinum Catholicum, dent signum professionis Catholicæ, vel saltem quòd filium catholicè instrui contenti sint. Si tamen subsit periculum scandali, vel quòd parentes hæretici ea intentione adhibere velint patrinum Catholicum, vt ad suam sectam se inclinatum ea re ostendat, tum Catholicus expressam protestationem præmittere deberet, quòd baptisatum suscipere velit, vt patrinus Catholicus; eum, quando opus habuerit, catholicè etiam informaturus, quatenus ipsi possibile erit.

Accedit denique quòd si Catholicus infantem suscipere renuat, quia à Lutherano Prædicante baptisatur, caussam scandali præbere poterit, existimantibus hæreticis, ideo eum refugere, quòd ipsorum Baptismum, tanquam inualidum contemnat, & abhorreat.

TERTIA QVÆSTIO. An permitti possit, vt cùm infans à Sacerdote Catholico baptisatus, adhibeatur patrinus hæreticus? Respōdeo & dico I. Certum est, ordinariè id esse illicitū. Etsi enim id sacris canonibus expresè prohibitū non reperiam: sed tantùm ne infidelis, seu non baptisatus patrinus existat: tamē ius ipsum naturale, ac diuinum, supposita intistutione sacramenti, & sacræ huius cæremoniæ præcipit, vt adhibeatur patrinus idoneus ad instruendum baptisandum in Fide Catholica, sponsionemque pro eo faciendam: qualis non ita est hæreticus, vti Catholicus. Et accedit communis DD. consensus. 7

Dico II. Si grauis causa seu necessitas postulet, permitti potest, vt hæreticus ad suscipiendum infantem designetur. Hæc est praxis, quam ante paucos annos in inferiore, & superiore Germania viri pij, ac docti exercuerunt. Exemplum est: In parochia, cui nuper Sacerdos Catholicus, expulso Ministro hæretico, præfectus est, parentes

hæretici

hæretici deferunt filios suos ad Baptismum, designato patrino hæretico. Hoc casu repellere patrinum nimis difficile, & quasi impossibile est: tum quia Catholici eo loco vix vlli sunt, qui patrini esse possint: tum quia parentibus nunquam in Germania persuadebitur, vt ipsis ius patrinos designandi adimatur: Exigere autem seu à parentibus, seu à patrinis, vt statim Fidem Catholicam amplectantur, vel se postea amplexuros promittant, consultũ haud est: cùm enim in Fide Catholica nondũ instructi sint, & tam breui tempore, quo Baptismi conferendi necessitas vrget, instrui non possint, vt prudenter eam amplectantur; profectò promissionem illam non nisi ficte, & contra conscientiam suam facient, sine vlla vtilitate, bonóque euentu. Quare hoc casu nisi patrini hæretici à parentibus designati liberè admittantur, permittendum erit, vt vel infantes ab obstetricibus priuatim baptisentur; vel ad hæreticum Ministrum extra parochiam deferantur: nisi dicere velis, quòd Sacerdos Catholicus baptisare debeat, nullo adhibito patrino, contra Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem, cum non paruo scandalo, & multorum querelis. Igitur, vt hæc grauiora incommoda vitentur, admittendus est patrinus hæreticus, sine vlla eius promissione. Sacerdos tamen ante Baptismum palàm edicere deberet: Infantem in Fide Catholica baptisari, in eáque instruendum fore, si ad vsum rationis peruenerit: Quamobrem nec parentes, nec patrinos hanc eius instructionem impedituros esse; quin potiùs patrinos admitti, tanquam sponsores huius Fidei, in qua baptisatur.

Nunc probatur hæc praxis: Nam hæreticus, qui legitimè baptisatus est, absolutè capax est muneris patrini: ita vt ex eo spiritualem cognationem contrahat: cur autem non conuenienter seu illicitè adhibeatur, tres causæ afferri possunt: Prima, Quia non cẽsetur sponsionẽ facere pro infante, tanquam Fidem Catholicam suscepturo. Sed contra est; Quòd cùm infans à Catholico Ministro in Fide Catholica baptisetur, satis appareat, sponsionem eius non aliter admitti, quàm secundum hanc Fidem: præsertim, si Sacerdos apertè id edicat, & commonefaciat, vt suprà dictum est. Quamobrem sæpe accidit, vt ipsimet etiam hęretici postea non permittant aliquem à Fide Catholica abstrahi, quia meminerunt, se pro illo in hac Fide à Sacerdote baptisato, spopondisse.

Secunda, Quia hæretici patrini non sunt idonei ad instruendum baptisatum in Fide Catholica. Verùm hodie infantes, & pueri vix vnquam à patrinis suis instruuntur, sed à Ludimagistris & Parochis: ideóque obligatio & officium instruendi nunc ferme ablatum est à patrino. Deinde multùm iuuabit protestatio Sacerdotis, quòd proles in Fide Catholica, in qua baptisatur, educanda sit: nam inde sequitur, educationi patrini hæretici committendum non fore, nisi & ipse ad Fidem Catholicam conuertatur.

Tertia, Quia ex ea re infantibus imminet periculum peruersionis, & discessus à vera Fide, si parentibus, aut ipsis patrinis hæreticis restituendi sint. Verùm hoc periculum admodum probabile, & propinquum non esse, dictum est suprà hoc tr. c. 5. n. 12.

TRACTATVS TERTIVS, DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAP. I.

De natura & institutione huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio est verum nouæ legis sacramentum à Christo institutum, Ioan. 20.*

2 *Sacramentum Confirmationis tanquam stabilis cæremonia semper in Ecclesia vsurpatum fuit.*

1 CONFIRMATIO est *nouæ legis sacramentum quo homo baptisatus, ex Christi institutione, spiritualis gratiæ augmentum ac robur accipit, per chrismatis in fronte vnctionem, sub certa verborum forma, ab Episcopo datam.* Esse nouæ legis sacramentum, sumitur ex S. Ioan. c. 14. & 16. Luc. 24. Act. 1. quibus locis Dominus, post suum in cœlos ascensum, virtutem ac robur sancti Spiritus se missurum promisit in die Pentecostes, quando Apostoli à Spiritu sancto, specie visibili descendente, confirmati fuerunt, ad Christi Fidem liberè profitendam, Act. 2. Fuit verò modus iste Confirmationis extraordinarius ac specialis, per signa & prodigia diuinitus data: Deinde verò Apostolorum ministerio alijs Christi fidelibus, post acceptum Baptismum, eadem plenitudo gratiæ, per manuum impositionem, tanquam certam, & stabiliter in Ecclesia mansuram cæremoniam, conferri solebat, sicuti constat ex cap. 8. Act. vbi legimus; Quòd Apostoli, cùm audissent, Samariam recepisse verbum Dei, miserint ad eos Petrum, & Ioannem; *qui cùm venissent &c. imponebant manus super illos,* (qui credebant, & baptisati erant) *& accipiebant Spiritum sanctum.* Et Act. 19. *Cùm imposuisset illis* (qui baptisati erant) *manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos.* Ex quo ita argumentari possumus: Apostoli hanc cæremoniam impositionis manuum super baptisatos nunquã adhibuissent, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus sancti, nisi huius rei permissionem à Christo habuissent: Atqui Apostolos manuum illam impositionem, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus S. erga baptisatos vsurpasse, constat ex Actib. Apost. præcipuè ijs verbis c. 8. *Cùm vidisset Simon, quod per impositionem manus Apostol. daretur Spiritus sanctus obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Ergo sequitur, habuisse Apost. à Christo permissionem huius spiritualis doni per talem cæremoniam certò conferendi; adeóque fuisse hoc vnum ex sacramentis nouæ legis.

Enimuero hanc ipsam Spiritus S. communicationem per sensibilem illam cæremoniam, & vno verbo, Confirmationis sacramentum, non solùm Apostolor. tempore vsurpatum fuisse; sed deinceps semper in Ecclesia permansisse, colligitur tum ex promissione Christi omnib. fidelibus vniuersim facta, Io. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et Ioëlis 2. *Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quam promissionem in omnes factam esse, testatur S. Petrus ibid. num. 38. 39. tum verò ex constante PP. traditione, Dionysio Areopagita, Tertulliano, Cyrillo, Ambrosio, qui

(vti vidimus tract.1.cap. vlt.) tria ſacramenta, videlicet ſacri Baptiſmi, chriſmatis ſeu manus impoſitionis, & Euchariſtiæ pariter recenſent; quia hæc ordine, eodem die, etiam infantibus, olim conferri ſolita erant, ſicuti habetur expreſsè in Ordine Romano cap. de officio Sabbathi; apud Gennadium de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 52. & colligitur ex S. Dionyſ. de Eccleſ. hierarch. c. 7. p. 3. Catecheſibus Cyrilli, & Ambroſij. His accedunt alij, S. Cyprianus in epiſt. ad Iubaianum, ita ſcribens: *Tantum modo quod deerat, id à Petro & Ioanne* (Actuum c. 8.) *factum eſt: vt oratione pro eis habita, & manu impoſita, inuocaretur, & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Eccleſia baptiſantur, Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, & manus impoſitionem Spiritum ſanctum conſequentur, & ſignaculo dominico conſumentur.* Et lib. 2. Epiſt. 1. *Tunc demum plenè ſanctificati, & filij Dei eſſe poſſunt, ſi ſacramento vtroque* (Baptiſmatis, & Manus impoſitionis) *naſcantur.*

Similia habet Pacianus in lib. de Baptiſmo, to. 1. aliàs 3. Bibliothecæ SS. Patrum, in illa verba S. Ioannis cap. 1. *Quotquot enim receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* inquiens: *Hæc compleri aliàs nequeunt, niſi Lauacri, & Chriſmatis, & Antiſtitis ſacramento. Lauacro enim peccata purgantur, chriſmate S. Spiritus ſuperfunditur: vtraque verò iſta manu, & ore Antiſtitis impetramus,* id eſt, conſequimur: *atque ita totus homo renaſcitur, & innouatur in Chriſto.* Et in epiſt. 1. ad Sympronian. hæc duo ſacramenta ipſi Pœnitentiæ ſacramento præponit, ita ſcribens: *Si ergo & lauacri, & chriſmatis poteſtas, maiorum longè chariſmatum ad Epiſcopos deſcendit: & ligandi quoque ius adfuit, atque ſoluendi.*

S. Hieron. dialogo aduerſus Luciferian. *An neſcis etiam Eccleſiarum hunc eſſe morem, vt baptiſatis poſtea manus imponantur: & ita inuocetur Spiritus ſanctus? Exigis, vbi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret.* Quæ verba licet in perſona Luciferiani proferantur; tamen poſtea à Hieronymo approbantur, his verbis: *Diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſionem Domini, Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit.*

S. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 26. *Orabant* (Apoſtoli Actorum 8.) *vt veniret in eos, quibus manus imponebant, Spiritus ſanctus: non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis Præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia.* Et paulò poſt. *Dominus ipſe Ieſus Spiritum ſanctum non ſolùm dedit, vt Deus: ſed etiam accepit vt homo &c. quoniam vnxit eum Deus, non vtique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur vnguento, quo baptiſatos vngit Eccleſia.* Et lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 104. vocat *ſacramentum Chriſmatis, quod in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Et paulò poſt: *Diſcerne viſibile ſanctum ſacramentum, quod eſſe & in bonis, & in malis poteſt; illis ad præmium, illis ad iudicium: ab inuiſibili vnctione charitatis, quæ propria bonorum eſt.* Quibus verbis duplicem ſacramenti effectum diſtinguit: characterem, & gratiam ſanctificantem: quorum ille omnibus, qui ſacramentum accipiunt, communis, & indelebilis eſt; ſed effectus gratiæ proprius bonorum.

Theodoretus in c. 1. Cantic. *Sacri Baptiſmatis myſterium recordare, in quo, qui initiantur, poſt Sattanæ abnegationem, & Dei confeſſionem, veluti ſigno ac nota quadam regia ſpiritualis vnguenti chriſmate inuncti, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie, inuiſibilem ſanctiſsimi Spiritus gratiam ſuſcipiunt.*

Circa inſtitutionem huius ſacramenti dubitari non debet, eſſe à Chriſto immediatè inſtitutum, ante aſcenſionem ſuam, ſicuti cōſtat ex ijs quę dixi hoc lib. tr. 1. c. 2. Veruntamen vſus ſeu adminiſtratio huius ſacramēti nulla erat ante Chriſti aſcenſionem: Quia in hoc ſacramento, inquit S. Thom. q. 72. a. 1. *datur plenitudo Spiritus ſancti, quæ non erat danda ante Chriſti reſurrectionem, & aſcenſionem,* iuxta illud Io. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Ioan. 16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.*

De tempore verò, quo Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit, maius dubium eſſe poteſt. Sed arbitror dicendum cum Soto in 4. d. 7. q. 1. a. 1. circa 1. Suarez diſp. 32. ſ. 2. Coninck q. 72. a. 1. dub. 2. Præcipuè, ac perfectè fuiſſe inſtitutū poſt reſurrectionem Chriſti, Io. 20. cùm Apoſtolis plenam poteſtatem Ordinis ſacerdotalis, & poteſtatis Epiſcopalis in corpus myſticum Eccleſiæ ſuæ contulit; *Sicut miſit me viuens Pater, & ego mitto vos.* Quemadmodum enim Tridentinum Concilium ſeſſ. 14. cap. 1. ex eo, quòd Chriſtus Ioan. 20. Apoſtolis dedit poteſtatem remittendi peccata, rectè colligit, tunc præcipuè ſacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuiſſe; ita etiam ex eo, quò Chriſtus tunc primùm, & non antè Apoſtolis, ordinatis Epiſcopis, contulit poteſtatem conferendi fidelibus ſacramentum Confirmationis; rectè colligimus, eo loco potiſſimùm, ac perfectè inſtitutum fuiſſe. Neque his quidquam obſtat, quòd Chriſtus poſt vltimam cœnam, egreſſo iam Iuda, huius ſacramenti mentionem apud Apoſtolos, promiſſionémque feciſſe credatur, quin etiam modum conferendi eos docuiſſe, vti colligunt Doctores ex epiſt. 2. Fabiani Papæ ad Orientales: quamobrem ex antiqua traditione obſeruatur, vt in die Cœnæ Domini ſacrum chriſma in Eccleſia renouetur, ſicuti præter alios annotauit Sotus in 4. d. 7. q. vn. a. 1. §. at notandum.

CAP. II.

De Materia huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Materia remota ſacramenti Confirmationis eſt chriſma ex oleo, & balſamo confectum, atque ab Epiſcopo benedictum; quæ omnia ad ſacramenti eſſentiam ſpectant.*

2 *Materia, quibus ipſemet Chriſtus vſus eſt in ſacramentorum inſtitutione, à Miniſtro benedici non ſolent; ſicut illa, quibus Chriſtus vſus non eſt.*

3 *Probabilius eſt, quòd Papa Sacerdoti ſimplici poteſtatem chriſmatis conſecrandi dare non poſſit.*

4 *Materia proxima huius ſacramenti eſt vnctio chriſmatis in fronte facta manu Epiſcopi, in crucis formam: quæ omnia ad eſſentiam ſpectare videntur.*

5 *Credibilius eſt, Apoſtolos ſemper confirmaſſe baptiſatos per chriſmatis vnctionem, & hanc ipſam vocari manus impoſitionem.*

ASSERTIO I. Materia remota huius ſacramenti eſt chriſma, ex oleo & balſamo confectum, atque ab Epiſcopo benedictum. Ita expreſsè docet Conc. Florent. in decreto Eugenij, §. Secundum ſacramentum, & S. Th. q. 72. a. 2. & 3. & conſtat ex perpetua traditione & vſu Eccleſiæ. Atque odoriferi huius, ſeu cum balſamo mixti vnguenti (quo baptiſatos in fronte vngere ſolis Epiſcopis conceſſum erat) mentionem faciunt Clemens Rom. lib. 7. conſtit. cap. 44. Auctor ſermonum de vnct. Chriſmatis, apud S. Cypr. Concil. Bracarenſe 3. can. 4. Gregor. Turon. lib. 1. de gloria Martyrum, c. 41. Greg. Magnus in cap. 1. Cantic. 1

Circa hanc aſſertionem dubitatur primò: Vtrum non tantùm oleum ex oliuis, ſed etiam balſami admixtio ſit materia neceſſaria ſacramenti, ex Chriſti inſtitutione? Negant Caiet. 3. p. q. 72. a. 2. Sot. in 4. d. 7. q. 1. a. 2. Nau. c. 22. n. 8. & lib. 1. conſil. 1. de ſacra vnct. edit. 2. Couar. 1. reſol. c. 10. num. 4. Viualdus de Confirm. c. de materia, n. 2. Victor. in ſum. n. 40. Probant primò, auctoritate Innoc. III. in c. 1. de ſacramentis non iterandis, qui interrogatus, vtrum ſacramentum Confirmationis in eo iterari debeat, qui per errorem non chriſmate, ſed oleo vnctus

vnctus fuit; Respondit, non esse aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quòd incautè fuerat prætermissum: ex quo colligitur, Confirmationis sacramentum substantialiter fuisse completum sine balsamo: nam aliàs repeti debuisset. Secundo, credibile non est, pauperrimos Episcopos in prima Ecclesia balsamum habere potuisse, *quo fortè etiam hodie multi carent*, inquit Caiet. Tertiò, Nomen Chrismatis, quo Apostolos vsos fuisse ex S. Dionysio colligitur, vnctionem significat, quæ solo oleo fieri potest. Denique obijci potest, tam modicam esse balsami admixtionem, vt neque ad omnes partes olei perueniat, ac tandem in oleum conuertatur: ex quo sequitur, sæpe materiam Confirmationis esse solum oleum, sine substantia balsami.

Verùm hanc sententiam ante Caiet. nemo docuit: quare contraria aliorum communis amplectanda, quam satis etiam indicat S.Th. cit. a. 2. & Concil. Florent. in decreto Eugenij, cum absolutè ait; Materiam huius sacramenti esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo: non ita verò, cùm de sacramento Eucharistiæ sermo est, ait, eius materiam esse vinum aqua mistum: sed *vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicißima adhiberi debet*. Ergo ex hac loquendi diuersitate apparet, mentem Concilij fuisse, quòd admixtio aquę in materia Eucharistiæ sit tantùm de necessitate præcepti; admixtio verò balsami pro Confirmatione, sit de necessitate sacramenti; ex institutione Christi, quam per Ecclesiæ traditionem accepimus.

Ad primum pro Caietani sententia allatum, respondeo; Rectè dixisse Innocentium. In tali casu cautè esse supplendum, quod incautè erat prætermissum: in proposito autem intermissa erat vnctio chrismatis: ergo ea postea adhiberi debebat: chrismatis vnctio, inquam, non solius balsami, vt rectè notauit Abb. in cit. c. 1. & Coninck q. 72. a. 3. dub. 1. n. 35. Est enim prorsus alienum ab Ecclesiæ consuetudine, vt vnctio solo balsamo fiat. Quod autē dixit Innoc. nihil esse iterandum, duobus modis explicari potest: Primò, secundùm mentem Palud. in 4. d. 7. q. 1. a. 2. in fine; Non iterari hoc sacramentum: sed primùm conferri, cùm prior illa collatio propter defectū substantialem irrita fuerit. Deinde referri potest ad accidentales cæremonias, quæ cùm semel solemniter adhibitæ sunt, etsi postea substantialis defectus in materia, vel forma sacramenti deprehendatur, is solùm priuatim corrigendus, seu supplendus est, sine repetitione rituum accidentalium: idque etiam in Baptismo obseruandum esse, monet Suarez disp. 33. s. 1. Viualdus de Baptismo, c. vlt. n. 21.

Ad secundum negari debet; Tantam fuisse paupertatem in Ecclesijs, vt modicum balsami comparari non potuerit, quantum opus erat ad sacramenti huius administrationem.

Ad tertium dicitur; Nomen chrismatis, vsu Ecclesiasticorum Scriptorum, ita semper acceptum fuisse, vt mixturam balsami cum oleo significaret, sicuti constat ex Innoc. in cit. c. 1. Fabiano epist. ad Orientales Concil. Romano 2. sub Syluestro, Carthag. 2. can. 3. Carthagin. 3. can. 36. Toletano I. can. 20. quibus prohibetur Presbytero, ne chrisma conficiat: hoc autem nomen *confectio* mixturam aliquam significat.

Ad quartum respondetur: Physicam illam disputationem, quomodo balsamum cum oleo, secundùm partium iuxta positionem misceatur, & num in forma substantiali permaneat, an tantùm secundùm qualitates alteratas &c. nihil omnino referre ad moralem institutionem, & vsum materiæ sacramentalis.

Secundò dubitatur: Vtrum ex necessitate sacramenti requiratur, vt chrisma ab Episcopo consecratum sit? Ita affirmandum est cum S. Th. a. 3. Nau. cap. 22. num. 8. & alijs Theologis ferè omnibus. Sumitur ex Concil. Florentino, in decreto Eugenij, Innoc. I. epist. 1. c. 3. & perpetua Ecclesiæ traditione, quę testatur, chrismatis cōfectionem ac consecrationem semper Episcopo reseruatā, & nunquā Presbytero cōmissum fuisse: quod signum est, talem potestatatem, secundùm Christi institutionem, ad solos Episcopos pertinere: quare in suprà citatis Concilijs prohibetur, ne quisquam, præter Episcopum, chrisma conficere, & per diœcesin destinare præsumat. Et S. Gregor. in c. 1. Cantic. *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione, chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.*

Accedit, quòd Patres mirè exaggerant chrismatis consecrationem, quæ per summum Sacerdotem seu Episcopum fieri debet: Nam S. Dionysius cap. 2. p. 2. hierarch. Eccl. *Diuinum & deificum vnguentum*, & c. 7. p. 3. *Sacratissimum vnguentum* vocat. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Permenianum *chrisma sacrosanctum*: Laodic. Concil. can. 8. *Chrisma cœleste*: Theophyl. Antiochenus lib. 1. contra Christianæ religionis calumniatores, *Oleum diuinum*. Cyrillus catech. 3. Mystag. *Vnguentum sanctum*. Et paulò post, *Charisma Christi, quòd aduentu Spiritus sancti, per ipsius diuinitatem, energiam habet*, vt videlicet baptisatis, in Spiritu sancto confirmandis, per manus episcopalis impositionem, & vnctionem, adhiberi possit.

Congruentiæ autem rationem, cur materiam Confirmationis, sicuti & Extremæ vnctionis necessariò benedictam esse oporteat, reddit S. Thom. in cit. a. 3. Alensis p. 4. q. 24. mem. 2. a. 1. §. 3. Richar. in 4. dist. 7. a. 1. q. 1. Scotus ead. d. 7. ver. ad secundum dicendum. Gabr. ibid. q. vn. a. 1. contra Durandum ead. d. 7. q. 2. Palud. q. 1. a. 2. Congruum enim est, vt corporea & sensibilis materia, antequam ad animæ sanctificationem adhibeatur, à vulgari ac profano vsu per benedictionem aliquam secernatur. Discrimen autem est, quòd quibusdam materijs Christus ipse est vsus, ideóque eas sanctificauit, siue aptas reddidit ad perfectionem sacramenti. Quare S. Ambros. lib. 2. in Lucam, in fine, & lib. 1. de sacram. cap. 5. S. August. ser. 36. de tempore, Chromatius in Matth. cap. 6. allegatus, in c. nunquam aquæ, d. 4. de consecr. & alij Patres dixerunt, Christum in Iordane contactu suo sanctificasse aquas: vt videlicet idonea materia fierent ad purganda peccata in sacramento Baptismatis. Similiter ipsemet Dominus accipiens panem, & calicem benedixit, Matth. 26. Luc. 22. Quare ad necessitatem sacramenti eius non spectat materiæ benedictio, quia sufficit benedictio Christi: si quæ verò Ecclesiastica benedictio adhibetur, ea ad solemnitatem accidentalem pertinet. Vnctionibus autem visibilibus, quæ in sacramento Confirmationis, & Extremæ vnctionis fieri debent, Christus ipse non est vsus, neque eorum materiam benedixisse alicubi legitur: quamobrem tum chrisma, tum oleum infirmorum priùs necessariò benedici debent, quàm ad vsum sacramenti adhibeantur.

Cur autem Christus instituerit, vt Confirmationis, & Extremæ vnctionis materia à solis Episcopis consecrari posset, rationem congruentiæ reddere possumus, ex eod. S.Th. in 4. d. 23. q. 1. a. 2. quæstiun. 2. & 3. Palud. ibid. q. 1. a. 1. Quia Episcopi, seu primi Sacerdotes præcipuè repræsentant personam Christi: ergo decens est, vt ipsi materias ad vsum sacramentorum destinent, & sanctificent: quò intelligatur, omnem sacramenti virtutem à Christo deriuari. Accedit, quòd hac etiam ratione sacramenti materia in maiore veneratione sit, sicuti notauit Suarez 3. p. t. 4. disp. 40. s. 1. n. 8.

Contra hæc Caiet. cit. q. 72. a. 3. duo asserit: I. Probabiliter valiturum sacramentum, si Episcopus in Confirmatione vtatur chrismate, quod à simplici Sacerdote consecratum est. Secundò: Extra dubitationem esse debere, quòd saltem Papa simplici Sacerdoti talem consecrandi potestatem committere possit. Probat vtrumque hac ratione: Qui potest facere maius, potest etiam quod minus est: sed simplex Sacerdos potest efficere maiorem sacramentalem consecrationem S. Eucharistiæ: ergo

etiam quamlibet minorem, seu non sacramentalem. Præterea Papa committere potest Presbytero potestatem ministrandi sacramentum Confirmationis: ergo etiam præparandi, seu consecrandi materiam: cùm hoc minus quiddam sit, & accessorium.

Sed hæc non rectè se habent: Nam primum dictum Caiet. nec probabile, nec tutum est, vt rectè notat Sotus in 4. d.7. q. vn. a. 3. Suar. t. 3. disp. 33. s.2. §. in secunda petitur. 3 Alterum verò eius dictum, in quod etiam Sotus propendet, & Greg. de Valentia to.4. disp. 5. q.1. p. 2. colum. vlt. non est extra controuersiam: imò oppositum eius probabilius, vti videre est apud Suarez cit. s. 2. Henriquez lib.3. cap.2. Coninck cit. disp. 72. art. 3. dub. 1. concl. 4.

Ad fundamentum Caietani respondetur, cum Durando in 4. d.7. q. 3. ad 2. Axioma illud: *Qui potest maius, potest etiam facere minus*, habere tantùm in subordinatis, quibus id, quod minus est, continetur in maiore, tanquam pars in toto, aut imperfectum in perfecto: v. g. Qui potest facere testamentum, is potest etiam codicillum: & qui matrimonium contrahere potest, is etiam sponsalia celebrare. Non ita verò se habent duæ illæ potestates: vna consecrandi Eucharistiam, altera consecrandi chrisma; cùm valde distinctæ, & separatæ sint. Sed neque potestas Confirmandi, licet maior esse videatur necessariò secum fert potestatem conficiendi chrisma: cùm priorem constet aliquando Presbytero à Sede Apostolica delegatam esse; non item posteriorem: Ergo non facilè asserendum est, delegari posse: præsertim cùm eius rei cōgruam rationem afferre possimus, vt videlicet appareat dependentia ab Episcopis, tanquam primis Sacerdotibus, & præcipuis Christi Ministris, vt suprà dictum.

Illud porrò rectè admonet Suar. licet chrismatis consecratio ex Christi institutione proueniat, sicuti per traditionem accepimus: non tamen certam consecrationis formam à Christo præscriptam fuisse, sed solùm, vt per inuocationem S. Spiritus consecraretur, verbis ab Ecclesia ordinatis.

4 Assertio II. Materia proxima sacramentum Confirmationis est vnctio chrismatis in fronte, facta manu Episcopi, in crucis figuram. Est communis doctrina, quæ satis colligitur tum ex traditione, tum ex forma, qua Ecclesia vtitur in sacramenti huius administratione: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis* &c. Et S. Ambros. lib. 6. de sacram. c.2. *Vnxit te Deus, signauit te Christus: quo modo? quia crucis ipsius signatus es forma ad illius passionem, accepisti signaculum, ad illius similitudinem: vt ad ipsius formam resurgas: Ipsius viuas figura, qui peccato crucifixus est.* Atque hac ipsa cæremonia, videlicet frontem vnguento, seu chrismate in crucis formam signando, sacramentum istud semper conferri solitum, indicant Patres, S. Dionysius cit. c.2. p. 2. Tertull. lib. de præscript. c.40. Quare S. Cyprian. in epist. ad Iubaianum, *signaculum dominicum* appellat. Et Cornelius Papa apud Eusebium lib. 6. cap.3. *Nec reliqua consecutus est* (Nouatus) *quæ iuxta Ecclesiæ canonem consequi debebat: obsignationem videlicet ab Episcopo.* Atque idem Euseb. lib. 5. c.23. *eximium phylacterium, obsignationem Domini* appellat. Et Prudentius poëta in Psychiomachia: *Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ Vnguentum regale datum est, & chrisma perenne.* Cyrillus catech. 4. mystagog. *Impinguauit tuum caput in fronte, per signaculum Dei.* Gregor. Turonensis lib. 2. de gestis Francorum, c.31. *Rex* (Clodoueus) *baptisatus est in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, delibutúsque sacro chrismate, cum signaculo crucis Christi.* Adde S. August. psalm. 141. super illud, *In via hac, qua ambulabam*, vbi ita scribit: *Vsque adeò de cruce non erubesco, vt non in occulto loco habeam crucem Christi: sed in fronte portem. Multa sacramenta aliter, atque aliter accipimus: quædam sicut nostis, ore accipimus: quædam per totum corpus accipimus. Quia verò in fronte erubescitur ille, qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo in cœlis, ipsam ignominiam quodammodo, & quam Pagani irrident* (crucem videlicet) *in loco pudoris nostri constituit.* Et Florent. Concil. in decreto Eugenij: *Ideo in fronte, vbi verecundiæ sedes est confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat: & præcipuè crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo crucis signatur.* Videri etiam potest Innoc. I. & Greg. I. relati in c. Presbyteris, & seqq. dist.4. de consecr. Rabanus de institut. Clericorum, lib.1. c.30. Innoc. III. in c. vn. de sacra vnctione, Alensis in p. 4. q. 24. mem. 2. art. 2. §. 2. & q. 28. mem. 6.

Sed dubitantur. Vtrum Apostoli in Confirmatione fidelium chrismate vsi sint? Duæ sunt responsiones probabiles; Prima, quam indicat S. Th. q.72. a.2. ad 1. & a.4. ad 1. & docet expressè Alensis in cit. mem. 2. a.2. §. 1. In Ecclesia primitiua, Apostolos, qui Spiritu sancto in die Pentecostes extraordinario modo confirmati erant, eundem Confirmationis effectum, specie ignis visibilis descendentem, reliquis fidelibus priuilegio communicasse, per solam manuum impositionem; quia is modus facilior, maioremque dignitatem, ac potestatem præ se ferens, tempori illi magis accommodatus erat: postea verò, cessantibus signis, & visibili donorum Spiritus sancti communicatione, cœpisse Apostolos sacramentum Cōfirmationis per chrismatis vnctionem conferre, sicuti à Christo institutum, ipsisque traditum fuit, vt perpetua cæremonia in Ecclesia esset.

Altera est responsio Thomæ Waldensis de sacramen. c. 113. Paludani in 4. distinct.7. q.1. a.3. concl. 3. Bellarmini lib. 2. cap. 9. Coninck cit. a.3. dub.2. Apostolos semper confirmasse per chrismatis vnctionem; & hanc ipsam vocari manus impositionem: qui enim frontem police inungit, ac signat, is vtique manum imponit. Quamobrem Patres, qui interdum aiunt, hoc sacramentum manus impositione dari mox dicunt, dari per vnctionem chrismatis; interdum verò sacrum signaculum, & consignationem Domini appellant; rem eandem diuersis vocibus appellantes: Imò explicantes verba Lucæ, Act. 8. fatentur, Apostolos, cùm super baptisatis manus imponerent, idem fecisse, quod postea in Ecclesia Catholica retentum, & obseruatum fuerat: tunc autem mos erat confirmandi baptisatos per chrismatis vnctionem, factam manu Episcopi: Ergo idem etiam modus ab Apostolis in primitiua Ecclesia vsurpatus fuit. Atque hæc sententia mihi valde placet, quam etiam approbasse videtur Innoc. III. in c. vn. de sacra vnct. *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio.* 5

Dubitatur secundò; Vtrum ad essentiam huius sacramenti pertineat, vt vnctio fiat manu Episcopi in fronte, & in crucis figuram? Responsio est affirmatiua, hæc tria esse de necessitate sacramenti. Ita ex communi Suarez disp.33. sect. 3 Coninck a.3. dub.1. num. 50. Probatur ex traditione, & consensu Patrum, qui hoc sacramentum modò impositionem manus appellant; modò signaculum Domini, quod in fronte gerimus: ad significandum constantiam in profitenda Fide Christi, sicuti suprà ex Ambrosio lib.6. de sacram. c.2. audiuimus. Illud verò admonet Suarez in fine s.3. Etsi ex præcepti Ecclesiastici necessitate vnctio fieri debeat pollice manus dextræ, intincto in chrismate; tamen id requisitum non videri de necessitate sacramenti; sed validam fore Confirmationem, adhibito alio digito, etiam sinistræ manus: quia verè fieret per impositionem manus Episcopalis, quamuis contra vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem.

CAP. III.

De forma huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Forma huius sacramenti est: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, &c.*

2 *Probabile est, valiturum sacramentum, si ita conferatur; Signo te chrismate salutis, in nomine Patris &c. vel ita; Confirmo te in nomine Patris, &c.*

3 *Antiqui Patres formas sacramentorum infidelibus prodi cauebant.*

1 FORMA sacramenti hæc est: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Ita S. Thom. a. 4. Concil. Florent. in decreto Eugenij, & constat ex vsu, ac traditione Ecclesiæ. Tria enim, inquit S. Th. sunt necessaria in hoc sacramento, quæ per formam signari debent: I. est, Causa principalis, efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sancta Trinitas. Et necesse est, SS. Trinitatem expresse inuocare, sicuti de Baptismo dictum fuit: quia in vtroque sacramento initiandus profiteri debet primum ac præcipuum mysterium Fidei Christianæ, quam in Baptismo suscipit credendam, in Confirmatione etiam tenendam, & palàm profitendam.

II. est, Finis, seu effectus gratiæ salutaris, quæ ad spirituale robur animæ, per visibilem vnctionem in hoc sacramento confertur, atque ijs verbis exprimitur; *Confirmo te chrismate salutis.*

III. est, Spirituale signum siue character, qui Christiano militi imprimitur; sicuti etiam in corporali pugna milites Ducis sui insignibus ornari solent: atque ijs verbis indicatur: *Signo te signo crucis.* Quare sicuti suprà de materia huius sacramenti dictum est, ad essentiam eius pertinere; vt vnctio fiat in fronte per crucis figuram: ita nunc dicendum de forma, necessariò in ea significandam esse & vnctionem, & consignationem: quandoquidem verba debent esse constitutiua & determinatiua materiæ ad significationem sacramentalem.

Ex quo sanè manifestum fit, formulam verborum, quâ Ecclesia vtitur, conuenientissimam esse; cùm in ea vtrumq; exprimatur, videlicet quòd homo in hoc sacramento instar athletæ exteriùs chrismate, interius Spiritus sancti robore vngatur: Insuper & cruce exteriùs, & inuisibili charactere interiùs, tanquam signo Christi militari signetur. Ad quod etiam Apostolus 2. ad Corinth. 1. allusisse videtur: *Qui confirmat nos vobiscum in Christo: & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Ita enim hunc locum explicant Anselmus, Liranus, & alij: atque indicat S. Ambros. de ijs qui misterijs initiantur, c. 7. & S. August. lib. 15. de Trinit. c. 16.

2 Cæterùm non satis constat, vtrum ad essentiam formæ requiratur, vt vtraque actio & vngendi, & cruce signandi expresse explicetur: an verò sufficiat implicitè & virtualiter: v. g. *Signo te chrismate salutis, in nomine Patris* &c. vel, *Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nam in priore forma verbum *signo* per adiunctam Ministri actionem satis determinari videtur ad significandum signaculum crucis: & in posteriore forma verbum *confirmo*, adiuncta actione Ministri, frontem signantis, determinari videtur ad significandam confirmationem, quæ fit per chrisma, seu vnctionẽ formatam crucis figura. Cui rei argumento esse etiam potest, quòd in libro qui inscribitur *Ordo Romanus*, in officio Sabbathi sancti, legimus: *Vt Pontifex, eleuata & imposita manu super capita omnium* (infantium baptisatorum) *det orationem super eos, cum inuocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti*: Atque in fine orationis dicitur ad Deum, *Consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus, æternam, Amen.* Oratione expletâ, *interrogantibus Diaconibus nomina singulorum; Pontifex tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo: Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* De qua quæstione, quam dubiam esse dixi, videri potest Bellarm. lib. 2. c. 10. Suarez disp. 33. s. 5. Henriq. lib. 3. c. 2. n. 5.

Illud porrò monent Bellarminus, & alij, mirum non esse, quòd apud Patres tum huius, tum aliorum ferè sacramentorum formas expresse non legamus: quia nolebant illi nostræ Religionis mysteria infidelibus prodere. Quare Innoc. I. epist. 1. ad Decentium de Confirmatione scripsit; *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Idémque antea dixerunt S. Dionysius c. 7. p. 3. de Ecclesi. hierarchia, Cyrillus, & Ambrosius, quos citaui tr. præced. c. vlt. Vide S. Thom. q. 72. art. 4. ad 1. 3

CAP. IV.

De effectibus huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Effectus sacramenti Confirmationis est augmentum gratiæ sanctificantis; insuper actualis gratiæ auxilium, ad Fidem Christi constanter profitendam.*

2 *Conuenit, vt adulti antè susceptionem Confirmationis sacramentaliter confiteantur.*

3 *Manus impositio confirmatoria, & ordinatoria repeti non possunt; aliæ verò manuum impositiones repeti possunt.*

EFFECTVS huius sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis: insuper actualis gratiæ auxilium ac robur, tempore opportuno conferendum, ad Christi Fidẽ constanter profitendam. Ita S. Th. q. 72. a. 1. & 7. Nam sicuti *Præter motum generationis, quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad ætatem perfectam; sic etiam vitam spiritualem homo accipit per Baptismum, qui est spiritualis generatio: in Confirmatione autem homo accipit quasi quandam perfectam ætatem vitæ spiritualis. Vnde Melchiades Papa: Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Ita S. Th. cit. a. 1. Et similia habet S. Cyprianus lib. 2. epist. 1. & Pacianus in lib. de Baptismo, quæ loca suprà citaui cap. 1. n. 2. 1

Corrollarium. Cùm sacramentum Confirmationis ex propria institutione, augmentum gratiæ conferat, necessarium est, per se loquendo, vt suscipiens iam antè in Dei gratia cõstitutus sit, seu spiritualiter viuat: siquidem augmentum supponit vitam. Etsi autem præceptum nullum extet, vt ante Confirmationem (sicuti & aliorum similium sacramentorum, excepta Eucharistia) præmittatur Confessio sacramẽtalis: quia sufficit contritio ei, qui peccati mortalis conscius sibi est: longè tamen tutius, ideóq; consultius est sacramentaliter priùs confiteri.

Quamobrem Episcopi confirmandos, itémque ordinandos ad id exhortari debent: iuxta c. vt ieiuni, d. 5. de consecr. & notat S. Thom. art. 7. ad 2. vel etiam præcipere, si particularium Ecclesiarum consuetudo ita exigat. Addit ibidem S. Thom. fieri posse, vt quis primam gratiam, ac peccatorum remissionem consequatur in sacramento Confirmationis, si suscipiens in peccato mortali vel eius conscientiam non habeat, sed inculpatam obliuionem; vel bona fide existimet se contritum esse, cùm tantùm attritus existat. Vide quæ dixi hoc lib. tr. 1. c. 6. n. 2.

Alius sacramẽti huius effectus est character indelebilis, de quo satis dictum fuit eod. tract. 1. cap. 7. Solùm hoc loco obijci potest dictum S. August. lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, relatum in c. manus, 1. quæst. 1. *Manus autem impositio* (quo nomine Confirmationis sacramentum intelligi solet) *non sicut Baptismus repeti non potest: quid enim est aliud, quàm oratio super hominem?* Respondeo; Quòd sacramentum Confirmationis, ex Augustini
2 sententia, repeti non possit, satis colligitur tum ex dicto cap. 16. tum ex lib. 2. contra literas Petiliani, c. 104. quibus locis ait, distinguendum esse inter sacramentum, & gratiam sacramenti: illud enim etiam in hominibus pessimis reperiri; gratiam autem, seu internam sancti Spiritus vnctionem propriam bonorum esse. Et in epist. S. Ioan. tract. 6. *Si vis nosse, vtrum acceperis Spiritum* (*qui per manus impositionem nunc datur, sicuti olim etiam Apostoli dabant*) *interroga cor tuum, ne fortè cum sacramentum habes, virtutem sacramenti non habeas.* Quare dicendum est cum Glos. marginali in cit. c. manus, & Hincmaro Rhemensi Episcopo apud Franc. Turrianum in explanat. Clementis Romani lib. 8. Constitut. Apostolic. c. 19. Quòd non vna tantùm, sed variæ manuum impositiones sint: videlicet *confirmatoria, & ordinatoria*, quæ repeti non possunt: item *consecratoria, curatoria*, quæ repeti possunt: similiter
3 *& reconciliatoria* seu priuata, seu publica pœnitentia. Vbi aduertere licet, in Occidente olim moris fuisse, vt reuersis ab hæresi, ac verè pœnitentibus, si in nomine SS. Trinitatis baptisati essent, manus tantùm imponerentur, sine vnctione sacramentali, vti testatur Gregor. I. lib. 9. indict. 4. epist. 61. ad Quirinum, Innoc. I. epist. 2. ad Victricium, cap. 8. Et de hac manus impositione intelligendus videtur S. August. cùm ait, non esse aliud, quàm orationem super hominem, per quam Spiritus sanctus precatoriè aduocatur, sicuti apertiùs colligitur ex eodem S. August. lib. 5. de Baptismo, cap. 23. Innoc. & Gregorio locis citat. & Gennadio de Eccles. dogmat. cap. 52. & præter alios docet Bellar. lib. 2. cap. 7. ad 1. argument. Pet. Sotus lect. 1. de Confirmat. in fine. Quamuis Gregor. de Valentia disp. 5. quæst. 1. p. 1. existimet, Augustinum loqui de impositione manuum, quæ ante sacramentum Confirmationis fieri solet per orationes, quibus petitur Spiritus sanctus, vti etiam in ordine Romano videri licet: talis enim impositio manuum, secundùm se spectata etiam ad alios fines adhiberi, ideóque repeti posset.

CAP. V.

De subiecto, siue suscipiente huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Subiectum capax huius sacramenti est omnis, & solus homo baptisatus.*
2 *In plerisque Ecclesijs infantes ante rationis vsum confirmari non solent.*
3 *Qui perpetuò amentes sunt, & infantes in mortis articulo vtiliter, ac rectè confirmari possunt.*
4 *Hodie non extat præceptum obligans sub peccato ad suscipiendum Confirmationis sacramentum, secluso contemptu.*

1 SVBIECTVM capax sacramenti Confirmationis est omnis, & solus homo baptisatus. Ita docet Magister in 4. distinct. 7. S. Th. quæst. 72. a. 8. & colligitur ex cap. 2. Act. vbi dicitur, quòd *Spiritus sanctus repleuit totam domum, in qua erant,* Apostoli, *sedentes*; & postea subditur, quòd *repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Per domum autem illam Ecclesia Christi significatur: repletio verò Spiritus sancti nunc per Confirmationis sacramentum confertur. Ratio congruentiæ est: Quia sicut natura, quos generauit, ad perfectum adducere conatur; ita etiam Deus, & ministerialiter Ecclesia, quos spiritualiter generauit per Baptismum, ad statum perfectiorem gratiæ adducit per Confirmationis sacramentum. Consentit his c. 1. dist. 5. de consec. ex Vrbano Papa.

PRIMA QVÆSTIO. An conueniens sit, vt hoc sacramentum etiam infantibus ministretur? Respondeo: Olim quidem in more positum fuit, vt infantibus quoque, statim post Baptismum, Confirmationis sacramentum cõferretur, sicuti suprà dixi, & testantur Tertull. lib. de Baptismo, c. 7. & 8. Rabanus lib. 1. instit. Clericorum, c. 30. Alcuinus de Ecclesiast. offic. c. De Sabbatho sancto. Waldensis lib. de sacrament. c. 111. Petrus Sotus lect. 2. de Confirmat. Dominicus Sotus in 4. d. 7. q. vn. a. 8. Baron. 2
in Annum Christi 371. Verùm nunc in plerisque Ecclesijs consuetudo est, vt infantes, antequam ad rationis vsum perueniãt, quod fermè in septimo ætatis anno contingit, non confirmentur; partim vt sacramentum maiore cum reuerentia & vtilitate suscipiatur, vtpote concurrente actuali fide, & reliqua dispositione suscipientis; partim vt absit periculum repetendi, si ipse qui suscipit, recordari deinde non possit, se confirmatum fuisse.

Adde, in prima Ecclesia Baptismum, extra mortis periculum, bis tantùm in anno Paschate & Pentecoste, conferri solitum fuisse, tum paruulis, tum adultis, sicuti constat ex congestis à Gratiano, c. non ratione, & seqq. d. 4. de consecrat. quibus etiam tẽporibus Episcopi adesse poterant, & solebant ad baptisatos mox confirmandos: postea verò, Ecclesiâ auctâ, cùm Baptismus omnibus anni temporibus ministrari cœpit, introducta est consuetudo, vt infantes non statim post Baptismum, sed commodiore pòst tempore, cùm rationis vsum assecuti sunt, confirmarentur.

Sufficit autem ætatis septennium, ad hoc sacramentum conuenienter suscipiendum, sicuti & ad primam tonsuram, ait Glos. in c. vlt. de tempor. ordinat. in 6. Palud. in 4. d. 7. q. 4. a. 2. concl. 2. Imò interdum etiam ante dictã ætatem sacramentum hoc congruè suscipi potest: I. Si manifestum sit, puerum ante ætatis septennium, vsu rationis præditũ esse. II. Si modò non confirmatus, diu non habiturus sit occasionem sacramenti accipiendi. III. Si puer in periculo mortis existens, oportunè istud sacramentum consequi possit. IV. Si diœcesis consuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur. Qua ratione testatur Viualdus in candelabro, cap. de suscipiente, in Hispania infantes duorum, vel trium annorum confirmari, eorúmq; nomina in libro cõsignari. Et Gabr. in 4. dist. 7. q. vn. a. 3. dub. 7. ait, opus non esse, vt infantes habeant memoriam acceptæ Confirmationis plùs, quàm Baptismi: sufficit, quòd, cùm adoleuerint, ex relatione patrinorum, vel aliorum, se sciant confirmatos esse; ad cauendam iterationem sacramenti.

E contrario verò non expedit post septennium, vel si puer rationis vsum assecutus putetur, sacramentum diutius differri, quia digniùs suscipitur ab innocente, seu gratiam baptismalem illæsam adhuc seruante: ipsúmque etiam sacramentum remedij loco est, vt homo à grauioribus lapsibus custodiatur. Qua de re Alensis p. 4. q. 28. mem. 5. a. 1. Sotus cit. a. 8. Suarez disp. 35. s. 2. Henriq. lib. 3. c. 5. n. 2.

QVÆSTIO SECVNDA. An conueniens sit, vt hoc sacramentum amentibus ministretur? Respondeo & dico I. Qui vsum rationis semel assecutus, postea in amentiam incidit, confirmari debet. Ita Sotus & Suarez ll. cc. Henriq. cit. cap. 5. n. 3. Coninck num. 83. & alij communiter. Quia adest interpretatiua hominis voluntas, suscipiendi tempore opportuno sacramenta, ad animarum salutem à Christo instituta. Excipe primò, Nisi constet, aliquem mortali peccato obnoxium, in amentiam incidisse. Secundò, Si spes sit, vsum rationis recuperandum 3

perandum esse, tantisper expectandum erit.

Dico II. Nihil obstare videtur, quominus etiam ijs, qui perpetuo amentes sunt, Confirmationis sacramentum ministrandum sit. Ita docet Suarez cit. sect. 2. ver. dicendum, Henriquez cit. c. 5. num. 3. Zambranus de Confirm. dub. 5. n. 3. Coninck cit. a. 8. num. 83. contra Sotum dist. 7. quæst. vn. a. 8. Valent. t. 4. disp. 5. quæst. 2. p. 2. Sa ver. Confirmatio, num 5. Ratio est; Quia eiusmodi amentes cum spirituali fructu, & sine irreuerentia sacramentum Confirmationis suscipiunt, sicuti & Baptismum neque dubium est, quin olim tum infantibus, tum perpetuò amentibus, vtrumque sacramentũ ministratũ fuerit. Nunc verò infantibus conferri non solet; quia exspectatur tempus, quo vtiliùs percipere possint: quæ ratio cessat in perpetuò amentibus. Quare Episcopi, inquit Suarez, tales amentes confirmare deberent: si autem illi contrariam sententiam, secundùm diœcesis suæ consuetudinem secuti, amentes confirmare non soleant: excusantur haud dubiè horum parentes, vel tutores, si eos non adducant.

Qvæstio Tertia est de infantibus, qui in mortis periculo constituti sunt? Respondeo cum S. Thom. a. 8. ad. 4. S. Bonau. cit. dist. 7. art. 3. quæst. 1. Alensi p. 4. quæst. 28. mem. 2. art. 1. Morituros, etiam pueros, seu infantes, rectissimè confirmari, cùm sint capaces & digni: ac nisi confirmentur, detrimentum spiritualis perfectionis patiantur. Neque obstat, quòd nunquam spiritualiter militaturi sint: id enim per accidẽs est, atque sine actuali pugna ad præmium & gloriam cœlestem peruenire possunt, secundùm proportionem gratiæ illis à Deo in hac vita collatæ. Addendum autem hîc est, quod in simili dixit Innoc. 1. epist. 1. ad Decentium: *Episcopi, occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt: cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere, & tangere chrismate, sine cunctatione potest.*

4 Qvæstio Qvarta. Vtrum extet aliquod præceptum, suscipiendi sacramentum Confirmationis? Respondeo. Diuinum præceptum nullum extat: eò quòd sacramentum istud ad salutem necessarium non sit, sicuti notauit S. Thom. quæst. 72. a. 8. ad 4. Sed neque Ecclesiasticum hodie præceptum extare, testantur Sotus cit. a. 8. Victoria de confirmat. num. 47. Couar. 1. resol. c. 10. n. 5. Abb. Panorm. in c. quanto, n. 4. de consuet. Adrian. in 4. de Confirmat. a. 1. §. etsi argumenta, Henriq. lib. 3. c. 1. n. 6. Zambr. de Confirm. dub. 4. Nau. cap. 22. num. 9. Valentia t. 4. disp. 5. quæst. 2. p. 3. Suarez disp. 38. s. 1. Coninck cit. a. 8. dub. vn. n. 88. Qui tres posteriores addunt, nullum etiam præceptum propriè extare, sed solùm admonitionem eius, quod congruè fieri debeat, in Trident. sess. 23. cap. 4. de reformat. Vt prima tonsura, ipsique ordines non conferantur, nisi antè confirmatis. Est tamen haud dubiè peccatum, saltem veniale, & quidem satis graue (inquit Zambr. de Confirmat. dub. 3. n. 4.) sine causa aliquem ordinare, qui confirmatus non est: cùm Ecclesiarum consuetudo repugnet.

Monet verò S. Thom. cit. a. 4. esse peccatum mortale, si quis sacramentum Cõfirmationis non recipiat propter contemptum, seu quia istud parui æstimet. Aliqui verò, vt Richar. d. 7. a. 5. q. 1. Gabr. q. vn. a. 3. dub. 3. Syluest. ver. Confirmatio, n. 3. Tolet. lib. 2. cap. 24. in fine, aiunt, etiam notabilem negligentiam contemptum censeri: vt si quis data opportunitate consequendi sacramenti: qualem postea non facilè habiturus sit, suscipere intermittat. Sed id verum non est: quia multa animæ salubria facere intermittimus ex corpore quodam; vel quia cogitamus, absolutè ad salutem nobis necessaria non esse; quę tamen haud contemnimus. Verùm per accidens, v.g. ratione scandali, nemo dubitat per eiusmodi omissionẽ, peccatum mortale incurri posse. Videri potest S. Bonau. dist. 7. a. 3. q. 2. Alensis in p. 4. q. 25. mem. 2.

Dixi autem *hodie* nullum extare præceptum Ecclesiæ; Nam olim, cùm statim post Baptismum conferri soleret Confirmationis sacramentum, fuisse præceptum illud suscipiendi, non obscurè colligitur ex dictis Patrum, & antiquorum Conciliorum, vt Eliberini c. 38. Laodicen. c. 48. quod etiam notauit Petr. Sotus lect. 2. de Confirmat. in fine. Et Paludan. in 4. distinct. 7. q. 1. a. 1. concl. 2. ob hanc causam dixit, haberi Ecclesiasticum præceptũ de Confirmatione accipienda. Hodie verò, cùm Episcopi sacramentum istud alicubi ministrare volunt, admonetur populus, non tamen præcepto strictè imposito, vt qui confirmati non sunt, ad confirmandum accedant, vel adducantur. Videri potest catechis. Rom. p. 2. de Confirmat. n. 13.

CAP. VI.

De Ministro huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Minister ordinarius sacramenti huius solus Episcopus est: quamuis Papa, ex plenitudine potestatis suæ, simplici Sacerdoti committere possit.*

2 *Ad legitimam huius sacramenti ministrationem iurisdictio etiam requiritur.*

3 *Episcopus grauiter peccat, si longo tempore Confirmationis sacramentum ministrare intermittat.*

Assertio I. Minister ordinarius huius sacramenti solus Episcopus est. Ita colligitur ex cap. 8. & 19. Act. Apostol. & traditur in Concil. Florentino in decreto Eugenij, Senonensi de decret. morum, c. 38. t. 4. Concilior. & à S. Cypriano epist. ad Iubaianum, Hieron. in dialog. aduersus Luciferianũ, Paciano lib. de Baptis. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, Damaso Papa epist. 4. Innocent. I. cit. epist. 8. ad Decentium, c. 3. Leone 1. epist. 86. ad Episcop. Germaniæ & Galliæ, Gregor. 1. lib. 3. indict. 12. epist. 12. ad Ianuar. vbi admonet, quòd Presbyteri baptisatos prima tantùm vice in pectore signare debent: quia altera signatio in frõte ad Episcopos spectat. Quod etiam tradit Gelasius Papa relatus in cap. Presbyteros, d. 95. & Scholastici in 4. distinct. 7. vbi S. Bonau. a. 1. q. 3. Richar. q. 3. n. 4. Alens. cit. q. 28. mem. 1. a. 2. Rationem adfert S. Thom. q. 72. a. 11. *In quolibet opere vltima consummatio supremæ arti, aut virtuti reseruatur: Fideles autem Christi sunt quoddam diuinum opus, secundùm illud 1. Corinth. 3. Dei ædificatio estis: sunt etiam quasi quædam epistola Spiritu Dei scripta, 2. Corinth. 3. Hoc autem Confirmationis sacramentum est quasi vltima consummatio Baptismi: quia per Baptismum homo ædificatur in domum spiritualem, & conscribitur quasi quædam spiritualis epistola: sed per sacramentum Confirmationis, quasi domus ædificata dedicatur in templum Spiritus sancti; & quasi epistola conscripta crucis signo signatur, & ideo collatio huius sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent supremam in Ecclesia potestatatem.* 1

Assertio II. Ex commissione Summi Pontificis simplex Sacerdos sacramentum Confirmationis ministrare potest. Ita contra Durandum in 4. d. 7. quæst. 4. Adrian. in 4. vbi de confirmat. a. 3. ver. tam videndum, Maiorem in 4. d. 7. quæst. vn. quibus adhærere videtur Gabr. d. 7. quæst. vn. a. 2. in fine; docent S. Thom. cit. a. 11. Alensis p. 4. quæst. 28. mem. 1. a. 1. §. 3. Richar. in 4. distinct. 7. art. 2. quæst. 1. Palud. ibid. quæst. 4. art. 3. concl. 2. & d. 25. quæst. 1. art. 3. S. Anton. p. 3. tit. 14. cap. 14. §. 6. Victoria de Confirmat. num. 49. Nauarrus cap. 22. num. 8. Viualdus de ministro Confirmat. num. 14. Henriquez lib. 3. cap. 6. num. 4. in comment. Suarez disput. 36. sect. 2. Sumitur en Concilio Florent. in decreto Eugenij: *Legitur aliquando, per*

Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum. Idem habet Concil. Senonense cit. c. 37. Fuit autem is, qui talem potestatem Presbyteris concesserat, Gregor. I. lib. 3. epist. 26. indict. 12. relatus in c. peruenit, d. 95.

His addendum; Tametsi causa, eáque grauis requiratur ad hanc concessionem, vt licita sit; non tamen vt valida, sicuti ex probabiliore docet Henriquez lib. 3. c. 6. num. 4. Suarez disp. 26. sect. 2. Coninck cit. a. 11. dub. vn. num. 110. Quia non est propriè dispensatio in lege Christi, sed potiùs commissio potestatis, secundùm Christi institutionem. Voluit enim Christus (sicuti ex vsu, & traditione Ecclesiæ accepimus, inquit Suarez) vt Minister huius sacramenti ordinarius, & ex officio esset Episcopus; extraordinariè autem esse posset simplex Sacerdos, ex cõmissione summi Ecclesiæ Pastoris. Quamobrem talem commissionem facere posset Papa electus, licet nondum Sacerdos, aut Episcopus consecratus, cùm sit actus iurisdictioni, non ordini episcopali competens; licet contrarium senserit Palud. distinct. q. 4. art. 3. in fine.

2 Assertio III. Ad sacramentum Confirmationis licitè conferendum iurisdictio etiam requiritur; ideóque Episcopus alios confirmare non debet, quàm qui spiritualiter ipsi subditi sunt. Excipe: Nisi habeatur licentia, saltem rationabiliter præsumpta, proprij Ordinarij; vt si quis cum literis dimissorijs ordinandus veniat, qui confirmatus nondum est, ante ordinationem confirmari posse, notauit Henriquez cit. cap. 6. num. 6. Zambran. de Confirmat. dub. 2. num. 3. Nam concesso vno, censentur etiam concessa reliqua, sine quibus ad illud conuenienter perueniri non potest: Atqui ad primam tonsuram, ipsósque ordines admitti non debent, qui confirmati non sunt, vt suprà dictum: Ergo &c. Præterea, si confirmante Episcopo in propria diœcesi, accurrant etiam accolæ ex aliena; licitè confirmari possunt, ob præsumptionem, gratum id fore Episcopo, ad cuius diœcesin illi pertinent; præsertim si id consuetudine receptum sit; quod etiam Henriquez notauit cit. c. 6. num. 6.

3 Assertio IV. Mortaliter peccat Episcopus si longo tempore sacramentum Confirmationis per se, vel Suffraganeum suum, ministrare intermittat. Ita ex communi Angelus ver. Confirmationis sacramentum, §. 1. Syluest. num. 2. Sa num. 12. Suarez disput. 38. sect. 2. Quia magno spirituali fructu priuat subditos suos, quorum tamen pascendorum cura ipsi ex officio incumbit.

CAP. VII.

De Cæremonijs huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Patrinus in Confirmatione alius esse debet à patrino Baptismi.*

2 *Vitta qua frons hominis confirmati ligata erat, ad profanum deinde vsum adhiberi non debet.*

AD cæremonias pertinet primò; Quòd Chrisma priùs ab Episcopo benedici debet, vt suprà dictum cap. 2. & docet S. Thom. a. 12. Secundò adesse debet patrinus, sicuti constat ex c. si quis filiastrum, c. de his, 30. quæst. 1. & quæst. 4. cap. si quis ex vno, idque ex necessitate præcepti, obligantis sub culpa mortali, sicuti ex communi docet Nau. c. 22. num. 9. Zambranus dub. 6. num. 2. Et debet is esse diuersus à patrino Baptismi, nisi necessitas aliud postulet, iuxta c. in catechismo, d. 4. de consecrat. & notauit Zambr. num. 1. Henriquez c. 3. num. 3. vbi ait; à patrino Confirmationis instruendi obligationem non contrahi: cum id iure statutum non reperiatur, sicuti de patrino Baptismi. Tertiò recitantur orationes, cum manus impositione super caput, ait Henriquez cit. cap. 3. num. 1. Quartò, Fons chrismate vncta vittâ ligatur, quæ circumferri debet, & non antè ablutio fieri, quàm vnctio siccata sit: quamuis in ea re cuiusque loci consuetudinem seruandam esse, monet Suarez disput. 37. sect. 2. Henriq. cap. 3. n. 1. Coninck a. 12. n. 115. Sa ver. Confirmatio, n. 17. Nam alicubi mos est, vt mox post collatum sacramentum, frons abluatur à Ministris in fonte baptismatis: si autem id non fiat, circumferri solet vita quibusdam locis duntaxat tribus diebus, quibusdam verò septem; idque iuxta veterem traditionem, apud Amalarium lib. 1. c. 40. Postquam verò frons lota, & vitta deposita est, ea comburi solet; & aliquibus locis in profluentem mitti. Quamuis nihil obesse videtur, si diligenter lota in sacrario, vel alio honnesto loco asseruata, deinde ad similem sacrum vsum adhibeatur. Ad profanos tamen vsus applicari non debet; cùm per sacri chrismatis contactum quodammodo sacrata sit. Quintò, Episcopus confirmato leuem alapam infligit; vt significetur, Christianum militem paratum esse oportere, ad iniurias pro Christi nomine perferendas: atque etiam ex eo memoria ipsi imprimatur acceptæ Confirmationis. Sextò, Adhiberi solet cereus, quamuis de eo in Pontificali nulla mentio fit. Septimò, in c. vt ieiuni, & c. vt Episcopi, d. 5. de consecr. monentur Episcopi, vt ieiuni hoc sacramentum ministrent, & non nisi ieiunis. Ex rationabili tamen causa aliud fieri posse, notant DD. communiter: quare hodie, cùm populus numerosus sit, qui confirmari debet, plerumque Confirmationis sacrameutum post prandium conferri solet, sicuti notauit Suarez cit. sect. 2. Henriq. cit. cap. 3. num. 1. in comment. lit. d. Denique in Pontificali monentur confirmati, vt ante vltimam benedictionem episcopalem è loco non discedant: quæ tamen admonitio intermitti debet, si tantus populus confluat, vt alij alijs succedere debeant. Profectò necessarium esse videtur, si Episcopus ad confirmandos fideles longo tempore non accesserit, vt modus aliquis ineatur succurrendi, ne ob tantum concursum homines deliquia patiantur, infantes comprimantur &c.

TRACTATVS QVARTVS, DE VENERABILI SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

CAP. I.

De natura huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia est propriè sacramentum, ad cuius constitutionem pertinent tum species sensibiles, tum corpus, & sanguis Christi, quæ sub speciebus continentur, tanquam spirituale nutrimentum animæ.*

2 *Tansmutationis seu conuersionis panis, ac vini in verum corpus, & sanguinem Christi, frequens est mentio apud SS. Patres.*

3 *Eucharistia sacramentum omnium excellentissimum est.*

4 *Materia, & forma aliter se habent in hoc sacramento, ac in alijs, quæ successiuum esse habent.*

5 *Eucharistia sub speciebus panis, ac vini est vnicum, integrum, ac perfectum sacramentum: idque varijs rationibus.*

6 *Eucharistia sacramentum varijs nominibus appellari solet.*

1 EVCHARISTIA definitur: *Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, ad spiritualem animarum refectionem diuinitus institutum.* Secūdùm quam definitionem est Assertio I. Eucharistia est propriè dictum nouæ legis sacramentum. Constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & definitur in Concilio Lateran. cap. firmiter, in c. cùm Marthæ, de celebr. Missarum, & in Trident. sess. 13. & sess. 21. Nam sacramentum est sensibile signum rei sacræ, ad hominem sanctificandum diuinitus institutum: huiusmodi autem est S. Eucharistia: siquidem species siue accidentia panis, ac vini significant sacratissimum Christi corpus & sanguinem, quę sub ipsis continentur, tanquam spirituale animæ nutrimentum, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus.*

Assertio II. Ad intrinsecam constitutionem huius sacramenti pertinent tum species Eucharisticæ, tanquam sensibile signū refectionis spiritualis: tum etiam quòd sub ijs continetur corpus & sanguis Christi, tāquam spirituale animarum nutrimentum. Ita Caiet. 3. p. q. 75. a. 1. Bellarm. lib. 4. de Eucharist. c. 6. Suarez 3. p. to. 3. disp. 42. s. 3. Ægid. Coninck. 3. p. q. 73. a. 1. n. 20. Eandémque doctrinam tradidit S. Irenæus lib. 4. contra hæreses, cap. 34. *Qui est à terra panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est: sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti.* Et S. Thom. in 4. d. 8. q. 1. a. 1. *Ex speciebus & corpore Christi fit vnum sacramentum.* Idque probatur: Nisi enim species, siue accidentia ad constitutionem S. Eucharistiæ pertineant, non erit signum per se sensibile, ideóque nec sacramentum. Deinde nisi corpus & sanguis Christi ad sacramenti huius intrinsecam constitutionem spectent, non habebit hoc sacramentum verā rationem spiritualis refectionis, atque conuiuij; nam *caro mea,* inquit Christus Io. 6. *verè est cibus:* neque adorari poterit cultu latriæ, quo solus Deus colitur: cùm tamen Trident. Concil. sess. 13. c. 5. dicat *Nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Denique quod Patres, & Concilia frequenter dicunt, ex pane & vino per verba consecrationis cōfici hoc sacramentū; id verificari non potest de solis speciebus, vt patet; sed de corpore & sanguine Christi realiter contento sub speciebus. Siquidem transubstantiatio, in qua huius sacramenti confectio formaliter consistit, aliud non est, quàm conuersio panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi.

De ea testantur Patres antiqui, vt Iustinus apolog. 2. pro Christianis, prope finem, S. Irenæus lib. 5. aduersus hæres. cap. 2. 2 Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 4. *Panis iste panis est ante verba sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Et infrà: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant* (per creationem) *quantò magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur?* Similia habet c. 5. & in lib. de ijs qui mysterijs initiantur, c. 9.

Cyrillus Hierosol. catech. mystag. 4. *Aquam aliquando mutauit in vinum &c. & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in sanguinem transmutârit?* Et infrà: *Pro certissimo habeas, panem hunc, qui videtur à nobis; non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat: sed esse corpus Christi.*

S. Chrysost. hom. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis opera, quæ tunc in cœna confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perfecit. Ministrorum nos ordinem tenemus; qui verò hoc sanctificat, & transmutat, ipse est.*

S. Gregor. Nyssenus apud Euthym. in panoplia, tit. 21. ait; Quòd panis per verbum Dei, *Hoc est corpus meum, sanctificatur, & in corpus Christi mutatur.*

Auctor antiquus apud S. Cyprianum de cœna Domini: *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentia verbi factus est caro.*

S. August. serm. 28. de verbis Domini: *Dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Et lib. 20. contra Faustum, cap. 13. ait, quòd *panis & calix certa consecratione mysticus fit.*

Gaudentius tract. in Exod. *Dominus de pane (quia potest, & promisit) efficit proprium corpus.*

S. Damascenus lib. 4. Fidei orthodoxæ, c. 14. *Panis, ac vinum, & aqua per sancti spiritus inuocationem, & aduentum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.*

Theophyl. in cap. 26. Matth. *Non dixit Iesus, hoc est figura: sed hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis.* Qua igitur fronte hæretici nostri temporis dicere audent, PP. antiquos de transubstantiatione, seu conuersione panis in corpus Christi, & vini in sanguinem Christi, nihil sciuisse, aut docuisse? Vide Trident. sess. 13. cap. 3.

Obijcitur I. Ad rationem sacramenti requiritur, vt sit signum per se sensibile: Atqui corpus & sanguis Christi, quatenus in sacramento existunt, per sensibilia non sunt: Ergo non habent rationem sacramenti. Respondeo: ad totale quidem siue integrum sacramentum necessariò requiritur, vt signum sit per se sensibile; non tamen ad quamuis partem sacramenti constituentem: vti patet in contritione, quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ: attamen non per se, sed per peccatorum confessionem sensibilis fit: Sic etiam corpus & sanguis Christi

non per se sensibilia sunt: sed per alteram sacramenti partem, videlicet ratione specierum.

Obijcitur II. Concilia, & Doctores videntur loqui de corpore & sanguine Christi, tanquam re distincta à sacramento Eucharistiæ; v.g. Christum contineri in sacramento, vel sub sacramento: Item in Eucharistia (sicuti & in reliquis sacramentis) tria distinguenda esse; videlicet sacramentum tantùm, quæ sunt species Eucharisticæ; *sacramentum, & res simul*, quod est corpus & sanguis Christi; demum *rem tantùm*, quę est effectus gratiæ sanctificantis, animámque nutrientis, sicuti docent DD. cum Magistro in 4. dist. 8. & Innocen. Papa in c. cùm Marthæ, de celebr. Missarum. Respondeo: Corpus & sanguis Christi duplici habitudine considerari possunt: I. tanquam pars ad totum sacramentum: & sic dicitur *Christus*, vel *corpus & sanguis Christi contineri in hoc sacramento*; sicuti anima in homine continetur. Secundò considerari possunt tanquam pars contenta, & significata, ad partem continentem, & significantem: quomodo dicitur corpus Christi contineri sub sensibilibus speciebus: cuiusmodi loquendi modum vsurpat Trident. Synodus sess. 13. can. 3. Quapropter si alicubi legamus, species sensibiles nomine sacramenti appellari, id vel incompletè intelligendum est: sic enim Scholastici dicere solent, quòd species sunt *sacramentum tantùm*; quia tantùm significant: corpus autem Christi, *res & sacramentum simul*; quia & significatur per species, & significat interiorem animæ nutritionem. Vel intelligendum est cum connotatione, siue habitudine ad corpus & sanguinem Christi. Quemadmodum enim sacramentum Pœnitentiæ interdum appellamus *sacramentum Confessionis*, interim non excludentes contritionem, quæ sub humili confessione, tanquam sensibili signo, continetur. Ita etiam species Eucharisticæ interdum sacramentum appellantur, vt interim non excludatur corpus & sanguis Christi, quæ sub speciebus, tanquam sensibili signo, continentur.

3 Assertio III. Eucharistiæ sacramentum inter omnia excellentissimum, maximéque diuinum est. Constat ex dictis: Quia continet in se Christum viuum, Deum ac hominem verum. Ob hanc causam Synod. Trident. sess. 7. can. 3. de sacramen. in genere, anathemate damnauit eos, qui dixerint, *Sacramenta inter se paria esse, vt nulla ratione aliud sit alio dignius.* Et sess. 13. vocat hoc sacramentum *diuinum, præcelsum, sacrosanctum, admirabilè*. Nam reliqua sacramenta, sancta & diuina sunt habitudine extrinseca; quia consistunt in re, vel actione sensibili, eáque successiua, secundùm Christi institutionem, sanctificantem gratiam pariter significante, & efficiente: quare tunc primùm existunt, & sanctificandi vim habent, cùm qui ijs vtitur, ait Trident. cit. sess. 13. c. 3. Atverò hoc sacramentum, ante vsum seu sumptionem, consecratione verborum perficitur, & perfectum permanet, quamdiu species Eucharisticæ conseruantur: Neque ea tantùm ratione sanctum est, quia sensibiles species spiritualem animæ nutritionem, sanctificantionémque significant; sed alia insuper præstantiore, & propria sanctitate eminet; qui ipsemet fons & auctor sanctificantis gratiæ, atque spiritualis animarum cibus, Christus Dominus in hoc sacramento continetur. Quæ causa etiam est cur inter omnia sacramenta hoc vnicum cultu latrię adoretur, de qua adoratione testantur Origen. homil. 5. in diuersos Euang. locos, S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 12. S. Chrysost. homil. 24. in epist. 1. ad Corinth. & homil. 61. ad popul. Antiochen. S. August. psal. 98. in ea verba, *Adorate scabellum pedum eius.*

4 Accedit aliud discrimen, quòd in reliquis ferè sacramentis materia & forma sunt partes componentes sacramenti, quæ simul etiam ad eundem effectum sanctificantis gratiæ conferendum ordinantur. At vero in hoc sacramento neutrum illis conuenit: Nam panis & vinum sunt materia ex qua conficitur hoc sacramentum, eóque confecto desinunt: Forma item verborum est id, quo hoc sacramentum conficitur, & consecratur, eóque confecto definit. Ergo non possunt esse partes componentes huius sacramenti permanentis, quippe, quod, vt suprà dixi, tum ex Christi corpore & sanguine, tum ex speciebus panis & vini permanentibus quodammodo componitur. Multò minùs panis, vinum, & forma consecrationis possunt esse causæ effectrices gratiæ sanctificantis: sed ipsum sacramentum, videlicet corpus & sanguis Christi, sub speciebus panis & vini, per modum spiritualis cibi ac potus, animam sumentis sanctificando nutriunt.

Assertio IV. Sacramentum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, est vnicum, integrum, & perfectum sacramentum. Ita S. Thom. cit. q. 73. a. 2. Alensis p. 4. quæst. 31. mem. 1. & 2. S. Bonau. in 4. d. 8. a. 2. quæst. 2. Durandus ibid. quæst. 1. num. 10. Richar. a. 1. q. 2. Paludanus quæst. 1. a. 1. Sotus quæst. vn. a. 2. Probatur, & explicatur: In sacramentis non requirenda est vnitas naturalis, aut materialis: sed tantùm moralis, ac veluti artificialis, ex Christi institutione, ad vnum finem & effectum: quo pacto vna domus dicitur, & vnus exercitus; tametsi pluribus rebus ac partibus constent: ideóq; materialiter plura sint. Pari enim ratione, tametsi ad sacramentum hoc res variæ concurrant, habentes singulę propriam partialem significationem, aut virtutem: videlicet duæ materiæ, panis ac vinum, ex quibus sacramentum conficitur: duæ consecrationis formæ; quarum vna per se efficit Christi corpus, altera verò sanguinem: item species panis, & species vini, quarum illæ per se significant & continent corpus Christi, tanquam spiritualem animæ cibum: hæ verò per se significant, ac continent sanguinem Christi, tanquam spiritualem animæ potum; attamen hæc omnia, ex Christi institutione, ad vnum finem ordinentur, atque vnicam perfectam significationem, ac virtutem obtinent. 5

Primò igitur hoc Sacramentum perfectum, atque vnicum est morali vnitate, ac perfectione, quatenus significat vnum sacrificium cruentum, quod Christus in cruce, sanguinis sui effusione, & animæ à corpore separatione, consummauit, conuenienter S. Matth. 26. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* S. Paul. 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Quippe, cruentum hoc sacrificium perfectè, & expresè non significatur per vnius tantùm speciei, sed vtriusque diuisim factam consecrationem oblationémque.

Secundò, est hoc Sacramentum vnicum, & perfectum, quatenus in se continet vnum Christum, verum Deum, & hominem, constantem carne & sanguine, quæ per species tum panis, tum vini expresè significantur.

Tertiò, vnicum & perfectum est Sacramentum ratione vnius effectus, videlicet gratiæ sanctificantis, quam in vtraque specie per modum spiritualis refectionis perfectè significat, secundùm analogiam corporalis refectionis, quæ non solo cibo, sed etiam potu perficitur.

Quartò, Vnicum, & perfectum est hoc Sacramentum, quatenus symbolum existit Ecclesiasticæ vnitatis, sicuti docet S. August. tract. 26. in Ioan. sub finem, Magister in 4. d. 8. S. Thom. cit. a. 2. ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. *Vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & vno calice participamus.* Nam sicuti ex multis granis tritici vnus panis efficitur; & ex multis racemis vinum confluit; (quæ sunt verba S. Augustini lo. cit.) ita ex multis fidelibus vnum corpus Ecclesiæ constituitur: *cuius ipse* Christus *caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei, & charitatis connexione astrictos esse voluit*, ait Trident. Synodus sess. 13. cap. 2.

Quintò,

Quintò, Sacramentum hoc vnicum, atque perfectum est, quatenus per vtramque eius speciem simul significatur plena cœlestis gloriæ societas, in cuius pignus Eucharistia præbetur, vti testatur Trident. cit. c. 2. Vide quæ dicam infrà c. 5. n. 5.

6 Denique ex dictis intelligitur ratio vocabulorum, quibus hoc sacramentum afficitur: I. comparatione Sacerdotis consecrantis, dicitur *sacrificium*, & *hostia*: tum quia in eo commemoratio fit præteriti sacrificij cruenti; tum quia ipse Christus in hoc sacramento, modo incruento, offertur Deo Patri, pro peccatorum expiatione, & in gratiarum actionem. Videri potest S. Ambr. lib. 1. offic. c. 48. S. Greg. hom. 37. in Euangelia.

II. *Panis vitæ*: *Panis qui de cœlo descendit, vt, si quis ex ipso manducauerit, non moriatur*, Io. 6. Item *Esca spiritualis, Conuiuium Dominicum, Cœna Domini*, à quo tamen vocabulo Catholicis abstinendum esse, monet Petr. Sotus lect. 1. de Euchar. Henriq. lib. 8. c. 1. n. 1. Bellarm. lib. 2. de Missa, cap. 10. quia eo hæretici abuti solent ad errores suos, contra Missæ sacrificium, defendendos.

III. *Eucharistia*: quod verbum S. Tho. interpretatur bonam seu salutarem gratiam: tum quia Christum omnis gratiæ auctorem in se continet; tum quia animam gratia diuina replet; & vitæ æternæ ius, pignúsque tribuit: quamobrem etiam *viaticum* appellatur, quia viam nobis præbet ad vitam cœlestem. Propriè tamen Eucharistia gratiarum actionem significat; quia est sacrificium, quod Deo Patri in gratiarum actionem offertur: quamobrem legimus apud S. Matth. cap. 26. Marc. 14. Luc. 22. quòd Christus εὐχαριστήσας hoc sacramentum instituerit, de quo vide S. Thom. quæst. 78. a. 1. Suarez & alios ibidem.

IV. *Synaxis*, seu *Communio*. Quia vt S. Damasc. ait lib. 4. de Fide orthodoxa, c. 14. *Participantes carne, & sanguine, ipsáque Deitate Christi, vnimur in ipso, & inter nos diuina charitate.* Vide etiam S. Cyprianum lib. 2. epist. 3. ad Cæcil. Cyrillum Alexandr. lib. 4. in Ioan. c. 17. & lib. 10. c. 13. & lib. 11. cap. 2. S. Hilarium lib. 8. de Trinit. ante medium; Cyrillum Hierosol. catech. 4. mystag. S. Th. cit. q. 73. a. 4.

CAP. II.

De materia Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Materia ex qua sacramenti Eucharistiæ, est panis & vinum.*
2 *Panis triticeus esse debet, necessitate sacramenti.*
3 *Oriza, auena, milium, hordeum non sunt materia huius sacramenti.*
4 *Vt panis azymus sit, non est de necessitate sacramenti; quamuis id conuenientius sit: cùm etiam Christus in azymo consecrarit.*
5 *Vinum, quod est materia calicis, de vite esse debet.*
6 *Mustum, seu vinum recens expressum validè consecratur; sed non licitè: similiter vinum congelatum.*
7 *Admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti; sed præcepti obligantis sub mortali.*
8 *Quid cum aqua fiat in calicem infusa, vtrum in sanguinem Christi conuertatur, magna etiam olim dubitatio fuit.*
9 *Aqua, nisi valde copiosa affusa fuerit, vt quantitate vinum superet, vna cum vino in Christi sanguinem commutatur.*
10 *Materia consecranda Sacerdoti moraliter præsens esse debet.*
11 *Neque magnitudo, neque paruitas materiæ obstat, per se loquendo, quominus validè consecretur.*
12 *Ad valorem consecrationis requiritur, vt Sacerdos materiam consecrandam determinatè cognoscat, & intendat.*
13 *Sacerdos censetur habere intentionem consecrandi, quæ sit Ecclesiasticæ consuetudini conformis.*
14 *Si quis inscio, seu non aduertente Sacerdote formulas in altari ponat, non consecrabuntur: cùm nec actualis, nec virtualis intentio adsit.*
15 *Totum, quod in calice per modum continui est consecratur.*

ASSERTIO I. Materia ex qua hoc sacramentum conficitur, est panis, & vinum. Definitur in Conc. Lateranensi, c. Firmiter, Florent. Concilio in decreto Eugenij Papæ, §. Tertium est sacramentum, & docet S. Th. q. 74. a. 1. & Scholastici communiter in 4. d. 11. Probatur ex institutione Christi Matth. 26. & Marci 14. *Accepit Iesus panem*: Luc. 22. *Dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Cui accedit perpetua Ecclesiæ traditio, & praxis. Congruentia huius institutionis est; Quia panis & vinum, ob munditiem aliásque qualitates ac virtutes, conuenientissimè; & vsitatissimè ad conuiuium adhibentur: nam panis cōfirmat, vinum exhilarat, ideóque aptissima materia sunt ad significandum virtutem, finem, & effectum huius sacramenti, quòd ad spiritualem animæ alimoniam peculiariter institutum est. Idque S. Thom. in hymno suo indicauit: *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit & tristibus sanguinis poculum.* Alias congruentias, quas idem S. Tho. meminit in cit. a. 1. præcedente capite explicaui. 1

Assertio II. Panis debet esse triticeus, non tantùm ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate sacramenti: vt in alia materia facta consecratio irrita sit. Ita significat Eugenius Io. suprà cit. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Et docuit S. Hieronym. in cap. 62. Isa. super illa verba. *Si dedero triticum tuum vltrà inimicis tuis: Triticum quoque, de quo panis cœlestis efficitur, illud est, de quo loquitur Dominus, Caro mea verè est cibus: rursúmque de vino, Sanguis meus verè est potus.* S. Th. q. 74. a. 3. aliique cōmuniter. Probari autē id debet ex verbis Euangelistarum, accedente Ecclesiæ traditione, Christum in cœna vltima talem panem, qualis communiter in conuiuijs vsitatus est, consecrasse, idémque nobis, vt faceremus, præcepisse. 2

Debet autem nomen tritici latè accipi, vt omne genus frumenti comprehendat, quod ad conficiendum panem pro hominis victu communiter adhiberi solet: siue sit triticum, quod propriè ita appellatur, *Baiken*, siue quod cum eo cognationis similitudinem gerit, cuiusmodi apud nos est Zea, siue far, *Dinckeltorn*, oder *Kern*, genus frumenti optimi, & in Sueuia vsitati: Item siligo, Germanicè *Rocken*: nam & hæc materia eo fine seminatur, & crescit, vt exinde panis pro hominis victu conficiatur: & testatur S. Thom. cit. a. 3. ad 2. ex tritici granis in terris saxosis siliginem generari solitam esse. Peccat tamen grauiter Sacerdos, si siligineam materiam adhibeat; cùm mundior, & albior, quæ dignitatem huius sacramenti magis deceat, facilè adhiberi possit; seu in propria terra nata, seu aliunde allata.

Porrò oriza, auena, milium, hordeum, non sunt materia huius sacramenti: cùm ex ijs non soleat panis confici pro hominis victu, nisi ob defectum tritici: quare nec simpliciter panis vocabulum merentur, sed cum additō, *panis hordeaceus*, *panis auenaceus* &c. licet contrarium senserit Argentinas in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 1. Gabriel lect. 35. in can. Missæ: hordeum quoque, & similes fruges, quæ aristas habent, posse esse huius sacramenti materiam; cùm sit quædam frumenti genera. Sed repugnat Eugenius Papa in Florent. Concilio, S. Thom. ad 2. aliique Doctores communiter; quia non sunt frumenta, ex quibus panis vsitatus confici solet. 3

Denique nota doctrinam S. Thom. ad 3. Quòd modica alieni frumenti admixtio ad multò maiorem quantitatem tritici, non vitiat materiam; quominus consecratio ex ea validè fieri possit: quia quod modicum est quodammodo absumitur à copiosiore: secùs, si magna admixtio fiat.

Assertio III. Panis ex triticea farina, & aqua elementari mixtus, atque ignis calore tostus esse debet. Ita Doctores communiter. Nam materia huius sacramenti, ex

Christi institutione, est panis hominibus vsitatus: talis autem est ille, quem descripsi.

Ex quo collige I. Farinam lacte, melle, oleo, aqua rosacea, vel simili non elementari liquore subactam, & tostam, non esse sacramenti materiam, sicuti docet S. Th. quæst. 74. a. 7. ad 3. Palud. in 4. d. 11. q. 1. a. 6. concl. 4. licet Caiet. cit. a. 7. sentire videatur, non requiri aquam naturalem; sed panem ex aqua rosacea confectum esse sufficientem materiam: quia ab alijs panibus differre non videatur essentialiter. Sed respondetur, quidquid sit de differentia essentiali physica; differre saltem forma artificiali, & vsuali, quæ in materia sacramenti potiùs spectanda est.

Collige II. Nec massam farinaceam crudam, vel oleo, aut butyro frixam, vel aqua elixam, esse huius sacramenti materiam.

4 Assertio IV. Licet rationabilior sit consuetudo Ecclesiæ Latinæ, consecrantis panes azymos; non tamen id pertinet ad necessitatē sacramenti: sed ex necessitate præcepti quisque Sacerdos propriæ Ecclesiæ consuetudinem sequi debet: vt non solùm Latinus peccet, si in fermētato consecret; sed etiam Græcus si in azymo; quamdiu intra terminos Ecclesiæ suæ commorantur. Hæc est doctrina S. Th. quæst. 74. a. 4. Cuius prima pars probatur: I. Quia etiam agnus Paschalis præcipua huius sacramenti figura, comedebatur cum azymis, quibus significatur incorrupta veritatis, fideique, ac morum synceritas, quę maximè in Euangelio locum habet, sicuti Apost. indicat, 1. ad Corinth. 5. II. Probatur efficaciùs: Quia Christus in huius sacramenti institutione pane azymo vsus fuit: Instituit enim cœnam vltimam die 14. primi mensis ad vesperam, sicuti constat ex S. Matth. 26. & Marci 14. *Primo die azymorum, quo Pascha immolabant* (Iudæi) *dicunt ei Discipuli* &c. Et Luc. 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum.* Atqui hæc dies fuit 14. primi mensis ad vesperam, à qua solemnitas, & magna festiuitas diei sequentis XV. incipiebat, sicuti habetur Leuit. 23. *Mense primo, 14. die mēsis ad vesperam Phase Domini est* (nam dies festus à vespera inchoari solebat, vti constat ex eodem cap. v. 32.) *& 15. die mensis huius solemnitas azymorum est.* In eadémque die, à præcedente vespera eam inchoando, prohibitum fuit Iudæis, quidquam panis fermentati in domibus habere, Exod. 12. v. 7. *Seruabitis agnum vsque ad 14. diem mensis huius: immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel, ad vesperam.* Et ver. 16. *Celebrabitis eam* (diem) *solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno: septem dies azymos comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris &c. Dies autem prima erit sancta, & solemnis.*

Confirmatur: Nam S. Chrysostomus homil. 15. in 1. epist. ad Corinth. aliique Doctores docent, Christum passum esse ipso die solemni, seu festo Paschatis, qui est XV. mensis: ergo pridie comedit Pascha. Neque his obstat, quod Ioan. cap. 13. dicitur, cœnam factam ante diem festum Paschæ. Facta enim est in vespera, præcedente diem festum, secundùm naturalem, vel artificialem eius computationem. Neque quod Ioan. 18. dicitur, Iudæos non introisse in Prætorium, ne contaminarentur; sed vt manducarent Pascha. Non enim hoc verbo significatur agnus Paschalis, quem antè comederant; sed panes azymi, item victimæ Paschales, de quibus Numer. 18. Nec denique, quod cap. 19. dicitur; Christum passum in Parasceue Paschæ, siue magni diei. Erat enim Parasceue Sabbathi, quod magnum dicebatur, quia incidebat in dies septem Paschales, siue azymorum, qui omnes festi erant: sed celeberrimi primus, & septimus, vti habetur cit. cap. 23. Leuit. Atque de omnibus septem accipiendum esse videtur consilium Iudæorum, Matth. 26. *Non in die festo, ne forte tumultus fiat in populo*, qui diebus illis Hierosolymam confluebat: sed præualuit à Iuda occasio oblata, ob insanum desiderium occidendi Domini.

Altera pars assertionis habetur in Concilio Florent. in literis vnionis: *Item definimus, in azymo, siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotésque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque iuxta Ecclesiæ siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.* Ratio est: Quòd de istis accidentalibus ritibus non extet præceptum Christi; ideóque cuiusque Ecclesiæ consuetudo tanquam lex obseruanda sit: adeò quidem, vt neque in casu necessitatis, si ægrotus absque viatico decedere debeat, quia panis azymus statim haberi non potest in fermētato Sacerdoti Latino sacrificare licitum sit, teste Suarez disp. 44. s. 3. in fine: quod ferme similiter de Græco dici debet, eum neque in casu necessitatis azymo pane vti posse; propterea quòd ad Ecclesiæ vtilitatem, ac maiestatem; tantique mysterij & Sacrificij maiorem reuerentiam valde intersit, vniuersales in eo ritus vniformiter obseruari: quare cùm sacramentum hoc non sit absolutę necessitatis, meritò ratio publica priuato commodo spirituali præfertur.

Assertio V. Vinum, quod est materia Calicis, de vite esse debet. Definitur in Concilio Florentino, idque testatur S. Thom. q. 74. a. 5. & perpetua Ecclesiæ praxis. Aduerte, I. Vuas validè consecrari non posse, teste Iulio Papa c. cùm omne, dist. 2. de consecrat. & S. Thom. ad 3. Ratio peti debet ex institutione, ac significatione sacramenti Calicis, requirentis, vt materia eius sit potus: vuę autem cibi potiùs, quàm potus rationem habent: cùm in eis vinum non contineatur tanquam in vase, sed tanquam pars in toto; ad eum modum, quo sanguis v. g. in corpore animalis continetur. 5

Aduerte secundò: Neque agrestam, neque acetum validè consecrari posse, teste eod. S. Tho. ad 2. & 3. Nam agresta ex vuis immaturis expressa, nondum vini naturam consecuta est. qua de re Palud. in 4. d. 11. q. 1. art. 5. Acetum verò est vinum substantialiter corruptum, ac putrefactum: potest tamen confici hoc sacramentum ex vino acido, vel acescente: sicuti & ex pane mucido, qui nondum corruptus est, sed ad corruptionem disponitur, testante S. Th. ad 2. Quare reijcienda est Gl. in c. 2. d. 2. de consecr. cùm ait; Ex aceto, si ex vino factum sit, posse confici sacramentum Calicis.

Aduerte tertiò: Mustum validè quidem consecrari; sed non decenter, ac licitè, teste S. Th. ad 3. & colligitur ex cit. c. cùm omne. Nam licet mustum substantiam vini habeat, est tamen imperfectum, & non satis decoctum ac defæcatum: hæc autem accidentalis imperfectio, & fęcis admixtio dedecet tanti sacramenti dignitatem. Accedit, fieri posse, vt fæces terrestres, vel ante consecrationem à substantia vini separatę, subsidant, & desinant esse idonea sacramenti materia: vel post consecrationem separatę, amittant species siue qualitates vini, ideóq; sub ijs desinat esse sāguis Christi. Quare existimat Suarez disp. 45. s. 1. esse grauem, seu mortalem irreuerentiam in musto consecrare; quod intelligi debet extra necessitatem: nam si necesse sit, consecrari posse, ait Iulius cit. c. cùm omne. Deinde intelligo de vino ex vuis recenter expresso, adeóque valde impuro. Quamobrem si in aliqua Ecclesia consuetudo sit, de qua testatur Viuald. de Euchar. c. de materia, n. 7. vt vuarum primitiæ in calicem expressæ, certo anni die consecrentur, eam corrigendam & tollendam esse, rectè monet Suarez ibid. 6

Aduerte quartò: Vinum congelatum, licet non sit materia decens, seu conueniens: (vt omnes fatentur) est tamē sufficiens: siue (vt alijs verbis dicam) tametsi non licitè, validè tamen consecratur. Quæ est cōmunior, & probabilior Doctorum sententia, Angeli ver. Missa, num. 23. Syl. ver. Euchar. 2. quęst. 10. Soti in 4. d. 9. quęst. 1. a. 5. Suarez l. c. Sa ver. Missa, num. 3. contra Alanum lib. 1. de Eucharistia, num. 11. Armillam ver. eod. num. 19. Angles in

in 4. p. 1. de essentialibus Eucharistiæ, art. 5. difficult. 3. Ratio, quia vinum congelatum plerumque retinet vini substantiam, sicut ex resolutione eius apparet.

Neque obstat primò, quòd contrariæ sententiæ auctores obijciunt; vinum congelatum potabile non esse: Respondeo, Suapte natura potabile esse; licet per accidens, & secundùm præsentem statum (qui tamen facilè mutabilis est) potari non possit. Neque obstat secundò, quod obijciunt; Aquam congelatam non esse idoneam materiam Baptismi: Ergo neque vinum congelatum idoneam materiam Eucharistiæ. Respondetur, negando consequentiam: Discrimen enim est, quòd Baptismus essentialiter consistat in ablutione; quæ per glaciem fieri non potest: at verò S. Eucharistia essentialiter non consistat in sumptione seu potatione: perficitur enim, & perfecta manet ante vsum.

Cæterùm non rectè dixit Alanus, si vinum consecratum congeletur, desinere esse Christum sub speciebus, quare aliud vinum consecrandum fore. Hoc enim dici non potest, nisi admodum spissa & perfecta congelatio fiat, quæ tam breui tempore vix accidit: quare Missale Romanum in defectibus Missæ, §. 10. num. 11. monet, si contingat vinum consecratum in calice congelari, debere liquefieri, & sumi. Sin autem nondum consecratum vinum, post eius oblationem, congeletur; consultius esse arbitratur Suarez, illud mutare, & denuo offerre quod verum est, si omninò congelatum sit, non sine mutatione coloris, saporis, vti Sotus l. cap. notauit: alioquin, si facilè resolui possit, nullàque accidentium mutatio appareat, consultius erit consecrare, quàm mutare.

7 Assertio VI. Vino modicum aquæ à Sacerdote in altari admisceri debet; non ob necessitatem sacramenti, sed præcepti tantùm Ecclesiastici, sub mortali peccato obligantis. Assertio habet tres partes: quarum prima est communis Doctorum, & expressè tradita in Concil. Florentino in decreto Eugenij, §. Tertium autem sacramentum: *Cui* (vino de vite) *ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, iuxta testimonia SS. Patrum, creditur Dominum in vino aqua permixto, hoc instituisse sacramentum*: quos Patres vide apud Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 10. & 11. Suarez disp. 45. s. 2. in fine, Vasq. disp. 176. Et infrà in eodem §. ait Concilium: *Decernimus, vt etiam ipsi Armeni secum vniuerso orbe Christiano conforment; eorùmque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admisceant vino.*

Mysticæ huius mixtionis significationes duæ sunt, teste eodem Eugenio ibid. S. Th. q. 74. a. 6. & Trident. Concil. sess. 22. c. 7. Vna, tradita ab Alexandro Papa in epist. decretali I. & Innoc. in c. cùm Marthæ, de celebrat. Missarum: Quia ex Christi latere sanguis & aqua fluxit, Ioan. 19. Quod erat symbolum plenæ ablutionis nostrorum peccatorum, per merita Christi. Altera tradita à Iulio Papa in cit. c. cùm omne, S. Cypriano lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium: *Cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur.* Quia aquarum nomine populi significantur Apoc. 17. vino autem virtus & diuinitas Christi aptè exprimitur. Idémque habetur in Concil. Triburiensi can. 19. vbi ratio adiungitur, cur aqua in minore quantitate admisceri debeat; *quia maior est maiestas sanguinis Domini, quàm fragilitas populi.* Quæ etiam causa videtur, cur aqua in mixtione à Sacerdote benedicatur; non item vinum: quia homo infirmus per merita Crucifixi sacratur, & confirmatur ex vnione ac veluti incorporatione cum Christo.

Alteram partem assertionis tradit S. Th. q. 74. a. 7. & probat hac ratione: De signo sacramentali iudicium ferri debet ex eius significato: Admixtio autem aquæ significat tum remissionem peccatorum, tum vnionem hominum cum Christo. Atqui vtrumque horum sacramento extrinsecum, & posterius quiddam est; quia pertinet ad vsum. Sacramentum autem hoc ante vsum consecratione materiæ perficitur, vt suprà dictum.

Ad auctoritatem verò S. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium; *sic in sanctificando calice Christi offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest.* Et infrà: *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum: quomodo corpus Christi non est farina sola, aut aqua sola; nisi vtrumque adunatum fuerit*; Respondet S. Thomas ad 1. Sensum verborum esse, quòd vinum sine aqua offerri non possit conuenienter, & salua plenitudine mysticæ significationis. Nam sicuti aqua farinæ admixta significat populi cum Christo incorporationem; ita & aqua vino mista. Discrimen tamen est, quòd admixtio aquæ naturalis ad farinam requiritur ex necessitate sacramenti; quia alioquin non esset verus panis: Non ita verò requiritur admixtio aquæ ad vinum, quia sine aqua est verus & naturalis vini potus, sicuti notat idem S. Thom. ad 3. Quæ doctrina confirmatur ex suprà cit. Eugenij Papæ decreto, in quo materia huius sacramenti assignatur, *panis, & vinum de vite*, nulla facta mentione aquæ.

Tertiam assertionis partem, quòd præceptum miscendi aquam, sit solùm Ecclesiasticum (quamuis perpetuum, & ab Apostolis acceptum) significat Trident. Concilium sess. 22. cap. 7. *Monet sancta Synodus ab Ecclesia præceptum esse Sacerdotibus.* Florentinum quoque Concilium ad Armenos conuincendos non adduxit præceptum Domini, sed solùm Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem. Quamuis ad hoc dici potest, quòd Concilia interim non negent id esse præceptum Domini; tametsi hoc ipsum affirmare, & definire nolint: cùm de ea re inter Doctores controuersia existat. Quod ideo moneo, quia improbabilis non est opinio Alphonsi à Castro hæresi 7. in verbo Eucharistia, Henriquez lib. 8. cap. 12. §. 4. Valentiæ disp. 6. quæst. 2. p. 1. ex Christi præcepto, ab Apostolis nobis tradito, aquam vino miscendam esse. Quia S. Cyprianus in cit. epist. hoc *Euangelicum præceptum*, & *Dominicum mandatum* appellat: & in Concil. Carthag. 3. cap. 24. legimus; *Vt in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.* Et in Aurelianensi 4. cap. 4. *Vt nullus in oblatione sacri calicis, nisi vinum aquam mixtum, offerre præsumat: quia sacrilegium iudicatur aliud offerri, quàm in mandatis sacratissimis Saluator instituit.* Responderi tamen potest, vocari Domini præceptum, ac traditionem, quia ab exemplo & imitatione Christi Ecclesiastica hæc consuetudo profluxit: qua ratione S. Ambrosius in proœmio lib. de Spiritu sancto, pedum lotionem *Domini mandatum* appellat. Enimuero non omnia, quæ Christus in vltima cœna fecit, Ecclesiæ in præcepto posuit, sicuti manifestum est in consecratione panis azymi; licet conueniens sit, Christum etiam in his accidentibus imitari.

Restat nobis soluenda quæstio, quæ olim Innocentio Papæ proposita fuit in c. cùm Marthæ, de celebr. Missarum; Quid fiat cum aqua, in calicem infusa, vtrum vnà cum vino in sanguinem conuertatur? Qua de re, inquit ibid. Innocent. III. variæ sunt Scholasticorum opiniones. Nam alij putant, quòd vinum conuertatur in sanguinem Christi: aqua verò in humorem aqueum, qui de Christi latere fluxit. Quæ tamen sententia hodie ab omnibus exploditur: quia aqua illa, quæ ex Christi latere miraculosè fluxit, vera & elementaris erat, non pertinens ad substantiam corporis Christi, vti docet S. Thom. q. 74. a. 7. ad 3.

Alij dicunt, aquam cum vino conuerti in sanguinem Christi: quia vino admixta priùs in substantiam vini naturaliter transmutatur. Cui sententiæ obijcit ipse Innocentius, Physicos testari, aquam vino admixtam artificio quodam (videlicet filo lineo, hedera, aut iunci calamo) iterum separari posse, quod Plinius testatur lib. 16. histor. cap. 35.

& alij apud Conimbric. lib. 1. de generat. c. 10. quæst. 1. a. 1. Accedit, quòd Aristoteles lib. 1. de generat. cap. 5. tex. 34. & 39. neget, ex aquâ vino infusâ vinum generari posse. Cuius ratio esse videtur, quia ex vno simplici corpore, impossibile est fieri corpus mixtum: siquidem huius generatio pro dispositione requirit congeriem elementarem humidi, sicci &c. Quæ etiam causa est, cur Medici doceant, aquam non nutrire, siue in sanguinem non conuerti. Secundò, quòd ad generationem vini quàm maximè requiritur calor actualis, qui tamen deesse videtur in vino calicis: & cùm solis calor tam vehemens tanto tempore indigeat ad coquendam & generandam substantiam vini: quis credat id tam breui tēpore in calice perfici posse? Tertiò, quòd verisimile sit, Christum statim, postquam calicem miscuit, eundem consecrasse: neque exspectasse donec aqua in vinum naturaliter conuerteretur. Quartò, Quòd vnio mystica Ecclesiæ cum Christo perfectiùs exprimatur, si aqua non suscipiat naturam vini, sed solùm aliquas proprietates.

Alij denique dicebant: Aquam in propria substantia, post consecrationem permanere, speciebus vini consecrati circumfusam: Quæ sententia ab eodem Innocentio tacite, & ab alijs Doctoribus expresè reijcitur: I. Quia repugnat SS. Patribus, apud Baron. tom 12. Anno Christi 1188. prope finem, Suarez disp. 45. s. 3. Ægidium quæst. 74. a. 8. expresè affirmantibus, aquam cum vino *sanctificari, consecrari, in sanguinem Christi mutari.* II. Quia verba formæ, *Hic est calix sanguinis mei*, significant, totum potum siue continuum liquorem, in calice contentum, esse Christi sanguinem. III. Quia populus totum, quod in calice per modum continui potus continetur, cultu latriæ adorat; eidémq; ita adorādum proponitur. IV. Quia alioquin Sacerdos post calicis sumptionē non esset verè ieiunus; quia substantiam aquæ bibisset; quod repugnat fidelium persuasioni, necnon Ecclesiæ praxi, permittentis in die Natiuitatis Domini tria sacrificia, si sacrificans ieiunus maneat, & ablutionem non sumpserit. V. Quia indecens esse videtur, humorem alienum: videlicet aquam misceri cum vino consecrando, ita vt post consecrationem in sua substantia cum Christi sanguine perseueret.

Ipsius verò Innocentij Papæ verissima responsio est; *Aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expreßiùs eluceat proprietas sacramenti. Nam cùm aquæ multæ sint, populi multi &c. ideo vino aqua vnitur, vt Christo populus adunetur: per hoc enim, quod suscepit ipse de nostro, & accepimus ipsi de suo: tam insolubili nexu coniungitur, vt qui est vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiscum per ineffabilem vnionem.* Hæc Innocentij responsio certissima est, si intelligatur tantùm de conuersione aquæ in Christi sanguinem mediata, secundùm sententiam S. Th. & aliorum, quòd aqua modicè affusa priùs in vini substantiam naturaliter conuertatur, quàm totum transubstantietur in Christi sanguinem per verba consecrationis.

Sed quia certum non est, imò apud multos incredibile, aquam tam breui tempore in vinum mutari posse; contrà verò certissimum, sæpenumero accidere, vt cùm Sacerdos verba consecrationis prolaturus est, aqua substantialis in calice existat; seu quia vinum debile, & modicum est, vt tam breui tempore aquam euincere non potuerit: seu quia aqua immodica quantitate affusa fuit, quemadmodum in Concilio Triburiensi, cit. can. 19. dicitur, vt *duæ sint partes vini, & vna aquæ*: seu denique, quia Sacerdos oblitus ante oblationem aquam apponere, postea eam immediatè antè consecrationem apponit; quæstio manet: Vtrum his casibus, aqua secundùm substantiam suam, post consecrationem, permaneat sacris speciebus circumfusa; an potiùs aqua vnà cum vino immediatè conuertatur in Christi sanguinem.

Priorem partem, quòd aqua nunquam immediatè in Christi sanguinem conuertatur, sed si antè in vinum mutata non fuit post consecrationem permaneat, amplexus est Palud. in 4. dist. 11. quæst. 1. a. 6. concl. 5. Gabr. ead. dist. quæst. 2. art. 3. dub. 3. Sotus d. 9. quæst. 1. a. 6. Suarez in fine a. 8. disp. 45. Vasquez disput. 178. c. 2. & alij. Fundamentum est: Quia alioquin materia, ex qua conficitur sacramentum Calicis, non esset solum vinum, sed vinum & aqua, contra Concilium Florentinum, in quo dicitur; Materiam calicis esse *vinum de vite*: & Tridentinum sess. 13. can. 2. panem conuerti in corpus Christi, & vinum in sanguinem; nulla omnino facta mentione aquæ.

Posteriorem verò partem, quòd aqua vnà cum vino in sanguinem Christi conuertatur, grauissimi Doctores pro indubitato habent. Algerus lib. 1. de Eucharistia, c. 16. Paschasius Abb. Corbeiensis lib. de corp. & sanguine Christi, c. 11. & 19. Gaufredus in epist. ad Episc. Albanensem apud Baron. to. 12. Anno 1188. Cardinalis Alanus lib. 1. de sacrament. c. 13. qui dicere ausus est, certa hoc fide tenendum esse: Cardinalis Baronius cit. Anno 1188. prope finem, vbi addit, ante illud tempus semper hoc credidisse, & custodisse S. R. Ecclesiam. Et Anno 1192. in fine post miraculi alicuius narrationem, subiunxit: *miraculum hæresin hoc seculò obortam confutauit, negantium aquam vino mixtam mutari in sanguinem.* Eandem sententiam tenet Tol. lib. 2. c. 25. num. 4. Ioan. Baptista Scortia de Missæ sacrificio, lib. 4. cap. 1. num. 13. Cornel. Iansenius in Concordia cap. 131. Alexander Pesantius Romanus in 3. p. quæst. 74. a. 8. disput. 2. Ægidius Coninck eod. art. dub. vn. qui testatur, eam Romæ publicè defensam Anno 1606. & iterum Anno 1608. in eadémque fuisse omnes Patres, & Scriptores antiquos, quos ibidem ex Baronio citat, adeóque hanc sententiam sibi certam videri.

Atque eiusdem sententiæ videtur Innocentius Papa fuisse, quando interrogatus in cit. c. cùm Marthæ; *vtrum aqua cum vino in sanguinem conuertatur?* absolutè, & sine distinctione affirmauit, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*: quod intelligi debet semper, & non tantùm aliquando: quia alioquin nec distinctè, nec sufficienter ad quæsitum respondisset. Quare arbitror, eum data opera abstinuisse ab illa difficultate; vtrum ex aqua in calice vinum generari possit: nam siue id fiat, siue non fiat, credendum est, aquam vino mixtam in Christi sanguinem conuerti, seu immediatè, seu mediatè. Neque S. Th. cit. a. 8. ab hac sententia alienum esse arbitror: siquidem is nunquam affirmauit, aquam post consecrationem substantialiter interdum permanere; sed planè contrarium, *Opinionem hanc, quòd aqua adiuncta vino per se manet, vino in sanguinem conuerso, stare non posse: quia post consecrationem nihil aliud est* (substantiæ) *in sacramento altaris, nisi corpus & sanguis Christi: alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ.* Et licet postea dixerit, modicum aquæ infundendum esse, vt in vinum conuerti possit (seu substantiali conuersione, seu morali & apparente) non tamen adiecit, ex immodica affusione hoc secuturum incommodum, vt aqua post consecrationem vini maneat; sed periculum esse, ne species vini soluantur, & nulla omnino consecratio fiat.

Addo denique, si fateamur, interdum aquæ substantiam post vini consecrationem in calice manere; omnia incommoda sequi, quæ suprà contra tertiam sententiam allata sunt: ad quæ cum respondere non possim, ideo sententiam Baronij sequendam censeo. Secundùm quam non ita solicitè, ac scrupulosè curandum est Sacerdoti, vt aquam valde modicam, vel vnam guttulam affundat, (quod nescio an satis conueniens sit, præsertim si fiat cum solicitudine, ob quam fieri posset, vt phantasia & sensu deluso, nihil omnino affundatur) sed plures guttas affundere potest: imò etiam octauam, vel decimam partem proportionalem, sicuti docet Ægidius citat. art. 8. dub. vn.

Dubium

Dubium autem eſt, ſi tam immodica aqua affundatur, vt quantitate ſuperet vinum, num valeat conſecratio vini? Ita affirmat Richar. in 4. diſtinct. 11. art. 3. q. 5. modò vinum ab aqua corruptum non ſit, quod breuiſſimo tempore fieri non ſolet. Sed contrarium videtur mihi valde probabile, quod indicat idem Ægid. Coninck num. 184. aquam ita affundendam eſſe, vt tamen externa apparente ſpecie abſorbeatur, & ſuperetur à vino; totúſque potus ſeu mixtura vinum eſſe cenſeatur: alioquin conſecrationem irritam fore. Quamobrem in c. penult. de celebrat. Miſſarum, abuſus eſſe dicitur, ſi aqua in maiore quantitate ponatur, quàm vinum.

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur: Aquam à Concilijs Florentino, & Tridentino, non nominari materiam calicis; tum quia de hac re controuerſia exiſtit inter Scholaſticos, quam etiam Innocent. componere, & definire noluit: tum quia aqua non eſt materia calicis neceſſaria, ac per ſe quandoquidem non ita vti vinum ſola ac per ſe conſecrari poteſt; ſed vt mixta & acceſſoria vino, moralique hominum æſtimatione, & vſu, quaſi tranſiens in vinum. Quomodo intelligo Pet. Sotum lect. 14. de Euchar. *Neque opus eſt*, inquit, *ſcrupuloſè inquirere, vbi aqua appoſita maneat: Totum enim quod in calice eſt, vinum eſt,* (morali vſu) *& illud conuertitur in ſanguinem.*

His adde, neque, poſt conſecrationem, ſub ſpeciebus aquæ per ſe, ac ſeorſim Chriſtum permanere, ſi accidat ſpecies vini corrumpi, vel ſeparatas permanere: quia ſicuti aqua non niſi miſta vino, adeóque acceſſoriè eſt materia conſecrationis: ita & ſpecies aquæ non retinent conſecrationem, niſi ſint cum ſpeciebus vini conſecrati coniunctæ. Qua de re Ægidius cit. a. 8. ad finem.

10 Aſſertio VII. materia conſecranda debet eſſe ſacrificanti moraliter præſens. Ita S. Thom. in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 3. ibid. Duran. quæſt. 6. Sotus d. 9. quæſt. 1. art. 2. Gabriel lectione 35. in canon. Miſſæ, Suarez diſp. 43. ſ. 5. Victoria de ſacrament. Euchar. num. 57. Henriquez lib. 8. c. 14. Ægid. Coninck quæſt. 74. a. 2. dub. 1. Probatur tum ex pronomine *hic, hoc* denotante rem ſenſibus expoſitam: tum ex ratione Sacrificij, poſtulantis hoſtiam, ſeu rem oblatam præſentem eſſe: tum denique ex totius Eccleſiæ conſuetudine. Vnde colligunt Doctores, materiam non conſecrari, ſi non ſit coram Sacerdote, ſed à tergo, aut poſt interiectum parietem; aut ſub mappa, vel corporali latens, aut magno interuallo diſtans. Neque tamen requiritur ex neceſſitate ſacramenti, vt materia manibus teneatur, aut ſonus verborum ad eam perueniat: neque vt actu videatur, ſi v. g. Sacerdos cæcus ſit: vel ſi materia conſecranda in vaſe cooperto adſit: nàm contentum cum continente reputatur, & moraliter præſentatur.

11 Aſſertio VIII. Nec magnitudo, nec multitudo materiæ, neque item paruitas obſtat, per ſe loquendo, quominus validè conſecretur, v.g. multitudo ingentium panum, aut vinum, quod in dolio eſt: ſimiliter verò & gutta vini, panis mica. Ita S. Thom. quæſt. 74. art. 2. Rich. in 4. diſt. 10. a. 7. quæſt. 1. Palud. d. 11. quæſt. 1. a. 3. concl. 4. Gabr. ibid. q. 2. a. 3. dub. 1. Sotus d. 9. quæſt. 1. a. 2. Valentia to. 4. diſp. 6. q. 2. p. 2. prope finem. Ratio eſt: Quia & maximus panis, & minimus; vinũ copioſum, & minimum, verè panis, ac vinum ſunt. Dixi autem *per ſe loquendo*: quia ſi ponamus tam multam, vel magnam materiam, vt tota ſeu ſecundùm omnes partes ſuas ſacrificandi moraliter præſens non ſit: tunc non tota, ſeu non ſecundùm omnes partes conſecrabitur. Contrà, ſi materia tam parua ſit, vt humano viſu percipi non poſſit, ideóque nec propriè demonſtrari, incapax eſt conſecrationis, ſicuti docet Maior in 4. d. 10. quæſt. 1. Suarez diſp. 43. ſ. 8. contra Sotum in 4. diſt. 9. quæſt. 1. art. 2. §. at verò verſus minimum. Quamuis ſi poſt conſecrationem eiuſmodi modica quantitas à toto ſeparetur, probabile eſt, conſecratam manere; quamdiu panis ſubſtantiam retinet: quandoquidem plus requiritur ad acquirendum, quàm ad retinendum: *quemadmodum anima*, inquit Ægid. Coninck dub. 2. *ſeparata à corpore conſeruat conſecrationem & characterem ſacramentalem; non tamen poteſt hæc acquirere.* Idémque docet Suarez cit. diſput. 43. ſect. 8. ad finem, & bene explicat Vaſquez diſp. 171. cap. 2. n. 12. contra Maiorem loco cit. Fateor tamen, nihil certi hac de re dici poſſe.

Dico IX. Ad valorem conſecrationis requiritur, vt Sacerdos materiam conſecrandam determinatè cognoſcat, & intendat. Ita ex communi Richardus in 4. diſt. 10. art. 7. quæſt. 2. Dur. d. 11. q. 7. Syluest. ver. Euchar. 2. quæſt. 6. Suarez diſp. 43. ſect. 6. Vaſq. diſp. 171. cap. 1. Abb. in c. ſi Sacerdos, num. 15. de offic. ordin. Henriquez lib. 8. c. 14. in fine. Cùm enim omnis actio tranſiens verſetur circa ſingularia determinata ſeu definita, ſequitur, etiam intentionem Miniſtri, quæ eſt cauſa practica huius actionis, ſiue conſecrationis, ferri debere in materiam determinatam ac definitam, ſicuti etiam demonſtratiuum *hoc, hic* ſignificat. Quamobrem irrita eſt conſecratio, ſi Sacerdos habeat intentionem conſecrandi aliquam partẽ materiæ indeterminatè, ac diſiunctim. Exempli cauſa: Si ex octo hoſtijs præſentibus quinque indeterminatè conſecrare velit; vel vnam aliquam partem hoſtiæ indeterminatè, puta dimidiam, vel partem tertiam. Sin verò ex octo hoſtijs quinque determinet, vel certam hoſtiæ partem, puta dimidiam, aut tertiam animo deſignet, valida eſt conſecratio, quamuis illicita. Simile eſt, ſi contingat formulas non conſecratas cum conſecratis hoſtijs confundi, ſeu miſceri; poteſt, ac debet totus cumulus ad altare deferri, vt Sacerdos intendat conſecrare illas tantùm, quæ conſecrationẽ non acceperunt. Etenim neceſſe haud eſt, vt Sacerdos omnes partes materiæ conſecrandæ diſtinctè, ac ſigillatim cognoſcat, & intendat: ſi enim cumulum hoſtiarum propoſitum habeat, omnes conſecrat, ſi omnes, quamuis confuſè & generatim, conſecrare proponat. 12

Adde, etſi exiſtimet quinque tantùm hoſtias adeſſe, cùm ſint ſex, omnes conſecratum iri: quia ſpeculatiuus ille error, quo exiſtimantur eſſe pauciores, nihil obſtat practicæ intentioni conſecrandi omnes præſentes: cuiuſmodi intentionem, tanquam Eccleſiaſticę conſuetudini conformem; quiſque Sacerdos implicitè ac virtualiter habere cenſetur, niſi eam actu contrario excludat. Ita docent Syluest. Henriquez, Suarez ll. cc. & habetur in Miſſali Rom. de defectibus Miſſæ, c. 7. vbi ex eodẽ principio adiungitur: Si Sacerdos ratus poſitam eſſe vnam hoſtiam, poſt conſecrationem aduertat eſſe duas ſimul iunctas, vtramque ſumendam eſſe: quia vtraquẽ conſecrata eſt. Sin verò id aduertat ante conſecrationem, poſteaquam obtulit; tunc alteram ſeponat, eámque Miſſa finita, tanquam eulogiam, ſeu panem benedictum ſumat, vel alteri ſumendam det. 13

Neque his caſibus quicquam refert, ſiue ipſe Sacerdos, ſiue alius, v.g. Diaconus, duas hoſtias in patena, vel Ædituus pro communicaturo duas formulas pro vna in corporali poſuerit: vtraque enim conſecrabitur: Cæterùm ſi quis, Sacerdote inſcio, ſeu minimè aduertente, formulas conſecrandas ſuper altari, vel etiam corporali ponat, eæ non conſecrabuntur: quia non fit conſecratio ſine intentione actuali, aut virtuali: quod autẽ omnino incognitum eſt, eius nulla eſt intentio, ſeu voluntas, vti notauit Ægid. q. 74. a 2. dub. 3. n. 39. & habetur in defectibus Miſſæ, c. 7. n. 1. Sin verò Sacerdos, antequam ad ſacrificandum egrediatur, de conſecrandis hoſtijs in altari poſitis; vel ante offertorium ipſi apponendis, admoneatur, eaſdémque conſecrare proponat, poſtea verò omnino obliuiſcatur; cenſeri debent nihilominus

consecratæ: cùm in tali casu, neque hostiarum præsentia, neque Sacerdotis intentio virtualis desideretur, sicuti docent Scotus in 4. distinct. 12. Angelus ver. Euchar. 1. num. 27. Nau. c. 25. num. 91. Coninck. cit. dub. 5. n. 40. Sa ver. Missa, num. 29. & colligitur ex cit. c. 7. num. 4. *Si intentio non sit actualis in consecratione, propter euagationem mentis; sed virtualis, cùm accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia; conficitur sacramentum: etsi curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat.* Nota autem, quod dixi *ante offertorium*: tunc enim hostiæ offerendę adesse debent, vt licitè postea consecrari possint; Deinde nota, quod dixi, si hostias *consecrare proponat*: cuiusmodi sanè propositum habuisse censendus est Sacerdos, hoc ipso, quòd sciuit, seu rationali modo animaduertit hostias se consecrandas ad altare afferri.

14 Deniq; quod attinet ad guttas vini hærētes in superficie calicis; certum esse debet, eas non consecrari, quæ extra calicem sunt: nisi Sacerdos expresse, non sine sacrilegio, eas consecrare velit. Deinde verisimilius est, neque eas consecrari, quæ intra calicem, siue in interiore calicis superficie à reliquo vino separatæ hærent, sicuti docent Suarez cit. art. 6. col. vlt. Coninck cit. dub. 3. n. 43. Nam hæc videtur esse communis, & optima Ecclesiæ intentio, consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur.

Quod porrò Coninck addit, eas quoque vini guttas cōsecrari, quę intra calicē reliquo liquori proximè adhærent, vt leui calicis commotione admisceantur, difficultatem habere videtur: quandoquidem determinari non potest, quanta omnino esse debeat talium guttarum propinquitas: fatetur enim ipsemet remotiores non consecrari. Neque verò potest consecratio (sicuti neque alterius sacramenti confectio) pendere à futuro euentu contingente; vt nimirum eæ solùm guttæ consecrentur, quas postea continget calicis agitatione reliquo liquori cōmisceri. Optimè igitur fecerit Sacerdos, si ante oblationem calicis omnes guttas calici adhærētes abstergere curet, deinde offerat & consecret secundùm communem Ecclesiæ intentionem, cui suam conformari semper velit. Quòd si in tali casu Sacerdos aliam propriam intentionem habeat; v.g. consecrandi omne vinum, adeóque etiam guttas separatas, quæ intra calicem continentur; aut si ita secum statuat; Si contingat me tempore oblationis non recordari formarum appositarum, pro communione populi; vel si contingat tempore consecrationis me non recordari oblatorum, tunc nolo ea consecrare; fiet quidem sicuti intendit: sed videtur peccare; eò quòd intentio talis conformis non sit communi intentioni, ac praxi Ecclesiæ.

CAP. III.

De forma S. Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Forma substantialis verborum, quibus Christi corpus conficitur, hæc est, Hoc est corpus meum; & quibus calix consecratur, Hic est sanguis meus.*

2 *Virtute verborum, per omnipotentiam Dei substantialis fit conuersio panis in Christi corpus, & vini in sanguinem.*

3 *Verba consecrationi substantialia Sacerdos non materialiter tantùm, sed etiam significatiuè profert; reliqua autem verba tantùm materialiter, ac historicè.*

1 ASSERTIO I. Essentialis forma verborum, quibus corpus Christi per se conficitur, hæc est: *Hoc est corpus meum.* Ita S. Thom. quæst. 78. art. 1. aliique communiter. Probatur tum ex facto Christi apud Euangelistas, & S. Paulum 1. ad Corinth. 11. addito præcepto: *Hoc facite in meam commemorationem*: tum ex perpetua Ecclesiæ traditione, ac praxi.

Circa assertionem hanc aliqua aduertenda: Primum, Quòd verba Christi, quibus in cœna vltima Christus vsus est, & quotidie in Missæ Sacrificio Sacerdos in persona Christi vtitur, operatoria sint eius, quod significant: Atqui Christus apertis verbis significauit, ac testatus est, id quod Apostolis in cœna vltima porrigebat, esse suum corpus, & sanguinem: Ergo virtute illorum verborum, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: per omnipotentiam Dei efficitur, vt, quod antè erat panis, & vinum, iam fit corpus & sanguis Christi. Quæ dicitur transsubstantiatio, seu conuersio panis in Christi corpus, & vini in sanguinem, de qua Patres testantur, quos c. 1. allegaui. 2

Ad hanc porrò conuersionem non requiritur, vt corpus Christi de nouo producatur, seu reproducatur, neque vt de loco in locum adducatur: sed in eo substantialis conuersio ista consistit, quòd in locum substantiæ panis, accidentia hactenus sustentantis, nunc autem omnino desinentis, per omnipotentiam Dei succedat corpus Christi, itidem sustentans accidentia panis; quamuis non vt formas sibi inhærentes, sed altiore, tamen propriè dicto, sustentationis modo. Neque verò obstat huic doctrinæ, quòd secundùm eam neque substantia Christi, neque vlla eius pars producitur. Niholominus enim substantialis mutatio accidit circa Christi corpus, vti bene explicat Bellarmin. lib. 3. de Eucharistia, cap. 18. quandoquidem hæc conuersio terminatur ad substantiam corporis Christi, vt succedendo in locum panis, vniatur cum accidentibus, ea substentando.

Multò minùs obstat modus existendi sacramentaliter sub speciebus, seu accidentibus panis, absque extensione partium in ordine ad locum. Nam extensio corporis in ordine ad locum licèt fit ordinariè consequens naturam corporis; tamen in tali extensione formalis ratio corporeæ substantiæ nequaquam consistit; sed per omnipotentiam Dei separari potest. Sicuti enim diuina virtute fieri potest, & non semel factum est, vt duo corpora se mutuò penetrarent, eodémque loco existerent: sicutinotum est, Christum Dominum ex vtero illæso prodijsse, per ianuas clausas ad discipulos ingressum fuisse; ita etiam eadem Dei virtute fieri potest, vt partes omnes corporis Christi sine extensione sint, siue positione vnius partis extra alteram in ordine ad locum: adeóque indiuisibili consistant.

Multò adhuc minùs obstat, quòd Christi corporea substantia in cœlis existens, etiam in terris, non vno loco tantùm, sed vbicunque Sacrificium offertur, vel Eucharistia asseruatur, realem præsentiam habeat. Quia pręsentia ista localis, cùm accidens quoddam substantiæ sit, per diuinā omnipotentiam multiplicari potest, non multiplicato subiecto. Quemadmodum igitur plura corpora in vno loco existentia, non ideo desinunt esse plura, & substantialiter diuisa: ita etiam vnum corpus in pluribus locis existens, non ideo desinit esse vnum, seu substantialiter indiuisum. Vide S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

Alterum aduertendum. Verborum substantialium formæ, *Hoc est corpus meum*, hic plenissimus sensus est: Contentum sub his accidentibus, siue speciebus est corpus meum. Quamuis autem dum verba hæc inchoantur, sub accidentibus istis sit substantia panis: tamen cùm verba finita sunt, vt integram enuntiationem efficiant, earum veritas postulat, vt desinente substantia panis, sub eisdem accidentibus incipiat esse corpus Christi. In hoc enim transsubstantiationem consistere, paulò ante dixi.

Tertium, Præter illa quatuor vocabula, ad explicitam transsubstantiationis significationem requisita, nullum aliud vel antecedens, vel consequens pertinet ad formam

&

& essentiam consecrationis: quare si Sacerdos his solis verbis vteretur, cum intentione consecrandi panem præsentem, verè consecraret; licet grauiter peccaret.

Quartum, Vocula *enim* ex præcepti quidem necessitate adiungenda est: quam etiam Christum adiunxisse significat canon Missæ, & Innoc. Papa in c. cùm Marthæ, de celebrat. Missarum: licet Euangelistæ eius non meminerint in consecratione panis, sed solùm in calicis consecratione, Matth. 26. Veruntamen ad essentiam formæ, aut sacramenti necessitatem haud pertinet: quandoquidem sine hoc vocabulo, veritas & præsentia corporis Christi plenè significatur, ideóque etiam efficitur, his solis verbis, *Hoc est corpus meum.* Siquidem particula *enim* non formaliter, significatiuè, & assertiuè, sed tantùm materialiter, historicè, & recitatiuè profertur; sicuti & verba antecedentia, *accipite, & manducate:* quorum verborum causa redditur per voculam *enim.* Vide Suarez disp. 59. sect. 1. Coninck cit. quæst. 78. art. 3. dub. 1. vbi rectè explicat, illud dici recitatiuè siue historicè, quod refertur tanquam ab alio dictum; vti facimus, quando alicuius Doctoris verba referimus. Formaliter verò ac significatiuè loquimur, cùm per verba, quæ proferimus, nos ipsi aliquid affirmare, vel negare volumus.

Quintum. Si aliqua verborum forma vsurpetur, diuersam significationem habens, non erit valida consecratio: v. g. *Illud est corpus meum; Hîc est corpus meum; Hic panis est corpus meum; Hoc est corpus Christi.* Sin autem alia verba æquiualentia vsurpentur; illicita quidem, sed valida consecratio erit, v. g. *Istud est corpus meum.*

Assertio II. Essentialis forma verborum, quibus sanguis Christi per se conficitur, in his solis verbis consistit, *Hic est calix sanguinis mei.* Ita cum Magistro in 4. dist. 8. plerique Scholastici, & Gabr. Lect. 35. in canonem, Valentia tom. 4. disput. 6. quæst. 6. p. 1. Bellarminus lib. 4. de Euchar. cap. 14. argument. 9. Suarez disput. 60. sect. 1. Vasq. disp. 198. cap. 3. Coninck quæst. 78. a. 3. dub. 2. Henriquez lib. 8. cap. 17. num. 2. Licet S. Thom. q. 78 a. 3. S. Anton. p. 3. t. 13. cap. 5. §. 4. Syluest. ver. Eucharistia, 1. quæst. 6. dicto 4. P. Sotus lect. 2. de Euchar. & alij existimârint, etiam reliqua verba, quæ in Romano Canone adduntur, ad essentiam formæ spectare. Sed probatur assertio: Nam verba illa plenè ac sufficienter significant conuersionem vini in sanguinem Christi, eiúsque realem, & permanentem præsentiam: ergo eandem etiam efficiunt; consequenter reliqua verba accidentariè adijciuntur. Confirmatur ex eo, quòd neque apud Euangelistas neque in liturgijs Græcorum, Æthiopum &c. verba illa, *æterni, mysterium Fidei* reperiuntur. Non est autem credibile, Euangelistas non omnia verba formæ calicis essentialia tradidisse: aut Græcos, & Æthiopas, quibusdam verbis formæ essentialibus omissis, inualidè consecrasse solitos.

Circa hanc porrò assertionem duo notanda sunt: I. Verba illa formæ, *Hic est calix sanguinis mei*, hunc sensum faciunt: Hic est sanguis meus contentus in calice. Et videtur hæc forma, qua Ecclesia Romana, haud dubiè à S. Petro edocta, vtitur, paulò expressior, quàm illa apud S. Matthæum, & Marcum, *Hic est sanguis meus.* Dicendo enim *hic est calix* &c. significatur, sanguinem adesse tanquam potabilem. Ita docet S. Th. q. 78. a. 3. ad 1. Suarez disp. 60. sect. 3. §. solùm ergo.

II. Licet verba illa, *Noui, & æterni testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ad essentiam formæ, & ad sacramenti necessitatem non pertineant; imò quædam eorum ab Euangelistis posita non sint: tamen sine graui peccato omitti non possunt: quia & ab Ecclesia Romana in Canone Missæ studiosè obseruantur, & à Christo ipso omnia (etsi fortè non eodem ordine, & contextu, saltem eodem sensu, cùm neque Euangelistæ eodem modo, ac ordine verba Christi referant) dicta fuisse, partim ex Scriptura, partim ex traditione habetur; sicuti expressè docet Innocent. in cit. c. cùm Marthæ.

Assertio III. Omnia verba Canonis, incipiendo à *Qui pridie* vsque ad *Vnde & memores, Domine*, dicuntur à Sacerdote historicè, seu recitatiuè; sola autem verba, quæ vtriusque formæ essentialia sunt, videlicet, *Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei*, dicuntur non tantùm materialiter & recitatiuè, sed etiam formaliter, significatiuè, & assertiuè. Ita docet S. Th. q. 78. a. 5. eandémque sententiam S. Chrysost. expressit hom. 83. in Matth. & hom. 2. in 2. ad Timoth. S. Ambros. lib. 4. de sacrament. c. 4. *Quando peruenit Sacerdos ad conficiendum sacramentum, iam non suis, sed vtitur sermonibus Christi.* Etsi enim Sacerdos, finitis precationib⁹, referat quid Christus in cœna vltima fecerit, & dixerit; *Qui pridie, quàm pateretur, accepit panem, benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate. Et simili modo, postquam cœnauit* &c. attamen cùm verba ipsa essentialia profert, quibus sacramentum conficitur, non simpliciter refert, quid Christus dixerit; sed ipsemet quoque, induens personã Christi, dicit, & facit, quod ille in commemorationem suã, ac repræsentationẽ Sacerdotes facere præcepit. Quod disertis verbis docet Florent. Concil. in decreto Eugenij, §. Tertium est: *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi: & substantia vini in sanguinem conuertuntur.* Etenim nisi Sacerdos, in commemorationem ac imitationem Christi, verba consecrationis formaliter ac significatiuè proferret, affirmãdo & asserendo hoc, quod in manibus tenet, esse corpus, vel sanguinem Christi; tunc virtute verborum non fieret consecratio siue conuersio: quia verba sacramentorum non efficiunt, nisi quod significant. Confirmatur ex eo, quod suprà dixi tr. 2. de Baptismo c. 4. num. 2. In forma sacramenti necessariò significari debere actionem Ministri: id autem non fieret, nisi Sacerdos tanquam Christi personam repræsentans, significaret, per hanc suam ministerialem verborum consecratoriam formam, conuerti panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem.

Nihilominus contra assertionem hanc arbitratus est Durandus in 4. dist. 8. q. 2. ad 1. Omnia verba recensita, etiam quæ ad essentiam formæ spectant, materialiter & recitatiuè tantùm dici. Probat ex eo, quia fieri non posse videtur, vt eadem oratio tam recitatiuè, quàm significatiuè ab eodem proferatur. Quo etiam argumento motus Vasquez disp. 200. c. 2. cum Gabr. lect. 48. in Canonem Missæ, existimant, verba consecrationis significatiuè tantùm, non item recitatiuè ac historicè proferri. Id tamen verborum contextui ac sensui manifestò repugnat: reuera enim Sacerdos narrat verba consecrationis, tanquam dicta à Christo; & omnes audientes ita accipiunt, quod vel ex vnica particula *enim* coniungente verba sequentia cum antecedentibus satis colligitur, *Dicens*, (Christus) *accipite, & manducate: Hoc est enim corpus meum.*

Secundò probat suam sententiam Durandus ex forma calicis. Certum enim est, verba illa vltima, *Qui pro vobis effundetur*, non posse dici significatiuè, & assertiuè: nam alioquin falsa esset enunciatio: siquidem sanguis Christi, qui à Sacerdote consecratur, effundendus non est.

Ad primã obiectionem respondetur: Negando assumptum. Quia omnino fieri potest, vt aliquod dictum referam tanquam alterius, & simul idem quoque à me assertum velim: v. g. *Aristoteles dixit, quod & ego dico: Cœlum suapte natura incorruptibile est.* Sic etiam Sacerdos, *Christus accepit panem, & dixit, quod & ego, personam eius suscipiens, similiter facio, & dico: Hoc est corpus meum.* In qua oratione demonstratiuum *hoc* imprimis materialiter

ponitur, tanquam à Christo prolatum; deinde etiam formaliter ad denotandum id, quod præsentibus speciebus panis continetur.

Ad alteram obiect. respondetur, vt suprà; Licet omnia verba historicè & narratiuè dicantur; sola tamen illa, quibus sacramentum conficitur, peculiaris mysterij causa, ex Christi institutione, Ecclesiæ traditione, ipsiúsque Ministri intentione, dici etiam assertiuè, & significatiuè.

CAP. IV.

De subiecto, seu personis suscipientibus huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Tres sunt manducationes, seu modi sumendi S. Eucharistiam.*
2 *Olim etiam infantibus S. Eucharistia dabatur: nunc autem dari non solet ante sufficientem rationis discretionem.*
3 *Pueri, ac puellæ priùs ad sacram confeßionem, quàm ad S. Communionem adducendi sunt.*
4 *Qui post rationis vsum in amentiam inciderunt, his in mortis duntaxat articulo S. Eucharistia danda est, si capaces esse videantur.*
5 *Surdis & mutis à natiuitate, S. Eucharistia, & alia sacramenta ministrari poßunt.*
6 *Energumenis sacra Eucharistia danda est, si eam absque irreuerentia sumere poßint, & non propter scelera sua in Diaboli potestatem venerint.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Quinam sumptionis huius sacramenti capaces sint? Respondeo ex doctrina Concilij Trident. sess. 13. c. 8. S. Th. q. 80. a. 1. 2. & 3. Scoti in 4. d. 8. q. 3. Tres esse manducationes, siue modos sumendi hoc sacramentum: Vna est manducatio sacramentalis tantùm, per quam sacramentum accipitur; non item eius effectus, quæ est gratia sanctificans: qui sumendi modus in peccatoribus, & hominibus non baptisatis locum habet, sicuti colligitur ex Apost. 1. ad Corinth. 11. *Iudicium sibi manducat & bibit.*

Altera est manducatio merè spiritualis, per quam sacramentū non accipitur, sed res siue effectus eius, quando homo iustus, quamuis catechumenus, in fide viua votum seu desiderium suscipit manducandi hoc sacramentum. *Neque tamen frustra*, inquit S. Th. q. 80. a. 1. *adhibetur sacramentalis manducatio: quia pleniùs inducit sacramenti effectum ipsa sacramenti susceptio, quàm solum desiderium, sicuti de Baptismo dictum est.* Consentit Trid. sess. 22. c. 6.

Tertia, eáque perfecta manducatio est, spiritualis & sacramentalis simul, per quam vnà cum sacramento, etiam effectus eius accipitur, qui est gratiæ sanctificantis augmentum, per se loquendo; per accidens verò interdum gratia prima, seu iustificans, sicuti docet S. Th. q. 76. a. 3. Etsi enim hoc sacramentum per se institutum sit per modum spiritualis nutrimenti, quod non mortuis, sed viuis; id est, non peccatoribus, sed iustis tantùm fidelibus competit; per accidens tamen, ob inuincibilem ignorantiam peccati mortalis, vel existimationem habitæ contritionis, cùm non habeatur; potest etiam peccator suscipiendo hoc sacramentum cum fide & attritione, iustificari: eò quòd gratia, & virtus eius, licet ex speciali institutione nutritiua sit, interim tamen etiam ad viuificandum apta existat.

2 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum infantibus sacra Eucharistia danda sit? Respondeo & dico I. Licet olim in Ecclesijs consuetudo fuerit communicandi etiam infantes, sicuti constat ex S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. cap. 7. p. 3. Ordine Romano cap. de Sabbatho sancto, §. Illud autem de paruulis, & testatur Trid. Conc. sess. 21. tamen postea vbique sublata est. Quia licet sacramentum Eucharistiæ paruulis collatum, gratiam augeat, tamen ipsis necessarium non est, neque propriè pro ijs institutum. Habet enim rationem spiritualis alimoniæ, restaurantis vires animæ, quæ tum per internum concupiscentiæ fomitem, tum externas spiritualium hostium insidias debilitantur. Hæc autem ratio necessitatis locum non habet in paruulis: siquidem hi *per Baptismi lauacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt*, ait Trident. l. c. Igitur ob maiorem dignissimi huius sacramenti reuerentiam, non immeritò paruulis denegatur.

Quare nunc seruanda est Ecclesiæ constitutio, vt omnes vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint sacramenta Pœnitētiæ & S. Euchari- 3
stiæ suscipere debeant. Monēt tamē Doctores, inter quos Victor. de sacramen. pœnit. n. 139. Nau. c. 21. n. 57. Sa ver. Eucharistia, num. 12. Suarez disp. 70. s. 1. puerilem ætatem priùs ad Confessionem, quàm sacram Communionem admittendam esse: Quia ex vna parte sacramentum Pœnitentiæ ipsis magis necessarium est, si fortè vsum rationis adepti, in peccatum mortale lapsi sint: deinde in Confessione puerorum nullum irreuerentiæ periculum timeri potest: quandoquidem Sacerdos, si animaduertat, aliquem doli nondum capacem esse, sacramentalem absolutionem ipsi impertiri non debet, vt suo loco dicam. Ex altera verò parte sacramentum Eucharistiæ, ob eximiam dignitatem, maiorem animi præparationem requirere videtur. Sed hinc excipiendus videtur mortis articulus: nam pro eo tempore generalis regula tradi potest, ex c. penult. 26. q. 6. Quòd *cui sacramentum Pœnitentiæ conceditur, neque Eucharistiæ sacramentum negari debet, si desideret.* Idque notauit Suarez cit. s. 1. in fine, Zambran. cit. c. 3. dub. 2. Henriq. lib. 8. c. 42. in fine, qui addit tempore etiam Iubilei faciliùs pueros admittendos esse, rite instructos.

Porrò certa ætas definiri non potest, in qua pueri & puellæ ad S. Eucharistiæ sacramentum idonei sint: sed prudentium id parentum, multò magis Confessariorum iudicio æstimandum est. Nam alij citiùs, videlicet circa annum nonum, aut decimum; alij verò seriùs, circa annum ætatis decimumquartum, sufficientem rationis vsum, & spiritualium rerum intelligentiam assequuntur, sicuti præter alios notauit Sotus in 4. d. 12. quæst. 1. a. 9. Monent verò Nauar. cap. 21. n. 57. Sa cit. num. 12. Pueros, quamuis rite dispositos, interdum excusari auctoritate parentum prohibentium S. Communionem: ipsos autem parentes interdum excusari ob loci consuetudinem, quà pueri etiam post 12. annum non statim ad S. Communionem mittuntur. Quamuis enim verum sit, quod suprà dixi, puerorum capacitatem, non ex sola ætate; sed etiam ex ingenij ac morum constitutione æstimandam esse; tamen consuetudo illa quorundam locorum damnari facilè non potest: cùm sit probabilis sententia Suarez cit. s. 1. pueros, non statim vt ad eam ætatem peruenerunt, in qua licitè communicare possent, ad id etiam obligari: sed post aliquod tempus, puta vnum, aut alterum annum, idque tum propter reuerentiam sacramenti: tum propter maiorem fructum recipientium, si melius dispositi accedent. Addit verò Ioannes Chapeauille de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, c. 4. q. 9. post. Nau. cit. n. 57. Neque in mortis articulo pueros ante dictam ætatem ad S. Communionem obligari, videlicet, vt ille ait, masculos ante annum 14. vel 15. fœminas verò ante 12.

Denique aduertit Zambran. l. c. Pueros, propter animi leuitatem, ac facilitatem ferme non tam frequenter ad S. Eucharistiam admittendos esse, quàm adultos. Interdum verò proba institutio, iuncta cum animi maturitate, compensat teneræ ætatis imbecillitatem: quod prudens Confessarius arbitrabitur.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum amentibus S. Eucharistia

chariſtia danda ſit? Reſpondeo cum S. Thom. quæſt. 80. a. 9. Soto in 4. d. 12. q. 1. a. 9. Henriq. lib. 8. cap. 42. aliiſque, & dico I. Iis, qui ab infantia perpetuò amentes fuerunt, Euchariſtia danda non eſt: quia eadem ipſorum ratio eſt, quæ infantium.

4 Dico II. Ijs, qui poſt rationis vſum in amentiam inciderunt, Euchariſtia danda eſt duntaxat in mortis articulo. Habetur in Conc. Arauſicano I. can. 3. Carthaginenſi 4. can. 76. & refertur in c. is qui, 26. q. 6. Ratio eſt: Quia tanti ſacramenti dignitas ac reuerentia poſtulat, vt ſine graui cauſa ac neceſſitate, non detur niſi ijs, qui cum actuali diſpoſitione ac deuotione accipere poſſunt: Talis autem neceſſitas non niſi in mortis articulo cernitur, ne amentes abſque ſacro viatico diſcedant, quod ante amentiam ipſos ſeu explicitè, ſeu implicitè deſideraſſe, eo ipſo præſumitur, quod catholicè, atque obligationis & ſalutis ſuæ non immemores vixerint: id verò propoſitum ac deſiderium, cùm ipſi in tali ſtatu per ſe exequi non poſſint, Eccleſia meritò ſupplet. Accedit, fieri potuiſſe, vt in peccato mortali, quod vel ignorabant, vel de quo imperfectè contriti erant, cum propoſito confitendi, in amentiam inciderint: quo caſu per ſuſceptionem S. Euchariſtiæ iuſtificari, atque ſaluari poterunt: qua de re Suarez diſp. 69. ſ. 2.

Excipe I. Niſi conſtet, vel præſumi debeat, aliquem in ſtatu peccati mortalis, atque impœnitentem in amentiam incidiſſe. II. Si amens ſine periculo irreuerentiæ communicari non poſſit: cuius rei experientia capi poteſt, præbendo illi vnam, vel alteram hoſtiam non conſecratam: poſtea, ſi appareat deglutiri poſſe, conſecratam, vti ſuadet Zambr. dub. 4. num. 5. III. Si ſpes ſit amentem recepturum vſum rationis, tunc tale tempus exſpectandum eſt, vt maiore cum reuerentia ac fructu ſacramentum ſuſcipiatur, ſicuti notat Coninck cit. q. 80. a. 9. n. 74.

Dico III. Semifatui, qui debilem & imperfectum rationis vſum obtinent, ad S. Euchariſtiam admittendi ſunt. Ita S. Th. cit. a. 9. Quod intelligo primò: Vt licet rariùs, quàm alij, ſecundùm prudentis Confeſſarij iudicium: minimùm tamen in Paſchate, multòque magis in mortis articulo admittantur. Secundò, Modò cum rationis vſum obtineant, vt peccare, & ſacramentalem abſolutionem accipere, atque inter cibum ſpiritualem & profanum diſcernere poſſint. Alioquin enim nullam deuotionem afferent, atque inter infantes numerandi erunt, ſi à prima ætate tales extiterunt.

QVÆSTIO QVARTA. De muto, & ſurdo à natiuitate, vtrum ei Euchariſtia, & alia ſacramenta miniſtrari poſſint?
5 Reſpondeo: Quòd mutus & ſurdus à natiuitate ſacramentum Pœnitentiæ accipere poſſit, ex communi DD. ſententia tradit Sanch. lib. 1. de matrim. diſp. 8. diffic. 2. Et quòd tales, quatenus fieri poteſt, ſignis ac nutibus confiteri peccata debeant, docet Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, condit. 11. Nauar. in c. fratres, d. 5. de Pœnit. n. 89. Tolet. lib. 3. c. 6. Idem verò ſentiendum eſſe arbitror de alijs ſacramentis, etiam S. Euchariſtia, poſſe eam muto ac ſurdo à natiuitate, ſaltem Paſchali tempore, & in mortis articulo miniſtrari: ſi alioquin non indiſpoſitus appareat: idque docet Abbas in cap. cùm apud, num. 6. de ſponſalibus. Quia licet talis homo diſtinctè edoceri, atque intelligere omnia non poſſit, quæ ad ſubſtantiam ſacramentorum concurrunt: ſufficit tamen, ſi ad S. Euchariſtiam accedat, tanquam ad cibum non profanum, ſed ſpiritualem, in animæ ſuæ ſalutem diuinitus inſtitutum: ſi ſacramentum abſolutionis petat tanquam remedium peccatorum ſuorum: dummodo de ijs doleat, & quatenus poteſt, ea confiteatur. Plerumque autem talia muti ac ſurdi colligere ſolent, attenta conſideratione eorum, quæ ab alijs fieri vident: videlicet, quòd cum reuerentia ſacram hoſtiam adorent, cum deuotione ſumant, tanquam cibum non profanum, ſed ſpiritualem: Item, quòd cum dolore ac gemitu ad Confeſſarium accedant, accuſantes ſe de peccatis ſuis: hoc ipſum, inquam, ſi neque oculis priuati, neque mente hebetes ſint, deprehendere poſſunt, ac ſolent, partim propria conſideratione eorum, quæ ab alijs fieri vident: partim etiam ex nutibus & ſignis, quæ ab aliquo inſtructore ipſis adhibentur. Talem autem inſtructionem faciliùs adhibebunt ij, quibuſcum ſurdus ac mutus continuò habitat: vel ſaltem Confeſſarius à talibus edoceri poterit, quomodo cum ſurdo & muto nutibus agere debeat, vt vim ſpiritualem ſacramenti aliquo modo percipiat: & quædam peccata, quatenus poteſt, ſignis declaret, ad abſolutionem accipiendam. Non debet tamen Confeſſarius, excepto mortis periculo, mutum & ſurdum abſoluere, quamuis de peccatis ſuis dolere ſe ſignificet, pectus tundendo &c. niſi vnum ſaltem peccatum in ſpecie, ſiue particulatim aperiat, per conſuetum ſibi aliquem nutum.

Sed obijciunt aliqui: Mutus & ſurdus à natiuitate non poteſt humano ingenio, ſine vlla docentis auditione, aut libri lectione, comprehendere, in Euchariſtia, quæ ipſi ſumenda datur, non contineri ſubſtantiam panis: ſed verum & vinum corpus Chriſti Saluatoris noſtri: Ergo non eſt rectè diſpoſitus ad accipiendum ſacramentum. Reſpondeo primò: Non eſſe certum, quòd talis ſurdus ac mutus, ſpeciali Dei auxilio adiutus, myſterij veritatem per exteriora ſigna non agnoſcat: cùm talis homo adultus & rationis compos, vt ſaluus fieri poſſit, ſecundùm communiorem ſententiam explicitè cognoſcere debeat SS. Trinitatem, & Filium Dei incarnatum, quæ tamen difficillimè exterioribus ſignis ſine voce, ac ſcripto exprimi poſſunt.

Secundò, retentâ ſententiâ, quam defendi lib. 2. tr. 1. c. 8. num. 5. Reſpondeo, ſatis diſpoſitum eſſe talem hominem, qui inuincibili myſterij ignorantia laborat, ſi veritatem S. Euchariſtiæ agnoſcat implicitè, credendo eſſe ſpirituale donum Dei, ad animæ ſuæ ſalutem inſtitutum, quod proinde accipere velit ſecundùm illam intentionem, qua ab alijs fidelibus, ſeu tota Eccleſia accipitur: etſi interim ſpeculatiuam priuatam perſuaſionem habeat, eſſe aliquid purè creatum.

QVÆSTIO QVINTA. De energumenis, ſeu à malo Dæmone obſeſſis, vtrum eis S. Euchariſtia danda ſit? 6
Reſponſio eſt affirmatiua: dummodo ſine irreuerentia ſacramenti communicari poſſint. Ita docet Concil. Arauſicanum, can. 14. S. Thom. 3. p. quæſt. 80. art. 9. ad 2. Dominicus Sotus lib. 4. ſentent. d. 12. quæſt. 1. Petr. Thyræus de dæmonibus p. 2. cap. 28. Suarez t. 3. diſp. 69. ſ. 2. in fine, Seuerinus Binius t. 1. Concil. in can. 29. Concil. Eliberini: eiúſque rei exemplum leges apud Proſperum de promiſſ. & prædicat. dimidij temporis, c. 6. His adde Caſſianum collat. 7. cap. 30. vbi ait: Energumenis, *Communionem ſacroſanctam à ſenioribus nunquam meminimus interdictam:* cuius rei bonam rationem affert: *Magis namque, ac magis inimicus inſultabit obſeſſo, cùm eum à cœleſti medicina viderit ſegregatū; tantóque diriùs, & frequentiùs attentabit, quantò eum à ſpirituali remedio longiùs ſenſerit abdicatum.* Excipi debet: Niſi tales energumeni ſint, qui propter publica ſcelera, tanquam reſciſſi & excommunicati ab Eccleſia, Diabolo traditi ſunt ad vexationem, ſecundùm Apoſt. 1. ad Corinth. 5. de quibus ſermo eſſe videtur in Concil. Eliberino cit. c. 29. Eademque ratio eſt, ſi conſtet, aut præſumi poſſit, propter ſcelus quodcunque, adeóque in ſtatu peccati incidiſſe illos in poteſtatem Diaboli.

CAP. V.

De necessitate, & obligatione huius Sacramenti suscipiendi.

SVMMARIVM.

1 *Sumptio S. Eucharistiæ, propriè loquendo, non est necessaria hominibus, necessitate medij, ad salutem.*

2 *Sumptio S. Eucharistiæ fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti diuini; non tantùm in mortis articulo, sed sæpius in vita.*

3 *Frequentiùs accidit, vt sacra Eucharistia ad infirmos deferenda sit, quàm Extrema vnctio.*

4 *Si homo paucis diebus antè, quàm in mortis periculum incidit, communicarat, non tenetur iterum communicare: secùs, si longiore tempore.*

5 *Ecclesia non permittit, vt aliquis intra eundem diem bis communicetur.*

6 *Parochi aduigilare debent, an aliqui in mortis periculo constituti sint, vt maturè, & de die sacrum viaticum eis afferant.*

7 *Frequens S. Eucharistiæ sumptio commendabilis est.*

8 *Ecclesiæ præcepto fideles obligantur ad Eucharistiam in Paschate sumendum: sin verò tunc non accipiant, debent postea, cumprimum commodè possunt, communicare.*

9 *Qui prouidet se in Paschate à S. Communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum præuenire, modò intra eum annum semel communicarit.*

10 *Pœnæ canonicæ ijs decretæ, qui annuam confessionem, vel Paschalem Communionem intermittunt, non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ ab Ordinario loci.*

11 *Nullum Christi præceptum extat de sacra Communione ab alijs, qui non sacrificant, sub vtraque specie sumendi.*

Sacerdos de oblatis suis, adeoque de vtraque specie participare debet.

12 *Essentia, & spiritualis fructus Eucharistiæ, quatenus sacramentum est, in vnica specie consistere potest. Vide in num. præced.*

13 *Sacra Communio sub vna panis specie in veteri etiam Ecclesia vsitata fuit.*

14 *In veteri Ecclesia consuetudo erat sacram Eucharistiam in Ecclesia à Sacerdote acceptam domum ferendi, & sumendi: qui tamen mos postea sublatus fuit.*

15 *Clericorum Communio olim appellata erat, quæ intra altaris cancellos fiebat; laicorum verò, quæ extra cancellos.*

16 *In veteri Ecclesia indubitatum erat S. Eucharistiam consecratione effici, extra vsum permanere, asseruandam & adorandam esse.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Vtrum hoc sacramentum fidelibus necessarium sit necessitate medij, an præcepti, diuini, aut Ecclesiastici? Respondeo & dico 1. Sumptio S. Eucharistiæ, propriè loquendo, non est hominibus necessaria necessitate medij ad salutem. Ita S. Thom. q.65. a.4. Suarez, & Coninck in q.73. a.3. Sotus in 4.d.8.a.3. Gabr. d.9.q.1.a.2. contra Henriq. lib. 8. c.3. Zambranum de sacram. Eucharistiæ, cap. 3. dub. 1. Nam duo tantùm sacramenta sunt, inquit S. Th. quæ personis singularibus necessaria sunt ex hypothesi finis, id est, vt salutem æternã consequantur, Baptismus & Pœnitentia. Ratio est: Quia tantùm hæc duo sacramenta à Deo instituta sunt, tanquam media per se iustificationis: Baptismus quidem simpliciter, & pro omnibus, spectata lege DEI ordinaria; Pœnitentia autem, supposito peccato mortali; siue pro omnibus communiter, sed tantùm pro lapsis. Eucharistia autem neque ad remissionem culpæ originalis instituta est: nam alioquin etiam paruulis foret necessaria, quod reprobat Trident. Synodus sess. 21. can. 4. Neque ad remissionem peccati mortalis: nam alioquin, qui mortaliter peccasset post sumptum viaticũ, deberet denuo Eucharistiam sumere, si posset: quod tamen Doctores communiter negant. Imò nec licitum est eodem die iterum sumere; etsi infirmus, qui post sumptum viaticum mortaliter peccauit, mox se moriturum existimet: sed sufficiens ei est, atque necessarium sacramentum Pœnitentiæ re, vel voto susceptum. Qua de re Suarez disp. 40. s. 1.

2 Dico II. Sumptio S. Eucharistiæ fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti diuini: non tantùm in articulo mortis per modum viatici, sed sæpius in vita. Hæc assertio tres partes continet, quarum prima expressè traditur à S. Thom. quæst. 80. art. 11. & alijs communiter, contra Caiet. in cit. a. 11. Sumitur ex verbis Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* quod dictum ad omnes fideles (quamuis differenter pro cuiusque statu) pertinere, colligitur ex Apost. 1. ad Corinth. 11. Trident. sess. 13. cap. 2. S. Thom. cit. a. 11. Necessitas autem seu obligatio huius præcepti in eo consistit, vt homo propositum habeat suscipiendi hoc sacramentum tempore opportuno: consequenter re ipsa suscipiat, cùm temporis opportunitas, vel moralis necessitas adest: siquidem hæc est conditio siue natura præcepti affirmatiui. Vide S. Th. l.c.

Altera pars assertionis; Esse diuinum præceptum sumendi Eucharistiam tempore mortis, instar viatici, est valde probabilis apud Dominic. Sotum in 4. d.12. quæst. 1. a. 11. Petr. Sotum Lect. 9. de Euchar. Valentiam t. 4. disp. 6. quæst. 8. p. 4. Suarez disp. 69. s. 3. Vasq. disp. 214. s. 2. Probatur ex Concilijs, & perpetua praxi Ecclesiæ, magna diligentia cauentis, ne infirmi sine viatico decedant, vt videre est in Concilio Nicæno 1. can. 13. & alijs relatis causa 26. quæst. 6. c. si quis, c. de ijs, & testatur Trident. sess. 13. cap. 6. vt proinde negari non possit esse hanc Apostolicam traditionem: valde autem verisimile, à Christo acceptum fuisse mandatum. Quamobrem Parrochis curandum est, vt semper in sacrario seu tabernaculo, claue obserato, pro infirmorum Communione seruentur hostiæ cõsecratæ in pixide munda, operculo suo bene clausa, & velo cooperta: quas hostias, ne vetustate corrumpantur, communicantibus in Ecclesia ante alias distribui, vel ab ipso Sacerdote in Sacrificio, post suum oblatum, ante ablutionem, sumi, & alias nouiter consecratas substitui subinde oportet. Atque de hoc more S. Eucharistiam asseruandi pro morituris in Ecclesia semper recepto videri potest Bellarm. lib. 4. de Euchar. c. 4.

3 Porrò circa infirmorum Communionem ad praxin aliqua notanda sunt: I. Tametsi consuetudo Ecclesiæ non est, neque decet, vt ad omnes infirmos sacra Eucharistia per plateas deferatur; tamen eius delatio frequentior est, quàm sacræ vnctionis. Primò: Quia non tantũ mortis periculum exspectandum est, ad sacram Eucharistiam infirmo ministrandam; quantum ad vnctionem extremam. Secundò: Si quis diuturno morbo detineatur, vt ad Ecclesiam accedere non possit; sacrosanctam Eucharistiam ad animæ suæ salutem ac medicinam, non tantùm semel, puta in Paschate; sed etiam sæpius, spectatis circumstantijs loci &c. petere iure poterit.

II. Si nullum probabile periculum mortis, vel superuenientis diuturnæ phrenesis infirmo imminere videatur, illicitum est, ipsi non ieiuno S. Eucharistiam ministrare, vti bene notat Zambranus cap. 3. dub. 5. num. 1. Quia communiter fatentur Doctores, ob solam necessitatem S. Eucharistiam non ieiunis dari posse.

4 III. Si infirmus vno, duobus, tribus, vel etiam octo diebus, antequam in mortis periculum incidit, communicauerat, consulendum quidem ei est, vt iterum S. Eucharistiam per modum viatici accipiat: tamen ad id non obligatur: cùm præceptum de Eucharistia ante mortem instantem sumenda secundùm substantiam impleuerit. Quin imò Doctores aliqui, vt Caietan. ver. Communio, Armilla eod. num. 4. Sa ver. Eucharistia, num. 1. absolutè negant, eum mortaliter peccare, qui cùm in Paschate

chate communicârit, superueniente mortis periculo, sacram communionem intermittit per negligentiam, tamen sine contemptu. Quæ doctrina saltem ad hoc inseruire poterit, vt defunctus propter talem omissionem de hęresi suspectus esse nō debeat, nec sacra sepultura, & suffragijs Ecclesiæ priuari. Alioquin verò sententia illorum DD. tanquam minùs probabilis reijcitur apud Henriq. lib. 8. cap. 4. Suarez disp. 69. s. 3. Zambr. de sacramen. Euchar. cap. 3. dub. 1. Quare ita distinguendum est cum Palud. in 4. dist. 9. quæst. 1. a. 1. in fine: vel infirmus paulò antè, puta octo, vel decem diebus communicauit, cùm sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitans: tunc non tenetur iterum communicare in morbum lapsus: Sin verò longius tempus, v. g. vnius mensis, à Communione præcedente elapsum est, quo sanus, & nihil de mortis discrimine cogitans communicauit: debet iterum communicare, si in præsens mortis periculum cadat.

IV. Qui semel in mortis periculo constitutus S. Eucharistiam per modum viatici accepit, perseuerante eodem periculo, poterit iterum accipere per modum viatici, quamuis ad hoc non obligetur. Sed excipiunt aliqui apud Zambr. cit. dub. 1. in fine, nisi infirmus post Communionem in mortale peccatum lapsus esset: Id verò Zambran. & Suarez ll. cc. rectè reijciunt: nam alioquin sequeretur, intra eundem diem S. Eucharistiam iterum sumendam fore, si infirmus post primam susceptionem
5 mortaliter peccasset: Ecclesia autem, S. Thom. teste quæst. 80. art. 10. ad 2. non permittit, vt intra eundem diem bis communicetur: sicuti permittit, vt sæpius sacramentum Pœnitentiæ ministretur, quippe quod per se institutum est ad tollendum peccatum mortale, ideóque toties recipiendum, quoties homo propter admissum peccatum indiget: non ita verò S. Eucharistia.

V. Parochis obligatio incumbit, vt intelligere cu-
6 rent, an sint aliqui infirmi constituti in periculo mortis, quos inuisere, & spiritualiter pascere oporteat, sicuti colligitur ex c. 1. de celebrat. Missarum. Etsi verò magis deceat, idque curandum sit, vt S. Eucharistia interdiu ad ægrotos deferatur, si tamen necessitas suadeat, quia periculum in mora est, etiam de nocte deferri debet. Qua de re Zambran. cit cap. 3. dub. 1. num. 5. Suarez disput. 66. s. 5. paulò post principium.

Tertia demum pars assertionis: Quòd fideles in vitæ suæ decursu S. Eucharistiam interdum sumere diuino Christi præcepto obligati sint, est Soti, & aliorum ll. suprà cit. Probatur ex eo, quia hoc sacramentum institutum est per modum spiritualis cibi & potus, nutrientis & confirmantis animam, qua analogia significari videtur, sine cœlesti hoc alimento vitam hominis spiritualem diu consistere non posse, iuxta illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, scilicet permanentem ac diu perseuerantem, vti explicat Ægid. Coninck q. 73. a. 3. prope finem.

Ex quo colligitur, cum Trident. sess. 13. cap. 8. & S. Thom. quæst. 80. a. 10. S. Bonauent. in 4. d. 12. quæst. 3. a. 1. Palud. ibid. q. 1. a. 4. & 5. Durando q. 5. Per se loquendo, & spectata natura sacramenti, vtile esse frequenter,
7 imò quotidie sacrosancto illo cibo animam nutrire, & quod per concupiscentiam deperditum est, restaurare. Idque olim in primitiua Ecclesia vsitatum fuisse, indicant verba Actor. 2. *Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis*. Quare Patres aliqui apud Suarez disp. 69. s. 3. & 4. *panem quotidianum*, quem in oratione Dominica petimus, hunc supersubstantialem ac diuinum interpretantur, quod etiam S. Matth. cap. 6. expressit. Inter alios S. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. ita loquitur: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie merearis accipere*. S. Basilius in epist. ad Cæsarium Patritium: *Communicare singulis diebus, & sanctum Christi corpus accipere, præclarum, & vtile est*. S. Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochen. *O consuetudinem, O præsumptionem: Sacrificium frustra quotidianum: incassum assistimus altari; nullus est qui communicetur: hæc non vt temere communicemini, dico: sed vt vos dignos reddatis*. Vide de hac quæstione S. Hieron. epist. 28. ad Lucinium, S. August. epist. 118. ad Ianuar. cap. 3. & de sermone Domini in monte, lib. 2. cap. 7. Gennadium de Ecclesi. dogmat. cap. 53. relatum in c. quotidie, d. 2. de consecrat. Walfrid. Strabonem de rebus Ecclesiast. cap. 20. S. Bonau. lo. cit. quæstiun. 3. vbi bene ostendit, melius esse ex deuotione sacram Eucharistiam sumere, quàm ob humilitatem, & reuerentiam sacramenti abstinere: quia prior actus amoris est, alter timoris: amor autem timori præualet.

At verò per accidens, consideratis vitæ huius impedimentis, & distractionibus, rarò hodie inter laicos repeririuntur, qui idonei sint ad S. Eucharistiam sæpius, quàm octauo quoque die, cum ea, qua par est, reuerentia, atque animæ suæ fructu, aliorumque ædificatione, sumendam. Quibus verò personis in particulari consultum sit communicare quot septimanis, vel etiam interdum diebus festis intra hebdomadem cadentibus, (si continentes, & à mundo abstractæ personę sint) prudens Confessarius, spectato earum statu, ac dispositione, diiudicabit. Vide Barthol. Medinam p. 1. instruct. c. 14. §. 42. Ægid. Coninck. q. 80. a. 10.

Dico III. Ecclesiastico præcepto obligantur fideles, 8
postquam ad annos discretionis peruenerunt, S. Eucharistiam in Paschate quot annis sumere. Habetur in c. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. Trid. sess. 13. can. 9. Circa quam assertionem aliqua aduertanda sunt. I. Tempus Paschale, quod sacræ Communioni ab Ecclesia definitum est, quindecim dies communi iure complectitur: qui sunt à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis, sicuti ex declaratione Eugenij IV. refert Nau. cap. 21. n. 45. *Communi iure*, inquam: nam quibusdam locis consuetudine, aut Pontificio priuilegio hoc tempus extensum est: vt vel integram Quadragesimam complectatur, sicuti Mediolani; vel quatuor hebdomades, duas ante, & duas post Resurrectionis diem, sicuti apud nos Monachij.

II. Vera, & in praxi recepta est sententia, quod qui Paschali tempore seu iusta, seu iniusta de causa, sacram Cōmunionem accipere intermisit, postea, cumprimum commodè potest, commuuicare debeat, vt quantò diutius differat, tantò magis peccatum augeat, sicuti docet Nau. l. c. Azor t. 1. lib. 7. c. 40. q. 5. Graffis p. 1. lib. 2. decis. cap. 38. num. 25. Suarez disp. 70. s. 2. Ægid. Coninck cit. q. 80. a. 11. dub. 4. contra S. Anton. p. 2. tit. 9. c. 9. §. 3. Sotum in 4. d. 18. quæst. 1. a. 4. Syluest. ver. Euchar. 3. quæst. 15. Tabienam ver. communicare, quæst. 7. Henriq. lib. 8. cap. 5. num. 1. Sa ver. Euchar. num. 7. Valentiam cit. disp. 6. quęst. 8. p. 4. Cùm enim vnum principaliter præcipitur, alterum secundariò: etsi quod secundarium est, negligatur, aut seruari non possit, debet tamen impleri, quod principale est: Vt si Confessarius pręcipiat ieiunium in feria sexta, si ea die pœnitens non ieiunet, debet alia die ieiunare, qua commodè potest: & qui obligatur tributum soluere ad diem S. Georgij, si tunc non soluat, postea cum primum potest, soluere cogitur. Sic autem Ecclesiæ quoque principalis intentio est obligandi fideles ad S. Eucharistiam singulis saltem annis sumendam: secundariò autem determinat tempus Paschale, veluti maximè conueniens ob memoriam tum passionis Dominicæ, tum huius sacramenti institutionis.

III. Qui prouidet, se in Paschate à sacra Communio- 9
ne impeditum iri, non tenetur tempus pręscriptum pręuenire: dummodo intra eum annum semel communicârit. Priorem partem docet Suarez cit. s. 2. dub. 3. Ægid.

cit. dub. 4. concl. 2. Ratio est: Quia nemo obligatur ad anticipandum opus pręceptum, nisi tali anticipatione satisfaciat, præcepto Ecclesiæ de communione Paschali: quod eo signo colligitur, quia si ponamus, postea impedimentum præter opinionem tolli, adhuc obligatus erit ad Paschalem Communionem.

Addidi verò, *Dummodo intra annum* &c. Hæc enim limitatio necessariò addenda videtur: quia si post vltimum Paschale tempus numquam communicasti, & initio Quadragesimæ v.g. prouides, te circa proximum Pascha impeditum iri omnino teneris præuenire; ne vltra annum sacram Communionem differas, contra Ecclesiæ præceptum, vt *singulis annis saltem in Pascha* (ait Tridentin. Synodus) vel vt Concil. Lateranense loquitur, *ad minus in Pascha*. Eucharistiæ sacramentum suscipiatur. Cùm enim in hoc sacramento duo sint; vnum principale, ac substantiale, vt S. Communio vltra annum non differatur: alterum accessorium, vt tempore Paschali, tanquam omnium congruentissimo, sacramentum suscipiatur; tametsi anticipando adimplere non possis hoc secundarium, potes tamen quod est principale, ac magis substantiale.

10 IV. Pœna in Lateranensi Concil. c. omnis vtriusque, decreta transgressori huius præcepti de annua Confessione, vel Paschali Communione, vt viuens ab Ecclesia arceatur, & mortuus Ecclesiastica sepultura prohibeatur, non est sententiæ latæ, sed ferendæ, vti verba indicant. Quapropter Parochi, cùm iurisdictione in foro externo careant, non facilè eam pœnam alicui inferre debent, nisi priùs monito, atque iubente Ordinario; presertim si intermissio sacræ Confessionis, aut Communionis aliqua causa excusari posse videatur: Inspiciendæ etiam in hac re sunt speciales diœcesium constitutiones, & consuetudines. Vide Suarez disp. 70. s. 3. in fine.

11 ALTERA QVÆSTIO. Vtrum extet aliquod Christi præceptum de sacra Eucharistia, extra Sacrificium sumendi sub vtraque specie? Respondeo; Nullum de ea re Christi præceptum extare, ideóque ab Ecclesia constitui posse, vt vel sub vna, vel vtraque specie Eucharistia ab alijs, præter sacrificantem, sumatur. Ita S. Thom. q. 80 a. 12. Ratio est; Quia quæ ad accidentales modos seu ritus sacramentorum pertinent, ea Christus non præcepit, sed Ecclesiæ disponenda reliquit. At verò Communio sub vna, aut vtraque specie, ad accidentalem tantùm modũ sũptionis S. Eucharistiæ spectat: Ergo de ea Christus nihil præcepit, sed Ecclesiæ reliquit secundùm temporum, & locorum circumstantias determinandum. Probatur minor ex Trident. Concil. sess. 21. c. 3. Nam siue in Eucharistia spectemus sacra symbola, fateri cogimur, speciem panis esse verum sacramentum: cùm propriam materiam habeat, & propriam verborum formam, per quam consecratur & efficitur; ideóque statim ante Calicis consecrationem in cœna vltima Apostolis manducandum tradebatur: & nunc, secundùm Ecclesię consuetudinem, populo adorandum exhibetur. Videri potest S. Augustin. in psal. 33. concione 1. *Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Quælibet item species, v.g. species panis secundùm se, ac seorsim sacram significationem gerit, quæ Eucharistiæ sacramento propria est: videlicet, tum internæ refectionis animæ, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*: tum vnionis fideliũ cũ Christo, & inter se, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 10. *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus.* Siue in Eucharistia spectetur res contenta ac significata, ea in vna specie v.g. panis verè, ac realiter est totus Christus, tanquam animarum nostrarum cibus, & cum quo tanquam capite vnimur, sicuti significatur eod. c. 6. Ioan. *Qui mãducat me, viuet propter me*: manducando enim Eucharistiam seu speciem panis, Filius Dei in nobis manet, & nos in ipso, vti explicat S. Hilarius lib. 8. de Trinit. S. Damasc. lib. 4. de Fide c. 14. Idque explicat Trident. Synodus sess. 13. c. 3. vbi ait: Licet ex vi verborum consecrationis solùm Christi corpus adsit, tamen per concomitantiam, seu connexionem, etiam adesse sanguinem, animam, ac vitã: quandoquidem Christus, postquam ex mortuis surrexit, iterum moriturus non est, ad Rom. 5. Adesse etiam diuinitatem, propter admirabilem, indissolubilem Verbi diuini cum corpore & animo eius hypostaticam vnionem.

Quo ipso argumento S. Ambros. vsus videtur in lib. de ijs qui mysterijs initiantur, c. 9. *In illo sacramento Christus est, quia corpus est, Christi non corporalis esca, sed spiritualis est.*

Cyrillus Hierosol. catech. 5. mystag. *Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis: sed sinistram veluti sedem quandam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi.*

S. Hieron. epist. ad Hedibiam, q. 2. *Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus ipse conuiua, & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur.*

S. Chrysost. lib. 3. de sacerdot. *O Dei benignitatem: qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur.* Et hom. 83. in Matth. *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta eius desideras videre? ipse verò seipsum tibi tradit non videas solùm, verùm etiam vt tangas, & in te habeas.*

Obiectiones contra Communionem sub vna specie, hæ sunt: I. ex verbis Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nam hæc verba de sumptione Eucharistiæ accipienda esse, testantur Patres apud Suarez disput. 46. sect. 2. II. Ex verbis Christi Luc. 22. S. Pauli 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* III. Ex verbis Christi Matth. 28. *Bibite ex hoc omnes.* IV. Cùm sacramentum Eucharistiæ in vtraque specie institutum fuerit, sequitur, quòd in vna sola specie imperfectum sit; ideóq; sacramentũ diuidatur, & populo pars vna sacramenti denegetur; cuius tamẽ secundũ Christi institutionẽ capaces esse possunt. V. ex Leone I. in serm. Quadrag. 4. vbi reprehẽdit Manichæos qui *Christi corpus accipiunt, sanguinem autẽ redemptionis nostræ haurire omnino declinant*: eámq; *sacrilegam simulationem* appellat. VI. ex Gelasio Papa, cuius verba referuntur dist. 2. de cons. c. comperimus, vbi de sumptione sacri corporis absque calice ait, quòd, *diuisio vnius, eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.*

Ad I. respondetur sensum verborum esse iuxta hebraicam phrasim: Si nec manducaueritis carnem filij hominis, nec biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: sicuti & illud Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi*, id est, neque argentũ habeo, neque aurum. Accedit, quòd qui corpus Christi accipit, etiam sanguinem accipit: quia totum Christum in se sumit, qui animæ tum cibus confortans, tum potus exhilarans, ideóque plena refectio est. Vide Suarez disput. 71. sect. 2. Bellarmin. lib. 4. de Euchar. c. 25.

Ad II. respondeo; Tametsi verba illa solùm post sacri corporis porrectionem à Christo prolata legantur, probabiliter tamen ad totam Christi actionem referri: Christus autem inprimis consecrauit sub vtraque specie: quod fatemur Apostolis, aliisque futuris Sacerdotibus præcipere voluisse, vt facerent in memoriam passionis suæ: quandoquidem ratio Sacrificij incruenti, per quod sacrificium cruentum, ac mors Christi repræsentatur, in vtraque specie perficitur. Ex quo consequenter colligi videtur, Christi voluntatem fuisse, quod & Ecclesia semper obseruauit, ac præcepit, vt Sacerdos, de oblatis participaret, adeóque vtramque speciem sumeret. Quare, vt obiter notẽ, reprehendendus est Sacerdos ille, qui formulam vnicam, quam in Missa consecrãrat, pro sacra processione seruauit, & pro ea veterem ex sacro

sacro ciborio deprompta, absumpsit. Deinde Christus species consecratas discipulis sumendas porrexit: vbi non possumus accipere præceptum, quod attinet ad modos seu ritus accidentales ministrandi, aut sumendi Eucharistiam: alioquin necesse esset semper in mensa accumbentibus, cœnatis &c. Eucharistiam dare. quod tametsi principio Ecclesiæ vsitatum fuerit, postea tamen sublatum est; quia ad accidentales ritus pertinet. Accedit, quòd S. Paulus 1. ad Corinth. 11. satis explicauit mentem Christi, non præcipientis absolutè, vt sumatur etiam calix, seu vtraque species à fidelibus omnibus; sed vt tota hæc actio seu sumptio Eucharistiæ fieret in memoriam passionis Dominicæ: *Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem: quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.*

Ad III. facilis responsio est; Verba illa potiùs esse inuitantis, quàm præcipientis: deinde ad solos Apostolos dirigi, qui tunc præsentes aderant, de quibus legitur Marci 13. *Et biberunt ex eo omnes.*

12 Ad IV. patet responsio ex suprà dictis; Licet ratio Sacrificij in vtraque specie consistat, tamen vti Eucharistia sacramentum est, atque à fidelibus omnibus sumi potest, essentiam eius, atque spiritualem inde percipiendi fructum in vnica specie haberi, sicuti indicat Trident. sess. 21. can. 3. vbi anathema dicitur, *Si quis negauerit totum integrum Christum, omnium gratiarum fontem & auctorem sub vna specie sumi.* Eáque est communis Scholasticorum sententia S. Thom. quæst. 80. a. 12. in fine, & opusc. 58. cap. 29. in fine. S. Bonau. in 4. dist. 11. p. 2. a. 1. q. 2. Richar. ibid. a. 4. q. 6. Gabr. lect. 84. in canone Missæ, non plus fructus spiritualis ex opere operato capi per sumptionem vtriusque speciei, quàm per vnam: licet cōtrarium senserit Alensis in 4. p. quæst. 53. mem. 1. Maior autem deuotio propter expressiorem cōmemorationem mortis Dominicæ partim haberi potest à fidelibus per recordationem ipsius Sacrificij, ex quo Christi corpus manducandum præbetur: partim verò, si alicui maior excitandæ deuotionis materia ex vtraque specie accipi putatur, ea commoditate facilè alijs modis compensabili libenter carere debet, propter reuerentiam sacramenti: siquidem in tanta fidelium multitudine hoc sacramentum in vtraque specie ministrari non posset, sine sacri cruoris frequente effusione, alijsue profanationibus. Accedit, quòd multi, vel quia abstemij sunt, vel propter vomitus periculum, aliámue ob causam, vinum bibere non possunt: expedit autem in vniuersa Ecclesia vnum ritum sacræ Eucharistiæ ab omnibus fidelibus communiter vsurpari. Vide Gabr. l. c.

Ad V. respondetur; Manichæorum simulationem in eo positam fuisse, quia tanquam Catholici essent, inter ipsos ad sacram Synaxin accedebant: Eos autem hoc signo notari posse, Leo I. dixit, quòd ipsi à sacro Calice omnino abstinerent, propter errorem suum, de quo S. August. hæresi 46. testatur: *Vinum non bibunt, dicentes fel esse principium tenebrarum.* Fortasse autem ob hanc causam Romæ fidelibus consuetum tunc erat, Eucharistiam sub vtraque specie sumere, vel saltem non omnino, aut semper altera abstinere.

Ad VI. respondeo; Gelasium in illa epist. (quæ tamen inter epistolas eius modò non extat) loqui de Sacerdotibus, qui sicut totum consecrant sacramentum, ita etiam totum sumere debent. Quia vt in Concilio Toletan. legitur, *Quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Ita respondet S. Thom. quæst. 80. a. 12. ad. 1. Glos. super cit. cap. comperimus, ibi. Archidiaconus, & colligitur ex c. ita nos, 25. q. 2. iun. Gl. Gregoriana. Sin verò aliquis contendat, Gelasium locutum esse de populo sumente Eucharistiam, tunc eodem modo respondendum est, sicuti ad verba Leonis; Reprehendi eos, qui ex superstitione à Calice abstinebant, tanquam abominabili: ij enim errabant contra veritatem sacramenti in vtraque specie instituti; ideóque ad corrigendum hunc errorem iubebantur vel integra sacramenta percipere, vel omnino abstinere. Sicuti è contrario his seculis nostris aliqui reperiebantur, qui necessarium esse dicebant, populo sub vtraque specie communicare: ad quem errorem corrigendum meritò decretum est, vt populo non nisi sub vna specie Eucharistia præbeatur, sicuti videre est in Conc. Constantiensi sess. 13. cùm tamen antea etiam circa tempora S. Thom. Aquinatis nullum de ea re fuerit Ecclesiæ præceptum vniuersale: sed cuiuscunque Ecclesiæ seu sub vna, seu sub vtraque specie cōmunicantis consuetudo probabatur. Fuisse tamen frequentiorem ac ferme vbique receptam consuetudinem communicandi laicos sub vna tantùm specie, testatur Alexander Halensis in 4. p. sum. q. 53. mem. 1. Videri etiam potest Baron. Anno Christi 496. n. 20.

Porrò in veteri etiam Ecclesia communionem sub vnica specie panis à multis vsurpatam fuisse, ex historijs, & Patrum scriptis clarè colligitur: Primò enim consuetudo vetus fuit in multis Ecclesijs, vt fidelibus panis Eucharisticus in manus daretur, domum deferendus, ibique manducandus; sicuti constat ex Clemen. Alexand. lib. 1. Stromatum, Tertull. lib. 2. ad vxorem, & lib. de orat. Cyprian. serm. de lapsis, Basil. in epist. ad Cæsarium Patricium, apud Anastas. Nicænum Episcop. quæst. in Scripturam tom. 6. Biblioth. SS. Patrum, vbi ait: *Omnes qui sunt in desertis Monachi, vbi non est Sacerdos, illic habentes Communionem* (quam in Paschate ex parochia acceperunt) *ex seipsis eam sumunt. Alexandriæ autem, & in Ægypto vnusquisque ex laicis maxima ex parte habet Communionem domi suæ.* Et S. Hieron. Apol. aduersus Iouinian. vbi testatur, Romæ hanc consuetudinem fuisse, vt fideles quotidie Eucharistiam sumerent, etsi ad Ecclesiam non irent: quod etiam Tertull. locis citat. meminit. 13

Modum autem accipiendi sacram Eucharistiam manu sinistra concaua, imposita dextra, veluti tegmine cælestis Regis, audiuimus suprà ex Cyril. cath. 5. mystag. Adde, quòd S. Ambrosius de obitu fratris Satyri, S. August. serm. 252. de tempore, & Sophronius in prato spirituali cap. 79. testantur, mundum linteum à Christianis, præsertim fœminis, adhibitum fuisse, in quo Christi corpus susciperetur, ac deferretur: *Omnes viri*, inquit Augustinus, *quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, quando corpus Christi accipiunt.* Quare in Antisiodorensi Concil. canone 42. legimus, vt *vnaquæque mulier, quando communicat dominicalem suum*, id est, mundum linteum, in quo Christi corpus recipiatur, *habeat.* Certissimum autem est, in priuatis domibus non fuisse sacros calices, aut vasa, quibus Christi sanguis asseruaretur; sed tantùm in Ecclesia, sicuti testatur S. Athanasius Apol. 2. contra Arianos: *Mysticum poculum, quod impium eum reddit, qui id vltro frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ præsides:* Neque verò etiam tanto tempore, apud Eremitas, & alios, seruari potuissent vini species, quin corrumperentur, & acescerent. Veruntamen consuetudo illa corpus Christi domum ex Ecclesia deferendi, propter abusus, postea sublatus fuit, sicuti videre licet in Concil. Tolet. 1. canone 14. Concil. Cæsaraugustano, c. 3. Synod. Trullana, can. 101. 14

Secundò, Consuetudo vetus fuit sacram Eucharistiam plerumque sub vna tantùm specie panis ægrotis communicandi, sicuti colligitur ex epist. Dionys. Alexandrini apud Euseb. lib. 6. cap. 36. vbi refertur, quod Serapioni seni ægrotanti, quem Sacerdos adire non posset, puer Eucharistiam attulit, eámque *madefactam* (quia diu asseruatæ species panis indurverant) *in os senis infudit: atque ille simul ac pedetentim per fauces demiserat, illico spiritum extremum edidit.* Pauli-

nus in vita Ambrosij scribit; Quòd Honoratus Vercellensis Episcopus *tertio vocem vocantis se audiuit, dicentis sibi, Surge, festina, quia modò est recessurus: Qui descendens obtulit sancto* (Ambrosio) *Domini corpus; quo accepto, vbi glutiuit, emisit spiritum.* Videri etiam potest Amphilochius in vita S. Basilij, Micrologus lib. de Ecclesiast. obseruat. c.17. prope finem.

Interim non negamus, quibusdam locis olim etiam morem fuisse sacrum sanguinem asseruandi, ad ægros sub vtraque specie communicandos: sicuti apparet ex S. Nazianz. in orat. funebri in laudem Gorgoniæ, epist. S. Chrysost. ad Innocent. I. Papam, referente de tumultu excitato, cùm Constantinopoli pulsus esset. Victore in lib. 1. de persecut. Wandalica, S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum, de Exuperio Tolosano episc. scribit: *Nihil lo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro.* Sophronio in prato spirit. cap. 48. S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 36. vbi testatur, etiam mari nauigantes corpus & sanguinem Christi secum habuisse.

Tertiò constat ex ordine Romano cap. de officio Parasceues, in fine; Feria VI. hebdomadæ sanctæ Sacrificium celebrari non solitum; sed ex pridie cõsecrato pane particulam in vinum iniectam fuisse, & postea omnibus Communionem sacram, in sola videlicet panis specie, datam fuisse.

Quartò consuetudo antiqua fuit, simultæ corporis immaculati Christi Dei nostri reliquiæ ex sacrificio superfuerant, vt vino aspersæ impuberibus innocentibus cum reuerentia absumendæ darentur, ideóque sub vna panis specie communicarentur. Ita testatur Concil. Matisconense canone 6. ibi, *indicto* (innocentibus) *ieiunio, reliquias sacrificiorum vino conspersas percipiant.* Et Euagr. lib. 4. hist. cap. 36. qui id etiam miraculo confirmatum testatur.

15 Quintò hoc ipsum ostendit Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 24. ex vsu communionis laicæ, quæ olim in pœnam alicuius grauis delicti Clericis decreta erat, ablata eis Communione clericali. Discrimen autem inter vtramque communionem hoc esse contendit, quòd clericalis dicta sit communio, quæ laicis dabatur tangenda, secúmque domum deferenda in vnica panis specie: Clericalis autem, quæ in Ecclesia sub vtraque sumebatur. Veruntamen ex canone 19. Concil. Laodicen. vbi habetur, quòd *solis ministerio sacro debitis, ad altare ingredi, & communicare ibidem liceat:* colligi videtur, clericalem Communionem dictam esse, quæ intra cancellos Clericis dabatur: solebant enim omnes Clerici in officio Missæ post factam Sacerdotis Communionem communicare, vti colligitur ex can. 9. Apostol. quamobrem in Antisiodorensi Concil. c. 19. statutum videtur, vt Clerici omnes ieiuni ad altaris ministerium accederent. Consequenter laica Communio dicebatur, quæ laicis, atque in criminis alicuius pœnam Clericis, extra cancellos dari solita est, sicuti arbitratur etiam Seuerinus Binius in tom. 1. Concil. super can. 8. Ancyrano, & cit. can. 19. Laodic. Nihilominus defendi potest Bellarmini sententia, tanquam valde probabilis, multis olim Ecclesijs consuetudinem fuisse, vt Clerici intra cancellos sub vtraque specie communicarent; laicis autem (ipsisque Clericis ob quædam delicta) vnica species, vel extra cancellos in Ecclesia, vel domi ægrotantibus præberetur.

16 Ad extremum ex allatis testimonijs colligitur contra hæreticos nostri temporis, in antiqua Ecclesia indubitatum fuisse, sacrum corpus, & sanguinem Christi consecratione effici, atque permanere, etiam extra vsum, hoc diuinum sacramentum; & asseruari, atque à fidelibus adorari solitum esse. De qua adoratione testantur Patres, S. Dionys. Areopag. c. 3. Eccles. hierarch. p. 2. Clemens lib. 2. constit. Apostol. c. 61. Origenes hom. 5. in diuersos locos Euangelij, Cyill. Hierosol. catech. 5. mystag. in fine, Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 27. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto, c. 12. Nazianz. in orat. de Gorgonia, Chrysost. hom. 61. ad populũ Antioch. hom. 83. in Matth. & homil. 3. epist. ad Ephesios, Aug. in psal. 98. ijs verbis, *Adorate scabellum* &c. in psal. 21. conc. 1. & epist. 118. c. 3. Eusebius Emissenus hom. 5. de Paschate, Theodoretus in Dialogo secundo, Damasc. lib. 4. de Fide, cap. 14. Videri potest Suarez 3. p. tom. 3. disput. 65. sect. 1. Vasquez de adorat. lib. 2. disp. 8. c. 11.

CAP. VI.

De Requisita animi, ac corporis dispositione ad susceptionem S. Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia, licet effectum S. Eucharistiæ, quæ est gratia sanctificans, non impediant: faciunt tamen, vt sacramentum minùs reuerenter suscipiatur: præsertim si actualia sint.*

2 *Ad augmentum gratiæ in suscipiente iusto alia actualis dispositio necessariò non requiritur, nisi vt Sacramentum voluntariè suscipiatur, tanquam spiritualis cibus animæ.*

3 *Cum peccato veniali actuali S. Eucharistiam suscipere venialis irreuerentia est.*

4 *Qui cum conscientia peccati mortalis sacram Eucharistiam sumit, graue sacrilegium committit.*

5 *Communicaturus, si mortalis peccati conscius est, sacramentaliter confiteri debet: si id fieri possit.*

6 *Satiùs est, die festo Missam intermittere, quàm non præmissa Confessione sacramentali, sed sola elicita contritione de peccato mortali, sacrificare: nisi alia necessitas cogat.*

7 *Sacerdos, qui ob necessitatem sine præuia Confessione celebrauit, quamprimum postea confiteri debet, si peccatum mortale habuerat.*

8 *Peccatori publico, seu publicè, seu priuatim petenti, neganda Eucharistia est.*

9 *Ad sacram Eucharistiam sumendam in criminis purgationem Reus suspectus cogi non debet.*

10 *Peccatori occulto S. Eucharistia negari potest, si priuatim petat, non item si publicè.*

11 *Parochius, qui occultum matrimonij impedimentum extra sacram Confessionem cognouit, non debet ei assistere.*

12 *Si solus Episcopus Ordinis accipiendi impedimentum cognouit, idque probare non potest, ordinationem homini denegare nequit.*

13 *Ad mortem damnatis Christianis S. Eucharistia per modum viatici negari non debet.*

14 *Corporalis immunditia per se non impedit à digna susceptione Eucharistiæ: sed interdum per accidens.*

15 *Pollutionem passus, quamuis culpa sua, post pœnitentiam Communicare non prohibetur; si tamen post pollutionem, etiam inuoluntariam, malignus effectus commotæ carnis, aut animi perturbati manet, consultum est eo die abstinere.*

16 *Mulier non obstante, quòd communicare velit, meritò debitum coniugij exigenti reddere debet.*

17 *S. Eucharistiam à ieiunis sumendam esse Apostolica constitutio, & traditio est.*

18 *Ieiunium, quod communicaturo præcipitur, perfectum & naturale esse debet.*

19 *Si modicum quid cum saliua per guttur casu traijciatur, non impedit sacram Communionem.*

20 *Certi casus sunt, quibus licitum est S. Eucharistiam sumi à non ieiunis.*

21 *Non est licitum Sacerdoti post sumptum cibum sacrificare, vt sacram hostiam habeat ad moriturum communicandum.*

22 *Etiam post acceptam ablutionem licitum est Sacerdoti reliquias hostiarum à se consecratarum in altari absumere.*

23 *Post sumptam sacram Eucharistiam decens est aliquamdiu à cibo & potu abstinere: sed id in præcepto non est.*

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum peccata venialia impediant dignam sumptionem, vel effectũ huius sacramenti? Respondeo ex doctrina S. Th. q. 79. a. 8. Peccata 1

cata venialia præterita, & solo habitu manentia per se non impediunt S. Eucharistiæ effectum: quin potiùs sacramentum hoc ex opere operato delet venialia, quibus voluntas suscipientis neque actualiter, neque virtualiter inhæret, teste eodem S. Th. q.79.a.4.& in 4. d. 12.q.1.a.1.q.1.

Dico II. Peccata venialia, quæ actu inter sumptionem S. Eucharistiæ committuntur, non impediunt eius effectũ, qui est gratiæ habitualis augmentũ, & remissio peccatorum venialium. Ita S. Bonau. in 4. d. 12.p.2. a.1. q. 3. Adrianus in 4. vbi de Eucharistia, paulò post princ. Ratio est: Quia sacramenta gratiam ex opere operato suscipienti conferunt, si his obicē non ponat: atqui peccatum veniale non est obex gratiæ sanctificantis, quandoquidem cum eo consistere potest. Nihil etiam obstat, quin aliqua venialia peccata remitti possint, alijs venialibus etiam actu remanentibus, Ergo &c.

2 Adde ex Soto in 4. d.11.q. 2.a.8. Suarez disp.63.sect.3. Ægid.q.79.a.1. dub. 1. contra Syl. ver. Eucharistia, in fine, Caietan. ead. q. 79. art. 1. Pet. Sotum Lect. 12. de Euchar. Ad augmentum gratiæ in sumptione huius sacramenti acquirendum aliam actualem dispositionem, vel deuotionem necessariò non requiri, nisi vt sacramentum voluntariè, tanquam spiritualis animæ cibus, suscipiatur, si suscipiens adultus, suique compos sit. Nam alioquin sequeretur, quòd homo iustus suscipiendo Eucharistiam sine actuali deuotione (nisi ignorantia, vel obliuione excusaretur) mortaliter peccaret, & iustitiam amitteret, quia poneret obicem gratiæ sacramenti: Consequens autem videtur absurdum, & contra communem fidelium persuasionem.

3 Dico III. Qui cum peccato veniali actuali S. Eucharistiam sumit, is præter illud, plerumque aliud veniale cuiusdam irreuerentiæ ac sacrilegij committit, puta si accedat ad res vanas, & inutiles voluntariè distractus; vel ostentationis, & vanæ gloriæ causa; vel denique cum quocunque actuali affectu aut proposito peccati venialis. Colligitur ex S. Thom. in cit. art. 8. & docet Suarez disp.66. s. 1. contra Sa ver. Euchar. num.22. Nam sacramenti huius secundarius finis, & effectus est, vt per modũ cibi spiritualis, animæ sumentis delectationem & cõsolationem afferat: Venialia autem peccata hunc effectum consolationis impediunt; hoc ipso, quòd actualem deuotionem, & charitatis feruorem directè impediunt: Ergo venialia peccata, quæ actu committuntur, aliquo modo repugnant fini, & institutioni huius sacramenti: ideòque faciunt, vt minùs dignè, ac reuerenter suscipiatur: adde etiam minus fructuosè quandoquidem etiam gratiæ sanctificantis augmentum tantò copiosiùs infunditur, quanto meliùs homo dispositus est.

Denique etiam habitualia peccata venialia præsertim si multa, vel aliquo modo grauia sint, & nulla pœnitentia, vel emendationis propositum de ijs concipiatur: non rarò animum quasi quodam pondere grauant, & actualem deuotionem impediunt; vt proinde S. Eucharistia minùs reuerenter, ac fructuosè suscipiatur, sicuti notauit Suar. ibid.& Ægid Coninck q.79.a.8.

4 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum peccatum mortale impediat effectum huius sacramenti? Respondetur cum S. Th.q.80.a.4.S. Bonau. in 4. dist. 9.a. 2.q. 3. Duran.q.4. Impedire per se loquendo; ideòque cum conscientia peccati mortalis communicantem, graue peccatum sacrilegij committere. Qua de re videri possunt S. Basil. serm. 2. Baptis. cap. 3. S. Chrys. hom. 60. ad pop. Antioch. S. August. serm.252. de temp. S. Greg. lib. 2. c. 1. in lib. 2. Regum. Ratio est: Quia præterquam, quòd hoc sacramentum ex ijs sit, quæ non mortuorum, sed viuorum sunt; peculiariter etiam institutum fuit, vt hominem cum Christo vniat: cui vnioni quàm maximè repugnat peccatum mortale, quippe quod hominem à Deo auertit, & inimicum reddit, de quo videri potest Gabr. lect. 87. in Canonem. Confirmatur ex Apost. 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Et addit: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi: quòd si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur.* Quibus verbis significat Apostolus, eos qui indignè accedunt à Deo in hoc seculo pœnis temporalibus corripi, aut morte puniri solitos esse, vt vel sic resipiscant, & salui fiant, vti hunc locum explicant Pacianus lib. de pœnit. Chrysost. 1. ad Timoth. homil. 5. Vide etiam S. Cyprian. serm. de lapsis, S. August. homilia vlt. ex 50.

5 Porrò qualis probatio ante Eucharistiæ sumptionem requiratur, explicat Trident. Concil. sess. 13. c.7. *Ecclesiæ autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione, ad S. Eucharistiam accedere debeat.* De hac traditione testantur S. August. epist. 118. c.3. Gennad. de Ecclesiast. dogmat. c. 53. Leo I. epist. 91. ad Theodorum.

Circa verba Concilij quædam notanda sunt: Primum. Qui sacram Eucharistiam suscepturus est, examinare se debet, vtrum alicuius peccati mortalis sibi conscius sit, de quo rite confessus non fuerit.

Secundum. Cùm Concilium Ecclesiastica consuetudine nitatur, cuius initij nulla memoria extat satis declarat, esse Apostolicam traditionem de sacra Confessione præmittenda, si communicaturus mortalis peccati conscius sit, siue quòd ipsemet Apostolica de re præceptum promulgârunt. Qua de re vide Nau. cap. 21. num. 50. Suarez disp. 66. s. 3. Ægid. Conink quæst. 80. art. 4. dub. 1. contra Caiet. in sum. ver. Communio, princip. & super 1. ad Corinth. cap. 11. quibus locis negauit, vllum præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum extare de sacramentali Confessione facienda, si communicaturus de peccato mortali contritus sit.

Tertium. Ab hoc tamen præcepto excipitur casus, quo, vrgente sacrificandi, aut communicandi necessitate, Confessarij copia non est. Talis necessitas censeri debet I. Vt morituro viaticum præbeatur, si alia hostia consecrata desit. II. Si Sacrificium, vel Communio sine graui infamia, vel populi scandalo omitti non possit. III. Si Sacerdos ex officio celebrare teneatur, aut fideles iure suo Sacrificium exigant: neque per alium id perfici possit. IV. Si Sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis; debet, elicita contritione, Sacrificium prosequi. Sin autem ante consecrationem mortale peccatum committat, vel antè commissi memoria incidat, videtur esse obligatus ad confitendum, si commodè, & sine vlla nota infamiæ possit; præsertim Canone nondum cœpto, sicuti docet Syl. Euchar. 2. quæst. 7. Nau. cap. 25. num. 76. Suarez disp. 66. sect. 4. Ægid. cit. quæst. 80. art. 4. dub.1.

Contrarium tamen docuit Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. art. 6. Victoria num. 78. Henriquez lib. 8. cap. 46. num. 3. etiamsi Sacerdos statim post introitum recordetur peccati mortalis, opus non esse accersere Confessarium, quamuis sine nota id fieri possit: sed satis esse, imò etiam consultiùs, elicita contritione, & postea confitendi proposito, ob honorem Sacrificij pergere, & cœptum perficere. Quæ sententia etiam ea ratione practicè probabilis est; quia vix vnquam decenter & sine omni Sacerdotis nota, & confusione, interrupta Missa, sacramentalis Confessio interponi posse videtur; excepto, si in publico officio Missæ, inter cantionem, vel concionem, Sacerdos confiteri possit: ad quod omnino obligatus erit, vti notauit

Syl. loco cit.

6 Præter hos quatuor casus necessitatis, ab omnibus receptos; alium affert Henriq. cit. c. 46. n. 5. ex Soto in 4. d. 12. quæst. 1. a. 4. casu 3. Si præceptum Ecclesiasticum vrgeat de Missa festo die audienda. Verùm rectiùs cēsent S. Anton. p. 3. t. 13. c. 6. §. 7. Suarez & Ægidius ll. cc. cessante scandalo, & infamia, satius esse tunc Missam intermittere. Quia præceptum, quod minus est de Missa festo die audienda, vel facienda, cedit maiori præcepto de non sacrificando cum conscientia peccati mortalis, nisi præmissa Confessione sacramentali; & cùm illud positiuum atque affirmatiuum sit, non obligat, quando rite & commodè impleri nequit. Id tamen probabiliter dicitur, cum Palud. in 4. d. 9. q. 4. concl. 10. Viualdo de Eucharistia, n. 21. Ægid. Coninck l. cit. tempore Paschali meliùs facturum Sacerdotem: si non habens copiam Confessarij, præmissa contritione sacrificet, quàm si Paschalem Communionem omnino prætermittat, etiam secluso scandalo.

Quod ad alterum attinet; Copia Confessarij tunc non habetur, si vel nullus adsit Sacerdos approbatus, & expositus; ad absentem autem sine magna difficultate spectatis circumstantijs personæ, itineris &c. accessus esse nequeat: vel si adsit quidem Confessarius iurisdictione præditus, cui tamen pœnitens sine interprete, aut periculo grauis iacturæ, vel scandali, cōfiteri non possit. Qua de re iterum dicam tract. 5. cap. 6. num. vlt. & c. 8. casu quinto.

7 Denique verò, ne sacrificaturi habentes conscientiam peccati mortalis, passim prætextu necessitatis, & inopiæ Confessarij, non instituta sacra Confessione, sed elicita tantùm contritione communicent, præcipit Trident. Synodus sess. 13. cap. 7. vt *Sacerdos, si necessitate vrgente absque præuia confessione celebrauit, quamprimum postea confiteatur.* Quod tamen præceptum extra proprios verborum limites extendendum non est ad laicos; vel ipsos etiam Sacerdotes more laicorum cōmunicantes sine præcedente Cōfessione, ob necessitatem, & Confessarij inopiam: qua de re Suar. disp. 66. s. 7. Coninck q. 80. a. 4. dub. 2. contra Nau. c. 2. man. n. 10.

8 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum Sacerdos peccatori S. Eucharistiam petenti dare, an negare debeat? Respondeo & dico, I. Peccatori publico seu notorio, facti, aut iuris notitia, tam publicè, quàm priuatim S. Eucharistia neganda est. Ita S. Thom. quæst. 80. a. 6. S. Cyprianus lib. 1. epist. 7. S. Chrysost. homil. 83. in Matth. & homil. 60. ad populum Antiochenum: S. August. tr. 26. in Ioan. & lib. 50. homiliarum, in hom. vlt. cap. 12. relatus in c. multi, 2. quæst. 1. & homil. 33. in Matth. Diaconum altaris ministrum alloquens: *Si dux quispiam, si diademate ornatus indignè adeat, cohibe & coërce: maiorem tu illo potestatem habes.* Ratio est: Nam ex vna parte publicus peccator, neque re ipsa, neque externa specie ius habet S. Eucharistiam petendi: Ex altera verò parte ad Sacerdotis officium spectat, vt sit dispensator fidelis, & sanctum non det canibus, Matth. 7.

Tribus autem modis crimen notorium fit: I. Per confessionem Rei in iudicio. II. Per sententiam condamnatoriam in eutem latam: quæ duo sunt notoria iuris. III. Notitia facti, si crimen palàm commissum nulla tergiuersatione celari, aut excusari possit, sicuti docent Abb. & alij Canonistæ in c. vestra, de cohab. Clerici & mulierum, Nauar. in man. c. 21. num. 55. & lib. 3. consil. 2. de decimis, edit. 2.

His adde primò: Si crimen per publicam sententiam, aut notitiam facti notorium sit, criminoso, quem Sacerdos scit in crimine persistere, negandam esse Eucharistiam etiam coram ijs, qui scelus ignorant, iuxta ea, quæ dixi lib. 3. tr. 2. de iustitia, p. 2. cap. 3. quæst. 3.

Adde secundò: Etsi Sacerdos priuata notitia sciat peccatorem emendatum esse, si tamen emendatio publicè ignota sit, & criminis infamia perseueret, negandum esse sacram Eucharistiā, ob causam scandali vitandi. quod tamen scandalū interdum tolli potest, si pœnitens post sacramentalē absolutionē in priuata capella cōmunicetur: Aut si Sacerdos cum licentia pœnitentis astantibus significet, hominem emendatum, & absolutnm esse, sicuti notauit Nau. c. Sacerdos, n. 21. d. 6. de pœnit. Henriq. lib. 8. c. 56. n. 3. Sa ver. Eucharistia, n. 17. Sæpe tamen expedit, & interdum ratione scandali vitandi necesse est, vt qui frequenter, & publicè lapsus est, aliquo tempore abstineat, donec plenè satisfacere visus sit: ne S. Communionem contemnere, aut peccatorum suorum grauitatem non agnoscere videatur. Deinde verò excipitur mortis articulus, in quo certa regula est: Cui sacramentum absolutionis confertur, neque Eucharistiam negari debere.

Adde tertiò: Propter publica quoque, & vehementia criminis indicia, quæ violentam præsumptionem inducant, S. Eucharistiam negandam esse, donec infamia laborans se purgauerit. Qua de re Richard. in 4. d. 9. q. 3. Palud. q. 4. a. 1. concl. 6. Henriq. n. 6. Suarez disp. 67. s. 6.

Porrò hoc loco dubium soluenndum est, ex S. Tho. cit. a. 6. ad 3. Vtrum hominibus suspectis S. Eucharistia dari possit ad criminis purgationē, seu innocentiæ ostensionem? Respondetur cum Suarez cit. s. 6. Vasquez disp. 210. c. 3. Coninck cit. q. 80. a. 6. duplici intentione id fieri posse: Primò, vt Deus inusitato signo ostendat, vtrum de crimine suspectus re vera nocens sit, néc ne: quod est peccatum tentationis Dei, & inter purgationes vulgares (id est, à vulgo inuentas, à sacris vero canonibus reprobatas) numerari debet. Cuiusmodi olim etiam erant purgationes per ferrum candens, per aquam feruentem, per aquam frigidam &c. quæ omnes à sacris canonibus prohibentur, c. ex tuarum, de purgat. canonica, c. vlt. de purgat. vulgari, c. sententiam, Ne Clerici vel Monachi. Videri potest Gregor. Tholosanus lib. 48. Syntag. c. 15.

Secundò fieri potest intentione grauissimi iuramenti 9 præstandi ad innocentiæ ostensionem: qui modus purgationis per se malus non est, si ex graui & rationabili necessitatis causa, vltro suscipiatur. Non debet tamen talis iurandi necessitas alicui imponi, ob periculum grauissimi sacrilegij. quod maximè verum est (inquit est Suarez l. c.) si is, à quo tale iuramentum exigitur, delictum suum manifestare non teneatur. Quare grauiter peccat maritus v. g. si vxorem cogat, vt se hoc modo à suspicione adulterij liberet: Item Prælatus, si tali modo occulta subditorū delicta inquirere, & deprehendere tētet. Quòd si verò alicubi talis consuetudo olim viguit, vti colligitur ex c. sæpe contingit, & seq. 2. q. 4. ea meritò abolita est: & videri potest Alexan. Halensis p. 4. quæst. 49. mem. 2. art. 2. Gabr. in 4. d. 1. quæst. 2. art. 3. dub. 5.

Dico II. Peccatori occulto occultè S. Eucharistiam 10 petenti, neganda est. Sumitur ex c. si tantùm 2. q. 6. Ratio est: Quia cùm peccator nullo iure S. Eucharistiam petat, quippe quæ ex propria institutione, & peculiari sanctitate iustis tantùm ac sanctis conuenit: ideo peccatori negari debet, si sine eius infamia, populi scandalo, vel simili graui incommodo negari potest.

Sed quid si Sacerdos crimen necdum emendatum ex sola confessione cognitum habet? Etiam hoc casu secretò petenti S. Eucharistiam negandam esse, si omne absit periculum infamationis, docuit S. Th. in 4. d. 9. a. 5. quæst. 1. ibid. Durandus, quæst. 5. num. 6. Halensis in p. 4. q. 49. mem. 1. Victor. num. 79. Vasq. disp. 209. cap. 5. aliique plures. Sed placet mihi magis sententia Palud. in 4. d. 9. q. 4. a. 1. concl. 3. Nau. c. 21. n. 55. Valentiæ to. 4. disp. 6. q. 8. p. 3.

p.3.ver. Ego verò, Coninck.q. 80.a.6.qui negant, tali casu peccatori S. Eucharistiam negari posse; saltem, si periculum sit (quod vix vnquam abesse poterit) tacitæ cuiusdam exprobrationis, per quam Confessionis sacramentum odiosum reddatur. Debet igitur Sacerdos, vt S. Eucharistiam criminoso neget, certam de occulto eius crimine cognitionem habere, seu ex confessione ipsius peccatoris extra sacramentum facta, seu ex aliorum testimonio, seu ex proprio visu; tametsi crimen probari non possit: cùm hîc non agatur iuridicè ad propriè dictam punitionem.

Dico III. Peccatori occulto S. Eucharistiam publicè petenti, negari non potest. Sumitur ex c.placuit, 6.q.2.& habetur expresè in c. si Sacerdos, de officio Ordinarij, *Quia nec Christus Iudam à Communione remouit*, sicuti manifestò colligitur ex c.22. Lucæ, & docent Doctores pleriq; apud Suar.disp.41.s.3 Ratio est: Quia decet actus publicæ potestatis, gubernationis, dispensationis exerceri secundũ publicam notitiam, & opinionem; non secundùm priuatam scientiam gubernantis, dispensantis: cùm alioquin multæ perturbationes, scandala, iniuriæ oriri possent. Qua de re vide Suarez disp. 67. s.4.

Eadémque ratione dicendum de alijs sacramentis, ea publicè petentibus negari non posse, vti colligitur ex c. ex tenore, de tẽporum ordinat. vbi dicitur: Licet Episcopus sciens occultum crimen Clerici, propter quod, si publicum esset, depositionem mereretur, paternè illum corrigere possit, & admonere, vt ordinibus, quos accepit, contentus, ad altiores non ascendat: si tamen ordinari se petat, repelli ab Episcopo non debere. Quæ multò magis procedunt, si Sacerdos peccatum occultum ex sola Confessione sacramentali cognouit: quamobrem, si Parochus ad infirmum cum venerabili Sacramento veniens, audita eius confessione, indispositum reperiat, multisque adhibitis monitionibus disponere non possit ad accipiendam absolutionem, monere illum debet, vt sumptione S. Eucharistiæ sponte abstineat: sin verò eam vrgenter petat, negare non potest: præsertim si talis denegatio, vt fieri solet, in aliorum notitiam deuentura sit.

11 Locutus sum autem de sacramentorum dispensatione. Veruntamen si quis occulto impedimento matrimonij laboret, non potest à Parocho, qui illud solus extra sacramentalem Confessionem nouit, ad sacramentum inualidè suscipiendum admitti, sicuti docet Maiolus lib. 3. de irregul.c. 25.n. 13. Chapeauille de modo ministr. sacram. tempore pestis, c.6. Henriq. lib.1. c.vl. num.6. Coninck to.2. disp. 27. concl. 5. Ratio est: Quia assistentia matrimonij non est dispensatio sacramenti, sed officium testis: nemo autem testimonium præstare potest de actu, quem irritum esse nouit. Simili ratione, si impedimentum sit matrimonij non dirimens, v.g. votum continentiæ, quod Parochus priuatim nouit, sed hominem secreta monitione repellere non potest, ad Ordinarium referre debebit: modò credat sibi fidem habendam fore, arg.c. vlt. de clandest. desponsat. Agitur enim de impediendo peccato, ad quod maximè obligantur Pastores ordinarij.

12 Non displicet tamen, quod Sanch. docet lib.3.disp.15. n.12. Si solus Episcopus matrimonij, aut ordinis accipiendi impedimentum nouit, illúdque probare nullo modo potest; à matrimonio, vel sacro ordine hominem propria auctoritate repellendi ius ei non competere, argum. cit. c. ex tenore, & consentit S. Ant.p.3.tit. 13.c.14.§ 11.Syl. ver.ordo, 3.q.9. Quia officium Ordinarij in admittendo, aut repellendo ab eiusmodi actibus publicum est: quare non expedit illud exerceri secundùm priuatam omnino notitiam: cùm alioquin facilis ansa daretur homines prætextu priuatæ notitiæ infamandi, & vexandi.

Neque obstat quod Coninck cit. concl.5. obijcit: Si ordinarius impedimentũ solus sciens non potest matrimonium inhibere: eò quòd nequeat idem esse iudex & testis; consequens fore, vt neque ob testimonium iuratũ denuntiatoris impedimenti, matrimonium impedire possit: cùm nequeat idem esse accusator & testis: consequens autem est contra c. ad audientiam, c. præterea, 2. de sponſ.c. iurauit, de probat. Respondetur enim: Nihil frequentius esse, quàm vt denunciator postea in iudicio, aut quasi iudicio, contra denuntiatum adhibeatur vt testis: præsertim si agatur canonicè ad impediendum peccatum, aut aliud malum impendens. At verò vsitatum non est, neque expediens, vt ipsius ordinarij Iudicis testimonium sufficere debeat ad hominem repellendum.

Qvæstio Qvarta. An etiam ad mortem damnatis Christianis S. Eucharistiam dari conueniat? Responsio est affirmatiua, cum Gl. in Clem. 1. de pœnit. & remiss. ver. pœnitentia: Soto in 4. d. 12.q.1.a.2. Syl. ver. Eucharistia, 3.n.7. Tol. lib. 2. c.28. Binsfeld. de confess. malef. mem.2. concl.7. dub. 5. Nau. in man.cap. 25. n. 23. Petr.Nau. lib. 2. c.3. n.228. Suarez disp. 69. s.3. & sumitur ex c. quæsitum, 13.q.2. quod sumptum est ex Conc. Mogunt. sub Rabano Archiep. c.27. vbi id *iustum* appellatur, propter regulam suprà dictam: *Cui pœnitentia conceditur, neque viaticum negari debet.* Atqui ad mortem damnatis Pœnitentiæ sacramentum dandum esse, si petant, constat ex cit. c. quæsitum, Clem. 1. de pœnit. & remiss. & vniuersalis Ecclesiæ praxi. Quamobrem Doctores citati reprobant consuerudinem, quam in Hispania viguisse testatur Nauar. lib. 5. consil.40. de pœnit. edit.2. Couar. 2. resol. c.1. n.11. vt ad mortem damnatis sacrum viaticum negaretur, ob reuerentiam sacramenti, eámque à Pio V. sublatam esse, testis est Suarez l. c. & additio Sa ver. Eucharistia n. 2. in fine. Decet tamen, vt sacra Eucharistia vel pridie supplicij, vel etiam eodem die: sed horis aliquot ante mortem præbeatur, nondum publicatâ damnationis sententiâ. 13

Qvæstio Qvinta. Vtrum corporalis macula, seu immunditia: puta pollutio, fluxus menstrui, ægritudo corporis, aut vestium deformitas à sumptione huius sacramenti impediat? Resp. ex doctrina S. Gregorij I. in epist. ad Augustinum Anglorum Episcopum, resp.10.& 11. S. Bonau. in 4.d. 12.q.3. Gabr. lect.10. in canonem Missæ, Io. Gerson. p. 2. operum, tract. de præparat. ad Missam, consid.7. Victor. de Euchar. n. 80. Nau. c.21. man. n. 50. Vasq. disp. 210. in fine, Suarez disp.68. s. 2. Per se, & necessariò non impedire. Ratio est: Quia sola malitia peccati quæ animi deformitas est, impedit à digna sumptione huius sacramenti: Corporalis autem macula per se non continet malitiam peccati: neque pertinet ad moralem animi inhonestatẽ, sicuti Christus indicat Matth. 18. *Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.* Ergo &c. 14

Sed obseruandum est primò: Si corporalis macula seu immundities mox, & facilè tolli possit, interdum erit quædam irreuerentia, & peccatum veniale, ita immundum corpore accedere: Sin autem statim tolli non possit, sed aliquamdiu duret, (sicuti contingit in fluxu menstrui) consultum quidem est, ob reuerentiam sacramenti expectare, si sacra Communio commodè differri possit; nullius tamen culpæ damnanda est mulier, tametsi menstruata accedat, sicuti expresè docet S. Gregorius in cit. epist. ad Augustinum, cuius verba retuli lib. 1. tract. 1. c. vlt. Alex. Halensis p.4. q.47. mem. 3. Palud. in 4. dist.9. q.3. a.3. qui addit, bonum ac pium esse, si mulier menstruata abstineat.

Obseruandum secundò: Interdum per accidens, ob scandalum, vel horrorem populi, necessariò abstinendum esse à sacra Communione, vel Missæ sacrificio. Qua ratione in c. tua nos, de Clerico ægrotante, præcipitur, vt Sacerdos lepra percussus, ob scandalum, & abominationem populi, ab officio remoueatur, datis ei necessarijs ex Ecclesiæ facultatibus, quamdiu vixerit. Tertiò circa corporis pollutionem obseruandum, & distinguendum est: Vtrum sine culpa, an verò ex culpa mortali, vel venia-

li prouenerit. Deinde vtrum malignum effectum relinquat, videlicet carnis commotionem animi perturbationem & euagationem. Quare dicendum est, I. Tametsi
15 pollutio ex culpa prouenerit, si tamen post pœnitentiam, homo nullum malignum effectum sentiat, accedere nulla ratione prohibetur: quia rectè iam dispositus est; & pollutionis peccatum, sicuti & quoduis aliud, post legitimam pœnitentiam perinde se habet, ac si non fuisset. Ita S. Bonau. in 4. dist. 12. prope finem, Adrian. in 4. vbi de Euchar. q. Restat iam videre, Ioan. Gerson consider. 8. Sotus in 4. distinct. 12. quæst. 1. a. 7. Suarez, Vasquez ll. cc. Coninck q. 80. art. 7. Consultũ tamen est tali homini, qui voluntaria pollutione, aut fornicatione mortaliter peccauit, ob humilitatem abstinere à sacra Communione: quod etiam Confessarius, consideratis circumstantijs, pœnitenti præcipere potest; & quandoque debet, vt grauitatem peccati sui magis ille agnoscat, & imposterum caueat.

Dicendum II. Si quis post pollutionem, etiam inuoluntariam, omnique culpa carentem, malignum effectum commotæ carnis, animi pertubati sentiat, iterum consultum ei est à S. communione abstinere. Colligitur ex S. Greg. cit. resp. 10. S. Th. 3. p. q. 80. a. 7. & docent Gerson, Suarez, Vasq. Coninck ll. cc. Sanchez lib. 9. disp. 13. aliique communiter. Imò veniale peccatum est, si quis cùm tali indispositione, quam etiam repellere negligat, ad sanctissimum hoc Sacramentum accedat: vel si quis sine necessitate, voluptatis tantùm causa, coniugalem copulam exerceat, cum proposito eodem die, vel insequente manè communicandi: quo sensu accipi debet doctrina S. Aug. serm. 244. de temp. & S. Hieronymi in Apol. ad Pamachium contra Iouinianum: *Illorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant.*

Cæterùm si post pollutionem, præsertim inculpatam, communicandi, vel sacrificandi necessitas aliqua cogat; aut si putetur, Dæmonis fraude pollutio concitata, vt homo à sumptione sacræ Eucharistiæ auertatur; tunc nihilominus accedendum est, adhibitâ curâ se præparandi, & deuotionem excitandi, vti docet S. Thom. cit. a. 7. ad 2. Gab. in canon. Missæ, lect. 10. Idémque de coniugibus dicendum, si vel coacti necessitate reddendi debiti; vel sola spe prolis hoc potiùs, quàm alio tempore ob singularem corporis dispositionem, concipiendæ, coniugij opus exerceant: qua de re S. Greg. l. c. relatus in c. vir cum propria, 33. q. 4. Alex. Halensis p. 4. q. 47. mem. 2. Palud. in 4. dist. 9. q. 3. a. 2. Ioan. Gerson. cit. consid. 8. Victoria, Suarez, Coninck ll. cc. Henriq. lib. 8. c. 51. Sanchez cit. disp. 13. diffic. 2.

16 Ex quo patet, quid mulieribus v. g. respondendum sit, si ex Confessario quærant, vtrum maritis debitum reddere debeant eo die, vel pridie diei, qua communicaturæ sunt. Primò, si mulier frequenter communicare soleat, v. g. omnibus diebus Dominicis, aut festis, tum Confessarius respondeat, eam obligari ad reddendum: alioquin periculum esse, ne mortaliter peccet: tum contra iustitiam, si marito seriò & constanter petenti neget, teste Sanch. lib. 9. disp. 2. n. 16. iuncta disp. 13. n. 9. Suarez. 3. p. t. 3. disp. 68. s. 2. ad finem: tum contra charitatem ratione scandali: quia exinde rixæ, & odium conciliantur, & interdum maritus ea occasione frequentem vxoris communionem auersari solet, non sine sacramenti irreuerentia. Nihilominus tamen mulier Communicare poterit, etsi compulsa necessitate debitum marito reddiderit: quia impleuit opus bonum, & ex iustitia debitum: si tamen ob mentis euagationem, indispositam se sentiat; consulendum ipsi erit vt intermittat: nisi iuxta ratione cogatur, arg. cit. c. vir.

Secundò, Si mulier non frequenter communicat, sed in præcipuis festiuitatibus: tunc respondeat Confessarius, quòd maritum commonere, & rogare possit, vt abstineat in honorem festiuitatis, aut sacræ suæ Communionis: nisi ex tali commonitione mariti iram, aut offensionem incurrere debeat: Tunc autem si admonere facilè non possit, vel monendo nihil proficiat debitum reddendum petenti: atque nihilominus ad S. Eucharistiam accedere poterit, si animi distractionem & indispositionẽ insolitã non patiatur, vel etiã si patiatur, tamen si nota aliqua sacram Communionem intermittere non possit. 17

Qvæstio Sexta. Vtrum S. Eucharistia à ieiunis sumenda sit? Affirmat S. Th. q. 80. a. 8. allegans testimonium S. Aug. Ep. 118. ad Ianuarium: *Placuit Spiritui Sancto, vt in honorem tanti sacramenti, priùs in os Christiani corpus Dominicum intraret, quàm reliqui cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos ille seruatur.* Idem traditur in Concil. Africano, can. 8. Carthag. 3. cap. 29. quæ extant to. 1. Concil. Item in Concil. Matiscon. can. 6. Antissiodor. c. 19. Tolet. 7. can. 2. quæ extant. t. 2. Conc. Videri etiã potest Suar. disp. 68. ser. 3. Valentia t. 4. disp. 6. quæst. 8. p. 3.

Est autem hæc Ecclesiastica constitutio ab Apostolis haud dubiè profecta: quandoquidem per vniuersum orbem mox post initium semper obseruata fuit, vti notauit S. August. l. c. Præterquam quòd in quibusdam locis mos fuit in feria V. hebdomadæ sanctæ ad Christi imitationem post cibum sumptum communicandi, vti patet ex Carthag. Conc. 3. can. 29. Quæ tamen consuetudo meritò abolita fuit. Nam ideo Christus S. Eucharistiam Apostolis post cœnam dedit, quia secundùm ritus veteris legis, debebat tunc Pascha celebrari; voluit autem legem, & figuram præmittere priusquam veritatem huius sacramẽti institueret, vti notauit Victoria n. 81. Verba autem illa Christi, *Hoc facite* &c. non continent præceptum faciendi omnia, quæ Christus tunc fecit: sed solùm quę spectant ad substantiam & veritatem sacramenti: porrò accidentales ritus, & modum administrandi Ecclesiæ ordinandum reliquit, vti loco citato S. August. notauit: *Non præcepit*, inquit, *quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesiam dispositurus esset, seruaret hunc locum.* Notat etiam S. Th. cit. a. 8. incommoda, quę sequi interdum solent, si S. Eucharistia à ieiunis non sumatur: Quia, vt Apostolus ait ad Corinth. 11. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Ex quo interdum vomitus prouenire potest, cum magna sacramenti irreuerentia.

Porrò sciendum est primò: Ieiunium, quod præcipitur, debere esse perfectum, ac naturale: vt omnem cibi, vel potus, quantumuis minimi, sumptionem excludat: qui ore acceptus, per propriam ac vitalem actionem comedendi, bibendive, in stomachum traiectus est, vti habetur in c. nihil, 7. q. 1. & colligitur ex c. ex parte, de celebrat. Missarum, & docet S. Th. a. 8. ad 4. vbi addit, nihil referre, etsi tantùm sit medicina, vel sola aqua, quæ per se non nutrit. Quinimò significant S. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 8. Syl. ver. Eucharistia, 3. q. 6. & expressè docet Henriq. lib. 8. c. 49. §. 2. Scortia lib. 2. de Sacrif. Missæ, c. 7. si quis comedat seu deglutiat, quod nec per se, nec per accidens nutrire, neque medicinæ rationem habere possit, vt chartam, cretam, frustillum ligni, vel numum aureũ; naturale ieiuniũ violatũ censeri, vt S. Eucharistiam accipere non liceat. Ratio est: Quia ieiuniũ istud non ob tẽperantiæ virtutem, sed ob sacramẽti reuerentiam institutum est, vt sacra hostia ante alia omnia in stomachum deueniat. Vide tamen, quæ scribit Tolet. lib. 6. sum. c. 1. 18

Cæterùm si quis sanguinem, aliúmve humorem ex capite descendentem, aut inter eluendum os aquæ guttulas cum saliua mixtas deglutiat: vel si iusculũ degustauit, & illico reiecit, etsi fortè guttas cũ saliua deglutierit, non censetur violatum ieiunium, vti docet S. Thom. l. c. vbi addit, idem dicendum esse, si reliquiæ, siue frustillum hesternæ cœnæ inter dentes v. g. hærens, casu deglutiatur: fortasse autem, si ex proposito id fiat, impedire debet à sacra Communione, sicuti docet Palud. in 4. dist. 8. quæst. 2. a. 2. concl. 2. & indicat Nau. cap. 21. num. 53. Quare decet omnino, eiusmodi reliquias expuere,

ſpuere, ſicuti notauit Suarez diſp. 68. art. 4. Coninck q. 80. a. 8.

19 Quòd ſi verò aliquis acceptam in os aquam, aliúmve liquorem; vel ſaccharū, aut aliud ſimile ore reſolutum, vnà cum ſaliua traijciat, cenſeri debet ieiunium violatum. Niſi modicum aliquid ſit, v.g. parum aquæ, aut vini, quod inter eluendum os; vel parum liquoris, qui inter cibum guſtandum non ex propoſito traijcitur: cùm caſu ita traiectum in parua quantitate, non habeat rationem cibi, potus, aut medicinæ, ſecundùm probabilem doctrinam Palud. loco cit. Durandi ibid. quæſt. 4. num. 14. Sylueſt. ver. Euchariſtia, 3. quæſt. 6. Tabienæ ver. communicare, num. 50. & 51. qui tamen non rectè contendit, hanc doctrinam locum etiam habere, ſi modicum quid per ſe, non caſualiter; ideóque per modum cibi, aut potus deglutiatur. Id enim eſt contra S. Thom. & cit. c. ex parte, vbi ſignificatur, Sacerdotem, ſi in prima Miſſa Natiuitatis Domini ablutionem ſumpſit (quæ tamen modica eſſe ſolet) altero Sacrificio celebrando impediri.

Sciendum eſt ſecundò; Principium diei naturalis, quo communicaturum ieiunum eſſe oportet, eſſe noctis medium, teſte S. Thom. ad 5. Ad quod nihil refert, an poſt cibum ſumptum antè noctis medium, ſomnus, vel cibi concoctio ſecuta fuerit, necne; quamuis repugnet Gl. in c. nihil, 7. quæſt. 1. Sed docet ex communi S. Thom. loco cit. Sotus in 4. d. 12. q. 1. a. 8. Palud. in 4. d. 8. q. 2. a. 3. Nau. c. 21. n. 53. Suar. cit. ſ. 4. Henriq. c. 49. in commentario lit. y. vbi ait, ſi quis proximè ante medium noctis cœnauit in Dominica, incidente in vigiliam Natiuitatis Domini, poſſe ſtatim poſt medium noctis ſacrificare, & communicare; dummodo rectè diſpoſitus ſit, & mentem grauatam non habeat.

20 Sunt verò aliqui caſus, quibus licitum eſt S. Euchariſtiam ſumi à non ieiuno: Primus. In mortis articulo, ſi commodè ſumi non poſſit à ieiuno: ſiue mors immineat ex morbo, ſiue ex Iudicis ſententia, ſi is diutius exſpectare nolit, vel ob cauſam non poſſit. Qua de re Henriquez lib. 8. c. 50. Sa ver. Euchariſtia, n. 2. Zambranus c. 3. dub. 4. Coninck cit. a. 8.

Adde primò; Tametſi ſemel Euchariſtia ob mortis periculū ſumpta ſit à non ieiuno, poſſe iterum ita accipi, ſaltem poſt ſex, vel ſeptem dierum interuallum, ſicuti docet Armilla ver. communio, num. 18. Tabiena n. 54. Henriq. c. 50. n. 1. Zambr. c. 3. dub. 5. Sa ver. Euchariſtia, n. 5. nec repugnat Nau. lib. 5. conſil. vlt. de pœnit. edit. 2. Quinimò exiſtimo, ob iuſtam cauſam, puta ſi aliquis aſſuetus frequenter communicare, aut ſacrificare, propter deuotionem, ac deſiderium difficilè abſtineat, permitti ipſi poſſe, vt altero ſtatim die iterum S. Euchariſtiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus: dummodo mortis periculum inſtare videatur. Adde ſecundò; Quòd ob eandem cauſam mortis probabiliſſimè imminentis, Sacerdos ſacrificare poſſit non ieiunus, ſi aliunde ſacram Euchariſtiam habere nequeat, ſicuti docet Zambran. c. 3. dub. 6. num. 1.

Sed dubitant, vtrum liceat Sacerdoti non ieiuno ſacrificare in caſu neceſſitatis, vt alium moriturum communicet? Affirmat Maior in 4. d. 9. q. 3. ad 5. qui etiam addit, Sacerdotem, ſi non habeat hoſtiam ad communicandum moriturum, poſt meridiem priuatim conſecrare poſſe, etiam panem fermentatum, dicendo ſola verba conſecrationis, ſine veſtibus ſacerdotalibus. Sed alij Docto-

21 res communiter hæc negant, Palud. in 4. diſt. 8. q. 2. a. 1. concl. 2. Sotus in cit. a. 8. Nauar. c. 25. num. 88. Tolet. lib. 2. c. 13. in fine, Henriq. c. 46. num. 1. Suarez diſp. 68. ſ. 5. Coninck cit. q. 80. a. 8. Quia Eccleſiæ conſuetudo talia non permittit, ob maximam huius ſacramenti excellentiam, quod vno modo ac ritu ſemper confici, & adminiſtrari plurimùm intereſt: præterquam quòd grauia incommoda ſequi poſſent, ſi interdum Parochis bene pranſis, ac cœnatis ſacrificare licitum eſſet. In raro tamen neceſſitatis caſu, ſi infirmus moriturus aliud ſacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut Extremæ vnctionis ſuſcipere non poſſit, & ſcandalum ceſſet, probabile eſt, quod docet Zambr. cit. dub. 6. n. 2. non malè acturum Sacerdotem, ſi ob eiuſmodi hominis communionem, non ieiunus ſacrificet.

Secundus caſus, Si Sacerdoti non ieiuno neceſſitas incumbat Sacrificij perficiendi: quod accidit I. Si loco vini conſecrati aquam hauſit. de quo dicam tract. ſeq. c. 7. in fine. II. Si alteri poſt cœptum Canonem in Miſſa deficienti ad perficiendum Sacerdos non ieiunus ſubſtitui debeat, quia ieiunus non adeſt, de quo dicam eod. tract. c. vlt. n. 2.

III. Si Sacerdos poſt conſecrationem recordetur ſe ieiunum non eſſe (vel in excōmunicatione, aut irregularitate conſtitutum) debet progredi in Sacrificio: Sin autem ante conſecrationem memor fiat, tutius eſſe ait S. Th. q. 83. a. 6. ad 2. à Miſſa abſtinere, ſi ſine graui ſcandalo poſſit: quod omnino faciendum eſt, ſi Miſſa priuatim celebretur. Si verò publicè, plerumque conſultius eſt progredi, vti docet Ægid. Coninck a. 8. num. 64. & indicat Suarez cit. diſp. 86. ſ. 6. Quia ferme abſiſtere non poteſt Sacerdos ſine aliqua nota: præſertim ſi iam oblatio facta, vel canon Miſſæ cœptus ſit. Ratio horum omnium eſt, quam S. Thomas ibidem dat: Quia *vbi difficultas occurrit, ſemper eligendum eſt id, quod minus periculi habet.*

Tertius caſus: Poſt ſumptam etiam ablutionem licitum eſt Sacerdoti reliquias hoſtiarum à ſe conſecratarum abſumere, teſte Caiet. t. 2. opuſc. tr. 3. q. 1. Soto in 4. diſt. 12. q. 1. a. 8. in fine, Nauar. c. 25. num. 89. Victor. n. 82. Valentia cit. q. 8. p. 3. Suarez. cit. ſ. 6. Ægid. Coninck cit. a. 8. contra Palud. in 4. d. 9. quæſt. 1. in fine. Roſellam ver. Euchariſtia, 3. §. 13. Idque intelligendum non tantùm de minutis, in patena, vel corporali hærentibus, vti vult Sotus l. c. ſed etiam de grandioribus, ſi facilè aſſeruari non poſſint. Ratio eſt: Quia eiuſmodi reliquiarum abſumptio refertur ad vnum, idémque Sacrificium, quod plenè abſolutum non cenſetur, dum Sacerdos in altari perſiſtit. Quare poſt receſſum ab altari non videtur ei ampliùs conceſſum reliquias ſumere, ſicuti etiam Suarez, & Ægidius ll. cc. notarunt: quòd tunc expleuerit miniſterium ſuum; dummodo ſine irreuerentia aſſeruari poſſint. Confirmatur ex eo, quòd neque calicem totum à Sacerdote omnino ieiuno hauriri contingat; cùm in prima ablutione ſemper aliquid remaneat vini conſecrati: quod vnà cum non conſecrato bibitur. 22

Quartus caſus. Si graue ſcandalum oriturum ſit, niſi aliquis communicet, aut ſacrificet, qui ieiunus non eſt: quem rarum quidem caſum, attamen indubitatum eſſe, ait Suarez cit. ſ. 5. in fine. Quia leges poſitiuæ numquam tam ſeuerè obligant.

Quintus caſus. Si S. Euchariſtia, niſi ſtatim ſumatur, vel incendio abſumēda ſit, vel in ſacrilegas manus infidelium deuentura; debet tunc à Sacerdote, vel, ſi is non adſit à Clerico, vel laico, quamuis non ieiuno, cum timore ac reuerentia ſumi.

Ad extremum, poſt ſumptam Euchariſtiam decet quidem aliquo tempore à cibo & potu abſtinere; tamen id in præcepto poſitum non eſt; ſed ſtatim à ſacriſtia ad prandium accedere fas eſſe, docet Sotus cit. art. 8. ver. ſextò arguitur. Valent. cit. p. 3. ver. poſtremò, Adrianus in 4. vbi de Euchariſt. quæſt. viſo de impedim. §. ſed oritur dubium. Ioan. Baptiſta Corradi p. 2. q. 224. caſuum conſcient. vbi etiam monet, indecens eſſe poſt ſumptam ſacram Euchariſtiam ſtatim exſpuere: tamen paruo interpoſito tempore eſſe licitum, maximè ſi ex neceſſitate fiat. Habenda etiam eſt ratio, vtrum ſputum ex capite deſcendat, an verò ex pectore: nam hoc plus periculi, & irreuerentiæ continet. 23

CAP. VII.

De Ministro S. Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam ex Christi institutione Sacerdotibus solis competit.*

2 *Diaconi ex commissione Sacerdotis sacrum calicem olim dispensârunt: & nunc quoque potestas dispensandi sacrum Christi corpus in casu necessitatis committi eis potest.*

3 *Dispensatio S. Eucharistiæ requirit in Ministro iurisdictionem ordinariam, vel delegatam.*

4 *Regulares Mendicantes in suis templis etiam Paschali tempore S. Eucharistiam ministrare possunt fidelibus, ijs nimirum, qui in Parrochia sua præcepto Ecclesiæ de Paschali Communione alias satisfacere parati sunt.*

5 *Nemo sibiipsi S. Eucharistiam ministrare debet, excepto casu necessitatis.*

1 ASSERTIO I. Ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam Christiano populo, solis Sacerdotibus competit ex Christi institutione. Sumitur ex Tridentino sess. 13. cap. 8. c. peruenit, de consecrat. dist. 2. & docet S. Th. q. 82. a. 3. Richar. in 4. dist. 13. a. 1. quæst. 3. Syluest. ver. Eucharistia, 3. q. 4. Victor. num. 88. Henriq. lib. 8. cap. 54. Suarez disp. 72. s. 1. Coninck cit. a. 3. Nam soli Sacerdotes, ratione ordinationis suæ, adeóque ex officio, potestatem habent super corpus Christi conficiendum; consequenter etiam dispensandum alijs. Est enim valde rationabile, vt cui confertur potestas, & officium conficiendi corpus & sanguinem Christi, eidem multò magis conferatur potestas, & officium communicandi: præsertim, cùm etiam Christus, sacram hostiam priùs consecrarit, postea discipulis dispensarit, adijciens, *Hoc facite in meam commemorationem.* Confirmatur: Sicuti ad Sacerdotis officium pertinet, dona & oblationes ad Deum offerre pro populo; ita ad eundem spectat dona sanctificata à DEO referre ad populum, secundùm Apostolum 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Inter Dei autem dona, atque sancta mysteria siue sacramenta, maximum est Eucharistiæ. Ita S. Th. l. c.

Assertio II. Spectato iure diuino, non est necesse, vt Sacerdos per seipsum Eucharistiam dispenset, sed potest id etiam alteri inferiori committere. Quia Christus in sacramentis sola substantialia instituit, & præcepit; modum autem dispensandi, & cætera accidentalia Ecclesiæ pro temporum diuersitate disponenda reliquit, sicuti suprà dixi ex S. Augustino, & appertè tradit Trident. sess. 22. cap. 2.
2 Quapropter olim vsitatissimum fuit, vt Diaconi, ex commissione Sacerdotum, S. Eucharistiam, præsertim Calicem Dominicum populo dispensarent, sicuti constat ex verbis S. Laurentij ad Xistum Pontificem, apud S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 41. *Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem.* Et docet Clemen. Rom. lib. 8. constit. cap. 34. *Diaconus non baptisat, non offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dat populo; non veluti sacerdos, sed veluti ministrans Sacerdoti.* Similia habet Iustinus Apolog. 2. pro Christianis, in fine; qui etiam apertam mentionem facit dispensationis corporis Christi Diaconis committi solitæ. Postea verò talis consuetudo exoleuit; præterquam quòd, ob rationabilem causam necessitatis, si nullus idoneus Sacerdos adsit, potestas corporis Dominici dispensandi, Diacono committi possit, sicuti indicatur in Concilio I. Nicæno, can. 14. & expressiùs in Concil. Carthag. 4. can. 38. *Vt Diaconus præsente Presbytero, Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget.* Idque adhuc hodie locum habere, testatur Alensis p. 4. quæst. 50. mem. 3. Duran. in 4. d. 13. quæst. 4. num. 7. Sotus in 4. d. 13. q. 1. a. 3. Syl. ver. Euchar. 3. quæst. 4. Henriq. lib. 8. cap. 54. Suarez, & Coninck locis citatis. Quamuis talis necessitas nunc rariùs occurrit; quando & maior Sacerdotum numerus est; & sacra Eucharistia populo in vna tantùm specie dispensatur; cuius dispensatio minùs Diacono conuenit, quàm alterius speciei, teste S. Thom. cit. a. 3. ad 1. Durando in 4. dist. 13. quæst. 4. num. 7. Quia corpus Christi propinquius à dispensante attingitur, quàm sanguis sacratus, qui in vase continetur. Cæterùm, eo necessitatis casu, quo infirmus, in mortis articulo constitutus, communicandus est, si proprius Sacerdos absit, vel præsens non possit S. Communionem deferre; nolit etiam alteri committere, per iniquitatem; tum quilibet alius Sacerdos, secularis, vel regularis; eo autem absente etiam Diaconus deferre poterit, per licentiam, quam ipsi sacri canones, & præsumpta voluntas superioris Episcopi, & Papæ, in tali casu tribuunt, sicuti docent Sotus l. c. Victoria n. 88. Henriq. cit. c. 54. n. 2. Tolet. lib. 2. c. 28. Miranda cit. q. 42. a. 3. Suarez cit. s. 1. Zambran. c. 3. dub. 7. n. 6. Chapeauille de modo ministrandi tempore pestis, c. 4. q. 5.

Assertio III. Vt sacra Eucharistia licitè administretur, 3
etiam à Sacerdote; debet is esse Pastor ordinarius, vel ab ordinario, vtputa Parocho, Episcopo, Papa commissionem habere expressam, aut præsumptam. Quæ est communis doctrina, atque Ecclesiæ praxis apud Vasquez disp. 219 c. 1. Ratio est: Quia dispensatio sacramentorũ, præsertim huius, quo fideles spiritualiter pascuntur, est proprium munus pastoris, quod proinde nemo alius, sine illius commissione, vsurpare debet. Excepto casu necessitatis extremæ, in quo, vt suprà dixi, omnibus Sacerdotibus, etiam præcisis, & alioquin non toleratis, tum Pœnitentiæ, tum Eucharistiæ sacramentum per modum viatici, ministrando ipso communi iure licentia data est.

Porrò irregularitatem incurret inferior Sacerdote, si sacram Communionem sine licentia, & propria auctoritate dispensauerit; cùm ea in re actum exerceat, qui ordinis sacerdotalis proprius est, vti notauit Ægid. Coninck q. 82. a. 3. n. 29. In regulares verò omnes excõmunicatio Papæ reseruata, decernitur in Clem. 1. de priuil. si Extremæ vnctionis, vel Eucharistiæ sacramentum, sine Parochorum speciali licentia, ipsorum subditis ministrare, vel matrimonia solemniter benedicere præsumpserint.

Priuilegium autem quorundam Religiosorum, quòd non requisita licentia Parochi, omnibus Christi fidelibus S. Eucharistiam in suis tẽplis per se, vel per alios Sacerdotes ministrare possint, (vti videre licet apud Mirandam tom. 1. man. q. 42. a. 4.) intelligendum est de Communione libera; seu ad quam ex præcepto non obligantur. Quare in mortis articulo viaticum à proprio Pastore fideles accipere debẽt, excepto necessitatis casu, de quo suprà dictum: & videri potest priuilegium Pauli III. in Compendio priuileg. Societ. ver. Eucharistia.

Quod verò attinet ad Paschalem Communionem, in- 4
primis sciendum est, quòd Regulares Mendicantes ex priuilegio Nicol. V. Fratribus Franciscanis concesso, toto Paschali tempore, excepto Dominico die Resurrectionis, S. Eucharistiam ministrare possint, ijs nimirum qui antè in sua Parochia præcepto de Paschali Communione satisfecerunt, vel postea satisfacturi sunt; quod in dubio de ipsis præsumi potest, ac debet: cùm non facilè quispiam ab altari repellendus sit, quando cum alijs accedens S. Eucharistiam petit. Deinde consentiunt ferme Doctores, vt videre est apud Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 23. Suarez 3. p. t. 3. disp. 72. sect. 2. quòd peregrinis & aduenis S. Eucharistia à Regularibus toti Paschali tempore absque scrupulo conferri possit: cùm ea re nulla iniuria

iuria fiat Parochis: siquidem peregrini in loco, per quem transeunt, ius vel obligationem parochiæ non acquirunt: ad propriam autem parochiam, ob distantiam, pro accipienda Communione accedere non possunt.

Controuersum autem est, vtrum Regulares ipso die resurrectionis Dominicæ, S. Eucharistiã ministrare possint parochianis, ijs videlicet, qui existimantur parochiæ satisfecisse, vel postea satisfacturi. Negat Nau. cap. 21. num. 52. Henriquez lib. 8. c. 55. quia hoc significant verba Pontificum, sub excommunicationis censura prohibentium Regularibus, ne sine licentia Parochi, extra necessitatis casum, in resurrectionis Dominicæ die S. Eucharistiam ministrent, Clem. 1. de priuil. Sed Suarez sect. 3. Miranda tom. 1. man. Prælat. q. 42. a. 2. Sa ver. Eucharistia, num. 10. Coninck 3. p. q. 82. a. 3. n. 31. & Comp. priuileg. Societatis ver. Euchar. §. 2. probabiliùs censent, non tam verba, quàm mentem Pontificum spectandam esse: voluerunt enim Parochis prospicere, vt certi esse possent de suorum subditorum Communione, si eos videant Paschali tempore in sua parochia communicantes: si autem parochiani in parochia sua semel communicent tempore Paschali, nihil omnino parochis adimitur, etsi iterum eodem durante tempore Paschali in alia Ecclesia sacram Communionem accipiant.

Quod ad praxin verò attinet, existimo, insuper considerandam esse Parochi voluntatem, vtrum is contentus esse videatur, vt Paschali etiam tempore à Regularibus sacra Eucharistia ministretur, ijs videl. qui sæpe in anno communicantes, extra suspicionem esse solent: tunc enim tales personæ, quæ frequenter communicandi in templo Regularium consuetudinem habent, & adduci nequeunt, vt in Parochia cõmunicent, ad sacram Communionem in templo Regularium admitti possunt, ex tacito, vel præsumpto Parochi consensu: sin autem existimetur, contrariam esse Parochi voluntatem, vt contentus non sit, Paschali tempore Communionem conferri Parochianis suis, ijs nimirum, de quibus præsumi nõ potest, in parochia etiam communicasse, aut cõmunicaturos; tunc Confessarius seueriùs præcipere debet pœnitentibus omnibus, vt in parochia communicent Paschali tẽpore: deinde quantùm fieri potest, ipso Dominico die Resurrectionis abstinere debent à Parochianis communicandis, cùm ipsis eo die ministratio Eucharistiæ interdicta sit, si Parochi non consentiant.

Dico IV. Licet iure diuino non requiratur, vt persona ministrans hoc sacramentũ sit distincta ab accipiente; Ecclesiæ tamen consuetudo hodie repugnat, quominus, extra Sacrificium, aliquis seipsum communicet. Est communis doctrina, cuius prior pars inde etiam probatur, quòd Apostolos S. Eucharistiam de manu Domini acceptam sibiipsis applicuisse credibile sit: & olim consuetudo fuerit sacram hostiam in proprias manus accipiendi, & domum deferendi. Sed etsi in Ecclesia Eucharistia etiam sumpta fuerit, tamen Sacerdos tradebat particulam communicanti, eámque is sua manu ori applicuit, sicuti testatur S. Basilius apud Anastasium Nicænum in qq. super Scripturam, Sozom. lib. 8. histor. Eccles. cap. 5. Nicephorus lib. 13. cap. 7. Atque his ipsis rationibus ostendere conatur Basilius citat. loco; Permittendum esse in aliqua necessitate, si Sacerdos absit, vt aliquis propria manu sacram Communionem ipsemet ex sacrario accipiat.

Altera pars assertionis ita intelligenda videtur, vt tamen eiusmodi prohibitio Ecclesiæ non se extendere debeat ad casum necessitatis extremæ. Si enim aliquis, seu Clericus, seu laicus, in mortis articulo constitutus, Ministrum idoneum non habeat, à quo S. Eucharistiam sumat; nihil obstare videtur, quominus seipsum communicare possit, scandalo cessante, sicuti probabiliter docent Caietan. in cap. 26. Matth. Suarez disput. 72. sect. 3. qui id confirmat exemplo Reginæ Scotiæ, quæ in Anglia martyrium subitura, sacramentum Eucharistiæ, quod secum habebat, proprijs manibus sumpsit. Licet in hac q. aliter sentiant Armilla ver. Communio, n. 8. Henriq. lib. 8. c. 54. n. vlt. Zambran. cit. cap. 3. dub. 6. n. 6. & alij.

Addunt Suarez lo. cit. Ægidius Coninck cit. a. 3. n. 25. etiam extra mortis necessitatem, si causa aliqua suadeat, vt Sacerdos, qui sacrificare impeditus est, saltem communicet, puta quia magnum festum est, vel longo tempore infirmus fuit; posse eum tali casu, scandalo cessante, sacram hostiam ex sacrario accipere, & seipsum communicare: si alium Sacerdotem accersere non possit, quamuis Diaconum possit. Et Durandus in 4. d. 13. q. 4. n. 7. monet: Si Sacerdos communicaturus infirmus sit, quòd possit quidem Diaconus sacrum ciborium deferre, quando Sacerdos alius non adest; tamen Sacerdos infirmus non ex manibus Diaconi: sed proprijs, si possit, manibus sacram hostiam accipere, & ori applicare debeat.

Denique Gl. in c. peruenit, d. 2. de consecrat. & addit. Gl. in c. vlt. 24. quæst. 1. Chapeauille cap. 4. q. 6. & alij apud Syluest. ver. Eucharistia, 3. q. 4. Coninck cit. a. 3. n. 23. (in quorum sententiam etiam Suarez propendet in fine s. 1.) arbitrantur, in casu necessitatis, si morituro sacræ Eucharistiæ sumptio ad salutem valde necessaria videatur, nullúsque Sacerdos, aut Diaconus haberi possit, qui administret; licitum tunc fore non tantùm inferiori Clerico, sed etiam, illo absente, laico deferre: modò scandalum absit. Siquidem id nec naturali, nec diuino Christi præcepto repugnat: neque vllus canon Ecclesiasticus reperitur, quo id prohibitum sit: nam c. peruenit, d. 2. de consecr. quod in contrarium adducitur, loquitur extra casum necessitatis. Denique hoc olim factitatum fuisse, testatur Dionys. Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. historiæ, cap. 36. aliàs 44. Nec responderi potest, Ecclesiæ consuetudinem id modò non permittere: quia fieri potest, longissimo tempore hoc nunquam factum esse, saltem vt alijs innotesceret: non quod id illicitum sit, sed quia casus ex se ipso rarissimus est: Licet contrarium sentiat Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 1. art. 3. in fine, Henriquez cit. cap. 54. n. 2. Syluest. ver. Eucharistia, 3. quæst. 4. Vasquez disput. 219. cap. 1. & plures alij.

TRACTATVS QVINTVS, DE SACRIFICIO MISSAE.

CAP. I.

De natura, proprietate, & effectu Sacrificij nouæ legis.

SVMMARIVM.

1 *Christus in Sacrificio Missæ est principalis offerens, & res oblata: Sacerdos autem, offerens ministerialis.*
2 *Sacerdos in Missa totius etiam Ecclesiæ Vicarius est, & legatus ad Deum.*
3 *Ex sacrificio Missæ duplex fructus, seu effectus prouenit: vnus est ex opere operato, alter per modum impetrationis.*
4 *Sacrificium Missæ verè propitiatorium est, ex opere operato conferens remissionem peccatorum.*
5 *Huius Sacrificij præcipuus fructus est satisfactionis pro peccatis eorum, quibus applicatur: quamuis id nesciant, dummodo capaces sint.*
6 *Sacrificium Missæ vtile est ad delenda peccata venialia in ijs, qui pro se offerunt, aut offerri postulant.*
7 *Probabile est, Sacrificium nouæ legis habere infallibilem effectum gratiæ præuenientis, & excitantis peccatores ad pœnitentiam: iustos verò, pro quibus offertur, ad maiorem perfectionem.*
8 *Per Sacrificium Missæ varia dona, & beneficia Dei impetrari possunt.*
9 *Sacrificium Missæ ex opere operato habet effectum finitum tum intensiuè, tum extensiuè.*
10 *Vna, eademque oratio plus impetrat alicui, si pro eo solo fiat, quàm si pro pluribus.*
11 *Sacrificium quoad impetrationem beneficiorum, habet aliquo modo virtutem infinitam syncategorematicè.*
12 *Missa mali Sacerdotis æquè vtilis est quoad fructum eius principalem, qui est ex opere operato: non item quoad vim impetrandi ex propria persona.*
13 *Sacerdos, qui à pluribus sufficientem stipem accepit, non satisfacit pro omnibus vnam Missam dicendo: secus, si stipendium sufficiens non fuit.*
14 *Si Sacerdos stipendium accipiat pro Missa celebranda, debet vel ipsemet celebrare; vel, si alterum substituere velit, totum ei stipendium relinquere.*
15 *Sacerdos, qui stipendium accepit, plerumque Missam celebrare debet eam, & in eo altari, sicuti offerens petiuit.*
16 *In festis, vel Dominica ob iustam causam dici potest Missa votiua, vel pro defunctis.*



1 NOTANDVM est primò; Cùm Sacrificium propriè dictum aliud non sit, quàm *oblatio Deo facta, per immutationem alicuius rei sensibilis, in signum supremi super res omnes dominij, ex publica & legitima institutione;* consequens est, quòd sicuti in alijs sacrificijs, ita & in hoc debeat adesse offerens, seu Sacerdos; qui principaliter est Christus Dominus, idem Sacerdos, & hostia; offerens, & res oblata, sicuti docent S. Tho. quæst. 83. art. 1. ad 3. Trident. sess. 22. cap. 2. Gregor. Nyssenus orat. 1. de Resurrect. circa medium; *Arcano Sacrificij genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert, & victimam immolat: Sacerdos simul existens, & agnus Dei, ille qui mundi peccata tollit.*

S. August. lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 20. *Sacerdos est (Christus) ipse offerens, ipse & oblatio: cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium.*

S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium: *Qui magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus; qui sacrificium Deo Patri obtulit; Et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panē & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem.* Idem intellige, quod Melchisedech obtulit in typo seu figura, Christum obtulisse, & quotidie offerre in veritate. Etenim, vt Apostolus ait ad Hebræos c. 7. *Melchisedech rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium, neque finem vitæ habens, assimulatus est Filio Dei:* Quia, vt dixerat in cap. 6. ex psal. 109. *Iesus secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus est in æternum.* Quod de incruento Sacrificio, in quo vsque ad finē mundi Christus immolatur, explicant Patres, nominatim Clem. Alexandrinus lib. 4. Stromat. Eusebius Cæsariensis lib. 5. de demonstr. Euangel. cap. 3. Ambros. lib. 4. de sacram. cap. 3. & lib. 5. cap. 1. Epiphan. hæresi 55. S. Hieron. in cap. 26. S. Matth. super ea verba: *Cœnantibus eis, accepit Iesus panem*, Chrysost. homil. 35. in Genes. S. August. lib. 83. qq. quæst. 61. & lib. 16. de ciuit. c. 22. & lib. contra Aduersarium legis, tom. 6. & in psal. 33. concione 2. & videri potest Albertus Pighius lib. 2. Eccles. hierarch. c. 5.

Alter Sacerdos ministerialis est, qui Christi personam assumens, ac repræsentans, profert verba consecrationis, quibus nouæ legis Sacrificium essentialiter perficitur. Quare S. Cyprianus lo. cit. ait: *Sacerdos in altari vice Christi fungitur, & sacrificium verum, ac plenum Deo Patri offert.* Similia habet S. Ambrosius lib. 4. de sacrament. cap. 4. Paschasius relatus in cap. vtrum figura, d. 2. de consecrat. Et S. Chrys. hom. de prodit. Iudæ: *Cùm videris Sacerdotem offerentem, ne ipsum consideres hoc facientem: sed Christi manum inuisibiliter extensam.* S. Aug. in psal. 38. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.* Quare Trident. Synodus ait. sess. 22. cap. 2. *Idem nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui seipsum in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Siquidem illa cruenta erat; hæc incruenta, & alterius repræsentatiua: Per illam Christus ex condigno meritus est salutem nostram; & reipsa, quatenus erat ex sua parte, exhibuit pretium (propter hypostaticam vnionem) infinitè sufficiens ad redemptionem, iustificationem, & glorificationem nostram: at verò per oblationem incruentam, sicuti & per sacramenta nouæ legis, fructus eius sacrificij cruenti; tanquam generalis causæ & originis nostræ salutis, nobis proximæ & particulatim applicatur. Deinde in illo cruento sacrificio Christus solus, sine hominis adiutorio, salutem nostram operatus est, iuxta illud Isa. 63. *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.* At verò in applicatione fructus per Sacrificium incruentum, & Sacramenta, hominum quoque ministerium, & cooperatio requiritur. Denique cùm fructus illius sacrificij cruenti, tanquam causæ generalis, infinitè sufficiens fuerit ad quæcunque hominum peccata delenda, & gratias obtinendas: sufficiebat semel offerri, teste Apostolo ad Hebr. 7. At verò fructus, qui ex Sacrificio incruento, tanquam ex causa proxima, hominibus re ipsa applicatur, finitus & limitatus est: quamobrem Sacrificium hoc repeti oportet; quandoquidem quotidie peccamus, & quotidie noua nobis indulgentia, & gratia Dei opus est, sicuti annotauit S. Chrysost. hom. 17. in epist. ad Hebræos.

Notandum secundò; Sacerdos in Missa totius etiam Ecclesiæ

Ecclesiæ vicarius, ac veluti legatus est, & intercessor ad Deum Patrem, per Iesum Christum Filium eius, qui in altari hostia incruenta immolatur, in memoriam Sacrificij cruenti. Orat enim Sacerdos inprimis pro Papa, pro Antistite, pro Rege; deinde pro omnibus Christi fidelibus, viuis atque defunctis. Sed & ipsemet Sacerdos, quatenus priuata persona est, particulari affectu offert Deo Patri hostiam sanctam, tum pro seipso supplicando, tum pro alijs. *Quoniam* enim *& ipse circundatus est infirmitate, propterea debet, quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre pro peccatis*, ait Apost. ad Hebr. 5. Huc etiam alij fideles reduci debent, qui ad Sacrificium speciali aliqua ratione concurrunt, illud postulando, præsentiam, & affectum exhibendo, stipem largiendo. Quãobrem in Missæ *Memento* dicitur; *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, seu spiritualiter tantùm, & interno affectu, seu externæ etiam corporationis, per seruitium, Sacrificij postulationem, oblatam stipem &c. qua de re Suarez in fine disp. 77. Veruntamen solus ipse Sacerdos propriè, verè, ac realiter consecrat, offert, seu sacrificat; & quidem non in propria, sed in Christi persona, qui est principalis offerens, vt suprà dictum.

3 Notandum tertiò; Ex Sacrificio duplicem fructum, siue effectum prouenire posse: vnum vocant *ex opere operato*; quia infallibiliter consequitur, ipso opere externo posito, dummodo in suscipiente nullus obex sit: propterea quòd Christus merita passionis suæ tali sensibili operi rite exhibito, speciali voluntate sua, annexuerit, ex pacto cum Deo Patre inito: vt proinde talis effectus ex iustitia debeatur, & certò ac infallibiliter conferatur, independenter à dispositione aut dignitate Ministri. Alter effectus est per modum impetrationis, partim ex dignitate, & apud Deum Patrem gratia ipsius Christi, in cuius nomine offertur; partim ex dignitate, dispositione, ac meritis de congruo tum proximi offerentis, seu ministri; tum totius Ecclesiæ sanctæ, cuius ille legatum agit.

4 Assertio I. Sacrificium Missæ verè propitiatorium est, ex opere operato conferens remissionem peccatorum. Prior pars est de Fide, & habetur in Trident. sess. 22. c. 1. & 2. & canone 3. apud Origenem in cap. 23. Leuit. S. Hieron. in cap. 1. ad Titum, Cyril. Hierosolym. catech. 5. S. Augustin. in qq. super Leuit. lib. 3. cap. 57. tom. 4. S. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 58. & homil. 37. in Euangelia, Ambros. lib. 1. offic. 48. *Vmbra in lege* (inquit) *imago in Euangelio, veritas in cœlestibus. Antè agnus, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem: & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate; vbi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus internenit.* Probatur primò ex verbis Christi apud S. Lucam c. 22. τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον (εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν vt, S. Matthæus adiungit) quæ per se primò, & immediatè non possunt referri ad effusionem sanguinis in cruce: sed tantùm mediatè, ac remotè, quatenus cruenta illa effusio mox secutura, per mysticam sanguinis effusionem seu incruentam oblationem repræsentabatur. Siquidem Christus apud tres Euangelistas participio temporis præsentis vsus est, τὸ ἐκχυνόμενον; & quidem in genere neutro apud Lucam, vt iungeretur cum ποτηρίῳ, seu poculo; significarétque, sanguinem, qui est in calice, mysticè tunc effundi seu immolari, in remissionem peccatorum nostrorum. Vocauit autem Christus calicem *nouum testamentum*: seu *sanguinem noui testamenti*, quia allusit ad verba, & factum Mosis Exodi 24. qui victimæ occisæ *sumptum sanguinem respersit in populum*, inquiens: *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum*: Ita etiam Christus nouum fœdus siue testamentum nobiscum firmaturus, sanguinem suum fudit in ora & corda discipulorum, quibus eum bibendum propinabat, inquit Ægidius Coninck q. 83. a. 1. dub. 2. n. 39.

Probatur secundò ex Apostolo ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Atqui hoc est verum & vnicum nouæ legis Sacrificium, ac Sacerdotium, de quo loquimur: Ergo verè propitiatorium, siue ad peccatorum nostrorum remissionem institutum est. Vide S. Chrysost. cit. hom. 17. epist. ad Hebræos.

Altera pars assertionis, quòd Sacrificium hoc habeat vim ex opere operato remittendi peccata, est communis Theologorum apud Suarez disp. 79. sect. 1. assert. 1. Probatur primò: Quia, vt suprà ostendi, Christus peculiari ratione instituit hoc Sacrificium in peccatorum remissionem: Christi autem institutio efficax est, & voluntas eius operatoria: Ergo certus fructus propitiationis ex sensibili Sacrificij opere, secundùm subiecti capacitatem, consequitur. Secundò: Quia est communis fidelium persuasio, fructum propitiationis huius Sacrificij seu pro viuis, seu pro defunctis offeratur, non pendere ex dignitate, aut bonitate Ministri, seu proximè offerentis; & vt Trident. Concil. ait sess. 22. cap. 1. nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari posse: sed certò prouenire ijs, pro quibus offertur, si dispositi sint. Tertiò: Quia (vti Apostolus argumẽtatur ad Hebræos 9.) sicuti vetera sacrificia vim habebant ex opere operato tollendi immunditiam legalem exteriorem, & quasi carnalem, vti videre est Leuit. cap. 4. & seqq. ita multò magis hoc Sacrificium (quod per varias sacrificiorum veterum similitudines figurabatur, ait Trident. cit. cap. 1.) vim habet ex opere operato emundendi conscientias nostras à peccatis.

Porrò, quomodo Sacrificium hoc ex opere operato, remissionem peccatorum tribuat, non omnes eodem modo explicant. In duobus tamen Doctores ferme consentiunt: I. est. Quòd Sacrificium istud non habeat vim gratiam iustificantem, vel eius augmentum immediatè conferendi his, pro quibus offertur; (quia hæc virtus propria sacramentorum est, vt actuali applicatione hominem suscipientem sanctificent) sed solùm mediatè per gratiam præuenientem, & excitantem homines pio aliquo motu ad pœnitentiam, maiorémue vitæ perfectionẽ sectandam. Quam doctrinam clarè indicat Synodus Trident. sess. 22. c. 2 cùm ait, per hoc Sacrificium *fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit*: Idémque clarè docet S. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 2. a. 2. q. 2. ad 4. vbi ait, quòd Sacrificium ijs, pro quibus offertur, gratiam obtinet virtute sacrificij cruenti, & per consequens *peccata mortalia delet, non sicut causa proxima: sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* quem locum citat, & sequitur Gabr. super canon. Missæ, lect. 85. lit. l.

II. est, quòd hoc Sacrificiũ habeat vim ex opere operato, in iustis adultis, pro quibus offertur, delendi pœnam temporalem, secundùm modùm, & mensuram institutionis Christi. Ita S. Thom. quæst. 79. art. 5. & 7. Vbi etiam rationem affert ex discrimine inter Sacramenta, & Sacrificium, quam magis explicant Suarez disp. 79. sect. 6. assert. 1. Pet. Nauar. lib. 2. cap. 2. num. 352. Nam Sacramenta operantur suum effectum duntaxat erga sumentes, & aliquo modo cooperantes, si adulti sint; quos proinde sacramenta per gratiam, & charitatem cum Deo vniunt: at verò Sacrificium prodest non tantùm sumentibus, sed etiam alijs pro quibus offertur, licet nescientibus, & nihil cooperantibus iuxta verba Christi, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Ad hoc autem maximè accommodatus est fructus satisfactionis, quippe qui alteri, sine vlla ipsius cooperatione, aut etiam reali susceptione, per causam merè extrinsecam 5

applicari poteſt; quò modo gratia ſanctificans conferri non ſolet. Confirmatur ex eo, Quòd ſacrificium crucis, ſecundùm externum actum doloris, ſanguinis effuſionis, ac mortis, maximè propriè, & directè fuit ſatisfactorium pro pœna peccatis noſtris debita: Ergo conueniens erat, Sacrificium hoc incruentum, quod cruenti ſacrificij repræſentatiuum eſt, propriè, & directè inſtitui, ad fructum eiuſmodi ſatisfactionis ex opere operato nobis applicandum: vt quod in illo ſacrificio accidit ſecundùm ſufficientiam, id in hoc fiat ſecundùm efficaciam.

Duo verò inter Doctores controuerſa ſunt: Primum. Vtrum ſaltem venialia peccata proximè, ac immediatè remittantur ijs, pro quibus ſacrificium iſtud offertur. Ita enim affirmat Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. ad 3. Henriquez lib. 9. cap. 13. num. 2. Petr. Nauarrus cit. cap. 2. num. 354. Sed alij rectiùs negant, S. Tho. cit. art. 2. quæſtiun. 1. ad 1. Suarez diſput. 79. ſect. 5. Coninck quæſt. 83. art. 1. dub. 8. num. 136. Ioan. Baptiſta Scortia de Sacrificio Miſſæ, lib. 1. cap. 8. num. 3. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 20. quæſt. 4. Quia vniuerſim loquendo, valde veriſimile, ac decens eſt, vt peccata venialia, cùm ſint maculæ quædam animi, libero arbitrio contractæ, nunquam tollantur ſine pia animi actione peccatis venialibus aliquo modo repugnante, quam etiam gratiæ
6 ſanctificantis infuſio comitetur. Rectè tamen aiunt Suarez, Azor, Scortia; credibile eſſe, quòd ij, qui Miſſæ ſacrificium expreſſa, vel virtuali intentione offerunt pro venialium peccatorum ſuorum remiſſione, eam certò, ſaltem per modum impetrationis, conſequantur; ſi diſpoſiti ſint: tunc enim habent voluntatem repugnantem venialibus culpis; & oratio per Chriſtum Deo Patri oblata, & præſentata efficaſſima eſt ad impetrandum, eúmque propitium nobis renddendum: ſiquidem Sacrificium hoc inprimis prĕſtans, & vtile eſſe ad remiſſionem peccatorum, quæ quotidie committimus, id eſt, venialium, dicitur in Trident. cit. cap. 1. Eodémque modo loquitur S. Ambroſ. lib. 4. de ſacrament. cap. vlt. relatus in cap. ſi quotieſcunqne, diſtinct. 2. de conſecrat. Paſchaſius in lib. de corpore, & ſanguine Chriſti, cap. 9. relatus in c. iteratur, eadem diſtinct. 2. Magiſter in 4. d. 12.

Alterum eſt. Vtrum effectus gratiæ præuenientis, & excitantis peccatores ad pœnitentiam; iuſtos verò, pro quibus Sacrificium offertur, ad maiorem perfectionem, infallibiliter proueniat in tempore opportuno, ex
7 Chriſti inſtitutione, & promiſſione? Negat Suarez cit. diſput. 79. ſect. 3. Sed non improbabiliter affirmat Ægid. Coninck. Quia Chriſtus Sacrificio huic incruento ſimpliciter, & abſolute tribuit virtutem remiſſionis peccatorum, Matth. 26. Quod eſt ſignum, eam habere ex Chriſti inſtitutione, adeóque infallibiliter: & ſine neceſſitate promiſſio illa à nobis reſtringi videtur ad ſolius pœnæ remiſſionem: quin potiùs amplè & plenè accipi oportet, vt etiam culpæ remiſſionem contineat: non quidem immediatam, vt ſuprà dictum eſt; ſed interueniente pio aliquo motu pœnitentiæ, per gratiam præuenientem: quemadmodum etiam ſacramentis, v.g. Extremæ vnctioni, Matrimonio, quædam gratiæ excitantes, tanquam effectus ex opere operato in tempore opportuno infallibiliter conferendi, adſcribuntur.

8 Aſſertio II. Sacrificium hoc incruentum habet etiam vim varia dona & beneficia tum ſpiritualia, tum tēporalia à Deo impetrandi: idque inprimis, quatenus offertur in perſona Chriſti, Deo Patri acceptatiſſimi, qui, vt Apoſtolus ait ad Hebræos 7. *ſempiternum habet ſacerdotium: vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedentes per ſemetipſum* (ἑαυτῶν) *ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Deinde, quatenus offertur nomine ac loco Eccleſiæ, in qua ſemper multi iuſti ſunt, Deóque grati; atque ad impetrandum idonei. Denique quatenus & ipſe Miniſter, ſeu proximus offerens peculiarem petitionis ſuæ effectum adiungit; quò magis is diſpoſitus, Deóque gratus eſt, eò maior hinc virtus oritur impetrandi, quæ Sacerdos vel pro ſe, vel pro alijs poſtulârit.

Etenim effectus impetrationis ex Sacrificio proueniens non eſt certus ac determinatus; ſed omnino varius, ſecundùm variam intentionem Eccleſiæ, aut etiam proximi ſeu particularis offerentis. Offertur enim ad impetrandam infidelium conuerſionem, fidelium peccatorum iuſtificationem, iuſtorum incrementum, ac maiorem perfectionem; pœnæ peccatis debitæ indulgentiam tum viuis, tum defunctis: item pro victoria, pro pace, terræ frugibus &c. ſicuti teſtatur S. Chryſoſt. homil. 77. in Ioan. *Pro infirmis, & terra, & maris, & vniuerſi orbis fructibus ſacrificamus:* Item ad auertendam ex ædibus *vim noxiam ſpirituum malignorum*, vti S. Auguſt. loquitur lib. 22. de ciuit. cap. 8. & addit: *Perrexit vnus Sacerdotum, obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti, orans quantum potuit, vt ceſſaret illa vexatio* in domo, *Deóque protinus miſerante ceſſauit.* Præterea pro captiuorum liberatione, cuius reillustre exemplum reperies apud Gregor. 1. homil. 37. in Euangel. Bedam lib. 4. Anglic. hiſtor. cap. 22. Et obſeſſorum à Dæmone liberatione, apud Proſperum de prædiction. p. 3. de dimidio temporis. Quandoquidem orationibus noſtris quibuſcunque ſanctè ad Deum fuſis, tum nobis ipſis, tum alijs hominibus varia beneficia, multò profectò certiùs, & efficaciùs aſſequi poſſumus, ſi preces, & deſideria annexa & ſubnixa ſint hoſtiæ Deo Patri gratiſſimæ, quæ ſuopte valore & dignitate quodcunque nobis impetrare potens eſt. Quòd verò interdum non conſequamur, quod volumus, adeóque effectus impetrationis ex Sacrificio infallibilis non ſit; cauſa eſt, quia non habemus de ea re promiſſionē Dei abſolutam, ſed tantùm conditionatam, ſi nobis, quòd rectè petimus, ſecūdùm diuinæ prouidētiæ rationem dari expediat. Credibile tamen eſt, nunquam petitionem, præſertim eam quæ Sacrificio adiungitur, omni fructu carere: quia etſi non impetratur, quod petitur, aliud tamen confertur, quod vtilius, ac melius eſſe Deus iudicat.

Aſſertio III. Licet Sacrificium Miſſæ ex natura ſua, ſiue ſecundùm primam & remotam potentiam ſpectatū, 9
habeat infinitam dignitatem & valorem impetrandi, & fructum ſatisfactionis applicandi, tum ratione rei oblatæ, tum ratione primatij offerentis, qui eſt Chriſtus Dominus, propter hypoſtaticam vnionem infinitè dignus: attamen ſpectatum hoc Sacrificium, ſecundùm proximam potentiam, quam habet ex Chriſti inſtitutione, & voluntate, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, ſed ſemper finitum ac limitatum, tam intenſiuè, quàm extenſiuè. Quæ eſt communis doctrina S. Thomæ in 4. diſtinct. 45. quæſt. 2. art. 4. quæſtiun. 2. Et 3. p. quæſt. 79. art. 5. Toleti lib. 2. cap. 6. & 8. Bellarmini lib. 2. de Miſſa cap. 4. Nauar. cap. 25. num. 92. & 111. Suarez diſp. 79. ſ. 11. & 12. Ægid. Coninck quæſt. 83. art. 1. dub. 10. Lud. Mirandæ in man. Prælat. tom. 1. quæſt. 41. art. 19. & 20. Scortiæ lib. 1. de Sacrificio Miſſæ cap. 9. etſi aliter Caietan. cit. art. 5. & tom. 2. opuſc. tract. 3. de celebrat. Miſſæ, 2. Petrus Sotus lect. 7. de Euchariſt. Petr. Nauarrus lib. 2. de reſtit. c. 2. n. 268.

Probatur aſſertio: Nam quod attinet ad finitam intenſionem, tametſi Chriſti merita & dignitas infinita ſint ſecundùm ſufficientiam, & actum primum: tamen ſecundū applicationem, & actum ſecundùm ſemper effectus finitus promanat per Sacrificium, & Sacramenta, veluti inſtrumenta à Chriſto inſtituta. Quod verò attinet ad finitam extenſionem, quæ in eo conſiſtit, quòd fructus Sacrificij applicatus pluribus, non multiplicetur, & augeatur in infinitum, ſed in ſingulis diuidatur, ac minuatur: optimè probatur ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ. Nam & Sacerdotes præcipuum Sacrificij fructum, qui prouenit quatenus ex Chriſti perſona offertur, ſæpe vni ſoli

ſoli applicare ſolent: & fideles hoc ipſum deſiderare, atque oblata ſtipe exigere: quod non rectè, & ſapienter facerent, ſi Sacrificium oblatum pro pluribus, tantumdem fructus conferret ſingulis, quàm ſi pro vno ſolo offerretur.

Porrò, licet doctrina hæc præcipuè intelligenda ſit de fructu remiſſionis, & ſatisfactionis pro peccatis, qui ex opere operato, ſecundùm Chriſti inſtitutionem, ac veluti taxationem, ex Sacrificio prouenit; tamen ſuo modo locum etiam habet in fructu impetrationis, prouenente ex Sacrificio, quatenus in Chriſti perſona offertur.

10 Quia vna & indiuidua oratio, quamuis Sacrificio annexa, ideòque ad impetrandum efficacior ſit, plus, & certiùs impetrat vni, ſi pro eo ſolo fiat, quàm ſi pro pluribus; propterea quòd poſtulatio debeat habere proportionem cum re poſtulata; ideóque non æquè impetret rem difficilem, ac facilem; maiorē, ac minorem. Atqui oratio Sacerdos, quatenus fit ad Deum Patrem, offerendo in perſona Chriſti, vnica tantū eſt in vno Sacrificio. Nam, vt ſupra dictū, effectus iſte impetrationis oblationi, ſeu Sacrificio infallibiliter annexus non eſt; neque ex Chriſti inſtitutione, aut promiſſione determinatus: quinimò Sacrificium applicatur, & determinatur ad impetrandum ab intentione & voluntate Miniſtri: vt proinde mirum non ſit, effectum impetrationis finitum, ac limitatum eſſe. Vide etiam Scotum quodlib. 20. & Gabr. in canon. Miſſæ, lect. 27.

Aſſertio IV. Sacrificium, quatenus nomine Eccleſiæ offertur, habet quidem finitam vim impetrandi, eandémque independentem à diſpoſitione & ſanctitate Miniſtri; tamen eò maiorem, quò ſanctior Eccleſia eſt, ſiue plures in ea iuſti, Deóque gratiores exiſtunt. Eſt communis, & certa aſſertio: quemadmodum etiam legatus alicuius Communitatis tantò faciliùs, aut maiora impetrat, quantò ea Regi gratior eſt.

11 Aſſertio V. Quatenus Sacrificium offertur à perſona priuata, videlicet tum ab ipſo Sacerdote, tum ab alijs concurrentibus, habet vim aliquo modo infinitā ſyncategorematicè; quatenus fructus, qui per modū impetrationis prouenit, tū ratione deuotionis, tū ratione multitudinis priuatorū offerentiū, magis ac magis creſcere poteſt. Ita Suar. cit. ſ. 12. aſſert. 1. Coninck cit. d. 10. concl. 6. Paulus Comitolus lib. 1. moral. qq. q. 42. n. 21. & alij communiter. Probatur ex communi fidelium perſuaſione, ſi plures Miſſam audiendo, ei inſeruiendo &c. ſacrificium Deo patri offerant, non minorem fructum exinde referre ſingulos, quàm ſi ſoli eſſent: propterea, quòd priuatæ eiuſmodi oblationes diſtinctæ ſint: ideoque eis diſtincti effectus reſpondeant. Quin potiùs ex concurſu & conſpiratione multorum creſcere ſolet ſingulorum deuotio, & conſequenter fructus, qui eis ſecundùm eorum diſpoſitionem confertur: præterquam, quòd preces multorum ſimul in id vnitorum faciliùs à Deo exaudiantur, quàm ſi ſeparatim fierent, iuxta illud Math. 18. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis.* Communis item, & vera fidelium perſuaſio eſt: Et ſi Sacerdos pro certa perſona Miſſæ ſacrificium offerre debeat; nihil tamen ipſi decedere, ſi in *Memento* in propria perſona, & ex priuata deuotione idem Sacrificium pro ſe ipſo, & alijs pluribus perſonis, diſtinctis actionibus, ſiue petitionibus offerat: cùm enim hæ oblationes diuerſæ, & repetitæ, quarum nulla alteram impedit: ideo ſingulis tantumdem fructus impetrare poſſunt, quàm ſi vna ſola pro vna perſona fieret.

Ex his dictis facile eſt quæſtiones quaſdam ſoluere: PRIMA. Vtrū Miſſa Sacerdotis mali minùs valeat, quàm Sacerdotis boni? Reſpondeo cum S. Th. 3. p. q. 82. a. 6. Th. Waldenſi lib. de ſacram. contra wiclef. Adriano in 4. de ſacram. Euchar. prope finem, Nau. in man. c. 25. n. 79. & 111. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 251. & dico I. Fructus ſacrificij,

12 iſque præcipuus, qui prouenit ſeu ex opere operato, ſeu per modum impetrationis, quatenus in Chriſti perſona offertur, nihil omnino pendet à diſpoſitione, aut bonitate Miniſtri. Eſt omnium doctrina, & habetur in c. intra, 1. q. 1. & c. vtrum ſub figura, d. 2. de conſecrat. ex Paſchaſio in lib. de corpore & ſanguine Domini, & Algero lib. 3. c. 8. *Intra Catholicam Eccleſiam in myſterio corporis, & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus ſancti. Si enim in merito eſſet Sacerdotis, nequaquam ad Chriſtum pertineret. Nam ſicut ipſe eſt, qui baptiſat; ita ipſe eſt, qui per Spiritum ſanctum, hanc ſuam efficit carnem.* Similia reperies apud S. Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. 2. ad Timoth. & homil. 85. in Ioan.

Dico II. Quatenus Sacerdos offert, & orat nomine Eccleſiæ, non minuitur fructus impetrationis ob malam diſpoſitionem Miniſtri: quia *etiam in peccatoribus manet miniſterium*, ait S. Th. Idq; etiam de orationibus, quæ in Eccleſiaſtico officio nomine Eccleſiæ fiunt, intelligendum eſſe, ibidem admonet. Excipe, niſi Miniſter excommunicatus non toleratus ſit: quia per hunc non vult Eccleſia ſuas ad Deum orationes offerri: conſequenter nullam efficaciam habent, quatenus nomine Eccleſiæ fiunt, ſicuti docet S. Th. 3. p. q. 82. a. 7. ad 8. Secùs dicendum de tolerato: cùm enim ab hoc permittat Eccleſia, vt fideles Miſſæ ſacrificia, & alia diuina officia poſtulent: conſequenter etiam permittit, vt ea fructuosè fiant, ſicuti ex cōmuni notauit Auila de cenſ. p. 2. c. 6. diſ. 4. dub. 5. cōcl. 1.

Dico III. Quatenus Sacerdos offert, & orat vt perſona priuata, fructus impetrationis &c. prouenit tum ſibi, tum alijs, quibus eum applicat, ſecundùm diſpoſitionem, ac deuotionem eiuſdem: vt proinde quò magis diſpoſitus eſt, eò plus gratiæ & gloriæ apud Deum ſibi mereatur: plus etiam tum ſibi, tum alijs impetret, & pro peccatis ſatisfaciat. At verò ſi malè diſpoſitus & indignus offerat, in fructuoſa eſt eius oblatio, etiā ſecundùm vim impetrandi, vti habetur in c. in grauibus, 3. q. 7. Idq; maximè quatenus pro alijs orat, imo etiā quatenus pro ſeipſo, ſi cōſideremus iuſtitię condignū: ſiquidē, vt S. Th. ait 2. 2. q. 83. a. 16. *Orationē peccatoris Deus audit, nō quaſi ex iuſtitia, quia peccator hoc non meretur* (ex condigno) *ſed ex pura miſericordia, obſeruatis tamen quatuor cōditionibus: vt ſcilicet pro ſe petat, neceſſaria ad ſalutem, piè, & perſeuerenter.* Deinde hoc ſpeciale eſt in peccatore ſacrificante, quòd eius tota actio, quatenus ab ipſo proficiſcitur, mala, Deóque ingrata ſit, ideóque non miſericordiam, ſed potiùs vindictam mereatur. Qua ratione ait S. Th. cit. a. 16. ad 1. verificari poſſe dictum cæci cap. 19. Ioan. *Scimus quia peccatores Deus non audit*, ſi nimirum id intelligatur de peccatore formaliter, id eſt, qui orando peccat: ſiue cuius oratio execrabilis eſt, vt dicitur prouerb. 28.

ALTERA QVÆSTIO. Vtrum Sacerdos, qui pluribus ſeu ob ſtipem acceptam, ſeu ob aliam cauſam obligatus eſt ad ſacrificandum ſatisfaciat, vnicum Sacrificium pro omnibus offerendo? Circa quam quæſtionem Doctores aliqui exiſtimant, præcipuum fructū Sacrificij infinitum ac indeterminatum eſſe, ob infinitam virtutem, ac dignitatem rei oblatæ; qua fructus iſte nititur: adeò, vt ſingulis, pro quibus Sacrificium offertur (dummodo & ipſi aliquo modo concurrant) fructus proueniat ſecundùm illorum diſpoſitionem, ſiue multi ſint, ſiue pauci, aut tantùm vnus. In qua ſententia eſt Caietan. in cit. opuſc. de celebrat. Miſſæ, c. 2. & cit. a. 5. Angelus ver. Miſſa, §. 52. Syl. eod. ver. 1. q. 9. in fine, Petrus Sotus lect. 7. de Euchar. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. n. 268. Io. Baptiſta Conradi p. 1. caſuum, q. 266. Canus lib. 12. de locis, c. 13. ad 10. Ludou. Beia p. 1. caſu 12. Vaſq. diſp. 231. c. 3. Et hi quidē Doctores magna ex parte fateri coguntur, obligatum ad ſacrificandum pro pluribus, per ſe loquendo, & ſpectato principali fructu Sacrificij, ſatisfacere ſimul pro omnibus ſacrificando.

Sed contraria ſententia communior, & in praxi tenen- 13

da est, quam docet Alanus de Euchar. sacrificio c.35. Nauar. c.25. man. n. 92. & lib.3. concil. 8. de celebr. Missarum, edit. 2. Sotus lib. 9. de iust. q.2. a 2. concl. 2. & 3. & in 4. d. 13. q.2. a.1. Couar. c. alma, p.1. §.5. n. 9. Tolet. lib. 2. c. 8. Azor cit. lib. 10. c. 20. 21. Rodriq. to. 1. regul. qq. q. 43. a. 17. Sa ver. Missa, n. 43. Henriq. lib. 9. c. 22. Bellarm. lib. 2. de Missa, cap. 4. Suarez disp. 79. s.12. & disp. 86. s.4. Lud. Miranda cit. loco, Ægid. Coninck cit. dub. 10. Et verò prioris sententiæ auctores videntur potiùs loqui de fructu Sacrificij, qui prouenit secundùm priuatam deuotionem & oblationem singulorum Sacrificium postulantium: quem infinitum & inexhaustum esse, neque ob multitudinem concurrentium minui, suprà dictum est. Verùm hic fructus neque principalis, neque propriè ex opere operato est; sed potiùs ille, qui certò & infallibiliter ex Sacrificio in Christi persona oblato prouenit ijs omnibus, seu scientibus, seu ignorantibus, quibus speciali intentione Sacerdos applicat: atque hunc principalem Sacrificij fructum ex Christi institutione finitum & determinatum esse, ideóque minorem prouenire singulis, quò pluribus applicatur, & ratio ipsa, & communis fidelium persuasio comprobare videtur. Idémque iudicium esse debet de fructu impetrationis, proueniente ex Sacrificio, quatenus illud Sacerdos offert in persona Christi.

Cæterùm non pauci Doctores probabiliter docent, Sotus in 4. d.13. q.2. a.1. Canus, Rodriq. ll. cc. Pet. Nau. lib. 2. c.2. num. 333. Angles in 4. de valore Missæ, a.2. Henriquez cit. cap. 22. num. 4. Si Sacrificium postulantes non integrum stipẽdium iustum, sed partem tantùm præbeant non posse eos iniquo animo ferre, si Sacerdos non pro singulis seorsim, sed pro pluribus coniunctim, secundùm proportionem stipendij accepti offerat. Nisi specialis promissio expressa, vel rationabiliter præsumpta præcesserit dicendi Missas pro singulis diuisim, quamuis diminutum stipendium offerentibus, sicuti notauit Rodriq. t.1. regul. qq. q.43. a. 17. Coninck n. 192. Iustum autem stipendium censeri debet, quod vel lex, vel consuetudo loci taxauit. Sin autem taxatum non est, secundùm communiorem sententiam apud Sotum in lib. 9. q.3. a.1. Coninck lo. cit. quod ad frugalem vnius diei victum sufficit. Id verò non immeritò reprobant Rodriq. ibid. & Suarez disp. 86. s.2. Corduba lib. 1. quæstionarij, q. 4. quandoquidem Sacerdos non nisi vnicam diei horam sacrificando insumere solet; reliquum verò diei tempus alijs officijs impendere potest. Sufficit igitur media, vel etiam tertia pars sustentationis: quamuis plus liberaliter offerri possit, & interdum etiam oporteat propter Sacerdotum inopiam, si nullum Ecclesiasticum beneficium obtineant.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum is peccet, & iniquè agat, qui accepto abundantiore stipendio pro Missa legenda, alteri eam commendat, parte aliqua stipendij sibi seruata? Respondeo & dico I. Si sit curatus, seu Parochus, cui largior eleemosyna confertur pro Missa, potest obligationi per alium satisfacere, dato ipsi stipendio sufficiente, reliquo sibi retento. Ita Sotus lib. 9. q.3. a.1. Nau. c. 25. n. 91. Nam hæc censetur mens esse fidelium, quòd Parochus pluribus obligationibus suis, vel per seipsum, vel per Cooperatorem satisfacere possit. Similiter Capellanus si celebrare impenitus sit, alteri commendare potest; data tamen ei sufficiente stipe; ne fortè is prætextu tenuioris stipendij vnâ Missâ pluribus commendatis satisfaciat. quod cauendum esse monet Henriq. c.22. in fine.

14 Dico II. stipendium alteri Sacerdoti detur, censetur esse dantis voluntas, vt ipsemet sacrificet: vel si alteri cõmendare velit, totum ei stipendium largiatur: quare hoc casu iniuriam infert, si partem sibi retineat. Ita Nauar. & Henriq. ll. cc. Maior in 4. dist. 45. q. 3. in fine. Ratio est, partim quia maior eleemosyna data Sacrificanti censetur maior cooperatio ad Sacrificium, ex quo maior fructus danti proueniat: partim quia etiam sacrificans, beneficij magnitudine motus, maiorem deuotionem adhibet, ideóque plus benefactori impetrat. Neque obstat quòd Suar. obijcit, Sacerdotem, cui primò stipendium confertur, statim comparare eius dominium, seu obligatione sacrificandi, quam vel per se, vel per alium implere potest. Respondetur enim; Comparare quidem dominium, sed cum obligatione; vt vel ipsemet sacrificet, vel alteri sacrificaturo largiatur, secundùm præsumptam voluntatem dantis: Eò quòd pecunia propriè non detur tãquam merces, in compensationem obligationis dicendi Missam: sed in substentationem, ac subsidium vitæ. Si tamen alter Sacerdos sponte in se suscipiat sacrificãdi obligationem, parte stipendij condonata: tunc nemini iniuria fiet: dummodo credi possit, eum muneri suo perinde satisfacturum, ac si stipendium integrum ipsemet percepisset.

Eadem porrò ratio est, si alicui non Sacerdoti, v.g. Sacristę pecunia detur, vt Missam dici curet: nõ potest enim sibi partem retinere: nisi ex loci consuetudine, vel alia de causa præsumptio fieri possit, id non fieri contra voluntatem dantis. Ita docent Nau. & Sall. cc.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum Sacerdos obligatus dicere Missas, si diu differat, grauiter peccet? Respondeo: Si Sacerdos stipem accepit, vel etiam sine stipe intendit se ex iustitia obligare ad legendam Missam pro aliqua necessitate, vel pro defuncto; atque valde diu sine iustæ excusationis causa differat, timere potest, ne mortale peccatum incurrat: cùm interea magno spirituali fructu priuentur ij, quorum debitor est. Ita Sylu. ver. Missa, q. 10. in fine, Petrus Nau. lib.2. c.2. n.369.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum Sacerdos, qui stipendium accepit, teneatur dicere Missam, sicuti offerens petiuit, videlicet in certo altari, de tali Sancto, aut Requiẽ æternam? Responsio est affirmatiua: Eò quòd ob specialem offerentis deuotionem, nec non speciales Missæ orationes, seu commemorationes, maior fructus impetrationis ad propositum finem prouenire soleat. Quamobrem Missam votiuam, vel pro defunctis dicere licitum est, tametsi secundùm ordinationem Missalis de festo simplici vel semiduplici dici deberet. Talis enim commutatio permittitur ob causam deuotionis, rationabilis, iuxta c. quidam, de celebrat. Missarum. 15

16 Adde primò: Etiam in Dominica die, vel festo duplici, si funus ad Ecclesiam deferatur, atque vnicus Sacerdos adsit, potest is Missam de defunctis celebrare propter rationalem consuetudinem. Alioquin verò, si funeris celebritas non requirat, rectiùs faciet Sacerdos in die Dominica, aut festo duplici, si seruata intentione postulantis, Missam dicat secùndum ritum ab Ecclesia præscriptum. Siquidem fructus præcipuus ex omnibus Missis æqualiter prouenit: maior autem ille fructus impetrationis propter speciales preces, & specialem deuotionem, satis compensatur pia Ecclesiæ intentione, ac festi celebritate, sicuti docet Henriq. lib.9. c.23. n.6. Miranda in man. to.1. q.41. a.21. Rodriq. cit. q.43. a.8. & 10.

Adde secundò, quòd multarum Ecclesiarum consuetudo permittit, vt præter vnam Missam principalem, quę dicitur de festo occurrente, altera dicatur votiua, vel de defunctis, quod neque Pius V. in Missali improbat. Cùm enim ait, *si fiat officium duplex, vel semiduplex, Missam principalem oportere esse de die*, satis indicat, alteram minùs principalem etiam in festo duplici posse esse votiuam, vel de defunctis, sicuti notauit Rodriq. a.11. Henriq. l. cit. Et Nauar. lib.3. consil. 9. de celebrat. Missarum, edit. 2. ait; Licet nemo statuto, aut fundatione obligari possit, vt quotidie celebret de B. Virgine, sicuti habetur in c. significauit, de præbend. posse tamen statuto, consuetudine, aut fundatoris voluntate constitui, vt in tali altari, vel Ecclesia quotidie Sacrificium fiat de B. Virgine, aut pro defunctis.

CAP. II.

Pro quibus Sacrificium offerre liceat; & qui fructus ipsis inde proueniat.

SVMMARIVM.

1 *Sacrificium nouæ legis latreuticum est, Eucharisticum, impetratorium & propitiatorium.*

2 *Sacrificium nouæ legis omnia veteris legis sacrificia præstantiore virtute continet.*

3 *Sacerdos in Missa triplicem quasi personam sustinet; Christi, Ecclesiæ, & priuati offerentis.*

4 *Pro Sanctis, seu beatis in cœlo offertur Sacrificium Missæ, quatenus est laudis, & gratiarum actionis.*

5 *Sacrificium Missæ rectè, & salubriter offertur pro animabus defunctis.*

6 *Pro omnibus viuentibus hominibus Sacrificium Missæ vtiliter offerri potest, quatennus Sacerdos Christi personam repræsentat.*

7 *Quatenus Sacerdos personam Christi gerit, etiam pro excommunicatis non toleratis sacrificat, applicando eis fructum impetrationis; vel etiam satisfactionis, si capaces sint.*

8 *Pro Cathecumenis viuis, ac defunctis Sacrificium offerri potest, vt ijs prosit, saltem per modum impetrationis.*

9 *Pro infidelibus Iudæis, ac Paganis Sacrificium rectè offertur, quatenus est impetratorium; vt ad fidem veram conuertantur.*

10 *Missa olim distinguebatur in duas partes: quatenus vna Catechumenorum dicebatur: & altera Fidelium.*

11 *Fructus ex opere operato in Sacrificio Missæ illi prouenit, cui minister intendit, si capax sit.*

12 *Sacerdos fructum Sacrificij, qui ex opere operato est, ante, vel in ipsa consecratione alicui applicare potest.*

13 *Fructus Sacrificij non potest alicui validè applicari sub conditione in futurum contingente: v.g. Offero pro illo, qui primus mihi stipem dederit, vel qui primus ex hac communitate mortuus fuerit.*

14 *Non est recta intentio applicandi Sacrificij fructum illi homini, quem Deus scit ex hac communitate v.g. moriturum esse.*

15 *Mos celebrandi* Requiem *pro viuis, non videtur commendabilis.*

16 *Sacerdos in persona Ecclesiæ præcipuè offert, & supplicat pro membris Ecclesiæ: secundariò etiam pro alijs.*

17 *Sacerdos, vt priuata persona, videl. in Memento, pro omnibus Sacrificium offerre potest.*

10 *Fructus aliquis Sacrificij, quatenus in Christi persona offertur, ipsi offerenti proprius est, alteri non applicabilis.*

1 SVPPONENDVM primò: Sacrificium nouæ legis diuersas rationes sortitur ob diuersos fines, ad quos ex motiuo alicuius virtutis referri potest. Primò enim est *latreuticum*, quatenus refertur ad colendum Deum, eiusque supremam excellentiam, & super res omnes creatas dominium protestandum. Secundò est *Eucharisticum*, quia fit in commemorationem, & gratiarum actionem de summo beneficio passionis Dominicæ, qui est fons, & origo aliorum Dei in nos beneficiorũ. Tertiò est *impetratorium*, quia per Christum Deo Patri præsentatum, & oblatum facilè nos quiduis impetraturos speramus. Quartò est *propitiatorium* pro peccatis viuorum, & mortuorum; quia peculiariter institutum est in peccatorum remissionem, virtute passionis Dominicæ, cuius repræsentatiuum est.

2 Quapropter hoc nostrum Sacrificium virtute quadam omnia vetera sacrificiorum genera in se complectitur, quorum tria genera enumerat S. Th. 1.2.q.102.a.5. videlicet, *holocaustum*, quod erat maximè latreuticum, seu protestatiuum diuini dominij, *hostiam pro peccato*, & *hostiam pacificam*. quod tamen vltimum sacrificiorum genus bimembre est, vel enim est laudis, seu gratiarum actionis, vel est impetratorium, sicuti notauit Suarez disput. 73. s. 7.

3 Supponendum secundò ex doctrina c. præc. Sacerdos in Missa triplicem personam sustinet, sicuti præter alios annotauit Adrianus in 4. de sacramento Euchar. dub. vlt. Primò, & immediatè ipsius Christi, cùm actu sacrificat, & fructum Sacrificij ex opere operato, atque etiam per modum impetrationis ex Christi dignitate, cuicunque ipse vult, applicat. Secundò gerit publicam personam Ecclesiæ, cuius legatus est ad Deum: quod similiter dicendum est de alijs publicis officijs, videlicet precum canonicarum &c. Tertiò gerit personam priuatam, non solùm in *Memento*: in quo priuatim Deo commendat quoscunque vult; sed etiam in publicis orationibus, & tota Sacrificij actione. Nam sicuti alia omnia bona opera iustorum triplicem virtutem habent, merendi, satisfaciendi, impetrandi; ita & publicæ orationes, ac Sacrificium; cùm sint actus virtutis Religionis. Imprimis enim Minister, si iustus sit, ex condigno sibi meretur gratiam, & gloriam: secundò, satisfacit pro peccatis suis, præsertim, si hunc etiam finem intendat; potestque hunc fructũ satisfactionis ex operè operantis alteri quoque applicare. Tertiò propria intentione, & affectu impetrare à Deo potest varia beneficia tum sibi, tum alijs.

Assertio I. Pro Beatis non offertur Sacrificium, quatenus est propitiatorium: siquidem illi ab omni culpa & pœna liberi sunt: neque propriè, & directè offertur, quatenus impetratorium est: siquidem Beati in cœlo orationibus nostris non indigent. Et, *Iniuriam infert Martyri, qui orat pro Martyre*, ait Innoc. in c. cùm Marthæ, de celebrat. Missarum, ex S. August. serm. 17. de verbis Apostoli. Et in S. Ioan. tract. 84. *Non sic Sanctos commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus; sed magis, vt orent ipsi pro nobis.* Sed offertur Sacrificium pro Sanctis, quatenus est laudis, & gratiarũ actionis: quia dum Deo sacrificamus, laudamus eum, & gratias ei agimus pro Sanctorum victoria, meritis, & gloria, eorúmque deprecatione preces nostras exaudiri petimus, sicuti explicat Trident. sess. 22. c. 3. ex S. Aug. lib. 8. de ciuit. cap. 27. & lib. 22. c. 10. Vide Bellarm. lib. 2. de Missa, cap. 8. 4

Igitur Sacrificium pro sancto offerre non est aliud, quàm in Sacrificio facere illius memoriam, seu commemorationem: inprimis ad Dei gloriam; deinde ad ipsius etiam Sancti honorem, nostrúmque commodum. Qua de re legi potest S. Cyprianus lib. 4. epist. 5. cum commentat. Pamelij in epist. 34. ibi: *Quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Et lib. 3. epist. 6. *Denique & dies eorum, quibus excedunt* (Confessores in carcere) *annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Et paulò post: *Scribat, & significet mihi* (Tertullus) *dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes, & sacrificia, ob commemorationem eorum.* S. etiam Chrysostomus homil. 21. in Acta Apost. *Quid putas pro Martyribus offerri, quod vocantur in illa hora? Licet Martyres sint, etiam pro Martyribus magnus honor; nominari Domino præsente: dum mors illa perficitur, & horrendum Sacrificium, & ineffabilia sacramenta.* Quare olim capellæ, & altaria *memoriæ Martyrum* appellabantur, quia in eorum memoriam, & honorem ædificata erant, sicuti videre est apud S. Cyprianum cit. epist. 6. S. August. cit. c. 10. Optatum Mileuitanum lib. 2. contra Donatistas.

Dixi autem in assertione, Sacrificium pro Sanctis non esse propriè, & directè ipsis impetratorium. Nam aliquo saltem modo oramus pro Sanctis, vt *illis* Sacrificium *proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem*; videlicet vt magis, ac magis à fidelibus glorificentur in terris, quæ tamen glorificatio, cùm ipsis extrinseca sit, potiùs in nostrum commodum redundat. Denique ex eo, quòd Sanctorum memoriam in Sacrificio facimus, gaudium seu lætitia accidentalis in ipsis oritur: siquidem talem vicissitudinem gloriæ accidentalis, saltem vsque ad finem mundi, in Beatis locum habere, rectè dicitur.

Assertio II. Sacrificium hoc rectè, & salubriter offertur pro animabus in purgatorio, ad remissionem pœnæ tum per modum impetrationis, tum etiam ex ope- 5

re operato, ipsis consequendam. Ita Concilium Trid. sess. 22. can. 3. & c. 2. vbi rectè hanc vocat *Apostolorum traditionem*; sicuti etiam S. Chrysostomus testatur homil. 3. epist. ad Philip. & homil. 69. ad Populum Antiochenum: *Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam.* Vide eundem homil. 41. in epist. 1. ad Corinth. S. Cyprian. lib. 1. epist. 9. ad Clerum & plebem Turritanorum, Epiphan. hær. 75. contra Aerium, S. Aug. de ver. Apostoli, serm. 32. *Hoc à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, & pro illis quoque id offerri commemoretur.* Similia habet in lib. de cura mortuorum cap. 1. & lib. 9. confessionum c. num. & seqq. Ratio est: Cùm animæ in purgatorio sint vera, ac viua membra Ecclesiæ, atque capacia fructus Sacrificij propitiatorij; non est ratio, cur non æquè ipsis, atque hominibus viuis applicari possit; & quidem non solùm per modum impetrationis, sed etiam ex opere operato, & infallibiliter: quandoquidem vtroque modo fructus prouenire solet, per solam intentionem, & applicationem omnino extrinsecam. Non ita verò in Sacramentis; quippe in quibus requiritur, vt actio sensibilis circa suscipientem exerceatur. Quæ ipsa discriminis ratio est, cur fructus Sacrificij: non item Sacramentorum fidelibus defunctis applicari possit.

6 Assertio III. Pro omnibus viuentibus, tam paruulis, quàm adultis, fidelibus & infidelibus, Sacrificium offerri potest à Sacerdote, quatenus is Christi personam gerit: quamuis non idem omnibus ex Sacrificio fructus proueniat, vt mox in specie explicabo. Priùs autem probo assertionem tum ex verbis, quæ in Calicis oblatione dici solent, *pro nostra, & totius mundi salute*: tum hac ratione: Nam Sacrificium incruentum, cùm sit repræsentatiuum mortis Dominicæ, & fructus illius quàm maximè applicatiuum; pro omnibus offerri potest, pro quibus Christus mortuus est, & qui fructus passionis Dominicæ aliquo modo capaces sunt. Tales autem sunt omnes homines viuentes in hac terra, sicuti annotauit Cyrillus Hierosol. catech. 5. Chrysostom. in c. 8. Matth. homil. 26. Ergo pro ijs omnibus, ac singulis Sacrificium offerri potest, saltem validè, ita vt ipsis aliquis fructus inde proueniat. Quod argumentum sumptum est ex Apostolo 1. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Ad species autem descendendo: primò certum est, pro baptisatis adultis, & viuis Ecclesiæ membris Sacrificium vtiliter offerri, tam quoad fructum satisfactionis, quàm quoad fructum impetrationis.

Secundò certum est, pro infantibus baptisatis, rectè & fructuosè Sacrificium offerri, quod attinet ad fructum impetrationis, vt videlicet in Christiana Fide, & Dei gratia perseuerent, ac crescant. Alterius autem fructus propitiationis, seu satisfactionis paruuli non indigent.

Tertiò certum est, pro adultis baptisatis iniustis seu peccatoribus, non excommunicatis, Sacrificium offerri posse, ijsdémque prodesse secundùm fructum impetrationis tum pœnitentiæ, tum aliorum Dei beneficiorum. Atverò fructus satisfactionis peccatores capaces nō sunt.

7 Quartò, Communis est doctrina, peccaturum grauiter Sacerdotem, si pro excommunicatis non toleratis Missæ Sacrificium offerat; quia hoc ei prohibitum est in c. à nobis, 2. de sentent. excommunicat. Attamen hac prohibitione non impediri potest, quominus Sacrificium in Christi persona validè offeratur pro excommunicatis, quatenus capaces sunt fructus impetrationis; vel etiā satisfactionis, si præter censuram, nullum impedimentum habeant; quia modò emendati sunt, & absolutionē desiderant. Ita ex communi docet Suar. de censuris disp. 9. s. 4. Auila p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 4. Coninck q. 83. dub. 9. concl. 2. Ratio prioris est: Quia Sacrificium Missæ est publicum ministerium, in Ecclesiæ vtilitatem præcipuè institutum. Ergo de eius vsu, sicuti & de cęremonijs, aliisque accidentalibus disponere ad Ecclesiā pertinet potestatem, ac iurisdictionē, sicuti notauit Bellarm. lib. 2. de Missa, c. 6. Ratio posterioris est: Quia potestas cōsecrandi, & offerendi pro quibuscunque viuis, atque defunctis, quatenus ij capaces sunt, est annexa ordini ex Christi institutione. Quare licet Ecclesia prohibere possit, quominus pro excommunicatis validè, & fructuosè dicantur suffragia, siue preces publicæ Missæ, Canonici officij &c. quippe in quibus dicendis Minister Ecclesiæ vicem gerit; tamen prohibere non potest, quominus cōsecrando in persona Christi, siue vt minister Christi, fructum principalem Sacrificij validè applicet, cuicunque velit. Confirmatur: Quia eadem ratione Ecclesia impedire non potest, ne excommunicatus, aut irregularis validè Sacerdos ordinetur, vel ordinatus validè consecret: licet impedire possit, quominus communia Missæ suffragia validè, & fructuosè ab ipso dicantur: quia Ecclesia non vult per illum orare, sicuti notauit S. Th. 3. p. q. 82. a. 7. ad 3. ex quo hæc tota doctrina desumpta est.

Quintò, Pro Cathecumenis tum viuis, tum defunctis Sacrificium aliquo modo offerri posse, constat ex Clemente lib. 8. Constit. c. 6. & 7. S. Ambrosio orat. de obitu Valentiniani, S. August. epist. 107. ad Vitalem, Gennadio de Eccles. dogmatibus, c. 50. & docet Bellarm. lib. 2. de Missa, c. 6. Henriq. lib. 9. c. 15. n. 5. Suarez disp. 78. s. 2. Scortia lib. 2. de sacrificio Missæ, c. 2. Azor lib. 10. c. 22. q. 2. Coninck cit. d. 9. concl. 3. licet repugnet Vasq. 3. p. t. 3. disp. 227. c. 3. Verisimilius quidem est, Sacrificium non prodesse Catechumenis ex opere operato; sicuti neque Sacramenta eisdē prosunt: quippe quæ peculiariter à Christo pro salute Ecclesiæ instituta sunt: Catechumeni autē ad Ecclesiam non omnino pertinent; cùm necdum Fidē per Baptismum professi sint; neque in externa facie Ecclesiæ censeantur fideles, seu membra Ecclesiæ militantis. Quamobrem, considerato principali fructu Sacrificij, rectè huc accommodari potest dictum S. Aug. lib. 1. de orig. animæ cap. 9. to. 7. *Quis offerat corpus Christi nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* S. item Chrysost. hom. 69. ad Pop. Antioch. Concil. Bracarense 1. can. 35. negant, pro Catechumenis Sacrificium offerendum esse. Quamuis respōderi etiam potest ad auctoritatem S. Aug. Catechumenos cōpetentes esse aliquo modo membra Christi per Fidem, & pertinere ad Ecclesiam saltem voto, seu desiderio; sicuti Nouitij ad Religionem. Ad auctoritatem verò Chrysost. & Bracarensis Concilij respondet Henriq. lo. cit. Catechumenis defunctis, qui culpâ sua Baptismum suscipere neglexerant, aliquando in pœnam criminis, & ad exemplum aliorum publicæ Missæ suffragia denegata fuisse. Quæ tamen explicatio verbis Chrysost. non congruit: cùm absolutè dicat, Catechumenos defunctos dignos non esse hac consolatione, vt ipsis Missæ sacrificium prosit. Sed alia orationum suffragia, iunctis eleemosynis, etiam Cathecumenis defunctis applicari posse. Veruntamen secundùm fructum impetrationis prodesse Catechumenis tàm viuis, quàm defunctis, Missæ sacrificium, atque tali intentione pro ipsis rectè offerri, si Ecclesiæ prohibitio cesset, communis, vt dixi, Doctorum sententia est. Si enim aliæ orationes & obsecrationes, per Christi merita rectè, & salubriter pro ijs fundi possunt, quod nemo negat, cur non etiam eæ, quæ Sacrificio annexæ sunt?

Sextò, Communior est Doctorum sententia, cōtra Sotum lib. 9. q. 2. a. 2. de iustitia, Vasq. l. c. pro infidelibus paganis, & Iudæis Missę sacrificium offerri posse, per modum deprecationis; vt ad Christianam Fidem conuertantur. Idque probatur ex Apost. 1. ad Timoth. 2. *Obsecro fieri* 9

fieri obsecrationes &c. *pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in sublimitate sunt:* (quales tunc Gentiles erant) *Hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quem locum eadem ratione de precibus, quæ Missæ sacrificio annexæ sunt, intelligere videntur S. Chrysost. ibid. hom. 6. August. epist. 59. ad 5. q. Prosper lib. 1. de vocat. gentium, cap. 12. & clariùs significat Clemens lib. 8. constitut. cap. 12. Adde Tertulliannm in lib. ad Scapulam: *Nos sacrificamus pro salute Imperatoris: sed Deo nostro & ipsius: sed quomodo præcepit Deus, pura prece, & non vti Gentiles solent, odore aliquo, aut sanguine: hæc enim Dæmoniorum pabula sunt.* Confirmatur ex eo, quòd etiam in veteri lege Iudæi pro Gentilibus sacrificare soliti sint, lib. 1. Esdræ, c. 6. pro salute Darij, & filiorum eius: lib. 1. Machab. c. 12. pro Spartiatis: l. 2. c. 3. pro salute Heliodori.

10 Eapropter Missa olim distinguebatur in duas partes: quarum vna, quæ precationibus constabat, dicebatur Missa Catechumenorum: in qua publicè orabatur non tantùm pro fidelibus, sed etiam pro infidelibus, & Catechumenis: imò Catechumeni, si credentes, & competentes erant, etiam interesse permittebantur, sicuti colligitur ex Concil. Ancyrano, c. 4. Laodiceno c. 19. & testatur Clemens cit. locis, Amalarius de Eccles. offic. lib. 3. c. 36. Hodie tamen vsitatum non est, vt in collectis Missæ infideles, & Catechumeni nominentur. Altera dicebatur *Missa fidelium*, quæ oblatione, consecratione, & hostiæ sumptione constabat: à qua etiam Catechumeni repellebantur: vt significaretur, Sacrificium incruentum propriè ac principaliter institutum fuisse pro solis fidelibus, qui actu in corpore Ecclesiæ existunt: ideoque infideles, & Catechumenos fructus eius præcipui, qui ex opere operato ex Christi institutione existit, capaces non esse, sicuti explicat Azor cit. c. 22. quæst. 2. Quocum tamen non pugnat, quin Sacerdos in persona Christi Sacrificium, quatenus impetratorium est, offerre possit, ea intentione, vt aliquid per Christum Deo Patri oblatum, etiam infidelibus, aut Catechumenis, ad ipsorum salutem, impetretur: quamuis non deceat nunc eiusmodi personas nominare: cùm id Ecclesiasticæ cõsuetudini consentaneum non sit.

11 Assertio IV. Fructus ex opere operato respondens Sacrificio, quatenus offertur in persona Christi, omnino pendet ab intentione & applicatione Ministri, seu proximi offerentis: siue eum sibi ipsi applicet, siue alteri capaci: *Debet enim* (Sacerdos) *quemadmodum pro populo, ita & pro semetipso offerre pro peccatis*, ait Apost. ad Hebr. 5. Ratio autem assertionis est: Quia Sacerdos, ex vi ordinationis suæ, constitutus est à Christo minister ac dispensator Mysteriorum, ac donorum Dei: sicuti indicat forma verborum, quibus Sacerdos ordinatur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro viuis, ac defunctis.*

Ex quo colligitur primò: Tametsi Sacerdos illicitè alicui applicet, cõtra iustitiæ, aut obedientiæ virtutem: quia v. g. Parochus, vel Capellanus, ratione beneficij sui: vel Religiosus ob Prælati præceptũ, deberet pro alio offerre: nihilominus validã fore applicationem, & fructum ex opere operato prouenturum ei, cui Sacerdos vult: cùm hæc applicatio sit actus potestatis Ordinis, quæ ex aliena potestate non dependet, sicuti notauit Suar. disp. 79. sect. 9. Coninck cit. dub. 9. concl. 8.

Colligitur secundò; Sacerdos, vt fructuosè sacrificet, debet fructũ ex opere operato prouenientẽ, alicui applicare, saltẽ virtuali & implicita intentione. Quod ideo dico, quia Sacerdos solet, & censetur habere tacitã voluntatẽ; si contingat eum ex obliuione nulli applicare Sacrificij fructum; aut si accidat, illum cui prouenire vult, eius incapacem esse: vt tunc applicetur ijs, pro quibus specialiter obligatus est Sacrificia offerre, viuis, aut defunctis: vel denique vt sibi ipsi fructus proueniat. Quamobrem consultum est Sacerdoti, vt primæ intentioni alteram quoque adiungat. v. g. *Offeram Sacrificium pro patre meo defuncto: si is non indigeat, pro fratribus, & cognatis, vel aliis indigentibus.* Item: *Offeram Sacrificium pro Ioanne: si is fructus satisfactionis capax non sit, vt mihi proueniat.* Sufficit tamen, vt dixi, generalis, & implicita intentio: quia quisque Sacerdos pius, & doctus, si de ea re interrogaretur, ita animo & voluntate affectum se esse, responderet.

Colligitur tertiò: Quòd Sacerdos fructum Sacrificij, qui est ex opere operato, debeat alicui applicare antè, vel in ipsa consecratione: nam alioquin frustra eum postea applicare conabitur. Quemadmodum enim Sacramenta, puta Baptismus, Confirmatio, ita & Sacrificium, effectum suum ex opere operato, dependenter à Ministri intentione producunt, dum conficiuntur, & actu existunt. Quare non est in potestate Ministri effectum suspendere velle, & postea alicui applicare. Confirmatur ex eo: Quia Sacerdos dispensat fructum Sacrificij ex opere operato, quatenus Christi personam sustinet: quod accidit in consecratione, seu substantiali oblatione: Ergo tunc necesse est eum habere intentionem siue actualem, siue virtualem (si nimirum ante habuerat, & hactenus non mutauit) pro aliquo offerendi. Ita Suarez, & Coninck ll. cc. 12

Colligitur quartò: Sicuti effectus Sacramentorum, ita & fructus Sacrificij non potest à Sacerdote alicui validè applicari sub conditione in futurum contingente: v. g. *Volo, vt Sacrificij fructus proueniat illi, cui Socrates postea interrogatus voluerit*: Vel *qui proximè mihi stipem largitus fuerit.* Ita docent Suarez 3. p. t. 3. disput. 79. sect. 9. Coninck quest. 83. a. 1. dub. 9. concl. 10. contra Petrum Nauar. lib. 2. c. 2. num. 370. Arrag. 2. 2. quæst. 85. art. 3. dub. penult. Ioan. Baptistam Corradi p. 2. casuum conscient. q. 355. quibus ex parte consentiunt Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 4. dub. 6. Vasq. disp. 234. cap. 5. Probatur: Vel enim fructus Sacrificij, puta remissio pœnæ temporalis, proueniret homini statim cùm Sacrificium pro ipso offertur, & antequam conditio impletur, sicuti Corduba sentit: vel postea proueniret, cùm euentus conditionis positus est, ita vt interim fructus Sacrificij maneat suspensus in Dei scientia, & acceptatione, sicuti Arrag. & Petr. Nauar. ll. cc. sentiunt. Sed neutrum horum dici potest: Non enim posterius: quia alioquin Sacerdos fructum satisfactionis applicare posset sibi, vel alteri peccatori, vt ipsi proueniret, cùm à peccato iustificatus fuerit: item applicare posset infanti, aut alteri homini secundùm præsentem statum non indigenti, vt ipsi proueniret, posteaquam in peccata lapsus fuerit: quæ tamen absurda sunt, & contra communem Ecclesiæ sensum, ac praxin. Neque prius illud dici potest: Est enim communis doctrina apud Suarez, & Coninck ll. cc. Vasquez disp. 231. in fine, Ad effectum non solùm Sacramentorum, sed etiam Sacrificij requiri intentionem Ministri absolutam, & independentem ab euentu contingente in futurum: v. g. inualidè baptizatur homo sub conditione, si à Fide susceptа defecturus non est. Ratio peti debet ex institutione Christi, quam communis Doctorum sententia, & Ecclesiæ praxis declarat. Accedit, quòd si validè applicatur fructus Sacrificij ei personæ, quam postea re intellecta Prælatus v. g. meus determinauerit, sicuti arbitratur Corduba loco cit. sequitur, quod in libera potestate Prælati erit crastina die efficere, vt fructus Sacrificij hodie prouenerit Titio: vel non prouenerit Titio, sed alteri personæ. quod prorsus absurdum est.

Secus verò dicendum, si conditio præterito, aut presente tempore impleta est: nam secundùm eam Sacramentorum, & Sacrificij effectus rectè, ac fructuosè alicui cõfertur: v. g. *Baptiso te, si homo es; si baptisatus non es. Absoluo te à peccatis, si capax es.* Item, *Offero secundùm eam intentionem, quam hodie in Sacrificio Prælatus meus habuit: aut quam ipse me habere cupit*, Vel *Offero pro illo qui hodie plurimum pecuniæ in gazophylacium misit.* Præterea, *Offero Sacrificium pro ea persona, quæ præterito tempore ex tali Communitate, vel benefactorum numero mortua est.*

Verùm hic oritur difficilis obiectio. Nam hinc ſequi videtur, Sacrificium validè offerri poſſe pro eo homine, quem Deus ſcit, primum ex tali Communicate è viuis exceſſurũ: vel pro eo homine viuo, aut defuncto, pro quo Deus ſcit proximè aliquem Sacrificium poſtulaturum. Nam ſacrificij fructus validè alicui applicatur ſub conditione iam exiſtente: Atqui conditio illa, *quem Deus nouit*, re ipſa exiſtit: Ergo validè ſub tali conditione of-
14 fertur ſacrificium. Hoc verò totum concedunt Corduba, & Vaſq. ll. cc. Sed rectiùs negant Suarez & Coninck. Primò, Quia exinde ſequeretur, ſatisfacere Sacerdotem, ſi hodie offerat pro eo, quem Deus ſcit, cras ipſi ſtipem largiturum: quod tamen ipſemet Corduba negat, & re vera eſt inconueniens: cùm ſit *contra vſum Eccleſiæ*, inquit Suarez, & *magnos abuſus parere poßit, ſi introducatur*: licet Petrus Nau. n. 379. id pro abſurdo non habeat.

Secundò; Quia alioquin validè etiam baptiſari aliquis poſſet, ſub conditione, ſi Deus ſcit v.g. patrem eius cõſenſurum eſſe. quod alienum ab Eccleſiæ praxi. Ratio verò eſt: Nam cùm ſcientia viſionis diuinæ obiectiuè dependeat ab eiuſmodi liberis, & cõtingentibus actionibus (nam ideo Deus ſcit, Titium hoc, vel illud facturũ, quia ipſe liberè facturus eſt) ſequitur inde, conditionẽ hanc, *ſi Deus ſcit hoc, vel illud liberè euenturum*, virtualiter non minùs eſſe de futuro contingente, quàm ipſemet effectus liberè & contingenter euenturus eſt.

Tertiò; Quia ſi ſciat v. g. Titius, me hodie obtuliſſe Sacrificium pro eo, quem Deus ſcit mihi primùm ſtipẽ craſtino die daturũ: tunc libera poteſtate eius erit efficere, vt hodie ipſi Sacrificij fructus obuenerit. Item, ſi ſciat Titius, me decẽ ſacrificia obtuliſſe pro ea perſona, quam Deus ſcit primam ex tali Religione inſequente anno morituram eſſe; tunc in libera poteſtate eiuſdem Titij erit, Kalendis Ianuarij, offerendo ſe martyrio efficere, vt fructus Sacrificij ipſi prouenerit: hæc verò videntur eſſe abſurda. Nam ſicuti Deus nec punit, nec præmio afficit hominem propter opera eius liberè poſtea futura; ſimiliter nec fructum Sacramentorum, aut Sacrificij confert homini: cum reſpectu & dependentia ad opus ab eo liberè poſtea futurum. Non quòd hoc ipſum contradictionem inuoluat, aut humanæ libertati cauſaliter & antecedenter præiudicium aliquod afferat: nam pari modo Chriſtus æterna Veritas prædixit, *Ille eſt* (qui me tradet) *cui intinctum panem porrexero*: tamen nihilominus in abſoluta poteſtate Iudæ fuit, Chriſtum non tradere, & conſequenter efficere, vt Chriſtus æterna Veritas illud de ipſo prophetando non prædixerit, quamuis ex hypotheſi factæ prædictionis, adeóque ſecundùm neceſſitatem cõſequentiæ id non fuerit in eius poteſtate. Simile quiddam in propoſito fieri poſſet, ſpectata abſoluta Dei potentia: verùm ſecundùm ordinariam legem, quam nobis Eccleſiæ traditio teſtatur non ſolet Deus, vt ſuprà dixi, vel homines punire, aut præmio afficere: aut gratiam Sacramentorum, vel fructum Sacrificij eiſdem conferre, ſecundùm præſcientiam futurorum contingentium, ac liberorum effectuum: ſed ſecundùm præſentem duntaxat hominum ſtatum, ac conditionem: ſiquidem id magis congruere videtur diuinæ prouidentiæ, & ſuaui gubernationi, quæ omnimodè ſe creaturarum ſuarum naturis accommodat.

Corrollarium. Sacerdos Societatis Iesv non ſatisfacit, qui per anticipationem Sacrificia Deo offert pro fundatoribus, quorum nomina, tanquam defunctorum, poſtea promulgabuntur: ſi eorum mors accidit, poſteaquam Sacrificia celebrata fuerunt, ſatisfacit tamen, ſi mors contigit ante, Sacrificia peracta, licet ſacrificanti ignota fuerit. Volo dicere, quòd Sacerdos poſſit tria Sacrificia offerre Deo pro eo Collegij Societatis defuncto fundatore, qui proximè mortuus, & poſtea promulgandus eſt: non autem pro eo, qui proximè moriturus, & promulgandus erit.

Quæret aliquis hoc loco: Vtrum laudanda ſit conſue- 15
tudo illa, quam in Lotharingia vigere teſtatur Lucas Pinellus lib. 2. de Miſſa, c. 7. q. 3. vt aliquis, tanquam mortuus iam ſit, exequias pro ſe fieri, & officium funebre decantari curet, cui ipſe præſens aſſiſtat? Id licitum eſſe contendit ibi Pinellus, & Nauar. lib. 3. conſil. 6. de celebrat. Miſſarum: dummodo orationes (v.g. quæ incipit, *Inclina*) ſignificantes aliquem mortuum, non applicentur viuo. Quinetiam id à ſanctis viris ante aliquot ſecula factitatum legimus, vt pro ſe, dum viuerent, erecto etiam tumulo ante altare, *Requiem*, & officium funebre inſtituerent: vt Albertus magnus apud Ferdin. Caſtilium in hiſtor. generali S. Dominici, p. 2. lib. 3. c. 46. edit. Veneta, italicè: & Henricus II. Comes de Rotenecк Epiſc. Ratiſpon. 33. qui quatuordecim annos ante obitum ſuum, qui accidit Anno Chriſti 1296. anniuerſarium pro ſe legi curauit, teſte Wiguleo Hundio in hiſtoria.

Veruntamen, ſaluo aliorum iudicio, talem conſuetudinem nullo modo introducendam arbitror; ſed potiùs tollendam, ſi introducta eſt: tum quia ritibus, & ordinationi Eccleſiæ Romanæ conformis non eſt: tum quia non video, quam vtilitatem talis ſacrificandi modus habere poſſit. Nam ex Sacrificio duplex potiſſimùm fructus prouenire ſolet: vnus eſt ex opere operato, & infallibilis, quatenus oblatio fit in Chriſti perſona: & hic fructus ſtatim prouenit ei, pro quo offertur, ſi capax eſt: nec poteſt in futurum ſuſpendi, ſicuti ſuprà ex communi ſententia dictum fuit: conſequenter eiuſmodi Sacrificia non liberabunt hominem à purgatorio, ſi contingat eum poſt mortẽ reum eſſe: ſed ſolùm conferunt ad remiſſionẽ pœnæ temporalis conſequendam, dum viuus eſt: cuiuſmodi fructum etiam per alia Sacrificia ſimiliter conſequi poteſt. Alter eſt fructus, qui per modum impetrationis prouenit, quatenus cum Sacrificio iuncta ſunt Eccleſiæ ſuffragia, ſiue preces: & hæ quidem ſecundùm propriam tum inſtitutionem, tum ſignificationem, referuntur ad ſolos mortuos: vt non niſi impropriè, & imperitè, ne dicã ſuperſtitiosè, viuis applicari poſſint. Accedit, quòd Sacerdos in his ſuffragijs, propria ſua intentione, non poſſit mutare intentionem Eccleſiæ: Intentio autem Eccleſiæ eſt, vt Miſſa, quæ dicitur *Requiem*, & officium funebre dicatur pro mortuis, nam ad eum finem collectæ & preces factæ ſunt: ergo inutiliter, & infructosè, ne dicam ſuperſtitiosè, dicuntur pro viuis, quippe præter, aut contra Eccleſiæ intentionem.

Aſſertio V. Quatenus Sacerdos orat, & Sacrificium 16
offert in perſona Eccleſiæ, cuius ad Deum legatum agit, nec licitè, nec validè illius intentionem mutare poteſt, vt vel aliquem excludat, quem Eccleſia in ſua generali intentione includit: vel aliquem, puta excommunicatum, includat, quem Eccleſia excluſum eſſe vult. Intentio autem Eccleſię principalis & directa eſt ſupplicandi Deo Patri pro omnibus Chriſti fidelibus, tanquam membris ſuis: ſiquidem Sacerdos ex proprio munere conſtitutus eſt interceſſor ad Deum pro populo ſuo, ſeu Eccleſia. Secundaria verò intentione per Sacerdotẽ ſupplicat, & offert Eccleſia pro Catechumenis credentibus, tanquã nouitijs ſeu expectãtibus; atque mẽbris ſuis, ſaltem deſiderio, & proxima potẽtia, vt ſuprà dictum. Deinde etiam pro infidelibus: idque non tantùm indirectè, quatenus eorum conuerſio ad Eccleſię augmẽtum ſpectat. qui modus obſecrandi modò vſitatiſſimus eſt: ſed etiam directè pro ſalute infidelium orare olim non erat alienum ab Eccleſię conſuetudine, neque nunc eſſe videtur, quamuis expreſsè nominari non ſoleant, prçterquam in officio Ferię VI. hebdomadę ſanctę, in quo publicè oratur pro hęreticis, & ſchiſmaticis; pro perfidis Iudęis; & pro Paganis: ad ſignificandum, quòd Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit, & pro omnium peccatis, quoad ſufficientiam, ſatisfecerit.

Aſſertio VI. Quatenus Sacerdos vt priuata perſona 17
Sacrificium

Sacrificium offert, & Deo supplicat (puta in Memento) sic potest fructum tum impetrationis, tum satisfactionis ex opere operantis, secundùm priuatam suam dispositionem, prouenturum applicare cuicunque homini capaci, quamuis excommunicatus non tolleratus sit, sicuti ex communi docet Syluest. ver. excommunicatio, 1. num. 2. Nau. cap. 27. n. 36. Suarez disp. 78. s. 2. in fine, Coninck t. 2. disp. 14. dub. 6. Auila p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 1. concl. 1. quamuis dubitet Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 1. Ratio est: Quia cùm talis oratio, & oblatio sit propria actio ipsius Sacerdotis, meritò eiusdem arbitrio permittitur: neque ab Ecclesia prohibetur, & fortasse prohiberi non potest, quominus ex motiuo charitatis communicetur cuicunque homini, spiritualium bonorum & salutis capaci: quemadmodum & alij ad Sacrificium concurrentes, priuata deuotione illud offerre possunt pro quibuscunque volunt, tam viuis quàm defunctis, si capaces esse credantur.

18 Loquor autem de fructu proueniente ex opere operantis. At verò fructus aliquis Sacrificij, quatenus offertur in persona Christi, ex opere operato ita prouenit Sacerdoti, vt alijs eum applicare non possit: quamobrem fructus *specialissimus* appellari solet. Idémque dici potest de alijs concurrentibus, seu offerentibus cum Sacerdote. Nam hæc est conditio effectus ex opere operato, vt sit veluti beneficium personale, proueniens illi tantùm, cui datum est. Est autem valde credibile, & communiter receptum Christum instituisse Sacrificium ita, vt aliquis eius fructus certò, & ex opere operato proueniat sacrificanti; & probabiliter etiam alijs offerentibus. Videri potest Suar. disp. 79. s. 9. in fine.

CAP. III.

De obligatione Sacrificandi.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, etsi animarum curam non habeat, mortaliter peccare videtur, nisi aliquoties in anno sacrificet.*
2 *Sacerdos curatus frequenter obligatus est ad sacrificandum, vel alium Sacerdotem substituendum.*
3 *Parochus ex iustitia non videtur esse obligatus ad Sacrificium offerendum pro Parochianis suis.*
4 *Si Parochianus offerat stipem pro Sacrificio eius diei, quo scit Parochum sacrificare obligatum esse alia intentione, contentus esse censetur applicatione secundaria.*
5 *In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus quotidie Sacrificium celebrari debet.*
Numerum Missarum, vel anniuersariorum minuere ob casum necessitatis, ad Episcopum, vel ordinis Prælatum pertinet.
6 *Capellanus ex iustitia obligatur ad eum Missarum numerum, quem literæ fundationis requirunt.*
Refert, vtrum obligatio Sacrificij quotidiani loco, an personæ à fundatore imposita fuerit.
7 *Si iustum impedimentum, v.g. infirmitas breui tempore duratura sit, non videtur obligatus Capellanus, vt alium sacrificantem substituat.*
8 *Consultum est Sacerdotibus, vt quotidie sacrificent.*

1 ASSERTIO I. Probabilius est, simplicem Sacerdotem mortaliter peccaturum, nisi aliquoties in anno, puta ter, vel quater, in festis præsertim solemnioribus, Sacrificium celebret. Ita S. Th. q. 82. art. 10. Richar. in 4. dist. 13. art. 2. quæst. 3. Palud. ibid. quæst. 2. a. 1. Nauar. cap. 25. num. 88. Sotus in 4. d. 13. quæst. 1. a. 10. Syluest. ver. Missa, 1. q. 7. Viuald. de Euchar. c. de Sacerdote, num. 1. Gregor. de Valentia t. 4. disp. 6. quæst. 10. p. 3. Henriquez lib. 9. c. 23. Azor tom. 1. lib. 10. cap. 24. q. 1. Suar. disp. 80. sect. 1. Ægid. Coninck q. 83. a. 2. dub. 1. Llamas p. 3. Methodi, cap. 5. §. 14. Probatur Primò, ex verbis Christi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quibus verbis, ait Trid. Synodus sess. 21. c. 1. Christum Apostolis, *eorúmque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepisse*. Secundò ratione; Quia hoc est discrimen inter Sacramēta, & Sacrificium: quòd Sacramēta referantur ad fidelium vsum: quare ad illorum administrationem ij solùm obligantur, qui fidelium curam gerunt, Sacrificium verò pertinet ad offerendum Deo, ad quod quilibet Sacerdos obligatur, ratione ordinationis suæ; quippe in qua non tantùm potestatem, sed etiam officium seu munus sacrificandi suscepit, conuenienter Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia.* Quare 2. Machab. 4. deploratur tanta temporis eius infelicitas: ita vt *Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent; sed contempto templo, & sacrificijs neglectis, festinarent participes fieri palestræ.* Ita respondet S. Th. in 4. dist. 13. q. 1. a. 2. q. 2. ad 2.

Dixi autem, esse hanc assertionem probabiliorem; quia contraria est grauium etiam Auctorum, vt S. Bonau. in 4. dist. 13. p. 2. a. 2. q. 1. Halensis in 4. quæst. 51. mem. 2. Victoriæ de Euchar. n. 93. simplicem Sacerdotem, cessante scandalo, & contemptu, non obligari sub culpa mortali ad sacrificandum; dummodo sacram Communionem cum laicis in Paschate sumat: quia nullius præcepti diuini, aut humani obligatio satis ostendi possit; & sanctos quosdam viros ob humilitatem à sacrificando abstinuisse legamus. Verùm obligationem præcepti diuini ex ipsa institutione Sacrificij, & muneris Sacerdotalis suprà ostendi: cui etiam consentire videtur Innoc. III. in c. dolentes, de celebrat. Missarum, qui inter abusus etiam istud numerat, quòd reperiantur, *qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno.* Et Trident. Concil. sess. 23. c. 14. de reform. *Curet Episcopus, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus celebrent Missas.* Ad alterum respondet S. Tho. ex D. Ambrosio in oratione quadam: *Graue est, quòd ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non veniamus: sed grauius est, si, dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus.*

Assertio II. Sacerdos curatus per se, vel per alium omnibus illis diebus celebrare obligatus est, quibus plebs ipsi subdita ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debet. Quæ est communis sententia Soti distinct. 13. q. 2. a. 2. Azor cit. c. 24. q. 2. Suar. disp. 86. sect. 1. Tol. lib. 2. c. 3. Coninck cit. dub. 1. concl. 1. Nam ideo Parochi, & Pastores animarum à fidelibus decimas, aliásque oblationes accipiunt; quia ipsis dispensare debent ea, quæ ad salutem necessaria sunt. 2

Adde I. Si populus copiosus sit, vt simul ad Missam diebus festis audiendam concurrere non possint; plures Missas Cooperatorū, vel aliorum beneficiatorum auxilio legendas esse: idque ad Episcopum, habita ratione redituum, ordinare pertinebit. qua de re videri potest Leo I. in epist. 81. c. 2. ad Dioscorum Alexandrinum Patriarcham.

Adde II. Decens esse, vt Parochi, qui vberiores reditus habent, sæpius etiam in hebdomade sacrificent: imò Sotus lo. cit. arbitratur, eos ad hoc obligari, idque probabile putat Azor cit. q. 2. Alij verò huius obligationis non meminerunt. Quare existimo, circa hanc rem inprimis Ecclesiæ cuiusque consuetudinem spectandam esse: deinde ad munus Episcopi pertinet prouidere, vt ciuitatibus & oppidis, quibus populus frequentior est, vno, aut pluribus locis, pro maiore, vel minori multitudine hominū, qui accedere possint, quotidianū Sacrificium celebretur: atque ob eam causam si Ecclesiæ Collegiatæ, vel aliæ fundationes desint, interdum Parocho talem obligationem imponere; habita tamen inprimis ratione decimarum, aliorúmue redituum eius, ne plùs æquo grauetur. Quæ doctrina confirmatur ex traditione Patrum, quotidiani Sacrificij mentionem facientium, quia quotidie in Ecclesijs offerri solet. S. Chrysost. hom. 17. ad Hebr. & hom. 61. ad popul. Antiochen. S. Aug. lib. 10. de ciuit.

cap. 20. & epist.23. ad Bonifacium, Patres Concil. Toletan.1.c.5.

3 Adde III. Licet Sotus in cit. a.2.& lib.9. de iust.q.3.a. 1. arbitretur, Parochum obligatum esse non tantùm sacrificium Missæ celebrare, vt subditi interesse possint, sed etiam pro eisdem offerre, alij tamen, vt Nau.cit.n.135. Suar.disp.86. sect. 1. negant, talem obligationẽ Parocho ratione muneris sui incumbere: nisi fortè specialis consuetudo, vel lex diœcesalis ita requirat. Ratio est; Quia beneficia curata propriè instituta sunt ad pascendum populum verbo, & sacramentorum ministratione, non item ad sacrificandum pro illo: quandoquidem id per se non pertinet ad directionẽ, aut spiritualẽ pastum ouium commissarum. Interim tamen lex charitatis, & æquitatis ratio suadet, vt Pastores ordinarij, videlicet Papa, Episcopi, Ordinum Prælati, Parochi, pro suis subditis Deo intra, & extra Sacrificium, frequenter supplicent; aliquando etiam pro eisdem offerant.

4 Adde IV. Si ijs diebus, quibus Parochus ratione consuetudinis, vel fundationis obligatus est sacrificare pro populo, vel pro defunctis, Parochianus aliquis Sacrificium pro se offerri postulet; refert, vtrum talis obligatio Parochi in eo loco nota sit: tunc Parochianus stipem offerens pro Missa legenda, censetur iuri suo renunciare, atque contentus esse secundaria intentione, & fructus applicatione; ne alioquin ad alienam parochiam accedere cogatur, sicuti docet Henriquez lib. 9. cap. 22.n. 6. Suarez disput.86. sect.3. post Sotum lib. 9. de iust. q. 3.a. 1. Quod maximè locum habet, si Parochus tenues reditus habeat: nam alioquin, si redituum vbertas permittat, Cooperator aduocandus esset, vt piæ fidelium petitioni plenè satisfieri possit. Sin autem fideles stipem offerentes (seu Parochiani sint, seu extranei) obligationem Parochi ignorare existimentur, tunc ipsis significari debet; cùm alioquin meritò inuiti esse, & de iniuria ac spirituali damno conqueri possent, sicuti Suarez loco cit. annotauit.

5 Assertio III. Episcopis, ac Prælatis Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum, & Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Ecclesijs quotidie saltem vnam Missam celebrari curent. Ita docet Sot. cit. dist.13.q.2.a. 2. Rodriquez t.1.qq.regul.q.43.a.14. Suar.disp.80.sect.2. assert.2. Ægid. Coninck q.83.a.2.dub.1. & colligitur ex c. cum creatura, de celebrat. Missarum: Excipiunt tamen Sotus, & Suar. ll. cc. Nisi valde exiguus sit Conuentus, aut numerus Sacerdotum; tum semel, aut iterum in hebdomade intermittere vel nullum, vel saltem non mortale peccatum fore. Imò Victoria n. 94. absolutè negat, mortaliter peccari, si aliquo die Missa in tali Ecclesia intermittatur: sed alij à mortali non excusant, si sine causa omittatur, quibus & consuetudo, ac fidelium persuasio adstipulari videtur.

Addunt verò Canonistæ in citat. c. cum creatura, vbi Abb. §. Item nota; Non vnam tantùm, sed etiam alteram pro defunctis in his Ecclesijs Missam legendam esse. Quod tamen neque in illo cap. neque alio iure expressum est: ideóque cuiusque Ecclesiæ tum consuetudo, tũ literæ fundationis inspiciendæ sunt, vt intelligatur, quot Missarum obligatio incumbat. Quòd si verò in aliqua Ecclesia magnus sit Missarum, vel anniuersariorum numerus, ex varijs defunctorum fundationibus celebrandus, quibus vel ob paucitatem Sacerdotum, vel ob prouentuum tenuitatem, satisfieri omnibus non possit, concessit Tridentin. Concilium sess.25.c.4. de reform. facultatem Episcopis, vt in Synodo diœcesana; itémque Abbatibus, & Ordinum Generalibus, vt in suis Capitulis, re diligẽter perspecta, moderationem aliquam adhibeant, siue ad minorem numerum Missas redigãt, sicuti in conscientia sua expedire iudicauerint; ita tamen, vt eorum omnium defunctorum, qui pro suarum animarum salute aliquid reliquerunt, commemoratio fiat, id est, collecta aliqua interponatur. Quæ quidem constitutio Tridentina, quod ad Episcopos attinet, nouam illis facultatem non tribuit: quia eam iure communi etiam antè obtinuerunt: cùm sit casus necessitatis, sicuti docent Nauar. c.25.n.138. Henriq. cit.c.22.n.6. Rodriquez cit.q.43.a.13. Qui rectè notant, posse Episcopos, etiam extra Synodum, interdum eiusmodi necessitatibus succurrere, sicuti & iure antiquo poterant: quemadmodum etiam numerum Missarum, in capellanijs collatiuis, ob iustam causam, videlicet stipendij tenuitatem, ad minorem numerum redigere consueuerunt, sicuti ex communi docet Henriq. ibid. Azor t.2. lib.6.c.24. q.6.

Assertio IV. Capellanus ex iustitia, sub mortali culpà obligatus est ad eum Missarum numerum, quem literę fundationis requirunt. Ita omnes. Cęterùm, si fundatio quotidianum Sacrificium exigat, tunc ex verbis, quibus fundator vsus fuit, coniectura capi debet, locóne, an personæ obligationem imponere voluerit. Nam in primo casu operam dare debet Capellanus, vt in designato altari quotidie Sacrificium fiat à se, vel ab alio. Altero verò casu fundatio hanc interpretationem recipit, vt ipsemet Capellanus omnibus diebus celebrare teneatur, quatenus potest, salua honestate ac deuotione; argument. cap. significatum, de prębendis, & docet Abb. ibid. Syl. ver. Missa, 1. q. 7. Nauar. c.25. n.135. Azor cit. c.24.q.7. Tolet. lib.2. c.3. Rodriquez loco citat. a.10. in fine. Quare in quibusdam Ecclesijs consuetudo est, ijs Capellanis, quibus quotidiani Sacrificij obligatio incumbit, vnum vacationis diem in hebdomade largiri: eò quòd, ob humanam fragilitatem, Sacerdotes, præsertim seculares, omnibus omnino diebus ad sacrificandum dispositi non sint. 6

Sed dubium est: Si Capellanus seu quotidie, seu ter, quater in hebdomade celebrare obligatus, infirmitate, aut simili non voluntaria causa impediatur, vtrum per alium officio satisfacere, vel Missas neglectas postea compensare debeat? Arbitror, inprimis spectandam esse cuiusque Ecclesiæ constitutionem, vel consuetudinem: nam explicare modum, ac rationem satisfaciendi Fundatorum voluntati ad Prælatum Ecclesiæ pertinet, sicuti loco cit. notauit Abb. Deinde placet mihi responsio Petri Nauarri lib.2. de restit. c.2.n.210. Si infirmitas, aliúdue impedimentum breui tempore duret, v.g. vna, vel altera hebdomade, aut vno mense: præsumendum non est, Fundatorem & Ecclesiam obligare velle ad compensandum. Nam etiam herus, tametsi iure detrahere possit de mercede famuli, propter eius ægritudinem, sicuti colligitur ex l. si vno, §. item cùm, ff. locati, & docent Angelus, Sylu. & Armilla ver. familia, Couar.3. resol. cap.13.n.8. Diez lib.1. qq. practicarum, q.8. §.2. Si tamẽ pius & benignus sit, non facilè detrahere solet, quando ægritudo breui tempore durauit. Sin autem ægritudo, aliúdue Capellani impedimentum diutius duret, tum Vicarius statuendus est: ne longo tẽpore Ecclesia, & Fundator spirituali fructu priuentur: Quod limita: Nisi stipendium tenue sit, & alendo Capellano infirmo necessarium: siquidem etiam dominus famulo ægrotanti necessaria alimenta præstare debet, vti Doctores citati docent. 7

Assertio V. Consultum, & valde decens est Sacerdoti (per se loquendo) vt quotidie sacrificet. Est communis assertio, quæ satis ostenditur auctoritate, & praxi Ecclesiæ. Nam S. Andreas, vti testantur Presbyteri Achaiæ, gloriatus est, quòd omni die sacrificaret, immaculatum agnum in altari crucis offerens: eandémque quotidie sacrificandi consuetudinem probant Africani Patres lib. 1. epist. 2. S. Cypriani, S. Ambros. orat. in funere fratris, Hippolytus orat. de consummat. mundi, S. Hieronym. lib. 1. aduersus Iouinian. Siricius Papa in epist. ad Himerium, cap. 7. Innocent. I. in epist. ad Exuperium, S. Chrysostom. homil. 17. in epist. ad Hebræos, Gregor. I. homil. 73. in Euangel. &

lib.4.

lib.4. Dialog.c.56. scribens de Cassio Episcopo quotidie sacrificante. Beda allegatus à Gabr.lect.87. in canon. *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo est, priuat SS. Trinitatem laude, & gloria; angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio & gratia, in purgatorio existentes venia, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & seipsum medicina ac remedio.* Etenim Sacrificium nouæ legis suapte institutione non arctatum loco ac tempore, sicuti Iudaicum; sed iuge, & continuum esse debet, vt omni die, ac loco offeratur, sicuti prædixit Daniel Propheta c. 12. & Malachias c.1.quam Malach. prophetiam explicant Tertull. lib. 4. contra Marcionem, Iustinus Martyr Dial.cum Tryphone, Chrysost. in psal. 95. & orat. 2. aduersus Iudæos, Aug.lib.18.de ciuit.c.35. Adde, quod ipsemet etiam Sacerdos in ordinatione sua gratiam accipiat, atque suo tempore speciale Dei auxilium paratum habeat ad dignè celebrandum. Vide Gersonem p.2.operum, tr.de præparat.ad Missam. Gabr.lo.cit.Suar. disp.80.s.2. Azor to. 1. lib.10.c.24. q.10. Palud.in 4.d.12.q.1.a.4. qui bene monent, per accidens interdum, si Sacerdos non bene dispositum se sentiat, melius esse, ob Sacramenti reuerentiam, à sacrificando abstinere.

CAP. IV.

De tempore, quo sacrificare licet, vel non licet.

SVMMARIVM.

1 *Communi iure licitum non est sacrificare ante auroram, neque post meridiem.*
2 *In die Natalis Domini, non tantum vnam, sed etiam alteram, & tertiam Missam ante auroram celebrare licet, secundum quorundam probabilem sententiam.*
3 *Episcopus ob causam dispensare potest, vt ante auroram, vel post meridiem sacrificare liceat.*
4 *Ob causam necessitatis licitum est post meridiem sacrificare.*
5 *Non est peccatum mortale celebrare Missam ante dictas preces matutinas: sin causa ita celebrandi subsit, nullum peccatum est.*
6 *Eodem die non est licitum bis celebrare: exceptis quibusdam casibus. Mysterium est, quòd in die Natalis Domini tres Missas dicere liceat.*
7 *Feria Sexta hebdomadæ sanctæ sacrificium Missæ, non celebratur.*
8 *In Sabbatho sancto plerique Sacerdotes abstinent à celebratione priuata.*
9 *Feria V. hebdomadæ sanctæ licitum est Sacerdotibus celebrare.*

ASSERTIO I. Totò tempore, quod est ab initio auroræ vsque ad meridiem, licitum est Missas priuatas celebrare. Est communis doctrina, & praxis Ecclesiæ. Solemne autem & publicum diei officium cantandum est eo tempore, quo cuiusque Ecclesiæ consuetudo præscribit; quod ferme vbique esse solet tertia diei hora, iuxta c.non liceat, d.44.c.nocte, c.& hoc, d.1. de consecrat.

1 Assertio II. Communi iure non est licitum sacrificare ante auroram. Ita S. Th.q. 83.a. 2. & Doctores omnes. Cuius rei mysticam rationem affert Palud.in 4.dist. 13.q. 2.a.2.Suar.dis.80.s.4.Tum quia Christus qui in Sacrificio offertur, est candor lucis æternæ: tum quia Sacrificium hoc proprium est legis gratiæ, in qua Fides, & alia Dei dona supernaturalia clariùs fulgent. Moralis verò ratio est: quia nocturnum tempus non ita opportunum est, vt populus cum tanta reuerentia, ac dispositione interesse possit, sicuti tempore diuturno.

2 Circa hanc assertionem aliqua aduertenda sunt: I. Excipienda est dies Natalis Domini, in qua nocte sacrificare concessum est, cit.c.nocte. Imò Suarez cit. s.4. Coninck q.83. a.2.dub.4.existimant, non vnam tantùm; sed etiam alteram, & tertiam Missam ante auroram priuatim legi posse: licet contrarium sentiat Nau.c. 25.n.87.secutus Angelum ver. Missa, §. 40. Syl.eod. ver. 1. q. 4. & 7.

II. Probabilis, & in praxi tuta est sententia Suar.cit.s.4. Henriq.lib. 9.c.24.n.5.Rodriq.to.1.regul.cit. q.43.a.1. Satis fore ad culpam euitandam, si Missa priuata ad initium auroræ finiatur, vt proinde duabus circiter horis ante solis ortum Missam inchoare, illicitum non sit; propterea, quòd tempus sacrificandi non possit omnino mathematicè definiri, vti notauit Palud. d.13.q.2.a.2. Victoria n.96. de Euchar.

III. Episcopus in casu particulari dispensare potest, vt ante auroram sacrificare liceat; multóque magis ipsemet tali facultate vti ob causam v.g. itineris instituendi, sicuti ex communi docet Coninck dub.4. Quòd si Episcopus absens sit, etiam sine eius licentia, ante auroram sacrificare licebit Sacerdoti, vt morituro S. Eucharistiam dare possit, sicuti docent S. Anton.p.3.tit.13.c.6.§.4. Nau.c. 25.n.85. Victor.cit.n. 95. qui addit, etiam nocte media in tali necessitatis casu sacrificare licitum esse. quod verum videtur per se loquendo, & cessante scandalo: licet contrarium senserit Henriq.cit.n.5. 3

Id verò minùs placet, quòd idem Henriq. facultatem ante auroram celebrandi Sacerdoti concedit ob aliam honestam causam, v.g. vt commodè iter suum perficiat: est enim id contra canonem, & consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis, cui conformari plurimùm interest. Excipe cum Soto in 4.d.13. q.2. a. 2. nisi modica sit anticipatio, cuius in materia morali ratio non habetur; vel nisi causa publica sit, v.g. quia populus peregrinationem instituturus est.

IV. Priuilegium Regularibus concessum, quòd cum licentia suorum Prælatorum, Missas celebrare possint hora ante auroram, & hora post meridiem, vt videre est apud Rodriq.cit.q.43.a.1. & in compendio priuilegior. Societatis Iesu ver. Missa, §.3. ita intelligi debet, vt dictis Regularibus celebrare concessum sit vna hora ante, aut hora post tempus illud, quo alijs communi iure sacrificare licet. Nam verba priuilegij ita accipi debent, vt aliquid vltra commune ius operentur. Ex quo colligit Suar.cit.s.4. Rodriq.l.c. virtute huius priuilegij Regulares, cum licentia suorum Prælatorum, tribus horis ante solis ascensum Missam inchoare posse: siquidem etiam sine priuilegio licitum est duabus horis ante solis ortum sacrificare, vt suprà dictum. Ego verò puto, hanc extensionem esse nimiam, præsertim tempore æstiuo in Septentrionalibus partibus: cùm constet, Papam interdum priuilegia concedere Missam inchoandi duabus horis ante solis ortum. quod signum est, id communi iure per se licitum non esse; sed solùm ob probabilem quorundam Doctorum extensionem: quæ tamen non ita locum habet in priuilegio, quippe quod strictæ potiùs interpretationis esse debet, quatenus à communi iure exorbitat.

V. Consuetudo, quæ quibusdam Galliæ partibus; item in Belgio, & superiore Germania viget, vt in ciuitatibus hyemis tempore, tribus, vel quatuor horis ante solis ortum, Missa inchoetur, reprehendi non debet: quia iusta ratione introducta est, vt his regionibus Septentrionalibus, quibus in hyeme sol serò oritur, operarij, & famuli priùs Missæ sacrificium audire possint, quàm ad opus se accingant. Ita docet Nau.c.25.n.85. Ægid.q.83.a.2.d.4.

Assertio III. Iure communi licitum non est sacrificare post meridiem. Quæ est communis doctrina, fundata in consuetudine Ecclesiæ, & approbata in regula Missalis, & à Pio V. constit.II. quæ incipit, *Sanctissimus*. Sunt verò aliqua aduertenda: I. Satis est ad euitandam culpam, si Missa inchoetur ante meridiem; vel etiam in meridie, quamuis postea finiatur, sicuti docet Suar.cit.s.4. Rodriquez cit.q.43.a.2.Coninck cit.dub.4.

II. Episcopus ob iustam causam dispensare potest in casu particulari, vt post meridiem sacrificetur, sicuti suprà de anticipatione dictum: est enim eadem ratio.

III. Ob eandem necessitatis causam, potest Missa inchoari etiam post meridiem, non petitâ Episcopi licentiâ: v.g. ne infirmus sine Viatico decedat; propter Principis fumus; propter publicam concionem, festo die vsq; 4

ad meridiem, vel ampliùs producta, licebit postea Missam priuatam inchoare, præsertim si pars aliqua populi nullam audiuit, secundùm monitum Leonis Papæ epist. 81. ad Episcopum Alexandrinum Dioscorum, cap. 2. Item si Sacerdos festo die, ratione itineris, impeditus fuerit, licebit Missæ initium facere vna hora post meridiem, sicuti docet Henriq. c. 24. n. 6. Miranda in man. Prælat. t. 1. q. 40. a. 11. Suar. disp. 80. s. 4. & post ipsum Rodriq. cit. a. 2. aiúntque id consuetudine obseruari. Quinimò ex quacunque iusta occasione poterit Missa paulò post meridiem, puta vno, vel altero quadrante, inchoari: quia res huiusmodi morales moraliter, & non mathematicè accipi debent, vti suprà de anticipatione dictum est: idémque notant Palud. & Sotus ll. cc.

Vlteriùs autem Nau. cit. n. 85. Viuald. in candelabro, de Euchar. c. de præpatat. n. 50. Llamas p. 3. meth. c. 5. §. 18. arbitrantur, illicitum non esse communi iure, aliquot horis post meridiem celebrare, si scandalum cesset; propterea quòd olim id licitū fuerit: quia eadem hora, videlicet nona, Christus in cruce Sacrificium cruentum Deo Patri obtulit. Et S. Th. q. 83. a. 2. ait: *Quia Dominica passio celebrata est à tertia hora vsque ad nonam, ideo regulariter in illa parte diei solemniter hoc Sacramentum in Ecclesia celebratur.* Quòd autem tempus sacrificandi postea anticipatum fuerit, id accidit ob hominum fragilitatem, non valentium tamdiu ieiunium perferre: quamobrem ait Nauar. se, cùm iter faceret, frequenter solitū esse, præsertim festis diebus, postquam ad locū intentum deuenit, post meridiem celebrare. Veruntamen sententia hæc communiter reprobatur, vti videre est apud Azor cit. to. 1. c. 25. q. 1. Suarez cit. s. 4. Marcellinum de horis canonis c. 41. Quia omnium Ecclesiarum consuetudo repugnat; propterea quòd tempus antemeridianum nunc magis ad sacrificandum opportunum sit; cùm postea populus ad cibum capiendum se cōferre soleat: quamobrem etiam Trident. Synodus sess. 22. in decreto de obseruandis ritibus sacrificij Missæ, præcepit, *ne Sacerdotes alijs, quam debitis*, (id est, in Ecclesia cōmuniter consuetis) *horis celebrent.* Olim verò, cùm populus in diebus ieiuniorum ante horam nonam, seu tertiam post meridiem, cibum non caperet; etiam Missa ijs diebus seriùs celebrabatur, vti colligitur ex c. solēt, dist. 1. de consecrat. & c. ordinationes, d. 75. idque voluit S. Th cit. a. 2. Et nihil obstare arbitror, quin etiam hodie in diebus v. g. Ordinationū solemne officium Missæ post meridiem cantetur, vti docet Palud. in 4. d. 13. q. 2. a. 2. Sotus ibid. & Richard. a. 2. q. 4. S. Anton. p. 3. tit. 13. c. 6. §. 5.

5 Assertio IV. Non est peccatum mortale sacrificare ante dictas preces matutinas. Hæc est probabilior, & apud recentiores magis recepta sententia, Soti dist. 13. q. 2. a. 2. & lib. 10. de iust. q. 5. art. 4. Lud. Mirandæ t. 1. manualis Prælat. q. 40. a. 12. Vasq. tr. de beneficij, c. 4. n. 65. Sa ver. Missa, n. 22. Carbonis lib. 9. de legibus, disp. 5. Valentiæ t. 3. disp. 6. q. 2. p. 5. Suar. disp. 82. s. 1. assert. 1. Coninck. cit. d. 4. Scortię lib. 2. c. 6. Lessij lib. 2. c. 37. dub. 12. Rodriq. l. c. a. 3. cōtra Palud. cit. dist. 13. q. 2. a. 2. Nau. c. 25. man. n. 83. & de orat. c. 3. Azor to. 1. lib. 10. c. 28. q. 17. Angelum ver. Missa, §. 42. Armillam ver. hora, n. 18. Francol. c. 42. Viuald. in candel. de sacram. Euchar. cap. de præpar. ad Euchar. num. 10. & alios apud Sylu. ver. Missa, 1. q. 6. dicto 4. Henriq. lib. 9. c. 24. n. 7. Etsi enim oporteat Matutinum cum Laudibus (sicuti & in regula Missalis præscribitur) ante Missam recitare, tum cuiusdam præparationis causa, tum quia Matutinum ad noctem pertinet, Missa ad diem: tamen id ad ritum seu ordinem tantùm accidentalem, atque Missæ valde extrinsecum spectat: vt grauem obligationem cōtinere non possit, per se loquendo. Confirmatur: Nam qui horas canonicas præposterè, absque iusta causa recitat, v. g. Tertiam ante Primam, non plus, quàm venialiter peccat: cùm tamen maior sit ratio ordinis inter horas, quàm horarum cum Missa.

His quædam addenda sunt: I. Sine vllo peccato sacrificari potest, nondum dicto Matutino, ob causam necessitatis, v. g. ob Principis aduentum, ob funus delatum: si tali casu non adsit Sacerdos qui Matutinum dixerit. Rectè etiam monent Suar. t. 2. de relig. lib. 4. de horis, cap. 24. Azor cit. cap. 28. q. 29. minorem causam sufficere, vt Laudes Sacrificio postponantur, quàm vt Matutinum.

II. Qui iusta de causa, v. g. infirmitatis, vel occupationis excusatus est à recitandis horis: nihilominus sacrificare potest, sicuti ex communi docent Sotus, Sa, Suarez, Azor.

III. Nullum omnino peccatum est, sacrificare ante dictam Primam, sicuti communiter docent Doctores, contra quosdam apud Angelum, & Syl. locis cit. Nau. c. 3. de orat. n. 70.

IV. Sermo hoc loco tantùm est de Missis priuatis. At verò in solemni officio seruanda est Ecclesiæ consuetudo, vt non cantetur ante Matutinum, Laudes, & Primam publicè decantata. Qua de re Angelus & Vasq. ll. cc. Suar. cit. s. 1. in fine.

Assertio V. Eodem die non est licitum his sacrificare: 6
excepto Natali Domini: & si casus necessitatis postulet. Est doctrina S. Th. q. 83. a. 2. & communis, sumpta ex cap. sufficit, dist. 1. de consecr. *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare; quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit: & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest.* Et ex c. te referente: c. consuluisti, de celebrat. Missarum: *Excepto die Natiuitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die vnam Missam dumtaxat celebrare.* In ipsa porrò Natiuitatis die, tres Missas legendi antiquissimam consuetudinem esse, colligitur ex Greg. I. homil. 8. in Euangelia, Beda in serm. de Natiuit. idque vel ad significandum triplicem Christi natiuitatem: æternam ex Patre cœlesti, temporalem ex Maria Virgine, & spiritualem in hominum cordibus, vti putat S. Tho. cit. a. 2. ad 2. Vel ad significandos tres hominum status; ante legem Moysis, sub lege Moysis, & post legem, qui est status gratiæ, vti vult Beda cit. lo. Veruntamen nullum præceptum extat eo die tres Missas dicendi, vel audiendi: sed sufficit, spectata obligatione iuris communis, si vna ex illis tribus legatur, vel audiatur, sicuti ex communi docet Nau. cap. 21. n. 2. & lib. 3. consilio 1. de celebr. Missarum, edit. 2.

Casus verò necessitatis, in quibus licitum sit Sacerdoti iterum sacrificare, si ieiunus sit, plures à Doctoribus afferuntur, sicuti videre est apud Gl. in cit. c. consuluisti, Palud. in 4. d. 12. q. 1. a. 4. Duran. in rationali, lib. 4. c. 1. n. 25. Anton. p. 2. tit. 13. c. 6. §. 5. Syluest. ver. Missa, 1. q. 7. Nau. c. 25. n. 87. Victor. n. 95. Henriq. lib. 9. cap. 30. n. 7. Suar. disp. 80. s. 3. Coninck cit. a. 2. dub. 3. Scortiam lib. 2. cap. 16. Primus. Ne moriturus sine viatico decedat, quia non adest hostia consecrata. In quo tamen casu si Sacerdos in Missa post consecrationem, vel saltem post oblationem moneatur de communicando infirmo, particulam suæ hostiæ in hunc vsum seruare potest: sin moneatur statim post sumptam hostiam, abstineat ablutione, & nouam Missam inchoet, sicuti in die Natiuitatis fieri solet: nunquam autem (sicuti alicui simplices, & indocti existimāt) in solo pane iterum consecrare licitum est, pro infirmo. Secundus. Ne populus die festo Missa priuetur, puta quia Parochus, Cooperatore carens, duabus parochijs præest: vel in dedicationis die Ecclesia magnum populi concursum non capit.

Tertius. Ob nuptiarū benedictionē. Quartus. Ob mortui sepulturā, cui Missæ officiū adiungi postulatur. Quintus. Ob peregrinorum, vel processionis inexpectatū aduentū, præsertim die festo. Sextus. Ob Episcopi, vel Principis viri aduentum, etiam die non festo. Septimus. Si eodem die duæ Missæ concurrant, vna de die, aut festo: altera verò de vigilia, vel rogationibus, aut defunctis, & non adsit, nisi vnus Sacerdos.

Circa

Circa hos verò casus aduertendum est primum ab omnibus admitti. De secundo item vix dubium esse potest: si eo tempore, loco &c. res versetur, vt plures Sacerdotes haberi non possint. Qua ratione Nau. lib. 3. consil. 2. de celebrat. Missarum, edit. 2. Azor cit. lib. 10. c. 24. q. 6. §. Quæres, & plures alij existimant, in Anglia, vbi pauci Sacerdotes sunt, posse aliquem sæpius in die sacrificare ad satisfaciendum populo Catholico. Idque non tantùm in diebus festis, sed interdum etiam in profestis locum habere potest, secundùm opinionem Suar. l. c. considerata tamen consuetudine cuiusque diœcesis, ne contra eam aliquid insolitum, sine graui necessitate, fiat. Reliqui verò casus valde incerti sunt, & hodie vix locum habere possunt: siquidem hoc tempore, quo magna est Sacerdotum copia, Ecclesiastica consuetudo minùs, quàm olim, Sacrificij repetitionem permittere videtur, vti Victoria notauit. Attamen, si præter vnam ex illis causis, maior aliqua necessitas accedat, v.g. populi querimonia, vel scandalum, nisi iterum sacrificetur; tunc etiam hodie locus erit legi Ecclesiasticæ, quæ dictam licentiam in casu necessitatis, secundùm boni viri arbitrium æstimato, tribuit. Cùm enim talis necessitas hoc tempore in plerisque diœcesibus rarissimè occurrere soleat, non potest dici, consuetudinem repugnare; sed ideo consuetum non esse bis sacrificare, quia casus necessitatis facilè occurrere non solet; aut tametsi occurrat, Sacerdos ob ignorantiam, licentia sua non vtantur. Veruntamen in tali casu omnino requiritur: vt Sacerdos, cùm primò sacrificat, præscius sit postea iterum sibi sacrificandum fore, ne in priore Missa ablutionē sumat, sicuti notant DD. in c. ex parte, vbi Abb. n. 1. de celebrat. Missarum.

Quærunt porro Doctores: Vtrum non tantùm bis in die, sed etiam sæpius sacrificare licitum sit, si causa necessitatis ita postulet? Negant Palud. in 4. d. 12. quæst. 1. a. 4. concl. 4. Sotus d. 13. q. 2. a. 2. Durandus in lib. 2. de ritibus Ecclesiasticis, c. 7. sed rectiùs affirmant Suar. & Coninck. Et casus esse potest, si Parochus, cuius Cooperatores subito morbo correpti sunt, tres Ecclesias habeat, in quibus omnibus Missæ sacrificium celebrare necessariò oporteat.

7 Assertio VI. Feria sexta hebdomadæ sanctę illicitū est sacrificare, sicuti ex antiqua Ecclesiæ traditione testatur Innoc. I. epist. 1. ad Decentium, c. 4. & refertur in cap. Sabbatho, d. 3. de consecrat. Rationem adfert S. Th. cit. q. 83. a. 2. ad 2. Cùm Ecclesia colat, & exhibeat realem passionē, & cruentū Sacrificium Christi, ideo non repræsentat mysticè, seu non immolat incruentè: Si quidem Sacerdos in solemni officio Parasceues non consecrat; sed hostiam pridie consecratam & asseruatam, vnámque eius particulam vino iniectam sumit. Neque alienum esse ab Ecclesiastica consuetudine, etiam populum eo die communicare, constat ex serm. B. Dorothei de mendacio, non longè post princip. Amalario lib. 1. de Ecclesiast. officijs. c. 15. & Ordine Rom. in officio diei Parasceues.

8 Assertio VII. Similiter in Sabbatho sancto olim prohibitum erat sacrificare, teste Innocentio l. c. Nam Ecclesia toto etiā illo die in ieiunio, luctu, & repræsentatione mortis Dominicæ perseuerabat, Missámq; Resurrectionis ipsa nocte celebrabat: postea verò Missa anticipata fuit ad tempus antemeridianum Sabbathi. Ex quo cōtrouersia inter Doctores nata est; vtrum nunc tempore antemeridiano licitum sit non tantùm vnam Missam solemnem, sed etiam plures priuatas celebrare: sicuti olim licitum erat in nocte Resurrectionis? Negant Nau. c. 25. n. 88. Francolinus de tempore horarum canonicarum, c. 30. Henriq. lib. 9. c. 24. n. 3. Sed affirmant Sotus d. 13. q. 2. a. 2. Gutierez lib. 1. canon. qq. 30. n. 36. Suarez disp. 80. s. 2. Coninck cit. a. 2. dub. 2. Scortia lib. 2. c. 6. Quæ sententia probabilis est, & vt Suar. & alij testantur, à quibusdam viris probis, ac doctis ipso vsu recepta: propterea quòd tota ratio, cur olim prohibitum fuerit, eo die sacrificare, hodie cessarit. Nihilominus tutius est abstinere; etiam priuatim: nisi causa aliqua exigat, v.g. ad infirmum communicandum, vti Henriq. notauit: Item, si alia causa suadeat, quia v.g. multi solemni officio interesse non potuerunt, qui in priuato sacello sacrificari postulent, saltē cum Superioris consensu, sicuti fatetur Azor cit. lib. 10. c. 24. q. 4. Publicè autem in Ecclesia, præter officium solemne, aliæ Missæ celebrandæ nō sunt, cū populi admiratione, & scandalo; & contra receptam Ecclesiæ consuetudinem.

Assertio VIII. Feria quinta hebdomadæ sanctæ licitum est Sacerdotibus sacrificare. Ita DD. communiter, contra Marcel. Francolinum, l. c. Nam nullo id iure prohibitum reperitur; neq; vlla ratio alicuius mysterij est, cur eo etiam die prohibeatur, sicuti in Feria VI. & Sabbatho. Deniq; neq; consuetudo Ecclesiæ repugnat, quia *plurimi vbique Sacerdotes priuatim eo die sacrificant*, ait Ægid. Coninck cit. dub. 2. Quamuis plures etiam abstinent: seu propter occupationes, seu quia eo tempore altaria nudantur, seu quia ex deuotione malunt in officio solemni communicare, ad repræsentationem Apostolorum, qui in Cœna vltima S. Eucharistiam de manu Christi Domini sumpserunt: cuius antiquissimæ consuetudinis meminit Ordo Romanus in officio de Cœna Domini. Quare si ita hæc communicandi consuetudo in aliquo Sacerdotum Conuentu, quasi sub præcepti obligatione vigeat, obseruanda; vt sine Prælati licentia priuatam Missam celebrare non oporteat, sicuti docet Azor cit. c. 24. q. 7. 9

CAP. V.

Quo in loco Sacrificium celebrandum sit.

SVMMARIVM.

1 *Iure communi Missa celebrari non debet, nisi in locis ab Episcopo consecratis, vel saltem benedictis.*

2 *Oratoria quæ nunc consecrata, nec benedicta sunt, non videntur violari, aut reconciliatione aliqua indigere.*

3 *In casu necessitatis extra Ecclesiā super altari portatili sacrificare potest.*

4 *Episcopus facultatem dare potest in priuato oratorio, ad diuinum duntaxat cultum destinato Missas celebrandi.*

5 *Per priuilegia Sedis Apostol. in loco non consecrato, nec benedicto Sacrificium fieri potest.*

6 *In mari, vel flumine sacrificare illicitum non est, si periculum cesset sacri sanguinis effundendi.*

7 *Ecclesia quinque modis violatur, vt in ea Missam celebrare non liceat, videl. iniuriosa sanguinis effusione, iniurioso homicidio, illicita humani seminis effusione: excommunicati non tolerati, vel denique non baptisati hominis sepultura.*

8 *Factum, per quod Ecclesia, vel altaris violatio inducitur, publicum seu notorium esse debet.*

9 *Ecclesia ab Episcopo excōmunicato, etiam hæretico, validè consecratur.*

10 *Sacristia, & camera, quæ sunt pro custodia vasorum, & vestium, non videntur violari, sicuti Ecclesia.*

11 *Violata Ecclesia, etiam cœmiterium violatum censetur.*

12 *Ecclesia consecrata violetur, solus Episcopus eam reconciliat: benedictam verò etiam simplex Sacerdos: Idémque sentiendum est de cœmiterio.*

13 *Ecclesia polluta non reconciliatur per solum Missæ Sacrificium, quod bona fide in ea celebratur.*

14 *Si Catholici Ecclesiam recipiant, in qua hæreticorum exercitia viguerunt, opus non est, eam solemniter ab Episcopo reconciliari.*

15 *Ecclesia consecrata execratur, si eius parietes incendio, aut ruina simul destruantur.*

16 *Ecclesia successiuè reparata non est denuo consecranda.*

17 *Polluta Ecclesia polluuntur etiam altaria omnia, quæ in ea fixa sunt: sed Ecclesia execrata, non ideo etiam altaria execrantur.*

Assertio I. Iure communi, & ordinario Missa celebrari non debet, nisi in locis ab Episcopo consecratis, aut saltem benedictis. Ita habetur in c. 1. c. sicut, c. nullus, (quod est Syluest. I. in Concil. Rom.) de cons. d. 1. & docet S. Th. 3. p. q. 83. a. 3. & videri possunt Canonistæ in c. vlt. de cons. Eccles. Suarez 3. p. to. 3. disp. 81. s. 3. Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15. n. 24. & 36. vbi monent, satis esse, quòd Ecclesia benedicta sit, atque Episcopi auctoritate deputata ad officia diuina, vt locis sacris annumeretur. 1

Imò Abb. in c. vlt. ait, sufficere si Ecclesia ab Episcopo deputata sit ad cultum diuinum mox consecranda: quod fieri interdum solet, antequam Ecclesiæ ædificatio omni-

no perfecta est. Et Sanchez n.39.ex Abbat. & aliorũ sententia docet: Oratoria, etsi nunquam benedicenda, vel consecranda sint, si tamen ad publica officia diuina semel ab Episcopo deputentur, locis sacris annumeranda esse: vt non tantũ Ecclesiastica immunitate gaudeant, sed etiã, sicuti aliæ Ecclesiæ, violari possint, atque reconciliatione simplici indigeant, arg. c. vlt. de consecrat. Ecclesiæ in 6. & c. adhæc, de religiosis domibus: quia talis deputatio Episcopi instar benedictionis esse censetur. Quæ sententia, spectato iure cõmuni valde probabilis apparet. Con-
2 trarium tamen docent Henriq. lib.9.c.27.n.5. Sa ver. Ecclesia, n.13. Rodriq.t.1.c.184. concl.13. Suar.cit.s. 3. Nisi locus consecratus, vel auctoritate Episcopi benedictus sit, nunquam violari, vt reconciliatione indigeat: quorum sententia nunc in praxi obseruari solet.

Porrò tametsi Sotus d. 13. q. 2.a.3. Sa ver. Missa, n.20. arbitrentur, si scandalum, & contemptus absit, non esse mortale crimen in quouis honesto loco super altari sacrato sacrificare; ab alijs tamen meritò hæc sententia reijcitur: cùm præceptum illud, ob tanti sacramenti reuerentiam constitutum circa rem grauem versetur; ideóq; eius transgressori pœna depositionis decreta sit, cit c. nullus.

Dixi autem in assertione, *iure ordinario*, in locis sacratis celebrandum esse. Nam inprimis excipitur casus necessi-
3 tatis, cit. c. sicut. Quòd etiam à veteri consuetudine Ecclesiæ alienum non est: nam vigente persecutione in domibus priuatis, ipsisque carceribus Sacrificia peracta fuisse, videre licet apud Baron. Anno Christi 303.n.39. Paulinum in vita Ambrosij, quem locum allegat Baron. Anno 377. in fine, Pallad. in vita S. Chrysostomi apud eundem Baron. Anno 404.n.19. Et S. Augustinus testatur lib.22. de ciuit.c. 8. suo tempore in priuata domo sacrificatum esse ad malignos exinde spiritus pellendos: & plura legere potes apud Henriq. lib.9.cap.30.n.2. Verùm, iure quo hodie vtimur, iustæ necessitates extra locum sacratum Missam celebrandi, hæ sunt: Si Ecclesiæ alicubi dirutæ sunt, c. cõcedimus, d. 1. de consec. Similiter in magno populi cõuentu, quem Ecclesia non capit: Item in bello pro exercitu: in longa peregrinatione per loca infidelium, sacrificare licitum est sub dio, vel in loco aliquo decente, super viatico tamen altari, ipso iure per Epikeian eiusmodi facultatem permittente, sicuti docet Sotus l.c. Nau.c. 25.n.81. Sa ver. Missa, n.20. Suar. disp.81.s.3. Henriq. lib. 9.c.27. Azor lib.10. c.26.q.3. Ægidius Conink q. 83. a. 3. dub.1. Quamuis Sot. Suar. Ægidius, & alij rectè monent, etiam in tali casu decens esse ab Episcopo licentiam petere, si præsens sit.

Ipsismet verò Episcopis, iter facientibus, speciali priuilegio concessum est in c. vlt. de priuileg. vt super viatico altari sacrificare, vel sacrificanti assistere possint: non solùm in casu necessitatis: sed ob solam maiorem commoditatem, ac deuotionem, sicuti præter alios docent Suar. & Ægidius ll.cc.

4 Excipitur secundò: Quòd Episcopus licentiam dare possit, in priuato oratorio non consecrato, nec benedicto: attamen diuino tantùm cultui destinato, super altari portatili sacrificandi. Quod permittitur etiam nouo iure Trident. Concilij sess. 22. in decreto de obseruandis in cebr. Missæ: *Ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscunque peragi.* Circa quæ verba inprimis notandum est, huiusmodi facultatem in priuato oratorio Missas celebrandi, concedi oportere, *saluo interim iure Parochialis Ecclesiæ*, quod attinet ad sacramentorum administrationem.

Secundò notandum: Licet Tridentino isto decreto potestas Episcoporũ non nihil restricta videatur: quominus nunc alicui ordinariè, & sine necessitatis causa extra Ecclesiam, vel oratorium, sacrificandi licentiam dare possint, sicuti iure antiquo poterant (vti colligitur ex c. in his, de priuilegijs, & c. Missarum de consecr. d. 1. ibi: *In locis ab Episcopo consecratis: vel vbi ipse permiserit*) non videtur tamen eisdem ablata potestas, occurrente casu necessitatis, dispensandi, vt semel, aut sæpius, quatenus rationabilis causa suaserit, in loco honesto, sed profanis vsibus destinato, super altari sacrato & ornato, Missæ sacrificium celebrare liceat, sicuti docent Suar. cit. s.3. Rodriq. t.1. regul. q. 43. a.6. Ægidius Coninck cit. dub.1. n.225. Quod etiam *vsus confirmat*, ait Suarez, *quia id fit sine vllo scrupulo.* Cùm enim eiusmodi casus frequenter accidere soleant, moraliter necessaria est Episcopis talis dispensandi potestas, maximè in regionibus ab Vrbe remotioribus.

Excipitur tertiò: Nisi aliqui à Rom. Pontifice priuilegium acceperint, extra Ecclesiam Missas celebrandi. Ita 5
Gregorius XIII. concessit Societati Iesu, *vt in suis domibus, priuato in oratorio*, ad diuinum duntaxat cultum deputato, *& à Prouinciali approbato, Missæ dici possint, sine alia Episcopi approbatione*, sicuti videre est apud Rodriq. 2. 4. & in Compendio priuileg. ver. oratoria.

Idem Greg. XIII. *concessit, quòd non obstante decisione Concilij Tridentini, possint Presbyteri Societatis, in missionibus, quæ à Superioribus fiunt, seruata aliàs forma concessionis Pauli III.* (*videlicet cum debita reuerentia & honore*) *sacrificium Missæ super altari viatico celebrare vbiq; gentium, etiã in castris militum. Modò loca, etsi communia & profana, tuta & honesta sint.* Vide Compendium priuilegiorum, ver. altare, Rodriq. l. c. & Suar. cit. s.3. in fine: vbi monet, posterius hoc priuilegium personale esse, vt proinde alij Sacerdotes, tametsi itineris socij sint, eo vti non possint, quatenus eo aliquid contra ius commune conceditur. Sed prius illud priuilegium locale esse: vt proinde in eiusmodi oratorijs, omnibus Sacerdotibus sacrificare licitum sit.

Aliud priuilegium refert Rodriq. cit. q. 43. a. 4. à Sixto IV. & Alexandro VI. Fratrib. Minoribus concessum, *vt non solùm in oratorijs, sed in quocunque alio loco congruente, & honesto, super altari portatili Missas liberè, & licitè celebrare possint.* Verùm priuilegium hoc reuocatum videtur à Trid. Conc. in cit. decr. sess. 22. vt proinde Religiosi Mendicãtes eo nunc vti non possint: nisi postea de nouo tale priuilegium à Sede Apostol. obtinuerint, sicuti notauit Nau. cap. 25. n.82. Suar. & Conink ll. cc. licet oppositum cum quibusdam sentiat ipsemet Rodriq. art. 5. *Si Episcopi non prohibeant Regulares ita celebrare, non esse causam, cur scrupulis agitentur.*

Illud verò dubitari solet: Vtrum in mari sacrificare cõcessum est, v.g. pro nauigantibus ad Indos? Doctores cõmuniter negant, licitum esse in mari, aut flumine sacrificare, ob periculũ effusionis sanguinis, vti videre est apud S. Antòn. p. 3. 13. c. 6. §. 4. Nau. c. 25. n. 82. Suar. disp. 81. s. 3.
Sed cõtrarium docet Durand. in rationali lib. 4. c. 1. n. 41. 6
& Scortia lib. 2. c. 13. ait, nunc in praxin deductum esse à Lusitanis, vt cessante periculo, Missam in mari celebrent. Atq; olim moris fuisse, vt nauigantes in mari S. Eucharistiam secum deferrent, constat ex S. Ambrosio in orat. funebri fratris Satyri, S. Greg. lib. 3. Dialog. cap. 36. & alijs apud Baron. An. 584. n. 17. Scortiam cit. c. 13. n. 5.

Assertio III. In Ecclesia polluta, siue violata Missam celebrare, mortalis culpa est: quamuis nulla propterea censura contrahatur. Qua de re Sotus in 4. d. 13. q. 2. art. 3. Nau. c. 27. n. 256. Syl. ver. consecratio, 2. Henriq. lib. 9. c. 27. Suar. disp. 81. sect. 4. Ioan. Bapt. Conradi in respon. casuum conscientiæ, p. 2. q. 424. Azor lib. 10. c. 26. q. 13. Coninck q. 83. art. 3. dub. 1. Rodriq. t. 1. sum. 154. prope finem, Auila de cens. p. 5. disp. 7. dub. 3.

Quinque autem modis Ecclesia violatur: I. Per iniurio- 7
sam sanguinis effusionẽ, c. proposuisti, c. vlt. de consecrat. Ecclesiæ, & c. vn. eod. in 6. Necesse autem est, vt percussio seu vulnus infligatur homini existẽti in Ecclesia (nõ super tecto, aut in turri, aut subtus speluncã Ecclesiæ) tametsi sanguinẽ non intus, sed foris effundat: imò tametsi vulnerans extra Ecclesiam existat: quia æquè hoc casu cõtra sanctitatem

sanctitatem loci peccare censetur, quàm si in Ecclesia existens, hominem percutiat. Qua simili ratione, si existens in vno territorio sagitta traijciat hominem existentem in altero territorio, ibi etiam deliquisse censetur: vt ratione delicti etiam ab illius territorij Iudice conueniri, ac puniri possit: quare in hoc casu datur locus præuentioni inter Iudicem vtriusque territorij. Idémque sentiendum, si in finibus duorum dominiorum delictum commissum sit, vti ex communi docet Abbas in cap. vlt. numero 25. de foro compet. & cap. 1. num. 1. de præsumpt.

8 Deinde requiritur, vt factum notorium sit; iuris, aut facti notitia; sicuti ex communi docet Victoria n. 98. Sa ver. Ecclesia, n. 19. Durand. lib. 1. rationalis, cap. 6. n. 42. vbi vniuersim aiunt: factum, per quod ecclesiæ, aut altaris violatio inducitur, oportere esse publicum seu notorium. Præterea necesse est, vt iniuria pertingat ad culpam mortalem, sicuti notauit Suarez cit. s. 4. Ægid. Coninck n. 22. Henriq. c. 27. n. 5. in comment. lit. l. Deniq; est opus, vt sanguinis non aliquæ tantùm guttæ, v. g. è naribus eliciantur: quia effusio plus aliquid significare videtur, sicuti docet Abb. in cit. ca. proposuisti, Syluest. Victoria, Sa ll. cc. Licet aliter sentiat Castro lib. 1. de lege pœnali, c. 7. docum. 2. corollar. 2. Imò tametsi effusio copiosa sit, tamen percussio, & læsio non grauis; ecclesia non debet censeri violata, vti bene docet Finellius casu. 5. summario 2. num. 3. Exemplum habes in homine, qui ex quadam indignatione cultello auriculam leuiter sibi, vel alteri vulnerauit, cum non modica sanguinis effusione.

II. Per homicidium iniuriosum, notorium, quod; vel cuius causa intra ecclesiam perpetrata est, quamuis sine sanguinis effusione. Ita habetur in cit. c. proposuisti, & c. si motum, dist. 1. de consecrat. Dixi, *vel cuius causa* Necesse enim non est; vt homo intra ecclesiam moriatur (imò hoc ad rem non pertinet: quia si foris percussus, intro se reciperet, & moreretur, Ecclesia haud pollueretur,) sed solùm requiritur, vt aliquis non sine iniuria mortali intra ecclesiam plagam acceperit, ex qua postea (quamuis pluribus mensibus intercedentibus) mortuus sit. Porrò tametsi percussio, strangulatio, &c. facta intra ecclesiam, iniuriosa non sit percusso, strangulato: sufficit tamen iniuriosam esse loci sanctitati, ipsiq; Deo, ad contrahendam Ecclesiasticam violationem, vt si quis seipsum vulneret, vel occidat: item si Iudex reo mortis supplicium in ecclesia inferat. Ita Palud. in 4. d. 18. q. 8. art. 1. §. quantum ad quartum, & alii communiter.

III. Per illicitam, & notoriam humani seminis, intra ecclesiam effusionem, c. vlt. de consecrat. eccles. c. ecclesijs, d. 1. de consecr. siue ea fiat per voluntariam pollutionem: siue per carnalem copulam: etiam coniugalem; præterquam, si hæc, ob vrgentem necessitatem, & probabile periculum incontinentiæ, à culpa mortali excusetur: vt si coniuges longo tempore intra ecclesiam cohabitare cogantur, sicuti docent Palud. l. c. Syl. ver. consecratio, 2. q. 5. Couar. in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 2. numero 3. Henriquez c. 27. n. 5. Scortia l. 2. c. 13. Suar. dis. 81. s. 4. Coninck. q. 83. a. 3. dub. 1. n. 229. Less. lib. 4. c. 3. dub. 12. Sách. li. 9. de matrim. dis. 15. n. 9.

IV. Per sepulturam hominis excommunicati, cit. c. consuluisti. Requiritur tamen post Constantiense Concilium, vt publicè denuntiatus, vel notorius Clerici percussor fuerit, sicuti notārūt Victoria. Suar. Ægid. Scortia ll. cc. & Nau. in lib. 5. consil. 10. de hæret. edit. 2. ad 4. q. Vbi rectè monet, sepulturâ hæretici nominatim non denuntiari locum sacrum haud violari, arg. c. sacris, de sepult. Adde cum Sua. to. 1. de relig. tr. 2. lib. 3. de reuer. debita locis sacris, c. 2. n. 12. Neque sepulturâ hominis personaliter, & nominatim interdicti ecclesiam violari, aut reconciliandam esse: cùm id nullo iure decretum reperiatur. Nihilominus corpus exhumari debet.

V. Per sepulturam infidelis, & non baptizati hominis, c. ecclesiam, 1. & 2. d. 1. de consecrat. tametsi is infans sit. Si tamen in vtero matris mortuus est, vnà cum matre fideli sepeliri potest, quia mater cum fœtu, quasi vnū corpus censetur, sicuti notat Palud. in 4. d. 18. q. 8. a. 4. Est autem discrimen notandū inter priores tres modos violandi ecclesiam, & duos posteriores, quòd priores illæ violationes contrahuntur per actionem culpabilem: ad posteriores verò non requiritur culpa; sed sufficit factū, corpus videlicet excommunicati denuntiati, vel non baptizati in ecclesia sepulturam esse.

Porrò Canonistæ in cit. c. consuluisti, Syl. ver. benedictio, quæst. 6. Nauar. c. 27. nu. 258. Azor. cap. 26. q. 13. & alij addunt sextum casum, si ecclesia ab Episcopo excommunicato consecrata, aut benedicta sit. Verùm hæc violatio nullo iure fundata est, vti fatetur Azor ibidem; consequenter non est asserenda. Accedit, quòd sicuti Baptismus ab excommunicato, & hæretico Ministro collatus, validus est, & iterari non debet; ita & ecclesia ab excommunicato, & hæretico Episcopo valide consecratur, ideóque reconciliari non debet: dummodo Minister, seu Episcopus Fidem SS. Trinitatis tenuerit, sicuti habetur in c. Ecclesiis, d. 1. de consecr. Confirmatur ex eo, quòd violatio posterior esse debeat consecratione; ideóque impossibile fit, eadem actione simul ecclesiam consecrari, & violari. 9

His addendum est primò, ecclesiam non censeri violatam, si aliquod eorum, quæ dicta sunt, eueniat in loco quamuis concluso intra muros principales ecclesiæ, qui tamen proprio muro, aut tabulato fixo à reliquo ecclesiæ corpore, ad alios vsus seiunctus sit; qualis est locus supra ecclesiæ fornicem, aut spelunca sub ecclesiæ pauimento. Idémque contra quosdam alios arbitratur Sanchez lib. 9. disp. 15. n. 31. de cameris, & sacristia pro custodia sacrorum vasorum, ac vestium constituta, argument. cap. vn. de consecrat. ecclesiæ, in 6. ex quo habetur, quòd paries intermedius locum faciat separatū ab altero, licet ab vno ad alterum ingressus pateat: secùs verò sentiendum esse, ait Sanchez de capellis: hæ enim censentur partes ecclesiæ, vnúmque cum ea corpus efficere; cùm ad idem munus, videlicet Sacrificium Missæ, aliáque diuina officia, destinatæ sint. 10

Addendum secundò: Ecclesiâ vno ex quinque modis violatâ, censetur etiam cœmiterium violatum, si contiguum est, vt in eo, antequam reconciliatum sit, nemo sepeliri debeat, vti ex communi docet Syluest. ver. cœmiterium, quæst. 1. Armilla num. 2. Nam quod principale est, trahit ad se accessoriū. Contrà verò violato cœmiterio vno ex illis modis, non ideo etiam ecclesia violata censetur: ne quod minus dignum est, maius, aut accessorium principale ad se trahere, videatur. Ita habetur in c. vn. de consec. ecclesiæ, in 6. vbi additur; Si plura cœmiteria sint, quamuis cohærētia, quæ tamen pariete medio seiungantur, *eorum altero violato, alterum (licet ab vno ad alterum per portam intermediam habeatur accessus) non propterea violatum reputari.* 11

Monent autem Durandus in rationali lib. 1. c. 6. prope finem, Gl. in cit. c. vn. ver. sanguinis, si cœmiteriū per accidens seu accessoriè violatur propter ecclesiæ violationem: eâ reconciliatâ, accessoriè etiam reconciliatū censeri cœmiterium, vt alia reconciliatione non indigeat.

Addendum tertiò: Discrimen esse inter ecclesiā consecratam; & eam, quæ episcopali auctoritate tantùm benedicta, vel ad consecrationem deputata est, iuxta c. vlt. de consecrat. ecclesiar. Nam illam solus Episcopus (& non simplex Sacerdos, nisi ex Papæ commissione) recōciliare debet, adhibitâ aquâ, quam ipse, vel alius Episcopus benedixit, vino & cinere mixtum, sicuti habetur in c. aquam eod. tit. vbi etiam ratio adiungitur: *quia licet Episcopus cōmittere possit, quæ iurisdictionis existunt; tamen quæ* 12

Ordinis episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare. Cæterùm Leo X. concessit Fratribus Minoribus facultatem ecclesias consecratas, si pollutæ fuerint, reconciliandi, aquâ ab Episcopo benedictâ, quæ Gregoriana vocari solet. Quam aquam & ipsi quoque Ordinis Prælati benedicere possunt, si Episcopus duabus dietis, seu 14. leucis distans sit, sicuti testatur Henriquez lib.9.cap.27.num.6. lit. d. Rodriquez t.1.reg.qq. quæst.19. a.6.& videre est apud eundem t.2. priuil.regular.fol.268. In quo ipso priuilegio conceditur eisdem, vt possint solemniter benedicere suas ecclesias,& cœmiteria, si Episcopi nolint, aut negligant, idque notauit etiã Armilla ver. consecratio ecclesiæ. in fine. At verò si violetur ecclesia, quæ tantùm benedictâ, seu auctoritate Episcopi ad diuina officia deputata est: potest etiam simplex Sacerdos reconciliare, aquâ à se benedictâ, sicuti colligitur ex c.vlt.de consecrat. altaris, vbi id notat Abb. num.3. Armilla ver.consecrat. ecclesiæ, num.2. Henriq. cit.cap.27.num.6. Nau. lib. 3. consil.1. de consec.ecclesiæ, edit.2. Auila p.5. disp.7. dub.3. Quamuis decens sit, & ita consuetum, vt priùs res Episcopo significetur, quàm ecclesiam Presbyter reconciliet, si ea extra Missæ sacrificium violetur.

Porrò quæ dicta sunt de ecclesia, similiter dicenda sunt de cœmiterio, quippe quod eisdem modis violatur, & reconciliatur, quibus ecclesia, sicuti notauit Abb.in c. consuluisti, numer.2.de consecrat. eccles. Durandus in rationali, lib.1 cap.6.num.45. Naua.l.c. Nimirum si cœmiterium, quod sicuti ecclesia solemniter ab Episcopo consecratum fuerat, violetur vno ex quinque modis suprà dictis: ab Episcopo *reconciliandum esse aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus ecclesiarum fieri consueuit*, cit. vlt. Sin autem violetur cœmiterium, quod Episcopi autoritate tantùm benedictum fuit, aut deputatum, vt in eo corpora fidelium adhibito officio funebri, &c. sepeliantur, tunc Presbyter ecclesiæ illius reconciliare poterit, adhibitâ aquâ à se benedictâ, vti ex communi notauit Nauar.l.c.

Addendum quartò: Si ecclesia sub Missæ sacrificio violetur, priusquam Canon cœptus est, debet Sacerdos abstinere: sin autem post cœptum canonem, debet Sacrificium prosequi, quippe quod aliquo modo inchoatũ censetur, cùm hostia parata sit ad consecrationem: ideóque non deceat illud imperfectum relinquere, vti notauit Suar.cit.s.4.in fine, Coninck cit.dub.1.nu.236. Quòd autem docent Castro lib.2.de lege pœnali, c.vlt Sa verb. ecclesia, num.19.& probabile censet Auila cit.dub. 3. Si interim, dum violatio ecclesię mansit, bona fide in ea Sacrificium peractum fuerit, opus deinde non esse alia consecratione: propterea quod ipsa celebratio satis magna reconciliatio censeatur: huius limitationẽ alij Doctores non meminerunt, sed potiùs tanquam falsam supposuerunt, vti videre est apud Nau. cit. c. 27. n.256. in fine, Azorium lib.10. cap.26. quæst. 13. Cùm ea nullo iure fundata sit, neque item ratione fulciri videatur: Quia si celebratio Missæ instar reconciliationis esse debet, idem dicendum erit, tametsi Sacerdos mala fide in ecclesia polluta celebret, quod planè falsum est. Item, si Episcopus dispenset, vt in violata ecclesia celebretur, quod ob causam aliquam necessitatis fieri posse, Doctores communiter affirmant, Sotus in 4. d.13.q.2.a.3.ad 2. dicto 4. Sa num.2. Auila cit.dub.3. Suarez cit.sect.4.cum S.Thom.q.83.a.3.ad 2. Nisi aliquis dicere velit, sed improbabiliter, inculpatam ignorantiam Sacerdotis celebrantis in ecclesia violata, eiusdem reconciliationi vim aliquam tribuere.

Addendum quintò: in aliis casibus iure non expressis (vt si orta rixa in ecclesia alicui os frangatur sine sanguinis effusione: aut Reus ad ecclesiam confugiens, inde ad supplicium trahatur contra ecclesiæ immunitatem) licet locus reconciliatione solemni & episcopali non indigeat; *honestum dare fore putamus*, inquit Durandus li. 1.rationalis, cap.6. num.41. *à Sacerdote aqua à se exorcizata iussu Episcopi lauari.* Idque consuetudine aliquarum ecclesiarum obseruari, notat Abb.c.proposuisti, nu. 4. de consecr.ecclesiæ. Quod fieri etiam potest, si Catholici ecclesias recipiant, in quibus hæreticorum exercitia aliquamdiu viguerunt, eorundemque non denuntiatorum corpora in iis sepulta fuerunt. *Idemque dicendum, si Ecclesia diu absque tecto, & ianuis plena foret stramine, aliisque spurcitiis animalibus, & naturali hominum vsui, quasi diuersorii locus passim patuerit: necesset fortè malum, eam in tali casu solemniter ab Episcopo reconciliari*, inquit Dur.
l.cit. Quare nota hoc loco: Cùm nullo iure decretum sit, 14
vt locus sacer siue ecclesia, aut altare violetur per hæreticæ v.g. religionis exercitium: imò non violari significetur in c.ecclesiis, de consecrat.p.1. ideo si accidat, ecclesiam, quæ olim legitimè consecrata erat, pulsis ex ea hæreticis, à Catholicis recipi, satis erit, si Episcopus altaria visitet, & inspiciat, num ea fracta sint: insuper altaria, ipsámque ecclesiam aspergendo aqua benedicta simplici benedictione reconciliet, vel Presbytero reconciliandam committat. Priùs verò quàm Episcopus visitauit, si opus sit in tali ecclesia Missam celebrare, vtendum erit altari portatili.

Porrò sciendum est, quòd interdum ecclesia consecrata consecrationem omnino amittat, siue execretur, vt de nouo consecrari debeat. Cuius rei vnicus casus in iure canonico expressus reperitur; videlicet si ecclesiæ parietes secundùm maiorem partem destructi, aut absumpti sint, c. ecclesiis, d.1.de consecrat. iuncto c. ligneis, de
consecrat.eccles.vel altaris; vbi habetur, si tecta, aliá- 15
que opera lignea ecclesiæ combusta sint, illæsis parietibus, consecrationem non amitti: quia consecratio in parietibus consistit. De ecclesia consecrata loquimur: at verò benedictio templi, aut cœmiterii non amittitur destructis, aut combustis parietibus: cùm ea solo inhærere censeatur, quod semper idem manet, vti notauit Syluest.ver.consecratio, 2. q.4. Suar.citat.sect.4.casu 6. & sumitur ex l.83.ff.de contrah. empt. *Æde sacra terræ motu diruta, locus ædificii non est profanus: & ideo venire non potest.* Si tamen ecclesia diruta sit sine spe reædificationis, amittit priuilegia loco sacro concessa, vti docet Sanch.l.9.disp.15.n.37.

Sed, vt ad propositum reuertar, Gloss. in cap. proposuisti, ibidem Abb.num.7.eod. tit. dictum casum in duos diuidunt: Primus est; Si ecclesiæ parietes incendio ita absumantur, vt omnis crusta, vel secundùm maiorem partem auferatur: licet parietes non corruant: cuius rei rationem affert Abb.ibid. eúmque secutus Syluest. ver. consecratio 2. quæst.3. Tabiena num.3. Quia consecratio potissimùm consistit in exterioribus crustis: cùm fiat per cruces, & linitiones: consequenter si parietes igne absumantur, & decrustentur, licet non corruant, amittitur consecratió. Verùm ex his nemo inferat, si crusta omnis, vel maior eius pars renouãdæ ecclesiæ causa successiuè auferatur, consecrationem idcirco amitti. Nam hoc ipso, quòd decrustatio non simul aut vno die, sed per dierum, aut hebdomadum interualla fit, nullo vnquam tempore execrata censeri potest: cùm semper partem minorem accessoriã non consecratam ad se traxerit pars maior, ac principalis cõsecrata, arg. c. quod indubiis, eod. ti, de consecrat.eccles. Multo verò minùs ob solam dealbationem interioris superficiei ecclesia execrari censetur cùm consecratio in parietibus: & crusta sit, quæ permanet, sicuti notauit Vasq.3.p.disp.233.c.4.n.34.

Alter casus est, Si ecclesiæ parietes secundùm maiorem partem destructi sint, seu corruerint: quia tunc non ampliùs censetur ecclesia, quæ consecrata fuerat: secùs est, si minor pars ecclesiæ corruat, argument. l. domum, ff.de contrah. empt. Tum verò pars, quæ postea adiicitur, ipsa accessione consecrationem à toto corpore

corpore acquirere censetur, sicuti notatur expressè in Gloss. marginali ad cap. de fabrica, distinct. 1. de consecrat. Eadémque ratio est, si ecclesia seu secundùm longitudinem, seu secundùm latitudinem amplietur. Quare hæc solet esse praxis Episcoporum, vt si murorum noua accessio ecclesiæ alicui facta sit, metiantur, num pars ea, quæ accessit, reliquum corpus magnitudine superet, néc ne: si superat, tunc adhibent nouam consecrationem: si non superat, aspergunt eam aqua benedicta, iuxta Glos. in citat. cap. proposuisti, ver. reconciliari.

Id verò in quæstione: Si minores partes parietum per temporum interualla corruant, & reficiantur; ita vt nunquam maior parietum pars simul destructa sit; vtrum nihilominus ecclesia execrata censeri debeat? Ita affirmat Abb. in citat. cap. proposuisti, num. 8. de consecrat. ecclesiæ; saltem si tota ecclesia per temporum interualla secundùm partes suas deiecta, & nouiter ædificata sit: quia in veritate non est eadem ecclesia, licet moraliter censeatur.

Contrarium verò docet Glos. in cit. c. de fabrica, vbi
16 pro regula traditur, quòd ecclesia successiuè reparata, nō est iterum consecranda. Idem docet Syluest. ver. consecratio, 2. quæst. 3. ibidem Tabiena, num. 3. Suarez p. 3. to. 3. disp. 81. sect. 4. casu 6. Nauar. c. 27. n. 258. Sa ver. ecclesia, num 18. Coninck quæst. 83. a. 1. num 335. Probatur primò: Quia moraliter censetur eadem ecclesia: sicuti & eadem nauis, licet subinde pro destructis tabulis nouarum accessio, & reparatio fiat, eadem carina manente, l. quod in rerum. §. vlt. ff. de legatis, 1. Secundò, Quia si hodie vnus paries destructus sit, & intra octo dies v. g. reparatus, nouus paries accessione ad totum sacrabitur: nam sacrum, si maius sit, trahit ad se non sacrum, ait Glos. in cap. si motum, ver. altare, de consecrat. ecclesiæ: idemque accidet, si postea iterum vnus paries destruatur, ac reparetur, vt numquam ecclesia secundùm maiorem partem destructa, consequenter nec consecratio amissa censeatur.

Hæc posterior sententia certa esse videtur, si parietes ecclesiæ, quantumuis omnes, per temporum interualla casu corruerint, & denuo ædificati sint. Sed valde dubia est, si ex intentione renouandi ecclesiam, vnus paries post alterum successiuè destruatur, & ædificetur, vtrum ecclesia execrata censeri debeat? Quo etiam in casu ait Nauarrus loco citat. probabilius esse ecclesiam non execrari, etsi omnes parietes renouentur: modò non omnes, aut maior pars eorum simul deiecti sint. Arbitror tamen, in hac re morali multùm valere intētionem operantis: quare si animo omnes, aut pene omnes parietes reparandi, ideóque quasi nouam ecclesiam ædificandi, vnus murus post alium, intermisso Missæ officio, quasi continuatis operis deijciatur, & reparetur, valde probabilis est sententia Panormitani, tali casu ecclesiam iterum consecrandam esse.

17 Ad extremum aduertendum discrimen inter ecclesiæ pollutionem, & execrationem. Nam pollutā ecclesiā, polluuntur etiā altaria omnia, quę in ea fixa sunt: quęad modū & vice versa, altare pollui nō potest, quin etiā corpus ecclesię violatū cēseatur. At vero si ecclesia execretur combustis, aut corruentibus parietibus, vt denuo consecrari debeat: non ideo etiam altaria consecratione, vel reconciliatione aliqua indigent: sicuti & vice versa altare per fractionem enormem execratur, seu consecrationem amittit, sine execratione ipsius ecclesiæ. Quæ est doctrina Abb. in c. proposuisti, de consecrat. eccles. vel altaris, prope finem. Syluest. ver. altare, q. 11.

CAP. VI.

De ara, sacris vasis, & vestibus.

SVMMARIVM.

1 *Altare, in quo Sacrificium peragitur, lapideum esse debet.*
2 *Summus Pontifex Sacerdoti simplici committere potest facultatem altaria consecrandi.*
3 *Duplex est altare: unum mobile, seu portatile: alterum fixum seu stabile: quare hoc consecrationem amittit per amotionem à structura: non item altare per amotionem à ligno execratur.*
4 *Tam portatile, quàm fixum altare consecrationem amittit per notabilem fractionem: qua censeri solet, si in nulla altaris parte calix cum patena consistere possit. Idémque sentiendum de aliis rebus benedictis, videl. calice, sacris vestibus, &c.*
5 *Dictum illud,* Non sacrum accessione ad sacrum, efficit sacrum *potius locum habere videtur in liquoribus, quàm in aliis corporibus homogeneis.*
6 *Non amittitur consecratio calicis per solam separationem pedis à cuppa in calici tornatili.*
7 *Probabile est, calicem non execrari noua inauratione secundùm superficiem interiorem.*
8 *Valde conueniens, licet non simpliciter necessarium, est, vt in quolibet altari sacræ reliquiæ sint.*
9 *Si altaris sigillum, seu loculus, in quo sacræ reliquiæ sunt, notabiliter frangatur, altare iterum consecrari solet.*
10 *Altare, item calix, patena, corporale polluuntur per humani seminis, aut sanguinis effusionem, vt reconciliari debeant.*
11 *Sacræ vestes, quibus Sacerdos in Missæ sacrificio vtitur, benedictæ esse debent.*
12 *Calix, & patena ex materia aurea, argentea, vel saltem stannea esse debent.*
13 *Ministrum altaris, qui Sacerdoti respondeat, vrceolos porrigat, &c. marem, non fœminam esse oportet.*
14 *Vestes sacræ, quibus sacrificans indutus esse debet, sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, stola, Casula.*
15 *Vestes, & vasa sacra oportet esse munda.*
16 *Sacrificans capite nudo & aperto esse debet.*
17 *Si aliquid ex requisitis ad Sacrificium celebrandum desit, attendere oportet, hinc quidem quantopere id requiratur ad Sacrificii celebritatem: hinc verò quanta sit celebrandi necessitas.*
18 *Sacerdos non debet populum benedicere, si celebret coram Rom. Sedis Cardinale, vel coram Episcopo: nisi is annuat, seu licentiam det.*
19 *Sacra vasa, etiam vacua, licitum non est laicis attingere: sed neque Acolytho, aliisve Clericis inferioribus sine rationabili causa, talis tactus concessus videtur.*
20 *Vestes & pallæ benedictæ, quæ nec chrismate vnctæ sunt, neque sacrum Christi corpus immediatè contingunt, cum reuerentia contingere etiam laicis permissum est.*
21 *Sacras reliquias cum reuerentia tangere laicis non est illicitum.*
22 *Decens est, vt sacræ pixides, siue ciboria benedicantur: quamuis id non in omnibus Ecclesiis vsitatum sit.*

ASsertio I. Ad offerendum Missæ sacrificium necessariò requiritur altare, quod lapideum esse debet, atque ab Episcopo consecratum. Assertio est communis, & continet tres partes: quarum prima ex eo probatur, quòd sicuti omnia sacrificia veteris legis altaria requirebant, ita & nouæ legis Sacrificium. Altaris mentionem faciunt S. August. lib. 20. contra Faustum cap. 21. *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus: quamuis in memorias martyrum constituamus altaria: Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit? Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, offertur Deo.* Et Optatus Mileuitanus libro 6. contra Donatistas, altarium euersores: *Quid est altare, nisi sedes Corporis & Sanguinis Christi? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta Corpus & Sanguis habitat.*

Altera pars habetur in capite altaria, distinctione 1. de consecratione & allusisse videtur Sanctus Chrysostomus homilia 20. in 2. epistol. ad Corinth. *Lapis quidem est natura, sanctum autem fit, quoniam Corpus accipit Christi.* Nam quamuis in prima Ecclesia, cùm fideles, ob Tyrannorum persecutionem, in cryptis

& speluncis rem diuinam facere cogebantur, ligneis altaribus, quæ facilè de loco in locum portari poterant, vsi fuerint: imò S. Lucianum Martyrem pectore suo pro altari vsum fuisse, cùm aliud ad sacrificandum in carcere habere non posset, testatur Niceph. l. 8. histor. cap. 31. Postea verò, pace per Constantinum Ecclesijs reddita statutum, vsûque receptum est, vt non nisi in lapideo altari Sacrificium fieret: partim quòd hæc firmior, & durabilior materia sit; partim quòd idonea ad significandum Christum, qui dicitur *petra angularis*, 1. Corinth. 10. Vnicum tamen antiquissimum altare ligneum, in quo S. Petrus sacrificauit, iussu Syluestri Papæ seruatum est, vt in eo solus Sum. Pontifex sacrificaret. Vide S. Th. q. 83. a. 3. ad 5. Suar. disp. 81. s. 5.

Nota verò hoc loco; Quibusdam ecclesijs reperiri altaria, non ex lapide duro, sicuti decens esset, sed opere lateritio constructa; vel ex gypso, admixto cæmento; cuiusmod tamen mensæ citiùs fracturas acquirunt.

Tertia pars habetur in c. altaria. 2. de consecrat. dist. 1. apud S. Augustinum in serm. 255. apud S. Leonem I. epi. 88. aliàs 92. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: *Quamuis cum Episcopis plurima illis* (Chorepiscopis, & Presbyteris) *ministeriorũ communis sit dispensatio: quædam tamen autoritate veteris legis: quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint: sicut Presbyterorum & Diaconorum, aut virginum consecratio: sicuti constitutio altaris, ac benedictio, vel vnctio: Siquidem nec erigere eis altaria: nec ecclesias, vel altaria consecrare licet.* Vide plura apud Scortiam lib. 2. cap. 14. Ceterùm cùm id ex iure positiuo proueniat, ideo Sum. Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, Sacerdoti simplici committere potest facultatem altaria consecrandi; sicuti Leo X. concessit Fratribus Ordinis Minorum proficiscentibus ad Indias Orientales, & Paulus III. Presbyteris Religiosis Societatis Iesu, *Vt in locis remotissimis infidelium, vbi Episcoporum copia non habetur, possint altaria consecrare*, apud Rodriq. t. 1. reg. qq. q. 28. a. 2.

2 Porrò aliqua aduertenda sunt: I. Satis est, vt superior altaris ea pars, super qua calix cum patena ponitur, lapidea & consecrata sit. Quamuis etiam scrupulosè sollicitum esse non oportet, vt calix & patena secundum omnes sui partes super lapide sacrato consistant: sufficit enim, si maior eorum pars posita sit, sicuti monet Suarez l. c.

II. Duplex est altare, vti bene explicat Abb. in cap. 1.
3 de consecrat. eccles. vnum mobile, seu portatile, quod etiam viaticum dicitur in c. vlt. de priuileg. in 6. Alterum verò fixum, ac stabile, quod alicui loco, seu basi, calce alióve modo affixum est. Discrimen est inter hæc altaria, quòd illud per se consecratur: hoc verò quatenus basi affixum est. Ex quo sequitur, quòd mobile altare consecrationem non amittat, tametsi à ligno cui inclusum est, separetur, sicuti rectè docent Canonistæ in ci. ca. ligneis, Abb. in c. 1. de consecr. n. 3. Syl. ver. altare, q. 9. Tabiena n. 7. Suarez disp. 81. s. 5. Excipe: Nisi in ligno sigillũ, seu loculus reliquiarum inclusus sit: tunc per amotionem ligni à lapide videtur exsecrari altare portatile, vti notauit Miranda to. 2. manualis, quæst. 39. ar. 2. concl. 2. At vero altare fixum consecrationem amittit, si lapis, seu mensa consecrata ab inferiore structura remoueatur, sicuti habetur in c. 1. ligneis, de consecrat. Ecclesiæ, cap. si motum, d. 1. de consecrat. *Nam consecratio*, inquit Glos. *præcipuè consistit in coniunctione* c. lapidis, & inferioris structuræ. Intelligo autem hoc, si tot stipitis, seu columnarum lapides immediatè adhærentes mensæ seu aræ remoueantur, vt reliqua pars aræ, quæ stipiti suo adhærens permanet, iustæ magnitudinis suę formam amittat, iuxta ea, quæ mox dicam, & videri potest Armilla ver. altare, n. 10. Syl. q. 8.

Illud verò commune est tum mobili, tum fixo altari consecrato, vt consecrationem amittat fractione notabili, id est, tanta, vt in nulla integra parte altaris calix cum patena, moraliter rem æstimando, consistere possit, sicuti docet Abb. in cit. c. ligneis, n. 1. notab. 2. Nau. c. 25. n. 83. Henriq. lib. 9. c. 28. n. 1. Suarez cit s. 5. ver. Tertiò additur. Quare nota hoc loco ex Suarez ibid. Glossatore in Sa. ver. altare, num. 1. quòd hæc censenda sit forma quantitatis ad retinendam consecrationē sufficiens, si capere possit patenam cum corporali: igitur etiamsi in aliis fractura sit, vel noua additio, aut detractio lapideæ mensæ fiat, non amittitur consecratio: etenim fracturæ enormis, & notabilis additionis, aut demptionis eandem rationem esse, benè notat Armilla ver. altare, num. 10. in fine. Exinde colligo primò, si fractura in altari sit, ad Episcopum pertinere, vt inspiciat, & iudicet, nũ ea notabilis existat: & faciliùs quidem censebitur altare execratum, si fractura per medium mensæ transeat, qua parte calix & patena ponitur.

Colligo secundò; Si ad mensam consecratam noui lapidis additio fiat, ita altare construendum esse, vt calix & patena non in additamento, sed in veteri lapide consistat. Nam licèt probabilis sit sentẽtia Gloss. in cit. cap. quod in dubiis & cit. c. si morum, ver. altare, in hoc casu non sacrum, si munus principale sit, accessione ad sacrum sacrari; sicut pannus non sacer appositione ad sacram vestem: & murus non sacer adiectione ad sacratam ecclesiam, benedictionem participant: tamen sententia hęc non est certa propter doctrinam Panormit. in cit. cap. 1. & cap. quod in dubiis, dictum illud, *non sacrum accessione ad sacrum effici sacrum*, locum tantùm habere in liquoribus. Adde tu, habere hauddubiè etiam locum in artificialibus ijs, quorũ partes seorsim rationem & appellationem non retinent, vt Ecclesia, calix, casula, &c. At verò si partes lapidis homogeneæ sunt, minùs obstat, vnam eius partem sacram, aliam non sacram esse.

Id verò non placet, cum nullo iure fundatum sit, quod referunt Syluest. cit. quæst. 8. Armilla cit. nu. 10. Henriquez cit. nu. 1. lit. K, amitti consecrationem altaris, si cornua eius fracta sint, in quibus vnctio fieri solet. Quia licet vnctio in cornibus fiat, nota tamen mensa consecrata cesetur: ideóque dum quantitatis suæ formam retinet, (quæ est, vt ad sacrificium, capiendo calicem cum patena, idonea maneat) consecrationem amisisse censeri non debet: præsertim cùm execratio in casu dubio præsumi non debeat, neque consecratio iteranda.

Porrò quod dictũ est de enormi fractione lapidis sacrati, idem secundùm proportionem docet Syluester verbo corporalia, quæst. 2. de fractione corporalis, & Palud. in 4. Distinct. 13. quæst. 2. a. 6. conl. 3. Henriquez lib. 9. cap. 29. num. 5. Coninck quæst. 83. a. 3. dub. 3. nu. 290. Suarez disput. 82. sect. 2. de fractione benedictarum vestium. Nam alba v. g. benedictionem amittit, si per fractionem inepta fiat ad sacrum suum vsum: vel si cingulum ita frangatur, vt neutra eius pars ad cingendum sufficiat. Si tamen ante plenam separationem, reficiatur, & partes connectantur, seruabitur consecratio, sicuti docet Syluester verbo benedictio, quæst. 6. & Glossator in Sa ver. Missa. nu. 12.

Simili ratione calicis, & patenæ consecratio perditur per notabilem fractionem, aut destructionem eorũ figuræ: non item per solam separationem pedis à cuppa in calice tornatili, sicuti ex communiore docent Armilla ver, calix, n. 2. Suarez disp. 81. s. 7. Henricq, lib. 9. c. 28. nu. 2. Sa ver. calix, Conink lo. citat. Syl. ver. calix, q. 2. Ratio est: Quia sola cuppa in calice tornatili per se consecratur, teste Suarez cit. loco: Ergo si absque fractione à pede separatur, retinet consecrationem, sicuti suprà de altari portatili argumentatus sum. Quare alia ratio est de calicibus, qui non amobilem pedem habent.

Non etiam amittitur calicis & patenæ consecratio, etsi

etsi interior inauratio temporis diuturnitate penitus absumpta sit: quia non sola inauratio, sed totus calix & patena consecrata censentur, sicuti docent Syluest. Suarez, Coninck, Sa Henriq. ll cc. Armilla ver. calix, num. 3. Azor t. 1. lib. 10. c. 28. q 6. Scortia lib. 2. c. 14. aliique communiter. Illud verò plerique affirmans, & in praxi obseruari solet, vt, si calix, vel patena, ea parte, qua Corpus vel Sanguinem Christi contingunt, de nouo inaurentur, iterum consecranda sint: propterea, quod consecratio præcipuè intelligitur esse in superficie, secundùm quam ille contactus fit: consequenter, si noua superficies addatur, noua consecratione opus esse videtur.

7 Contrarium tamen valde probabiliter docent Guil. Durandus in rationali, lib. 1. c. 6. num. 36. Coninck. cit. a. 3. dub. 3. n. 246. Cùm enim forma calicis permaneat, non videtur consecratio amitti; quemadmodum neque ecclesiæ consecratio perditur, si muri denuo dealbentur. Confirmatur primò, Maior pars sacra trahit ad se partem minorem non sacram, vt infrà explicabo: sed deauratio illa comparatione totius cuppæ consecratæ minoris partis proportionem habet: Ergo, &c. Confirmatur secundò: Cùm execratio calicis & similium odiosa sit, non debet in casu dubio sine textu expresso introduci. Honestum tamen esse monet Durandus l. cit. vt post profanarum manuum contactum, & nouæ materiæ appositionem, calix aquâ benedicta priùs lauetur, quàm ad sacrificandum adhibeatur.

8 Quærunt autem DD. vtrum necesse sit in altari quolibet esse loculum, seu sigillum continens sacras reliquias? Affirmant Canonistæ in c. placuit, d. 1. de consecratione, Syl. ver. altare, q. 1. Azor to. 1. lib. 10. c. 27. q. 8. Scortia lib. 2. c. 14. n. 4. Negant verò Sotus in 4. d. 13. q. 2. a. 3. ver. sexto denique, Suar. disp. 81. s. 5. Ægidius Coninck cit. a. 3. d. 2. n. 241. & alij apud Syl. l. c. Nam canones sacri, à Canonistis allegati, non conuincunt: siquidem in c. placuit, solùm superstitiones, seu incertorum Martyrum erectæ memoriæ, ac cultus prohibentur, sicuti apertè legi potest in Concil. Carthag. 5. canon. 14. *Omninò nulla memoria* (siue sacellum) *Martyrum probabiliter acceptetur: nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint: aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum vbique constituuntur altaria, omnimodè reprobentur.* Et in can. 7. Concilij 7. Oecumenici solùm prohibetur, ne templa sine sacris reliquijs consecrentur: idque propter hæresin Iconoclastarum, Sanctorum reliquias, & imagines ex templis eijcientium. Accedit, quòd, tametsi demus, olim omnibus etiam altaribus reliquias adhibendas fuisse: nunc verò præceptum desijsse videatur: partim quia causa præcipiendi desijt: partim quia in tanta templorum, & altarium multitudine certę, & exploratę Sanctorum reliquiæ difficile haberi possunt.

Nihilominus pertinet ad ecclesiarum Prelatos, prouidere, si fieri commodè possit, vt pia, & antiqua consuetudo in omnibus templis, & altaribus sacras reponendi reliquias, perseueret, quod & in introitu Missæ significatur: *Oramus, te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hîc sunt.*

Porrò exinde non improbabiliter resoluit Ægid. Coninck citat. dub. 2. num. 240. Altare, seu stabile, seu portatile non execrari per solam fractionem, vel amotionem sigilli, seu sepulchri, in quo sacræ reliquiæ conditæ sunt: quamuis contrarium dicant Canonist. in c. 1. & c. ligneis, de consecr. altaris. Durandus in rationali lib. 1. c. 6. n. 34. Angel. ver. altare, §. 2. Syl. ead. q. 8. Sa num. 1. Henriquez, Scortia, & alij communiter, probántque ex cit. cap. 1. *Adhæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solum modo superpositus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet iterum consecrari.* Verùm his verbis non dicitur, altaris consecrationem amitti, si sigillum frangatur: sed si lapis, siue mensa consecrata frangatur, in qua sigillum, seu reliquiarum receptaculum continetur. 9
Nihilominus puto, seruandam esse Ecclesiarum consuetudinem, communi Doctorum sententia firmatam, vt altaria iterum consecrentur: cùm enim sigillum hoc cēseatur præcipua pars mensæ: meritò ob eius fractionem, vel amotionem, ipsa mensa siue lapis notabiliter confractus, vel diminutus æstimatur. Atque hęc de execratione altarium, & sacrorum vasorum.

Quod verò attinet ad violationem, altare etiam mobile, item calix, patena, corporale violantur, seu polluuntur per sanguinis, vel humani seminis sacrilegam effusionem: ideóque episcopali reconciliatione indigent. Sin verò aliter profanentur, v. g. ad communes vsus sacrilegè adhibeantur: tum propriè non censentur violata, quamuis decens sit simplici eas benedictione reconciliare, sicuti suprà de ecclesijs profanatis dictum fuit. 10

Ad extremum, statutum est in c. vlt. d. 2. de consecr. *Vt in altari, in quo Episcopus Missam cantauit: Presbyter eodem die aliam celebrare non præsumat*: idque ob solam Episcopi reuerentiam ait Glossam ibidem: sed excipi debet, nisi Episcopus licentiam det: vel nisi necessitas vrgeat: quod etiam docent Palud. in 4. d. 13. quæst. 2. a. 4. Summistæ verb. altare. Henriquez lib. 9. c. 28. num. 1. Veruntamen constitutionem istam non vbique obseruari, bene admonet Scortia libro 2. de sacrific. capite 14. num. 6.

Assertio II. In altari, dum Missæ sacrificium peragitur, necessaria sunt ornamenta quædam: I. Linteum seu mappa linea extensa super mensam altaris. Etsi verò deceat, totum altare eo cooperiri, ac vestiri, tamen non in omnibus ecclesijs id obseruatur, vti notauit etiam Scortia l. 2. c. 14. n. 8. 11

II. Altera mappa, seu palla linea: quam decet quidē, sed necessarium non est duplicatam esse, teste Syl. verb. corporalia, in princ. & ver. Missa, 1. n. 2. Suar. disp. 81. s. 6. Sa ver. Missa, n. 7. Henriq. in fine c. 28. Scortia l. c. Quamobrem satis esse, inquiunt Suar. & Sa, si mappa continua, sed duplicata corporali subiecta sit.

III. Corporale, (repræsentans syndonem, qua Christi corpus inuolutum erat) quod proximè mappis imponitur.

IV. Palla, quæ calici superponitur, & pars quædā corporalis esse censetur, sicuti colligitur ex antiqua consuetudine, secundùm quam corporale etiam calicem cooperiebat, vti præter alios notauit Scortia lib. 3. cap. 5. quare vtrumque pari modo lineum esse debet: non sericum, vel auro elaboratum, parte sua interiore: vtrumq; etiam benedictum esse oportet ab Episcopo, vel alio habente priuilegium Sedis Apostolicæ. Ita habetur in c. consulto, d. 1. de consecr. & docet S. Th. q. 83. a. 3. ad 7. & 8. De reliquarum verò mapparum benedictione nihil in iure sācitum: docet tamen, & consuetum est, vt benedicantur, sicuti docet Azor cit. c. 28. q. 8. §. porrò, Scortia l. 2. c. 14. n. 8. Quamuis id necessarium non esse dicat Syl. verb. benedictio, q. 5. & expressius Suarez disp. 81. s. 6. Quamobrē si fortè celebraturo Missam, nulla mappa benedicta præstò sit, fas erit alia lintea munda corporali substernere, quæ deinde sicuti priùs, vsibus profanis applicari poterunt, sicuti docet Sa num. 7. Azor cap. 28. quæst. 8. in fine.

V. Est calix, & patena, ex materia aurea, argentea, vel, si paupertas postulet, saltem stannea: non itē ex ligno, lapide, ferro, ære, aurichalco, vitro, sicuti docet S. T. 3. p. q. 83. a. 3. ad 6. Rich. l. 4. sent. d. 13. q. 3. Abb. in c. vlt. de celebrat. Missarum. in fide, aliiq; cōmuniter. Quamquā olim etiā vitrei calicis atq; patenæ vsū fuisse, constat ex l. Pontif. Damasi, in vita Zepherini, S. Hie. ep. 4. ad Rust. Ep. hær. 14. & vita S. Donati Episc. ac Martyris apud Bar. in martyro. die VIII. Augusti, qui calicem vitreum à Paganis fractū: 12

orando restaurauit. Sed & ligneum calicem olim vsurpatum fuisse, dicitur in c. vasa, d.1. de consecr. quod est Cōcil. Triburiensis, c. 18. *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* quod esse dictum S. Bonifacij Episc. ac Martyris testatur VValfridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 24. Et postea subiungitur in cit. c. vasa, *Ne decus matris Ecclesiæ minuatur, sed magis cumuletur, & amplificetur, statuimus, vt deinceps nullus Sacerdotum sacrum mysterium Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis vllo modo conficere præsumat.* In can. verò seq. eiusdem d.1. de consecr. legitimus: *Vt calix Domini cum patena, si non ex auro omnino, ex argento fiat.* Et infrà: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat: de ære, aut aurichalco non fiat calix: quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum prouocat. Nullus autem ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam celebrare.*

Sed dubium est de plumbo, vtrum ex eo sacer calix, & patena confici possint? Ita affirmat Sa ver. Missa, nu. 18. Sed Scortia de sacrificio Missæ lib. 2. cap. 14. Suarez disp. 81. s. 7. & alij rectiùs negant: si intelligatur de cuppa calicis: nam pedem nihil prohibet fieri ex cupro, vel plumbo, teste Ægid. Coninck dub. 3. cùm quasi non sit pars calicis. ait Henriquez capite 28. numero 2. in

Debent autem calix & patena ab Episcopo esse cōsecrata, & chrismate vncta. Abbates tamen quidam eadem potestate gaudent, ex consuetudine immemoriali, teste Armila ver. calix; item Sacerdotes Ordinis Minorum, & Societatis Iesu, proficiscentes ad Indos, ex priuilegio Papali, sicuti videre est apud Sa ver. calix. Rod. ci. q. 19. a. 3.

VI. Est purificatorium, ex lino factum: quod benedictum esse oportet.

VII. Lumen, sicuti constat ex c. vlt. de celebrat. Missarum; decet autem esse geminum, atque in cerea candela ardens, qua de re vide Scortiam l.c. vbi mysticas huius rei significationes adfert.

VIII. Missale. Denique in regulis, siue ritibus Missæ requiritur Crucifixus super altari: quod præceptum perinde obligat, sicuti alia de cæremonijs Missæ obseruandis; quamuis, propter materiæ paruitatem, sub culpa veniali tantum, teste Suarez sect. 6. Quasi obligatione etiam preces à Sacerdote inter induendum dicendæ sūt: vt tamen earum omissio, si absit contemptus, culpa mortalis non sit, teste Henriq. c. 24. in fine, Scortia lib. 2. c. 9. in fine, contra Nau. lib. 3. concl. 3. de celebrat. Missarum, edit. 2.

Assertio III. In Missis adhibendus est minister, saltem
13 vnicus (si de priuatis Missis sermo sit) qui totius populi nomine sacrificanti respondeat, vinum & aquam porrigat, &c. sicuti colligitur ex c. proposuit, de filiis Presbyt. & habetur in Concil. Moguntiaco, ca. 43. t. 3. Concil. & docent Gl. & DD. in c. hoc quoque, d.1. de consecrat. S. Th. q. 83. a. 5. ad 12. Debet autem is esse mas, non mulier, sicuti habetur in c. 1. de cohabit. Clericorum, & mulierum, & docet Palud. in 4. d. 13. q. 2. a. 1. concl. 2. Syl. ver. missa, 1. q. 2. Scortia lib. 2. c. 11. Suar. disp. 87. s. 1. Sotus d. 13. qu. 2. ar. 5. argum. 12. qui satius esse arbitrantur sine ministro celebrare, quàm fœmina ad altare respondente, vrceolos porrigente, &c. Interim tamen nihil obstare videtur, quominus fœminę, præsertim Sanctimoniales, ex loco remoto sacrificanti respondeant, vti fatentur Palud. & Suarez ll. cc. Henriq. l. 9. c. 30. Porrò in quibusdam locis apud nos consuetudo viget, quæ ab Episcopis toleratur, ideóque damnari non potest, vt Sacerdotes, prąesertim in pagis, sine ministro respondente celebrent.

14 Assertio IV. Vestes sacræ, quibus sacrificans indutus esse debet, sex sunt: I. Amictus seu superhumerale, significans galeam salutis, videlicet spem & fiduciam in Deū. II. Alba significans colore suo cordis puritatem, longitudine verò boni operis perseuerantiam. III. Cingulum, indicans carnis continentiam. Quamuis autem Richard. in 4. d. 13. a. 4. q. 3. Sa ver. Missa, n. 10. dubitent, vtrum cingulum benedictum esse debeat, est tamen affirmandum, quod & praxis obseruat, vti monet Palud. in 4. d. 13. qu. 2. a. 6. Nau. c. 25. n. 84. Azor c. 28. qu. 9. & Glossator Sa ver. Missa, n. 10. Suar. disp. 82. s. 2. IV. Manipulus, significans cordis compunctionem: quare ea forma factus est, vt ad tergendas lacrymas idoneus sit. V. Stola, quę Sacerdotibus ex vtroque latere, Diaconis ex sinistro dependet: significans iugum Christianæ obedientiæ, per patientiam, & animi fortitudinem. VI. Casula, repræsentans suaue iugum Christianæ Charitatis, reliquis virtutibus supereminentis, eásq. protegentis. Vide Palud. in 4. d. 24. q. 5. a. 1. Guil. Durand. in rationali, 3. Suar. l.c. Tol. l. 2. c. 2. Scortiam l. 2. c. 8.

Oportet autem has vestes integras, & mundas esse: 15
quod multò magis sentiendum de calice, patena, corporali, purificatorio: quippe quæ proximè Corpus, aut Sāguinem Christi contingunt. Quare plures arbitrantur, peccatum mortale esse in vestibus, aut vasis valde immundis celebrare, sicuti videre est apud Syl. ver. Missa, 1. q. 2. Tolet. lib. 2. c. 2. Sa ver. Missa, n. 15. arg. c. relinqui, de custod. Euchar. vbi Innoc. III. *Præcipimus, vt oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta munda, & nitida conseruentur. Nimis enim absurdum videtur in sacris sordes quærere, quæ dedecerent etiam in profanis.* Interdum tamen Sacerdos subditus, si Superiorem, vt vasa mundari, vel mūda seruari curet, admonuerit, nihilque effecerit, excusatur propter sacrificandi necessitatem.

Porrò docent DD. Sacerdotem celebrantem calceatum esse oportere: ob maiorem honestatem, ac decorem quamuis huius omissio non videtur esse mortalis, vt videre est apud Toletum, & Sa ll. cc. Scortiam li. 2. c. 8. n. n. Suar. di. 82. s. 3. Imò nulla erit culpa, si necessitas aliud postulet, & scandalum cesset.

E contrario verò, caput sacrificantis apertum & nu- 16
dum esse oportet, sicuti habetur d.1. de consecr. *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari assistere: quoniam & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in ecclesia: & qui temere præsumpserit, communione priuetur.*

Notant tamen Doctores, Episcopum, vel Ordinis Prælatum ob causam v. g. infirmitatis, licentiam dare posse sacrificandi capite operto amictu, vel pileolo: præsertim vsque ad consecrationem, sicuti videre est apud Azorium ca. 28. q. 16. Sa ver. Missa num. 17. Suarez cit. s. 3. Scortiam in lib. 3. c. 4. Imò, si causa ita celebrandi manifesta sit, non esse opus Episcopi dispensatione, docet Nauar. l. 3. consil. 7. de celebrat. Missarum, edit. 2. Sylu. ver. Missa, 1. q. 2. Henriq. l. 9. c. 26. n. 3. Dummodo scandalum cesset: si videlicet in loco priuato sacrificetur, vel si causa ita celebrandi, ob senectutem sacrificantis, loci frigus, &c. omnibus præsentibus manifesta sit.

Sed est Quæstio Prima. Si aliquid ex suprà requisitis 17
ad sacrificandum occurrente aliquo casu, haberi non possit, vtrum idcirco Missæ sacrificium intermittendum sit? Cui quæstioni non potest vna simplici responsione satisfieri: sed ex vna parte quantus defectus: ex altera verò parte quanta sacrificādi sit necessitas, pensanda, & inter se conferenda sūt. Nā imprimis cōmuni, & profano vestitu, vel sine cōsueto Canone sacrificare nunquā licet, vti rectè docet Cai. 1. 2. q. 96. a. 4. Nau. l. 3. cons. 3. de celebrat. Missarū edit. 2. Excepto casu grauissimæ necessitatis, puta ob mortis periculū. quāquā, moraliter loquendo, vix accidere potest, vt aliquis Sacerdotē ad ita sacrificandū, intentato mortis metu, cogat: præterquā in contēptū Religionis Christianæ: quo casu nulla ratione fas esset obtēperare, vt dixi in materia de leg. l. 1. tr. 4. & docet Vasq. 1. 2. d. 161. c.

161.c.3.Ægid.Coninck q.83.a.5.d.3.n.250.

Idémque dicendum si non habeatur ara consecrata, vel calix, patena, aut corporale: vel desit liber, saltem Canonem continens, vt docet S. Anton.3.p.tit.13.c 6.§.6. Nau.c 25.man.n. 84. Nisi aliquis constantissima memoria polleat, vt moraliter certus sit, se non erraturum: talis in casu aliquo sacrificare poterit absque libro, si scandalum absit.

Secundò, Si magna celebrandi necessitas sit: vt puta, quia frequens populus non sine scandalo, ac murmure dimitti deberet: celebrari tum potest sine stola, aut sine manipulo, vel cingulo benedicto, sine ministro. Si autem tanta celebrandi necessitas non est: etsi ex Ordinis regula, vel etiam Ecclesiæ præcepo, Missa facienda sit; præstat tamen intermittere, si stola, manipulus, vel altaris Minister haberi non possit, secundùm S. Anton. l. c. Henriq. lib.9.c.30.in principio. Nam eo casu, quo Missa rite, ac decenter celebrari non potest, cessat obligatio legis de sacro faciendo, vel audiendo. Notant tamen Nauar.l.c. Azor to.1.lib.10.c.28.q.9. Sanu.9. manipulum in tali casu inseruire alicui posse pro stola, & stolam pro manipulo: cùm eandem benedictionem habeant; quamobrē si ex stola manipulus conficiatur, vel vice versa, opus non est noua benedictione.

Tertiò, Licet necessitas magna non vrgeat, celebrari potest sine crucifixo: vel cum vnica mappa benedicta, vti significat Azor cit.c.28.quæst.8.§.quæres. Præterea licet communi Ecclesiarum consuetudine receptum sit, vt lumen sit geminum, & in cera, ob causam tamen etiā, non valde grauem, celebrari posset cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut seuo: modò scandalum absit. Ita Azor ci.c.28.q.15.

18 Denique addendum, quòd Sacerdos Missam celebrans, non debet populum benedicere, si celebret coram Rom. Sedis Cardinale, vel coram Episcopo in loco iurisdictionis suæ: sed ipsi insinuare, vt benedicat: eo autem recusante, & facultatem ipsi præstante, benedictionem dare potest, vti notat Gl in c.ecce, d.95. Abb. in c.volentes, de offic.legati, Palu.in 4.d.24.q.5.a.1.& annotauit in regulis Missalis.

Altera Quæstio. Quibus personis competat sacras vestes, vasa & reliquias contingere. Respondeo & dico I. Sacra vasa, videlicet calix, patena, corporale, ciborium, dum in iis continetur Corpus, vel Sanguis Christi, à nemine, præter Sacerdotem, & Diaconum, sine graui culpa, tangi possunt. Sumitur ex c. non oportet, d.23.& docet Palud.in 4.d.13.q.1.a.4. Suar. dis. 81.s.8.

19 Dico II. Sacra vasa, etsi vacua sint: item quæ consecrata, & chrismate vncta, vt altare, cereos agnos, fas non est laicis, & fœminis, etiam Sanctimonialibus, attingere, sicuti colligitur ex c. in sancta, dist.1.de consecrat.c.sacratas, aliísque iuribus dist.23. Cuius tamen rei transgressio, si contemptus absit, culpam venialem non transcēdit, teste Suar.l.c. Ægidio Coninck cit.dub.3. num. 249. Azor t.1.lib.9.c.9.q.3. Sanchez lib.2.c.43.n.27. Imò, si rationabilis causa suadeat, nulla erit culpa, secundùm ea, quæ docet Sotus in 4.d.13.q.2.a.3.ad 2.Ægid. & Sanchez ll.cc.

Propter hæc in c.nemo, 2.d.1. de consecrat. statutum est, vt corporalia, & purificatoria, antequam laicis dentur, à Diacono in pelui ad id præparata, priùs lauentur, & aqua lotionis in sacrarium effundatur. Quod de prima saltem ablutione accipiendum est, vbi consuetudo viget, vt fœminæ, præsertim sacratæ, corporalia, & purificatoria à Ministro leuiter lota, iterum lauent, & perficiant, teste Cai.in sum.ver.mulierum peccata, Syl. ver. corporalia q.1.Ægid.l.c.

His adde primò: Quòd corporalia & purificatoria, &c. post lotionem, antequam ad Sacrificium denuo adhibita sunt etiam à laicis, sicuti aliæ pallæ benedictæ, cum reuerentia tangi possint. Adde secundò, Quòd excommunicatio ipso iure lata sit à Greg.XIII.in eos, qui agnos Dei depingere, inficere, minio notare, aurum, vel colorem aliquem imponere, &c. vel tales venales proponere, aut tenere audent: sicuti legere potes apud Azor suprà ci.c.9. q.1. Sed arbitror, hanc constitutionem non omnibus locis receptam esse.

Dico III. Maius dubium est, vtrum Acolythis, atque inferioribus Clericis extra sacrum ministerium, siue solemne Missæ officium, sacra vasa contingere licitum sit? Negant Palud. cit. quæst.1.a.4. Henriquez in fine, ca.28. in comment.lit. a. Coninck cit.du.3.num.249. Azor t. 1. lib.9.c.9.quæst.6.arg.c.non liceat, 1.dist.23. Affirmat verò Suar. cit. disp. 81. s.8.his verbis *Extra sacrum ministerium quilibet Minister sacer, id est, quocunque minore gradu ordinatus, non peccabit contingendo hæc vasa, sicuti colligitur ex c.non oportet, 3.& c.non liceat, 2.d. 22.* Cui sententiæ id solùm obstat, quòd, licet olim pro temporum, aut locorum diuersitate, diuersæ fuerint circa hanc rem constitutiones, sicuti manifestum est ex citatis iuribus, & tota d.23. Nunc tamen consuetudo obtinuisse videtur, vt nemo, qui saltem Subdiaconus non sit, sacra vasa contingat; nisi causa aliqua suadeat: puta quia Acolythus Sacerdoti, nullo præsente Subdiacono, ministrans, officii causa priuatim pręparat ipsi calicem, quod, consideratis circūstantiis, internum licitè fieri poterit: alioquin verò si nulla ratio vrgeat, puto abstinendum esse Acolythis à contactu sacrorum vasorum, propter communem Doctorum sententiam, & Ecclesiarum praxin, quam & stylus Curiæ Romanæ confirmat: ex qua interdum priuilegia impetrantur, vt tonsuratis, vel in minoribus Ordinibus constitutis sacra vasa contingere licitū sit. Ordines verò Mendicantium priuilegium Sedis Apostolicę habent, vt omnes eorum Regulares, tametsi laici sint, dū Superiorum suorum voluntate, in propriis ecclesiis Sacristæ officio funguntur, omnia paramenta, sacra vasa, & corporalia, reuerentes tangere, & lauare possint, sicuti videre est apud Azor citat. quæstione 6. in fine.

Dico IV. Mortale peccatum est adhibere sacra vasa, corporalia, &c. ad vsum profanum, v.g. ad conuiuium, ad nares purgandas. Quia id continet grauem irreuerentiā, & virtualem contemptum. 20

Dico V. Alias vestes, & pallas benedictas, quæ neque immediatè corpus & sanguinem contingunt, neque sacro chrismate vnctæ sunt, cum reuerentia tangere omnibus etiam laicis concessum est. Verùm ad profanos vsus adhiberi non debent, licet vetustate absumpta, vel lacerata sint: quin potiùs igni absumenda esse, dicitur in c. ligna, & c.altaris, de consecrat.d.1.& videri potest Palud. in 4.d.24.q.5.a.1.

Idemque de sacris reliquiis dicendum videtur, eas cū reuerentia tangere, & thecis includere prohibitum non esse, sicuti notauit Sanchez lib. 2. moral. c. 43. n. 26. & videri potest Azor cit.c.9.q.5. Quamuis publicè in templo, aut processione sacrarum reliquiarum thecas gestare, ad sacros duntaxat Clericos spectare videtur, teste Anton. 3. parte tit.14. cap.12.§.4. Syluest.verb. Euchar. 3. quæstione 4. Videri etiam potest Scottia libro 3. capite 12. 21

Denique notandum, valde decens esse, atque in his partibus vsitatum, vt pyxides atque ciboria, in quibus sacrum chrisma, vel hostiæ consecratæ asseruari solent, priùs benedicantur, quàm ad eum vsum admodum sacrum adhibeantur, vti docent Durantus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, c.16. Suar. disp.81.s.7. Coninck cit.dub.3.num. 245.& colligitur ex regulis Missalis, de ingressu Sacerdotis ad altare. Atque olim etiam eiusmodi vasculum benedici solitum fuisse, videre licet in Ordine Romano. Hodie verò non vbique consuetum esse, vt benedicantur, testantur Palud. in 4.d.13.q.1.a.4.concl.4.Syl.verb. 22

H iiij

Euchar. 3. q. 4. S. Anton. cit. §. 4. Azor to. 1. lib. 10. c. 27. q. 7. Suarez & Ægid. ll. cc. Cæterùm tametsi pyxides seu ciboria, item lunula, quæ sacram Eucharistiam immediatè contingit, benedicta sint: quia tamen chrismate non vncta, sicuti sacri calices: ideo priusquam ad sacrũ Corporis Christi contactum adhibentur, à laicis æquè, ac Clericis tangi possunt: item postquam species sacratas contigerunt: quod etiam de corporali, & purificatorio dici debet.

CAP. VII.

An, & quibus casibus Missæ sacrificium interrumpere, vel imperfectum relinquere licitum sit?

SVMMARIVM.

1 *Nunquàm licitum est directa intentione accedere ad consecrandum solum panem, sine consecratione Vini.*

2 *Sacrificium cœptum interrumpere, aut relinquere, non est licitum, exceptis quibusdam casibus.*

3 *Si Sacerdos post consecrationem aduertat, aquam pro Vino appositam fuisse, potest occultè aliud vinum apponere, & consecrare, sine noua panis consecratione.*

IMprimis aduerte: Duplicem posse esse Sacrificij interruptionem: vnam essentialem, si inchoatum per consecrationem panis, non perficiatur consecratione calicis.
1 Cuiusmodi interruptio, directè intenta, nullo casu, ne ad mortem quidem vitandam, concessa est: vt si quis necem minetur Sacerdoti, nisi in solo pane sacrificare aggrediatur, v. g. ad communicandum infirmum: potiùs omnia perferre debet, quàm Sacrificium mutilũ, contra Christi institutionem, efficiendo, sacrilegium committere. Alia verò ratio est, si in aliquo casu v. g. hostes hæreticis ingruant ad occidendum sacrificantem in altari, potest is hostiam iam consecratam statim sumere, vel secum auferre, si ad consecrandum calicem sine euidente mortis periculo pergere non possit: quia tunc directè, & ex proposito non mutilat Sacrificium, sed permittit eius imperfectionem, seu omittit illud perficere: cùm præceptum affirmatiuum perficiendi in tali casu necessitatis non obliget, sicuti bene inter alios notauit Chapeauille c. 4. sui tract. q. 20.

Porrò ad essentialem interruptionem reuocari etiam debet, si Sacerdos hostiam, vel calicem consecret sine eius sumptione: quia licet sumptio non pertineat ad essentiã Sacrificij, pertinet tamen ex Christi institutione ad eius integralem perfectionem: vt proinde nullo casu, ne ad mortem quidem vitandam, liceat sacrificare sine sumendi proposito, licet postea, si per accidens casus grauissimus extremæ necessitatis interueniat, sumptione Sacerdos abstinere possit.

2 Altera interruptio Sacrificij accidentalis est, siuel alia actio à Sacerdote interponatur, vel ritus accidentales intermittantur, vel Sacrificium ab vno inchoatum ab altero Sacerdote perficiatur. de qua postrema interruptione hoc loco agendum est.

Assertio. Missa inchoata, absque graui causa, abrũpi non debet, sed continuò vsque ad finem prosequenda. Ita habetur in c. illud, &c. nihil. 7. q. 1. vbi dicitur in fine can. *Nullus, absque patentis prouentu molestiæ, ministret, vel Sacerdos, cùm cœperit: imperfecta officia præsumat omnino relinquere: si quis hæc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.*

Causæ tamen iustæ cœptum Sacrificium vel relinquẽdi, vel interrumpendi sunt hæ: I. Si Sacerdos recordetur se non ieiunum, vel excommunicatum, aut iregularem esse, & Canon nondum cœptus sit, qua de re dixi tr. præc. c. 6. n. 21. II. Si excommunicatus, & non toleratus Missæ sacrificio interesse præsumat, qui expelli nequeat: dummodo Missæ canon nondum cœptus sit, qua de re dixi lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 2. num. 6. III. Si morbus, vel alia grauis corporis necessitas cogat sacrificium Missæ interrumpere, quo in casu, si consecratio facta fuit, debet alius Sacerdos substitui, si prior redire, & Sacrificium prosequi non possit, sicuti colligitur ex cit. c. illud, 7. q. 1. c. nullus, Episcopus, d. 1. de consecrat. & docet S. Th. q. 83. a. 6. ad 1. Nau. c. 25. n. 86. vbi rectè notat, si ieiunus Sacerdos non adsit, supplendum esse Sacrificium à non ieiuno: quòd maius sit præceptum de Sacrificio non relinquendo imperfecto, quàm præceptum de sacrificando, & communicando ieiunè. Sin autem Sacerdos defecit ante consecrationem cœpto canone, poterit quidem accedere alius Sacerdos ieiunus, qui Missam prosequatur, tamen id necessarium non est, teste Angelo, ver. Euchar. 3 princ. Henriq. lib. 8. c. 30. n. 3. Porrò qui sæpius in sacrificio Missæ ob corporis infirmitatem deficere animaduertitur, is tanquam irregularis amouendus est, vti habetur in cit. c. illud. IV. Ob magnam proximi vtilitatem, aut necessitatem: puta si alicui morti proximo sacramentum sit ministrandum. Qua tamen in re considerare debet Sacerdos partim magnitudinem periculi, seu quàm necessarium morituro sit sacramentum; partim verò, quousque in Sacrificio progressus sit; partim denique quamdiu eum abesse, & num sacris etiam vestibus exui necesse sit. Et primò quidem, si infirmo morituro sacramentum Pœnitentiæ ministrandum sit, *potest Sacerdos* inquit Zambranus cap. 4. dub. 6. n. 5. *Missam inchoatam, etiam post consecrationem, relinquere: seruante interim aliquo S. Eucharistiã: & secum deferat aliquam formam consecratam, & Extremam vnctionem ad infirmum: & audita eius Confessione, & data Eucharistia, & Extrema vnctione (remissis tamen psalmis pœnitentialibus ad ecclesiam post Missam) reuertatur ad perficiendum Sacramentum.* Idémque eadem ratione dicendum si infirmo morti propinquo ob phrenesin, v. g. nullum aliud sacramentum, præter Extremam vnctionem, conferri possit, teste eod. Zambr. & consentit Ioan. Chapeauille c. 1. q. 12. Semper tamen operam dare debet Sacerdos, vt quàm citissimè potest, se expediat, & ad perficiẽdum Sacrificium redeat: postea verò, si opus videatur, iterum infirmum inuisat.

Secundò: Si sacramentum infirmo ministrandum non sit tantæ necessitatis, puta S. Eucharistia per modum viatici ministranda sit ei, qui paulò antè confessus fuerat, tunc non decet sacrificantem post factam oblationem, vel certè post Canonem cœptum, exutis sacris vestibus, Sacrificium derelinquere. Si tamen homo in ipso templo existens sacro viatico indigeat: quia subito morbo correptus, mox moriturus timetur; debet Sacerdos etiam post consecrationem ab altari discere, & sacramentum ministrare, sicuti in simili docet Gl. in cit. c. nullus. Henriq. cit. c. 30. n. 4. Zambranus l. c. vbi aiunt, quòd sacrificantem ab altari recedere oporteat, ad infantem morti vicinum in Ecclesia baptizandum.

Tertiò: Si alicui in extremis constituto sacra Extrema vnctio ministranda sit, præsertim tali, cui petendi facilè denegari non possit: arbitror Sacerdotem, ante factam oblationem, à cœpta Missa desistère posse, si scandalum absit. In quo casu si diu non abfuit, videlicet non ampliùs horam: tunc reuersus pergere debebit, à quo loco reliquerat, v. g. dicto Euangelio; sicuti, si concio interuenisset. Sin verò longa mora interposita fuit, quia v. g. ad locum distantem euocatus erat Sacerdos: tunc ab initio repetere Missam debet.

Aliæ porrò causæ sunt, Missam interrumpendi ante factam oblationem; videl. vt post Euangelium fiat prædicatio ad populum, vel propter Ordines conferendos. Qua de re Henriq. cit. c. 30. n. 3. Deinde si Episcopus, Dux, vel processio populi adueniat, quos integram Missam au-

sam audire deceat: fas erit hoc casu, si alius Sacerdos non sit, Missam à capite inchoare, si oblatio nondum facta fuerat, vti docet Nau. cit. n.86. Sa ver. Missa, n.21. Henriq. cit. n. 3. Azor lib. 10. c. 32. q. 3. Scortia lib. 2. c. 18. idque in praxi obseruatum esse, testatur Nau. & Henriq. lo. cit.

Quod attinet ad alios defectus, qui in Missa contingere solent, videri possunt regulæ Missalis, & quæ scribit Henriq. lib. 9. c.36. & 37. Sa ver. Missa, n. 30. & seqq. Suar. disp. 85. s.1. & 2. Coninck q. 83. a. 6. Id verò præcipuè annotandum, tametsi rubrica Missalis sequatur probabilem sententiam S. Th. q.83. a.6. ad 4. Si Sacerdos post consecrationem animaduertat aquam pro vino oppositã oportere eum non solum calicem, sed & panem de nouo offerre, & consecrare: incipiendo à verbis illis. *Qui pridie, quàm pateretur*: tamen nullum ibi præceptum imponi, quominus Sacerdos: præsertim si publicè celebret, imò verò etiam priuatim, sequi possit sententiam Scoti in 4. d. 8. q. 3. §. alius casus specialis, Gabriel, lect. 10. in Cano n. Missæ, Adriani in 4. de Euchar. q. Viso de impedimento Nau. cit. c.25. man. num.91. & aliorum: Satius esse, vt Sacerdos animaduertens aquam pro vino infusam fuisse, ad cornu altaris accedat, & effusâ aquâ in aliquod vasculum (quam aquam deinde pro ablutione capere potest, vel in piscinam mittere debet) nouum vinum cum pauxillo aquæ imponat, dissimulanter offerat, & consecret, incipiendo à verbis illis: *Simili modo*. Quòd si pauxillum aquæ in calicæ remansit (vt puta quia relinquam hausit, vel in ore adhuc habet, vt deglutire oporteat, non verò irreuerenter in calicem mittere) consultissimum erit, vinum statim superinfundere, offerre, consecrare, & sumere: Ratio huius sententiæ est: quia, vti in Sacramentis, ita & in Sacrificio nihil iterandum: sed quod omissum, cautè supplendum esse videtur, arg. c. 1. de sacramen. non iterandis.

TRACTATVS SEXTVS.

DE

SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAP. I.

DE NOMINE, ET NATVRA Pœnitentiæ, quatenus ea virtus est.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia tum præteritæ vitæ detestationem, animique dolorem, tum nouæ vitæ inchoationem continet.*

2 *Pœnitentia virtus definitur: Detestatio, ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa Dei, intentione eam abolendi: ac compensandi.*

3 *Pœnitentia virtus est pars quadam iustitiæ erga Deum.*

4 *Duplex est pœnitentiæ actus. Vnus perfectus, qui dicitur contritio: alter imperfectus, qui attritio in scolis appellari solet.*

5 *Vera contritionis actus tum à Charitate: tum à Pœnitentia virtute procedit.*

Pœnitentia virtus extendit se etiam ad abolendum pœnam peccatis debitam, adeóque satisfactoria opera Deo exhibenda.

6 *Contritionis actus in omni lege fuit congrua dispositio per Christi merita consequendi iustificationem.*

7 *Qui verè contritus est, is saltem implicitè paratus esse debet quoduis aliud malum potiùs perferre, quàm contra Deum peccare.*

8 *In vera contritione continetur propositum, saltem implicitum, seruandi mandata Dei.*

9 *Attritio, seu imperfectus dolor de peccatis, vt homini vtilis sit ad salutem, debet ex supernaturali motiuo proficisci.*

10 *Timor Dei alius filialis est, & alius seruilis. Timor autem seruilis alius bonus, quamuis imperfectus: alius verò malus, & Charitati oppositus.*



POENITENTIA à *Pœna* dicta est: quod sit dolor animi, se ipsum affligentis, vel punientis, ob malè commissa, vel omissa. Hinc Isidorus Hispalensis ait lib. 6. Ethym. c. vlt. *Pœnitentia appellata est, quasi punientia: eò quòd ipsemet homo in se puniat: pœnitendo, quod malè admisit.* Et S. August. epist. 108. ad Seleucianum: *Est pœnitentia bonorum, & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra.* Vide etiam Auctorem de vera, & falsa pœnitentia, c. 8. 19. apud S. August. to. 4.

Græcè dicitur μετάνοια, quasi mentis mutatio, vti Tertull. interpretatur lib. 2. contra Marcionem, & alludit S. August. hom. 41. ex 50. relatus in c. 10. d. 3. de pœn. *Pœnitentes (si tamen estis pœnitentes, & non estis irridentes) mutare vitam, reconciliamini Deo.* Quocũ consentit vox תשובה quæ conuersionem significat, sicut videre est Ezech. 18. Ioel. 2. aliisque locis Scripturæ.

Porrò, licet vox illa græca, sicuti & hebræa, secundùm etymon suum, accessum ad Deum, seu iustitiæ, ac melioris vitæ inchoationem exprimat, tamẽ secundùm sacræ Scripturæ vsum, & communem SS. Patrum, imò & profanorum Scriptorum acceptionem, omnes illæ voces eandem rem, siue actum pœnitentiæ significare solẽt: qui est detestatio, & dolor seu tristitia animi, de commisso peccato, vti videre est Iobi c. vlt. *Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu: & scindite corda vestra.* Mat. 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuißent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egißent,* μετενόησαν. Item Ouidius lib. 1. de ponto, Elegia. 1.

Poenitet, ô si quid miserorum creditur vlli;
Pœnitet, & facto torqueor ipse meo.

Et clariùs Ausonius in Epigrammate de occasione & pœnitentia:

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo poenas:
Nempe vt pœniteat, sic Metanœa vocor.

Cùm enim per actum virtutis pœnitentiæ homo ad meliorem vitam, animi mutatione, se conuertat, & ad iustitiam accedat: necesse est, vt non solùm nouæ vitæ propositum concipiat, seu resipiscat: sed imprimis etiam vitã veterẽ, seu peccatũ tanquam malũ abolendũ detestetur, ac de eo doleat: quandoquidem omnis mutatio duos terminos requirit: vnum à quo recedatur, & alterum ad quẽ accedatur. Quare Apost. ad Coloss. 3. ait: *Exuite vos veterem hominem, & induite nouum, qui secundùm Deum creatus est.* Et S. Augustin. lib. 50. homil. 27. cap. 1. *Nemo eligit vitam nouam, nisi quem veteris pœnitet.* Et homil.

vlt. in fine: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Quibus verbis August. perfectam peccati abolitionem describit, de qua plura infrà cap. vlt. Videri potest Gratianus cap. 1. dist. 3. de pœnit. vbi ex S. Ambrosio refert: *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Eadem habet S. Gregorius homil. 34. in Euangel. Isidorus lib. 6. ethym. c. vlt. & legi possunt Melchior Canus relect. 1. de pœnit. Bellarm. lib. 1. de pænit. c. 7. Suar. 3. p. t. 4. disp. 3. s. 5.

Exinde colligitur, optimè docuisse S. Thomam quæst. 85. a. 2. & 3. proprium, & formale obiectum virtutis pœnitentiæ (ex quo ipsa speciem suam & distinctionem à reliquis virtutibus accipit) esse malum peccati, quatenus est offensa Dei, ab homine cum Dei auxilio delenda, & compensanda.

2 Quare hæc erit vera virtutis pœnitentiæ definitio, ex eodem. S. Thom. cit. a. 3. & a. 1. ad 3. *Detestatio ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa, & iniuria Dei, intentione eam abolendi, & compensandi.* Dicitur *detestatio peccati*: quia actus pœnitentiæ elicitus formaliter est ipsa displicentia, fuga & recessus animi à malo peccati. *Ac dolor* conuenienter Trident. sess. 14. c. 4. & S. Thom. ll. cc. Quia ex odio ac detestatione peccati, cuius reatus adhuc præsens est, necessariò sequitur dolor; quemadmodum è contrario ex apprehensione, & amore magni boni præsentis gaudium oriri solet. Accedit, ipsum pœnitentiæ nomen, vel maximè significare dolorem, seu tristitiam, & afflictionem animi de peccato, iuxta illud Baruch 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali*, &c. Et 2. ad Corinth. 7. *Gaudeo, non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiam.* Siquidem, vt ibid. indicat Apost. tristitiam nulla vtilis est, nisi quæ de peccato concipitur. *Quatenus est offensa, & iniuria Dei*: Nam detestari peccatum, & de eo dolere, quatenus præcisè est malum moris, & rationi repugnans, pertinet generatim quidem ad generale propositum virtutis, ac honestatis: particulatim verò ad speciales virtutes, quibus singula peccata opponuntur: quandoquidem eiusdem est virtutis prosequi bonum, & fugere malum ipsi oppositum. *Intentione eam abolendi, & compensandi*: Nam alioquin Charitas erga Deum sufficeret ad dolendum de malo peccati, quatenus id repugnat Deo, dolere autem de commisso peccato, quatenus est offensa Dei, cum proposito emendationis, seu compensationis, id proprium virtutis pœnitentiæ est auctore S. Th. in corp. a. 3. Vide eundem 1. 2. quæst. 113. a. 5. ad 5.

3 Ex quo rectè ibid. colligit S. Thom. quòd pœnitentia sit pars quædam iustitiæ commutatiuæ, non simpliciter dictæ, sed secundùm quid, qualem inter Deum & hominem intercedere dixi lib. 1. in tract. 1. de iustitia, cap. 3. num. 3. Nam sicuti in humanis, si quis alterius ius, auctoritatem, vel honorem læsit: ad iustitiam commutatiuam pertinet compensare, & satisfacere: sic etiam peccatum omne repugnat honori, & auctoritati Dei, tanquam vniuersalis auctoris nostri, Legislatoris & iudicis: ideo iustitia exigit, vt læsus Dei honor, & auctoritas, quatenus fieri potest, emendetur, ac compensetur. Discrimen verò est primò; Quòd hominis læsio, seu offensa, præcipuè opere externo contingit: quare etiam similiter compensatio seu satisfactio. At verò læsio, seu offensio Dei per peccatum, præcipuè interno animo accidit: quare etiam retractatio seu compensatio offensæ, in interna animi motione ac dolore potissimùm consistit: etenim *homines vident ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 16. Secundò, iniuriam homini illatam ad æqualitatem compensare debemus, & plerumque possumus; non item iniuriam Deo illatam: tum quia ipsa animi motio, ac detestatio peccati, est donũ Dei supernaturale: tũ quia pia animi in Deum conuersio, ipso iure creationis, aliísque titulis ipsi debita est: tum quia peccator Dei infiniti offensam re ipsa compensare non potest: sed cum Dei auxilio affectum compensandi exhibet: quem quasi pro facto Deus reputans, peccatum ex misericordia gratis remittit, ac delet, hominem què per gratiæ sanctificantis infusionem sibi conciliat. qua de re legi potest Henri q. lib. 4. qui est 1. de pœnit. c. 19.

Secundò colligitur ex dictis: nihil falsi Caietã. cit. quæst. 85. a. 2. docuisse, cùm dixit: Pœnitentiam esse speciem virtutis Religionis erga Deum: siquidem hæc virtus (vti & iustitia erga hominem) latè potens est, & generali ratione seu habitudine respicit honorem seu cultum Deo tanquam vniuersali auctori, reddendum. Modi autem honorem reddendi, ideóque species Religionis plures sunt: quarum vna etiam Pœnitentiæ virtus, sicuti docet Ægid. Coninck in 3. p. tom. 2. vbi de Pœnit. disput. 1. d. 4. assert. 5. & fatetur Suarez disp. 7. sect. 2. in fine, & colligitur ex psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Baruch. cap. 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, &c. dat tibi gloriam, & iustitiam.* Denique ex doctrina S. Th. qui 2. 2. quæst. 80. a. 1. iustitiam, quæ est ad Deũ, Religionem vocat. Pœnitentia autem est iustitia quædam erga Deum, sicuti idem S. Thom. docuit cit. art. 3. Ergo virtus Pœnitentiæ ad Religionem pertinet.

Tertiò colligitur: quòd Pœnitentiæ virtus non tantũ versetur circa malum peccati detestandum, & abolendum, sed etiam circa bonum iustitiæ amplectendum. & reconciliationem cum Deo obtinendam. Ratio est: Quia omnis detestatio, ac fuga mali fundatur in prosecutione, vel desiderio alicuius boni.

Duplex est Pœnitentiæ actus: perfectus, & imperfectus. Actus perfectus pœnitentiæ *contritio* in scholis appellari solet: Dolor animi de peccato, tanquam summo malo abolendo, quatenus Deo super omnia dilecto repugnat. Circa quam definitionem, ipsámque contritionis naturam, quædam aduertenda sunt: Primum. Idem perfectæ pœnitentiæ, siue contritionis actus procedit tum à Charitate erga Deum, tum à Pœnitentiæ virtute. Ab illa quidem, quatenus dolemus de peccato, vt est quid contrarium Deo, summo bono: ab hac autem, quatenus idem peccatum abolere cupimus, ad satisfaciendum Deo offenso, seu iniuria affecto. Nam illa quidem affectio ex Charitatis motiuo est: hæc autem ex motiuo Pœnitentiæ, seu iustitiæ erga Deum. Tametsi verò actus ille Charitatis erga Deum prior est, ac veluti imperans, actus verò Pœnitentiæ ac iustitiæ posterior, ac imperatus (ideo enim pœnitens abolere, & destruere vult peccati malum, quia est contrarium Deo delicto) tamen contritionis actus plerùmque ita accipitur, vt vtrumque actum in sua ratione concludit. Videri potest S. Thom. 3. p. quæst. 85. a. 6. vbi ita scribit: *In iustificatione impij simul est motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus Fidei, per Charitatem formatus & motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus Pœnitentiæ. Horum tamen duorum actuum primus naturaliter præcedit secundum. Nam actus virtutis Pœnitentiæ est contra peccatũ ex amore Dei: vnde primus actus est ratio, & causa secundi.* Quibus ipsis verbis satis etiam indicat S. Thom. actum dilectionis formalem, & explicitum in vera & perfecta contritione necessariò, atque intrinsecè contineri. 4

5 Alterum. Cùm dicimus, in vera pœnitentia, & contritione Charitas actum includi, non vtique excludimus Fidem in Deum, nec spem veniæ obtinendæ per Christũ: quin eo ipso includimus. Qua de re ita legimus in Tridentino Concil. sess. 6. cap. 6. *Disponuntur* peccatores *ad iustificationem, dum excitati diuina gratia, & adiuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur.*

iuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo, in spem eriguntur: fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore, illúmque tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata per odiũ aliquod, & detestationem. Eodémque pene modo S. Tho. q. 85. a. 5. enumerans actus contritionis: *Primum,* in quit, *principium est Dei operatio conuertentis cor, secundùm illud Threnor. vlt. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur. Secundus actus est motus Fidei: tertius est motus Timoris seruilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus est motus Spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi;* seu retractandi peccatum. *Quintus est motus Charitatis, quo alicui peccatum displicet, secundùm seipsum* (quatenus est offensa Dei) *& non* (principaliter) *propter supplicia. Sextus est motus Timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert.* Siquidem amor Dei tanquam optimi patris, excitat timorem filialem, ex quo aliquis detestatur, & dolet de offensa, eámque abolitam vult ad Dei gratiam, & reconciliationem consequendam: tum verò firmum propositum concipit Deum imposterum non offendendi, sed in eius gratia & amicitia permanendi.

Tertium. Propter actum dilectionis, qui in vera contritione, seu perfecto Pœnitentiæ actu continetur, secundùm Dei ordinationem, hæc ipsa contritio in omni lege fuit sufficiens, & congrua dispositio ad peccatorũ remissionem, Dei gratiam, & ius gloriæ cœlestis, per Christi merita consequendum, sicuti traditur in Concil. Trident. cit. c. 6. Concil. Arausicano 2. can. 4. & apud Augustinum lib. 2. contra Cresconium, c. 12. Auctorem de vera, & falsa pœnitentia, c. 8. & 17. Sumitur ex c. 1. Zachariæ. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* S. Ioan. epist. 1. c. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.*

Quartum. Qui verè pœnitens ac contritus est, is saltem
8 tem implicitè paratus esse debet, quoduis aliud malum potius perpeti, quàm peccare. Qua de re legi potest Durandus in 4. distinct. 17. quæst. 5. Dixi, saltem implicitè. Nam formalem, siue expressam comparationem instituere, *malle à quis mergi, igne perire, quàm peccasse, aut peccare,* necessarium non est: & interdum, ob hominis fragilitatem, periculo non vacat, sicuti notauit S. Bonau. in 4. d. 16. p. 1. a. 2. quæst. 1. Victor num. 116. de pœnit. Nauar. cap. 1. num. 17.

Quintum. In actu contritionis includitur etiam propositum, saltem implicitum, imposterum, si vita suppetat, seruandi mandata Dei, & imprimis quidem in lege noua suscipiendi sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ; tanquam media à Deo per se instituta ad remissionem peccatorum. Sufficit tamen ad iustificationem implicitum votum, seu propositum horum sacramentorum, sicuti de sacramento Baptismi docet S. Thom. 3. p. quæst. 69. art. 4. ad 2. & de sacramento Pœnitentiæ, quæst. 86. a. 2. Multóque minus necessarium est necessitate medij ad salutem, vt dicta sacramenta reipsa suscipiantur, sicuti tradit Concil. Trident. sess. 14. c. 4.

Sextum. Per actum Pœnitentiæ perfectum deletur quidem reatus culpæ, & qui inde consequens erat, reatus pœnæ æternæ: si culpa mortalis fuerat: remanet tamen plerumque reatus pœnæ temporalis: quippe quæ per contritionem, nisi valde perfecta & intensa sit penitus non aboletur. Quare Pœnitentiæ virtus saltem secundariò versatur etiam circa reatum pœnæ temporalis remouendum: adeóque continet in se desiderium, & propositum satisfaciendi Deo per opera bona pœnalia, quatenus ea ad plenam destructionem & abolitionem peccati inseruiunt. Ita docet S. Thom. quæst. 85. a. 1. ad 3. *Dolor pœnitentis est displicentia, seu reprobatio facti præteriti, cum intentione remouendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ.* Vide eundem quæst. 86. a. 4. & quæ infrà dicam. c. vlt.

Altera est pœnitentia, siue dolor animi de peccato imperfectus, (in scholis *attritio* dici solet) qui non pertingit ad detestationem peccati, tanquam summi mali, repugnantis summo bono. Nihilominus, si ex motiuo non merè humano, ac naturali oriatur (quale est, quod peccatum morali honestati repugnet, infamiam, vel pœnã temporalem conciliet, &c.) sed concipiatur ex motiuo supernaturali, per Fidem apprehenso, puta quia tanquã Dei offensa pœnam æternam meretur: atque insuper voluntatem seu affectum peccandi, excludat, cum spe veniæ à Deo obtinendæ: vtilis est huiusmodi animi attritio ad salutem, atque donum Dei, & impulsus Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, sed ad iustitiam comparandam excitantis, & mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, ait Trident. sess. 14. cap. 4. quare scriptum est Prouerb. cap. 1. *Initium sapientiæ timor Domini.* Eccles. c. 25. *Timor Domini initium dilectionis.* Et ibid. cap. 1. *Qui sine timore est, non potest iustificari.*

Igitur audiendi non sunt Sotus in 4. dist. 17. quæst. 2. a. 5. & lib. 2. de natura & gratia, cap. 14. & 15. Canus relect. 3. de Pœnitent. vbi aiunt, attritionem, quæ est dolor peccati ob horrorem nocumenti temporalis, atque solius naturæ viribus elici potest sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ susceptione, sufficere ad consequendam iustificationem. Quæ sententia, saltem post Trident. sess. 6. cap. 6. & sess. 14. cap. 4. defendi non potest, & bene oppugnatur à Suarez to. 3. disput. 28. sect. 2. & t. 4. disput. 5. sect. 1. Nam attritio illa, quæ cum sacramento dispositio subiecti est ad obtinendam iustificationem, vtilis est ad salutem: Atqui dolor animi, qui ex solis naturæ viribus haberi potest ob motiuum merè humanum, non est vtilis, seu nullam omnino proportionem habet ad iustificationem, vti constat ex Concil. Mileuitano 1. canone 3. & seqq. & clariùs ex Arausicano 1. canon. 7. *Si quis dixerit per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ cogitare, aut eligere seu salutari prædicatione consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, hæretico fallitur spiritu.*

Simili modo distinguere possumus timorem peccati perpetrandi. Si enim timeas peccatum perpetrare, quia Deo summo bono contrarium est, hic timor filialis, & Charitatis actus est, quandoquidem eiusdem virtutis est & prosequi bonum suum, & contrarium eius auersari. Sin verò timeas peccatum perpetrare, quia reatum pœnæ à Deo infligendæ secum affert, est quidem timor iste imperfectus, & aliquo modo seruilis; tamen absolutè bonus, & honestus, quippe actus Spei Theologicæ, per quam & bona à Deo prouenientia nobis desideramus, & opposita auersamur. Sin verò à peccato propter gehennæ timorem, tanquam principale motiuum abstineas, ita vt si gehenna non esset, peccare velles: talis timor propriè seruilis, ac malus est, quippe contrarius Charitati diuinæ. Sin denique à peccato patrando te contineas, metu pœnæ ab hominibus infligendæ talis timor mundanus dicitur: & est malus, atque Charitati oppositus, si paratus sis malum patrare, nisi pœnam timeres. Sin verò timor pœnæ non sit causa principaliter finalis, sed secundaria seu impulsiua tantùm: tunc secundùm se indifferens est: quamobrem à virtute v. g. Spei, aut Charitatis imperari potest, quatenus pœnæ, seu incommoda temporalia à Dei seruitio, & consecutione spiritualium bonorum interdum nos impedire possunt, vti annotauit Suarez de virtut. Theolog. tractat. 2. disput. 1. sect. 4. assert. 1.

Cap. II.

De necessitate pœnitentiæ, quatenus est actus virtutis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia in omni lege necessarium medium fuit ad salutem, hominibus lapsis in peccatum mortale.*
2 *Attritio cum sacramento Baptismi, vel Pœnitentia, sufficit ad hominis adulti iustificationem.*
3 *Ad consequendã iustificationem in sacramento Baptismi sufficere videtur attritio virtualis, si homo peccatorum suorum tunc memor non sit.*
4 *Extat præceptum diuinum lapsis impositum, vt peccati pœnitentiam agant: quia tamen id affirmatiuum est, non omni tempore obligat.*
5 *Non statim vt mortale peccatum admissum est, præceptum pœnitentiæ hominem obligat.*
6 *Pœnitentiam nimis longo tempore, aut vsque ad finem vitæ differre, est nouum peccatum impœnitentiæ.*
7 *Si moriturus non conetur veram animi contritionem seu dolorem de peccatis ex Dei dilectione conceptum elicere, suspecta est eius pœnitentia.*
8 *Postquam semel peccata homini remissa sunt, non incumbit obligatio de ijs in memoriam occurrentibus iterum dolendi.*

CVm duplex sit necessitas: vna medij, altera præcepti de vtraque dicendum nobis est.

1 Assertio I. Pœnitentia semper in omni lege fuit necessarium medium ad salutem hominibus lapsis in peccatum mortale. Ita Trident. sess. 14. cap. 4. Tertullianus in lib. de pœnit. cap. 4. S. August. epist. 48. ad Vincentium, S. Thomas quæstion. 86. art. 2. & sumitur ex illo Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.*

Porrò hoc discrimen est inter statum legis Euangelicæ, & statum ante gratiam Euangelij: quòd ante legem gratiæ nemo adultus à mortali peccato liberari, & iustificari poterat sine vera contritione, includente charitatem Dei super omnia: propterea quòd sacramenta veteris legis inania signa erant, quæ gratiam Dei per se non conferebant: sed excitabant Fidem in Christum, quę si formata fuerat per actum charitatis, & contritionis, vim habuit iustificandi.

2 In lege autem noua post commissum peccatum mortale non est necessaria vera contritio homini suscepturo sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ: sed sufficit attritio, etiam cognita: quamobrem dici solet, ex attrito virtute sacramenti fieri hominem contritum. Quod non ita intelligi debet: quasi actus attritionis transeat in actum contritionis: sed quòd peccator per attritionem, cum sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ, perinde iustificetur, atque per veram contritionem extra sacramentum, vt docet S. Thom. in 4. distinct. 17. q. 2. a. 1. quæst. 1. Richar. ibid. a. 3. quæst. 8. ad 5. contra S. Bonau. p. 2. a. 2. quæst. 3. Ratio est: Quia hæc duo sacramenta ex Christi institutione non viuorum, sed mortuorum remedia sunt id est, per se ac directè instituta, vt homini spiritualem vitam, videlicet remissionem peccatorum, & gratiã seu reconciliationem cum Deo adferant: consequenter eam ante susceptionem necessariò non requirunt. Imperfecta tamen saltem pœnitentia siue dolor de peccatis, cum Spiritus sancti gratia excitante, & adiuuante, omnino necessarius est: qui licet sine sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, per se, & ordinariè ad iustificationem perducere peccatorem nequeat: tamen ad Dei gratiam sanctificantem in dictis sacramentis consequendam disponit, sicuti loquitur Trident. cit. cap. 4. Quare Act. 2. S. Petrus monuit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum.* Et S. Ioannis Baptista *pœnitentiæ* dicebatur Matth. 3. Luc. 3. quia denuntians Dei iram, & peccatorum supplicia hominum animos ad Christianam iustitiam præparabat.

Verùm extra sacramentum Baptismi, vel pœnitentiæ peccator sine vera contritione, saltem virtuali, iustificari non potest. Quod tamen intelligi debet, per se, & ordinariè: Quia etiam per alia sacramenta, quæ viuorum sunt, peccator interdum cum sola attritione iustificatur per accidens, videlicet propter ignorationem, si vel inculpatè ignoret se esse in peccato mortali: vel bona fide existimet se de eo contritum, cùm tantùm attritus sit, sicuti docet Sanctus Thomas quæstione 72. articulo 7. ad 2.

His adde, quod probabiliter docet Coninck quæst. 62. articulo 1. dubio secundo, num. 35. posse esse sufficientem dispositionem ad gratiam baptismalem recipiẽdam ab eo, qui peccatorum suorum immemor est. Nam quemadmodum si quis peccatorum memoriam, siue conscientiam non habet, ad huius iustificationem extra sacramentum non requiritur pœnitentia, siue contritio formalis: sed sufficit virtualis, videlicet actus Charitatis Dei super omnia dilecti, sicuti contra Canum loco ci. Petrum Sotum lect. 4. de pœnit. rectè docet Scotus in 4. distinction 14. quæstion. 1. articulo 3. §. ex his, Gabr. ibid. conclus. 12. Med. Cod. de confess. quæst. secunda Nauar. cap. 1. man. num. 5. Suarez cit. sect. 1. numero 9. Siquidem in Scriptura sacra passim actui dilectionis promittitur, atque attribuitur iustificatio & remissio peccatorum, 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. *Ioannes* 4. *Qui diligit, ex Deo natus est.* Prouer. 8. *Ego diligentes me diligo.* Ita pari ratione ad iustificationem peccatoris, qui peccatorum suorum memor, aut conscius non est, in sacramento Baptismi non requiri videtur pœnitentia siue attritio formalis, sed sufficit virtualis: videlicet efficax actus Spei supernaturalis. Etenim sicuti actus Charitatis virtute continet contritionem: ita talis actus Spei virtualiter continet attritionem. Quẽadmodum, inquam, homo, qui Deum, tanquam summum bonum, super omnia diligit, consequenter etiam paratus est ad detestandum, & abolendum peccatum huic bono dilecto contrarium: Ita etiam qui æternam felicitatem desiderat, & à Deo supernaturalium bonorum auctore consequendam expectat, is consequenter etiam paratus est ad detestandum, & abolendum peccatum, quod à consecutione æternæ felicitatis impedire per Fidem cognouit. Alia verò ratio est de Pœnitentiæ sacramento, ad quod necessariò requiritur formalis & explicitus actus pœnitentiæ saltem imperfectæ: quippe cùm hæc sit pars essentialis materiæ huius sacramenti. 3

Assertio II. Pœnitentia homini lapso in peccatum mortale necessaria etiam est ex obligatione præcepti diuini: ita vt ob eius transgressionem, nouum peccatum impœnitentiæ incurrat. Est communis doctrina, quæ passim ex Scriptura colligitur, Ierem. 8. Esaiæ 65. Ezech. 18. Quare Tertullianus ait in lib. de pudicitia cap. 4. *Bonum est pœnitere, an non? Quid reuoluis, Deus præcepit.* Verùm, cùm pœnitendi præceptum affirmatiuum sit, non omni tempore peccatorem obligat: sed cùm opportunitas & moralis necessitas adest. Imprimis verò distinguere oportet inter obligationem præcepti, quæ est per se: & eam, quæ aliunde, siue per accidens prouenit. Et quidem per accidens ad veræ contritionis actum peccator, sacramentum Pœnitentiæ non suscepturus, tribus in casibus obligatur: I. Si sacramentum aliquod ex ijs, quæ viuorum propria sunt, suscipere, vel quodcunque sacramentum ex officio administrare velit. II. Si positus inter peccandi occasiones, grauibus tentationibus vrgeatur, quas credat se mortaliter euitare non posse: nisi ad Deum per contritionem conuersus, eius gratiam, & consequenter opportuniora ad vincendum auxilia obtineat. III. Si ob alicuius, puta Principis, peccatum Communitas 4

munitas incidiſſet in periculum, ne à Deo grauiter puniretur, ſicuti accidit in peccato Achan, Ioſue 7. & Dauidis. 2. Regum, c. 24. tali caſu peccatorem, qui cauſa ſiue occaſio mali imminentis extitit, obligabit præceptum per pœnitentiam placandi Deum, ad commune periculum auertendum. Veruntamen in his caſibus obligatio pœnitendi non prouenit per ſe ex præcepto virtutis Pœnitentiæ: ideóque nec ob eius omiſſionem peccatum impœnitentiæ incurritur; ſed peccatur contra virtutem Religionis, vel charitatis, ex qua obligatio contritionis habendæ naſcitur. Videri poteſt Suar. diſ. 15. ſ. 6. Coninck de pœnit. diſp. 3. dub. 3.

5 Quòd verò attinet ad obligationem per ſe, quædam ex communiore ſententia dicenda ſunt: Primum. Non ſtatim atque mortale peccatum commiſſum eſt, pœnitentiæ præceptum obligat: ita, vt nouam impœnitentiæ culpam homo incurrat, niſi illud mox per contritionem aboleat: Ita Durand. in 4. d. 17. q. 10. Caietan. quodlib. 7. Nau. c. 1. man. num. 27. Sotus in 4. d. 17. q. 2. art 6. Adrian. in 4. vbi de Confeſſione, §. Tertiò inquirendum eſt, Suar. diſp. 15. ſect. 5. Henriquez lib. 4. c. 6. num. 6. Coninck cit. dub. 3. poſt S. Th. in 4. d. 17. quæſt. 3. a. 1. quæſtion. 4. ad 2. vbi ait: *Non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, quòd infirmus ſtatim medicum quærat: niſi quando neceſſitas curationis incumbit: ſimiliter eſt de morbo ſpirituali.* Ratio autē peti debet ex natura præceptorum affirmatiuorum, non niſi in temporis opportunitate, ac neceſſitate obligantiū; licet aliter doceat Guil. Pariſienſis de ſacram. Pœnit. cap. 18. Thom. Argentinas in 4. d. 17. q. 2. a. 4. ad 2. S. Anton. p. 3. tit. 14. cap. 18. §. 2. Syluest. ver. contritio. quæſt. 2. Conſultiſſimum verò eſt, ſtatim poſt commiſſum peccatum ad pœnitentiam confugere, ſicuti Eccleſiaſt. c. 5. monet: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Nam ita etiam fiet, vt licet homo non ſtatim peccata confiteatur, modò propoſitum ſuo tempore confitendi habeat, in gratia Dei exiſtat, ac bonis operibus mereri, & pro peccatis ſuis ſatisfacere poſſit.

6 Alterum. Differre pœnitentiam longo tempore, aut vſque ad finem vitæ, vel tamdiu differendi propoſitum concipere, videtur eſſe nouum peccatum mortale. Ita videtur ſentire S. Th. q. 84. a. 5. ad 2. citans illud Eccleſ. 30. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo:* Et docent Henriq. Ægid. Suarez ll. cc. contra Sotum in 4. diſt. 17. quæſt. 2. a. 6. concluſ. 5. Caiet. ver. contritio. Probatur ex cap. 1. Prouerb. & Apoſt. ad Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Ratio peti debet tum ex parte Dei, in cuius inimicitia longo tempore perſiſtere, & pro illata ipſi iniuria non ſatisfacere, præſertim ipſo excitante, ac monente per auxilia gratiæ, videtur nouam iniuriam & interpretatiuum contemptum Dei continere, ſicuti ipſemet exaggerat cit. cap. 1. *Quia vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum & increpationes meas neglexiſtis:* Ego *quoque in interitu veſtro ridebo.* Tum verò ex parte ipſius peccatoris: ſiquidem in mortali peccato diu perſiſtendo grauiſſimam ſpiritualium bonorum iacturam periculum recidendi, ac demum indurationē in malo incurrit, vti Apoſtolus ſuprà monuit, & explicat S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Peccatorem diu exſpectat Deus, vt redeat: non redeunti, atque contemnenti ponit* (offendiculum) *vbi grauius impingat.* Confirmatur ex eo, quòd Concilium Mileuitanum canon. 3. docet, hominem ſine gratia ſanctificante diu ſeruari non poſſe à lapſu peccati mortalis: conſequenter ſi peccator per pœnitentiam ſe in Dei gratiam reſtituere longo tempore differat, manifeſtum periculum adit alterius peccati ex altero incurrendi.

Cæterùm poſteaquam Eccleſia annuam Confeſſionē præcepit, ad quam actus pœnitentiæ ſaltem imperfectus neceſſariò requiritur: ſi fideles nunc tale præceptum impleant, eo ipſo quoque diuino pœnitentiæ præcepto ſatisfacere illos credendum eſt. Quod enim præſtat actu contritionis extra ſacramentum, hoc idem etiam præſtat attritio cum ſacramento.

Quanto autem periculo ſe committant ij, qui pœnitentiam de peccatis in vitæ ſuæ finem differunt, oſtendit S. Aug. ſerm. 67. de tempore: *Datur quidem extremis pœnitentia,* id eſt, pœnitentiæ Sacramentum, *quia negari nō poteſt: ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quòd qui ſic pœnituerit, mereatur abſolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla iā pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt?* Et hom. 41. ex 50. relatus in d. 7. de pœnit. vbi poſtquam dixiſſet Auguſt. incertam eſſe horum pœnitentiam, ſubiungit: *Vis ergo à dubio liberari? vis quod incertum eſt euadere? age pœnitentiam, dum ſanus es: ſi ſic agis, dico tibi, quòd ſecurus es: quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Vide etiam Auctorem de vera & falſa pœn. cā. 17. & Scholaſticos in 4. d. 20. vbi Richard. a. 1. q. 1. Palud. q. 11. a. 1.

Tertium. Certum eſt, in mortis articulo pœnitentiæ præceptum obligare, ſi moriturus in peccato mortali conſtitutus ſit. Sed numquid tunc ſufficit attritio, cum ſacramento? Negant Suarez diſp. 14. ſ. 4. nū. 17. Zambr. c. 4. dub. 1. n. 4. aiúntque peccatorem in mortis articulo obligatum eſſe, vt verum contritionis actum, tanquam certiorem diſpoſitionem, atque ſalutis ſuæ remedium, in ſeipſo excitare ſtudeat. Idque oſtendi poſſe videtur partim ex eo, quia non pauci Doctores, inter quos Sotus de natura, & gratia cap. 15. Nauar. in man. cap. 1. num. 37. & 41. aliíque apud Suar. diſp. 5. ſ. 3. & diſputatione 20. ſ. 1. Lopez par. 1. inſtruct. cap. 9. & 17. exiſtimant, attritionem, præſertim cognitam, non eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ, conſequendam. Partim ex eo, quia lex Charitatis quemuis obligat, vt in exitu huius vitæ, & ingreſſu ad alterā vitam, per actum dilectionis ſe Deo omnis vitæ auctori coniungere ſtudeat: cum actu autem dilectionis Dei ſuper omnia in peccatore, qui peccati memoriam habet, ſimul etiam per naturalem ſequelam iunctus eſt actus veræ contritionis de eodem peccato.

Verùm hæ rationes non ſatis rem demonſtrant. Quòd enim attritio, etiam cognita, ſit ſufficiens diſpoſitio in ſacramento, ſatis certum eſt, & ferè communiter aſſertum, poſt Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Obligatio autem illa coniungendi ſe Deo in mortis articulo Charitatis eſt, nō Pœnitentiæ virtutis: quare etiam poſt acceptam ſacramentalem abſolutionem, ſeu remiſſionem peccatorum talis actus elici poteſt.

Quapropter rectiùs dicitur, attritionem re ipſa ſemper eſſe ſufficientem diſpoſitionem iuſtificationis in ſacramento Baptiſmi, ac Pœnitentiæ; attamen talem pœnitentiam in morituro, non conante in ſe excitare perfectum dolorem de peccatis ob amorem Dei, valde incertam & ſuſpectam eſſe: ne fortè vera ſupernaturalis attritio non ſit: atque non tam ipſe homo peccata deſerat, quàm à peccatis deſeratur, iis tamen ſecundùm actualem affectum inhæreat; quia, vt S. Auguſtinus ait ait ſerm. 57. de tempore; *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: quæ autem à moriente petitur timeo, ne & ipſa moriatur.* Et hæc ſententia maximè locum habet, ſi ipſemet moriturus agnoſcat pœnitentiam infirmam ac tepidam eſſe, neque maiorem in ſe excitare conetur. 7

Quartum. Certum eſſe debet, poſteaquam peccata alicui per legitimam pœnitentiam, ac Confeſſionem remiſſa ſunt, non incumbere obligationem iterum de iis dolendi, ſi memoriæ occurrant, dummodo homo in iis non delectetur. Ita docet S. Thom. quæſtione 84. a. 8.

& 9. Caiet. to. 1. tr. 17. opusc. quæ. vn. Medina Cod. de pœnit. tr. 1. q. 6. § alia occurrit dubitatio, Coninck disp. 3. dub. 4. Suarez disp. 15. s. 4. contra quosdam apud Petr. Palud. in 4. d. 17. q. 1. a. 3. S. Anton. p. 3. tit. 14. c. 18. §. 2. valde tamen consultum est, circa peccatum memoriæ vel apprehensioni actuali infixum, exercere actum displicentiæ: imò interdum per accidens necessarium, si periculum morosæ delectationis propinquum esse videatur.

Cap. III.

De Pœnitentia, quatenus est sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia est sacramentum nouæ legis, à Christo institutum Ioan. 20.*
2 *Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum in peccatum mortale necessarium medium est ad salutem.*
3 *Pœnitentiæ sacramentum est altera post Baptismum tabula naufragis præparata.*
4 *Sicuti non baptizatis ad iustificationem sufficit votum Baptismi: ita etiam lapsis sufficit votum sacramenti Pœnitentiæ. Nihilominus obligat præceptum suscipiendi sacramentum, si postea suscipi possit.*
5 *Materia remota, circa quam sacramentum Pœnitentiæ versatur, est omne peccatum actuale hominis baptizati, etiam id, à quo aliquis semel absolutus fuit.*
Repetita, aut generalis Confessio peccatorum rectè & salubriter fieri potest. Vide n. 8. §. Porrò.
6 *Materia propinqua, ex qua sacramentum Pœnitentiæ constituitur, sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio.*
7 *Forma huius sacramenti est:* Ego te absoluo à peccatis tuis.
8 *Omnia Sacramenta cum salutari crucis signo administrantur.*
9 *Absolutio sacramentalis non nisi verbis vocalibus fieri potest, præsente eo, qui absoluitur.*

Assertio I. Pœnitentia est sacramentum nouæ legis à Christo institutum, Ioan. 20. *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita cū Patribus seq. c. allegandis, docet Con. Trid. 14. ca. 1. Ales. 1. Rich. a. 1. q. p. 4. qu. 59. mem. 3. & alii Schol. in 4. d. 20. vbi S. Bonau. a. 2. q. 4. Duran. d. 17. q. 8. nu. 9. Nam verbis illis habemus tum externam cæremoniam, seu sensibile signum absolutionis: *Quorum remiseritis peccata*; tum etiam promissionem gratiæ, seu remissionis peccatorum legitimæ absolutioni infallibiliter annexam, secundùm verba Christi, *Remittuntur* eis; adeóque habemus propriè dictum sacramentum, idque non ab aliis, quàm Sacerdotibus administrandum. Etenim posteaquam Christus Dominus in cœna vltima discipulis suis, eorúmque legitimis in sacerdotali ordine successoribus, potestatem dedisset verum suum corpus conficiendi; deinde post Resurrectionem eisdem potestatem contulit corpus suū mysticum, quæ est fidelium congregatio, iudiciaria potestate, si lapsi sint, sanctificandi. Quare S. Hier. epist. 1. ad Heliodorum de Sacerdotibus ita loquitur: *Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes quodammodo ante diem iudicii iudicant.* Eadémque fuit aliorum Patrū sententia contra Montanū, & Cataphrygas, apud Tertul. in l. de pudicitia, & postea secutū Nouatū Cartaginensē, eiúsq; asseclā Nouatianū pseudo episcopū Romanum, qui mox caput schismatis, & hereticæ factionis docuit, lapsis post Baptismū reconciliationē non in Ecclesia a Presbyteris quærendam: sed solius Dei iudicio relinquendā esse, vti videre est apud S. Cypr. l. 2. ep. 8. & 9. & serm. de lapsis, S. Hier. de viris illustribus in Nouatiano Pacianum ep. 1. & 3. ad Sympronian. S. Ambr. l. 1. de pœn. c. 2. S. Aug. de Agone Christiano, c. 31. Socrat. l. 4. c. 23. A quo errore dudum in Ecclesia damnato, ferme non discrepant nostri temporis hæretici: cùm potestatē remittendi peccata ad nudam prædicationem, siue denuntiationem remissionis, per Fidem apprehensæ, imperitè detorquent. Vide Trid. sess. 14. c. 1. 2. & 6. & can. 9. 10. Bellar. l. 1. de pœnit. c. 9. & 10. Suar. disp. 16. s. 1.

Assertio II. Sacramentum Pœnitentiæ in lege noua necessarium medium est ad salutem, non absolutè, sicuti 2
Baptismus: sed ex hypothesi, si homo baptizatus in mortale peccatum lapsus sit. Ita S. Thom. q. 84. a. 6. & Trid. sess. 14. cap. 2. Quemadmodum & in corporalibus generatio omnibus hominibus necessaria est medicatio non item, sed iis tantùm qui in morbum inciderunt. Atque hæc causa est, cur Patres hæc duo sacramenta, Baptismi ac Pœnitentiæ, frequenter coniungant, parem eis remittendorum peccatorum vim ex Christi institutione tribuentes: Tertull. l. de præscript. aduersus hæreticos, c. 11. S. Pacianus epist. 1. & 3. ad Sympronianum, S. Hier. l. 1. contra Pelagianos, non longè à fine: *Pœnitentia imitatur Baptismatis gratiam, per ineffabilem clementiam Saluatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant.*

S. Ambros. l. 1. de pœnit. c. 7. *Cur baptizatis,* Nouatiani, *si per hominem peccata dimitti non licet: in Baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid interest vtrum per pœnitentiam, an per Lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? vnum in vtroque ministerium est. Sed dices: quia in Lauacro operatur mysteriorum gratia.* Quid in Pœnitentia? *Nonne Dei nomen operatur.*

Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioan. c. 56. *Qua igitur ratione diuinæ naturæ dignitatem, ac potestatem discipulis suis largitus est? quia certè absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in seipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt, aut detinent, spiritus qui habitat in eis, per eos remittit, & detinet. Erit autem id per eos duobus, vt arbitror, modis: primùm Baptismo, deinde Pœnitentia.*

S. August. l. 2. de adulter. coniug. c. 16. ait, quòd peccatum, in quo quis permanere vult, nec Baptismo, nec reconciliatione dimittitur: *si autem peccatum transactum est, & in eo non permanetur, si à Catechumeno factum est, Baptismate abluitur, si à baptizato, Pœnitentia & reconciliatione sanatur.* Et epist. 180. ante medium, Baptismi & Reconciliationis tanquam ad salutem necessariorum sacramentorum, apertè meminit, scribens de tempore pestis grassantis; *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum peruenitur extrema, nec est potestas vlla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis Reconciliationem.* Et paulò post: *Vbi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* Et postea: *Si autem Ministri adsint: pro viribus, quas eis Dominus subministrat, omnibus subuenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur.*

Huc etiam spectat metaphora tabulæ, quā post Baptismi gratiam lapsis, seu naufragium passis ad laboriosè emergendum Dominus misericors largitus est. Tertull. in lib. de pœnit. c. 4. *Eam* pœnitentiam, *tu peccator ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem.* Et c. 7. *Clausa licet ignoscentiæ ianua, & intinctionis sera obstructā,* (remedio iterandi Baptismi) *aliquid adhuc permisit patere: Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam.* Pacianus epist. 1. ad Sympronianum: *Pudeat periclitari, sed nō pudeat liberari: quis naufrago tabulam, ne euadat, eripiat?* S. Hiero. ep. 8 ad Demetriadem, de pœnitentia loquens ait: *Illa quasi secunda post naufragium miseris tabula sit: in virgine integra seruetur nauis.* Ambrosius, vel alius auctor ad Virginem lapsam, c. 8. *Quæ iam ingressa es agonem pœnitentiæ insiste misera fortiter illi, tanquam naufragus, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari.* Verùm aduertendum est hoc loco: Quòd S. Hier. ci. ep. 8. & in c. 3. Isaiæ dixit,

dixit Pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, duobus modis explicari posse: Primò, Quòd sit alterum remedium hominibus à Deo concessum ad consequendam peccatorum remissionem: quod quidem remedium, cùm laboriosum sit, ac difficile, tabulæ comparatur: prius autem remedium Baptismi naui integræ. Quem sensum tum alij Patres, tum apertè Hieron. cit. epist. 8. elegit; quin & S. Th. ita intellexit, 3. p. q. 84. a. 6. *Pœnitentia metaphoricè dicitur secunda tabula post naufragium. Nam primum remedium mare transeuntibus est, vt conseruentur in naui integra: secundum autem remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat. Ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quòd homo integritatem seruet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per Pœnitentiam redeat.*

Secundò, explicant Scholastici aliqui in 4. d. 14. vbi S. Bonau. in litera, Gabr. q. 1. a. 3. dub. 2. Cùm totum hominum genus primi parentis lapsu naufragium passum sit, duo nobis misericors Deus in lege gratiæ sacramentorum remedia, veluti tabulas ad emergendum, ordinauit, vnā Baptismi, alteram Pœnitentiæ. Neque tertiâ opus est, quòd licet homo sæpius in peccatum relabatur, eandem Pœnitentiæ tabulam amplecti possit.

Vtraque explicatio bona, sed prior conuenientior est. Nam ex ea etiam intelligitur, quantò difficilius, & laboriosius sit, post lapsum, Pœnitentiæ remedium. Quamobrem olim sollicitè Christiani curabant, vt Dei gratiā in Baptismo acceptam non perderent, neque fœdus cum Deo initum per peccatum mortale violarent. Qua de re vide, quæ eleganter scribit Nazianz. orat. 40. de sancto Baptismo, paulò post principium.

4 Cæterùm, sicuti nondum regeneratis ad iustificationem, & salutem sufficit votum Baptismi: quod dicitur baptismus flaminis, seu dilectionis Dei super omnia; ita & regeneratis, post lapsum, ad consequendam peccatorum remissionem, & salutem sufficit votum sacramenti Pœnitentiæ, quæ est contritio: ita tamen, vt si postea sacramentum re ipsa suscipi possit, omnino necesse sit: quippe cùm peccati remissio, & iustificatio homini ante Baptismum, secundùm ordinariam Dei legem, non conferatur, nisi cum ordine obligatione, & quasi tacito pacto suscipiendi Baptismi: & similiter homini post Baptismum lapso, extra sacramentum peccatorum remissio, atque iustificatio, secundùm ordinariam Dei legem, non conferatur nisi cum ordine, obligatione, & quasi tacito pacto sacramentalis Confessionis: ad eum fermè modum, quo contractus emptionis non perficitur, neque rei emptæ, ac traditæ dominium acquiritur, sine respectu & obligatione ad solutionem pretij. Ratio est, quia illa duo sacramenta à Christo instituta sunt, tanquā remedia per se remissionis peccatorum. Vide Nauar. dist. 7. de pænit. in Gl. summæ, n. 7. Suar. disp. 17. s. 3. nu. 7. Coninck q. 68. a. 2. du. 1.

Simili ratione plerique docent: Si aliquis peccatorū suorum immemor, iustificatus fuerit per amorem Dei super omnia, quæ est contritio virtualis: ac postea peccatorum memor fiat, & sacramentaliter confiteri non possit: opus huic homini esse, vt actum formalem contritionis exerceat. Cùm enim peccatori contritio saltem in voto sit medium necessarium ad salutem, ideo Deus non videtur remittere peccatum ob actum dilectionis, nisi cum ordine ad pœnitentiam, siue contritionem, quā proinde iustificatus actualiter exercere debeat, habita peccatorum recordatione. Si tamen talis confiteri possit, sufficit ei attritio, cum sacramento. Ita Henriq. lib. 4. c. 6. n. 5. Suar. disp. 15. s. 1. n. 6. Coninck in fine disp. 5. de pœnit.

5 Assertio III. Materia remota, circa quam sacramentum Pœnitentiæ versatur, sunt omnia peccata actualia hominis baptizati. Ita S. Ambrosius lib. 1. de pœnit. cap. 2. S. Thom. quæst. 84. a. 2. Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Dixi *omnia actualia peccata*, siue ea mortalia sint, siue venialia: quia, vt S. Thom. ait, sacramentum Pœnitentiæ propriè institutum est in remedium eorum peccatorum quæ propria voluntate commisimus: quamuis principaliter ad deletionem mortalium. Deinde hoc discrimen est, quod (vt S. Augustinus indicat lib. 50. homiliar. hom. vlt. c. 4.) mortalia peccata sint huius sacramenti materia necessaria; venialia autem peccata, itémque ea mortalia, à quibus absolutio directè accepta semel fuit, sint materia sacramenti non necessaria, sed idonea.

Etenim repetitam de iisdem peccatis Confessionem non solùm licitè, sed etiam salubriter institui posse, demonstrat fidelium praxis: videlicet ad vberiorem sanctificantis gratiæ, virtute sacramenti, infusionem, & ad pleniorem temporalis pœnæ condonationem: denique & reliquiarum peccati absumptionem. Quare Psalmista dixit psal. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitate mea.* Quæ est communis sententia S. Thom in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæ t. 5. ad 4. & d. 18. quæst. 1. a. 3. quæstion. 2. ad 4. Palud. d. 21. quæst. 2. a 4. Maioris d. 17. quæst. 6. vbi defendit Religionis statutum de annua confessione generali, Caiet. 1. opusc. tr. 5. de Confess. q. 4. Victor. de Confess. nu. 166. Med. C. de Confess. quæst. 25. Suarez disp. 18. s. 4. Philiarchi. to. 1. de offic. Sacerdotis, lib. 2. de sacram. pœnit. c. 23. Ægidii dis. 4. dub. 3. contra Scotum in 4. distinct. 19. ad finem, & alios apud Richardum in 4. d. 18. articulo 2. qu. 4.

Pro praxi hîc quædam aduertenda sunt: I. Operam dare debet pœnitens, vt ad Confessionem non sola peccata dubia, vel scrupulos afferat: sed etiam aliquod peccatum certum, saltem veniale, sacramentali absolutioni subiiciat. Quòd si verò Confessarius nullam certam sed solùm dubiam absolutionis materiam ex pœnitente elicere possit, interdum sub conditione tacita absoluere eum poterit, si peccati grauitas, personæ periculum, aliæve circumstantiæ postulare videantur: interdum verò, absolutione supersedere, si nulla necessitas appareat sacramentum sub conditione ministrandi. Qua de re Suar. disp. 18. s. 1. n. 12.

II. Non prohibetur quidem pœnitens in Confessione repetere peccata, à quibus antea legitimè absolutus fuerat; sed id facere non debet frequenter, & sine causa. Sed seruanda est reuerentia sacramento, inquit Rich. citat. quæst. 4. ad 3. *vt respectu eiusdem peccati non iteretur Confessio, nisi adueniente nouo motu deuotionis, vel noua erubescentia de peccato.* Idémque docet Suarez cit. s. 4. n. 9. Deinde si pœnitens ad Confessionem adferat peccata superioribus Confessionibus rite explicata, & remissa: decens est, de ea re Confessarium admonere, vt is præsentem pœnitentis statum cognoscere, & conformem pœnitentiam decernere possit.

III. Si quis generalem Confessionem de peccatis seu totius vitæ, seu vnius anni, &c. instituere velit: sollicitus esse non debet, vt omnia, etiam mortalia recenseantur, nullo prætermisso. Cùm enim peccata, à quibus absolutio legitimè collata, sicuti & venialia, materia Confessionis libera sint: per se loquendo, nihil repugnat reuerentiæ Sacramenti, aliqua eorum confiteri, aliis prætermissis.

Assertio IV. Materia propinqua, ex qua sacramentum intrinsecè constituitur, sunt actus pœnitentis, videlicet contritio, confessio, & satisfactio. Ita Concilium Florent. in decreto Eugenii, §. Quartum sacramentum, Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. Sanctus Thomas quæstione 84. articulo 2. & quæst. 90. articulo 1. & in 4. d. 16. quæst. 1. a. 1. Alensis p. 4. q. 66. mem. 1. a 2. & mem. 2. Richard. d. 16. a. 1. quæ. 1. contra Scotum, qui in 4. d. 14. quæstione 1. docuit: *hæc tria contritionem, confessionem satisfactionem nullo modo esse partes sacramenti Pœnitentiæ: sed requisita praeuia, vel subsequentia*; totam verò essentiam sacramenti in absolutione consistere. Sed probatur 6

assertio: Quia absolutio necessariò à Sacerdote confertur per modum sententiæ iudicialis, sicuti definit Tridēt. sess. 14. cap. 5. & can. 9. Talis autem sententia essentialiter requirit causæ cognitionem, atque Rei accusationem; quæ in secreto hoc Pœnitentiæ foro alia esse non potest, quàm ipsius Rei pœnitentis confessio. Igitur humili & contrita pœnitentis confessione, Sacerdotisque absolutione Sacramentum hoc, tanquam materia sua, & forma essentialiter constituitur: atque effectum principalem, quæ est remissio culpæ, tribuit. Sed quia deleto reatu culpæ, superest reatus siue obligatio pœnæ temporalis, ideo ad peccatum integrè ac perfectè destruendum requiritur etiam satisfactio à Sacerdote iudicialiter imposita, tanquam pars integralis & materialiter perficiens Sacramenti.

Obiicies. Materia cuiusque sacramenti debet esse exteriùs sensibilis: atqui contritio, siue dolor animi de peccatis exteriùs sensibilis non est; Ergo non est materia sacramenti Pœnitentiæ. Respondeo, cum Palud. in 4. d. 17. q. 4. a. 2. Esse sensibilem per externam Confessionem: quippe quæ est signum interni doloris, ac detestationis peccatorum. Nam Confessio, vt sit pars, ac materia Sacramenti, debet esse accusatio suiipsius coram Sacerdote, tanquam spirituali Iudice à Christo constituto, cum ordine ad reconciliationem consequendam. Hæc autem Confessio, seu accusatio intrinsecè supponit, & includit dolorem seu detestationem peccatorum. Igitur quemadmodum homo simpliciter sensibilis dicitur, licet vna eius pars, videlicet anima per se non sentiatur, sed per externas corporis operationes: ita etiam essentialis materia huius Sacramenti simpliciter sensibilis est; licet vna eius pars, videlicet contritio, non per se sentiatur, sed per externam ab ipsa procedentem Confessionem, accusationémque.

7 Assertio V. Forma huius sacramenti est hæc; *Ego te absoluo à peccatis tuis*. Ita Concilium Florent. in decreto Eugenij. Trident. citat. capite 3. Notant tamen Doctores ad essentiam formæ retinendam satis futurum esse, si solùm hæ voces, *absoluo te*, expresse pronuntiarentur: quia reliquæ voculæ tacitè intelligerentur: Quòd imprimis de pronomine *Ego* manifestum est: deinde verò circumstantiæ personæ pœnitentis, & peccata sua confitentis satis indicant, absolutionem Sacerdotis cadere super peccata illius: etsi id non exprimatur sicuti ex præcepti necessitate exprimi debet. Inuocatio quoque SS. Trinitatis, signúmque crucis ex consuetudi-
8 ne Ecclesiæ adiungi debet; namque omnia sacramenta cum salutari hoc signo administrari, testatur S. August. tract. 118. in Ioan. Chrys. hom. 13. in epist. ad Philip. Gloss. in cap. nunquid, distinct. 5. de consecrat. Denique & manus impositio, vel eleuatio, capitisque denudatio inter absoluendum omitti non debent, vbi hæc in consuetudine sunt. Videri potest S. Th. 3. p. q. 84. a. 4. Nau. c. 1. in princ. n. 29. d. 6. de pœnit. Sa ver. absolutio, n. 1. Suar. dis. 18. s. 6.

Porrò formula verborum generatim accipi debet, vt sensus eius sit: Ego te absoluo ab omni vinculo peccatorum tuorum, siue illud sit reatus culpæ mortalis, aut venialis, quæ in Confessione explicatur: siue sint peccata non explic. ta, quia explicari non possunt, aut non debent: quæ tamen pœnitens ritè dispositus actualiter, vel virtualiter animo detestatur: siue sit reatus, & obligatio pœnæ temporalis, quæ tamen non semper tota per hoc Sacramentum remittitur, sed secundùm dispositionem pœnitentis, & opera eius satisfactoria, quæ virtute clauium vim satisfaciendi ex opere operato consequuntur: siue illud vinculum sint peccatorum reliquiæ, id est, malæ inclinationes ex antecedentibus peccatis contractæ, quæ per gratiam sanctificantem sanantur, siue denique sit obligatio confitendi in eo, qui antea per contritionem à mortali peccato liberatus est.

Ex quo manifestum fit, etsi aliquis generalem, vt vocant, Confessionem instituens, solùm ea peccata explicet, à quibus antea ritè absolutus fuerat: vix tamen accidere, vt non interim aliquod peccati vinculum retineat, à quo per nouam absolutionem liberetur, sicuti bene docet Henricus quodlib. 7. q. 21. & quodlib. 10. q. 1. in resp. ad argumenta. Addūt verò aliqui, tametsi ponamus, nullū omnino vinculū existere in pœnitente offerente solùm peccata præteritis confessionibus deleta: non ideo tamen formam absolutionis falsam fieri: quia sensus eius est, Absoluo te à peccatis tuis; id est, confero tibi gratiam sanctificantem, suapte natura vim habentem remittendi peccata, quæ, & quatenus in pœnitente, ritè ad eorum remissionem disposito, inexistunt.

Assertio VI. Forma huius Sacramenti necessariò, & essentialiter in verbis cōsistit: neq; aliis signis, puta nutu, aut scriptura exprimi potest. Est communis doctrina, contra Paludanum in 4. distinctione 17. quæ. 2. articulo 1. Medinam C. de Confess. quæst. 15. Petrum Sotum lect. 11. de Confessione, existimantes, absolutionem etiam in scripto, seu per literas conferri posse. Sed assertio nostra sumitur ex Tridentino sess. 14. cap. 3. & Florent. in decreto Eugenii, vbi generatim affirmat: Sacramenta constare verbis tanquam forma; excepto solo Matrimonio, quod regulariter quidem verbis ore prolatis; sed interdum etiam aliis signis interni contrahendi consensus perficitur. Ratio verò sumi debet ex Christi voluntate, & institutione, quam Ecclesiæ praxis, & Conciliorum auctoritas nobis ostendit.

Assertio VII. Multò minùs valida esse potest absolutio collata absenti per nuntium, vel epistolam. Ita 9 docet Alensis parte. 4. quæst. 77. mem. 5. art. 9. contra Paludanum, & Petr. Sotum ll. cc. Ioa. Medinam, qui ita scripsit citat. quæstione 15. §. Quartum dictum: *Si peccator non potest Confessorem adire, nec eum ad se accersere, probabile est, posse per internuntium, & literas absenti confiteri: & ab eodem per literas sacramentaliter absolui.* Cuius sententiæ fundamentum est: Quia absolutio habet se per modum sententiæ iudicialis: in aliis autem iudiciis interdum rectè fertur sententia in Reum absentem, si videlicet præsens sisti non possit: Ergo etiam in hoc iudicio Pœnitentiæ.

Sed hæc sententia modò reprobata est constitutione Papæ Clementis VIII. in qua *hanc propositionem: Licere per literas, siue internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque* sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, sibique reseruata, *ne deinceps ista propositio publicis, priuatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, néue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur.* Ratio est: Quia forma verborum, *Ego te absoluo*, &c. secundùm sensum, & praxim Ecclesiæ, haud dubiè profectam ex Christi institutione, ad Reum in interiore Pœnitentiæ foro præsentem, ac sistentem se necessariò refertur.

Ex quo patet responsio ad fundamentum contrarium: Etsi enim in externo foro iudiciali interdum sententia in absentem validè feratur, nunquam tamen in hoc interiore iudicio. Ratio est: Quia Iudex subordinatus validè sententiam non profert, nisi seruet formam substantialem sibi à superiore Iudice præscriptam: quare si ponamus, etiam in externo foro talem Iudici iudicandi formam assignatam esse, vt non aliter, quàm voce in Reum præsentem, & audientem sententiam proferat: tunc alio modo lata sententia irrita erit. Atque Sacerdotes sunt iudices subordinati Christo, qui sicut illis potestatem iudicandi, & pœnitentes à peccatis absoluendi dedit: ita etiam absolutionis formam

mam ac modum præscripsit: qui, sicuti ex traditione, & praxi Ecclesiæ colligitur, talis est, vt absolutio voce in præsentem proferatur.

Veruntamen hæc minimè obstant, quominus Sacerdos pœnitentem, quem reperit morti proximum, si ante aduentum illius signa contritionis edidisse, aut Confessarium petijsse, aut peccata sua in schedula annotasse illum constet, propter extremam necessitatem sacramentaliter absoluere possit: licet in præsentia Sacerdotis nullum Confessionis faciendo signum edat, vt dicam infrà cap. 7. & videri potest Suarez tom. 4. disp. 21. s. 4. num. 9.

CAP. IV.

De Contritione.

SVMMARIVM.

1 *Ad veram contritionem non requiritur certus gradus intensionis: neque absolutè necessarium est de vno peccato mortali magis conteri, quàm de alio.*

2 *Ad veram contritionem, per quam peccator iustificatur, mora temporis non requiritur.*

3 *Vnus simplex contritionis dolor de omnibus mortalibus peccatis, generali ratione apprehensis, ad iustificationem, extra, vel intra Sacramentum, per se loquendo, sufficit.*

4 *Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, vt dolor internus aliquo modo antecedat Confessionem peccati.*

5 *Ad sacramentum Pœnitentiæ non sufficit dolere te, quòd non satis doleas.*

6 *Sufficit ad iustificationem implicitum propositum de cætero non peccandi: quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur.*

7 *Propositum imposterum abstinendi à peccato in pœnitente efficax esse debet.*

8 *Accidit interdum, vt quis verum propositum habeat abstinendi à peccato: & tamen existimat se non omnino vitaturum esse.*

9 *Occasiones, & pericula propinqua peccatorum pœnitens ordinariè amouere obligatus est: non item pericula remota.*

10 *Qui sæpius eandem peccati speciem ad Confessionem affert, iterum absoluendus est, si nouum emendationis propositum ostendat: quod aliquibus signis Confessarius cognoscere poterit.*

11 *Concubinarius ordinariè absolui non debet, nisi spondeat, concubinam quamprimum à se amandaturum.*

12 *Nullum, etiam veniale, peccatum, in hac vita à Deo hominis remittitur absque pœnitentia: saltem virtuali.*

13 *Vera contritione omnia peccata mortalia delentur, sed non semper omnia venialia.*

14 *Sola attritio in homine iusto non videtur esse sufficiens ad remissionem peccatorum venialium extra sacramentum.*

15 *Peccatum veniale nunquam remittitur, nisi simul infundatur gratia sanctificans.*

16 *Peccatum veniale ei, qui simul habet originale, aut mortale, nunquam sine eo remittitur.*

17 *Sacramentalia signa, puta aqua benedicta, agni cerei, &c. non habent vim per se, & immediatè remittendi peccata.*

18 *Etiam ad remissionem venialium peccatorum extra, & intra sacramentum, requiritur propositum, saltem virtuale, ea imposterum vitandi.*

19 *Multiplex discrimen est inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis, & propositum requisitum ad remissionem venialis.*

20 *Vnum veniale remitti potest, altero veniali remanente actualiter, aut habitualiter: at verò vt mortale peccatum remittatur, altero manente secundùm actum, aut habitum, id fieri non potest.*

21 *Per pœnitentiam peccata non sopiuntur, sed penitus extinguuntur. At verò bonorum operum merita, quæ in statu peccati veluti sopita erant per pœnitentiam reuiuiscunt.*

Contritio, inquit Trident. Concilium sess. 14. cap. 4. *quæ primum locum inter pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Eam deinde eod. c. diuidit in *perfectam*, quæ per se ipsam ad iustificandum peccatorum sufficit, quamuis cum voto, & ordine ad sacramentum; & *imperfectam* quæ etiam *attritio* dicitur, & sufficiens dispositio est in sacramento ad remissionem peccatorũ, etiam mortalium: extra sacramentum nec ad remissionem venialium, sicuti partim c. 2. dictum fuit: hîc verò magis declarandum, vt natura & vis tum contritionis, tum attritionis extra, & intra sacramentum, pleniùs cognoscatur.

Assertio I. Ad veram contritionem, ac iustificationis dispositionem non requiritur certus intensionis gradus: 1
neque absolutè necessarius est, de vno peccato mortali magis conteri, quàm de alio. Ita DD. communiter, Alensis p. 4. q. 68. mem. 1. a. 3. & 5. S. Th. in 4. d. 57. q. 2. a. 3. q. 1. ibid. Richar. a. 1. q. 6. Io. Medina q. 5. C. de pœnit. dub. vlt. Tol. lib. 3. c. 5. dub. 14. Henriq. lib. 4. c. 27. n. 2. Suarez disp. 4. s. 4. num. 9. Ægid. Coninck disp. 2. dub. 7. concl. 2. contra Hadrianum in 4. q. 2. de pœnit. Nam vbi est substantia contritionis, per quam appretiatiuè detestamur peccatum supra omne malum repugnans summo bono dilecto, per Fidem cognito, ibi est vera contritio, & sufficiens dispositio ad remissionem cuiusque peccati mortalis. Sed in quocunque intensionis gradu consistere potest substantia contritionis, qualem descripsimus. Ergo, &c.

Interim valde vtile est, quòd etiam Scriptura sacra, & Patres monent, vt homo de commissis peccatis vehementer, & sæpius doleat: eóque magis, quò grauiora peccata sunt: vt & copiosior gratia sanctificans ipsi infundatur, & pro pœna peccatis debita pleniùs satisfiat. Siquidem contritio, quatenus gratia sanctificante informatur, habet vim sanctificandi pro pœna restante: ideóque semper per contritionem remittitur aliqua pars pœnæ temporalis: & tantò maior, quò illa, perfectior fuit: quare ita perfici poterit, vt omnem omnino pœnæ temporalis obligationem adferat, sicuti notatur in c. mensuram, dist. 1. de pœnit. & à S. Thom. in 3. d. 19. quæst. 2. a. 2. & in Supplem. q. 5. a. 2. Nau. c. si peccatum, ead. d. 1.

Assertio II. Ad veram contritionem, per quam peccator iustificatur, mora temporis non requiritur. Ita S. 2
Bonau. in 4. d. 16. p. 1. a. 1. q. 1. & alii communiter. Quia, vt dicitur in c. mensuram, d. 1. de pœnit. *Apud Deum non tam valet mensura temporis, quàm doloris.* Et S. Leo epist. 91. ad Theodorum; *Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire (apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio.* Et sumitur ex c. 18. Ezech. *Impietas impii non nocebit ei, in quocunque die:* (id est, quandocunque, & cumprimum, sicuti rectè explicat Victor. n. 115. *conuersus fuerit ab impietate sua.* Ratio est: Quia secundùm Dei voluntatem ac misericordiam, contritio (quæ facta apprehensione obiecti, vnico momento elici potest) vltima dispositio est ad gratiam sanctificantem, teste S. Th. 8. q. 89. a. 1. ad 2. Posita autem vltima dispositione, statim eodem momento acquiritur forma: Ergo, &c.

Assertio III. Necesse non est ad iustificationem consequendam de singulis peccatis mortalibus sigillatim dolere, sed sufficit vnus simplex contritionis dolor de omnibus peccatis, generatim & confusè apprehensis, vel etiã de vno mortali peccato specificè, aut numericè; tamẽ ex 3
motiuo generali conceptus, quatenus videlicet offensa Dei est super omnia dilecti. Ita S. Bon. d. 16. p. 1. a. 4. q. 2. Cai. ver. contritio, & in 3. p. q. 81. a. 1. Nau. c. 1. man. n. 22. Binsfeld. in Enchiridio, de contritione, Pet. Sot. lect. 13. de pœn. Vict. de Conf. ci. n. 115. Henric. l. c. 27. n. 2. Sua. d. 4. s. 6. Coninck q. 2. d. 8. contra Adr. q. 3. de Baptismo, in fine, Angelum ver. cõtritio, §. 4. Probatur ex suprà dictis. Nã si adest vera contritio, statim eodem momento sequitur gratia iustificans; vera autem contritio adest, si homo vnicum, vel plura, aut omnia peccata mortalia animo apprehẽsa, detestetur tanquam summum malum, repugnãs Deo summè dilecto: Ergo tunc statim iustificatur.

Addo, probabilius esse, quòd Caiet. & alii suprà citati defendunt, hominem ex præcepto contritionis seu virtutis Pœnitentiæ non obligari ad peccata sua in memoriam reuocanda: quandoquidem sine tali recogitatione, per contritionem temporis momento ad Deum perfectè conuerti, ac iustificari potest: Licet contrarium sentire videatur S. Th. 1.2. q. 113. a. 5. ad 3. & 3. p. q. 87. a. 1. in corp. vbi ait: ad remissionem peccatorum requiri, *vt homo diligentiam adhibeat ad rememoranda singula peccata mortalia, vt singula detestetur.* Idemq; docet Sotus in 4. d. 17. q. 2. a. 2. Philiarchus de offic. Sacerdotis; p. 2. l. 2. de pœnit. c. 20.

Dixi autem hominem non obligari *ex præcepto contritionis.* Nemo enim dubitat, propter obligationem Confessionis faciendæ, omnia peccata mortalia in memoriā reuocanda esse, vt omnia secundùm speciem & numerū explicari possint. Verùm seclusa obligatione confitendi, vt puta in lege veteri, vel etiam in noua lege, si Confessio v.g. ob inopiam Confessarii, impossibilis sit, non videtur extare præceptum sigillatim recogitandi peccata: modò homo probabilissimè sibi persuadeat, se sine tali peccatorum specifica, aut numerica recogitatione, verū actum contritionis elicere posse. Vtilissimum tamen est & semper fuit, vt homo, qui à peccatis iustificari vult, omnia, & singula mortalia recogitet, ac sigillatim etiā detestetur: I. Vt tantò certior sit de vera sua contritione. II. Vt pro pœna temporali eò pleniùs satisfaciat, quò magis peccata commissa dolendo, in se punit. III. Vt animum ad vitæ emendationem tantò magis confirmet; quia firmius esse solet propositum particulare, & expressum, quàm generale aut implicitum.

4 Assertio IV. Ad iustificationem quoque per sacramētum Pœnitentiæ, opus non est de singulis peccatis mortalibus in memoriam reuocatis, & confitendis sigillatim dolere, sed sufficit vnus simplex dolor contritionis, vel attritio, ex generali motiuo conceptus, quod virtualiter & implicitè ad omnia peccata se extendat. Patet hęc assertio ex dictis, & traditur à Nau. c. 1. nu. 22. Suar. dis. 20. s. 4. n. 28.

Assertio V. Ad valorem sacramenti Pœnitentiæ requiritur, vt dolor internus aliquo modo antecedat confessionem externam. Probatur ex eo: Quia externa peccatorum Confessio, vt sit pars Sacramenti, debet procedere ab interna pœnitentia, eámque significare: quandoquidem materia sacramenti Pœnitentiæ est Confessio dolorosa, siue, vt à iis verbis dicam, sacramentalis Cōfessio non est mera peccatorum explicatio: sed accusatio suiipsius, tendens ad absolutionem, siue reconciliationem cum Deo, vt suprà dictum fuit, & bene explicat Coninck. disp. 4. dub. 6. Quamobrem pro maiore securitate consuetum, ac consultum est, præmittere confessionem generalem, vt si antè dolor ex generali motiuo conceptus non erat, saltem tunc concipiatur.

Huic doctrinæ verbo tenus, sed non re ipsâ repugnat Suar. num. 31. vbi ait: non referre ad veritatem Sacramenti, siue dolor peccatorum Confessionem antecesserit, siue non. At statim se explicat. *Licet peccatorum narratio, quatenus tempore antecessit contritionem, non habuerit consuetam rationem accusationis: tamen quatenus postea informatur per consequentē contritionē, & vt sic informata subiicitur clauibus ab ipsomet pœnitente postulante, vel expectante absolutionē, sufficienter consummatur in ratione accusationis sacramentalis.* Ad hoc vero omnino necessarium est, vt dolor animi post peccatorum narrationem habitus, externo aliquo signo declaretur: Item humiliando se coram Sacerdote, & absolutionem petendo, seu expectando: tale enim signum, relatum ad peccata paulò ante explicata, à quibus pœnitens absolutionem petit, veram rationem sacramentalis accusationis habet. Vt autem certior sit absolutio à peccatis, solent prudentes Confessarij, si de confitentis interna dispositione dubitent, excitare eum ad dolorem de peccatis paulò antè narratis tum concipiendum, tum ore profitendum: postea verò desideratam ipsi absolutionem conferunt.

Cæterùm, quod dicunt Syl. ver. confessio, 1. q. 21. Nā. c. 1. n. 18. & c. 10. n. 4. Sa ver. contritio, n. 5. *Sufficientem dolorem esse cum Sacramento, si quis dolet, quòd non satis doleat,* falsum est, si eo sensu accipiatur, quem verba præ se ferunt. Cùm enim dolor de peccatis non qualiscunque, sed ex motiuo supernaturali conceptus, atque ad omnia mortalia, saltem implicitè, se extendens, sit essentialis pars Sacramenti, manifestò liquet, si talis non adsit, quantumuis non adesse doleas, irritum esse Sacramentum. Nihilominus doctrina illa bono sensu intellecta, vera est: Si quis doleat, quòd magnitudini peccatorum non satis proportionatum dolorem habeat, signum est, cum satis dolere, & absolutionem mereri. Deinde si quis arbitretur, se non satis dolere, cùm tamen ex animo cupiat; eximendus plerumque est et scrupulus, atque consolandus homo: dummodo nullum actualem affectum erga mortale peccatum gerat. 5

Assertio VI. Ad iustificationem extra, & intra Sacramentum per se, ac necessario non requiritur expressum propositum seruandi mandata Dei, siue à peccatis abstinendi: sed sufficit implicitum, quod in ipsa detestatione peccatorum virtualiter continetur. De qua assertione videri potest Suar. disp. 4. s. 3. & disp. 20. s. 4. nu. 32. Ægid. Coninck disp. 2. dub. 6. conclus. 5. Probatur autem ex eo; Quia vno simplici actu detestationis peccatorum, ex motiuo supernaturali, homo sufficienter disponitur ad iustificationem: cum interim fieri possit, vt de vita imposterum instituenda, aut peccatis euitandis nihil cogitet, præsertim si morti propinquus sit. Cæterùm, cùm odium ac detestatio mali suapte natura excitare soleat in homine voluntatem, siue propositum illius declinandi: ideo dixi, in vera detestatione peccatorum virtualiter cōtineri propositum emendationis: adeò quidem, vt si homini verè de commissis peccatis dolenti, huius rei cogitatio occurrat (quæ moraliter loquendo non potest non occurrere, si diutius se victurum arbitretur) statim etiam moueatur ad propositum omnia mortalia peccata imposterum cauendi. Quare rectè agunt Confessarii, quòd tale propositum à confitentibus exigant, eósque alia ratione absoluere nolint. Quia nisi pœnitens absolutum propositum concipiat, ab omnibus peccatis mortalibus abstinendi, signum est, eius dolorem generalem nō esse, neque ad omnia peccata se extendentem: ideóque non sufficientem dispositionem ad gratiam Sacramenti accipiendam. qua ratione conciliari possunt Doctores, quorum alij in ad iustificationem peccatoris formale propositum vitandi peccata requirunt: alij verò implicitum in ipsa peccatorum detestatione inclusum sufficere, aiunt. 6

Porrò circa propositum imposterum vitandi peccata mortalia, aliqua ad praxin aduertenda sunt: Primū. Illud non tantùm absolutum esse debet, sed etiam efficax: ita, vt dum talis animi dispositio, seu voluntatis propositum durat, re ipsa moueatur homo ad occasiones peccatorum amouēdas: & omnē aliā operam adhibendam, quæ ad vitanda peccata necessaria videatur. Ratio est: Quia propositum finis, si absolutum, & firmum sit, statim mouet volantatem ad quærendū, & amplectēda media necessaria. 7

Alterum. Sæpe fieri potest, vt licet aliquis absolutum & sufficiens propositū habeat nihilominus timeat, vel etiā existimet se non vitaturū omnia mortalia peccata, vel certū aliquod peccati genus non effugiturū; quia antea etiam voluntatis suæ inconstantiā expertus fuerat, vti bene docet Syl. ver. Confessio, 1. q. 21. Lopez p. 1. instr. c. 13. q. 2. Nau. c. 3. n. 13. & c. 9. n. 18. Sa ver. absolutio, n. 12. Hen. l. 4. c. 24. n. 4. Coninck d. 2. dub. 6. n. 59. Beia p. 3. casu 9. Ratio est: Quia, vt Syl. notauit, velle ac proponere volūtatis actus est: existimare autē se facturū, quod volūtas proposuit, 8

fuit, actus intellectus, qui ex proposito illo necessariò nō cōsequitur, ob humanæ voluntatis cognitā mutabilitatem. Quamobrem non rectè agit Confessarius, si pœnitentem suum adigat ad specialem promissionem, vel iuramentum de hoc, vel illo peccato imposterum non patrando: præterquam in raro casu, si peccatum Reipub. valde perniciosum sit, v. g. proditionis: posset tunc imperari pœnitenti, vt ante absolutionem iuratus promittat, se tale peccatum non patraturum: si id medium opportunum iudicet Confessarius ad absterrendum hominem à crimine admodum pernicioso. Qua etiam ratione ante absolutionem ab excommunicatione, exigi solet iuramentum de parendo imposterum Ecclesiæ.

Tertium. Distinguere oportet inter peccādi occasiones, seu pericula remota, quæ tamen homo facilè euitare potest, aut non infrequenter solet: & inter occasiones, seu pericula propinqua, quæ, spectatis omnib. circumstantijs difficulter & vix aliquis euitaturus putatur. Illa non debet pœnitens ex præcepti necessitate amouere: hæc verò maximè, secundùm verbum Christi Matth. 18. *Si manus, vel pes tuus scandalizat te, abscinde illum, & proijce abs te.* Et Eccles. c. 3. *Qui amat periculum peribit in illo.*

Excipe: Nisi propinquum periculum, seu occasio mortaliter peccandi, sine graui incommodo corporis, famæ, vel, fortunarum, tolli non possit, tunc consilium quidem est minorem illam iacturam maiori bono securitatis animæ posthabere: sed non præceptum. Quare absoluendi sunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum propinquè imminet, discedere nolunt, quia sine maxima difficultate non possunt: interim parati adhibere, peccatorum remedia, præsertim ea, quæ à Confessario ipsis præscribuntur, vti docent Sa, & Henriquez ll. cc. Nauar. c. 3. n. 16. Caiet. in sum. ver. periculum, Philiarchus p. 2. lib. 2. cap. 32. Sanchez t. 1. moral. lib. 1. cap. 8. Ratio est: Quia occasio peccandi in se peccatum non est, neque necessitatem infert, aut animi libertatem aufert: quare cum ea consistere potest peccatorum detestatio, & absolutum propositum adhibendi operam & conatum, vt imposterū peccata vitentur, quamuis interim adiunctus sit timor, aut existimatio, voluntatem aliquando immutatum iri, vt suprà dixi. Deinde sic ratiocinor: Vel præceptum declinandi occasiones peccati affirmatiuum est: & tunc manifestò liquet, non obligare in tali necessitate. Vel si contendas, negatiuum esse præceptum non adeundi periculum, aut in eo non persistendi: tum respondeo, intelligendum esse præceptum, ne quis vltro ac voluntariè in peccandi periculum se conijciat, aut in eo persistat: hîc autem moralem quodammodo necessitatem interuenire. Et ita docent Beia, & Sanchez. ll. cc. argument. cap. consultationi, de frigid. & malefic. & auctoritate Sancti. Basil. de constit. Monast. cap. 4.

Quartum. Hinc consequens est, etsi aliquis sæpius eandem peccati speciem ad Confessionem attulerit, denuo absoluendum esse, si iterum emendationis propositum concipiat: quia, vt S. Hieron. ait Ep. 46. ad Rusticum, & refertur in c. septies, d. 3. de pœnit. *Non solùm septies, sed septuagies septies delinquenti, si conuertatur ad pœnitentiam, peccata condonantur:* Et docet Petrus Nau. lib. 4. c. 4. num. 77. Sanchez lib. 2. moral. cap. 32. num. 45. Suarez t. 2 de relig. lib. 3. de iuram. cap. 8. prope finem, videri etiam potest Auctor de vera, & falsa pœnit. cap. 5.

Verumtamen Confessarius in tali homine, qui idem peccati genus, ad quod pronus solet esse relapsus, v. g. fornicationem, volūtariam pollutionem, Blasphemiam sæpius ad Confessionem adfert, attendere debet: vtrum ille conatum aliquem emendationis adhibuerit, quod his signis cognosci poterit. I. Si post proximam Confessionem rariùs, quàm antè solebat, lapsus fuit. II Si remedijs vsus est, quæ ipsi contra peccati recidiuam à Confessario imperata erant. III. Si occasiones extrinsecas peccandi, quas remouere debuerat, & pollicitus erat, re ipsa amouit. Quòd si talia præstitit, haud dubiè absoluendus est. Sed etsi nihil horum præstiterit, nihilominus illi absolutio conferri potest, si rem secundùm se, absolutè consideremus. Quia licet antea propositum inefficax habuerit: nunc tamen verum, & efficax concipere potest: idque affirmanti credi plerumque debet: cùm ipse sit sui accusator, defensor, & testis, ait Suarez, & clariùs docet Sanchez loco cit. Veruntamen interdum vehemens est suspicio, & iusta præsumptio, propositum emendandi simulatum, aut non sufficiens esse: si videlicet pœnitens post duas, aut tres Confessiones, eandem peccati speciem eodem, vel maiore numero adferat, & nullus emendationis conatus antecessisse videatur: hoc casu differenda erit absolutio, nominato aliquo temporis spatio, intra quod pœnitens conatum adhibeat ad criminis emēdationem, postea absolutionem accepturus. Id verò limitari debet, nisi pœnitens in præsente Confessione specialia, qualia antea nunquam, doloris signa ostendat, quibus præsumptio illa de mala confitentis dispositione meritò elidatur.

His quædam addenda sunt: Primò, Considerandum in hac materia, quo præcipuè motiuo pœnitens ad frequētes confessiones accedat. An quia à Domino, Præfecto, Pædagogo adigitur, alias non accessurus: in tali homine magnum periculum est, ne malè dispositus sit. An solùm quia consuetudinem habet octauo quoque die confitendi? in tali etiam magnum periculum est, si eandem mortalis peccati speciem sine emendatione sæpius afferat. An denique quia dolore, & indignatione propter relapsus suos concepta, iterum pœnitentiæ ac confusionis suæ remedium quærit? Et talis censeri debet benè dispositus esse.

Secundò: In tali casu difficilius impertienda erit absolutio, si crimina publica sint v. g. frequentes blasphemiæ, ebrietates: offenduntur enim fideles, si videant hominem post Confessionem sæpius repetitam, perinde vt priùs, in peccatis suis persistentem cuiusmodi scandalum interdum cum Sacramenti irreuerentia iunctum, tolli debet, non obstante priuato incommodo, quod pœnitēti timetur, ne fortè à Confessione absterritus, in grauiora peccata incidat. Maximè verò cauendum, ne notorij peccatores, puta manifesti concubinarij, vsurarij, &c. ad S. Eucharistiam accedere permittantur, priusquam scādalum amoueant, iuxta cap. quia de vsuris.

Tertiò, in aliquibus peccatis facilior præsumptio fieri potest, pœnitentem in superioribus Confessionibus nō habuisse verum emendationis propositū: veluti si à Confessario iussus restitutionem facere, aut concubinam domo eijcere, non executus est: cùm tamen exequi potuisset: quo casu, etsi iam denuo promittat, non est absoluendus, antequam re ipsa præstet, & dicendum confitenti, *tu priùs præsta tuum officium, postea & ego præstabo meum*, sicuti tradunt Syl. ver. concubinarius, q. 1. Lopez p. 1. instruct. c. 20. Caiet. in sum. ver. restitutio, c. 6. Gutierez lib. 1. can. qq. c. 40. num. 9. Coninck disp. 8. dub. 17. concl. 4. Quamquam neque in his casibus vniuersalis regula statui debet: dùm fieri possit, vt licet aliqui semel, aut iterum admonitus, restitutionem non fecerit, aut concubinam non dimiserit, nunc tamen euidentiora mutatæ voluntatis indicia præ se ferat, vt eius promissio acceptari, & absolutio dari possit, vti notauit P. Nau. li. 4. c. 4. n. 20.

Deinde, licet consentiant DD. apud Nau. c. 16. n. 20. ordinariè absolutionem dandā non esse concubinario, etiā occulto, nisi promittat se concubinā quāprimū à se amādaturum, propter maximū, quod ex cohabitatione oritur, peccandi periculū: nihilominus in certo casu circumstantiæ concurrere possunt, ob quas prudens Confes-

sarius aliud decernet, vt notauit idem Nau. c.13.n.15.& 19. Finellius casu reseruato 11. n.10. Exempli causa. Si aliquis in graui infirmitate, vel mortis periculo constitutus alium hominem facilè habere non possit, qui necessaria ministret, præter concubinam, ad quam tunc pœnitens carnis affectum non gerat, ideóque putet se eius occasione non lapsurum: cumprimum autem conualuerit, statim à se amandandam promittat: tali aliquo casu permitti poterit, si scandalum absit: videlicet in concubinatu occulto.

Assertio VII. Nullū etiā veniale peccatum in hac vita à Deo homini remittitur, sine pœnitentia saltē virtuali.
12 Ita S. Th. 3. p. 87. a. 1. ibid. Suar. Vasq. Coninck disp.2. dub.14. Halensis p.4. quæst. 65. mem.3.a.4. §. 2. contra S. Bonau. in 4. d.21. p.1.a.1 quæst.1. Medinam Cod. de pœnit. quæst.3. §. oppositum: quamuis hi auctores, negantes ad venialium remissionem requiri pœnitentiam, explicari possunt de formali. Probatur assertio: quia peccatum veniale est aliqualis deordinatio, & macula mentis conuersæ ad bonum creatum, aliquo modo contra auctoritatem, & legem Dei: cuius proinde amicitiam, siue Charitatis coniunctionem licet non tollat, tamen aliquatenus impedit, ad feruorem, siue actiuitatem eius circa aliquod obiectum retardat. Talis autem deordinatio, & auersio mentis, tametsi actualiter cesset, v. g. in homine dormiente, vel ad alia animum applicante: manet tamen habitualiter, & secundùm voluntatem interpretatiuam: donec per contrarium actum alicuius pœnitentiæ retractetur.

13 Oportet autem hunc actum retractationis, seu pœnitentiæ, per quem peccatum veniale deletur, supernaturalem esse, cùm remissio cuiuscunque peccati sit donum Dei supernaturale, quod viribus solius naturæ comparari non potest, sicuti colligitur ex Concilio Arausicano: can. 7. & docet S. Th. q.87. a. 4. Petr. Sotus lect. 18. de pœnit. Suar. disp. 11. sect. 1. n.7. Deinde certum est, quòd actus iste deletiuus sit cōtritio, seu dolor de peccato, quatenus est offensa Dei dilecti: hic enim vim habet delendi peccata omnia venialia, saltem ea, ad quæ formaliter, aut virtualiter se extendit. Siquidem hoc discrimen est inter peccata mortalia, & venialia: quòd vera contritio ad mortalium omnium detestationem necessariò se extēdat: quia singula eorum priuant gratia, & amicitia Dei, quam homo contritus rebus omnibus anteponit. At verò fieri potest, vt cum vera contritione, & hominis iustificatione, aut gratiæ incremento venialia aliqua peccata consistant: siue secundùm habitualem tantùm & nondū retractatā voluntatem. Cæterùm, si homo perfecta contritione, aut amoris actu se Deo absolutè, ac penitus subijciat, volens ipsi in omnibus actionibus placere, & obtemperare: consequēter detestans omnia peccata non solùm grauia, sed etiam leuia, quatenus omnia Deo displicent: talis actus perfectæ cōtritionis, vel Charitatis ad omnia venialia peccata se extēdit, atque omnia delet secundùm culpæ reatum, vt docent Suar. dis. 11. s. 3. n. 7. Coninck n.123.

Vlteriùs verò tanquam probabile defendit Suar. cit. s. 3. n.11. eúmque secutus Coninck cit. disp. 2. dub. 14. concl. 5. etiam attritionem, seu dolorem de peccatis venialibus conceptum propter pœnas inferni, aut purgatorij, eundē deletiuum esse in homine iusto. Sed alij Doctores hoc non asserunt, neq; mihi placet: Primò, quia, vt
14 bene contra hanc sententiam argumentatur Vas.3. p. t.4. disp. 87. a.1. dub. [illegible] n 6. ex ea consequens est, quòd homini iusto peccata venialia virtute clauiū nunquā remittantur: cùm enim saltem attritio aliqua supernaturalis necessaria sit ad cuiusq., etiā venialis peccatis, sacramentalem Confessionē, sequitur, hominē iustū peccata venialia confitentem, eorū remissionem consequi per ipsam attritionem, ac confessionem: & non per subsequentem Sacerdotis absolutionem. Secundò, Quia peccatum quodlibet, etiam veniale, est aliquo modo contra Deum quippe auersio aliqua, & recessus à Deo: Ergo, extra sacramentorum veluti priuilegium, remitti non debet, nisi per pœnitentiam, seu detestationem peccati conceptam propter Deum, seu per quam conuertitur homo ad Deū, quæ est contritio. Tertiò, Quia peccatum veniale nun- 15
quam etiam extra sacramentum remittitur, nisi simul infundatur gratia sanctificans, tanquam per se remissiua peccati, vti probabilissimè docent S. Bonauent. in 4. d. 21. p.1. art.1. quæst.1. Halensis p.4. quæst.65. mem.3.a.4. §.1. Atqui sanctificans homini extra sacramenta non infunditur sine actu Charitatis formali, aut virtuali. Ergo cùm attritio ex Charitate non procedat, sed solùm contritio, sequitur per attritionem in homine iusto non remitti venialia peccata. Maior huius discursus inde cōstat, quia esto Deus per absolutam suam potentiam remittere possit peccatū, sola condonatione extrinseca, quod Scholastici disputant, certum tamen est, conuenientius esse, vt id faciat per infusionem alicuius doni intrinsecè inhærentis, quæ est gratia sanctificans. Minor verò probata fuit lib.2. tract.3. cap.1. n.2. Quòd iustus extra sacramentum sine actu Charitatis formali, aut virtuali, gratiæ sanctificantis augmentum consequi non possit.

Corollarium I. Rectè docuit S. August. in Enchirid. c. 71. & lib.50. homiliar. hom. vlt. c.3. quòd peccatorum venialium remissionem à Deo consequimur per orationem Dominicam, vel alias preces ad Deum fusas, continentes in se petitionem veniæ peccatorū: imò per quoduis opus bonum, v. g. eleemosynam, ieiunium, si ea intentione fiat, vt per id peccatorum remissionem mereamur, vti indicat cit. c. 3. Hæc autem ita intelligi debent, vt tamen fiant propter amorē Dei, seu ex Charitate Dei, sine qua opera quæcunque nihil homini prosunt ad salutem. Interim verò fateri oportet, ad remissionem peccatorum quorumcunque, consequenter etiam venialium, sufficere pœnitentiam virtualem: vt si actum quemcunque virtutis exerceas, qui aliquo modo oppositus sit peccato veniali: modò ad eum exercendum mouearis ex dilectione Dei.

Corollarium II. Peccatum veniale ei, qui simul habet 16
originale, aut mortale, nunquam sine illo remittitur. Ita S. Th. q.87. a.4. Alens. p.4. quæst. 65. mem. 3.a.3. §.4. Richar. in 4. d.16. a.5. quæst. 2. Palud. dist. 17. q.1. art. 1. Adrianus de Confess. vbi de remiss. peccatorum. q.3. §. His præmissis, Gl. c.1. §. Sacerdos ver. semper remittantur, d.6. de pœnit. contra Duran. in 4. d. 16. q.2. Gabr. q.5. a.3. dub.2. Nau. cit. §. Sacerdos, num. 27. Ratio est: Quia, vt suprà dictum, peccatū veniale est quædam auersio à Deo, & offensa auctoritatis eius: Ergo non potest deleri, nisi per actum hominis ad Deum conuersi, ipsíque grati. Confirmatur: Peccatum veniale non remittitur sine infusione gratiæ sanctificantis: gratia autem sanctificans cum peccato originali, aut mortali consistere non potest: Ergo, &c.

Corollarium III. Sacramentalia, puta aqua benedicta agni cerei, &c. non habent vim per se, & immediatè remittendi peccata venialia: sed tantùm remotè, quatenus propter Ecclesiæ preces, & suffragia impetrant nobis à Deo auxilia gratiæ præuenientis, & excitantis, sicuti & alia Dei beneficia, v. g. Dæmonis compressionem, à periculis conseruationem, corporis sanitatem. Ita S. Thom. quæst. 87. a. 3. ad 1. Maior in 4. d. 23. quæst. 2. Petr. Sotus cit. lect. 18. Suarez disp. 12. sect. 2. Ægid. suprà cit. a. 3. Probatur ex eo, quòd peccata etiam venialia nō remittantur homini sine interiore pœnitentia, & gratiæ infusione: quamobrem Ecclesia non habet potestatem extra collationem sacramenti certò, & infallibiliter remittendi peccata, secundum reatum culpæ. Alia verò ratio est de remissione pœnæ per indulgentias: cùm enim illa sit extrinseca quædam condonatio, non requirit internam hominis renouationem.

Assertio

Assertio VIII. Ad remissionem venialium extra, & intra Sacramentum, requiritur etiam propositum, saltem,
18 virtuale, ea imposterum vitandi. Sequitur hæc assertio ex dictis, eamque præter alios docet Ioan. Gerson p. 2. operum, tract. de diuersis effectibus peccati venialis, in fine. Nam ad remissionem peccatorũ, etiam venialium, requiritur pœnitentia: Ea autem necessariò includit propositũ saltem virtuale, imposterum fugiendi peccata: siquidem fieri non potest, vt malum peccati verè, ac seriò detester, si imposterum ab eo abstinere nolim. Verùm quod suprà circa quintam assertionem de peccatis mortalibus dixi, id multò magis de proposito vitandi venialia dicendum est: cum eo consistere posse probabilem timorem, vel etiam existimationem, futurum non esse, vt homo ab ijs, de quibus nunc dolet, omnino se contineat.

19 Insuper ex Ægid. Coninck de pœnit. disp. 2. dub. 14. num. 230. notandum est triplex discrimen, inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis: & requisitum ad remissionem venialis: I. Propositum vitandi mortalia, sicuti & ipsamet contritio, vel attritio, debet se ad omnia explicitè, vel implicitè extendere: propterea quòd vnum mortale sine alio remitti non possit: neque vnquã hominis iustificatio fieri, manente actuali, aut habituali affectu ad peccatum mortale: quippe cui gratia iustificans per se, ac formaliter repugnat, sicuti docet S. Thom. quæst. 86. a. 3. Alensis p. 4. quæst. 69. mem. 10. Adrian. in 4. de sacram. pœnit. q. Quia iam ostensum. Contrà verò nihil obstat, quin vnum veniale homini remittatur, altero remanente, vel secundùm habitualem, & non retractatam voluntatẽ: vel etiam secundùm actualem affectum, seu peccandi propositum. Ratio est, quam S. Thom. indicat q. 87. a. 4. ad 3. Licet gratia Sanctificans
20 ad remissionem peccati venialis concurrat, tamen non expellit omne peccatum veniale: quandoquidem peccatum veniale in actu, & in habitu, consistere potest cum gratia sanctificante: non item peccatum mortale, sicuti suprà etiam dictum fuit.

II. Ad remissionem peccatorum mortalium requiritur propositum abstinendi ab omnibus non tantùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu collectiuo: ita vt animus sit non tantùm singula, sed etiam omnia simul cum Dei gratia euitare. At verò ad remissionem peccatorum omnium venialium sufficit propositum vitandi singula in sensu diuiso: ita vt nullum determinatè designari possit, à quo animus virtualiter saltẽ non abhorreat: non verò requiritur propositum vitandi omnia simul & collectiuè, ita vt animus sit nunquam venialiter, ne quidem ex animi subreptione, peccandi: hoc enim sine specialissima Dei gratia, homini in hac vita impossibile est: impossibilium autem non est voluntas siue propositum. Ita etiam docet S. Th. q. 87. a. 1. ad. 1.

III. Propositum vitandi venialia necesse non est tam firmum & efficax esse: ita, vt eo perseuerante tam efficaciter moueatur homo ad declinanda speccandi occasiones propinquas, & adhibendi media, quæ tum ad peccata, tum ad peccatorum occasiones vitandas, aliquo modo necessaria videntur: sicuti moueri debet ex verò proposito vitandi mortalia. Cùm enim peccatum mortale longè grauius animæ malum sit, quàm veniale: ideo homo multò maiorẽ conatum adhibere tenetur ad vitãda mortalia, quàm venialia consequenter verus pœnitens firmius & efficacius propositum concipere debet ad mortalium, quàm venialium declinationem. Ex quo vlteriùs sequitur, faciliùs absolui posse relabentes sæpius in eandem speciem peccati venialis, quàm mortalis: quòd frequens ille relapsus non ita sit indicium defectus doloris, ac propositi ad eorum remissionem necessarij: quia prouenire potest ex frequentia occasionum, à quibus remouendis faciliùs aliquis excusari potest, quàm à remotione occasionum ducentium ad peccatum mortale.

21 Assertio IX. Per veram pœnitentiam peccata non sopiuntur: sed penitus delentur, extinguntur. Colligitur ex c. 3. Actorum *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Et Apost. ad Titum c. 2. *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem.* Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.* In quem locum S. Ambros. ait; *Hoc ei prouenit, qui renouatur spiritu. In nouo enim homine cor mundum est, in quo veterum delictorum fuerit deleta colluuies, nec inscripta manserit aliqua iniquitatis effigies.* Et S. Gregor. in verba Christi Ioan. 13. *Qui lotus est, mundus est totus*, lib. 9. epist. 39. inquit: *Totus mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit.* Quamobrem Scholastici communiter docent cum auctore de vera, & falsa pœnit. cap. 14. relato in cap. pium est, distinction. 3. de pœnit. Magistro in 4. distinct. 14. S. Thom. 3. p. q. 89. art. 5. Bonorum operum merita per pœnitentiam reuiuiscere. Quandoquidem priuatio illa gloriæ æternæ, tanquam mercedis debitæ, fundatur in peccato postea commisso, tanquam fundamento, & radice: si igitur peccatum per pœnitentiam, & iustificationem sublatum sit, recuperatur meritum, seu ius gloriæ cælestis, quo peccator se indignum interim reddebat.

Non ita verò, vice versa, peccata, quæ per pœnitentiã aut Baptismum semel deleta, seu remissa sunt, reuiuiscũt ac redeunt in relapsu, sicuti contra Gratianum dist. 4. de pœnit. princip. & alios apud Magistrum d. 22. docent Albertus ead. d. a. 1. S. Thom. q. 1. a. 4. S. Bonau. a. 1. quæst. 2. Richar. art. 1. q. 2. Durand. q. 1. Quia quod semel absolutè deletum, ac sublatũ est, ampliùs non reuiuiscit: sed peccatum per pœnitentiam penitus deletur, & aufertur: Ergo, &c. Non ita verò, vt dixi, bonorum operum merita per peccata penitus extinguuntur, sed potiùs impediuntur, dum homo tali remuneratione indignus manet, propter offensam: eâ autem sublatâ, redire debet omnis pristina gratia, atque promissio. Neque obstãt verba Ezechielis Prophetæ, c. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur.* Id enim verum est, quòd nihil ei proderũt præteritæ iustitiæ, dum in peccato permanebit: si autem peccatum abiecerit, etiam memoria præteritorum meritorum redibit. Quare huc accõmodari potest dictum Apostoli cap. 5. ad Romanos: *Non sicuti delictum, ita & donum*, seu gratia remissionis: quia Deus multo pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum. Videri potest Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Durand. d. 14. quæst. 5. Vasq. 1. 2. to. 2. disp. 221. cap. 5.

CAP. V.

De Confessione.

SVMMARIVM.

1 *Confessio sacramentalis omnium peccatorum Sacerdoti facienda, diuino iure necessaria est lapsis post Baptismum.*

2 *Patres antiqui testantur, Apostolos, eorúmque in sacerdotio successores, potestatem à Christo accepisse, vt tanquam constituti Iudices fidelium peccata remittant.*

3 *Testentur item Patres, ad peccatorum remissionem à Sacerdote obtinendam necessarium esse, vt pœnitens peccata omnia mortalia, etiam occulta confiteatur.*

4 *Præceptum Confessionis statim obligat, cùm quis in peccatum mortale lapsus est.*

5 *In mortis articulo, vel probabili periculo, lapsis incumbit præceptum diuinum sacramentalis Confessionis ad absolutionem à Sacerdote impetrandam.*

4 *Præceptum Ecclesiasticum Confessionis annuæ, omnis ætatis fideles etiam pueros obligat, si in mortale lapsi sunt.*

7 *Vtrum pueri confitentes sacramentalis absolutionis capaces sint. Confessarius non ex sola ætate iudicare debet, sed multò magis ex ingenij, & educationis qualitate.*

8 *Annuæ Confessionis instituendæ computatio fieri debet à Paschate ad Pascha.*

9 *Qui in Paschate confessus non fuit, postea cum primum potest, confiteri debet: quòd si prauideat in Paschate à sacra Confessione se impeditum iri, anticipare tenetur.*

10 *Qui post Pascha, v.g. in Pentecoste, sacramentaliter confessus est, si sequente Paschate à sacra Communione accipienda impeditur, non tenetur confiteri: cùm annuæ Confessionis præcepto iam satisfecerit.*

11 *Qui de peccatis fictè, siue absque dolore requisito confitetur, non satisfacit Ecclesiæ præcepto.*

12 *Nullum præceptum est, ne Ecclesiasticum quidem, quod fideles omnes obligat ad Confessionem peccatorum venialium.*

13 *Ecclesia potest, & re ipsa solet v.g. Regularibus præcipere, ut sacramentum Pœnitentiæ percipiant, tametsi sola venialia peccata habeant.*

14 *Episcopi præcipere possunt Ecclesiæ Ministris, ut quolibet saltem mense sacramentalem peccatorum Confessionem instituant.*

15 *Si confitens venialia tantùm peccata habeat, debet vnum, aut plura in specie explicare.*

16 *Consultum non est omnia venialia secundùm speciem, & numerum sollicitè colligere ad Confessionem: cùm potius de vero dolore, & emendationis proposito sollicitos esse oporteat.*

1 Assertio I. Confessio omnium peccatorum mortalium particulatim facienda Sacerdoti, quatenus adhibita mortali diligentia fieri potest, diuino iure necessaria est iis, qui post Baptismum lapsi fuerunt. Nam vniuersa semper Ecclesia intellexit, Apostolos, corúmque in sacerdotio successores, à Christo in cœlos ascensuro Ioan. 20. veluti præsides, ac iudices constitutos fuisse: data ipsis potestate crimina post Baptismum commissa tum remittendi, tam retinendi seu alligandi: ita, vt sine illorum absolutione, criminũ venia obtineri non possit. Hoc autem interioris fori iudicium lapsis necessarium, incognitâ causâ, siue criminibus à Reo particulatim non explicatis, exerceri nequaquam potest: cùm alia ratione Sacerdotes cognoscere nequeant, quænam peccata remittenda, & quæ retinenda sint. Vide Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 3. & 7.

Hoc loco duo Patrum testimoniis ostendenda sunt: Primum. Quod Apostoli, corúmque successores Episcopi, & Presbyteri potestatem à Christo acceperint, vt veluti iudices, ac ministri peccata remittant, & gratiam iustificantem nomine & auctoritate Christi conferant. Alterum. Ad hanc peccatorum remissionem à Christi Ministro, seu Sacerdote obtinendam, necesse esse, vt pœnitens peccata omnia mortalia, etiam secreta seu occulta, explicet.

Prior pars ostenditur: Imprimis Pacianus in epist. 1. ad Sympronianum Nouatianum ita scribit: *Solus hoc, inquies, Deus poterit,* vt peccata pœnitentibus remittat. *Verum est: sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: Quæ ligaueritis, ligata erunt & in cœlis: & quæcunque solueritis in terris, soluta erunt & in cœlis. Cur hoc, si ligare hominibus ac soluere non licebat? An tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis.* Et paulò post: *Si ergo Lauacri, & Chrismatis potestas, &c.* quæ verba citaui tractat. 3. cap. 1. num. 2. Eúmque locũ illustrat Anast. Nicænus in qq. super Scripturam, quæst. 6. *Baptismum quoque omnem abrogabunt, & abolebunt,* Nouatiani, quando aiunt, solum Deum posse dimittere peccata, *& omnem diuinam Sacrificii operationem: propterea quòd homines quidem sacrificant, Deus autem sanctificat.* Et paulò post: *Etsi ergo sit homo, qui audit Confessionem, Deus est tamen, qui per se conuertit, & condonat, donat, sicut David per Nathan.* Habetur in tom. 6. & in alia edit. tom. primo Bibliothecæ SS. Patrum.

S. Athanasius in illud, Profectus in pagum qui ex aduerso, prope finem: *Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in melius proficiamus. Quòd si nondum soluta sunt vincula, tradas teipsum discipulis IESV. Adsunt enim, qui te soluant potestate ea, quam à Saluatore acceperunt. Quæcunque ligaueritis, &c.* Vide eundem in interpretat. super Scripturam in illa verba: *Insufflauit in discipulos suos.*

S. Ambros. lib. primo de pœnit. cap. secundo *Aiunt,* Nouatiani, *se Domino deferre reuerentiam, cui soli remittendorum criminum reuerentiam reseruant. Imò nulli maiorem iniuriam faciunt, quàm qui eius mandatum volunt rescindere, commissum munus refundere: cùm ipse in Euangelio suo dixerit Dominus Iesus; Accipite Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et infrà: *Sed aiunt se exceptis grauioribus criminibus, relaxare veniam leuioribus, &c. Sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotibus suis sine vlla exceptione concessit.*

S. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio: *Qui terram incolunt, iis commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt, dispensent: iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit: neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaueritis, &c.* Et infrà: *Corporis lepram purgare, seu veriùs dicam, haud purgare quidem, sed purgatos probare Iudæorum Sacerdotibus solis licebat: neque nescis quanta cum ambitione, quando cum studio ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò nostris Sacerdotibus non corporis lepram: verum animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.* Vide eundem in cap. 20. Sancti Ioannis, homil. 85. & homil. 5. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum,* &c. quibus locis hanc iudicandi potestatem Sacerdotibus concessam, mirè prædicat, sicuti & Sanctus Gregorius 1. homil. 26. in Euangelia, Theophyl. & Euthymius in cap. 16. Matth.

Cyrillus Alexandrinus libro 12. in Ioannis capite 56 *Quomodo si tunc aberat Thomas, quando Christus sufflans dixit: Accipite Spiritum sanctum: Spiritus ipse particeps factus est? Dicimus, virtutem Spiritus ex intentione dantis Christi in omnes discipulos pertransisse:* etiam absentem Thomam. Et paulò post: *Qua ratione diuinæ naturæ dignitatem, ac potestatem discipulis suis Saluator largitus est? Quia certè absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in seipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt, ac detinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, ac detinet. Erit autem id per eos duobus, vt arbitror, modis: primum Baptismo, deinde Pœnitentia.*

vt S. Hieronymus epist. prima ad Heliodorum *Absit, vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus,* per Baptismum, & Confirmationem: *Qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante iudicii diem iudicant.*

Victor lib. 2. de persecut. Vvandalica: *Quantæ tunc* (persequente, & cruciante Catholicos Hunerico Vvandalorum Rege, Ariano) *multitudines de diuersis regionibus, & ciuitatibus ad visendos Dei Martyres occurrerent populorum, testantur viæ, vel semitæ, quæ cum agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium, & ima vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suósque infantulos vestigiis Martyrum proiicientes, ista clamabant: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi, quia vobis dictum est: Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus diuini Sacrificii ritus adhibendus est consuetus?*

Sanctus Augustinus in libro 50. homiliarum, homil. 27. capite tertio *Eleuatus est Lazarus, processit tumulo, & ligatus erat sicuti sunt homines in confessione peccati agentes pœnitentiam. Iam processerunt à morte,* per contritionem: *nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto, & à tenebris procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? Quæ solueritis in terra, inquit, soluta erunt & in cœlo. Proinde Lazaro procedente, quia*

impleuit

impleuit Dominus misericordiæ suæ bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem: iam cætera implet Ecclesiæ mysteria, Soluite illum, & sinite abire. Similia habet tract. 49. in Ioannem, & psal. 101. conclus. 2. vbi adiungit: *Cùm audis, hominem pœnitere peccatorum suorum iam reuixit: cùm audis hominem confitendo proferre cõscientiam, iã de sepulchro reductus est: sed nondũ solutus est. Quando soluitur? à quibus soluitur? Quæ solueritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cœlo. Meritò Ecclesiã dari solutio peccatorum potest: suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Hæc enim Deus interiùs agit.* Similia habet S. Gregor. I. homil. 26. super Euangelia, vbi ait: Quòd *peccator foras venit*, sicut Lazarus, *cum nequitias suas sponte confitetur: venientem autem foras soluant discipuli Christi.* Nota autem hic obiter quòd Christus ante passionem suam Matth. 16. & 18. S. Petro, aliisque Apostolis claues, & potestatem remittendi peccata promisit: post resurrectionem verò Ioan. 20. re ipsa contulit, quando eos Sacerdotes, & Episcopos ordinauit, ac Sancto Petro vniuersalem supra omnes Christi oues, adeóque ipsos etiam reliquos Apostolos iurisdictionem tradidit.

Posterior etiam pars PP. testimonijs confirmatur. Imprimis Origenes homil. 2. in Leuiticum ait: *Laboriosam per pœnitentiam, remissionem peccatorum esse, cùm non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* Et homil. 3. *Si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.* Idem Origenes homil. 2. in psal. 37. *Sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris, vel phlegmatis grauiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerunt, siquidem occultant, & retinent intrà se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur ab humore peccati: si autem ipse sui accusator fuit, dum accusat semetipsum, & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs medicum, cui debeas causam languoris exponere, &c. vt si quid consilii dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari possint, & tu ipse facilè sanari: multa hac deliberatione, & satis periti medici consilio procurandum est.*

S. Cyprianus in sermone de lapsis longè post medium, loquitur de ijs, *qui quamuis, nullo sacrificii, aut libelli facri traditi facinore constricti: quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei doleanter, & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animæ suæ pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet ac modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non irridetur. Derideri & circumueniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi.* Quibus verbis, & alijs, quæ sequuntur apertè significat, necessarium esse ad veniam à Deo obtinendam, peccata omnia mortalia, etiam occulta, Sacerdoti indicare. Et postea concludit: *Confiteãtur singuli, quæso vos, fratres, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.*

S. Pacianus in parenæsi ad pœnitentiam, circa medium: *Quid facies tu, si decipis Sacerdotem? qui aut ignorantem fallis, aut non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporis partibus secaturos, etiã perusturos. Meminimus quosdam etiam remota, & verecunda membrorum non erubescentes, in ferro, & cauterio grauissima illa pulueris mordacitate durasse. Et quantum est illud, quod homines præstiterunt? peccator timebit? peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari?* Et plura in eundem sensum quæ S. Pater pleraque accepit ex Tertulliano in libro de pœnit. capite 9. & seqq. eandémque doctrinam de nihil celando in Confessione propter pudorem, tradunt Lactantius libro 4. diuinar. institut. cap. 17. Sanct. Basil. in regulis breuioribus, regula 228. iuncta regula 288. Sanct. Gregor. Nyssenus in epistola canonica, capite primo, quæ extat tom. primo bibliothecæ Sanctorum Patrum, Sanctus Hyeronymus in cap. 10. Ecclesiastæ, Sanctus Augustinus in psalmum 66.

Et S. Chrysost. homil. 33. in Ioanne non longè à fine: *In peccatis, quæ commisimus confitendis, neminem vereamur. Deum dũtaxat, vt decet, formidemus qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos impræsentia non pœnitet, damnabit.* Et paulò post: *Vos autem hortor, dilectissimi, vt etsi nemo opera nostra videat, vt singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationum constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die illa horrenda vniuerso orbi ea manifesta patere: sanentur iam vulnera, sumatur pœnitentiæ medicina.* Quòd autem Chrysostomus non loquatur de publica peccati confessione coram populo facienda, inde liquet: quia eam cum Nectario abrogari voluit, vt infrà dicam capite 8. Videatur idem S. Doctor libro secundo & tertio de sacerdotio, & homil. de Dauid. & Saule.

De Sanct. Ambros. Paulinus Diaconus eius in vita eiusdem scribit: *Quotiescunque illi aliquis ob percipiendam Pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret: videbatur enim sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur.*

Auctor de vera & falsa pœnit. capite 10. *Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat, repræsentet vitam suam Deo per Sacerdotem, præueniat iudicium Dei per Confessionem. Præcepit enim Dominus mundatis, vt ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata non per nutum, non per scriptum manifestanda.* Et capite 20. ait, quòd *spiritualis Iudex munere scientiæ carere non debet:* Oportet enim vt sciat cognoscere, *quidquid debet iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc expostulat, vt quod debeat iudicare, discernat. Diligens igitur inquisitor, & subtilis inuestigator, sapienter, & quasi astutè interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus & cætera quæ diximus*, videl. c. 14. Idem Auctor in c. 15. *Caueat sit pœnitens, ne verecundia ductus diuidat apud se Confessionem, & diuersa diuersis Sacerdotibus velit manifestare. Quidam enim vni celant, quæ ali manifestanda reseruant: quod est se laudare, & ad hypocrisin tendere, & semper venia carere, ad quam per frusta totam se putant peruenire.*

Beda in epistola Sancti Iacobi capite quinto *Si infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis. Neque enim sine Confessione emendationis, peccata queunt dimitti: vnde rectè subiungitur, Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. In hac autem sententia illa debet esse discretio vt quotidiana leuiaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorúmque quotidiana credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter, & quanto tempore iusserit, purificari curemus.*

B. Petrus Damiani serm. 2. de S. Andræa Apostolo, *Confessio oris purè facienda est: quia non est pars peccatorũ di-*

cenda, & altera retinenda: neque leuia confitenda, & grauia diffidenda: neque alter accusandus, & ipse excusandus. Et infrà: *Dum erubescimus confiteri, quæ commisimus, Deum minùs, quàm homines reueremur. Hæc est confusio adducens peccatum. Opponamus ergo ei considerationem rationis, reuerentiam intuentis Dei, comparationem maioris confusionis. Vt enim confiteamur, ratio mouet: Deus cogit, qui videt: & si confundimur hæc dicere, quid erit in illa magna confusione, vbi omnia omnibus patebunt?* Et concludit in fine *Ecce quantum potui, etsi non quantum volui, de Confessionis disserui sacramento.*

His adde Leonem I. epist. 80. ad Episcop. Campaniæ, cuius verba referam infrà cap. 8. & quæ congerit Bellarminus etiam miraculis confirmata, de Confessione Sacerdoti facienda, lib. 3. de pœnit. c. 10.

4 Assertio II. Cùm præceptum Confessionis affirmatiuum sit, non omni tempore obligat: neque verò statim, vt peccatum mortale commissum est. *Dat enim Deus peccatori inducias*, ait Henriq. lib. 4. c. 3. n. 2. & docet supplementum S. Th. q. 6. a. 5. Palud. in 4. d. 17. q. 2. a. 5. Gabr. q. 1. a. 3. dub. 1. Adrian. in 4. de Confessione, §. tertiò inquirendum est, Medina C. de Confess. quæst. 13. Sotus in 4. d. 18. quæst. 1. a. 4. Victoria num. 132. contra Guil. Parisiensem de sacram. Pœnit. cap. 14. Angelum ver. Confessio, 1. §. 3. Neque refert, etsi periculum sit peccata obliuiscendi: nam alioquin peccatoribus, qui obliuiosi sunt, difficilis obligatio incumbet, vel sæpius in anno confitendi, vel peccata sua scripto consignandi, quorum neutrum ex iure diuino, imò neq; Ecclesiastico ostendi potest, vti docet Nau. cap. 21. n. 35. Greg. de Valentia t. 4. disp. 7. q. 9. p. 4. ver. Quare rectiùs, Suares disp. 35. s. 3. n. 6. Coninck disp. 5. dub. 2. contra Medin. cit. q. 14. casu secundo, Marsil. in 4. q. 12. a. 1. in fine, Maior. d. 17. q. 2. in fine.

5 Denique haud facilè assignari potest tempus, quo præceptum Confessionis per se obliget, præter mortis periculum: quare probabile est, si Ecclesia nullum tempus determinasset pro Confessione facienda, lapsum in peccatum mortale, si probabiliter crederet se contritũ esse, ex præcepti huius necessitate non fuisse obligandum ad sacram Confessionem extra dictum periculum, vti etiam docent Suar. & Coninck ll. cc. In mortis verò articulo, vel etiam probabili periculo ex grassante peste, imminente naufrago, periculoso partu, prælio &c. conscium peccati mortalis, iure diuino obligari ad Confessionem, Doctores communiter affirmant: quia alioquin homo se exponet certo, vel probabili periculo mortale peccatum nunquam confitendi: cùm tamen sacramentalis Confessio necessarium lapsorum remedium à Christo institutum, atque præceptum sit. Eapropter Medicis præcipitur in c. cùm infirmitas, de pœnit. & remission. *vt cum eos ad infirmos vocari contigerit? ipsos ante omnia moneant, atque inducant, vt Medicos aduocent animarum.* Quod præceptum intelligitur, si grauis infirmitas esse videatur, cum mortis periculo iuncta.

6 Obligationes confitendi per accidens duæ sunt potissimùm, apud Suarez num. 10. I. est, si sacram Eucharistiam suscepturus sis, de quo tract. 4. dictum fuit. II. Si credas, te certam mortalis peccati speciem, in quod sæpius lapsus fuisti, euitare aliter non posse: quia videlicet ad amouendas propinquas peccandi occasiones prudentis viri consilio opus est: quod extra Confessionem petere nolis, aut non possis. Vide etiam, si placet, Durandum in 4. dist. 17. quæst. 10. Palud. quæst. secunda art. 5.

Assertio III. Secundùm Ecclesiæ determinationem omnes Christi fideles, postquam ad annos discretionis peruenerunt, omnia mortalia peccata, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti confiteri debent. Habetur in cap. omnis vtriusque ex Lateran. Concil. sub Innoc. III. & in Trident. sess. 14. cap. 5. Circa quam assertionem aliqua aduertenda sunt: Primum. Ab huius præcepti obligatione nulla etiam impuberum ætas excipitur, si in mortale peccatum lapsi sint. Nam hoc ipso ostenditur, eos rationis discretionem assecutos esse.

Alterum. De pueris, ac puellis confitentibus, vtrum 7
absolutionis capaces sint, iudicare debet Confessarius non ex sola ætate, num videlicet septennium exegerint (post illam enim ætatem de rationis vsu præsumptio esse solet, vti docet Abb. in cit. c. omnis vtriusque, ex c. literas, de despons. impuberum) sed multò magis ex ingenij, & educationis qualitate: quia multi post eam ætatem: alij verò antè, rationis discretionem consequuntur, vt non tantùm venialiter, sed etiam mortaliter peccent: cuius rei exemplum habemus apud S. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 18. de puero quinquenni, in blasphemijs moriente, ac damnato, & videri potest Scotus in 4. dub. 17. quæst. 1. art. 2. Verùm postquam Confessarius, consideratis circumstantijs, iudicauit, puerum verè ac deliberatè commisisse peccatum, quod confitetur: examinare insuper debet, vtrum de eo doleat ex motiuo non merè humano, quia v. g. à patre vapulabit sed supernaturali per Fidem cognito, puta quia Deo contrarium est: pœnam æternam, vel purgatorij meretur, & idcirco à reatu virtute Sacramenti absolui desideret. Sunt enim aliqui adeo natura vagi, maleque educati, vt, licet satis dispositi fuerint ad peccandum, non tamen dispositi sint, neque à Confessario tam breui tempore disponi possint ad pœnitentiam. Quare in hoc casu orationem, quasi pœnitentiæ loco, puero imponat & crucis benedictio super caput eius formata, dimittat: expedit enim pueros, quamuis nondum absolutionis capaces sint, audire, vt paulatim instruantur, & confessioni assuescant. Quòd si autem, omnib. consideratis, de pueri capacitate dubium maneat, tunc absolui potest sub conditione, saltem animo retenta, sicuti monet Zambranus cap. 4. dub. 3. num. secundo. Imò in mortis articulo absolui debet: tali præsertim casu necessitatis, *In dubio inclinandum est in fauorem animæ.*

Denique id moneo, si materia Confessionis, quam puer affert, mortalis videatur, sed ob eius incapacitatem non absoluatur, de hoc ipso mouendum esse puerum, vt sciat, se non absolutum esse, vt maiorem dispositionem, ac præparationem afferat ad iteratam confessionem.

Assertio III. Facilior, & Ecclesiasticæ consuetudini 8
conformior est annuæ Confessionis computatio à Paschate ad alterum Pascha: ita vt qui post Paschalem Confessionem in mortale peccatum lapsus fuit, eius confessionem vsque ad sequens Pascha differre possit, & non ampliùs. Ita docet Henriquez lib. 4. cap. 4. nu. 2. Suarez disp. 36. sect. 3. Coninck disp. 5. dub. 6. Idque probatur ex praxi Ecclesiæ: siquidem eo solo tempore Pastores à fidelibus suis Confessionem peccatorum intra annum commissorum, exigere solent.

Corollarium I. Qui Paschali tempore iusta, vel iniusta de causa, sacram Confessionem intermisit, is cum primum postea commodè potest, confiteri debet: vt quantò diutius Confessionem siue causa differt, tantò peccatum augeat. Ita docet Sotus in 4. d. 18. quæst. 1. art. 4. Med. quæst. 14. de Confess. in fine, Nauar. cap. 21. num. 45. Vict. num. 147. Suarez disp. 36. sect. 4. Coninck disp. 5. dub. 8. contra Anton. p. 2. tit. 9. c. 9. §. 3. Syl. ver. Euchar. 3. q. 15. dicto tertio. Ratio est: quia tempus Paschale, veluti implendi præcepti terminus, positus non est ad obligationem finiendam, sicuti accidit in præcepto ieiunij audiendæ Missæ, &c. quibus certi dies assignati sunt: sed ad obligationem statuendam, quemadmodum videri est in obligatione tributi, vel pecuniarij debiti.

Corollarium II. Qui prouidet, se Paschali tempore à pecca-

peccatorum Confessione impeditum iri, is anticipare tenetur: propterea, quòd Ecclesiasticum præceptum de annua Confessione omni tempore anni impleri possit. Igitur perinde se res habet, sicuti in eo, qui cùm manè Dominica die Missam audire potest, postea non poterit, is statim audire debet. Ita docet Alensis par. 4. quæ. 77. mem. 4. a. 1.

Sed controuersia est: Vtrum præceptum Confessionis per se obliget in Paschate, an solùm per accidens ratione Paschalis Communionis, quam sacramentalis Confessio antecedere debet, si quis mortalis peccati conscientiam habeat. Interest enim ad praxim hoc scire: quia si obligatio confitendi per se est, tunc si ponamus aliquem circa Natiuitatem Domini confessum, postea mortaliter peccasse, tempore autem Paschali legitimè impeditum esse, quominus ad sacram Synaxim accedere possit, talis nihilominus confiteri debet. Sin autem obligatio est tantùm per accidens, tunc qui impeditus est à sacra Paschali Communione, is etiam à sacra Confessione liber erit.

Esse hanc obligationem per se indicat Petr. Sotus lect. 5. de necessitate Confess. & expresè docet Suar. disp. 36. s. 3. Idque colligi videtur primò ex suprà cit. cap. omnis vtriusque in quo habetur, quòd *fideles saltem semel in anno omnia peccata sua confiteri debent*: annus autem finitur in Paschate. Ergo si eo tempore conscius peccati mortalis non confiteatur, transgreditur præceptum confitendi omnia peccata intra annum commissa.

Secundò: Quia Ecclesiarum Pastores ab omnibus suis subditis tempore Paschali peccatorum Confessionem exigere solent, arg. Extrauag. vices, de treuga & pace, vbi dicitur: Quòd *Parochianus de iure* (cap. omnis vtriusque) *teneatur saltem in Paschate proprio Sacerdoti confiteri.*

Tertiò: Quia alioqui sequeretur, si quis post Pascha venialia tantùm confessus esset, & postea intra eundem annum mortaliter peccasset eum non obligari ad Confessionem instituendam Paschate sequente, si communicaturus non sit.

10 Nihilominus contraria sententia est probabilior, quã docet Vict. n 137. Sotus in 4. d. 18. q. 1. a. 4. concl. 1. Gregor. de Valentia t. 4. disp. 7. q 9. p. 4. ver. consuetudo autem, Vasq. q. 90. a. 3. dub. 1. n. 5. & 15. Ægid. cit. disp. 5. du. 7. Sa ver. Confessio, n. 4. Nam Concilium Lateranense in cit. c. omnis vtriusque, aliter statuit de annua Confessione, & aliter de sacra Communione: videlicet, vt fideles omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteantur: sacram autem Eucharistiam minimùm in Paschate reuerenter accipiant. Ex quo apparet, non ita pro sacra Confessione, sicuti pro sacra Communione, Paschale tempus assignatum fuisse.

Quare respondetur ad prioris sententiæ argumentum. I. Quòd Concilium omnia peccata confiteri iubet, id solùm pertinet ad integritatem Confessionis seruandam: ita vt quocunque anni tempore aliquis confiteatur, nullum mortale peccatum reticeat: non vero eò spectat: quasi omnia peccata, quæ intra quemlibet annum commissa sunt, eodem ipso anno confiteri necesse sit.

Ad II. Pastores circa tempus Paschæ à suis subditis Confessionem exigunt, quia ferme omnes tunc sacram Eucharistiam suscepturi sunt. Quòd si aliqui sint, qui legitimum impedimentum habent, quominus sacram Eucharistiam suscipiant, v. g. lecto defixi, non arbitror in Paschate ad Confessionem compellendos esse, si intra anni decursum legitimè confessi fuerant. Imò, etsi aliquis toto anno nunquam confessus fuisset, & Paschalem Cõmunionem ex necessaria causa ad breue tempus, puta vsque ad Pentecosten differre deberet, probabile est grauiter non peccaturum, etsi sacram etiam Confessionem, differret: si putaret, postea eam commodus peracturum esse. Verùm si talis post Pentecostem moraliter peccet, obligatus erit eo anno iterum confiteri: quòd prior Confessio facta sit ad satisfaciendum obligationi prioris anni, vti notauit Coninck dub. 8. concl. 2.

Ad III. resp. Illud non esse consequens: Quia Conciliũ præcipit fidelibus, vt quolibet anno mortalia peccata confiteantur, si ea habeant: cui præcepto per venialium peccatorum Confessionem satisfactum non est, sicuti notat Vasq. cit. dub. 1. n. 17. Addo tamen, si in aliqua diœcesi ab omnibus adultis sine discrimine sacramentalis Confessio in Paschate exigatur, siue ij communicaturi sint siue non; id fieri secundùm probabilitatem prioris sententiæ, ita explicantis canonem *omnis vtriusque*.

Altera controuersia: Vtrum præcepto Ecclesiæ satisfiat per solam Confessionem peccatorum: tametsi absolutio non conferatur, seu ob defectum contritionis, seu ob defectum aut malitiam absoluentis? Affirmant Palud. in 4. d. 17. q. 7. Gabr. ib. q. 1. a. 3. du. 5. Vict. nu. 163. Syl. ver. Confessio, 4. n. 3. in fine: propterea quòd Ecclesia solùm externum Confessionis actum præcipere possit: de occulto autem defectu non iudicet.

Sed contraria sententia est communior Durandi in 4. d. 17. q. 14. & 15. Petri Soti lect. 8. de Confess. in fine, Domin. Soti in 4. d. 18. q. 3. a. 3. Medinæ q. 24. in fine, Nau. ca. 10. n. 4. Sa ver. Confessio, n. 1. Suar. disp. 36. s. 7. nu. 3. Coninck dub. 9. Nam Ecclesia præcipere potest, & re ipsa præcepit, vt sacramentum Pœnitentiæ quotannis ab iis suscipiatur, qui peccati mortalis conscii sunt: Sacramẽtum autem non consistit sine absolutione Sacerdotis: Ergo sine ea non satisfit præcepto Ecclesiæ. 11

Ex quo patet responsio ad obiectionem: Negatur enim Ecclesiam non posse statuere de interno aut occulto, si illud pertineat ad substantiam externi, quod præcipitur, sicuti dixi in 1. l. 4. tr. c. 4. n. 13. Porrò talem inualidè absolutum nihilominus liberari à reseruatione peccatorum, si absoluens potestatem habeat ab iis absoluendi, docent DD. communiter, Caiet ver. casuum reseruatio, Syl. ver. confessio, 1. q. 19. in fine, Suar. disp 31. s. 4. n. 9. Henr. l. 6. ca. 16. n. 5. ConincK disp. 8. du. 12. n. 9 1.

Assertio V. Nullum est præceptum, ne Ecclesiasticum quidem, obligans fideles omnes ad Confessionem peccatorũ venialiũ. Hæc est communior Scholasticorũ doctrina in 4. d. 17. vbi S. Th. q 3. a. 1. q. 3. ad 3. Scot. q 1. a. 3. Gab q. 1. a. 1. concl. 2. Maior q. 2. Syl. ver. Confessio. 1. q. 13. Suar. d. 22. l. 8. Vasq. q. 90. a. 2. du. 2. contra S. Bonau. ead. d. 17. p. 2. a. q 1. Rich. ibi a. 2. q. 4. ad 1. Alens. p. 4. q. 77. mem. 1. a. 3. & mem. 2. a. 5. ad 20 arbitrantes, Ecclesiam non tantùm posse, sed re ipsa determinasse tempus Confessionis, videlicet annuæ, ad quam omnes fideles obligentur, tametsi aliqui nullum mortale, sed solũ venialia peccata habeant. Verùm Lateranense Conciliũ, cùm præcipit vtriusque sexus fidelibus, vt omnia peccata sua semel in anno confiteantur, solùm loquitur de mortalibus: nam si etiam de venialibus intellexisset, nimis graue obligationem fidelibus imposuisset, omnia, & singula venialia peccata quotannis confitendi, quod nulla constitutione præcipi potest, vti bene lo. cit. S. Th. annotauit. Confirmatur ex Concilio Trid. s. 14. c. 5. vbi absolutè ait: *Venialia quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quãquam rectè, & vtiliter, citràque omnem præsumptionẽ in Confessione dicantur: quod piorum hominum vsum demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*: v. g. oratione Dominica, humili pectoris tunsione, aspersione aquæ benedictæ, vti notauit Alensis parte 4. quæstione 77. art. 1. Ratio est: Quia intentio Concilii Lateranensis, & Tridentini non fuit, nouam in substantia Confessionis peccatorum obligationem fidelibus imponere, sed eam tantùm, quæ ex diuino iure descendit, ad certum tempus determinare. Atqui nullum Christi præceptum extare, confitendi venialia, concors est Doctorũ sententia: quia, vt Tridentinũ ait, 12

multis aliis modis expiari possunt. Quare rectè notauit Vasq. n.15. Verba illa Christi apud S. Ioan. c.20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: tanquam fauorem, seu gratiam continentia, ad omnia, etiam venialia peccata extendenda esse: quandoquidem & hæc idonea absolutionis materia sunt. Verba autem sequentia, *Et quorū retinueritis, retenta sunt*, ad sola mortalia referri posse: quandoquidem sola hæc clauium potestate retineri, seu concludi possunt; vt sine ea, vel sine ordine ad ea, remitti nequeant, sicuti suprà explicatum fuit.

Corollarium. Etsi consultissimum est fidelibus, si Paschali tempore nullius mortalis peccati conscii sint, venialia confiteri: tum vt Sacramenti gratiam accipiant tum etiam, vt si fortè commissi mortalis peccati obliuione teneantur, neque satis contriti existant, per sacramentalem absolutionem iustificentur, tamen ad hoc ipsum simpliciter non obligantur: quamquam Ecclesiarum consuetudine receptum est, vt fideles omnes ante Communionem Paschalem Sacerdoti proprio, vel alteri delegato se sistant: &, si mortaliter nunquam se peccasse asseuerent, super ea ipsa re Confessarii examini se subijciant. Ita Henr. Gandauens. quodlib.7.q.24. ad 11. Scotus, & Maior ll. suprà cit. Adrian. in 4. vbi de Confessione, q.4.a.1. ad argumenta.

Porrò quæstio est inter Doctores; Vtrum Ecclesia possit præcipere, aut re ipsa quorundam Ordinum personis præceperit, sacramentalem Confessionem, tametsi solùm venialia peccata habeant? Negat Palud. d.17.q.2.a.4. concl.2. cui fauent Syl. ver. Confessio; 1.q.13. Sot. d.18.q.1.a.3. arg.2. Henriq. lib.4.c.4.n.10. Rodriq. t.1. regul. qq.q.62.a.1. Nam Ecclesia non potest mutare institutionem Christi circa sacramenta: Christus autem instituit, vt peccata venialia non essent materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ: quia aliis etiam modis deleri possunt. Ergo Ecclesia non potest imponere necessitatem confitendi venialia.

13 Sed contraria sententia est vera, quam docent Richardus, & S. Bonau. ll. cc. Caiet. t.1. opusc. tr.5. qu.1. Canus relect. de pœnit. p.5. §. at verò huic quæstioni, Nau. in c. placuit, dist.6. de pœnit. num.122. Vasquez quæst.90. a.2. dub.3. Suarez cit. f.8. Quibuscum dico I. Ecclesiam, ex potestate legislatiua, quam habet in subditos suos, posse illi præcipere absolutè, vt sacramentum Pœnitentiæ frequentent, tametsi tantùm venialia peccata habeāt: sicuti etiam alia opera virtutum, puta Temperantiæ, Religionis, item susceptionem alterius sacramenti, v.g. Confirmationis, Extremæ vnctionis, ad quam alioquin diuina lex non obligat, præcipere potest, quatenus ad fidelium salutem, & bonum statum Ecclesiæ opportunum videtur.

Dico II. Re ipsa Ecclesia præcepit Monachis Benedictinis, in Clement. ne in agro Dominico, §. sanè, de statu Monachorum, *vt singulis mensibus, tam in Monasteriis, quam extra, ad Confessionem saltem semel accedant, omnes, & singuli.* Et in quibusdam aliis Religionibus statutum viget, sub peccato obligans, vt omnes singulis v. g. mensibus confiteantur: item; vt quotannis repetitam, seu generalem de peccatis suis Confessionem instituant. Quæ sanè intelligi non possunt de Confessione mortalium tātùm: quippe in quæ Religiosos omnes toties labi credibile non est: sed absolutè de Confessione sacramentali peccatorum. Si enim ad eiusmodi opera pœnitentiæ, vel Religionis quisque proprio voto ac consensu obligare se potest, vti omnes fatentur; cur non etiam ab Ordinum Prelatis, aut generali Capitulo de ea re constitutio fieri? Neque obstat, quòd Trident. Synodus sess. 25. ca. 10. de Regul. iubeat admoneri Sanctimoniales in constitutionibus earum, vt saltem semel singulis mensibus peccatorum Confessionem faciant, & sacram Eucharistiam suscipiant. Interim enim non prohibet, quin ad hoc ipsum sub peccato etiam obligari possint, secundùm cuiusque Ordinis institutum.

Dico III. Etiam seculares Prælati, puta Episcopi, 14
præsertim in Synodo diœcesana, eiusmodi legis obligationem Clericis suis imponere possunt, vt videlicet singulis mensibus de peccatis confiteantur, si id ad Ecclesiasticæ disciplinæ conseruationem vtile esse intelligant. Quale statutum, ante paucos annos, in hac Frisingensi Diœcesi editum, atque in obseruationem deductum est: vt etiam obseruare legis testimonium, manu Confessarii subscriptum, suis temporibus ad Ordinarium mittere debeant Ecclesiarum Ministri.

Ad extremum moneo, admittendam non esse doctri- 15
nam Alensis p.4.q.77.mem.1.a.1.& 2. Syl. ver. Confessio, 3.q.13. quòd obligatus ratione statuti generalis, aut particularis, ad confitendum, si mortale non habeat, satisfaciat venialia generatim confitendo; videlicet dicendo, se esse peccatorem, aut in multis deliquisse, saltem venialiter. Huic enim doctrinæ communis bonorum Confessariorum praxis repugnat: qui extra casum extremæ necessitatis, sacramentalem absolutionem pœnitenti non conferunt, nisi is certum aliquod, seu mortale, seu veniale peccatum confessus sit. Cùm enim sacramentum Pœnitentiæ conferatur per modum iudicialis absolutionis, apparet, conueniens omnino esse, atque Sacramenti huius institutionem postulare, vt afferatur, & subiiciatur materia certa, quò absolutionis iudicium magis determinate ferri possit: accedente præsertim Ecclesiæ praxi, atque fidelium sensu. Quare licet aliquis nulla lege ad cōfitendum venialia obligatus sit, posito tamen, quòd sacramentaliter confiteri, & absolui velit, debet aliquod peccatum in specie explicare. Dico *aliquod*, seu vnum sit, seu plura. Neque enim necesse est, & plerumque non consultum, omnia venialia secundùm speciem, ac numerum solicitè colligere ad Confessionem instituendam: sed hoc optimum consilium iis, qui à mortalibus abstinent, vt ea venialia, quæ animos ipsorum magis grauant, & à quibus liberari desiderant, nouo concepto dolore, & emēdationis proposito, cum humilitate aperiant. Videri etiam potest Suarez disp.23. f.1.n.10. Vasq. disp.90. dub.2, in fine.

CAP. VI.

Vtrum sacramentalis confessio debeat secretò fieri.

SVMMARIVM.

1 *Praceptum Confessionis, fidelibus lapsis impositum, intelligi debet de confessione secreta, seu auriculari.*

2 *Sacramentum Confessionis absolutè, & secundùm substantiam spectata, consistere potest in quouis signo propria accusationis de peccato, in ordine ad Sacerdotis absolutionem accipiendam.*

3 *Si pænitens loqui potest, Confessio peccatorum vocis sermone fieri debet: exceptis quibusdam casibus.*

4 *Qui perpetuò mutus est, & scribere nescit, peccata sua nutibus, quatenus potest, confiteri debet. Qui autem sperat, locutionis vsum se breui tempore recuperaturum, interim excusatus esse videtur.*

5 *Peregrinus, extra mortis articulum, non obligatur ad confitendum per interpretem, si aliter intelligi non possit.*

ASsertio I. Præceptum Confessionis fidelibus la- 1
psis impositum, intelligendum est de Confessione secreta, quæ soli Sacerdoti fit: quamobrem etiam *auricularis* dicta est. Ita docet Auctor de vera penitent. capite 11. Leo I. epistola 80. ad Episcop. Campaniæ, & Concil. Tridentin. sessione 14. capite 5. Ratio est: Quia iugum Christianæ Religionis oportet esse suaue: atqui nimis difficilis obligatio foret, si crimina, præ-

præſertim ſecreta, publica confeſſione aperienda eſſent.

Aſſertio II. Interim nihil cum natura, & inſtitutione huius Sacramenti pugnat, ſi aliquis in maiorem ſcelerum vindictam, ſuíque humiliationem, aliorum exemplum, vel Eccleſiæ offenſæ ædificationem: item ob cauſam neceſſitatis, v.g. in communi naufragio, peccata ſua publicè confiteatur: etiam in ordine ad ſacramentalem abſolutionem accipiendam. Ita colligitur ex Trid. cit. c. 5. & tradit S. Bonau. in 4. d. 17. p. 3. a. 1. q. 3. Nauar. in man. cap. 2. num. 8.

2 Quæritur hoc loco, vtrum ſacramentalis Confeſſio non tantùm propriæ vocis ſermone: ſed etiam aliis ſignis, puta nutibus, ſcripto, vel per interpretem fieri poſſit; aut quandoque debeat? Reſpondeo, & dico I. Sacramentalis Confeſſio abſolutè, & ſecundùm eſſentiam ſpectata, conſiſtere poteſt in quocunque ſigno propriæ accuſationis de peccato, in ordine ad abſolutionem conſequendam. Ita docet S. Th. quodl. 1. a. 10. & conſtabit ex infrà dicendis.

Dico II. Eccleſiæ tamen traditio, & conſuetudo decla-
3 rat, peccatorum Confeſſionem faciendam eſſe vocis ſermone, ſi pœnitens loqui poſſit. Ita S. Th. l. c. aliíque cõmuniter. Ratio eſt: Quia hic modus humiliter accuſandi ſeipſum vocis ſermone, conuenientiſſimus eſt ad veniã obtinendam. Excipitur tamen caſus neceſſitatis: Primò enim contingere poteſt, quamuis raro, vt puella v. g. præ maxima verecundia peccatum ſuum ore explicare non valeat: ideóque prudens Confeſſarius confeſſionem ipſius in ſcripto admittere, præſentémque abſoluere poſſit, vti docet Canus relect. 6. de pœnit. Sa ver. Confeſſio, n. 15. Valent. q. 9. p. 1. in fine, Suar. diſp. 21. ſ. 3. n. 5. Secundò, ſi ægrotus per gutturis angorem confiteri abſolutè quidem voce poſſit, ſed vix atque ægrè, compellendus non eſt, ſi peccata ſcribere facilè poſſit, ad vocis confeſſionem, teſte Cano ibid. f. 332. Tertiò, ſi Confeſſarius animaduertat, ſe ſubitò obſurdeſcere, vt pœnitentem, qui peccata ſua ex ſcripto legit, audire nequeat, niſi etiam adſtantes audiant, eo caſu ſcriptum ſibi à confitente oblatum legere, & poſtea abſoluere poſſet.

Dico III. Si pœnitens mutus ſit, nemo dubitat, quin ſcripto, vel nutib. rectè confiteatur: item peregrinus per interpretem. Dubium autem eſt, vtrum tali modo confiteri teneatur.

4 Dico IV. Qui ad tempus mutus eſt, ſperans locutionis vſum breui recuperandum eſſe, non videtur Eccleſiaſtico præcepto annuæ Confeſſionis obligari. Nam eiuſmodi homini inſolitum, ac proinde difficile eſt, nutibus confiteri. Peccata autem ſcribere, & ſcriptum Confeſſario tradere inſolitus eſt confitendi modus: & plerumque non vacat omni periculo publicationis: quare Eccleſiaſtica lex in tali caſu ceſſare videtur. Quæ eſt ſententia Richar. in 4. d. 17. a. 2. q. 5. in fine, Caiet. in ſumma, ver. confeſſio, condit. 11. Nau. in c. fratres, n. 86. d. 5. de pœn. & in man. c. 21. n. 36. Soti d. 18. q. 2. a. 6. Med. q. 15. Cod. de Confeſſ. etſi aliter Syl. ver. Confeſſio, 1. qu. 15. Suar. diſp. 36. ſ. 6.

Dico V. Qui perpetuò mutus eſt, & ſcribere neſcit, ad Confeſſionem annuam nutibus, quatenus poteſt, faciendam obligatus eſſe videtur. Ita docent Caiet. cit. condit. 11. Sotus lo. c. ver. Primum ergo membrum. Tolet. l. 3. ca. 6. Nauar. cit. c. fratres, num. 89. Cùm enim talis homo alia animi ſui ſenſa nutibus exprimere ſoleat, pari modo peccata ſua Sacerdoti explicare, non debet ei difficile apparere.

Dico VI. Neque peregrinus Eccleſiaſtico pręcepto
5 obligatur ad confitendum per interpretem. Quæ videtur communis ſententia apud Sotum in 4. d. 17. qu. 1. ar. 4. Caietan. cit. condit. 11. Nau. ci. n. 86. & cit. n. 36. Sa verb. Confeſſio, n. 13. Tolet. lib. 3. c. 6. num. 4. Nam hæc aliquo modo publica confeſſio eſt, quam Eccleſia præcipere non ſolet; quamobrem in Lateranenſi Concilio dicitur: *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur proprio Sacerdoti.* Cæterùm in mortis articulo conſtitutum & de vera contritione dubitantem, lex charitatis erga ſe ipſum: pœnitentiæ item, ac ſatisfactionis erga Deum, obligare videtur ad confitendum per interpretem, ſaltem ea peccata, quæ abſque maiore infamia poteſt, teſte Cano, & Suarez ll. cc. Henriq. lib. 4. c. 4. num. 4. Atque ſimilis eſt ratio, ſi tempore peſtis, vel naufragii confiteri aliquis non poſſit, niſi aliis audientibus. Neque enim in his caſibus ſufficit ad abſolutionem accipiendam generalia ſigna doloris edere: quando ſine magna difficultate ſpeciale peccatum exprimi poteſt.

CAP. VII.

De publica, non ſacramentali, confeſſione peccatorum.

SVMMARIVM.

1 *Exomologeſis, ſeu confeſſio publica variè differt à ſecreta ſacramentali: quamuis illa ferme abolita ſit.*

2 *Sacramentum Pœnitentiæ omnibus lapſis quocunque, maximè mortis tempore, verè pœnitentibus in Catholica Eccleſia conceditur.*

3 *Sacra Communio tempore SS. Cornelii, & Cypriani grauiſsimè lapſis, etiam mortis tempore, in criminis pœnam negabatur: nunc autem canonica regula obtinet, vt, cui morienti abſolutio à peccatis conceditur, neque Viaticum denegari debeat.*

4 *Nomine pœnitentiæ Patres ſacramentum Pœnitentiæ frequenter intellexerunt.*

5 *Publici pœnitentes non tantùm in mortis periculo, ſed etiam Feria V. ante Paſcha ad ſacramenta olim admittebantur.*

6 *Pœnitentia publica Clericis non imponebatur: imò per publicam pœnitentiam aliquis ad clericalem ſtatum ineptus reddebatur.*

IN Codicillis, & antiquorum Patrum ſcriptis dupli- 1
cem lapſorum reſtitutionem comperimus: vnam ſecretam in interiore Pœnitentiæ foro, alteram publicam in Eccleſiæ facie. Inter quas exomologeſes ſola ferme nominis conuenientia, re ipſa autem multiplex diſcrimẽ reperitur. Primum. Secreta illa Confeſſio ſacramentalis eſt, ex Chriſti inſtitutione, peccata omnia delens: hæc verò publica reconciliatio cæremonialis oratio erat, ab Eccleſiæ inſtitutione profecta, vt colligitur ex S. Auguſtino libro tertio de Baptiſmo, c. 16. & libro 5. cap. 23. Concil. Arelat. 1. can. 17. Carthag. 3. can. 32. Carthag. 4. can. 76. & 78. S. Leone epiſt. 80. ad Epiſc. Campaniæ S. Gregor. libro 9. indict. 4. epiſt. 61. ad Quirinum.

Secundùm. Illa in omnibus, vt dixi, criminibus publicis, & ſecretis locum habet: hæc verò ſolùm in grauioribus, & cum Eccleſiæ ſcandalo iunctis, conferebatur pœnitentibus, ſicuti conſtat ex Concil. Carthag. 3. c. 32. Tolet. 1. can. 2. Orig. hom. 15. in Leuit. Amb. l. 2. de pœn. c. 10. Aug. epiſt. 108. & hom. vlt. inter 50. Auctore de vera & falſa pœn. c. 11.

Tertium. Sacramentalis illa, & ſecreta lapſorum abſolutio nunquam in Eccleſia eſſe deſiit: ſed à Patribus contra Nouatianos hæreticos ſemper defenſa fuit. Publica verò, & ſolemnis pœnitentium cum manuum impoſitione reconciliatio, pro temporum, & locorum varietate mutata fuit. Nam poſt exortam Montani, ac Nouati hæreſin, quòd *lapſis à Deo venia petenda, & non ab Eccleſiæ Sacerdotibus venia ſperanda ſit:* (vti Sozom. refert l. 1. cap. 21.) ideóque calumniantium Catholicos, tanquam nimis faciles ſint in lapſis recipiendis, conſtituerunt Patres, Cornelius Romæ, teſtante S. Cypriano

lib.3.epist.13.& lib.4.epist.2.Ipsemet verò Cyprianus in Africa, lib.1. epist.2. Petrus Episcopus Alexandriæ, vti videre licet in canonibus pœnitent. to. 7. Biblioth. Patrum: Item Episcopi Concilij Eliberini in Hispania, to. 1.Concil. Vtà Fide lapsi, sacrorum Codicum traditores, vel in aliis grauioribus criminibus publicè reprehensi, non ante ad publicæ orationis communionem, multóq; minùs ad sacram Eucharistiam cum reliquis fidelibus admitterentur, quàm publicam in Ecclesia pœnitentiam peregissent: interim verò in ordinem ac locum pœnitentium reiecti, qui postremus inter fideles in Ecclesia gradus erat. De quo vide Concil. Ancyranum c.5. & 7. Nicænum canon. 13. S. Hieron. epist. 30. ad Oceanum, S. August. lib. de virginit. ca. 48. Bellarm. libro 1. de pœnit. c. vlt. Seuerinum Binium to. 1. Conciliorum 277.

Eapropter olim in plurimis Ecclesiis Pœnitentiarius constitutus erat: non qui totius populi, etiam secreta peccata, exciperet (hoc enim non vnius hominis officium esse potuisset) sed ad quem peccatores publici solemnem in Ecclesia exomologesin facturi, sua, quæ putarent publicè reuelanda, crimina afferrent, eiúsque in hac re prudenti arbitrio acquiescerent, quæ ille publicanda, aut non publicanda esse censeret. Videbis enim apud Scriptores antiquos, vt Origenem homil.2. in psal. 37. S. Augustinum homil. vlt. intra 50. post medium, quòd absolutè & vniuersim dicant, lapsis in peccatum mortale necessariam esse Confessionem apud eum, qui soluendi potestatem habeat: addunt verò Sacerdotem oportere esse prudentem, vt dispiciat, vtrum peccatum commissum fuerit cum scandalo populi, quod publicam satisfactionem deposcat.

Postea verò occasione scandali per mulierem orti, quæ in publica exomologesi, ampliùs, quàm debebat, progressa, occultum cum Ecclesiæ Diacono concubitum confessa erat, Nectarius Constantinopoli publicam pœnitentiam & exomologesin vnà cùm Pœnitentiario sustulit, sicuti referunt Socrates lib.5. hist. cap.19. Sozom. l. 7. cap.16. Idque factum Nectarii Episcopi alii quidem probârunt, ac imitati sunt, vt successor eius Chrysostomus homil. de publicano, in c.18. Lucæ, homil.4. de Lazaro, hom.8. de pœn. & hom.5. de incomprehensib. Dei. *Non te in theatrum conseruorum tuorum duco: non hominibus peccata tua detegere cogo.* Alii verò improbârunt, vti videre licet apud Socratem, & Sozomenum locis citat. Niceph. lib.12. cap.28. S. August. homil. vlt. ex 50. Auctorem de vera & falsa pœnit. cap.11. Bellarm. lib.3. de pœnit. cap. 14. quia eo ritu sublato, non possimus inuicem peccata arguere, secundùm monitum Apostoli ad Ephes.5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed ea potiùs arguite.* Quare in Occidente, præsertim Romæ, diu pœnitentium iste ordo permansit, vti testatur Sozom. l. c. postea tamen ferme penitus exoleuit.

Videri etiam potest Baronius Anno Christi 56. n. 35. & quæ Leo I. epist. 80. ad vniuersos Episcopos Campaniæ scripsit de duplici confessione, secretâ & publicâ: quarum illam necessariam esse ait, hanc nequaquam: ideóque fideles ad eam non cogendos: *Modis omnibus constituo submoueri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium sunt huiusmodi peccata, vt ea quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare: remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli; sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedat. Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

Quartum discrimen: Sacramentum Pœnitentiæ in Ecclesia Catholica omnibus quocunque tempore verè pœnitentibus, ac postulantibus ministrabatur: præsertim 2
verò in mortis articulo. Nam *salutem homini adimit, quisquis mortis tempore speratam Pœnitentiam denegarit*, ait ad hoc propositum Cœlestinus Papa epist.2. ad Episc. Galliæ. At verò reconciliatio ad communionem fidelium nō 3
omni tempore dabatur iis, qui in statu seu ordine penitentium erant: fuitque in ea re pro temporum & locorum varietate non eadem in Ecclesiis consuetudo. Nam Cornelij Papæ, & Cypriani tempore pax atque communicatio cum fidelibus, ipsiúsque Eucharistiæ participatio lapsis non concedebatur, ante expletum publicæ pœnitētiæ tempus: nisi fortè indulgentiam lapsis dandam, propter Martyrum meritum, ac libellum supplicem, Episcopus censuisset: præsertim si illi in graui infirmitate, aut mortis periculo constituti essent, vti videre licet apud Sanctum Cyprianum libro tertio, epistola 14. & seqq. l.5. epist.5. & 13. & l. de lapsis circa medium, & in fine.

Sæueriorem adhuc pœnitentiæ publicæ canonem, tempore Constantii, & Galerii Impp. nondum omnino extincta Ecclesię persecutione, ediderunt Patres Hispani in Concilio Eliberino c.1. *Vt qui idolis sacrificassent, neque in fine vitæ Communionem participarent.* Vbi *communis* nomine intelligere non debemus Pœnitentiæ sacramentum: nisi velimus, hos Patres, indictâ causâ, Nouatiani erroris condemnare: cùm in Ecclesia Catholica lapsis quibuscunque remedium Pœnitentiæ, & sacramentalis absolutionis denegatum nunquam fuerit. Sed communionem accipere debemus pacem, seu reconciliationem lapsorum ad communicandum reliquis fidelibus, tum in publica oratione, tum in sacræ Eucharistiæ sumptione, sicuti constat ex pluribus epistolis S. Cypriani suprà allegatis. Et ita hanc litem definit Baronius Anno 305. nu. 42. vbi corrigit, quæ contra Eliberinam Synodum dixerat Anno 59. n.119. cum Bellarmino lib.2. de sanctis, cap. 9. Et consentit Innoc. I. in ep. 3. ad Exuperium, c. 2. *Quæsitum est, quid de his obseruari oporteat, qui post Baptismum omni tempore incontinentiæ, & voluptati dediti, in extremo fine vitæ suæ, pœnitentiam* (id est sacramentum Pœnitentiæ) *simul & reconciliationem communionis exposcunt? De his obseruatio prior, durior: posterior, interueniente misericordia, inclinatior est. Nam consuetudo prior* (tempore Eliberini Concilii) *tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur. Nam cùm illis* (prioribus) *temporibus crebræ persecutiones essent, ne Communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non reuocaret à lapsis: negata meritò Communio est, concessa Pœnitentia; ne totum penitus* (id est, omne salutis remedium) *negaretur. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit*, (Constantini tempore) *iam depulso terrore, Communionem dari abeuntibus placuit*, (Concilio Ancyrano c.5. aliàs 6. Nicœno capite 13. Carthagin. 4. can. 78.) *& propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis.* Enim- 4
verò per *pœnitentiam*, sacramentum Pœnitentiæ, seu absolutionis sacramentalis intelligi, nemo dubitabit, qui antiquorum Patrum & Conciliorum canones inspexerit: idque bene ostendit Zambranus de sacrament. capite 4. dub. 2. sess. 3. Imprimis enim id indicant verba, quibus vtitur Innoc. suprà: *Quid obseruari oporteat de his, qui in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul, & reconciliationem communionis exposcunt?*

Cœlestinus Papa epist. ad Episcop. Galliæ cap.2. *Agnouimus etiam pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subueniri?* Et paulò post: *Quid hoc aliud est, quàm morienti mortem addere, eiúsque animam sua cru-*

crudelitate, ne absoluta esse possit occidere?

Concil. Carthag. 4. can. 76. *Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesin versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam: Et, si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem* (sacramentalem) *& infundatur ori eius Eucharistia.*

S. August. lib. 1. de adulterinis coniugiis, in fine: *Qui viuentium coniugiis copulati, retinent adulterina consortia, cũ saluos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum: tamen si desperati, & intra se pœnitentes iacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, vt etiam hoc peccatum cum cæteris lauacro regenerationis absoluatur.* Et paulò post: *Quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit. Neque ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

Concilium Arausicanum 1. canone 3. *Qui recedunt de corpore, Pœnitentiâ acceptâ placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare: quod morientis sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, qui huiusmodi Communionem congruenter viaticum appellarunt.*

Leo I. epist. 91. ad Theodorum: *Quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent: sic diuinæ bonitatis præsidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum Dominus Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & cõfitentibus satisfactionem Pœnitentiæ darent, & eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum* (Eucharistiæ) *per ianuam reconciliationis admitterent.* Et Postea: *Si aliqua ægritudine ita fuerint prægrauati, vt quod paulo antè poscebant* (præsidium Pœnitentiæ, & reconciliationis) *sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, vt simul & Pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur: seruatâ tamen regulâ canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum à Fide discedendo peccârunt.*

Quænam est ista regula antiqua? videlicet, vt pœni-
5 tentes, qui ob necessitatem, seu mortis periculum sacramenta acceperunt, si postea conualuerint, in publica agenda pœnitentia, definita sibi tempora nihilominus compleant, sicuti habetur in citat. cap. 5. Ancyrano, can. 13. Nicæno, canone 78. Carthag. IV. vbi habetur: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperunt, nõ se credant absolutos sine manus impositione* (oratione cæremoniali ac deprecatoria) *si superuixerint.* Et in Arausicano I. canone 3. *Si superuixerint, stent in ordine pœnitentiũ, vt ostensis necessariæ pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione accipiant.*

His adde, quòd etiam nulla ægritudine interueniente, Romanæ Ecclesiæ consuetudo postulabat, vt Feria v. ante Pascha pœnitentibus remissio fieret ad sacram Eucharistiam, præmissa sacramentali reconciliatione, accipiẽdam, vt testatur S. Ambros. epist. 33. Innocent. I. epist. 1. ad Decent. cap. 7. Ita tamen, vt postea ad pœnitentiam redire debuerint, donec tempore, quod ipsis definitum erat, seu elapso, seu per Episcopi indulgentiam remisso per publicam, seu cæremonialem manus impositionem reconciliarentur, & communioni fidelium restituerentur.

Quintum discrimen est inter pœnitentiam publicam ac solemnem, & inter secretam: quòd illa semel tantùm homini concedebatur, neq; post lapsum repeti poterat, vti testatur Origen. Homil. 15. in Leuit. Siricius Papa epist. 1. capite quinto, Magister in 4. distinctione 14. Cuius rei rationem afferens S. Augustinus epist. 54. ita scribit: *Cautè, salubriterque prouisum est, vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur: ne medicina vilis minùs vtilis esset ægroto.* Aliam rationem affert S. Ambrosius libro 2. de pœnitent. cap. 10. *Si verè agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum Baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publicè agitur.* Siquidem pœnitentia est veluti solemnis professio non redeundi ad peccata publica, & scandalosa: sicuti in Baptismo solemnis professio est non redeundi ad infidelitatem. Vide S. Thom. in 4. dist. 14. quæst. 1. articulo 5. Durandus ibidem q. 4. num. 7. Bellarm. lib. 1. de pœn. c. 21.

Sextum discrimen. Pœnitentia sacramentalis lapsis 6
omnibus post Baptismum, tum Clericis, tum laicis concedebatur: sed publica, & solemnis pœnitentia solis laicis, non item Clericis, vti legimus in Concil. Carthag. 5. aliàs 3. canon. 11. Siricio Papa epist. 1. ad Himerium, ca. 14. Innoc. I. epist. 6. ad Agapitum, Leone I. epist. 92. ad Rusticum, capite 2. Idque propter dignitatem ordinis sacri, ait Durandus in 4. distinctione 15. quæstione 4 articulo primo. Quare si Clericus depositus esset, poterat pœnitentiæ publicæ subiici, sicuti Bellarmin. libro 1. de pœnitentia, capite 21. colligit ex S. Cypriano epist. 8. libro 3. quæ est ad Fidem: ob eandémque rationem, qui pœnitentiam solemnem egerat, non poterat in Clerum promoueri, vt habetur apud S. Augustinum epistol. 50. ad Bonifacium, in Concil. Tolet. 1. can. 2. Carthag. 4. canone 68. & apud Siricium loco citato. *Sicuti pœnitentiam* publicam, & solemnem *agere cuiquam non conceditur Clericorum: ita & post pœnitentiam, & reconciliationem solemnem nulli vnquam liceat laico honorem clericatus adipisci.* Nisi necessitas postularet: tunc enim Episcopus dispensare, & in ordinibus minoribus duntaxat talem ordinare poterat, vt in Toletano habetur cit. cap. 2. Vide Gratianum d. 50. c. vt constitueretur, cap. confirmandum est.

CAP. VIII.

DE INTEGRITATE Confessionis.

SVMMARIVM.

1 *Confessionis sacramentalis integritas ex iure diuino est: quamuis directè ad necessitatem, siue essentiam Sacramenti non spectet.*

2 *Qui ob moralem impossibilitatem mortale peccatum in sacra Confessione non explicauit, debet cessante impedimento explicare.*

3 *In Confessione peccatorum requiritur integritas formalis, & non semper materialis.*

4 *Subitò obmutescens, aut in phrenesin lapsus absolui debet, si sacramentalem absolutionem signo aliquo doloris petiuit.*

5 *Diligens conscientiæ examinatio ante sacram Confessionem requiritur: quanta autem examinandi diligentia requiratur, moraliter, consideratis circumstantiis, æstimandum est.*

6 *Inculpata obliuio peccatorum mortalium facilius accidit circa ea peccata, quæ per ignorantiam crassam commissa fuerunt.*

7 *Qui non in specie, sed solùm in genere recordatur, se mortaliter peccasse, hoc ipsum in Confessione explicare debet.*

8 *Extra mortis periculum nunquam absolui debet, qui de nullo peccato in specie se accusat.*

9 *Si pœnitens inchoatam Confessionem coram Sacerdote perficere non possit, interdum absolui debet.*

10 *Tempore instantis naufragii, aut prælii periculosi, quandoque licitum est plures simul à peccatis absoluere.*

11 *Non tenetur aliquis peccatum confiteri cum graui periculo animæ, corporis, famæ, &c.*
12 *Peccatum ordinariè explicandum est in Confessione, non obstante, quòd complex à proprio Sacerdote agnoscendus sit: nisi quis facilè, petita licentia, alieno confiteri possit.*
13 *Si pœnitens absque necessitate complicem peccati nominare velit, à Confessario prohibendus est.*
14 *Qui duos Confessarios habet; quorum vni mortalia, alteri venialia confitetur, non peccat contra sacræ Confessionis integritatem.*
15 *Mentiri ex proposito, circa materiam mortalem, & Confessioni necessariam, est peccatum mortale, aliàs veniale tantùm.*

1 CONstat ex dictis cap. 5. diuino iure præceptum esse, vt omnia mortalia peccata, etiam occulta, & interna, quorum memoriam pœnitens, post diligentem conscientiæ discussionem, habet, secundùm speciem, & numerum quatenus moraliter possibile est, eidem Sacerdoti confiteatur. Nam Sacerdotes à Christo iudices cõstituti sunt in pœnitentiæ foro: hoc autem iudicium rectè exercere non possunt, neque æquitatem in pœnis decernendis seruare, nisi peccata in specie, ac sigillatim ipsis declarentur. Deinde argumentantur Alensis p. 4. qu. 77. membr. 5. a. 2. & 6. Adrianus in 4. de Confess. quæst. 4. §. quoad peccata mortalia. Cùm humilis peccatorum specifica confessio sit proxima materia, quæ sacramentali absolutioni subiicitur; imò quatenus ei subiicitur, & clauium virtute eleuatur, instrumentaliter ad peccatorum remissionem concurrat; ideo consentaneum est, eam cum peccatorum remissione, seu absolutione proportionem habere: vt sicuti non vnum peccatum sine al-
2 tero, sed omnia mortalia simul remittuntur: ita non vnum sine altero, sed omnia mortalia peccata simul per confessionem vni, eidémque Sacerdoti absoluturo manifestentur. Ex quo ipso consequens est, vt si aliquis, ob moralem impossibilitatem, vnum, vel plura mortalia particulatim non explicârit, debeat ea postea, cessante impedimento, explicare: propterea quòd absolutio ab ijs directè: & secundùm speciem data non sit, sicuti natura, seu institutio huius sacramenti postulat.

Est autem diligenter hoc loco obseruandum: Quòd specifica, & numerica explicatio omnium peccatorum per se, & directè, non pertinet ad necessitatem, siue essentiam sacramenti: quasi sacramentum Pœnitentiæ nũquam consistere possit, nisi integra omnium mortalium confessio fiat, sicuti præter alios notauit Palud. in 4. d. 21. quæst. 2. a. 2. concl. 2. Suarez disp. 23. s. 1. num. 5. & 10. Coninck disp. 7. dub. 1. & dub. 10. concl. 2. Sed potiùs spectat ad necessitatem præcepti diuini: cuius tamen voluntaria transgressio indirectè redundat in defectum sacramenti, vt nimirum validè non suscipiatur. Nam ad substantiam sacramenti Pœnitentiæ per se requiritur, saltem attritio: hæc autem consistere non potest cum peccato actuali, videlicet sacrilegio mortali, quòd confitens committit vnum, vel plura peccata, absque iusta causa, seu per malitiam, seu per crassam negligentiam, reticendo.

3 Quapropter DD. communiter duplicem Confessionis integritatem distinguere solent: vnam materialem, cùm quis absolutè loquendo omnia mortalia peccata secundùm speciem, & numerum confitetur, saltem quæ post vltimam Confessionem admisit: & hæc integritas non semper necessaria est, vt mox patebit. Alteram verò formalem, cum quis omnia peccata mortalia, quatenus hîc, & nunc potest ac debet, secundùm speciem, & numerum confitetur. Et hæc integritas semper necessaria est, sicuti paulò ante dixi.

4 Nũc verò casus enumerãdi sunt, in quibus homo integrè formali integritate, cõfitetur, ideóq; sacramentũ Pœnitẽtiæ validè, ac fructuosè suscipit, licet non omnia mortalia speciatim, ac sigillatim explicet. Primus casus: Infirmus in mortis articulo constitutus, qui vel sacramentum Pœnitentiæ edidit, etsi nullum peccatum in particulari confiteri possit, à Sacerdote absoluendus est: ea tamen manente obligatione, vt cessante impedimento, peccata mortalia specificè subiiciantur clauibus. Ita S. Anton. p. 3. tit. 10. c. 2. Syl. ver. Confessor, 3. n. 16. Henriq. lib. 6. ca. 10. n. 7. Zambr. c. 4. dub. 2. §. 3. Suar. disp. 23. s. 1. Vasq. in 3. p. t. 4. q. 91. a. 2. dub. 7. Valent. disp. 7. q. 11. p. 1. Tolet. lib. 3. c. 8. nu. 2. Coninck disp. 7. dub. 10. contra Sotum in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Nau. c. 26. n. 27. Can. p. 6. relect. p. 323. Ratio assertionis est; Quia Confessio, qualiscunque etiam generalis peccatorum, ex animi dolore profecta, potest esse sufficiẽs materia sacramentalis absolutionis: siquidem, vt suprà dixi, specifica, & particularis peccatorum explicatio absolutè non est de necessitate sacramenti, sed per se, ac directè solùm de necessitate præcepti diuini, quod pœnitentem non obligat, nisi quatenus seruari potest. Idipsum verò probatur testimoniis antiquorum Conciliorum, & Patrum, Concilium Carthag. 3. can. 34. vti refertur d. 4. de consecr. c. 75. *Ægrotantes, si pro se respondere non possunt cùm voluntatis eorum testimonium hi qui affuere proprio periculo dixerint, baptizentur: similiter & de pœnitentibus agendum est.* Concil. Arausic. I. cap. 12. *Subitò obmutescens prout statutum est, baptizari, aut Pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.* Similia leges in Conc. Carthag. 4. can. 76. apud S. Aug. lib. 1. de adult. coniug. Leonem ep. 91. ad Theod. quorũ verba attuli c. præc. & apud S. Th. opusc. 65. cuius meminit Trithemius de Scriptor. Eccl.

Neque respondere aliquis potest: his locis non agi de absolutione sacramentali, sed Ecclesiastica publicorum pœnitentiũ reconciliatione. Id enim falsum esse colligitur primò: quia præced. ca. ostensum est, Patres nomine *pœnitentiæ* sacramentum secretæ Confessionis intellexisse, quod ipsum Concilium Carthag. IV. in cit. can. 76. clarè indicat: *Qui infirmitate pœnitentiam petit, &c. accipiat pœnitentiam.* Neque enim interpretari possumus, mox morituros petiuisse publicam siue solemnem pœnitentiam, quæ Feria IV. Cinerum in Ecclesia inchoari solita erat, sicuti constat ex c. in capite, d. 50. & Ordine Romano in quarta Feria quadragesimæ. Secundò: Patres coniungũt Pœnitentiam cum Baptismo, ita vt vtriusque sacramenti, quoad propositum istud, eadem ratio sit. Tertiò: Concilium Arausicanum 1. c. 4. ait: *Pœnitentiam, etiam desiderantibus Clericis non negandam,* vtique secretam, & sacramentalem: Nam solemnis ac ceremonialis Clericis imponi solita non est, vti superiore c. dixi.

Pro pleniore huius casus intellectu duo insuper notanda sunt: Primum. Quod Patres, & Doctores non aliter permittunt Pœnitentiæ sacramentum morituro ob mutescenti, aut phrenetico ministrari, nisi antea sacramentalem absolutionem verbis, aut signis petiuerit. Quare non satis est, aliquem ante mortis periculum, vel in ipso periculo signum aliquod pietatis, vel etiam pœnitentiæ edidisse: nisi talis manifestatio interni doloris directa fuerit ad sacramentũ Pœnitentiæ, siue absolutionẽ sacramentalẽ à Sacerdote petendã, vti benè notauit Suar. t. 4. d. 23. s. 1. nu. 13. Ratio autẽ est manifesta: quia sacramentalis absolutio ministrari non potest, nisi adsit materia sacramenti, quæ est Confessio siue accusatio sui coram Sacerdote, tanquã Iudice: necesse, inquam, est, vt pœnitens seipsum de peccatis accuset, ea intentione, vt per sententiam Sacerdotis in foro interno absoluatur.

Sed bene notant Zambr. ca. 4. dub. 2. §. 4. Chapeauille de modo ministr. sacram. c. 5. q. 10 & 11. Quòd signa pœnitentiæ, quæ præsente mortis periculo ab infirmis eduntur, censeri debeant ad sacramentalem absolutionem directa: cùm in tali statu optimũ suæ animæ remediũ desiderare soleant. Quapropter licet infirmus in phrenesin lapsus, absolui non possit, tametsi, cùm sanus esset, & nihil de mortis periculo cogitaret, pectus secundùm morem pul-

pulsârit, aut sublatis in cœlum oculis, dixerit, *Miserere mei Deus*: tamen si talia signa edidit morti vicinus, cùm plura verba proferre non posset, præsumptio plerumque fieri potest, quòd sacramentalem à Sacerdote absolutionem petiuerit. Sed etsi consideratis circumstantijs, & examinatis ijs, coram quibus talia signa edita sunt, res dubia esse videatur, absolutio tamen conferri poterit sub conditione, si talis materia Confessionis sufficiens est ad absolutionis ministrationem.

De eo autem frustra aliquando dubitatum fuit: Vtrũ Sacerdos, qui sano corpore, nihil de mortis periculo suspicatus, Missam inchoarat, & in fine Introitus decidit moriturus, à peccatis absolui possit; ideo solùm, quòd generalem Confessionem ad Deum coram Ministro, & Ecclesia fecisset. Certum enim est absolui non posse, si aliud nullum signum edidit: cùm hæc non sit Confessio sacramentalis, seu non directa ad accipiendam absolutionem Sacerdotis in foro Pœnitentiæ.

Alterum notandum. Quod Patres, & Doctores significant, casum istum extra mortis periculum non habere locum: eius rei causa est, non quòd absolutio sacramentalis suapte natura, & institutione irrita sit, si eam aliquis extra hunc casum bona fide peteret, signa doloris, ac pœnitentiæ exhibens: attamen nullum peccatum ex ijs, quorum memoriam habet, vel non habet, in specie explicare valens: sed quia ex obligatione precepti, propter honorem sacramenti, vt eius integritas seruetur, extra dictæ necessitatis casum, absolutio, nisi speciale aliquod peccatum, explicetur, neque petẽda, neque conferenda est: tempúsque expectandum, quo conuenientiùs, ad institutionem huius sacramenti, peccatorum Confessio institui possit.

Secundus casus. Si aliquis absque negligentia mortali, memoriam non habet commissi peccati, fructuosè suscipit sacramentum Pœnitentiæ: modò reliqua peccata mortalia confiteatur. Est communis doctrina, circa
5 quam aliqua notanda sunt: I. Si negligentia discutiendi conscientiam non crassa sit, sed leuis, seu venialis, non impedit fructum sacramenti; secùs, si crassa, seu mortalis. Quæ doctrina ex terminis nota est, & traditur apud Adrian. in 4. vbi de Confess. q. 4. §. sed quid si crassa. Quænam autem sufficiens conscientiæ examinatio censeri debeat, explicat Scotus in 4. d. 17. q. 1. a. 2. debere, esse *inquisitionem diligentẽ, secundùm possibilitatem fragilitatis humanæ qualem inquisitionem homo faceret circa negotium arduum, quod ipsi multùm cordi esset.* Adde, spectãdas etiam esse hîc circumstantias personæ confitentis, numerum, & qualitatem peccatorum, &c. Nam minore examine indigent, qui frequenter, quàm qui raro confitentur: itẽ qui multis negotijs, aut commercijs, cũ peccandi occasione iunctis, impliciti sunt, quàm ij, qui vitam quietam agunt. Denique rudes & imperiti adhibere non possunt tam exactam sui discussionem, sicuti docti, & intelligentes quamobrem illi Confessarij examine iuuari debent. Vide de hac re Maiorem in 4. d. 17. q. 3. Petr. Sotum lect. 10. de Confess. Nau. in c. fratres, n. 74. d. 5. de pœnit. & in man. c. 9. n. 16. Henriq. lib. 5. c. 5. Coninck disp. 7. d. 9. n. 71.

6 II. Inculpata, aut saltem mortaliter non culpabilis obliuio faciliùs accidit eorum mortalium peccatorum, quæ per ignorantiam crassam admissa fuerunt. Nam licet tunc res ipsa siue opus, habens speciem mali, commouerit hominem ad æstimandum periculum peccandi mortaliter, quia tamen, eo dictamine spreto, & examinatione omissa, temerè opus perfecit, perinde ac si mortale peccatum non esset: non ita relinquitur in memoria species admissi mali. Si autem à Concionatore, alióve monitore postea intelligatur, tale opus esse peccatum mortale, tum primùm hominis conscientia vrgeri incipit, vti notauit Suarez disp. 23. f. 4. n. 6. Coninck cit. dub. 9. n. 73.

III. Si pœnitens non recordetur speciem peccati, sed tantùm in genere, se mortaliter peccasse, v.g. in prauam cogitationem consentiendo, noxium aliquid loquendo debet hoc ipsum Confessario explicare: cùm hæc sit sufficiens, imò necessaria materia sacramẽtalis Confessionis, & absolutionis, teste S. Th. in 4. d. 21. q. 2. a. 1. ad 1. & a. 2. Nau. c. 10. n. 7. Suarez cit. disp. 23. f. 1. n. 8. Coninck dub. 10. n. 97.

Dices, Ex hoc sequi, quòd homines rudes, qui confitentur se peccasse, sed examinati à Confessario, ne vnũquidem veniale secundùm speciem explicare possunt, rectè absoluantur. Ad hoc respondeo, cum Suar. l. cit. Coninck disp. 7. dub. 1. n. 6. & dico I. Speculatiuè rem considerando, si ponamus, talem hominem verè attritũ esse de peccatis in genere: sed ob ruditatem & simplicitatem, nullum in specie recordari, aut explicare posse, etiam extra mortis articulum validè absolui.

Dico II. In praxi huic speculationi locum non esse. 8
Ratio est: Quia si pœnitens, qui non recordatur mortalis peccati, nihilominus sacramentaliter confiteri cupiat, is aliquod veniale in specie explicare debet, si possit: vt sacramentum Pœnitentiæ congruentiùs, & certiùs administretur, teste S. Th. cit. q. 2. a. 1. ad 2. Quòd verò pœnitens id præstare possit, præsertim à Confessario examinatus, & adiutus, semper præsumendum est: cùm nemo tam hebes esse videatur, qui apprehendere, & recordari nequeat, se in oratione negligentem fuisse, verbum otiosum, aut noxium locutum, &c.

Etsi verò ponamus, Confessarium ex circumstantijs iudicare, hominem tam rudem esse, vt nihil speciatim confiteri possit: tamen extra mortis periculum absoluere eum non debet: atque apertè illi dicere, sacramentalem absolutionem non conferri, sed suæ conscientiæ relinqui: cùm materiam sacramenti, quantumuis examinatus, edicere nolit. Primò: Quia hæc est praxis bonorum Confessariorum. Secundò. Quia periculum est, ne talis homo propter ruditatem suam, etiam vero de peccatis dolore careat: sed solùm dicat se peccasse, quia audiuit omnes homines peccatores esse. Tertiò: Quia si supernaturalem dolorem habet, iustificari poterit ab occultis peccatis suis per susceptionem sacramenti Eucharistiæ. Quartò: Quia si semel fateamur, absolutionem extra extremam necessitatẽ fidelibus conferri posse, nullum peccatum in specie explicantibus, ea facultate abutentur. Sacerdotes, contra sacramentalis Confessionis legitimam institutionem, & vsum.

Tertius casus est. Si pœnitens inchoatam Confessionem sacramentalem perficere non possit, quod pluribus modis contingit: I. Si homo mutus, surdus balbutientis linguæ, aut ignoti idiomatis omnia peccata explicare nequeat: qua de re Lopez p. 1. inst. cap. 27. Henriq. lib. 5. cap. 12. n. 3. II. Si pœnitens inter confitendum in phrenesin incidat, vel periculum sit, ne mox moriatur: debet statim absolui, & postea, si superuiuat, reliqua peccata audienda, & absolutio denuò conferenda est. qua de re Sotus d. 18. q. 2. a. 5. ver. Difficultates, Lopez cit. p. 1. c. 18. Victor. n. 164. Suar. cit. f. 1. n. 2. Sa ver. absolutio, n. 9 9. III. Tempore pestis, instantis naufragij, periculosi prælij, si Confessarius multorum integras Confessiones excipere non possit: quo casu licitum quoque est, plures simul confitentes audire & absoluere. Qua de re Henriq. loco cit. Coninck disp. 7. dub. 9. n. 74. Tolet. lib. 3. c. 20. num. 5. 10

Quartus casus est: Si aliquis habeat casus reseruatos: de quo dicam infrà, cap. 12. num. 8. & 10.

Quintus casus. Si necessitas vrgeat confitendi suo Parocho v.g. cui sine graui periculo animæ, corporis, famæ aut fortunarum, proprio, vel alieno, peccatum aliquod significari nequeat: tunc, eo prætermisso, reliqua explicari, & absolutio peti potest. Ita DD. communiter apud Sotum d. 18. q. 2. a. 5. Nau. c. 7. man. Syl. ver. Confessio 11

1. q. 18. Adrian. in 4. vbi de Confess. §. Sed oritur ex his aliud dubium, Suarez disp. 23. s. 2. Ratio est, quam Medina affert q. 10. C. de Confessione: Quia tunc positiua lex de Confessionis integritate, meritò cedit iuri naturali charitatis: ne, quod ex charitate remedium institutũ est, contra charitatẽ militet. Cæterùm, si necessitas non cogat tali Confessario confiteri, quia licentia obtineri potest alteri confitendi; vel Confessio sine graui incõmodo differri: tunc concessum non est, minùs integram Confessionem facere.

Id verò in quæstione positum: Vtrum oporteat confiteri peccatum, quo necesse est complicem infamare apud Confessarium, v.g. incestum cum matre? Respõ-
12 deo, & dico I. Si pœnitens hanc complicis infamationẽ facilè vitare possit, confitendo cum licentia ignoto Confessori, ad id obligatur. Ita DD. communiter apud Nau. cit. c. 7. n. 5. Suarez disp. 43. s. 2. Henriq. lib. 5. c. 9. P. Nau. lib. 2. de restit. c. 4. n. 263.

Dico II. Si complicis fama grauissimè lædenda sit apud Confessarium, v.g. Prælatum, reticeri debet peccatum, vel saltem circumstantia, aut executio peccati, quatenus necesse est, vt complicis peccatum tegatur: ne alioquin Confessio ad salutem hominũ instituta, in graue alicuius damnum, vel tristitiam cedat, si is fortè aliquo indicio cognoscat, famam siue existimationem suam apud Prælatum, Patronum, &c. grauiter læsam esse. Ita DD. apud Henriq. n. 8.

Dico III. Si, vt plerumque fit, complici non aliud damnum eueniat, quam quòd eius fama apud solũ Confessarium, virum prudentem læditur: posthabendum id est maiori bono seruandæ integritatis, & capiendi spiritualis auxilij à Confessario, sicuti contra Innoc. & Hostiens. in cap. omnis, de pœnit. & remiss. Nau. in man. c. 7. n. 3. & in c. consideret, n. 98. dist. 5. de pœnit. Armil. ver. Confessio, n. 11. docent Alensis p. 4. q. 77. mẽ. 2. a. 1. ad 4. S. Bonau. in 4. d. 21. p. 2. a. 1. q. 3. Gerson. p. 2. operum in regul. moralibus, de pœnitentia, P. Nau. n. 275. In eadémque sententia fuit Auctor formulæ vitæ apud S. Bern. *De nullo sinistrè loquaris, nisi in Confessione & hoc, vbi non potes aliter manifestare tuum peccatum.* Vtitur enim tunc pœnitens iure suo: & complex hoc quale quale famæ suæ dispendium sibi ipsi imputare debet: quando tale crimen admisit, quod coram legitimo conscientiæ Iudice aliter explicari non potest.

13 Porrò si Confessarius animaduertat, pœnitentem paratum esse ad nominandum complicem, circa ea peccata, quæ sine complicis agnitione intelligi possunt, prohibere illum debet, sicuti admonet S. Bonau. citat. a. 1. quęst. 3. Præterquam si id omnino necessarium videatur adiuuandum pœnitentem, vel ipsum complicem. Quãquam si complex correptione indigeat, præstare videtur vt non ipse Confessarius, sed alia idonea persona corripiat. Si verò alius idoneus haberi non possit, qui graue malum impediat, vel tollat, tunc hortetur Confessarius pœnitentem, potiùs extra Confessionem alienum peccatum, in ordine ad correctionem fraternam, ipsi aperiat? vt tantò liberiùs peccati notitia vti possit, atq; dicere corripiendo, se eam extra sacramentum Confessionis accepisse: ne illud odiosum homini reddatur. Præcipuè verò cauere oportet Confessarium, ne facilè fidem habeat fœminis accusantibus maritos suos. Videri potest Henriquez cap. 10. P. Nauar. num. 281.

His adde, probabilissimum esse, quod Syl. ver. Cõfessio, 1. n. 3. Nau. c. 2. n. 10. Suar. disp. 36. s. 4. dub. 2. Henriq. lib. 4. c. 4. n. 6. & alij docent, peccata, quæ ob naturalem obliuionem, vel aliud iustum impedimentũ Paschali tempore omissa fuerunt, non esse statim confitenda, cùm impedimentum cessauit, aut peccati memoria rediit; sed ad sequens Pascha licitè differri posse: propterea quòd Ecclesiæ præcepto semel de peccatis omnibus mortalibus, quatenus moraliter possibile est, confitendis, satisfactum fuerit.

Ad extremum duæ quæstiones soluendæ sunt: Prima,
Vtrum peccet, vel contra Confessionis integritatem 14
agat, qui duos Confessarios habens, eorum vni priùs confitetur mortalia; alteri postea solùm venialia? Resp. & dico I. Certum esse debet, id quandoque rectè fieri, quo pœnitens maiore libertate apud alterum vti possit, si graue peccatum, in quod præter consuetudinem lapsus est, ordinario suo Confessario, apud quem bonam hactenus opinionem seruauit, confiteri erubescat. Quare imprudenter agunt Confessarij, si reprehendant pœnitentes suos, quòd semel, aut fortè iterum cõfessionale eorum declinârint; cùm potiùs id dissimulare oporteat.

Dico II. Tametsi id sæpius fiat, non est contra Confessionis integritatem: siquidem primo illi Confessario pœnitens venialia confiteri non obligetur: secundo autem Confessario confiteri non prohibitur. Neque alia hîc apparet grauis, seu mortalis deformitas, per se loquendo, vti docet Nau. c. 21. n. 40. Suarez disp. 22. s. 1. n. 22. Henriq. lib. 5. c. 16. n. 6. Coninck disp. 6. dub. 4. contra Syl. ver. Confessio, 1. q. 6. Imó, si iusta ratio subsit, nulla culpa erit: vt si valde aliquis abhorreat à confessione mortalium huic Confessario faciendâ, quem tamen ob aliquam causam deserere non audeat. Plerumque tamen hæc res non vacat aliqua deordinatione, & est signum animi magis æstimationem suam, quàm spiritualem perfectionem curantis. Per accidens verò fieri potest, vt talis etiam mortaliter peccet, si ea ratione exponat se periculo facilè labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi: quod eiusmodi hominibus accidere solet, qui de industria Confessarios impeditos adeunt; vel quibus ignoti sunt: nullum constanter retinentes, sed ab vno ad alterum transeuntes.

Altera quæstio. Quale peccatum sit in Confessione mentiri: videlicet circa ea, quæ per se ad Confessionem spectant: vt si affirmes te peccâsse, cùm non peccâris; vel neges te peccâsse, cùm peccâris? Respon-
deo, & dico I. Mentiri ex proposito circa materiam 15
mortalem, & Confessioni necessariam, est peccatum mortale. Vel enim negas te fecisse peccatum mortale, quòd hîc, & nunc fateri deberes: & tunc clarum est, Confessionem non esse integram, sed sacrilegam. Vel affirmas, te fecisse mortale, quod non fecisti: & tunc quoque grauiter decipis Confessarium, Christi Vicarium, atque spiritualem Iudicem, non sine graui irreuerentia Sacramenti.

Dico II. Mentiri in Confessione circa peccatum veniale, vel aliam materiam non necessariam, aut quam hîc, & nunc confiteri non teneris, est peccatum duntaxat veniale. Ita Sotus q. 18. q. 2. a. 4. concl. 3. Syl. ver. Confessio, 1. q. 8. Nau. c. 21. n. 37. Petr. Sotus lect. 10. de Confess. in fine, Suar. disp. 22. s. 10. Sa ver. Confessio, n. 12. Coninck disp. 6. dub 3. contra Caiet. 2. 2. q. 69. a. 1. & ver. Confessio, condit. 4. Cùm enim pœnitens non teneatur talia peccata confiteri: non grauiter decepit Confessarium mentiendo: neque peruertit naturam Sacramenti: quando quidem absolutio nihilominus valida erit, suúmque effectum consequetur: dummodo interim vera Confessionis materia subijciatur. Quod idcirco adijcio, quia certum est, illum peccaturum mortaliter, qui falsò se alicuius venialis peccati accusans, nullámque aliam Confessionis materiam afferrens, absolutionem à Sacerdote postulat: nisi animi perturbato, vel scrupulus eum excuset, sicuti bene notauit Nauar. l. c. & in c. fratres, num. 27. dist. de pœnit.

CAP. IX.

De confessione inualida, ob defectum pœnitentis, vel Confessarij.

SVMMARIVM.

1 *Confeßio inualida est, vel ob defectum pœnitentis, vel ob defectum Confessarij.*

2 *Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum, atque informe.*

3 *Attritio ex supernaturali motiuo, quæ cum Sacramento sufficiens dispositio est ad iustificationem, debet se ad omnia peccata mortalia, saltem virtualiter, extendere.*

4 *Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem, peccatum cōfiteri omisit, non tenetur postea integram Confeßionem repetere: secus, si ignorantia mortalis fuit.*

5 *Si Confessarius ob distractionem, vel somnum, aliquod peccatum mortale non intellexit, videtur nihilominus validè conferri absolutio: si tamen pœnitens id postea resciat, debet iterum peccatum illud clauibus subijcere.*

6 *Si Confeßio, quæ ob defectum pœnitentis, aut confessarij inualida fuerat, denuo instituatur apud eundem Sacerdotem non est necessarium peccata secundùm speciem, & numerum repetere: modò, Confessarius statum pœnitentis adhuc recordetur.*

1 COnfessio ex duplici capite inualida fieri potest, vti bene docet Barthol. Medina lib. 1. instruct. c. 12. §. 1. & 2. Primò ob defectum pœnitentis, si requisito dolore careat, vel quia nullum omnino habet, vel non ex supernaturali motiuo profectum, vel non ad omnia mortalia se extendentem. Quò pertinet, si aliquis inter confitendum mortaliter peccet; puta quia temere, vel per crassam ignorantiam omittit peccatum mortale, aut de quo rationabiliter dubitat, num sit mortale, (nisi in hoc casu bona fide arbitretur, se confitendi obligatione immunem esse) vel denique si exiguam valde conscientiæ discussionem instituens, conijciat se in probabile periculū omittendi mortalis. Ita docet Caiet. ver. Cōfessio iteranda, Petr. Sotus lect. 10. de Confess. Nau. c 9. n. 16. Sa ver. confessio, n. 7. Tol. lib. 3. c. 10. n. 8. Suar. disp. 23. s. 3. & 4.

Exinde sequitur; Cùm eiusmodi confessio irrita, & sacramentalis non sit, totam necessariò in altera confessione repetendam esse, sicuti notarunt Nau. Suar. Petr. Sotus ll. cc. Adrian. in 4. de confess. quæst. 4. in fine. Quāuis contrarium sentiat Sotus d. 18. q. 3. a. 3. concl. 3. Victoria n. 160. Henriq. lib. 5. c. 11. n. 1. vbi aiunt: Si aliquis non ex industria, sed per negligentiam, quamuis mortalem, omisit peccatum mortale confiteri, reliquorum confessionem informem quidem esse: attamen validam neque repetendam. Quemadmodū enim alia sacramenta interdum validè conferuntur, sed sine effectu, seu fructu gratiæ, quando suscipiens obicem ponit: ita etiam videtur sacramentum Pœnitentiæ interdum validè conferri, licet informiter, & sine fructu, si confitens sufficienter dispositus sit ad suscipiendum sacramentum, nō item fructum sacramenti, seu gratiæ effectum, sicuti docent S. Th. in 4. d. 17. q. 3. a. 3. q. 1. Rich. a. 2. q. 8. ad 5. Palud. q. 8. Sotus. lo. cit. Suar. disp. 20. sect. 5.

2 Sed expeditior est sententia Gabr. ead. d. 17. q. 1. a. 3. §. Secundus casus in ordine, Maioris q. 9. Adriani q. 4. de Confess. §. sed quid si crassa ignorantia, Vasq. disp. 92. a. 1. dub. 1. Medinæ C. de confess. quæst. 29. Coninck disp. 4. dub. 11. qui vniuersim negant, sacramentum Pœnitentiæ posse esse informe: seu validè cōferri secundùm essentiam, sine collatione gratiæ. Siquidē hoc peculiare est in sacramento Pœnitentiæ, quòd debita suscipientis dispositio, videlicet dolor de peccatis, sit pars illius essentialis, vti notauit S. Th. in 4. d. 23. q. 1. art. 4. q. 2. Qui dolor, siue attritio supernaturalis si adsit, non tantùm sacramentum valebit, sed etiam gratiam conferet: si autem desit, quantumuis inuincibiliter existimetur adesse, non valebit sacramentum, quippe parte substantiali destitutum.

3 Deinde sic argumentor: Contritio siue dolor de peccatis, qui est materia siue pars essentialis sacramenti Pœnitentiæ, teste Trident. sess. 14. cap. 3. & 4. debet se saltem virtualiter extēdere ad omnia mortalia peccata. Talis autem actus (si eius motiuum, vti ponitur, supernaturale sit) secundùm omnes est sufficiens quoque dispositio, vnà cum sacramento, ad recipiendā gratiā. Ergo omnis actus contritionis, seu attritionis, qui est sufficiēs materia sacramenti, est etiam sufficiens dispositio gratiæ. Prima propositio probanda est: Tum quia actus ille doloris debet tendere ad reconciliationē cum Deo, ideóque continere propositum imposterum vitandi mortalia omnia peccata: Tum quia per absolutionem Sacerdotis, ex propria natura & institutione huius sacramenti, omnia simul mortalia peccata remittuntur: Ergo conuenienter etiam institutioni huius sacramenti ex parte pœnitentis requiritur dolor, siue detestatio omniū mortalium peccatorum. Deniq;, si dicamus, ad contritionē, seu attritionē, quæ est pars Pœnitentiæ, non requiri saltem virtualem omnium peccatorum detestationem, cōsequens est, nihil repugnare, quominus vera cōtritio cōsistat cum actuali affectu ad peccatum mortale: id autē probabiliter dici nō potest, vti fatetur Suarez cit. s. 5. n. 5.

Duo tamen hîc obseruanda sunt: I. Sæpe fieri, vt tametsi aliquis non rectè præparatus & attritus ad sacram Confessionem veniat, in ipsa tamē Confessione, vel post, boni Confessarij industria, ad absolutionem & gratiam sacramenti disponatur. II. Si aliquis, ob ruditatem, vel ignorantiam non mortalem, peccatum confiteri intermittit, sed alioquin attritus & dispositus est, is validè & fructuosè absolutionem accipit: vt proinde non tota confessio postea repetēda sit, sed hoc solùm quod omissum fuerat. Exemplum habes in puero, qui peccatum aliquod, v. g. mollitiem, arbitratus esse leue, aut nullum: sed postea grandior factus, intellexit esse mortale: de quo Syl. ver. Confessio, 1. quæst. 3. Nau. in cit. c. fratres, n. 82. d. 5. de pœnit. Beia p. 1. casu 9. Item in rustico rudi & imperito, qui ex ignorantia non crassa, peccata solùm genericè, vel tantùm specificè, & non sigillatim, ac secundùm numerum confitetur, quia à Parocho suo nunquam de ea re instructus est: talis, si supernaturalem de peccatis pœnitentiam, cum emendandi proposito, habeat, videtur validè absolui: quamuis cum obligatione, vt, si postea præceptum diuinum de Confessionis integritate cognoscat, puta in concione, catechismo, vel Confessione edoctus; teneatur peccata omnia mortalia secundùm speciem, & numerum, quatenus potest, explicare. Interdum tamen si appareat magna hominis ruditas, Confessarius contentus esse potest enarratione peccatorum à proxima Confessione cōmissorum; præcedentium autem rudi aliqua cognitione; præsertim si aliorum pœnitentium copia adsit. Quando quidem rudis ille homo, propter obligationis ignorantiam non crassam, capax est absolutionis, vt pono ad perfectiorem autem dispositionem hîc, & nunc facilè adduci non potest, vt ponimus.

Secundò fit Confessio inualida, ideóque repetenda ob defectum aliquem Confessarij, qualis est I. Si iurisdictione omnino caruit, vel impeditam habuit per suspensionem ab officio, vel excommunicationem denuntiatam, aut contractam ob Clerici notoriam percusionem. II. Si verba absolutionis substantialiter vitiet. III. Si absoluendi intentionem neque actualem, neque virtualem habeat.

IV. Addunt S. Anton. p. 3. tit. 17. cap. 15. & c. 21. §. 3. Nau. cap. 9. man. num. 14. Syl. ver. Confessio, 1. q. 3. dicto tertio; Si Confessarius, ob surditatem, animi distractionem, &c. peccata mortalia non intellexit. Quia 5 confessio seu accusatio sui ipsius apud Iudicem nulla est, nisi is intelligat: Veruntamen si pœnitens bona fide sua peccata aperuit, & culpa in solo Confessario resedit, arbitror, datam absolutionem validam, & fructuosam esse, vti docet Henriquez lib. 5. cap. 14. num. 5. & indicat Suarez disput. 22. sect. 7. numero tertio, propterea

quòd eſſentia, & effectus ſacramenti Pœnitentiæ conſiſtere poſſit abſque integra, & ſpecifica peccatorum explicatione; ſi ea ſine vlla culpa pœnitentis, ſuúmque dolorem Sacerdoti explicantis, intermittatur, vt ſuprà dixi. Nihilominus ſi pœnitens poſtea cognoſcat, vnum, vel plura peccata mortalia Confeſſarium nullo modo intellexiſſe, debet ea ſola cum alijs poſtea commiſſis in ſequente Confeſſione iterum explicare: quia ſemper manet obligatio peccata omnia mortalia ſecundùm ſpeciem, & numerum Sacerdoti indicandi, vt ab omnibus abſolutio directè, & in ſpecie, ſicuti inſtitutioni huius ſacramenti conſentaneum eſt, conferatur.

Deinde hoc addo; tametſi contingat, abſolutionem Sacerdotis, ob aliquem occultum eius defectum, inualidam fuiſſe; rarò id obfuturum pœnitenti inculpatè defectum ignoranti: quando enim is in proxima Confeſſione abſoluetur à peccatis, abſolutio illa extendet ſe ad alia omnia, à quibus ſe antè abſolutum bona fide exiſtimabat.

Ad extremum; ſi Confeſſio ob quemcunque defectũ ſeu pœnitentis, ſeu Confeſſarij irrita fuerit, & idcirco repetenda ſit, diſtinguendum eſt: vtrum ſacramentalis abſolutio ab altero Sacerdote petatur; qui priorem inualidam Confeſſionem non audierat, tunc haud dubiè omnia peccata mortalia, quatenus fieri poteſt, repe-
6 tenda erunt. An verò coram eodem Sacerdote, eóque retinente memoriam peccatorum, tunc opus non eſt peccata repetere, ſed tantùm defectum corrigere, v. g. intermiſſæ contritionis ſignum edere, de omiſſo peccato ſe accuſare, abſolutionémque petere: quemadmodum, inquit Suarez diſp. 22. ſ. 6. num. 5. ſi Sacerdos peccata confitenda antè nouit, tunc ſufficit dicere v. g. *accuſo me de peccatis, quæ de me noſti*: Si autem peccatorum memoriam non retinet Confeſſarius, tunc aliqui abſolutè aiunt, Confeſſionem ſecundùm ſpeciem, & numerum, repetendam eſſe, quibus ex parte cõſentit Suarez l. c. num. 7. & Henricus quodlib. 7. quæſt. 23. & quæſt. 25. Alij verò rectiùs negant. Palud. S. Anton. p. 3. tit. 14. cap. 10. §. 4. Syl. ver. Confeſſio, 1. quæſt. 3. Medina quæſt. 24. Cod. de Confeſſ. Nau. cap. 9. man. num. 29. Sa ver. Confeſſio, num. 8. Tolet. lib. 3. c. 10. num. vlt. Vaſq. quæſt. 92. art. 3. dub. 3. dummodo confusè recordetur ſtatum peccatoris, vt conuenientem illi pœnitentiam imponere poſsit. Quod probatur ex praxi: ſi enim Sacerdos audita Confeſsione animaduertat pœnitentem non ſatis diſpoſitum, & attritum eſſe; interdũ differt abſolutionem in alterum diem: ſi autem contingat eum interea ſpecies peccatorum obliuiſci, non ideo exigere ſolet, vt Confeſsio repetatur; ſed tantùm vt de peccatis verus dolor cum emendationis propoſito conceptus ſit. Ratio eſt, quam ſæpius dedi, quia ſpecifica, & particularis peccatorum manifeſtatio, aut cognitio per ſe, & ſimpliciter non eſt de eſſentia, ac neceſsitate ſacramenti: ſed tantùm de neceſsitate præcepti diuini, cui pœnitens antè ſatisfecit, enumerando omnia peccata, ideóque ſolùm defectum v. g. contritionis iam ſupplere tenetur. Addo denique, tametſi Confeſſarius neque ſtatum peccatoris generatim recordetur, ſed id tantùm, quòd ſibi cõfeſſus fuerit, eúmque iam rectè diſpoſitum abſoluat, peccaturum illum quidem, cùm non rectè ſuo munere in pœnitentia imponẽda, &c. fungi poſſit; nihilominus abſolutionem validam, & pœnitenti fructuoſam fore.

CAP. X.

De Miniſtro ſacramenti pœnitentiæ, atque in eo requiſita iuriſdictione.

SVMMARIVM.

1 *Solus Sacerdos à peccatis abſoluere poteſt: requiritur autem in eo iuriſdictio.*

2 *In tribus caſibus omnis Sacerdos à peccatis abſoluere poteſt. I. Si Confeſsio ſit tantùm de venialibus. II. Si Confeſsio ſit de mortalibus, à quibus pœnitens antè abſolutus fuerat. III. In mortis articulo ab omnibus peccatis.*

3 *Iuriſdictio in Pœnitentiæ foro alia ordinaria eſt, & alia delegata.*

Ordinariam iuriſdictionem habent Papa, Epiſcopus, eiúſque generalis Vicarius, Parochi, aliíue Curati ſeculares, & regulares.

Epiſcopi quemuis idoneum Confeſſarium eligere poſſunt.

4 *Parochi quoque, aliique Sacerdotes, cuiuis approbato & expoſito, confiteri ſolent.*

5 *Iuriſdictioni Ordinariorum aliquis ſubiicitur non tantùm conſtituendo in diœceſi, vel parochia domicilium, ſed etiam quaſi domicilium.*

6 *Ad domicilium, vel quaſi domicilium conſtituendum, tum animus requiritur, tum factum.*

7 *Vagabundus confiteri poteſt cuiuis Parocho, alteriue expoſito eius loci, in quo pro tempore verſatur.*

8 *Vagabundorum matrimoniis Parochus aſſiſtere non debet, niſi re bene examinata, vel ad Ordinarium delata.*

9 *Peregrinus, dum à parochia abſens eſt, alteri expoſito Sacerdoti confiteri poteſt.*

10 *Peregrinus iudicatur, & abſoluitur in Pœnitentiæ foro, etiã quo ad reſeruata peccata, ſecundùm conſuetudines loci eius in quo ſe iudicio ſubmittit.*

11 *Qui ordinariam iuriſdictionem habet, alteri Sacerdoti poteſtatem à peccatis abſoluendi delegare poteſt, in quo delegandi iure ſuperior non dependet ab inferiore.*

12 *Delegatus ſubdelegare non poteſt: niſi id ipſi ſpecialiter conceſſum ſit: vel niſi ſit delegatus Principis, vel delegatus ad vniuerſitatem cauſarum.*

13 *Qui habet vicariam adminiſtrationem loco abſentis: ſaltem cauſam aliquam particularem ſubdelegare poteſt.*

14 *Is, cui non officium, ſed nudum miniſterium, ſeu ſimplex iuriſdictio in ordine ad certos actus committitur, alteri ſubdelegare non poteſt, ſine ſpeciali licentia committentis.*

15 *Ad iuriſdictionem alteri demandandam requiritur actualis conſenſus delegantis, externo ſigno manifeſtatus.*

16 *Nec ratihabitio ſperata in futurum: neque impræſentiarum rationabiliter præſumptus conſenſus, ſi re ipſa non adfuit, ad iuriſdictionem conferendam ſufficit.*

17 *Qui habet facultatem generaliter delegatam abſoluendi ſubditos à caſibus reſeruatis, poteſt eam alteri Sacerdoti committere ad abſoluendum ipſummet, cui commiſſa eſt talis facultas.*

18 *Confeſſarii Ordinum Mendicantium omnes Chriſti fideles à quibuſcunque peccatis, ſententiis, cenſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis abſoluere poſſunt: iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur.*

19 *Confeſſarii Ordinum Mendicantium accipiunt iuriſdictionem in foro Pœnitentiæ à ſummo Pontifice, accedente Prælatorum ſuorum conſenſu, & expoſitione: & non per Epiſcopi approbationem.*

20 *Religioſi extra Ordinem ſuum ordinariè confiteri non poſſunt & in ipſo Ordine non alteri, quàm Superior iis deſignârit.*

21 *Probabile eſt, quòd Confeſſarii Ordinum Mendicantium à cenſuris in foro conſcientiæ fideles abſoluere poſſint, tametſi eorum Confeſſiones non audiant.*

22 *Facultas audiendi Confeſſiones, aut abſoluendi à caſibus reſeruatis mortuo concedente non extinguitur.*

23 *Poteſtas delegata ad iuſtitiam, mortuo delegante expirat, ſi res integra ſit, ſed gratiæ, & beneficia manent, donec reuocentur.*

24 *Commiſſio particularis in fauorem alicuius, ſi neceſſaria eſt, non extinguitur morte committentis, etiam re integra: ſin autem voluntaria, extinguitur.*

ASſertio Prima. Solus Sacerdos poteſt eſſe miniſter ſacramenti Pœnitentiæ. Ita docent SS. Pa- 1
tres, quorum aliquos ſuprà allegaui, & definiuit Florentinum in decreto Eugenij, Trident. ſeſſ. 14. c. 6. & can. 10. Sumitur ex c. 20. S. Ioannis, vbi Chriſtus in diſcipulos ſuos *inſufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quo facto Dominus clarè ſignificauit, ſicuti etiam ſemper Eccleſia intellexit, poteſtatem hanc remittendi, ac retinendi peccata, non omnibus conceſſam eſſe: ſed ijs tantùm, qui per ſpecialem ordi-

lem ordinationem, & Spiritus sancti gratiam, ad id deputarentur: quales sunt soli Sacerdotes. in quorum proinde ordinatione eadem illa verba dicuntur. Confirmatur ex eo, quòd etiam in veteri testamento ad solos Sacerdotes pertinebat inter lepram & lepram diiudicare: quæ figura erat & adumbratio huius spiritualis iudicij, & absolutionis à peccatis, vti S. Hieron. notauit in cap. 16. Matth.

Corollarium Quod Doctores aliqui monent ex c. 1. d. 6. de pœnit. Si desit Sacerdos, præsertim in mortis articulo, cuiuis alteri, etiam laico confitendum esse: id non intelligitur in ordine ad sacramentalem absolutionem: sed solùm ad excitandam contritionem, maiorémque sui confusionem. quare neque in præcepto est talis peccatorum confessio, sed in consilio, si, spectatis circumstantijs, salubriter fieri possit. Qua de re Alensis p. 4. q. 78. mem. 1. a. 1. S. Bonau. in 4. d. 17. p. 3. a. 1. q. 1. Duran. ibid. q. 11. Abb. in c. quanto, n. 12. de consuet. Nau. in cit. c. 1. n. 78.

Assertio secunda. Non omnis Sacerdos à peccatis absoluere potest: sed requiritur etiam in eo iurisdictio. Ita Florentinum Conc. cit. loco. Trid. sess. 14. c. 7. & colligitur ex facto Christi cit. c. 20. Ioan. vbi priùs discipulis suis iurisdictionem contulit, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: deinde potestatem remittendi, ac retinendi peccata tribuit. Ratio est: Quia absolutio à peccatis est actus iudicialis: ideóque iurisdictionem in subditos requirit. Quare exactè hîc distinguendum est inter potestatem ordinis, & potestatem iurisdictionis: Nam potestas ordinis in omnibus Sacerdotibus æqualis est, extendens se ex Christi institutione ad omnia omnium fidelium peccata remittenda, iuxta verbum Christi, *quorum remiseritis peccata*: sed est tantùm remota, & indeterminata, quæ per se in actu exire non potest: perficitur autem, ac determinatur per potestatem iurisdictionis à Christo, vel Ecclesia collatæ: siue erga omnes, siue erga certos fideles: ad eum ferme modum, sicuti qui iuris Doctor creatur, is potestatem accipit iudicandi de rebus in iure controuersis, vel ex Cathedra publicè docendi: sed tantùm remotam & incompletam, quæ in actum exire non potest, donec acceptâ iurisdictione, alicubi iudex: vel accepta Cathedra, alicubi Professor constituatur. Vide Sotum in 4. d. 18. q. 4. a. 2. & d. 20. q. 1. a. 2. Nau. in c. placuit, d. 6. de pœnit. n. 18. & 48. Med. q. 34. & 35. C. de Confess. Llamas p. 1. Methodi, c. 4. §. 1. Lactantium Finellium de casibus reseruatis, cap. 2. Suarez disp. 16. s. 3. Henriq. lib. 6. cap. 1. §. 2.

2 Porrò in tribus casibus quilibet Sacerdos, ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, iurisdictionem obtinet: I. Super venialia peccata tantùm. II. Super mortalia, à quibus pœnitens antè legitimè absolutus fuit. III. In mortis articulo super omnia omnino peccata. Discrimen autem est, quòd primam, & secundam facultatem Ecclesia aufert Sacerdoti excommunicato, denuntiato, vel notorio percussori Clerici: tertiam verò non aufert: quia non expedit propter huius sacramenti necessitatẽ; quamuis absolutè loquendo auferre posset. Quæ omnia arguunt eiusmodi iurisdictionem Sacerdotibus non diuino iure, sed ex Ecclesiæ concessione competere, sicuti docet Med. q. 36. Valent. dis. 7. q. 10. p. 2. Suarez disp. 26. s. 5.

Etenim iurisdictio, vt ex dictis constat, vel immediatè à Christo datur: vel à Prælatis Ecclesiæ. A Christo immediatè iurisdictionem generalem super omnes fideles acceperunt Apostoli, Ioan. 20. sed specialiter S. Petrus, quippe qui reliquorum etiam Apostolor. caput, & pastor constitutus est: insuper iurisdictionem accepit perpetuò in successoribus suis duraturam, vt nunquam Ecclesia visibilis in terris Pastore, & summo Capite destitueretur: atque vt ab ipso, conueniente ordine, potestas spiritualis iurisdictionis in reliquos Dei Sacerdotes ac Ministros descenderet: adeò, vt omnes post Apostolos iurisdictionem à Summo Pontifice mediatè, vel immediatè accipiant. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 2. 3

Assertio Tertia. Iurisdictio in Pœnitentiæ foro alia est ordinaria, quæ alicui competit ratione officij, quo fungitur: Alia est delegata, quæ alicui competit ex concessione Ordinarij, sicuti infrà explicabo. Atque ita docent Concilia, Florent. & Trident. ll. cc. Iurisdictionẽ ordinariam imprimis habet Sum. Pontifex, eiúsq; summus Pœnitentiarius in omnes Christi fideles. Deinde Episcopus quilibet, eiúsque Vicarius perpetuus in omnes tum Clericos, tum laicos suæ diœcesis. Eademque ratio est de Prælatis exemptis, comparatione suorum subditorum. Denique etiam Parochus, vel perpetuus parochiæ Vicarius ordinariam iurisdictionem in omnes suæ parochiæ fideles obtinet. Qua de re vide Alex. Halens. p. 4. q. 8. mem. 3. a. 2. Nau. in c. placuit, n. 128. d. 6. de pœnit. Neque verò Reges, aut Duces à iurisdictione Ordinariorum, vbi illi sedem fixam habent, scripto aliquo iure eximuntur, teste Palud. in 4. d. 17. q. 3. a. 2. concl. 3. Soto d. 18. q. 4. a. 2. Llamas p. 1. Meth. c. 5. §. 1. Gabr. cit. d. 17. q. 2. a. 3. dub. 2. Suar. disp. 25. in fine. Quamquam, quod ad sacramentum Pœnitentiæ attinet, ferme Pontificio diplomate, vel præscripta consuetudine licentiam obtinuerunt, quemuis approbatum Confessarium eligendi.

Plerique etiam Doctores annotârunt, vt Syl. ver. excomm. 1. §. 10. Armilla, §. 28. Henriq. lib. 13. c. 25. n. 5. Sa ver. excommunicatio, n. 15. Reges, siue Principes supremos priuilegiatos esse, quominus ab alijs, quàm Romano Pontif. excommunicari, aliísve censuris ligari possint. Quamobrem in c. ne aliqui, de priuil. in 6. habetur, Quod priuilegium alicui concessum vt excommunicari, suspendi, aut interdici non possit, non extendatur ad sententias Ordinariorũ: excepto, si sit concessum Regibus, Reginis, aut ipsorum filijs: vel Religioso Ordini, aut Conuentui.

Porrò Episcopis, & alijs exemptis Prælatis ipso iure concessum est, quemuis prouidum, & discretum Confessorum sibi deligendi, c. vlt. de pœnit. & remission. & notat Palud. in 4. d. 17. q. 3. a. 2. Syl. ver. Confessor, 1. q. 8. Suar. disp. 27. s. 2. n. 4. Denique idem priuilegium deligendi sibi idoneum, & approbatum Confessarium Parochi etiam participãt, vti notauit Eman. Sa ver. Confessor, n. 1. Coninck disp. 8. dub. 8. concl. 3. Imò ferme omnium Ecclesiarum consuetudine introductum est, vt Sacerdotes quilibet seculares cuiuis approbato, & exposito confiteantur: propterea quòd ipsi varijs in locis sæpe sacrificantes, eiusmodi facultate opus habere videantur, ideóque Prælati omnes, ac Parochi in talem facultatem libenter consentiant: qua de re Nau. in c. placuit, n. 28. & seqq. dist. 6. de pænit. Angelus ver. Confessio, 3. §. 30. Gabr. in 4. d. 17. q. 2. a. 3. dub. 6. & lect. 3. in canon. Missæ. 4

Assertio quarta. Iurisdictioni Ordinariorum, puta Episcopi, & Parochi, fideles subijciuntur, non tantùm constituendo in diœcesi, vel parochia domicilium, siue habitationem perpetuam; sed etiam quasi domicilium, siue habitationem ad tempus non admodum breue negotij alicuius causa, sicuti explicaui lib. 1. tr. 4. c. 12. n. 1. & docet Gl. in Clem. 1. de priuilegijs. Abb. c. cùm contingat, n. 19. de foro compet. Palud. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. concl. 6. Gabr. ibid. q. 2. a. 3. dub. 2. Syl. ver. domicilium, & ver. Parochia, Suar. dis. 25. s. 2. Mol. t. 1. tr. 2. dis. 214. Sanch. lib. 4. moral. c. 37. n. 24. & lib. 3. de matrim. disp. 23. n. 12. vbi monent, eandem rationem esse de aliorum sacramentorum (excepto Ordinis) administratione, item de iure assistendi matrimonio, dispensandi in votis, conferendi sacram sepulturam, &c. quòd Episcopi, & Parochis non tantùm in incolas competat sed etiam in quasi incolas: videlicet scholares, milites 5

præſidiarios, famulos, & ancillas: tametſi alibi domicilium habeant: licet contrarium huius ſenſerit Nauar. in c.placuit, n. 89. & 96. diſt. 6. de pœnit. Quamobrem ſcolaris, v.g. cuius parentes Conſtantiæ morantur, ipſe verò ſtudiorum cauſa Monachij verſatur, vtrique Parocho tam Monacenſi, quàm Conſtantienſi peccata confiteri poteſt; attamen non ab vtriuſque diœceſis Epiſcopo ordines accipere; ſed ſolùm à Conſtantienſi, vel in cuius Eccleſia beneficiũ obtinet, vt ſuo loco dicã.

Hîc autem obiter notandum: Quod dico de acquirentibus domicilium, aut quaſi domicilium alicuius loci, ſubijci eos proprio Sacerdoti eiuſdem loci: idẽ quoque intelligendum eſſe in caſu, quo alicui Communitati Sacerdos proprius ab Epiſcopo præfectus fuit. Nam qui membrum eius Communitatis, quamuis ad breue tempus, efficitur, etiam iuriſdictioni Sacerdotis in ſpiritualibus ſubijcitur. Ex quo reſolues: Si cohorti militũ ex Belgio v. g. exeunti, ab Epiſcopo loci, Sacerdos conſtitutus fuerit, qui Confeſſiones ipſorum excipiat; etſi deinde alijs mundi partibus in eandem cohortem noui milites adſciſcantur, aut in demortuorum locum ſubrogentur: omnes Sacerdotes illi ſubiectos eſſe, quamdiu moraliter rem æſtimando cenſetur vna cohors ſub tali Duce conſtituta, in quã Sacerdos iuriſdictionẽ ab Epiſcopo acceperat, ita interpretante conſuetudine Eccleſiarũ, quam ipſa etiam neceſſitas in talibus caſibus poſtulat.

Porrò ad domicilium, vel quaſi domicilium, eiúſq; ratione diœceſin, vel parochiam acquirendam, cùm ani-
6 mus requiritur, tum factum, ſicuti colligitur ex l. domiciliũ, iun. Gl. ff. ad municipalem, & de incolis. Animus conſiſtit in propoſito voluntatis permanendi perpetuò vel ad tempus anni non modicum. Factum conſiſtit in actuali habitatione: quia non ſufficit ad locum perueniendi animum habere: niſi etiam perueneris: Cumprimum autem peruenisti, animo ibi habitandi, ſtatim iuriſdictioni ſubiectus es. Dico *animo habitandi*: qui enim ad locum peruenit, animo ad breue tempus permanendi, ſeu ſubſiſtendi (quamuis fortè præter opinionẽ ſuã diutius ibi morari eum contingat, quia v. g. ſocios nauigationis expectare cogitur) is non habitator ſeu incola, ſed peregrinus & hoſpes cenſetur, ſicuti colligitur ex l. 1. §. hæc autem, ff. de his, qui deiecerunt, &c. is. qui de ſepulturis, in 6. vbi dicitur, ſi is, qui habet domicilium in ciuitate, vel caſtro, ad villam ruralem ſe transferat recreationis cauſa, vel vt ruralia exerceat: ibíque non electã ſepulturã decedat, non in eccleſia villæ, ſed ſuæ Parochiæ ſepeliendum eſſe. Qua de re Sanch. cit. diſp. 23. & Ioſephus Maſcardus cocl. 1005. Denique quibus modis domicilium, vel quaſi domicilium contrahitur, ijſdem etiam ſoluitur; videlicet non ſolo migrandi propoſito, ſed accedente reali migratione, ſicuti habetur in cit. l. domicilium.

Dubitatur autem primò: Si qui in duabus parochijs domicilium habet, in quibus diuerſis anni temporibus habitare ſolet, cuiuſnam iuriſdictioni ſubiectus cenſeatur? Reſpondeo ex communi doctrina Abb. in c. in noſtra, num. 10. de ſepul. Palud. in 4. d. 17. quæſt. 3. a. 3. caſu 2. Nau. in c. placuit, num. 77. d. 6. de pœnit. Henriq. lib. 6. cap. 7. n. 2. Sanch. lib. 3. diſp. 24. num. 5. Suar. diſp. 25. ſ. 2. Ægid. diſp. 8. dub. 3. in fine concl. 4. quòd talis cenſeatur habere duas parochias, iuxta l. adſumptio, §. vlt. ff. ad municipalem, & c. 2. de ſepult. in 6. vt proinde ipſi liberum ſit, in alterutra malit Pœnitentiæ & alia ſacramenta ſuſcipere: dummodo in vtroque loco magnã anni partem habitare ſoleat: Nam alioquin, ſi recreationis tantùm cauſa ad breue tempus, in alterum locũ ſecedat, vnum Parochum habere cenſebitur, in cuius parochia principaliùs habitat, arg. cit. c. is qui.

Secundò dubitatur de vagabundis, vbi confiteri poſſint, vel debeant? Differt autem vagabundus à peregrino, & quaſi incola: quia peregrinus dicitur, qui alibi domicilium habens, moratur in loco, animo non permanendi. Quaſi incola, ſeu inhabitator dicitur, qui (ſiue alibi domicilium habeat, ſiue non) moratur in loco, animo permanendi non ſemper, ſed ad annum v. g. aut maiorẽ anni partẽ. Vagabundus verò dicitur, qui nullibi domiciliũ habens, verſatur in loco ſine animo permanẽdi.

Nunc reſpondeo, & dico I. Vagabũdus confiteri poteſt
cuiuis Parocho, alteríue expoſito eius loci, in quo pro 7
tẽpore verſatur. Ita docent Rich. in 4. d. 17. a. 3. q. 1. Palud. q. 3. a. 3. caſu 3. S. Anton. p. 3. t. 17. c. 7. c. 4. Caiet. ver. abſolutio. c. 2. Tolet. l. 3. c. 13. Med. C. de Confeſſ. q. 31. Rodri. t. 1. ſum. c. 60. n. 7. Henriq. l. 6. c. 8. n. 5. Sanch. l. 3. de matrim. d. 25. n. 5. Quamobrẽ dicũt DD. quòd vagabũdi vbiq; ſortiũtur forũ: ſicuti & in externo foro quilibet Iudex reos vagabũdos capere, & ob delicta etiã alibi cõmiſſa punire poteſt: præterquã ſi à Iudice delicti petãtur: qua de re Abb. c. vlt. n. 21. de foro cõpet. Clarus in p. §. ſin. q. 39. n. 7.

Dico II. Licet vagabũdi Sacerdotẽ ſimplicẽ, ſeu nulla ordinaria, aut delegata iuriſdictione præditum, eligere nõ poſſint, vt bene notauit Med. cit. q. 31. attamẽ Curato, aut delegatã in diœceſi iuriſdictionẽ habẽti cuilibet confiteri poſſunt: v.g. ſi vagus cum Parocho Monachiẽſi peregrinetur Oeringã, poterit ab ipſo in via abſolui. Ita docẽt Palud. & S. Anton. ll. cc. Caiet. cit. c. placuit, n. 8. contra Gabr. cit. d. 17. q. 2. a. 3. dub. 2. P. Sotum lect. 5. de cõfeſſ. Suar. diſ. 25. ſ. 2. n. 7. vbi ait, quòd vagus debeat confiteri Parocho, in cuius parochia pro tẽpore exiſtit. Sed contra eſt, quia vagabũdus nullũ propriũ Sacerdotẽ ſeu Parochum habet: Ergo quenlibet ſibi eligere poteſt. Antecedẽs probatur: Nã parochiã quilibet acquirit ratione domicilij, aut habitationis: ſed nõ habet alicubi domiciliũ, nec propriè in loco habitat: ſed tantũ hoſpitatur Ergo &c. Pertinet autẽ ad curã Epiſcopi, in cuius diœceſi vagabundi plerũque verſantur, vt eos Paſchali tempore ad ſacram Confeſſionem & Communionẽ compellat, à Paſtoribus locorũ, vel alijs facultatẽ habẽtibus accipiendã.

Circa matrimonium autem iſtorum vagantium Tri-
dent. Synodus ſeſſ. 24. cap. 7. de refor. præcipit Parochis, 8
ne eorum matrimonijs interſint, niſi priùs diligentem inquiſitionẽ fecerint, & re ad Ordinariũ delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Qua in re, quid de vagabundorum, & alienigenarũ matrimonijs Parochis agendũ ſit,
ſpectanda eſt ordinatio, aut conſuetudo cuiuſq; diœceſis. 9

Tertiò dubitatur de peregrinis, ſeu à parochia ſua abſentibus, vtrum alieno Parocho confiteri poſſint? Reſpondeo: Ex tacita voluntate Ordinariorum, per conſuetudinem confirmata, poſſe peregrinos à quocunque expoſito Sacerdote Pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ ſacramenta, etiam tempore Paſchali, ſuſcipere, ſi ad propriam parochiam facilè accedere non poſſint. Ita Palud. in 4. diſtinct. 17. quæſt. 3. a. 3. Caiet. ver. abſolutio, cap. 2. Syluest. ver. Confeſſor, 1. quæſt. 11. Sotus d. 38. q. 4. a. 2. Nau. c. placuit, n. 66. d. 6. de pœnit. Sa ver. Confeſſor, num. 2. Suar. diſp. 25. ſect. 2. §. 4. dubitari poteſt. Quod etiã praxis apud nos confirmat; ita tamen vt in parochiam ſuam reuerſi, teſtimonium annuæ Confeſſionis & Communionis, Parochis id poſtulantibus exhibere debeant.

Adde, probabilius eſſe, quod docet Caiet. loco cit. 10
Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 8. Suarez diſp. 30. ſect. 1. contra Sotum citat. a. 2. peregrinos, cùm in aliena diœceſi iuſta de cauſa confitentur, poſſe etiam abſolui à peccatis in propria ipſorum diœceſi Epiſcopo reſeruatis, ſed cum diſcrimine: Si enim in diœceſi, vbi confitentur, reſeruata nõ ſint tunc omnes expoſiti Confeſſarij abſoluẽdi poteſtatem habent: quandoquidẽ ipſi iudicare, & abſoluere ſolent ſecundùm leges, & conſuetudines ſuæ, & non alterius diœceſis. Sin autem etiam in illa diœceſi reſeruata ſint; tunc ſolus Epiſcopus, vel qui ab ipſo poteſtatẽ habet, peregrinos à reſeruatis abſoluere poterit. Idémque dicendũ, tametſi peccatum reſeruatũ non ſit in diœceſi, vbi peregrinus domicilium habet, ſed ſolùm in diœceſi, vbi confitetur: quia, vt ſuprà dictum, peregrinus iudicatur,

iudicatur, & absoluitur secundùm consuetudines eius diœcesis, in qua iudicio se submittit, cum tacito consensu Episcopi proprij. Id verò salubriter statutum est ordinat. General. Præp. Soc. c. 6. n. 6. de Religiosis eiusdem Societatis iter agentibus, si ad Collegium, vel domum diuertant, vt ordinarius Collegij Confessarius eos à peccatis reseruatis absoluere possit: aut, si is haberi nequeat, quilibet alius Societatis Sacerdos approbatus: aut, si is quoque desit, etiam externus, tamen cum onere, & obligatione, vt se sistant postmodum Superiori suo, ad quem ituri, vel redituri sunt, eique, aut alteri de eius licentia, confiteantur. Si verò accidat, vt aliquis tanquam hospes sit in aliquo Collegio, diu tamen (puta spatio vnius, aut alterius circiter mensis) ibi moraturus, si is eo tempore in casum aliquem reseruatum incideret, poterit, ac debebit absolui à Superiore illius loci, in quo est: vel de eius licentia, tanquam si proprius esset eius subditus, sine obligatione sistendi se Superiori eius loci, ad quem propriè pertinet.

11 Assertio quinta. Quicunque ordinariam iurisdictionē habent, vt Papa, Episcopus, eiúsque generalis Vicarius, Parochus, & Ordinum Prælati, ij possunt alteri Sacerdoti delegare potestatem Confessiones audiendi, sicuti constat ex cap. cùm Episcopus de Officio Ordinarii, in 6. & cap. omnis vtriusque, de pœnitent. & remiss. vbi præcipitur, vt fideles confiteantur Sacerdoti proprio, id est, ordinario, qualis est Parochus, Episcopus, Papa: vel confiteantur alieno, id est, alteri non ordinario, tamen cum licentia, seu commissione proprii, vti bene explicat Gab. in 4. d. 17. q. 2. princip.

Porrò in hoc iure delegandi Papa haud dependet ab Episcopis: neque Episcopus dependet à Parochis. Nam sicuti Parochianos, in scio & inuito Parocho, absoluere potest Episcopus: & diœcesanos quoslibet, inscio & inuito Episcopo, absoluere potest Papa: ita non minùs eandē potestatem aliis delegare possunt, sicuti constat ex Clem. dudum, de sepult. extrauag. 1. eod. tit. quæ est Benedicti XI. & extrauag. vas electionis, de hæret. quæ est Ioann. XXII. & ostendit S. Thom. in 4. d. 17. q. 3. a. 3, q. 5. ad 3. & 4. Richard. ibid. a. 3. q. 2. Scotus quæst. 1. a. 3. Durand. quæ. 12. Palud. q. 4. art. 3. Maior quæst. 7. prop. 5. Marsilius qu. 12. art. 1. dub. 1. resp. ad 1. Alexander Alensis p. 4. quæst. 78. mem. 1. art. 3. S. Anton. p. 3. tit. 22. cap. 6. §. 15. Nauar. cap. placuit, numer. 57. dist. 6. de pœnit. & lib. 5. consil. 30. de pœnit. edit. 2. Adrian. in 4. de Confess. quæst. 5. Eáque veritas confirmari potest ex c. in his, de priuilegiis, vbi Honorius III. valde miratur, quòd aliquis priuilegium à Sede Apostolica Mendicantibus concessum, super altari viatico quouis loco celebrandi, nimis strictè interpretari conentur: quasi idipsum sine Ordinariorum licentia præstare non possint: cùm tamen talis interpretatio Apostolicum priuilegium omnino euacuet: quandoquidem etiam sine eo ita celebrare potuissent (ante Tridentinū Concilium) si Episcopi licentia accederet: quem argumentationis modum similiter in proposito nostro procedere, manifestum erit consideranti.

12 Assertio sexta. Qui habet tantùm delegatam potestatem Confessiones audiendi, non potest alteri subdelegare. Ita Doctores omnes, & sumitur ex l. vlt. ff. de officio eius, cui mandata est; l. more, ff. de iurisdict. omnium Iudicum, l. à Iudice, Cod. de iudicijs, c. cùm causam, de appellat. quibus locis vniuersim dicitur, *delegatum subdelegare non posse*. Ratio est, quam affert Abb. in c. cùm Bertoldus, num. 23. de sent. & re iudicata. Quia delegatus non potest agere vltra id, quod ipsi concessum est: conceditur autem illi tantùm facultas vtendi siue exercendi iurisdictionem: non item alteri committendi: quia hæ duæ facultates diuersæ sunt, vt vna alteram secum non trahat: quia simili ratione vsuarius ius quidem vtendi habet, sed non alteri concedendi: id enim ad proprietarium pertinet.

Excipitur primò: Si Ordinarius permittat delegato non tantùm potestatem iudicandi, &c. sed etiam subdelegandi, saltem ipsius delegantis nomine, sicuti ex Bartoldo tradit Abb. n. 24. & videri potest Sanchez li. 3. disp. 31. n. 6. Et verò id specialiter ipso iure concessum est delegato Principis, puta Papæ, Imperatoris, Regis, vt causam sibi demandatam alteri subdelegare possit, si partes consentiant, cit. l. à Iudice, & cit. c. cùm causa, c. quamuis, c. pastoralis, c. vlt. de offic. delegati, vbi id limitatur, nisi personæ industria speciatim delecta esse videatur, vti fieri solet in causis grauibus, puta matrimonialibus, quippe quæ solis Episcopis, eorúmve Officialibus ex Curia committi solent, sicuti notauit Abb. in cit. c. si pro debilitate, n. 4. eod. tit. Præterea *si cui commissum fuerit crucem prædicare, excommunicare, vel absoluere aliquos, vel dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, non potest alteri demandare*: quia in his non plena iurisdictio, sed sola eius executio à Papa commissa censeri debet: nisi sit Legatus ex Curia destinatus, citat. cap. vlt. §. cæterùm.

Excipitur secundò: Si alicui demandata sit vniuersitas causarum, ita vt quasi ordinario munere fungatur, in iudicandis omnibus causis certi generis, aut in certo loco, sicuti notauit Gl. in cap. cùm causam, ver. delegatus, de appellat. & Gl. in citat. l. à Iudice, ver. non habet, Abb. in cap. cùm Bartoldus, n. 19. de sentent. & re iudic. & alii cōmuniter, apud Sanchez cit. disput. 31. num. 2. ducto argument. ex l. 1. §. ab eo, ff. quis, & à quo appelletur, & clariùs ex l. legatus, ff. de offic. Proconsul. ex l. cùm Prætor, de iudiciis, *is quoque cui mandata est ff.* (à Proconsule) *iurisdictio, Iudicem dare potest.*

Duobus autem modis demandatur alicui iurisdictio ad vniuersalitatem causarum, vt eam quasi ex officio exercere, & interdum alteri subdelegare possit. Primò, si alicui delegetur iurisdictio, vt sit in priuilegium perpetuum, ratione dignitatis, aut officii sui: tunc enim talis potestas iurisdictionis censetur quasi ordinaria, secundùm Gl. receptam in cap. vlt. ver. casibus, de offic. Ordinat. & annotauit Nau. cap. 27. n. 45. Ludou. Beia p. 4. casu 5. in fine, Henriq. lib. 6. c. 7. num. 3. Exemplum habes in Synodo Trident. sess. 24. cap. 6. vbi Episcopis committitur potestas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus. Atque hinc resoluunt Rodriquez to. 1. regul. qq. quæst. 11. a. 9. Beia cit. loco. Si Episcopus Parocho, vel Prouincialis Guardiano committat facultatem absoluendi subditos à casibus reseruatis, posse illos eiusmodi potestatis executionem alteri delegare: non ita generatim, sicuti ipsis commissa est; sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absoluendam: v. g. si Parochianus à Parocho, vel Regularis à Guardiano petat, vt plenam, quam ipse habet, absoluendi potestatem suo Cooperatori, vel Monasterii Confessario concedat. quam tamen doctrinam intelligendam puto, si tale absoluendi priuilegium concessum sit ratione officii in perpetuum: secùs, si sit priuilegium personale ob hominis industriam datum.

Secundò: si alicui committatur vicarium officium, cui iurisdictio annexa est: puta officiū Parochi absentis, vel nondum Sacerdotis: item vicaria gubernatio vrbis. Tales vnā, vel alterā causā particularem alteri subdelegare possunt, sicuti notauit Henr. l. c. Sanc. n. 15. Coninck d. 8. du. 4. Rectè tamen docēt Syl. ver. Vicarius, q. 5. Nau. in c. placuit, n. 69. d. 6. de pœn. Si Vicarius, v. g. alicuius parochiæ officium suum solus explere non possit, concessum illi esse, ex præsumpta voluntate Ordinarii, seu delegantis, vt certum exercitium iurisdictionis, aut pastoralis officii alicui etiam generatim committat: v. g. *audias Confessiones Parochianorum, quicunq; ad te accesserint*. Quāuis nō possit integrū officiū Vicariæ suæ: ideóq; nec potestatē subdelegādi alteri cōmittere. Quod breuiter his verbis tradi potest: *Vicari⁹, seu vicecuratus Cooperatorē adsciscere potest, nō* 13

autem alterum Vicarium: Excepto, si consuetudo id permittat Vicariis, vt non minùs quàm Parochi ordinarii, si eos ad breue tempus abesse contingat, Vicarium suo loco substituere possint: quia *instituens Vicarium*, inquit Syl. *& sciens talem consuetudinem, implicitè consentit in talem substitutionem*. Idémque docent Adrianus in 4. de Confess. q. 5. dub. 2. Sanch. l. cit. Chapeauille tr. de modo ministr. sacram. tempore pestis, c. 6. q. 2. vbi ait, id vbique obseruari, vt vicecurati ad tempus absentes, alteri Sacerdoti munus pastorale delegant; idque maxime pestis tempore obseruandum esse.

Exinde colligitur, cur neque Regulares, quibus à Papa vniuersim demandata est facultas fideles omnes absoluendi à peccatis, & censuris, neque Parochorum Cooperatores, quibus generatim delegata est facultas Parochianorum Confessiones audiendi, eorum matri-
14 monio assistendi, &c. cur, inquam, talem facultatem alteri subdelegare nequeant. Quia ipsis simplex & nuda iurisdictio in ordine ad certum exercitium absoluendi, vel assistendi, & non integrum officium iurisdictionis cōmittitur, argum. c. vlt. §. vlt. de offic. Iudicis delegati, iun. Gl. & bene notauit Coninck cit. dub. 4. nu. 25. Quocum non pugnat, quin Parochus, aliúsque Ordinarius specialiter committere possit Cooperatori, aut delegato suo, vt alterum substituere queat, nomine & autoritate delegantis, sicuti suprà dixi, & docet Gl. & Doctores in cap. is cui, de offic. delegati, in 6. Sanchez citat. disput. 31. nu. 18.

15 Restant quęstiones aliquæ circa iurisdictionem delegatam. Prima. Qualis consensus requiratur ad iurisdictionem in foro Pœnitentiæ alteri demandandam? Respondeo; Requiri actualem delegantis consensum, eúmque signo aliquo manifestatum. Ita ex communi Suarez disp. 26. sect. 1. Coninck disp. 8. dub. 5. Prior pars probatur: Quia delegare iurisdictionem, est actus voluntatis eius hominis, qui potestatem habet: ergo sine actuali voluntate ipsius non confertur alteri iurisdictio: sine iurisdictione autem irrita est absolutio in pœnitentiæ foro. Altera pars probatur: Quia delegatio iurisdictionis (sicuti & aliæ concessiones) fieri debet modo humano & sensibili, vt ab altero cognosci, & acceptari possit: ideóque non sufficit mera voluntas interna: sed eam verbo, scriptura, aut facto sufficienter manifestatam esse oportet.

16 Deinde non sufficit, quòd Ordinarius absolutionem Sacerdotis postea ratam habiturus sit, sicuti rectè docent Henricus quodlib. 8. quæst. 28. Palud. in 4. d. 17. q. 3. a. 3. in fine, Syluester ver. Confessor, 1. q. 6. dicto 8. Nauar. cap. 9. man. num. 6. & in c. placuit: num. 103. d. 6. de pœn. num. 6. Tol. lib. 3. cap. 10. Suar. & Ægid. ll. cc. Sanch. lib. 3. disp. 35. num. 24. Nam sacramentum Pœnitentiæ inualidè cōfertur ab eo, qui iurisdictionem actualem non habet: Sacerdos autem absoluens spe futuræ ratihabitionis, caret iurisdictione: quia vt suprà dixi iurisdictio delegata non acquiritur sine consensu delegantis, quem tempore absolutionis delegans non habet: cùm rem ignoret: Ergo absolutio illa inualida est. Neque verò ratihabitio subsequens efficere potest, vt absolutio antea data conualescat: quia valor sacramentorum pendere non potest à futuro euentu contingente. Ponamus enim Pastorem ordinarium, re postea cognitâ, non consentire: Ergo inualida fuerat absolutio: quia à non iudice data; siquidem iurisdictio per se, & intrinsecè ad valorem huius sacramenti requiritur. Quare rectè concludit Nauar. cit. num. 103. *Sacramentum, quod ab initio nullum est, nulla ratihabitione, etiā Papæ, validum fieri potest*. Et Sanchez lo. ci. *Si consensus, & approbatio requiritur ad valorem & substantiam sacramenti, non sufficit ratihabitio subsequens*. Idémque eadem ratione sentiendum est de præsumptione consensus præsentis; quę, licet rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem sacramenti, si re ipsa consensus signo quocunque declaratus, & consequenter iurisdictionis commmissio defuit, sicuti bene explicat Medina quæst. 31. corol. 2. Cod. de Confess.

Obiicies: Potest aliquis vti re aliena ex voluntate domini rationabiliter præsumpta: Ergo similiter Confessiones audire ex voluntate Superioris rationabiliter præsumpta. Respondeo, distinguendum esse inter id, quod licitè fit, & quod validè. Qui enim re aliena bona fide vtitur, eámve alienat, putans esse domini voluntatem, cùm non sit, à culpa quidem liber est: sed alienatio plerumque irrita: quare domino restitutio fieri debet, quatenus res adhuc extat. Sic etiam, qui Confessiones audit, rationabiliter existimans, Pastorem non tantùm scire, sed & consentire: culpa quidem immunis est, si habeat quasi moralem certitudinem, qualis omnino hîc requiritur, ob honorem sacramenti: attamen, si re ipsa consensus abfuit, inualida est absolutio: quia defuit iurisdictio, quę sine actuali Pastoris consensu non acquiritur.

Insuper duplex discrimen aduerto inter absumptionem rei alienæ, & absolutionem peccatorum ex præsumpta voluntate. I. est: Quod re aliena vtens, vel eam absumens, rationabiliter sibi persuadens, si dominus sciret, omnino sensurum esse: nihil delinquere videtur. Qui verò ex tali præsumptione Confessiones audit, grauiter peccat, & sacramentum irritum est; quia ad valorem huius Sacramēti requiritur actualis iurisdictio, quæ sine actuali consensu conferentis non acquiritur. II. Qui re aliena vtitur, eāve alienat, rationabiliter existimans, dominum postea rem ratam habiturum, non solùm non peccat, sed etiā ratihabitio subsequens confirmat actum priorem, iuxta reg. 10. in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Alia verò ratio est de sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacerdotis iurisdictio: sicuti & eiusdem intentio tunc adesse necessariò debent, cùm sacramentum perficitur sine illius materia & forma applicantur.

Ex dictis colligitur primò cum Sanchez cit. dis. 35. traditam doctrinam pari modo locum habere in sacramento Matrimonii, ad cuius substantiam post Concilium Trident. requiritur præsentia Pastoris ordinarii, vel alterius Sacerdotis de licentia Ordinarii: Cùm enim licentia requisita ad valorem actus necessariò antecedere debeat, l. si quis mihi, §. iussum, ff. de acquir. hæred. consequēs est, quòd sola spes ratihabitionis postea futuræ: vel falsa existimatio, seu præsumptio consensus præsentis, non sufficiat ad præstandum matrimonii valorem. Aliud verò dicendum est de Sacramentis reliquis, quippe ad quorū administrationem non requiritur consensus Pastoris ordinarii, ita vt sit de substantia actus: sed solùm vt debitus ordo in Ecclesia seruetur: ad quod sufficit plerumque rationabilis præsumptio præsentis consensus, aut ratihabitionis secuturæ.

Secundò colligitur: Si alicui, dum in ecclesia Confessiones audit, afferatur casus reseruatus, à quo ipse absoluere non possit, neq; etiā ad Superiorē accedere, nō ideo iurisdictionē seu potestatē absoluendi à tali peccato requirit, quia Superior, si sciret, facultatē daret: vel postea libenter daturus esset. Verūtamen si consuetudo sit in aliqua v. g. Religione, vt Sacerdotibus destinatis ad multorū peregrinorū Confessiones audiendas, Superior pleniorē facultatē absoluēdi tribuat: etiā si aliquis, antequam abiret, oblitus fuerit licentiā maiorē petere, nihilominus ea vti poterit ob præsumptionem, quòd Superior implicitè habuerit voluntatem conferendi, quam ipso facto ostendit, cùm eum destinauit missioni, cui peragendæ ordinariè conferri solent speciales absoluendi facultates.

Ad extremū addo, valde probabile, quod docet Sanc. l. 1. mor. c. 9. n. 35. Eos, qui bona fide peccata sua Sacerdoti iurisdictionem falsò prætendenti confitentur, si veniale aliquod peccatum, vel mortale antea legitimè in Confessione explicatum absolutioni subiiciant; indirectè etiam eos absolui ab omnibus aliis peccatis, in quæ simplex ille Sacer-

Sacerdos nullam iurisdictionem habet: attamen cum onere, vt si postea defectum Confessarii resciant, mortalia peccata iterum per Confessionem directæ absolutioni legitimi Confessarii subiicere cogantur.

SECVNDA QVÆSTIO. Si Pastor inferior à superiore, puta Parochus ab Episcopo, Guardianus à Prouinciali accepit generalem facultatem absoluendi subditos à casibus reseruatis: & postea ipsemet in eiusmodi peccatum incidat, vtrum vi sui priuilegii, alteri Sacerdoti, seu Confessario suo committere possit potestatem absoluendi seipsum: Negat Ludou. Beia par. 4. casu 5. Nã iurisdictio delegato non extenditur vltra personas in delegatione expressas, c. P. & G. de off. delegati. & notat Gl. in c. 1. ver. processus, de rescript. in 6. Atqui in hac delegatione, seu priuilegio exprimuntur tantùm subditi: Ergo non debet extendi ad eorum Pastorem, puta Parochum, Guardianum, &c. cui tale priuilegiũ concessum est.

17 Sed contrarium est probabilius, quod docet Rodriq. lib. 1. reg. qq. quæst. 21. a. 8. Sanch. l. 8. de matrim. disp. 3. n. 10. & lib. 4. moral. cap. 37. n. 41. Si alicui, ratione officii sui delegata sit potestas absoluendi, aut dispensandi cum tota Communitate, seu omnibus suis subditis: ita, vt illi sit quasi ordinaria, eámque in casu particulari alteri subdelegare possit, iuxta ea, quæ suprà dixi, n. 12. excep. 2. tunc concessum etiam esse, vt talem potestatem absoluendi, &c. Confessario suo committat, exercendam erga seipsum, si tali absolutione indigeat, excepto, si vel ex consuetudine, vel aliunde constet aliam esse delegantis voluntatem. Probatur ex declaratione Cardinalium apud Suar. disp. 30. s. 2. *Si Episcopus in aliquod delictorum*, de quibus in Trident. s. 24. c. 6. *lapsus sit, licitum esse, ad se absoluendum, proprium Confessarium deputare, cum eadem autoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere.* Quæ declaratio sola æquitate nititur: quia non decet Episcopum peioris conditionis esse, quàm subditos: hæc autem ratio eodem modo vrget, si Episcopus Parocho v. g. generalem potestatem conferat Parochianos à casibus episcopalibus absoluendi. Accedit, quòd Papa tribuens Episcopo generalem facultatem Diœcesanos à casu Papali absoluendi: & similiter Episcopus tribuens Parocho generalem facultatem absoluendi Parochianos à casu episcopali censeatur auferre reseruationem, respectu talis diœcesis, vel parochiæ. Cùm igitur iure, quo hodie vtimur, perinde Parochi, sicuti Episcopi, alíique Prelati exempti idoneum Confessarium sibi deligendi ius habeant, consequens est, eos omnes absolui posse ab eiusmodi casu, tanquam qui eo loco Superiori reseruatus non sit, sicuti Suar. notauit ci. s. 2. n. 15.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur: Si potestas alicui delegetur respectu certarum personarum, non esse extensionem faciendam ad alias: si autem delegetur potestas respectu omnium subditorum seu totius Communitatis, ex quadam æquitate censeri etiam comprehensum ipsum Pastorem Communitatis. Quam interpretationem meritò facimus in re fauorabili, cuiusmodi est hoc Principis beneficium, casuum reseruationem auferens.

18 TERTIA QVÆSTIO. Quomodo intelligendum sit priuilegium concessum Confessariis Ordinum Mendicantium, absoluendi quoscunque Christi fideles, auditis eorum Confessionibus, à quibuscunque peccatis, & à quibuscunque sententiis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis: exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur? Respondeo, & dico I. Potestas hæc extendit se ad absolutionem à peccatis omnibus, & quibuscunque inde secũdum iuris constitutiones resultantibus censuris, sententiis, aut pœnis Ecclesiasticis, exceptis casibus Bullaribus. Vbi imprimis nota: Hoc priuilegio nullam concedi facultatem super irregularitatibus; quia illæ non per absolutionem, sed per dispensationem tolluntur: cùm non tã pœnæ sint, quàm canonica impedimenta. Secundò: Vi huius priuilegii non tantùm censuras propriè dictas, quæ ob contumaciam inferuntur, per absolutionem tolli posse: sed etiam suspensiones, & interdicta iuris, quæ ob delictum merè præteritum imposita, seu ad tempus puta biennium, triennium, in perpetuum, & sine spe remissionis, qualis perpetua suspensio, vel potiùs depositio à Pio V. lata est in exercentes sodomiam, qui, si occulti sint, ab Episcopis absolui possunt ex commissione ipsis facta in Trident. sess. 24. capite 6. de reform. & à Confessariis Ordinum Mendicantium, virtute dicti priuilegij.

Dico II. Huiusmodi amplam absoluendi potestatem 19
Summus Pontifex concedit & delegat Ordini: vt proinde Prælati Ordinum committere eam possint iis Sacerdotibus suis regularibus, quos ad hoc munus idoneos iudicant, sicuti colligitur ex Clem. dudum, §. statuimus, de sepult. & docet Palud. in 4. distinct. 17. q. 4. a. 3. concl. 5. ver. sed dicendum, Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 60. ar. 3. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 6. lit. v. Ludou. Miranda in man. Prælat. tom. 1. quæst. 45. a. 12. Llamas p. 1. methodi, c. 7. §. 4. vbi bene admonet: Sacerdotes Religionum Mendicantium ad dictam facultatem consequendam, præter approbationem Episcopi, opus habere consensu Prælati vel Capituli, iuxta cuiusque Ordinis consuetudinem. Siquidem Episcopus tam amplam iurisdictionem audiendi Confessiones omnium fidelium, vndecunque accedentium, eósque à censuris, etiam reseruatis, absoluendi dare non potest: sed eam Confessarii Mendicantium Ordinum à Summo Pontifice, cum dependentia à consensu & voluntate Prælatorum suorum, accipiunt.

Ex quo sequitur, quòd iidem Prælati Regularibus suis semel approbatis & expositis, iurisdictionem ob causam, etiam non notoriam, iterum auferre possint: quanquam si Prælatus alicui Confessario suo interdicat, ne Confessiones audiat; non ideo statim existimandus est, iurisdictionem auferre velle, sed efficere sua prohibitione, vt illicitè exerceatur, non vt inualidè, nisi vel contrarium exprimat, vel ex circumstantiis, aut causa, propter quam prohibuit aliud præsumi debeat: puta si ob inscitiam eum ab officio suspendit, aut deposuit. Qua de re Henriq. l. c. Rodr. a. 2. Miranda art. 13. vbi tamen bene admonet, si talis suspensio publicè notoria non sit, absolutiones, quæ à semel legitima, autoritate exposito conferuntur, validas censendas esse, propter ea, quæ dixi l. 1. tr. 4. c. 22. n. 9.

Sed dubitabit aliquis; Vtrum regularis Sacerdos, qui ab Ordinario est approbatus ad audiendas Confessiones id diœcesi; inscio, vel inuito Prælato Ordinis, vti possit saltem ea potestate absoluendi pœnitentes, quam ipsi Episcopus, aliúsve ordinarius delegat? Respondeo cum Miranda cit. art. 12. Quamuis Regulares talem facultatẽ licitè exercere non possint: cùm in omnibus à Prælatorum suorum voluntate, & imperio dependeant: tamen absolutiones validas fore: cùm omnia requisita ad Ministrum huius sacramenti adsint, videl. Ordo sacerdotalis, approbatio Episcopi, & iurisdictio delegata. Excipe: Nisi in Religionibus recepta sit Constitutio Iulij III. facta ad instantiam Generalis Ordinis prædicatorum, qua eiusmodi absolutiones irritæ declarantur, apud Mirandam lo. cit.

Dico III. Priuilegio illo absoluendi omnes fideles non comprehenduntur Religiosi, quibus secundùm propria statuta, extra suum Ordinem, aut alteri, quàm illi, quẽ Prælatus ad hoc munus destinauit, confiteri permissum non est. Ita ex communi notauit Rodr. t. 1. quæst. 62. a. 4. & Compendium priuileg. Societ. Iesu ver. absolutio, §. 1. Cuius ratio est: Quia *per priuilegium generale non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimatur.* Porrò de Religiosis iter facientibus vtrum alieno Sacerdoti confiteri possint: & num cuicunque exposito, regulari, vel seculari, an verò alicui sui Ordinis Sacerdoti,

eiq; qui in Monasterio, vel Collegio, vbi hospitantur, pro Confessionibus Regularium expositus est, confiteri debeant, id ex cuiusque Ordinis consuetudine, vel Prælatorum voluntate iudicandum est; qua de re Rodriq. q. 62. a. 5. & Llamas p. 1. Meth. c. 5. §. 14. Hoc verò in omnibus Ordinibus receptum esse videtur, si plures eiusdem Ordinis Religiosi peregrè mittantur, quòd vnus alteri, qui Sacerdos est, & Confessiones audire solet cōfiteri possit. Deinde, si Religiosi, præsertim Sacerdotes iter faciant, aut extra Monasteria aliquandiu morentur in loco, vbi copiam non habent Confessarij Ordinis sui, præsumpta licentia Prælati confiteri plerumque possunt alteri Sacerdoti regulari, aut seculari: saltem ea peccata, quæ in Ordine illo reseruata non sunt, vti docet Rodr. cit. articulo 5.

Dico IV. Virtute illius priuilegii, prælati Ordinum subditos regulares, imò etiam Ordinis sui aduenas, seu hospites absoluere possunt ab omni excommunicatione aliáve censura particulatim non inflicta: quamuis alioquin Sedi Apostolicæ reseruata sit. Ita docet Eman. Rod. t. 1. reg. qq. q. 20. art. 4. ex Bulla Martini V. relata in art. 2. Additque Rodriq. a. 8. eiusmodi priuilegium absoluendi ab omni censura, etiam Sedi Apostolicæ reseruata, extendendum esse ad censuras, quæ futuro tempore reseruabūtur, iuxta doctrinam Glos. in cap. quia circa, de priuil. Quòd priuilegium indefinitè concessum, si alteri non onerosum: sed merum beneficium Principis est, amplè accipiendum, & ad futura etiam extendendum sit.

Verùm non leue dubium est, vtrum Confessarii Mendicantium potestate illa absoluendi à censuris, etiam extra sacramentum Pœnitentiæ, siue erga eos quoque, qui ipsis sacramentaliter non confitentur, vti possint? Negare videtur Suar. t. 5. disp. 7. sect. 5. n. 36. & Nauar. in man. cap. 26. num. 31. Probant ex verbis Sum. Pontificis, dantis *facultatem absoluendi quoscunque Christi fideles, eorum confessionibus diligenter auditis, à quibuscunque peccatis*, &c. *& à quibuscunque sententiis, censuris*.

Sed contrarium probabiliter docent idem Nau. lib. 5. cons. 11. num. 2. de priuil. edit. 2. Henr. lib. 7. c. 13. n. 2. & ca.
21 30. num. 6. Rodriq. q. 61. a. 7. Auila p. 2. de censuris, cap. 7. dub. 13. Coninck. disp. 14. dub. 16. n. 253. & ipsemet Suar. de legibus, lib. 8. cap. 6. n. 15. & 16. vbi ait: Etsi priuilegium loquatur tantùm de foro pœnitentiali, non tamen necessariò restringendum esse ad forum sacramenti: cùm vinculum alicuius censuræ in foro conscientiæ tolli possit, iniuncta pœnitentia salutari, sine absolutione sacramentali. Ratio autem horum est: Quia priuilegium, siue gratia à Principe data, interpretandum est secundùm naturam rei, quæ conceditur: atqui absolutio ab excommunicatione, aliáve censura non dependet à peccatis: potest enim aliquis absolui à censura in conscientiæ foro, vt interim non absoluatur à peccatis: quomodo certum esse ait Auila, Parochos ab excommunicatione non reseruata absoluere posse. Idémque fatetur Suar. cit. disp. 7. sect. 4. num. 19. Henriq. c. n. 2. in comment. lit. o. Ergo idem præstare poterunt delegati: nisi ipsis potestas limitetur, qualis tamē limitatio in dicto priuilegio nulla apparet. Quia verba eius ita intelligi debent accommodatè, vt singula singulis respondeant, secundùm naturam rei subiectæ: ideóque absolutio à peccatis requirat antecedentem peccatorum Confessionem: non item absolutio à censuris: siquidem ab his absoluere ordinariè non solemus auditâ prius Confessione. Confirmatur ex eo, quòd frequentissimum est, vt Confessarii, etiam delegati, separent absolutionem à censura, & absolutionem à peccatis: vt v. g. Prælatus à censura absolutum ad alterum sui Ordinis Confessarium pro Confessione facienda mittat: vel idem Sacerdos hodie à censura absoluat, post aliquos verò dies magis dispositi Confessionem excipiat.

His adde, quæ dicta sunt, multò magis locum habere in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramēto, petitione debiti: quarum facultates si Confessariis alicuius Ordinis delegatæ sint, non rectè inde infertur, quòd eas extra sacramentum Pœnitentiæ exercere non possint: quandoquidem à sacramentali absolutione nullo modo pendent. Nota autem, quod dixi *multò magis*: Nam Confessarii Mendicantium sine scrupulo possunt, ac solent v. g. dispensare in votis, debiti petitione, vel irregularitate sine ordine ad sacramentalem Confessionem: at verò non facilè solent aliquem absoluere à censura, aliáve pœna Ecclesiastica ex peccato resultante, nisi vel audita eius Confessione, vel saltem cum ordine ad Confessionem mox instituendam: quia id tutius, consultius, & vsitatius est.

Quarta quæstio. Vtrum iurisdictio ab Ordinario, puta Papa, Episcopo, aut Parocho alicui delegata ad Confessiones audiendas, illo mortuo, vel deposito expiret? In qua quæstione imprimis distinguendum est inter delegationem generalem atque indeterminatam, & specialem respectu certarum personarum. Quod attinet ad primam, videri alicui posset cum Palud. in 4. d. 17. q. 4. a. vlt. concl. 7. S. Anton. p. 3. ti. 17. c. 9. in fine, Philiarcho to. 1. de offic. Sacer. p. 2. l. 2. cap. 24. in fine, quòd facultas audiendi Confessiones, vel absoluendi à casibus reseruatis (præsertim talis, quæ alicui non ratione officii conceditur: ideóque in quasi ordinariam non transit (mortuo concedente extinguatur: quia etiam iurisdictio in foro externo contentiosa, quamuis generatim, seu ad vniuersitatem causarum alicui delegata, mortuo delegante expiret, sicuti ex communi docet Abb. in c. relatum, num. 7. de officio & potest. Iudicis delegati, ducto arg. ex c. ne aliqui, de hæret. in 6. vbi fauore Fidei specialiter decernitur, vt officium Inquisitorum hæreticę prauitatis, non expirat per mortem Pontificis committentis: etiam quoad negotia nondum cœpta.

Sed contrarium asserendum est cum Nauarr. cap. placuit, num. 162. & seq. distinct. 6. de pœnitent. Henriquez 22
lib. 6. cap. 6. num. 7. Sa ver. gratia, num. 4. Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 28. num. 72. ducto argument. ex cap. si cui, de præben. in 6. in quo habetur, si cui, nulla personarū facta expressione, gratiosè concessa sit facultas in certa Ecclesia personis idoneis prouidendi beneficia huiusmodi facultatem, etiam re integra, non expirare per mortem concedentis: cùm sit gratia, seu priuilegium principaliter concessum in fauorem priuilegiati. Eadem verò ratio est de facultate audiendi Confessiones alicui Sacerdoti generatim, & absolutè concessa: quia licet remotè tendat in vtilitatem pœnitētiū, sicuti & facultas prouidendi beneficia in vtilitatem prouidendorum: proximè tamen ac directè vtraque est gratia, fauor, & beneficium eius, cui talis facultas conceditur: gratiam autem seu beneficium Principi decet esse mansurum.

Neque refert, quòd in dicto cap. si cui, & cap. si super. de offic. delegati in 6. & similibus iuribus sermo sit de facultate alicui delegata à Sede Apostolica: quia decisio eorum non nititur plenitudine potestatis Papalis, sed quòd sit gratia facta absolutè ei, cui committitur. Quare æque id locum habet in alijs Ordinarijs, puta Episcopo imò etiam Parocho: si alicui Sacerdoti facultatem absoluendi suos subditos absolutè concedant, sicuti docent DD. citati, contra Philiarchum ci. c. 24. vbi ait: *Inferiores Papa sine cognitione causa, & consensu Capituli, non possunt in perpetuum concedere gratias, quæ præiudicant: cuiusmodi sunt facultates Confessiones audiendi, & Confessorem eligendi: quæ proinde eorum morte, vel amotione expirant.* Id tamen nullo iure probat: neque ratio ipsi suffragatur: Cū enim huiusmodi facultates, iure ordinario competāt Episcopo, cur non possit alteri committere, & quidē sine Capituli consensu: quia per eiusmodi gratias nullū successori præ-

ri præiudiciũ affertur; quandoquidẽ is, si voluerit, gratiã, quandocunque voluerit, reuocare potest, vti Sanchez l.c. notauit. Sed neque praxis huic sententiæ fauet: nam mortuo Episcopo, Pœnitentiarius, aliique Confessarii ab ipso expositi, pergunt facultate sua vti, donec à Capitulo, vel successore reuocetur: quin & Sacellanos, seu Cooperatores à Parochis ad audiendas Confessiones assumptos, iis mortuis, videmus suo officio fungi, donec à successoribus amoueantur, ait Ægid. disp. 8. dub. 10. num. 72.

23 Ad rationem in oppositum allatam resp. Esse id speciale in delegato ad iustitiam, siue iurisdictionẽ contentiosam, quòd mortuo delegante, illius potestas expiret, si res integra sit; id est, delegatus nondum iurisdictione vti cœperit, sicuti habetur in c. sanè, c. relatum, c. gratum, c. licet vndique, de offic. Iudic. delegati. Cuius ratio est: quia iurisdictio ad iustitiam alicui delegata habet rationem mandati, & non gratiæ; Mandatum autem expirat morte mandantis. Deinde delegatus ad iustitiam vices delegantis gerit, eiúsque personam repræsentat, iuxta cit. c. sanè, & l. vlt. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio. Cùm ergo mortuo delegante, extinguatur iurisdictio ipsius, consequenter etiam extinguitur in delegato: quia extincto iure auctoris, extinguitur ius acceptoris, l. lex vectigali, ff. de pignoribus, & docet Abb. cit. c. relatum, n. 6. Sanchez disp. 18. n. 30. exc. quamuis, de offic. delegati, in 6. At verò delegatus ad Confessiones audiendas iudicium in foro Pœnitentiæ exercet non in persona delegantis: sed in Christi persona, & auctoritate, per ordinis potestatem. Deinde iurisdictio absolutè delegata ad Confessiones audiendas, non habet rationem mandati, sed gratiæ, & beneficii: cuius ius efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eóque perpetuò manet, donec reuocetur.

Corollarium I. Si Episcopus alicui, v. g. Decano Ecclesiæ Collegiatæ, iurisdictionem in prima, vt vocant, instantia gratiosè concessit: vt si accessoria eius officio, illique quasi iure ordinario competens, non extinguitur morte concedentis: cùm sit fauor, siue beneficium, quamuis à successore reuocari possit, si per modum meræ gratiæ, & non per modum contractus, aut transactionis concessum fuerat.

Corollarium II. Facultas alicui ab Episcopo, alióve Prælato concessa eligendi Confessarium, non expirat morte concedentis: cùm sit gratia, & priuilegium: non mera delegatio, seu mandatum. Ita Nau. cit. c. placuit, n. 163. Sanchez n. 74. Henriq. lib. 7. c. 21. n. 6. Sa ver. gratia, n. 4. contra Syl. ver. Confess. 1. q. 7. Cord. l. 5. q. 36. Philiarchum l. c.

Corollarium III. Idem pari ratione dicendum de aliis gratiis ab Episcopo concessis, v. g. suscipiendi ordines ab alieno Episcopo celebrandi in priuato oratorio: assistendi matrimoniis, vescendi ouis, & lacticiniis in Quadragesima, vti docet Nau. cit. n. 163. Sanchez n. 76. Sairus t. 1. Thesauri, lib. 7. c. 14. n. 7. Quod verò attinet ad specialẽ commissionem absoluendi vnam, vel plures personas determinatas, distinguendum est, vtrum talis facultas concessa sit in fauorem absoluentis, an verò pœnitentis. Si primum, non expirat morte committentis: cùm sit gratia, & beneficium, sicuti notauit Sanchez nu. 73. 81. ducto argum. à sensu contrario ex c. si cui, de præb. in 6. in fine: *Secus, si super prouisione certæ personæ facienda, non ob suam: sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem illa quidem expirat omnino, si concedens re integra moriatur.* Vbi Gl. communiter recepta ver. *suam*, generalem regulam tradit; *Quando est gratia eius, cui scribitur, non expirat morte concedentis: secus, quando est alterius, pro quo scribitur.*

Si verò secundum, quod plerumque accidit, & in dubio præsumendum est, quòd rescriptum, vel commissio de danda absolutione, dispensatione, &c. personis determinatis, in earundem fauorem principaliter facta sit tunc iterum distinguere debemus; sitne commissio necessaria, habens se per modum præcepti, quæ non expirat morte mandantis, etiam re integra, sicuti docet Tabiena ver. gratia, §. 6. Suarez de censuris, disp. 41. s. 2. Hẽriq. l. 7. c. 21. n. 7. Rodriq. to. 1. q. 46. a. 7. Sanch. n. 87. Exẽpla habes: si Papa, vel Episcopus, alicuius supplicatione motus mandet inferiori Ordinario, vt supplicantem absoluat ab excommunicatione, à casibus reseruatis, vel dispenset cum eo in impedimento matrimonii, in petitione debiti, in voto, vel iuramento: atque ante cœptam executionem moriatur is, qui mandauit, nihilominus executioni locus est. An verò sit delegatio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, hæc enim expirat morte committentis, si executio nondum cœpta sit, sicuti habetur expresè in verbis suprà cit. c. si cui nulla. Ratio verò discriminis est; Quia in commissione necessaria, ius acquisitum est ei, qui absoluendus, aut quocum dispensandum est; ideóque est gratia facta per absolutam concessionem committentis: solúmque exigitur executio Commissarii, quam is necessariò facere compellitur. At verò in commissione voluntaria nulli ius quæsitum est; neque enim Commissario: cùm non in eius fauorem delegatio facta sit: neque alteri; quocum v. g. dispensandum est: quia delegati liberæ voluntati relinquitur, velítne dispensare, nécne: ideóque est gratia *facienda*, & non *facta*: quarum illa perit per mortem delegantis (nisi delegatio facta sit auctoritate sedis, seu dignitatis, quæ nunquam moritur) hæc verò non perit re integra, sicuti docet Gl. in cit. c. sicuti, ver. moriatur. Sanchez. n. 71.

CAP. XI.

De approbatione confessariorum.

SVMMARIVM.

1 *Iure nouo Trident. approbatio Sacerdotum requiritur ad audiendas Confessiones secularium, etiam Sacerdotum, non item regularium personarum.*

2 *Etiam Doctores, & Licentiati in Theologia, aut iure canonico, ab Episcopis approbationem ad Confessiones audiendas petere debent.*

3 *Episcopus peccat: si Sacerdoti idoneo approbationem sine causa iusta neget.*

4 *Non pauci DD. existimant, Regulares Mendicantes si ab Episcopis repellantur, quando manifestè idonei sunt nihilominus ad secularium Confessiones audiendas exponi posse.*

5 *Clausula derogatoria generali non tollitur priuilegium contentum in corpore iuris.*

6 *Approbatio Sacerdotis semel collata, ob iustam causam ab Episcopo reuocari potest.*

7 *Approbatio Sacerdotis, & delegatio iurisdictionis ad Confessiones audiendas inter se differunt.*

8 *Approbatus ab vno Ordinario, si ad aliam diœcesin veniat, noua approbatione indiget.*

9 *Spectato communi iure, eius Episcopi approbatio requiritur, in cuius diœcesi Confessiones audiendæ sunt.*

Nouo iure Trident. Concilii sess. 23. c. 15. de reform. 1
ita decretum est: *Nullum etiam Regularem, posse Cõfessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale beneficium: aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur: & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: priuilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus.* Circa quam constitutionem sequentia annotanda sunt. Primum Regulares confiteri possunt cuique Sacerdoti, quem Prælatus ipsis secundùm Ordinis statuta constituerit, tametsi ab Episcopo approbatus non sit. Ita ex communi Nau. c. 4. n. 7. Suar. disp. 28. s. 4. n. 5. Sa ver. Confessor, n. 6. Rodriq. t. 1. reg. qq. qu. 62. a. 4. Coninck d. 8. dub. 7. nu. 48. Ratio est: Quia ante

Concilium Trident. Regulares poterant confiteri etiam non approbatis ab Episcopo: à iure autem antiquo recedendum non est, nisi quatenus inuenitur expressum, l. præcipimus, C. de appellat. c. 2. de translat. Episcoporum. Cùm igitur in dicta constitutione nulla fiat mentio de Confessionibus Regularium, sed tantùm secularium, satis colligitur, mentem Concilii fuisse, circa Regulares nihil in hac re nouare: sed eos curæ ac vigilantiæ suorum Prælatorum permittere.

Corollarium. Si Prelatus Ordinis facultatem det Regulari confitendi Sacerdoti cuicunq; voluerit, potest is eligere etiam ab Episcopo non approbatum: Sin verò Parochus diœcesano suo talem eligendi licentiam conferat, non poterit is confiteri Sacerdoti, nisi ab Episcopo approbatus sit. Ita intelligi debent, quæ disp. Nau. in c. placuit, n. 49. d. 6. de pœnit.

Secundum. Qui beneficium obtinuerunt, cui cura animarum annexa est, eo ipso ad Confessiones audiendas approbari censentur: vt proinde alia approbatione opus habeant.

Tertium. Quod aliqui dixerunt, inter quos Henr. l. 6.
2 c. 6. n. 2. Llamas p. 1. methodic. c. 7. §. 7. Doctorem, vel Licentiatum in Theologia, aut iure canonico, ipso iure approbatum censeri: id, nisi alicuius diœcesis consuetudine firmatum sit, nullam veritatis speciem habet: cùm Concilium generalibus verbis vtatur, *Vt nullus Sacerdos* &c. *Vbi autem ius non distinguit, nec nos distinguere debemus*, l. de pretio, ff. de publiciana, iun. Gl. ib. Rectè enim aduertit Rodr. t. 1. q. 59. a. 10. fieri interdum, vt licet aliquibus scientia non desit, cuius publicum testimonium habent: testimonium habent: desit tamen rerum experientia, & prudentia ad Confessiones audiendas necessaria: cuius rei examen, atque iudicium Episcopo committitur. Æquitatis tamen ratio postulat, vt tales, qui publicam approbationem habent, ob quam de eorum sufficienta magna præsumptio sit, examini nouo non subiiciantur, vti notauit Gutierez lib. 1. can. qq. c. 6. nu. 9. man. Prælat. t. 1. q. 45. a. 9. arg. Constit. Trid. sess. 7. c. 13. de ref. Vt præsentati, electi, aut nominati ad beneficia Ecclesiastica, non confirmentur, nec admittantur, nisi priùs fuerint à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: exceptis iis, qui ab Vniuersitatibus studiorum præsentati, aut nominati sint.

3 Quartum. Episcopus peccat, si Sacerdotibus dignis & idoneis appprobationem sine iusta causa neget, multòq; magis, si legitimè datam absque superueniente causa reuocet, sicuti ex communi docet Conincx cit. disp. 8. dub. 7. num. 58. Ratio est; Quia approbatio hæc non est gratia, seu priuilegium, quod ex libera voluntate concedentis dependet, sed est authentica declaratio seu testificatio, personam habilem, & dignam esse, cui iurisdictio ad Cõfessiones audiendas conferri possit: huiusmodi autem testimonium Sacerdotibus ad id ordinatis, si scientia, & prudentia instructi sint, iure debetur. quod maximè locum habet in Regularibus Ordinum Mendicantium, à Prælatis suis Episcopo præsentatis: quippe quibus ex Apostolicæ Sedis priuilegio competit fidelium quorumcunque Confessiones audire: ideóque ex Sum. Pontificis voluntate, ac tacito mandato, si idonei reperiantur, approbatio debetur.

4 Quamobrem multi DD.+ valde probabiliter docent nominatim Nau. c. 27. n. 264. Rodr. t. 1. q. 59. a. 2. & 10. Ludou. Mirandat. 1. man. Præl. q. 45. a. 6. & 8. Finell. in casibus reseruatis, c. 3. n. 3. Henr. ci. c. 6. n. 4. Si Episcopus Regulares Mendicantes à Prælatis suis presentatos, & manifestò idoneos sine causa reiiciat: posse eos nihilominus ad Con-
5 fessiones audiendas, etiã seculariũ, exponi, sicuti habetur in Clem. dudum, §. statuimus, de sepult. Quamuis contrarium sentiant Suar. d. 28. s. 5. n. 11. Conincx ci. d. 7. n. 28. eò quod Clementinæ illi à Tridentina constitutione derogatum videatur clausula illa, *priuilegiis non obstantibus.*

+ Hec 1.a damnata est a S. D. Alex. 7.

Sed respondent Nau. Miranda, Rod. ll. cc. Eiusmodi clausula derogatoria generali non tolli priuilegium speciale clausum in corpore iuris, vti notauit Gl. in Auth. Qua in prouincia, Cod. vbi de criminibus, &c. ver. *omni priuilegio*: cuius rationem esse dixi in l. 1. t. 4. c. 23. q. 4. n. 26. Quia correctio iurium vitanda, & iura iuribus, si fieri possit cõcilianda sunt: quare in generali derogatione non censetur comprehensum priuilegium speciale clausum in corpore iuris, si ob specialem rationem exceptum videri possit, qualis ratio omnino hîc apparet, arg. cap. 1. de supplenda: negl. Prælatorum.

Porrò ex iusta causa superueniente, potest Episcopus approbationem semel datam reuocare, arg. c. accepimus. 6
de ętate, & qualitate ordinandorum, ibi: *nisi fortè, postquã promoti fuerint, reddiderint se indignos*: multóque magis Episcopi approbantis successor, si res postulare viceatur, nouo instituto Confessariorum examine, eósdem denuo approbare: vel, si ita necesse sit, reprobare: vt tum securitati conscientiæ ipsius, tũ verò ouium commissarum saluti prospectum sit. Qua de re vide motum proprium Pij V. 135. qui incipit *Romani pontificis*, Suar. d. 28. s. 8. n. 4. & Mirandam in man. Prælat. ci. q. 45. a. 7.

Quintum. Quod ex dictis colligitur, distinguendum esse inter approbationẽ, & delegationem iurisdictionis. 7
Quia vt rectè ait Llamas p. 1. methodi, c. 6. §. 5. *Approbatus Ordinarii iudicio, siue sufficiens declaratus, non eo ipso iurisdictionem recipit: approbatio enim est actus intellectus, vtpote iudicium, siue sententia: Traditio autem iurisdictionis debet esse actus voluntati Superioris.* Porrò iurisdictio in foro Pœnitentiæ interdũ cõmittitur Sacerdoti, simul cum approbatione: puta si Episcopus aliquem exponat, seu mittat ad Confessiones audiendas, eo ipso approbare illum cẽsetur, vti notauit Conincx cit. dub. 7. n. 49. Interdũ verò iurisdictio alicui demandatur ante Episcopi approbationem, sed dependenter ab illa, tanquã conditione sine qua non: v. g. si Parochus Sacerdoti, in Cooperatorem assumpto, facultatem det, cum primum ab Ordinario approbatus fuerit, Confessiones suorum subditorum audiendi. Qua etiam ratione Regulares à Summo Pontifice iurisdictionẽ in foro Pœnitentiæ accipiunt, quamprimum à suis Superioribus ad hoc munus deputati, & ab Ordinario approbati fuerint: qua de re Rodr. q. 59. a. 1. & seqq. Llamas p. 1. meth. c. 7. §. 3. & 4. Denique iurisdictio committitur interdum Sacerdoti post eius approbationem, quomodò v. g. Parochi Sacerdotes ab Episcopo antè approbatos ad Confessiones suorum audiendas exponunt.

Restant duæ quæstiones: Prima. Vtrũ approbatus ab vno Ordinario, vbiuis terrarum Confessiones audire possit, per Parochorum delegationem, electionem ex iubileo priuilegio Bullæ, &c. An verò necesse sit iterum approbationem accipere ab Ordinario alterius loci, vbi Confessiones auditurus est? Priorem quæstionis partẽ defendit Henr. l. 7. c. 12. n. 4. Ægid. ci. d. 7. & probabilem censet Medina 1. 2. q. 19. a. 6. Suar. d. 28. s. 7. n. 4. saltem tunc, si approbatio ab Episcopo absolutè data est: & non determinatè ad diœcesin, vel subditos suos.

Posterior tamen sententia est communior apud Gutrez l. 1. cano. qq. c. 27. n. 21. Mirandam ci. q. 45. a. 7. Rodr. 8
t. 1. q. 59. a. 5. Sa ver. Confessor. n. 5. quæ non tantùm securior, sed etiam vera videtur. Eam enim satis indicant verba Concilii Trident. *Nullum Sacerdotem posse Confessiones audire, nisi ab Episcopis approbationem accipiat.* Cur enim plurali numero vtatur Concilium? nisi quia plurium Episcoporum approbatione Sacerdos indiget, si in pluribus diœcesibus ad Confessiones exponendus sit. Deinde idipsum ratio conuincit, quæ mouit Concilium ad hanc constitutionem: Quia ad cuiusque Episcopi officium spectat prouidere, vt in sua diœcesi donei Cõfessarij exponantur: qua in re non semper fidem habere potest aliorum Episcoporum iudicio: sed interdum meritò timere,

timere;ne vel alii Episcopi minùs idoneos approbent: vel, tametsi approbati in alia diœcesi idonei fuerint ad Confessiones audiendas;non tamen in sua sint, vbi aliæ consuetudines, & peccatorum reseruationes, aliud hominum ingenium,alia instituta,commercia vigent. Quapropter,si Episcopus nolit in sua diœcesi Sacerdotes ad Confessiones exponi,nisi eos,qui à se, vel Vicario suo priùs approbentur: credibile est, si aliter exponantur, quamuis alibi approbati, eorum absolutiones irritas esse. Quod dico,spectato iure communi, & exceptis priuilegiis,quæ Regulares aliqui à Sede Apostolica accepêrunt; quòd semel approbati ab Episcopo, in aliis diœcesibus iterum approbari non debeant: de qua re videri potest Rodr.ci.q.59.a.5.in fine. Præterea si alicuius diœcesis Episcopus contentus sit,vt qui aliunde accedunt Sacerdotes, in diœcesi sua ad confessiones audiendas exponantur, si approbationis ab aliquo Episcopo sibi collatæ testimonium exhibeant, tunc maior approbatio non requiritur.

9 Altera Quæstio. Cuiusnam Episcopi approbatio necessaria sit, eiusne, qui est ordinarius sacerdotis; an verò pœnitentis? de qua re fusè disputat Suar.d. 28. s. 6. Respondeo: Communi iure requiri approbationem eius Episcopi, in cuius diœcesi Sacerdos ad Confessiones audiendas publicè exponitur. Qui Episcopus interdum non est ordinarius pœnitentium: puta, si sint alienigenæ habentes expressam, aut tacitam facultatem cuicunque Sacerdoti exposito confitendi. Deinde si ipsimet Episcopi, quibus c.vlt.de pœn. & remiss.concessum est Confessarium deligere, Sacerdoti non subdito in aliena diœcesi confiteri velint; debet is vel parochiale beneficium obtinere vel à proprio Episcopo approbatus esse, sicuti Cardinalium Congregatio declarauit apud Suarez ci.s.6.nu. Contrà verò interdum accidere solet, vt Episcopus, à quo approbatio petenda est,sit potiùs pœnitentium,quã ipsius Confessarii: puta si Sacerdos peregrinus aut hospes in aliena diœcesi exponendus sit à Parocho: opus est consensu,siue approbatione Episcopi eiusdem loci Quod etiam dicendum putat Gutieres l. 1. can. qq. cap. 27. numero 21. tametsi Sacerdos ille peregrinus alibi curatum beneficium obtineat: oportet enim illum etiam approbari ab Episcopo eius loci, vbi Confessiones auditurus est, propter rationem n. præced. allatam. Licet contrarium cum Doctoribus Salmanticensibus doceat Suar.d.28.s.4.n.15. quorum sententia saltem tunc vera est,si sit talis diœcesis consuetudo, vt quicunque etiam alibi curatum beneficium obtinent, exponi possint:nam hoc casu Episcopus talem consuetudinem sciens,ac tolerans,consentire censetur, & iudicium aliorum Episcoporum ratum habere.

CAP. XII.

De casuum reseruatione.

SVMMARIVM.

1 Casuum reseruatio prouenit ex dependentia inferiorum animarum Pastorum, à superioribus.

2 Papa nullum peccatum reseruare solet, nisi propter annexam censuram excommunicationis.

3 Sola mortalia, eaque non nisi externa, & opere consummata peccata reseruari solent.

Neque interna mortalia peccata reseruari solent, quamuis absolutè loquendo reseruari possent.

4 Homicidium voluntarium, etiam occultum, communi Ecclesiarum consuetudine Episcopis reseruatur: quæ verò alia peccata in qualibet diœcesi reseruata sint, ex consuetudine, & diœcesali constitutione petendum est.

5 Grauis & insolita casuum multorum reseruatio in diœcesi, etsi illicita sit, tamen à Parochis obseruanda est, donec tollatur.

6 Regularibus Prælatis certus modus præscriptus est reseruandi peccata.

7 Si Prælatus existimet expedire, vt facultatem absoluendi à casu reseruato alteri Sacerdoti det, in concedendo facilis esse debet.

8 Si Prælatus expedire iudicet, vt ipsemet casum reseruatum cognoscat, & pœnitens extra sacram Confessionem explicare nolit, ordinariè integra omnium peccatorum Confessio ei facienda est: interdum tamen, ob moralem impossibilitatem; sufficiet solum casum reseruatum audire, & ab eo directè absoluere, cum onere vt reliqua peccata inferiori Sacerdoti explicentur.

9 Si Confessarius peccatum aliquod confitentis intelligat esse Superiori reseruatum, ordinariè non debet eum absoluere, sed ad superiorem mittere, vel absoluendi potestatẽ ab eodẽ petere.

10 Propter aliquam necessitatem licitum est inferiori Sacerdoti absoluere à peccatis, quorum vnum, aut plura reseruata esse scit: imposito onere pœnitenti, vt reseruata sola Superiori explicentur, vel absoluendi potestas ab eodem petatur.

11 Per se loquendo, nemo obligatur idem peccatum bis confiteri.

12 Qui in excommunicatione constitutus bona fide absolutionem petit, validè absoluitur à peccatis: tametsi non absoluatur ab excommunicatione.

13 In mortis articulo, seu periculo, omnis Sacerdos, etiam excommunicatus, aut hæreticus, ob omnibus peccatis absoluere potest.

14 Si Confessarius iurisdictione præditus adsit, vel vocari possit; Sacerdos simplex, seu iurisdictione carens ius absoluendi non habet in mortis articulo.

Similiter Parochus in mortis articulo absoluere non potest à reseruatis Episcopo; si adsit, aut facilè accersiri possit: nisi alia sit diœcesis consuetudo.

15 Qui propter mortis periculum à peccatis reseruatis absolutus est, cessante periculo, Superiori se sistere non debet: nisi fuerit annexa censura excommunicationis.

QVæstio Prima. Quo iure, & ratione casuum, siue criminum grauiorum reseruatio fundata sit? Respondeo: Inde prouenire, quòd nunc solus Papa iurisdictionem necessariam ad peccatorum remissionem, absolutionémue, diuino iure, in sui electione, & ordinatione, accipiat; reliqui verò Episcopi, & Prælati exempti, iure Ecclesiastico, à Papa: qui proinde ipsis iurisdictionem limitatam conferre potest; vel respectu personarum, quosdã ab eorum iurisdictione eximendo; vel respectu peccatorum, quorum dam absolutionem sibi reseruando. Et simili ratione, cùm Parochorum iurisdictio ab Episcopis, vel alijs Prælatis quasi episcopalem iurisdictionem habentibus immediatè proueniat, poterunt hi illis potestatẽ in foro Pœnitentiæ limitatã dare, quosdã casus, seu causas grauiores suo iudicio reseruantes. Etenim si in foro externo non tantùm Ecclesiastico, sed etiam ciuili & politico vsitatissimũ est, vt causæ grauiores superiorũ Iudicũ examini reseruentur, vti notauit Synod. Trid. s.14.c. 7. cur non idẽ fiat in hoc Pœnitentiæ foro? vt nimirũ crimina grauiora securiùs corrigantur, & salubriora ijs remedia adhibeantur: tũ verò ob difficultatem veniæ impetrandæ, fideles ab eiusmodi sceleribus absterreantur. Vide Trid. Concil. l. c. de Conciliis, d. 18. & Extrau. etsi Dominici I. de pœn. & rem. Sot. in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ver. secundum argumentum, Finellium ca. 4. casuum reseruat. ConincK d. 8. du. 11. 1

Quæstio secunda. Quænam, & qualia peccata superioribus Prælatis reseruentur? Resp. & dico I. Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum suo tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem, sibi itidem reseruatam. Ita Caiet. in sum. ver. casus, Nau. c. 27. num. 261. Tol. lib. 3. c. 14. Henriq. lib. 6. cap. 14. num. 1. Ex quo sequitur primò: si Papa, eiusue Pœnitentiarius aliquem absoluit à sola censura Bullæ, vel alia Papæ reseruata, inferiorem Confessarium deinde in conscientiæ foro absoluere posse à peccato illo, cui talis censura coniuncta fuerat, sicuti notauit Henriquez loco cit. Suar. dis. 29 s. 2. n. 7. Sequitur secundò: si aliquis commisit peccatum v. g. in Bulla Cœnæ contentum: sed ob ignorantiã non crassã à censura Papali excusatus fuit, quia de ea nihil audiuit: ab inferiore absolui posse, sicuti notauit Henriq. l. c. & ConincK. ci. d. n. 82. Verũ ex his non inferas, Peccatũ (v. g. hæresin) cui excommunicatio Papalis annexa est, per se, & immediatè Papæ reseruatũ nõ esse. Est enimuero, adeò quidẽ, vt si Sacerdos inferior tali pot 2

-state carens, bona fide, inuincibili reseruationis ignorãtia laborantem directè absoluere attentet, nihil efficiat, ob iurisdictionis defectum, sicuti notauit Suarez num. 8. Sanchez lib. 2. moral. cap. 8. nu. 5. Coninck num. 83.

Dico II. Peccatum, quod ab Episcopo, alióve Prælato similem in suos iurisdictionem habente, reseruatur, oportet esse mortale. Venialia enim reseruari nõ solẽt: partim quia omnes Sacerdotes vel iure diuino, vel potiùs generalis Ecclesiæ cõsuetudine, à venialibus absoluendi potestatẽ habent: quam proinde Episcopus ipsis auferre non potest, nisi per iustam sententiã excommunicationis: partim quia ad venialis peccati Confessionem nemo obligatur: Ergo frustra eam Superior suo iudicio reseruaret. Qua de re videri potest Suarez disp. 29. s. 3. Finell. de casibus reseruatis, c. 5. n. 6.

Dico III. Etsi peccata merè interna, si grauia seu mortalia sint, reseruari possint: tamen in vsu non est, neque expedit, vt reseruentur. Ita Finellius, & Suarez ll. cc. Maior in 4. d. 17. quæst. 5. prop. 2. Barthol. Medina. lib. 1. instruct. capite 10. princip. Iacob. Graffis p. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 71. Llmas p. 1. meth. c. 7. §. 14. Henriquez libro 6. cap. 14. §. 5. Sanchez libro secundo moral. c. 8. num. 4. Coninck cit. dub. 11. Prior pars probatur: Quia iurisdictio non minùs ad absoluendum à peccatis internis quàm ab externis, conueniente ordine, à superioribus ad inferiores Confessarios descendit: ideoque vtraq; potestas limitatè, seu cũ restrictione conferri potest. Posterior verò pars ex eo patet: quòd internorum peccatorũ reseruatio nõ ita necessaria sit ad Ecclesiæ gubernationẽ: quippe quæ externa potissimùm spectare debet.

Dico IV. Peccata mortalia reseruatione Prælati non censentur esse comprehensa, nisi fuerint opere consummata. Ita Syl. ver. casus, q. 5. Henriq. lib. 6. c. 14. nu. 5. Graffis cit. num. 71. Finellius cit. c. 5. n. 4. vbi afferunt exemplum de incestu impuberum: & eorum, qui extra vas semen emiserunt. Ratio est: Quia crimẽ nõ intelligitur, nisi sit consummatũ iuxta c. hæc autem, iun. Gl. d. 1. de pœnit. Nam attentatio homicidij v. g. non est homicidiũ neq; conatus ad incestum committendum, incestus est. Cæterum, si ipsa quoq; criminis atrocis attentatio expressis verbis reseruetur, nemo dubitat, reseruationem validam esse.

Dico V. Ex communi Ecclesiarum consuetudine re-
4 seruatur Episcopis homicidium voluntarium, quamuis occultũ sit. Quinam verò præterea casus seu communi iure, seu consuetudine Episcopis reseruati sint, non consentiunt DD. vti videre est apud Ang. & Syl. ver. casus Barthol. Medinam lib. 1. instruct. cap. 10. §. 3. Nauar. c. 27. n. 262. Tol. lib. 3. c. 14. Suar. disp. 29. s. 3. Rodriq. t. 1. quæst. 62. a. 2. quare *nisi priuilegiatus sit* ait Caiet. ver. casuum reseruatio, *conforma te cuiusuis diœcesis statuto, vel consuetudini*. In pluribus tamen diœcesibus hæc reseruata esse solent: Crimen incendiarij, & præstitum auxilium arg. c. pessimam, 23. quæst. 8. Sacrilegium: cùm nempe violatur locus sacer furto, sanguine, aut semine, per fornicationem, aut voluntariam pollutionẽ: de quo Syl. & Nau. ll. cc. Sa ver. casus, n. 4. Periurium, quod in iudicio fit: item falsũ testimoniũ in iudicio, teste Nauar. & Tolet. ll. cc. Falsificatio literarum, sicut præter citatos, docet Abb. in cap. 1. de crimine falsi: Sortilegiũ, siue magiæ exercitium: dũmodo crimen graue sit, sicuti colligunt DD. ex extrauag. inter cunctas, de priuileg. Peccatũ, cui irregularitas annexa est, vti testatur Henriq. cit. c. 14. §. 4. Addunt Gl. in c. si Episcopus, de pœnit. & remiss. Nauar. & Toletus, quodcunque peccatum enorme publicum & scandalosum, ob quod olim pœnitentia publica imponebatur, Episcopo reseruatum esse; videl. aduterium notorium, & omnia eo maiora. Sed in quacunq; vt dixi, diœcesi spectãdũ est, quid lex, & cõsuetudo exigat.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum nimis grauis, atque insolita plurium peccatorum in aliqua diœcesi reseruatio non tantùm illicita sit: sed etiam inualida, vt à Parochis obseruari non debeat? Ita affirmant Sotus in 4. d. 18. quæst. 2. a. 5. Angelus ver. casus, Finellius cap. 4. n. 4. Henriquez lib. 6. c. 14. num. 3. quæ sententia haud dubiè vera esset, si diuino iure competeret, sicuti arbitra-
tur Sotus l. c. & alij apud Henriquez lib. 6. cap. 5. num. 5
2. in fine, Suarez disp. 25. s. 1. Sed quia contraria sententia communis & vera est, quam docet Richardus in 4. d. 18. a. 9. quæst. 3. & alii allegati lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 3. quòd omnis iurisdictio Ecclesiastica à Summo in terris Ecclesiæ Pastore in Episcopos, & ab his in reliquos inferiores animarũ Curatores conueniente ordine descendat: ideo valde credibile est, Summum Pontificem Episcopis ita conferri iurisdictionem, vt eandem inferioribus communicare possint amplam, vel restrictã: prout ipsis expedire visum fuerit: sicuti ipsemet Papa, tanquã supremus iurisdictionis collator, eandem restringendi, quamuis non penitus ab Episcopali ordine auferendi, ius obtinet. Tametsi verò Episcopi moneantur, vt concessa sibi potestatẽ vtantur in ædificationem, non in destructionem, sicuti videre est in Trident. sess. 14. c. 7. non tamen inde sequitur, si quid illicitum ab eis fiat, etiam inualidum esse cùm hinc grauior occasio schismatis oriri possit, facilè opinantibus Parochis, Episcopũ potestatis suæ limites excessisse. quare illi in tali causa supplicare quidem Episcopis poterunt: sed denique tanquam legitimi Superioris sui sententiæ acquiescere ipsis conuenit. quæ est sententia Henrici quodlib. 1. quæst. 27. Syluest. ver. casus, q. 5. Suarez disp. 29. s. 4.

His adde, quamuis Prælati Ordinum maiorem etiã 6
potestatem habere videantur, Confessarijs ad Regulariũ suorum Confessiones deputatis, restringendi iurisdictionem: cùm ea ipsis tantùm delegata sit: & non sicuti Parochorum, ordinaria: attamen & illi operam dare debẽt vt reseruatio fiat in ædificationem, non in destructionem obseruata etiam Constit. Clementis VIII. in qua præcipitur, vt præter casus sequentes, qui reseruari possunt (quamuis non debeant) alij non reseruentur sine Generalis Capituli in toto Ordine, vel Prouincialis in prouincia discussione: *I Veneficia, incantationes, sortilegia. II. Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento: quando eò peruenerit, vt extra septa monasterij, seu Conuentus fiat. III. Nocturna, ac furtiuaè monasterio seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta. IV.* Proprietas *contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. V. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. VI. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam affectu non subsecuto. VII.* Falsi*ficatio manus, seu sigilli* Officialium *monasterii, aut Conuentus. VIII. Furtum de rebus monasterii, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.* IX. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. X. Occisio, vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.* XI. *Malitiosum impedimẽtum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.* De casibus autem in Societate Iesu specialiter reseruatis, videri potest c. 5. ordinat. Præposit. Generalium.

Quæstio quarta. Quomodo Prælatus se gerere debeat 7
circa absolutionem à casibus reseruatis? Respondeo, & dico I. Si Prælatus existimet, expediens fore, vt subdito petenti det facultatem confitendi casum reseruatum alteri Sacerdoti, quem vel ipse pœnitens delegerit, vel ipsemet Prælatus ei destinauerit, tum ex charitatis lege talem ei facultatem concedere tenetur. Ita Sotus cit. a. 5. ver. circa tertium. Henriq. lib. 6. c. 15. n. 6. Suar. disp. 30. s. 4. Coninck disp. 8. dub, 14. & alij communiter. Ratio est: Ne sacramentum Confessionis, quod in remedium animarum institutum est nimis graue accidat: atq; occasio capiatur reticendi peccatum, cum sacramenti irreuerentia, & propriæ salutis iactura, sicuti monet Sanctus Thomas in 4. dub. 17. quæst. tertio articulo 3. quæst.

4. ad

4. ad 6. vbi ait, *Qui sunt nimis soliciti, vt conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens sibi ipsis.* Veruntamen, si Superior pœnitenti aut Communitati (cuius in hac re maior ratio haberi debet) expedire iudicet, vt casum reseruatum ipsemet audiat, quòd remedium efficacius adhibiturum se prudenter existimet: tunc licentia alteri confitendi neganda erit. Notat verò Ægid. Coninck n. 111. Faciliùs licentiam dandam esse, si eam pœnitentis nomine ipsemet Confessarius petat: quippe cui statum Rei cognitum habenti Superior plerumque credere debet expediens fore, vt concedatur: Nisi graues rationes in contrarium adsint: vt si (maximè in Religiosorum Ordine) animaduerteret, eiusmodi licentiam sæpe à se postulari, atque interim Religionis disciplinam laxari.

Quòd verò idem Coninck adiungit: *Quando Confessarius hanc veniam petit, ita cautè hoc facere debet, vt Superior nullo modo, aut personam, aut casum, ob quem ea petitur coniicere possit. Nam aliàs esset periculum frangendi sigilli*; id verissimum est, quod attinet ad personam omnimodè celandam, consequenter etiam in specie non indicandam, si periculum esse videatur prodendi personam. Sæpe autem nullum tale periculum est: tum verò expedit interdum, vt casum in specie cognoscat Superior: & alio modo licentiam absoluendi neget, nisi ipsi ita explicetur. Videri possunt ordinationes Præpositorum Generalium Societatis Iesu c. 6. §. 3. & 4. Obligatus est autem interdum Confessarius, saltem ex charitatis lege, vel ipsemet Superiorem adeat, si possit, ad petendam absoluendi facultatem: si putet non expedire, aut pœnitentem adduci non posse, vt seipsum sistat.

8 Dico III. Si Prælatus casum reseruatum à seipso ex peccatore cognoscendum esse arbitretur conuenientissimè aget, si integram penitentis Confessionem excipiat: quòd si ipsi ob alia grauia negotia tempus non suppetat, tunc iubeat sibi peccatum explicari sub sigillo secreti; & postea peccatorem sacramentaliter non absoluat, sed tantùm reseruationem, aut censuram tollat, satisfactionemque iniungat: quo casu peccatum illud, vnà cum alijs mortalibus inferiori Sacerdoti in proxima Confessione explicandum erit ad sacramentalem absolutionem accipiendam: quam consuetudinem solam censuram auferendi Pœnitentiariorum Romæ esse, testatur Canus relect. de pœnit. p. 6. conclus. 2. fol. 268. & seqq. & videri potest Durandus in 4. d. 17. q. 15. Adrianus in 4. vbi de Confess. q. 4. §. sed dubium videtur.

Cæterùm si pœnitenti graue accidat, peccatum reseruatum extra sacramentum Confessionis Prælato manifestare ipse verò, ob iustum impedimentum, integram eius Confessionem audire non possit: atque insuper expedire non iudicet alteri causam committere: his omnibus concurrentibus, poterit Prælatus, solis auditis reseruatis, sacramẽtaliter absoluere, vt absolutio directè cadat super audita: indirectè verò super alia, quæ ob moralem impossibilitatem audiri non potuerunt. Ita docet Palud. in 4. d. 17. q. 5. art. 1. & 2. in fine Syluest. ver. Confessio, 1. q. 19. Caiet. eod. verbo, conditione decima, Maior in 4. d. 17. quæst. 5. Medina C. de Confess. q. 12. in fine, Nauarrus in cap. consideret, §. cautus, num. 18. d. 5. de pœnit. Finellius cap. 10. Suarez disput. 31. sect. 1. Coninck disp. 7. num. 83.

Id verò inter Doctores controuersum est, vtrum postea necesse sit Sacerdoti inferiori iterum confiteri peccata reseruata, vnà cum alijs mortalibus, à quibus directa absolutio accepta non erat. Ita affirmant Caiet. l. cit. Henriquez libro 6. cap. 15. num. 5. Sa ver. absolutio, n. 24. Finellius cit. cap. 10. Quia vni, eidémque Sacerdoti omnia peccata mortalia explicare oportet. Sed contraria sententia placet, quæ est Nauar. cap. 9. num. 7. Petri Soti lect. 10. de Confessione, Valentiæ tom. 4. disput. 7. quæst. 11. part. 1. Suarez disput. 31. sect. 1. num. 10. Satis esse explicare reliqua: & non opus repetere peccata, à quibus, tanquam sibi reseruatis, Episcopus hominem absoluit. Nam id vniuersim verum est, vt, si ob moralem impossibilitatem, adeóque per accidens Sacerdoti non omnia; sed aliqua tantùm peccata explicata fuerint, & absolutio legitimè secuta: postea ea solùm peccata explicanda restent, à quibus indirectà absolutio facta est: adeóque remanente onere, vt directè clauibus subijciantur. Ad fundamentum contrariæ sententiæ resp. Omnia peccata vni Sacerdoti explicanda esse ordinariè, & per se: non item in casu extraordinario & accidentali, sicuti cernere est in eo, qui vnum, aut plura peccata confiteri oblitus est: vel ob periculum reuelationis explicare non potuit.

Verùm extra casum dictæ necessitatis, qui rarissimus esse solet, peccare videtur Prælatus, si, auditis tantùm reseruatis, sacramentaliter absoluat: quia agit contra proprietatem sacramenti Pœnitentiæ, ex Christi institutione, ac præcepto omnium mortalium peccatorum Confessionem postulantis, quatenus ea moraliter fieri potest. Atque ita docent Adrianus loco citat. Victoria num. 162. Syl. ver. Confessio, 1. quæst. 19. Nauar. c. 6. n. 6. Canus & Suarez ll. cc. Llamas p. 1. meth. c. 7. §. 11. Rodriq. t. 1. q. 21. a. 6. contra Palud. in 4. d. 17. q. 5. S. Anton. p. 3. t. 14. cap. 19. §. 6. Caiet. cit. condit. 10. Henriq. lib 6. c. 15. num. 4. Sa cit. num. 24. qui absolutè aiunt, Prælatũ à solis reseruatis absoluere posse, etiam extra necessitatis casum: & hanc esse Ecclesiæ consuetudinum. Sed Adrianus Syl. ver. Canus, Suarez, Llamas & alij negant apud bonos, & doctos Prælatos talem consuetudinem vigere.

Quæstio quinta. quid agendum sit Confessario, si pœnitens inter alia confiteatur peccatum reseruatum Superiori? Respondeo, & dico I. Ordinariè non debet illum absoluere: sed ad Superiorem mittere, vel ab eodem facultatem absoluendi petere. Ita Sotus cit. a. 5. Adrianus. q. 4. de Confess. Canus, Finellius, Llamas ll. cc. Suar. disp. 37. s. 2. num. 3. Philiarchus t. 1. p. 2. lib. 2. c. 26. Coninck dis. 8. d. 13. concl. 3. Quod & Tridentinum Concilium significat cit. s. 14. cap. 7. *Cùm Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur: vt ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedat.* Ratio est: Quia ad integritatem sacramentalis Confessionis pertinet, vt de omnibus mortalibus, peccatis fiat, coram legitimo iudice: qualis ille tantùm est, qui potestatem habet de integra causa cognoscendi, vt absolutio ab eo ritè pronuntietur. 9

Dico II. Si aliqua necessitas vrgeat, v. g. si pœnitens longè distet ab Episcopo: tunc Confessarius absoluere potest pœnitentem: ita vt absolutio directè cadat super non reseruata, tametsi solùm venialia sint: indirectè verò super reseruata: imposito tamen onere pœnitenti præsentandi se Superiori, vt à reseruatis quoque directà absoluatur: nisi malit ipsemet Confessarius à Superiore impetrare absoluendi licentiam, personâ non nominatâ. Quæ est sententia Richard. in 4. d. 17. a. 2. quæst. 8. ad 2. Nauar. in cit. cap. consideret, §. cautus, num. 13. Soti, Philiarchi, Suarez, Coninck, Llamas locis suprà cit. Rodriq. cit. q. 21. a. 5. Ratio patet ex suprà dictis. Talis autem necessitas est, si Sacerdos sacrificare debeat, vel laicus communicare: & Superiorem distantem, aut valde occupatum eo tempore adire non possint. Pertinet enim tum ad dignitatem ac reuerentiam sacræ Eucharistiæ: tum ad suscipientis securitatem, vt si conscius sit peccati mortalis, ab eo priùs sacramentalem absolutionem accipiat. Adde, idem in tali casu dicendum esse, tametsi censura excommunicationis, v. g. propter occultam Clerici percussionem, reseruationi annexa sit, sicuti docent Henriq. in fine c. 15. Suar. s. 3. n. 6. Llamas l. c. Coninck n. 107. Cùm enim excommunicatio iure tantùm positiuo Ecclesiastico arceat ab esu S. Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ: 10

cessat eius obligatio in casu magnæ necessitatis: quare si excommunicatus ob vitandam infamiam, S. Eucharistiam suscipere potest, multò magis in tali casu à peccatis absolui, non obstante excommunicatione. Verùm extra necessitatis casum, sacramentalem absolutionem excommunicato dandam non esse, constat ex ijs, quæ dixi lib. 1. tr. 5 p. 2. c. 1. n. 1. Licet contrarium sentiat Angelus ver. confessio, 5. §. 10. quem refutat Nauar. c. 9. num. 4. & in c. fratres, n. 40. d. 5. de pœnit.

Id porrò rectè admonet Suarez disp. 30. s. 5. n. 32. in fine, eum qui communicandi necessitate constrictus, Superiorem accedere tunc non potest, vt à peccato ipsi reseruato absoluatur, non esse obligatum, vt inferiori Sacerdoti confiteatur si scandalum cesset, & communicaturus existimet se contritum esse. Idque confirmari potest ex regula communiter recepta apud Nau. in c. placuit, n. 112. d. 6. de pœnit. Quòd nemo per se loquendo, obligari possit, vt idem peccatum bis confiteatur: Talis autem idem peccatum reseruatum bis confiteri deberet, videlicet non tantùm inferiori, sed etiam postea superiori: Ergo talis obligatio imponi non debet. Cur autem dixerim, per se loquendo, ratio est: quia per accidens, si pœnitens alia peccata mortalia reseruata habeat, vnà cũ ijs etiam reseruata confiteri debet, vt Confessarius pœnitentis statum rectè cognoscat. Quæ est communis sententia S. Th. in 4. d. 17. q. 3. a. 2. q. 2. ad 4. Richar. ead. d. a. 2. quæst. 8. ad 2. Maioris quæst. 5. Soti cit. a. 5. Suarez disp. 31. sect. 3. num. 8. Henriquez lib. 6. cit. cap. 15. nu. 5. contra Halens. p. 4. quæst. 77. mem. 5. a. 2. ad vlt. vbi ait: Confessionem ob hanc causam diuidi posse: quamquam hoc dictum defendere licet, sicuti intelligit Petrus Sotus citat. lect. 10. diuidi posse Confessionem quo ad hoc, vt Superiori sola reseruata explicentur, sicuti suprà dictum.

11

Dico III. Si pœnitens bona fide ad Confessionem venerit, vel quia nesciuit tale peccatum Superiori reseruatum esse: vel tametsi sciuerit, existimauit tamen, legitimè se ab inferiore Sacerdote absolui posse, cum obligatione postea tẽpore opportuniore se præsentandi Prælato; in hoc casu arbitror, plerumque absolutionem dari posse, modò pœnitens præter reseruatum, aliud peccatum absolutioni subijciat. Ratio est, partim quia aliqualis necessitas vrget: siquidem pœnitens ægro animo discedet absque absolutione; cùm ex sua parte bene dispositus sit: partim quia graues Doctores, quos suprà citaui, absolutè docent, quod Sacerdos pœnitentem, qui peccata reseruata habet, absoluere possit cum onere, vt ea sola Superiori postea confiteatur, & ab ijs directè absoluatur. Excipe; Nisi excommunicatio annexa sit: Nã hæc iure Ecclesiastico prohibet hominem à susceptione tum aliorum sacramentorũ, tum etiam Pœnitentiæ: qua de re Rich. in 4. dist. 18. a. 9. q. 4. Adrian. in 4. vbi de Confess. q. 4. §. Si petas circa dicta. Nihilominus valida erit absolutio data excommunicato, excommunicationem suam inculpatè ignoranti, vel sacramentum absolutionis bona fide petenti, sicuti docet Nauar. cap. 9. num. 4. Tolet. lib. 3. cap. 10. Coninck disp. 8. dub. 13. concl. 4. arg. cap. Apostolicæ, de Clerico excommunic. ministr. licet contrarium senserit Finellius c. 10. n. 8.

12

Ad extremum hoc moneo; Prælatos, præsertim Ordinum regularium, interdum committere Confessarijs potestatem directè absoluendi à peccatis grauioribus, tamen cum onere imponendo pœnitenti, vt postea se sistat Superiori, eique peccata illa sub sigillo Confessionis, vel secreti aperiat: ad salubriorem animę eius curationem. De qua re vide, si placet, quæ disputant Suar. disp. 30. s. 5. Coninck. cit. disp. 8. dub. 15.

Quæstio sexta. Quis, & qua conditione absoluere possit à reseruatis in mortis periculo? Respondeo, & dico

13 I. In mortis articulo quiuis Sacerdos iurisdictionem habet ad absoluendum directè à peccatis omnibus, etiam quæ Papæ, vel Episcopo alioquin reseruata sunt. Est cõmunis doctrina, quia, vt Trident. Concilium ait sess. 14. cap. 7. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis: atque ita omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absoluere possunt.* Circa quæ verba notandum est primò, ex Zambran. cap. 4. dub. 4. n. 17. Sanchez lib. 2. moral. c. 13. n. 12. Quòd Concilium ait, quemuis Sacerdotem à censuris in mortis articulo absoluere posse, intelligendum esse de ijs tantùm censuris, quæ sacramentorum susceptioni, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant cuiusmodi sunt excommunicatio, & personale interdictum (à quibus moriturus interdum absolui potest, tametsi sacramentalem absolutionem non recipiat, quia v. g. amens est) non item suspensio ab ordine, officio, aut beneficio: multò minùs irregularitas.

Notandum secundò: Cùm Trident. Concilium verbis vniuersalibus vtatur, *Omnes Sacerdotes absoluere posse* comprehenduntur etiam Sacerdotes non approbati, aut non expositi: item suspensi, quin & excommunicati, ac non tolerati, sicuti docet Gl. in c. non est, ver. Baptismũ paruulorum, de sponsalibus, Palud. in 4. d. 17. q. 3. a. 3. concl. 7. Maior in 4. d. 19. q. 1. S. Ant. p. 3. tit. c. 19. condit. 14. Syl. ver. Confessor, 1. q. 20. Tabiena ver. absoluti, 1. n. 32. Armilla ibid. num. 12. Henriquez lib. 6. cap. 11. num. 18. Suarez p. 3. tom. 5. disp. 72. sect. 4. in fine, & t. 4. d. 26. s. 4. n. 5. Zambran. cap. 4. dub. 4. n. 20. Coninck d. 14. dub. 16. n. 234. contra Ioan. Medinam Cod. de Confess. q. 28. §. ad alium: quem sequitur Couar. c. alma, p. 1. §. 6. concl. 8. quamuis dubius, sicuti & Sotus in 4. d. 18. quæst. 4. a. 4. Nauar. cap. 26. man. num. 26. qui saltem hæreticum denuntiatum omni absoluendi potestate, etiam in extrema mortis necessitate, priuatum esse arbitratur. Sed non rectè; cùm Concil. Tridentin. apertè dicat, in mortis articulo nullam esse peccatorum reseruationem: sed eorum absolutionem omnibus Sacerdotibus perpetua Ecclesiæ consuetudine concedi. Fateor tamen, hominem in mortis articulo constitutum, nullius culpæ argui posse, si hæretico Sacerdoti, tametsi ab ipso nullum peruersionis periculum timeatur, tamen ob hæresis detestationem sacramentaliter confiteri recuset: modò speret se de peccatis suis contritum esse. Qua de re Palud. l. cit.

Nota autem hoc loco, quod dicitur de absolutione sacramentali, eam à Sacerdote non tolerato, etiam hæretico, suscipi posse, propter necessitatem: idem multò magis sentiendum de susceptione Baptismi. De alijs verò sacramentis alia ratio est, cùm tãtæ necessitatis non sint, vti videre licet apud Azor. t. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 12. Verumtamen si in mortis articulo sacramentum Pœnitentiæ suscipi non possit, hoc casu, qui vix vnquam continget, ab hæretico, aut alio excommunicato non tolerato sacrum viaticum accipere non erit illicitum, alius nemo si adsit, qui administrare possit: quia lex Ecclesiastica in tali necessitate non obligat.

His adde, per mortis articulum, quo omnes Sacerdotes, ex Ecclesiæ concessione, absoluere possunt, non esse duntaxat intelligendum quasi vltimum vitæ spiritũ, sed quoduis etiam probabile mortis periculum, siue ex infirmitate, aut superuentura perpetua, vel diuturna amentia: siue ex Iudicis decreto: imo & ex aljs causis, videlicet imminente belli conflictu, partu periculoso: puta si primus est, vel si mulier antè difficiles partus experta erat, iuxta doctrinam Abb. cap. quod in te, de pœnit. remiss. colum. 2. Item ante nauigationem periculosam, aut valde longam, in qua Sacerdotis copia futura non est, sicuti docent Palud. in 4. d. 20. q. 1. a. 2. concl. 3. Nauar. c. 26. man. n. 31. Syl. ver. confessor, 1. q. 6. d. 7. Couar. c. alma, p. 1. §. 11. n. 8. Sairus lib. 1. thesauri; c. 10. n. 28. Finell. c. 8. n. 8. Henriq. lib. 6. c. 9. & 11. Rodriq. t. 1. regul. q. 62. a. 7. Molina tr. 3. de iust. dis. 63. num. 5.

Auila de censur. p.5. disp.4. s.1. d.5. Suarez disp.26. s.4. Sanch.lib. 2. moral. c.13. n.7. argum. c. si quis suadente 17. q.4. &c. eos, qui de sent. excom. in.6. Quamuis cõtrarium sentiat Sotus in 4.d.18.q.4. a.4. §.quæris autẽ. Id tamen fateor, cum Couar. cit.loco, Sanch. n.3. Necesse esse, vt periculum mortis, non futura tunc occasione confitendi Sacerdoti exposito, propinquum,& nõ improbabile sit: quia frequenter hominibus in tali casu accidere solet, cuiusmodi periculum cẽseri posse in omnibus peste infectis, testatur Chapeauille c.1. q.1. §. 8. cùm subitò, & præter opinionem extinguantur. Aliam limitationem ex Corduba affert Sanch. loco cit. Vt aliquis non propria sponte, sed ex causa vrgente, seu morali necessitate coactus tale periculum adeat. quod mihi non placet: cùm neque alij meminerint. Nam ratio, cur Ecclesia in mortis periculo omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatẽ tribuat, est; quia peccator in tali casu tum iure diuino positiuo, tum etiam naturali charitate erga seipsum ad confitendum obligatur. Quę ratio obligationis æquè locum habet, etsi aliquis sine necessitate ac propria sponte periculum mortis adeat, v.g. in iusto bello, maris nauigatione.

14 Dico II. In articulo, vel periculo mortis Sacerdos simplex seu nulla iurisdictione pręditus, neque licitè, neque validè absoluit, si Confessarius ordinaria, vel delegata iurisdictione prææditus, adsit, aut facilè aduocari possit. Ita ex communi Syluest. ver. Confessor, 1. q. 6. dicto 7. Nauar. cit. n. 26. Couar. citat. concl. 8. Zambr. cit. cap.4. dub.4. Gutierez lib.2. canon. qq. c.19.n. 5. Valentia t. 4. disp.7. quæst. 10. p. 2. Molina cit. disp. 63. Suar. cit. disp. 26. s.4. num. 4. Sanch. c.13. n.7. contra Nau. lib. 5. consil. 23. de pœnitent. & remiss. edit. 2. vbi priorem sententiam retractat Sa ver. absolutio, n. 3. Rodriq. t.1. sum. cap.59. concl.3. Probatur assertio, tũ ex responsione Gregor. VIII. apud Molinam loco cit. tum ex c. Presbyter, 26. quæst. 6. sumpto ex Cõ. Cart. 3. canon 32. *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat.* Vnde etiã ratio sumitur: Nã Sacerdoti simplici potestas absoluẽdi à quibuscũq; peccatis in mortis articulo cõceditur iure extraordinario, ob rationem necessitatis; *ne hac occasione* (si absolutio denegetur) *aliquis pereat*, inquit Trident. sess. 14. c.7. Ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas, per regulam, quam tradit Abb. in c. cùm venerabilis, de consuet. in fine: *Cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus vrget necessitas.* Et cur, obsecro, Ecclesia permittat, vt morituris, qui maximè spirituali instructione & auxilio indigent, non proprij Pastores, aut ab his commissionem habentes; sed quicunque, etiam imperiti, & non approbati Sacerdotes sacramẽtum Pœnitentiæ ministrent? Confirmatur: Nam Tridentinum Concilium cit. capite 7. eodem modo loquitur de absolutione *à quibusuis peccatis & à censuris*: Atqui certum est ex c. eos, qui de sentent. excom. in 6. & extrauag. 1. §. decernimus de excommun. à censura excommunicationis reseruatæ neminem in mortis articulo absolui posse, si facilis sit recursus ad Superiorem, ad quem absolutio de iure spectat. Ergo similiter à peccatis nullus Sacerdos iure extraordinario in mortis articulo obsoluere potest, nisi ob defectum ordinarij, aut legitimi Sacerdotis.

Porrò quod in hac assert. dictum est de simplici Sacerdote; multò magis dicendum de excommunicato, & suspenso post denuntiationẽ: quia hi omni omnino iurisdictione in Pœnitentiæ etiam foro priuati sunt: excepto casu extremæ necessitatis: quamobrem rectè notârunt Suarez, & Sanchez cit. locis, non toleratum Sacerdotem inualidè absoluere, si adsit Sacerdos toleratus, etiam simplex, & non expositus.

Deinde, quod dixi de simplici Sacerdote, illi præferendum Sacerdotem expositum, seu iurisdictione prædi-tum, id similiter dicendum de Sacerdote exposito inferiore, v.g. Parocho; illi etiam in mortis articulo præferẽdum esse Sacerdotem superiorem siue Prælatum, quod attinet ad peccata eidem reseruata: ita vt eo præsente, vel si facilè aduocati, aut licentia ab ipso peti possit, inferior absoluere nequeat, sicuti docet Zambranus loco cit. Henriquez lib. 6. cap. 11. num. 4. Sanchez cit. num. 7. Suarez disp. 30. sect. 3. num. 1. *Quamuis enim Trident. Concilium dixerit*, inquit idem Suarez, *in articulo mortis nullam esse reseruationem: id tamen intelligendum est in absentia reseruantis: quia aliàs nulla est vera necessitas, ob quam alij Sacerdotes censeantur iurisdictionem consequi, quæ illis, per se loquendo, ablata fuerat.* Excipi tamen debet, nisi alia sit consuetudo diœcesis: vt videlicet omnes expositi Sacerdotes ab omnibus casibus reseruatis in mortis articulo absoluant, sine recursu ad Episcopum: cuiusmodi consuetudo facilè introduci potest in diœcesibus amplis, in quibus plerumque Episcopus multũ distat. Enimuero, tametsi hæc fuerit ratio introducendæ consuetudinis: postea tamen, sciente, & non contradicente Episcopo, extendi ea potuit, vt, etiam si Episcopus in ciuitate sit, non requiratur eius licentia ad absoluendos morituros à casibus ipsi reseruatis.

Dico III. Si Sacerdos quicunque ob necessitatem 15 in mortis articulo à peccatis Superiori reseruatis absoluit, cessante tali periculo, opus non est, vt absolutus coram Superiore illo compareat, cui iure ordinario absolutio à talibus peccatis reseruata est. Ita ex communi docet Palud. in 4. distinct. 20. quæst. 1. a. 2. concl. 3. Syl. ver. Confessor, 1. quæst. 20. Nauar. cap. 26. num. 26. Ratio est: Quia in mortis articulo omnes Sacerdotes nõ indirectè, & per concomitantiam: sed per se, ac directè ab omnibus omnino peccatis absoluendi potestatem habent. Excipitur tamen: Nisi peccato annexa sit censura excommunicationis Superiori reseruata: tunc enim absolutus, cessante mortis periculo, sistere se debet Superiori, ad quem de iure ordinario pertinet, non vt iterum absoluatur, sed vt mandatum eius accipiat, iuxta cap. eos, qui de sent. excom. in 6. & extrauag. inter cũctas, §. incendiarios de priuil. Quare, vt id obiter moneam, consultius est, in mortis articulo confiteri priuilegiato, qui potestatem habeat à censuris reseruatis absoluendi, tanquam delegatus Papæ, sine onere postea comparendi.

CAP. XIII.

De Officio & obligatione Confessarij.

SVMMARIVM.

1 *Scientia opus est Confessario, vt rectè suo munere fungi possit. Curatis Confessarijs, siue animarum Pastoribus magna obligatio incumbit, vt scientia, & bonæ vitæ exemplo commissam sibi plebem spiritualiter pascant, & perire non sinant.*

2 *Sacerdos curatus debet subditorum Confessiones excipere, quotiescunque ij iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore, ac loco petunt.*

3 *Si Sacerdos curatus præsumere possit, subditum iustam causam habere confitendi alieno Sacerdoti, debet illi petenti licentiam dare: Sin autem Curatus licentiam, quamuis malè, neget, non videtur valida Confessio alteri facta.*

6 *Tempore pestis grassantis Confessarius cautionem aliquam adhibere debet, vt ipse non inficiatur, & occumbat: sed pluribus prodesse possit.*

Tempore pestis grassantis, item ante conflictum cum hoste, satis est interdum vnum, vel alterum peccatum singulorum pænitentium, etiam coram alijs explicatum intellexisse, vt absolutio conferri possit: interdum verò necesse est, plures simul absoluere: quod etiam tempore naufragij accidere potest.

5 *Confessarius pœnitentem ignorantia crassa & mortaliter culpabili laborantem monere debet: secus si inuincibili, aut saltem mortaliter non culpabili ignorantia laboret, & ex admonitione fructus non speretur.*

6 *Impedimentum occultum dirimens, plerumque significandum*

est sponso in Confessione, si nuptiæ nondum celebratæ sunt: modo fructus aliquis secuturus sit.

Quotiescunque pœnitens dubitans de matrimonij valore, iure exigendi debiti, &c. ex Confessario quærit, necesse est veritatem palam edicere.

7 *Si Confessarius, consideratis circumstantijs, arbitretur, pœnitentem integrè confiteri, non debet eum interrogationibus fatigare. Sin verò putet, eum non integrè confiteri, aut de eo dubitet, prudenter, & cautè interrogationes formare oportet.*

8 *In interrogationibus formandis consultum est, generaliora præmittere præsertim circa vitia carnis cautè interrogandi sunt pœnitentes.*

9 *Confessarius pœnitentem, dum peccata sua recenset, facilè interpellare non debet.*

10 *Confessarius nunquam absoluere potest eum, quem putat dispositum non esse, aut non integrè, quatenus ei possibile, confessum esse: sed interdum dimittere debet, vt meliùs se præparet: plerumque autem expedit in ipsa Confessione interrogationibus, & admonitionibus hominem iuuare, ac dispositum reddere.*

QVæstio Prima. Quæ scientia ad Confessarij munus requisita sit? Respondeo, & dico: Grauiter
1 peccat Sacerdos, qui requisita scientia non instructus, munus Confessarij suscipit, vel exercet. Est communis doctrina. quare Innoc. III. dixi in c. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. *Sacerdos sit discretus, & cautus, vt more periti medici, superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, &c.* Etenim, si Medicus imperitus peccat committens se corporum curationi; & Iudex imperitus decisioni causarum: quantò magis spiritualis iudex, ac medicus animarum? Igitur discernere posse debet Confessarius inter peccatum, & non peccatum: inter mortale, ac veniale, saltem in genere: nam in particulari exercitatissimus quisque interdum hæsitabit. Item cognoscere debet, quæ spectant ad sacramenti Pœnitentiæ essentiam, Confessionis integritatem, sigillum, &c. Quibus criminibus annexa sit excommunicatio vsu recepta: quæ peccata superioribus Prælatis reseruata, quæ restitutionem exigentia. Si Clericorum confessiones audiendæ sint, quibus casibus incurratur suspensio, vel irregularitas. Lege Nauar. cap. 4. &c. 1. §. caueat, dist. 6. de pœnit. Barthol. Medin. lib. 1. instruct. Confess. c. 5. & seqq. Llamas p. 1. methodi, c. 2. §. 1. Lopez p. 1. instruct. c. 27. ver. porrò quia.

Circa hanc assertionem tria aduertenda sunt: I. Ea quæ enumeraui, eorúmque similia necesse non est Confessarium sigillatim, & exactè cognoscere: sed satis est in difficilioribus dubitare posse, sibi non nimis fidere, & doctiores consulere, sicuti notauit, Syl. ver. Confessor, 3. § 2. Nauar. cit. §. caueat num. 30. Habenda etiã est ratio loci, vbi Confessiones audiendæ sunt: minorem enim scientiam requirit, qui in pago Confessiones audit, quàm qui in vrbe, v. g. maritima, in qua varij contractus & negotiationes sunt, vti notauit item Nauarrus citat. cap. 4. num. 10. & cit. §. caueat, num. 17. Lopes loco cit. Ioan. Maior in 4. distinct. 24. q. 6. §. dubitatur, & qui Sacerdotum Confessiones audiunt, plura, quàm alij scire debent, quæ spectant ad suspensiones ac irregularitates.

II. Qui de sufficientia sua dubitat, is acquiescere potest arbitrio viri docti ac prudentis, imò subditus, iudicio Prælati sui stare debet de quo S. Thom. 2. 2. quæst. 104. a. 5. Syl. §. 3. Nauarrus citat. cap. 4. num. 14. argument. cap. quid culpatur, 23. quæst. 1.

III. Sacerdoti curato, ratione plebis sibi ad pascendum commissæ, maior seu arctior obligatio incumbit: qui proinde operam dare debet, imprimis vt scientiam sibi comparet, quæ suo muneri rite obeundo necessaria est, lectione sacræ Scripturæ, & Doctorum: ex quibus promptuarium sibi colligat, ad prædicationes, & infirmorum, aliorumque oppressorum consolationes. Secundò: Vitam suam ita instituat, orationis frequentia, cibi, ac potus temperantia, corporis castitate, locutionis modestia; in pauperes misericordia, erga omnes humanitate, & charitate, vt quod verbis in ecclesia populum edocet, ipse opere confirmet, ac veluti in imagine ostẽdat. Tertiò per vicos, & oppida non discurrat, sed domi suæ se contineat, vt statim, vbi necesse fuerit, ad visitandos infirmos accedere, eósque opportunis remedijs iuuare possit: ad quam rem in promptu semper habere debet argumenta ad animum consolandum, & erga res diuinas ac æternas excitandũ opportuna: conquisitis psalmorum versiculis, & alijs Scripturæ locis, Sanctorum exemplis: atque hortetur infirmum, vt peccatorũ suorum dolore concepto, spem in diuina misericordia concipiat, atque infirmitatis suæ molestias, ipsámque mortem Deo in satisfactionem pro peccatis suis offerat: commonefaciat, quandoque ægritudines prouenire, Deo ita disponente, vt homo ad cor redeat, vitámque suam emendet, cuius proinde firmum propositum concipere debeat, si corporis sanitatem recepturus sit.

Magna profectò pastoribus animarum obligatio incumbit, quorum imperitia, aut negligentia, si oues à Christo commissæ perierint, ipsi rationem reddituri, pœnámque luituri sunt. Quare scientia imprimis instructi esse debent, vt errantes ad viam veritatis reducere, dubitantibus consilium dare, aduersarijs Fidei contradicere possint. Verùm doctrinâ suâ, quamuis sanâ, parum effecturi sunt, nisi etiam vitæ exemplo præeant, &, quod alijs, tanquam ad salutem necessarium, aut vtile suadent, idem consilium sibi dent, & exequentur. Alioquin enim apparet subditis Pastorem non ex animo hortari ad charitatem Dei, & proximi, continentiam, & temperantiam, vitiorúmque omnium fugam: si videant, ipsummet talia facere, quę in alijs damnat. Nam qui sibi malus est, quomodo alijs bonus esse possit? cùm proximus quisque sibi sit: & Ecclesiast. cap. 30. dicat: *Miserere animæ tuæ, placens Deo.* Si, inquam, Pastor propriam animam, sibi coniunctissimam non curat, quomodo curam aliarum geret ex animo? Aut quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, rerum cœlestium desiderium: si ipsemet eos igne cœlesti priuatus sit? quomodo alios exhortabitur ad temperantiæ, castitatis virtutem: si ipsemet vino deditus, & impurus existat? Quomodo commendare poterit mutuam charitatem, pacem & mansuetudinis Christianæ decorem, si ipsemet lites alat, impatientia, & iracundia æstuet.

Bene inter alias hanc Confessarij obligationem considerauit B. Petrus Damiani serm. 2. de S. Andræa Apostolo: *Oportet* eum esse *non minùs literatum, quàm religiosum: vt zelum Dei habeat, & secundùm scientiam: cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideo, vt sciat, quod iniungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferat de Scripturis. Religiosum verò idcirco, vt puras manus leuet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem, ne vnquam de his, quæ sub signaculo Confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat.*

Quæstio secunda. Quanta sit obligatio Sacerdotis 2
curati in Confessionibus subditorum audiendis? Resp. Confessarium curatum obligatum esse ad Confessiones suorum excipiendas, quotiescunque ij iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore, ac loco petunt. Hæc est sententia Gabr. in 4. distinct. 13. quæst. 1. a. 3. dub. 5. Soti d. 18. quæst. 4. a. 2. Nau. c. 25. man. num. 131. & in cap. placuit. num. 152. dist. 6. de pœnitent. Adriani de Confess. quæst. 5. dub. 8. Henriquez lib. 6. cap. 17. num. 3. Suarez disp. 32. sect. 1. num. 4. contra Richar. cit. dist. 18. a. 2. quęst. 3. Syl. ver. Confessor, 1. quæst. 18. Armillam ver. absolutio, num. 27. Med. quæst. 37. Cod. de Confess. existimantes, Parochum duntaxat obligari ad audiendos subditos, quando illi ex præcepto confiteri tenentur. Sed probatur assertio: Quia Parochus, ratione, pastoralis officij, debet subditis suis prouidere, & nequaquam subtrahere ea, quæ ad spirituale ipsorum commodum

modum, & profectum spectant: sed ex frequente Confessione ad Communionẽ magnum spirituale commodum, salutisque suæ remedium subditi consequuntur: quamobrem pauci reperiuntur, qui semel tantùm in anno hæc sacramenta suscipientes, à mortalibus peccatis se contineant, teste Suarez disput. 32. sect. 1. Igitur tenetur Parochus ministrare: vel, si ipsi non libeat, aut ob aliquam causam, v.g. censuram non liceat, alterum Confessarium eligendi licentiam dare.

Quod verò ad alios non curatos Confessarios attinet, tametsi ipsis liberum sit, quos volunt, ad Confessionem admittere; admissis tamen, & confessis absolutionis beneficium tribuere tenentur: nisi intelligant, aut meritò conijciant, eos rectè dispositos non esse. Qua de re Sotus d.18.q.2.a.5. in fine.

3 Dico III. Si Curatus præsumere possit, subditum habere iustam causam confitendi Sacerdoti alieno, debet ipsi petenti licentiam dare. Est communis doctrina. Sed dubitant Doctores: Si Parochus subdito iustè postulanti licentiam iniustè neget: subditus autem sine periculo salutis, famæ, &c. proprio Parocho confiteri non possit, v. g. concubina ipsius: vtrum in hoc casu ipso iure facultatem consequatur confitendi Sacerdoti alieno; posito, quòd neque ab Episcopo licentiam petere, vel impetrare possit. Ita affirmant Henricus Gandauensis quodlib. 9. quæstione 24. Richar. in 4. distinctione 17. a.3. quæst.7. Palud. ead. distinct. quæst. 3. a.3. casu 1. Adrian. in 4. de Confess. qu. 5. dub. 3. Maior in 4. distinct. 17. quæst. 2. colum. 6. Syluver. Confessor, 1. quæst. 6. Tolet. lib. 3. cap. 13. Nauarrus cap. placuit, num. 144. distinct. 6. de pœnitent. Henriq. lib. 6. cap. 13. num. 4. Negant verò Alensis par. 4. quæst. 78 mem. 1. art. 2. Sotus distinct. 18. quæst. 4. art. 2. Medin. quæst. 30. Llamas p.1. cap. 6. §. 1. Philiarchus t.1. p.2. libro 2. cap. 24. Suarez disput. 27. sect. 4. concl. 2. Petrus Nauarrus lib. 2. de restit. cap. 4. num. 269. Supplem. S. Th. quæstione 8. a. 4. ad 5. vbi dicitur: si quis ob periculum proprio Sacerdoti confiteri non possit, neque licentiam impetrare confitendi alieno: talem perinde se habere, ac si Confessarii copia destitutus sit.

Prior sententia probabilis est, ob DD. auctoritatem sed posteriorem iudico probabiliorem, & veram: eamque confirmo primò ex cit. c. omnis vtriusque: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, iusta de causa, sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat: cùm aliter ipse illum non posit absoluere.*

Secundò: Quia in Ecclesia receptum est casum periculi mortis, in quo alteri Sacerdoti confiteri liceat, si proprius non adsit; vel eius copia haberi non possit.

Tertiò: Cùm idipsum, vt fideles omnes proprio Sacerdoti confiteantur, ob commune Ecclesiæ commodum, ac conuenientem gubernationem institutum sit, non debet ob priuatum commodum, priuata DD. interpretatione, limitari aut restringi, præsertim, quòd multi hac ratione confitendi impedimentum falsò prætendentes, Pastoris sui iurisdictioni se subtrahere possent.

Quartò: Tametsi Parochus mortuus, vel peregre profectus sit, non ideo permissum est subditis ad alienum Confessarium accedere: sed expectare debent, donec redeat, vel Episcopus alium substituat, sicuti Palud. annotauit in 4. d. 17. q. 3. a. 5. concl. 1.

Quintò: Simili ratione, licet Episcopus pœnitentem à peccatis reseruatis absoluere nolit, neque alteri absoluendi licentiam dare: non ideo iurisdictio, extra mortis periculum, ad Sacerdotem inferiorem deuoluitur. De quo vide Rodr. t.1. reg. q. 20. a. 30.

Sextò: Quia contrariæ sententiæ Auctores potissimũ nituntur c. placuit, d. 6. de pœnit. quasi ibi permissum sit, propter ignorantiam Sacerdotis proprii, alterius iudicio & absolutioni se submittere: Ergo multò magis id licebit ob Pastoris improbitatem, & propriæ animæ, vel famæ periculum. Verũ rectè docuit Suarez to. 4. d. 27. s. 2. in fine, ibi sermonem esse de pœnitentia publica, quæ secundùm arbitrium Sacerdotis, ob scandalosa peccata, imponi olim solebat: talem enim pœnitentiam ab vno Sacerdote decretam, ab altero mutari, nisi manifestum errorem contineret, fas non erat.

Quæstio tertia. Quanta sit obligatio Confessarii, præsertim curati, in audiendis Confessionibus eorum, qui peste infecti sunt? Præter ea, quæ de hac re dixi lib. 2. tract. 3. c. 3. n. 3. respondeo, & dico I. Sacerdos auditurus Confessiones eorum, qui peste, vel simili morbo contagioso infecti sunt, ante omnia curare debet, vt, si fieri possit, in loco ipse libero, seu aere non infecto constitutus sit. Quamobrem etiam ipsi infirmi obligati sũt vt è cubiculo, aut domo ad confitendum egrediantur; vel ad fenestram, Parocho foris stante, portentur: si idsine graui eorum incommodo fieri possit. Ita docent Io. Maior in 4. dist. 23. q. 1. Ioan. Chapeauille tra. de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, c. 1. q. 9. & c. 3. q. 29. Proderit etiam, si pestis tempore fideles pro concione admoneantur, vt, qui sani sunt, ad sacram Confessionem maturè veniant, in ecclesia audiendi. 4

Dico II. Si infirmus egredi, vel loco suo moueri non possit: neque etiam tam alta voce confiteri, vt è loco distante audiri queat, seu propter suam infirmitatem, seu propter simul decumbentes: in tali casu Confessarius, communiter loquendo, accedere debet, & pœnitentes in secreto audire: si tamen timeat periculum cõtagionis, vt non audeat cum pœnitentibus diu morari, poterit eos rogare, vt statim dicant quædam grauiora, aliis omissis, quæ propter moralem impossibilitatem audiri nequeant, sicuti ex quorundam recentiorum nõ improbabili sententia, docent Zambranus c. 4. dub. 6. n. 12. Chapeauille cit. c. 3. q. 26. in fine. Quia sicuti pœnitens secundùm omnes Doctores excusatur, quominus integram peccatorum Confessionem facere teneatur, si ex ea mortis periculum ipsi immineat: ita etiam excusari videtur confessarius, quominus integram Confessionem audire teneatur, ex qua sibi mortem probabiliter timet. Porrò talis modus, vt vno tantùm, vel altero peccato audito statim absolutio conferatur, necessariò vsurpari debet, si sit periculum probabile in mora, ne dũ in vnius Confessione audienda Confessarius occupatur, alii sine absolutione decedant. Quamobrem etiam in bello ante conflictum, atque etiam post, cùm multi saucii in periculo mortis constituti afferuntur, sæpe cogitur Confessarius talem modum vsurpare, vt audito vno, vel altero peccato singulorum, eos sigillatim absoluat, sicuti docet Henriq. lib. 9. c. 30. num. 3. Zambranus c. 4. dub. 6. num. 11. Chapeauille. cap. 3. q. 26.

Dico III. Certum est, quòd peste infectus, & cũ aliis in Xenodochio, v.g. lecto affixus, possit sua peccata (quæ scandalosa, & ad peccandum allicientia non sunt) aliis audientibus confiteri, ne Sacerdoti periculum contagionis afferatur, si propinquiùs accedere debeat. Sed dubium est, vtrum Confessarius hominem hortari possit, vt clara voce dicat saltem ea peccata, quæ sine graui sua infamia, aliòve detrimento potest? Ad quod probabiliter respondetur affirmatiuè: si circumstantiæ talem confitendi modum postulare videantur; puta per culum contagionis, propter aërem in loco concluso infectum, valde probabile sit, ideóque Sacerdos, qui fortasse vnicus, & pluribus aliis necessarius est, valde abhorreat ab ingressu. Probatur ex eo, quia constitutus in mortis articulo, si aliter non possit ex lege charitatis erga seipsum obligatur, secundùm probabilem Doctorum sententiam, ad confitendum coram aliis saltem ea peccata, quæ neque cum scandalo, neque cũ graui sua infamia, vel simili detrimento iuncta sunt, sicuti

docet Suarez 3.p. t.4.disp.36.s.6. Zambran.cit.dub.6.n.15.& seqq. Chapeauille c.3.q.28.& dixi suprà c.6. nu.5. Atqui in hoc casu pœnitens, moraliter rem æstimando, aliter confiteri non potest: quando, si aliter, videlicet in secreto confiteatur, mortem allaturus sit Confessario audienti. Confirmatur, Quia ordo charitatis exigit, vt pœnitens minus detrimentum famæ suæ posthabeat maiori detrimento seu iacturę vitæ, quam Confessarius passurus est: præsertim si, vt dixi, alii post mortem Confessarii, spirituali Pastore destituentur. Communiter tamen Sacerdos tum fiducia in Deum, tum præseruantibus pharmacis munitus, accedat ad singulos, vt eorum Confessiones, saltem recensitis aliquibus peccatis, vt suprà dictum, excipiat. Ita docet Zambran.l.c. Chapeauille c.1.q.9.

Dico IV. In casu necessitatis, si plures in communi naufragio, peste, vel ex conflictu allati, mox animam exhalaturi existimentur: potest, imò etiam debet, omnes simul absoluere, formula plurali; *Ego vos absoluo à peccatis vestris*: dummodo, qui ita absoluuntur Confessionem præmiserint peccatorum saltem generalem, si in tali casu speciatim peccata explicare non possint: idque ex communi doctrina.

5 Quæstio quarta. Quid agere oporteat Confessarius, si animaduertat, pœnitentem laborare ignorantia alicuius rei scitu necessariæ? Respondeo, & dico I. Si pœnitens laboret ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tenetur illum monere. Ita ex communi docet Sot. d.18.quæst.2.a.4.ad 2. Med. quæst.19. C. de Confess.§. similiter dubitari, Sanchez lib. 2. de matrim. disp.38.n.2. Ratio est: Quia pœnitens à Confessario monitus vel retractabit suum peccatum, vt absolutionem mereatur, vel etsi non retractet, causam tamen intelliget, cur Confessarius absolutionē neget, eóque malo perculsus & conscientiæ stimulis actus, postea fortasse se corriget.

Dico II. Si Confessarius intelligat, pœnitentem laborare ignorantia inuincibili, vel saltem moraliter non culpabili: arbitretur verò ex admonitione non secuturum esse fructum, sed potiùs animi inquietudinem, rixas, vel scandala dissimulare debet, iuxta illud S. Aug. homil.41.inter 50. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem*. Atque ita docent Adrianus de Confess.q.5.dub.7.ver.de secundo, Nauar. c. si quis autem, num.73.dist.7.de pœnit.& in man. c.22.numer. 83. Barthol. Medina lib.2. instruct.cap.1.argum.c.quia circa, de consang. & affinit. Nam ratio mediorum à fine desumitur: finis autem correptionis, eius præsertim, quam Confessarius adhibet, est bonum correpti: Ergo, eo cessante, omitti debet. Nam *frustranti nil aliud, quā laborando odium quærere, extremæ dementiæ est*, inquit ille. Exempla habes: Si matrimonium, ob latens impedimentum, inualidum sit: Si maritus ob castitatis votum ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum coniugis consanguinea commissum, facultate petendi debiti priuatus sit: Si pœnitens per ignorantiam aliena bona possideat.

Dico III. Si Confessarius intelligat, pœnitentem in eiusmodi casibus laborare quidem ignorantia inuincibili: sed detectā veritate maius commodum, quàm incōmodum prouenturum esse, debet errantem instruere, præcipiente charitatis lege: vel etiam iustitiæ, si ex pastorali obligatione Confessiones excipiat. Cùm enim eiusmodi error per se malum quoddam sit, & plerumq; alia incommoda secum trahat, ideo eo liberari pœnitens debet, si facilè possit.

Quamobrem prudentem Confessarium multa considerare oportet: hinc quidem qualis, & quantus error sit, in quo pœnitens versatur, facti, an iuris: naturalis, diuini, an humani? vtrum coniunctus cum irreuerentia sacramenti, saltem materiali: veluti si matrimonium inualidè contrahendum sit. An cum periculo proprii damni, si v.g. defectus matrimonii, vel obligatio debiti coniugalis non petendi postea cognoscatur: vel ignorantia nunc quidem inculpata, postea culpabilis fiat: cùm remedium, seu consilium non ita præstò futurum erit. An denique detrimento tertiæ personæ agatur: vt si res aliena restituenda sit. Illinc verò considerare debet, quantum, & quàm diuturnum incommodum ex monitione timeatur: fieri enim quandoque solet, vt pœnitens initio conturbatus animo, salutarem admonitionem respuat: postea verò mente sedatā, eandem cum fructu recipiat, ac pareat. Contrà verò accidit interdum: vt licet pœnitens consilio, vel præcepto Confessarii pariturus sit, v.g. dispensationem super matrimonio inualidè cōtracto petiturus: tamen alia grauia incommoda timeantur: qualia sunt pœnitentis, vel putatitii coniugis incontinentia, parentum, vel liberorum infamia, familiæ querimonia, ac lites; tali casu Confessarius interdum dissimulare debet.

Speciatim verò hic notandum occurrit: Si de matrimonio non contracto, sed contrahendo agatur, plerumque eius occultum impedimentum dirimens significandum esse, si aliqualis spes sit, persuaderi posse pœnitenti, vt ab eo absistat, vel dispensationem impetret: idque partim ob reuerentiam sacramenti, ne inualidè suscipiatur: partim ob alia multa incommoda, quæ ex inualido coniugio consequi solent, sicuti docent Syluest. ver. Confessio, 3.q.12.& significant Sanchez cit.disp.38. num.6. Finellius casu reseruato 10.num.12. Deinde licet agatur de contracti matrimonii impedimento, vel obligatione debiti non petendi, si tamen Confessarius ipsemet dispensare, atque in facilè remedium adhibere possit, plerumque dissimulare non debet: quia etsi nunc inuincibilis ignorantia adsit, eo tamen successu temporis remoueri potest. Atque ipse etiam error, sicut suprà argumentatus sum, quamuis inculpatus sit, tamen malum, & imperfectio quædam est: quasi aliquis facilè liberari possit, cur non id fieri debeat? 6

Dico IV. Quotiescunque pœnitens dubitans de matrimonij valore, iure debiti petendi, obligatione restituēdi, &c. ex Confessario quęrit, necesse est veritatem palā edicere. Ita ex communi DD. suprà citati. Cùm enim pœnitens, orto eiusmodi dubio, teneatur veritatem inquirere, & peritos, præsertim animæ suæ Pastores, ac Medicos consulere: his autem consultis, si veritatem deprehendere, dubium practicè deponere, & bona fide progredi possit: consequens est, quòd Confessarius consultus, & veritatem dissimulans pœnitentem in errore confirmet, quod nefas est.

Cæterum cauere Confessarius debet, si fructum secuturum non speret, ne plus respondeat, quàm à pœnitente interrogatur. Exempli causa: Vtrum matrimonium contractum ab eo, qui ante nuptias simplici castitatis voto obstrictus erat, validum existat, & an vxori debitum reddere teneatur? affirmet vtrumque Confessarius, interim tacens de obligatione non petendi debitum. Imò rectè docet Sanchez cit.disp.38.num.8. Henriquez l.c.num.5. contra Sotum dist.18.quæst.2.a.4. ad 2. Tametsi matrimonium, ob latens impedimentum, irritum sit, Confessarium suadere, & præcipere posse pœnitenti inuincibili ignorantia laboranti, vt coniugi petenti debitum reddat: quandoquidem stante vtriusque probabili ignorantia, ad hoc obligatus est. Denique vt intelligat Confessarius, vtrum pœnitens inculpata ignorantia laboret, nécne, caueat eum solicitare interrogationibus specialibus: v. g. existiméne matrimonium validum esse; nam mox ipsi suspicionem commouebit: sed solùm generatim interrogare conuenit: nihilne sit, quod animum eius grauet, conscientiam dubiam scrupulosam reddat.

Quæstio quinta. An, & de quibus Confessarius pœnitentem interrogare debeat? Respondeo, & dico

dico I. Si Confessarius, consideratâ qualitate pœnitentis sui, probabiliter credat, eum integrè confessum, ac rite dispositum esse, nihil interrogare debet. Ita ex cõmuni Nauar. in cap. fratres, num. 81. d. 5. de pœnit. & in c. 1. §. diligens, n. 7. d. 6. de pœn. Iacob. Graffis libro 1. decis. cap. 25. num. 3. Pet. Sot. lect. 10. de confess. Suarez d. 32. s. 3. n. 3. Quia *in huiusmodi casu*, inquit, *qualibet interrogatio iudicari potest otiosa, curiosa, & onerosa pœnitenti: quæ omnia vitanda sunt.* Et rectè Domin. Sotus dixit in 4. d. 18. q. 2. a. 4. colum. 14. *Officium per se Confessarii non est interrogare: sed audire pœnitentem. In foro namque criminali, quod procedit ad punitionem, debet Iudex Reũ interrogationibus examinare: sed in foro pœnitentiario, quod non procedit per vim coactiuam, sed per spontaneam voluntatem pœnitentis, quantum est per se, satis est simplicem Confessionem audire, & secundùm illam iudicare.* Quid autem per accidens, videlicet ob defectum confitentis, Confessario agendum sit, deinceps dicam.

Dico II. Si Confessarius existimet, pœnitentem nõ integre sua peccata confiteri, aut si de hoc dubitet, ante omnia diligenter quærere, & considerare debet pœnitentis statum, officium, negotia, tempus, ex quo confessus non fuerat: item ea peccata, quæ pœnitens ipse explicauit, vt ex his omnibus prudenter coniicere possit an, & de quibus eum vlteriùs examinare debeat. Idque maxime ad vitandam offensionem, & ne sacramentum Confessionis hominibus nimis difficile fiat, si indiscretis interrogationibus fatigentur de iis peccatis, quæ eos commisisse nulla probabilis suspicio adest: præsertim verò pœnitentes honesti, bene instituti, aut docti non facilè examinari debent, nisi de iis peccatis, aut circumstantiis peccatorum, de quibus ipsi mentionem fecerunt, & non satis explicuisse videntur. Cautissimum verò Confessarium esse oportet in formandis interrogationibus circa peccata carnis, vt ad particulares modos, seu circumstantias non descendat, ne vel multa interrogando doceat pœnitentem peccata, quæ antè ignorabat: aut eidem, vel sibi ipsi causa existat turpis tentationis; vel saltem scãdali occasionem pœnitenti præbeat, vt suspicetur, Confessarium earum rerum curiosa inuestigatione oblectari. Hæc annotata reperies apud Ioan. Maiorẽ in 4. d. 17. q. 2. colum. 7. Ioan. Gersonem p. 2. operis, in regulis moralibus, Barthol. Medinam l. 12. instr. c. 3. Sotum, & Graffis locis cit. Nau. c. 5. man. n. 3. & 4. Tolet. l. 3. c. 19. Henr. l. 6. c. 27. n. 1. Fornarium tr. 2. c. 19. Suar. cit. disp. 32. s. 3.

8 Dico III. Si, consideratis circumstantiis, pœnitens examinandus videatur circa peccata, quorum ipse nullã mentionem fecit: consultum est plerumque, vt priùs remotiores, ac generaliores interrogationes fiant, sicuti notauit Ioan. Gerson loco cit. Exempli causa. Vtrum inimicitiam pœnitens gerat, vel gesserit? Vtrum nihil possideat, quod ad alterum pertinere existimet? Vtrum nihil superstitiosum vnquam adhibuerit? Quomodo cum coniuge suo in coniugii fœdere conueniat? quia sæpe, mulieres præsertim, viris petentibus debitum negant idque nisi examinatæ non facilè confitentur. Vel si persona soluta est, vtrum cogitationes turpes patiatur, & qua ratione eis resistat? Nam si nunquam habuit consensum turpem, multò magis creditur abstinuisse à turpi opere. Quanquam hæc regula non semper vera est: quia rudiores aliqui, tametsi negent peccata solius cordis, quia ea non satis cognoscunt: tamen interrogati fatentur peccata operis, vti Henriq. notauit cit. l. 6. ca. 28. n. 7. Multi etiam interrogati de peccato operis carnalis, non arbitrantur eo comprehendi pollutionem suæ voluntariam ac procuratam: quare aliquas personas, quæ suspectæ sunt, interdum specifice interrogare expedit: quia pudet eas confiteri, sed examinatæ edicere audent: quamuis in hac re, vt suprà dictum, magna prudentia, & cautione opus est.

1 Dico IV. Cauere debet Confessarius, ne confitentem peccata sua molestè & importunè interpellet: ac conturbet. Interdum tamen breuem aliquam interrogationem interponere licebit, puta de numero, quoties id fecerit: vel saltem quanto tempore tali peccato assuetus sit: & quoties in die, hebdomade circiter commiserit: item circumstantiam aliquam necessariam interdũ breuiter exquirere, v. g. vtrum soluta, an coniugata fuerit, quã concupiuit. Et hæc ideo, ait Henr. ci. c. 28. n. 4. ne peccata, quæ vix præ verecundia pœnitens semel expressit, debeat postea repetere, de numero, aut circumstantia denuo interrogatus. Alioquin verò, atque ordinariè vt dixi, relinquatur Confessioni suus cursus: & interrogationes, quæ necessariæ esse videntur, postea formentur. Quod si Confessarius timeat, ne interim obliuiscatur, potest memoriam suam iuuare eo modo, quem aliquibus vsitatum scio: vt peccatis iis mortalibus, quæ communiter in Confessionem venire solent, certos manuũ digitos assignet: &, si inter peccatorum enarrationem aliquod occurrat, de quo postea interrogatio instituenda sit, digitum illum, qui pro tali peccato destinatus fuit, aperiat, vel claudat, vel aliter notet: ita tamen, vt nemo quidquam aduertat. 9

In confirmationem huius doctrinæ adiiciam canonẽ 32. Concilii Cabilonensis 2. tempore Caroli Magni editum de exacta peccatorum omnium Confessione: *Emendatione egere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore: & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri peccata, vt ex vtrisque plena sit Confessio: scilicet vt & ea confiteamur, quæ per corpus gesta sunt: & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur.*

Quæstio sexta. Quibus casibus Confessarius confitentem sine absolutione dimittere possit, aut debeat. 1

Respondeo, & dico I. Si Confessarius certò, vel probabiliter sibi persuadeat, pœnitentem contritũ, vel saltem attritum non esse: aut non integrè, quatenus ipsi possibile est, confessum est; peccat mortaliter, si eum absoluat. Ita ex communi Maior in 4. d. 17. q. 2. Petr. Sot. lect. 10. de Confess. ver. secundum, Suar. disp. 32. s. 2. Cùm enim & dolor de peccatis ex motiuo supernaturali conceptus, & integra Confessio peccatorum mortalium secundùm speciem, ac numerum, quatenus moraliter fieri potest, pertineant ad substantiam sacramenti Pœnitentiæ, teste Trid. sess. 14. c. 4. & 5. sequitur, nisi pœnitens hæc duo habeat, absolutionis capacem non esse: ideóque sacrilegii crimen Confessarium committere, si eum indispositum absoluere præsumat.

Corollarium. Si pœnitens peccata sua narrare videatur sine requisito dolore, & proposito emendationis, Confessarius tenetur eum ante absolutionem dẽ hac ipsa re examinare: &, si defectum reperiat, pœnitentem salubri exhortatione disponere, sicuti præter alios docet Nauar. in cit. cap. fratres, numero. 48. d. 5. de pœnit. Ægid. Coninck de sacram Pœnit. t. 2. disp. 8. dub. 17. conclus. 3. Tum quia, vniuersim loquendo, Iudex ex officio suo supplere debet, ne iudicium reddatur nullum, c. causam quæ, 1. de iudic. tum quia speciatim in hoc animæ iudicio cauere oportet, ne margaritæ proiiciantur ante porcos: idest, sacramentalis absolutio indigno conferatur.

Dico II. Si pœnitens à Confessario absolutionẽ petat, nullo secundùm speciem, aut numerum explicato peccato, interdũ potest illum dimittere, admonitũ, vt priùs conscientiam examinet, & paratus ac dispositus postea reuertatur. Interdũ verò non debet dimittere, sed interrogationibus iuuare, & dispositum reddere. Ita docet Suar. cit. s. 5. & Hier. Llamas p. 2. Methodi. c. 1. §. 2. vbi ait, *in Montanis Hispaniæ, Cantabris, &c. multos esse* (quales

& nos in Germania inter rusticanos experimur) *qui, si sibi relinquantur, vt conscientiam discutiant, & peccata sua ipsimet narrent, sine interrogatione: nunquam audies ab eis vel vnum veniale: sed solùm*, Pater malè feci: quapropter tales ex lege charitatis interrogationibus disponendi erũt, quatenus tamen tempus permittit, si Confessarium aliorum confitentium multitudo vrgeat, & homo rudis de pluribus fortè annis examinandus esset: in quo casu interdum dimitti debet, alio tempore rediturus: si autem redire non potest, quia est peregrinus, aut mox communicaturus: interdum intellectis aliquibus eius peccatis absoluendus erit. cum onere ipsi imposito, vt cumprimùm poterit, ad sacram Confessionem redeat, pleniùs examinandus. Loquor de eo, qui bona fide agit. Sin verò aliquis per malitiam, aut negligentiam crassam accedat omnino imparatus, talis dimitti debet, modò spes sit postea magis dispositum rediturum esse: sunt enim multi, qui vix semel in anno adduci possunt ad Confessionem: vt, etsi reditum promittant, tamen parituri non videantur. Hos præstabit, adhibita monitione, & formatis interrogationibus statim disponere: modò Confessario vacet, & confitentium multitudine non obruatur: alioquin homo adeò indispositus dimitti debet, vti rectè docet Bart. Med. l.2. instr. c.6.

Dico III. Si pœnitens peccata sua ipsemet confiteatur, sed non integre: quia vel numerum mortalium non exprimit, vel vnam, aut plures mortalium species omittere videtur: plerumque non est dimittendus, vt conscientiam magis discutiat: sed Confessarius sub mortali peccato obligatus est eum examinare, & ad absolutionem dispositum reddere. Ita ex communi Sotus cit. d.18. q.2. a.4. prope finem, Nauar c.5. man. n.2. & cit. c.1. § diligens, nu. 7. d.6. de pœn. Syl. ver. Confessor, 3. num.14. Angelus ver. interrogationes, §.3. Suar. & Graffis ll. cc. Et sumitur ex c. 1. de pœnit. dist. 6. ver. oportet enim Concil. Vvormatiensi cap.7. Lateran. in c. omnis vtriusque, de pœnit. & remiss. *Sic Sacerdos discretus, & cautus, more periti medici, diligenter inquirens peccatorum circumstantias.* Ratio est: Quia pœnitens omnia peccata mortalia secundùm speciem, & numerum, quatenus id fieri potest, explicare tenetur: consequenter Confessarius illum absoluere non debet, si id non præstitit. Sed neque eum non absolutum sine graui causa demittere potest: quia causa sacramentalis iudicii cœpta est: quare & ipsi pœnitenti onerosum, & sacramento indecens est, si non perficiatur: cùm commodè perfici possit.

Neque refert, tametsi Confessarius intelligat, pœnitentem, propter inuincibilem ruditatem, vel obliuionem, peccata sua non integre explicare; nihilominus enim interrogationibus eum adiuuare tenetur, sicuti Syluest. Nauar. Suarez ll. cc. docent. Quia ad rationem iudicii spectat, per se loquendo, vt causa integrè cognoscatur, antequam iudex sententiam ferat: sacramentum autem Pœnitentiæ habet se per modum iudicii, sicuti docet Trident. citat. cap. 5. Ergo, si pœnitens, propter imperitiã, &c. non integre causam proponat, ad officium Confessarii, tanquam iudicis, per se & ordinariè pertinet: defectum eius supplere, vt sacramentum rite, ac debito modo perficiatur.

CAP. XIV.

De sigillo confessionis.

SVMMARIVM.

1 *Sigillum Confessionis est obligatio strictissima in omni casu obligans ad secretà tenenda ea, quæ dicta sunt in ordine ad sacramentalem absolutionem.*

2 *Sigillum sacramentale prouenit ex Christi institutione, quam per traditionem accepimus.*

3 *Confessarius non obstante Confessione, potest ea notitia vti, quam aliunde accepit.*

4 *Sub sigillum Confessionis cadunt non tantùm peccata confitentis, sed etiam complicis: item peccatorum circumstantia, quas taceri pœnitentis interest.*

5 *Sub sigillum Confessionis cadunt peccata omnia non tantùm præterita, sed etiam propositum non abstinendi in futurum.*

6 *Sigillum Confessionis violat Confessarius, si generatim dicat Titium confessum esse peccatum mortale, casum reseruatum, aut si peccatum veniale in specie reuelet.*

7 *Confessio non tantùm expressè, sed etiam tacitè reuelari potest.*

8 *Confitentibus, tametsi ob indispositionem absoluti non sunt, Confessarius testimonium dare debet factæ Confessionis.*

9 *Confessarius de peccatis ex sacramentali Confessione acceptis neque cum iis loqui potest qui ea antè cognita habent.*

10 *Expedit, vt Confessarius nunquam etiam generatim, ac nulla nominata persona loquatur de peccatis cognitis in Confessione: nisi necessitas postulet.*

11 *Confessarius interdum generatim monere potest, vt caueatur, vigiletur: sed maxima adhibita cautione, vt possibile non sit, confitentem in suspicionem venire.*

12 *Confessarius interrogatus iurare etiam potest, se nihil scire de peccato: intellige, vt priuatum hominem, cui edicere liceat.*

13 *Si Confessarius proprium peccatum confiteri non possit, nisi violando sigillum Confessionis, debet illud reticere.*

14 *Vnicus casus est, quo obligatio sigilli sacramentalis cessat, si pœnitens licentiam dedit loquendi de peccato suo.*

15 *Si error in foro Pœnitentiæ commissus fuerit, qui postea corrigendus sit, debet pœnitens postea licentiam dare de peccato loquendi: sin dare nolit, nihilominus confessarius errorem corrigere poterit.*

16 *Si pœnitens licentiam loquendi de peccatis suis intra confessionem dederit, reuocare deinde potest.*

17 *Præter confessarium, ad quem sigillum confessionis principaliter spectat, etiam aliæ personæ obligantur ad tacendum, ad quas sacramentalis confessio immediatè, vel mediatè peruenit: v.g. astantes, interpres, ii, quibus confessarius peccatum manifestauit, &c.*

18 *Si confessarius cum licentia pœnitentis peccatum alteri manifestauit, non videtur iste obligatus sacramentali sigillo, nisi talis manifestatio facta sit ex causa pertinente ad sacramentalem confessionem, vel absolutionem.*

19 *Qui scriptam confessionem reperit, non videtur sacramenti sigillo astrictus, quominus in casu grauissimæ necessitatis reuelare possit.*

20 *Pœnitens non obligatur sacro sigillo confessionis, sed interdum lege naturalis secreti.*

21 *Etsi nunquam liceat alteri significare peccatum ex sola confessione cognitum, accidere tamen potest, vt liceat facto aliquo significare iis, qui peccatum antè cognitum habent, eius confessionem factam fuisse.*

22 *Confessarius notitia, quam ex solà confessione hausit, vti non potest in externa gubernatione, sacramentorum ministratione, &c.*

23 *Forum sacramentalis Pœnitentiæ omnino segregatum est à foro iurisdictionis, & gubernationis externæ.*

24 *Si complex peccati confessario licentiam dedit, tunc potest alterum complicem speciatim examinare.*

25 *Confessarius credere debet pœnitenti, si neget se crimen aliquod commisisse, nisi euidenter sciat eum mentiri.*

Sigillum Confessionis est obligatio ea secreta & tacita seruandi, quæ accepta sunt ex Confessione, ten- 1
dente ad sacramentũ Pœnitentiæ: saltem secundùm propositum confitentis: quæ vltima verba ideo addo: quia si aliquis ad Confessionem veniat, sperans se sacramentalẽ à peccatis absolutionem accepturũ, cũ tamen non accipiat; quia Confessarius minùs dispositum aduertit: nihilominus eius confessio sub obligationem sigilli cadit, secùs, si quispiam animo simulato accedat, & confiteatur, non vt sacramentum Pœnitentiæ accipiat, sed solũ vt sacramento, vel confessario illudat, vel aliquid ab ipso furetur. Vide Suar. disp.33. s.2. Henriq. l.6. ca.19. & 21. ConincK disp.9. dub.1. Med. lib.2. instr. c.4.

Obligatio huius sigilli strictissima est, vt nullo vnquã casu, vllius boni cõsequẽdi, aut mali euitãdi causa, quoduis vel minimũ peccatũ, aut siquid aliud sub sigillũ Confessionis cadit, directè, vel indirectè: ante, vel post mortẽ cõfitentis, sine mortali sacrilegio reuelari possit. Ita Alẽs. p.4. q.78. mem.2. a.1. S. Th. in 4. d.21. q.3. a.1. q. 1. Bonau. ead. d. p.2. a.2. q.1. Sot. q.2. Rich. a.4. q.1. & 2. Pal. q.3. a.3. Durand.

Durand.q.4.Sotus d.18.q 4.a.5.Nau.c.8.n.2. man. & in c.Sacerdos n.117.d.6.de pœn Henriq. cit. c. 9.Coninck dub.1.concl. 4.& patet ex cit. c. Sacerdos, & cap. omnis vtriusque de pœnit.& remiss. vbi depositionis pœna, & detrusionis in arctum monasterium decernitur. Imò ve-
2 rò *interdum eiusmodi reuelatorem degradatum legimus, & secularí potestati traditum*, ait Henriq.n.9 Ratio verò sigilli,ita vniuersim, atque in omni casu obligantis; non videtur sufficienter sumi ex solo naturali iure: siue consideremus iustitiæ obligationem,ob tacitum pactum,quod inter confitentem,& Confessarium intercedit: siue consideremus obligationem virtutis Religionis, supposito sacramento Pœnitentiæ, quippe quod fidelibus alioquin exosum fieret. Nam neutra harum rationum obstare videtur,quominus in raro casu.v.g. grauissimæ proditionis Reipubl.inferendæ,si confitens abstinere nollet, prodi posset, sine vlla iniuria tam ipsi,quàm sacramento inferenda, propterea quòd in tali casu dignus ille non sit,cui secretum seruetur,sicuti notauit Maior in 4. dist. 21. qu. 2.& q.3.argum 4.in fine, Vasquez quæst.93.art.4 dub.1. Quare dicendum videtur, ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ colligi, quòd diuinum à Christo præceptum traditum sit: vt in nullo vnquam casu sacramentalem Confessionem reuelare liceat; valde quidem conuenienter naturæ & institutioni huius sacramenti: ne, quod in salutem fidelium institutum est, eisdem noxium, atque exosum fiat: cùm, si ob grauiorem causam, confitentem prodere concessum esset, facilè talis licentia ad alios casus inconcessos extenderetur, non sine graui sacramenti irreuerentia, & humanæ salutis iactura. Vide Scotum cit. distinctione 21. quæst. 1. articulo 2. Suarez disput. 33 s.1. Henriquez lib.6.cap.19.num.3. Coninck disp.9. dub.2.

Ex his facile est intelligere,ad quæ,seu quovsque sigilli obligatio se extendat:Primò, si quis Confessario extra sacramentalem Confessionem ita dicat: *Hoc tibi secretum committo,tanquam sub Confessionis sigillo*, & Confessarius ita acceptet, orietur hinc obligatio naturalis tantùm secreti, non item sigilli sacramentalis: quare ob grauius malum Reipubl vel proximi innocentis auertendum, quandoque denuntiari poterit. Ita ex communi Palud.in 4.d.21.quæst.3.a.2 S. Anton.p.3.tit 17.c 21.§.2.Adrian.in 4.de Confess.vbi de sigillo, §. tertia pars. Caiet. 2. 2. qu. 70.a.1.circa solutionem 2. Nau. in man.cap.18.n.55.Sanchez lib.3.de matrim. dis.13.n.6.Rodriq.t.2.sum.cap. 53. nu.4.

3 Secundò: Tametsi Confessarius peccatum aliquod in Confessione audiuit, non prohibetur tamen, ea sola cognitione vti,quam ante Confessionem de eodem peccato habuerat: vel postea aliunde acquisiuit.Hanc enim generalem regulam tradunt DD.Supplem.S.Th. q.11.a.5. Sotus d.18.quæst.4 a.6.concl.2. Valentia t.4.dis.7.quæ. 13.p 4. Quòd *notitia Confessionis non impedit Confessarium quominus vti possit notitia aliunde hausta: dummodo illa hãc non adiuuet,& scandalum cesset*. Exempli causa: Si Sacerdos,ob indicia constituerat Caium de furto accusare, & postea Caius furtum ipsi confiteatur: accusationem Cōfessarius nihilominus prosequi potest sine violatione sigilli,modò non vtatur cognitione Confessionis, sed tantùm indiciis ante, vel post Confessionem acceptis: quamuis propter scandalum vitandum præstat talem à se ablegare, vt alteri Sacerdoti confiteatur. Item Parochus publicum v.g. vsurarium,concubinarium, quem à Confessione dimisit non absolutum: postea etiam à sacra Cōmunione publicè repellere potest,addita monitione, vt priùs peccati statum deserat, & scandalum publicum tollat, quàm ad sacrum epulum accedat: siquidem, tametsi eum à peccatis absoluisset,scandalum verò nondũ sublatum esset,eundem tamen repellere posset. Vide de hac re Alensem in 4.p.q.78.a.vlt. Adrian in 4.de confessione,vbi de sigillo,in fine. Mai.in 4.d.17.qu.3.arg 5. & 6.

Tertiò: Sub sigillum Confessionis cadunt non tantùm peccata confitentis, sed etiam complicis, vt ea sine confitentis licentia, nullo vnquam casu reuelare liceat. Item circumstantiæ peccatorum, quæ ad eorum Confessionem aliquo modo pertinent, & ex quarum reuelatione infamia, aliúdve incommodum confitenti euenire potest: puta si quis confessus sit, se illegitimè natum sacros ordines accepisse: se infamibus parentibus ortum, nobilitatem generis iactasse: non poterit natalium defectus, aut generis obscuritas à Confessario manifestari, sine sigilli violatione; cùm alioquin non minùs exosa redderetur sacramentalis Confessio, quàm si peccata ipsa manifestare licitum esset. Porrò, quæ ad Confessionem peccatorum nullo modo spectantia, per accidens interposita fuerunt, v.g. propositum Religionis ingrediendæ, aut matrimonii contrahendi, ea sub sigillum Confessionis non cadunt: sed sæpe sub obligationem naturalis secreti. Vide Rich.in 4.d.21.art.4. q.4.Nau.c Sacerdos,d.6.penit.n.51.Sot.d 18.q.4.a.5.concl.3.Valentiam to.4. dis.7. q.11.p.3.Suar.disp.35.s.3. 4

Quartò: Sub sigillum cadunt peccata omnia, quæ coram Sacerdote, tanquam Dei ministro recensentur, quãuis sine proposito abstinendi: imò cum proposito committendi, vt si quis se accuset, quòd animus ipsi sit furtum, aut homicidium committere. Quamuis contrariũ docuerit Alens.p.4.q.78.mem 2.a.2. Innoc.& Abb cap. omnis vtriusqe,de pœnit & remiss.in fine, & alii apud S. Bon.in 4. d.21. p.2. art.2.q.1.quos bene refutant.Maior in 4.dist.21.quæst.3. argum.4: Adrianus in 4.de Confess. vbi de sigillo, §. His præmissis. ver. Respondeo ad primum. Nam sicuti peccatum præteritum, quod aliquis confitetur absque proposito abstinendi, sub sigillum cadit,quamuis stante tali proposito non sit capax absolutionis: ita simili ratione, si quis confiteatur præsens propositum futuro tempore peccandi,à quo tamen abstinere non vult. 5

Quintò: Sigillum Confessionis violatur, si Confessarius, quamuis generatim & indefinitè, dicat; Titium sibi confessum esse peccatum mortale casum reseruatum, censuram excommunicationis. Vel si dicat, se illum non absoluisse,quia non rectè dispositus erat, qua de re videri potest Palud.in 4.d.21.quæst.3.a.2.Sotus ci d.18.q.4.a. 5.concl.3. Nau.c.8.man.n 9.& 14.& ci.c.Sacerdos.n.63. d.6.Beia p.3.casu 14.Coninck ci.du.1. n. 14. Quare sigillum violauit Parochus ille indoctus, qui audita secreta Confessione subditi sui, literas ei dedit deferendas ad Vicarium Episcopi vel Priuilegiatum: quibus narrauit,se latorem harum à peccato,reseruato absoluere non potuisse: cùm tamen consensum Pœnitentis ad talia scribenda non habuerit. 6

Simile est,si Confessarius de pœnitente narret, eum in Confessione omisisse peccatum,quod eum fecisse constat aut constare poterit. Item si peccatum aliquod veniale in specie reuelet,v.g Titium confessũ sibi esse mendacium iocosum. Non tamen violat sigillum,si generatim,ac indefinitè dicat,confessum sibi esse venialia tantùm, vel benè confessum absoluisse: modò non ita loquatur,vt coniici possit, esse magnum peccatorẽ; qua de re Cai.ver. Cōfessori necessaria condit.5.Sot.ci.concl.3 ver. Et ideo iis, Nau.ci.c.Sacerdos,n.68.& in man.ci.c.8.n.12. Med.Co. de Conf.q.47.post princ.Valent.ci.q.11.p. Coninck 3.ci. du.1.num.11. Vbi monent cauendum esse Confessario,ne aliquo loquendi modo sinistram de confitente opinionẽ apud alios generet: v.g. si dicat: *Titius minutissimis suis peccatis sæpe mihi molestus est*: significare enim videtur, illum scrupulosum esse,& sic indirectè sigillum Confessionis violat.

Deinde,si Confessarius duorum fratrum v.g. Confessiones excipere solitus,vnum eorum commendet, quòd exigua,seu vix vlla peccata ad Confessionem afferat: periculũ quandoq; incurrit violandi sigilli, ob tacitam seu 7

indirectam reprehensionem alterius, ficuti notauit etiã Palud. d.21. quæst. 2.a.3. concl.3. S. Anton.p.3. tit. 11.cap. 22.§. . Nauar.ca.8.num.9. Medina cit. quæst. 47. Valentia cit.p.3. Llamas p.2. Meth.c.4. §.4. Adrian.in 4. Confeff. vbi de figillo, §. Tertia pars, arg. cap. nonne, de præfumpt.

8 Porrò ex dictis colligitur cum Medina l.2. inftr. ca. 4. cafu 5. Henriq. lib.6.c.22. num.3. Coninck cit.dub.1. nu. 14. Si Studiofi, Officiales Principis, vel fubditi alicuius, teneantur ferre teftimonium factæ Confeffionis: quòd Confeffarius dare debeat, tametfi ob indifpofitionem, vel fimilem caufam eos non abfoluerit. Nam Confeffarius grauiter peccat,& Confeffionis figillum violat,fi directè,vel indirectè fignificet,fe pœnitentem fuum ob indifpofitionem abfoluiffe. Hoc ipfum verò indirectè Confeffarius fignificat, quando aliis omnibus confitentibus fchedulam teftimonii dat,& huic foli negat. Confirmatur ex eo, quòd tali homini publicè petenti S. Euchariftiam, perinde ac aliis danda eft, ad vitandam infamiam eius: Ergo ob eandem caufam perinde ac aliis fchedula teftimonii dari debet. Neque verò Confeffarius in tali cafu mendacium committit: quia non teftari debet, fe hominem abfoluiffe: fed Confeffum fibi fuiffe, quod pono verum effe. Neque cooperatur hominis peccato, tametfi is tali teftimonio munitus ad S. Euchariftiam accedat: quia feriò illum monere Confeffarius debet, ne ita indifpofitus,& à peccatis non abfolutus, accedere præfumat, ad fui damnationem. Sin autem ille admonitioni non pareat, culpa ipfius tantùm eft: Confeffarius autem fuo officio functus fuit.

Moneo tamen primò: Si res moram patiatur; quia non ftatim teftimonium accipere, aut exhibere neceffe eft; tunc illi, cui abfolutio negatur, etiam teftimonium negandum fore, addita exhortatione, vt fe rectè difponat, ac poftea redeat, teftimonium vnà cum abfolutione recepturus. Secundò: Si aliqui fimulato animo ad Confeffionem accedant: quia v.g. hærefin, qua adhuc infecti funt, abiurare nolunt: folùmque pœnæ, aut infamiæ cuiufdam vitandæ caufa, ad facram Synaxin accedere cupiunt, talibus Confeffarius negare debet fchedam teftimonii, ne eorum perniciofæ fimulationi cooperetur. Quamobrem monui etiam lib. 2. tract.1.cap.13. num.4. vt in locis eiufmodi, vbi hæretici ad Fidem Catholicam conuertendi funt, ante Pafchale tempus catechifmi in domibus, vel ecclefiis inftituantur, iifque qui Fidem Catholicam amplecti volunt, eius profeffio, atque hærefis abiuratio priùs imponatur, quàm ad facramentum Confeffionis,& facræ Synaxis admittantur.

9 Sextò: Conceffum non eft Confeffario peccata publica, quatenus ex Confeffione accepta funt, edicere: v. g. *Homo ifte, publicè condemnatus, confeffus mihi eft fua furta, rapinas.* Sicuti ex communi docet Caietan. ver. Confeffori neceffaria, condit. 3, Nau. cit.c. Sacerdos, num.62.& 66. Sotus cit.q.4.a.5.concl.4. Philiarchus t.1.p.2 lib.2.c. 30. Suarez cit.difp.33.fect. 3. Henriq.lib.6.cap.20.num.4. contra Medinam cit.q.47.poft princ. Si enim talis facultas Confeffario conceffa effet, fæpe ea abuteretur, feu minùs publica euulgando, feu minùs certa confirmando, quod Confeffionem exofam redderet. Eadémque ratione non eft conceffum Confeffario de peccatis fui confitentis loqui cum iis perfonis, quas certò nouit ea cognita habere. Siquidem & hoc ingratum effe poteft confitentibus, eófque à Confeffione abfterrere. Denique nec cum ipfo quidem pœnitente, fine eius licentia, licitum eft extra Confeffionem loqui de peccatis ex fola eius Confeffione intellectis: cùm ea res pudorem inijcere, & exprobrationem continere foleat: quamquam fi pœnités prior loqui incipiat, tunc eo ipfo licentiam manifeftò tribuit. Vide Suar. difp.33.f.5.

10 Septimò: Periculum eft, ne interdum figillum violetur: vel faltem violari videatur, fi Confeffarius etiam generatim dicat: In hac ciuitate, Collegio, Religioforum conuentu committuntur grauia crimina, adulteria, veneficia. Ita S. Anton.cit.cap.22. §. 3. Nauar. vlt. cap. Sacerdos, num.54.& in man.cap.8.num.16. Henriq.lib.6. c. 21.num 6. Nam eiufmodi reuelatione homines fimplices offenduntur, putantes figillum violari: imò re vera interdum violatur: tum quia Communitas infamatur, quæ infamia etiam in pœnitentes, tanquam membra Communitatis, redundat: tum quia audientes, fi de aliquo in particulari finiftram opinionem habuerunt, magis in ea confirmabuntur: cuius rei tantò maius periculum eft, quò minùs ampla, & alioquin boni nominis Communitas eft, ficuti Ægidius Coninck notauit citat. numero 16.

Octauò: Tametfi figillum non violatur, fi Confeffarius, nulla nominata perfona, generatim dicat, fe audiuiffe peccatum fodomiæ, ftupri,&c. vti bene docet Nauar.cit.c. Sacerdos, n.47.& in man cit. ca.8. num.12. Syl. ver. Confeffor.2.quæft.5. confultiffimum tamen eft, omnino tacere,& de peccatis in Confeffione auditis mentionem nunquam facere: nifi ob caufam magnæ vtilitatis, vel confilii capiendi à viro docto: & tunc cum tali cautione, vt in perfonæ notitiam nullo modo deueniri poffit, ficuti docent Nauar. cit.cap. Sacerdos, num. 81. Henriq.c. 21.num 6. Beia p.3 cafu 15. Ægid. Coninck cit num. 16. Nam alioquin rudes fcandalum accipiunt, exiftimantes figillum violari, & interdum homines fagaces ex variis circumftantiis fimul iunctis in fufpicionem, vel cognitionem Rei perueniunt: præfertim fi Confeffarius fpecialia defignet, v. g. *Primus confitens, quem audiui, fuit adulter.* Quid enim fi alio tempore, prioris fui dicti oblitus, dicat: Titium ante alios omnes fibi confeffum effe? Vide Medinam in inftruct. Confeff. lib.2.cap.4.§.1. Simile eft, fi Confeffarius inquiat: *Hodie mihi Sacerdos graue peccatum confeffus eft*: Quid enim fi hoc audiens probè norit, tantùm tres Sacerdotes ipfi confeffos fuiffe, duos verò effe innocentiffimæ vitæ: nonne violentam de tertio fufpicionem concepturus eft? Qua de re vide Llamas ci. c.4.§.4.

Nonò: Si crimen in Confeffione auditum vergat in graue damnum Reipubl. vel perfonæ priuatæ; puta, fi aliqui confpirârunt ad ciuitatis proditionem, hominis occifionem, &c. licebit interdum generatim monere, vt vigiletur, fi omne periculum abfit prodendi pœnitentem. Sed maxima hîc cautione,& circumfpectione opus eft: funt enim aliqui admodum fagaces, vt ex tali monitione, orta ipfis fufpicione, poft longam indagationem, tandem Reum, qui facramentaliter confeffus fuerat, deprehendere poffint. Qua de re Med.cit. quæft. 47. corol.1. Sotus citat.a.5.ver. ex quo fit. Henr.c.22.n.2.& 3. Llamas.c.4.§. 5. Coninck dub.1.n.17.& 18. 11

Decimò: Si Confeffarius à Iudice, v.g. examinetur de crimine, in Confeffione audito, negare poteft:&, fi opus fit, etiam iurare, fe nihil fcire, intelligendo, tanquã perfonam priuatam ad reuelandum, quamuis interim fciat tãquam Chrifti Minifter,& Dei vicarius ad reticendum, ficuti docent Gabr. in 4.diftinct. 21. quæft. vn. art. 3. ad 3. Adrianus quæft.5. de facramento Confeff. prope finem, vbi agit de figillo, Sotus cit.art.5.ver. Duo funt extremi, Med.quæft.45. Nauar.cap.8.num.19. Valent.cit.quæ. 13. p.4. Henriquez lib.6.cap.19.num.7. Rectè tamen monet Sotus,& dixi lib. præced.tr.3.cap.13.n.7. ver. Interim: Interrogationem erga Confeffarium determinari poffe, vtrum quocunque modo crimen huius hominis cognorit; tunc verò ambiguitati locus non erit, fed mendacium effet, negare fe noffe: quare tali cafu dicendum: Nefas effe, ad facrilegam iftam interrogationem quicquam refpondere. Idémque agendum eft Confeffario, fi de notorio crimine confitentis fui rogetur: vt obiurget interrogantem, quòd talia petere audeat, quorum notitiam fi ex Confeffione haberet Sacerdos, potius mori 12

mori deberet, quàm edicere.

Vndecimò; Si Confessarius officio suo malè functus
13 fuit, v. g. indispositum absoluendo, restitutionem non præcipiendo, non potest hanc suam negligentiam confiteri, si periculum sit prodendi, vel in suspicionem vocãdi confitentem. Ita docent Scotus in 4. distinct. 21. quæst. 2. ad argument 4. Palud. ibid quæst. 3 art. 2. concl. 2. Adrianus in 4. Confess. vbi de sigillo, circa tertiũ princip. ver. ad quartum, Henriquez lib. 6. cap. 19. num 5. & cap. 20. num. 5. aliique communiter, contra Sotum citat. a. 5. ver. occurrit. Ratio est: Quia præceptum sigilli seruandi strictiùs, & omni casu obligat; non item præceptum affirmatiuum confitendi omnia peccata mortalia.

14 Verum vnicus casus est, quo ratio, & obligatio sacramentalis sigilli penitus cessat, si pœnitens Confessario licentiam det loquendi de peccatis suis, siue corã seipso, siue corã alijs. Ita docet Supplem. S. Th. q. 10. a. 4. & ipsemet S. Th. in 4. d. 21. q. 3. a. 2. Bonau. ead. dist. p. 2. a. 2. q. 2. Palud. ibid. quæst. 3. a. 3. concl. 2. Adrianus in 4. de Confess. vbi de sigillo, §. sed probabilior, Sotus cit. quæst. 4. art. 6. Medina q. 49. Nauar. cap. 8. n. 2. Suarez disp. 33. sect. 5. num. 6. Vasq. disp. 93. a. 4. dub. 5. Sanchez lib. 6. moral. c. 18. num. 43. contra Alens. p. 4. q. 78. mem. 2. a. 3. Scot. cit. d. 21. q. 2. § ad arg. ibid. Duran. q. 4. a. 3. Maior. q. 3. argum. 3. Ratio est: Quia obligatio sigilli, ex Christi institutione profecta, partim nititur ratione naturalis secreti: partim verò, & quidem præcipuè reuerentia sacramenti, ne id fidelibus exosum reddatur. Vtraque verò ratio cessat, si pœnitens Confessario loquẽdi licentiã det: tunc enim neque iniuria ipsi infertur: nam sicuti promissio ex voluntate promissarij, & depositum ex voluntate deponentis, ita & secretũ omne ex voluntate committentis dependet. Neq. etiã fertur irreuerentia sacramento: siquidem id fidelibus nequaquã exosum, sed potiùs cõmendabile redditur, si sciant, Cõfessario concessum esse loqui de peccatis in Confessione auditis, vnico illo casu, si pœnitens, existimans sibi id vtilem fore, licentiam tribuat. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 22. n. 1. ver. Tertiò.

Sunt verò hîc aliqua obseruanda: I. Licentiam, seu consensum pœnitentis oportet esse plenè voluntarium, atque expresũ: non autem sufficit præsumptus. Quæ est communis doctrina, contra Altisiodorensem lib. 4. tr. 6. cap. 3. q. 7. existimantem, satis esse, quòd Confessarius rationabiliter credat, id pœnitenti ingratũ non fore. Verùm ea in re Confessarij sæpe decipi possent: adeóque sigillum Confessionis non parùm laxaretur, & sacramentum Pœnitentiæ suspectum atque exosum redderetur.

II. Tametsi confitens interdũ teneatur suũ peccatum vel per seipsum, vel per Cõfessarium aperire, si ita necesse sit ad graue damnũ innocẽtis auertendum, ideóque ad id vrgendus sit pœnitens, atque recusanti absolutio deneganda; v. g. si Parochus aliquos malè baptizauit: attamen illo inuito, nunquam Confessarius seu directè, seu indirectè reuelare poterit, sicuti notauit Coninck cit. d. 1. num. 24. Illud tamen non est improbabile, quod do-
15 cet Suarez disp. 33. s. 5. n. 3. Si error, siue defectus à Confessario commissus necessariò corrigendus sit: & rogatus pœnitens, vt de re ad præcedentem Confessionem pertinente loquendi licentiam det, dare renuat: etiã ipso inuito errorem aperiendum esse, si ita corrigi possit: quia tunc propriè non loquitur extra Confessionem: sed supplex, & perficit eam, quæ antè inchoata, & imperfecta manserat, inquit Suarez. Quamuis contrarium significet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. q. 1. num. 3.

III. Licet pœnitens in Confessione licentiam dede-
16 rit de peccatis suis loquendi: datam tamen postea reuocare potest: Eò quòd notitia illa semper maneat sacramentalis, ideóque eius conditionis, vt Confessario nunquam illa vti liceat, nisi confitens velit. Secùs est, si extra Confessionem pœnitens licentiam dedit: tunc enim desinit esse notitia, & secretum sacramentale: quare perinde, ac si alterius secreti reuelandi facultas concedatur, oritur inde pactum mutuo consensu stabilitum, & per se loquendo, irreuocabile, sicuti docet Suarez cit. disp. 33. sect. 5. num. 7.

Nunc porrò dicendum est de personis, quæ sacramẽtalis sigilli obligatione tenentur; Videlicet, præter Sacerdotem, cui per se, ac directè peccatorum Confessio fit, ad quem proinde sigillum Confessionis principaliter spectat: obligari etiam omnes alios, quamuis secũdariò, & minùs principaliter, ad quos sacramentalis Confessionis notitia immediatè, vel mediatè, iustè vel iniustè peruenit. Ita docet S. Thom. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. quæst. 3. Palud. ibid. quæst. 3. a. 2. Scotus dist. 17. quæst. 1. & d. 21. q. 2. Adrianus in 4. de Confess. q. de sigillo, §. secunda pars, Med. q. 46. Syl. ver. Confessio, 3. q. 1. Nau. c. 8. n. 4. & in c. Sacerdos, de pœnitent. d. 6. n. 42. P. Sotus l. 11. de Confess. 2a ver. Confessor. n. 24. Suar. disp. 33. sect. 4. Ratio est: quam tradit Nau. ll. cc. Quia res in ordine siue intentione ad sacramẽtalem absolutionem manifestata, ex Christi institutione, ac præcepto, vsu ac traditione Ecclesiæ confirmato, hoc onus seu obligationẽ annexam habet, vt à nemine, ad quemcunque eius notitia peruenerit, sine graui sacrilegio seu irreuerentia sacramenti reuelari possit.

Hanc tamen rationem Nauarri, quòd *res transit cum onere suo*, impugnat Vasq. quæst. 93. a. 4. dub. 2. num. 12. propterea quòd obligatio pignoris v. g. proximè afficiat rem, & exinde transeat in possessorẽ ipsius; obligatio verò sigilli, cùm sit præcepti, nullo modo afficere possit rẽ ipsam, sed solùm personas, quibus impositũ est. Sed respondeo; Non fuisse mentem Nauarri, quòd inter vtrũque eadẽ ratio sit: sed solùm proportionalis. Nam sicuti pacto & conuentione hominum efficitur, vt quicunque pignoris possessionem consequitur, ratione eius obligationem contrahat: ita etiam Christi præcepto per Ecclesiæ traditionem & communem fidelium persuasionem confirmato, effectum est, vt quicunque Confessionis sacramentalis notitiam consequutus est, ratione eius ad reticendum obligatus existat.

Inter eiusmodi personas est primò: Cui pœnitens bona fide confitetur, existimans esse Sacerdotem cùm non sit: vel esse potestate absoluendi præditum, cùm ea careat. Ratio est, quam tradunt Scotus cit. q. 2. d. 18. q. 4. a. 5. concl. 5. Vasq. n. 6. Quia talis Confessio fit cum intentione sacramenti.

Secundò: Interpres confitentis, sicuti docent cõmuniter Doctores contra Caiet. ver. Confessio, condit. 11. Sotũ cit. a. 5. post. 4. concl. vbi negant, interpretem propriè obligari sigillo Confessionis: quorũ sententia reijcienda est, si velint, interpretem nullo modo obligari sigillo sacramẽtali ex diuino Christi præcepto in omni casu obligante: sed solùm naturali secreto, quamuis strictissimo, quod tamen in aliquo casu, v. g. ad Rempublicam liberandam reuelare licitum sit. Recipienda verò est, si tantùm velint, interpretem, & alias eiusmodi mox recensendas personas obligari minùs principaliter & non tam grauiter, sicuti Sacerdotem: ideóq; nec pœnas iuris Sacerdoti violatori sigilli decretas, sed aliam arbitrariam incurrere, sicuti notauit Sotus ibid. & de sec. tegendo mem. 3. q. 4. conc. 4. Nau. c. Sacerdos, n. 50. d. 6. de pœnit. Sa cit. n. 27. Henriq. cap. 19. n. 9. & c. 20. n. 2. Suarez cit. s. 4. n. 4.

Tertiò: Astantes, si vel casu & præter voluntatem, vel de industria, & non sine iniuria atque sacramenti irreuerentia, peccata confitentis audiant, vti docet Richar. in 4. distinct. 21. art. 4. quæst. 3. Adrianus l. cit. Vasq. cit. dub. 2. num. 5. & alij, contra Sotum cit. a. 5. post 4. concl.

Quartò: Quibus Confessarius, sine pœnitentis licentia, adeóque iniustè & sacrilegè, peccata seu verbis, seu facto reuelauit, vti docet Richar. in 4. d. 21. a. 5. q. 1. Gabr. q. 1. a. 2. concl. 2. & alij cõmuniter, contra Med. quæst. 46. Cod. de Confess. Sed & ij sigillo Confessionis obligari videntur, quibus Cõfessarius, cum venia
18 pœnitentis, peccata, vel aliud quippiam ad sigillũ Confessionis pertinens, manifestauit, sicuti docent Syl. Nau. P. Sotus, Adrianus, & alij plerique, ob rationem suprà datam. Quamuis contrarium defendunt Henriq. lib 6. c. 20. n. 3. Vasq. cit. d. 2. n. 12. Coninck cit. disp. 9. d. 3. propterea, quòd dum Confessarius ex pœnitentis licentia, atque in eiusdem plerumq; commodum, alteri peccatũ reuelat, id agere censeatur, tanquam instrumentum pœnitentis: quare sicuti si pœnitens peccatum suum paulò antè Sacerdoti in Confessione explicatũ alteri reuelaret, non posset eum ad sigillum sacramentale obligare: cùm reuera hæc non sit sacramentalis reuelatio, ita neq; si Sacerdos ex voluntate aut, iussu pœnitẽtis reuelat. Qui discursus videtur mihi valde probabilis: si reuelatio peccati cum voluntate pœnitentis fiat, non ex causa ad Cõfessionem, vel absolutionem sacramentalem pertinente; sed ex alia iusta, vel iniusta, puta, si pœnitens Confessario licentiã dederit corripiendi socios criminum, cuiusmodi tamen onus suprà dixi rarissimè Confessariũ in se suscipere debere. Item si Confessarius ex licentia pœnitentis in Confessione data, ad aucupandam gratiam Titij, significet illi, non sine sacrilegio, quòd confitens inimicum ipsius occiderit. Verùm si reuelatio fiat ob causam aliquo modo pertinentem ad administrationem sacramenti, puta, si ex licentia pœnitentis, virum doctum Confessarius consulat, quò is munere suo, ac claui scientiæ rectè vti possit: tunc omnino arbitror, ita consultum Confessionis sigillo obligari.

19 Quinto: Addunt aliqui eum, qui Confessionem memoriæ causa scriptam reperit. Sed alij rectiùs negant, hũc sigillo sacramentali obligari: propterea quòd talis scriptura non sit Confessio sacramentalis; sed tantùm remotè, ac per accidens ordinetur ad sacramentum Confessionis, sicuti docet Nau. c. 18. n. 34. & in c. Sacerdos, d. 6. de pœnit. n. 8. Sotus cit. d. 18. quæst. 4. a. 5. in fine, Henriq. lib. 6. cap. 10. num. 2 Medina lib. 2. instruct. c. 4. ante primum casum, qui tamen rectè admonent, repertorem eiusmodi scriptæ Confessionis arctissimo secreto naturali obligari: vt mortale peccatum in genere sacrilegij committat, si grauia seu diffamantia peccata consultò legat, aut lecta alijs euulget: neque etiam Iudicem, aut Prælatum ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem, aut punitionem procedere posse, vel, si processus institutus iam fuit, rescindi eum, & pro infecto haberi oportere. Quia licet eiusmodi scriptura non sit Confessio sacramentalis: est tamen via ad eam: ceditq; in irreuerentiam sacramenti, si occasione illius, quod in salutem animæ à Christo institutum fuit, aliquis detrimentum famæ, &c. patiatur. Attamen si schedulæ repertor moraliter certus sit, non nisi leuia, & non infamantia peccata in ea scripta esse, ideóq; curiositate, legat, vel lecta alijs euulget: non debet censeri plùs quàm venialiter peccasse: quia non violauit sigillum Confessionis; sed tantùm naturale, cuius obligatio ob materiæ paruitatem minuitur.

Deinde hinc consequens esse videtur, quòd in casu maximæ necessitatis, v.g. ad Rempublicam, vel vitam innocentis liberandam, huiusmodi scriptam Confessionem reuelare licitum sit, quatenus præcisè necessarium est ad impediendum maius malum, cui, spectato iure naturæ, minor iactura hominis talem schedam scribentis posthaberi potest. Excipi tamen hinc debet: Nisi sacramentalis Confessio Sacerdoti in scripto data & ab eodẽ amissa sit. Nam talis manifestatio facta Sacerdoti per scripturam in ordine ad absolutionem accipiendam (cuiusmodi Confessionem quandoq; validè, ac licitè fieri posse, dixi suprà c. 6. n. 3.) verè sacramentalis est, ideóque sub sacrum sigillum cadit, vt ea nullo casu à quocunque homine, sine licentia peccatoris, reuelari possit.

Sextò: Nau. in cit. c. Sacerdos n. 42. Syl. ver. Confessor, 3. q. 1. Armilla n. 8. existimant, etiam laicum, vel non Sacerdotem, cui ob defectum Sacerdotis confessio fit, obligari hoc sigillo. Sed contraria sententia est communis, & vera; quia talis confessio non est sacramentalis, ne quidem ex intentione confitentis: nisi valde erroneâ, iuris errore.

Septimò: Idem Nau. cit. c. Sacerdos, n. 115. sensisse 20 videtur, etiam pœnitentẽ sacro Confessionis sigillo obligari. Sed contraria sententia est cõmunis, & vera, quã docet Maior in 4. d. 21. q. 3. arg. 11. Sotus de secreto tegendo, mem. 3. q. 4. concl. 4. Tol. lib. 3. c. 20. Suarez dis. 33. sect. 4. Coninck disp. 9. d. 3. Pœnitentem non obligari sigillo sacramentali, sed solùm lege naturali, ne aliquid ex Confessione reuelet, quo vel seipsum sine causa iusta infamet, vel Cõfessarij bonæ existimationi detrahat.

Restant aliquæ quæstiones soluendæ: Prima est: Si plures in necem Sacerdotis conspirârunt, quorum vnus v.g. Titius, pœnitentia ductus, eidem Sacerdoti malignum hoc propositum confitetur: vtrum tali casu Sacerdos vitæ suæ consulere possit fugiendo, aut abstinendo à proposito sibi poculo venenato, tametsi certus sit, socios conspirationis exinde in suspicionem, vel cognitionem venturos, quòd Titius peccatum illud suum confessus fuerit? Negant Richar. d. 21. a. 4. q. 1. ad 5. Sotus d. 18. q. 4. a. 5 colum 6. Nau c. Sacerdos, dub. 6. de pœnit, num. 135. propterea quod Sacerdos peccatum ex sola Confessione cognitum nullo in casu directè, aut indirectè etiam ijs reuelare possit, qui illud antè cognitum habent, sicut suprà dixi.

Sed contrarium rectiùs (vt arbitror) docent Scotus 21 in 4. d. 21. quæst. 2. ad 3. argum. Gabr. q. 1. a. 3. dub. 1. ad 4. Adrianus in 4. de Confess. vbi de sigillo circa tertium principale, ver. ad quintum, Syl ver. Confessio, 3. q. 19. Henriq. lib. 6 c. 24. n. 5. Coninck disp. 9. dub. 4. n. 54. Quia optimè notauit Adrianus; Aliud esse facto ipso alteri significare peccatum, quod ex sola Confessione cognitum est: aliud verò reuelare, Confessionem peccati factam esse. Nam illud priùs nullo casu fieri potest absque sigilli violatione, at verò hoc posterius interdum licitè fit; quando ille alter peccatum aliunde manifestè cognitum habet: Sacerdos verò exhibet signum, quod nullo modo, spectatis omnibus circumstantijs, aptum est ad manifestandum peccatum secundùm se, sed solũ ad peccati Confessionẽ manifestandã ijs, qui peccatũ secundũ se antea cognitũ habent. Exẽpli causa: Si Confessarius hominẽ ob publica latrocinia morte dãnatũ apud alios commendet, quòd benè de peccatis suis confessus fuerit, nullo modo violat sigillum: quia non exhibet signum, quo cognosci possit, hunc hominem commisisse latrocinia: sed solùm, vt ij, qui latrocinia eius antè cognita habent, exinde colligant, quód illa confessus fuerit. Præterea si Confessarius aliquoties accedat ad hominẽ, qui domi suæ concubinam alit; illum ad emendationem hortetur, eius Confessionẽ denique excipiat, & ad sacrũ epulum admittat, profectò Concubina hinc apertè colliget, hominem illum peccatũ fornicationis confessum fuisse: attamen sigillum Confessionis à confessario illo violatum esse, nemo dicet. Sic etiam in proposito, si Sacerdos ex Confessione intelligens, insidias suæ vitæ parari, eas tam cautè declinet, ac fugiat, vt impossibile sit, aliquem hominum ex hoc eius facto deuenire in suspicionem, vel cognitionem peccati, seu conspirationis in necem: sed solùm, vt illi, qui conspirationem antè cognitam habent, inde conijciant, aliquem hoc peccatum Sacerdoti confessum fuisse: censeri non debet Confessionis sigillum reuelatum fuisse.

Ex quo

Ex quo non improbabiliter infert Coninck disp. 9. dub. 4. num. 56. contra Suarez disp. 33. sect. 7. num. 6. Tametsi ponamus, ex fuga Sacerdotis confitenti periculum imminere, ne à socijs propterea occidatur, nihilominus eum fugere posse: cùm id agendo, sigillum sacramenti non violet: quapropter ius naturale ipsi permittit, vt vitã propriã alienæ anteponat. Sicuti, si dominus hæreticus intellexerit, aliquẽ ex suis famulis Sacerdoti cõfessum fuisse, mortémque seriò minetur Cõfessario, nisi dicat, quisnã ille sit: Confessarius non prohibetur eum nominare, tametsi intelligat, exinde mortem confitenti seruulo inferendam fore: Laudabiliùs tamen ageret Sacerdos, si mortem ipse pro innocente fortiter oppeteret.

Objicies: Exinde sequi, quòd Confessio hominibus odiosa reddatur, si occasione eius aliqui tantum periculum subeant. Respondeo, Confessionem secundùm se, & simpliciter odiosam non reddi: sed tantùm quatenus spectatur cum talibus circumstantijs, quæ tamen rarissimè, & vix vnquam concurrunt: vt proinde talis casus potiùs speculatiuus, quàm moralis censeri debeat, vti notat Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. q. 1. ad 4.

Quæstio Secunda. Vtrum Sacerdos notitia ex sola Confessione comparata vti possit in externa gubernatione, sacramentorum administratione, &c. faciendo aliquid, quod alioquin esset omissurus: vel omittendo quod alioquin esset facturus? Exempli causa, vtrum Prælatus subditum quẽ ex sola ipsius sacramentali Confessione scit officio suo non rectè fungi, inde remouere
22 possit; ita tamen, vt absit omne periculum alijs reuelandi, vel in suspicionem vocandi confitentem, quia tale est officium, à quo Prælatus arbitratu suo aliquem amouere potest, ac solet. Item, vtrum Confessarius capitularis, cùm suffragium in electione Prælati dat, illud idcirco confitenti suo denegare possit, quia eum ex sola Confessione scit esse indignum? Præterea, vtrum Episcopus hominem, quem ex sola Confessione scit irregularem, à sacris ordinibus clanculum remouere possit: vel Parochus sacramenta Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, aut matrimonij assistentiam, occultata causa, denegare ijs, quorum impedimentum ex sola sacramentalis Confessione cognitum habet?

Affirmant plerique DD. quorum catalogum recenset Sanch. cit. disp. 16. q. 1. Probatur primò; Quia Sacerdos ratione sigilli solùm obligatur; vt ea, quæ ex Cõfessione cognouit, tecta, & secreta seruet: Atqui Sacerdos occultè alicui denegando suffragium, vel amouẽdo ab officio nemini reuelat Confessionẽ criminis. Ergo, &c. Secundò: Quia Sacerdos audiendo Confessionem pœnitentis, non priuatur iure suo, quod alioquin ipsi competit: Atqui si Confessionem hominis non audiuisset, posset illum officio amouere, suffragium ei negare, &c. Ergo etiam id potest auditâ Confessione: Imò secũdum quosdam etiam tenetur, si id bono publico expedire iudicet, qua de re Sanchez quæst. 2. & videri potest Henricus Gandauensis quodlib. 8. q. 29. 31. Tertiò: Quia casuum reseruatio ideo introducta esse videtur, vt Superiores ex notitia Confessionis prudentiores fiant ad externam subditorum gubernationem.

Contrariã sententiam tuetur Armilla ver. Confessor, n. 7. Mart. Delrius lib 6. disquis. magic. s. 1. Bannes 2. 2. q. 33. a. 8. ad finem, Sanchez ci. q. 1. n. 3. ConincK dis. 9. dub. 4. n. 64. Eandemque sententiam R. P. noster bonæ memoriæ Claudius Aquauiua in Societate Iesu, tum à superioribus ipso vsu obseruari, tum à Professoribus publicè, & priuatim doceri præcepit, Anno Domini 1590. Et postea Clemens VIII. motu proprio pro Regularibus omnibus Anno 1594. ita decreuit: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

Probatur ex eo, quia sigillum Confessionis, si secundùm omnem suam latitudinem accipiatur, obligat Sacerdotem non tantùm in ordine ad alios; sed etiam in ordine ad ipsum confitentem: ne ei peccatum, ex sola ipsius Confessione cognitum, objciatur, exprobretur, aut in memoriam reuocetur, sicuti docent DD. communiter apud Sanchez cit. q. 1. n. 3. Talis autem exprobratio re ipsa accidit, si Sacerdos confitenti suo, propter auditam eius Confessionem, sacramentum Eucharistiæ, Ordinis, &c. deneget: vel eum ab officio remoueat: plerumque enim vel certa, vel probabili suspicione deprehendet, id fieri propter peccata, quæ confessus fuerat: ideóque sacramentum Confessionis eidem graue, & damnosum fiet.

Sed etsi ponamus, confitentem nullo omnino indicio assequi posse, suffragium v. g. in electione occulta sibi à Confessario propter Confessionis notitiam denegatum fuisse: tamen ipsa persuasio hæc, si nimirum sciant fideles, se ob peccatorum suorum Confessionem impediri posse à consequendis officijs, ac dignitatibus, abhorrebunt à Confessione, ijs præsertim facienda, quos vel leuiter suspicatur aliquando sibi prodesse, vel obesse posse.

Confirmatur ex eo, quòd reseruatio criminum grauiorum magna ex parte inutilis esset; si Superiores, quibus ea reseruatur, ex eiusmodi notitia subditos suos gubernare possent. Nam Clerici præsertim, quorum promotio ad officia, atque honores à Prælatorum suorum voluntate dependet: nunquam cum tanto suo periculo obligari poterunt ad confitendum crimen graue Superiori, si ex tali Confessione intelligant se à promotione, quam auidè plerique desiderant, impediri posse.

Denique probatur inde; Quòd forum sacramentalis 23
Pœnitentiæ ex propria sua institutione secretum sit, & omnino segregatum à foro externæ iurisdictionis ac gubernationis: ac proinde non oporteat notitiam sacramẽtalem extra illud forum secretæ Pœnitentiæ, ad publicam gubernationem extendi. Quod F. noster Claudius his verbis expressit; *sibique persuadeant* (Confessarij) *vt humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longißimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.*

Atque hæ rationes videntur satis efficaces: quæ verò pro priore sententia allatæ sunt, facilè soluuntur. Ad 1. respondetur: Ratione sigilli sacramentalis propriè, & strictè accepti, obligari Sacerdotem, & quidem magis principaliter, ne Confessionem peccati reuelet ijs, quibus ignotum est. At verò ratione sigilli sacramentalis, amplè accepti, obligari etiam Sacerdotem, quamuis non tam grauiter, vt peccatum ex sola Confessione cognitum, etiam coram ipso pœnitente, alijsque personis illius notitiam habentibus, occultatum seruet. Obligat item ratio sigilli sacramentalis, ne Sacerdos propter acceptam ex Confessione notitiam quicquam agat, quod confitenti graue sit, atque conqueri, & à sacramento absterreri possit.

Ad II. respondetur: Verum esse, quòd Confessarius, propter auditam Confessionem, non priuetur iure ac libertate ab officio deponendi, suffragium negandi, &c. attamen prohibetur, ne ad tale aliquid faciendum moueatur, vel adiuuetur ex notitia hausta in sacramento Pœnitentiæ: cùm perinde se gerere debeat in externis actionibus suis ergà confitentem, ac si in illo interno foro nihil audiuisset: quemadmodum, inquit Sanchez resp. ad 2. qui nouit aliquid extra Confessionem, & postea in Confessione audit, non amittit ius pristinum illud manifestandi: arctatur tamen Confessionis sigillo, quominus alio modo propalare possit, quàm cognitum habuerat ante Confessionem.

Ad III. respondetur: Hanc non esse causam reseruandi peccata superioribus Prælatis: sed quam dixi in materia de casuum reseruatione.

Existimat tamen Ægid. ConincK cit. dub. 4. n. 68.

Si Prælatus ex Confessione intelligat, peccatū aliquod graue in Monasterio v.g. perpetrari solitum esse, quod is absque vllo periculo reuelationis sigilli, & sine vllo confitentis grauamine facilè impedire possit: puta ædificando aliquid, vel struem lignorum erigendo in eo loco, vbi antea exitus, vel introitus patebat: tali casu non esse prohibitum notitia Confessionis vti, vel adiuuari, etiam sine consensu pœnitentis: præsertim si is rogatus consentire nolit, cùm tamen debeat. Cuius doctrinæ ratio, & fundamentum hoc est: Licet sigillum sacramenti semper, & omni casu obliget Sacerdotem, ne Confessionem peccati directè, vel indirectè reuelet cuiquam hominum, cui id incognitum est; non ita tamen semper obligat respectu ipsius confitentis, & aliorum, qui criminis certam notitiam habent: quominus Sacerdos ob grauem causam aliquid agere possit, quod ex seipso quidem nullo modo sit signum reuelatiuū, aut expressiuum peccati: attamen illis, qui peccatum antè cognitum habent, suspicionem mouere possit, illud fieri ex notitia Confessionis. Exemplū est: Si aliquis confiteatur Prælato, se cū pluribus conspirasse ad ipsū occidendū: vel monasteriū incendendū: postea verò ipsemet cōfitēs, vel alius ensem, aut similia instrumēta petat, potest Prælatus denegare, si absit omne periculū reuelādi peccatū. Neq; enim hoc graue seu molestū accidere debet pœnitenti: cùm neque exprobrationem contineat peccati, ac Confessione explicati: sed solùm admonitionem aliquam, vt abstineatur à futuro: neque vllum grauamen aut damnum eidem inferat, sed solùm hoc bonum, quòd impediatur à peccato imposterum committendo. Nec denique timenda hîc videtur prohibitio Clemētis VIII. quia ea constitutio solùm loquitur de actibus spectantibus ad gubernationem subditorum: ne aliquid ex notitia Confessionis fiat, quod confitentium honori, vel commodis aliquo modo præiudicet. Hæc doctrina mihi probabilis visa est: sed quia eam non omnibus probari intelligo, quasi ea repugnare videatur ordinationi Societatis Iesu c. 2. §. 14. ideo nihil definio, sed aliorum in hac re iudicio acquiescere malo.

Quæstio Tertia. Si Confessarius penitentis alicuius peccatum extra ipsius Confessionem cognouit, de quo se non accusat, vtrum, & quomodo illum interrogare debeat? Respondeo, & dico I. Si Confessarius peccatum ex complicis Confessione accepit, refert, vtrum complex licentiam dederit loquendi cum altero: quo casu eum speciatim Confessarius examinare non prohi-
24 betur, si res ita postulare videatur, & scandalum absit. An verò licentia hanc à complice non acceperit: eo casu plerumque generatim tantùm quærere debet, vtrum aliud præterea peccatum admiserit, quod animum grauet. Tunc tamen etiam speciatim interrogare per notitiam illam sacramentalem non impeditur, si tale peccatum sit, de quo alias eiusdem conditionis personas interrogare solet. Qua de re Syl. ver. Confessio, 3. q. 16. Nauar. c. 8. man. n. 17. Tolet. lib. 3. c. 17. num. 14.

Dico II. Si Confessarius non ex confessione complicis, sed extra Confessionem ex aliorum fideli relatione peccatum pœnitentis cognouit, plerúmque speciatim examinare potest: imò etiam debet. negantem tamen absoluere cogitur: cùm cogitare debeat, vel alteri confessum esse, vel ob periculum confiteri iam non posse; aut eos, qui retulerunt, mentitos fuisse: siquidem *in pœnitentis fauorem credendum est [illegible] se, ita & pro se.* Idemque locum etiam habet, si Confessarius peccatum ex complicis Confessione acceperat, eo casu, quo speciatim interrogare potest.

Dico III. Si Confessarius commissi, ac nondum per Confessionem expiati peccati notitiam manifestam habet, eámque extra Confessionē accepit: puta, quia oculis suis vidit paulo ante furantem, vel auribus audiuit blasphemantem: adeóque consideratis omnibus circumstantijs, animaduertat confitentem, qui peccatum illud negat, dispositum non esse, sed simulatorem egregium: tunc absolutionem illi negare debet, ob sacramenti honorem, sicuti docet Henriq. lib. 6. c. 20. n. 6. lit. a. b. quamuis contrarium sentire videatur P. Sotus lect. 10. de Confess. ver. monentur.

CAP. XV.

DE SATISFACTIONE.

SVMMARIVM.

1 Satisfactio pro iniuria distinguitur à restitutione, seu damni illati compensatione.

2 Pro culpa morali, & correspondente pœna Deo satisfacere non possumus ex condigno, sed tantùm ex congruo.

Patres omnes operibus bonis iustorum tribuunt virtutem satisfaciendi pro peccatis, ex Christi meritis: sed Nouatores hæretici constanter se huic veritati opponunt.

3 Homines iusti in hac vita pro pœna temporali in purgatorio luenda ex condigno per Christi merita satisfacere possunt. Sed post hanc vitam animæ in purgatorio non sunt in statu satisfaciendi, sed potiùs satispatiendi.

4 Sacerdos pœnitenti sacramentalem pœnitentiam imperare debet: partim in vindictam peccatorum, partim ad remedium animæ.

5 Lapsis in peccatum graue, seu mortale, olim frequenter à Confessario interdicebatur sacra Communio, donec per iniuncta bona opera satisfecissent

6 Pœnitens obligatur ad acceptandam pœnitentiam, si iusta est, si tamen nimis grauis illi videatur, potest se alterius Confessarij iudicio subijcere.

7 Obligatio implendi pœnitentiam iniunctam ob peccata venialia, item ac mortalia, à quibus absolutio etiam antè accepta fuerat, non est sub peccato mortali.

8 Pœnitentia rectiùs à Sacerdote imponitur ad sacramentalem absolutionem, cùm sit pars sacramenti materialis.

9 Opera, quæ in pœnitentiam iniunguntur, debent esse aliquo modo pœnalia, seu afflictiua: quare plerumque conuenit esse externa opera, videl. oratio vocalis, ieiunium, eleemosyna.

10 Magis conuenit, vt opera bona, quæ pœnitenti imponuntur, sint supererogationis: quamuis interdum non abs re faciet Confessarius, si homini præcipiat opera alioquin præcepta.

11 Confessarius pœnitentiam imperaturus attendere debet tum ad peccatorum magnitudinem, tum ad pœnitentis statum.

12 Casus aliqui sunt, quib. Confessarius leuiorem, quàm peccata merentur, pœnitentiam imponere debet.

13 Infirmis, seu morituris plerumque aliquis saltem bonus motus in Deum pœnitentiæ loco imperari potest.

14 Opus iniunctum in Confessione habet vim ex opere operato delendi pœnam temporalem peccatis debitam, iuxta Christi institutionem.

15 Qui opus pœnitentiæ in statu peccati mortalis implet, satisfacit quidem præcepto, sed fructum satisfactionis tunc non consequitur: quare videtur peccare, saltem venialiter, obicem ponendo, quominus effectum tunc consequatur.

16 Pœnitentia imperata, & acceptata, ob causam mutari potest ab eodem Confessario, vel altero. Nec est omnino improbabile, id fieri posse, tametsi peccata non repetantur.

17 Qui impotens factus est pœnitentiæ exequendæ, omnino liberatus est.

NOtandum primò: Satisfactio, si strictè ac propriè 1
accipiatur, aliud non est, quàm iniuriæ compensatio, quatenus ea à damno distinguitur. Quare differt satisfactio à restitutione, quæ propriè est *damni compensatio.* Et restitutio quidem consistit in rebus: quia per eam res alicui ablata vel eadem, vel in æquiualente redditur: satisfactio autem potiùs in actionibus consistit: quia per eam iniuria in personam redundans, contraria actione v.g. humili petitione veniæ, subiectione, & honoris exhibitione compensatur. Ita docet Bellarm. lib. 4. de pœnit. c. 1. Suarez p. 3. t. 4. disp. 37. in princip.

Notandum secundò: Peccatis nostris Deo nullum damnum propriè inferre possumus: quare nec restitutioni erga Deum locus esse potest, sicuti notauit Molin. tr. 2. t. 3. poster. disp. [illegible]. Attamen iniuriam Deo peccatis irrogamus, & amicitiam eius lædimus: adeóque pro

pro hac offensa satisfacere ei oportet. Et quidem per peccatum mortale adeo offendimus, vt Dei inimici constituamur, ac pœna æterna digni reddamur. Cùm enim peccatum mortale infinitam malitiam contineat, quatenus Deo infinitè bono repugnat, ideo meretur pœnam, quæ sine fine, seu æterna est. Hæc etiam causa est, quòd pro culpa mortali, eique correspondente pœ-
2 na æterna, Deo ex condigno satisfacere nunquam possimus: sed solùm ex congruo, quatenus misericordissimus Deus, ob Christi merita, peccatoris pœnitentiam siue animi conuersionem, ad culpæ mortalis destructionem acceptat, nósque in gratiam suam recipit, & reatum pœnæ æternæ gratis remittit, sicuti suprà explicaui c. 1. & docet Bellarm. l. c.

Posset quidem Deus verè pœnitentib. vniuersum pœnæ debitum remittere, & condonare: sicuti solet ijs, qui per Baptismum renouatur, vel martyrium pro ipso subeunt: verùm non ita per pœnitentiam peccata semper remitti, vt vniuersa etiam pœna condonetur: sed ita frequentiùs, vt temporaria aliqua pœna pro peccatis seu hac, seu in altera vita luenda restet, illustria sunt sacræ Scripturæ exempla: Patrum quoque auctoritas, & Ecclesiæ vniuersæ persuasio ostendunt. Nam, *& diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur*, ait Trid. sess. 14. c. 8. *vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui antè Baptismum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui semel à peccati, & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non reformidârint. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione peccata dimittantur: vt occasione accepta peccata leuiora putantes, veluti iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur.* Quemadmodum etiam in humanis, qui virum Principem graui iniuria affecit, interdum humili pœnitudine, prece, & exhibitione amoris veniam delicti impetrat, & in gratiam seu amicitiam recipitur, condonatâ illi mortis commeritæ pœnâ: attamen, vt iustitiæ etiam publicæ satis fiat pœna illa mortis in aliam mitiorem, temporariam commutatur. Imò hoc ordinarium est, vt si Princeps, post latam sententiam mortis, Reo gratiam se præstare dicat, solùm censeatur tollere mortis pœnam: non item pecuniariam, & similes, sicuti docet Molina tract. 3. de iust. disp. 48. num. 10.

Nunc afferemus quædam SS. Patrum testimonia, quibus hæc veritas confirmatur. Imprimis eam docuit, Dauidis exemplo, S. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone: *Si viro tanto antè non est noxa remissa, quàm pœnitentiam egit: ac demum cùm tantopere fleuit, & res tantas fecit, magnus iste Rex, & vnctus Propheta: quam tandem impurissimi, & nullius mentis, comploratique adeò homines, nisi lamentati fuerint, planxerint, & pœnitentiam egerint, spem habere possunt, non imputatum illis iri peccatum à Domino?* Et egregiè S. August. in psal. 50. *Ignoscis Domine, confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita seruatur misericordia, & veritas.* Et S. Greg. I. lib. 9. moral. c. 27. *Delinquenti Dominus nequaquam parcit: quia delictum sine vltione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic Dauid audire post confessionem meruit, Dominus transtulit peccatum tuum. Et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit.* Et in 1. Reg. c. 15. ait: *Non solùm confitenda sunt peccata: sed etiam pœnitentiæ austeritate diluenda.*

Idem docuit Zachæi exemplo S. Irenæus lib. 4. aduersus hæres. c. 26. *Quod ea, quæ possidentur, pauperibus diuisa solutionem faciunt peccatorum præteritæ turpitudinis Zacchæus facit manifestum, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, &c. Et S. Chrysost. in orat. de B. Philogonio: *Quibus rebus prouocasti Deum, per has rursum facito propitium. Prouocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia: cùmque ea rapta restitueris illis, quos iniuria affeceras, & alias insuper addideris, dicito iuxta Zacchæum: Reddo, si quid rapui, quadruplum.*

Tertull. in lib. de pœnit. c. 6. *Quàm ineptum, pœnitentiã non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, prætium non exhibere, ad mercem manum emittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* Et cap. 9. *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur: pœnitentia Deus placatur.*

S. Cypr. lib. 3. epist. 14. *Hæc* (remedia pœnitentiæ) *qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros: vt qui possunt agentes pœnitentiam veram Deo Patri misericordi precib. & operib. suis satisfacere, seducantur, vt magis pereant.* Et de lapsis prope finem: *Sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat* post lapsum. *Qui autem pœnitentiam criminis tollunt satisfactionis viam claudunt: ita fit, vt dum temeritate quorundam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes veræ salutis adimatur.* Et infrà: *Deus quantùm patris pietate indulgens, tantùm iudicis maiestate metuendus est. Quàm magna deliquimus, tam granitèr defleamus. Alto vulneri diligens, & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit: Putásne Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti*, &c. *Orare oportet impensius, diem luctu transigere*, &c. *post indumentum Christi perditum, nullum hîc iam velle vestitum, post Diaboli cibum, malle ieiunium: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberentur.*

Origenes super librum Iudicum homil. 3. *Vide benignum Dominum, misericordiam cum seueritate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clementi libratione pensantẽ. Non in perpetuum tradit delinquentes: sed quanto tempore deliquisti, tanto humilia teipsum Deo, & satisfacito ei in confessione peccati.* Et super Leuiticum, vbi ait peccatum redimi posse. *Si tamen inuenerit manus pretium quod restituat: Quale pretium? pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inuentum.*

Lactantius lib. 4. diuinar. institut. c. 17. *Pœnitentiam nobis Deus in circumcisione*, figura quadam *proposuit, vt si cor nudauerimus, id est, peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem sicut homo, sed intima & arcana pectoris intuetur.*

S. Basilius hom. 3. in dictum illud, Attende tibi ipsi. *Attente tibi ipsi, vt pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est, & graue peccatum: multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur pœnitentia.* Vide eundem hom. 14. ad populum de ebrietate.

S. Greg. Nazianz. orat. 16. de pauperum amore; *Purgemur per misericordiæ officia, labesque, & sordes animæ pulchra illa herba extergamus, ac dealbemur, alij vt lana, alij vt nix, pro misericordiæ videlicet proportione.*

S. Ambros. de Helia, & ieiunio, c. 20. *Pecuniam habes: redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus: sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. Eleemosyna, inquit, à peccato liberat.* Et alibi, *Redemptio viri diuitiæ eius.* Vide eundem in ser. 15. de Natiuit. Domini.

S. Hieron. in epitaph. Paulæ ad Eustochium: *Affligendum corpus, quod multis vacauit delitiis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia lineamenta, & serica pretiosa asperitate cilicij commutanda.* Vide eundem in epitaph. Fabiolæ ad Oceanum.

S. Chrysost. concl. 4. de Lazaro: *Vt igitur pœnas non demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, vitamq;*

explicet: cunctisque commissis diligenter excussis, condemnet animam, quæ hæc patrauit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque suam ipsius mentem, supplicium à se ipso exigat pro peccatis per condemnationem, per diligentem actā pœnitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium per eleemosynam, per continentiam, ac charitatem: vt possimus omnes omni modo hîc depositis peccatis, multa cum fiducia illuc proficisci.

S. August. in psal. 44. *Puniendum est peccatum: si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præueni illum* (Deum) *non vis vt ipse puniat, tu puni.* Et paulo post: *Conuerte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt illa ignoscat.* Et hom. vlt. ex 50. prope finem: *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere: nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* Vide eundem in enchir. ad Laurent. c. 66. 70. & serm. 57. de tempore.

Gennadius de Ecclesiast. dogmat. c. 53. *Quem mortalia crimina post Baptismum commissum grauant, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere: sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus.*

Auctor de vera & falsa pœnit. c. 18. *Si sic conuersus peccator euadat, vita viuat, & non moriatur; non tamen promittimus, quòd euadat omnem pœnam. Nam priùs purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro tamen modo est grauis: excellit omnem pœnam, quam vnquam passus est aliquis. Nunquā in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabilia passi sint Martyres tormenta: & multi nequiter iniqui tanta sustinuerint supplicia. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat talē pœnam tolerare. Quædam enim peccata sunt, quæ sunt mortalia & in pœnitentia fiunt venialia: non tamen statim sanata.*

Isychius lib. 2. in Leuitic. c. 6. in illa verba, Quicquid tetigerit carnes hostiæ pro peccatis, sanctificabitur: *Carnes pœnitentiæ intelligimus ieiunium, vigilias, cilicinum vestimentum, cum lacrymis orationem, eleemosynam: ex his enim consistit pœnitentia, quæ qui tangit, sanctificabitur.*

Huic clarissimæ antiquorum Patrum doctrinæ è diametro repugnant huius temporis hæretici, quando negant, opera bona iustorum pro commissis peccatis satisfactoria esse apud Deum: imò aiunt, talem satisfactionem cedere in iniuriam Christi Domini, quippe qui plenè pro peccatis omnium satisfecerit: Igitur quantūcumque homo peccauerit, credat modò peccata sibi remitti, vel potiùs non imputari propter Christum: & nihil ipsi nocitura esse. Quis autem sanę mentis homo nuper exortis, paucis, obscuris istis homuncionibus fidem habeat? post habitis antiquorum Patrum clarissimis testimonijs, derelicta totius Christiani orbis præiudicata sententia de operibus iustorum satisfaciendi pro peccatis vim habentibus, ex Christi procul dubio meritis, & passionis eius influente virtute.

4 Notandum est tertiò: Pœna temporalis ignis purgatorij, quatenus à Deo iustissimo iudice pro peccatis in altera vita infligitur, est effectus iustitiæ vindicatiuæ: quatenus verò per eam animæ affliguntur, non est propriè satisfactio, sed satispassio: quia animæ ibi sunt extra statum merendi, & satisfaciendi: quamobrem non attenditur earum dispositio, patiendi voluntas, & ardentissima charitas: sed solùm attenditur quantitas peccatorum, nondum expiatorum: quibus secundùm diuinæ voluntatis dispositionem pœna commensurata infligitur. Cæterùm homines in hac vita, si iusti sint, sicuti bonis operibus gratiæ augmentum, & præmium æternum per Christi merita ex condigno mereri possunt: ita etiam pro pœna temporali in purgatorio luenda ex condigno satisfacere, sicuti indicat Conc. Trid. sess. 14. cap. 13. & docet S. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 2. q. 1. Rich. ibidem a. 1. q. 2. Duran. q. 1. quantùm ad 1. S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 20. Molina cit. disp. 715. vbi is notat hanc satisfactionē reduci ad iustitiam commutatiuam: quia supposità Dei promissione, & acceptatione, opus bonum, quod viator in statu merendi, ac satisfaciendi existens, exibet, est aliquo modo æquiualens pœnæ in altera vita luendæ. nā etsi labor ipse, ac difficultas operis in hac vita exhibiti, longè minor sit pœnâ in altera vita luendâ: tamen considerato statu operantis, & liberè se in hac vita subijcientis Deo, longè maiorem vim habet pro peccatis satisfaciendi, ex Dei gratia, & Christi meritis, vti explicat Trident. cit. c. 8.

Notandum quartò: Licet opera bona iustorum per se habeant virtutem satisfaciendi pro pœna temporali peccatis nostris debita, sicuti hactenus explicaui: longè tamen magis, & certiùs satisfactoria sunt, quatenus ex Christi institutione à Sacerdote peccatori pręcipiuntur in eum finem, vt per opera imposita virtute sacramenti peccatum etiam secundùm pœnæ reatum destruatur. Ita docet S. Th. in 4. d. 17. q. 2. a. 5. q. 1. Bonau. d. 18. p. 1. a. 2. q. 2. ibid. Rich. a. 2. q. 2. Palud. d. 20. q. 2. Suar. dis. 38. s. 2. Imò & S. Greg. Lin lib. 5. Regum, in 1. c. *Actio pœnitentiæ ad delenda peccata idonea est, cùm Sacerdotis fuerit iudicio imperata: cùm ab eo confitentium actibus discussis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis.* 4

His annotatis, Quæstio Prima est: Vtrum Confessarius pœnitentiæ opus confitenti iniungere debeat? Responsio est affirmatiua, expressa in Trid. cit. sess. 14. c. 8. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentiū facultate, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis peccatis iniungendo, alienorum peccatorū participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum: sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: nam claues Sacerdotum non ad soluendum tantùm, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, & docent.*

His adde, Concilium Carthag. 4. can. 74. *Sacerdos pœnitentiam* (id est, sacramentum Pœnitentiæ) *imploranti, absque acceptione personæ, pœnitentiæ leges iniungat.*

Concil. Cabilonense 1. can. 8. to. 2. Concil. *De pœnitentia peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus: & vt pœnitentibus à Sacerdotibus* (factâ Confessione) *indicatur pœnitentia, vniuersitas Sacerdotum noscitur consentire.*

Cabilon. 2. can. 34. vbi præcipitur, vt Sacerdos pœnitentiam imperet non secundùm acceptionem personarum, sed vt bonus medicus, inspecta grauitate morbi *& sicuti in sacris canonibus inuenerit: aut ipsi secundùm sacrarum Scripturarum auctoritatem, & Ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & mortificatione corporis.*

Concil. Moguntiacum cap. 12. *Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentiæ, vt Sacerdotes certius intelligerent, quomodo Confessiones recipere, & pœnitentiam, secundum canonicam institutionem, pœnitentibus deberent indicare.*

Leonem I. epist. 91. ad Theodorum: *Christus Iesu hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentis* (id est sacramentum Pœnitentiæ) *darent: & salubri satisfactione purgatos, ad Communionem sacramentorum ianuam reconciliationis admitterent.*

Quo loco annotari potest; Non solùm in publica, sed etiam

etiam in priuata pœnitentia, seu Confessione grauium peccatorum olim consuetum fuisse, vt à sacra Communione arbitrio Sacerdotis pœnitentes arcerentur, donec Deo per iniuncta opera satisfecissent; sicuti etiam indicat Gennad. de Ecclesiast. dogmatibus, cap. 53. Auctor de vera & falsa pœnit. capite. 15. vbi de confitente apud Sacerdotem peccata, ait; *Caueat præterita, quem vera delectat pœnitentia; nec priùs ad Domini corpus accedat, quàm confortetur bona conscientia.* Quamobrem ipsemet Leo primò in citat. epistola, distinguit præsidium pœnitentiæ, id est, absolutionis sacramentalis, & præsidium reconciliationis, seu admissionis ad gratiam Communionis; aitque hanc ordinariè concedendam non esse, nisi salubri satisfactione purgatis; at verò in casu necessitatis, seu instantis periculi, sine mora & pœnitentiam, & reconciliationem seu Communionis gratiam impertiendam.

Quibuscum consentit sanct. Augustin. epist. 118. ad Ianuar. cap. 3. vbi fidelem ita loquentem introducit: *Si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, vt medicamenta* sacræ Eucharistiæ *differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari*, id est, iterum admitti. *Hoc enim est indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam; non vt arbitrio suo sit liber, vel auferat se Communioni, vel reddat. Cæterùm si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare.* Loquitur autem de excommunicatione, quam quis spectato rigore disciplinæ Christianæ, ob quoduis crimen mortale, præsertim scandalosum, meretur, secundùm Apostolus primus ad Corinth. 5. *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere*, vti idem Augustinus scribit libro homil. 50. homilia vltim. capite 4. in enchirid. ad Laurent. c. 65. & lib. 3. contra epist. Parmeniani, c. 2.

Tametsi verò hæc disciplinæ seueritas multis etiam olim locis exoleuerit; tamen in Monasterijs retenta est, vt apertè significat Cassinus libro secundo institut. capite. 16. & sanctus Benedictus in regula, c. 24. *Secundùm modum culpæ, & excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura. Si frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur; vsque dum satisfactione congruã veniã consequatur.* Et cap. 25. *Is frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab oratorio.*

Porrò ex suprà dictis colligitur primò; Duas ob causas pœnitentiam à Sacerdote confitẽtibus decernendam esse, vti bene docet Duran. in 4. d. 20. q. 1. n. 4. Prima: Quia Pœnitentiæ sacramentum habet se per modum iudicij: ideo Sacerdos, qui Dei personam repræsentans iudicium istud exercet, pœnam aliquam seu vindictã peccatorum decernere debet, vt iustitiæ satisfiat. Secunda: Quia sacramentum hoc habet se per modum medicinæ: est enim vindicta salutaris, curans morbos, & vulnera peccatorum, atque præseruans à recidiua. Ad hanc autem curationem opera satisfactionis accõmodata sunt. Conuenit enim morbos remedijs cõtrarijs tollere, calidos frigidis, frigidos calidis. Atqui homo per peccatum affectui suo contra Dei voluntatem indulsit: per opera autem satisfactoria affectui suo, ob Dei honorem, repugnat, molestiámque infert. Quare operam dare Sacerdos debet, quatenus commodè fieri potest, conuenientes medicinas siue satisfactiones, spectatã peccatorum qualitate, imperet: tepidis orationem, iniustis eleemosynam; intemperantibus ieiunium, aliámve carnis afflictionem.

6 Colligitur secundò: Non tantùm esse consultum, sed etiam præceptum Sacerdotibus, vt suis confitentibus, si fieri possit, pœnitentiã aliquam imperent; consequenter ipsos confitentes obligari ad eam, si iusta sit, acceptandã, & implendam. Priorem partem indicat Conc. Trid. cit. sess. 14. c. 8. & probat, quia claues Sacerdotibus non tantùm ad soluendum, sed etiam ad ligandum datę sunt. Ratio verò peti debet ex eo, quòd satisfactio sit pars sacramenti integralis, pertinens ad plenam peccati destructionem. Posterior pars probatur: Si enim Sacerdos potestatem habet pœnitentem ligandi, seu obligandi ad opus pœnitentiæ implendum: consequens est, quòd pœnitens ipsi obedire teneatur, sicuti significat etiam Conc. Lateran. c. omnis vtriusque: de pœnit. & remiss. Florent. in decr. Eugenij, Salegunstadiense c. 18. to. 3. Conc. & docet S. Leo I. epist. 89. aliàs 91. ad Theodorum Episc. relatus in c. multiplex, d. 1. de pœnit. Palud. in 4. d. 17. q. 2. a. 1. Sotus d. 20. q. 2. a. 2. Vict. n. 209. Tolet. lib. 3. c. 9. Viualdus de satisfact. n. 33. Suar. disp. 38. s. 7. Quamuis contrarium senserint Caiet. to. 2. opusc. de satisfact. pœn. q. 2. Syl. ver. Confessio, 1. q. 25. Med. q. 41. C. de confess. Beia p. 3. casu 3. dub. 2. Nau. in c. consideret, §. cautus, d. 5. de pœnit. & in man. c. 26. n. 20. vbi ait: *Video in Vrbe, & in orbe receptum, ne cuiquam denegetur absolutio, eò solo quòd nolit acceptare pœnitentiam iniunctam.* Fundamentum est, quia nemo in hac vita pro peccatis suis satisfacere tenetur: sed in purgatorium secundùm Dei voluntatem, ac iustitiam expianda transmittere potest. Quæ sententia, licet ob DD. auctoritatem probabilis videri possit: mihi tamen nullo modo placet. Nam positã institutione sacramenti Pœnitentiæ, ad eius integritatem, ac perfectionem spectat, Deo pro peccatis commissis ex Sacerdotis imperio satisfacere: quod etiam Concilia, & Ecclesiæ traditio confirmare videtur. Ad id verò in praxi inseruire poterit sententia Nauar. vt Confessarius nunquam dimittat pœnitentes sine absolutione, si parati sint aliquam, quantumuis leuiorem, quàm peccata merentur, pœnitentiam acceptare, vti bene notat Scot. in 4. d. 19. §. ad quæstionem motam.

Duo hîc addo I. Si pœnitentiã confitenti nimis grauis ac difficilis videatur: neque Confessarius eam moderari, vel mutare velit: tunc pœnitus saltem grauiter non peccabit, si non acceptã absolutione, discedat, & alterius Sacerdotis iudicio, explicata ipsi peccatorum Confessione, subijciat, sicuti notauit Suar. disp. 38. s. 7. n 4. Coninck disp. 10. dub. 9. num. 80.

Licet obligatio implendi pœnitentiam legitimè imperatam ex genere suo grauis, & sub mortali peccato sit, tamen ob materię leuitatẽ efficitur leuis, eiusque transgressio venialis: vt si quis exiguam pœnitentiam, aut partem pœnitentiæ, absque cõtemptu, implere intermittat. 7

Addit verò Suar. disp. 38. s. 7. n 4. Etsi pœnitentia grauis, sed ob venialia tantùm peccata imposita sit (quod interdum rectè fieri potest, ne pœnitens multorum venialium transgressionem leuiter æstimans, maiori periculo exponatur) eius omissionem non trãscendere culpam venialem: licet contrarium sentiat Henriq. lib. 5. c. 20 n. 81. Sed placet prior sententia: quia durũ videtur fateri, tametsi culpa contracta leuis sit, tamen obligationẽ pro ea satisfaciendi grauem effici posse, per se loquendo. Nam per accidens id fieri posse non nego: si alioquin homo versetur in probabili periculo peccandi mortaliter, nisi remedia pœnitentiæ ipsi imperata exequatur. Similiter durum videtur dicere, posteaquam homo peccata mortalia semel confessus est, & iniunctam pœnitentiam impleuit, si iterum eadem peccata libera voluntate confiteatur, quòd nouam obligationem satisfaciendi sub culpa mortali contrahat.

Colligitur tertiò, Pœnitentiam rectiùs à Sacerdote decerni ante absolutionem à peccatis, quàm postea. Ita ex communi Syl. ver. Confessor, princ. Nau. c. 26. n. 10. Suar. disp. 38. s. 3. in fine. Beia cit. casu. 3. dub. 1. Gl. in Clem. dudũ, §. statuimus, ver. audire, de sepultur. Primò, vt omnes partes sacramẽti materiales subijciantur Sa-

cerdotis absolutioni, tanquam parti formali. Secundò, vt ordo iudicij, & iustitiæ vindicatiuæ meliùs seruetur, si pœnitens satisfactionem priùs spondeat, quàm absoluatur.

9 QVÆSTIO SECVNDA. Qualem, & quantam pœnitentiam Sacerdos imponere debeat? Respondeo, & dico I. Bonum opus, quod à Confessario imponitur, oportet esse pœnale, seu afflictiuum: quia tendere debet ad criminis vindictam, & affectus exorbitantis refrænationem. Etsi verò omne opus bonum, etiam internæ charitatis, orationis ad Deum, aliquo modo laboriosum est homini, considerato, quatenus post peccatũ Adami, amissâ originali iustitiâ, ad inferiora & terrena inclinatam naturam habet; attamen opera externa, vt oratio vocalis, cum genuum flexione, manuum expansione, ieiunium, & eleemosyna, & alia eiusmodi, quibus corpus affligitur, magis laboriosa & afflictiua sunt: ideóq; cæteris paribus, magis satisfactoria: quare plerumque etiam talia à Confessario imperãda. Vide Halens. in 4. q. 84. mem. 2. a. 2. S. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 4. q. 1. ibid. S. Bonau. a. 1. q. 4. Rich. a. 1. q. 3. Duran. q. 5. Adrian. in 4. de satisfact. q. vlt. Sotum in 4. d. 19. q. 2. a. 1. Suar. disp. 38. s. 6. Interdum tamen, considerato pœnitentis statu, expedire videtur, vt ipsi interna aliqua pia meditatio imponatur, v. g. vt quotidie, cùm è lecto surrexit, vel antequam se noctu cubitum confert de præsentia Dei cogitet, omnes actiones nostras intuentis: vel de morte certissimò sibi euentura: de Iudicio Dei, quod effugere non potest: & simul eliciat dolorem de peccatis in Deum commissis, cum proposito emendationis. Qua de re legi potest Petr. Sotus de ratione medendi peccatis lect. 6.

10 Deinde magis cõuenit opus, quod à Confessario præcipitur, esse supererogationis, & non positum in præcepto: vt pœnitenti nouam obligationem, ac difficultatem adferat: qua de re Nau. in c. 1. princ. n. 40. & seqq. d. 6. de pœnit. Quare si Confessarius ieiunium v. g. aut Missæ auditionem imperauit, tenetur pœnitens ieiunare, vel Missam audire, cùm nulla lege Ecclesiæ, aut proprij voti obligatus est, vti docet Adrian. in 4. vbi de satisfact. §. Quæritur circa prædicta. Nau. c. 26. n. 23. Henriq. lib. 5. c. 21. n. 3. Suar. disp. 28. s. 9. Excepto, si ex verbis Confessarij, vel rei circumstantijs contrarium colligi possit: puta, si Confessarius præcipiat, vt diebus festis duæ Missæ audiantur: intelligendus est Missam, quæ in præcepto est, etiam comprehendere velle, sicuti notauit Coninck disput. 10. dub. 8. num. 69. Deinde, si cui certa eleemosyna iniuncta fuit, is satisfacit etiam dando extremè indigenti, tametsi ex lege charitatis alioquin obligatus sit, sicut contra Palud. in 4. distinct. 14. quæst. 1. a. 2. docent Adrian. loco cit. Viualdus in Candelabro de satisfact. num. 10. Quia cùm casus iste extraordinarius, sit, & rarò contingens, non videtur Confessarius eum excludere voluisse: ne alioquin pœnitens nimis fortasse grauetur, si, eo eueniente, duplicem eleemosynam dare cogatur.

Notant etiam Doctores, interdum, ob pœnitentis fragilitatem consultius fore, opus alioquin præceptum ipsi imperare. Veluti, si Confessarius nactus sit hominem Ecclesiæ præcepta non obseruantem: iniungat ei, vt vsque ad proximam Confessionem stata Ecclesiæ ieiunia obseruet, festis diebus Missam audiat. Si enim, vt aliqui solent, tali homini imperes, vt deinceps duas Missas festis diebus audiat, difficilè obtemperabit, qui antea neque vnam audire solitus fuit.

Denique magis conuenit opus bonum imperari, quod ab ipso pœnitente præstandum sit: videlicet, vt ipsemet oret, ieiunet, peregrinetur, eleemosynam ex proprijs largiatur. Quare si eiusmodi opus exequi nõ possit, liberatur obligatione: neque tenetur alium rogare, aut substituere, qui exequatur. Interdum tamen personis debilibus, vel morituris iniungi potest, vt curent ab alijs pro tali v. g. necessitate orari, peregrinationem institui: tunc verò non opus illud, quod ab alijs perficitur, sed ipsa operis procuratio, quæ à pœnitente non sine aliquo labore, vel sumptu fit, pœnitentiæ sacramentalis rationem habet.

Dico II. Confessarius pœnitentiam designaturus, ad duo attendere debet: peccatorum magnitudinem, & 11
pœnitentis dispositionem. Ita Trident. sess. 14. cap. 8. Palud. in 4. distinct. 20. q. 2. a. 1. Sotus ibid. quæst. 2. a. 3. Nauar. cap. 26. num. 18. 20. & in cap. mensuram, num. 5. & 6. d. 1. de pœnit. Henriq. lib. 5. cap. 21. num. 1. Suarez disp. 38. s. 4. num. 4. Quapropter si pœnitens, vel probabili allata causa, de pœnitentiæ grauitate conqueratur, plerumque eam moderari, vel aliam leuiorem decernere oportet, sicuti præter alios monet Nau. cit. c. mensuram, num. 9. Io. Gerson p. 2. operum in regul. moral. *Tutius est*, inquit, *cum parua pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verisimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quàm cum magna non implenda, præcipitare in infernum.* Verùm ne confitens, ob pœnitentiæ leuitatem, peccata sua leuiùs æstimare possit, monendus erit à Confessario, pœnitentiam non esse commensuratam delictis: quare ipsemet sponte exerceat bona opera in satisfactionem pro peccatis, quæ etiam virtute clauium sacramentalium eleuantur, vt ex opere operato pœnam delere possint, sicuti, explicat Palud. in 4. distinct. 20. q. 2. & videri potest Nauar. cap. 1. princ. num. 33. & 52. dist. 6. de pœnit & in man. cap. 26. num. 22. & 24. vbi monet, Confessarium eiusmodi homini fragili pœnitentiam imperare posse non præceptiuè, sed consultiuè.

Caueat autem Confessarius, ne incongruas pœnitentias imponat; v. g. pauperi, vel filio fam. eleemosynas; operarijs, vel debilibus personis ieiunia: mulieribus longas peregrinationes: valde occupatis multas preces. Qua de re Scotus in 4. dist. 17. q. 1. Nauar. ll. cc. Item, ne talem pœnitentiam, v. g. grauia ieiunia, aut peregrinationes iniungat, vnde coniunx, aut alij domestici suspicionem commissi criminis concipere possint, vti notauit S. Anton. p. 3. tit. 17. cap. 10. §. 10. Nau. cit. c. mensuram, num. 6. & in c. Sacerdos, num. 103. d. 6. de pœnit. Henriq. cit. c. 21. num. 6. Rudibus, & obliuiosis: ac valde occupatis consultum non est imperare preces quotidianas vnius anni, aut mensis; sed interdum sub conditione, *quotiescunque in hanc peccati speciem incideris, recites talem orationem*: multum enim id momenti habet ad peccati emendationem. de quo Nau. cit. cap. 26. man. num. 25. Henriq. n. 1. Hominibus verò studiosis, & quibus orandi tempus suppetit, interdum expediens est quotidianam orationem, vel Missæ auditionem, præsertim vsque ad sequentem Confessionem, præcipere: vt peccatorum suorum frequenter memores, citiùs per dolorem satisfaciant; vel certè ad remedium sacræ Confessionis iteratò confugiant. Consultum tamen interim est, non ita restringere, quin licentia detur, si vna die opus pœnitentiæ prætermissum fuerit, altera die duplicandi, sicuti monet etiam Nau. cap. 26. num. 20. Denique non facilè pœnitenti permitti debet, vt voueat, vel iuret, se imposterum non admissurum tale peccatum, sicuti monet Nau. in fine cap. 26. argument. cap. Clericos, de cohabit. cleric. & mulierum. Neque etiam à Confessario imperari potest pœnitenti, vt Religionem profiteatur, vti ex communi docet Syluest. verb. Confessio, 1. quæstione. 28. Henriquez loco cit. Quia sicuti matrimonium carnale, ita etiam spirituale liberæ electionis esse debet. Quamobrem, cùm in sacris canonibus aliqui ob crimen iubentur in monasterium detrudi, intelligi non debet, vt profiteãtur: sed vt opera pœnitentiæ in claustro peragãt.

Dico III. Plures causæ sunt, ob quas leuior pœnitentia, quàm alioquin peccata mereantur, Sacerdos iniungere

iniungere debeat, de quibus Supplem. S. Th. q. 18. a. 4. Sotus l. cit. Nau. c. 26. n. 21. Henriq. n. 2. Tol. lib. 3. c. 11. Prima eſt, Infirma pœnitentis diſpoſitio, ſeu corporis, ſeu animi; ob quam timetur maiorem non impletură eſſe. Secunda, Magnitudo, contritionis, quippe quæ per ſeipſam pœnā peccati abolere poteſt. Tertia, Tempus iubilæi, vel alterius indulgentię plenariæ: tunc enim non cogitur pœnitens, niſi leuiorem pœnitentiam acceptare, quæ ſe habeat per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias, ſicuti notauit Suarez diſp. 38. ſect. 10. num. 10. & diſp. 50. ſect. 2. num. 7. Henriquez
13 lib. 7. c. 17. num. 2. Quartò, propter infirmitatem: in qua tamen pœnitentia iniūgi debet præſtanda ab infirmo, ſi conualuerit, vti habetur apud Auctorem de viſit. infirmorum lib. 2. in fine, to. 9. S. Auguſt. & in c. 1. cauſa 26. quæſt. 7. quod ſumptum eſt Theodoro Cantuarienſi in ſuo pœnitentiali: *Ab infirmis in periculo mortis pura eſt inquirenda confeſsio peccatorum, non tamen illis imponenda eſt quantitas pœnitentiæ, ſed innoteſcenda*, id eſt, faciendum, vt eis innoteſcat: quia, vt poſtea ſubiungitur, *ſi diuinitus ereptus conualuerit, pœnitentiæ modum à Sacerdote ſibi impoſitum diligenter obſeruet.* Videri poſſunt Scholaſtici cum Magiſtro in 4. diſt. 20. Sin deſperata ſalus ſit, vt plus à morituro præſtare non poſſit, expedit ei ſaltem hoc imperare, vt IESV nomen benedictum ore proferat, vel, ſi id non poſſit, mente concipiat. Deinde moneat illum Confeſſarius, vt pœnitentiæ loco, ipſam infirmitatem, & mortem impendentem Deo offerat in ſatisfactionem pro peccatis, item de bonis ſuis eleemoſynas largiatur, Sacrificia celebrari curet, &c. De quo vide Nauarrum cap. 26. num. 33. Quòd ſi, antea facto teſtamento, ad pias cauſas legauerat, cùm in mortali peccato conſtitutus ſatisfactionis incapax erat; ratificet tunc animo, Deóque illud ipſum offerat in ſatisfactionem, ſicuti monet Nauar. num. 36. Gabr. in canon. Miſſæ, lect. 58. §. circa quod duo, Ioan. Molanus tract. de pijs teſtament. cap. 48.

Illud verò improbatur, quod aliqui Confeſſarij ſolent circumſtantibus dicere, vt grauem pœnitentiam, quam moriturus præſtare non poteſt, ipſi pro eo expleant: cùm id contineat quandam ſigilli ſacramentalis violationem: ſufficit igitur circumſtantes generatim hortari, vt pro morituro orationes, & alia opera ſatisfactoria præſtent.

14 QVÆSTIO TERTIA. Quem effectum habeat opus pœnitentiæ à Confeſſario iniunctum, & quomodo impleri debeat? Reſpondeo, & dico I. Satisfactio ſiue impletio pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario ex opere operato, ſecundùm Chriſti inſtitutionem, remittit pœnam temporalem peccatis debitam. Colligitur ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. & docent DD. allegati ſuprà antè. 1. quæſt. huius cap. contra Sotum in 4. diſtinct. 19. quæſt. 1. a. 5. ver. Nihilominus. Nam ſatisfactio virtute clauium imperata, ac veluti eleuata, eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ integralis, à Chriſto inſtituta, vt per eam peccatum perfectè, & integre, videlicet quoad reſtantem etiam pœnam, deſtruatur. Ex quo tamen non ſequitur, quòd pœnitentia quæcunque omnem ſemper pœnam deleat; ſed tantò maiorem, quantò & ipſa maior, & pœnitens eam implens meliùs diſpoſitus eſt: ſicuti etiam ſacramenta eò maiorem gratiam ſanctificantem conferunt, quò meliùs ſuſcipiens diſpoſitus eſt. Vide Palud. de hac re in 4. diſtinct. 20. quæſt. 2. vbi etiam admonet, quòd multò plus valet modica pœnitentia à Sacerdote impoſita, quàm magna, quæ ſponte aſſumitur, quia hæc non ſicuti illa vim ſacramentalem habet. Quamobrem optandum eſt pœnitenti, vt non leuis ipſi pœnitentia imperetur.

Dico II. Peccatum veniale, quod aliquis implenda pœnitentia committit, non impedit effectum ſatisfactionis: vt ſi quis iniunctas preces negligenter oret, vel eleemoſynam cum vanæ gloriæ appetitu largiatur. Ita Coninck dub. 10. num. 88. Probatur ex eo, quòd ſuſcipiens ſacramentum cum affectu peccati venialis, fructus gratiæ particeps fiat, ſicuti ſuprà dixi tract. 4. cap. 6. num. 1. & hoc tract. cap. 4. num. 19. Ergo ſimili ratione implens pœnitentiā cum peccato veniali particeps efficitur remiſſionis pœnæ: ſiquidē neuter fructus prouenit ex virtute operātis: ſed ex opere operato ipſius ſacramenti.

Dico III. Qui opus bonum à Confeſſario imperatum implet in ſtatu peccati mortalis, is præcepto quidem Confeſſarij ſatisfacit; effectum tamen ſiue fructum ſatisfactionis non conſequitur, quamdiu in ſtatu peccati perſeuerat. Eſt communis doctrina apud Alenſem in 4. quæſt. 85. mem. 1. S. Th. alióſque DD. in 4. diſtinct. 16. Nauar. citat. cap. 1. princ. num. 45. diſt. 6. de pœnitent. & cap. 3. man. num. 7. Suarez ſect. 8. Henriq. lib. 5. cap. 20. num. 7. Coninck. dub. 11. Prior pars ex eo conſtat: Quia talis ſubſtantiam operis præcepti implet: modus autem operandi non cadere ſolet ſub præceptum. Si tamen Confeſſarius hoc ipſum imperauit, vt pœnitens ſtatim, antequam nouo peccato ſe aſtringat, pœnitentiæ opus impleat, obedire is quidem tenetur, tamen differendo (non admodum longo tempore) non videtur mortaliter peccare: quia ſubſtantiam præcepti ſeruat, licet accidentalem eius circumſtantiam violet. Poſterior pars probatur, contra Medinam Cod. de Confeſſ. q. 42. ver. eſto igitur: Tum quia, generatim loquendo, Deus non acceptat noſtram ſatisfactionem pro pœnis temporalibus, niſi ſimus in gratia eius conſtituti, ſicuti indicat Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. & docent DD. in 4. d. 15. vbi Rich. a. 1. q. 5. Adrian. in 4. de ſacram. pœnit. vbi de ſatisfact. tum quia remiſſio pœnæ temporalis eſt effectus ſecundarius ſacramenti Pœnitentiæ; ideo pendere videtur à perſiſtentia effectus principalis, qui eſt remiſſio culpæ per infuſionem gratię ſanctificantis. 15

Ex quo ſequitur, eſſe quandam irreuerentiam (ſaltem venialem inquit Suarez diſp. 38. ſ. 8. num. 7.) ſi quis pœnitentiam impleat in ſtatu mortalis peccati: quia ſacramenti aliquam partem indignè ſuſcipit, & ponit obicem conſequendi effectus, quæ eſt remiſſio pœnæ. Cæterùm probabile valde eſt, quòd remoto poſtea obice peccati mortalis, per nouam pœnitentiam, mox ex virtute ſacramenti per Chriſti merita ſequatur remiſſio pœnæ temporalis: vt proinde neceſſe non ſit, recuperato ſtatu gratiæ pœnitentiam repetere, quæ eſt ſententia Caiet. to. 1. opuſc. tr. 6. q. 2. Medinæ cit. q. 42. in fine, Beia p. 3. caſu 2. Tolet. lib. 3. c. 11. contra Alenſem mem. 2. a. 1. Sotum. d. 19. q. 1. a. 5.

QVÆSTIO QVARTA. Quiſnam pœnitentiam iniunctam commutare poſſit? Reſpondeo, & dico I. 16
Pœnitentia ſemel iniuncta non tantùm à Superiore, ſed etiam ab æquali, vel inferiore Sacerdote iuſta de cauſa in aliam, etiam minorem, commutari poteſt, ſi pœnitenti ad animæ ſalutem ita expedire videatur, & peccata reſeruata non ſint. Eſt cōmunis Syluest. ver. Confeſſio, quæſt. 27. Sa ver. ſatisfactio, num. 5. Henriquez lib. 5. cap. 22. num. 1. Suarez diſput. 38. ſect. 5. Valentiæ diſput. 7. quæſtion. 14. p. 4. Henriq. lib. 7. cap. 31. num. 8. contra Sotum diſtinct. 20. q. 2. a. 3. arbitrantem, quòd pœnitentia legitimè iniuncta ab alio Confeſſario mutari non poſſit; niſi is ſuperior ſit: ſed contrà eſt, quòd vnus Confeſſarius non ſit alteri ſubordinatus in poteſtate abſoluendi; ſicuti iudex inferior in foro externo ſubordinatur ſuperiori, qui proinde cauſam ad ſe aduocare, vel ad eum appellari poteſt: ſed omnes Sacerdotes in ordine ad eas perſonas, & ea peccata, in quæ iuriſdictionem habent, tanquam Chriſti Vicarij, & miniſtri iudicant; ac proinde in hac re æquales ſunt, vti notauit Coninck. diſp. 10. n. 99.

Dico II. Si idem Confessarius sit, qui pœnitentiam mutaturus est, memoria adhuc retinens statum pœnitentis, non erit necesse peccatorum Confessionem coram eo repetere; dummodo pœnitens ad tribunal eius recurrat, interposito tempore adeò breui, puta vnius diei, vt moraliter idem iudicium existimari possit, sicuti docent Sotus, Suarez, ConincK. ll. cc.

Dico III. Si alius sit Sacerdos, qui pœnitentiam mutare debeat; vel idem, sed non ampliùs retinens memoriam peccatorum, necessarium esse videtur Confessionem repetere & nouæ iudicis sententiæ se subijcere. Ita Syl. Sotus, Valentia, Suarez, ConincK ll. cc. Nam Iudex, præsertim subordinatus, qualis est Sacerdos Christi personam repræsentans, congruentem sententiã ferre non potest incognitâ causâ: impositio autem pœnitentiæ pertinet ad iudicialis sententiæ, & absolutionis integritatem: Ergo imponi debet cognitâ causâ, & secundùm qualitatem, ac mensuram delicti.

Accedit, quòd Confessarius de peccatis præteritis, quæ ipsi non explicantur, iudicium & absolutionem non ferat: consequenter nec satisfactio de talibus peccatis imposita iudicialis, & sacramentalis esse possit. Quare secundùm hanc probabiliorem sententiam repetenda quoque est Confessio: tametsi ab eodem Confessario, peccatorum memoriam retinente, sed interposito tempore longiore v. g. trium, vel quatuor dierum interuallo, pœnitentię commutatio postuletur. Cùm enim prioris sacramentalis Confessionis iudicium legitimè absolutum fuerit, & cum eo posterior pœnitentiæ impositio, ob temporis interuallum, nullum ordinem gerat: sequitur, non fore hanc pœnitentiam sacramentalem, seu pertinentem ad forum sacramenti pœnitentiæ, nisi de nouo sacramentalis Confessionis, & absolutionis iudicium instituatur.

Porrò, licet quæ duabus posterioribus assertionibus dicta sunt, sat solido fundamento niti videantur, quia tamen multi graues doctores, Nauarrus capite 26. numero 22. & libro 5. cons. 26. de pœnit. edit. 2. Victor. numero 211. Tol. lib. 3. cap. 11. numero 12. Viualdus de satisfactione, numero 37. Henriq. lib. 7. capite 31. num. 7. Sa ver. satisfactio, numero 5. Beia. p. 3. casu 1. expressè docent, alterum Confessarium ex iusta causa pœnitentiam mutare posse, etiam non auditâ Confessione peccatorum, ob quæ imposita fuerat, consequenter verò dicere coguntur, neque tunc peccatorum repetitione opus esse, si idem Confessarius, quamuis post temporis non modici interuallum, vel non ampliùs retinens memoriam factæ Confessionis, pœnitentiam mutaturus est; ideo hanc Doctorum sententiam, à pluribus in praxi frequentatam, Confessarius quisque sequi poterit; præsertim si pœnitens ad repetenda peccata difficilè induci posse videatur; vel si tempus id non patiatur.

Locuti autem sumus de pœnitentia, quæ à Sacerdote iustè imposita fuit. Sin verò constet clauem ab initio errasse, seu pœnitentiam iniustè impositam fuisse: tunc certum etiam est, pœnitentem ad eam non obligari, sed omnino liberum esse, vt commutatione nulla opus sit. Eadémque ratio est, si pœnitens implendæ pœnitentiæ impotens efficiatur: non enim tenetur loco illius aliud bonum opus præstare: cùm non alia, sed ea determinata actio: v. g. ieiunium, aut eleemosyna à Confessario imperata fuerit. Cognoscere autem, ac declarare, vtrum Confessor imponendo pœnitentiam errârit, ad quemuis virum probum, & doctum, ideóque etiam ipsum pœnitentem, si iudicio polleat, pertinere potest. 17

Sed quid? Si pœnitens oblitus sit, qualis pœnitentia iniuncta fuerit. Respondeo, Cessare etiam tunc obligationem implendi. Si tamen negligentia lata seu mortalis interuenit, necesse erit hoc peccatum confiteri. Veruntamen consultum est, vt qui pœnitentiam præsertim grauem oblitus fuit, culpatè, vel inculpatè, in proxima Confessione similem (videlicet talem, qualis pro grauibus peccatis decerni solet) à Confessario iniungi sibi petat. Ita docent Palud. in 4. distinctione 17. quæstione 5. articulo tertio in fine, Caietanus verb. Confessio iteranda, verb. Ex parte satisfactionis, GonincK citat. disputatione 10. dub. 9. numero 86. contra Richardus in 4. distinctione 17. articulo secundo, quæstione 8. ad 2. S. Antoninus parte tertia 14. capite 19. §. 19. vbi dicunt, quòd oblitus pœnitentiæ iniunctę peccata iterum confiteri teneatur.

FINIS.

TRACT.

TRACTACTVS SEPTIMVS.

DE

DE INDVLGENTIIS.

CAP. I.

QVID SIT INDVLGENTIA.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia est pœna temporalis Deo debitæ remißio, extra sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum.*

2 *Iustus in hac vita non solùm pro suis, sed etiam pro aliorum iustorum peccatis, ob charitatis vnionem, per Christi merita satisfacere potest.*

3 *Satisfactiones Sanctorum abundantes concurrunt ad indulgentiam, seu remißionem culpæ temporalis, per modum causæ particularis, & proximæ: at verò satisfactiones Christi per modum causæ vniuersalis, & primariæ.*

4 *Concessio indulgentiarum est actus Ecclesiasticæ voluntariæ iurisdictonis: quare ad illam non requiritur certus ordo, sed potestas iurisdictionis.*

5 *Indulgentiæ non nisi subditis conceduntur: exempti tamen participes se reddere possunt indulgentiarum episcopalium: & vnus Episcopus subditis suis facultatem dare potest lucrandi indulgentiam Episcopi alterius.*

6 *Indulgentia, cùm sit beneficium Principis nemini præiudicans, latè interpretandum est: modò constet de potestate, & sufficiente causa concedendi.*

In materia fauorabili nomine populi venit etiam Clerus: & nomine Cleri etiam Episcopus, ac Religiosi comprehensi censeantur.



INDVLGENTIA rectè definitur apud Henriq. lib. 7. cap. 1. num. 2. ex Clem. VI. in extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiss. Pœnæ temporalis Deo debitæ remissio, extra sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum. Pro cuius intellectu, notandum est primò: Etsi Christus, caput Ecclesiæ, & vniuersalis redemptor mundi, infinitè Deo Patri satisfecit pro peccatis omnium mortalibus, & venialibus; meruitq; nobis gratiam, & gloriã, teste Apost. ad Ephes. 2. & 3. tamen ex infinito isto thesauro meritorum, & satisfactionibus Christi, necesse est hominibus fieri efficacem applicationẽ: siue per ipsius Christi specialem intentionẽ: quo modo Lucæ c. 7. Mariæ Magdalenæ, & c. 22. Latroni peccata plenè remisit: seu per vsum sacramentorum, præsertim Baptismi, in quo omnis culpæ, ac pœnæ reatus extinguitur; seu deniq; per voluntatem Sum. Pontificis, tanquam Christi in terris Vicarij, ac dispensatoris generalis, conuenienter illi apud S. Mat. c. 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorũ: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Quæ verba cùm gratiam, & beneficium contineant, Ecclesiæ à supremo eius Principe, sine cuiusquam incommodo, concessa, in sua generalitate relinquenda, & nullo modo restringenda sunt, iuxta cap. olim. de verb. signif. l. beneficium ff. de constit. Princ. Quare ita argumentari licet. Omne vinculum, quo homo impeditur ab ingressu cœlorum, solui potest à sancto Petro, & successoribus eius, per potestatem à Christo concessam: Tale autem etiam est vinculum pœnæ temporalis, post remissionem culpæ, sæpenumero restantis: Ergo illud quoque vinculum à Pastore Ecclesiæ remitti potest, quam remissionem indulgentiam appellamus, iuxta c. quod autem, de pœnit. & remiss. iuncto c. indulgentiæ, eod. in 6. vbi Gl. ait. quòd *indulgentia quandoque pœnæ remißionem significat.*

Notandum secundò; Communis est Doctorum sententia: Quòd iustus in hac vita non solùm pro suis, sed etiam pro alterius iusti peccatis, ob charitatis vnionem, Deo satisfacere possit: si autem, dum opera satisfactoria exercent, ipsimet tali fructu non indigeant (vel quia non peccârunt, sicuti de B. Virgine certum est, & tradit Trident. sess. 6. de iustif. canon. 23. vel etsi peccârunt, tamen plus doloris, ac pœnitentiæ sustinuerunt, quàm pro peccatis merebantur, sicuti de quibusdam Martyribus, aliisque sanctis Dei dubitari non potest: cùm & Iob. cap. 6. id de seipso clarè testetur) at verò eiusmodi satisfactiones vel nemini speciali intentione applicent: vel illis applicent, qui fructus satisfactionis capaces non sunt: seu quia pro peccatis suis satisfecerunt, seu qui in peccato mortali constituti sunt; tali casu nemo dicere debet, satisfactiones inanes abire: sed potiùs ex liberalissima voluntate Christi magis propensi ad miserendum, quàm puniendum: ipsiúsque etiam iusti satisfacientis formali, aut virtuali intentione, fructum satisfactionum redundantium committi Ecclesiæ, vt in communi quasi thesauro eius repositus, per Christi Vicarium fidelibus dispensetur: Nam bona Communitatis, inquit S. Th. in 4. q. 20. q. 1. a. 3. quæstiun. 1. distribuuntur singulis è Communitate, secundùm arbitrium eius, qui Communitati præest. Videri etiam potest S. Bonau. in 4. d. 20. a. 1. quæst. 2. & 3. Palud. ibid. quæst. 4. a. 1. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 8. de indulg. Suarez t. 4. disp. 51. sect. 2. num. 1. Abb. in cap. quod autem, de pœnitent. & remiss. *Scire debes*, inquit, *quod ex effusione sanguinis Christi, & multis meritis Martyrum, & aliorum Sanctorum constituitur thesaurus Ecclesiæ, cuius potestatem habet Vicarius Christi. Nam minima gutta sanguinis Christi fuisset sufficiens ad redimendum totum mundum. Item, Martyres fuerunt hîc puniti vltrà, quàm eorum delicta meruerunt: vnde eorum merita* (intellige satisfactiones pro peccatis) *manserunt in Ecclesia vniuersali: quia sicuti nullum malum manet impunitum, ita nullum bonum irremuneratum.*

Notandum tertiò: Satisfactiones abundantes Sanctorũ tum viuorum, tum mortuorũ concurrunt ad indulgentiam seu remissionẽ pœnæ temporalis, per modũ causæ particularis, & proximæ: at verò satisfactiones Christi per modum causæ vniuersalis ac primariæ: si quidem satisfactiones Sanctorũ per se, atque intrinsecè dependent ab infinita Christi satisfactione, & ab ea om-

nem vim accipiunt. Neque verò ea in re quicquam derogatur Christi potentiæ, & satisfactioni: quid magis illustratur, quando tanta esse ostenditur, vt non solùm in se ipsa abundet, sed etiam in Sanctis, quibus per virtutem & motionem suam vti solet, tanquam instrumẽtis, ad hominum spiritualem salutem, sicuti bene explicat Henriq. l.7.c.2.in fine.

Deinde, licet satisfactiones Sanctorum per indulgẽtias in populum distributas minuantur, nunquam tamen eas exhauriri continget: quia nunquam in Ecclesia deerunt superabundantes satisfactiones iustorum: vel etsi ponamus exhauriri, abunde tamen sufficiens esset ad indulgentiarum cõcessionem sola satisfactio Christi: quia *sicut ille*, inquit Suarez cit. f.3. num. 14. *est vnicus redemptor: ita etiam est per se sufficiens sine adminiculo Sanctorum. Vnde licet, quando ipsi aliquid de suo conferunt, illud acceptet, & in hoc honorare velit Sanctos suos, & charitatem fidelium fouere: tamen si hæc subsidia desint, ab illis non pendet, sed per se sufficit ad omnia peccata delenda.*

4 Notandum quartò: Quòd concessio indulgentiæ facta à Prælato Ecclesiæ, actus est iurisdictionis voluntariæ: cùm sit gratia & beneficium: quippe liberalis condonatio pœnæ in purgatorio pro commissis peccatis sustinendæ: vel certè commutatio in leue aliquod opus, ex Dei misericordia. Hinc sequitur I. Quòd in conferente indulgentias non requiratur certus ordo, sed tantùm potestas spiritualis iurisdictionis ad ligandum, & soluendum, sicuti ex communi docet Caiet. t.1. opusc. tract. 15. de indulgentijs, ad Iulium Medicem, cap. 2. Syl. ver. indulgentia, num. 13. Sotus in 4. d. 21. quæst. 1. a. 4. Suarez disp. 49. f. 3. num. 3. Quamobrem Episcopus indulgentias potestati suæ ordinario iure competentes subditis concedere potest, cùm primùm confirmatus, etsi nondum consecratus, imò nec Sacerdos sit; sicuti ex communi docet Abb. super c. accedentibus, de excess. Prælator. Nauar. tract. de indulg. notab. 3. Corduba de indulg. q. 10. propos.

5 Sequitur II. Quòd indulgentiæ concedi non possunt, nisi subditis, sicut constat ex c. quod autem, de pœnit. & remiss. vbi ratio datur. Quia sicuti à iudice non suo ligari nemo potest, ita neque absolui. Exempti tamen participes fieri possunt indulgentiarum Episcopalium; cùm in ea re, sicuti & in dispensationibus votorum, iuramentorum, &c. subijcere se possint iurisdictioni Diœcesani sui: ne, quod ipsis gratiosè concessum est priuilegium exemptionis, in eorumdem dispendiũ cedat. Adde, quòd Episcopi, & quicunque Prælati suis subditis licentiã dare possint, vt ab alieno Episcopo datas indulgentias lucrentur. Denique ipse etiam Prælatus, puta Episcopus, aut Papa, cùm Communitati, cuius pars est, indulgentias largitur, non minùs, quàm alij, particeps, fieri potest, sicuti explicat Sotus citat. dist. 21. quæst. 2. art. 4. prope finem, & dixi lib. 1. tractat. 4. cap. 22. num. 31.

Sequitur III. Quòd ad indulgentias conferendas Prælatus à subditis cogi non potest; neque Prælatus eas conferre subditis inuitis. Nam hæc est conditio iurisdictionis voluntariæ, vt exerceatur inter volentes tantùm, sicuti constat ex l. 2. ff. de officio Proconsulis, iuncta Gl. ver. contentiosam. Quare ordinariè concedi solent indulgentiæ sub conditione alicuius operis voluntarij.

6 Sequitur IV. Quòd in dubio concessio indulgentiæ, cùm sit fauor & beneficium, in nullius detrimentum, sed plerumque in Communitatis spirituale commodũ cedens, latè interpretanda sit, seruatâ verborum proprietate, sicuti docet Suar. disput. 50. f. 2. num. 8. Coninck. t. 2. disp. 1. dub. 4. contra Palud. in 4. d. 20. quæst. 4. a. 3. Nau. in comment. de indulg. notab. 9. num. 8. Intelligitur autem hæc doctrina, si dubitetur tantùm de voluntate concedentis: vtrum voluerit dare indulgentiam amplam, vel restrictam secundum personas, temporis durationem, &c. vt benignior interpretatio fiat: modò constet de potestate, & sufficiente causa tam amplam indulgentiam concedendi: v. g. si Papa, vel Episcopus concedat indulgentiam alicui Ecclesiæ, intelligi deberet de perpetua, nisi restrictio facta fuisset per regulas Cancellariæ apud Nauar. loco cit. Item. indulgentia concessa populo Monachiensi, Clericis etiam conuenit: & concessa Clero, Episcopo, & Religiosis eius loci: quia in casu dubio, si sit materia fauorabilis, nomine populi venit etiam Clerus: & nomine Cleri etiam Episcopus, ac Religiosi: non item in materia odiosa, sicuti docet Syl. ver. Clericus, 1. num. 2. Sa num. 1. Armilla num. 2. &c. Verùm si dubitetur de potestate concedentis indulgentiam tam amplam, tum potiùs restringenda est: cùm alioquin periculum sit, ne iuri diuino derogetur, & per indiscretas indulgentias disciplina Ecclesiastica eneruetur, sicuti constat ex cap. cùm ex eo, de pœnit. & remiss. Trident. syn. sess. 25. in fine, decreto de indulgent. vbi in indulgentijs *concedendis moderationem iuxta veterem probatam Ecclesiæ consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina eneruetur.*

CAP. II.

De Antiquitate Indulgentiarum.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia, seu remissio pœnæ à Sacerdote iniunctæ primis Christianorum seculis vsitata fuit.*

2 *Indulgentia, seu remissio pœnæ iniunctæ non tantùm est in ordine ad Ecclesiam; sed etiam vt Deo satisfactum sit.*

INdulgentiarum vsus probari solet ex Apost. 2. ad Corinth. 2. Vbi Corinthium incestuosum, quem absens antè excommunicauerat. 1. Corinth. 5 & pœnis Ecclesiasticis subiecerat; ne nimia tristitia absorberetur, rogantibus etiam pro illo Corinthijs, absoluit, remissâ illi, per clauium spiritualem potestatem, pœnâ adhuc restante. 1
Cuiusmodi consuetudo deinceps etiã in Ecclesia viguit, vt peccatoribus, ob crimina scandalosa, publica pœnitentia imponeretur; non tantùm vt Ecclesiæ satisfieret, sed etiam vt ipse pœnitens peccata sua apud Deum congrua satisfactione deleret, sicuti constat ex S. Cypriano serm. de lapsis, paulò ante medium, & in fine, vbi ait: *Qui sic Deo satisfecerit, &c. exauditus, & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solùm Dei veniam merebitur, sed coronam.* Item S. Aug. c. 65. enchirid. S. Leone I. epist 91. ad Theodorum.

Porrò hæc tempora pœnitentiæ lapsis cõstituta, ad satisfaciendum Deo, & Ecclesiæ, interdũ remittebantur ab Episcopis, quod frequẽter fiebat ob Martyrũ, & Confessorum in carcere detentorũ intercessionem, sicuti constat ex Tertull. in lib. ad Martyres, post princip. Cypr. lib. 3. epist. 5. & 15. & serm. de lapsis, in fine, vbi apertè significat, hanc remissionẽ factam fuisse non tantùm in ordine ad Ecclesiã; sed etiam in ordine ad Deũ, vt quod Martyrum desiderio, & Ecclesiasticorũ Prelatorum auctoritate remitteretur, etiam apud Deum condonatum esset: *Potest Deus*, inquit, *indulgentiam dare, sententiam suam potest flectere; pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest acceptum ferre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Et lib. 3. epist. 18. Lapsi, *qui libellũ* supplicatoriũ ad Episcopos *à Martyribus acceperint, auxilio eorum adiuuari apud Dominũ in delictis suis possunt.* 2
Quamobrem Tertullianus, postquam in hæresin lapsus est, eiusmodi remissiones ac indulgentias per Martyrum suffragia concessas, his rationibus oppugnare aggressus fuit, in lib. de pudicit. c. 22. *Sufficiat Martyri propria delicta purgasse: Ingrati, vel superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit cõsecutus. Quis alienã mortẽ sua soluit, nisi solus*

nisi solus Dei filius? Nam & in ipsa passione liberauit latronem: ad hoc enim venerat, vt ipse à delicto purus, & omnino sanctus, pro peccatoribus obediret. Proinde, qui illum æmularis donando delicta, si nil ipse deliquisti, planè patere pro me. Si verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ sufficere & tibi & mihi poterit? His, vt arbitror, testimonijs satis conuincitur, fuisse in veteri Ecclesia morem concedendi indulgentiam. Nam indulgentia est pœnę temporalis Deo debitæ, ab Ecclesiæ Prælato facta remissio, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum. Atqui sancti Martyres satisfactiones suas, nixas in meritis & satisfactionibus Christi, applicuerunt lapsis, vt per auctoritatem & claues Episcoporum à restante ipsis pœna absoluerentur, non solùm in ordine ad Ecclesiam, sed etiam in ordine ad Deum: Ergo concedebatur eis indulgentia. Hæc, inquam, indulgentiarum ex antiquitate demonstratio videtur mihi clara: quamuis aliter senserit Suarez disp. 49. s. 2. n. 8.

Deinde probatur indulgentiarum antiquitas per traditionem Romanam, quæ tum ex stationibus, tum ex historijs & relatione maiorum habetur, vt videri est apud S. Th. d. 20. q. 1. a. 3. quæstiun. 2. Sotum in 4. d. 21. q. 1. a. 3. Valentiam t. 4. disp. 7. quæst. 20. p. 2. Henriq. lib. 7. cap. 3. Bellarm. lib. de indulg. cap. 3. Suarez cit. sect. 2. num. 12. Variarum quoque indulgentiarum mentio fit tit. decret. de pœnit. & remiss. c. quod autem, cap. cùm ex eo, c. nostro, &c. excommunicauimus, §. Catholici de hæreticis.

CAP. III.

De diuisionibus indulgentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia vel est totalis, seu plenaria, vel partialis; cuius species quædam sunt carena, quadragena. Diuiditur etiam indulgentia in personalem, & realem: in perpetuam, ac temporalem.*

2 *Olim indulgentiæ fermè tantùm concedebantur de pœnitentijs iniunctis, nunc verò etiam de non iniunctis.*

3 *Si indulgentia localis concessa est, cum determinatione temporis v. g. diei, tum qui sæpius in die ecclesiam visitat, semel tantùm lucratur indulgentiam: secus, si sine determinatione concessa est ecclesiam visitantibus.*

4 *Nomine ecclesiæ, cui indulgentia conceditur lucranda à visitantibus, etiam adiunctum cœmiterium intelligi oportet.*

5 *Loco diruto sine spe reædificandi, vel in alium locum sub eodem patrono, & cum omnibus priuilegijs transferendi, pereunt concessa indulgentia locales.*

PRimò diuiditur indulgentia in totalem seu plenariã, & partialem. Plenaria indulgentia dicitur, quæ illi-
1 mitatè conceditur, vt omnem pœnam in purgatorio pro peccatis luendam remittat. Partialis verò, quæ limitatè conceditur, vt partem aliquam pœnæ remittat. Talis est indulgentia tertiæ partis peccatorum: aut indulgentia vnius anni, vel plurium annorum. Nam Ecclesiastica consuetudine olim receptum erat, vt pro grauioribus criminibus septem annorum pœnitentia imponeretur, vti testantur Isidorus, & Gratianus in c. hoc ipsum, 33. q. 2. & sumitur ex Concil. Eliberino can. 5. Ancyrano can. 8. Nicæno. I. can. 11. &c. accusasti, de accusat. vbi alterius etiam pœnitentiæ mentio fit, quæ *carena* dicitur: id est, carentia, siue ieiunium in solo pane & aqua per dies quadraginta, sicuti Gl. interpretatur in cit. c. accusasti, ver. carena. Item *quadragena*, quæ videtur esse indulgentia, siue remissio pœnitentiæ, quæ per quadragesimam subeunda erat, iuxta c. in capite, d. 50.

Quapropter, cùm indulgentia vnius anni, indulgentia septennis, vel vna v. g. carena conceditur, sensus est, remitti tantam pœnam peccatis debitam, quanta deleretur per pœnitentiam vnius anni, vel septem annorum; aut per quadraginta dierum ieiunium in pane & aqua, secundùm canones pro peccatis imponi solitum, sicuti explicant Palud. cit. d. 20. q. 4. a. 1. quantum ad 2. ibidem Maior q. 2. S. Anton. p. 1. tit. 10. c. 3. §. 3. Sotus d. 21. q. 2. a. 1. Suarez disp. 50. s. 5. n. 11. & 16. vbi aiunt, si nunc concedatur indulgentia vnius v. g. anni, interpretandum esse, remitti pœnitentias, quæ secundùm prudens Sacerdotis iudicium, pro peccatis commissis imponendæ essent in vnum annum: consequenter verò remittitur tanta pœna purgatorij, quanta per tales pœnitentias delenda fuisset, considerando eas secundùm se, & propriam grauitatem ac durationem, & abstrahendo à maiore, vel minore feruore pœnitentis, sicuti notauit Coninck dub. 4. n. 25. De qua quæst. legi potest Richard. lib. 4. dist. 20. a. 3. quæst. 2.

Tametsi autem in concessione indulgentiarum addita sit particula *de pœnitentiis iniunctis*, non tamen censeri debet restrictiua, sed potiùs ampliatiua; vt sensus sit, etiã de non iniũctis, sicuti probabile censent Palud. & Anto. ll. cc. & expresè docet supplem. Gabr. in 4. d. 45. q. 3. a. 2. Suar. cit. disp. 50. s. 3. Coninck dub. 3. concl. 4. & 5. argũ. c. ex parte, 27. de decimis, *Vbi maius conceditur, etiam minus concessum esse videtur*: quæ regula in ijs locum habet, quæ eiusdem generis sunt, siue ad eandem potestatem spectantia. Atqui plus, seu maius quiddam est, remittere pœnitentias à Sacerdote iniũctas, quippe non diuino tãtùm iure, sed humano etiam præcepto debitas, & determinatas; minor autẽ remissio est, si nulla pœnitentia Sacerdotis imperio exoluenda restet: quare talis indulgẽtia faciliùs conceditur, cùm non ita eneruans sit disciplinæ Ecclesiasticæ: quidquid in hac re contra communẽ sentiat Caiet. tract. de indulg. ad Iulium q. 7. Ergo indulgentia data de iniunctis, extendenda etiam videtur ad non iniunctas: ad eum modum, inquit Suarez, sicuti si alicui concedatur priuilegium absoluendi à peccatis reseruatis, per benignam interpretationem supplendum est, vt sensus sit *etiam à reseruatis*. 2

Nihilominus contraria sententia communior est, si in Bulla, vel canone expressa mentio fiat pœnitentiarum iniunctarum, vt in cit. c. quod autem, non esse concessionem extendendam ad pœnitentias iniungendas. Ita enim docet Durandus in 4. d. 20. q. 4. n. 9. Nauar. de indulg. notab. 11. n. 13. Sotus d. 21. q. 2. a. 1. Corduba q. 8. & 9. Benzonius de Iubilæo, lib. 4. c. 2. Henriq. lib. 7. c. 6. n. 2. & plures alij. Quia indulgentiæ non plus valent, quàm sonant. Quæ sententia vera videtur, spectatã antiquã Ecclesiæ consuetudine, secundùm quam indulgentiæ fermè tantùm concedebantur de pœnitentijs à Sacerdote iam imperatis, sicuti etiam notauit Benzonius lib. 4. c. 2. differ. 2.

At verò spectatã consuetudine, quæ nunc in Ecclesiis viget, placet prior sententia, indulgentias ad omnes pœnas, etiam non iniunctas, se extendere: quia alloquin non ita magnam vtilitatem hodie indulgentiæ haberent: quandoquidem pœnitentiæ, quæ pro peccatis iniungi solent, exiguæ sunt, & sæpe tantùm loco medicinæ seu curationis peccatorum imperatæ, quas omnimodè implere expedit. Quam ipsam sententiam clarè docuisse videtur Abb. c. cùm ex eo, num. 6. de pœnit. & remiss. vbi repetit quod antè dixerat in c. quod autem, eod. tit. n. 8. consilium esse, vt, qui indulgentias episcopales (quæ olim de iniunctis tantùm dabantur) lucrari vult nihilominus impleat pœnitentias à Sacerdote impositas: fructum autem indulgentiæ reseruet pro delendis pœnis, quas Deo pro alijs peccatis debet. Si tamen aliquis velit pœnitentias sibi iniunctas eneruare, potest id facere, ait Abb. & similia docent Durand. loco cit. Nauar. de indulg. notab. 31. Corduba quæst. 8. corol. 3. Coninck dub. 3. concl. 6. & ante hos Albertus Magnus in 4. d. 20. a. 17. ad 5. vbi monet, consultissimum esse, vt, semper tota pœnitentia impleatur: quia plerumq; minor, quàm peccatis debeatur iniuncta est, per modum medicinæ reseruantis à recidiua: & sæpe incertum, an indulgentiam

lucrati simus; vel saltem an ita plenè, vt ab omni pœna immunes existamus. Si tamen pœnitentia grauis ac difficilis sit, vt appareat non per modũ medicinę præcauentis, impositam fuisse: sed per modum satisfactionis, tunc non prohibetur aliquis vti indulgentia ad pœnitentiam diluendam, idque ex communi doctrina certum esse, ait Benzonius lib. 2. de Iubileo, c. 41. §. Verùm seu hæc opinio. Idque etiam Confessarij obseruare possunt, vt pœnitentiam, de qua pœnitens queritur, commutent in aliam leuiorem per modum medicinæ imponendam: præcipiendo pœnitenti, vt alicuius indulgentiæ se participem reddat: quod etiam obseruauit Henriq. lib. 7. c. 9. n. 2. c. 17. num. 1. & seqq.

Secundo diuiditur indulgentia in personalem, ac realem. Personalis dicitur, quæ per se, ac directè personis conceditur, sine determinatione ad certam rem materialem. Realis verò, quæ alicui rei materiali; vt rosarij, imaginibus, &c. affixa est: item quæ loco sacro, & speciali nomine indulgentia localis appellari solet.

De locali hac indulgentia quæri solet primò: Vtrum sæpius in die visitans Ecclesiam, cui indulgentia concessa est, toties etiam lucretur? Respondeo: Si indulgẽtia sine vlla temporis determinatione absolutè concessa est ecclesiam hanc visitantibus: sæpius in die visitans, toties etiam lucrari indulgentiam potest: cùm non sit ratio restringendi ad vnam vicem. Sin verò concessa sit cum temporis determinatione, vt tali die, vel tempore v. g. Paschali, aut in anniuersario dedicationis ecclesiã visitantes indulgentiam consequantur, censetur esse mens concedentis, vt quisque non nisi semel lucrari possit, sicuti iterum dicam c. 8. n. 8.

Quæritur secundò: Si visitantibus ecclesiam indulgentia concessa sit, & aliqui ob hominum multitudinẽ ingredi non possint, aut sufficiat eis foris stare, & orationem iniunctam perficere? Resp. affirmatiuè cum Rodriq. p. 1. sum. c. 184. n. 6. Suarez disp. 52. s. 1. num. 7. Quia moraliter rem æstimando, tales ecclesiam visitãt, quando præsentiam suam exhibent, quatenus possunt. Addit Suarez ibidem, in eiusmodi concessione etiam adiũctum cœmiterium nomine ecclesiæ comprehendi: quia in fauorabilibus verba latè interpretanda sunt. Quamuis extra casum necessitatis id semper agere conuenit, quod certius, & securius est.

5 Quæritur tertiò: Vtrum diruto templo, indulgentia ipsi concessa pereat? Respondeo: Si ecclesia diruta non iterum ædificetur, locus priuatur indulgentia, cùm non loco simpliciter, sed ecclesiæ concessa fuerit. Sin verò ædificetur iterum ecclesia in eodem loco, retinet indulgentiam: sicuti & alia priuilegia: quippe cùm moraliter eadem ecclesia censeatur, sicuti docet idem Suarez n. 8. Limitat tamen Innoc. in cap. 2. de noui operis mutilatione, Gl. in reg. 7. in 6. Nisi Superioris auctoritate destruatur in pœnam delinquentium: tunc enim omnibus priuilegijs spoliari censetur, vt iterum ei expressè seu tacitè conferenda sint, si de nouo ædificetur.

Id verò non est improbabile, atque in praxi seruari solet, quod Innoc. ibid. docet, & Ludou. Bononius in tract. de indulg. n. 79. Si ecclesia auctoritate Superioris tali pacto destrui curetur, vt sub eodem titulo, ac Patrono, in alium locum transferatur, etiam indulgentias, & alia priuilegia eius transferri: quod etiam docuit Gl. in reg. iuris 7. in 6. S Anton. p. 1. tit. 19. c. 1. § 2. Suarez lib. 8. de legibus cap. 5. in fine, qui bene id explicat, transferri priuilegia vnà cum ecclesia si concessa sint non ratione situs aut loci: sed absolutè ecclesiæ sub proprio nomine, ac titulo suo. Videri etiam potest Franc. Hotomanus lib. illust. quæstion. q. 8.

Tertiò, diuiditur indulgentia in perpetuam ac temporalem. Perpetua dicitur, quæ personæ, loco, aut alteri rei ita conceditur, vt tamdiu duret, quam diu res, vel persona illa, cui concessa est: nisi à concedente, vel Superiore eius reuocetur. Temporalis verò indulgentia vocatur, quæ certo anni, diei, &c. tempore determinata, eo transacto finitur.

CAP. IV.

Quinam ecclesiæ pastores, & quo iure indulgentias concedere possint?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex potestate à Christo accepta, alij verò inferiores Episcopi ex concessione Sum. Pontificis, indulgentias largiuntur.*

2 *Episcopi communi iure vnius anni indulgentiam dare possunt pro die anniuersaria dedicationis templi: alias verò ob iustam causam dierum quadraginta.*

3 *Prælati Ecclesiastici, qui Episcopi non sunt, etsi non iure ordinario, tamen ex commissione Pontificis speciali, aut generali, indulgentias interdum dare possunt.*

4 *Facultas indulgentias dandi, etiam per consuetudinem acquiri posse videtur: sicuti etiam iurisdictio in foro Pœnitentiæ à peccatis absoluendi cùm bona fide vsucapi potest.*

5 *Per communicationem bonorum operum, ac meritorum factã personis: ac si membra essent alicuius Religionis proximè, ac directè non applicantur satisfactiones subditorum: sed fructus iste communicationis præcipuè prouenit per modum impetrationis.*

6 *Religiosus, qui contra præceptum Prælati fructum boni operis alteri applicat, licet malè faciat, tamen applicari valet.*

ASsertio I. Summus Pontifex, acceptâ à Christo facultate, adeóque diuino iure, indulgentias cũ generales, tum particulares, ex rationabili causa, fidelibus omnibus dispensare potest. Ita Clemens VI. extrauag. Vnigenitus, de pœnit. & remiss. Alensis p. 4. q. 33. mem. 3. S. Th. in 4. d. 20. q. 1. a. 4. S. Bonau. a. 2. quæst. 3. Rich. a. 5. quęst. 3. Durandus quæst. 5. ad 2. Et quod dico de Sum. Pontifice, tanquam Capite Ecclesiæ, similiter intelligi debet de Concilio generali, quatenus incluso Capite, totum corpus Ecclesię repræsentat, sicuti constat ex ijs, quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 6. § 2. At verò vacante Sede, non potest Concilium, quatũuis ex vniuersis Episcopis congregatum sit, indulgentias generales Christi fidelibus concedere: sed solùm ea præstare, quæ præcisè necessaria sunt ad regimen Ecclesiæ, donec electio Pontificis facta sit, ait Suarez disp. 55. s. 1. n. 7. contra Cordubam de indulg. quæst. 10. propos. 8. vbi docet, quòd Concilium generale vacante Sede iure diuino indulgentias dare possit. 1

Assertio II. Inferiores Papâ, Archiepiscopi, & Episcopi, non habent potestatem concedendi indulgentias diuino iure, sed ex concessione Sum. Pontificis. Ita S. Th. cit. a. 4. quęst. 3. Supplem. S. Th. q. 26. a. 3. Richard. & Duran. locis cit. Augustinus de Ancona lib. de potest. Ecclesię q. 19. a. 5. Syl. ver. indulgentia, q. 5. Suarez disp. 49. s. 1. num. 13. Coninck disp. 12. dub. 1. concl. 4. contra Sotum d. 21. q. 1. a. 4. concl. 1. P. Sotum de indulg. lect. 3. Rutilium Benzonium lib. 2. de Iubilæo, cap. 30. Cordubam de indulg. q. 10. Probatur primò ex ijs, quæ generatim dixi in materia de legibus, c. 7. n. 3. Episcopos iurisdictionem non immediatè à Christo accipere, sed à Sum. Pontifice, qui proinde ijs limitatam, & restrictam concedere potest, ac solet. Secundò speciatim ex ratione indulgentiæ; Siue enim definiatur remissio pœnæ debitę propter peccata: siue dispensatio thesauri Ecclesię, statim apparet, vnam ex grauioribus causis esse, quæ ad summam potestatem adeóque supremum in Ecclesia Pastorem propriè spectare debeat: ad alios verò subordinatos, quatenus ab illo potestatem habent.

Confirmatur: Si enim Episcopis omnibus ex diuino iure 3

iure potestas competeret dispensandi indulgentias, non potuisset ea à Concilio Generali Lateranensi sub Innoc. III. adeò restringi, vt non nisi vnius anni indulgentiam in ipso die dedicationis ecclesiæ: & ob aliam causam iustam, quadraginta tantùm dierum indulgentias concedere possint, sicuti legimus in c. cùm ex eo, de pœnit. & remiss. vbi etiam ratio huius ita restrictæ facultatis affertur: quia alioquin *per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur.* Accedit quòd potestas concedendi indulgentias non sit ita necessaria ad regimen, & munus Episcoporum: sicuti potestas absoluendi à peccatis, dispensandi in vocis, iuramentis subditorum suorum: Quamobrem rectè notauit Suarez disp. 49. s. 2. n. 5. non ita diuino iure obligari Sum. Pontificem ad concedendam Episcopis potestatem dispensandi indulgentias, sicuti alios iurisdictionis actus, ad salutem subditorum suorum magis necessarios, exercendi.

Porrò circa Episcopales istas indulgentias quædam breuiter annotanda sunt: I. Potestas dandi indulgentias Episcopis competit iure ordinario, quippe ratione muneris ac dignitatis suæ: cui talis potestas, licet non absolutè debita, aut necessaria, tamen valde conueniens est: quamobrem etiam alteri dictam facultatem committere, siue delegare possunt.

II. Licet plures Episcopi, qui ad ecclesiæ dedicationem præsentes sunt, non possint nisi vnius anni indulgentiam simul concedere, sicuti habetur expresse in c. cùm ex eo, de pœnit. & remiss. nihil tamen obstat, quominus plures, quorum singuli iurisdictionem habent, puta loci Episcopus, & Metropolitanus, siue Archiepiscopus, simul, aut successiuè plures quadragenas eidē ecclesiæ concedant, sicuti docet Suarez disp. 55. s. 2. n. 5. Nihil etiam obstare videtur, si alicui loco, seu ecclesiæ proprius Episcopus, v. g. pro festo Patroni vnam quadragenam concesserit, quominus alienus Episcopus eidem ecclesiæ etiam quadragenam concedat, lucrandam tantùm à suis subditis, si tali die ecclesiam illam inuiserint. Talis enim concessio non excedit limites iurisdictionis: cùm propriè non fiat loco, sed personis subditis in ordine ad talem locum. Et potest postea Episcopus proprius loci indulgentiam istam trahere ad suos etiam subditos, si ipsis licentiam det lucrandi: vt proinde subditi loci duas hoc casu quadragenas vno die lucrari possint, sicuti singulariter notauit Palud. d. 20. q. 4. a. 2. concl. 4.

III. Si Episcopus vltra limites potestatis suæ indulgentiam concedat, omni iure irrita est quoad excessū, vti colligitur ex c. nostro, de pœnit. & remiss. & c. 1. eod. in 6. Imò expresse declaratum fuit à Bonifacio VIII. c. vlt. eod. in 6. Licet contrarium senserit Gl. in c. cùm ex eo, ver. à pluribus, extra eod. Dixi autem, *quoad excessum*: valet enim nihilominus indulgētia vsq; ad terminum concessum: quia *vtile non debet per inutile vitiari*, reg. 37. in 6. quæ regula, ait Gl. in cit. c. vlt. maximè locum habet in liberalitatibus, iuxta l. Sancimus, C. de donat. & cùm pars vtilis ab inutili separari potest, l. 1. §. Trebatius, ff. de aqua quotid. & æstiua. Eandem doctrinam habet additio Gl. ad cit. c. cùm ex eo, & Suarez disp. 55. s. 3. n. 12. Henriq. lib. 7. c. 31. n. 4.

IV. Episcopi viuis tantùm, non etiam defunctis indulgentias concedere possunt, sicuti ex communi docet Suarez cit. disp. 55. s. 2. n. 9. Quia solùm concessum est Episcopis quasdam indulgentias concedere subditis suis c. quod autem, de pœnit. & remiss. Ergo facultas hæc non extenditur ad defunctos.

3 Assertio III. Cardinales, & Legati Apostolici, aliíque Prælati, si Episcopi non sint, licet in alijs quasi episcopalem iurisdictionē habeant, indulgentias tamē iure communi, & ordinario dare non possunt, argum. c. audientibus, de excessibus Prælatorum: sed sæpe ex speciali, interdum etiam generali per consuetudinem approbata Sum. Pontificis commissione: vt hac ratione veluti ordinaria censenda sit, sicuti de summo Pœnitentiario docet Palud. cit. q. 4. a. 2. concl. 3.

Dubium verò est; Vtrum Prælati inferiores Episcopo, per consuetudinem temporis diuturnitate præscriptam, acquirere possint potestatem dandi indulgentias. Negant Corduba cit. quæst. 10. proposit. 11. dub. 1. Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 4. Suarez disp. 55. s. 4. n. 3. Cùm enim talis potestas extendat se ad tollendas pœnas Deo debitas, non potest ea sine voluntate ipsius Dei, aut eius in terris Vicarij alicui competere. Vel igitur Sum. Pontifex scit, & tacitè approbat eiusmodi consuetudinem, vel nescit: si scit, iam non ex consuetudine præcisè, & vi propria; sed potiùs ex tacito consensu Papæ iurisdictio seu potestas spiritualis acquiritur. Si verò Papa nescit, actualiter consentire non potest: absque voluntate autem non communicatur potestas. Cuiusmodi etiam discursus fieri potest de potestate absoluendi à peccatis, sicuti videre est apud Caiet. ver. absolutio, c. 2. Suarez t. 4. dtip. 27. s. 3. num. 3. Less. lib. 2. de iust. c. 2. dub. 14. num. 45. Coninck t. 2. disp. 8. dub. 5. concl. 3. & 4. arg. c. 2. de pœnit. & remiss. in 6. vbi dicitur, *Nulla consuetudine introduci posse, quòd aliquis, præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat.*

Contrarium tamen, quod facultas dandi indulgentias consuetudine acquiri possit, docent Gl. in cit. c. accedentibus, ver. legitima causa, ibidem Hostiensis, & Abb. n. 2. arg. c. cùm contingat, de foro competēte. Quorum sententia non videtur mihi improbabilis. 4 Est enim communis Doctorum sententia apud Palud. in 4. d. 38. q. 4. 4. concl. 4. Sanch. lib. 4. moral. c. 38. n. 21. potestatem dispensandi in votis, ac iuramentis ab inferioribus Prælatis per consuetudinem acquiri posse: cùm tamen dispensatio ista etiam soluat animas in foro Dei: vt proinde sine voluntate Christi, aut eius in terris Vicarij nemini competere possit.

Quare respondetur ad prioris sententiæ fundamentū Etsi Sum. Pontifex specialiter nescit consuetudinem, satis tamen eam approbare, quando generali lege, ac praxi vult & consentit, vt Ecclesiastica iurisdictio per longæuam consuetudinem bona fide præscriptam acquiratur: cùm alioquin in Ecclesiæ perturbationem, & periculum animarum cedere possit: si quæ per talem consuetudinem ab Ecclesiæ Prælatis fiunt, irrita forent. Ad cit. c. 2. respondeo: Id esse speciale, quòd subditus fatendo se subditum, contra obedientiam Superioris, vel Pastoris sui præscribere non possit, c. cùm non liceat, de præscript. Quia tali casu adest mala fides, vel saltem iuris notissimi error: quocum non præscribit. Consequenter, neque Parochianus, seu Diœcesanus absque consensu ordinarij Iudicis ac Pastoris sui, quamdiu eum pro tali agnoscit, alterius non Pastoris sui iurisdictioni se subijcere potest. Alioquin verò nihil obstare videtur, quominus Sacerdos diuturna consuetudine iurisdictionem acquirat absoluendi à peccatis, v. g. Episcopo reseruatis, sicuti significat Gabr. lect. 3. in canonem, & expresse Nauar. in c. placuit, d. 6. de pœnit. n. 40. & seqq. qui singulariter notat n. 42. Cùm in cit. c. 2. dicitur, nulla consuetudine introduci posse, vt aliquis sine licentia Pastoris proprij alium Cōfessarium sibi eligat: subintelligendum esse, nisi per consuetudinem alteri illi Confessario absoluendi facultas acquisita esset. Simili ratione annotauit Abb. in c. vlt. n. 5. de dilationibus: Licet nulla consuetudine introduci possit: vt ad minorem, vel parem appellatio fiat, cùm id substantiæ appellationis repugnet, iuxta Gl. in c. 2. de Constit. in 6. secus tamen esse, si consuetudo Iudicem efficiat maiorem, seu superiorem.

Assertio IV. Neque Prælati Religiosorum Ordinum

facultatem vllam habent dandi indulgentias: nisi ex speciali concessione Papę. Est communis doctrina apud Cordubam q. 10. prop. 6. Suarez disp. 55. s. 5. tradita in c. accidentibus, de excess. Prælatorum. Id solùm hoc loco aduerte cum Nau. de indulg. notab. 30. n. 14. in priuilegio indulgentiarum attendendum esse, vtrum ipsi Prælato, aliisve personis delegetur facultas dandi indulgentiam: an verò immediatè à Sede Apostolica cōcedatur indulgentia ijs, qui Religionis membra, aut benefactores fuerint: vel ecclesias, aut sacramenta apud ipsos frequentârint: tunc enim Religiosi dicere non debent, se indulgentias concedere: sed admonere tantùm fideles, de indulgentia à Sum. Pontifice concessa, cuius se participes facere possint, si hoc, vel illud opus præstiterint.

Occurrit hoc loco dubium: Qualis gratia sit, seu qualis fructus conferatur ijs, qui à Prælato alicuius Ordinis admittuntur in communionem bonorum operum, ac meritorum totius religiosę Congregationis, perinde ac si membra eius essent. Respondeo, & dico I. cum Durando in 4. d. 20. q. vlt. n. 6. Soto in 4. d. 21. q. 2. a. 1. Nau. de indulg. notab. 31. n. 18. Corduba q. 39. dicto 4. Rodriq. t. 1. reg. qq. q. 33. a. 7. Suarez disp. 55. s. 5. n. 6. Talis communicatio operum, ac meritorum non habet rationem indulgentiæ. Nam indulgentiæ viuis conceduntur per modum iurisdictionis, & absolutionis à pœnis Deo debitis, per applicationem satisfactionum Christi, & Sanctorum. Prælatis autem Ordinum talis facultas non competit: tum quia iurisdictionem non habent in eos omnes, quos meritorum suorum participes efficiunt: tum verò multò magis, quia superabundantes factiones iustorum non colligūtur in particularibus quasi thesauris Ecclesiarum, vel Ordinum religiosorum: sed veniunt in communem thesaurum vnius Ecclesiæ vniuersalis, vt per vniuersalem eius Pastorem dispensentur.

Dico II. Per eiusmodi generalem bonorum spiritualium communicationem directè, & immediatè non applicantur satisfactiones subditorum. Ita docet Suar. l. c. etsi aliter Nau. cit. n. 18. Corduba cit. q. 39. dicto 5. & seqq. Henriq. lib. 7. c. 31. n. 6. Rodriq. cit. q. 33. a. 4. man. Prælat. t. 2. q. 50. a. 2. & 3. Vel enim Prælatus opera subditorū satisfactoria applicaret, antequam fiunt, vel postquā facta sunt. Neutrum dici potest: Nō hoc posterius: quia fructus bonorum operum satisfactorius, si vel nemini, vel inhabili applicatus superabundat, in communi thesauro Ecclesiæ permanet, ac Sum. Pontificis eorúmque, qui ab ipso potestatem acceperunt, dispositioni subiacet. Neq; primum dici potest: quia id cederet in perturbationem, ac grauamen subditorum, dareturq; locus præuentioni: ita vt si subditi pro suis, vel aliorum peccatis speciatim satisfacere intenderent, incerti essent, num fortè Papa, vel Prælatus, ipsis inscijs, & non consentientibus fructum omnem, vel partem eius alteri iam applicuisset.

Accedit ratio manifesta, qua etiam destruitur fundamentum sententiæ contrariæ. Nam cuiusq; hominis etiam Religiosi, opera bona, & fructus ipsorum, antequam fiant, vel dum fiunt, subiacent particulari dominio ipsius operantis: ergo non debent censeri bona cōmunia, quæ à Prælato Communitatis applicari possint, cui ipse velit. Neq; obstat, quod dicitur in c. non dicatis 12. q. 1. Religiosos *non tantùm proprijs facultatibus, sed etiam voluntatibus renuntiasse*. Non enim sensus est, quòd sicuti terrenarum substantiarum, ita etiam suorum liberorum actuum domini esse desinant: sed quod per obedientiæ votum ita suā voluntatem Superioris imperio subiecerint, vt contra eius iustum imperium nihil licitè etiam velle possint. Ex quo etiam intelligitur, cur dixerim in assert. *directè, & immediatè*. Nō enim nego, quin fructus satisfactionum ascitis in Religionem prodesse soleat mediatè, interueniente videlicet ipsorum subditorū applicatione generali, vel speciali. Nam imprimis, si subditi sua opera satisfactoria generatim applicent Religioni, vel omnibus membris eius: participabunt etiam ij, qui vt fratres in Religionē per auctoritatem Prælati assumpti fuerunt. Deinde si Prælatus Ordinis iustam ob causam præcipiat Religioso, vt huic personę in particulari opus satisfactionis applicet, subditus obedire debet: ita vt si contra iustum Superioris sui præceptum alteri applicet, peccet quidē, sed applicatio ipsius operantis obtinebit, non obstante contraria applicatione Prælati: quippe quæ vim nullā habet, nisi interueniente voluntaria applicatione ipsius operantis seu generali, seu speiali, sicuti & tradit Sotus d. 21. q. 1 a. 4. §. postremum hîc Suarez cit. s. 5. n. 8.

Dico III. Fructus, qui assumptis in participationem meritorum alicuius Religionis prouenit, præcipuè est per modum impetrationis de congruo. Ita Adrianus quodlib. 8. Suarez cit. s. 5. n. 2. & 11. Possumus verò hoc loco distinguere duplicis impetrationis fructum: directæ & indirectæ. Directa impetratio requirit intentionem, & applicationem eorum, qui pro alijs orant, vel ad impetrandum alijs de congruo bona opera exercent. Hæc autem intentio potest esse vel specialis: vt si Religiosi opera sua, & orationes specialiter Deo offerāt pro personis suæ Congregationi coniunctis: tunc orationes hæ, propter charitatis, & amicitiæ vnionem, maiorem vim habent ad impetrandum à Deo, quàm si fierent pro extraneis. Vel potest esse generalis tantùm intentio: vt si opera meritoria, & orationes instituantur vniuersim pro Religione, & membris eius: tunc participes esse possunt illi omnes, qui in communicationem meritorum de congruo assumpti fuerint. Indirecta verò impetratio non requirit vllam intentionem, vel applicationem: sed hoc ipso, quòd in aliqua Religione bona opera iustorum fiunt, valent apud Deum de congruo, vt eorum ratione & intuitu propitius sit, & speciali auxilio protegat illos, qui membra sunt huius Communitatis. Etenim ratio amicitiæ postulare videtur, vt Deus propter amicos suos, etiā alijs benefaciat, qui illis amicitia coniuncti sunt. Quamuis maior futura est vis impetrationis, si accedat etiam directa intentio: vel ipsorum Religiosorum pro taliter sibi coniunctis orantium, vt suprà dixi: vel coniunctorum & ascitorum, si per merita talis Religionis aliquid ā Deo petant.

Quod verò Corduba ait q. 39. dicto 6. & Rodriq. cit. quæst. 33. a. 2. Per eiusmodi communicationem bonorū operum, ac meritorum factam aliquibus personis, ac si membra essent talis Religionis, ipsis Religiosis nihil decedere; id verum est, quatenus opera habent vim impetrandi à Deo indirectè: etenim quo maior est numerus iustorum in aliqua Congregatione, eò magis inclinatur Deus ad benefaciendum singulis. Sed aliter sentiendum est, si loquamur de impetratione directā: quia orationes, quantò pro pluribus personis Deo offerunt, tantò minorem vim habent impetrandi singulis id, quod petitur.

Denique nota, quòd participantibus bonorum alicuius Religionis, interdum per gratiam Sedis Apostolicæ eædem indulgentiæ concedantur, quæ ipsismet Religiosis, vti videre licet apud Henriq. lib. 7. c. 19. n. vlt.

CAP. V.

An, & qualis causa ad concedendum indulgentias requiratur?

SVMMARIVM.

1 *Non tantùm vt licitè, sed etiam vt validè indulgentia concedatur, pia & rationabilis causa requiritur.*
2 *Fieri solet, vt alij alijs plus de indulgentia v. g. plenaria cōsequā-*

tur, quia plus deuotionis & conatus adhibent.

3 *Tametsi accidat, indulgentia concessionem propter defectum causæ irritam esse: alia tamen per accidens adiuncta facultates subsistere possunt.*

1 ASsertio I. Non tantum vt licitè indulgentia concedatur; sed etiam vt validè, requiritur pia & rationabilis causa. Hæc est communis sententia Henrici Gandauensis quodlib.15. quæst.14. S. Bonau. in 4.dist. 20. p.2.a.1.q.6. Maioris ead. d.q.2. Caiet. de indulg. tr. 9. q.1. & tr.15. c.4. q.1. Cordubæ de indulg.q.17. Soti d. 21.q.2.a.2. Nau.de indulg.notab.15.n.7.P. Soti lect.2.de indulg.Henriq. lib.7. c.14. Suar.disp.54.Coninck disp. 12. dub.6.contra Palud.in 4. dist.21.q.4.a.1. Sumitur ex extrauag. vnigenitus, de pœnitent. & remiss. & epist. Leonis X.ad Caietanum. Ratio est: Quia minister non potest validè remittere, aut dispensare iura domini sui, sine voluntate eius rationabiliter præsumpta. Papa autē aliiq; Episcopi dando indulgentias peccatorum, dispensant in iure Christi ac Dei; partim quia thesaurus satisfactionum sub Dei, ac Christi tantùm dominio: Ministrorum autem eius fideli dispensatione est. Ergo Papa, & Episcopi validè non concedunt indulgentias sine voluntate Dei, ac Christi, quæ nimirum est, vt pœna secùdùm ordinariam iustitiæ legem debita, non remittatur atq; thesaurus satisfactionum non dispensetur in destructione, sed in ædificationem, id est, ita vt ad maiorē Dei gloriam dispensatio cedat: hanc enim, vti Deus ipse in omnibus suis operibus intendit, Prouerb. 16. sic & Ministri eius sumitur ex c. 24. Matt. *Quis, putas, est fidelis, & prudens*, &c. 1. Corinth.4.2. Corinth.16.

Corollarium. Causa concedendi indulgentiam non tantùm debet esse pia, & in se iusta: sed etiam proportionata: ita, vt quantò maior est indulgentia, tantò maior causa requiratur: alioquin non valitura est indulgentia, nisi secundùm proportionem causæ, sicuti docet Albertus Magnus in 4. d.20. a.17. Sotus cit. q.2. a. 2. Caiet. cit. q.1. Suar.disp.54.s.3.n.5.Henriq. c.14. n.3. Coninck cit. dub.6. concl.2. contra Angel.ver. indulgentia. n.2. Syl.q.5. Valent. disp.7.q.20.p.4. Reginaldum in praxi fori pœnitent. t.1. lib.7. n. 132. Proportio autem causæ in eo consistit, vt prudenter & rationabiliter, secundū omnes circumstantias, existimetur, ad maiorem Dei gloriam fore, vt pœnarum debitum, imposito pio aliquo opere, condonetur: quam vt secundùm iustitię rigorem exoluenda relinquatur. Porrò quamuis indulgētia, spectata præcisè vti est remissio pœnarum Deo debitarum, tantò maiorem, eámq; publicam causam requirat, quantò maiori Communitati, vel toti Ecclesiæ conceditur: quàm si particulari personæ, vel Congregationi concedatur: quatenus tamen consideratur cum opere pio simul imposito, per quod fideles ad publicas orationes, sacramentorum frequentationem, &c. alliciuntur, non parum ex hoc capite augetur causa indulgentiæ concedendæ.

2 Existimant tamen non improbabiliter Nau. notab. 15. de indulg. n.15. Coninck cit. dub.6. n.34. Etsi ponamus, hoc casu sufficientem causam adesse, vt indulgentia v.g. plenaria generatim concedatur: tamen fieri posse, vt particulatim non omnes integram consequantur, si videlicet aliqui magnam pro peccatis commissis pœnam debentes, opus iniunctum tepidè, ac minùs vtiliter ad propositum finem peragant, ideóq; causa tantæ remissionis ipsorum respectu deficiat. Quòd ipsum satis clarè significat Bonif. VIII. in extrauag. 1. de pœnit. & remiss. vbi postquam pro anno M. ccc. visitantibus Basilicam SS. Apostolorum Romæ plenissimam omniū peccatorum suorum indulgentiam concessisset, subiunxit: *Vniusquisque tamen plus merebitur, indulgentiam efficaciùs consequetur, qui Basilicas ipsas ampliùs, & deuotiùs frequentabit.* Idémq; tradidit S. Bonau. cit.q.6. *Secundùm quod plus, vel minus* deuotione sua *accedunt homines ad causam*, à dante intentam: *plus, vel minus participant de indulgentia.*

Illud etiam rectè notat Suarez cit. disp. 54. s.2. n.17. 3
Si cum indulgentia plenaria iungatur facultas eligendi Confessarium, absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, dispēsandi in votis, &c. sicuti in Iubilæo fieri solet: tametsi indulgentia ob defectum causæ vel omnino, vel ex parte infirmetur, annexos tamen fauores, quippe ex solo humano iure pendentes, ideóq; liberæ dispositioni Pontificis subiectos, haud infirmari. Quod non intelligas quasi dispensatio in votis sine iusta causa, ad libitum Pontificis fieri possit: sed quòd potestatem ex causa rationabili dispensandi in votis, cuilibet arbitratu suo committere queat.

CAP. VI.

Quæ nam conditiones requirantur in eo, qui indulgentias lucraturus est.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia propriè tantùm dantur Christianis baptizatis: Est tamen probabile prodesse etiam Catechumenis, per modum suffragij.*

2 *Cùm homo indulgentiam consecuturus est; in Dei gratia esse debet.*

3 *Nisi opus præscriptum impleatur, indulgentia obtineri non potest.*

4 *Opus bonum præscriptum ita impleri debet, quatenus conducit ad iustitiam causæ, ob quam indulgentia conceditur.*

5 *Ad lucrandum indulgentiam non requiritur actualis intentio: sed sufficit habitualis, seu interpretatiua.*

6 *Vna ratione non potest aliquis plurium numismatum similes indulgentias lucrari.*

7. *Si indulgentia concessa sit verè pœnitentibus, ac confessis, non requiritur ad eam lucrandam sacramentalis Confessio, si quis morale peccatum non habeat: sin verò habeat: non sufficit contritio.*

PRIMA conditio est, quam plerique Doctores afferunt apud Suar. disp.53. s.4. n.8. Sanch.l.4. moral.c.37. n.37. Coninck dis. 12. dub. 7. in princ. Benzonium lib.5. de Iubileo, c.15. dub.28. assert. 6. Vt sit homo baptizatus. Nam communis thesaurus satisfactionum est in Ecclesia, vt à Pastoribus fideliter, ac prudenter dispensetur ijs tantùm, qui sunt membra eiusdem Ecclesiæ: soli autem baptizati sunt mēbra Ecclesiæ. Catechumeni verò, tametsi credentes, ideóque Christo per fidem vniti sint: priùs tamen, quàm eam in Baptismo solemniter profiteantur, & admittantur, non censentur esse membra Ecclesiæ huius visibilis: ideóq; Ecclesia in eos iurisdictionem exercere non potest, vti significat Trident. sess.14. c.2. de sacram. Pœnitentiæ: quāuis Catechumenis tum viuis, tum defunctis indulgentias prodesse, saltem per modum suffragij, docet Nau. notab. 31. in fine, Benzon. assert. 6. Henriq l.7. c.18. n.3. Quæ sententia probabilis est, cùm reuera Catechumeni per fidem, & charitatem Christo vniti sint aliquo modo membra Ecclesiæ, quibus proinde communis thesaurus satisfactionum, etsi nō per modum absolutionis ex iustitia, tamen per modum suffragij, & impetrationis applicari posse videtur. 8

Altera est conditio. Vt qui indulgentiam lucratur, sit subditus concedentis. Qua de re suprà dixi c.n.4.

Tertia conditio. Vt non sit maiore excommunicatione ligatus: hęc enim priuat hominem participatione communium spiritualium Ecclesiæ bonorum, vti dixi lib.1. tr.5. p.2. c.2. n.1.

Quarta conditio. Vt in gratia Dei constitutus sit eo tempore, quo indulgentiam consecuturus est. Ratio: Quia reatus pœnæ nunquam aufertur, nisi oblatâ culpâ. Ex quo infertur I. Non posse aliquem plenam om-

nium peccatorum indulgentiam consequi, nisi omni etiam culpa veniali liber sit: nam alioquin homo, quãuis iustus, non consequetur indulgentiam pœnę ijs venialibus peccatis respondentem, quibus adhuc effectus est.

Infertur II. Licet absolutè necessarium non sit ad indulgentiam lucrandam, vt aliquis opera præscripta in statu gratię impleat, sicuti bene docent Sotus d.21. q.1. a.3. S. Anton. p.1.tit.10. c.3. §.5. dub.6. Nauar. notab. 19. n.19. attamen in Dei gratia homo esse debet, quando indulgentiam consequitur: quod probabiliter accidere existimatur, cùm opus ad lucrandam indulgentiam requisitum omnino completur. Igitur opera danda est, vt eo prȩsertim tempore homo ab omni mortali peccato liber sit; quin etiam à venialibus, si plenam omnium peccatorum indulgentiam obtinere velit, vt suprà dictũ. Cæterùm cùm opus præscriptum perficiens in statu mortali minùs gratum Deo obsequium præstet: ideóq; non satis efficaciter ad finem ab Ecclesia intentum operetur, vt integram indulgentiam lucrari possit, sicuti Coninck notauit dub.7. n.40. valde consultum atq; expediens est omnia opera in Dei gratia adimplere: qua de re Henriq. lib.7.c.9.n.5.

Quinta conditio, Vt impleatur totum opus, quod, vt necessarium ad indulgentiam consequendam, præscriptum est. Quare licet aliquis per ignorantiam, obliuionẽ, vel aliud iustũ impedimentum, partem aliquam præscripti operis intermittat, non cõsequetur indulgentiã, etsi alia omnia præstet: excepto, si pars omissa sit tam parua, vt eius omissio moraliter non æstimetur: vel si in Bulla concessionis iusto impedimento impeditis alia ratione subuentum sit: quod ex rationabili voluntate indulgentiam concedentis pendet.

4 Sed dubitatur primò: Vtrum satis sit opus præscriptum secundùm substantiam implere, an verò necesse ita perficere, vt sit moraliter bonum, seruato debito fine, aliísque circumstantijs? Suarez disp. 52. s. 6. n. 2. existimat, satis esse, si fiat opus, vti est secundùm substantiã, siue ex obiecto bonũ: licet deprauatũ per circumstantiã. Contrariũ docet Nauar. de indulgent. notab. 19. n. 6. & notab.32. n.46. Rodriq. t.2. q.99. a.6. Coninck dub.8.

Respondendum mihi videtur: Id pendere ex rationabili voluntate concedentis indulgentias. Sicuti enim nihil obstat, indulgentias concedi sine impositione alicuius boni operis: si causa alioquin sufficiens adsit, vt exemplis ostendit Suarez s.4. n. 3. ita etiam concedi possunt sub conditione alicuius oneris, seu operis aliquo modo conducentis ad finem spiritualem: licet illud in indiuiduo non fiat secundùm honestatem seu bonitatẽ moralem: v.g. si aliquis publicæ processioni intersit. Cùm autem hodie plerumque indulgentię cõcedantur sub conditione operis, supplentis iustitiam causæ finalis, ideo considerandum est, vtrum opus iniunctum ad finẽ principaliter intentum conducat, etsiamsi fiat solùm secundùm substantiam: an verò non conducat, nisi etiã fiat secundùm moralem honestatem, ex omnibus circumstantijs pendentem. Exemplum primi: Si ad expeditionem bellicam contra hostes Fidei Christianę exigatur aliqua contributio, satis esse videtur ad indulgentiam lucrandam, tametsi fiat cum vana dantis gloriatione. Exemplum secundi: Si ad placandum Deum præscribantur ieiunia, non lucrabitur indulgentiam, qui in ieiunijs se vino inebriârit: ideóque magnam seu notabilem partem iniuncti boni operis non bene perfecerit: vel si visitatio ecclesiæ prȩcipiatur, & cum nulla deuotione accedatur. Quamuis in hoc casu sufficere videtur, si aliquis sua præsentia populi communem deprecationem approbet, & cohonestet.

Dubitatur secundò, Vtrum necesse sit, opus facere cum intentione lucrandi indulgentias; an verò satis, re ipsa prȩstare, etsi quis ignoret, vel oblitus sit, indulgentiam concessam esse? Priorem partem, requiri intentionem lucrandi indulgentias, tenet Suarez cit. disput. 52. s.6. Posteriorem Ioan. Salas disp.17. de legibus, cap. 5. in princ. Imprimis certum esse debet, ad lucrandum indulgentias non requiri actualem voluntatem, sine intentione lucrantis: sed satis esse habitualem, aut interpretatiuam. Cùm enim vnus iustus alteri iusto etiam ignoranti satisfactiones suas applicare possit: cur non etiam Pastor Ecclesiæ satisfactiones Christi, & Sanctorum per indulgentiam applicare queat homini v.g. à sensibus alieno, & mox morituro? Ex quo consequenter infero, non esse existimandum, quod Sum. Pontifex in lucrante indulgentiam exigat actualem intentionem; quia nec natura indulgentiæ id necessariò postulat: nec verba Bullæ hoc significent: cùm solùm dicatur, indulgentiam v. g. plenariam consequendam fore à fidelibus, qui tali die ecclesiam piè visitârint: id totum autem fit, etsi quis actualem intentionem non habeat indulgentias lucrandi.

Dubitatur tertiò: An satis sit ad lucrandum indulgẽtiam opus iniunctum per alium perficere? Respondeo ex doctrina Suarez disput. 52. sect. 8. Si alius ille, qui iussu, vel rogatu tuo opus perficit, sit causa propria ipsius operis: vt si iubeas famulum orare, ieiunare, vel similia personalia opera exercere, non lucraberis indulgentiam concessam orantibus, ieiunantibus: cùm verè, ac propriè tu non ores, vel ieiunes. Sin verò ille alius non sit causa propria operis, sed nudum instrumentum materialiter tantùm concurrens: vt si des eleemosynã per manum famuli: haud dubie lucraberis indulgentiam concessam ijs, qui eleemosynã dederunt: nisi exprimatur in Bulla, vt tale opus reale in propria persona fiat. 5

Dubitatur quartò: An vno opere exhibito, possit aliquis plures indulgentias lucrari, quæ pluribus rebus similiter concessæ fuerunt? vt si aliquis habeat duo numismata, quorum singulis indulgentia vnius anni concessa est, dicto vno Pater, & Aue: vtrum qui semel orat duorum annorum indulgentiam consequatur? Ita affirmant Henriq. lib. 7. c.17. num. 5. Sed contraria sententia est probabilior, quam docet Suarez disp. 52. sect.8. num.10. Coninck dub. 9. Quia hæc censetur esse mens Pontificis: cùm opus bonum plerumque adiungi soleat ad supplendam iustitiam seu causam indulgentiæ: qui finis non ita obtinetur, si vno opere exhibito, plures indulgentias similibus rebus promissas lucrari liceret. Cõfirmatur: Sicuti ad indulgentiam vnam lucrandã requiritur opus semel fieri: ita ad indulgentiam duplam requiritur opus repetitum seu duplicatum. 6

Excipe: Nisi tale opus sit, quod eodem die repeti non possit, vel certè non soleat: vt si tali die ieiunantibus, vel sacram Eucharistiam accipientibus, aut ecclesiam visitantibus plures indulgentiæ ob diuersas causas, vel occasiones, ab eodem, aut diuersis Pontificibus concessæ sint: semel in eo die ieiunans: vel communicans, aut ecclesiam visitans, omnes indulgentias lucraturus est, sicuti rectè docent Corduba q.23. Coninck loco cit. Modò tanto feruore opus præstet, vt sufficienter cooperetur fini intento, quatenus eius cooperatio ad supplendam iustitiam pro tot consequendis indulgentijs requiritur.

Dubitatur quintò: Si indulgentia concedatur verè contritis, & confessis, vtrum ad eam lucrandam Confessio actualis necessaria sit? Respondeo, & dico I. Si quis conscientiam peccati mortalis non habet, non requiritur ab eo, vt Confessionem instituat venialium, vel mortalium eorum, à quibus semel sacramentaliter absolutus fuit. Ita S. Anton. p.1. tit.10. cap.3. §.5. Suarez dis. 52. sect.3. num.5. Coninck dub.7. num.38. Rutil. Benzonius de anno Iubilei, lib.5. cap.15. dub.6. Nam Confessio peccatorum requiri solet, vt per eam certiùs, ac securiùs tollatur obex consequendæ indulgentiæ; talis autem 7

autem obex non sunt peccata venialia, sed tantùm mortalia nondum remissa. Accedit, quòd secundùm stylū Ecclesiæ, cùm à fidelibus peccatorum Confessio requiritur, solùm intelligi solet de mortalibus, quæ sunt materia Confessionis necessaria, sicuti constat ex cap. omnis vtriusque, de pœnitent. ac remiss.

Dico II. Si in forma concessionis nulla fiat mentio sacræ Confessionis, sed tantùm Communionis, potest eam lucrari, quicunque dignè communicat, etsi non præmittat Confessionem peccatorum mortalium: quia copiam Confessoris non habet, vel inuincibili peccatorum obliuione tenetur. Secùs verò dicendum, si expressè & specificè requiratur peccatorum confessio, sicuti idem Suarez notauit cit. s. 3. n. 6.

Dico III. Longè probabilior, & securior est sententia, quam tenent S. Anton. cit. §. 5. Nau. de indulg. notab. 18. n. 2. Coninck lo. cit. Si indulgentia concessa sit *verè contritis*, aut *verè pœnitentibus*, *ac confessis*, requiri sacramentalem Confessionem de mortalibus: neque sufficere solam contritionem, quamuis veram & perfectam. Ratio est: Quia id verba sonant, à quibus in dubio recedendum non est. Quare dicere solent Doctores: Quòd *indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant.* Quamuis contrarium, quòd vera de peccatis contritio sufficiat ad lucrandam indulgentiam tali forma concessam, valde probabile censet Suar. cit. s. 3. n. 13. ea ratione motus: Quia Pontifex solùm videtur peccatorum Confessionem requirere ad tollendum obicem indulgentiæ: is aut sufficienter tollitur per contritionem, si tempus Confessionis annuæ eo tēpore non obliget. Sed respondeo: Pontificem, secundùm praxin Ecclesiæ, exigere Confessionem peccatorum mortalium, vt per eam certiùs, ac securiùs tollatur obex lucrandæ indulgentiæ: cum plerumque non satis certi simus nos habere contritionem perfectam, & per se sufficientem ad gratiam iustificationis. Accedit, quòd humilis externa Confessio facta coram Sacerdote hominem valdè disponit, ac dignum facit, cui pœna peccatis debita per Christi merita condonetur. Si tamen in aliquo casu Confessio sacramentalis alicui impossibilis esset, præsumi poterit mentem Pontificis esse, vt sufficiat contritio, modò etiam alia iniuncta opera præstentur, secundùm Glos. in extrauag. antiquorum, de pœnitent. & remiss.

Ad extremum Caietan. tom. 1. opusc. tr. 10. quæst. 1. eúmque secutus Nauar. de indulg. notab. 21. aliam conditionem requirunt, vt videlicet lucraturus indulgentias solicitus, ac paratus sit, quatenus potest, per seipsum satisfacere pro peccatis: alioquin enim indignus videtur alieno subsidio, ac satisfactione: si, cùm per se soluere possit negligens, ac nihil solicitus sit. Verùm hæc conditio ab alijs communiter reijcitur, vt videre est apud Sotum in 4. d. 21. quæst. 2. a. 3. concl. 2. Henriquez c. 16. num. 2. Suarez disp. 52. s. 1. num. 2. valent. t. 4. disp. 7. q. 20. p. 5. in fine: quandoquidem homines si iusti, Deóque grati sint, censeri non possunt positiuè indigni, aut incapaces indulgentiarum, quæ ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, per Ecclesiæ potestatem ob causam rationabilem ipsis applicantur.

CAP. VII.

De indulgentiis, quæ defunctis à Sum. Pontifice applicantur.

SVMMARIVM.

1 *Certum est, quòd Sum. Pontifex defunctis animabus in purgatorio indulgentias impartiri possit.*
2 *Indulgentia concessa viuis, non potest etiam defunctis applicari, nisi in concessione exprimatur.*
3 *Summus Pontifex defunctis indulgentias dat per modum suffragij, non per modum iudiciariæ absolutionis: quare probabilius est, non ita certo & infallibiliter indulgentiam prodesse defunctis, sicuti viuis.*
4 *Credibile est quòd Deus facilius acceptet indulgentias oblatas pro ijs defunctis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali condonatione.*

ASsertio I. Certum esse debet, quòd Sum. Pontifex defunctis, qui in purgatorio detinentur, indulgentias dare possit. Id enim ostendit Ecclesiæ praxis & tradidit Leo X. in epist. contra Mart. Luterum, apud, Caiet. p. 3. quæst. 48. a. 5. Cùm enim quiuis priuatus satisfactiones suas defunctis applicare possit, cur non etiam Pastor applicare posset satisfactiones Christi, & Sanctorum? Id hoc loco discrimen aduerte, quod qui indulgentiam pro viuis lucrari cupit, in gratia Dei esse debet, cùm eam consequitur. Sed ad indulgentiam defunctis lucrandam per exhibitionem operis præscripti, necesse non est, vt operans in gratia Dei sit, cùm indulgentia effectum consequitur, sicuti ex communi notauit Rodriq. t. 2. regul. qq. quæst. 96. a. 4. Nam gratia Dei requiritur ex parte subiecti indulgentiam recipientis: ergo si ipsemet operans indulgentiam accepturus est: in gratia Dei tunc esse debet: non item, si indulgentiam receptura sit anima defuncti. 1

Assertio II. Certum esse debet, quòd indulgentiæ, quas Papa concessit fidelibus viuis, non possint applicari defunctis, nisi hoc ipsum etiam Papa concessit. Quia indulgentia pendet sicuti ab auctoritate, ita & à voluntate concedentis. 2

Assertio III. Certum etiam esse debet, quòd Sum. Pontifex animabus defunctis non det indulgentiam per modum iurisdictionis, eas à pœnis absoluendo: sed solùm per modum suffragij, exhibendo Deo satisfactionem, & quasi pretij solutionem, adiunctis precibus, vt eam misericorditer acceptare dignetur ad liberationem animarum. Qua de re videri potest Alensis p. 4. q. 83. mem. 5. Ratio est: Quia Pontifex nullam iurisdictionem, ideóque nec absoluendi potestatem erga defunctos habet: quippe qui iam alieni fori sunt.

Exinde Quæstio celebris resolui potest: vtrum indulgentiæ defunctis certò ac infallibiliter prosint? Affirmant probabiliter Sotus dist. 21. quæst. 2. art. 3. Nauar. notab. 22. num. 18. Suarez disp. 59. s. 3. n. 3. Valent. t. 4. disp. 7. q. 20. p. 5. Benzonius lib. 2. cap. 52. Coninck dub. 10. conclus. 3. Quia Christus thesaurum satisfactionum Pastori Ecclesiæ æquè pro defunctis, ac viuis ex causa rationabili dispensandum reliquit, sicuti constat ex epist. Leon. X. ad Caietan. Hæc sententia probabilis est, sed contraria magis placet, quę est S. Bonau. in 4. d. 20. p. 2. ar. 1. quæst. 5. Richar. a. 3. q. 3. Duran. quęst. 4. num. 12. Caiet. tract. 16. de indulgent. quæst. 5. & 6. Cordubæ de indulgent. quæst. 13. & seqq. Cani lib. 12. de locis, cap. 13. ad 9. ante §. Errant deinde, Petr. Soti lect. 3. de indulg. Henriq. lib. 7. cap. 7. num. 4. & inclinat Bellarm. tract. de indulg. lib. 1. cap. 14. quæst. 4. indulgentiam pro defunctis concessam non habere effectum certum, & infallibilem, tantùm prodesse per modum suffragij ac impetrationis, secundum liberalem Dei acceptantis voluntatem. Quia Iudex supremus non tenetur commutationem pœnæ sibi debitæ admittere; nisi ad id se promissione aliqua obligarit: Sed Christus supremus Iudex non obligauit se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia oblatas pro liberatione defunctorum: quia promissio illa Matth. 16. *Quicquid solueris super terram*, &c. ad viuos tantùm referri videtur: cum his verbis iudiciaria potestas S. Petro, successoribus eius tradita sit, sicuti indicat Trident. sess. 14. c. 6. qualem potestatem in defunctos cōpetere non posse, supra dixi. 3

Interim fatemur, tametsi indulgentiā defūctis non pertineat ad iurisdictionē: tamen pertinere ad aliquam

O

potestatē clauium, quia Ecclesiæ membris regnum cœlorum aperitur, quandoquidem indulgentia defunctis datur per potestatem pastoralem, ex communi thesauro satisfactionum quam Christus S. Petro, & successoribus eius dispensandum concredidit, sicuti bene docet Caiet. in cit. tr. de indulg. q.6.

Confirmatur hæc posterior sententia ex fidelium sensu, qui post applicatam alicui animæ indulgentiam plenariam, v. g. per Sacrificium in altari priuilegiato nihilominus pro ea sacrificare, & orare pergunt: quasi ipso facto significantes, indulgentiam, etiam si eius concessio iusta causa subnixa videatur, non habere tamen omnino infallibilem effectum.

4 Denique ex his valde probabilis redditur doctrina Henriq, lib.7.cap.8. n.3. Rodriq. to.2. regul. qq. q. 96. a.3. Quòd Deus longè faciliùs acceptat indulgentias oblatas pro illis animabus fidelium, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali cōdonatione, puta si pro peccatis suis ipsimet satisfacere, & indulgentias ab Ecclesiæ Pastoribus concessas lucrari studuerunt, & pro defunctis diligenter orarunt. Quamuis etiam sine his, si anima in Dei gratia decessit, idonea & absolutè digna est, pro qua Deus indulgentias & suffragia ab Ecclesia specialiter oblata misericorditer acceptare dignetur, sicuti rectè docet Henriq. l. cit. licet contrarium senserit Henricus quodlib. 11. q. 26. Caiet. tr.16. de indulg. q.5. ver. quoad tertium, Nauar. de indulg. notab.22. n.42. quibus fauet S. August. lib. de cura pro mortuis, c. vlt. relatus in cap. non æstimemus, 13. q.2.

CAP. VIII.

De Iubileo.

SVMMARIVM.

1 *Annus Iubilei nunc XXV. quoque anno institui solet, in quo omnes aliæ plenariæ indulgentiæ extra Vrbem suspensæ sunt.*

2 *Finito anno Iubilei indulgentiæ plenariæ extra Vrbem vim suam recuperant.*

3 *Suspensio plenariarum indulgentiarum intelligitur quo ad omnes viuos, etiam in mortis articulo constitutos: sed non quo ad defunctos, quominus eis prosint indulgentiæ plenariæ per modum suffragij concessæ.*

4 *In anno Iubilei suspensæ sunt facultates, quæ à Sede Apostolica datæ sunt in ordine ad indulgentias plenarias consequendas.*

5 *aliqua plenissima indulgentia instar Iubilei cum gratijs, & facultatibus annexis, à Sede Apostolica interdum concedi solent.*

6 *Ingulgentiam instar Iubilei concessam lucratur, qui in Sabbatho, vel Feria VI, antecedente primam Dominicam de peccatis confitetur.*

7 *Ad lucrandam indulgentiam Iubilei nihil referre videtur, vtrum quis sacram Confessionem anteponat, aut postponat alijs in Bulla præscriptis operibus.*

8 *Indulgentiam Iubilei tantùm semel aliquis intra 15. dies consequi potest: cùm sit indulgentia non perpetua, sed ad tempus determinata.*

9 *Si quis bona fide à peccatis reseruatis absolutus fuerit, animo lucrandi indulgentiam Iubilei, rata est absolutio, etsi postea animum mutet.*

10. *Qui vna hebdomade præstat opera: sed sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ altera hebdomade perficit, videtur lucrari indulgentiam, si id faciat ob iustam causam, aut necessitatem.*

11 *Credibile est, quòd ciuis peregrinaturus, opera etiam in alia diœcesi perficere possit ad indulgentiam Iubilei lucrandam.*

12 *Senes, & adolescentes, alioquin excusati à ieiunij lege, tamen ieiunare debent, si indulgentiam iubilei lucraturi sunt.*

13 *Indulgentia Iubilei ita hodie concedi solet, vt per opera, v.g. ieiunia alioquin sub præceptum cadentia, satisfieri possit.*

IVbileus erat Iudæis annus quinquagesimus remissionis, in quo iubebantur ab agricultura vacare, debita remittere, possessiones antiquis dominis absque pretio restituere, seruos libertate donare, sicuti constat ex cap.25. & 27. Leuitici. Quare aliqui existimant Iubileum dictum esse יבל quod est adducere, seu reducere: siquidem in eo fundi ad pristinos dominos redibant. Alij verò à יובל deriuant, quod cornu arietinum significat; cuius sonitu eius anni festiuitas significari solebat; quamobrem Iobileum potiùs, quam Iubileum scribendum putant. De qua re videri potest Rutilius Banzonius de anno Iubilei, lib.1. c.4. & 5.

Erat autem ille annus redemptionis figura plenæ remissionis peccatorum, quæ in lege gratiæ per Christum facta est, ad introitum regni cœlestis, sicut constat ex c.61. Isaiæ, iuncto c.4. Lucæ. Porrò ad imitationem veteris testamenti, dictus est annus Iubilei, qui Romæ cum plenissima peccatorum indulgentia, magno gaudio ac solēnitate celebrari solet. Eum Bonifacius VIII. ante annos300. statuit centesimo quoque anno celebrandū 1
esse, extrauag. 1. de pœnit. & remiss. vbi tamen significatur, sicuti & in Bulla Clemētis VIII. de Iubileo edita morem hunc centesimo quoque anno amplissimas indulgentias concedendi Bonifacium Papam non primò introduxisse, sed veteri traditione, & Maiorum monumentis testatum confirmasse. Postea verò Clemens VI. Iubileum ad annum quinquagesimum reuocauit, extrauag. Vnigenitus, eod. tit. partim ob mysterii numerum, quo sæpius remissio peccatorum vel figurabatur, vel dabatur: partim quia paucorum hominum vita ad annum illum centesimum pertingebat. Deinde verò Paulus II. Iubileum ad breuius tempus, videlicet annos XXV. reduxit: eiúsque exemplum secuti sunt Sixtus IV. extrauag. Quemadmodum, de pœnit. & alij post eum Pontifices.

Eodem Iubilei anno, à tempore Sixti IV. aliæ indulgentię plenariæ per totum orbem, extra Vrbem, suspendi solent: idque ob maiorem celebrationem sancti Iubilei: vt si eius indulgentia sola vigeat, & floreat Romæ, fideles tantò auidiùs ad eam lucrandam accelerent.

Circa hanc indulgentiarum suspensionem, prout eā fecit Greg. XIII. in Bulla quæ incipit *Quoniam sancti*: eandémque formam secutus Clemens VIII. & Vrbanus VIII. hoc ipso anno Iubilei in Bulla, quæ incipit, 2
Cùm nuper quædam annotanda sunt: Primum, Quòd suspendantur omnes omnino indulgentiæ plenariæ, quibuscunque extra Vrbem Ecclesijs, Congregationibus, aut personis Ecclesiasticis, & secularibus à Sede Apostolica concessæ: ita, vt durante hoc anno Iubileo omnis earum effectus irritus fit. Quibus verbis *durante hoc anno*, in Bulla Vrbani VIII. positis, satis indicatur, post annum Iubilei indulgentias absque alia noua concessione vim suam recuperare.

Secundum. Hæc indulgentiarum plenariarum suspēsio intelligitur tātùm quo ad viuos: eósque omnes, etiā 3
incarceratos, aut clausura perpetua detentos: nisi speciali priuilegio ipsis à Sede Apostolica succurratur. Quin etiam in mortis qualicunq; periculo constitutos ea indulgentiarum suspensione comprehendi, indubitatum est: cùm sine vlla limitatione suspendantur, *omnes quæcunque* plenariæ indulgentiæ. Neque verò per epikeiam licet nobis exceptionem facere propter mortis necessitatem: quandoquidem morituris plenariæ indulgentiæ beneficium ad salutem necessarium non est cum contritione, sacramentis, & operibus satisfactorijs prospicere sibi possint. Quamobrem sanctiss. D. N. Vrbanus VIII. Papa speciali erga Societatem Iesu fauore concessit, vt eius Religiosi, qui hoc anno Iubilei in mortis articulo constituti essent plenariæ omnium peccatorum indulgentię participes fieri possent. At verò quo ad indulgentias pro defunctis per modum suffragij à Sede Apostolica concessas, nulla omnino in anno Iubilei suspensio fieri solet.

Tertium. Vnà cum indulgentijs plenarijs in Anno Iubilei suspenduntur etiā aliæ facultates, siue indulta, puta 4
absoluendi

absoluendi à peccatis,&c. non tamen omnia simpliciter sed ea tanttùm, quæ propter dictas indulgentias lucrandas, siue in ordine ad eas, à Sede Apostolica concessa sunt, sicuti clare significauit Greg. XIII. in cit. Bulla, & bene notauit Nau. de Iubileo, notab. 33. ver. facultates.

5 Sunt porrò etiam aliæ plenissimæ indulgentiæ, quæ pro toto orbe instar Iubilei cũ alijs gratijs & facultatibus, plerũq; ad duas hebdomades, seu quindecim dies, post promulgationẽ in quolibet loco factã, Apostolica benignitate concedi solent tum aliàs, tũ maximè post annum Iubileũ in Vrbe peractum, de quibus agit Benzonius l. 4. c. 2. differ. 4. Henriq. lib. 7. c. 10. & seqq. Rodriq. t. 1. sum. c. 184. Circa quam Iubilei formã aliqua dubia, quę plerumque moueri solent, dissoluemus.

6 Primum. Vtrum satisfaciant Iubileo, qui ante primam Dominicam, puta in antecedente Sabbatho, vel Feria VI. de peccatis confitentur? Resp. Nullũ esse dubium: tum quia id Ecclesiarũ praxi obseruatur, propter multitudinem confitentium: tum quia ex communiore Doctorum sententia, Confessio sacramentalis necessaria non est ad lucrandum Iubileum, si quis mortalia peccata non habeat: Illi autem, vt ponimus, qui prima Dominica, vel altera eius hebdomadæ die communicaturi sunt, non habẽt tunc conscientiã peccati mortalis: alioquin haud dubiè iterũ cõfiteri deberẽt, si possẽt.

Dubium Secundum. Vtrum nihil referat ad lucrandũ Iubileum, siue quis sacrã confessionẽ anteponat alijs operibus bonis in Bulla præscriptis, siue postponat? Resp. Nihil id referre. Ita docet Nau. notab. 19. n. 19. Henriq. cit. c. 10. n. 8. vbi rectè ait, satis esse ad lucrãdum
7 Iubileum, si quis in Dominica, quã finitur hebdomada illa, in qua opera peracta sunt, de peccatis suis confiteatur ante sacram Communionem. Vbi obiter aduerte: Dominicam diem non tantùm esse principiũ hebdomadis sequentis: sed quodammodo etiam finẽ & complementum antecedentis: profectò in hac materia fauorabili, per duas hebdomadas ad lucrandum Iubileum assignari solitas quindecim dies comprehendi, in quibus tres Dominicæ sunt, constat ex praxi Ecclesiarũ, & notat Henriq. l. c. Benzonius lib. 4. c. 2. differ. 5.

Nunc probatur responsio: Primò: Quia id approbat Ecclesiarum consuetudo, optima legum, & priuilegiorũ interpres. Secundo: Quia beneficium Principis non debet sine necessitate restringi: sed, quatenus verba patiuntur, latè interpretari: Et si verò in Bulla Pontificis dicatur, vt qui de peccatis confessi, trina ieiunia, eleemosynam, & ecclesiæ visitationem peregerint indulgentiam lucrentur, commodus tamen, & valde vsitatus sensus est, vt, si hæc omnia quocunque tandẽ ordine impleta fuerint, indulgentiã consequi liceat. Atque similes loquendi modos reperies in l. vlt. ff. mandati, & c. licet ex quodã, de testibus. Tertio: Quia ex vna parte consultius esse videtur, opera bona, quę præscribuntur, priùs perfici: tum vt animus hominis ad sacramenta digniùs & cũ maiore reuerentia, ac fructu suscipienda præparetur: tũ quia probabilissimũ est indulgẽtiam peccatorum tunc accipi, cùm fideles omnia præscripta impleuerunt, si eo tempore in gratia Dei constituti sint: de quo ipso certiores, securiores erunt, si vltimo loco rite de peccatis confessi, sacram Communionem accipiant.

Qamuis ex altera parte consultius est, ante omnia de peccatis confiteri, vt reliqua opera in gratia Dei peracta, maiorem & merendi, & impetrandi à Deo vim habeant, hominémq; de lucranda indulgentia securiorem reddant: dummodo interim in mortale peccatum non recidat. Sacram verò Communionem Dominica post sabbathum indicti ieiunij, vel alio die sequentis hebdomadæ à lucrantibus iubileum accipiendam esse expressit Greg. XIV. Anno 1591. & Gregor. XV. Anno 1621 *Quare* ait Henriq. lib. 7. c. 10. in comment. lit. S. *Qui in secunda hebdomada fecerunt diligentias, possunt communicare etiam alio die tertiæ hebdomadæ: ita declarauit Episcopus* (Salmanticensis) *præmissa consultatione cum sapientibus Salmanticensibus.*

Dubium Tertium. Qui prima hebdomade indulgentiam consecutus est, vtrum etiam altera hebdomade, repetendo opera præscripta, consequi possit? Ita affirmant Henriq. lib. 7. c. 11. n. 1. Rodriq. to. sum. c. 184. n. 14. Idémque sentire videntur Nauar. notab. 32. n. 46. Benzon. lib. 5. cap. 15. dub. 23. vbi dicunt, indulgentiam Iubilei solemnis Romæ concedi solitam incolis visitãtibus Basilicas diebus triginta, peregrinis verò diebus quindecim, quolibet ab ipsis mense acquiri posse. Probant ex eo: Quia beneficium Principis, nemini præiudicium afferens, latè interpretandum est, quatenus verba patiuntur. Nihil autem repugnat proprietati verborum, si dicamus, indulgentiam concessam omnibus prima, vel secunda hebdomade confitentibus, ieiunantibus, &c. posse vtraque hebdomade obtineri ab ijs, qui opera præscripta repetunt.

Sed mihi placet sententia oposita, quæ videtur esse S. Th. in d. 20. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. Palud. ibid. q. 4. a. 1. §. quantum ad 3. concl. Angeli ver. indulgent. §. 4. Cordubæ q. 30. Suarez t. 4. disp. 57. s. 1. n. 7. & ipsius Nau. notab. 31. n. 36. vbi distinguunt, quòd indulgentia alia est perpetua, quæ absolutè, & sine temporis determinatione conceditur, v.g. visitantibus talem ecclesiam, vel orantibus Pater, & Aue, ad præsentiam alicuius imaginis: qualem indulgentiam ex præsumpta mente concedentis, quam & consuetudo confirmat, lucrari aliquis potest, quoties voluerit. Alia verò est indulgentia temporalis, quam Papa concedit cum determinatione ad certum tempus: v.g. ijs, qui tali die ecclesiam visitauerint qui tali hebdomade sacram Confessionem, & Communionem cum alijs operibus pijs peregerint. Videtur enim Prælatus tale temporis spatium definire, vt intra illud quiuis, cùm sibi opportunum fuerit, indulgentiam semel lucrari possit. Interdum verò duplicatũ tempus assignat, videlicet duarum hebdomadum ad lucrandam indulgentiam instar Iubilei: vt quibus prima hebdomade opportunitas non fuit, altera consequi possint non quòd ijdem sæpius. Et hanc puto esse communem fidelium persuasionem, ac praxin, quæ est optima harum concessionum interpres: cùm alioquin nullam certam regulam assignare possimus, cur non indulgentiam pro certa die v.g. Natiuitatis Domini concessam, toties lucrari aliquis possit, quoties in tali die, quamuis centies, vel millies, ecclesiam visitauerit, vel in ea orauerit. 8

Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur: Verba concessionis quantumuis fauorabilia, ita tamen interpretanda esse, vt à voluntate concedentis rationabiliter præsumpta non recedamus. Presumptionem autem illam vnicæ tantùm concessionis facimus tùm ex consuetudine Ecclesiarum, tum ex inconuenientibus, quæ sequi possent ex nimia facilitate & frequentia indulgentiarũm: presertim cum earum concessio irrita sit, nisi sufficiente causa nitatur.

Corollarium. Cùm potestas absoluendi à casibus reseruatis, dispensandi in votis, &c. Confessarijs non absolutè conferatur; sed respectu eorum, qui indulgentiam Iubilei lucrantur: ideo secundum sententiam quã secuti sumus, quod non nisi vna hebdomade fidelibus singulis Iubileum lucrari concessum sit: dicere etiam debemus eadem tantum illa hebdomade adiunctis Iubileo gratijs ipsos frui posse: quamuis contrarium sentiat Henriq. l. 6. c. 16. n. 3. & lib. 7. c. 11. n. 1. eúmq; secutus Rodriq. cit. c. 184. n. 17. Si tamen aliquis bona fide absolutionem à reseruatis, vel dispensationem in voto acceperit, tanquã Iubileum lucraturus: etsi postea culpatè, vel inculpate 9

intermittat, rata haud dubiè est absolutio, vel dispensatio semel legitimè facta, sicuti ex communi notat Nauar. lib. 5. consil. 19. de pœnit. edit. 2.

Deinde, si aliquis bona fide tanquam lucraturus Iubileum confiteatur sua peccata, vnum, vel plura reseruata per obliuionem mortaliter non culpabilem intermittens; is absoluitur, saltem indirectè, etiam à reseruatis: ita vt sublata reseruatione, vel eidem, vel alteri Confessario etiam post tempus Iubilei confiteri possit, secundùm doctrinam Palud. in 4. d. 18. quæst. 5. a. vlt. concl. 4. Nauar. c. 26. num. 13. Rodriq. cit. c. 184. n. 15. Henriq. cit. c. 11. num. 3. & 4. vbi idem sentit de commutatione votorum, si eam pœnitens petere oblitus fuit, posse ea commutari etiam post transactum Iubileum: quod tamen arbitror esse falsum: quia absolutio virtute Iubilei facta *non cadebat super absolutione votorum oblitorum*, ait Rodriq. cit. cap. 184. num.

Dubium Quartum. Vtrum Iubileum lucretur, qui vna hebdomade ieiunat, orat, eleemosynas dat: Confessionem autem, & sacræ Eucharistiæ susceptionem altera hebdomade perficit? Negat Henriq. lib. 7. cit. c. 11. num. 2. quia Bulla Papalis significat, intra eandem hebdomadem opera omnia præstanda esse: concessio autem liberalis non subsistit, nisi impleatur conditio, sub
10 qua fit. Quare ita in praxi obseruandum, vt eadem hebdomade opera omnia præstentur. Et hoc procul dubio securius est. Interim puto probabiliter dici posse, lucraturum esse indulgentiam, si quis opera, præsertim ex rationabili, aut necessaria causa diuidat: vt tamen intra 15. dies, quibus Iubileum durat, omnia absoluat. Tum quia verba Bullæ, vt vel prima, vel altera hebdomadū opera præscripta fiant, satis impleri videntur: tum quia secundùm epikeian interpretari possumus, mentem Pōtificis esse, vt etiam in tali casu indulgentia acquiratur, sicuti in simili notauit Rodriq. t. 1. c. 184. n. 3.

Dubium Quintum. Si ciuis in patria sua promulgato Iubileo designatas ibidem ecclesias visitet: sed eadē hebdomade causa piæ peregrinationis aliò migraturus
11 sit; vtrum ieiunium, Confessionem, Communionémque in alia diœcesi peragere possit ad lucrandum Iubileum? Resp. Licet securius sit in patria, vel saltem in loco, vbi Iubileum promulgatum fuit, opera omnia perficere: valde tamen credibile est, illum etiam in dicto casu indulgentiam Iubilei consecuturum esse. Quia si processioni intersit, vel in ecclesia designata oret: nihil interesse videtur, vbi ieiunet, &c. imò etiam, vbi de peccatis suis confiteatur, & communicet: cùm hoc tempore cuiuis ab Ordinario cuiusque loci exposito Sacerdoti confiteri licitum sit, sicuti ex verbis Bullæ colligitur, & docet Henriq. lib. 7. c. 12. n. 4.

Nota autem, quod paulò antè dixi, *vel saltem in loco*, &c. Si enim ciuis Monacensis v. g. existat in aliena diœcesi, statim potest promulgatum ibi Iubileum lucrari: nisi malit expectare, donec in patria sua promulgetur, si ad illud tempus domi futurus sit, sicuti notauit Rodriq. n. 20.

Sextum Vtrum adolescens v. g. annorum XVIII. qui Ecclesiasticis quidem ieiuniorum præceptis nondum 12
astringitur, tamen sine magna difficultate ieiunium tridui perferri potest, ieiunare teneatur, si Iubilei particeps esse velit? Respon. affirmatiuè cum Henriq. cap. 12. n. 2. Rodriq. n. 10. §. circa id. Quia Iubileum non cōtinet præceptum ieiunandi, sed consilium, cum promissione indulgentiæ. Sed etiam adolescentibus, sicuti & senibus non infirmis, consultum est interdum ieiunare. Ergo non poterunt Iubileum consequi, nisi iniunctum id opus consilij, siue supererogationis impleant. Ij verò qui tridui ieiunium sine notabili difficultate perferre non possunt, vti sunt infirmi, pauperes, & mechanici aliqui, his Confessarius loco ieiunij alia opera æquiualentia iniungere debet: & similiter pauperibus, si eleemosynam dare non possint, vt eius loco aliquid v. g. orent: de qua re Rodriq. l. c.

Dubium Sextum. Vtrum satis sit ad lucrandam Iu- 13
bilei indulgentiam, præstare opera, quæ alioquin sub obligatione sunt? Respondeo; Nullum esse dubium, quin Papa eiusmodi opera, quæ alioquin debita sunt, seu ex naturali lege, vt remissio iniuriarum: seu ex positiuo præcepto, vt ieiunia, &c. tanquam sufficientem conditionem ad lucrandam indulgentiam, exigere possit, sicuti rectè ex communi docent Corduba quæst. 18. proposit. 3. contra Angelum, ver. indulgentia, n. 16. Syl. q. 6. Sed dubium est, quando Sum. Pontifex opera absolutè requirit, vtrum interpretandum id sit de non obligatorijs, seu supererogationis? Pro affirmatiua parte est, quia talia opera supererogationis Deo gratiora sunt, magísque meritoria, ideóque accōmodatiora ad iustificandam causam indulgentiæ concedendæ. Sed his non obstantibus, certum esse debet, indulgentias hodie ita etiam concedi solitas, vt per opera alioquin sub præceptum cadentia satisfieri possit. Constat enim ex praxi, si promulgatio Iubilei incidat in ieiunium Quadragesimæ, vel quatuor temporum, aut vigiliæ alicuius Apostoli; ieiunia illa, quamuis in præcepto sint, ita reputari ad lucrandum Iubileum, ac si præcepta non essent. Idémque notauit Henriq. lib. 7. c. 10. n. 5. Paulus Comitolus lib. 1. moral. qq. quæst. 38. Idque similiter sentiendum est, si ieiunium, vel Confessio ratione Iubilei præstanda, ex proprio voto debita sint. Denique si apud nos Monachij Iubileum promulgetur in Dominica Oculi, illius participes fieri possunt, qui præmissis operibus in Bulla præscriptis, in Dominica Passionis confitentur, & communicant: sicuti constat ex suprà dictis: consequenter tales communicantes liberi tum erunt à præcepto Ecclesiastico de communione Paschali: quandoquidem tempus Paschale in hac ciuitate quatuor septimanas continet. Etenim nihil omnino prohibet, quominus vno actu pluribus obligationibus satisfiat: dummodo & natura talium obligationum id patiatur, & intentio obligantis non repugnet.

TRACTA-

TRACTATVS OCTAVVS DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

CAP. I.

DE NATVRA ET INSTITVTIONE huius sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctio est noua legis sacramentum, à Christo institutum, & à S. Iacobo Apostolo promulgatum.*
2 *Sacramentum Extremæ Vnctionis est consummatiuum Pœnitentiæ: ideòque credibile est, hæc duo sacramenta simul instituta fuisse.*
3 *Patres de sacramento Extremæ Vnctionis testimonia præbent.*



1 Extrema vnctio est *sacramentum, per vnctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis, ad conferendam homini ægrotanti ac vitæ periclitanti, salutem mentis, vel etiam corporis à Christo institutũ.* Esse nouæ legis sacramentum, colligitur tũ ex traditione & praxi, in quã Ecclesia non tantùm Occidentalis, sed etiam Orientalis consentit: tum ex Apostolo Iacobo c. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ: & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Vbi imprimis habemus ritum externum sacramenti, videlicet vnctionem olei, cum prece Sacerdotis. Secundò: Promissionem gratiæ, ac remissionis peccatorum. Ex quo colligitur tertium, videlicet Christi institutio: Quia enim Apostoli ex seipsis collationem gratiæ certo alicui ritui, vel actioni annectere non possunt, cùm ipsi non sint auctores gratiæ, & sacramentorum: S. Iacobus autem certò & absolutè promiserit remissionem peccatorum ijs, qui tali ritu vsi fuerint: colligere debemus, idipsum fecisse ex Christi voluntate, ac institutione, Ita docet S. Th. in 4. d. 23. q. 1. a. 1. q. 3.

Quapropter Synodus Trid. sess. 14. c. 1. de Extrema vnctione rectè dixit: Hoc sacramentum à Christo Domino nostro institutum, per Apostol. autem Iacobum fidelibus commendatum, ac promulgatum esse, quod etiam indicat Alcuinus lib. de diuinis officijs, c. de infirmis: *Hac auctoritate* (Iacobi Apostoli) *promulgata, quotiescunque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum, cum cereis, siue incenso, ante oleum sanctum, & peragunt omnia, sicut, in sacramentorum libro continetur.* Confirmatur ex eo, quòd Apostolus infirmos vngi iubet *in nomine Domini*: id est, secundùm ritum à Domino institutum, sicuti Act. 10. & 19. baptizati dicebantur *in nomine Domini*, id est, Baptismo à Domino instituto, quod notauit Ægid. ConinK tom. 2. disput. 19. dub. 1.

De tempore, quo Christus hoc sacramentum instituit, disputant Doctores: sed probabilior est sententia apud Henriq. lib. 3. cap. 7. Suarez l. 3. 3. part. to. 4. disp. 39. s. 2. Cùm Marci 6. Apostoli missi à Domino, *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*, sacramentum Extremæ vnctionis tantummodo figuram, seu, vt Tridentinum Concil. ait, *insinuatur* fuisse: non enim vnctio illa sacramentalis fuit: cùm etiam non baptizatis conferretur ab Apostolis, antequam hi sacerdotes essent. Potiùs igitur hoc sacramentum institutum videtur Ioan. 20. 2
cùm Christus Apostolis potestatem dedit remittendi peccata: quare eo præcipuè loco sacramentum Pœnitentiæ à Christo institutum fuisse, ait Trid. sess. 14. c. 1. Sacramentum autem Extremæ vnctionis est consummatiuum sacramenti Pœnitentiæ: quare potestas conferendi Extremam vnctionem supponit, & quasi includit potestatem remittendi peccata: vt proinde rectè dicatur, vtrumque sacramentum simul institutum fuisse dicto c. 20. Ioan. vti significant Origenes, & Chrysostomus mox allegandi.

Subijcienda enim sunt testimonia Patrum, & antiquorum Ecclesiæ Scriptorum: qui huius à S. Iacobo promulgatæ ceremoniæ vngendi infirmos in remissio- 3
nem peccatorum expressam mentionem fecerunt: S. Chrysost. lib. 3. de sacerdotio, paulò post princip. *Non solùm cùm nos regenerant* Sacerdotes: *sed postea etiam condonatorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit*, S. Iacobus, *inter vos aliquis, accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.*

Simili modo Origenes hom. 2. Numerorum, postquam dixit, *de dura & laboriosa per pœnitentiam remissione peccatorum, cùm*, homo, *non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam*: subiunxit: *In quo impletur & illud, quod Iacobus Apostolus dicit: si quis infirmatur, &c.*

S. Augustinus serm. 215. circa medium: *Quotiens aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum vngat, vt illud quod scriptum est, impleatur in eo: Infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, &c. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cùm ergo duplicia bona possint in Ecclesia inueniri, quare per præcantores, per fontes, & arbores, & diabolica phylacteria, per characteres, & auspices, & diuinos, vel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur sibi inferre?*

Innocentius I. Papa in epist. 1. ad Decent. cap. 8. *Adiecit filius meus Cælestinus in epistola sua, esse à tua dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Iacobi epistola conscriptũ est: Si infirmus aliquis in vobis est, vocet* Presbyteros, *&c. Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab Episcopo confecto non solum Sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet, in suã, aut suorũ necessitate ad vngẽdũ. Cæterũ illud superfluũ videmᵘ adiectũ, vt de Episco-*

po ambigatur, quod Presbyteris licere dubium non est. Nam ideirco de Presbyteris dictum est à Iacobo Apost. *quia Episcopi occupationibus alijs impediti ad omnes languidos ire nō possunt.* Et paulo post ait: Extremam vnctionem ijs dandam non esse, qui publicam pœnitentiam agunt, *quia genus est sacramenti: nam quibus pœnitentibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?* Quod Innocentij testimonium allegatum reperies apud Bedam in cap. 5. S. Iacobi, *Vngentes eum oleo,* &c. In Concil. Vvormaciensi sub Adriano II. & Ludouico Imperat. II.

Idem Beda in cap. 6. Marci: allegato testimonio S. Iacobi, *Infirmatur quis in vobis*, ita subiecit: *Vnde patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo, Pontificali benedictione consecrato.* Quæ verba Bedæ allegat etiam Amularius lib. 1. de Ecclesiast. officijs, c.12.

Concilium Cabilonense sub Carolo Magno celebratum; cap.48. *Secundùm B. Apostoli Iacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris vngi debent.* Et paulò allegatis verbis Apostoli. *Oratio saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis fit, dimittentur ei.* Subditur: *Non est itaque parui pendenda eiusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.*

Concil. Aquisgranense sub Greg. IV. Papa, & Ludouico Pio Imperat. can. 8. *Vt semel in anno, id est, in quinta Feria, quæ est in Cœna Domini, vnctio sancti olei, in quo saluatio infirmorum creditur, per omnes ciuitates ab Episcopo non negligatur, sicuti huc vsque neglecta est: sed omni deuotione, iuxta traditionem Apostolicam, ac statuta decretalium, in quo de eadem re præcipitur, peragatur.*

Concil. Moguntinum sub Leone Papa IV. præsidēte Rabano Archiepisc. Moguntino, cap.26. *Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura est inquirenda Confessio.* Et infrà: *Ideo secundùm canonicam auctoritatē, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione Dei animati, secundum statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.*

Auctor. lib. 2. de visitat. infirmorum cap. 4. apud S. August. 10.9. *Nec prætermittendum est illius Apostoli Iacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c. Ergo sic roges de te, & pro te fieri sicuti dixit Apostolus Iacobus, imò per Apostolum suum Dominus: Ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus sancti typicalis vnctio.*

Petrus Damiani serm. 1. in dedicat. Ecclesiæ. *Infirmātibus nobis, & vsque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, spiritus pietatis assistit, & recordatus est, quoniam puluis sumus. Ait enim D. Iacobus: Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, &c. Solemnis vnctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur timor Domini. Vidésne, qualiter Sacerdotalis manus infirmantis corpus alleuet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget vnctione. Vnde & sancti Patres hanc vnctionem sacramentum esse sanxerunt.*

S. Benardus in vita Malachiæ refert, quanti sanctus vir Malachias fecerit sacramentum Vnctionis extremæ, vt mulierem nobilem, cui sacramenti gratiam conferre distulerat, verè mortuam, fusis ad Deum precibus, & lacrymis, in vitam reuocarit: *Tum verò Malachias gratias agens, benedixit Dominum, & vnxit eam nihilominus sciens in hoc sacramento remitti peccata, quò d oratio fidei saluet infirmum.* De veritate quoque huius sacramenti, tanquam semper in Ecclesia recepti ac indubitati, testatur Hugo Victorinus S. Bernardo æqualis lib. 2. de sacram. p. 15. cap. 2. & 3. Magister, & alij Scholastici in 4. dub. 22.

CAP. II.

De Materia huius sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Materia remota Extremæ Vnctionis est oleum oliuarum, quod ab Episcopo benedictum esse debet.*
2 *Oleum Extremæ Vnctionis debet esse simplex, non mixtum Balsamo: quod si mixto oleo, seu chrismate conferatur hoc sacramentum, incertum est, an valeat, tamen nihil repeti debet.*
3 *Tria olea sacra in Cœna Domini Presbytero dantur, Oleum Catechumenorum, oleum infirmorum, & Chrisma.*
4 *Oleum Vetus, superueniente nouo post Cœnam Domini, in lampadibus ecclesiæ ante Venerabile sacramentum ponendū & comburendum est.*
5 *Materia proxima huius sacramenti est Vnctio saltem quinque sensuum, facta manu Sacerdotis. Pedum verò, & renum Vnctiones non sunt de essentia sacramenti.*
6 *Si infirmus manibus careat, Vngenda est caro propinqua.*
7 *Sacramenta omnia cum sancta crucis figura ministrari solent.*

Assertio I. Materia remota huius sacramenti est oleum ex oliuis, ab Episcopo priùs benedictum. Ita Conc. Tri. s.14. c. 1. Florentinū in decreto Eugenij, §. *Quintum sacramentum.* Et Innoc. III. in c. 1. de sacra vnctione. Prior pars assertionis sumitur ex cit. c. 5. S. Iacobi: Ait enim, vnctionem oleo fieri oportere. propriè autem id duntaxat oleum dicitur, quod ex oliuis conficitur. Posterior autem pars sumitur ex Ecclesiæ traditione, ac praxi, cuius congruam rationem attuli suprà in tract. 3. c. 2. n. 2. & tradit S. Th. in 4. d. 23. q. 1. a. 2. ad quæst. 4. S. Bonau. ibid. a. 1. q. 3. Duran. quæst. 2. Palud. q. 1. a. 1. Quamuis non pauci existiment, simplicem Sacerdotem ex Papæ commissione, oleum benedicere posse, pro vsu huius sacramenti: ex quibus est Caiet. 2. 2. quæst. 72. a. 3. Victoria de extrema vnct. n. 216. Henriq. lib. 3. c. 8. num. 2. Zambranus cap. 5. de Extrema vnct. princip. n. 3. Sotus, quamuis dubius, in 4. d. 23. q. 1. a. 3. conc. 3. Sed contraria sententia est probabilior, ac securior, quam docent Palud. in 4. d. 23. q. 1. a. 1. Bellar. de Extrema vnct. cap. 7. Suarez disp. 40. s. 1. Coninck t. 2. disp. 19. dub. 2. & alij. Quia Concilia absolutè aiunt: Materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Vide quæ in simili dixi eod. tr. 3. c. 2 n. 3. 1

Porrò cur materiæ Confirmationis, videlicet sacro chrismati balsamum misceatur, non item extremæ vnctionis, quod est oleum simplex, rationem tradit Altisiodorensis lib. 4. sum. tract. 7. Sotus cit. a. 3. ad 1. Suarez cit. s. 1. n. 11. quia balsamum significat odorem bonæ famæ, quam baptizati, dum viuunt, per bona opera & exempla seruare debent: oleum autem simplex, quo bonæ conscientiæ trāquilitas significatur, mox morituris sufficit. Simili ratione in administratione Baptismi duplex oleum adhiberi solet: vnum ante Baptismum, quod & *Catechumenorum* dicitur, simplex & sine balsami admixtione: alterum post Baptismum, videlicet sacrum chrisma, siue odoriferum oleum, quo baptizatos Presbyter in vertice (non in fronte: id enim ad Episcopū solùm pertinet) vngere solet. Ratio, inquam, est, chrisma & propria consecratione, & institutione sua significat donum Spiritus sancti: quod sacramentaliter Catechumenis non confertur, sed ijs tantùm, qui Christi corpori, siue Ecclesiæ inserti sunt. 2

Veruntamen in antiquis canonibus, & Patrum scriptis, ante Innocentium III. in c. 1. de sacra vnctione, nō apparet expressum aliquod vestigium duplicis olei, simplicis videlicet, & cum balsamo mixti. quapropter Henriq. lib. 3. c. 8. n. 2. & Suar. disp. 40. s. 1. non improbabiliter existimans, olim sacrum chrisma, id est, oleum balsamo mixtum etiam infirmis vngendis adhibitum fuisse: idque

idque probat Suarez primò ex cit. responso Innoc. I. epist. ad Decentium, in qua habetur, quòd fideles ægrotantes *sancto oleo chrismatis vngi possunt ab Episcopo confecto:* vbi verbum *confectionis* balsami mixturam significare videtur. Quamquam responderi ad hoc potest, verbum *conficere* idem esse, quòd consecrare: quo sensu Sacerdos sacramentum Eucharistiæ conficere dicitur. Secundò ex Concilio Aquisgranensi cit. can. 8. vbi statutum est, quolibet anno in feria V. Cœnæ Domini, destinatio *sancti olei, in quo saluatio infirmorum creditur, ad omnes ciuitates ab Episcopis non negligatur:* propterea quòd traditio Apostolica id habeat: quibus verbis alludi videtur ad epist. Fabiani Papæ, in qua traditur, ex Apostolica traditione chrisma balsami mixtione per singulos annos in Cœna Domini conficiendum esse. Atque eadem ratione oleum Catechumenorũ non fuisse diuersum à chrismate, colligi posse videtur ex Greg. I. lib. 3. indict. 12. epist. 9. ad Ianuar. *Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte.*

Contrariam tamen sententiam amplexus est Sotus d. 23. quæst. 1. a. 3. ad 1. Valentia t. 4. disp. 8. quæst. 1. p. 2. Zambranus c. 5. dub. 4. Sicuti hodie, ita etiam olim semper fuisse distincta vnguenta pro Confirmatione, & Extrema vnctione: quamuis interdum generali vocabulo chrismatis, quod vnctionem seu vnguentum significat, comprehensa fuerint, vti apparet in c. 1. de custod. Euchar. vbi præcipitur, vt *in cunctis ecclesiis chrisma* (id est quoduis oleum sacratum) *& Eucharistia sub fideli custodia, clauibus adhibitis, custodiatur.* Quæ sententia valde probabilis confirmatur ex Concil. Meldensi, referente Burcardo lib. 4. cap. 75. & Iuone p. 1. c. 269. *Presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat: vnã*
3 *ad chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos; iuxta sententiam Apostolicam, vt quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.*

Quod verò ad praxin attinet, tria mihi dicenda videntur. I. Si ad manum non habeatur oleum infirmorũ nõ esse licitum Sacerdoti in Extrema vnctione vti chrismate. Quia saltem nunc consuetudo Ecclesiæ repugnat, quæ proprium oleum, idque simplex, non mixtum, pro vngendis infirmis consecrat: quare neque extra omnem dubitationem est, vtrum valeat sacramentum Extremæ vnctionis, si fiat sacro chrismate: eò quòd materia hæc non tantùm diuersam consecrationem habeat, sed etiam, saltem morali æstimatione, diuersum vsum, & appellationem sortiatur: cùm sit mixtura aliqua artificialis.

II. Si Sacerdos per errorem infirmum vnxit sacro chrismate, probabiliter dici posse videtur, nihil esse repetendum: sed rem Domino commendandam: Tum quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scãdalo: tum quia valde probabile est, sacramentum Extremæ vnctionis validè conferri in materia sacri chrismatis: seu quia olim consuetum erat talem materiam adhibere, vt Suarez existimat: seu quia mistio balsami tã exigua esse solet, vt oleum nec physicè, nec omnino moraliter suam naturam exuisse censeatur: quod verò hac, vel illa benedictione oleum consecratum sit, non videtur pertinere ad Sacramenti substantiam.

III. Quod Zambranus notat cit. dub. 4. num. 5. secundùm consuetudinem Ecclesiæ, & Pontificale Pauli III. atque Clementis VIII. in Cœna Domini non tantùm chrisma conficiendum, sed & oleum Catechu-
4 menorum, & infirmorum benedicendum esse: atque ad Ecclesias destinandum: si autem ex vetere aliquid remanserit, in lampadibus ecclesiæ, quæ ante venerabile Sacramentum sunt, ponendum esse, vt comburatur: quamuis contrarium dixerit Henriq. cit. num. 2. Sa cũ additione, ver. Extrema vnctionum. 6. Id verò rectè fatetur Zambranus n. 15. Posse Parochum vetere oleo morituros vngere, vsque dum nouum ipsi ab Episcopo transmissum fuerit. Idemque dicendũ de oleo, & chrismate in Baptismo adhiberi solito, propter periculum mortis, expectari non possit, dum nouum adferatur, veteri vtendum esse, c. si quis de alio, d. 4. de consecrat.

Dico II. Materia proxima huius sacramenti est vnctio 5
saltem quinque sensuum, facta à Sacerdote. Quæ est communis sententia Doctorum in 4. d. 23. vbi S. Th. q. 2. a. 3. S. Bonau. a. 2. q. 5. Rich. a. 2. q. 5. Scot. q. 1. Palud. q. 3. a. 3. Soti q. 2. a. 3. concl. 1. Supplem. S. Th. q. 32. a. 5. & 6. Suarez disp. 40. s. 2. & dis. 41. s. 2. Coninck cit. disp. 19. dub. 3. num. 12. Zambrani de Extrem. vnct. princ. num. 3. Vide tamen quæ dicam cap. seq. n. 2. Ratio assertionis congrua est, quia quinq; sensus sunt quasi origines, seu receptacula peccatorũ per Extremam vnctionẽ abstergenda. Nam peccatum omne ex cogitatione ascitur: omnis autem cogitatio à sensu ortum habet: cùm nihil sit in intellectu, quod non fuerit in sensu. Igitur vnguntur oculi propter auditũ, nares propter odoratum; os propter gustũ; manus propter tactum: qui ipse etiam vngendi ordo seruandus est: licet eius mutatio haud vitiet sacramentum, sicuti notauit Suarez d. 40. s. 2. in fine.

Circa reliquas verò duas vnctiones, pedum videlicet, ac renum, (quarum etiam meminit Florent. in decreto Eugenij) seruanda est cuiusq; Ecclesiæ consuetudo: cùm non sint de essentia sacramenti, secundùm Palud. in 4. d. 23. q. 3. a. 3. concl. 1. Sotum ibid. q. 2. a. 2. concl. 2. Imò vnctio in renibus conuenientiùs omittitur, præsertim in fœminis, ac viris religiosis, sicuti monet Sotus l. cit. Gabr. in supplem. 4. d. 23. q. 1. a. 1. concl. 1. Henriq. l. 3. c. 12. num. 2. Sa ver. Extrema vnctio, n. 12. Tolet. lib. 7. c. 3. Zambranus cap. 5. princip. num. 4. Suarez disp. 40. s. 2. num. 6. Valentia t. 4. disp. 8. q. 1. p. 2. Bellarm. lib. de Extrema vnctione, cap. 10. in fine.

Sufficit quoque ad valorem sacramenti, vnum oculum, vnam aurem, vel vnam manum, & inungere, sicuti ex cõmuni notauit Henriq. c. 12. n. 1. Suar. dis. 40. s. 2. n. 5. Sa cit. n. 12. Zambr. c. 5. princip. n. 9. Sed talis modus vngendi vsurpandus non est, contra Ecclesiæ consuetudinem; nisi necessitas postulet, quia periculum in mora est.

Quòd si ægrotus manibus careat, vngenda est caro 6
propinqua: si oculis careat, locus oculorum vngi debet, sicuti docet S. Th. cit. a. 3. ad 3. q. S. Bonau. cit. q. 3. prope finem, Rich. cit. q. 5. Supplem. S. Th. q. 32. a. 7. Sotus cit. q. 2. a. 3. Sa n. 13. Henriq. cit. c. 12. n. 1. Nam licet homo, qui perpetuò caruit visu, non potuerit eo sensu peccare secundùm effectum, potuit tamen peccare secundùm concupiscentiam videndi.

Fieri autem debent vnctiones in crucis formam: si- 7
cuti & alia sacramenta non sine cruce peraguntur, teste S. August. tract. 118. in Ioan. & videri potest c. nunquid, d. 5. de consecrat. iun. Gl. ver nisi cruce. Veruntamen hæc crucis formatio non requiritur ex necessitate sacramenti: sicuti requiritur in Confirmatione, quippe in qua speciatim fideles signari debent, tanquam militantes sub signo Crucifixi. Imò non esse obligationem, saltem sub mortali culpa, vt vnctiones in crucis figuram fiant, ait Suarez cit. s. 2. n. 3. Zambranus n. 12. Coninck dub. 2. in fine. Quare, si causa suppetat, v. g. celerandi propter periculum instantis mortis, vnctiones sine cruce fieri nihil obstat.

CAP. IV.

De Forma huius sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Forma Extrema Vnctionis deprecatoria eſſe debet.*
2 *Formam ſacramentorum Patres quandoque precem appellant.*
3 *Non pertinet ad eſſentiam ſacramenti, vt verborum forma ad ſingulos ſenſus repetatur: quare in neceſſitatis caſu breuior forma vſurpari poteſt.*

1 FOrma huius ſacramenti eſt, inquit Concilium Florent. loco cit. *Per iſtam vnctionem, & ſuam pijſsimã miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquiſti per viſum: & ſimiliter de alijs membris.* Vbi aliqua aduertenda ſunt: Primò referri apud S. Bonau. d. 23. a. 1. q. 4. Duran. q. 3. a. 3. Palud. ead. d. q. 1. a. 2. Formam verborum in modo indicatiuo, *Ergo te vngo.* Cuiuſmodi in rituali S. Ambroſij reperiri aiunt, eámque defendere conatur Palud. loco cit. Tamen negari non poteſt, formam deprecatiuam, qua Eccleſia Romana ſemper vti ſolebat, conuenientiorem eſſe, teſte S. Th. cit. d. 23. q. 11. a. 4. q. 2. S. Bonau. loco cit. Rich. a. 1. q. 4. ad 2. Idque multò magis dicendum, poſteaquam Concil. Florentinum formam verborum deprecatoriam aſſignauit, quæ vbiq; etiam in Eccleſijs vſitata eſt: cui cùm altera forma modi indicatiui non æquiualeat, videtur eſſe inſufficiens: niſi aliquid ei deprecatorium addatur, v. g. *Vnge te oleo ſancto, vt Deus tibi remittat, quidquid peccaſti, &c.* Quæ videtur etiam ſententia S. Th. & S. Bona. locis cit. & probatur tum ex verbis Apoſtoli Iacobi: *Orent ſuper eum, vngentes*: tum ratione differentię, quæ eſt inter hoc, & reliqua ſacramenta, quæ modo verborum indicatiuo conficiuntur: nam illa ferme habent effectum aliquem infallibilem ſeu caracteris, ſeu gratiæ ſanctificantis: huius autem ſacramenti effectus impediri poteſt, tum propter obicem recipientis, quod attinet ad ſpirituales effectus gratiæ: tum propter indifferentiã, quia non expedit corporis ſanitatem conferri. Deinde hoc ſacramentum inſtitutum eſt, vt ſit complementũ ſacramenti Pœnitentiæ iudicio non plenè pro peccatis ſuis ſatisfecit, exoretur Deus à Miniſtris Eccleſiæ, vt homini ſuis viribus deſtituto miſericorditer indulgentiam dare dignetur, ſicuti notauit Supplem. S. Th. q. 29. a. 8. Bellarm. c. 7. in fine, Suar. diſp. 40. ſ. 3. n. 10. Coninck d. 4. alias rationes videre potes apud S. Bonau. cit. q. 4. ad finem.

Interim tamen in eo conueniunt formæ omnes ſa-
2 cramentorum, quòd eorum efficacitas non pendeat ex vi orationis, vt eſt opus operantis: ſed ex virtute promiſſionis Chriſti, ſecundùm quam ad Deum Patrem oratio funditur. Nam etiam quæ certò accepturos nos à Deo credimus, tamen precamur, gratiam & miſericordiam eius agnoſcentes. Quæ ipſa cauſa eſſe videtur, cur Patres verba, quibus ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ conficiuntur, *precem* Sacerdotis appellare ſoleant, vt videre eſt apud S. Cypr. epiſt. ad Iubaianum, S. Augu. lib. 6. de Baptiſ. contra Donatiſtas, c. 25. Leon. 1. epiſt. 91. ad Theodor. vbi abſolutionem ſacramentalem *Sacerdotis ſupplicationem* vocat.

Secundò aduertendum; Formam illam verborum ad ſingulas vnctiones ſenſuum repetendam eſſe, ſaltem ex neceſſitate præcepti. Vtrum verò id pertineat ad neceſſitatem ſacramenti, non ſatis conſtat. Nam imprimis aliqui dicere auſi ſunt, inquit Suar. diſp. 40. ſ. 2. n. 81 ad valorem huius ſacramenti ſatis eſſe, ſi vnctio, eáque vnica in quacunque corporis parte, ſub ſimplici verborum forma fiat: quia non plus ex verbis Apoſt. Iacobi colligitur. Alij verò aiunt, ſacramentum Extremæ vnctionis ſubſtantialiter confici vnica alicuius ſenſus vnctione, cũ debita formula verborum: reliquas verò vnctiones cũ ſuis formulis partialibus ad ſacramenti integritatem, & pleniorem perfectionem pertinere: ſicuti duæ ſpecies ad integralem perfectionem ſacræ Euchariſtię. Quam ſententiam indicat Supplem. S. Th. q. 29. a. 2. in corp. Palud. in 4. d. 23. q. 1. a. 3. concl. 2. Medina C. de Confeſſ. q. 11. §. ſecundò idem probat. In eadémque fuerunt DD. Louanienſes apud Suar. diſp. 41. ſ. 3. Chapeauille c. 5. q. 30. Coninck dub. 3. approbantes in paſtorali Mechlinienſi can. 9. de Extrema vnctione: In morbis contagioſis, puta tempore peſtis, ad vitandum periculum ſatis eſſe, ſi vngatur organum ſenſus magis obuium, dicendo: *Per iſtam ſanctam vnctionem, & pijſsimam ſuam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid deliqui-* 3
ſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum, & greſſum. Quare hæc ſententia non eſt omnino improbabilis. Illud verò adhuc ſecurius, vt in caſu neceſſitatis, celeri motu, & breui verborum forma, omnes formas partiales in ſe virtualiter complectente, ſacramentum cõferatur, ſaltem ſub conditione mente retenta: *Per hanc ſacram vnctionem, vel per has ſacras vnctiones, indulgeat tibi Deus, quicquid deliquiſti per viſum auditum, odoratum guſtum, tactum.*

Caſus autem neceſſitatis duo ſunt præcipuè. I. Si Sacerdos, poſtquam vnam, vel alteram vnctionem peregit, reliquas ſecundùm ritum conſuetum, ſe abſoluere non poſſe ſperet, propter mortis accelerationem. II. Si infirmus mox animam exhalaturus, aliud ſacramentum non accepit. Extra hos verò caſus, communiter præſtat ſacramenti huius, quippe minus neceſſarij, miniſtrationem intermittere, quàm præter Eccleſiæ receptum morem conferre: præterquam, ſi loci Ordinarius, probabilem Doctorum ſententiam ſecurus, breuiorem illam formam pro tempore peſtis durantis approbet.

Tertiò aduertendum: Non omnia verba poſita in forma conſueta videri eſſentialia: quamuis ſine ſcelere omitti non poſſint. Vt ſi quis dicat; *Per hanc vnctionem remittat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum,* &c. videtur validum eſſe ſacramentum, quamuis Miniſter grauiter peccet: de quo idem Suar. diſp. 40. ſ. 3. Coninck cit. dub. 3. Id verò certius eſt, inuocationem ſacroſanctæ Trinitatis ad huius ſacramenti formulam non requiri: quamuis neque ea mittenda ſit in Eccleſijs, quibus conſuetudo eſt, vt addatur.

Denique notandum: Verba illa, *quicquid peccaſti,* efficere ſenſum conditionalem, *ſi quid peccaſti*: quamobrem miniſtrari poſſet hoc ſacramentum homini, etiã ſi is nullum peccatum habeat, v. g. ei qui immediatè antè baptizatus fuit. Ita indicat Richar. in 4. d. 23. a. 2. q. 4. & docet Suarez diſp. 42. ſ. 2. num. 7.

CAP. IV.

De ſubiecto, ſiue ſuſcipiente huius ſacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Subiectum capax huius ſacramenti eſt ſolus homo baptizatus, qui rationis vſum adeptus eſt, & ex morbo vita periclitatur.*
2 *Pueris Extrema vnctio dari poteſt, etiam antequam ad S. Euchariſtiam admittantur.*
3 *Morituris, ſi in phreneſin, aut amentiam inciderunt, Extrema vnctio danda eſt, ſi antè Chriſtianè vixerunt: ſecùs, ſi in peccato mortali notoriè conſtituti erant.*
4 *Expedit dare Extremam vnctionem, cùm periculum mortis ex infirmitate probabile eſt.*
5 *Extrema vnctio iterum conferri poteſt, ſi infirmus poſtquam reualuiſſe videbatur, in periculum mortis recidat.*

SVbiectum capax huius ſacramenti eſt ſolus homo
baptizatus, qui rationis vſum adeptus eſt, & ex mor- 1
bo vita periclitatur. Eſt communis Scholaſticorum in 4. d. 23. Primò itaque requiritur, vt homo baptizatus ſit: nam Baptiſmus eſt *ianua vitæ ſpiritualis: quia per ipſum*

de

de corpore efficimur Ecclesiæ, inquit Florentinum in decreto Eugenij: quare sine Baptismo homo capax esse non potest aliorum sacramentorum, quæ Christus pro salute, & profectu Ecclesiæ suæ instituit.

Secundò requiritur, vt rationis vsum adeptus sit: tunc enim peccati actualis capax, tanquam miles aduersus extremos diaboli insultus pugnare, & ob id veluti ad luctam vngi potest: quare generalis regula tradi potest; quod quicunque ad eam ætatem, & rationis discretionem peruenit, vt sacramenti Pœnitentiæ capax sit: quia videlicet in peccatum actuale lapsus fuit, (quod ordinariè circa septennium contingit) eidem sacramentum Extremæ vnctionis validè, & decenter conferatur. Quam regulam tradunt Nau. cap. 22. num. 13. Suar. 3. p. to. 3. disp. 70. s. 1. Sa ver. extrema vnctio, num. 2. Graffis p. 2. decis. lib. 1. cap. 8. num. 16. Angles in 4. p. 1. de extrema vnct. a. 4. Zambr. de Extr. vnct. dub. 1. vbi admonent, Extremam vnctionem negandam non esse pueris, rationis vsum sufficientem habentibus ad peccandum, tametsi S. Eucharistiam non recipiant; quia pro-
2 pter vim morbi, & instantis mortis, de tanti mysterij dignitate satis instrui non possint. Quamuis contrarium doceat Sotus d. 23. quæst. 1. a. 2. concl. 4. Viualdus de Extr. vnct. cap. de suscipientibus, num. 7. Pueris dandam non esse Extremam vnctionem, nisi in ea ætate, ac dispositione sint, vt etiam sacrum Viaticum accipere possint. idque multis locis consuetudine obseruatur: quam tanquam minùs rationabilem reprehendit Zambranus cit. dub. 1. num, 8. propterea quòd inter sacramenta S. Eucharistiæ & Extremæ vnctionis nulla sit ordinis connexio: ergo tametsi aliquis dispositus non sit ad Eucharistiam suscipiendam: si tamen dispositus videatur ad sacramentum Extremæ vnctionis, non debet eo priuari. Verùm dum talis consuetudo ab Episcopis toleratur, excusantur Parochi, si pueris ante annum ætatis decimum quartum, aut decimum quintum iuxta cuiusuis diœcesis consuetudinem, Extremam vnctionem negent: excepto tamen casu necessitatis, si puer, quem rationis vsum assecutum esse constat, aliud autem mortem sacramentum suscipere non possit. Vide Chapeauille c. 5. q. 17.

3 Porrò tametsi deceat, idque curandum sit, vt infirmus vngatur, dum rationis capax est: sic enim maiore cum reuerentia suscipiet, & actualis in ipso deuotio, fiduciáque in Dei misericordiam, virtute huius sacramenti, excitabitur: attamen negari non debet morituris, si vel paulò ante in phrenesin inciderunt, vel etiam diuturno tempore vsu rationis priuati extiterunt, modò priùs, quàm in talem amentiæ statum peruenerunt, sacramentum hoc saltem interpretatiuè desiderarint, si nimirum Christianè vixerunt, atque salutis suæ memores fuerunt: quod quidem præsumendum, nisi contrarium appareat. Ita ex communi docet Palud. d. 23. q. 3. a. 2. Syl. ver. Vnctio extrema, q. 5. Henriq. lib. 3. c. 13. n. 1. Zambr. c. 5. dub. 2. n. 4. In eóque differt hoc sacramentum à Penitentiæ sacramento, quod ministrari non potest homini, nisi actuale signum pœnitentiæ, & desideratæ absolutionis ediderit: propterea quòd externa humilis peccati Confessio, edita in ordine ad absolutionem sacramentalem, sit materialis, atque essentialis par sacramenti. At verò Extrema vnctio ministrari potest non solum actualiter, sed etiam habitualiter petentibus. Idémque dicendum de concessione indulgentiarum.

Sed quid? Si Sacerdos sciat hominem, qui vngendus est, mortale peccatum ommisisse: nesciat verò, vtrum de eo confessus sit, vel saltem eum pœnituerit? Respondeo: Si peccatum, vel etiam annexa excommunicatio occulta sit, ordinariè ministrari debent sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, præmissa ad cautelam absolutione à censuris, sicuti ex communi docent Sotus in 4. d. 12. quæst. 1. a. 6. Zambr. cap. 5. dub. 2. n. 8. Ratio est: Quia phreneticus ex hac vita dicessurus ordinariè ita se habet, ac si publicè sacramenta exeuntium peteret: peccatori autem occulto publicè petenti sacramenta ministrari debent: cùm Sacerdos tanquam ex officio administrans, publicam personam gerat, ideóque secundum publicam, non priuatam notitiam procedere debeat. Cæterùm, si in aliquo casu specialis, in publicam notitiam deuenturum non sit, quòd Sacerdos homini sacramenta neget: sed perinde ipsa sacramentorum negatio, sicuti & causa negandi, videlicet antecedens peccatum, occulta manebunt, tunc Sacerdos ministratione sacramenti abstinere tenetur, ob ea quæ dixi tr. 4. cap. 6. num. 19. Sin verò notorium sit, hominem antequam in phrenesin incidat, mortaliter peccasse, vel in excommunicatione fuisse: tunc sacramenti ministrationem non meretur, nisi aliquibus coniecturis: vel saltem vnius hominis testimonio probetur, absolutum fuisse, vel pœnitentiæ aut alia pietatis signa, edidisse: vt, si post illiciti duelli congressum dixit, se aduersario ignoscere. Ita ex communi Syl. ver. vnctio, quæst. 5. Tolet. lib. 7. cap. 3. Zambr. cit. dub. 2. num. 5. & indicat Suarez t. 4. disp. 42. sect. 1. num. 10. Ratio est: Quia semel malus semper præsumitur esse malus, quare si certum sit hominem fuisse in statu peccati mortalis: nisi postea indicium aliquod mutatæ voluntatis præbeat potiùs existimatur in statu antiquo permansisse. Arbitror tamen, etsi notoriè constet, hominem ante duas v. g. vel tres septimanas mortaliter peccasse: dum tamē vel aliquorum testimonium habetur, quod vel domi orauerit: aut si probetur semper in more habuisse, post commissum peccatum dolere, & à Deo veniam petere etiam hoc casu, si post commissum peccatum aliquamdiu vsum rationis seruauit, sacramenta, & sepulturam sacram conferenda esse: cùm in dubio inclinandum sit in fauorem animæ.

Iis porrò, qui perpetuò amentes fuerunt, Extrema vnctio ministranda non est: quia sicuti infantes, ita & ipsi capaces non sunt huius sacramenti fructus ac præcipui finis: qui est abstergere peccatorum reliquias, & tollere impedimenta introitus in regnum cœlorum.

Tertiò requiritur, vt homo vita periclitari videatur propter infirmitatem ex morbo, peste, vulnere, veneno potato, vel simili causa intrinseca: neque enim Extrema vnctio ijs conferri potest, quibus per extrinsecam violentiam gladio, suspendio, naufragio mors inferenda est. Quæ est communis doctrina Scholasticorum in 4. dist. 23. vbi S. Th. q. 2. a. 2. & confirmat Ecclesiæ praxis: cui etiam consentit Apost. in citat. cap. 5. *Infirmatur quis in vobis*, in Græco ἀσθενεῖ Et infra; *Oratio fidei saluabit infirmum*. χάμνοντα id est ferme de- 4
ficientem ex morbo. Neque tamen expectandum est extremum, aut omnino certum periculum mortis: sed expedit dare, cùm periculum est probabile, ne si diutius differatur Vnctionis sacramentum, mors, vel saltem sensuum defectio subitò superueniat: quod multò etiam magis de sacro Viatico in mortis periculo existentibus præbendo sentiendum, monet Petrus Sotus de Extrema vnct. lect. 2. §. quis verò capax, & Zambr. dub. 3. qui etiam admonet cum Henriq. lib. 3. c. 11. n. 1. necessarium non esse, vt infirmus in lecto decumbat: sed inungi posse etiam extra lectum, v. g. peste infectum, hydropicum, phtisicum. Sed etsi diuturnior morbus videatur, si tamen salus desperata sit, posse statim in principio morbi sacramentum Extremæ vnctionis ministrari, saltem si aliqua causa exigat: vt quia morbus fallax esse solet, qui interdum inopinatò hominem occidit: vel quia in progressu maius contagionis periculum timetur, idque pestis tempore obseruandum monet Suarez t. 4. disp. 44. s. vlt. in fine. Quòd si, adhibito etiam medicorum iudicio, probabiliter dubitetur,

an homo peste infectus, & consequenter in periculo mortis sit, necne, sacramentum hoc sub conditione ministrari posse, ait Chapeauille cap. 5. sui tractatus, q. 11. Verùm, quia sacramentum necessarium non est, ideo si aliud homini ministrari possit, existimo Extrema vnctione supersedendum fore: nisi adsit opinio saltem probabilis, hominem peste infectum, vel ex alio morbi genere in mortis periculo constitutum esse.

Denique communis est sententia S. Th. in 4. dist. 23. q. 2. a. 4. & in Supplem. q. 33. a. 2. Palud. ead. dist. 23. q. 4. Richar. a. 2. q. 6. Syl. ver. Vnctio extrema, q. 8. Henriq. lib. 3. cap. 9. nu. 3. Zambr. cap. 5. dub. 6. Suarez disp. 40. in fine: Extremam vnctionem non posse iterum conferri, durante eodem periculo morbi: secùs, si aliud nouum sit periculū: quia videlicet infirmus, postquam semel inunctus fuerat, meliùs habere cœpit, vt medicorum iudicio extra probabile seu propinquum mortis periculum constitutus esset, iuxta corporis constitutionem recidit, tunc iterum vngi potest: licet interuallum temporis non longum, sed paucarum tantùm hebdomadarum intercesserit: dummodo prudente practica consideratione censeantur diuersa pericula, quibus homo constituatur in dictis statibus, seu dispositionibus ad moriendum, sicuti Zambranus, & Suares notarunt. Ratio doctrinæ est, quam S. Th. dat: quia hoc sacramentum ex propria institutione conferri debet infirmo non cuicunque, sed qui secundùm humanam æstimationem est in probabili statu moriendi, teste etiam Trident. sessione 14. c. 3. Ergo dum idem status, quamuis diuturno tempore durat, non est repetendū sacramentum: secùs, si vno periculo remoto, diuersus moriendi status incidat. Etenim, sicuti corporis ægritudo ad mortem disponens, & quæ coniuncta esse solet animi depressio, iterum incurri potest: ita & spirituale huius sacramenti remedium tum ad corporis, tum multò magis ad animi subleuationem institutum, repeti posse debet.

CAP. V.

De effectu huius sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentum Extremæ Vnctionis principaliter institutum est contra peccatorum reliquias, minùs principaliter ad sanitatem corporis, si animo expediat, conferendam.*

2 *Peccatori, quē Sacerdos existimat attritum fuisse, antequā in phrenesim inciderit, Extremā vnctionem ministrare potest.*

3 *Extrema Vnctio est sacramenti totius vitæ consummatiuum.*

4 *Effectus gratiæ sacramentalis confertur, cùm sacramentum essentialiter constitutum est.*

5 *Sacramentum Extremæ Vnctionis non videtur consistere, & effectum operari, donec omnes quinque sensus vncti sint.*

DVæ sunt doctorum de hac re sententiæ: Vna S. Bonau. in 4. dist. 23. a. 1. q. 1. Richar. a. 1. q. 5. Durandi q. 1. a. 2. Scoti q. 1. conc. 2. Nauar. c. 22. man. n. 13. Præcipuum huius sacramenti effectum esse, delere peccata venialia, quę post aliorum sacramentorum susceptionem reliqua manent. Sed hunc dicendi modum minùs probabilem esse partim ex eo colligitur, quia ad delenda omnia peccata post Baptismum commissa, per se institutum est sacramentum Pœnitentiæ, ac confessionis: Ergo sacramentum Extremæ vnctionis ad alium finem seu effectum principaliter institutum videtur: partim ex verbis Apostoli Iacobi, qui remissionem peccatorum huius sacramenti effectum esse ait non absolutè, sed conditionatè, *si in peccatis est*, mortalibus aut venialibus, *remittentur ei.* Quo satis significat, alium præter hunc magis proprium & principalius intentum effectum esse, quem videlicet antecedentibus verbis indicarat, *alleuiabit eum Dominus.*

Alius igitur dicendi modus est, S. Th. in 4. d. 23. q. 2. a. 2. q. 1. Palud. q. 4. conc. 2. Soti q. 1. a. 2. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 8. Syl. ver. Vnctio, q. 3. Sa ver. Extrema vnctio, n. 16. Henriq. lib. 3. c. 9. Bellarm. cap. 8. de Extrema vnct. Suarez disp. 41. s. 1. n. 11. Sacramentum Extremæ vnctionis per se: ac principaliter institutum esse contra reliquias peccatorum tum originalis, tum actualium: minùs verò principaliter ad sanitatem corporis conferendam, quatenus secundùm Dei prouidentiam, saluti animæ expedierit. Quem sententiam breuiter expressisse videtur Concilium Florentinum: *Effectus huius* sacramenti *est mentis sanatio, &, in quantum expedit, ipsius etiam corporis.* Nam sanatio mentis, in homine viatore, ad vitę exitum tendente, eò refertur, vt peccatorum reliquiæ animam grauantes vel mitigentur, vel penitus tollantur. Nomine autem reliquiarum, non vnicum quid, sed plura intelligere oportet, quæ animum infirmi grauant: quorum primum est tepiditas, & torpor ex peccatis tum originali, tum actualibus prouenient, quo animus hominis deijcitur, præsertim circa mortis ex infirmitate periculum: cùm etiam maiores Dæmonis infestationes ingruunt: quare in hoc sacramento secundùm propriam eius institutionem gratiæ auxilia conferuntur, quibus anima ægroti alleuietur confirmetur, siue ad spem ac fiduciam erga Dei misericordiam excitetur, sicuti colligitur tum ex verbis Apostoli, *alleuiabit eum Dominus*, iuxta Trident. sessione 14. in proœmio de Extrema vnct. & cap. 2. tum ex proprietate materię huius sacramenti, quā Theophyl. in cap. 6. Marci, adducto testimonio S. Iacobi explicat his verbis: *Est oleum ad labores vtile, & lucis fomentum & hilaritatis effectiuum, significatque misericordiam Dei & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem ac gaudium, hilaritatémque spiritualem accipimus.* Alterum sunt peccata tum mortalia, tum venialia, quæ si homini per alia sacramenta ac remedia remissa non sunt, virtute huius sacramenti remittuntur, si suscipiens per attritionem dispositus sit, & suscipiendo hoc sacramentum mortaliter non peccet. Ita Palud. in 4. d. 23. q. 1. a. 3. conc. 3. Suarez disp. 41. s. 1. n. 19. & disp. 41. s. 1. in fine, Coninck disp. 19. n. 19. & 20. Ex quo isti ita inferunt: Licet suscipiens, si mortalis peccati conscius, attritum se duntaxat existimet, non possit intendere, aut sperare peccati remissionem virtute huius sacramenti, quippe quod per se, ac principaliter, viuorum non mortuorum est: attamen administrans, si in aliquo casu existimet, infirmum existere in peccato mortali, de quo confiteri iam non possit, quia phreneticus est: poterit ei conferre Extremam vnctionem: modò probabiliter arbitretur attritum fuisse, priusquam in phrenesin incideret: siquidem hoc sacramentum in eum etiam finem specialiter à Christo institutum est, vt tollat, si quæ reliqua manserunt, peccata, pro quibus aliud remedium non suppetit, iuxta verba S. Iacobi absolutè promittentis peccatorum remissionem, iuncta etiam interpretatione Concil. Trident. *Vnctio Spiritus sancti delicta, si qua sunt adhuc expianda, abstergit.* Hæc sententia, cùm saluti animarum faueat, tanquam valde probabilis in praxi sequenda erit, vti etiam notauit Chapeauille de modo ministr. sacram. tempore pestis, cap. 1. q. 1. ver. sextò.

Tertium est, remissio pœnæ temporalis non integræ, si loquamur de effectu sacramenti ex opere operato: sed secundùm mensuram institutionis Christi.

Corollarium. Rectissimè dictum est in Trident. Concilio cit. proœmio de Extrema vnct. Quò sacramentum Extremæ vnctionis sit, *non modo Pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ consummatiuum*, quia eo fine à Christo Domino misericorditer institutum est, vt tollat, si quæ adhuc restant, peccatorum reliquias, & salutis

salutis impedimenta, adeóque preparet hominem, atque expeditum reddat ad introitum regni cœlestis: nisi magis expedire videatur, vt homini salus corporis restituatur, ad vitam diutiùs in hac terra agendam.

Quæret aliquis: Quando effectus gratiæ infirmo ri-
4 te hoc sacramentum suscipienti conferatur? Respondeo Effectum gratiæ habitualis tunc conferri, cùm sacramentum essentialiter constitutum est. Id enim commune est sacramentis, quòd effectus eorum sequitur ex opere operato, id est, eo ipso, quòd sacramenti substantialis entitas posita est. Tametsi verò existimem, morales tantùm causas esse, operantur tamen secundũ similitudinem ac proportionem causæ physicæ, supposita capacitate subiecti, nec non commensuratè dispositioni eius: ita vt adulto meliùs disposito maior gratia tribuatur.

Porrò discrimen est inter sacramenta: quòd quædã eorum constant partibus integrantibus, quarum singulæ in se sacramenta sunt, materiam & formam partialem habentes: vt sacramentum Eucharistiæ, & Ordinis quamobrem in susceptione cuiuslibet sacri ordinis gratiæ effectus confertur. Alia verò sacramenta vnica materia, & forma perficiuntur, vt Baptismus, Confirmatio, &c. quæ proinde effectum gratiæ habitualis non antè, sed tunc statim conferunt, cum primum essentia completè posita est. Quamuis verò Medina Cod. de Confess. q. 11. §. 2. idem probat, Extremæ vnctionis sacramentum prioribus annumeret, cùm ait, quòd Extremæ vnctionis *partes plures sunt, & quælibet earum est*
5 *sacramentum, suam formam habens*, tamen contraria sententia est communis, quinque sensuum vnctiones cum suis formis, esse de essentia sacramenti: ita vt vnctiones & earum formæ sigillatim consideratæ sacramenti rationem non habeant; neque effectum aliquem producant: sed quatenus in vltima vnctione, & verborum forma complentur. Idque sumi debet ex institutione Christi, quam accepimus per traditionem Ecclesiæ, cõmuniter vsurpantis quinque sensuum vnctiones, tanquã necessarias ad valorem sacramẽti. Ratio verò congruẽtiæ est: Quia sic demùm peccati reliquiarum abstersio, atque integra animæ sanatio significatur, si vnctiones cum verborum formulis adhibeãtur quinque sensibus, quippe quæ radices esse solent omnium peccatorum.

Cæterùm, præter habitualem, & sanctificantem gratiam, conferuntur etiam actualia Dei auxilia opportunè ad finem illum, ob quem sacramentum institutum est. Videlicet cùm hoc sacramentum Extremæ vnctionis à Christo institutum sit, vt reliquias peccatorũ tollat, & animam morituri ad introitum regni cœlestis præparet: ideo in primo instante, quo essentialiter completum est, confertur gratia habitualis, quatenus ad hunc ipsum finem seu effectum idonea est: simul verò etiam, & postea tempore oportuno, specialia auxilia gratiæ conferuntur, quibus anima excitatur, ad torporem suum, ac deiectionem aliáque salutis spiritualis impedimenta abijcienda, & seipsam in Deum erigendã.

CAP. VI.

De Ministro huius sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Solus Sacerdos potest esse Extremæ vnctionis Minister.*
2 *Extremam vnctionem extra necessitatis casum licitè non administrat Sacerdos, si nec Pastor sit neque à Pastore, seu Ordinario licentiam habeat.*
3 *In casu necessitatis plures Ministri esse possunt, quorum vnus vnum, alter alterum sensum simul vngant.*

1 Dicendum, quòd solus Sacerdos possit esse minister Extremæ vnctionis. Ita S. Th. in 4. d. 23. q. 2. a. 1. ibid. S. Bonau. a. 2. q. 1. Richar. a. 2. q. 2. Palud. q. 2. ar. 1. & constat ex Concil. Florent. in decreto Eugenij Trident. sess. 14. cap. 3. de Extrema vnctione, & sumitur ex traditione Ecclesiæ fundata etiam in verbis Apostoli, *Inducat Presbiteros Ecclesiæ*, iuncta explicat. Patrum c. 1. allegatorum.

Verùm, licet quiuis Sacerdos hoc sacramentum valide conferat, quia eius administratio intrinsecè non est 2
actus iurisdictionis, sicuti absolutio à peccatis: mortaliter tamen peccat, qui nec proprius Pastor existens, nec à proprio Pastore licentiam habens hoc sacramentum administrat: si quidem sacramenta fidelibus ministrare proprium est Pastoris officium. Adde, quòd Religiosi etiam excommunicationis sententiam Sedi Apostolicæ reseruatam, ipso facto incurrunt, Clemen. 1. de priuileg. si Clericis, vel laicis sacramentum Vnctionis vel Eucharistiæ ministrare, vel matrimonia solemnizare, sine Sacerdotis proprij licentia præsumant.

Excipiunt tamen plerique Doctores casum necessitatis, si videlicet Parochus adsit, vel non possit, aut pemanifestam iniuriam nolit sacramentum ministrare: neque etiam hoc casu Superior eius adiri queat pro petenda licentia, tunc quemuis alium Sacerdotem non excommunicatum, aut suspensum licitè ministrare. Ita enim Caietan. ver. excommunicatio, c. 64. Armillan. 49. Henriq. lib. 3. c. 13. n. 4. Suar. disp. 44. s. 2. Zambr. c. 5. d. 8. Coninck disp. 19. d. 9. contra S. Anton. p. 3. tit. 24. c. 34. *Syl.* ver. excommunicatio, 7. excommunicat. 14. dub. 3. Ratio est, Quia in tali casu, etsi ipsemet immediatus Pastor, seu Parochus inuitus sit, tamen eius Superior, saltem Sum. Pontifex, licentiam præbere censendus est: cùm hoc sacramentum animæ in extrema lucta valde vtile sit, & quasi firmissimum præsidium contra Dæmonis infestationes, à Christo institutum, testante Trident. in procmio de Extrema vnctione: quin etiam necessarium animæ remedium si aliud eo tempore sacramentum salubriter suscipi nequeat.

Illud quæri solet, vtrum huius sacramenti Minister debeat esse vnus, an verò plures: cùm Apost. Iacobus plurali numero dicat *inducat Presbyteros*. Respondeo, & dico I. Singulæ vnctiones necessariò ab eo Ministro fieri debent, qui simul verborum formam vnctioni respondentem profert. Nam S. Iacobus iubet, vt *ungentes orent* super infirmum: & ipsa verborum forma, *per hanc sanctam vnctionem* secundùm communem acceptionẽ significat, vnctionẽ ab eo fieri, qui verba profert.

Dico II. Plures Ministri esse possunt in sacramento 3
Extremę vnctionis, ita vt vnus vnum sensum vngat partiali forma prolata, & alter alterum sensum vngat itidem prolata forma partiali: quæ est communis Doctorum sententia apud Suar. disp. 43. s. 2. Henriq. lib. 1. c. 27. n. 2. Eáque facilè defenditur, & explicatur secundùm illorum sententiam, qui existimant, vnamquamque vnctionem cum sua forma sigillatim sacramentum constituere, & effectum gratiæ conferre. Secundùm aliam verò sententiam, quæ communior est, dicendum id esse peculiare in hoc sacramento, quod partiales eius materiæ, ac formæ in suo genere, & ordine non suspensam, sed absolutam significationem habeant, quãobrem, cùm semel earum aliqua legitimè facta est, repeti non debet seu ab eodem, seu ab alio ministro, sed superaddendum, quod ad sacramenti completionem requiritur. Quod etiam docuit S. Bonau. d. 23. a. 2. q. 4. Palud. q. 2. a. 5.

Quamuis verò id verum sit, si loquamur de valida ministratione huius sacramenti: tamen Ecclesiæ consuetudo declarat, vt vnus Minister omnes vnctiones, adeóque totum sacramentum perficiat, excepto casu necessitatis, qui duplex est: Vnus communiter receptus ex parte Ministri, si inchoatas vnctiones, ob repentinã infirmitatem, absoluere non possit: tunc alter ei suc-

cedere debet, nihil repetens, sed quæ restant, adijciens. Alter est ex parte infirmi, si antè moriturus videatur, quàm vnicus Minister omnes vnctiones perficere possit: tunc permittit Suarez cit. f. 2. num. 8. vt plures Sacerdotes simul vngant; vnus oculos, & alter aures, &c. proferentes interim formas, quæ vnctionibus respondent. Et fortasse S. Iacobus idcirco *Presbyteros* nominauit, vt significaret, plures ad huius sacramenti ministrationem concurrere posse. Nisi malis dicere, numerum pluralem pro singulari vsurpare, ac si diceret, inducite vnum ex Sacerdotibus, ministris Ecclesiæ.

CAP. VII.

De obligatione suscipiendi, ac ministrandi hoc sacramentum.

SVMMARIVM

1 *Nullum præceptum extat sacram Vnctionem accipiendi, cùm ad salutem necessarium non sit.*
2 *Propter contemptum, vel scandalum secuturum fieri potest, vt peccatum mortale sit, Extremam Vnctionem intermittere.*
3 *Parochus ratione officij sui sub peccato mortali obligatur ad ministrandum Extremæ Vnctionis sacramentum petentibus.*

1 COmmunis est Doctorũ sententia S. Th. in 4. d. 23. q. 1. Rich. art. 1. quæst. 3. ad 1. vlt. Nau. c. 22. num. 16. Syluest. ver. vnct. qu. Victor. de Extrema vnct. num. 219. Henriq. lib. 3. c. 10. n. 3. Suarez disp. 49. f. 1. nullum esse præceptum suscipiendi sacramentũ Extremæ vnctionis: propterea quòd ad salutem necessarium non sit. Quamuis sine causa, per solam negligentiam intermittere, videtur esse peccatum veniale: cùm sit quædam incuria, seu prodigalitas spiritalis boni, vti docet ConincK dub. 10. concl. 1. Imò P. Sotus lect. 2. de Extrema vnctione, secutus Magist. in 4. dist. 23. ait, esse peccatum mortale: sed non rectè, cum nullũ præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum extet de suscipiẽdo hoc sacramento. Quod intellige per se loquendo. Nam per accidens, si infirmus aliud sacramentũ suscipere non possit, & de sua contritione dubitet, videtur obligatus ad suscipiendam Extremam vnctionem, ne animam damnationis periculo exponat. Ita docet Palud. in 4. dist. 23. q. 1. a. 3. concl. 3. afferens exemplum de eo, qui locutionis vsum amisit. Veruntamen hic casus moraliter vix possibilis est, vt moriturus accipere possit sacramentum Extremæ vnctionis, non autem sacramentalem absolutionem præterquam, si Sacerdos nolit absolutionem dare, quia v.g. existimat, dari non posse, nisi peccata in specie ipsi explicentur.

2 Denique Extremam vnctionem ex contemptu omittere, fatentur omnes esse peccatũ mortale. Adde mortaliter peccari posse ratione secuturi scandali: si videlicet infirmus interrogatus, num ante vitæ exitum sacramentum Vnctionis accipere, nulla rationabili causa allata, renuat: atque exinde audientes vel falsam suspicionem hæresis de illo concipere, vel ob hominis auctoritatem ad huius sacramenti vilipensionẽ moueri possint.

Et quod dictum est de ipso infirmo similiter sentiendum est de ijs, qui infirmi curam gerunt, si Extremam vnctionem ijs procurare sine rationabili causa intermittant, non peccare eos mortaliter: nisi coniunctus sit cõtemptus, vel graue scandalum: vel denique in casu extraordinario, si infirmus, sacræ Vnctionis capax, & fortasse maximè indigens, aliud sacramentum ante vitæ suæ finem suscipere non possit.

3 Qui verò curam animarum gerit (vt Parochus, Prælatus Ordinis) is ratione officij ex iustitia obligatur hoc sacramentum ad fidelium salutem à Christo institutum, subditis ministrare: proinde mortaliter peccat, si petenti sine iusta excusatione neget, vel differat, cum probabili periculo, ne interim infirmus decedat: qua de re vide Chapeauille c. 5. q. 1. Alius verò Sacerdos, qui non est proprius Pastor, si absente Parocho licitè, ac facilè ministrare possit hoc sacramentum in casu necessitatis, ad id ex charitatis lege obligatur: quãuis non obligatione graui sed solum sua culpa veniali: excepto, si infirmus grauiter indigere videatur, qui alioquin sine omni sacramento decedere deberet: ita cuti notauit Palud. citat. dist. 23. q. 1. art. 2. conc. 2. sininck conc. 2. Co-

CAP. VIII.

De cæremonijs, seu ritibus ministrandi hoc sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *Si periculum in mora sit statim ad ipsas Vnctiones, quippe sacramento essentiales, accedendum est.*
2 *In dubio, num adhuc viuat qui vngendus est, sub conditione sacramentum ministrari potest.*
3 *Sacerdotes infra palmam, vel in exteriore manus parte vngi solent.*
4 *Nihil obstat, sacrum Viaticum dari etiam post acceptam Extremam vnctionem.*

AD accidentales cæremonias pertinet primò: Vt præmittantur orationes, & psalmi: nisi loci, ac temporis circumstantiæ id non permittant: vel nisi periculum videatur esse in mora, propter mortis accelerationem, tunc statim incipiendum est ab vnctionibus: & orationes ac psalmi postea recitandi, sicuti monet Zambranus de Extrema vnct. princip. n. 10. Item pestis tempore, propter periculum contagionis, satis est adhibere ea, quæ essentialia sunt, cum breuissima morâ, quoad fieri potest, si tamen tempus patiatur, orationes, & psalmos postea in ecclesia supplere consultum erit. Inseruire etiam poterit pestis tempore vsus virgæ argenteæ oblongæ, ad vngendum è loco remotiore causa vitandæ contagionis: qua de re Suar. disp. 44. sect vlt. in fine, Chapeauille cap. 5. quæst. 39. 1

Porrò si dubium sit, num adhuc viuat qui vngendus est, danda est vnctio sub conditione, *si non est mortuus*, sicuti notauit Nau. c. 22. n. 13. Armilla, ver. vnctio, n. 7. Syl. q. 5. in fine, Sa ver. Extrema vnctio, n. 15. 2

Secundò adhiberi debet, vnus saltem minister Clericus, si haberi possit: alioquin solus etiam Sacerdos Extremam vnctionem conferens, reliqua etiam omnia peragere poterit. Quæ videtur esse responsio Alexandri III. in c. quæsiuit, de verb. signif. interprete Gl. ver. etiam solus, Chapeauille cap. 5. q. 36. Sa num. 9. Tolet. lib. 7. c. 2. in fine.

Tertiò, Quòd vnctio fiat immediatè manu Sacerdotis & in formam crucis, ad accidentales ritus pertinet, vt suprà etiam dixi c. 2. num. 7.


Quartò, Quòd vterque oculus, vtraque auris, &c. vngi debeat, non pertinet ad valorem sacramenti: quare in casu necessitatis, satis est vnum oculum, vnam manum, &c. inungere, teste Zambr. n. 9. Sa n. 2. Suarez disp. 40. f. 1. n. 5. Sacerdotes porrò non in palmis, vbi sacro chrismate vncti sunt, sed infra palmam, vel in exteriore manus parte vngi solent, teste Viualdo de Extr. vnct. §. vbi conferendum, num. 3. Sa num. 16. §. Sacerdotes: quamuis nihil refert etiam in ipsis palmis inungi: hæc vnctio ab altera diuersa sit, vti notauit Palud. in 4. distinct. 23. art. 3. q. 3. concl. 3. Zambr. n. 5. Quare cuiusque in hac re consuetudo diœcesis sequenda est.

Quintò, Ad singulas vnctiones adhibenda est stupa alia: & omnes postea comburendæ, sicuti constat ex Rituali, & docet Sa num. 14.

Sextò, Consuetudo ferme vbique obtinet, vt sacramentum Extremæ vnctionis, vltimo loco inter sacra- 3

menta

menta morituro conferatur, quia est sacramentum exeuntium & totius vitæ Christianæ consummatiuum. Putant tamen Durandus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ, cap. 20. num. 23. Suarez disp. 44. sect. 1. num. 8. Zambranus dub. 1. num. 5. Quibusdam locis olim Extremam vnctionem ante viaticum dari solitam esse, sicuti colligi videtur ex cap. ab infirmis, 26. quæst. 7. & S. Benardo in vita Malachiæ, describente mortem eius: *Interea iubet se sacro oleo vngi: exeunte conuentu Fratrum vt solemniter fieret, non sustinuit vt ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Iacebat siquidem in solario, domo superiore. Vngitur, & sumpto Viatico Fratrum se orationibus, & Fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur.* Neque deest ratio, eo quòd S. Eucharistia finis est, ac perfectio reliquorum sacramentorum: quam proinde deceat animæ præbere, postquam alijs sacramentis plenè purgata est; atque ipsum *Viaticum* significat dandum esse animæ mox migraturæ. Seruanda tamen est consuetudo Ecclesiæ: cui nequaquam aduersatur, quo minus post acceptam S. Euchar. & Extremam vnctionem, si infirmus aliquanto tempore viuat, & Viaticum iterum petat, ei ministrari debeat.



TRACTATVS NONVS DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAP. I.

QVID SIT ORDO?

SVMMARIVM.

1 *Clerici sunt, qui perfectiorem in Ecclesia statum profitentur.*
2 *Ordinatio Clerici non est mera deputatio personæ ad Ecclesiasticum officium: sed est stabilis, & non iterabilis consecratio.*
3 *Hæretici nostri cùm legitimis Episcopis careant, Sacerdotes nullos, aut Clericos ordinare possunt.*



1 Ordo, inquit S. August. lib. 19. de ciuitate Dei c. 13. *Est parium dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.* Sic in Angelorum multitudine tres hierarchiæ, & nouen Angelorum ordines reperiuntur teste S. Dionysio c. 6. de cœlesti hierarchia, S. Gregor. hom. 34. in Euang. S. Th. 1. p. q. 108. a. 1. & 2. Inter homines quoque in quouis bene constructo exercitu, in quauis ciuili Republ. status reperiũtur, quorum vnus altero superior, aut inferior est: vt ordo senatorius, equestris, plebeius: Similiterque in Christiana Republica duo sunt genera, seu status hominum: Clericorũ videlicet, & Laicorũ, c. duo sunt, 12. q. 1.

Dicuntur autem Clerici, *quia de sorte Domini sunt* ait S. Hieronymus epist. ad Nepotiã. videlicet ex Dei gratia, & ordinatione ad diuinum cultum specialiter consecrati, ideóque quasi sors, pars, seu hæreditas Domini, vti interpretatur etiam Alcuinus de diuinis officijs, cap. De tonsura Clericorum, & videri potest Bellarm. lib. 1. de Clericis c. 1.

Porrò inter Clericos quidã gradum nullum dignitatis officij, aut potestatis Ecclesiasticæ obtinent: sed solùm tonsurati sunt, & consecrati, ac deputati, vt ad gradum aliquem ascendere possint. Alij verò in Ecclesia gradum habent traditæ sibi potestatis, ac ministerij ad peragendum sacrosanctum Missæ sacrificium: atq; hi propriè, & per antonomasiam appellari solent ordines, id est, gradus Ecclesiastici ministerij, qua de re Trident. Concilium sess. 23. c. 4.

2 Deniq; ordinatio dicitur ipsa *actio cõsecratoria; qua gradus alicuius potestatis ad altaris ministeriũ alicui cõfertur.*

Circa quam definitionem notandum est, quòd ordinatio Clerici non sit mera deputatio personæ ad exercendum Ecclesiasticum officium, per potestatem ipsi ab Ecclesia traditam, quæ proinde ipsi iterum auferri possit: vti hæretici huius temporis arbitrantur: sed est stabilis consecratio, ob quam collata semel potestas iterum amitti, vel auferri nequit: licet eius exercitium alicui prohiberi possit per suspensionem, vel irregularitatem, sicuti expressè docet S. August. lib. de bono coniugij, c. 24. cuius verba citaui suprà hoc lib. tract. 1. c. 3. & docet Auctor operum Christi cardinalium de ablutione pedum apud S. Cyprianum: *Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatio nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat: nemo sacro oleo lita iterum linit, aut consecrat: nemo impositioni manuum: vel ministerio derogat Sacerdotum: quia esset contumelia Spiritus sancti, si euacuari posset, quod ille sanctificat: vel alicen. sanctificatio emendaret, quod ille statuit, & confirmat.* 3

Veruntamen hæretici cùm legitimis Episcopis destituti sint, à quibus sacram ordinationem per continuam ab Apostolis profectam successionem accipiant, ideo per meram extrinsecam deputationem Ministros pseudo Ecclesiæ suæ creant, qui mox, si fortuna se vertat, iterũ laici, seu è populo aliqui fiunt, vti Tertullian. etiam annotauit in lib. de præscript. c. 41. *Alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. De verbi autẽ administratione quid dicam? cùm hoc sit negotiũ illis non ethnicos conuertendi, sed nostros euertẽdi.*

S. Hieron. in Dial. aduersus Luciferianum: *Hilarius* (Hæresiarcha) *cùm Diaconus de Ecclesia recesserit, solúsque vt putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos, & Presbyteros non habens: neque Baptisma sine Eucharistia tradere: & cùm iam homo mortuus sit, cum homine pariter interijt & secta: qui post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare: Ecclesia autem non est, quæ non est, quæ non habet Sacerdotem.* Et subiungit: *Sed omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi & laici sunt, & sacerdotes, &c.*

Videri etiam potest S. Cyprianus, lib. 1. epist. 6. Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donastitas, & S. Irenæus Martyr lib. 4. aduersus hæreses c. 43. *Iis, qui in Ecclesia sunt, Presbyteris obedire oportet, qui successionem habent ab Apostolis, sicuti ostendimus* (lib. 3. c. 3. & seqq.) *qui cùm episcopatus successione, chrisma veritatis certum, secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco se colligũt suspectos habere, vel quasi hæreticos, & mala sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos.*

In eundemque sensum Tertull. lib. de præscript. cap.

31. *Cæterum si quæ hæreses audent se interserere ætati Apostolicæ, vt ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt: possumus dicere: Edant ergo origines Ecclesiarũ suarũ, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentes, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerit auctorem, & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt.* Et cap. 37. *Ad quos meritò dicendum est, qui estis, quando, & vnde venistis? Quid in meo agitis, non mei?*

Agant id hæretici, & ostendant nobis aliquem, qui in veteri Ecclesia à seculari potestate Episcopus, aut Presbyter ordinatus fuerit: nullus omnino reperietur, qui non ab Episcopis ordinationem, & potestatem acceperit: quamuis vitæ probæ testimonium, & consensus à populo frequenter requisitus fuerit, vti indicat Apostolus 1. ad Timoth. 3. & tradit Origenes hom. 6. super Leuiticum, Cypr. lib. 1. epist. 4. Cœlestinus Papa epist. 2. ad Episcop. Galliæ c. 5. Profectò Iacobum Apostolum Hierosolymitanæ Ecclesiæ à totius Orbis Magistro S. Petro præpositum fuisse, ait S. Chrysost. hom. 87. in Ioan. & consentit Euseb. lib. 2. hist. cap. 1. Clementem Romanum ab eodem S. Petro Episcopum ordinatum esse, testatur Tertull. in lib. de præscript. edit. Paris. pag. 80. S. Polycarpum ab Apostolis in Asia, in ea, quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutum fuisse Episcopum, inquit Irenæus lib. 3. cap. 3. S. Gregor. Thaumaturgum à Phædino Episcopum ordinatum esse: à Gregorio verò Alexandrum Carbonarium, testis est S. Gregorius Nyssenus orat. de S. Greg. Thaumaturgo. S. Athanasius Episcopum ordinauit Frumentium, teste Ruffino lib. 1. c. 9. Gregor. Nazianzenus S. Basilium, vt ipsemet testatur, in carmine de vita sua t2. fol. 7. S. verò Chrysostomus à Meletio Episcopo diaconus, à Flauiano Episcopo presbyter ordinatus est: teste Palladio in vita eius, S. Augustinus à Valerio Episcopo, vt ipsemet Augustinus testatur epist. 34. ad Paulinum. Et talia sexcenta enumerari possent ex historijs: cùm ne vnus quidem proferri queat, qui presbyter, aut Episcopus in Catholica Ecclesia à Laicis, aut potestate seculari constitutus fuerit.

CAP. II.

Vtrum sacra ordinatio sit sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *Aliud est ordo, & aliud ordinatio.*
2 *Sacra ordinatio est verè, & propriè dictum legis nouæ sacramentum, quod etiam Patres testantur.*

NOta primò: Cùm plures ordines sint, non quæritur hîc, vtrum omnes, ac singuli sint sacramẽta: id enim c. 4. disputabitur: sed vtrum sit aliquod sacramentum Ordinationis.

1 Nota secundò: si propriè loquendum sit, aliud est ordo, & aliud ordinatio. Nam ordo significat gradum potestatis, ac ministerij Ecclesiastici, qui sacramentum non est: sed effectus sacramenti, videlicet sacræ ordinationis, per quam eiusmodi potestas confertur, vt mox dicam. Et ita annotauit Scotus in 4. d. 24. 2. 1. & 3.

Est autem assertio de Fide, quòd sit sacramentum Ordinis, siue quòd ordinatio, per quam ordinis potestas confertur, sit verè, & propriè sacramentum. Probatur: Vbi est externum symbolum à Christo institutum, cum annexa promissione gratiæ, ibi est sacramentum, hîc autem habemus externum symbolum, ac cæremoniam, videlicet manus impositionem: quamobrem apud Græcos ordinatio χειροτονία, quasi manus extensio, seu impositio dicta fuit.

Secundò habemus promissionem gratiæ teste Apost. 1. ad Timot. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.* Et 2. ad Timoth. 1. *Propter quam causam admoneo, te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum: non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Quem locum Theophylactus explicans, ait: *In te quidem habitat ipsa gratia, quam accepisti, cùm imponerem tibi manus, quando Episcopum te seligebam, consecrabam: atqui ignem istum vehementiorem, & maiorem effice.*

Exinde colligitur etiam tertium, esse illam cæremoniam diuinitus institutam. Neque etiam Apostolus tã citò affirmasset, per eam gratiam conferri, & quidem sanctificantem, videlicet *spiritum virtutis, & dilectionis*, nisi de ea Christi institutionem, ac promissionem cognouisset: quare hæc ipsa cæremonia manus impositionis semper vsurpata fuit in ordinatione Diaconorũ & Sacerdotum, sicuti videre est Act. 61. ad Timoth. 4. & 5. 2. ad Timot. 1.

Accedit Patrum antiquorum auctoritas, & traditio, 2
Nam per ordinationem Sacerdotis gratiam conferri testantur Dionys. de Eccles. hierarchia c. 5. S. Greg. Nyss. orat. de sacro Baptismate, *Cùm enim Sacerdos heri, ac tempore superiore vnus è multitudine, ac plebe esset repente redditur præceptor, doctor pietatis, mysteriorum latentium præses; eaque contingunt ei: cum nihil vel corpore mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadam vi, ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens.*

S. Ambrosius de dignit. sacerdotali cap. 5. *Quis dat episcopalem gratiam, Deus, an homo? Respondes, sine dubio Deus: sed per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dextera: Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.*

S. Chrysost. hom. 14. in c. 6. Actuum, super ea verba: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*, ita commendatur: *Manus viri superponitur: totum autem Deus operatur: & illius est manus, quæ eius, qui ordinatur caput contingit: si quemadmodum oportet ordinatur.*

Similia habet Leo I. epist. 81. c. 1. *Præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cum Apostoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium, & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletũ.* Et in epist. 78. cap. 1. postquam dixit sacerdotalem honorem, non tribuendum esse, nisi bene probatis, & exercitatis, subiungit: *Quis dissimulare audeat, quod in tanti sacramenti perpetratur iniuriam?* si nimirum indignus ordinetur.

S. August. libro 2. contra epistolam Parmeniani c. 13. expressè ait, neminem dubitare, quin vtrumq; tum Baptismus, tum sacra Ordinatio sacramentum sit: verba ipsa retuli hoc lib. tr. 1. c. 8. In eandémque sententiã scribit S. Hieron. in Dial. aduersus Luciferianos, Sozõ. lib. 7. c. 10. vbi Martyris eiusdem verba refert, quod *vtramque* Baptismum, & Ordinationem *peccatorum mundationem Deus constituit.*

Theodoretus in historia SS. Patrum c. 15. *Accipe* (verba sunt Episcopi ad ordinandum) *donum sacerdotij, mea quidem dextra ministrante: sanctissimi autem Spiritus gratia suppeditante.* Et paulò post: *Statim ergo, nullo ducente, hic quidem flectens genu expectabat gratiam; ille vero manum imponens administer erat Spiritus.* Vide eundem q. 48. in lib. Numer.

S. Gregor. I. ad c. 16. lib. 1. Regum: *Spiritus quidem*

Domini

Domini post unctionem dirigitur, quia foris unctionem percipimus, ut intus Spiritus sancti gratia repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, & non homo. Foris namque homo surgit, intus se spiritus erigit: quia ordinem religionis homo homini præbet: sed in eum, cui datur ordo spiritus dirigitur: ut foris sublimitatem suscipiat ordinis, & intus robur Spiritus sancti. Et lib. 4. in cap. 10. lib. 1. Regnum: *Sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus: sed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur: virtus verò sacramenti, gratia est Spiritus septiformis.* Similia habet in idem c. 10. princip. cap. 5.

Beda homilia 7. in Quadrages. in illa verba Matth. 21. Cathedras vendentium columbas euertit: *Qui sunt in templo Dei hodie qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt? per quam videlicet impositionem Spiritus sanctus cœlitus datur.*

CAP. III.

Quot sint ordines.

SVMMARIVM.

1 *Septem tantùm sunt ordines, quorum aliqui sacri, alij non sacri dicuntur.*
2 *Sacer ordo dicitur, cui votum continentiæ annexum est.*
3 *Prima tonsura ordo non est, sed fundamentum ordinationis.*
4 *Sacerdotum ordo bipartitus est, Episcoporum, & Presbyterorum.*
5 *Episcopi superant Presbyteros ordinis potestate: non item iurisdictione.*
6 *Episcopatus includit in se ordinem Presbyteratus: qua causa est, cur tanquam distinctus ordo numerari non soleat.*

RAtionem ordinum instituendorum tradit Trident. sess. 23. c. 2. *Cum diuina res sit tam sancti sacerdotii ministerium: consentaneum fuit, quo dignius, & maiore cũ veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures essent, diuersi ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deseruirent: ita distributi, ut qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent:*

1 Sunt autem septem ordines; quorum *nomina, & vniuscuiusq; propria ministeria ab ipso Ecclesiæ initio in vsu fuisse*, ait Trident. l. c. videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Inter quos primum locum tenet Sacerdos, quippe qui exellentissimum Missæ sacrificium Deo patri offert: ei verò proximè assistit, atque inseruit Diaconus: postea Subdiaconus, deinde Acoluthus, cuius officium est cereos deferre: ampullas præbere: Exorcista verò Dæmones ab obsessis pellendo, eos aptos reddit, vt Missæ sacrificio interesse possint. Lector autem sacra lectione præsentium fideliũ animos ad debitam huic mysterio pietatem excitat. Ostiarius denique eos, qui digni censentur, ad Sacrificium admittit, indignos verò excludit, sicuti optimè explicat D. Th. in 4. d. 24. q. 2. a. 1. in corp.

Septem isti ordines hauddubiè ex Christi Domini auctoritate proueniunt: siue quòd omnes, ac singulos per se speciatim instituerit, & per Apostolos Ecclesiæ tradiderit, vt multi existimant: siue quòd præter maiores quosdam à se speciatim institutos, generalem insuper potestatem, ac mandatum dederit Ecclesiæ, alios inferiores ordines, quatenus expedire visum fuerit, constituendi, ac consecrandi, sicut arbitratur Victoria de sacram. Ordinis, q. 1. n. 225.

Profectò Patres antiquissimi de his ordinibus, tanquam receptis in Ecclesia mentionem fecerunt, Clemens lib. 8. constitut. c. vltimo, S. Ignatius epist. 11. ad Antiochenos, vbi salutari iubet Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Ianitores, & Exorcistas: Addit autem, & *cantatores* seu psalmistas, & *laboratores*, qui defunctorum corpora curare solebant: & *sacrorũ vestibulorum custodes*: qui tamen non ordines, sed officia Ecclesiastica erant, vti in hunc locum annotauit Baron. Anno Christi 44. prope finem, & apertè colligitur ex concil. Carthagin. 4. cap. 10. *Psalmista potest absque scientia Episcopi, sola iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi*: cõsequẽter illud non cõferebatur per stabilẽ ordinationẽ seu consecrationem: sed per meram deputationẽ, seu cõmissionẽ facultatis, quæ iterũ auferri posset. Acoluthorũ porrò mentionẽ facit S. Cyprianus lib. 2. ep. 8. & 10. clarissimè autẽ Cornellius Papa in epist. ad Fabianũ Antiochenum apud Eusebium lib. 6. c. 35. vbi ait, *in Ecclesia Catholica* (de Romana loquitur) *Presbyteros esse quadraginta sex Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores, vnà cum Ostiarijs, quinquaginta duos.* Eorumdem septem ordinum distinctam mentionem reperies in Cõcil. Rom. sub Syluestro cap. 3. & in Concil. Carthag. 4. cui S. Augustinus interfuit, cap. 2. & sequentibus, in quibus singulorum etiam ordinationes referuntur. Vide Petr. Sotum de sacramento Ordinis, lect. 1. in fine.

Inter septem hos ordines, quidam sacri sunt, (qui & maiores vocari solent) quidam non sacri, & inferiores. Sacri ordines dicuntur, quibus votum continentiæ annexum est, cuius vigore ita Deo, & Ecclesiæ consecrantur, vt statum matrimonij, aut alia officia laica, deposito statu clericali, assumere nunquam possint: secùs est de ordinibus non sacris, quibus initiati licet ordinẽ nunquam amittat, tamen ducendo vxorem viduam, omne officium, ac priuilegium clericale deponere, ac veluti laici fieri censentur. Erant autem olim tantùm duo ordines; videlicet Sacerdotum, & Diaconorum, qui propter perpetuæ continentiæ votum sacri censebantur: postea autem etiam Subdiaconorum ordo annumeratus est, vti testatur Innocentius III. c. à multis de ætat. & qualit. ordin. ex c. nullus in Episcopũ dub. 60. 2

Præter hos septem ordines, quos Doctores omnes admittunt, Canonistæ super c. cùm contingat, de ætate, & qualitate, numerant etiam primam tonsuram, & episcopatum. Verùm prima tonsura ordo non est, sed potiùs fundamentum ordinis: cùm sit nuda consecratio, seu adoptio personæ in clerũ, sine vllius functionis, seu ministerij potestate, per quam in ascensu alicuius gradus, seu ordine constituatur, vt suprà dictum. 3

Quod autem attinet ad episcopatum, negari non potest, quin sit supremus, & propriè dictus ordo. Sed dubiũ est, an inter ordines recensendus, tanquã diuersus à presbyteratu? Quod affirmant non tantùm Canonistæ in cit. c. cùm contingat. Nauarrus in man. cap. 22. n. 18. §. quare probabilis: sed etiam ex Theologis Michael Medina lib. 1. de cœlibat. Sacerdotum, c. 16. Caietanus tom. 1. opusc. tract. 11. Petrus Sotus de sacramen. Ordinis lect. 1. & 4. Valentia t. 4. disp. 9. quæst. 1. p. 2. in fine Sa ver. ordo, n. 7. quibus fauet imprimis epist. Caij ad Felicem Episcop. & expressius epist. 3. Anacleti. Papæ, cùm ait: *Sacerdotum ordo bipartitus est*, videlicet Episcoporum, & Presbyterorum. Idque etiam Tertullianus indicat in lib. de Baptismo, Ambrosius lib. 3. de sacram. cap. 1. Optatus lib. 1. aduersus Parmeniam Sacerdotum alios esse primos, ac summos: &, vt Optatus loquitur, *Apices, & principes omnium*: alios verò, *in secundo sacerdotio constitutos.* Consentit Tridentinum Concilium sess. 23. c. 4. & can. 7. vbi anathema infert illi, qui dixerit, *Episcopos non esse Presbyteris superiores*: intellige diuino iure, seu ex Christi institutione: hæc enim superioritas intelligi debet ratione ordinis: quia Episcopus non tantùm habet potestatem consecrandi corpus Christi, vt simplices Sacerdotes habent: sed etiã dandi alijs Sacerdotium, &c. Quamobrem hæresis illa Aerij olim damnata est apud Epiphan. hæresi 75. quòd

nihil differt Episcopus à Presbytero: vnus enim ordo est. Eá que ita refutatur ab eodem Epiphanio: *Decere ipsum Episcopum, & Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo patrum generator est: patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum autem ordo non potens generare patres, per lauacri generationem generat filios Ecclesiæ.* Vbi apertè vides, Epiphanium distinguere ordinẽ Episcoporum ab ordine Presbyterorum.

Consentit his Hieron. epist. ad Nepotian. *Quod Aaron & filios eius: hoc Episcopum, & Presbyteros esse nouerimus.*
5 Et paulò post, *Gloria patris est filius sapiens: gaudeat Episcopus iudicio suo, cum tales Christo elegerit Sacerdotes.* Neque aliter docuisse censendus est idem Hieronym. in epistola ad Euagrium, & comment. super caput. 1. epist. ad Titum, vbi ait. *Idem est Presbyter, qui Episcopus, &c. Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere: imitantes Moysen, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.* Manifestum enim est, eum loqui non de potestate ordinis cùm disertè dicat in cit. epist. ad Euagrium: *Quid enim facit excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* Et postea: *Quod Aaron, & filii eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicant in Ecclesia.* Sed loquitur de potestate iurisdictionis, quæ olim in prima Ecclesia, cùm pauci essent ordinati primi Sacerdotes, seu Episcopi, æquali modo secundi ordinis Sacerdotibus, seu Presbyteris conferebatur. quamobrem & ipsi Presbyteri, tunc Episcopi, seu Antistites vocati sunt: sicut & vice versa, Sacerdotes primi ordinis Presbyteri aliquando vocantur, vti apparet 1. ad Timoth. 4. & 5. vbi id notauit Oecumenius, & ante eum S. Chrysostomus homilia, 11. *Quia nomen Episcopi dignitatis est nomen*, ait S. Hieronymus in epist. ad Titum *Presbyteri, ætatis.* Quare cuicumque etiam secundi ordinis Sacerdoti episcopalis iurisdictio confertur, is & Episcopus seu Antistes dici potest: & quicunque etiam primi, seu summi ordinis Sacerdos est, is propter ætatis reuerentiam, Presbyter meritò appellatur. Postea verò crescente tum fidelium, tum etiam ministrorum numero, sicut officia gubernãdi distincta fuerunt: ita & nomina eorum discreta: vt videlicet Sacerdotibus primi ordinis maior iurisdictio competeret, & ob id ipsi soli Episcopi, seu Antistites dicerentur: alij verò secundi ordinis Sacerdotes solùm Presbyteri. Et similiter intelligendus est S. Augustinus epist. 19. ad Hieronymum. *Quamuis secundum honorum vocabula, quę iam Ecclesię vsus obtinuit episcopatus presbyterio maior sit: in multis tamen rebus Augustinus Hieronymo minor est.*

Veruntamen (vt, relicto iam S. Hieronymo, ad propositum reuertamur) alij Doctores, vt Durandus in 4.
6 distinct. 24. quęst. 6. num. 8. Paludan. quæst. 7. a. 3. & 4. Vasq. disp. 240. c. 5. Episcopatum non numerant vt ordinem distinctum à presbyteratu: quippe quem intrinsecè includit, ideóque vnum perfectum cum eo ordinem efficit: quandoquidem nemo potest esse, aut fieri Episcopus, nisi habeat ordinem presbyteratus: vt bene explicat Bellarminus de sacramento ordinis, cap. 5. Diligenter itaque hoc loco notandum est: cùm episcopatus docitur ordo, & quidem superior presbyteratu, non esse accipiendum episcopatum in sensu diuiso, aut incompleto secundùm potestatem ordinandi, & confirmandi, quæ ordini presbyteratus superadditur: quia hæc potestas præcisè sumpta, minor est, quàm potestas consecrandi corpus & sanguinem Christi: quippe qua nulla maior, aut excellentior homini conferri potest. Sed debet accipi in sensu composito, & completo, quatenus episcopatus necessariò supponit, & intrinsecè includit acceptum ordinem presbyteratus, & potestatem conficiendi corpus & sanguinem Christi. Est igitur episcopatus secundùm diuinam institutionem perfectior presbyteratu, sicut totum continens perfectius est qualibet parte contenta. Quare pro conciliatione Doctorum distinguendum est, atque dicendum: Si episcopatus complete accipiatur, includit in se ordinem presbyterij, ideóque distinctus ab eo ordo censeri non potest, sin verò accipiatur incompletè secundùm potestatem ordinãdi, & cõfirmandi quæ ordini presbyteratus superadditur, negari non potest, quin sint diuersi ordines: quia diuersi etiam gradus potestatis, inter quos ab vno ad alterum ascenditur, vt Gaius Papa dixit in cit. epistola.

CAP. IV.

Quorum Ordinum collatio sit verè, ac propriè sacramentum.

SVMMARIVM.

1. *Certa Fide tenendũ, ordinationem Presbyteri sacramentũ esse.*
2. *Potestas absoluendi à peccatis necessariò supponit potestatem S. Eucharistiam conficiendi: sed non vice versa.*
3. *Certum esse debet, quòd episcopatus sit verè sacramentum: quamuis non omnino distinctum à presbyteratu,*
4. *De diaconatu quoque dubitari non debet, quin sacramentum sit: sed de subdiaconatu, & quatuor minoribus minus certum, quamuis probabile, omnia sacramenta esse.*
5. *Sacramenta ordinis, licet specie vltima non conueniant, habent tamen vnitatem ordinis ad eundem finem principalem, quod est sacrificium Missæ.*

ASsertio I. De Fide est, & apud Catholicos indubitatum, quòd ordinatio Presbyteri sit verè & propriè sacramentum. Ratio est: Quia per eam ordinationem maximè supernaturales potestates homini conferuntur, quarum prima ac præcipua est super corpus Christi verum, illud videl. consecrandi, & offerendi: deinde super corpus Christi mysticum, id est, fideles absoluendi à peccatis per sacramentum Pœnitentiæ, & mundandi à peccatorum reliquijs, per Extremam vnctionem. Ad suauem autem Dei prouidentiam spectat, vt, cùm certa lege, & institutione eiusmodi potestates hominibus conferat, simul etiam gratiam sanctificantem eis tribuat, cuius beneficio tanti ministerij potestatem rite exercere possint. quam rationem fusiùs explicat Bellarminus cap. 4. Confirmatur ex verbis formæ partialis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* quam rationem indicat Trident. sess. 23. can. 4. Etenim per Spiritum sanctum hîc intelligitur gratia sacramentalis, quę cùm conferatur simul cum potestate remittendi peccata: multò magis credere debemus: conferri cum priore potestate conficiendi corpus, & sanguinem Christi, quippe quæ excellentior, ac diuinior est: ideóque magis dignum ac sanctum subiectum requirit. 1

Porrò hîc duo notanda sunt: I. Inter dictas duas potestates subordinatio, & connexio talis est, vt potestas posterior, quæ est supra corpus Christi mysticum, necessariò supponat priorem, quæ est supra corpus Christi verum: sed non vice versa. Volo dicere, quod potestas conficiendi corpus, & sanguinem Christi absolutè conferatur nouo Sacerdoti, ita vt ea etiam vti possit consecrando cum Episcopo, antequam accipiat potestatem remittendi peccata. At verò hęc ipsa posterior potestas inualidè alicui confertur, nisi priùs acceperit potestatem consecrandi. Idque confirmatur ex facto Christi, qui non eodem tempore vtramque potestatem Apostolis contulit: Nam in cœna vtima tribuit eis potestatem consecrandi: post Resurrectionem verò Ioan. 20. potestatem remittendi peccata. 2

II. Licet partialis illa ordinatio Presbyteri, per quam datur

datur potestas remittendi peccata, sacramentalis sit, non tamen est sacramentum diuersum, sed priorem partialem ordinationem in esse sacramenti moraliter perficit, & consummat, sicut neque character distinctus per posteriorem sacramentalem ordinationem imprimitur, sed iam antè acceptus Sacerdotis character augetur, magisque perficitur. Idque probabilissimè cum accessione realis modi, seu perfectionis, & non extrinsecæ tantùm denominationis à diuina destinatione ad aliud officium exercendum, sicut imaginatus est Vasquez disp. 39. c. 6. §. verùm quia. Cùm enim character sit signum potestatis, ideo si potestas augeatur, conueniens etiam est, vt signum eius mutetur, & perficiatur.

Assertio II. Extra controuersiam esse debet, quòd episcopatus sit verè, ac propriè dictum sacramentum. Ita docet Duran. in 4. dist. 24. quæst. 6. Palud. ibid. q. 7. Nauar. cap. 22. n. 18. §. quare probabilis, Petr. Sotus lect. 4. de Euchar. Ioan. Eckius lib. 3. de Primatu Petri cap. 22. Michael Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia, cap. 16. Bellarm. cit. c. 5. Valentia disp. 9. quæst. 1. p. 4. Vasquez disp. 240. c. 4. Conin[k] dub. 6. concl. 1. Sa ver. ordo, num. 7. contra S. Bonau. in 4. d. 24. a. 2. quæst. 3. Richard. ibid. a. 5. quæst. 2. Sotum q. 2. a. 3. & lib. 10. de iust. quæst. 1. a. 2. Couarru. 1. resol. c. 10. num. 15. Probatur primò: Quia Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. & Doctores omnes probant, sacram ordinationem sacramentum esse ex testimonio Apostoli, 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. quibus locis sermo est de episcopatu: nam Timotheus à paulo ordinatus erat episcopus, concurrentibus etiam alijs Episcopis, quem concursum Apostolus vocat *impositionem manuum presbyterii*, sicuti constat ex dictis cap. 2. num. 2. & notauit S. Chrysostom. in eundem locum hom. 11. *Non de Presbyteris hoc in loco, sed de Episcopis loquitur: neque enim profecto Presbyteri ipsum ordinârant.* Secundò: quia in ordinatione Episcopi cum impositione manuum dicitur, *Accipe Spiritum sanctum*: qua cæremonia apertè significatur, conferri gratiam sanctificantem. Tertiò: Quia per hanc ordinationem homo destinatur ad ministeria valde ardua, videlicet confirmandi fideles, ordinandi Clericos: Ergo credere oportet gratiam ei annexam esse ad talia munia ritè ac dignè obeunda.

Notandum verò: Licèt ordinatio illa Episcopi, qui antè necessariò presbyter esse debet, sacramentalis sit: non tamen est sacramentum distinctum à presbyteratu: sed ordinationem presbyteri in esse sacramenti habitudine morali magis perficit, & consummat: eò quod neque distinctum characterem animæ imprimat, sed characterem sacerdotalem intrinsecè augeat, ac perficiat, vt ordinatus iam non tantùm SS. Eucharistiam conficere, sed etiam ad conficiendum alios ordinare possit. Vide, Paludanum loco suprà cit. Henriq. lib. 10. c. 7. num. 2. & quæ in simili dixi cap. præced. ad finem.

4 Assertio III. Valde probabile, & quasi certum est, quòd Diaconatus sit verè, & propriè sacramentum, à Christo institutum. Ita Bellarm. cap. 6. Probatur primò: Quia est communis sententia Theologorum, excepto Durando in 4. distinct. 24. quæst. 2. Caiet. citato opusc. 11. Secundò: Quia confertur per impositionem manuum, dicente Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum, &c.* Tertiò: Quia Diaconus ordinatur ad ministeria valde sacra, ad quæ ritè obeunda speciali gratia indiget: quę proinde ipsi per hanc ordinationem confertur. *Ad Diaconum enim pertinet* inquit Isidorus Hispal. relatus in Concilio Tolet. 8. to. 2. Concil. *assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi*, potissimùm verò in Missæ sacrificio: quamobrem in ordinatione Diaconi tale etiam symbolum exhibetur, videlicet liber Euangeliorum, seu Missale, quo talis ipsi conferenda potestas significetur. Et Apost. 1. ad Timoth. 3. ait, Diaconos oportet esse *habentes mysterium fidei in conscientia pura*. Vocat enim mysterium fidei S. Eucharistiam: quia est sacramentum, quod non specie externa æstimari debet, sed fide, sicut notauit Ioannes Lorinus in cap. 6. Act. & colligitur ex can. Missæ: imò ex verbis, quæ mox Apostolus subiungit. *Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Adde hîc auctoritatē sanctissimi Martyris Ignatij epist. 2. ad Itallianos: *Oportet ergo & Diaconis, qui sunt in ministerio Iesu Christi, omnimodè placere: non enim in potu, & cibo sunt ministri, sed ministri Ecclesiæ Dei, oportet igitur præcepta eorum seruare.* Et infrà: *Quid Diaconi, nisi imitatores Christi ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundam, & immaculatam, quomodo S. Stephanus Beatißimo Iacobo:* Timotheus: & Linus Paulo: Anacletus, & Clemens Petro? Denique in hac eadem sententia apertè fuit Anastasius Papa II. in epist. ad Anastasium. Imperat. *Nullum in his, quos baptizauit Acatius, vel quos Sacerdotes, siue Leuitas secundùm canones ordinauit: vlla eos ex nomine Acatij portio læsionis attingit; quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videretur.*

Assertio IV. De subdiaconatu, non ita certum est, esse sacramentum, & adhuc minùs certum de quatuor minoribus ordinibus. Est tamen & hoc probabile, cùm sit communior Doctorum sententia, S. Thom. in 4. d. 24. q. 2. a. 1. q. 3. S. Bonau. ead. d. a. 1. quæst. 1. Richar. a. 3. quæst. 3. & a. 4. q. 1. & 2. Palud. q. 1. a. 3. Valentiæ cit. p. 4. Verùm præter Caietanum, & Durandum ll. cc. etiam Magister in 4. distinct. 24. §. septimus autem ordo: & alij apud Vasquez disp. 238. c. 1. existimant, Subdiaconatum esse ab Ecclesia institutum, ideóque sacramentum non esse, sed sacramentale quoddam: idémq; multò magis sentiunt de minoribus ordinibus. Quam sententiam, quod ad minores ordines attinet, ait esse probabilissimam Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 31. n. 17. & absolutè sequitur Nauar. c. 22. num. 18. Vasq. disp. 237. cap. 2. & alij apud eundem. Quare cùm hæc res incerta sit, diutius non immoror.

Vna solùm obiectio soluenda est: Si enim ordinatio v. g. Diaconi, sacramentum est, & quidem distinctum ab ordinatione Sacerdotis, sequitur vniuersim plura esse sacramenta, quàm septem. Respondeo: Verum esse, quòd sacra ordinatio Diaconi v. g. & sacra ordinatio Sacerdotis specie vltima non conueniant: cùm neque eandem materiam, & formam, nec eundem effectum habeant, neque proximè ad eundem finem tendant. Nihilominus conueniunt inter se tum proximi generis vnitate, quia vtrumque est sacramentum ordinationis: tum etiam vnitate ordinis, quatenus referuntur ad eundem finem principalem, videlicet ad conficiendum corpus Christi: & per quandam connexionem, seu consequentiam, ad sacrificandum corpus Christi mysticum: illud Baptismum congregando, & per reliqua sacramenta pascendo, refocillando.

CAP. V.

De Materia & forma singularum ordinationum.

SVMMARIVM.

1 *Impositio manuum est ceremonia substantialiter requisita ad ordinationem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi.*
2 *Ordinatio Presbyteri duas materias, duas formas ad completam essentialem constitutionem requirit.*
3 *Subdiaconus, & alij Clerici inferiores, sine impositione manuū ordinantur per traditionem alicuius rei, & conuenientem verborum prolationem.*
4 *Physicus materiæ contactus non videtur esse necessarius ad substantiam, & valorem ordinationis.*

CONuenit inter Doctores, materiam ſacræ ordina-
1 tionis eſſe ſignum aliquod viſibile, formam verò eſſe verba, quæ à miniſtro materiam exhibente interim proferuntur.

Aſſertio I. Materia ſacræ ordinationis epiſcopalis eſt impoſitio manuum Epiſcoporum: forma autem ſunt verba, quæ ab iiſdem proferuntur, *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. Ita Maior in 4. diſtinct. 24. q. 1. Armilla ver. Ordo, num. 11. Petr. Sotus lect. 5. de ſacram. Ordinis, Bellarm. c. 9. Vaſq. diſp. 240. cap. 5. num. 58. Coninck dub. 7. concl. 1. Henriq. c. 7. n. 3. Sumitur ex c. 6. Act. & 1. ad Timoth. 4. 2. ad Timoth. 1. ex concil. Carthag. 4. cap. 2. & ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. de Extrema vnctione, vbi ait, proprios extremæ vnctionis miniſtros eſſe presbyteros, eóque nomine ab Apoſtolo Iacobo c. 5. non intelligi ætate maiores: *Sed aut Epiſcopos, aut Sacerdotes ab illis rite ordinatos per impoſitionem manuum*, Et ſeſſ. 13. canon. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere, Accipe Spiritum ſanctum, &c. anathema ſit.* Quid enim eſt non fruſtra dici illa verba, niſi quia ſint efficacia ad collationem gratiæ, quam etiam ſignificant. Præterea hanc veritatem tradiderunt Patres, vt S. Auguſt. lib. de geſtis cum Emerito, S. Ambroſius de dignitate Sacerdotali, cap. 5. cuius verba ſuprà retuli cap. 1. Et S. Hieron. in cap. 58. Iſaiç ait, quod *ordinatio clericorum non ſolum ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem impletur manus.*

Nota hoc loco: Epiſcopum à tribus Epiſcopis, non paucioribus ordinari, ſeu conſecrari oportere, ſicuti habetur apud Anacletum epiſt. 2. Conc. Carthag. 4. c. 2 c. ne Epiſcopi: de tempor. ordinat. Vtrum verò id ad ſubſtantiam ordinationis pertineat, non conſentiunt Doctores, vt videre eſt apud Syl. ver. conſecratio, 1. n. 2. Vaſq. diſp. 243. cap. 6. Probabilius autem eſt, per diſpenſationem, vel commiſſionem Sum. Pontificis fieri poſſe, vt vnicus Epiſcopus alium ordinet: ſicuti colligitur ex Clem. lib. 8. conſtit. cap. 27. & docet Henriq. lib. 10. cap. num. 3. & cap. 24. Vaſq. loco cit. Bellarm. lib. 4. de notis Eccleſiæ, c. 8. Coninck diſp. 20. dub. 9. concl. 5.

Aſſertio II. Sacra ordinatio Presbyteri, cùm duabus
2 partialibus ordinationibus perficiatur, ideo duas materias, & duas formas ad completam eſſentialem conſtitutionem requirit. Et prioris quidem ordinationis materia eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum pane: forma verò, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo*, &c. ſicut conſtat ex Pontificali, & Florent. in decret. Eugenij, §. Sextum ſacramentum. Poſterioris verò ordinationis materia eſt impoſitio manuũ facta ab Epiſcopo, forma autem, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. vti colligitur ex Trident. cit. cap. 3. de extrema vnct. Dionyſ. Areopag. p. 1. Eccleſiaſt. hierarchiæ, cap. 5. p. 2. *Sacerdos coram ſancto altari ponens vtrumque genu, in capite habet Pontificis dextram, & in hunc modum à ſacrante Præſule ſanctiſſimis inuocationibus conſecratur.* Et Concil. Carthag. 4. cap. 3. *Presbyter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſupra caput eius tenente.* Eãdémque ſententiam docuit Scotus in 4. diſtinct. 24. a. 3. Palud. quæſt. 6. a. 4. Bellarm. de ſacrã. ordinis. cap. 9. Franc. Turrianus lib. 8. Conſtit. c. 21. Henriq. lib. 1. cap. 6 & cap. 11. num. 10. Vaſq. diſp. 239. cap. 3. Coninck diſp. 20, dub. 7. concl. 2. contra Sotum in 4. diſt. 24. q. 1 a. 4. conc. 5. Valent. p. 5. imo etiam antiquos Scholaſticos, vt S. Th. diſt. 24. quæſt. 2. a. 3. & q. 3. Richar. a. 4. quæſt. 3. Duran q. 3. a. 2. arbitrantes, manuum impoſitionem eſſe tantùm accidentalem cæremoniam. Sed contra eſſe videtur, quòd verba in ſacramẽtis determinantia ſenſibile ſymbolum ſiue materiam, id efficiunt quòd ſignificant; ſed illa verba, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. quæ vnà cum manuum impoſitione ab Epiſcopo proferuntur, ea ſignificant tum gratiam ſacramentalem, vti colligitur ex Trident. ſeſſione 23. canon. 4. cùm etiam poteſtatem ſuper corpus Chriſti myſticum: ergo vtrúque efficiunt & conſequenter ad eſſentialem rationem ſacramenti ſpectant.

Aſſertio III. Materia ordinationis Diaconi eſt impoſitio manuum epiſcopalium cum traditione alicuius rei, per quam poteſtas, & officium illius ſignificatur. Forma autem ſunt verba, quæ cum eiuſmodi materialibus ſymbolis proferuntur. Hæc eſt ſententia Bellarm. cit. cap. 9. Petri Soti lect. 5. Henriq. lib. 10. cap. 8. num. 2. Coninck conc. 3. Quòd enim impoſitio manuum in ordinatione Diaconi ſacramentalis ſit, colligitur tum ex forma verborum, quæ ſimul ab Epiſcopo pronunciantur, *Accipe Spiritum ſanctum*: tum ex Ordine Romano, vbi de ordinatione Diaconi: tum ex cap. 6. Act. vbi dicitur, Diaconos per manuum impoſitionem ordinatos fuiſſe, ſicuti ibidem interpretes annotãt vt proinde etiam hæc ordinatio χειροτονία, ſeu χειροθεσία dicta ſit: tum ex concil. Carthag 4. cap. 4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat.* Quamobrem & ex Scriptura ſacra, & Apoſtolorum, & Patrum traditione colligi videtur, ad ſacram Diaconorum ordinationem præcipuè ſpectare manuum impoſitionem, vti notauit Petrus Sotus citat. lect. 5. §. circa iſta. quod verò etiam traditio alicuius rei ad ordinationem Diaconi ſpectet, expreſſe traditum eſt Florent. Concil. *Materia ſacramenti ordinis eſt illud, per cuius traditionem confertur ordo: presbyteratus per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: diaconatus verò per libri Euangelij dationem.*

Eſt tamen hîc notandum, quòd Bellarm. monet citat. cap. 9. in fine: *Credibile eſt* inquit, *Dominum inſtituiſſe iſtas omnes materias ordinum, non quidem in particulari: ſed generatim monendo Apoſtolos, vt ordines conferrent per ceremoniam inſtrumentalem, quibus ſignificaretur eorum poteſtas*, ex Eccleſia impoſitione, ſeu ordinatione. Quare nihil refert, quod in primitiua Eccleſia ordinandis Diaconis non fuerit exhibitus liber Euangeliorum, aut Miſſale, vti nunc ſolet. Potuit enim olim, præter manuum impoſitionem, alia materia exhiberi, per quam & altaris miniſterium, & alia annexa officia Diaconi ſignificarentur. Vide Coninck concl. 3. ad 3. argument.

Aſſertio IV. Propria materia ordinationis Subdiaconi, eſt traditio calicis vacui, cum patena ſuperpoſita 3
ſicuti expreſſè habetur in Carthag. Concil. 4. cap. 5. Ordine Romano, vbi de ordinatione Subdiaconi, & Florent. in decreto Eugenij, vbi ait, etiam alios inferiores ordines conferri per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma verò ſubdiaconatus videntur eſſe verba Epiſcopi, quibus traditum Subdiaconis miniſterium indicat: *Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur.* Ita docet Vaſquez diſp. 238. cap. 5. & ſequitur Coninck d. 7. concl. 4.

Reſtat dubium: vtrum realis & phyſicus contactus materiæ, quæ in ordinatione traditur, ad ſubſtantiam, ſeu valorem ſacramenti pertineat? Affirmat S. Th. in 4. diſtinct. 24. quæſt. 1 a. 1. quæſt. 5. ad 3. Palud. quæſt. 1. a. 1. in fine, Syl. ver. ordo 2 quæſt. 5. Angel. ibidem 1. §. 7. Caiet. t. 1. opuſc. tractat. 26. Viguerius in inſtitut. Theolog. cap. 16. §. 6. Probant tum ex verbis formæ *Accipe*, &c. ſignificant enim imperium erga ordinandum, cui is ſatisfacere debet, capiendo externum ſymbolum, quod ei porrigitur: tum ex praxi Eccleſię, quę cum exhibitione, ſeu traditione materiæ, eiuſdem etiam acceptionem, & contactum requirit: talis autem praxis per traditionem profecta eſſe videtur ex Chriſti inſtitutione.

Hæc ſententia haud dubiè probabilis eſt: & ideo di-

ligenter curandum, vt in ordinatione subdiaconatus tangatur calix, cum patena: in diaconatu liber Euangeliorum: in presbyteratu calix cum vino, & patena cum hostia seu pane. Verùm sicut non est necesse viнū per se, ac immediatè tangere, sed moraliter tangi censetur in continente calice: ita etiam de hostia dicendum moraliter eam apprehendi in suo continente: si videlicet patena tangatur: imo probabile est, etiam patenam morali æstimatione, adeóque sufficienter tangi, si calix tangatur, cui patena superposita est, sicuti notauit Vasquez disput.246.cap.2.num.19. Seruanda tamen est rubrica Pontificalis, vt ordinandi inferioribus digitis calicem: superioribus patenam tangant, seu apprehendāt. Præterea ad maiorem securitatem curandum est, vt cōtactus fiat simul cùm prolatione verborum Episcopi: quod tamen moraliter accipiēdum: sufficit enim si paulò ante, vel post verba contactus fiat, teste Victor. de sacrament. ordinis, num.230. Valent. p. 5. Sa. ver. ordo, n. 5. Henriq. lib.10. c.10. n.1.

4 Nihilominus mihi placet magis sententia aliorum, qui negant ad substantiam & valorem ordinationis contactum requiri. Hi sunt Albertus in 4. dist. 24. a. 38. ad 2. Vict. de sacram. ordinis, num.230. Henriq. lib.1. cap. 9. num.11. Armilla ver. ordo, num. 4. Vasq. cit. cap.2. Zambr. cap. 6. dub. 1. num. 6. & indicat Sotus dist. 24. quæst. 1. a.2. imò & Caietan. in sum. ver. ordinantium, & ordinatorum peccata. Nam rationes sententiæ affirmantis, cui præsertim in re tam graui probandi onus incumbit, non conuincunt. Ad 1. enim resp. Verbum *Accipe* solùm significare spiritualem potestatem ordinando conferendam, per exhibitionem symboli externi, quo collatio talis potestatis significatur: quare negandum est, verbum illud ex necessitate sacramenti referri ad eum qui ordinandus est, vt capiat, seu manu tangat externum symbolum. Cur enim necessariò illud tangere debeat? non video aliam causam afferri, posse, nisi vt traditio potestatis ab illo acceptetur. Id verò dici non potest, cùm sacramentum istud non consistat in contactu aliquo, sicuti matrimonium: quod proinde traditionem, acceptationemque postulat. Sed neq; ad ipsum matrimonij contactum corporum contactus necessariò requiritur, cùm alia signa mutuæ traditionis & acceptationis, exhiberi possint. Quantò igitur magis traditio spiritualis potestatis fieri potest sine reali cōtactu, per solam exhibitionem symboli factam homini præsenti? Adde, si moralis acceptatio tactu symboli significata ad valorem sacramenti necessariò requiritur consequens esse, vt paruuli, qui vsum rationis nondum habentes, eiusmodi acceptationis signum edere non possunt, inualidè ordinentur, quod repugnat communi sententiæ, vti dicam cap. seq. Ad 2. resp. Ex praxi Ecclesiæ plus colligi non posse, quàm quòd talis ceremonia tangendi materiam ab Ecclesia præcipiatur: & meritò quidem, vt videl. traditio, & acceptio spiritualis potestatis, quæ ordinando fit, expressius etiam significetur, si is symbolum materiale, quo talis potestas significatur, manu ipsemet contingat.

CAP. VI.

De Subiecto ordinum, seu de ordinādis.

SVMMARIVM.

1 *Subiectum ordinationis capax est mas baptizatus, non fœmina.*
2 *Papa dispensare non potest, vt mulier primam tonsuram in Ecclesia accipiat.*
3 *Mulieres Diaconissæ ad nullum Ecclesiasticum ministerium ordinata erant.*
4 *Paruuli ante vsum rationis validè ordinantur, etsi non licitè.*
5 *Ordo superior non includit essentialiter inferiorem, excepto Episcopatu, qui requirit Presbyteratum.*

Assertio I. Subiectum Ordinationis capax est mas baptizatus, non item fœmina. Quæ est certa assertio, & de Fide, tradita à S. Thom. in 4. d.25. q.2.a. 1. S. Bonau.a.2.q.1. Richar.a.4.q.1. Duran. q.2. Palud. q.2.a.1. Nam ordines, seu gradus Ecclesiastici pro ijs à Christo instituti sunt, qui eminentiam potestatis, dignitatis, ac officij præ alijs fidelibus in Ecclesia, præsertim in ordine ad sacrosanctum Missæ sacrificium, conuenienter obtinere possunt: tales autem non sunt mulieres, quippe quæ ob sexus infirmitatem viris subditæ esse debent, Gen. 3. Ad quem locum alludens Apost. 1. ad Corinth.14. ait, *mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicuti & lex dicit.* Et infrà: *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent: turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Similiter autem, imo magis turpe esset mulierem in ecclesia Sacrificium Deo offerre, aut sacrificanti ministrare. Vide Thom. loco citat. Victor. relect.2. de potest. Ecclesię, num.6. 1

2 Porrò hinc rectè colligit Vasquez disput.245.cap.2. Licet prima tonsura sacramentum non sit, sed sacramentale ab Ecclesia institutum: non posse tamen à Sū. Pontifice per dispensationem constitui: vt mulier prima tonsura validè initietur. Ratio est: Quia prima tonsura aliud non est, quàm consecratio, ac deputatio personæ ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos ordines, & gradus ascendi possit: cùm igitur mulier ex diuina institutione incapax sit huius ascensus, sequitur etiam incapacem esse primæ tonsuræ. Confirmatur: sicuti nouitiatus est dispositio ad ordinem Religionis: ita prima tonsura est dispositio ad ordines Ecclesiasticos: quare sicuti personæ illæ, quæ incapaces sunt ordinis alicuius regularis suscipiendi, neque ad nouitiatum cooptari possunt, ita neque ad primam tonsuram admitti, quæ ad ordines ascendere nequeunt.

Obijcitur I. Mulier potest esse prophetissa: qualis erat Maria soror Mosis Numer.12. & Anna filia Phanuel, Luc. 2. Ergo potest etiam fieri clerica. Respondeo negando conseque. Quia per donum prophetiæ homo non constituitur in officio, aut statu Ecclesiæ eminente sicut clerici ratione status sui eminent super alios fideles laicos tam viros, quàm mulieres.

Obijcitur II. Apostolus ad Gal. 3. significat apud Deum non esse discrimen inter masculum, & fœminā. Respons. Apostolum ibi non loqui de officijs, seu ministerijs templi, sed de gratia adoptionis per fidem, quæ est in Christo IESV, vt ex antecedentibus verbis colligitur.

Obijcitur III. Apostolus 1. ad Timoth.3. postquam docuisset, quales Diaconos ad sacrum ministerium ordinare oporteat, *pudicos, non bilingues, &c.* statim subdit, *Mulieres similiter pudicas non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus:* Et sicut tibi præceperat de Diaconis, vt *sint vnius vxoris viri*: in cap.5. de mulieribus, *vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.* Resp. Mulieres illæ, de quibus ibi loquitur Apostolus, ad nullum ministerium benedictione aliqua consecratæ fuerunt: sed solùm ad id electæ, seu cooptatæ, vt edito continentiæ voto, in viduarum collegio ex Ecclesiæ bonis alerentur, orationibus die, ac nocte instantes. Præcepit autem Apostolus citat. cap.5. vt talis eleemosyna, seu largitio (iuxta Hæbraicam phrasin, honor dicitur, vti notaui lib.4. tractat.2. cap.3. n.2.) pręstetur non omni viduæ: sed quæ verè vidua, id est, omnibus tum parentibus, tum liberis orba est, & vnius viri vxor, annorúmque sexaginta: nam adolescentulæ, postquam ex Christi patrimonio abundantes, luxuriari seu insolescere cœperunt, fidem priori sponso Christo præstitam violare aliquando solent. Hæc Apostolus. 3

Aliæ verò primis Ecclesiæ seculis non tantùm viduę, quæ vnius viri vxores fuerant: sed etiam virgines so-

lemni ceremonia, sine benedictione ad διακονίαν, seu ministerium aliquod in Ecclesia consecrabantur, quæ & Diaconissæ dictæ sunt: de quibus Clemens lib. 8. constitut. cap. 19. Concil. Chalcedon. Act. 15. canon. 15 & Synodus Græcorum in Trullo canon. 48. quin & Apostolus ipse loqui videtur ad Roman. 16. *Commendo vobis Phæben, sororem nostrã, quæ est in ministerio Ecclesiæ in Cenchris*, οὖσαν διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς. Veruntamẽ, vt Clemens ait lib. 8. cap. 28. *Diaconissa non benedicit, nec facit aliquid eorum, quæ Presbyteri, vel Diaconi faciunt: nisi quòd ianuas custodit, & Presbyteris ministrat, cum mulieres baptizantur: idque propter decorem, & honestatem*. Similia habet Epiph. hæc. 79. & Nicæn. Concil. ex Arabico, canon. 74. *Diaconissæ ad hoc etiam paratæ sint, vt fœminas in Baptismo suscipiant*: quod etiam Clemens indicat lib. 3. c. 16. & lib. 2. cap. 57. significat, sicut Ostiarij manere consueuerunt ad ostium templi, vbi viri ingrediebantur: ita Diaconissas fuisse ad alterũ ostium, per quod mulieribus ingressus patuit. *Quod tamen satis non est*, inquit Vasquez in fine disput. 245. *vt dicamus, eas fuisse ordinatas Ostiarias: nam illis non erat demandata custodia templi sicut Ostiariis: sed adiuuabant in hoc Ostiarios pro ipsis stando ad portas illas mulierum: quia id magis honestum videtur*. Profectò ob similem necessitatem seruandæ honestatis, permittitur Monialibus, vt Euangelium in suis matutinis legere, & vsum alicuius spiritualis iurisdictionis super alias, ex commissione exercere possint: sicuti fusiùs dixi lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 3.

Assertio II. Paruulis ante vsum rationis validè, quãuis non licitè sacramentum Ordinis ministratur. Quæ est communis sententia S. Th. in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. q. 2. S. Bonau. a. 2. q. 2. Richar. a. 4. q. 2. Soti q. 2. Scoti q. 2. §. Hic breuiter, Palud. q. 2. a. 2. Maioris q. 2. prope finem, Syl. ver. Ordo 4. q. 1. Viualdi in candelabro, c. de Ministro, n. 17. Vasquez disp. 246. c. 1. contra Durandum ead. dist. 25. quæst. 2. qui negat paruulum sacrorum ordinum, præsertim Sacerdotij, capacem esse posse: in cuius sententiam inclinat etiam Petrus Sotus lect. 5. Sumitur autem assertio nostra ex c. 1. de Clerico per saltum promoto & probatur inde: Quia infans similiter capax est aliorum sacramentorum, vt Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ. Sed alia ratio est de sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonij, quæ secundùm actualia sua requirũt in suscipiente actualem operationem rationis: ideóque infans eorum capax non est: consequenter nec Extremæ vnctionis, quippe quod principaliter etiam in remedium actualium peccatorum, & tanquam consummatiuum Pœnitentię à Christo institutum est. Et quod dixi de infante, similiter intelligendum est de amente, capacem esse sacrę Ordinationis: dummodo, si priùs vsum rationis habuerat, in sacramenti susceptionem actualiter consenserit, eumque consensum contraria voluntate non retractârit.

Assertio III. Ordo superior non includit essentialiter ordinem inferiorem: excepto episcopatu, qui supponit presbyteratum. Presbyter autem validè ordinatur, etsi antè fuerit Diaconus: imò nullum alium ordinem acceperit. Quæ est communis sententia Scholasticorum in 4. dist. 24. vbi S. Th. q. 1. a. 2. q. 5. Durandus q. 3. Gl. in c. 1. de Clerico per saltum promoto, & constat ex praxi Ecclesiæ. Nam si aliquis per saltum ordinari se passus est, non iterum ordinatur, sed ordo, qui prætermissus erat, eidem confertur, iuxta cap. sollicitudo, dist. 52.

CAP. VII.

De ætate, & Qualitate ordinandorum.

SVMMARIVM.

1 *Olim Presbyter non ordinabatur ante expletum annum ætatis trigesimum, nunc verò sufficit annus xxv. cœptus. Sed ad episcopatum requiruntur anni triginta completi.*
Christus post exactum ætatis annum trigesimum Euangelium prædicare cœpit.

2 *Qui in minoribus ordinatus est, à clericali statu recedere non prohibetur, si recidendi aliquam causam habeat.*

Qvod attinet ad ætatem, olim neque Episcopi, neque Presbyteri ante expletos annos triginta ordinari solebant, sicuti testantur Collectores canonum. Martinus Bracarensis Episc. cap. 20. Gratianus dist. 78. & habetur apud Iustinianum collat. 9. Authent. de sanctiss. Episc. §. Clericos. *Nemo presbyter ordinetur, qui minor xxx. annis sit*. & in Concilio Neocæsareensi can. 11. *Presbyter ante triginta annorum ætatem non ordinetur, quamuis sit probabilis vitæ: sed obseruet vsque ad præfinitum tempus: Dominus enim noster Iesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & tunc prædicauit*. Profectò Iesum prædicare cœpisse post exactum annum ætatis trigesimum, colligitur tum ex eo, quòd Iudæis non fuit permissum ante perfectam ætatis maturitatem, quæ xxx. anno contingit, prædicare, teste Hieron. in Ezech. c. 1. Greg. homil. 2. tum ex cap. 3. Lucæ, *Et ipse Iesus erat quasi* (id est circiter (*annorum triginta, incipiens*, id est cùm inciperet, se accingere ad exequendum mandatũ Patris: sicuti & in Act. cap. 1. dicitur, *incipiens à baptismate Ioannis*, &c. Quare Chrys. hom. 10. id Matth. *Post triginta annos* (ætatis) *ad baptismum Christus venit*. Et S. Ignatius epist. 2. ad Trallianos ait: Cùm Christus tres annorum decades in hac terra vixisset, à Ioanne baptizatum, Euangelium prædicasse tres annos, ac postea crucifixum fuisse. Quare cùm cõmunis sententia sit, Christum mortuum esse post xxxiii. ætatis suæ annum: & S. Ignatius testetur, tres annos prędicasse Euangelium: consequens est, Christum xxx. ætatis annum complesse, cùm à Ioanne baptizatus ad prædicandum Euangelium se præpararet. 1

Succedentibus verò temporibus, ætas ad ordinationem Sacerdotum requisita, licet in Episcopis hucusque permanserit; tamen in Presbyteris imminuta fuit, sicuti constat ex epist. Zach. Papæ ad Bonifac. Episcop. quæ incipit *Benedictus*, & refertur in cap. vltimo, distinct. 28. Item ex Clem. vltima de ætat. & qualit. ordinandorum: *Generalem Ecclesiæ obseruantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferri, decernimus, vt quis liberè possit in decimo octauo ad subdiaconatus: in vigesimo ad diaconatus, in xxv. ætatis suæ anno ad presbyteratus ordines promoueri*. Verùm quod pertinet ad Diaconos, & Subdiaconos, Trid. Conc. aliter statuit sess. 23. cap. 12. de refor. *Nullus imposterum ad subdiaconatus ordinem, ante vigesimũ secundum; ad diaconatus ante vigesimum tertiũ: ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur*. Intelligitur autem de annis cœptis, secundùm doctrinam Gl. cõmuniter receptam in citat. clem. Syluest. ver. ætas, quęst. 2. Cùm in iure requiritur, vt sit annorum viginti, debent esse anni completi. Pro minoribus verò ordinibus nulla in dicto Concilio ætas decernitur: sed eadem sessione 23. cap. 4. *vt prima tonsura non initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperunt, & Fidei rudimenta edocti non fuerunt, quique legere, & scribere nesciant*. Et cap. 11. *Minores ordines ijs, qui saltem Latinam linguam intelligant, &c. conferantur*. Quare quad ad ætatẽ pertinet, relinquitur hoc iudicio Ordinarii, dummodo seruetur Constitutio Bonifac. VIII. in capite nullus, de tempor. ordin. in 6. *vt, nullus infantis* (videlicet minori septem annis ait Gloss.) *clericalem tonsuram conferre præsumat*. Notat porrò Vasquez disput. 246. cap. 4. num. 43. Manuale Prælatorum

rum Lud. Mirandæt. 1. quæst. 39. art. 1. post Concilium Tridentinum Regularibus, etiam Mendicantium Ordinum, nullum posse esse vsum priuilegij, quo ante legitimam ætatem ad sacros ordines promoueantur.

Quod attinet ad alias ordinandorum qualitates, videlicet bonæ vitæ testimonium, scientiam, & vt in inferiore ordine aliquamdiu ministrârint, nisi aliud Episcopo ob rationabilem causam visum fuerit, legi potest Tridentinum citat. sessione 23. cap. 13. & 14. Id verò bene monet Coninck disput. 20. dub. 10. num. 103. Pro sacerdotio præcisè non tantam requiri scientiam, quanta ad munus Confessarij requiritur, quia antequam illud obire Sacerdos permittitur, ab Episcopo, nouo, si videbitur, præmisso examine, approbandus erit, sicut constat ex cap. 15. eiusdem sessionis.

2 Denique dicendum: Tametsi ex cit. cap. nullus, & sessione 23. cap. 4. colligitur, primam tonsuram, atque ordines minores facilè conferendos non esse, nisi ijs, qui sincerum animum habere videntur in clericali statu permanendi, ac Deo seruiendi; tamen culpæ mortalis damnari non debent, qui sine iusta causa recedunt, atque ad ordinum ministeria obeundâ incapaces se reddunt, ducendo v. g. vxorem viduam, sicuti ex communiore docet Sanchez lib. 7. disput. 31. num. 10. Azor. t. 2. lib. 13. cap. 14. quæst. 14. Tol. lib. 4. cap. 18. num. 4. contra Caietan. 2. 2. quæst. 12. art. 1. dub. 1. Ratio est: Quia nulla incumbit eis obligatio promissionis, aut præcepti ad superiores ordines ascendendi, seu in susceptis ministrandi. Videtur tamen esse culpa venialis inconstantiæ, si sine causa à statu clericali recedant: sicuti si Nouitius sine causa ex Ordine abeat, vti Sanchez docet num. 11. & Valentia t. 3. disp. 1. quæst. 12. p. 1. Similiter qui primam tonsuram, vel ordines minores accepit, intentione non perseuerandi, in statu clericali, sed solùm vt declinet iurisdictionem fori secularis, non videtur mortaliter peccare. Quæ est sententia Nauarri cap. 25. num. 108. Rodriquez in sum. t. 1. cap. 17. concl. 2. Sanchez num. 16. Coninck citat. dub. 10. num. 104. contra Bannes 2. 2. q. 12. art. 1. §. de secunda difficultate, concl. vlt. Tametsi enim Ordinarius, si talis hominis propositum cognitum haberet, ad clericalem ordinem non admitteret, fraus tamen ista & deceptio non est grauis, aut perniciosa. Alia autem ratio est de ingrediente Ordinis regularis nouitiatum determinato animo non permanendi; quia talis in re graui decipit Religionem, à qua alimenta accipit, & cuius institutum, atque secreta cognoscit, ait Sanchez num. 20. Coninck l. cit.

His adde, interdum iustam causam esse posse primam tonsuram, vel ordines minores accipiendi, cum certo proposito non permanendi in statu clericali. Qua ratione quarundam Academiarum Rectores clericalem tonsuram accipiunt, solùm vt interim iurisdictionem in Studiosos etiam clericos exercere possint.

CAP. VIII.

De temporibus ordinationum.

SVMMARIVM.

1 *Prima tonsura quouis die conferri potest; ordines autem minores, etiam extra generales ordinationes, quauis Dominica die.*
2 *Subdiaconatum, & alios ordines maiores, extra Quatuor tempora, & duo Sabbatha Passionis, & Resurrectionis Christi conferre illicitum est.*
3 *Pro ordinatione Episcopi dies Dominica assignata est.*
4 *Duo sacri ordines eadem ordinatione conferri eidem non possunt.*
5 *Episcopo permissum est, ob rationabilem causam, ieiunio Sabbathi continuato, sacrorum ordinum collationem ad manè Dominicæ sequentis differre.*
6 *Qui in Sabbatho presbyter ordinatus est, manè insequente Episcopus ordinari potest, etiam ieiunio non continuato.*
7 *Quibusdam in locis consuetudo viget, quatuor minores, & subdiaconatum simul eidem tribuendi.*

ASSERTIO I. Prima tonsura quouis die conferri potest; sicuti ex communi docet Henriquez lib. 10. cap. 12. num. 1. Vasq. disp. 246. cap. 5. Ordines autem minores non tantùm in generalibus ordinationibus conferre permissum est: sed etiam quouis die Dominico, aut festo: dummodo non multi ordinentur, vt videatur esse ordinatio generalis cap. de eo autem, iun. Glos. ver. aut duos, de tempor. ordinat. cap. quando & vbi, distinct. 75. His adde, consuetudinem esse quibusdam in locis, vt ordines minores in vespera Feriæ sextæ conferantur, quasi hæc sit inchoatio quædam generalis ordinationis in Sabbatho peragendæ, sicuti notat Henriquez lib. 10. cap. 12. num. 2. Quin imò etiam Feria IV. Quatuor temporum conferri posse, saltem vbi consuetudo est, docet idem Henriquez cit. num. 2. iun. comment lit. K. Sa verb. ordo num. 13. 1

Assertio II. Ad subdiaconatum, & alios maiores ordines iure communi prohibitum est quempiam ordinare extra Quatuor ieiuniorum tempora, & duo Sabbatha ante Dominicam Passionis, & Dominicam Resurrectionis Christi. Ita habetur in cit. cap. de eo, & cap. vlt. dist. 75. in Trident. sess. 23. cap. 8. Dixi autem *iure communi*: At verò Regulares quidam à Sum. Pontifice priuilegium obtinent, vt extra tempora ordinari possint, sicuti videre est apud Rodriquez t. 3. regul. qq. quæst. 23. a. 4. Vbi refert priuilegium à Gregor. XIII. Societati IESV concessum, & videri potest in Compendio priuileg. Societ. ver. ordines, §. 3. 2

Assertio III. Pro ordinatione Espiscopi Dominica dies assignata est, ex antiqua traditione, & praxi Ecclesiæ, vt docet Leo 1. epist. 79. ad Dioscor. c. 1. relatus in c. quod die, d. 75. 3

Assertio IV. Duo sacri ordines eodem die, siue in eadem ordinatione generali conferri non possunt, non obstantibus priuilegijs, quæ vel Regularibus, vel alijs concessa sunt. Ita habetur partim in c. dilectus, de tempor. ordinat. partim in Trident sess. 23. c. 13. & videri potest Rodriq. tom. 3. quæst. 23. a. 4. man. Prælator. t. 1. q. 38. a. 5. 4

Notandum tamen, Episcopo permissum esse, vt ob causam rationabilem, v. g. multitudinem ordinandorum, vel infirmitatem; collationem ordinum etiam maiorum faciendam alioqui in Sabbatho, ad Dominicam sequentem differat; modò eousque cõtinuetur naturale, & exactum ieiunium, vt sabbathi, & Dominici matutini quasi vnus dies reputetur, vti colligitur ex cap. literas, eod. tit. vbi id notat Abb. & Gl. ver. pertinere, & altera Gl. in c. quod à Patribus, d. 75. Syl. ver. Ordo, 2. n. 6. Henriq. cit. n. 2. Suar. cit. disp. 31. s. 1. n. 41. Veruntamen prohibitum est Episcopo, ne eidem, quem in Sabbatho inter Diaconos v. g. ordinauit, manè insequentis Dominicæ presbyteratum conferat: *cùm propter continuationem ieiunii, fictione canonica, manè cum vespera ad eundem diem pertinere dicatur*, cit. c. literas. 5

Quærunt autem Gl. in cit. c. quod à Patribus, Abb. in cit. c. literas, in fine, vtrum in die Sabbathi ordinationis generalis conferri alicui possit presbyteratus; & sequente Dominica manè episcopatus, non interueniente continuatione ieiunij? Et affirmant omnes, inquit Abbas; quamuis contrarium scripserit Suarez disp. 31. s. 1. n. 41. Sed probatur sententia communis; quia id nullibi prohibitum reperitur: etenim episcopatus quouis die Dominico conferri potest; consequenter etiam eo, qui est post Sabbathum ordinationis generalis. Neque canones, cùm aliquot dierum interstitium re-

quirunt, inter ordines sacros eidem conferendos de episcopatu loquuntur; sed de iis ordinibus tantùm, qui in ordinaria generali ordinatione conferri solent. Ex quo etiam habetur, si ob rationabilem causam continuato ieiunio Sabbathi, aliquis in Dominica presbyter ordinatus fuit, eundem eadem die episcopum quoque consecrari posse, vti annotauit Glossa, & Suarez ll. cc.

Illud etiam permissum non est, vt simul eidem ordines minores, & subdiaconatus conferantur, vti satis colligitur ex cit. c. 2. de eo qui furtiuè, & Trident. sess. 23. c. 11. & 13. & accedit Ecclesiarum consuetudo vim legis obtinens. At verò ordines minores nihil prohibet simul eidem conferri, vti colligitur ex cit. c. 2. & Ecclesiarum consuetudine. Deinde, vbi particularis consuetudo viget, vt minores ordines cum subdiaconatu eodem die, seu eadem ordinatione Quatuor temporum aliquibus conferantur, damnari non debet, teste S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 16. §. 16. cùm ea neque per Concilium Trident. damnata sit, vti docet Nauar. c. 25. num. 71. Henriq. lib. 10. c. 11. n. 4. Vasq. disp. 246. 5. Suarez l. c. Sa ver. Ordo, num. 17. & colligitur ex respons. Cardinal. super ead. sess. c. 13. *Ita ordinatum secundùm consuetudinem suæ Ecclesiæ nullam suspensionem incurrere.*

Porrò ad sacerdotium, vel episcopatum non subitò ex laicis aliquem postulandum, & ordinandum, sed priùs in inferioribus ordinibus exercendum esse, statutum reperitur in Concil. Sardicensi Oecumen. can. 13. à Siricio Papa, epist. 3. ad vniuersos orthodoxos, c. 3. Gregor. I. lib. 4. epist. 53. ad Childebertum Regem Francorum: *Peruenit ad nos, obeuntibus Episcopis, quosdam ex laicis tonsurari, atque ad episcopatum præcipiti saltu conscendere,* &c. *Dicere pudet, quia ducatum Sacerdotes arripiunt, qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.*

CAP. IX.

De Ministro ordinationis.

SVMMARIVM.

1 *Minister ordinarius sacramẽti Ordinationis solus Episcopus est, sed ordinum minorum collatio etiam Presbytero à Sede Apostolica committi potest.*

2 *Abbates non nisi regularibus subditis suis ordines minores conferre possunt. Quo tamen nomine etiam Nouitij comprehendi videntur.*

3 *Abbas priùs ab Episcopo benedictus esse debet, quam tonsuram & ordines minores conferat.*

3 *Chorepiscopis, qui ab vno tantùm Episcopo tanquam presbyteri ordinati erant, non poterat committi potestas ordinandi Sacerdotes, & Diaconos.*

Chorepiscoporum olim duo genera erant: quorum aliqui veri Episcopi, alij simplices sacerdotes ordinati erant.

4 *Non satis constat, vtrum potestas ordinandi Diaconos, & Subdiaconos simplici Sacerdoti committi possit.*

5 *Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus validè ordines confert.*

6 *Prima etiam tonsuræ collatio: item ecclesiarum, altarium, vasorum, virginum consecrationes ab Episcopo hæretico, aut degradato validè fiunt, vt nihil repetere opus sit.*

7 *Si Abbas in collatione ordinum minorum limites commissionis suæ excedat, irrita est ordinatio.*

8 *Qui per saltum Episcopus creatus est, omnes ordines conferre potest: modò sit presbyter ordinatus.*

9 *Episcopi licitè ordinare non possunt, nisi subditos suos, vel alienos cum licentia Ordinarij.*

10 *Triplex est Episcopus ordinationis, vnus originis, alter domicilii, tertius beneficij Ecclesiastici.*

11 *Filius fam. sortitur domicilium patris: nisi, cùm pubes sit, ipsemet domicilium constituat.*

12 *Licet in ordinibus conferendis tam domicilium originis attendi possit, quàm domicilium habitationis: attamen in acquirenda iurisdictionis subiectione magis attenditur ad habitationis domicilium.*

Assertio I. Minister ordinarius sacramenti Ordinationis solus Episcopus est. Ita habetur in Florent. in decreto Eugenij. Trid. sess. 14. can. 7. & manifestum est ex traditione Ecclesiæ. Vide quæ dixi suprà cap.

Quod verò attinet ad ministrum ex commissione, in primis certum est, quòd primæ tonsuræ, & ordinum minorum collatio Sacerdoti simplici conferri possit. Nam talis potestas concessa est Cardinalibus Presbyteris, teste Abb. in c. Clerici, s. n. 6. de vita & honest. Palud. in 4. d. 24. q. 3. a. 3. regula 4. Hugolino de Extrema vnct. c. 1. Rodriq. tom. 3. regul. qq. q. 23. a. 2. Henriq. lib. 10. c. 27. n. 3. Eadémque communi iure competit Abbatibus, si Sacerdotes sint, & ius baculi, ac mitræ deferendæ habeant, c. quoniam videmus, d. 69. c. cùm contingat, de ætat. & qualit. c. Abbates, de priuil. in 6. Ea tamen facultas restricta est per Triden. sess. 23. c. 10. de reformat. vt Abbatibus, quãuis exempti sint, non liceat imposterum cuiquam, qui Regularis subditus ipsis non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre, vti etiam notauit Sa ver. ordo, n. 16. Rodriq. to. 3. reg. q. 23. a. Miranda to. 1. q. 38. a. 9.

Quapropter Abbati hodie prohibitum est Regulari non suo, sed alterius, quamuis exempti Prælati subdito, & cum consensu eiusdem, primam tonsuram, vel ordinem minorem conferre; nisi etiam Episcopi ordinarij (in cuius diœcesi exempti sunt, & de iure ordinari deberent) consensus accedat. Neque item concessum est Abbatibus ordinare eos, qui ad suam iurisdictionem spectant, sed Regulares non sunt. Imò putat Rodriq. l. c. neque licitum esse Abbati Nouitios suos ordinare: de quo ego dubito; quia talis facultas Nouitios minoribus ordinibus initiandi iure antiquo competebat Abbatibus illis, qui pontificalia insignia habebant, sicuti constat ex c. Abbates, de priuil. in 6. Quare cùm correctio iurium, quantùm fieri potest, vitanda sit, ideo illa verba *Regulares subditi* amplè accipienda videntur, sicuti in materia fauorabili accipi possunt, vt etiam Nouitij cõprehendantur. Hoc insuper adde, satis nõ esse, quòd Abbas electus, & confirmatus sit, vt primam tonsurã, & minores ordines subditis suis Regularibus conferre possit: sed oportet etiam ab Episcopo benedictum esse: iuxta cit. c. cùm contingat. Nisi quis speciale priuilegiũ à Sede Apostol. acceperit: vt omnia pontificalia etiam ante benedictionem præstare possit: de quo Miranda in man. Prælat. cit. a. 9. & declaratio Cardinalium cit. sess. 23. c. 10. de reformat. Vel nisi Episcopus tertiò pro benedictione impertiẽda humiliter rogatus, sine iusta causa benedicere renuerit, sicuti habetur in c. 1. de supplenda negl. Prælatorum, & notauit Nauarrus c. 27. n. 264. Abb. in c. inter Monasterium, n. vlt. de sent. & re iudicata. 2

Quod attinet ad ordines maiores, Abb. in c. quanto, n. 9. de consuet. Vasq. disp. 243. c. 4. existimat, simplicem Sacerdotem non tantùm ordines subdiaconatus, & diaconatus: sed etiam presbyteratum ex commissione Papæ, vel Concilij generalis conferre posse. Quia cõstat ex Conc. Antiocheno c. 10. Neocæsariensi can. 13. Chorepiscopos, ex consẽsu Episcopi, Diaconos & Presbyteros ordinare potuisse: idque etiam colligi videtur ex Conc. Ancyrano, c. 13. Atqui Chorepiscopos illos non fuisse veros Episcopos, testatur Damasus Papa in epist. 5. Ergo non Episcopus, sed Presbyter tantùm ordinatus, ex commissione presbyteratum alteri conferre potest.

Verùm hæc sententia, quod ad Presbyteratum spectat, non videtur mihi probabilis; tum quia est contra communem sententiam Doctorum apud eundem Vasq. c. 3. tum quia est contra praxin Ecclesiæ: cùm ostendi non possit, talem commissionem à Sede Apost. factum esse.

Ad funda-

Ad fundamentum Vasquezij respondeo: Non vnũ, sed duo fuisse genera Chorepiscoporum, sicuti apertè ostendit Damasus in cit. epist. non longè post princip. vnum eorum, qui non vt Episcopi à tribus Episcopis: sed vno tantùm vt Presbyteri ordinati sunt: & his episcopalia munera exercere omnimodè interdictum fuit. Aliud verò eorũ, qui manuũ impositionẽ plurium Episcoporum perceperunt, & vt Episcopi ordinati sunt, sicuti ipsemet Damasus interpretatur. Atque hos ex licẽtia Episcopi sui, Diaconos, ac Presbyteros ordinare potuisse, significatur in dictis canonibus. Quanquam Damasus talium Chorepiscoporum ordinationem improbat, ita ratiocinans: vel enim ad ciuitatem ordinantur, vel ad villam. Neutrum dici potest Ecclesiasticis canonibus conueniens esse. Non primum: cùm nomen Chorepiscopi repugnet: significat enim Episcopum villanum: & secundùm canones duo Episcopi in vna ciuitate esse non debent: ita enim in Nicæna I. Synodo decretum fuisse, testatur S. Aug. epist. 110. ad Clerum. Non secundùm: Quia nec in modica ciuitate, nedum in villa, aut castello Episcopus esse debet: ne nomẽ eius, & auctoritas vilescat. Hæc Damasus, vt ostendat Chorepiscopos illos non quidem inualidè, sed illicitè, & nõ secundùm canones ordinatos fuisse, ac proinde à muneribus Episcopalibus arcendos. Præterea fuisse hos posteriores verè ordinatos Episcopos, inde ostẽdi potest, quia canones, præsertim Antiochenus 10. absolutè permittunt, vt cùm licentia Episcopi sui sacros ordines conferre possint: talem autem commissionem simplici Sacerdoti à quolibet Episcopo fieri inauditum est, & omnino improbabile, vti etiam constat ex c. aqua, de consecrat. ecclesiæ.

Notandum porrò est: Chorepiscopos primi generis, quales Damasus Papa non improbauit, fuisse Episcoporum Vicarios ruri constitutos, quos hodie Decanos, & Vicarios rurales vocamus. Posterioris autem generis Chorepiscopi videri possunt aliquo modo similes Episcopis, qui Titulares, & Episcoporum Suffraganei hodie appellantur: siquidem & his neminem ordinare concessum est, sine licentia & commissione Ordinarij. Ita docet Trid. sess. 14. c. 2. de reformat. Differunt tamen plurimùm, quia Suffraganei nostri non ad villam Ordinario suo subiectam, sed ad proprium alicuius ab hostibus occupatæ Ecclesiæ titulũ magis canonicè ordinantur, adeo vt cum ea Ecclesia spirituale etiam matrimonium contrahant, vti Vasq. ostendit disp. 241. c. 3. & seqq. Quare hîc obiter nota, quod antiquis canonibus statutum erat, vt in vna ciuitate duo Episcopi nõ essent: explicandum ita, vt vterque sit cum iurisdictione, vel vt alter ante alterius mortem successor designetur, quod prohibitum est in Concilio Antiocheno sub Iulio, can. 23.

4 Denique quod ad diaconatum, & subdiaconatum attinet, afferri solet priuilegium Abbatibus Ordinis Cisterciensis ab Innoc. VIII. concessum, vt sui Ordinis Monachis dictos ordines conferre possint, apud Rodr. t. 1. reg. qq. q. 18. a. 3. Vasq. disp. 243. c. 4. n. 39. Vict. n. 245. Nau. lib. 3. Cons. 14. de reg. edit. 2. Verùm S. Th. in 4. d. 25. q. 1. a. 1. ad 3. & alij multi apud Vasq. disp. 243. c. 3. docent, talem potestatem conferendi ordines sacros à Sum. Pontifice committi non posse: quam esse sententiam communem testatur Nau. l. c. & Syl. ver. ordo. 3. q. 7. eamque in praxi obseruari. Quamobrem Ægid. Coninck t. 2. disp. 20. dub. 9. concl. 4. priuilegium istud Ord. Cisterciensis in dubium reuocat: saltẽ hodierno iure nullus eius vsus esse debet, sicuti resoluit etiam Nau. cit. concil. 14.

5 Assertio II. Episcopus hæreticus nominatim excommunicatus, imò & degradatus, valide ordines conferre potest. Ita sanctus Thomas dist. 25. quæst. 1. art. 1. Sanctus Bonauent. art. 1. quæst. 2. Scotus quæst. 1. Richard. art. 1. q. 2. & 3. Duran. q. 1. Palud. q. 1. a. 3. vt proinde hæc certa sententia sit, aduersus Gratianum causa 1. q. 1. & causa 9. q. 1. qui deceptus est quibusdam SS. Patrum dictis: cùm tamen aliud dicere non intenderint, quàm ordinationem factam ab Episcopo excommunicato, aut hæretico pro rata, ac legitima habendam non esse, ad eum effectum, vt taliter ordinatus in ordine suo ministrare permittatur: interim non negãtes, quin characterem, & sacramentũ accipiat. Vide de hac re Vasq. disp. 243. c. 3. Excipio tamen S. Cyprianum, qui cum aliquando cum Africanis in ea sententia fuerit, quòd baptizati ab hæreticis iterum baptizandi essent, similiter existimare debuit, ordinatos ab hæreticis iterum ordinandos esse. Sed alij Patres de Baptismo, & Ordinationis sacramento pari modo sentiunt: characterem per ea diuinitus impressum nunquam ampliùs amitti, aut iterum auferri posse, sicuti constat ex S. August. lib. 2. contra epist. Parmen. c. 13. Concil. Nicæno can. 8. Gregor. I. lib. 2. indict. 10. c. 32. *Sicuti baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari.*

Loquor autem de eorum ordinum collatione, quos vera sacramenta esse constat: quæ cùm indelebilem characterem ordinato imprimant, consequenter etiam potestatem tribuunt, quam Ecclesia auferre nequit. Sin verò aliquis existimet, ordines v. g. minores esse sacramentalia tantùm ab Ecclesia instituta, is dicere debet, quòd Ecclesia eorum conferendorum potestatem Episcopis ob crimen absolutè quidem auferre posset, sed non soleat: quin potiùs velit validas esse, & non repentendas eiusmodi ordinationes, sicuti neque primæ tonsuræ collationem, item ecclesiarum altarium, vasorum, virginum consecrationes, si ab excommunicatis, aut etiam degradatis Episcopis, vel alia ratione aduersus canonum statuta fiant, si v. g. Episcopus alienos subditos ordinet. Causa huius rei duplex afferri potest I. Quia sicuti ordinandi, seu consecrandi potestas, quæ secundũ Christi institutionem Episcopis competit, immutabilis est, & minimè pendens à dignitate, aut bona dispositione Ministri, seu ordinantis: ita etiam oportebat, vt ordinandi, aut consecrandi potestas, quæ ordini, seu potestati episcopali, per Ecclesiæ institutionem, annexa fuit, similiter immutabilis, & independens esse. II. Quia ita necesse erat ad euitandas multas dubitationes, & alia non parua incommoda. 6

Veruntamen alia ratio est de Abbatibus, & similibus personis, quibus primam tonsuram, & ordines minores conferendi potestas non præcisè ex sacerdotali ordinatione competit, sed ex commissione Sedis Apostolicę, aut generalis Concilij communi iure ipsis facta, c. quoniam videmus, dist. 69. c. cùm contingat, de ætat. & qualit. *Si enim hi commissionis suæ limites ordinãdo excedant*, ordinatio irrita esse videtur: puta si Abbas nondum benedictus, neque à Sede Apostolica super hac re priuilegiatus: aut si Abbas alienos subditos, sine ordinarij Episcopi licentia, extra suum monasterium ordinare præsumat: quod annotauit etiam Palud. in 4. d. 24. q. 3. a. 3. reg. 3. Sin verò Abbas laico sibi in temporalibus subdito primam tonsuram, vel minores ordines conferat, videtur esse valida ordinatio, quia talis ordinandi facultas iure antiquo competebat, quæ per Trid. Concil. ita restricta est, vt eius vsus illicitus, non item inualidus existat. *Abbatibus non liceat imposterum &c.* sess. 23. cap. 10. de reform. 7

Assertio III. Qui per saltum Presbyter, & Episcopus ordinatus est, cum diaconatum v. g. vel subdiaconatum non suscepisset, potest tamen hos ipsos ordines validè conferre. Ita bene docet Vasq. disp. 143. c. 2. n. 23. contra Syl. ver. ordo, 2. q. 1. Henriq. lib. 10. c. 20. n. 3. Quicumque enim episcopalem characterem accepit, ideóq; verè Episcopus ordinatus est, is omnes ordines validè

conferre potest. Qui autem necdum alijs ordinibus ordinatus est, validè Episcopus, aut Presbyter ordinatur, cùm character sacerdotalis ab ijs essentialiter non dependeat, vti docent Scholastici in 4. d.24. vbi S.Th.q. 1. a.2. q.5. Rich. a.3. q.3.

Assertio IV. Etsi omnis verè consecratus Episcopus quemuis ordinis capacem, validè ordinare possit: non tamen licitè, nisi sit etiam proprius Episcopus ordinandorum, vel ab ipsorum Ordinario licentiam, vel literas dimissorias acceperit. Est communis assertio, quæ habetur in Trid. sess.23. c.9. de reform. Vbi tria notanda occurrũt: I. Episcopus familiarem suum non subditum ordinare potest, si per triennium secum fuerit conuersatus, & beneficium, cessante fraude, statim ei conferat, secundùm Trid. eod. c.9. de reform. Idémque esse videtur, si familiarem pro ecclesiæ suæ vtilitate à se, vel ab alio datis literis dimissorij gordinandum duxerit, qui sufficiens patrimonium habeat, vti Congregatio Cardinalium censuit super cit. c. 9. II. Prælatis exemptis Ordinum competit Regularibus suis literas dimissorias dare, vt à quouis Catholico Episcopo ordinari possint: vti docet Tolet. lib. 1. c.49. n.6. Auila p.3. de censur. disp. 5. dub.7. concl.1. Rodriq. t.1. reg. qq. 18. a.6. & t. 3. q. 24. a.1. & 2. vbi allegat priuilegia Ordinum regularium quæ reuocata non sunt per Trid. sess.23. c.8. de reform. sicuti etiam colligitur ex c. 10. eiusdem sess. III. Quod hic dicitur de ordinatione, vel literis dimissorijs ad ordinandum, intelligi quoque de prima tonsura, quæ tali loquendi modo etiam compreheddi solet, vti notauit Nauar. concl. 11. de tempor. ordinat. edit. 2.

10 Porro triplex est Episcopus, qui ordines licitè conferre possit, vti expresè habetur in c. cùm nullus, de temp. ordin. in 6. & ex communi docet Henriq. lib. 10. c. 22. Less. lib. 2. c. 34. dub. 19. Primus est Episcopus originis, id est, è cuius diœcesi aliquis oriundus est. Non sufficit tamen ad originis domicilium acquirendum matrem in itinere, aut alicubi negotij causa ad breue, tempus morantem, peperisse, si alibi domicilium habuerit, sicuti colligitur ex l. ciues, C. de incolis, lib. 10. & docet Abb. in c. Bertoldus n. 9. de rescriptis.

Alter est Episcopus domicilij, id est in cuius diœcesi aliquis domicilium fixit, animo perpetuò manendi: quo quidem domicilio habitationis constituto, non propterea amittitur domicilium originis: cùm id immutabile sit, l.1. l. municeps, & l. vlt. ff. ad Municipalem. Porrò sicuti non sufficit ad acquirendum domicilium fixum longo, & continuo tempore inhabitare, si animus reuertendi in patriam interim durauit: sicuti in Scholasticis videre est, qui interdum supra decenniũ in Academia studiorum causa versantur, sicuti annotatum est in l. 2. C. de incolis, qui proinde ordines ab Episcopo habitationis quamtumuis diuturnæ accipere haud possunt, sicuti ex communi notauit Abb. c. 3. n. 4. de paroch. Ita etiam non requiritur, vt quis diu inhabitet: sed satis est, si animum constanter inhabitandi habeat, donec aliud eum auocet, sicuti constat ex cit. l. ciues: vbi dicitur, domicilium alicuius esse, vbi quis larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit: vnde cùm profectus est, peregrinari videtur: quòd si redijt, iam peregrinari destitit.

Exinde resoluit Nau. lib. 1. cons. 3. de tempor. ordin. edit. 2. Si adolescens in vna diœcesi natus sit, & postea cum patre in aliam diœcesim migrârit: atque ab eodem deinde studiorum causa ad Academiam missus sit: in arbitrio ipsius positum esse, ordines, vel dimissorias petere ab Episcopo originis, vel ab Episcopo domicilij pa-

11 terni. Nam filius manens cum patre sortitur domicilium patris, neque illud discessu suo amittit, si animum ad patrem reuertendi seruat, & alibi domicilium non fixit: potest enim etiam filius fam. domicilium statuere, si pubes sit: non item si impubes, l. placet ff. ad Municipalem. Interim non sum nescius, aliquarum diœcesium consuetudinem esse, vt tales in loco domicilij paterni nõ ordinẽtur sine dimissorijs datis ab Episcopo originis.

Tertius denique est Episcopus beneficij, id est, in cuius diœcesi aliquis beneficium Ecclesiasticum possidet, quãuis alibi habitet.

Id verò hîc obiter nota: Licet domicilum originis inseruiat ad quosdam effectus particulares, inter quos est iste ordinis suscipiendi: in aliquibus tamen, vt in acqui- 12
renda iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potiùs domicilij habitationis, quod & principalius censetur sicuti docet Nau. cons. 4. de constit. edit. 2. Abb. in c. proposuisti, n. 20. de foro comp. In Clericis autem beneficiatis idem esse solet domicilium habitationis, quod beneficij: si id residentiam postulat: sin vero ibi non resideant, non possunt conueniri in loco beneficij, præterquam in causis pertinentibus ad beneficium, vti notauit idem Abb. c. qui tantùm, in fine, de Cler. non resident.

CAP. X.

De suspensionibus iure latis propter illegitimam ordinationem, vel ordinis executionem.

SVMMARIVM.

1 *Qui ordinantur ab Episcopo non habente legitimam exequutionem ordinis conferendi, suspensionem, seu potius irregularitatem contrahunt.*

2 *Qui extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs sacrum ordinem accipiunt, suspensi sunt: requiritur autem ad incurrendum hanc suspensionem dolus, aut culpa crassa in ordinato.*

3 *Qui ante ætatem legitimam ordinari se fecit, licet postea à suspensionis censura absoluatur, non potest tamen in ordine ministrare, priusquam ætatem legitimam consecutus sit.*

4 *Episcopus, qui scienter alienum subditum ordinat per annum à collatione ordinum suspenditur.*

5 *Nemo sine titulo sustentationis ad ordinem maiorem promoueri debet: alioquin Episcopus illi prouidere debet: neque pacisci potest, vt talis prouisio non exigatur.*

6 *Religiosi, etiam Societatis Iesu licet solemniter non professi, sine alio sustentationis titulo ordinari debent.*

7 *Qui cum titulo sustentationis ficto ordinationem impetrat, suspensionem ab ordine incurrit.*

8 *Beneficium, ad cuius titulum aliquis ordinatus fuit; resignari validè non potest, nisi aliunde habeatur sustentatio sufficiens.*

9 *Qui per saltum ordinari se fecit, suspensus est ab exercitio ordinis ita suscepti.*

10 *Qui vnò die duos sacros ordines accepit, suspensionem incurrisse censetur.*

11 *Episcopus in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij episcopalia exercens suspensionem incurrit.*

12 *Qui post nuptias, ante matrimonij con[illegible]mmationem, sacrum ordinem aliter suscipit, quàm sacri canones permittunt, veluti irregularis efficitur.*

13 *Qui in excommunicatione ordinem sacrum suscepit, suspensionem similem irregularitatis contrahit.*

PRIMA habetur in c.1. de ordinatis ab Episcopo, qui 1
episcopatui renuntiauit. Hi enim, si maiorem aliquẽ ordinem acceperunt ab Episcopo, qui episcopali dignitati, ac iurisdictioni renuntiauit, ab eiusdem ordinis exequutione in perpetuum suspensi sunt. Si tamen ignorantia probabilis, vel etiam aliquo modo culpabilis, dummodo non crassa, & supina, intercessit potest Episcopus cum illis dispensare.

Secunda habetur in c.1. & 2. de schismaticis c. statuimus, 2. causa 1. q. 1. & q. 9. ead. causa 1. Quod ordinati à schismaticis, hæreticis, simoniacis, alijsque excommunicatis, (ac denunciatis post extrauag. Ad euidenda) in perpetuum suspensi sunt: quamquam cum ijs, qui igno-

ignorātia facti non crassa laborārunt, Episcopus dispensare possit, iuxta c. si qui à simoniacis, 1. q. 1. c. ordinationes, 9. q. 1. Videntur autem hæ duæ suspensiones non esse propriè dictæ censuræ: sed canonicæ quædam inhabilitates, propter ordinantis defectum constitutæ, quæ proinde etiam sine culpa ordinati, ignorantia inuincibili laborantis, contrahi possunt, vti notauit Gl. in cit. c. 1. de ordinatis ab Episcopo, &c. ver. ignorantia, Nau. c. 27. n. 241. Couar. c. almam, p. 1. §. 1. n. 6. Suar. disp. 31. suspensione prima, & duodecima. Auila de censur. p. 3. disp. 5. dub. 8. & 9. & de simoniaco tradit S. Th. 2. 2. q. 100. a. vlt. ad 2. *Si quis ordinetur à simoniaco, non recipit ordinis executionem, etiam si ignoraret eum esse simoniacum: sed indiget dispensatione.*

Præterea circa suspensionem, seu canonicam hanc inhabilitatem duo aduertenda sunt: I. Eam contrahi, quotiescumque quis ordinatur ab Episcopo, cui ordinandi facultas adempta sit: videlicet per denuntiatam excommunicationem, suspensionem, depositionem, vel degradationem. Nam sacris canonibus ab antiquo tempore constitutum est, vt qui ordinis conferendi executionem legitimam non habet, eiusdem ordinis exercitium legitimum conferre non possit, quamuis characterem imprimat, vt notauit Gl. in c. per tuas, de simonia. II. Si quis à tali Episcopo probabili ignorantia ordinatus, postea celebret, non incurrit irregularitatem: secus si scienter: vel cum ignorantia culpabili, præsertim crassa. Ita notauit Auila l. c. & Coninck t. 2. disp. 15. dub. 5. n. 34. & indicat. Nauar. c. 25. num. 69.

Tertia habetur in extrauag. Pij II. quæ incipit, *Cùm*
2 *ex sacrorum*, apud Nau. c. accepta, de restit. spoliatorū, opposit. 8. n. 32. & in man. c. 27. n. 155. Qui extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimissorijs, sacrum aliquem ordinem accipere, præsumpserint, ab eodem suspensi manent, donec ab Ordinario suo absoluantur. Circa quam triplicem suspensionem quædam annotanda sunt: Primum. Olim dubitatum fuisse, vtrum ob dictas causas antiquo iure decreta fuerit suspensio sententiæ latæ, an ferendæ, vti videre est apud Syl. ver. irregularitas, n. 12. Suar. disp. 31. s. 1. suspens. secunda, & seqq. Auilam cit. disp. 5. d. 7. Couarru. Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 4. Nunc. verò dubium esse non potest post constitut. Pij II.

Secundum. Suspensio tantùm lata est contra eos, qui ordinem aliquem sacrum, vno ex tribus illis illegitimis modis, accipiunt. Qui autem minores ordines ab Episcopo alieno, sine proprij Ordinarij licentia, aut literis dimissorijs accipit, is grauiter peccat: &, licet propriè suspensus non sit, ita vt exercendo sui ordinis actum irregularis fiat: est tamen ipsi ministerium interdicendū, vt habetur in c. quod translationem, de temp. ordin. & & docet Nauar. lib. 1. con. 19. & seqq. de temp. ord. edit. 2. & in man. c. 25. n. 69. imò etiam ante interdictum, est inhabilis ad ordinis ita accepti exercitium: ita vt ministrando peccet, antequam dispensationem accipiat. Quia sicuti sententia lata à non iudice irrita est, ita & ordinatio data ab Episcopo, qui ius ordinandi non habet irrita censetur, in ordine ad legitimam eius executionē, seu vsum, sicuti constat ex c. si quis ausus, d. 71. & notauit Gl. in c. eos qui, eodem tit. in 6. ver. statuunt, Auila cit. d. 7. §. Secundò supponendum, Suar. cit. s. 1. n. 18. Tertium. Suspensio hæc, spectatis verbis Pij II. est tantùm ab exercitio ordinis illegitimè suscepti: non item ab aliorum ordinū ritè acceptorum functionibus, sicut indicat Henriq. lib. 13. c. 38 n. 1. & docent Auila cit. d. 7. notando sexto, Suar. cit. s. 1. n. 31. Addit verò Suar. ita illigitimè ordinatum impeditum esse, quominus ordinem superiorem accipere possit, ante absolutionem, vel dispensationem. Quod verum est, si loquamur de inhabilitate iuris: sed non ita, quòd accipiendo ordinem superiorem irregularitatem incurrat: cùm reuera non exerceat actum ordinis inferioris, à quo suspensus est; vti dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 5.

Quartum. Ad suspensionem hanc incurrendam requiritur dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis in ordinato, sicuti resoluit Nauar. ll. suprà citatis, Henriq. cit. n. 1. Suar. n. 15. 26. 31. Adde cum Nauar. & Couar. ll. cc. Suar. n. 27. Etsi quis ordinem mala fide ante legitimam ætatē, vel extra tempora, vel ab alieno Episcopo suscipiens, suspensione incurrat, si tamen postea bona fide, aut saltem sine culpa mortali in ordine ministret: quia ob iuris, aut facti ignorantiam existimat sibi id licitum esse, irregularem censendum non esse. Quia talis irregularitas est vna earum, quæ quasi pœnæ ob delictum incurruntur, sicuti colligitur ex verbis Pij II. *Si durante suspensione in ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatē incurrant*: cùm autem talis pœna grauis sit, ideo grauem, seu mortalem culpam requirit, vt dixi lib. 1. tr. 5. p. 3. c. 3. Quòd verò Auila cit. dub. 7. §. Pro intelligentia, contra communem doctrinam adeò hoc loco requirit dolum in ordinato, vt omnem ignorantiam, etiam crassam, si affectata non sit, à suspensione, & irregularitate contrahenda excusare dicat: id mihi non placet. Quia Pius II. absolutè suspensionem infert ijs, qui vno ex tribus illegitimis modis sacrum ordinem suscipiunt: &, vt significet esse hanc propriè dictam suspensionem ob delictum inflictam addit, si postea in ordine celebrare, aut ministrare præsumant, irregulares fieri: intellige, sicuti communi iure irregularitas contrahitur propter abusum ordinis, à quo aliquis suspensus est: quare sicutià similibus irregularitatibus ex ordinis abusu non excusat ignorātia, si crassa & mortalis sit, ita neque ab hac.

Quintum. Ordinatus ante ætatem legitimam, tametsi à suspensionis censura absolutus sit, non potest tamen in suscepto ordine ministrare ante ætatem completam; 3
nisi Papa cum ipso dispenset, sicuti colligitur ex Gl. in Clem. generalem, de ętat. & qual. ordin. & ex communi docet Henriq. lib. 13. c. 35. n. 4. Med. lib. 1. instruct. c. 11. §. 8. Auila cit. dub. 7. notando decimo: Duo tamen absolutio à suspensione ista operatur: I. Quòd completa ætate, mox sine alia dispensatione, ordinis ministerium exerceri possit. II. Quòd, si absolutus, ante requisitam ætatem, in ordine ministret, etsi peccet mortaliter, tamen irregularitatem non incurrat.

Quarta suspensio habetur in c. eos, qui de temp. ordinat. in 6. vbi Episcopus, qui alienæ diœcesis subditum 4
scienter, vel ignorantia affectata ordinat, per annum à collatione ordinum suspenditur. idem statuit Trid. sess. 23. c. 8. de reform. Et sess. 6. cap. 5. Episcopo sub pœna suspensionis, à Pontificalibus ipso iure incurrendæ, prohibetur, ne in aliena diœcesi ordinet, nisi de licentia expressa proprij Ordinarij: & tunc eiusdem Ordinarij subditos tantùm. Et sess. 14. c. 2. statuitur, vt nemo Episcoporum titularium (quos Suffraganeos his regionibus appellamus) subditum alterius Prælati, absque eiusdem expresso consensu, etiam prætextu continuæ commensalitatis suæ ordinare possit: contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum ipso iure suspenditur. Additur verò in suprà cit. c. eos qui: Postquam suspensio Episcopi, propter alieni subditi temerariam ordinationem contracta, manifesta fuerit, subditis eiusdem Episcopi, sine ipsius licentia, interim suscipiendi ordines ab Episcopis vicinis ipso iure concessum esse.

Quinta in c. vlt. de temp. ordinat. in 6. Episcopus, vel quiuis alius Prælatus primam tonsuram conferre præsumens alienæ diœcesis subdito: vel infanti, nisi Religionem ingressurus sit: vel illiterato, (id est, qui legere saltem, & scribere, aut prima Fidei rudimenta nesciat, iuxta Trid. sess. 23. c. 4. de reform.) Vel coniugato, nisi Religionem ingredi, vel ad sacros ordines pro-

moueri velit, sicuti sacris canonibus definitum est: per annum à collatione tonsuræ clericalis suspensus manet.

5 Sexta in c.penul. de simon. Episcopus aliquem ordinans ordine maiore: vel alius (Clericus beneficiatus) eum ad ordinem præsentans, si promissionem, vel iuramentum ab eo recipiat, vt super debita ei prouisione non molestetur, Ordinator à collatione ordinum, & præsentator ab executione ordinum: ordinatus verò ab ordine ita suscepto suspensus est, donec à Sede Apostolica absoluantur. Qua de re Nau. cap.27.n.158. Henriq. lib.13. c.37. n.1. Suar. disp.31. s.1. suspens.7. Auila cit. dis. 5. dub.4.

Pro huius intellectu, sciendum est primò: Sacris canonibus prohibitum esse Episcopis, ne quemquam ad ordinem sacrum admittant, nisi beneficium Ecclesiasticum ad sui sustentationem sufficiens possideat: vel de sua, aut paterna hæreditate, seu patrimonio, vitæ subsidium habere possit, sicuti habetur in c. Episcopus, & c. tuis, de præb. (quod tamen limitatũ reperies in Trid. sess. 21. c.2. de reform.) vel denique ab aliquo patrono, præsentatus sit, v.g. à Parocho, alióue beneficiato ad titulum beneficij sui, sicuti colligitur ex c. per tuas, 3. 6 de simon. & c. vlt. de iure patron. vbi Abb. n. 2. & in c. cùm secundùm, de præbend. Verum qui in aliqua Religione approbata professi sunt, alium titulum sustentationis non requirunt, sicuti constat ex c. 1. d. 70. & notant DD. communiter. Eodémque iure gaudent Societatis nostræ Religiosi, qui solùm tria vota simplicia eiusdem Religionis ediderunt, per Bullam Greg. XIII. quæ incipit, *Ex Sedis Apostolicæ*, apud Nau. cit. n. 158. & in priuil. Societ. fol. 131.

Notandum secundò: Antiquo iure c.1. & 2. d.70. Ordinatio facta sine titulo sustentationis irrita censetur, quoad ordinis execusationem. Id verò correctum est ab Innoc. III. cit. c. cùm secundùm: vbi decreuit, vt si quis sine titulo ordinatus esset, Episcopus eum ordinans, & successor ipsius tamdiu prouidere debeat ordinato, donec Ecclesiasticum beneficium consequatur. Consentit c. si Episcopus, de præbendis, vbi etiam significatur, si alicui Episcopo, puta Suffraganeo, ab Ordinario Commissa fuerit potestas ordinandi subditos eius, nulla persona expresâ; ille autem aliquem ordinauerit sine titulo, quòd ipsemet Suffraganeus, qui in culpa fuit, illi interim vitæ necessaria ministrare teneatur. Sin verò Episcopus ad preces præsentatoris aliquem ordinauit, tum patronus, seu præsentator ipsi interim prouidere debet, ait Abb. cit. c. cùm secundùm, num.7.

Dubitant verò Doctores: Vtrum suspensionem incurrat, qui ordinationem impetrat exhibito titulo patrimonij ficto? seu quia mentitur habere, quod non habet, seu quia ab aliquo impetrat patrimonij donationem, cum pacto statim redonandi. Negat Henriq. cap. 7 37. num. 2. Auila dub. 5. Sed sententia affirmans videtur probabilior, Nau. cap. 27. num. 158. Suarez suspens. num. 35. quæ tamen sufficienter non probatur, ex sup. cit. c. per tuas, & cit. penult. de simon. Nam in eo sermo tantùm est de Clerico beneficiario, qui ad titulum sui beneficij aliquem ordinandum Episcopo præsentat, interposito pacto nihil ab ipso petendi: quod à sacris canonibus, tanquam simoniacum reputatur: ideoque sub pœna suspensionis prohibetur. Id verò cùm pœnale sit, extendendum non est ad alias promissiones patrimonij, cum pacto statim remittendi, sicut Auila loco cit. notauit. Quare potius probari debet ex c. 1. & 2. d. 70. quibus iúribus absolutè decernitur, ordinationem factam sine titulo irritam, seu potiùs suspensam esse: quæ licet mutata fuerunt per c. cùm secundùm, in casu quo Episcopus sciens aliquem titulo carentem ordinat: quia tacitè tunc illi prouisionem ex episcopali sua mensa promittere censetur, vt proinde verus titulus tunc non desit: Attamen in casu, quo aliquis titulo ementito sacrum ordinem impetrat, Episcopus ordinans eum alere non tenetur: ideóq; ordinatus re ipsa omni titulo caret, idque propter culpam, & dolum suum, quamobrem suspensionem incurrere cẽsendus est ex iuribus antiquis, quorum correctio extendenda non est vltra casum expressum in cit. cap. cùm secundùm. Atque ita resoluit Nau. consil. vlt. de tempor. ordinat. edit.2. & consentire videtur Trident. sessione 21. cap.2. de reform.

Porrò in eodem Concilio Trident. decernitur, neq; beneficium validè resignari posse, ad cuius titulum ali- 8 quis ordinatus fuit, nisi aliunde sufficiens sustentatio suppetat: neque patrimonium, vel pensionem, cuius intuitu aliquis ordinatus fuit, sine licentia Episcopi vllatenus alienari, extingui, vel remitti posse, donec vel beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineatur, vel sustentatio ex alia causa acquiratur: cui tamen prohibitioni nulla censura annexa est.

Veruntamen num eiusmodi patrimonij, vel pensionis renunciatio ante obtentum beneficium, aliámue sustentationem, non tantùm illicita, sed & inualida sit, non satis constat. Nam Suarez num.38. videtur negare, esse irritam. Sed contrarium docet Nauar. cit. n.158. & consil.21. de tempor. ordinat. edit.2. Auila cit. dub.5. §. Petis, Henriq. c.28. num.3. propter verbum *nullatenus possint*: quod nullitatem ipso iure inducit, secundùm Gl. in Clem. 2. de sequestrat. ver. nullatenus. Ex quo resoluunt Nauar. & Auila: Si quis post ordinationem subdiaconatus, ad titulum patrimonij, vel promissæ pensionis, eidem renunciarit, & deinde sine alio sustentationis titulo diaconum se ordinari fecerit, non incurrere suspensionem: eò quòd renunciatio irrita sit: ideóq; renuncians habeat adhuc veram actionem ad petendũ patrimonium, vel pensionem sibi promissam. Quæ doctrina probabiliter concludit, si in diœcesi vigeat aliqua executio ad rescindendam renuntiationem, iuxta decretum Concil. Trident. Secùs esse videtur, si aliquis patrimonio, vel pensioni renuntiauit, sine vlla spe renuntionem rescindendi, tum enim re ipsa omni verò titulo sustentationis priuatus, sacrum ordinem diaconatus illegitimè suscipit: ideóque suspensionem incurrit, in quo assentior Medinę lib. 1. sum. cap.11. §. 8. in fine. 9

Septima colligitur ex Trident. sess.23. c.14. de refor. Qui per saltum ordinari se fecit, is suspensus est ab exercitio ordinis suscepti, donec per Episcopi dispensationẽ ordinem intermissum accipiat, & ita in vtroque ministrare permittatur. Quæ est communior DD. sententia Soti in 4. distinct. 25. quæst.1. a.3. Nauar. c.25. n.71. & c.27. n. 242. Henriq. lib. 13. c. 39. n.1. Suar. cit. sect. 1. suspens.9. Coninck disp.15. dub.5. susp.5. Auilæ p.7. dis. 11. sect.1. dub.4. ex cap.1. de Clerico per saltum promoto, & c. solicitudo, dist.52.

Octaua habetur in c. literas, de tempor. ordinat. Si 10 vno die duo sacri ordines eidem conferantur, *volumus*, inquit Innoc. III. Episcopum à collatione vtriusque ordinis: ordinatum verò ab executione posterioris, *manere suspensos, donec de illis aliter disponamus*. Ex quibus tamen verbis non satis colligi suspensionem latæ sententię, sed potiùs ferendæ, existimat Suar. suspens. S. n.41. Communiter tamen Doctores tradunt, saltem ipsum illegitimæ ordinatum ipso iure suspensum censeri, Nau. cap. 25. n. 71. & c. 27. n. 241. Suar. loco cit. Auila p.3. disp. 5. supponendo secundo, argument. cap. 2. de eo qui furtiuè, &c. in quo mandatur, vt is, qui vno die cum minoribus ordinibus subdiaconatum suscepit, *in minoribus tantùm ordinibus celebrare permittatur*. Quare Cardinal. Congregatio sessione 23. c.13. de refom. declarauit, eum, qui ex regionis consuetudine sic ordinatus est suspensum non esse, tacitè innuens, suspensum fore, nisi talis consuetudo in diœcesi inualuisset.

Nona habetur in Trid. sessione 6. cap. 5. de reform. 11 vt nullus Episcopus Pontificalia in aliena diœcesi exerceat,

eat, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Si secùs factum fuerit, Episcopus ab officio Pontificalium, & sic ordinati ab exercitio ordinum sint ipso iure suspensi.

12 Decima habetur in extrauagante, Antiquæ, de voto, vbi imprimis Ioannes XXII. prohibet, *ne quisquā durante matrimonio, nondum etiam consummato, sacrum ordinem suscipere præsumat, nisi prout sacris canonibus conuenit.* Videlicet cum consensu vxoris Religionem ingredientis: vel in seculo absque periculo incontinentiæ permanentis, edito continentię voto, vti notauit Gl. extrauag. in cit. ver. nouerit. Sin verò secùs attentatum fuerit, decernitur ibidem, vt ordinatus, ne quidem *matrimonio soluto in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines proueht, nec ad aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum valeat promoueri. Potest verò hæc suspensio irregularitatibus annumerari.*

13 Vndecima colligitur ex c. cùm illorum, de sent. excommun. quòd, qui excommunicationis censura ligatus ordinem suscipit, ab eodem suspensus manet: nisi vel ignorantia, vel metus grauis eum à culpa excuset, vti docet Suar. suspens. 11. & est receptior sententia S. Antonini 3. p. tit. 24. cap. 86. effectu 6. Syl. ver. excommun. 3. q. 14. Suar. loco cit. suspensionem hanc, quam aliqui irregularitatem vocant, accipiendam esse non tantùm de suscipiente in excommunicatione ordinem sacrum, sed etiam quemcunque minorem: quamuis contrarium sentiat Nauar. l. 5. cons. 43. q. 2. de sentent. excommun. edit. 2. Less. lib. c. 34. n. 95.

CAP. XI.

De cælibatu sacrorum ministrorum.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes, & alij Ministri sacri, non lege diuina: sed partim proprio voto, partim Ecclesiastica lege ad perpetuam continentiam obligantur.*

2 *Si Pontifex sine iusta causa dispenset cum initiato sacris ordinibus, vt vxorem ducere possit dispensatio irrita est: quamuis matrimonium ita celebratum valeat.*

3 *Cælibatus, seu continentia Sacerdotum ex Apostolica constitutione prouenit.*

4 *Plures causæ sunt, cur Sacerdotes, & Ecclesiæ Ministri continentes esse debeant.*

5 *In nulla Catholica Ecclesia vnquam permissum fuit, vt Presbyter, aut Episcopus vxorem duceret.*

6 *Presbyteri, & Episcopi coniugati lecto, & cella separati ab vxoribus, in continentia viuere debebant, secundùm antiquos canones.*

7 *Episcopa, Presbytera, Diaconissa olim à maritis suis dicebantur, à quorum tamen coniugali consortio abstinebant.*

8 *Falsum est in Concil. 1. Nicano, coniugij vsum Sacerdotibus permissum fuisse.*

9 *Introducta ab Orientalibus consuetudo, vt Presbyteri vxoribus, quas antè duxerant, vti possent extra tempora vicis ministerij sui, neque rationi, neque sacris canonibus consentanea est.*

10 *Sacerdotes concubinarij suspensi non sunt ipso iure nouo: sed canonicè puniendi sunt, si post monitionem non abstinuerint.*

EXpositis ijs, quæ ad sacramenti Ordinationis materiam, formam, subiectum, Ministrum pertinebāt deinceps dicam de accidentalibus quibusdam, videlicet de cælibatu sacrorum Ministrorum: de tonsura, & Sacerdotum vnctione: ad extremum de benedictionibus, & exorcismis, qui sunt actus Ministrorum ordinatorū.

QVÆSTIO PRIMA. Quod iure nouæ legis Sacer-
1 dotes, &c. obligentur ad perpetuam continentiam ab omni Venereo opere? Communis, & vera est sententia S. Th. 2. 2. q. 88. Caiet. t. 1. opusc. tr. 27. Bellarm. lib. 1. de Clericis, c. 18. & 18. contra Maiorem in 4. d. 24. q. 1. Vualdensem de sacramentis, c. 28. & seqq. Obligationem illam non esse ex lege diuina positiua: quandoquidem talis lex neque ex Scriptura sacra, neque ex Patrum traditione colligitur. Deinde verò licet secundùm rectam rationem valde decens, & conueniens sit, vt, qui in eminente Ecclesię statu, atque ordine positi, altaris Sacrificio vacare debent, ab opere carnis se contineant, sicuti colligitur ex Apost. 2. ad Corinth. 7. tamen id non est præceptum iuris naturalis: cùm altaris sacrum ministerium non repugnet simpliciter vsui coniugali, quippe per se bono, ac honesto. Confirmatur ex Trid. sess. 14. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractúmque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.* Ecce quòd Concilium obligationem continentiæ Clericis impositam, non ex lege diuina, sed Ecclesiastica, vel proprio voto oriri satis apertè indicat.

Sed vtrum horum probabilius est, Sacerdotes, aliósque sacros Ecclesiæ Ministros ad continentiam immediatè obligari ex præcepto Ecclesiastico, an verò ex proprio voto? Priorem partem complexus est Scotus in 4. dist. 37. quæst. 1. §. Dico igitur, Palud. ibid. q. 1. a. 2. concl. 3. Gutierez lib. 2. can. qq. c. 7. n. 45. & Sanch. apud Suar. lib. 7. matrim. disp. 27. q. 2. Quorum sententia ex eo ostendi posse videtur: quia, si aliquis cum sacrum ordinem suscipit, inuincibiliter ignoret obligationem continentiæ annexam esse, vel expressè nolit se obligare per proprium votum, is nihilominus obligatus erit ad seruandam continentiam: adeò vt matrimonium valide contrahere non possit: id verò non prouenit ex proprio voto, quippe quod internum animi consensum vel implicitum, vel explicitum necessariò requirit: Ergo prouenit ex sola lege Ecclesiastica, quæ etiam inuitos constringere, & ignorantes ad aliquem actum inhabiles reddere potest.

Nihilominus contraria sententia est communior, &
probabilior apud eundem Sanchez num. 10. obligatio- 2
nem illam continentiæ in Sacerdotibus immediatè oriri ex proprio voto: quod secundùm Ecclesiæ legem ipso facto, seu susceptione sacri ordinis emittere debent. Tametsi enim Ecclesia absolutè neminem cogere possit ad seruandam continentiam: cùm sit ea res consilij, non præcepti, secundùm Apost. 1. ad Corinth. 7. tamen in ordine sacro, quem liberè confert quibus vult, conditionem, & legem adijcere potest, ac solet, vt, qui talē ordinem suscipiunt, hoc ipso facto, atque adeò tacitè continentiam profiteantur, sicuti colligitur ex cap. 1. & seqq. dist. 28. c. cùm olim, de Cleric. coniugatis, & c. 1. de voto. Ratio verò, cur Ecclesia id requirat, ea est, vt sacris ordinibus initiati in continentiæ statu, quem propriæ voluntatis lege, ac religionis vinculo assumpserūt, tantò firmiùs, ac constantiùs perseuerent.

Exinde obiter collige: Si Sum. Pontifex cum constituto in sacris ordinibus sine iusta causa dispenset, vt ad nuptias transeat, inefficacem esse dispensationem in ordine ad soluendum votum: quamuis efficax sit in ordine ad impedimentum matrimonij soluendū, quippe quod solo iure Ecclesiastico constitutum est: ita tamen, vt contrahens debitum à coniuge non exigat, licet petenti reddere teneatur, sicuti notauit Sanch. n. 9.

Secundò colligit Nauarrus lib. 1. consil. 4. de ijs quæ vi: Si puer ante vsum rationis, vel homo adultus iniusto metu adactus ordinetur, licet characterem accipiat, tamen non obligari ad seruandam continentiam.

Ad probationem prioris sententiæ respondeo Legis Ecclesiasticæ de cælibatu Sacerdotum, &c. eam esse interpretationem, quam praxis Ecclesiæ declarat, vt sacrum ordinem suscepturi continentiam ipsi Deo promittere, seu vouere teneantur, cuius proinde etiā obligationis ab Episcopo ordinante admonentur: sin verò

accidat, aliquem non vouere, seu ob ignorantiam, seu ob malitiam, nihilominus per Ecclesiasticam legem ad continentiam compellitur: adeò, vt ad matrimonium contrahendum inhabilis existat: quo casu fatemur, talē non ex proprio voto, sed immediate ex lege Ecclesiastica ad seruandam continentiam obligari.

Quæstio Secunda. Quam antiqua sit lex cælibatus,
3 nouæ legis Sacerdotibus imposita? Respōdeo, esse Apostolicam constitutionem, quæ semper in Ecclesia, præsertim Occidentali, obseruata fuit. Sumitur ex Apost. ad Titum cap. 1. canon. 25. Apostol. Clem. Alexandrino lib. 3. stromatum, circa medium, Origene hom. 23. in librum Numer. Basil. in c. 3. Isaiæ, Cyrill. Hierosol. catech. 12. Ambros. lib. 1. offic. cap. 50. Siricio Papa in epist. ad Himeriū, c. 7. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. circa medium, S. Chrysost. homil. 2. de patientia Iob, Auctore Commentar. in epist. S. Pauli, apud Ambros. to. 3. in epist. 1. ad Timoth. cap. 3. Epiphan. hæresi 80. ad finem, S. August. lib. 2. de adult. coniug. cap. 20. Leone Magno epist. 84. ad Anastasium Episc. cap. 4. Impp. Honorio, & Theodos. l. 1. Cod. de Episc. & Cler. Concil. Neocæsariensi cap. 1. Eliberino c. 33. Romano sub Syl. cap. 8. Arausicano cap. 22. Carthagin. 2. cap. 2. vbi ita legimus: *Placuit, condecet, sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus: quò possint simpliciter quod à Deo postulant impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Confirmatur: Ex Apostolo 1. ad Timoth. 5. colligitur, viduas, quæ ex Ecclesiæ substantia alebantur, non fuisse receptas, nisi continentiam Deo promiserint: Quantò magis credibile est, altaris Ministros, videlicet Sacerdotes, ac Leuitas aliter acceptos, & ordinatos nō fuisse, nisi promissa prius continentia.

Ita enim oportebat, ob plures causas: quarum I. est Quia Sacerdotes Deo, & rebus diuinis perpetuò vacare debent: ab hoc autem studio impediuntur, ac distrahuntur opere ac fœdere coniugali, teste Apost. 1. ad Corinth. 7. II. Quia necesse est, honorem ac reuerentiam
4 seruari Sacerdotio: experientia autem constat, populū non tanto in honore habere eos, quos vident vitæ instituto pene nihil ab ipsis differre: quamobrem Sacerdotes Græci coniugibus adhærentes, in paruo honore sunt. III. Oportet Episcopos, aliósque Sacerdotes hospitales esse, & in pauperes misericordiam exercere: quomodo autem id præstabunt, si vxorem, & liberos alere debeant, cùm dicat Apost. 2. ad Corinth. 12. quod parentes filijs thesaurizare oporteat. IV Reditus Ecclesiastici, quos fideles ad diuinum cultū offerunt, passim ad causas profanas applicarentur: episcopatus, parochiæ, & alia beneficia frequenter quodam veluti hæreditatis iure ad filios Sacerdotum deferrentur: aut saltem Ecclesia Ministrorum suorum, tanquam benemeritorum, relictam prolem magno suo grauamine alere teneretur: qua ratione prouentus Ecclesiæ distraherentur, nec sufficerent ad tantùm Ministrorum numerum alendum, qui populo Christiano instruendo, ac pascendo necessarius est.

Porrò circa cælibatus legem Sacerdotibus imposi-
5 tam hæc duo distinguenda sunt. Primum, quòd post susceptum sacerdotium non fuerit eis concessum vxorē ducere. Id verò semper in omnibus Catholicis Ecclesijs etiam Orientalibus, obseruatum fuisse constat, vt nullo ex omnibus sæculis desumpto exēpto hæretici nostri temporis ostendere possint, Sacerdotem, id est, Episcopum, vel Presbyterum, cum approbatione Ecclesiæ Orientalis, aut Occidentalis, vxorem duxisse. Signatò loquor de Sacerdotibus: nam Diaconis, si in susceptione ordinis continentiam non promiserunt, quibusdam locis permissum fuisse vxores ducere, colligi videtur ex Concil. Ancyrano, cap. 10. De Subdiaconis verò ex Gregor. 1. lib. 1. epist. 42. ad Petr. Diaconum. Vide Gratianum super c. de Syracusanæ, d. 28.

Alterum verò est, quò Sacerdotes, & diaconi, si ante susceptum ordinem vxores habuerunt, postea promissa mutuo consensu continentiā, ab vxoribus se continere debeant. Id verò non simpliciter in omnibus etiā Orientalibus Ecclesijs semper obseruatum fuit: sed vbi canones Ecclesiastici synceri manserunt, vti expressè docet S. Epiphan. hæresi 59. contra Catharos, & S. Hieron. aduersus Vigilantium: *Quid faciant Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerunt, mariti esse desinunt.* Et epist. 50. ad Pammachium aduersus Iouiniā. *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.* Vide eundem lib. 1. contra Iouinian. Conc. Agathense cap. 16. *Si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint, ordinentur.* Similia leges in Concil. Eliberino, cap. 33. Carthagin. 5. cap. 3. Arelatensi 2. canon. 2. Turonensi 1. cap. 2. Aruernensi cap. 12. Lugdunensi cap. 1. Aurelianensi 2. c. 8. & Aurelianensi 4. cap. 17. *Vt sacerdotes, siue Diaconi cum coniugibus suis non habeant communem lectum, & cellulam: ne propter suspicionem carnalis consortij, religio maculetur: quod qui fecerint, iuxta priscos canones, ab officio degradentur.*

Quod loco notandum est primò: Quòd canones in- 6
quiunt, vxores lecto & cellula, vel etiam assidua à maritis suis, post eorum sacram ordinationem, habitatione separandas: non verò ita eijciendas religionis prætextu, vt nulla earum cura, seu prouidentia alendi habeatur. Quod modo intelligi debet canon. 5. Apostol. sicuti eum explicat I. eo 1. epist. 9. ad Episcop. Narbonen. cap. 3. & Humbertus Legatus Leonis 9. ad libellum Nicætæ Presbyteri, distinct. 31. cap. 11.

Notandum est Secundò: Statum illum continentiæ amborum coniugum cum pacto, atque edito coram Ecclesia voto assumptum, *conuersionem coniugatorum* olim appellari solitum. De qua re extat tit. 32. lib. 3. decretal. vbi inter alia Alexander III. respondit in c. coniugatus: *Nullus coniugatorum est ad sacros ordines promouendus, nisi ab vxore continentiam profitente fuerit absolutus.* Vide plura tr. seq. p. 3. c. 7.

Tertiò notandum: Has ipsas sacrorum Ministrorum
coniuges, & relictas viduas olim Episcopas, Presby- 7
teras, Diaconas, propter viros suos, appellatas fuisse, sicuti notauit Baron. An. Christi 34. Vasq. disp. 246. c. 3. prope finem, ex Concil. Turonico 2. can. 20. Antisiodoren can. 21. quibus præcipitur, si Presbyter cum sua Presbytera, Diaconus cum sua Diaconissa, Subdiaconus cum sua Subdiaconissa inuentus fuerit dormire, vt à clerici officio deponatur. Et can. 22. eiusdem Antisiodor. prohibetur, ne relictæ Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi aliud matrimonium contrahant.

Notat verò idem Baronius, An. 591. n. 18. Sacerdotes interdum vxores suas domi suæ habuisse vt sorores, quibuscū castè viuebant: idque colligitur ex dicto Concil. Turonico can. 13. *Episcopus coniugem vt sororem habeat*, & can. seqq. *Episcopum Episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierū.* Talis haud dubiè erat Theosebia S. Gregorij Episcopi Nysseni vxor, de qua ita scribit S. Nazianz. epist. 95. ad Gregorium Nyssenum; *Dei lex*, vt homines omnes moriantur, *Theosebiam habet verè sacram, & Sacerdotis coniugem, & honore parem magisque mysterijs dignam.*

Obijciunt aliqui primo, quod Sacrates lib. 1. histor. 8
cap. 11. & Sozom. lib. 1. c. 23. testatur, in magno Conc. Nicæno, suasore Paphnutio, decretum fuisse, vt Sacerdotes, qui ante susceptum sacrum ordinem, vxores duxerant,

zetant, à coniugij vsu non prohiberentur. Respondeo:
8 Scriptores hos sectæ Nouatianæ, sicuti alia plura, ita & hoc mendacium posteritati obtrusisse. Si enim in Cōcilio Nicæno, cuius tanta semper auctoritas fuit, tale aliquid decretum fuisset: quomodo fieri potuisset, vt Patres, & Ecclesia id ignorent, & postea, tam in oriēte, quàm in Occidente plurimis Concilijs coniugii vsus Sacerdotibus tam seuerè interdiceretur: & quidem cum protestatione, esse hoc secundùm priscos canones? Confirmatur ex eo, quod in 3. canon. interdixerit Concilium Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, iisque qui in clero sunt, ne in domos suas inductas habeant mulieres, pręter matrem, sororem aut amitam, siue eas, quæ omnem suspicionem effugiunt: Si autem sacris Clericis licuisset ex vxoribus suis liberos procreare, tum nec periculum talis suspicionis fuisset, nec obseruatio eius canonis conueniens, aut possibilis, vt aduertenti patebit.

9 Obijciunt secundò canon. 6. & 13. sextæ Constantinopolitanæ Synodi, vbi constitutus in sacro ordine (Episcopis exceptis) permittitur matrimonio vti, quod ante ordinationem legitimè contraxerunt: ita tamen, vt tempore, quo secundùm vices in ecclesia ministerio fungi debent, ab vxoribus se abstineant. Respondeo, In quinto, & sexto Concilio generali Constantinopolitano nullos canones ad morum reformationem editos fuisse: sed Orientales, decem annis pòst Syn. sextam oecumenicam, sub Agathone Papa, & Imper. Constantino Pogonato celebratam, seorsim in Trullo Iustiniani Imperatoris conuenisse, & centum duos canones conscripsisse: ad quorum approbationem Iustinianus Sergium eo tempore Romanum Pontificem compellere conabatur: sed Sergius subscribere noluit, eo quòd quædam capitula extra ritum Ecclesiasticum fuerint annexa: sicuti testatur Beda lib. de sex ætatibus in Iustiniano Iuniore, anno Mundi 4649. Anastasius in vita Sergij, & in epist. ad Ioannem VIII. Papam, Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 5. cap. 11. Humbertus Legatus Leonis 9. in dissidio Græcorum cum Latinis, relatus post canon. habeo, dist. 16. Post Trullanam verò constitutionem, cùm consuetudo liberos procreandi ex vxoribus ante ordinationem ductis, paulatim magis in Orientalibus Ecclesijs introduceretur: demum etiam Romani Pontifices in eam cōsenserunt, tanquam Oriētalibus licitam, & concessam, vti videre est in cap. quæsitum, de pœnitent. & remiss. c. cùm olim, de Clericis coniug. & c. aliter, iun. Glos. ver. copulantur, dist. 31.

Quòd verò mos iste Orientalium, quamuis iuri diuino non repugnet, ac proinde sine peccato consistere possit: tamen minùs laudabilis, & rectæ rationi conformis sit, quam mos Sacerdotalis continentiæ in Ecclesia Latinorum, probatur primo: Quia indultum illud Synodi Trullanæ non erat secundùm priscos canones, & antiquæ Ecclesiæ consuetudinem, vt suprà vidimus. Secundò: Quia vsus coniugij non satis conuenit cum altaris ministerio: bonum enim est frequēter, imò quotidiè Sacrificium Deo Patri offerri à Sacerdotibus: quod non satis reuerenter ac congruè abijs fit, si cōiugis carnali commixtioni seruiant. Quæ ratio cōmuniter à Patribus, & antiquis Ecclesiæ Scriptoribus affertur: Orig. hom. 23. in lib. Numer. *Certum est, quòd impeditur Sacrificium indesinens ijs, qui coniugalibus necessitatibus seruiūt. Vnde videtur mihi, quod illius solius est offerre Sacrificium indesinens, qui indesinenti, ac perpetuæ se deuouerit castitati.* Similia habet Basil. in cap. 3. Isa. Ambr. lib. 4. offic. c. 50. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Siricius Papa in epist. ad Himerium: c. 7. cuius verba leges in c. plurimos d. 82. & Innoc. 1. epist. ad Exuperium, c. 1. *Est vetus admodum sacra legis auctoritas, iam inde ab initio custodita, quod in templo, anno vicis suæ: habitare præcepti sunt Sacerdotes, vt seruientes sacris oblationibus puros, & omni labe purgatos sibi vendicent diuina ministeria: neque eos ad sacra officia fas sit admitti, qui exercent vel cum vxore carnale commercium, &c. Quantò magis hi Sacerdotes, vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus sacerdotium, vel ministerium sine successione est: nec præterit dies, qua vel à Sacrificiis diuinis, vel à Baptismatis officio vacent. Nam si B. Paulus Apostolus ad Corinth. scribit dicens, Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi, & vtique laicis præcipit, multo magis Sacerdotes, quibus & orandi, & sacrificandi iuge officium semper debebunt ab huiusmodi consortio abstinere?*

Denique argumentari licet contra Orientales: Vel vsus, seu commercium coniugale conuenienter consistere potest cum sacerdotali munere, vel non: Si non potest, cur ergo ordinatis eos, qui statui suo conuenienter victuros se non promittunt? Si autem potest: quæ causa est, cur ipsemet vestris Sacerdotibus interdicitis, quominus matrimonium contrahere possint: quin etiā ante ordinationem in matrimonium acceptis, tempore eo, quo per vices suas altari deseruire debent, non vtantur? Nam matrimonium secundùm se sanctum est: Ergo si eius vsus sacerdotale officium non dedecet, non apparet ratio, cur id Sacerdotibus vestris interdicatis. Quare manifestum est, Orientalium consuetudinem nec rationi, nec SS. canonibus consentaneam esse.

Ad extremum hìc annotare placuit, Etsi iure antiquo 10 c. præter, dist. 32. c. si qui sunt, distinct. 81. & cap. vltimo, de cohabit. Clericorum, & mulierum, Clericus notorius fornicarius, aut concubinarius ipso iure suspēsus fuisse videatur, vti nonauit Nauar. cap. 27. num. 154. hodie tamen eo iure abolito, vt ex communi docet Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 9. in fine, Henriquez lib. 9. c. 25. num. 12. lit. f. Auila p. 3. disp. 5. dub. 2. Suarez de censur. disp. 31. sect. 4. Finellius casu reseruato 11. num. 13. & 15. seruanda est constitutio Trident. ?. 5. c. 14. de reform. vt Clerici, qui domi concubinam, vel suspectam fœminam retinent, vel extra domum cum tali consuetudinem habent, si post primam monitionem non abstinuerint, tertia parte fructuum beneficiorum suorum ipso iure priuati sint: post alteram verò monitionem si se non correxerint, beneficijs pensionibus, & officijs Ecclesiasticis penitus priuati, omnino inhabiles reddantur ad officia & beneficia Ecclesiastica, donec post manifestam vitę emendationem. Superioribus visum fuerit cum ijs ex causa dispensandum esse. De Episcopis autem subijcitur: *Si ab eiusmodi crimine, quod absit, non abstinuerint, à Synodo Prouinciali monitiše non emendauerint, ipso facto sint suspensi: & si perseuerent, etiam ad Sanctiss. Roman. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus fuerit, in eos animaduertat.*

CAP. XII.

De tonsura clericorum, & sacerdotum vnctione.

SVMMARIVM.

1 *Tonsura Clericorum, & Monachorum, est res antiquissima à S. Petro Apostolo originem trahens: eius mysticæ significationes plures afferri solent.*
2 *Tonsura Clericorum ac Monachorum olim non nouacula, sed forcipe fieri debebat: neque licitum erat illis comam nutrire.*
3 *Neglectus tonsuræ, & habitus in Clerico seculari non est peccatum mortale: si absit contumacia, contemptus, & non nimius, ac insusitatus neglectus sit.*
4 *Vnctio Sacerdotum est accidentalis quadam cæremonia, eaque antiquissima.*

HÆc ad accidentales cæremonias ordinationis spectant: quamobrem ad finem huius tractatus ser-

uata sunt. De tonsura Clericorum, & Monachorum mentionem faciunt Euseb. lib. 10. histor. cap. 4. Nazianzenus in carmine de vita sua, Euagr. lib. 3. cap. 26. Isidorus lib. 2. epist. 200. S. Gregor. I. lib. 4. epist. 53. ad Regem Childebertum Francorum, Gregor. Turon. lib. 4. histor. cap. 4. Hieron. epist. 26. ad Augustinum, quē alloquēs ait: *Precor coronam tuam*; non aliam ob causam, nisi quia capite, cuius salutandi reuerentiæ causa antiquus mos est, coronam gestabat. Martinus Bracarensis Episcop. cap. 66. tom. 2. Concil. & Toletanum. can. 40. *Omnes Clerici, vel Lectores, Leuitæ, & Sacerdotes. de tonso superiùs capite suo toto, inferius solùm circuli coronā relinquant: Non sicut huc vsque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis in solo capitis apice modicum circulum tondent.* Ex quo loco apparet, clericos olim simili modo vt Monachos, tonderi solitos esse: quamuis hoc tempore alia consuetudo sit.

Rationes tonsuræ in Clericis variæ afferri solent. Prima est apud Isidorum lib. 2. de offic. Eccles. cap. 4. *Est concessum in Clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in anima agitur: scilicet hoc signo etiam in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur.*

Altera apud eundem citat. loco: *Quòd detonso capiti, superiùs, inferiúsque circuli corona relinquitur, sacerdotium & regnum Ecclesiæ in eis existimo figurari.*

Tertia admodum probabilis est apud Bedam lib. 5. Histor. Angl. cap. 22. *Non ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus* (Apostolus) *ita attonsus est, sed quia in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco, & nos, qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum, cum illo, in vertice summa videlicet corporis nostri parte, gestamus.* Et paulo post: *Formam coronæ quam* (Christus) *in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas peccatorum nostrorum auferret à nobis, suo quemque* (*Monachorum, & Clericorum*) *in capite per tonsuram præferre: vt se etiam irrisiones: & opprobria, pro illo libenter & prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant.* Similia habet Germanus Patriarcha Constantinop. in theoria rerum Ecclesiast. tom. 4. biblioth. SS. Patrum, & addit quod *corona circumposita capiti Sacerdotum, capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri: qui cum missus esset ad prædicationem Domini, & Magistri, ei tonsa est* corona *ab his, qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis.*

2 His adde Primò, Clericos, & Monachos olim non nouacula radi, sed forcipe tonderi solitos fuisse, sicuti constat ex Clem. Alexandrino lib. 3. Pædagog. cap. 11. Concil. Charthag. 4. canon. 44. Opt. Mileuitano lib. 2. contra Parmenianum, Hieronymo in Ezechiel. cap. 44. *Discimus nec caluitium nouacula esse faciendum: nec ita ad pressum tondendum caput, vt rasorum similes esse videamur.* Verùm de hac re nunc non multum curandū esse, ait Vasquez disput. 250. cap. 3. num. 19. quia eiusmodi cæremoniæ pro temporum varietate variari sine peccato possunt. Adde secundò: In Occidente olim concessam non fuisse Clericis, & Monachis comam nutrire, aut barbam, vti notauit Baron. Anno Christi 58. nu. 40. Vasquez lo. cit. & constat ex cap. si quis, cap. Clericis, de vita, & honest. Cleric. & ex lib. Damasi Papæ in vita Aniceti, S. August. lib. de opere Monachorum cap. 31. Concil. Tolet. 4. canon. 40. Concil. Carthag. 4. canon. 44. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Et S. Hieron. cit. loco: *Perspicuè demonstratur, nec rasis capitibus sicut Sacerdotes, cultoréfque Isidis, atque Serapis nos esse debere, nec rursus comam demittere, quod propriè luxuriosorum est, & militantium: sed vt honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur.* Qua tamen in re patriæ consuetudo seruanda nunc est.

Porrò circa tonsuram Clericorum restat quæstio: An, & quam grauiter peccet Clericus secularis beneficiatus, vel in maioribus ordinibus constitutus, si tonsuram, aut habitum clericalem (nam eadem vtriusque ratio esse videtur.) non deferant? Abbas in cap. si quis, num. 1. de vita, & honest. Clericorum, Nauar. cap. 15. num. 110. Angel. ver. Clericus, 4. num. 1. dicunt esse peccatum mortale. Id verò Caietan. verbo Clericus, negat, nisi interueniat temeritas, contumacia, & contemptus: ita vt post canonicam monitionem, Clericus etiam excōmunicari possit, sicut dixi lib. 1. tract. 4. c. 14. num. 2. §. Porrò, Syluester. ver. Clericus, 2. num. 2. Armillan. 11. Vasquez cit. cap. 3. num. 22. aiunt, non esse peccatū mortale, (seclusa contumacia & contemptu) *nisi notabilis excessus fiat vltra modum consuetum.* Et hoc placet tum esse peccatum mortale, si spectatis circumstantijs personæ, loci, diuturnitate temporis, &c. clericalis tonsuræ, & habitus neglectus notabiliter repugnet hone- 3
stati, & bono exemplo Clericorum, cuius gratia talis habitus lege Ecclesiastica præcipitur. Sin verò ex iusta causa, vel ad tempus breue, siue honestatis detrimento, habitus deponatur, nulla omnino culpa erit. Spectāda etiam est cuiusque diœcesis consuetudo.

Quod verò attinet ad chrismatis vnctionem, Presby- 4
tero in manibus, Episcopo in capite fieri solitam: extra controuersiam est, eam ad sacramenti substantiam non pertinere: quamuis cæremonia antiquissima sit, quippe cuius mentionem faciunt Dionys. Areopag. p. 2. hierarchiæ Ecclesiast. c. 14. Euseb. lib. 10. hist. c. 4. *Amici Dei, & Sacerdotes, qui sacra talari vnica, cœlestisque gloriæ corona, & diuino chrismate, denique sacerdotali S. Spiritus stola decorati estis.*

Pacianus epist. 3. ad Sympronianum: *Vestræ plebi*, Nouatianorum, *vnde spiritus, quam non consignat* in confirmatione *vnctus Sacerdos?*

Gregor. Nazianz. ad Gregor. Nyssenum S. Basilij Fratrem, & in orat. post reditum ex fuga: *Me pontificē vngis* (alloquitur S. Basilium) *ac podere cingis, capitiq; cidarim imponis, atque holocausti spiritualis altari admones.*

S. Gregor. lib. 4. Regum. cap. 5. super illa verba: Tulit Samuel lenticulam olei: *Hac vnctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit vnctionis.*

Basil. Imperat. in VIII. Synodo generali, act. 6. præsentes Episcopos ita alloquitur: *Religiosi Patres atque Ecclesiæ, & veritatis vindices, sacro chrismate delibuti.*

CAP. XIII.

De sacris Benedictionibus.

SVMMARIVM.

1 *Benedictio duplex est, publica, & priuata: hæc à quouis fideli fieri potest: illa ab Ecclesiæ Sacerdotibus.*

Ad maiorem seu sanctiorem pertinet alteri benedictionem priuatam impartiri.

2 *Semper in Ecclesia viguit consuetudo signandi se crucis figura.*

3 *Benedictionum effectus non est ex opere operato infallibilis: sed per modum deprecationis nomine Ecclesiæ maximam impetrandi vim habent.*

4 *Benedictiones Ecclesiasticæ aliæ sunt personarum, aliæ rerum inanimatarum: item aliæ constitutiuæ, & aliæ inuocatiuæ tantùm.*

Episcopi & Abbates Dominicis tantùm diebus consecrari solent.

5 *Quod Ecclesiastica benedictione sacrum effectum est, non potest. vel saltem non solet vnquam ad profanos vsus adhiberi, extra grauissimam necessitatem.*

6 *Partes auulsæ à re consecrata, destructâ eius formâ, saltem cum Prælatorum licentia, ad vsus profanos adhiberi possunt.*

7 *Agnos cereos solus Pontifex consecrare solet pridie Dominicæ in Albis.*

8 *De ecclesiarum & altarium consecratione, atque vnctione frequens mentio est apud SS. Patres.*

9 *Benedictiones episcopales requirunt, vt Episcopus consecratus sit: Potest*

sit: Potest tamen Papa dispensare, vt etiam à simplici Sacerdote fiant.

10 *Vestes & paramenta sacra altaris à simplici Sacerdote benedici non possunt, sine priuilegio Sedis Apostolicæ. Sed Abbates, qui Pontificalia exercent, talia benedicere solent.*

11 *Benedictiones, quæ nec iure, nec consuetudine Episcopis reseruatæ sunt, à Presbyteris fieri possunt, sed nunquam à Diacono.*

12 *Benedictio aquæ multiplex est.*

13 *Si aquæ, vel oleum non benedictum infundatur benedicto, totum benedictum erit: modò id, quod additur, non sit in quantitate notabiliter excedente.*

1 QVemadmodum maledicere est alicui malum imprecari: ita benedicere est alicui bonum precari, videlicet à Deo omnis boni largitore. Est autem duplex benedictio: priuata, & publica. Priuata dicitur, quæ à quolibet fideli vtriusque sexus erga alterum fieri potest. Nam & sanctas mulieres salubri benedictione, ægris sanitatem restituisse, exemplis ostendit Iacob. Gretserus lib. 1. de benedictionibus, c. 8. Decet tamen etiam in priuata benedictione obseruari, quod ait S. Paulus ad Hebræos 7. *Sine vlla contradictione quod minus est, à meliore benedicitur*; vt personis iis, quæ vel ratione status, vel ratione sanctimoniæ in Ecclesia excellentiores sunt, alijs benedicere debeant: imò in priuata benedictione maior etiam ratio sanctitatis propriæ haberi debet: cùm Deus deprecationem peccatoris pro alio fusam, non ita exaudiat, sicuti deprecationem iusti. Quare S. Basil. can. 27. ad Amphilochium ait: *Benedictio est sanctificationis communicatio: qui autem eam non habet, propter ignorantiæ lapsum, quomodo alijs communicabit?*

Erat autem olim frequentissimum, vt à viris sanctitate conspicuis benedictio daretur: seu super personas abeuntes, aut redeuntes: seu super alias res, puta panem, vinum, aquam, oleum, habitationem. Videri potest S. Gregor. Nazianz. in orat. funebri Fratris sui, S. Hieron. in vita S. Hilarionis, Paulinus apud S. August. epist. 36. Cassianus collatione Patrum 15. cap. 4. Theodoretus in historia Patrũ in Iuliano, Aphrate, Zenone, Abraame, Beda lib. 3. histor. cap. 26. Præsertim oleo benedicto multas infirmitates viri sancti curarunt, vti annotauit Iacob. Pamelius in lib. Tertull. ad Scapulam, num. 35. Gretserus lib. 2. cap. 23. Item per aquam crucis signaculo benedictam, magias & incantationes mali Dæmonis depulsas fuisse, testatur Epiph. hæresi 30. Palladius in histor. Lausiaca c. 19. & 20. scribens de S. Machario Eremita, Theodoretus in historia Patrũ, in Macedonio.

2 Adde, quòd semper in Ecclesia consuetudo frequens viguerit, vt Christiani crucis figuram, præsertim in fronte sua, formarent, ad auxilium diuinum implorandum, & Dæmones fugandos. Ita testatur Tertullianus de corona militis, cap. 3. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.*

Lactantius lib. 4. de vera sapienti[a], cap. 27. *Inoleuerat in Ecclesia iam ante*, quàm Helena crucem inuenisset, *mos frontis cruce signandæ; iam antè morbi cedebant, & Dæmones nomini IESV crucifixi, adhibita crucis cæremonia.*

S. Antonius apud S. Athanasium in vita eiusdem: *Quos Dæmones cùm videritis, tam vos, quàm domos vestras crucis armatis signaculo, & confestim soluentur in nihilum; quia metuunt illud trophæum, in quo Saluator aëreas soluens potestates, eas fecit ostentui.*

Cyrillus Hierosolymitan. catech. 12. & catech. 13. vbi ita loquitur: *Non pudeat nos Crucifixum confiteri: sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, & in panibus comedendis, & poculis bibendis, & in egressu, & in ingressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo.* Et paulò post: *Signum est fidelium, & timor Dæmonum: triumphauit enim de illis in hoc signo* Christus: *ostenta illud audacter; quando enim viderint crucem, recordantur Crucifixi: metuunt eum, qui contriuit capita draconis.*

Chrysostomus homil. 13. epist. ad Philip. *Cruce vtimur sine in itinere simus, siue in domo, aut certè vbicumque simus: magnum bonum est crux, salutaris armatura, scutum inexpugnabile.* Vide eundem hom. 12. in 1. ad Corinth. c. 4.

Hieronymus ad Eustochium de custodia virginit. *Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.* Et ad eandem Eustochium in epitaph. Paulæ: *Digitum ad os tenens*, Paula moritura, *signum crucis pingebat in labiis.* Similia leges apud Gregor. Nyssenum in vita Gregorij Thaumaturgi, Epiph. hæresi 30. Arnobium iuniorem in Psal. 143. Paulinum Nolæ Episcopum, natal. 5. Prudentium Poëtam cathemeri non hymno sexto, Theodoret. lib. 3. histor. c. 3. Gregor. I. lib. 3. dialog. cap. 5. Consuetudinem autem orandi manibus in crucis formam expansis, leges apud Eusebium lib. 8. histor. cap. 7. & apud Ambrosium serm. 56.

Venio nunc ad publicas benedictiones, quæ sunt ritus quidam, seu formulæ orationum, à Ministris Ecclesiæ, ex eiusdem institutione, super personis, aut alijs rebus sensibilibus pronunciari solitæ, ad impetrandum hominibus diuinæ gratiæ auxilium, à malo Dæmone liberationem, peccatorum remissionem, & alia Dei dona. 3 Tametsi verò eiusmodi effectus non consequentur ex opere operato infallibiliter: cum nullam specialem Dei promissionem habeamus: tamen quia eiusmodi orationes nomine Ecclesiæ fiunt, quæ semper Deo grata, & accepta est: piè credendum, imò pro certò habendum, eiusmodi Ecclesiæ benedictionibus, atque rebus benedictis, puta aquæ, agno cereo, ipsisque ecclesiæ, &c. magnam vim inesse ad conciliandum hominibus, per misericordiam Dei, bonos motus diuinæ gratiæ, quibus à peccatis mundentur, virtutibus augeantur, Dæmonum infestatione liberentur, à corporalibus quoque periculis custodiantur, vel eripiantur: non quò eiusmodi effectus semper certi, & infallibiles sint: sed sicut Deo optimo loco, & tempore, expedire visum fuerit. Qua de re legi potest Suarez p. 3. to. 3. disp. 15. s. 4. Ægid. Coninck 3. p. q. 71. a. 3. dub. 1. concl. 2.

Benedictionum tum priuatarum, tum publicarum legitimum ritum confirmare possumus tum ex perpetua Ecclesiæ praxi, quæ hauddubiè ab Apostolorum institutione initium sumpsit: tum ex facto Christi, panes ante multiplicationem benedicentis, Matth. 14. Lucæ 9. tum ex verbis S. Pauli 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Quibus verbis duo ait Apostolus, S. Chrysostom. interprete homil. 12. *Vnum quidem, quòd nulla creatura communis, seu immunda est: Secundò, quòd etsi communis sit, medicamentum in promptu est: signum illi crucis imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus immunditia omnis abscessit.* Vide etiam S. Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis, capite 26.

Benedictionum publicarum plures diuisiones afferri possunt: Prima est apud Syluest. ver. benedictio in princip. Benedictio, seu consecratio. Alia est personarum, v. g. Abbatum, virginum, viduarum, sponsorum: item benedictio super populum. Alia est benedictio aliarum rerum, puta aquæ, vini, olei, ceræ, domus, nauis, vestium, vasorum, altaris, Ecclesiæ, &c. Inter quas benedictiones discrimen adfert Panormit. in cap. 1. de consecr. Eccles. vel altaris: Quòd res inanimatæ, vt ecclesia, altare, &c. post consecrationem in certis casibus execrari possint, vel pollui: vt noua consecratione, vel reconciliatione opus sit: non ita verò personæ: quare *fortior est*, inquit, *consecratio rei animatæ, quam inanimatæ.* 4

Altera differentia est, quòd consecratio rerum ani-

matarum omnibus diebus, etiam non festis, fieri possit, vti habetur in cap. 2. eodem tit. non item consecratio personarum. Nam virginum consecratio, (extra mortis periculum) fieri debet solùm in festis solemnioribus, c. deuotis 20. quæst. 1. itémque Dominicis diebus, cap. 1. de tempor. ordinat. De Abbatibus quoque consuetudine obseruatur, vt non consecrentur nisi Dominicis diebus, teste Abb. c. cùm sis, eod. Syl. ver. Abbas, q. 1. Sed & Episcopos Dominicis tantùm diebus consecrari oportere, habetur in c. qui in aliquo, d. 51. ex Concil. Tolet. 4. cap. 18. & cap. 4. & 5. dist. 75. ex Leone I. epist. 7. ad Dioscorum Alexandrinum.

Altera diuisio est apud Caiet. 2. 2. q. 88. a. 11. Nauar. comment. de spolijs Clericorum, §. 18. num. 9. Suarez t. 1. de relig. tract. 3. lib. 4. de simonia, c. 14. num. 1. Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ: quibus res sacræ constituuntur, vt ad vsum profanum sine irreuerentia applicari non possint: cuiusmodi est benedictio aquæ, olei, vestium; Ecclesiæ item, altaris, & vasorum consecratio. Aliæ autem sunt benedictiones inuocatiuæ tantum, quibus res sacræ non constituuntur, neque ab vsibus profanis secernuntur: sed adhibentur tantùm ad inuocandum speciale Dei auxilium, circa præsentiam, vel vsum talium rerum. Quomodo benedici solent cibi, domus, nauis, & fortasse etiam candelæ, quas fideles ad altare afferunt, & postea recipiunt, vt ad vsus, etiam profanos, adhibere possint.

5 Docent porrò Caiet. l. c. & Nauar. n. 10. nullum Prælatum, ne Papam quidem, permittere posse, vt res per benedictionem constitutiuam sacræ effectæ, dum in sua forma permanent, ad vsus profanos: v. g. sacer calix ad potationem, saltem extra casum grauissimæ necessitatis, adhiberi possit. Ratio afferri solet ex S. Thom. cit. a. 11. Quia ius naturale, ac diuinum postulat, vt sancta sanctè, seu reuerenter tractentur: sed calix v. g. consecratus, dum formam integram retinet, sanctificationem suam non amittit: ergo contra ius naturale erit, si profanetur. Quamuis hæc ratio difficultatem habet, vt notauit Less. lib. 2. c. 40. num. 114. & Vasq. de sacram. Ordinis, disp. 243. c. 2. n. 15. Quòd enim calix v. g. semper consecrationem retinere censeatur, quamdiu formam integram seruat, ab Ecclesiastico iure prouenit: id autem à summo Pontifice mutari, aut in eo dispensari potest. Etenim sicut consecratio ab Ecclesiastica auctoritate proficiscitur, ita etiam execratio ab eadem dependere videtur. Quare hîc loqui mallem in sensu composito: suppositâ regulâ Ecclesiasticâ (in qua Papa licet absolutè possit, tamen non solet dispensare) quòd res per benedictionem consecrata, vt calix, ara, Ecclesia, cœmiterium, tamdiu consecrationem retineat, donec rei forma destructa sit: non posse Summum Pontificem licentiam dare, vt ad vsum profanum, absque necessitate adhibeatur: cùm irreuerentia sit, rem sacram, dum sacra manet, ad vsum communem adhibere.

6 Dubium verò est, quid sentiendum sit de partibus, quæ auulsæ à re consecrata, destructâ eius formâ, desinunt esse sacræ: v. g. vtrum lapides, & ligna Ecclesiæ dirutæ, vel altaris destructi, ad vsus profanos applicare aut diuendere liceat? Respondeo, & dico I. cum Nauar. n. 11. id rectè fieri posse cum Summi Pontificis licentia: quia enim talis materia desijt esse sacra, non prohibet ius naturale, vel diuinum, quominus profanis vsibus applicetur. Quare idem etiam sentiendum de alijs rebus, quæ pijs, ac religiosis vsibus inseruierunt, sed consecratione constitutiua: cuiusmodi sunt Religiosorum monasterium, hospitale, Ecclesiæ vtensilia: posse talia cum Papæ dispensatione ad vsus profanos applicari.

Dico II. cum eodem Nauar. l. c. Syl. ver. benedictio, n. 7. Dictas licentias iure ordinario ab Episcopo concedi non posse: quia sacri canones & Patrum sanctiones id prohibent, sicuti colligitur ex c. ligna, d. 1. de consecrat. vbi prohibetur, ne ligna Ecclesiæ dedicata laicorum vsui permittantur. Et in c. ad hæc, de relig. domibus respondit Vrbanus III. neque hospitale, postquam Episcopi auctoritate in pauperum prouisionem distinatum est, neque vasa vtensilia ad cultum religionis ab Episcopo deputata, profanis vsibus cedere posse, sicuti *antiqua consuetudo indubitanter obseruat, & venerabilium Patrum edocent sanctiones.* Ac denique in reg. 51. in 6. vniuersim dicitur: *Semel Deo dicatum, non est ad vsus humanos vlteriùs transferendum.*

Ait tamen Ludou. Miranda t. 1. manual. Prælat. q. 34. in casu necessitatis, seu existente rationabili, & vrgente causa, posse ecclesiam, vel monasterium destrui, deseri, & cùm opus fuerit in profanos vsus applicari, quod intellige de lapidibus, & lignis rudibus: at verò sacræ statuæ, & imagines in alio templo locari debent: atque in loco dirutæ ecclesiæ crux erigi. Et Eman. Sa ver. ecclesia, n. 2. absolutè ait, sufficere Episcopi licentiam vt ecclesiæ dirutæ materia ad vsus profanos conuertatur. Cuius sententia probabilis est, saltem si materia diruta, nullum ampliùs signum, vel indicium seruet, quòd pertinuerit ad consecratam domum: imò talia ligna ecclesiæ dirutæ etiam sine Episcopi licentia in Hispania laicis vendita fuisse, idque dissimulari potuisse ait Nauar. loco citato.

Tertia diuisio: Benedictiones aliquæ fiunt cum sacra vnctione: vt consecratio ecclesiæ, altaris, calicis, patenæ, agni cerei, &c aliæ autem verbales sunt, & sine vnctione, vt aquæ, salis, vestium, &c.

Nunc porrò dicendum est de publicis benedictionibus, esse actus ministerij Ecclesiastici, per Ecclesiæ in- 7.
stitutionem, sacro ordini annexos. Nam imprimis cereos agnos solus Sum. Pontifex consecrare solet pridie Dominic. in Albis. Olim verò eiusmodi agni cerei ab Archidiacono romano consecrabantur in Sabbatho sancto, vti Alcuinus testatur lib. de diuinis officijs, tit. de Sabbatho sancti Paschatis, & Amalarius lib. 1. de Eccles. offic. c. 17. & videri potest Iacob. Gretserus lib. 2. de benedict. cap. 34. Reliquæ autem consecrationes cũ sacro chrismate fieri solitæ. puta ecclesiæ, altaris, calicis
&c. totius episcopalis ordinis propriæ sunt. Ita secundũ 8
antiquos canones testatur Concil. Bracarense 1. can. 37. & docet Syl. ver. benedictio, q. 1. & 2. Suar. 3. p. to. 3. disp. 81. s. 5. & 7. Et quidem de Ecclesiarum consecrationibus, seu dedicationibus, ad quas plures Episcopi conuenire solebant, frequens mentio est apud Patres, & antiquos Scriptores, Eusebium lib. 4. de vita Constantini, Sozomenum lib. 2. Eccles. histor. cap. 26. S. August. lib. 4. contra Crescon. c. 40. vbi parietum consecratorum mentionem facit, Conc. Carthag. V. can. 6. Gregor. I lib. 2. epist. 58. & alios apud Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 5. De altaris consecratione, & vnctione testatur S. Dionys. Eccles. hierarchiæ cap. 3. p. 4. *Quòd diuini altaris consecrationem sanctissimorum mysteriorum lex sacratissimi vnguenti castissimis infusionibus perficit.*

Gregor. Nyssenus orat. de Baptismate: *Altare hoc sanctum lapis est naturâ: sed quoniam Dei cultui consecratum, atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta; altare immaculatum est, quod non ampliùs ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, idque venerantibus contrectatur.*

S. August. serm. 255. de temp. *Consecrationem altaris hodie celebramus; & iustè, ac meritò gaudentes, celebramus festiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus est lapis, in quo à nobis diuina Sacrificia consecrantur.*

Isidorus Hispalensis lib. 1. de Eccles. offic. c. 26. *Eodem die*) Cœna Domini) *altaria, templique parietes, & pauimenta lauantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.*

Concil. Agathense to. 1. Concil. cap. 14. *Altaria placuit non*

cuit non solum vnctione chrismatis: sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

Concil. Epaunense cap. 26. to. 2. Concil. *Altaria, nisi lapidea, infusione chrismatis non sacrentur.*

De benedictione campanæ leges in Ordine Romano: & apud Alcuinum, cuius testimonium allegat Iacob Gretserus lib. 2. de benedict. cap. 45.

9 Corollarium. Quæ ordini episcopali annexa sunt, videlicet ecclesiæ, altaris, vasorum consecrationes, exerceri non possunt ab Episcopo electo, & confirmato: nisi etiam consecratus sit. Veruntamen cùm ista ex iure Ecclesiastico proueniant, nihil obstat, quominus Papa ex plenitudine potestatis suæ, dispensare possit, & talem consecrandi potestatem simplici Sacerdoti committere; vti ex communi notauit Durand. in 4. d. 2. quæst. 1. n. 8. Suarez cit. t. 3. disp. 15. s. 3. in fine. Qua quidem ratione Paulus III. Anno 1549. concessit Presbyteris Societatis Iesu, vt in locis remotissimis infidelium, vbi Catholici, Episcopi nulli sunt, altaria, & calices consecrare possint; vti habetur in priuilegijs Societatis Iesu Fol. 43. Simile priuilegium concessum Fratribus Ordinis Minorum in partibus Indiarum refert Rodriquez t. 1. regul. qq. q. 19. a. 3. Denique etiam Abbates quosdam, qui insignibus Pontificalibus vtuntur, immemoriali consuetudine calicis consecrandi facultatem præscripsisse, testis est Armilla ver. calix in fine, Sa eodem, num. 3. Quamuis talem consuetudinem reprobat Syl. ver. benedictio, q. 2.

10 Multò verò magis, ac faciliùs à Sum. Pontifice Sacerdotibus committi posset facultas benedicendi vestes sacerdotales, & pallas altaris, etiam ipsum corporale: quare Regularium quibusdam Superioribus eiusmodi priuilegiū cōcessum fuit, vt possint benedicere ea omnia, in quibus chrismatis vnctio non interuenit, vt videre est apud Rodriquez cit. quæst. 19. a. 1. & 2. Suarez cit. q. 81. s. 6. §. Secundò præter pallas: Abbates quoque, qui Pontificialia exercent, omnia talia benedicere solēt teste Angelo ver. benedictio, num. 1. Sa eod. ver. n. 4. Imò Angelo l. c. contra communem sententiam Doctorum in Clem. attendentes, de statu Monachorum, ait quod etiam alij Presbyteri vestes sacerdotales, & altaris paramenta, præter corporale, benedicere possint. Nam Presbyter omnes ordinis actus exercet, qui ordinationis episcopalis proprij non sunt, & in iure ipsi prohibiti nō reperiuntur: sed benedicere paramenta non est ita proprium ordinis episcopalis, quominus etiam alijs competere possit: quando quidem constat Abbatibus ex cōsuetudine competere. Canones autem cùm prohibent, ne actus quidem ordinis à Presbyteris exerceantur, non meminerunt benedictionis paramentorum, & vestium, sicuti videre est in cap. quamuis, distinct. 68. vbi Presbyteris prohibetur ordinatio Sacerdotum, consecratio virginum, & ecclesiæ, altaris, ac chrismatis confectio. Et solùm in c. consulto d. 1. de consecrat. significatur corporale ab Episcopo benedici oportere. Hic discursus Angeli non displicet Nauarro consil. 2. de celebrat. Missar. edit. 2. vt proinde & ipse fateatur: attento solo iure scripto, non prohiberi Parochum vestes sacras, seu indumenta Sacerdotis benedicere: quamuis ab consuetudinem vniuersalis Ecclesiæ id ei prohibitum videatur. Addit tamen, existimare se, quòd Parochi benedicere possint altarium tegumenta, excepto corporali. Sed cōtrarium docent Syl. ver. benedictio, q. 3. Azor to. 1. lib. 10. c. 28. §. porrò: Scortia de sacrif. lib. 2. cap. 14. n. 8. vbi vniuersim negant, Sacerdoti simplici talem facultatem competere, nisi Apostolicæ Sedis priuilegio muniti sint. Et horum sententiam Ecclesiarum consuetudo probat.

11 Reliquę porrò benedictiones tum constitutiuæ, tum inuocatiuæ, quæ solemni ritu, ex institutione Ecclesiæ, fiunt, & Episcopo neque iure, neque consuetudine reseruatæ sunt, à presbyteris, non etiam diaconis fieri possunt, vti constat ex praxi Ecclesiæ, & sumitur ex c. perlectis, d. 25. vbi dicitur, ad Presbyterum pertinere benedicere dona Dei, & ex communi docet Syl. ver. aqua benedicta; Suarez t. 1. de relig. tract. 3. lib. 4. cap. 15. n. 2. Quare si Diaconus, quamuis iubente Sacerdote, aquam v. g. benedicat, irrita est benedictio: quia non facta ab habente potestatem.

De benedictionibus istis sacerdotalibus operæ prætium est, paucula in specie dicere. Vsitatissima imprimis est benedictio aquæ: quamuis ea non vnica, sed varia sit. Aliæ enim aquæ, & salis benedictiones referuntur ad consecrationem altarium, ecclesiarum, cœmiteriorū & talis benedictio aquæ ad Episcopum pertinet, sicut & ipsa consecratio, seu reconciliatio. De eiusmodi aqua meminit Ordo Romanus, & Beda lib. 5. histor. Eccles. c. 4. *Miserat Episcopus* (S. Ioannes Hagustaldensis) *mulieri quæ infirma iacebat de aqua benedicta, quam in dedicatione ecclesiæ consecrauerat:* eiúsque ablutione mulierem protinus sanatam affirmat. Alia est benedictio atque baptismalis Presbytero competens, sicuti & ipsa baptismalis sacramenti administratio. Alia autem est aquæ, & salis benedictio, quæ in Ecclesijs Latinis quouis Dominico die fieri solet, vt ex ea populus & alia aspergantur, atque à fidelibus in vasculis mundis domum portari, ad morborum curationem, animíque munimen aduersus Dæmonis insidias religiosè vsurpari possit. De huius aquæ benedictione post Alexandrum I. Papam epist. 1. meminit Ordo Romanus, & S. Gregorius I. in lib. sacramentorum, vbi eius exorcismus, & benedictio refertur ijsdem verbis, quæ nunc in Missali Romano habentur. Concil. Nannetense c. 4. Rabanus Maurus de institut. Clericorum cap. 55. *Benedicetur sal, & aqua in diuersos vsus fidelium; ad homines infirmos, contra phantasiam inimici, ad peccorum sanitatem, ad morbos auferendos,* &c. Micrologus de Ecclesiasticis obseruat. c. 46. *Alexander Papa, quintus à B. Petro; constituit, vt sal, & aqua benediceretur ad conspergendum populum, & habitacula eorum, quod & nos in omni Dominica iuxta canones sequemur.* Miracula facta per aquam benedictam legere potes apud Theodoret. lib. 5. cap. 21. Gregor. I. lib. 1. dialog. c. 10. S. Bernardum in vita S. Malachiæ, & plura apud Iacobum Gretserum lib. 2. de benedictionibus, cap. 10.

De eulogijs, seu benedictionibus parum dixi lib. 4. tr. 6. c. 9. num. 3. De nouorum fructuum, habitationis & similium benedictionibus leges apud S. Gregor. in lib. sacramentorum. De benedictione cereorum in concil. Tolet. 4. can. 8. Ennodium Ticinensem lib. 1. epist. 11. Alcuinum de diuinis officijs, cap. 1. de Purificat. B. Mariæ. De benedictione sacerdotalis stolæ, manipuli, albæ, cinguli, calicis, patenæ, corporalis, aliorum linteorum altaris: item vexilli, ensis, sicuti, noui militis sponsorum, consecratione virginis, viduæ, Abbatis, Abbatissæ, Monachi, agit sæpius allegatus liber antiquissimus, qui inscribitur Ordo Romanus.

Quæri solet: Si aquæ benedictæ alia non benedicta aqua: vel consecrato oleo aliud non consecratum affūdatur, vtrum totum benedictum censeatur? Ita affirmat Alexander III. c. quod in dubijs, de consecr. ecclesiæ. Sed intelligendum id videtur cum S. Thom. in 4. d. 12. quæst. 1. a. 2. quæst. 6. Syl. ver. aqua benedicta, quæst. 3. Armilla num. 2. Iacobo Gretsero lib. 2. de benedictionibus, c. 20. modò id, quod admiscetur, non sit (saltem notabiliter) in maiori quantitate, quàm sacrum, cui admiscetur. Quamuis contrarium sentiat Angelus ver. aqua Sa ver. benedictio, num. 1. etiam si aqua non benedicta in maiori quantitate affundatur, totam benedictam esse. Sed prior sententia probatur, quia regula illa, quòd *sacrum tanquam dignius trahere debeat ad se non sacrum,* cessare videtur, si non sacrum multò maius, seu copiosius sit: alioquin si guttam aquæ benedictæ fonti, 13

aut puteo inijcias, tota benedicta erit, quod & fidelium persuasioni, & Prælatorum Ecclesiæ voluntati repugnare videtur.

Data opera loquor de fonte, aut puteo: non de flumine, aut mari: quia, etsi Sacerdos intendat totum flumen benedictione solemni benedicere, nihil efficiet: cū agat præter institutionem Ecclesiæ. Id tamen fateri debemus, postquam semel oleum, vel aqua non consecrata additione ad consecratam, benedictionem accepit, etsi iterum alia vice non consecrata aqua, vel oleum affundatur, denuò consecratum censeri totum, sicuti in dixi hoc libro tr. 5. cap. 5. num. 16. Hæc autem omnia potissimum fundantur in Ecclesiæ constitutione, quam vsus, & Doctorum traditio confirmat, vti annotauit Palud. in 4. dist. 12. q. 5. a. 3. in fine.

§. VII.

De abbatibus, eorumque benedictione.

SVMMARIVM.

14 *Abbates alij seculares, & alij regulares sunt. Item alij infulati; alij qui pastorale tantùm pedum gerunt.*

15 *Ad Abbatis creationem tria incurrunt: electio, confirmatio, benedictio.*

Abbas eligi debet, qui in Ordine expressè professus sit, qui XXV. ætatis annum attigerit, qui sacerdos sit, vel intra annum sacerdos futurus.

16 *Abbas confirmatus, aut benedictus licet ad episcopatum eligi possit, tamen transire illi non licet absque Superioris licentia.*

17 *Benedictio Abbatis ab Episcopo fit assistentibus duobus Abbatibus: quanquam consuetudo permittit, vt à tribus Abbatibus benedictio conferatur.*

Benedictio Abbatis potiùs ad solemnitatem spectat, quàm ad substantiam: adeò, vt quibusdam casibus etiam sine accepta benedictione, quæ ordinis sunt, exercere possit.

18 *Abbas nomine Conuentus non comprehenditur in odiosis.*

14 Abbates veluti Patres dicti, alii seculares sunt, alij regulares. Illi Collegiatis Ecclesijs Canonicorum secularium præsunt: hi verò Monachorum Conuentibus quare & ipsi iure ordinario professi eiusdem Ordinis esse debent. Dignitas eorum in Ecclesia magna est: vt próximum post Episcopos locum teneant in Concilijs, processionibus, &c.

Inter Abbates regulares alij infulati sunt: qui insignibus Pontificalibus vtuntur: alij non infulati, qui solum pastorale pedum gerunt. Præterea alij Abbates non exēpti sunt, qui iurisdictioni Episcopi directè subijciuntur. Alij verò exempti à iurisdictione Episcopi: idque vel tantùm ratione Monasterij, & personarum eius: vel etiam ratione populi, ac territorij sui.

Ad Abbatis creationem tria concurrunt: Electio, cōfirmatio, & benedictio, Electio à Capitulo, seu Con-
15 uentu fit, sicuti & Episcopi electio, nisi quòd de Prælatorum Regularium electione singulariter statutum est in Trid. sess. 25. c. 6. de Regul. vt electio fiat per vota secreta, & eligentium singulorum nomina nunquā publicentur. Debet autem eligi, qui regulam Ordinis expressè professus sit, & 25. ætatis annum attigerit, c. cū in cunctis, de elect. Clem. Ne in agno, §. cæterùm, eod tit. Quia Sacerdos sit, aut saltem breui tempore, videl. intra annum sacerdotium accepturus, c. 1. de ætat. & qualit. iun. c. licet canon. de elect. in 6.

Electionem sequitur confirmatio, per quam ius plenum acquiritur administrationis, & iurisdictionis exercendæ. Permittitur tamen in c. nihil, de electione, vt Prælati in concordia electi in partibus vltramōtanis, seu ab Italia remotis, interim administrationem in spiritualibus & temporalibus suscipiant, donec confirmatio ex Vrbe adueniat, quam per se, vel idoneas personas electus petere debet: ita tamen, vt ante confirmationem nulla bonorum Ecclesiæ alienatio fiat.

Porrò Abbas, vel Præpositus non exemptus confirmandus est ab Episcopo: exemptus autem à Papa: vel Legato, à latere: si in prouincia sit, c. si Abbatem, iun. Gl. de elect. in 6. Syl. ver. Abbas, quæst. 3. Prælati tamen Ordinum exemptorum, qui Generalem habent, ab eo vel Visitatore Ordinis confirmari debent. Qua de re Rodriq. 2. regul. qq. quæst. 52.

Succedit denique benedictio, siue consecratio Abbatis, perquam veluti spirituale matrimonium, quod inter ipsum, & Ecclesiam eius, electione inchoatum, ac confirmatione ratum erat, magis adhuc consummatur, 16
sicuti de Episcopo etiam dicitur in c. vlt. de translat. Episcopi. Quare Abbas eligi quidem potest ad episcopatū sed transire illi non licet, postquam confirmatus, aut benedictus est, nisi cum licentia Superioris, qui est Episcopus, Generalis Ordinis, vel Summus Pontifex, aut Legatus à latere, vti ex communi docet Ioan. Pertachinus de Episc. p. 2. lib. 2. n. 75.

Fit autem benedictio Abbatis ab Episcopo, duobus 17
assistentibus Abbatibus; vel sine Episcopo à tribus minimùm Abbatibus, vti consuetudo declarat apud Syl. ver. Abbas, q. 1. Per eam autem benedictionem consequitur, vt exercere possit quæ Ordinis sunt, videl. ordines minores conferre, vasa & vestes sacras consecrare, populo solemniter benedicere. Verùm rectè annotauit Ioan. Selua p. 5. de benef. q. 2. n. 7. benedictionem Abbatis potiùs ad solemnitatem spectare, quàm ad substātiam. Quidam enim Abbates sola confirmatione, absq; alia benedictione constituuntur, vt plenam potestatem exercere possint: idémque dici debet, si Episcopus tertiò requisitus, benedictionem conferre nolit.

Abbatissæ quoque post confirmationem electionis suæ à legitimo Superiore acceptam benedici debent, si in Monasterio talis benedicendi consuetudo vigeat: adeò, vt nisi intra annum benedictionem suscipiat, iure suo excidat, nisi rationabilis excusatio subsit, Clem. attendentes, de statu Monachorum, vbi Gl. ver. benedici, notat hanc benedictionem quolibet die fieri posse.

Denique Abbas nomine Conuentus regularis non 18
comprehenditur in odiosis: sed in fauorabilibus, adeò vt priuilegia personis regularibus, vel Conuentui regulari concessa etiam Abbas participare debeat, nisi ex adiunctis appareat aliam fuisse mentem concedentis. Qua de re Rodriq. t. 3. regul. qq. quæst. 51. a. 8.

CAP. XIV.

DE EXORCISMIS.

SVMMARIVM.

1 *Exorcismus est sermo increpationis contra Spiritum immundum, ad fugandum illum per Virtutem Crucifixi.*

2 *Exorcismi in Veteri etiam Ecclesia Vsitatissimi fuerunt.*

3 *Res etiam inanimatæ quadammodo adiurari possunt.*

4 *Exorcismi ad pellendos Dæmones ex corporibus obsessorum semper in Ecclesia Vsitati fuerunt.*

5 *Minister exorcismos adhibens, praeparatus accedere debet, & multa obseruare, vt bonus effectus sequatur.*

6 *Exorcismos non quoslibet, sed approbatos ab Ecclesia Vsurpare oportet.*

7 *Dæmon non per modum obsecrationis, sed per imperium pellendus est exorcismis.*

Qvid sit exorcismus, definit Isidorus de Eccl. off. 1
c. 20. *Exorcismus est sermo increpationis contra immundum spiritum, in Energumenis, seu Catechumenis factus, per quem illis Diaboli nequissima virtus, & inueterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugetur. Quod significabat Lunaticus ille, quem increpanis Dominus Iesus, & exijs*

& exijt ab illo Dæmonium. Matth. 17.

2 De exorcismis, tanquam in Ecclesia vsitatissimis, mentionem frequentem Patres faciunt, vt Iustinus Martyr Dialogo cum Trihpone Iudæo: *Dæmonia cuncta, spiritúsque malignos adiurantes, sub potestate eos nostra subditos habemus.*

Tertull. lib. de præscrip. cap. 4. *Ipsæ mulieres hæreticæ, quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, seu disputare, exorcismos agere, curationes repromittere?*

S. Cyprianus in epist. ad Demetrianum, circa medium: *O si audire Dæmones velles, & videre, quando à nobis adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborũ tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes & gementes voce humana, & potestate, flagella, & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur.*

Præclarè etiam annotauit Microl. de ecclesiast. offic. cap. 7. *Secundùm Romanam autoritatem nullam orationẽ; Per eum qui venturus est, concludimus, nisi sit exorcismus: in qua Diabolus, per diuinum iudicium, vt à creatura Dei discedat, exorcizatur, seu adiuratur.* Mirè enim Diabolus concutitur recordatione iudicij extremi, quo per Christum in æternam gehennam detrudetur.

Porrò exorcismi alij immediatè ad Diabolum diriguntur per modum imperij, & adiurationis, vt ab homine discedat, vel eum infestare desinat. Quod Christus fecit Lucæ 4. *Increpauit illum Iesus, dicens, obmutesce, & exi ab eo.* Et paulò pòst: *Colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate, & veritate imperat immundis spiritibus, & exeunt?* Et Discipuli Iesu gloriabantur, Lucæ 17. *Domine, etiam Dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo.* Et Marci vlt. dixit Iesus: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient.*

3 Alij autem exorcismi rebus inanimatis adhibentur cum quadam adiuratione: idque duobus modis, auctore S. Th. 2. 2. q. 90. a. 3. in corp. Primò, vt adiuratio directè referatur ad Deum, per modum cuiusdam imperij, aut potiùs compulsionis, quatenus necessariò subduntur motioni Dei creatoris. Sic enim Christus Matth. 8. *imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt dicentes: Qualis est hic, quia venti, & mare obediunt ei?* In quem locum S. Hier. annotauit, quòd omnes creaturæ obediunt Creatori, non sensu percipientes, sed effectum, & motum suscipientes. Secundò, vt adiuratio directè tendat ad Diabolum per modum imperij, vt ab hac, aut illa creatura, hoc, vel illo loco abscedat, vel accedere non præsumat. Et ista est propriè dictus exorcismus, quo vtimur v.g. in benedicenda aqua, sale: ita vt eodem opere per crucem, & merita Christi arceamus Diabolum ab omni machinatione circa tales creaturas: & per vsum earũdem Dei circa nos auxilium, & protectionem impetremus.

Huc etiam spectat exorcismus tempestatum, cuius mentionem aliquam facit S. Cyprianus in epist. ad Demetrianum: *Pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis, vel impetrandis aduersis, rogamus semper, & preces fundimus.* Item contra locustas, vermes & alia venenosa, cuius rei exemplum aliquod habemus apud Theodoretum in historia Patrum, cap. 8. *Iussit S. Aphraates, vt in prædij locustis repleti limitibus, aqua benedicta aspergeretur: idque fuit illis agris pro vallo sancto, & inexpugnabili. Nam vsque ad illos fines reptantes, & circumuolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocessերunt benedictionem impositam extimescentes, & veluti quodam fræno suffocare, & vltra progredi prohibitæ.*

Similia leges apud Greg. I. lib. 3. Dialog. c. 9. de Frigidiano Lucanæ Ecclesiæ Episcopo, qui Auseri fluuio præcepit, vt via ea, qua rastrum per terram traxit, sequeretur: *quem relicto alueo proprio, tota fluminis aqua secuta est, ita vt funditus locum consueti cursus desereret.* Et cap. 10. de Sabino Episcopo Placentino, qui Pado fluuio in terras Ecclesiæ egresso, præcepit in nomine Domini Iesu, vt alueo suo se contineat, terrísque damnum non inferat. *Quo facto, sancti viri præceptum suscipiens, statim se à terris Ecclesiæ fluminis aqua compescuit. Qua in re,* subiungit Greg. *quid aliud, quam inobedientia hominum & duritia confunditur? quando in virtute Iesu, & elementum irrationale sancti viri præceptis obediuit.*

Consuetissimi autem exorcismi sunt ad pellendum Dæmonem ex Energumenis: in quem etiam finem Clerici exorcistæ ordinantur, cum potestate pellendi Dæmonis ex corporibus obsessorũ, vti videre est in Concil. Carthag. 4. can. 7. *Exorcista, cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.* Quanquam olim non tantùm ordinatos Clericos, sed alios etiam Christianos è corporibus obsessorum Dæmones in Christi fide eijcere solitos esse, testatur Tertull. lib. de Idolol. cap. 11. & in apolog. contra Gentes, cap. 23. Quamobrem Tertull. ibid. & S. Iustinus Martyr cit. Dialogo cum Triphone obiiciunt Gentibus, quòd Dæmones quos ipsæ colerẽt, ad voces Christianorum tremere solerent, iísque subijci, atque obtemperare. Videri etiam potest Lactantius lib. 4. de vera sapientia, cap. 27. S. Pacianus lib. 4. contra Parmenianum. 4

Frequens etiam vsus exorcismorum est, ad soluendas præstigias, & varias molestias, quibus seu corpora hominum, seu earum habitationem, &c. malitia Dæmonis, & veneficorum infestari solent.

Pro praxi circa eiusmodi exorcismos quædam aduertenda sunt: I. Ante omnia diligenter examinandum est, vtrum homo verè à Dæmone obsessus sit: seu vtrum infirmitas, aliáue molestia hominis, aut pecorum languor ex incantatione aut veneficio: an verò ex naturali aliquã causa proueniat. Ne frustra remedia Ecclesiæ adhibeantur, ad alios fines & effectus, quàm ordinata sint. 5

II. Si constet, Dæmonis infestationem esse, aut maleficium, Exorcista armis spiritualibus aduersus Diabolum se muniat, imprimis accipiens *scutum Fidei, quo possit omnia tela nequissimi ignea extinguere*, ad Ephs. 6. Et Christus Matth. 17. discipulis interrogantibus, *quare nos non potuimus eiicere illum?* causam dixit, *Propter incredulitatem vestram.* Deinde conscientiam peccatorum maculis purgatã habeat, in oratione ad Deum feruente symboli recitatione nec non ieiunijs, aliísque carnis afflictionibus aliquot dies se exerceat: sciens, quòd sine eiusmodi præparationibus, sæpe parum, aut nihil effecturus sit, iuxta testimonium Christi, Marci 9. *Hoc genus in nullo potest exire nisi, in oratione & ieiunio.* Videri potest Petr. Thyræus de dæmoniacis, p. 3. cap. 38.


III. Personam, quæ Dæmonis infestatione liberari desiderat, aut familiam, in cuius domo Dæmonis præstigiæ aduertuntur, seriò hortetur, vt pœnitentiam, & Confessionem peccatorum instituat, orationibus apud Deum insistant: in eúmque finem etiam alios pios, ac deuotos Christianos, tanquàm comprecatores, accersere potest, exclusis tamen ignotis, iisue, qui curiositatis gratia aduentare videntur. Tametsi enim exorcismi vim à Deo impetrandi habeant per communes preces, seu suffragia Ecclesiæ, tamen experientia constat, ad effectus exorcismorum, quippe qui infallibiles non sunt, plurimum conducere ipsius Ministri, aliorúmque cooperantium actualem dispositionem, deuotionémque, *Magna*, ait S. Antonius apud Athanasium in vita eius, *aduersus Dæmones arma sunt vita syncera, & intemerata ad Deum fides. Credite, inquit, mihi experto, pertimescit Satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contem-*

ptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè cordis purum erga Christũ amorem: Nouit deterrimus coluber ex præcepto Domini, sub iustorum se iacere vestigijs, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes,
6 *& scorpiones, & super omnem virtutẽ inimici*, Lucæ 10.

IV. Vtatur exorcismis approbatis, videl. qui in Ecclesia seu Romana, seu diæcesali vsitati sunt: siquidem orationes proprio ingenio compositæ suspectæ esse solẽt & non tam efficaces, quàm si Ecclesiæ auctoritate, & iussu instituantur. Adhibeatur frequenter signum crucis, cum fide, reuerentia, & recordatione fructus diuinæ passionis: item aqua benedicta, quippe quæ contra Dæmonis machinationes speciali intentione exorcizata est: item cerei, palmę, agni Dei, SS. reliquiæ, sacræ imagines.

V. Quàm maximè Exorcista abstinere debet ab omni quæstu, aut munere accipiendo, ne sanctum Spiritum & dona Dei venalia facere videatur. Vitet item omnem vanæ gloriæ ostentationem: quia non suis viribus, aut potẽtia, sed solius Dei misericordia, & Christi meritis nixus, aduersus Diabolum inimicum arma suscipit. Quòd si exorcismi felicem successum habeant, Deo, à quo profectum est, Christi passioni, ac meritis totum adscribat: sibi nihil arroget. Sin effectus, & emendatio secuta non est, nihil adeò animo commoueri debet, sed consolari afflictos, eiusmodi molestias, ac detrimenta permitti à Deo, quia secundùm eius sapientissimam prouidentiam non expedit tolli: & plures causas esse posse, ob quas exorcismi interdum effectum non consequantur: puta incredulitatem, aut alia peccata hominum: vel vt ad diuinum auxilium, à Diabolo diutiùs afflicti, maiori fide, & animi feruore accurrant. Videri ea de re potest Petr. Thyræus de locis infestis, p. 3. c. 89. Martinus Delrius lib. 6. magic. disquisit. c. 2. in fine.

VI. Qui exorcismos adhibet Energumenis, seu obsessis, cauere debet, ne Dæmonem per modum obsecrationis adiuret, vt aliquid ab eo discat, vel auxilium accipiat. Est enim hoc peccatum mortale, vti post S. Th. 2. 2. q. 90. a. 3. docet S. Anton. p. 2. tit. 12. c. 1. §. 5. Nauar. cap. 11. num. 28. Suarez. to. 2. de relig. tract. 4. lib. 4. de adiurat. cap. 3. quia cum Dæmone, Christi, & humani generis hoste nullum societatis cuiuscunque colloquium, aut commercium instituere licitum est: sed tantum vt hostem eum prosequi per modum imperij, coactionis, expulsionis, vti etiam docuit Tertull. lib. de anima contra hæreticos, cap. 56. *Quid ergo dicemus magiam: quod omnes pene, fallaciam. Sed ratio fallaciæ solos non fugit Christianos, qui spiritualia nequitiæ non quidem socia conscientia, sed inimica scientia nouimus: nec inuitatoria operatione tractamus.* Et S. August. lib. 10. docuit cap. 22. *Vera pietate homines Dei aeream potestatem inimicam, contrariamque pietati eijciunt, non placando: omnes tentationes aduersitatésque eius vincunt orando, non ipsam, sed suum Deum aduersus ipsam.* Neque ad vana, aut curiosa edicenda Diabolum adiurare oportet: sed solũ ad ea, quæ ad rem pertinent: videlicet de numero, nomine obsidentium, tempore quo ingressi sunt, de causa ingrediendi, & alijs eiusmodi. Quibus autem sacris verbis aut signis viderit Exorcista Dæmonem magis, ac crebriùs instet: si autem viderit, obsessum aliqua corporis parte commoueri, pungi, vel tumorem apparere, ibi crucis signum, & aquam benedictam, quæ semper in promptu esse debet, adhibere non intermittat.



TRAC-

TRACTATVS DECIMVS, DE MATRIMONII SACRAMENTO.

HVNC tractatum in quatuor partes diuidam. Prima est de Sponsalibus. Altera de Matrimonio secundùm se. Tertia de proprietatibus Matrimonij. Quarta de impedimentis Matrimonij.

PARS PRIMA, DE SPONSALIBVS.

CAP. I.

De constitutione Sponsaliorum.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia alia de præsente sunt, videl. matrimonium ratum: & alia de futuro, quæ definiuntur, mentio, ac repromissio futurarum nuptiarum.*

2 *Sponsalia numerantur inter contractus, qui vltro citróque obligationem pariunt.*

3 *Sponsaliorum contractus, quamuis priuatim, & sine testium solemnitate peractus sit, sub peccato mortali obligat promittentes.*

4 *Iudex Ecclesiasticus à sponsalibus absque causa iusta recedere volentem, post canonicam monitionem, etiam censuris ad nuptias compellere debet.*

5 *Posteriora sponsalia contra priorem fidem inita, tametsi iurata, valorem nullum habent: sed matrimonium, post sponsalia, cum altera contractum, quamuis iniustum, tamen validum est.*

6 *Fornicatio sponsæ cum altero viro soluto adulterij crimen non continet: & fortasse neque mortalem malitiam sub genere iniustitiæ, sed solùm sub genere luxuriæ.*

7 *Contractus sponsaliorum magnam animi libertatem requirit.*

8 *Pœna adiecta ei, qui à sponsalibus recesserit, soluenda non est, si sponsus iustam resiliendi causam habeat: secus esse videtur, si sine iusta causa recesserit.*

9 *Pactum lucratiuum sponso ab altero contrahente adiectum, si cum ipso matrimonium contraxerit, tanquam iure inualidum rescindi potest.*

10 *Qui simulato animo matrimonium promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias: debet tamen puellæ deceptæ, si damnum passa fuit, secundùm iustitiæ æqualitatem facere compensationem.*

11 *Qui ficta nuptiarum promissione puellam in copulam induxit, debet illam ducere.*

12 *Liberi à parentibus neque contrahendum matrimonium cogi, neque à contrahendo impediri possunt.*

13 *Si pater pro filio præsente, & non contradicente spondeat, censetur is consentire.*


14 *Liberi peccant, si parentibus inscijs, aut non consultis, matrimonium spondeant, aut contrahant: nihilominus obligantur, neque à parentibus impediri possunt, quominus datam fidem seruent: nisi ex matrimonio scandala oritura essent.*

15 *Filia inconsultis, aut inuitis parentibus nubens, exhæredari non potest, spectato communi Cæsareo iure. Per consuetudinem tamen vel statutum talis exhæredandi potestas constitui potest, in casu quo liberi grauiter delinquunt.*

16 *Canonico iure, tum mas, tum fœmina, ante expletum ætatis septennium, ad sponsalia inhabilis censetur.*

17 *Sponsalia ab vno, vel vtroque impubere contracta, partim rata sunt, partim non rata, sed suspensa.*

18 *Matrimonium clandestinè contractum post Concil. Trident. videtur habere vim sponsaliorum de futuro.*



PONSALIA à spondendo dicta sunt, teste Vlpiano l. 2. ff. de Sponsal. Quia moris erat veteribus Romanis, vt puellam is, sub cuius cura & potestate erat, sponderet, alteri vxorem dare: quare ille *sponsor*, hæc *sponsa* appellata fuit: & is, cui desponsatio facta, seu qui puellam ducturum se (in domum suam) repromisit, *sponsus*, l. sponsio, ff. de verb. signif. & docet Seruius Sulpit. apud Gellium lib. 4. cap. 4.

Sunt autem alia sponsalia *de præsente*, & alia *de futuro*: 1
illa non differunt à matrimonio rato, & nondũ consummato. qua acceptione dictum est Matth. c. 1. *Cùm esset desponsata Maria Ioseph, antequam conuenirent*: cùm tamen eodem cap. Maria appelletur coniux Iosephi. Sponsalia verò de futuro, antecedunt matrimonium ratum, & definiuntur ex l. 1. ff. de sponsal. & c. nostrates, 30. q. 5. *Promissio mutua futurarum nuptiarum*. Quæ posterior sponsaliorum acceptio magis propria, & vsitata est; ideóque sponsorum nomine ferme in iure tùm canonico, tùm ciuili intelliguntur, qui matrimonium non contraxerunt, sed promiserunt. Ex quo rectè colligit Couar. in 4. decret. p. 1. cap. 1. in fine, Henriq. lib. 11. cap. 13. num. 4. Quotiescunque in dispositione aliqua seu legis, seu testamenti &c. de sponsis mentio fit, de ijs intelligendum esse, qui nondum matrimonium, coniugali consensu præstito, contraxere; nisi ex circumstantijs appareat, aliam disponentis mentẽ fuisse. In dubio tamen, hæc, an illa fuerit intentio, locum habere potest distinctio; vt in dispositione fauorabili nomine sponsæ intelligatur etiam vxor; non item in materia odiosa: de quo vide Sanchez lib. 1. de matrimon. disp. 1. n. 2.

Contrà verò, si in aliqua dispositione mentio fiat vxoris, aut mariti, intelligi debet de ijs, qui matrimonium iam contraxerunt: cùm hæc sit propria earum vocum significatio: neque recurrendum est ad impropriam, vt v. g. vxoris, aut coniugis nomine, abusiua appellatione, veniat sponsa de futuro, nisi circumstantiarum necessitas cogat, vt in cap. Iuuenis, de sponsal. idque rectè annotasse videtur Vasq. de matrim. disp. 4. c. 1. contra Abb. in c. tertio loco, in fine, de præsumpt. Syl. ver. sponsalia, q. 1. Sanchez cit. disp. 1. n. 2. qui generatim aiunt, nomine vxoris, & mariti in materia fauorabili comprehendi etiam spõsos de futuro, arg. l. non fine, C. de bonis, quæ liberis. Quæ tamen lex potiùs contrarium probat, quippe in qua expressè distinguitur vxor à sponsa de futuro: sed additur, sicuti vxor lucra à marito accepta per donationem, aut hæreditatem, non patri, sed sibi ipsi acquirit; quoad proprietatem: idem etiam, æquitatis iure, obseruandum esse in quæsitis sponsæ à sponso.

Illud autem rectè tradit Sanchez cit. disp. 1. n. 3. Abb. in

c. si inter, n.2. de sponsal. Nomine vxoris, & mariti in materia fauorabili comprehendi etiam sponsos de præsenti ante matrimonij consummationem; non item in materia odiosa, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

2 His ita positis, est PRIMA ASSERTIO. Sponsalia numerari non debent inter simplices promissiones, sed inter contractus, qui vltro citroque obligationem pariunt. Est Communis, quæ satis colligitur ex tradita sponsaliorum definitione.

Corollarium. Si Titius animo contrahendi sponsalia promittat nuptias Caiæ, hæc autem promissionem acceptet, sed sine proposito repromittendi, nec Titius, nec Caia ad nuptias obligantur in conscientiæ foro. Ita docet S. Anton. p.3. tit.1. c.18. princ. Nauar. c.22. num.25. Molina t.2. disput.263. ver. quartò idem. Henriq. lib.11. cap. 13. num.2. Vasq. cit. disp. 4. c.3. & alij communiter. Quòd enim Caia obligationem non contrahat, clarum est; quia, *actus agentium non operantur vltra intentionem eorum*, argument. cap. vlt. de præben. Caia autem, vt dixi, non voluit se obligare Titio, sed tantùm Titium promittentem sibi obligatum habere. Neque etiam Titius obligatur: quia *verba contrahentium accipienda sunt secundùm naturam contractus*, l. ex conducto, §. Papinianus, ff. locati: Sponsaliorum autem contractus respectiuus est, & reciprocus, sicuti ex eius definitione constat: *Mentio, & repromissio futurarum nuptiarum*, l.1. ff. de sponsal. Ideóque sponsionem continet non simplicem sed virtute conditionatam, Promitto, si & tu repromiseris. Quare dicere solent Doctores, Quòd *sponsaliorum contractus claudicare non potest*, id est, ex vna tantùm parte contrahentium obligare.

Dixi autem in Corollario; Si Titius promittat *animo contrahendi sponsalia*: Sin verò absoluta, & gratuita promissione se obliget Caiæ ad ducendam ipsam, si aliquando voluerit, hàncque promissionem Caia acceptet, nihil vicissim promittens, solus Titius obligatus erit, sicuti rectè docet Nau. cit. n.23. Sanchez disp.5. n.12. quamuis cōtradicat Vasq. cit. disp. 4. c.3. Cur enim quæso te, repugnet, talem obligationem erga alterum liberali, eáque acceptata promissione sibi imponere? sicuti si quis alteri promittat equum tanto pretio venditurum, quandocunque intra annum emere ipsi lubuerit, non erit quidem hæc pactio reciprocæ venditionis, & emptionis; sed simpliciter, & absolutè in conscientiæ foro obligans promittentem, vt datam fidem seruet.

Corollarium II. Si quis promittat puellæ, se aliam non ducturum, nisi ipsam, non est hæc obligatio sponsaliorum, sicuti valde probabiliter docet Couar. p.2. epit. cap. 4. §.1. n.8. Gutierez lit.1. canon. qq. c.21. n.13. Nauar. lib.4 consil.7. de sponsal. edit.2. Henriq. lib.11. c. 12. num.7. & lib.13. n.4. Sanchez lib.1. disp.19. num.5. Coninck tom.2. disp.21. dub.3. num.29. Oritur tamen inde obligatio conditionalis, vt vel hanc ducat, vel nullam: siue si aliquam ducturus sit, vt hanc ducat, modò ipsa voluerit, arg. l. si sterilis, §. si tibi, ff. de action. empti: *Si ita fundum tibi vendidero, vt nulli alij eum quàm mihi venderes, actio eo nomine ex vendito est, si alij vendideris.* Talis enim absolutè non vendidit, sed solùm promisit, si vendere libuerit, non alij venditurum nisi Titio: sicuti si quis promittat se non alienaturum fundum extra familiam. Idémque sensus esse videtur, si quis promittat non aliam ducturum esse præter Titiam, vti consequenter docent Sanchez num. 10. Henriquez cit. num. 4. Quandoquidem talis exceptiua absolutè non affirmat, sed negationem tantùm tollit: vt sensus sit, *Apertè dico, profiteor, ac promitto, cum nulla muliere me contracturum, nulli alteri me venditurum: Excipio te ab hac exclusione*; id est, tecum non nego me contracturum; sed non inde sequitur me affirmare. Quamuis multi Doctores aliter sentiant apud Gutierez, & Sanchez ll. cc. quibus id concedendum est: Si ex verbis, aliisque coniecturis appareat, promittentem certum animum habere matrimonij contrahendi, aut fundi vendendi: atque dicat, non aliam ducturum nisi hanc, seu præter hanc; non alij venditurum nisi Titio: simpliciter, & absolutè obligari ad ducendum, vendendùm. Et fortasse hic ipse est casus cit. §. si tibi.

Secunda assertio. Peracto sponsaliorum contractu, vterque sponsus ex iustitia obligatus est ad nuptias contrahendas; adeò, quamdiu alter in promissione, seu data fide persistit, alter sine mortali iniuria resilire non possit: quamuis sponsalia sine vlla solemnitate testium &c. clam contracta fuerint: in ordine tamen ad forum externum requiritur probatio per testes: aut in defectum plenæ probationis iuramentum, si deferatur, vti dixi lib. 4. tract.3. cap.5. Hæc assertio est ex communi DD. sententia in 4. distinct. 27. vbi S. Thom. quæst. 2. art.1. & aliorum apud Sanchez lib. 1. disput. 13. Nam omnis obligatio descendens ex reciproco contractu, iustitiæ est; ideóque sub mortali culpa obligans, si materia grauis sit, tantæque obligationis capax, vt in proposito. 3

Corollarium I. Iudex Ecclesiasticus à sponsalibus sine iusta causa resilire volentem, altero sponso inuito, post canonicam monitionem, censuris cogere potest, imò etiam plerumque debet. Ita ex communiore, & in praxi recepta sententia docet Couar. in epit. p. 1. cap. 4. num. 3. Henriquez lib. 11. cap. 13. num. 4. Sanchez lib. 1. disp. 29. num. 4. Coninck disp. 22. dub. 2. & habetur in cap. ex literis, 2. de sponsal. *Si monitis non acquieuerit, Ecclesiastica censura compellas, vt ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in vxorem accipiat.* Eodémque modo Glos. intelligit cap. requisiuit eodem cit. *Puellam priùs monendam, postea cogendam esse.* Et in cap. 1. de pactis vniuersim statuitur, vt *pacta inita suam retineant firmitatem; aut conuentus, si se non cohibuerit*, seu correxerit, *Ecclesiasticam sentiat disciplinam.* Ratio est: Quia solus Papa, tanquam supremus spiritualis Princeps, per plenitudinem potestatis, ex graui causa dispensare potest in sponsalibus: non item Episcopus, cùm talis dispensatio cedat in præiudicium tertiæ personæ, sicuti docet Palud. in 4. distinct. 27. q.1. a.2. Sanchez lib. 1. disp. 61. Quapropter ad Episcopum, tanquam Iudicem ordinarium in huiusmodi causa matrimoniali pertinet, parti postulanti ius dicere: & consequenter alterum sententiæ parere pertinaciter renitentem, spiritualibus pœnis, seu censuris compellere: quæ licet maximè locum habeant, cùm sponsalia iurata sunt vel sponsa sub specie matrimonij corrupta: tamen etiam sine his compelli debet ad pactum sponsaliorum seruandum, vt ratio data probat, & notauit Abb. in citat. cap. ex literis, num.3. dummodò Ordinarius hac ratione spontaneum nuptiarum consensum se impetraturum speret. Sin minùs, satius est, minus malum violatæ promissionis permittere, vt maius malum coacti matrimonij vitetur; atque censuris supersedere, vbi nulla spes correctionis, & fructus affulget. Quomodo intelligi, & reconciliari potest cap. requisiuit, de sponsal. vbi dicitur: *Cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs* (puella) *quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* 4

Et aduerte, ibi sermonem esse de sponsalibus iuratis. Imò addunt Sanchez citat. disput.29. num. 8. Coninck citat. dub. 2. num. 10. Philiarchus tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 1. Si ordinarius, post latam in hoc casu excommunicationem, videat sponsum pertinacem manere, quòd denique eum absoluere debeat, quamuis non petentem.

Corollarium II. Si sponsus, vel sponsa contra fidem primorum sponsaliorum, secunda contrahat; nullo iure posteriora subsistunt, quamuis iurata sint, vti docent Doctores in c. sicut, de sponsal. Nam *iuramentum non est vinculum iniquitatis*: c. quemadmodum, de iureiurando: Sponsalia autem posteriùs inita iniquam promissionem continent: 5

cōtinent: Ergo non firmantur iureiurādo. Idémq; ſentiendū eſt, etſi poſteriora ſponſalia copulam annexā habeant, vti docet Sotus in 4. diſt. 27. q. 2. a. 4. dub. 3. Henriq. lib. 11. c. 13. num. 3. Rodriquez t. 1. ſum. cap. 245. n. 8. Sanchez lib. 1. diſp. 49.

Quamuis hoc loco aliquæ limitationes adhibendæ ſunt: Prima, eáque notiſſima eſt, ſi alicubi recepta non ſit, Conſtit. Trident. ſeſſ. 24. c. 1. de reformat. matrimonij, irrita pronuntians omnia matrimonia clandeſtina. Enimuero ſecundùm ius antiquum, ſi quis ſponſam carnaliter cognoſcat, cenſetur id agere affectu non fornicario, ſed maritali: ideóque matrimonium clam conſummare velle, c. is qui fidem, de ſponſal.

Secunda. Si priora ſponſalia clam, poſteriora autem coram Parocho, aliiſue teſtibus celebrata fuerunt, etſi, per ſe loquendo, prioribus ſtandum ſit; per accidens tamen, ſi ſponſus intelligat ſibi, & priori ſponſæ omni probatione deſtitutis, etiam oblato iuramento, fidem in Cōſiſtorio habendam non fore; ſed cenſuris compellandum ad poſteriorem, cum ſui maiore infamatione &c. tali caſu prior ſponſa rationabiliter contenta eſſe, atque iure ſuo cedere debebit, vti annotauit Sanch. cit. diſput. 49. in fine.

Tertia. Si ex violatione priorum ſponſaliorum exiguum incommodum futurum ſit; vt quia clam celebrata ſunt: contrà verò graue infamiæ damnum timeatur ſecundæ ſponſæ, quæ priorum ſponſaliorum ignara, in copulam conſenſit ſpe matrimonij: præſertim ſi etiam prolem concepit. Nam tali caſu deceptor ex iuſtitia obligatus eſt damnum mulieris auertere. quod alia ratione non poteſt, quàm ducendo illam: & cùm hæc obligatio grauior ſit, alteriúſque rationis, quàm obligatio priorum ſponſaliorum, præferenda ſunt ſponſalia poſteriora, propter regulam receptam apud Syl. ver. ſponſalia, num. 7. *Si duo vincula disparis potentiæ incompoſſibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte.* Et ita docet Maior in 4. d. 27. q. 5. Coninck diſput. 23. dub. 4. concl. 4. Chapeauille in cap. vlt. ſui tract. quæſt. 18. Quamobrem ad Iudicem pertinebit, cognito periculo grauis damni, interdum compellere deceptorem ad ſecundam ducendam, ſicuti fatetur Henriq. l. c. Sanch. n. 6. Cùm autem Iudex per ſententiam non poſſit priore iure ſuo priuare, ſed ſolùm declarare, ius eius in tali caſu, per naturalem æquitatem ceſſare; conſequens eſt, ſi talis cauſa manifeſta ſit, deceptorem idipſum exequi poſſe in conſcientiæ foro, etiam ante Iudicis declaratoriam ſententiam. Quamuis contrarium ſentire videatur Sotus cit. dub. 3.

Illud verò certum eſt, quòd ſponſalia de præſente, ſeu matrimonium ratum, quamuis iniuſtè contractum ſit, deroget prioribus ſponſalibus de futuro, ſicuti expreſſè habetur in c. ſicut, c. ſi inter, de ſponſalibus, c. 1. de ſponſa duorum. Ratio eſt, quam Gloſſa dat in cit. cap. ſi inter, Quia contractus matrimonij fortioris vinculi eſt, quippe corporis traditionem continens, quæ in ſponſalibus non eſt. Eſt enim ſicuti ſi quis hodie vni equum vendidit, ſed non tradidit; cras alteri non tantùm vendidit, ſed etiam tradidit, quamuis iniuſtè rata eſt poſterior venditio, tribuitque poſſeſſori dominium, l. quoties, Cod. de rei vindicatione. Ita ſimiliter, ſi poſt ſponſalia cum vna contrahatur matrimonium cum altera, poſterior contractus, quamuis iniquus, tamen validus eſt. quo per traditionem, quaſi dominium corporis coniugi acquiritur: vt proinde iuris regula 54. in 6. *Qui prior tempore, potior eſt iure*, intelligenda ſit inter eos, qui ſimili iure ſeu titulo nituntur, vt prior tempore poſteriori præferendus. Accedit etiam ſpecialis ratio indiſſolubilitatis in matrimonio, quæ ipſi, ſacri myſterij cauſa, ex diuina inſtitutione competit, ſicuti dicam p. 2. c. 6.

6 Corollarium III. Licet fornicatio ſponſæ cum altero viro ſoluto adulterij crimine notari non poſſit, iuxta l. inter, & l. ſi vxor, §. ſi quis vxorem, ff. de adult. vbi dicitur, *adulterium propriè in nuptam committi*: cùm ſit alieni tori violatio, c. lex illa, 36. quæſt. 1. Quamobrem proles concepta ex ſponſæ, aut ſponſi fornicatione, naturalis, non ſpuria cenſeri debet; Nihilominus talis fornicatio videtur cōtinere grauem iniuriam aduerſus ſponſum, quippe cui ius ſaltem inchoatum, & traditione nondum cōpletum competit ad corpus ſponſæ, quod per fornicationem violatur; non ſecùs atque inuriam inferre cenſetur, ſi quis equo, qui mihi ex emptionis contractu debitus, ac nondum traditus eſt, oculum eruat. Quæ eſt ſententia Ludou. Lopez p. 1. inſtruct. cap. 29. §. ad hæc libet. Sanchez lib. 1. diſput. 2. num. 5. Coninck diſput. 22. dub. 1. num. 6. Mol. tom. 3. diſput. 73. num. 8. Petri Ledeſma de matrimon. quæſt. 43. a. 1. dub. vltimo contra Couar. in epiſt. p. 1. cap. 1. num. 14. Henriquez lib. 11. c. 13. num. 4. lit. Candel. aureum de ſponſal. cap. 1. num. 10. vbi aiunt, tali circumſtantia fornicationis cum ſponſa aliena, non mutari genus moris, vt in Confeſſione neceſſariò exprimenda ſit. Nam ſicuti Nouitius, inquit Henriquez, qui vouit ſe Religionem profeſſurum, ex vi huius promiſſionis non obligatur præceptis futuri ſtatus, aut continentiæ vinculo; ita etiam ſponſa, quæ promiſit ſe corpus ſuum traditurum per futuras nuptias, ex vi huius promiſſionis non obligatur ad continentiam, ita vt fornicando etiam contra iuſtitiam peccet.

Sed retenta priori ſententia, quæ probabilior eſt, reſpondetur cum Sanchez n. 9. ad 3. diſcrimen eſſe inter votum ſimplex Religionis, & ſponſalia; quia votum Deo fit, nec Religio aliquod ius in vouentem acquirit: at verò per ſponſalia ſponſo acquiritur ius aliquod in corpus ſponſæ. Nihilominus in praxi probabile, ac tutum videri poteſt, talem circumſtantiam ſponſaliorum reticeri poſſe, ſi fornicatio occulta menſura ſit, idque non tantum propter auctoritatem Doctorum ita opinantium; ſed etiam, quia iniuria, licet aliqua ſit, non tamen tam grauis videri alicui poteſt, præſertim ſi ſponſus cum altera fornicetur, vt ad mortale crimen aduerſus iuſtitiam pertingat: ſecùs eſt, ſi fornicatio in publicam notitiam deuentura, aut periculum ſit prolis generandæ, cum dedecore, & contriſtatione ſponſæ, quæ fortaſſe idcirco à ſponſalibus reſilire cogetur.

Aſſertio III. Contractus ſponſaliorum partim ſuapte natura, partim ex iuris diſpoſitione, magnam animi libertatem, atque ſpontaneum, non illiberalem conſenſum requirit. Quod & ipſum nomen indicat: nam ſponſalia à ſpondendo dicta ſunt, quod eſt ſponte promittere. Ratio verò eſt: Quia ſponſalia ſunt via, ſeu præparatio ad matrimonium: ideo ſicuti iura omnia matrimonij libertatem requirunt, atq; defendunt (cùm alioquin infelices exitus ſequi ſoleant, vt habetur in cit. c. requiſiuit de ſponſal.) ita & ſponſaliorum. 7

Corollarium I. Ad retinendam libertatem matrimonij ſtatutum eſt, l. Titia, ff. de verbor. ſignif. & l. vlt. C. de ſponſal. & c. gēma, eodem tit. lib. 4. decret. vt pœna ſponſaliorum contractui adijci non poſſit, ſoluenda à ſponſo, eiúſque parentibus, aut cognatis, ſi per eos ſteterit, quominus nuptiæ ſequantur. Quæ quidem indubitata deciſio eſt, ſi quis iuſta cauſa à ſponſaliorum contractu reſiliat: ſin verò iniuſtè, ac perfidè, res non caret difficultate. Etſi enim DD. communiter dicant, neque hoc caſu pœnam ſponſalibus adiectam deberi, contrarium tamen valde probabiliter defenditur, vti videre eſt apud Coninck diſp. 22. dub. 5. Nam vnica ratio, cur pœna ſpōſaliorū contractui adiecta, irrita cenſeri debeat tùm ciuili, tū canonico iure, hæc afferri ſolet; ne matrimonij libertas impediatur: ſin autē aliquis nullā iuſtā reſiliendi cauſā habeat, imò mortaliter peccaturus ſit, ſi reſiliat, tūc minimè cenſendus eſt libertatem matrimonij contrahendi retinere, quā leges Chriſtianorū tueri debeant. Ergo hodierno iure nō obſtat libertati matrimonij, ſi pœna con- 8

uentionali compellatur: cùm etiam grauioribus pœnis, ac censuris Ecclesiasticis compelli possit, vt suprà dictum.

Confirmatur. Quia non tantùm iure ciuili, sed, secundùm magis receptam sententiam, etiam canonico, arrhæ quasi pignoris loco traditæ à sponsis, eorúmue partibus in sponsalibus interuenire possunt; ita, vt qui eas dederit, & postea sponsionem non seruarit, amittat arrhas; & si eas antè receperat, restituere cogatur, vt docet Sanchez lib. 1. dis. 36. Sin verò vnus tantùm arrhas sponsalitias recepit, seu sponsus, seu sponsa (dummodo maior sit xxv. annis) seu parens; eiusque causa accedit, quominus promissæ nuptiæ sequerentur, statutum est in l. vltima, C. de sponsal. vt duplicatas restituere cogatur: imò vt partes, etiam in pœnam tripli, vel quadrupli, non ampliùs, inter se conuenire possint: Sin verò iusta à nuptijs causa resiliendi subsit, sufficiat reddere arrhas.

Quinimò, spectato communi iure, arrhæ, à dante repeti possunt post nuptias; quippe cessante causa, ob quam datæ sunt. Quamuis consuetudine aliter apud nos seruatur, vt v.g. anulus arrharum nomine datus, quasi sponsalitia donatio nuptiarum causa facta, ijs sequutis, confirmetur. Vide quæ dixi lib. 3. tract. 4. c. 5. n. 4.

His adde, arrhas simili ratione etiam in alijs contractibus interuenire posse, v.g. in emptione ac venditione; non quòd ad eius substantiam requirantur, sed ad maiorem firmitatem, l. quòd sæpe, ff. de contrah. empt. ita quidem, spectato iure Cæsareo, vt si contractum implere recuset emptor, perdat quod dedit: sin verò venditor, duplum restituere compellatur, §. 1. Instit. eod. tit.

Porrò multi causam afferre conantur, cur arrhæ præsertim cum stipulatione tripli, aut quadrupli, iure etiam canonico permissæ sint, non item pœna, vti videre est apud Abb. eiúsq; addit. Henricum Canisium, alióſq; Canonistas in cit. c. gemma, Sanchez lib. 1. disp. 35. Sed impossibile est veram discriminis rationem reperire, cùm dicta arrharum stipulatio haud dubiè pœnæ etiam rationem habeat, & quidem iustæ, ac non repugnantis libertati matrimonij; dummodo decreta sit ei, qui ob culpam eiusmodi pœnam meretur. Sin autem iustè quis resiliat, tunc adiectio pœnæ irrita censenda est, iuxta cit. c. gemma.

Est verò hîc aduertendum, iure antiquo Romanorum concessum fuisse non tantùm à sponsalibus resilire, sed etiam contracto matrimonio diuortium instituere: quia putabant Gentiles matrimonia libera esse debere, sicuti colligitur ex tit. ff. de diuortijs, & apertè habetur in l. neque ab initio, C. de nuptijs, quæ est Diocletiani, & Maximinian. Impp. Pœnam tamen legalem, videlicet amissionem arrharum, dotis, vel donationis propter nuptias subire debebat, qui resiliuit, aut repudiauit, vti Glos. ibidē annotauit. Verùm præter has pœnas legales, aliam stipulationem adiungere prohibitum erat in l. stipulatio, ff. de ver. obligat. & cit. l. Titia, ff. de verb. obligat. & l. vlt. C. de sponsal. in fine.

Quapropter cùm lege Euangelij talis libertas tum à sponsalibus, tùm à matrimonio recedendi damnata sit, nihil omnino obstat, quominus pœna iniusto datæ fidei violatori decernatur, vti agnouit Leo Imperator Nouella 18. Quod ipsum simili ratione de diuortijs admonuit Sanch. lib. 1. disp. 30. n. 9. cum Alciato in cit. l. Titia; Cùm hodie repudia non sint licita, valere stipulationem pœnalem: si coniunx extra casus iure concessos coniugem repudiet, vt talem pœnam soluere teneatur.

9 Corollarium II. Pactum lucratiuum sponso, ab altero contrahente adiectum, si cum ipso matrimonium cōtraxerit, tanquam iure inualidū rescindi debet, sicuti habetur in l. si ita stipulatus, §. si tibi, ff. de verb. oblig. *Si tibi nupsero, decē dare spondes? causâ cognitâ denegandā actionē puto.* Quia non, vt par est, mutuo spontaneo amore, sed ex libidine, ac turpi quæstu, matrimonia tali modo cōparari censentur: quare promissio tanquā contra bonos mores rescinditur, sicuti docet Additio Abb. in c. gēma, de sponsal. n. 9. Couar. in epit. p. 2. cap. 3. §. 3. n. 1. Syl. ver. spōsalia, q. 8. Sanch. disp. 33. num. 3. Valet tamen talis promissio, si turpitudinis præsumptio cesset, vt nomine dotis, vel donationis ob nuptias promissum videatur: vel propter inæqualitatem personarum, quia v.g. vir ignobilis, aut senex promittit aliquid puellæ nobili, iuueni, in compensationem nobilitatis, aut iuuentutis, iuxta c. de illis, de condit. appositis: idque annotauit Abb. in c. cùm in Ecclesiæ, n. 3. de Simon.

Deinde irrita est tantùm promissio, si fiat ab ipso contrahente: secùs, si ab alio quocunque: vt si Caius Titio 10
promittat, vel leget centum, si cū Sempronio contraxerit: talis enim non turpis quæstus, sed liberalis promissio, seu donatio sub cōditione cēsetur, per quā neq; libertas matrimonij aufertur; cū non agatur de pœna dāni, cuius metu aliquis ad contrahendū cōtra voluntatē induci posset: sed solùm de non acquirendo lucro, per quod aliquis ad matrimoniū allicitur, vti colligitur ex l. Titio, §. 1. ff. de cōdit. & demonstr. ibi: *Aliud est enim eligēdi matrimonij pœnæ metu libertatē auferri; aliud ad matrimonium certa lege inuitari.*

Corollarium III. Qui ficto, seu simulato animo matrimonium promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias contrahendas. Ita docet Veracrux p. 3. speculi, art. 19. concl. 5. Molina t. 3. disp. 352. Sanch. lib. 1. disp. 10. q. 5. contra Nau. c. 16. n. 18. Ledesmam de matrim. q. 43. art. 1. dub. 4. Vasq. de matrim. disp. 6. c. 3. Ratio est: Quia promissioni defuit cōsensus. Ergo non oritur inde obligatio. Si autē puella decepta dānum aliquod passa est, id ei secūdùm iustitiæ æqualitatem compensari debet. Quæ compensatio interdum per pecuniam fieri potest: vt si mulier eam ob causam expensas fecerit, vel aliud cōmodum matrimonium neglexerit: interdum verò alia ratione compensari nequit, quàm vt simulator, deposita simulatione, verè eam in matrimonium ducat: puta si spectata qualitate personæ, & alijs circūstantijs, grauem infamiam passura sit, quæ alia modo aboleri non possit, sicuti notauit Coninck disp. 22. dub. 6. concl. 3. Aut si facta promissione nuptiarū puellā ad copulam induxerit, sicuti ex cōmuni 11
docet S. Anton. p. 2. tit. 5. c. 6. §. 1. Syluest. ver. luxuria, q. 5. Armilla n. 2. Molin. tract. 3. disp. 106. n. 4. Rodriq. tom. 1. sum. c. 108. concl. 8. Sanchez cit. disp. 10. num. 3. Coninck disp. 22. §. 8. concl. 1. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 3. Ratio est: Quia mulier copiam sui corporis faciendo, instituit contractum innominatum: Do tibi corpus meum, ea lege, vt postea mecum matrimonium contrahas: quare si mulier ex sua parte promissum impleat, alter acceptare non potest, nisi ex naturali æquitate, & iustitia, contrahendo obligationem implendi etiam idipsum, cuius causa pars altera impleuerat: quamobrem deceptor in omni foro ad id compelli potest.

Adhibent autem limitationem DD. nisi tales promittentis, vel promissionis circunstantiæ sint, vt mulier deceptionē aduertere debeat. Alioquin verò si mulier non habeat occasionem suscipiendæ deceptionis, sola status seu conditionis disparitas deceptorem, ac infamatorem puellæ non liberat à matrimonio, vti rectè docet Lessius lib. 2. c. 10. dub. 3. Vasq. in moral. de restitut. c. 3. §. 1. dub. 5. Henriq. lib. 11. c. 11. n. 2. Nau. lib. 2. de restit. c. 3. p. 4. dub. 2. n. 442. cōtra Rodriq. cit. concl. 8. Sanch. cit. disp. 10. n. 21. Nam si talis promisisset ex animo puellæ inferioris conditionis, deberet ei fidē seruare, per se loquēdo: ergo etiā tenetur, quamuis fictè promiserit, si conditionē carnalis copulæ acceptauit: id enim facere non potuit, nisi contrahendo obligationem vicissim implēdi id, cuius causa mulier promissum suum impleuit. Etsi enim talis apud animum suum protestetur, nole se sponsionem facere; tamē externa illa spontanea acceptatio copulæ, tali, & non alia conditione oblatæ, est contraria protestationi, cùmque

moral

morali æquitatis ratione elidit. Alioquin in quouis oneroso contractu, libera decipiendi facultas daretur. Vt si quis bona fide permutanti vaccam pro ouibus decem, posteaquam vaccam tali conditione datam accepit, & absumpsit, nolit deinde dare oues, (quia non ex animo promiserit) sed aliam damni compensationem facere; profectò is neque in externo, neque interno conscientiæ foro audiri debet: quando vaccam tali, & non alia conditione datam liberè accepit, & absumpsit; ideóq; alteri semper damnum iniustum infert, nisi ei det idipsum, cuius causa promissum suum impleuerat.

Notant tamen Less. num. 30. & Vasq. dub. 4. Si fictus matrimonij promissor deprehendat mulierem virginem non esse, quę virgo videbatur, non obligari ad nuptias, aut vllam aliam compositionem faciẽdam, per se loquendo. Quæ doctrina colligitur ex Sanchez disp. 10. num. 13. vbi regulam tradit: Quotiescunque superuenit causa sufficiens ad soluenda sponsalia syncerè promissa, sufficit, ea etiam ad soluendam promissionem fictam sub conditione copulæ carnalis: Atqui spõsus recedere potest à sponsalibus, si, quæ virgo publicè existimabatur, talis postea non reperiatur, vt postea dicam. Ergo &c. Si tamen sciebat puellam corruptam esse, & nihilominus ei ficte matrimonium promisit sub conditione copulæ, eâ impletâ, obligatus est.

12 Corollarium IV. Liberi à parentibus, aut similibus personis, in quorum potestate constituti sunt, neque ad contrahendum matrimonium cogi, neque à contrahendo impediri possunt. Quæ est communis Doctorum sententia, sumpta ex c. sufficiat. 27. q. 1. & c. veniens, 1. de sponsal. c. cùm virum, de Regular. ibi: *Quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*, & docet S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. & in 4. dist. 29. quæst. vn. a. 4.

Sunt verò hoc loco aliqua aduertenda: 1. Leges ciuiles, quæ ad filiæ matrimonium patris consensum, tanquam necessarium exigunt, eæ vel solùm ad honestatem æquitatémque referendæ, vel certè canonico iure correctæ sunt, sicuti notauit Couarruuias in epit. p. 2. c. 3. § 8. n. 1. & videre est in Tridentin. sess. 24. c. 1. de reformat. matrimon. vbi anathemate illi damnantur, qui affirmant, *matrimonia à filiisfam. sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes, ea rata, vel irrita facere posse.* Ex quo colligitur, quòd irrita sit etiam desponsatio, quam pater facit nomine filij puberis, aut impuberis, absque libero eius consensu expresso, aut tacito. Cui non repugnat c. 1. § potest, de desponsat. impuberum, vbi habetur, quòd pater filium impuberem matrimonio tradere possit; & filius, adepta pubertate, *illud omnino adimplere debeat.* Hoc enim non absolutè intelligendum videtur; sed ad hoc, vt matrimonium valeat, necesse esse vt filius, post ætatis pubertatem, consensu suo illud ratificet, licet Abb. & Gl. aliter explicent: videlicet quòd filius adimplere debeat ex honestate, non obligationis necessitate. Verùm hoc singulare nihil esset in filio impubere, pro quo pater sponderat: cùm idem quoque de pubere dici posset.

13 Hæc porrò iuris præsumptio est, quòd in c. vn. § porrò, de desponsat. impub. in 6. dicitur, si filius, aut filia præsens sit, dum parens illam viro spondet, & omni secluso metu non contradicat, quòd consentire videatur. Quanquam hæc præsumptio in foro animæ, siue sacramentalis Pœnitentiæ nõ attenditur, si puella dicat, sibi non fuisse animum cõsentiendi, sed ob reuerentiam v.g. cõtradicere ausam non fuisse: siquidem in hoc foro, sicuti creditur dicenti contra se, ita & pro se. At verò in foro externo probationibus, aut saltem coniecturis puella ostendere debebit, se consensum liberum non præstitisse: alioquin cogetur matrimoniũ cõtrahere, ipsaq; iustæ Iudicis sentẽtiæ obtemperare debebit. Attamen hîc magna cautione opus est, ne ex matrimonio coacto, & in quod contrahendũ puella consensu expresso non cõsensit, exitus infelices sequãtur. Vtrum verò decisio cit. c. vn. locum etiam habeat, si tutor, vel similis persona, pro puella præsente, & non cõtradicente spõdeat, legere potes apud Sanch. lib. 1. disp. 23. Arbitror autẽ locum habere, si talis persona sit, quæ in commodum, ac fauorem puellæ spondere videatur, vt si ipsa contradicere nollet, apertè exprimere deberet, iuxta ea quæ dixi lib. 1. tr. 2. c. 3. n. 3.

II. Liberi peccant quidem contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam, si ipsis inscijs, & inconsultis sponsalia temere contrahunt: quia parentum cura, & potestas postulat, vt sine eorum consilio nihil statuatur in re tanti momenti; non tamen semper obligantur ad consilium, vel iussum sequendum; cùm in contrahendo matrimonio sui iuris, ac libertatis existant, sicuti rectè docet Sanchez lib. 4. c. 23. Quare ita distinguendum videtur: Vel parentes filium, aut filiam ab omni matrimonio auocare, vel impedire conantur: tunc obediendum eis non est cũ incontinentiæ periculo: quia *melius est nubere quàm vri*, 1. ad Corinth. 7. Vel certum aliquod matrimonium, ad quod filij voluntas propendet, parẽtes impedire volunt, tũc expendẽdæ sunt rationes, quibus ipsi dissuadendo nituntur, & cum contrarijs cõferendæ. Vel deniq; parentes ad certas nuptias filium, alioquin abhorrentẽ, compellere conantur, tunc sequendi non sunt, teste Henriq. lib. 11. c. 13. n. 13. Syl. ver. præceptum, q. 2. Sanch. cit. dis. 23. n. 3. Nisi in casu speciali, quo plurimùm interest parentum, v.g. ad graues inimicitias tollendas, sicuti notat Nau. cap. 14. man. n. 15. Bellar. de matrim. c. 19. propos. 3. Henriq. lib. 11. c. 6. n. 6. Rodriq. t. 2. sum. c. 231. concl. 6. dummodo matrimonium honestum sit, & filius velit statum coniugalem amplecti, vti monet Sanchez n. 5. 14

III. Quamuis liberi promittendo matrimonium, incõsultis, aut inuitis parentibus, peccarint, datam tamen sponsaliorũ fidem seruare tenentur: tametsi imparis conditionis spõ sis promiserint; neq; parentibus hoc casu impedire eos concessum est. Cùm enim talis promittens ad implendam promissionẽ graui obligatione teneatur, & in omni foro cõpelli soleat, sicuti testatur Ecclesiæ praxis, & ex cõmuni docet Molina to. 2. disp. 271. Veracrux 3. p. spec. a. 19. cõcl. 2. Sanch. lib. 1. disp. 14. sequitur patrẽ mortaliter peccare, si filium impedire, vel ei dissuadere conetur id, ad quod ipse sub peccato mortali obligatur. Neq; verò mirum videri debet, sponsalia interdum illicita esse, & tamen rata, & obligantia; sicuti & prodiga promissio, vel donatio obligationem parit, quamuis malè facta sit: modò non versetur circa rem malam, quæ sine peccato præstari nequeat, vt in simili dixi lib. 4. tract. 4. c. 2. n. 7.

Enimuero si ex matrimonio, quod filius, aut filia contrahere cogitat, ob disparitatem sponsorum, vel similem causã, timeatur familię dedecus, scãdala, discordię: ideóq; tale matrimonium, tanquam charitati ac pietati repugnans, sine peccato contrahi non possit: tunc parentes illud impedire possunt, ac debent, implorata etiã Iudicis auctoritate, ad cuius officium pertinebit cauere, ne talia matrimonia ineantur, ex quibus scãdala, vel infelices exitus sequi solent: idque non tantùm locũ habet antequam sponsalia celebrata sunt, sed etiam postea: quia, vt suprà dixi, promissio nõ obligat, quæ versatur circa rem illicitã, videlicet matrimonium, cum scandalo, & peccato contrahendum. Quare locum habet iuris regula, 69. in 6. *In malis promissis fidem non expedit seruari.* Et ita docet Nauar. cap. 16. n. 18. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 20. n. 23. Sanchez cit. disp. 14. n. 3. & sumitur ex cap. cùm in tua, iur. Gl. ver. scandalo, vbi ait, quòd *propter secuturum scandalum matrimonium impediendum sit.* Idque notat Abbas in c. requisiuit, de sponsal. Ioan. Chapeauille de modo ministr. sacramen. cap. 6. quæst. 19. vbi ait: Iudicem debere interdicere matrimonium, quando vehementer ex eo timetur scandalum: idque non statim cessaturum inter consanguineos.

Denique ex his responderi potest ad quæstionem,

Vtrum filia inconsultis, aut inuitis parentibus nubens, ex-
5 hæredari possit? Dicendum est enim primò: Iure communi Cæsareo non posse; cùm non sit vna ex causis quatuordecim, nec grauior illis, quæ numerantur in Gl. c. Quintauallis, de iureiur. ex Auth. vt cum de appellat. cognoscitur, §. aliud quoque, & ex communi docet Nau. cap. 14. n. 15. Clarus § testamentum, q. 41. Sanchez lib. 4. disp. 24. n. 3. Sed limitari debet primò; Nisi *parentibus volentibus* (& non differentibus vsque ad annum xxv. ætatis) *filiæ maritum dare, & dotem secundùm vires substantiæ, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit*, cit. §. aliud quoque, ad finem. Secundò; Nisi absque parentum consensu mancipio nubat, sicuti colligitur ex Auth. Sed si post, C. de inoffic. testamento, & docet Molin. to. 1. tract. 2. disp. 176. §. obserua tertiò, Sanchez cit. disp. 24. num. 10.

Dicendum secundò; Nulla lege, vel consuetudine introduci posse, vt filia in quolibet casu exhæredari possit, si parentibus inuitis nubat. Quia filia in causa matrimoniali non est absolutè subdita parentum potestati, sed iure arbitrij sui gaudet: non potest autem ciuili lege, aut consuetudine constitui, quod libertati matrimonij, ideóque canonico iuri, & praxi Ecclesiæ repugnat.

Dicendum tertiò: Probabilius videri, quòd lege, vel consuetudine constitui possit, vt filia in casu, quo grauiter delinquit, absque patris consilio vel consensu matrimonium contrahendo, in commissi criminis pœnam exhæredari queat: quæ est sententia Soti in 4. d. 29. q. 1. a. 4. ad 4. Molin. cit. disp. 176. §. contrariam sententiam. Ratio est: Quòd delicta, quæ in cótrahendo matrimonio committi solent, etiam ad secularem Magistratum pertineat prohibere, ac punire, sicuti docet Couarru. in epit. p. 2. cap. 6. princ. n. 22. Contrariam nihilominus sententiam amplexus est Sanchez cit. disp. 24. n. 15. propterea quòd talis pœna libertati matrimonij repugnare videatur. Sed respondetur: Talem libertatem, quæ ad peccandum tendit, à sacris canonibus minimè defendi, vti suprà etiam dixi.

16 Corrollarium V. Canonico iure, tam mas, quàm fœmina ante expletum ætatis septennium ad sponsalia inhabiles censentur, c. literas, c. accessit, c. ad dissoluendum, de desponsat. impuber. & c. vn. in princ. eod. tit. in 6. & l. in sponsalibus, ff. de spõsal. Causa est, quia ea fermè ætate rationis, ac liberi arbitrij vsum consequuntur, vt voluntariam in se obligationẽ suscipere possint. Quamobrem si certis indicijs ostendatur, defectum ætatis malitia, & præcoci ingenio suppleri, valida sponsalia censeri debẽt, argument. c. iuuenis, de sponsal. & docent multi Doctores apud Sanchez lib. 1. disp. 16. diffic. 2. contra Abb. in cit c. Iuuenis, n. 5. Andream Fachinæum lib. 3. controuer. c. 26. Sicuti & vice versa, inualida sponsalia censentur, quę post legitimam septennij ætatem celebrata fuerũt, si sufficientem rationis discretionem tunc abfuisse ostendi possit. Ratio est: Quia cùm de veritate constat, præsumptio, quæ ex ætate secundùm iuris præsumptionem sumitur, meritò cedere debet, arg. c. puberes, de spons. impuberum.

Tria hic aduertenda. I. Sponsalia, quæ ob rationis defectum, seu vtriusque, seu alterius contrahentium, irrita fuerunt, superueniente rationis discretione, per ratificationem expressam, aut tacitam conualescunt, arg. c. literas, de sponsat. impuberum, vti id notant Gl. & DD. & expressiùs habetur in c. duo, eod. tit. & c. vn. eod. in 6. in princ. vbi id Gl. explicat, & Sanchez cit. disp. 16. n. 5.

17 II. Sponsalia ab vtroq; vel alterutro contrahentium impubere, post ætatis discretionem celebrata, partim rata sunt, partim non rata, sed suspensa. Rata sunt, quia & impedimentum publicæ honestatis inducunt. c. literas, c. accessit, c. cótinebatur, de despons. impub. c. vn. §. porrò, eod. in 6. & durante minore illa ætate à sponsalibus resilire non possunt, c. de illis, extra, eod. tit. Suspensa autem sunt, quia quamprimum impubes annos pubertatis assecutus fuit, datur ei optio vel resiliendi, vel sponsalia ratificandi, seu expresè seu tacitè: pubes verò, qui cum impubere contraxit, neque ante, neque post huius pubertatem resilire potest; nisi alter pubes factus dissolutioni consentiat, cit. c. de illis, & c. à nobis, eod. Vbi tamen exceptio ponitur, nisi ante ætatem legitimam se carnaliter cognouerint; tunc enim spectato iure antiquo, matrimonium cõsummare censentur; iure autem nouo, sponsalia: siquidem canonico iure pubes censetur qui generare potest, etsi annorum numerum non expleuerit, c. puberes, de despons. impuberum, & cap. vlt. de eo qui cognouit consanguin. Præterea si impubes, pubertati propinquus, sponsalia iuramento confirmauit, resilire non potest adepta pubertate, iuxta c. ex literis, 2. de spons. vbi id notat Abbas n. 2. & constat ex dictis lib. 3. tract. 4. c. 9. n. 6. in fine. Videri potest Sanchez lib. 1. disp. 51. n. 22.

III. Si impuberes matrimonium contrahere intendentes, vtantur verbis de præsente: licet ob ætatis, & maturitatis defectum verũ matrimonium non sit, censeri tamẽ debent sponsalia de futuro, qualia impubes cõtrahere potest, sicuti colligitur ex c. à nobis, de despons. impuber. & apertè habetur in c. vlt. eod. tit. & c. vn. §. idem quoque, eodem tit. in 6. vbi etiam ratio insinuatur, quia mens cõtrahentium sit: *Si actus non valet secundùm omnia, valere tamen debet, quatenus potest*: quam regulam defendit Abbas c. cùm super, de offic. deleg. & interpretans Couarruuias in epit. p. 1. c. 3. in fine, veram esse ait, *si id quod fieri potest, includitur sub eo quod fit*; sicuti sponsalia includuntur in matrimonio, tanquam imperfectum, seu inchoatum in perfecto.

Ex quo valde probabiliter inferunt Veracrux appendice ad speculum, dub. 9. Henriq. lib. 11. c. 5. n. 4. Coninck 18
dis. 21. dub. 4. concl. 2. matrimonium clàm celebratum licet iure nouo Tridentino sess. 24. c. 1. de reformat. non valeat vt matrimonium, valere tamen vt sponsalia de futuro, cùm ad horum valorem nulla testium &c. solemnitas requiratur: quamuis contrariam sententiam tradat Nauar. lib. 4. consil. 3. de clãdestina desponsat. edit. 2. Sanchez lib. 1. disp. 10. dixi verbis Concilij. *Ad sic contrahendum eos sancta Synodus omnino inhabiles reddit.* Sed hæc verba nihil probare videntur: cùm supplenda sit vox *matrimonium* quæ proximè antecesserat: ac proinde sensus sit: attentantes matrimoniũ contrahere sine Parocho, & testibus, inhabiles reddi ad ita contrahendum: & eiusmodi matrimonij contractus irritos esse. Quamuis, propter auctoritatem Doctorum, sponsus, qui matrimonium clandestinum irritè contraxit, in nullo foro cogi poterit, vt in futurum contrahat, nisi ad hoc ipsum expresè se obligarit, si contractus non valeat tanquam matrimonium, quòd valere debeat eo modo, quo potest, scilicet vt sponsalia, sicuti notauit Sanchez n. 6.

CAP. II.

De dissolutione Sponsaliorum.

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia mutuo contrahentium consensu dissolui possunt, quamuis iurata fuerint.*
2 *Sponsalia soluuntur per Religionis ingressum, secuta professione.*
3 *Si vnus sponsorum Religionem ingrediatur, censetur renuntiare sponsalibus, vt alteri resilire statim liceat: Sin verò exspectare malit, egressus ex Nouitiatu sponsionem seruare debet.*
4 *Sponsalia per votum ingrediendæ, ac profitendæ Religionis penitus soluuntur.*
5 *Post votum Religionis sponsalia validè celebrari non possunt: cùm Deo priùs ius acquisitum in hominem transferri nequeat.*
6 *Sponsalia legitimè contracta non videntur dirimi per subsequens continentiæ votum simplex: cùm tale votum Deo gratum non sit, quod in hominis iniuriam cedit.*

7 Nihilo-

7 *Nihilominus tutus videtur esse in conscientia, qui à sponsalibus, præsertim clam celebratis, syncero animo amplectendi statum perfectiorem continentiæ, resilierit.*

In foro autem externo talis compellitur ad viam tutiorem: vt vel sponsæ fidem seruet, vel Religionem ingrediatur: quamquam etiam permitti potest, vt sacrum ordinem suscipiat.

8 *Qui post contracta sponsalia, inscia, vel inuita sponsa Religionem ingreditur, vel ordinem sacrum suscipit, obligatus esse videtur ad resarcienda illi damna, quæ ob eam causam passa fuit, v.g. in nuptiarum præparatione.*

9 *Qui voto continentiæ obstrictus matrimonium licitè, vel illicitè contraxit, à petitione debiti abstinere debet: priusquam ab Episcopo, vel priuilegiato super ea re dispensationem impetret, quæ in hoc casu propter incontinentiæ periculum facilè concedenda est.*

10 *Si sponsus, vel sponsa fornicationem committat, alter sponsus resilire potest.*

11 *Si sponsa oscula, vel similes tactus impudicos ab altero viro admittat: vel si vim ab alio passa fuerit: iustæ censentur hæ causæ illam repudiandi.*

12 *Si vterq; sponsorum fornicatus fuerit, non compensatur delictum delicto: quia turpior censetur fornicatio sponsæ, quàm sponsi.*

13 *Si sponsus post sponsalia in longinquas terras abeat, vt breui tempore rediturus non censeatur, sponsa liberatur obligatione: nisi ob causam necessariam discesserit, nullúmque sponsæ incontinentiæ periculum, aliáue matrimonij necessitas immineat.*

14 *Si sponsus ob causam voluntariam iustam discessit, biennio exspectandus est, si intra prouinciam: triennio, si extra prouinciam moratur.*

Quæ iuris Cæsarei decisio etiam in conscientia canonico foro locum habere videtur: hac tamen limitatione, quòd Iudex Ecclesiasticus, si incontinentiæ periculum sponsæ imminere videat, tempus moderari possit.

15 *Si sponsus in alienam terram, domicilium mutaturus, se conferat, sponsa sponsalibus liberatur.*

16 *Sponsalia soluuntur, si elapsus est terminus temporis, qui statutus erat ad obligationem finiendam, ita, vt nisi intra tale tempus nuptiæ celebrentur, resilire liceat.*

17 *Si vnus sponsorum paratus fuit nuptias ante elapsum terminum celebrare, alter verò non paratus, tunc contractus sponsaliorum claudicat, & manet obligatio tantùm ex parte eius, per quem stetit. Neque refert, tametsi in culpa vacet, si terminus finiendæ obligationis per modum conditionis, & non per modum pœnæ adiectus fuit.*

18 *Notabilis mutatio superueniens iustam dat causam sponsalia soluendi.*

19 *Tametsi tempore sponsaliorum extiterit causa, ob quam sponsalia displicerent (v.g. morbi contagiosi, aut incurabilis, æris alieni, infamiæ, violatæ pudicitiæ in sponsa, magnæ sæuitiæ, crebræ ebrietatis in sponso) sed probabiliter ignorata ab altero sponso, eâ cognitâ ius datur sponsalia rescindendi.*

20 *Si sponsus cognita causa à sponsalibus resiliendi, sponsam carnaliter cognoscat, censetur sponsalia ratificare.*

21 *Sponsalia soluuntur, si impedimentum matrimonij dirimens superueniat.*

22 *Si vxor, cum qua Titius contra fidem primorum sponsaliorum, contraxit, moriatur, & prior sponsa in proposito suo permaneat, non videtur Titius obligatus ad eam ducendam: cùm obligatio semel extincta non reuiuiscat.*

23 *Licet, spectato communi iure, si causa absoluendi sponsalia manifesta est, Ordinarij consensus non requiratur: multis tamen diœcesibus aliter obseruari solet.*

1 SPONSALIA varijs modis solui possunt: PRIMO, Per mutuum consensum, sicuti colligitur ex c. 2. de sponsal. vbi Innocentius III. ait: *Videtur, quòd instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea, eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.* Ratio est: Quia omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, c. 1. de regul. iuris, & c. omnis res, 27. q. 2. Et reg. 35. ff. *Nihil tàm naturale est, quàm eo genere quidquam dissolui, quo colligatum est.* Et § vlt. tit. Institut. Quibus modis tollitur obligatio: *Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur.* Quæ tamen regula fallit in matrimonij contractu, propter rationem sacramenti, vti notauit Gl. in cit. c. 1. de regulis iuris.

Addi verò debet traditæ doctrinæ: Eam etiam habere locum, tametsi sponsalia iurata sint, sicuti docent Glos. & DD. communiter in cit. c. 2. Quia iuramentum sortitur conditiones actus, cui opponitur, c. quemadmodum, de iureiur. Sponsalibus autem (sicut & alijs promissionibus) hæc tacita conditio inest, nisi postea remissa, aut mutuo consensu soluta fuerint. Quare iuramentum in fauorem alicuius præstitum, ab eodem remitti posse, docent DD. in c. 1. de iureiur.

Sed his obstare videtur, quod Pontifex dixit, talem sponsaliorum remissionem tolerandam esse, ne deterius inde contingat, videlicet vt talem aliquis ducat vxorem, quam odio habet: Ergo fateri videtur, talem remissionem ac dissolutionem esse malam. Cõmunis est responsio Innoc. & Abb. in cit. c. 2. n. 5. & aliorum apud Sanchez lib. 1. disp. 52. n. 2. quòd Papa ita responderit, ad tollendam speciem mali: quia vulgares homines arbitrantur, sponsos resilientes fidem datam, vel iuramentum violare.

Mihi verò alia occurrit responsio, textui, nisi fallor, conuenientior, Innoc. III. id dixisse in casu, qui frequenter accidere solet, vt vnus sponsorum, v.g. mulier, cupiat sibi fidem seruari: sed vir omnibus modis renuat, cupiátq; sponsaliorũ remissionẽ fieri, quia abhorret à muliere: tũc sanè commonendus, & omnibus modis inducendus, vt præstitam fidem obseruet: sin autem bonus exitus non speretur, toleranda est remissio, & dissolutio, quæ ex parte mulieris fit non merâ voluntate, sed admixto inuoluntario: idque non sine peccato viri, quod tamen permittitur, non approbando, sed tolerando, vt maiora incommoda vitentur.

Id nota, consuetudinem esse multarum Ecclesiarum, si sponsalia coram Parocho celebrata fuerint, vt eorum dissolutio non permittatur, nisi causâ priùs ad Episcopum delatâ.

SECVNDO soluuntur sponsalia per ingressum Religionis secutâ professione. Qui casus extra controuersiam est. 2
Cùm enim sponsalia de præsente, seu matrimonium ratum ita soluatur, c. ex publico, de conuers. coniugat. multò magis sponsalia de futuro.

Sed dubium est, an solo in Religionem ingressu soluantur sponsalia ex parte sponsi alterius: ita vt is à promissione sua liber, aliud matrimonium spondere, & contrahere possit? Negat Duran. in 4. d. 27. q. 3. art. 3. Palud. ibid. q. 1. a. 3. casu 5. Couar. in epit. p. 1. c. 5. princ. n. 11. Armilla ver. sponsalia, n. 11. Sed contraria sententia est pro- 3
babilior Syluest. ver. sponsalia, q. 10. casu 2. Sot. d. 27. q. 2. a. 5. ver. hoc tamen, Nau. c. 22. n. 26. in princip. Henriq. lib. 11. c. 14. n. 3. Rodriq. t. 1. sum. c. 245. concl. 1. Sanchez lib. 1. disp. 42. n. 2. Viualdi de sponsalibus, c. 5. num. 14. Coninck disp. 23. dub. 3. n. 22. Ratio est: Quia sponsus ingrediendo Religionem, ipso facto significat, se voluntatem mutasse, & sponsalibus renunciare. Accedit, quòd specialis iste euentus sit, ad quem alter sponsus se obligare non præsumitur, vt tanto tempore probandæ Religionis expectare, & postea sponsum accipere debeat, qui religiosum habitum exuerit, & mentis inconstantis indicia toties dederit. Sin verò sponsus in seculo expectare malit, & alter, non secuta professione, Religionæ egrediatur, non dubito, tunc cogendum esse, vt datam olim sponsaliorum fidem præstet sponso volenti, & hucusque expectanti, sicut docent Petrus Ledesma q. 43. a. 3. dub. 2. Henriq. Rodriq. & Coninck ll. cc. contra Sanch. cit. disp. 42. n. 5.

Tertiò soluuntur penitus sponsalia, per votum Reli- 4
gionis ingrediendæ, ac profitendæ. Quæ est certa sententia, apud Henriq. lib. 11. c. 14. n. 4. Cùm enim sponsus licitè, ac rectè Religionem quamcunque profiteri possit, vti ex communi docet Nau. c. 22. n. 27. §. decimò, Henriq. lib. 11 c. 13. n. 3. sequitur, quòd licitè etiam Religionem, reiecissis sponsalibus, vouere queat. Confirmatur: Sicuti se habet matrimonium ratum ad sponsalia, ita proportionaliter se habet professio ad votum profitendi: Ergo sicuti matrimonium ratum soluitur per professionem solemnem, cap. ex publico; de conuers. coniugat. sic etiam sponsalia soluuntur per votum profitendi solemniter.

Limita cum Henriq. cit. n. 3. lit. k. Nau. lib. 3 consil. 3.

de voto, edit. 2. Lopez p.1. instruct. c.77. §. sed grauius, Azor t. 1. lib. 11. cap. 21. quæst. 10. Sanchez disput. 44. Nisi sponsa, siue de futuro, siue de præsente, grauem infamiam contractura sit; vt quia spe matrimonij cognita, & fortè grauida facta est: eiusmodi enim casu votum Religionis ingrediendæ, aut profitendæ; vel perpetuæ continentiæ seruandæ, quatenus in sponsæ iniustum detrimentum cedit, Deo gratum, atque obligatorium non est.

Quinimò existimant Sanchez disput. 45. Less. lib. 2. c. 10. dub. 4. Coninck disp. 23. dub. 3. concl. 6. Chapeauille c. vltimo sui tract. quæst. 17. Vasq. de restit. cap. 3. in fine; Etiamsi votum Religionis, aut perpetuæ cōtinentiæ antecesserit, & sponsalia secuta fuerint: hæc potiùs in tali casu seruanda esse, quàm votum. Quia votum cessat obligare, cùm fortior incompossibilis obligatio iustitiæ superuenit: at verò in casu, quo puella spe matrimonij corrupta est, grauissima superuenit obligatio, ad damnum ipsi illatum cōpensandum: idque, vt ponimus, alia ratione compensari, & periculum grauis infamiæ tolli non potest, nisi eam in matrimonium ducendo: ergò id fieri debet, posthabito voto.

5 Hæc sententia speculatiuè probabilis est: sed contraria communis, & in praxi recepta, quam tradit Nau. lib. 4. consil. 1. Qui clerici, vel vouentes, edit. 2. Rodriq. to. 1. sum. c. 208. concl. 11. Cùm enim per votum prius Deo ius requisitum sit, non potest vouens illud propria libertate tollere, maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut statum voto contrarium suscipiendo; sed requiritur, vel Ecclesiasticus Præsul, tanquam Dei Vicarius, obligationem, causâ cognitâ, remittat, per dispensationem, quam etiam in hoc casu voto obligatus petere tenetur, vti docuit etiam Sanchez, lit. 1. disp. 56.

Denique hîc nota, quòd is qui religionem ante, vel post sponsalia vouit, ac postea matrimonium contraxit, licitè vel illicitè, soluto matrimonio per mortem coniugis, ingredi tenetur, si adhuc idoneus sit. Quia vouens religionem suum votum implere tenetur, quatenus potest, absque alterius præiudicio, argument. c. placet, de conuers. coniugat.

QVARTO. Per simplex continentiæ votum sponsalia solui, docet S. Th. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 3. Caiet. in sum. ver. periurium promissorium, §. intellige secundò, Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. a. 5. §. verùm, Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 4. & alij plures, arg. c. peruenit, 2. de iureiur. *Promissum non infringit, qui in melius commutat.* Et quia sponsalibus ea tacita conditio inesse censetur, *nisi statum perfectiorem continentiæ amplecti voluere.*

6 Verùm contraria sententia est probabilior, quam docent Canonistæ in c. veniens, vbi Abb. num. 5. Qui Clerici, vel vouentes, Palud. in 4. d. 27. quæst. 1. casu 5. Sylu. ver. sponsalia, q. 7. & ver. matrimonium, 7. q. 5. d. 5. Nau. c. 22. num. 27. §. decimò. Philiarchus tom. 1. de offic. sacerdotis, p. 2. lib. 2. c. 1. Sanchez lib. 1. disp. 46. Coninck cit. dub. 3. concl. 7. & colligitur ex cit. cap. veniens, vbi mulieri, quæ post sponsalia votum continentiæ edidit, & idcirco sponsus ad alias nuptias trāsijt, pœnitentia iniungitur; tum propter fidem violatam; tum propter votum, à quo cupiebat liberari, vt cū altero cōtrahere posset. Ratio est: Cùm sponso per sponsalia ius acquisitum sit, cui ille nunquā renuntiauit: non debet censeri Deo grata promissio, quatenus cum alterius iniuria, & damno iuncta est: sicuti si quis Deo voueat equum, quem antè promiserat, vel donarat Sempronio, non valet votum, quatenus iniuriosum Sempronio: quamuis eatenus valent ista vota, vt si obligatio ab homine remittatur, vel alia ratione, cesset, v.g. dissolutis sponsalibus, vel matrimonio, promissum Deo seruari debeat, argument. cit. cap. veniens, & c. quidam. c. placet, de conuers. coniug. ibi: *Licet votum eius vsquequaque non tenuerit, eatenus tamen obligatorium fuit quatenus se poterat obligare*: idque ex communi docet Sanchez n. 15.

Respondeo ad fundamentum prioris sententiæ negari debet, talem conditionem sponsalibus inesse: cùm ea ex nullo iure colligi possit, excepto si quis religiosum statum amplecti velit. Ad c. peruenit dicendum; Ibi sermonem esse de voto, quod iure optimo in melius commutatur: quia idem promissarius est, videlicet Deus: hîc autem loquimur de promissione homini facta.

Veruntamen cùm prior sententia, ob grauium Doctorum auctoritatem, probabilis sit, in conscientia tutus erit, qui à sponsalibus, præsertim clam celebratis, syncero animo amplectendi statum perfectiorem continentiæ resilierit. Cùm autem palàm celebrata fuerunt, ferme accidit, vt sine sponsæ infamia, multorum querelis, ac rixis, non possit vouens propria auctoritate à sponsione recedere. Quòd si ad forum externum talis causa deferatur, Ecclesiasticus Iudex sponsum, qui post sponsalia votum continentiæ se edidisse affirmat, compellere solet ad viam tutiorem; videlicet vt sponsaliorum fidem seruet, vel intra præfixum ei tempus Religionem ingrediatur, sicuti notarunt Palud. Syluest. Azor locis citat. Quāuis etiam contentus Iudex esse possit sacri ordinis susceptione, sicuti fatetur Sylu. ver. sponsalia q. 7. & docent Sotus lib. 7. quæst. 1. a. 3. Henriquez citat. cap. 14. num. 4. Licet contrarium sentiat Palud. loco cit. Sanchez disp. 44. 7

His addendum est primò: Qui post sponsalia, inscia, aut nolente sponsa, sacrum ordinem suscepit, æquitatis ratione resarcire debet damna, quæ ob id sponsa incurrit, quia expensas in sponsalibus fecit, aut in præparatione ad nuptias &c. Idémque dicendum videtur, si sponsus Religionem ingredi, ac profiteri velit. Colligo id ex l. si pecuniam, ff. de condiction. causa data &c. vbi dicitur; Si cui pecuniam dederis, vt Capuam iret, licet antequam is iret, integrum sit pœnitere, & pecuniam repetere, si tamen is expensas fecit, vel aliud damnum incurrit, indemnem seruandum esse. Sic etiam si quis cum muliere contraxerit, licet antequam sponsaliorum contractus per nuptias impletus est, iura licentiam dent sponso resiliendi per sacri ordinis susceptionem, aut Religionis professionem; interim tamen requirere videndentur, vt pars altera indemnis seruetur. Siquidem dispensationes, ac priuilegia (quale etiam censeri debet ius illud sponso concessum) quatenus cum alterius personæ præiudicio iuncta sunt, strictæ interpretationis esse debent. Vide Molin. tom. 2. disput. 258. conclus. 3. 8

Addendum est secundò: Quòd neque is, qui post sponsalia simplex continentiæ votum edidit: neque qui ante sponsalia, edito continentiæ voto, matrimonium postea contraxit, & nondum consumauit; obligatus est ad Religionis professionem. Quia hanc non vouit, continentiam autem, quam vouit, medio adeò difficili implere cogendus non videtur, arg. extrauag. antiquæ, de voto, ium. Glos. ver. renuere, & contra Sylu. ver. matrimonium, 7. q. 5. Nau. c. 12. man. n. 80. docent Sotus in 4. q. 38. q. 2. art. 1. Sanchez disput. 46. diffic. 2. Less. lib. 2. c. 41. num. 52. Coninck citat. dub. 3. in fine. Debet tamen 9 qui voto continentiæ obstrictus matrimonium licitè, vel illicitè contraxit à petitione debiti abstinere, priusquam ab Episcopo, vel priuilegiato super ea re dispensationem impetret, quæ in tali casu facilè concedi debet, propter periculum incontinentiæ. Sin verò vouens dispensationem ante matrimonium non impetret, alter sponsus, intellecto eius voto continentiæ, resilire poterit: cùm conditio illa, vt coniunx eius coniugij debitum nunquam petat, grauis videri possit, sicuti notauit Henriquez cit. num. 4.

QVINTO, soluuntur ex parte sponsalia per fornicationem vnius sponsi, vt alter ius recedendi habeat, iuxta c. quemadmodum, de iureiur. Vbi etiam rationes afferuntur: I. Quia sponsus ea conditione matrimonium promisisse 10

misisse censetur, si & alter contra fidem sponsaliorum non egerit. Nam alioquin fidem frangenti fides seruanda non est. II. Quæcunque causa ad diuortium sufficit, ea multò magis ad sponsalia soluenda: nam *turpius eijcitur quàm non admittitur hospes*. Sed fornicatio coniugis est iusta causa diuortij: Ergo & fornicatio alterius sponsorum est iusta causa soluendi sponsalia.

Dixi autem sponsalia solui *ex parte*, innocentis videlicet; non autem nocentis, ne ex iniquitate sua commodũ ferat. Quare spõsus fornicarius ad nuptias cõpelli potest, si alter velit: quia *quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. 61. in 6. & consentit l. quod fauore, C. de legibus.

Deinde debet tradita doctrina indifferenter intelligi tam de sponso, quàm de sponsa: cùm æquè fidem frangant fornicando, & se suspectos reddant, ne etiam post matrimonium violent: quamobrem in corporum coniunctione, vir & mulier ad paria iudicantur, Abb. in cit. c. quemadmodum, §. illud. n. 4.

11 Videntur tamen quædam discrimina inter sponsam, & spõsum non improbabiliter assignari: Primum. Si sponsa oscula, vel similes tactus impudicos ab altero viro admittat, possunt rescindi sponsalia: quia censetur viuere impudicè, vti docet Couar. in epit. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 3. à quo proinde vir meritò abhorrere incipit. Sed non vice versa, ob sola sponsi oscula, vel tactus impudicos alterius fœminæ, sponsa resilire potest; quia non propterea viro aliqua impudicitiæ infamia apud homines aspergi solet, sicuti docet Sanch. disp. 55. n. 5. Coninck disp. 23. dub. 7. n. 56. vbi rectè id limitat, *nisi sint tactus frequentes, vt indicent propensum valde sponsi in alteram animum; vt meritò timeri possit, ne sponsam minùs sit amaturus, aut fidem non seruaturus*.

Secundum. Si sponsa post sponsalia vim ab altero passa fuit, meritò repudiatur, sicuti colligitur ex c. raptor, 27. quæst. 2. iun. Glos. ver. potuerit, atque ex communiore docet Syluest. ver. sponsalia, q. 10. casu 7. Couar. in epit. p. 1. cap. 5. princip. num. 2. Nauar. cap. 22. num. 27. ver. Nonò, Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 6. Sanchez. n. 7. Coninck num. 55. Ratio est: Quia sponsa notabiliter fit vilior, vt ab ea sponsus meritò abhorrere incipiat: ne & ipse infamiam seu dedecus subire debeat. At verò si apertè constet, sponsæ fornicationem sine omni culpa eius accidisse, v. g. in somno, probabiliter dicitur, sponsum resilire non posse: cùm exinde sponsa tam magnum dedecus non contrahat, vti bene docet idem Sanchez num. 8.

12 Tertium. Si vterque sponsus post sponsalia fornicatus est, non compensatur delictum delicto; sed repudiare potest sponsus fornicariam sponsam, quamuis ipse quoque fornicatus fuerit: quia delicta pari turpitudine non censentur; sed fœdior, ipsique sponso detestabilior est incontinentia fœminæ, quàm viri, argument. l. etsi crimine, Cod. ad L. Iul. de adulterio, iun. Glos. lit. cap. & l. palàm ff. de ritu nuptiarum: Et ita ex communi docet Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 6. Sanchez citat. disp. 55. in fine, Coninck citat. dub. 7. concl. 6. atque colligitur ex ijs, quæ in simili docent Couaruuias in cap. Rainutius, princ. num. 15. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 176. Filiam luxuriosè viuentem ante xxv. ætatis annum exhæredari non posse à matre, quæ in pari turpitudine est, l. in arenam, Cod. de inoffic. testament. sed à patre exhæredari posse, etsi & is impudicè viuat: quia turpitudo vtriusque non censetur æqualis. Neque his obstat, quòd in c. intelleximus, de adulterijs dicitur, paria fornicationis delicta inter coniuges mutua compensatione tolli: Nam sponsaliorum solutio faciliùs permittitur, videl. ob quamuis notabilem rerum mutationem: matrimonium non item.

Quæres. Quid faciendum, si sponsalia publicè coram Parocho, & testibus celebrata fuerunt: crimen autem sponsi, aut sponsæ occultum est, vt sine infamia reuelari non possit? Respondeo, & dico I. Sponsa priuatim monere debet sponsum, adhibitis etiam, si opus sit, parentibus eius, & cognatis, vt ipsam liberam pronunciet à sponsalibus: & quidem publicè coram Parocho, ac testibus, ratione scandali vitandi; suppressa tamen causâ dissoluendi, qua de re Sanch. lib. 1. disp. 70.

Dico II. Si sponsus monitus nolit sponsalibus renunciare, & sponsa moraliter certa sit de sponsi fornicatione; quia v. g. audiuit à teste oculato, omni exceptione maiore; propria auctoritate à sponsalibus resilire potest, quando putat, ob defectum plenæ probationis se in iudicio nihil obtenturam esse, vti docet idem Sanchez disp. 69. num. 7.

Dico III. Si crimen sponsi ad iudicium deferatur, & semiplenè, videl. per vnicum testem probetur, ordinariè non poterit Iudex sponsalia dissoluere, vti bene tradit Sanchez disp. 71. n. 7. Quia vnius testis testimonium non sufficit, si agatur de alterius præiudicio, c. licet, c. veniens de testibus. Dixi autem ordinariè: Si enim sponsa ita cõparata videatur, vt difficulter à seipsa consensum liberũ in nuptias impetrare possit, ideóque infelices exitus, ac scandala timeantur: ad Iudicis officium pertinebit pro dissolutione sponsaliorum pronunciare. Quia minus malum, quale est præiudicium aliquod sponsi non plene cõuicti, permitti debet, vt euitetur maius malum, quod ex coacto matrimonio timetur.

Sexto. Si sponsus post sponsalia, non obtenta licentia sponsæ, in terras longinquas se transferat, vt breui tempore rediturus non videatur, acquirit sponsa liberam facultatem cum alio contrahendi. Ita habetur in cap. de illis, de sponsal. Ratio est: Quia sponsus tam lõgè discedens, iuri suo renuntiare censetur. Verùm descendendo ad casus particulares, Dico I. Si sponsus ob causam necessariam diutius abesse cogatur, tum sponsa expectare debet, donec iustum eius impedimentum cesset. Ita habetur in l. sæpe, ff. de sponsal. quæ constitutio, cùm maximam æquitatem habeat, non videtur iure canonico correcta, vti docet Syl. ver. sponsalia, q. 10. dicto 4. Couar. in epit. p. 1. c. 5. princ. n. 7. in fine, Henric. Canisius super c. de illis, de sponsal. Neque puto ab alijs negari, adhibita tamen duplici limitatione. Prima, nisi aliter conuentum sit, vt infrà dicam. Secunda, nisi incontinentiæ periculum immineat, vel alia necessitas contrahendi matrimonium vrgeat: tunc enim grauis mutatio superuenit, ad quam sponsa non censetur se obligare voluisse. 13

Dico II. Si sponsus ob causam voluntariam iustam, discesserit: tunc secundùm ius ciuile biennio expectandus erit, si intra prouinciam, triennio, si extra prouinciã moretur, l. 2. Cod. de sponsal. & l. 2. C. de repudijs, sic enim has leges conciliant Glos. & DD. ibid. Couar. cit. n. 7. Anton. p. 3. tit. 1. c. 18. §. casu 2. Monachius de arbitr. qq. casu 455. n. 7. aliique communiter. 14

Sed quæstio est, vtrum hæ leges iure canonico correctæ sint? Affirmat Henriq. lib. 11. c. 14. n. 5. Sanchez lib. 1. disp. 54. n. 6. Rodriq. t. 2. c. 245. cõcl. 4. ex c. de illis, de spõsal. Sed magis placet sententia negans, quæ est Syluest. cit. quæst. 10. casu 4. Henric. Canisij super cit. c. de illis. Cùm enim leges illæ per se iustæ sint, seruari debent, quando aliud iure canonico disertè constitutum non reperitur. At verò ex cit. c. de illis, colligi non potest, Cæsareis legibus aliquam derogationem factam fuisse, vt ex seq. assert. patebit.

Hæc tamen limitatio adhibenda est, quòd Iudex Ecclesiasticus, inspecta qualitate personæ, aliisque circunstantijs, tempus moderari possit, & interim iubere vt sponso significetur, intra tale temporis spatium ipsi redeundum esse; alioquin sponsam ab ipso liberam fore. Ratio est: Quia in hoc differt Iudex Ecclesiasticus à seculari, sicuti & ius canonicum à ciuili: quòd ciuiles leges præcipuè ad publicã politiam attendant; canones verò ad

salutem animæ, & peccatum vitandum, sicuti notant DD. in reg. possessor, de reg. iuris in 6. Cùm igitur interdum ob periculum incontinentiæ, vel similem causam expediat mulieri, vt tamdiu sponsum non expectet, illud Iudex arbitrari debet.

15 Dico III. Si sponsus in alienam terram domicilium mutaturus, se transferat, sponsa hoc ipso à sponsalibus liberatur. Quæ videtur esse decisio cit. c. de illis, sicuti notauit Abb. ibi, n. 2. Canisius §. huius decisionis, & colligitur ex textu: *De illis autem, qui præstito iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea, eis incognitis, dimittunt terram, se ad partes alias transferentes; hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis ad alia se vota transferre: receptâ tamen de periurio pœnitentiâ, si per eas steterit, quominus fuerit, matrimonium consummatum.* At verò dimittere terram, & ad alias partes se transferre, mutationem domicilij significare videtur, vt ipsemet etiam Sanch. indicat n. 12. Non ita verò qui negotij alicuius, vel studiorum causa loco discedit, animo reuertendi: is enim domicilium retinet, l. clam possidere, §. qui ad nundinas, ff. de acquir. vel amittenda possess. & l. 2. Cod. de incolis. Ratio autem illius constitutionis est, partim quòd ita discedens, ac domicilium relinquens, censeatur renuntiare sponsalibus: partim quòd sponsa de futuro virum alio commigrantem, vel vagabundum sequi non cogitur: cùm ad hunc euentum se non obligare censeatur, sicuti docet Glos. recepta in cit. c. de illis.

Quæres: Cur dicatur in illo c. pœnitentiam de periurio mulieribus suscipiendam esse? Respondeo; Id dici in casu, quo per eas steterat, ne matrimonium, tempore quo oportebat, contractum fuerit: tunc enim licet viro eam ob causam terram mutante, nihilominus liberentur, tamen aliquo modo causam periurij dedisse censentur.

16 Septimo, soluuntur sponsalia, si terminus præfixus fuit ad obligationem finiendam; ita, vt nisi intra tale tẽpus nuptiæ sequantur, resilire liceat. Ita colligitur ex c. sicut, de sponsal. vbi id docet Abb. n. 11. Nau. cap. 22. n. 27. ver. Septimò, Sanchez disp. 53. Coninck disput. 23. dub. 6.

Notant verò Abb. loco cit. Palud. in 4. distinct. 27. q. 1. a. 3. casu 4. Nauar. lib. 3. consil. 29. n. 4. de voto, edit. 2. Duobus modis terminum contractæ obligationi præfigi; primò, ad eam statuendam, vel exequendam; vt ab illo tempore debitor in mora soluendi existat, vel ad solutionem cogi possit. Vt si promittam me ad Kalendas equum tibi venditurum. Secundò, ad obligationem finiendam, vt elapso illo tempore, promissor ab obligatione liberetur: v.g. promisi me equum tibi commendaturum ad Pentecosten vsque: si eo vsque non petiueris, extinguitur obligatio. Et ita intelligenda est tradita doctrina: Si promisisti puellæ nuptias, adiecta conditione, ad Pentecosten vsque, tunc liberaris, si conditio antè impleta non fuerit. Secùs est, si tempus Pentecostes adiectum fuit, vt nuptiæ tunc executioni mandari debeant; alioquin pars, per quam steterat, in culpabili mora esse censeatur. Ratio discriminis est: Quia si tempus adijciatur causa obligationis statuendæ, duplex obligatio est: vna nuptias v.g. celebrandi, altera tali tẽpore celebrandi: quare licet secunda obligatio violetur, manet tamen prior obligatio absoluta ac principalis, sicuti colligitur ex l. Celsus, §. 1. ff. de recept. qui arbitrium, & notat Abbas in c. cùm dilecti, de dolo & contumacia, n. 12. Nau. lib. 2. consil. 11. de iureiur. edit. 2. Sin verò tempus adijciatur causa obligationis finiendæ, tunc vnica obligatio est, eáque non absoluta, sed astricta certo tempori, quo transacto, cessare debet.

Dubium autem est, vtrum lapsus termini, seu transactio temporis definiti ad nuptias, vtrumque sponsorum liberet obligatione: an tantùm eum, per quem non stetit, quominus nuptiæ celebratæ fuerint: altero, qui in mora fuit, obligationem retinente? Respondeo: Si vnus paratus fuit contrahere ante lapsum termini, alter verò non paratus; tum contractus claudicat, & manet obligatio tantùm ex parte huius, per quem stetit, sicuti colligitur ex cap. sicut de sponsal. & docet Nauarrus cap. 22. numero 27. §. septimò, Sanchez disput. 53. num. 6. Exceptio autem, quam subiungit, *nisi is per quem stetit, culpa vacet*; non videtur vera. Quia nihil frequentius est, quàm vt in contractibus conditio adijciatur, vt ad eum diem perfici debeat, alioquin rescindere liceat, etiamsi neutrius culpa res impedita fuerit, sicuti colligitur ex l. si conuenerit, §. sed etsi, ff. pro socio. Ratio verò est: Quia *contractus ex conuentione legem accipiunt.* Quare idem arbitror sentiendum de contractu sponsaliorum: sicuti notauit Coninck citat. dub. 6. concl. 4. n. 47. 17

Neque obstat regula iuris 66. in 6. sumpta ex l. in iure ciuili, ff. eod. tit. *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset.* Nam regula hæc locum habet in libertate promissa, in legatis, aliisque institutionibus, quibus fauore causæ, specialiter ita constitutum est; ideóque extendi non debet ad contractus, ob ea quę notauit etiam Sanchez disp. 33. n. 21.

Neque obstat altera regula, quæ est 41. in 6. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Nam hæc regula intelligitur de pœna conuentionali; item de iuris, seu facultatis alicuius priuatione, quæ per legem decreta est, nisi aliquid intra tale tempus fiat: v.g. Parochus, si iusta causa impediatur, quominus ad ordinem presbyterij accedat, parochia non priuatur, cap. commissa, §. 1. de elect. in 6. Ita *tempus* ad eligendum, agendum, &c. lege definitum *non currit legitimè impedito*, cap. quia diuersitatem, de concess. præb. & l. 1. §. fin. Cod. de annali præscript. vbi dicunt Doctores, quòd *non valenti agere præscriptio non currit.* Quamobrem si ex verbis appareat, nuptiarum tempus in sponsalibus non vt puram conditionem adiectum fuisse: sed in pœnam eius, per quem steterit, vt alter idcirco resilire possit; tum locus non erit dissolutioni, si culpa nulla interuenerit.

Octavo soluuntur sponsalia: si notabilis mutatio accidat, seu graue aliquid superueniat, quod si à principio extitisset, meritò à sponsaliorum contractu absterruisset, sicuti ex communi docet Abbas in cap. quemadmodum, n. 10. de iureiur. & c. vltimo num. 2. de coniug. Leprosorum, Angelus ver. sponsalia, numero 21. Syluest. quæst. 10. casu 17. Nauarrus cap. 22. n. 27. in fine, Henriquez lib. 11. cap. 14. numero 6. Sanchez disput. 57. & seqq. Coninck disput. 23. dub. 8. Et colligitur ex cit. cap. quemadmodum, & cit. c. 2. Ratio est: Quia intentio spondentis non præsumitur se extendisse ad talem casum valde difficilem, qui quemuis hominem prudentem à matrimonij promissione absterruisset. Porrò ad cognoscendum, vtrum promittentis intentio, saltem virtualis: ad talem casum se extenderit, nécne; examinari debet sponsus, v.g. si eo tempore, quo sponsæ promiserat, illi aliquis proposuisset: *Sed quid si tale postea eueniat?* vtrum responsurus fuisset, non esse sibi mentem ad hunc casum obligationem suam extendere. Cuius asseuerationi etiam in externo foro, præsertim iurato, credendum erit: si consideratis circonstantijs, & præcipuè naturâ rei promissæ, probabilis ei fides haberi possit, sicuti docet Nauarrus cap. 18. *Sanchez disput. 61. numero 6. Nam in his, quæ ad animum pertinent, vti sunt scientia, ignorantia, intentio &c. standum est cuiusque iuramento*, cùm alio modo probari non possint, sicuti notat Couaruuias 2. resol. cap. 10. numero 1. §. tertiò. 18

In

In specie verò mutationes notabiles, ob quas à sponsalibus discedi possit, à Doctoribus numerantur: Si sponsus, vel sponsa lepram, paralysin, morbum gallicum, epilepticum, vel alium incurabilem contrahat: si oculi, nasi amissionem, vel similem grauem corporis deformitatem incurrat, præsertim sponsa. Item si alteruter sponsorum notabilem famæ, grauissimam bonorum iacturam patiatur; vel si graues inter sponsos, aut eorum parentes, & consanguineos inimicitiæ incidant; quia v.g. altera pars omnino se opponit matrimonio: ita, vt ex eo infelices exitus timeantur. Præterea si sponsa dotem promissam afferre nequeat: aut sponsus domicilium mutare, vel vagari constituat cum incommodo spōsæ. Ratio est: Quòd sponsalibus, seu nuptiarum promissionibus, quæ suapte natura & Ecclesiæ praxi magnam animi libertatem ac prōptitudinem postulant, ea tacita conditio inesse censeatur, si res in eodem statu permaneant, seu notabilis rerum mutatio non incidat. Neque refert, etsi sponsalia iurata fuerint: quia iuramentum sortitur naturam, & conditiones actus, cui adiungitur, cit. c. quemadmodum, de iureiur. Vide etiam quæ dixi lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 5.

19 His adde: Tametsi tempore sponsaliorum extiterit talis causa, puta morbi contagiosi; aut incurrabilis, æris alieni, infamiæ, violatæ pudicitiæ in sponsa, magnæ sæuitiæ, crebræ ebrietatis in sponso: quæ ab altero contrahente probabiliter ignorabatur; ea postea cognita, ius rescindendi sponsalia acquisitum esse. Cùm enim sponsaliorum tempore defectus non apparebat, perinde erat, ac si non esset: Cùm verò postea apparere incipit, perinde est, ac si de nouo existat: nam *paria censentur non esse, & non apparere*, argument. l. in fundi, ff. de contrah. emptione.

20 Veruntamen si sponsus, cognita causa à sponsalibus recedendi, nihilominus sponsam carnaliter cognoscat, censebitur tacitè renunciare iuri suo, atque sponsalia ratificare. Quamobrem etiam sponsa non nisi sub tali conditione in copulam consentire censenda est; ideóque non audiendus sponsus, si postea resilire velit: sicuti neque coniunx, si cognito adulterio coniugis suæ, ad eam accedat, diuortium instituere permittitur.

Necesse tamen est, vt dixi, sponsum scire, sibi ius resiliendi competere: si enim nesciat non potest ei renunciare, aut sponsaliorum valorem ratificare velle: præterquam eo casu, si sponsus clarè significet, tali animo se ad sponsam accedere, vt tametsi ius soluendi sponsalia haberet, tamen ea rata esse vellet. Qua de re Sanchez disp. 66. Coninck disp. 23. dub. 10.

21 Nono soluuntur sponsalia per superuenientem affinitatem, spiritualem cognationem, vel simile impedimentum dirimens, vti constat ex c. veniens, 1. & c. ex literis, de eo qui cognouit consanguin. & magis patebit infrà par. 4. huius tract. c. 5.

Decimo soluuntur per matrimonium cum altera iniustè cōtractum. Sed hoc casu quæstio est, si vxor, cum qua Titius contra fidem priorum sponsaliorum contraxit, moriatur: & prior sponsa in proposito suo permaneat, vtrum Titius illi obligatus adhuc sit? Affirmant Petrus Led. sma quæst. 43. a. 3. dub. 2. Coninck disput. 23. dub. 4. concl. 3. Sed contrarium est probabilius, quod docet Palud. in 4. distinct. 28. quæst. 1. art. 1. concl. 2. Henriq. lib. 11. cap. 14. num. 2. Sanchez lib. 1. de matrimon. disp. 28. Nam obligatio semel extincta ampliùs non reuiuiscit, cap. quæris, de consecr. distinct. 4. l. qui res, §. aream, ff. de solut. sponsalia autem per matrimonium cum altera contractum soluuntur, cap. si inter, de sponsal. cap. 1. de sponsa duorum, cap. vltimo 27. quæstium 2. Ratio est, quia obligatio fortior superueniens extinguit obligationem præcedentem minùs fortem, si obligationes eiusdem rationis ac ordinis sint. quod dicitur propter votum simplex religiouis ingrediendæ, quod per subsequens matrimonium non dissoluitur, sed differtur: quia est diuersæ rationis. Confirmatur ex cap. 5. de regul. in 6. vbi ita habetur, *qui post votum à se de certa religione intranda emissum, religionem aliam & laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, potest (voto non obstante priore, cui tanquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum) manere licitè in eadem. Pro voto tamen non impleto erit eidem pœnitentia imponenda.* Obligatus tamen est Titius ad compensandum damnum Caiæ, quod illi intulit violando sponsaliorum fidem. quod interdum alia ratione fieri non poterit, quàm eandem in matrimonium ducendo, vt si eam violauerat. Et ita notauit Adrianus in 4. de matrimon. q. 2. in fine, Sanchez num. 5. 22

Ad extremum quæri potest, vtrum ad dissoluenda sponsalia propter vnam ex dictis causis, Iudicis Ecclesiastici auctoritate opus sit? Respondeo cum Nauar. cap. 22. num. 28. man. Syluest. ver. sponsalia, quæst. 11. Sanchez lib. 1. disp. 69. Coninck disp. 23. n. 70. Si causa dissoluendi moraliter certa sit, non opus est Iudicis auctoritate, 23
nisi interdum ratione vitandi scandali, si sponsalia publica sint. Quamobrem in multis apud nos diœcesibus obseruatur, vt non liceat sponsis à sponsalibus publicè notis recedere, nisi causa priùs ad Ordinarium delata. Quam ipsam consuetudinem approbat S. Thom. in 4. distinct. 27. quæst. 2. art. 3. Richard. ibid. art. 3. q. 3. Palud. quæst. 1. in fine, S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 18. §. 1.

PARS ALTERA, DE MATRIMONIO SECVNDVM SE.

CAP. I.

Quid, & quotuplex Matrimonium sit.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium definitur maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens.*

Coniux potestatem, & ius reale habet in corpus coniugis; sed non propriè dominium.

2 *Triplex est matrimonium: Legitimum, ratum, & consummatum.*

3 *B. Virgo Maria verum cum Iosepho matrimonium contraxit.*

4 *Si coniuges post legitimam in Religione professionem carnaliter copulentur, sacrilegium committunt: sed non fornicationem.*

1 MATRIMONIVM à præcipuo fine, quæ est prolis generatio, nomen accepit: dictum est enim, ait Glos. institut. de patr. potestate, lit.o. *Quia mulier nubit, vt mater fiat.* Dicitur ibidem, & in cap. illud.de præsumpt. *Maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens.* Videri potest S.Th.in 4.dist.27.q.1.a.1.

Circa priorem definitionis particulam aduerte, ex doctrina S. Bonau.ead. d. 27. a. 1. q.2. Matrimonium duobus modis accipi; Primò, pro actuali contractu, in quo legitimæ personæ, consensu verbis expresso, se vicissim obligant ad vitæ societatem, ac generationis vsum. Secundò, & frequentiùs pro permanente, ac quasi perpetuo iugo viri & fœminæ. quo sensu, ait Gl. cit. idem esse matrimonium, quod coniugium. Quare sensus definitionis est, quod matrimonium sit perpetua, & indissolubilis coniunctio, seu mutua obligatio viri & fœminæ, orta ex consensu eorum verbis, aliisue signis expresso: sicut hoc ipsum significatur in Florent. Concil. Eugenij IV. decreto: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsente expressus.*

Eiusdem coniugalis obligationis, ac mutui iuris, quod coniugi in coniugem competit, ad petendum & præstandum vsum corporis ob finem generationis, meminit etiam Apostolus 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.* Cuius rationem subiungit. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Vbi notandum est cum Less.lib. 2.c.3. dub.2.num.7. hanc potestatem in corpus coniugis esse quidem ius in rem, sed non propriè dominium; ne fateri cogamur, alterum alterius mancipium seu seruum esse. Est igitur ius vtendi corpore coniugis ad opus generationis; ad eum modum, quo alicui ius vtendi alieno horto, aliena vacca ad certum finem concedi solet.

Posterior definitionis particula, *Indiuiduam vitæ* &c. ostendit, matrimonio, maiorem, quàm alijs omnibus humanis contractibus, firmitatem & indissolubilitatem competere. Nam alij omnes, etsi mutuo consensu cōstituti sint, eodem iterum dissolui possunt; matrimonium non item. Quem perpetuum, ac indissolubilem nexum partim suapte natura obtinet, ob commodum prolis generandæ, meliùsque educandæ; partim verò, & multò magis ex Dei primæua institutione, sacri & magni mysterij causa, sicuti constat ex Apost. cap. 5. ad Ephes.

Triplex est matrimonium; Legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum dicitur, quod legitimo consensu inter personas non impeditas constitutum est: quale etiam inter infideles esse solet. Ratū includit in se legitimum; addit verò rationem sacramenti, per quam maiorem firmitatem & indissolubilitatem acquirit, sicuti tradit Innoc. III. in c. quantò, de diuortijs: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum*: quia potest dissolui, ait Gl. inter fideles autem verum & ratum existit: quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur. Denique matrimonium consummatum dicitur, quod accedente reali corporis vsu, seu carnis copula, perficitur & completur. Sicuti enim emptio ac venditio licet mutuo consensu, exteriùs significato, hinc mercem, illinc pretium tradendi, essentialiter constituatur, tamen reali traditione consummatur, ac veluti integratur; ita etiam matrimonij essentia mutuo consensu constituitur, iuxta reg. 31. ff. *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Et cap. 1. & 4. 27. q. 2. *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas:* ipsâ tamen carnis copulatione completur ac veluti integratur; & quidē non tantùm in ratione contractus, sed etiam in ratione sacramenti, inter fideles, seu baptisatos; vt idcirco maiorem, ex diuina institutione, indissolubilitatem acquirat, sicuti infrà explicabo, & docent S. Thom. in 4.d.27. quæst.1.art.1.& d.28. quæst. vn. art. 4. Bellarm. lib. 2. de Monachis, cap. 38. ad 1. Sanchez lib. 2. disput. 14. resp. ad 2. 2

Obijcies I. Beatissima virgo Maria cum Iosepho verum matrimonium contraxit, sicuti colligitur ex c. 1. Matth. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Et Luc. 2. *Vt profiteretur cum desponsata sibi vxore prægnante.* Et docent Theol. in 4.d. 29. & 30. S.Th.3.p. q.29.a.2. Abb. in c. commissum, n. 2. de sponsal. Cùm autem voto virginitatis, antea astricta fuerit, teste S. Aug. lib. de virginit. c. 4. non potuit in copulam carnalem consentire: nam ijs, quæ votum continentiæ ediderunt, *non tantùm nubere, sed etiam nubere velle, damnabile est*, ait S. Augustinus c. 8. de bono viduit. & similia referuntur c. vouentibus, d. 27. Quare hinc sequi videtur, quòd essentia matrimonij non consistat in mutuo consensu verbis expresso, & hinc orta obligatione tradendi corpora ad vsum generationis. 3

Respondeo ex doctrina à Gratiano congesta in c. beata, 27. q. 2. Beatam virginem consensisse in copulam carnis, quoad potestatem siue actum primum: non autem consensisse quoad actum secundum, seu actualem vsum eius potestatis. Etenim, licet quatenus erat ex parte contractus matrimonialis, quem verè cum Iosepho inierat, obligata fuerit ad reddendum debitum carnis, si ille exigeret; ex altera tamen parte certa Dei reuelatione cognouit, Iosephum huiusce debitum nunquam exacturum esse. Ideo enim ex Angelo prolis conceptionem annunciante interrogauit, Luc. cap. 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quare castissima virgo à voti sui violatione secura, volente ac præcipiente Deo, in coniugium consensit; sed in actualem eius vsum simpliciter, ac directè non consensit. Qua de re vide Magistrum in 4. d. 30. ibid. S. Th. quæst. 2. art. 1. Scotum ibid. art. 2. Durand. quæst. 2. num. 8. Palud. quæst. 2. art. 2. Henriq. Gandauensem

uensem quodlib. 9. q. 11. Vasq. 3. p. to. 2. disp. 125. c. 2. 6. 7. 8. Suar. 3. p. to. 2. disp. 7. s. 1.

Obijcies II. Si coniuges, post consummationem matrimonij, mutuo consensu Religionem profiteantur, perseuerat matrimonium, & tamen cessat mutua obligatio tradēdi corporis ad vsum generationis. Respondeo, Vinculum istud siue obligationem permanere radicaliter, siue quoad actum primum: licet per accidens impeditum sit quoad actum secundum. Quare recte annotauit Ægid. Coninck 3. p. tom. 2. disput. 24. dub. 1. Si coniuges post votum coniungerentur, non fore copulam fornicariam, sed tantùm sacrilegam: item, si Summi Pontificis dispensatione, votis continentiæ absoluantur, sine vlla noua pactione, matrimonio vti posse.

CAP. II.

De Matrimonio quatenus est sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium in lege noua inter fideles sacramentum est, à Christo institutum.*

2 *Ipsi coniuges sunt ministri huius sacramenti, & non Sacerdos.*

3 *Materia sacramenti matrimonij sunt corpora coniugum inuicem tradenda: forma verò sunt verba contrahentium coniugum.*

4 *Matrimonium non tantùm est sacramentum cùm fit, sed etiam factum manet.*

5 *Mutus & surdus à natiuitate, si rationis compos sit, à matrimonij sacramento prohiberi non potest: fatui autem, seu amentes admittendi non sunt.*

1 ASSERTIO I. Matrimonium in lege noua inter fideles, seu baptisatos sacramentum est, à Christo institutum. Ita docent Scolastici in 4. d. 26. & definiuit Trident. sess. 24. can. 1. Dixi *in lege noua*: Etsi enim negari non possit, quin matrimonium, ex prima sui institutione, per formationem vnius viraginis Euæ, ex corpore Adami, cui à Deo desponsata erat, figura fuerit, & sacrum signū Verbi incarnati, ipsique desponsatæ Ecclesiæ vnius, sanctæ, vti colligitur ex c. gaudemus, de diuortijs; non tamen fuit signum efficax, ex opere operato sanctificantem gratiam conferens, sicuti in noua lege. Nam *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1. Lex autem vetus *nihil ad perfectum adduxit*: sed erat *introductio melioris spei*, Heb. 7. *vmbra futurorum*, Colos. 2. *egena, & infirma elementa continens*, Gal. 4.

Secundò dixi, *inter fideles*. Quod etiam annotauit S. August. lib. de fide & operibus, cap. 7. *In ciuitate Domini, in monte sancto eius, in Ecclesia nuptiarum non solùm vinculum, sed etiam sacramentum commendatur.* Similia habet de bono coniugij, c. 24. Nam qui fidem in Baptismo professi non sunt, nullius omnino sacramenti capaces esse possunt.

Ex quo vlteriùs sequitur; si baptisatus cum catechumena, ex Papæ dispensatione, matrimonium contrahat, neutra parte sacramentum fore, vti rectè docet Angles in floribus p. 1. vbi de matrimon. quæst. 12. de disparit. cultus, Henriquez lib. 11. cap. 2. in fine, contra Sotum in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. in fine. Cùm enim contractus matrimonij inter virum & vxorem vnicus sit, & sacramentum vnicum, significans vnam coniunctionem Christi cum Ecclesia: sequitur, vtramque personam sacramenti capacem esse oportere: quemadmodum & vtraque persona ad contrahendum habilis esse debet.

Probatur assertio primò ex Apostolo ad Ephes. 5. vbi de matrimonio inquit: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & in Ecclesia.* Quare paulò ante dixerat: *Viri diligite vxores, sicuti & Christus dilexit Ecclesiam; & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret.* Cùm igitur DEVS instituerit, vt per matrimonium, propter mutuam coniugum dilectionem, significaretur spiritualis vnio atque dilectio, quæ est inter Christum & Ecclesiam: conuenienter sequitur, eum etiam instituisse; vt matrimonium contrahentibus spiritualis gratia conferretur, sine qua recta ac debita animorum coniunctio consistere nequit. Quare Apostolus 1. ad Timoth. 2. de muliere loquitur: *Saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide, dilectione* erga maritum; *& sanctificatione, cum sobrietate*, seu continentia coniugali. Quando enim ait, *si permanserit*, videtur vt certum supponere, eiusmodo gratias, virtute matrimonij, diuinitus acceptas esse.

Probatur secundò: Nam Christus Matth. 5. & 19. matrimonium ad primæuam originem reuocans, vnius cum vna perpetuum, & indissolubile corporum atque animorum vinculum præcepit; esset autem hoc iugum in noua lege persistendi cum coniuge, etiam sterili, morbida &c. valde graue: nisi idem Christus Dominus gratiæ promissionem annexuisset ad onera matrimonij sustinenda, mutuum amorem fouendum, concupiscentiæ fomitem extinguendum, liberos in cultu Dei educandos &c.

Tertiò probatur ex Apostolo, qui 1. ad Corinth. 7. permittit in certo casu dissolutionem matrimonij fidelis cum infideli, vt videbimus cap. sequent. Sed fidelibus ita loquitur: *Iis qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus; vxorem à viro non discedere*, (sine iusta causa) *quod si discesserit* (ex quacunque causa) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Huius verò discriminis non alia ratio afferri potest, nisi quòd matrimonium fidelium, ratione sacramenti, maiorem ex Christi institutione firmitatem obtinet. Vide S. Thomam in 4. d. 20. quæst. 2. art. 3.

Denique probatur testimonijs antiquorum Patrum: S. Ambrosius lib. 1. de Abraham, c. 7. *Cognoscimus, veluti præsulem, custodemque coniugij esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui: Et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et ideo quia in Deum peccat, sacramenti cœlestis amittit consortium*, excidendo scilicet à gratia, quæ per hoc sacramentum specialiter datur ad fidem matrimonij seruandam. Quamobrem etiam Siricius Papa in epist. 1. ad Himerium, cap 4. dixit, coniugalis fidei violationem, *apud fideles cuiusdam sacrilegij instar esse.* Et Innocent. I. epist. 9. ad Probum ait: Illud esse coniugium verum ac legitimum, *quod gratiâ diuina fundatum est.*

S. Augustinus lib. de bono coniugij, cap. 18. *In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* Et cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quòd autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti: per quam nefas est, etiam repudio intercedente, alteri nubere, dum vir eius viuit, nec saltem ipsâ causâ pariendi. Quæ cùm sola sit, qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi morte coniugis. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiam si plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis.* Vbi vides matrimonij sacramentum cum sacramento ordinis conferri.

Et lib. 1. de nuptijs cap. 10. comparans cum sacramento Baptismi, ita scribit: *Cuius sacramenti obseruatio tanta est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius: hoc est, in Ecclesia Christi quibusq; fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cùm filiorum procreandorum causa vel*

nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Et paulo post: *Manet autem vinculum coniugale* in adulteris, aut separantibus se, *ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicuti apostata anima veluti de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lauacro generationis accepit.*

Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. c. 22. significat Christum præsentia sua benedixisse nuptijs, & gratiam illis præparasse sanctificantem: *Oportebat certè, qui totam naturam hominis ad meliùs restaurabat, non solùm natis iam hominibus benedicere: verùm etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum in hanc vitam, & auctoritate miraculi, & præsentia sua sanctum efficere. Præterea in doloribus parere filios ad mulierem propter peccatum dictum fuit: quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur, quàm Saluatoris præsentia? qui cùm sit verum gaudium, priscum nuptiarum mœrorem præsentia sui depulit: noua enim omnis creatura in Christo est, prætereriéque vetera, vt Paulus ait, & omnia facta sunt noua.*

2 Assertio II. Ipsi coniuges sunt huius sacramenti ministri. Est communis sententia apud Sotum in 4. d. 26. q. 2. a. 3. ver. Hanc autem, Viualdum de matrim. sacram. de ministro, c. 1. Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 6. Sanchez lib. 2. disp. 6. contra Melchiorem Canum lib. 8. de locis Theologicis, c. 5. vbi ait; Ministrum sacramenti oportere esse personam sacram. Probatur assertio: Minister cuiuscunque sacramenti dicitur is, qui verborum formam profert, quibus sacramentum conficitur: verba autem, quibus matrimonij sacramentum perficitur, coniuges proferunt: siue immediatè ac per seipsos: siue mediatè per procuratorem, nuntium, epistolam. Ergo ipsi coniuges sunt inter se huius sacramenti administri.

Confirmatur: Nam quòd Sacerdos non sit huius sacramenti minister ex eo manifestum est, quia ante Concilium Tridentinum ad matrimonij constitutionem Sacerdos omnino non requirebatur.

Porrò notandum hîc est, rationem sacramenti adeò esse ex Christi institutione annexam contractui matrimonij inter fideles seu baptisatos, vt ab eo separari non possit: quare quicunque ex baptisatis verè matrimonium contrahere volunt, etiam virtualiter sacramentum accipere intendunt. Contrà verò, si nollent absolutè loquendo sacramentum recipere, consequens esset, vt neque matrimonium contrahere intenderent: ideóque contractus irritus esset, vti Sanchez notauit lib. 2. disp. 10. n. 6. Dico *si absolutè nollent*, propter hæreticos, qui nolunt suscipere sacramentum, ex hypothesi erroris speculatiui, quia falsò existimant non esse sacramentum: interim tamen volentes matrimonium contrahere sicuti fideles solent, & in Ecclesia Christi consuetum est.

Assertio III. Circa materiam & formam huius sacramenti, cùm sint variæ Doctorum sententiæ, expeditissima mihi videtur Palud. in 4. d. 26. q. 4. a. 3. ad 2. Adrian. in 4. de matrim. q. 1. S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 2. Per. Soto
3 lect. 4. de matrim. Couar. in epit. p. 2. c. 1. §. vn. n. 8. Materiam huius sacramenti esse coniugum corpora mutuo tradenda: Formam verò esse verba coniugum contrahentium. Probatur primò: Cuiusque contractus materia dicitur ea res, quæ in commutationem venit, siue de qua contractus instituitur; v.g. merx & precium materia venditionis: atqui matrimonij contractus est de corporibus viri ac fœminæ inter se tradendis: ergo hæc sunt materia contractus matrimonij. Secundò: Negari non potest, quin coniuges mutua vnione copulati sint externum sacrum symbolum spiritualis perpetuæ coniunctionis inter Christum & Ecclesiam: Ergo sunt pars sacramenti, & quidem materialis, siue subiecta. Verba autem, quibus hæc ipsa maris ac fœminæ voluntaria coniunctio expressè significatur, sunt pars sacramenti formalis.

Obijcies I. Coniugum corpora sunt materia circa quam sacramenti matrimonij: Ergo non sunt materia, ex qua sacramentum componitur. Confirmatur: Absurdum est dicere, quòd materia sit pars alicuius contractus, v.g. merx sit pars emptionis. Ergo neque corpora sunt pars matrimonij. Resp. Concesso antecedente, negandam esse conseq. Siquidem corpora coniugum, superueniente ipsis verborum conuentione, mox esse incipiunt, atque permanent sacrum materiale symbolum. Exemplum simile habes in artefactis: Nam lignum, quod est materia circa quam artis fabrilis, inductâ formâ, mox incipit esse, ac permanet materia ex qua.

Pro cuius rei pleniore intellectu, notandum est ex Bellarmino lib. 1. de matrimon. c. 6. Sanchez lib. 2. disp. 5. num. 7. Rebello p. 1. lib. 2. de matrimon. quæst. 4. Quòd matrimonium non tantùm sit sacramentum, cùm sit, sicut Baptismus, Confirmatio, &c. quæ consistunt in actione successiua, & transeunte: sed etiam factum permanet, quemadmodum sacramentum S. Eucharistiæ. Nam sicut peracta verborum consecratione circa materiam panis, ipsæ species manent externum sacrum symbolum internæ spiritualis refectionis, ideóque pars sacramenti materialis: sic etiam peracta verborum conuentione circa corpora coniugum, ipsi coniuges inter se in perpetuum copulati, manent externum spirituale symbolum perpetuæ coniunctionis Christi cum Ecclesia. 4

Quapropter, sicuti sacramento Eucharistiæ, quatenus est in fieri, non solemus assignare materiam compositionis, sed quatenus est in facto esse, dicimus materiam eius esse species, quæ virtute consecrationis, tanquam formę sacramenti, permanent, & Christum in se continent, sicuti explicauit Gregorius Valent. tom. 4. disp. 6. quæst. 6. p. 1. §. neque verò ideo. Ita etiam opus non est sacramento matrimonij, quatenus est in fieri, assignare materiam compositionis: sed solùm, quatenus est in facto esse: dicimus eius materiam esse corpora coniugum: siquidem ea ex vi mutuæ verborum conuentionis, existunt sacrum symbolum coniunctionis Christi cum Ecclesia.

Ex quo patet responsio ad confirmationem obiectionis: Non enim dicimus, corpora coniugum esse partem contractus matrimonij: sed esse partem sacramenti, non quatenus est in fieri, sed quatenus est in facto esse.

Obijcies II. Materia sacramenti debet esse distincta tum à suscipiente, tum à ministrante: sed personæ contrahentes suscipiunt matrimonij sacramentum, & inter se ministrant. Ergo materia matrimonij non sunt personę contrahentes. Respondeo ex doctrina Petri Soti cit. lect. 4. Sicuti in alijs saltem plerisque sacramentis Minister re ipsa distingui debet à suscipientibus; in matrimonio re ipsa non distinguitur, vt ex secunda assert. constat: ita fieri etiā potest, vt licet in alijs sacramentis materia distinguatur à suscipiente & ministrante; in matrimonio verò non omnino distinguatur. Dico igitur, Cōiuges esse ministros sacramenti, quatenus verbis expressis inter se dant corporum potestatem; suscipientes verò, quatenus corporum potestatem inter se accipiunt; materiam denique esse eorundem coniugum corpora inter se tradenda. Cùm enim sacramentum matrimonij in contractu naturali fundatum sit, mirum non est multa peculiaria habere, quæ in alijs sacramentis simili modo non reperiuntur.

Porrò multi Doctores matrimonio, quatenus est in fieri, materiam & formam assignare conantur, ex quibus ratio sacramenti moraliter componi censeatur. Eorúmque aliqui, vt Nauarrus cap. 22. num. 20. Valentia disp. 10. quæst. 1. p. 6. aiunt, materiam esse contrahentium consensum; formam verò esse verba, quibus consensus exprimitur. Cui tamen sententiæ obstat, quòd in sacramentis materia, vel saltem pars materiæ per se sensibilis esse debet: mutuus autem consensus per se nullo modo sensibilis est. Alij, inter quos Vict. de matrimon.

num.

num.247. Henriquez lib.11. cap. 2. numero 5. Philiar. t. 1. p. 2. lib. 2. cap. 2. aiunt, verba, quæ à priore contrahentium proferuntur, esse materiam; quæ autem à posteriore, esse formam. Sed obstat, quòd materia sacramenti casualis esset, atque mutabilis: imò etiam fieri posset, vt si contrahentes simul consensum suum exprimant, nulla rectè designaretur materia, & forma. Alij denique, vt Sotus in 4. d. 26. quæst. 2. art. 3. Bellarminus citat. c. 6. Rodriquez tom. 1. summæ, cap. 216. concl. 3. Sanchez lib. 2. disput. 6. Coninck disput. 24. dub. 3. Suarez 3. p. tom. 3. disput. 2. s. 1. assert. 3. dicunt; verba contrahentium esse sibi mutuò materiam & formam: quà enim matrimonij contractum inchoant, offerunt, materiæ rationem obtinent: quà verò eundem acceptant, perficiunt, complent, formæ rationem habent. Quorum sententia mihi non displicet: quamuis putem, necessarium non esse sacramento matrimonij, dum est in fieri, assignari materiam ex qua, seu compositionis, si tamen assignare velimus iste vltimus modus prioribus præferendus est.

Ex dictis colligitur primò; Mutum & surdum, etiam à natiuitate, prohiberi non posse à matrimonio, si rationis compos sit, vt intelligat quid agat, sicuti habetur in c. cùm apud, de sponsal. vbi ratio adiungitur: Quia *quod verbis non potest, signis declarare valet*. Rectè tamen monet Sanchez lib. 1. disput. 8. diffic. 2. si simul etiam cæcus sit, matrimonium contrahere non posse, nisi antequam cæcus factus fuit, nouerit, quid esset matrimonium.

Secundò colligitur; Fatuos seu amentes, qui non intelligunt quid agant, & consequenter libero consensu carent, non esse habiles ad contrahendum matrimonium: nisi lucida interualla rationis habeant. Quamuis etiam tunc à matrimonio contrahendo arcendi erunt, si periculum sit, ne furoris tempore prolem conceptam, vel natam enecent, de quo videri potest Sanchez lib. 1. disp. 8. diffic. 3.

CAP. III.

De Matrimonio infidelium, quorum vnus, vel vterque ad fidem conuertitur.

SVMMARIVM.

1 *Hodie in Ecclesia non permittitur cohabitatio coniugis ad Fidem conuersi cum altero coniuge, persistente in infidelitate.*

2 *Non ideò statim matrimonij vinculum soluitur, quòd vnus ad Fidem Christi conuertitur, & alter conuerti, aut sine contumelia Creatoris cohabitare recusat.*

3 *Si infidelis sponte recedat, vel sine iniuria & contumelia Creatoris cohabitare non vult; alter ad Fidem conuersus alias nuptias contrahere iure suo potest, quibus prius matrimonium penitus dissoluitur.*

4 *Si infidelis cum fideli coniuge cohabitare cupiat sine Fidei contumelia, quamuis Ecclesia non permittat: hoc casu prius Sedes Apostolica consulenda erit, quam fideli permittatur transitus ad aliud matrimonium.*

5 *Si alter coniugum in apostasiam labatur, neque nocenti, neque innocenti vnquam licitum est aliud matrimonium contrahere.*

6 *Si ambo coniuges infideles Fidem Christi & Baptismum suscipiant, eorum matrimonium efficitur ratum & indissolubile.*

De eo loquitur Apostolus 1. Corinth. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam: Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Et infrà, *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.*

Assertio I. Licet in primitiua Ecclesia ob Fidem propagandam consultius visum sit Apostolo, vt coniunx ad Fidem conuersus cohabitet cum coniuge infideli, si is sine Creatoris contumelia, & inductione ad peccatum cohabitare velit: postea tamen crescente Fide, & numero fidelium, visum fuit Ecclesiæ, ad cauenda peruersionis pericula, aliáque incommoda, vniuersim prohibere cohabitationem coniugis fidelis cum infideli: si is ad Fidem pariter se conuertere recuset, vti constat ex cap. Iudæi, cap. sæpe, 28. quæst. 1. Quare testantur Doctores (vt videre est apud Rebellum lib. 3. de matrimon. quæst. 10. s. 1.) cùm Romæ Iudæus, vel Iudæa ad Fidem Christianam conuertitur, quadraginta dies assignari eius coniugi ad deliberandum: ijs elapsis, si conuersionem respuat, etsi absque Fidei iniuria cohabitare vellet, separationem institui, quoad torum & cohabitationem. 1

Assertio II. Instituto diuortio, quoad torum & cohabitationem, eo quòd alter coniunx ad Fidem se pariter conuertere, & fortasse etiam sine Fidei contumelia cohabitare recuset: non ideo statim soluitur matrimonium quoad vinculum. Hæc est communis Doctorum sententia, vt videre est apud Rebel. l. Sotum in 4. d. 39. quæst. vn. a. 4. Nauarrum lib. 3. consil. 1. de conuers. infidelium, edit. 2. Valentiam tom. 4. disput. 10. quæst. 1. p. 7. Henriquez lib. 11. cap. 8. numero 4. Sanchez lib. 7. disput. 75. numero 4. Probatur ex cap. gaudemus, de diuortijs, vbi definitur, Si marito ad Fidem conuerso, postea etiam vxor conuertatur, cogendum esse virum, qui ad alias nuptias non transferat, recipere vxorem suam: non posset autem cogi, si matrimonij vinculum antè solutum fuisset. 2

Corrollarium I. Si vxor v. g. infidelis, marito ad Fidem conuerso, alias nuptias celebrauit; ille autem postea ad infidelitatem reuertatur; restituenda est ipsi vxor sua, si aliam post Baptismum non duxit. Quia alterum matrimonium, nondum soluto priore, ab vxore inualidè contractum est: propterea quòd facultas soluendi matrimonium per transitum ad alias nuptias, à Christo concessa sit in gratiam coniugis fidelis; non etiam infidelis, vti refertur in cap. vlt. 28. quæst. 2. & docet Richardus in 4. d. 39. art. 2. quæst. 3. ad 2. Nauarrus lib. 3. consil. 3. de conuers. infidelium, edit. 2. Sanchez cit. disput. 75. numero 6. Quamuis hoc casu dispensatio fieri potest: cùm matrimonium in infidelitate contractum perfectam sacramenti rationem non participet, vti Nau. ibid. notauit.

Corrollarium II. Si vxor infidelis, à marito ad Fidem conuerso separata, cum alio fornicetur; postea ipsa quoque conuertatur; tametsi hoc casu vir eam repellere non prohibeatur, propter violatam coniugij fidem, iuxta c. gaudemus, de diuortijs, tamen neuter ad alias nuptias transire potest, vti docet Abulensis lib. 1. Regum, c. 8. quæst. 55.

Corrollarium III. Si vxor infidelis, post conuersionem mariti, ad alias nuptias transeat, ipso in fide persistente, & ad alias nuptias non transeunte: accidat verò postea, vt & ipsa mulier ad Fidem conuertatur, debet illa, deserto posteriore marito, adhærere priori: nisi Papa ipsis volentibus dispenset, quod facere potest: cùm eorum matrimonium, quamuis olim consummatum in infidelitate, non tamen fuerit ratum & indissolubile, sicuti resoluit Nauarrus lib. 3. consilio 3. de conuers. coniugat. edit. 2.

Assertio III. Si coniuge vno ad Fidem conuerso, alter sponte recedat, vel nolit cohabitare sine Fidei contumelia, peruersionis periculo &c. permissum est coniugi fideli aliud matrimonium contrahere cum fideli, per quod prius penitus dissoluatur. Ita habetur in cap. quantò, de diuortijs, vbi Innocentius III. respondit, *Si alter infidelium coniugum ad Fidem Catholicam conuertatur,* 3

altero vel nullo modo, vel nō sine blasphemia diuini nominis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat: &c. Et canonem in quo dicitur; Contumelia Creatoris soluit ius matrimonij, circa eum qui relinquitur. Quæ verba sumpta sunt ex auctore Comment. apud Ambrosium in epist. 1. cap. 7. ad Corinth. relato in cap. vlt. 28. quæst. 2. videri potest S. Thomas in 4. distinct. 39. quæst. vn. art. 5.

4 Assertio IV. Cùm hodierno die prohibitum sit cohabitare fidelem cum coniuge infideli, propter periculum peruersionis; ideo probabile est, coniugem ex infidelitate ad Catholicam Fidem conuersum, posse transire ad alias nuptias; quamuis alter coniunx in infidelitate persistens pacificè, & sine iniuria cohabitare vellet. Ita docet Sotus in 4. d. 39. quæst. vn. a. 4. Veracrux p. 2. speculi, a. 29. prope finem, Henriquez lib. 11. cap. 8. num. 4. Sa ver. matrimonium, de impedimentis matrimonij, num. 8. Sanchez lib. 7. disput. 74. num. 9. Rodriq. t. 1. sum. c. 230. in fine, contra Gratianum super cit. cap. vlt. 28. q. 1. S. Bonau. in 4. d. 39. art. 2. q. 1. S. Thom. ibid. quæst. vn. a. 5. Richar. a. 2. q. 2. Nauar. c. 22. num. 49. Valent. to. 4. disp. 10. quæst. 1. p. 7. Tolet. lib. 7. cap. 7. Nam ratio, cur Apostolus, tanquam Christi interpres, in Fidei fauorem, coniugi conuersæ permittat aliud matrimonium contrahere, si alter coniunx infidelis sine iniuria cohabitare nolit, hæc ab ipsomet Apostolo redditur: ne coniunx fidelis seruituti subiectus sit, si à coniugio non sine incontinentiæ periculo abstinere debeat: hæc autem ratio recentiore iure Ecclesiastico omnem cohabitationem fidelis cum infideli prohibente, locum etiam habet, quotiescunque coniunx infidelis post conuenientem admonitionem ad Fidem se conuertere recusat. Quanquam ob auctoritatem DD. contrariæ sententiæ, longè tutius erit in hoc casu Summum Pontificem consulere, atque dispensationem petere: idque etiam in praxi obseruari, testatur Veracrux cit. loco.

5 Assertio V. Inito matrimonio inter coniuges fideles, licet eorum alter postea in apostasiam labatur, ideóque separandi sint; nullo tamen casu permissum est innocenti, ac fideli aliud matrimonium contrahere. Ita definitur in cit. c. quantò: & ratio affertur: Quia matrimonium inter fideles est ratum, ac indissolubile, propter rationem sacramenti.

6 His duo addenda sunt: I. Si coniuges infideles ad Fidem conuertantur ac baptisentur, eorum matrimonium, quod ante ratum omnino non erat, efficitur ratum, & omnimodè insolubile, ac proinde sacramentum. Quæ est communior Doctorum sententia, Capreoli in 4. d. 26. quæst. vn. a. 3. ad 5. Ioan. Eckij hom. 73. de sacram. Bellarm. lib. 1. de matrimon. cap. 5. Henriq. lib. 11. cap. 8 n. 1. in fine, Sanch. lib. 2. disp. 9. quibus contradicit Coninck disp. 24. dub. 2. concl. 7. & alij apud Petrum de Ledesma de matrim. q. 59. a. 2. dub. 3. Ratio est: Quia hoc ipso, quòd post Baptismum consentiunt inter se cohabitare, eúmque consensum signo quocunque declarant, cōtractum antecedentem matrimonij confirmant & ratificant; ipsique modò incipiunt esse sacrum symbolum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Neque tamen assentior Thomæ Sanchez dicenti, *eo ipso quòd baptisantur, consentire eos in matrimonium, vt sit insolubile, signétque Ecclesiæ cum Christo vnionem.* Hoc enim vniuersim verum non est: quia potest coniunx baptisari cum proposito discedendi à couiuge suo fideli per dispensationem Summi Pontificis.

II. Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento v.g. consanguinitatis, aut affinitatis, iure tantùm Ecclesiastico dirimente, verū ac ratum censeri debet post eorum ad Fidem conuersiouem: quia in infidelitate contrahentes canonicis constitutionibus non obstringebantur, citat. cap. gaudemus, de diuortijs, secùs verò est, si impedimentum matrimonij ex iure naturali fuit, v.g. Si pater filiam, vel frater sororem duxerat.

CAP. IV.

De Matrimonio clandestino.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium clandestinum olim seuerè prohibitum, tamen validum erat: nunc autem ipso iure irritum est.*
2 *Ecclesia potest formam contractus matrimonij præscribere: qua non seruata, irritum sit.*
3 *Parochus, aliúsue Ordinarius matrimonio assistens debet esse proprius vel vtriusque, vel saltem alterius sponsorum. Et potest etiam extra parochiam validè assistere.*
4 *Parochus matrimonio assistere potest, etsi sacerdos non sit: sed alteri quàm sacerdoti assistenti facultatem committere nequit.*
5 *Parochus matrimonio validè assistit, licet excommunicatus non toleratus sit, modò titulum, ac possessionem parochiæ retineat.*
6 *Præsentia testium debet esse moralis, vt intelligant quod agitur. Sed necesse non est ad matrimonij contractum, vt habeant qualitates quæ in alijs causis ciuilibus aut criminalibus requiruntur.*
7 *Decretum Concilij Tridentini requirentis parochi, ac testium præsentiam, non obligat in locis, vbi ea constitutio nunquam promulgata, aut recepta est.*
8 *Sacerdos Catholicus non prohibetur assistere matrimonijs hæreticorum, quos in sua parochia habet.*
9 *Ante matrimonium trina denuntiationes publicæ fieri debent: quæ tamen ad substantiam contractus haud pertinent, quasi ijs intermissis irritus existat.*
10 *Denuntiationes in vtriusque sponsæ parochia fieri deberent: quamuis id non vbique obseruatur.*
11 *Denuntiationes ob iustam causam interdum remitti debent; vel vna sola pro trina fieri.*
12 *Nulla culpa est, per se loquendo, matrimonium ante benedictionem consummare.*
13 *Primæ nuptiæ, secundùm antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, benedici debent.*
14 *Clandestina sponsalia omni iure valida, & obligatoria sunt: & Parochi præsentia nequaquam requiritur.*
15 *Si sponsi in solemni sponsaliorum contractu vtantur verbis de præsente, non debet idcirco matrimonium ratum censeri.*
16 *Ob intermissas matrimonij denuntiationes canonicæ pœnæ incurruntur.*

CLANDESTINVM matrimonium dicitur, quod sine Parocho, aliisque testibus, omissis etiam publicationibus, celebratur. Illud iure antiquo validum quidem, sed seuerè prohibitum erat; propter multa damna, & peccata, quæ plerumque ex eo, Veneris potiùs, quàm Dei causa contrahi solito, (vti ait Syn. Colon. p. 7. cap. 43.) oriebantur, & videri potest epist. 1. Euaristi Papæ, Tertullianus in libro de pudicitia, cap. 4. vbi improbat *occultas sponsorum coniunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professas.* Et lib. de monogam. cap. 11. ait, quòd *Presbyteri, & Diaconi coniungunt sponsos in Ecclesia.* Et lib. 2. ad vxorem in fine: *Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quòd Ecclesia conciliat, & confirmat obligatio*, videlicet Missæ sacrificium, *& obsignatum Angeli* (id est, Sacerdotes) *renuntiant.* Plura apud Gratianum c. 1. 3. & tota causa 30. q. 5. 1

Spectato tamen ipso iure naturali, & diuino, per se illicitum non est clandestinum matrimonium; sed solùm per accidens propter scandala, occasiones peccandi, quæ tamen interdum abesse & vitari possunt, vti notauit Caietan. t. 1. opusc. tract. 12. de matrim. q. 2. Sotus in 4. d. 28. q. 1. a. 2. concl. 1. Quare etiam S. Thom. in 4. d. 28. q. vn. a. 3.

a.3.ad.3.non dixit, matrimonium clandestinum secundùm se malum esse; sed speciem mali habere vt rectissimè ab Ecclesia prohibitum sit. Infideles autem clam contrahentes, cùm Ecclesiasticis legibus non astringantur, de peccato damnari non possunt, per se loquendo, sicuti notauit Petrus Ledesma de matrim. quæst. 45. art. 5. Coninck disp. 27. dub. 1. n. 5. contra Sanchez lib. 3. disp. 3. num. 8. & 9.

Iure autem nouo Concilij Tridentini sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. ita decretum est: *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Circa quam Constitutionem notandum est primò: Cùm quæuis Respublica, ob iustam, & publicam
2 causam, certum personarum genus, v.g. pupillos, prodigos ad contrahendum inhabiles reddere, & contractus aliquos, vel vltimas voluntates certa solemnitate destitutas ipso iure infirmare possit, sequitur, quòd etiam Respubl. Ecclesiastica, quæ matrimonij contractum, propter annexam rationem sacramenti, suæ iuridictionis reseruauit, propter publicam animarum vtilitatem potuerit eos, qui clam & sine præscripta solemnitate matrimonium contrahere attentant, ad ita contrahendum inhabiles reddere: siue quòd eodem recidit, eiusmodi clandestinum matrimonium prorsus infirmare.

Quare nullius momenti est obiectio hæc: Ecclesia non potest mutare, aut infirmare sacramenta: neque materiam, vel formam sacramentorum, quippe quæ à Christo instituta sunt: quare cùm semper ab initio Ecclesiæ matrimonium clandestinum pro sacramento habitum sit, non potuit Trident. Concil. efficere, vt sacramentũ non esset. Resp. ex doctrina Durandi in 4. dist. 29. q. 2. n. 7. & 8. Palud. d. 26. q. 4. a. 3. ad 4. Adriani de sacram. matrim. quæst. 1. §. Ad rationes: Ecclesia non potest sacramenta, eorúmue substantialem materiam, aut formam à Christo instituta mutare, aut infirmare, *per se ac directè*, concedo; *indirectè, & per accidens* nego. Per se, ac directè Ecclesia mutaret rationem, & institutionem sacramenti, si efficere posset, vt materia v.g. quæ antè legitima erat, postea, sine sui mutatione, illegitima & insufficiens esset. quod Ecclesia efficere nequit. Indirectè autem, & per accidens mutat, vel potiùs impedit sacramentum, si immutet, vel destruat ipsam materiam, in qua sacramentum fundatur. Quemadmodum si quis vinum physicè corrumpat, v. g. multam aquam, vel acetum infundendo, vt iam non sit materia sacræ Eucharistiæ: ita etiam Ecclesia mutauit, & infirmauit contractum naturalem matrimonij clandestini, & consequenter rationem sacramenti abstulit; quippe quod ex Christi institutione, in legitima viri ac fœminæ coniunctione, seu contractu fundatur.

3 Notandum est secundo: Parochus matrimonio assistens debet esse proprius vel vtriusque, vel saltem alterius sponsorum. Qua de re videri potest Sanchez lib. 3. de matrimon. disput. 19. iuncta disput. 25. numero 14. vbi docet, si vnus sponsorum vagus sit, posse eius matrimonio quemcunque Parochum interesse: quia vagorum quisque Parochus censetur esse proprius, in loco vbi ille pro tempore existit.

Quod verum est, si loquamur de matrimonij valore. At verò licitè non potest Parochus quilibet vagorum matrimonijs assistere, nisi priùs ab Ordinario licentiam obtinuerit, ob Trid. Constit. sess. 24. cap. 6. vbi *Parochis præcipit, ne vagorum matrimonijs intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerit, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.*

Id porrò in dubium reuocatur: Necessène sit matrimonio interesse Parochum eius parochiæ, in qua nuptiæ celebrantur; An verò valiturum etiam sit matrimonium, si cum ciue v.g. Augustana ciuis Monachiensis, præsente Parocho Monachiensi matrimonium contrahat, Augustæ, vel Ratisbonæ? Negat Nauar. cap. 25. in fine, & clariùs lib. 4. consil. 4. & consil. 14. de clandest. desponsat. edit. 2. Sed rectiùs affirmat Henriq. lib. 11. cap. 3. numero 2. Rodriq. tom. 1. cap. 219. conclus. Sanchez citat. disput. 19. numero 11. Nam lex correctoria strictæ interpretationis esse debet: Tridentina autem constitutio correctoria est iuris antiqui: Ergo non extendenda, sed potiùs strictè interpretanda est, salua proprietate verborum, quæ hîc seruatur: quandoquidem Concilium tantùm requirit proprij Parochi præsentiam, quæ in hoc casu etiam extra eius parochiam benè consistit, cùm non agatur de exercenda iurisdictione contentiosa. Peccat tamen Parochus, si aliena parochia sponsis suis solemniter ac publicè assistat.

His adde primò: Parochum matrimonio assistere 4
posse, tametsi Sacerdos non sit, licet alteri, quàm Sacerdoti, assistendi licentiam dare nequeat. Ita Nauar. lib. 4. consil. 6. & 9. de clandest. desponsat. edit. 2. Henriquez lib. 11. c. 3. num. 5. Petrus Ledesma quæst. 45. de matrim. a. 5. pun. 3. §. tertium dubium est. Sanchez lib. 3. disput. 20. num. 3. & 10. Probatur ex verbis Concilij; *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi licentia &c.* Sensus est: quod matrimonium contrahi debeat coram Parocho, vel alio quodam licentiam à Parocho, vel Ordinario habente, dummodo is Sacerdos sit. Accedit, quòd tametsi *τὸ alius* eiusdem qualitatis personam hîc referret; dici tamen posset, ideò Cõcilium ita locutũ fuisse, quia communiter Parochi Sacerdotes esse solent: quemadmodum etiam in c. omnis, de pœnit. & remiss. requiritur licentia Sacerdotis proprij, vt aliquis alteri Sacerdoti confiteri possit: & tamen DD. communiter aiunt, talem licentiam à quocunque Parocho, vel proprio Pastore, etsi Sacerdos non sit, dari posse, vti notauit Sanchez citat. disput. 20. num. 3. Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 3. & in simili Suarez p. 3. t. 3. disput. 72. f. 2. col. 3.

Adde secundò: Validum esse matrimonium, etsi
Parochus assistens sit administratione interdictus, suspensus, vel excommunicatus, non toleratus: modò non sit actualiter depositus, sed titulum ac possessionem beneficij retineat. Ita docent Petrus Ledesma citat. quæst. 45. a. 5. pun. 3. dub. 3. ver. vltimò sequitur. Henriquez lib. 11. cap. 3. n. 4. & 5. Rodriquez tom. 1. c. 219. concl. 10. Sanchez lib. 3. disp. 21. num. 4. Coninck disput. 27. dub. 7. concl. 7. Ratio est: Quia assistere matrimonio non est actus iuridictionis, vel administrationis; cùm etiam ab inuito, seu coacto validè præstari possit: sed est actus testimonij, ex iuris dispositione ad matrimonij substantiam requisitus. Accedit, quòd verba correctoria Concilij Tridentini strictè interpretanda sunt, retenta verborum proprietate, *Qui aliter, quàm præsente Parocho* &c. Quamdiu igitur verus Parochus manet, assistere, & matrimonio auctoritatem præbere, saltem validè, poterit. 5

Credo tamen, quòd excommunicatus, aut suspensus, si toleratus non est, alteri Sacerdoti licentiam assistendi nec licitè, nec validè committat. Quæ est sententia Ledesmæ loco cit. dub. 4. Coninck conclus. 8. contra Henriq. 11. c. 3. n. 5. in comment. lit. q. Sanchez cit. disp. 21. num. 7. Quia dare alteri licentiam, qua is alioquin non qualificatus, idoneus reddatur ad actus legitimum valorem, videtur esse exercitium iuridictioni, sicuti notauit Nauar. consil. 14. de clandest. desponsat. n. 6. ad 3 edit. 2. vbi ait, dare licentiam assistẽdi matrimonio esse actum iuridictionis volũtariæ. Cõtrà verò, si ipse Parochus excõmunicatus non sit, potest substituere alium Sacerdotem excommunicatum, quamuis non toleratum, saltem validè: quin & licitè in casu necessitatis, si Parochus v.g.

tempore pestis assistere non possit, neque alium Sacerdotem substituere, quàm notorium Clerici percussorem, sicut notat Chapeauille c.6.q.3.

Adde tertiò: Præter Parochum, etiam proprium Episcopum, vel alium Episcopali iurisdictione præditum, eiusque in spiritualibus Vicarium generalem; item Legatum Sedis Apostolicæ in prouincia, ad quam destinatus est, ac denique in omniũ fidelium matrimonijs Sum. Pontificem assistere, vel assistendi licentiam dare posse: siquidem hi omnes nomine ordinarij Pastoris veniunt. Quibus addi debet Capitulum vacante Sede: cùm succedat in iurisdictionem Episcopi, vti colligitur ex c. cùm olim, de maiorit. & obed. & dixi lib.1. tract.4. cap.7. numero 12.

6 Notandum est tertiò, Præsentia testium, vti & ipsius Parochi, debet esse moralis; vt intelligant quod agitur; ideóque testificari possint, matrimonium vtriusque consensu celebratum esse, argument. l.209. ff. de verb. signif. *Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur præsente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit; vel dormiens, non videtur coram eo fecisse.* Idémque sentiendum de illo, qui præsens corpore est, sed animo nihil omnino aduertens, sicuti docet Sanchez lib.3. disput.39. num. 5. Non tamẽ requiritur primò, vt Parochus aliique testes ad id vocati seu rogati sint, sed sufficit, si casu interueniãt matrimonij contractui, argument. l.11. ff. de testibus: *Ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.* Et citat. loco 209. *Scire autem testis; non etiam velle debet: nam & inuito eo rectè fit, quod iussum est.* Et ita ex communi Nauarrus consil. 11. de clandestina desponsat. edit. 2.

Esset tamen graue peccatum, Parochum, quippe qui personam Ecclesiæ repræsentat, vi adigere, aut dolo inducere, vt matrimonio intersit: excepto raro casu necessitatis, si is sine iusta causa renuat, & ad Superiorem recursus non sit, tunc astu aliquo, sine mendacio, induci posset, vti notauit Coninck disput.27. dub.4. in fine.

Secundò necesse non est, testes habere eas qualitates, quæ in causis tũ ciuilibus, tũ criminalibus iure ordinario requiruntur: & nihil interest, si sint impuberes, fœminæ, infames, excommunicati, infideles, parentes, liberi, serui &c. sicuti docet Henriq. cit. cap.3. num. 9. Rodriq. cit. cap.219. concl.18. Petr. Ledes. cit. q.45. a.5. p.3. post dub. 4. Veracrux in appendice speculi, dub. 7. Sanchez lib.3. disput.41. numero 5. Coninck disput.27. dub. 4. conclus. 2. Nam Trident. constitutio veteris iuris correctoria extendi non debet, præsertim cùm procedat contra valorem matrimonij, cuius causa fauorabilis est, c. vlt. de sentent. & re iudicata: Sicuti eadem ratione in Fidei fauorem eiusmodi testes admitti solent, c. in Fidei, de hæret. in 6.

Accedit primò, quòd testes alioquin inhabiles, seu exceptione remobiles, validè tamen adhibeantur vt instrumentarij, ad rei gestæ probationem, ex partium consensu, sicuti notat Glos. in Auth. de testib. §. neque igitur, ver. & supplicijs, Sanchez loco c. Coninck. num.4. Quin etiam ad actus iudiciales validè adhibentur, si à Iudice, vel parte aduersa non repellantur, sicuti colligitur ex c. 1. de except. in 6.

Accedit secundò: Quòd auctoritas Parochi suppleat aliorum testium defectum, arg. c. cùm esses, de testament. Præsertim si Parochus testium nomina, diémque, ac locum contracti matrimonij in libro descripsit, sicuti ei iubetur in Tridentin. decreto de reformat. matrimonij c.1. sessione 24.

Atque hæ rationes etiam ostendunt, si de matrimonij valore postea lis in iudicio oriatur, ordinariè sufficere tales testes ad fidem rei gestæ faciendam, sicuti notauit Sanchez citat. disput. 41. numero 6. licet aliter sentire videatur Couarr. in epit. p. 2. cap. 8. §. 12. numero 17.

Quartò notandum; Decretum Concil. Trident. requirentis ad matrimonij valorem proprij Parochi, ac testiũ præsentiã, non se extẽdere ad ea loca, seu Catholicorũ, seu hæreticorũ, in quibus nunquam promulgatũ, nedũ receptum fuit, sicuti apertè colligitur ex sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. vbi dicitur, vt decretum in vna quaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat à die prima publicationis. Quare Catholici validè matrimonium contrahunt v.g. in Saxonia coram Prædicante. Sed etsi in aliqua ciuitate decretum promulgatum fuerit, modò tamen expulsis Catholicis Sacerdotibus, non adsint proprij Pastores; validè, sicut priùs, coram Prædicante, vel sine Prædicante matrimonia contrahi potuerunt. Cùm enim his locis tali rerum statu, decretum Trident. seruari non possit, non est existimandum, libertatem matrimonij validè contrahendi impeditam esse, sicuti Cardinalis Bellarminus respondet apud Chapeauille c.6.q.15. 7

Denique licet in ciuitatibus Germaniæ, quibus Lutherani cum Catholicis permixti viuunt, v.g. Augustani ciues re vera in spiritualibus subsint Episcopo suo, imò etiã Parocho Augustano: tamen existimandum haud est, Summ. Pontificum voluntatem esse, vt Trident. decretum se extendat ad matrimonia illorum, sine legitimo Pastore celebrata: ne multa incommoda oriantur, si eorum filij legitimè nati non sint, neque capaces officiorum, dignitatum, sacrorum ordinum.

Illud hîc quæri potest: Vtrum Sacerdos Catholicus assistere possit matrimonijs hæreticorum, quos in sua Parochia habet, qui casus in Germania frequens est. Respondeo: Non apparere rationem, cur assistere prohibeatur. Non enim propter vitandam communicationem: quia hæretici post Concilium Constantiense nec in sacris, nec politicis negotijs vitandi sunt, nisi denuntientur, sicuti constat ex dictis lib.1. tract.2. p.2. c.4. Neq; propter reuerentiã sacramenti, quod hæretici indignè suscipiunt: quia Parochus, seu Sacerdos assistens matrimonio non est minister eius, sed tantùm testis. Neque id infrequens est, vt Sacerdos assistat matrimonio aliquorum, qui notoriè peccatores sunt: quando non patiuntur sibi persuaderi, vt ad sacramentum dignè suscipiendum se disponant. 8

Eodem cap. 1. de reform. matrimonij, sancta synodus *præcipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denuntiationibus factis si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur: vbi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat; Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vel alijs vtatur verbis, iuxta consuetum vniuscuiusque Prouinciæ ritum.* 9

Circa quæ verba notandum est primò: Licet Concilium Tridentinum inhærendo vestigijs Concilij Lateranensis sub Innocent. III. quod refertur in cap. vltimo, de clandest. desponsat. præceperit, fieri trinas denuntiationes, quæ proinde absque crimine mortali omitti non posse videntur; cùm materia præcepti grauis sit: nullo tamen verbo significatur, denuntiationes illas ad matrimonij substantiam pertinere, ita vt si omittantur, irritum matrimonium censeri debeat, sicuti ex communi notauit Sanch. lib.3. disp.5. n.3.

Notandum secundò; Etsi valde probabile sit, Concilij Lateranensis in citat. cap. vltimo de clandest. desponsat. & Concil. Tridentini in citat. cap.1. de reform. matrimonij intentionem fuisse, quòd denuntiationes ab vtriusque contrahentium Parochis fieri debeant, si illi ad diuersas parochias spectent, vt impedimenta, si quæ fortè subsint, ex vtraque parte detegi possint, sicuti 10

cuti docet Henriquez lib. 11. cap. 7. numer. 1. Rodriquez cap. 217. concl. 6. Sanchez lib. 3. disput. 6. num. 4. Coninck dub. 5. conclus. 2. contra Anton. Cucum lib. 5. Institut. tit. 11. numero 29. tamen damnari non debet consuetudo, quæ adhuc hodie in quibusdam Ecclesijs viget, vt denuntiationes fiant duntaxat in Parochia vnius sponsi, in qua nuptiæ celebrandæ sunt: quantum enim in his, quæ ex iure positiuo proueniunt, præsertim si non satis declarata & inter Doctores dubia sint, consuetudo valeat, satis dixi lib. 1. tr. 4. cap. vltimo, n. 12.

Notandum tertiò; cùm Trident. Concilium tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia denuntiationes fieri præcipit, id solùm spectare videtur, vt coram populi frequentiâ fiant: quare nihil refert, licet extra Ecclesiam, vel die non festo, si concio frequens habeatur, à Parocho, vel eius iussu ab alio Prædicatore matrimonium denuntietur, secundùm Sanchez disp. 6. num. 9. Qui etiam notat num. 8. oportere aliquot, saltem duorum dierum, interuallum inter vnam & alteram denuntiationem intercedere, sicuti decretum fuit in Concil. Colon. sub Adolpho Archiepisc. cap. 32. & Concil. Moguntino sub Sebastiano Archiepisc. cap. 38. à quibus nihil diuersum constituit Trident. Concilium; addit verò, vt denuntiationes non diu differantur, sed festis mutuò succedẽtibus, modo non continuatis diebus, absoluantur, sicuti etiam notauit Coninck dub. 5. n. 47. obseruari tamen potest hac in re cuiusque Ecclesiæ consuetudo.

11 Notandum quartò: Episcopus iusta de causa denuntiationes remittere potest, v. g. si magnates contrahant, quorum coniugia ignota esse non solent: si ob senium, status disparitatem denũtiationes cũ pudore sponsorum, vel familiæ iunctæ essent, sicuti docet Sotus in 4. d. 28. q. 1. a. 2. §. de bannis, Nauar. cap. 22. num. 70. Sanchez lib. 3. disp. 9. num. 3. Interdum remittere etiam debet, si ex publicatione probabiliter timeatur scandalum publicum, infamia, corporis vel animi damnum, puta ne fortè consanguinei matrimonium malitiosè impediant; sponsæ sterilitatem veneficio afferant: item ne concubinari, qui publicè existimantur coniuges legitimi, vnà cum prole infamiam contrahant. Interdum verò Episcopus permittere potest, & exigente necessitate etiam debet, vt vna denuntiatio pro tribus fiat: si videlicet propter malignam contradictionem aliquorum, vel propter alterius sponsorum inconstantiam, vel ob periculum incontinentiæ, imminente v. g. tempore Aduentus, vel Quadragesimæ, nuptiæ diutius differri nõ possint. Quare Concilium Episcopi prudentiæ relinquit, vt in casu, quo timetur matrimonium malitiosè impediri posse (& eadẽ est ratio de alijs similibus) vel vnam denuntiationem pro trina fieri iubeat, vel omnes, iuxta exigentiam causæ remittat.

His adde primò: Si ad Episcopum accedi non possit, & periculum in mora sit, etiam Parochum denuntiationes remittere posse, ac debere: seu, vt alijs verbis dicam, Parochum oportet in tali casu sponsos matrimonio iungere, sine denuntiationibus, vel vnâ tantùm factâ pro trina, sicuti ex communi docent Sotus cit. a. 2. conclus. 3. Henriquez lib. 11. cap. 5. num. 5. Rodriquez cap. 217. conclus. 1. Sanchez lib. 3. disput. 10. num. 27. Coninck citat. dub. 5. num. 52. Quamuis enim Parocho non competat ius dispensandi in denuntiationibus, nisi ex delegatione Episcopi, sicuti notant Doctores communiter apud Sanchez disput. 7. quæst. 2. & 3. Pertinet tamen ad illum in casu necessitatis declarare, legem de præmittendis denuntiationibus per epikeiam cessare: cuius exemplum manifestum est, si quis morti vicinus cum concubina contrahere velit, vt securiore animo decedat, proles legitimetur, &c.

Adde secundò: Si denuntiationes ante nuptias factæ non fuerunt, post nuptias ante consummationem matrimonij faciendas esse, monet Tridentin. in cit. c. 1. vt si fortasse impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur: nisi Episcopo consultius videatur eas omnino intermitti.

Præterea eadem sancta Trident. Synodus hortatur cõiuges, vt ante benedictionem sacerdotalem à proprio Parocho, vel altero de eiusdem, vel Ordinarij licentia, collatam, in eadem domo non habitent, nec matrimonium consument. Cùm autem hæc vocula *hortatur* consilium 12 potiùs, quàm præceptum significet, ideo probabilis censeri potest sententia Nauarri cap. 22. num. 83. §. de benedictione nuptiali, Veracrux appendice speculi, dub. 11. conclus. 7. nullam culpam esse, per se loquendo, si coniuges ante benedictionem matrimonium consummẽt: licet Caietan. tom. 1. opusc. tract. 13. q. 1. & alij Doctores in ea re peccatum, saltem veniale, agnoscant. Qua de re Sanch. lib. 3. disp. 12.

Porrò solemnis nuptiarum benedictio primis nuptijs 13 ex antiquissima traditione adhiberi debet, sicuti videre licet apud Euaristum Papam epist. 1. Tertull. lib. 2. ad vxorem, in fine, Siricium Papam epist. 1. ad Himerium cap. 4. & 9. Concil. Carthagin. 4. canon. 13. S. Ambrosium epist. 70. ad Vigilium, paulò post princip. Isidorum lib. 2. de eccles. offic. cap. 19. Nicolaum I. Papam respons. ad Bulgaros, cap. 3. Verùm nuptijs secundis benedictio adhibenda non est; propter rationem, quæ affertur in cap. 3. de secun. nupt. quia benedictio alicui rei semel collata, iterari non debet. Consuetudo tamen iam obtinuit, vt nuptiæ virginis, seu primò nubentis cum vidua benedicantur, sicuti notat Glos. in cit. c. 3. Supplem. S. Thom. quæst. 63. a. 2. ad 2. Couarruuias in epit. p. 2. c. 8. §. 11. numero 2. Coninck cit. disput. 27. dub. 8. concl. 2. Quin vlteriùs etiam consuetudinem extensam esse, vt quotiescunque alter coniugum, etiam vir benedictionem non recepit, nuptiæ eius benedicantur, testatur Henriq. cap. 2. numero 3. Nauarrus c. 22. num. 38. Sanchez lib. 7. disput. 82. num. 22. propter constitut. Ioan. XXII. cuius etiam meminit Couarruuias cit. num. 2. Quare rectè ait Sa ver. benedictio, num. 2. *seruandam esse consuetudinem regionis*.

Superest, vt aliquid dicamus de clandestinis sponsali- 14 bus in futurum: videlicet ea omni iure valida esse, cùm Tridentinum Concilium in ijs nihil innouarit: quamuis ad fidem sponsalibus in externo foro faciendam testes adhibere consultum sit. Imò in Germania nostra valde vsitatum est, quamuis minimè necessarium, vt præter alios testes, etiam Parochus ad maiorem solemnitatem, ac fidem adhibeatur. Sed monendi sunt homines rudes, ob talem desponsationem de futuro non esse matrimonium inter eos contractum, vt sciant fornicationem mortalem fore, si carnaliter coniunguntur ante nuptias; ideóque non permittendum vt post talem desponsationem ad eandem domum commigrent.

De eo dubitari potest; si sponsi in tali solemni sponsa- 15 liorum contractu, vulgo *Handistraich*, vtantur verbis de præsente, *Accipio te in meam*, vtrum matrimonium ratum censeri debeat, vt sine mortali culpa consummari possit? Responsio est negatiua; Primò, Quia præsumi non debet, sponsos voluisse, nondum præmissis denuntiationibus, matrimonium cum graui seu mortali scelere contrahere. Quare licet vt si sint verbis de præsente, videntur tamen voluisse sponsalia contrahere, sicuti alij solent, licet alijs verbis externis vsi fuerint. Nam verba intelligi debent secundùm naturam contractus, qui instituitur; & *intelligentia verborum ex causis est sumenda dicendi: quia non sermoni res, sed sermo rei subiectus est*, id est, inseruiens, cap. intelligentia, de verborum signific. Idque notauit Nauarrus cap. 22. num. 79. Secundò Tametsi ponamus, sponsorum expressam intentionem fuisse matrimonium contrahendi, non tamen id effi-

cere potuerunt, si hanc suam voluntatem Parocho, & reliquis testibus non significarunt: suppono enim eos existimasse non matrimonij, sed sponsaliorum tantùm contractui se interesse: ideóque quod tunc inter sponsos ageretur, ignorasse. Sin verò statuamus, eos probè sciuisse, quid agere intenderent sponsi, tunc dubitari non potest, esse matrimonium validum, quamuis illicitè contractum, ideóque & pœnis quibusdam canonicis subiectum, iuxta c. vlt. de clandest. desponsat.

16 Pœnæ autem hæ sunt: Prima. Cùm alioquin proles nata ex matrimonio cum occulto impedimento, bona fide alterius saltem coniugis, in facie Ecclesiæ celebrato, ex iuris dispositione ac priuilegio legitima censeatur, cap. cùm inter, c. ex tenore, Qui filij sint legitimi, si tamen publicæ matrimonij denuntiationes non sine crimine intermissæ fuerunt, tali priuilegio proles priuatur, iuxta cit. cap. vltim. Quamuis enim ibi tantùm mentio fiat de impedimento gradus prohibiti, videtur tamen id exempli causa dictum, constitutio autem generalis esse, sicuti & ratio, quę apponitur; *quia tales expertes scientiæ, vel saltem affectores ignorantiæ videantur*, Quæ ratio constitutionis in alijs quoque impedimentis locum habet, saltem ijs, quæ per denuntiationem suapte natura detegi possunt. Secùs enim dicendum videtur de alijs, v. g. si matrimonium itritum sit propter occultum defectum consensus in altero contrahente. tunc propter omissionem denuntiationum non impediri prolis legitimationem, si alteruter coniux bona fide egit, probabiliter docet Sanchez lib. 3. disp. 42. n. 5. etsi contrarium sentiat Coninck disp. 27. dub. 9. num. 77. propterea quòd in citat. cap. cùm inter, & c. ex tenore, priuilegium legitimationis proli cōcessum sit duntaxat in casu matrimonij celebrati in facie Ecclesiæ: non item, si clandestinè contractū fuit. Quamquam neque in hoc ipso DD. consentiunt, vtrum tale matrimonium, quod cum Parocho & testibus non præmissis denuntiationibus celebratum fuit, censeri debeat clandestinè & non in facie Ecclesiæ celebratum, vti videre est apud Sanchez lib. 3. disp. 1. n. 6.

Sed & hoc incertum est, quod idem Sanch. tradit lib. 3. disp. 43. n. 4. cum Syluest. ver. filius, quæst. 8. Si matrimonium temere omissis denuntiationibus contractum postea promulgetur, & ab Ecclesia approbetur, prolem non priuari priuilegio, legitimationis argument. c. Quòd nobis, Qui filij sunt legitimi, & cap. 2. de sponsal. Veruntamen his canonibus non agitur de casu matrimonij inualidè contracti ob impedimentum dirimens: at verò decisio cap. vltim. de clandestin. de spons. generalis est, nullámque exceptionem afferens: quare etiam in dicto casu locum habere videtur, vti tradit Glos. in cit. c. quod nobis, ver. fuerint, Abbas ibid. n. 5. Armilla ver. filius, n. 14. Coninck disp. 27. dub. 9. n. 79.

Altera pœna. Si quis alioquin intra gradum prohibitum ignorāter contraxit præmissis denuntiationibus, aliisque adhibitis solemnitatibus, facilè, detecto postea impedimento, dispensationem à Papa obtinere potest. Sin verò dictas solemnitates in contrahendo matrimonio neglexerit, spe cōsequendæ dispensationis in pœnā criminis carere debet: quia dignus non est, vt Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit. Ita Trident. sess. 24. c. 5. de reform. matrim. Existimat autem Sanchez lib. 3. disp. 42. n. 7. hanc constitutionem intelligendam de omnibus impedimentis, saltem iis, quæ per promulgationem matrimonij detegi possent: quasi impedimentum gradus, tanquam frequentiùs contingens, exemplariter positum sit; ratio autem constitutionis generaliter locum habeat, *ne Ecclesiæ benignitatem experiatur, qui eius præcepta temere contempsit.*

Porrò effectus huius pœnalis constitutionis sunt: I. Quòd Papa sine graui causa cum talibus contra inhibitionem Concilij generalis dispensare non soleat, imò nequè licitè possit, sicuti docet Sanchez disp. 45. num. 3. Nam sicuti omnis Reipublicæ Princeps legum salubrium custos esse debet, non violator, aut dissipator: ita multò magis Ecclesiæ pastor Sum. Pontifex. II. Qui petit dispensationem super gradu prohibito, alioue simili matrimonij impedimento debet in postulatione exprimere, se, non præmissis denuntiationibus temerè contraxisse: quia hæc circunstantia reddit dispensationem longè difficiliorem, iuxta ea quæ dixi lib. 1. tract. 4. cap. 22. q. 3. III. Qui habent priuilegium dispensandi in aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis post nuptias bona fide contractas, non possunt dispensare, si nuptiæ celebratæ fuerunt, temere omissis denuntiationibus, vti notauit Coninck disp. 27. dub. 9. n. 81.

CAP. V.

De Matrimonio coacto.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium graui metu, ad id iniustè incusso, celebratum, iure Ecclesiastico irritum est: Nec refert hoc loco, vtrum metus ab ipso contrahente, an ab alia persona incussus sit.*

2 *Metus reuerentia non censetur esse iustus, & sufficiens ad infirmandum matrimonium; nisi alia iuncta sint, v. g. patris sæuitia, minæ.*

3 *In dubio, vtrum metus grauis in matrimonij contractu interuenerit, pro parte negatiua, adeóque pro valore matrimonij iudicari debet: eadémque ratio est de Religionis professione.*

ASSERTIO I. Matrimonium contractum ex graui, & ad id iniustè incusso metu, Ecclesiastico iure irritū est. Sumitur ex cap. cùm locum, cap. veniens, 2. c. consultationi, de sponsal. c. 2. de eo qui duxit &c. vbi significatur, matrimonium graui eiusmodi metu extortum, etsi iuratum sit, nullius tamen roboris esse. Videri potest S. Thom. in 4. distinct. 29. quæst. vn. a. 3. ibid. S. Bonau. art. vn. q. 1. Richar. a. 2. quæst. 3. Durand. quæst. 2. Palud. q. 1. a. 3. Maior q. 1. Ratio huius assertionis, & Ecclesiasticæ constitutionis peti debet ex discrimine inter matrimonium, & alios contractus, quòd hi, si causa metus iniusti celebrati sunt, postea per exceptionem, vel Iudicis sententiam rescindi possunt, at verò matrimonium si semel per mutuum consensum validè contractum sit, præsertim si etiam consummatum, rescindi nunquam potest, ob sui indissolubilitatem: ergo necesse erat, vt ab initio, ipsa iuris constitutione, vis iniusta matrimonio impedimentum, valoris afferet. Plura vide apud Sanchez lib. 4. disput. 12. numero 18. vbi monet numero 20. idem sentiendum esse, si quis indefinitè cogatur ad ducendam vnam ex pluribus v. g. filiabus Titij. Et num. 20. non tantùm matrimonium graui metu exortum irritum esse: sed etiam accessoria matrimonij, qualia sunt constitutio procuratoris ad contrahendum, dotis promissio &c. sicuti notauit etiam Iureconf. L. si mulier, §. si dos, ff. Quod metus causa, Abbas c. 2. num. 10. de his quæ vi, &c.

Primò autem dixi: Metum, quo matrimonium ipso iure infirmatur, debere esse *grauem*, qui etiam dicitur cadens in virum constantem, cit. c. veniens, &c. cùm locum. Nam leuem metum iura ęstimare non solent, sicuti constat ex l. nec timorem, ff. de eo quod metus causa, c. cùm dilectus, de his quæ vi: quia alioquin plurimæ dispositiones & contractus in controuersiā vocarentur cùm leuis metus facilè interuenire, vel quasi interuenerit, allegari, probarique possit. Idémque similiter dicendum de professione Religionis, vti constat ex c. penult. de ijs quæ vi, & est cōmunis sententia Scholasticorum in 4. d. 29. & aliorū apud Sanch. lib. 4. disp. 17. contra Nau. c. 22. man. n. 51. & lib. 1. consil. 10. n. 4. & 6. de his quæ vi, edit. 2. vbi ait,

ait, quemuis metū etiam leuem, modò sit causa sine qua non, corā Deo sufficere ad infirmandū matrimonium, vel Religionis professionem. Quod etiā docuit Rodriq. t. 2. sum. c. 8. concl. 9. & Paulus Comitolus lib. 1. moral. q. 111.

Secundò dixi; Necesse esse, vt metus iniustè incussus sit. Vbi tria annotanda: Primum Metus, vt matrimonium infirmet, debet esse per se, ac directè incussus ad extorquendum consensum: secùs est, si passus aliam aliquam iniuriam, aut vim, sponte eligat matrimonium, tanquam medium ad se liberādum: vt si iniustè in carcere cōclusus, vel iniusto bello pressus, ad se liberandum matrimonium contrahat cum filia Iudicis, ad conciliandum eius animū; omni iure validum est: quia metus iniustè incussus non est per se, ac directè causa matrimonij: sed solùm per accidens, quatenus ipsemet iniuriam passus, ad se liberandum tale remedium deligit: quod iura ipsi haud adimere debuerunt. Qua de re videri potest Sotus in 4. d. 29. q. 1. a. 3. ver. Regula autem generalis.

Alterum. Nihil hîc refert, vtrum metus incussus sit ab altero contrahente, an ab alia persona: quia iura non in odium metum incutientis, sed in fauorem libertatis matrimonij metus impedimentum statuerunt, vti apertè colligitur ex cit. c. veniens, & docet Glos. communiter recepta in c. 2. ver. coactos, de ijs quæ vi.

Id verò dubium est: Si ipsemet contrahens metum grauem, & iniustum incussit, vtrum contractus habeat vim sponsaliorum, in fauorem innocentis: ita vt huic ius competat cogendi alterum ad seruanda promissa? Ita affirmat Nau. c. 22. n. 33. & 51. Henriq. lib. 11. c. 10. n. 5. Coninck disp. 28. dub. 1. n. 7. Quæ sententia probabilis est. Verùm si teneamus, quod docui lib. 3. tract. 4. c. 6. num. 3. Sponsalia metu graui celebrata ipso iure irrita esse, dicendum est cum Sanchez lib. 4. c. 15. n. 5. Eum, qui metu graui alterum coegit ad matrimonium, ante Iudicis sententiam nō obligari ad illud ratificandū, arbitrio metum passi; modò pro damno, ea occasione illato alio modo satisfieri possit. Ratio est: Quia contractus onerosus & reciprocus non potest claudicare, seu ex vna tantùm parte obligare, si ex altera parte obligatio nulla subsistat: secùs est in cōtractibus, qui ipso iure irriti non sunt, quamuis rescindendi: hi enim possunt claudicare, id est, ex vna tantùm parte obligationem habere efficacem: ex altera verò inefficacem, quia per exceptionem elidi potest.

Tertium. Metus grauis, quo Matrimonij valor infirmatur, debet esse *iniustus*, iuxta c. consultationi, c. cùm locum, de sponsal. Si enim iustè incutiatur à lege, vel Iudice præcipiente, v. g. virginis stupratori vt eam ducat, matrimonium tali metu minimè infirmatur, vti constat ex c. ex literis, 2. de sponsal. & argum. l. 3. §. sed vim, & l. si mulier, ff. de eo quod metus causa. Eadémque ratio est. si metus iustus ab homine priuato incutiatur: puta, si pater stupratori filiæ suæ accusationem minetur, nisi eam ducat, sicuti notauit Conar. in epit. p. 2. cap. 3. §. 4. n. 25. Sanchez lib. 4. disp. 8. n. 9. & disp. 13. n. 3. Rebel. lib. 2. de matrimon. q. 11. s. 2. Coninck disp. 28. dub. 1. n. 15. vbi rectè aduertunt: Si antecedens culpa v. g. commissi homicidij, furti, per se non requirat consensum in matrimonium, tanquam pœnam delicti, aut damni compensationem; tunc Iudicem, vel hominem priuatum iniuriam facturum esse tum delinquenti, tum ipsi sacramento matrimonij, si ita minetur; v. g. *Ego te ita meritum occidam; Ego te ita meritum accusabo, nisi hanc duxeris*: quare matrimonium tali metu contractum irritum censeri debet, sicuti colligitur ex cit. c. veniens, de sponsal. Aliud verò dicendum, si ipsemet Reus, sui liberandi causa tale medium sponte eligat, & Iudicis v. g. filiam in matrimonium ducere velit, vt suprà dictum est, & fusè explicatur à Sanchez lib. 4. disp. 12. Eadémque de matrimonio spirituali, id est, Religionis professione tradit Abb. c. sicuti nobis, n. 5. de Regular.

Sed dubitatur de metu reuerentiæ, quam inferior suo Superiori, vel patri, aut alteri qui loco patris est, debet, vtrum iustus, & inconstantem virum cadens censendus sit; ideóque si volente, vel iubente tali persona, cui aliquis ob reuerentiam contradicere ausus non est, in matrimonium consentiat, irritum censeri debeat? Eadémque ratio est de professione Religionis: quia matrimonium carnale & spirituale æquiparantur. In qua quæstione affirmantem partem tenuit Nau. lib. 1. consil. 9. & 10. de ijs quæ vi. edit. 2. & in man. c. 22. n. 51. Rodriq. tom. 2. sum. c. 8. concl. 10. Sed contraria est probabilior Abb. in c. cùm virum, n. 8. de Regular. & c. vlt. n. 7. Qui clerici vel vouentes, Henriq. lib. 11. c. 9. n. 5. Sanchez lib. 4. disp. 6. q. 1. & 2. Less. lib. 2. c. 17. n. 35. Coninck cit. disp. 28. dub. 2. Metum reuerentialem per se non censeri iustum, aut sufficientem ad infirmandum matrimonium, vel Religionis professionem; sed interdum per accidens, si cum voluntate & imperio patris, Prælati &c. coniuncta sit sæuitia, aut minæ, quas ille etiā executurus putatur. Idémq; dicendū, si timeatur grauis, & diu duratura indignatio patris, vel alterius personæ, à qua hominis vita, & fortuna, spectatis circunstantijs, plurimum dependet. Et ita docent Abb. c. ex literis, n. 3. de desponsat. impuber. Less. lo. cit. Sanchez n. 14. Coninck cit. n. 35. 3

Simili quoque ratione sentiendum, quòd preces, quamuis importunæ ac sæpius repetitæ, non incutiunt metum iustum, qui sufficiens sit ad infirmandum matrimonium; nisi cum ijs iuncta sit reuerentia personæ rogantis, & instantis, seu metus reuerentialis, adeóque duæ impulsiones concurrant, videlicet hominis auctoritas, & precum importunitas. Exemplum est: Si princeps cui reuerentia debetur, non semel, sed sæpe instāter roget, aut iubeat matrimonium, cui, spectatis personarum circunstantijs, difficilimum sit tam molestè instanti contradicere, vti notauit Sanchez lib. 4. disp. 7. num. 7. Coninck, & Less. ll. cc.

Porrò, si omnibus diligenter consideratis, dubium sit, vtrum metus iniustè ad matrimonium contrahendum incussus, grauis censendus sit, néc ne, ideóque vtrum matrimonium irritum, an validum existat, arbitror pro valore matrimonij iudicandum. Quia licet maximopere curandum sit, vt matrimonium in perpetua coniunctione consistens, libera voluntate contrahatur; ideóque sponsalia, si quocunque etiam leuiore metu per vim extrinsecam iniustè incusso, celebrata sint, facilè dissolui possint, seu propria metum patientis opposita exceptione, seu Iudicis implorata auctoritate, sicuti docet Sanch. lib. 4. disp. 19. num. 4. & seqq. postquam tamen semel matrimonium contractum est, potiùs est, vt validum, quàm vt inualidum iudicetur; cùm matrimonij causa fauorabilis sit: idque partim propter honorem, ac reuerentiam sacramenti, arg. c. licet, 2. de testibus, ibi *Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quàm coniunctos legitimè cōtra statuta Domini separare*: partim quia Reipublicæ & prolis educandæ interest, vt matrimonia non soluantur, nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat. Quare etiam Nauar. lib. 3. consil. vltimo n. 1. de conuers. coniug. edit. 2. ait, *Tutius esse in dubio credere matrimonij valorem*. Accedit, quòd postquam contractus celebratus est, possessio, seu potius præsumptio stet pro eius valore; nisi contrarium ostendatur, vti notauit etiam Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 37. n. 14. 4

Tertiò dixi in assertione, Matrimonium *iure Ecclesiastico* irritum esse. Etsi enim idem iure Cæsareo decretum videatur l. nec filium, Cod. de ritu nuptiarum; (& tradunt Baldus & Glos. in l. si patre, ff. de ritu nuptiarum, quamuis ex eo textu potiùs contrarium colligetur) tamē effectus iste irritationis matrimonij, soli Ecclesiastico iuri tribuitur: quippe cuius nunc proprium est matrimonij dirimentia impedimenta statuere. Cæterùm si matrimonium graui metu cogente contrahatur inter fideles, qui neque Cæsareis legibus subiecti sint, validum censeri debet; quippe

cum consensus metum patientis, licet inuoluntarium mixtum habeat, absolutè tamen voluntarius & liber cōsensus sit, sicuti dixi lib. 1. tract. 1. cap. 6. n. 7. Idémque mihi respondisse videtur Celsus in cit. l. si patre.

CAP. VI.

De Matrimonio simulato.

SVMMARIVM.

1 *Si vnus contrahentium animum simulatum habeat, omni iure irritum est matrimonium: sed deceptor damnum iniustè illatum compensare debet.*

2 *Quibusdam casibus deceptor non obligatur ad verum matrimonium contrahendum: sed aliam puellæ compensationem facere potest.*

3 *Coniugi affirmanti, quamuis iurato, se fictè contraxisse, fides habenda non est, donec clarè id demonstret.*

Neque iuranti creditur aduersus ea quæ antea asseuerauit.

1 ASSERTIO. Si vnus contrahentium simulatum animum habeat, matrimonium omni iure irritum est. Ita habetur in c. tua nos, de sponsal. Ratio est: Quia sine vero consensu non subsistit contractus matrimonij, cap. sufficiat, 27. quæst. 2. c. cùm locum, de sponsal. Simulatus autem consensus non est verus consensus. Ergò &c. Verùm deceptor graue peccatum committit, tum sacrilegij contra reuerentiam sacramenti: tùm iniustitiæ seu iniuriæ, quam alteri bona fide contrahenti infert: eáque de causa obligatus manet ad compensandum damnum, quod inde coniugi putatitiæ accidit. quæ compensatio plerumque alia ratione secundùm æqualitatem fieri non potest, quàm vt, deposita simulatione, vero apud animum elicito consensu matrimonium ratificet. Dico *apud animum*; quia in tali casu si matrimonium, Religionis professio, contractus sponsaliorum, aut alius quicunque irritus est ob defectum interni consensus, ratificatur eo solo, quòd consensus accedit; dummodo alter contrahens actu, vel virtute consensum retineat. Qua de re Sanchez lib. 2. disp. 32.

2 Sunt verò aliqui casus numerati à Syl. ver. luxuria, q. 5. Ledesma 3. p. q. 45. a. 4. Henriquez lib. 11. c. 11. Vasquez de restit. cap. 3. §. 1. dub. 6. quibus deceptor ad matrimonium non obligatur; sed alio modo damnum illatum resarcire potest: I. Si decepta pro virgine se falsò iactauit. Nam deceptio deceptione tollitur, ac veluti compensatur. II. Si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeatur. III. Si deceptor lōgè eminentiore statu positus sit, dūmodò spe matrimonij copula non intercesserit, vt suprà dixi p. 1. cap. 1. n. 11. IV. Si decepta, cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat. V. Si deceptor aliud postea matrimonium vero consensu contraxit.

3 Porrò coniugi affirmanti, quamuis iurato, se consensu simulato contraxisse, præsertim iure nouo coram Parocho & testibus, alter coniunx fidem habere non tenetur; imò neque potest, eo fine, vt à vinculo coniugij liber præsumatur, & ad aliud matrimonium transire liceat, arg. c. per tuas, de Probat. vbi dicitur, neque iuranti credendum esse aduersa ea quæ antè asseuerauit: *Cùm nimis indignum sit*, (iuxta legitimas sanctiones, l. generaliter, C. de non numerata pecunia) *vt quod sua quisque voce dilucidè protestatus est in eundē proprio valeat testimonio infirmare:* donec deceptor suæ deceptionis clarissima indicia edat, quæ Ecclesiasticus Iudex sufficere arbitretur, ad fidem contrariam dictis prioribus habendam. Qua de re videri potest Richar. in 4. d. 27. a. 10. q. 4. Adrian. de sacram. matrim. q. 2. §. Hîc oportet. Idémque eadem ratione sentiendum de voto, & quauis promissione expressa, eius verbis standum esse licet promissor postea dicat, se fictè promisisse: quia præsumi debet idem fuisse in corde, quod erat in ore, iuxta l. Labeo, ff. de supellectile legata, ibi *Non arbitror quemquam dicere, quod non sit.* Alia verò ratio est in foro pœnitentiæ: Est enim discrimen hoc, quod vt S. Thomas ait quodlibet. 1. art. 12. *In foro iudiciali creditur homini contra se, sed non pro se simpliciter asserenti: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se.*

Sed difficultas est, si prioris matrimonij simulator, non expectata Ecclesiæ sententia; relicta putatitia vxore aliam validè ducat; Ecclesia autem, quæ fictionem alleganti fidem facilè adhibere non debet, propositis censuris, ad prius matrimonium compellat, quid ei agendum sit? Respondeo. Si nulla ratione effugere possit, quominus, deserta posteriore legitima vxore, priori putatitiæ adhæreat, potest quidem illi aliquamdiu cohabitare, vt Ecclesiæ præcepto satisfaciat: potiùs tamen excommunicationis sententiam, secundùm externum forum, humiliter sustinere debet, quàm vt in copulam consentiat: cùm id verum adulterium esset, per se, atque intrinsecè malum: quod proinde Ecclesiæ Prælatus neque iubet, neque iubere potest, arg. c. inquisitioni, de sent. excommun. & docet Supplem. S. Th. q. 45. a. 4. ibid. Ledesma dub. 2.

CAP. VII.

De Matrimonio conditionali.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contractum sub conditione relata in præsens, vel præteritum, statim valet si conditio est, non valet autem, si conditio non est.*

2 *Probabile est, quòd matrimonium contractum sub conditione honesta relata in futurum, ea eueniente, perficiatur, absque nouo contrahentium consensu.*

3 *Necesse est ad matrimonij valorem, vt Parochus ac testes sciant conditionis appositæ euentum.*

4 *Per se loquendo, non peccant consanguinei, vel aliter impediti, si matrimonium verbis de futuro spondeant sub conditione dispensationis Papalis: Et oritur inde vera obligatio sponsaliorum sub conditione.*

5 *Si impediti spondeant verbis de præsente sub conditione relata in futuram dispensationem Papæ, ea impetrata, non videtur matrimonium consistere absque nouo consensu coram Parocho & testibus expresso.*

6 *Si quis cum duabus contraxit sponsalia sub conditione in futurum, potior habenda est ratio prioris sponsalitij, vt quandocunque eius conditio euenerit, illi standum sit.*

7 *Si quis matrimonium cum duabus contraxit sub conditione in futurum, illud validum est cuius conditio prius impletur.*

8 *Matrimonium contractum sub conditione, quæ eius substantiæ vel substantiali proprietati repugnat, ipso iure irritum est.*

9 *Irritum est matrimonium si contrahatur cum pacto, vt eius vsum exigere non liceat, aut petenti reddere obligatus non sit.*

10 *Conditio adiecta contractus suspendit eius valorem: sed non modus adiectus.*

11 *Conditio impossibilis adiecta contractui statim eum vitiat: at modus impossibilis non vitiat, sed pro non adiecto habetur: praterquam si repugnet substantiæ contractus.*

12 *In dubio num conditio impossibilis, sed non repugnans substantiæ matrimonij, apposita fuerit tanquam propriè dicta & suspensiua conditio: an verò tanquam modus non suspensiuus, hoc posterius præsumi debet, ob fauorem matrimonij.*

ASSERTIO I. Matrimonium contractum sub conditione relata in præsens, vel præteritum; v. g. *Contraho tecum, si filia Titij es, si virgo es, si nauis aduenit: si pater mortuus est:* statim valet, si conditio vera est: 1
& non valet, si conditio falsa est. Ita docet S. Thom. in 4. d. 29. q. vn. a. 3. q. 3. S. Bonau. d. 28. a. vn. quæst. 3. & sumitur ex l. cùm ad præsens, ff. de rebus creditis, l. institutis, ff. de condit. institutionum, §. conditiones. Instit. de verb. obligat. Ratio est: Quia contractus quilibet ex conuenientium voluntate legem & condi-

conditionem accipit: si igitur ea sit contrahentium voluntas, vt si hoc non existat, stipulatio rata sit; si hoc non existat, stipulatio irrita existat; ita statim, sicut inter se conuenerunt. Quare in cit. l. institutio dicitur, Quòd *nulla sit conditio, quæ in præteritum confertur, vel in præsens:* Idque propterea, quia non suspendit actum, sed facit vt statim valeat, vel non valeat.

Neque verò interest, etsi contrahentes ignorent positam conditionem esse, vti ex communi notauit Sotus in 4. d.29. quæst.2.a.1. concl.2. & expressè habetur in cit. l. cùm ad præsens: *Stipulatio tenet, quamuis tenere contrahentes conditionem ignorent.* Si v. g. ita conueniatur, *Si pater tuus adhuc viuit, equus tibi ab isto tempore donatus sit:* vel *tu vxor mea sis.* quis non valet, contractum secundùm contrahentium voluntatem ratum esse oportere, si conditio in se vera est: etsi contrahentes veritatem adhuc ignorent. Quamuis contrarium sentiat Coninck disput. 29. dub.1.n.6.

2 Assertio II. Matrimonium contractum sub conditione honesta, relata in futurum: v.g. *accipio te si pater tuus consenserit, si mille in dotem dederit:* suspenditur vsque ad conditionis euentum; ea verò eueniente, probabilius est, statim perfici matrimonium sine nouo contrahentium consensu. Circa quam assertionem inprimis aduerte: Eam simili ratione locum habere posse in matrimonio spirituali, quæ est religiosa professio, sicuti docet Sanchez lib.5. moral.cap.14. num. 88. Non item in electione aut assumptione ad episcopatum: Nam electionis vota seu suffragia conditionata pro irritis habenda esse, dicitur in cap.2. de elect. in 6. & notauit Abbas c. super eo, n.6. de condit. appositis.

Nunc probatur prior pars assertionis ex cit. c. super eo, vbi apertè habetur. Ratio est: Quia conditio propriè dicta, & in futurum collata, suspendit actum, cui apponitur, iuxta c. de illis, & cit. c. super eo, de condit. appositis, l. si ita stipulatus, ff. de verborum obligat. Quod tamen intelligi debet, si conditio apponatur in ipso contractu: sin verò contractus semel absoluto consensu perfectus sit, conditio deinde illi apponi non potest, iuxta l.4. Cod. de donat. *Perfecta donatio conditiones postea non accipit.* Quamuis verò aliæ stipulationes, & contractus absolutè initi, postea noua stipulatione, vel contractu per mutuum consensum sub conditione infirmari possint, v.g. nisi hoc fiat, aut nisi hoc feceris, vt donatio, venditio rescindi queat: secùs tamen est in matrimonio, quod semel validum, nulla voluntate contraria dissoluitur, sicuti notauit Sanchez lib.5. disp.6. n.4.

Posterior pars assertionis est communis Canonistarum, in c. 1. c. super eo, vbi Glossa, Innocent. & Hostiensis, Abb. num.7. de condit. appositis, Nauarrus c.22. n.63. & consil.1. de cōdit. appositis, edit.2. Antonius Cucus lib.5. institut. tit.11. n.55. Ex Theologis sequitur eandem Paludan. in 4. d. 29. quæst.2. art.5. prope finem, concl. 8. Petrus Sot. lect. 3. de matrimon. §. quartò denique, Sanchez lib. 5. disp.8. num. 5. Coninck disp.29. dub.1. concl. 3. & probabilem fatetur Petrus Ledesma quæst. 47. art. 5. dub.7. concl.1. Ratio est: Quia contractus, celebratus sub conditione honesta pendente in futurum, eâ impletâ, purificatur, ac perficitur, sicuti habetur in l. potior, ff. qui potiores in pignore: *Cùm semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Et l. hæc venditio, ff. de contrahend. empt. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio.* Confirmatur: Sicuti se habet consensus de futuro ad contractum sponsaliorum; ita se habet consensus de præsente ad contractum matrimonij: Atqui omnes fatentur, & constat ex c. vn. de sponsal. in 6. consensum de futuro conditionalem, v.g. *accipiam te, si pater mille in dotem dederit*, eueniente conditione, sine alio nouo consensu, purificari, & effici sponsalia absoluta: Ergo etiam fateri debemus, consensum de præsente conditionalem, *Accipio te nunc in meam, si pater mille dederit*, eueniente conditione transire in matrimonium purum, & absolutum.

Vbi diligenter aduertendum est discrimen inter conditionalem stipulationem de futuro, & conditionalem stipulationem de præsente: v.g. *donabo tibi hunc equum, si id feceris*, vel *si id factum fuerit.* Et, *Dono tibi hunc equum, vt tuus sit, si hoc feceris*, vel *si id factum fuerit.* Nam secundùm priorem stipulationem donatio impleta conditione non est perfecta: sed opus est noua actuali donatione: at verò secundùm posteriorem stipulationem implera conditione, perfecta est donatio, adeò vt rei donatæ, si donatario tradita fuerit, dominium etiam acquiratur. Sic etiam diuersi sunt hi contractus: *Accipiam te, si pater dotem talem dederit.* Et, *Accipio te nunc, vt vxor mea sis, si pater talem dotem dederit.* Nam secundùm priorem modum conditione impleta, oritur obligatio contrahendi matrimonium: iuxta posteriorem verò contractus matrimonij est perfectus.

Contrariam sententiam docuit S. Thomas in 4. dist. 29. quæst. vn. a. 3. quæstiun. 3. quem plerique Theologi sequuntur apud Sanchez disp. 8. num. 3. ex Canonistis Couarru. in epit. p. 2. cap. 3. in princ. numer. 5. Gutierez lib. 1. canon. qq. cap. 22. num. 21. Matrimonium initum sub conditione relata in futurum, ea eueniente non confirmari, nisi nouus, isque absolutus consensus à contrahentibus exprimatur. Ex quo inferunt; Si Titius, qui sub tali conditione matrimonium contraxerat cum Caia, post conditionis euentum absolutè contrahat cum Sempronia: licet mortaliter peccet violando fidem prioris sponsionis, valere tamen hoc posterius, non prius matrimonium: cuius planè oppositum secundùm priorem sententiam dicendum est. Probari autem solet posterior sententia ex c. super eo, de condit. appos. vbi proposita quæstione: Vtrum is, qui in quandam mulierem consensit sub conditione, si pater consensum præbeat: ad consummandum, seu perficiendum matrimonium compellendus sit? Respondit Papa Vrbanus III. *Nisi voluntas patris postea intercedat, nequaquam cogendum esse ad matrimonium contrahendum.* Ex quo per sensum contrarium inferre licet, si voluntas patris postea intercedat, cogendum esse ad matrimonium contrahendum: ideóque ipso conditionis euentu contractum absolutum non esse. Secundò probant ratione. Nam ad sacramentum matrimonij ex Christi institutione requiritur consensus perfectus & absolutus, isque externo signo declaratus: talis autem consensus non habetur ante euentum conditionis, vt per se patet: neque habetur post euentum, quia conditio eueniens non parit consensum, cùm fieri possit, vt contrahens tunc dormiat, nihilque de hac re cogitet, ideóque nec consentiat.

Confirmatur ex eo: Quòd tunc signum etiam visibile desit, quo consensus absolutus alteri contrahenti, Parocho item, ac testibus declaretur.

Ad c. super eo respondetur: Vrbanum nihil aliud definire voluisse, quàm adolescentem ita contrahentem cogendum non esse ad matrimonium, si conditio non eueniat: vtrum autem, & quo modo compellendus sit, si conditio non eueniat, nihil omninò respondisse. Nam responsionis suæ rationem vnicam reddidit Pontifex, quia consensus, qui in alienum arbitrium in futurum confertur, non soleat esse absolutus, sed suspensus, ac dependens à conditionis euentu. Quamuis enim verba præsentem consensum ipsâ loquendi formâ præ se ferant, *accipio te, si pater consentiat*, tamen re vera consensum conditionatum habent. Fortasse autem adolescens ille ante euentum conditionis voluntatem mutauit: quo casu, licet postea conditio impleatur, matrimonium per se non purificatur: nihilominus adolescens cogendus erit ad matrimonium contrahendum, vt suprà etiam de sponsalibus dixi.

Porrò rectè admonet Vrbanus Papa veram interim esse Alexandri III. responsionem in c. de illis, eodem tit. Si in eiusmodi casu, ante conditionis euentum, sponsi absoluto consensu de præsenti contrahant, vel carnaliter coniungantur, statim matrimonium ratum esse: quia censentur recessisse à conditione antea in futurum relata, sicuti etiam habet in cap. per tuas, de condit. appos.

Ad rationem respondeo; CHRISTVS Dominus matrimonij contractum ad sacramenti dignitatem eleuauit, non mutasse eius naturam: quare sicuti in alijs contractibus, ipsisque sponsalibus, sic etiam in matrimonio, si conditionalis consensus vsque ad conditionis euentum continuetur, seu non reuocetur, ipsa eueniente purus & absolutus efficitur morali rerum æstimatione. Profectò si infideles inter se matrimonium contrahant sub conditione honesta pendente in futurum, vix negari potest, quin ea eueniente purificetur: Ergo idem dicendum de matrimonio fidelium. Cùm nullum in hac re probabile discrimen afferri possit inter matrimonium, & alios contractus: neque inter matrimonium fidelium, & infidelium.

Ad confirmationem, respondeo; Ipsum externum euentum conditionis suapte natura sufficiens signum esse purificati consensus, quando ab initio clarè, & expressè conuentum erat, vt cumprimum talis conditio eueniret, mox ratum matrimonium esset: manet enim conuentio ista verbis præteritis expressa, saltem moraliter, si contrahentes à priore voluntate non recesserunt.

Neque refert, etsi contrahentes nesciant conditionem euenisse, & consequenter matrimonium firmum esse; quod verissimum esse in hac sententia ait Sanchez citat. disput. 8. numer. 6. & colligitur ex ijs, quæ suprà dixi. Accedit, quòd similia cernere licet, si Caius Procuratori suo in mandatis det, vt suo nomine cum filia Titij contrahat, si is mille in dotem dare spoponderit; postea exposito mandato, atque impleta conditione coram Parocho, ac testibus, si interea qui mandarat voluntatem non mutauit, ratum censetur matrimonium à Procuratore initum: licet eo tempore Principalis absolutum consensum non habeat, imò neque habere possit, cùm nesciat vtrum conditio impleta sit, nécne. Quod etiam fieri potest sine Procuratore, si mulier per literas virum in matrimonium petijt, isque literas remittat, quibus consensum suum reciprocè declaret, se eam recipere, si pater talem dotem det; postea impleta conditione, lectisque literis coram Parocho, & testibus, fieri potest, vt matrimonium perficiatur, etiam ignorante eo, qui literas sub conditione destinarat.

Sunt autem hîc aliqua dubia soluenda: Vnum est. Vtrum iure nouo Concilij Tridentin. necesse sit ad matrimonij valorem, vt Parochus & testes, non tantùm intersint contractui celebrato sub conditione in futurum: sed etiam ipsi euentui, siue impletioni conditionis? Sanchez lib. 5. disp. 8. numer. 24. negat hoc posterius necessarium esse: Primò: Quia neque in matrimonio per Procuratorem contrahendo requiritur, vt Parochus, ac testes literas mandati cognoscant: cùm tamen tale matrimonium non minùs à mandato procuratorio pendeat quàm matrimonium conditionale ab euentu conditionis. Secundò: Quia necesse non est, vt Parochus & testes videant literas dispensationis inter consanguineos, vel affines: neque vt videant literas natalitias ad cognoscendum, num adolescens contrahere volens pubertatem assecutus sit nécne: cùm tamen etiam ab his, videlicet legitima dispensatione, ætate &c. valor matrimonij dependeat.

3 Sed contraria sententia est probabilior Petr. Ledesmæ cit. quæst. 47. a. 5. dub. 7. conclus. 3. vbi ait, esse certam & communem sententiam, quam etiam secutus est Coninck cit. dub. 1. conclus. 4. Nam Parochus, aliique testes à Concilio Tridentin. requiruntur, vt intelligant matrimonium verè, & substantialiter contractum esse; de eóque in foro externo ad multa vitanda incommoda testificari possint. Nisi autem intersint euentui, siue impletioni conditionis, nesciunt vtrum matrimonium verè, & substantialiter contractum sit, neque de eo in foro externo testificari possunt, sed tantùm de contractu inchoato, & adhuc in futurum pendente, ac solubili. Ergo &c. Et quod dico de conditione relata in futurum, similiter intelligi debet de conditione collata in præsens, vel præteritum. Sufficit autem, si ipsi contrahentes coram Parocho, & testibus postea affirment conditionem, quam contractui apposuerant, esse impletam: nam hoc ipso censentur purificare contractum, vt Coninck notauit numero 17. Ad 1. Sanchij argumentum respondeo, contrarium esse longè probabilius; videlicet necessarium esse, vt Parochus & testes, seu ex literis, seu alijs sufficientibus indicijs cognoscant mandatum Procuratoris: cùm alioquin nec intelligant, nec in foro externo testari possint matrimonium inter coniuges contractum esse, sicuti docet idem Coninck disput. 24. dub. 9. num. 79. Ad II. respondeo, Satis esse, si Parochus & testes intelligant, marem & fœminam vera voluntate, quam vel suis verbis, vel per literas, aút Procuratorem manifestarunt, matrimonium contraxisse: non autem opus esse, vt etiam intelligant eos validè contraxisse, siue nullo defectu occulto impeditos fuisse: id enim à Tridentino haud requiritur.

Alterum dubium: Si qui iure impediti matrimonium contrahere, inter se fidem dent sub conditione dispensationis Papalis, vtrum obligationem aliquam contrahant ante, vel post dispensationem? Negant vllam obligationem contrahi Abbas in cit. cap. super eo, numer. 8. Victoria de matrimon. numer. 260. §. quæritur vtrum. Additio Nauar. lib. 4. consil. 5. de consanguin. & affinit. edit. 2. Sotus distinct. 29. quæst. 2. a. 1. concl. 3. Veracrux 1. p. speculi, a. 19. Henriquez lib. 12. cap. 10. num. 4. lit. q. argument. l. inter stipulantem, §. sacramenta, & l. continuus, §. cùm quis, ff. de verborum significatione. quibus significatur; Si stipulatione promissa sit res sacra, vel liber homo, vel similis res iure alienari prohibita; quamuis apposita conditione in illud tempus, quo continget rem profanam fieri, aut hominem seruituti subiectum, vel rem alienari permissam ob iuris immutationem; nullius roboris esse stipulationem: quia ea duntaxat, quæ natura sua possibilia sunt, deducuntur in obligationem.

Respondeo tamen & dico I. Per se loquendo, non peccant consanguinei, vel aliter impediti, si matrimonium spondeant sub conditione Papalis dispensationis; 4
dummodo impedimentum sit iuris humani, vt in eo dispensari possit. Ita Adrianus in 4. de matrimon. sacrament. quæst. 3. dub. 10. Couarruuias in epit. p. 2. cap. 3. princ. numer. 7. Sanchez lib. 5. disp. 5. num. 16. contra Sotum cit. a. 1. post tertiam conclus. §. sed arguis. Nam talis promissio versatur circa rem licitam, videlicet contrahendum matrimonium post datam dispensationem. Quare regulam tradunt Doctores, vt videre est apud Abbat. c. de vxore, numer. 3. de sepult. Quòd *paria sunt aliquid disponi in tempore habili, vel in tempore inhabili, si effectus conferatur in tempus habile.* Et vice versa: *Sicuti non licet disponere in tempore inhabili, ita neque tempore habili, si effectus conferatur in tempus inhabile.*

Dixi autem, *per se loquendo*: at verò per accidens talis desponsatio inter impeditos illicita fieri potest, seu ratione scandali, si nesciatur qua conditione inter se promiserint; vel ratione damni v. g. alicuius infamiæ, quam sponsi passuri erunt, si à Papa dispensatio ipsis non concedatur.

Dico II. Ex eiusmodi reciproca promissione oritur vera obligatio sponsaliorum sub conditione, quam proinde sponsus expectare, eáque eueniente, id est, impetrata

trata dispensatione, nuptias contrahere tenetur, si alter etiam in fide data persistat. Ita docent Couarruuias & Adrianus ll. cc. Petrus Ledesma quæst. 47. art. 5. dub. 2. conclus. 3. Sanchez lib. 5. disput. 5. numero 12. Coninck disput. 29. dub. 1. concl. contra Victor. Sotum, & alios suprà cit. Sed probatur ex antecedente assertione: Cùm enim obiectũ huius mutuæ promissionis sit honestum, & iure non reprobatũ, nõ est ratio, cur nõ oriatur obligatio, & quidem ex iustitia: ad eum modũ quo etiam Episcopus obligatur voto trãseundi ad Religionẽ edito sub cõditione si Papa dispensauerit, seu licentiã dederit. Quare sicuti in hoc casu Episcopus vi voti sui tenetur petere dispensationem; ita & sponsus ille, ad quem id maximè pertinere videtur, plerumque tacitè se obligat ad dispensationem petendam, vti notauit Armilla ver. sponsalia, n. 11 Sanchez disput. 5. q. 9. num. 36. Nauar. lib. 4. consil. 5. de consang. edit. 2. licet aliter sentiat edit. 1. consil. 25. de spõsal. quem sequitur Coninck, disp. 29. dub. 2. n. 35. Ratio verò doctrinę est: Quia qui promittit finẽ, is censetur etiã promittere media, sine quibus finis obtineri non potest: Et qui ex aliqua constitutione, vel conuentione obligatur ad faciendum; obligatur etiam ad curandum vt actus valeat, sicuti docet Nau. cit. consil. 5. n. 7. Sumptus tamen dispensationis impetrandæ vtrique sponso communes esse conuenit; cùm vtriusque negotium agatur.

5 Dico III. Si impediti matrimonium contrahere spondeant verbis de præsente, tamen sub conditione relata in futuram dispensationem Papalem, ea impetrata, probabilius est solùm sponsalia purificari; matrimonium autem per nouum consensum coram Parocho, & testibus expressum. Ita docet Couar. citat. p. 2. princip. n. 7. in fine. Prior pars probatur: Nam desponsatio facta verbis de præsente sub conditione possibili in futurum relata habet saltem vim desponsationis conditionalis de futuro: Ergo sicuti sponsalia de futuro sub conditione desponsationis Papalis, ea eueniente purificantur, ita etiam despõsatio sub eadem cõditione facta verbis de pręsente.

Posterior verò pars est ferme cõmunis, teste Nau. lib. 4. consil. 14. de sponsal. edit. 2. adeò vt Sotus dicat esse certum, & Victoria contrarium esse intollerabilem errorem. Sed ego dixi esse probabiliorem, vti etiã eam appellat Petrus Ledesma; quia contrarium docet Sanchez disput. 8. quæst. 2. Coninck cit. dub. 1. conclus. 5. Moueor autem contra eos: Quòd nunquam præsumendum sit voluntatem dispensantis Pontificis esse, vt matrimonium præterito tempore contractum valeat; sed vt post collatam dispensationem, præmissis denuntiationibus, in facie Ecclesiæ contrahere liceat, sicuti apertè ex Bullis Pontificijs colligitur.

Ad fundamentum Victoriæ, Soti &c. initio huius dubij allatum, respondeo; Iure optimo statutum fuisse, vt promissio concepta sub conditione tristis, inhumani, vel insoliti, atque extraordinarij euentus, cuiusmodi est, vt res sacra profanetur, liber homo seruituti subijciatur, lex communis Reipubl. vtilis à Principe abrogetur &c. tanquam impossibilis, seu bonis moribus repugnans censeatur. Talis autem non est promissio sub conditione dispensationis, quæ à principe potest, ac solet fieri. Quamobrem Couar. testatur in epit. p. 2. cap. 8. §. 5. n. 17. communem esse DD. sententiam, quòd spurius hæres institui possit sub conditione si Princeps eum legitimauerit. Et Sanchez lib. 5. disput. 5. num. 19. validam esse conditionem institutioni, vel legato adiectam, si legatarius, vel institutus consanguineam ducat cum dispensatione Papæ.

6 Tertium dubium. Si titius sponsalia, vel matrimonium sub conditione contraxit cum duabus, vtri fides habenda sit? Respondeo, & dico I. Qui cum duabus contraxit sponsalia sub conditione relata in futurum euentum, etsi conditio desponsationis posterioris priùs eueniat, non tamen contractus absolutus & perfectus censeri debet: sed prior desponsatio, cui per posteriorem præiudicium afferri nõn potuit in suo robore permanebit; ita vt quandocunque conditio ei apposita euenerit, ipsi standum sit. Quia *quod semel placuit, ampliùs displicere non potest*, reg. 21. in 6. Consequenter posterior desponsatio, neque licitè, neque validè fieri potuit, nisi in eum euentum, si contingat priorem desponsationem dissolui. Ita docet Coninck disp. 29. dub. 1. n. 20. contra Sanchez lib. 5. disp. 8. n. 18.

Dico II. Si quis matrimonium cum duabus contrahat, sub conditione in futurum, illud validum est: cuius conditio priùs impletur. Ita Coninck loco cit. Est enim discrimen inter sponsalia & matrimonium, quòd illa nõ ita pendeant à continuatione voluntatis: quia quãtumuis aliquis iniustè consensum reuocet, nihilominus obligatus erit conditione eueniente. At verò matrimonium eueniente conditione perfici non potest, nisi consensus reuocatus fuerat, siue simpliciter & omnimodè, siue ex parte; ita videl. vt si posterioris matrimonij conditio priùs eueniat, velit id ratum, ac firmum esse, non obstante promissione priore. Etsi enim hoc iniquum est, tamen validum: quandoquidem matrimonium purè contractum, vel euentu conditionis purificatum præiudicat primo matrimonio, cuius conditio adhuc pendet, vti docet Abb. c. super eo, num. 7. & c. per tuas, de condit. apposit. 7

Dico. III. Si conditiones vtriusque matrimonij simul eueniant, neutrum validum erit. Quia incertitudo vitiat matrimonium, c. ex literis, 2. de sponsal. & docet Sanchez lib. 5. disp. 8. q. 3. n. 15.

Assertio III. Matrimonium contractum sub conditione, quæ eius substantiæ vel substantiali proprietati repugnat, ipso iure irritum est. Ita habetur in cap. vltimo de condit. appos. *Si conditiones contra substantiam matrimonij inferantur, puta si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis euites, vel donec inueniam digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit fauorabilis, caret effectu.* 8

Pro huius intellectu notandum est ex S. Thom. in 4. distinct. 31. quæst. 1. art. 3. Coniugij fidem, perpetuitatem, ac prolis generationem, educationémque (de quibus par. seq. agam) duobus modis considerari posse, vel secundùm actum, seu executionem; & sic ad substantiam matrimonij non spectant. Vel secundùm radicem, seu principium, quod est mutua obligatio seruandi fidem, societatémque perpetuam in ordine ad prolis generationem &c. Et hæc ipsa substantia matrimonij, si accipiatur pro mutua permanente obligatione, seu coniugio, vt explicaui suprà cap. 1. numero 1. Sin verò matrimonium accipiatur pro actuali contractu essentia eius consistit in consensu: dictæ autem obligationes, fides, inquam, perpetuitas, & proles, censentur veluti proprietates, seu effectus permanentes.

Corrollarium I. Validè contrahitur matrimonium cum intentione adulterandi, à coniuge sine iusta causa se separandi, item prolis generationem impediendi, vel genitam necandi. Sed non validè contrahitur matrimonium, si talia in pactum deducantur, quæ substantiali obligationi status matrimonij directè aduersantur, ideóque eam elidunt, & infirmant.

Quo loco quæstio resolui potest: Nam Caluinistæ aliqui persuasi, ob coniugis adulterium alteri coniugi ius competere matrimonij dissoluendi, contrahunt ea ipsa intentione, si vxor v. g. fidem matrimonij violauerit, vt liceat mariro ea repudiata aliam ducere. Veruntamen, quia hæc iniqua & impia intentio in pactum matrimonij non deducitur, dicendum illud nihilominus validum, atque indissolubile esse.

Corrollarium II. Valet matrimonium, si quis con-

T

trahat cum intentione eò nunquam vtendi, petendo, aut reddendo, sicuti constat ex ijs quæ suprà dixi citat. cap. 1. Non tamen valet matrimonium, si conditio siue pactum adijciatur, quo ius seu potestas matrimonij impepeditur: v.g. *Accipio te ea lege, vt in perpetua continentia*
9 *viuamus, vel Religionem profiteamur.* Item : *Accipio te ea lege, vt nunquam à me coniugij debitum petas*, vel *vt tibi exigenti reddere non tenear.* Quæ est sententia S. Thom. in 4. distinct. 28. quæst. vn. art. 4. ad 3. ibid. S. Bonau. quæst. vlt. Richar. art. 2. quæst. 4. ad 3. Adriani in 4. de matrimon. sacrament. vbi de consensu conditionato, numero 7. Nauar. lib. 3. consil. 11. de voto, edit. 2. Sanchez lib. 5. disput. 10. Nam matrimonij substantia quàm maximè consistit in iure vtendi & obligatione præstandi corpus coniugi: tale autem ius & obligatio tollitur dictis seu pactis conditionibus.

Contrarium tamen sentit Palud. in 4. distinct. 30. quæst. 2. art. 1. conclus. 2. Rebellus p. 2. lib. 2. de matrimonio, quæst. 10. numero 19. Coninck disput. 24. dub. 4. numero 43. Validè contrahi matrimonium cum conditione honesta, videlicet vt neuter ab altero carnalem copulam petat: sed continentiam perpetuam seruent, vel Religionem ingrediantur. Ratio eorum est: Quia essentia matrimonij consistit in mutuo dominio vnius in alterius corpus ad generationis vsũ: cũ tali autem dominio consistere potest obligatio, non vtendi corpore ad hunc finem. Idque confirmatur primò: Quia coniuges, permanente substantiali vinculo possunt à se abdicare ius petendi, per votum perpetuæ continentiæ mutuo consensu editum. Confirmatur secundò: Matrimoniæ absolutè & substantialiter contracto coniuges non sunt absolutè obligati ad vsum coniugij reddendum; sed sub conditione, si Religionem ingredi nolint. Ergo ius vtendi matrimonio, obligatióque reddendi non est substantia illius.

Respondeo ad rationem; Licet in quibusdam rebus, puta mobilibus, separari possit dominium directum à iure vtendi, fruendi, tamen hîc nihil simile accidit: sed ius reale, quod per matrimonij contractum acquiritur, aliud non est, quàm ius vtendi corpore coniugis ad vsum generationis.

Ad primam confirmat. respondeo; Id commune esse contractui, vt apponi non possit in ipso contractu aliquid eius substantiæ, seu naturæ repugnans; licet postea apponi possit, per modum noui contractus priori ex parte repugnantis, vti docet Sanchez lib. 5. disput. 19. numero 5. & 12. Ita matrimonio licet à principio apponi nequeat conditio eius substantiæ repugnans, potest tamen postea apponi per nouam mutuam pactionem continendi ad tempus, vel in perpetuum, permanente interim vinculo matrimonij quoad alia, v.g. munuam cohabitationem, prolis educationem, fidem seruandam, vt cum alia persona carnalis copula non habeatur.

Ad alteram confirmationem respondeo: Id esse commune omnibus contractibus, vt quamuis absolutè instituti censeantur, habeant tamen annexas conditiones, quæ de iure insunt. Quare dici solet, quòd conditio, quæ de iure inest, apposita contractui non suspendat eum, nec faciat conditionalem, l. conditiones, l. aliquando, ff. de condit. & demonstrat. Quia perinde est, siue tales conditiones opponantur, siue non, cùm semper intelligantur: vti videre est in sponsalibus, quæ sunt absoluta promissio nuptiarum; & tamen habent tacitam conditionem nisi ad perfectionem status Religionis transire placuerit. Sic etiam in matrimonio absolutè contrahitur obligatio carnalis coniunctionis, non obstantibus conditionibus, quæ de iure insunt; puta nisi Religionem profiteri maluero; nisi fidem datam adulterio violatis, &c.

Contra idem Corrollarium sentit Syluest. ver. matrimonium, 4. quæst. 7. non vitiari matrimonium, etsi ab initio in pactum deducatur, vt coniux debitum nunquam exigat: quia nunquam petere, inquit, non derogat fidei cõiugali, neque est contra bonum prolis: sed petenti non reddere. Sed respondetur: Ad substantiam matrimonij omnino pertinere mutuam obligationem corporum, generationis causa: si autem vnus coniugum priuetur iure petendi, consequenter alter non obligatur ad reddendum; ideóque non contrahitur mutua corporum obligatio ad liberos generandos. Dico igitur ad argumentum Syluestri; Nunquam petere non esse contra fidem matrimonij, & bonum prolis: sed obligare se ad nunquam petendum: quod proinde fieri non potest.

Secundò pro ead. assert. tertiã notandum est: Conditionem, cum qua contractus, vel dispositio aliqua fit, 10
interdum esse propriè dictam, cuius ea natura est, vt suspendat actum, faciátque aliter non valere nisi dependenter à conditione, iuxta l. si ita stipulatus, ff. de verborum obligationibus. Quapropter si alicui fundus legetur sub conditione, si nauis ex India venerit, & non impleta conditione legatarius moriatur, corruit legatum, l. à testatore, l. legata, ff. de condit. & demonstrat. l. vn. §. sin autem sub conditione, Cod. de caduc. tollendis. Interdum verò conditio in futurum collata, latè ac impropriè accipitur, vt idem sit, quod modus adiectus contractui, quem tamen non suspendit, sed vim suam & valorem habet contractus, etiam antequam modus adimpletur; ita vt res legata, vel donata sub tali modo ante eius impletionem ad hæredes transmittatur, sicuti habetur in citat. l. à testatore, iuncta Glos. ver. conditio, & docet Gomez lib. 1. resol. cap. 12. numero 71. Si tamen modus tempore debito non impleatur, interdum reuocari potest, quod sub tali modo promissum, vel concessum est: quamobrem cauendum est, fore vt modus impleatur, l. si tibi legatum, ff. de legat. 3. Exempla sunt: Lego Titio centum, ita tamen vt mihi sepulchrum ædificet: Dono tibi 100. vt tamen Baptismum suscipias.

Aliud porrò discrimen est inter conditionem pro- 11
priè dictam, & modum vel grauamen adiectum dispositioni, quòd conditio propriè dicta, si impossibilis sit secundùm naturam, vel bonos mores, statim ab initio vitiat contractus inter viuos: *Dono tibi equum, si cælum digito tetigeris*, l. impossibilis, ff. de verb. obligat. l. non solùm, ff. de action. & obligat. §. si impossibilis, ff. de inutil. stipulat. *Quia in ea re*, dicitur in citat. l. non solùm, *quæ ex duorum pluriúmve consensu agitur, omnium voluptas spectetur: quorum proculdubio in eiusmodi actu talis cogitatio est, vt nihil agi existiment adposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem.* At verò modus impossibilis, siue secundùm naturam, siue secundùm mores, si adijciatur contractui, non vitiat illum, sed pro non adiecto habetur: *Dono tibi equum vt cœlum digito tangas*; vel *vt hæreticus fias*, sicuti ex communi sententia docent Mol. citat. disput. 208. §. modus impossibilis, Sanchez lib. 5. disput. 19. numero 7. Quia modus dispositionem cui adijcitur non suspendit, sed validum esse supponit. Quare vt cognoscamus, vtrum v.g. donator conditionem, *si hoc fiat*, vel *dummodo hoc fiat*, tanquam suspensiuam; an verò vt modum adiecerit, attendendum est, vtrum voluerit donationem non antè ratam esse, quàm conditio impleta sit: an verò vt statim valeat donatio, sed donatarius obligatus, seu grauatus maneat ad aliquid postea faciendum.

Porrò à dicta regula, quòd conditio non suspensiua, seu modus, si impossibilis est secundùm naturam, vel mores, pro non adiecto habendus sit, limitari debet iuxta citat. cap. vlt. Nisi eiusmodi turpis, & impossibilis modus

modus repugnet substantiæ matrimonij alteriúsue contractus. Exempla, *Contraho tecum, si generationem prolis euites: vel donec inueniã aliam ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas.* Hæ enim verborum formulæ indicant non conditionem propriè dictam, & suspensiuam, sed potiùs modum, quem contrahens post matrimonij contractum obseruari velit, sicuti rectè annotatum reperio à Mol. disput. 208. §. modus per particulam. Nihilominus tali adiecto modo matrimonium, quantumuis alioquin fauorabile sit, vitiari respondit Gregor. IX. Ratio verò est: Quòd id commune sit omnibus contractibus, quippe dum contrahens inter ipsum contrahendum vult alterum obligari ad quippiam repugnans ipsi substantiæ contractus, satis significat non habere se voluntatem verè celebrandi talem contractum: sine voluntate autem contractus non efficitur. Verùm alias conditiones licet turpes, & impossibiles sint, modò non repugnantes substantiæ matrimonij, v.g. *accipio te ea lege, vt cœlum digito attingas, montem aureum des; vt patrem interficias*, ob matrimonij fauorem, pro non adiectis haberi, ait idem Gregor. IX. in citat. cap. vltimo. Eandémque decisionem in sponsalibus locum habere, docent Doctores communiter apud Sanchez lib. 5. disput. 17. Quemadmodum idipsum etiam in vltimis voluntatibus constitutum legimus, l. quæ sub conditione, l. conditiones quæ, l. conditiones contra, ff. de condit. & demonstr. l. continuus, §. cùm quis, ff. de verb. obligat. §. impossibilis, Institut. de hæredibus instituen. Atque hæc mihi videtur expeditissima interpretatio, & concordia verborum citat. cap. vlt. de condit. apposit. quam legere etiam potes apud Rebel. libro 2. de matrimon. quæstium 10. s. 4. alias verò interpretiones habet Sanchez lib. 5. disp. 3.

Solùm obijci potest: Cùm suprà dictum sit, id commune esse omnibus contractibus, vt conditio non suspensiua, siue modus impossibilis, si non repugnet substantiæ contractui, pro non adiecto habeatur: cur idipsum obseruandum esse dicatur ob matrimonij fauorem? Respondeo, fauorem in eo consistere, quòd in dubio, num conditio turpis, aut impossibilis, v.g. *si patrem interficias*, adiecta fuerit tanquam suspensiua interim matrimonij; an verò tanquam modus non suspensiuus: id posterius præsumi debeat, vt proinde matrimonium statim validum censeatur, conditio autem tanquam adiecta non sit. Sin verò constet, non habuisse aliquem voluntatem contrahendi absolutè, sed solùm sub conditione impossibili, tum cedit præsumptio veritati: cùm Ecclesia consensum ad matrimonij substantiam requisitum supplere nequaquam possit. Alia fortasse ratio est de vltimis voluntatibus, quas ad vitandas lites executioni mandari voluerunt legislatores, si sub impossibili quacunque conditione conceptæ sunt. Quamuis neque in hoc Doctores conueniant, si verè impossibilis conditio adiecta sit, ita vt potiùs appareat testatorem non habuisse animum instituendi, vel legandi; vtrum in isto casu non corruere debeat institutio, vel legatum, sicuti vult §. Impossibilis, Instit. de hæred. instituen. & aliqui apud Mol. to. 2. tract. 2. disp. 206.

PARS TERTIA,
DE BONIS MATRIMONII.

ETsi matrimonij contractus, eiúsque vsus per se licitus, atque honestus sit; quippe à Deo institutus, cui etiam *benedixit* Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini*; tamen per accidens, ob deprauatam hominis naturam ex lapsu in peccatum, quædam incommoda, ac detrimenta habet: I. Quòd coniugalis copula secundùm speciem naturæ, conuenit cum opere fornicationis turpi, ac fœdo, sicuti notatur in supplemento S. Thom. 3. p. quæst. 49. art. 1. II. Quòd propter concupiscentiæ ardorem, & immoderatam voluptatem, hominis ratio absorbetur in opere coniugij, teste Aristot. 7. Eth. cap. 11. III. Quòd veluti speciem seruitutis perpetuæ secum affert, à qua homo suapte natura abhorret, libertatis amans, vt Apost. significat 1. ad Corinth. 7. *Alligatus est vxori, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori*, &c. *Tribulationem carnis habebunt eiusmodi.* Eapropter Theologi in 4. distinct. 31. vbi S. Thomas quæst. 1. & 2. S. Bonau. ibid. art. 1. Richar. a. 1. & 3. tria bona in coniugio obseruarunt, quibus triplex illud malum, seu incommodum excusetur, ac veluti compensetur: Fidem, Prolem, & Sacramentum: sumptâ doctrinâ ex S. August. de bono coniugij, c. 24. & lib. 9. super Genesin ad liter. cap. 7. vbi hæc bona explicans, ait: *In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero concubatur: In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: In sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne causa quidem prolis, alteri coniungatur.*

CAP. I.

De debiti coniugalis redditione.

SVMMARIVM.

1 *Coniunx coniugi debitum coniugale seriò, ac rationabiliter petenti, sub culpa mortali reddere tenetur.*
In Ecclesia, siue loco sacro coniugij actum exercere, sacrilegij crimen est, excepto necessitatis casu.
Confessarius interdum coniuges interrogare debet, an coniugali debito satisfacere parati fuerint.
2 *Coniunx contra iustitiam delinquit, si ieiunijs, aliisque carnis afflictionibus notabiliter se impotentem reddat ad vsum coniugalem.*
3 *Coniugi adultero, si eius adulterium cognitum est, iustè coniugij debitum negatur.*
4 *Si coniunx adulter, dum eius adulterium cognitum non est, debitum exigere non prohibetur.*
5 *Si debitum reddituro graue salutis corporalis periculum timeatur, iusta est causa denegandi.*
6 *Si coniunx leprosus fiat, alter coniunx sanus non omnino liberatur obligatione debiti: exceptis quibusdam casibus.*
7 *Si ex vsu coniugali probabile periculum mortis proli conceptâ timeatur, iusta est causa negandi.*
8 *Si causa nocumenti, quod proli inferetur, temporalis sit, plerumque culpa venialis est, sine necessitate coniugij actum exercere.*
9 *Coniugi petenti in ebrietate, aut amentia, sine peccato negari potest, cum non rationabili modo petat.*
10 *Qui ante nuptias votum continentiæ ediderat, coniugij debitum à coniuge petere non potest ante dispensationem, quamuis reddere teneatur.*
11 *Qui post Matrimonium, ante eius consummationem, continentiam simpliciter vouit, nec petere, nec reddere potest: sed Religionem ingredi debet: nisi iuris ignarus vouerit.*
12 *Si coniunx cum consensu coniugis continentiam absolutè vouit, à coniugij actu abstinere debet tam reddendo, quam petendo: sin vero absque consensu votum edidit, seruare illud debet quatenus potest.*
13 *Incestus commissus cum consanguineo, vel consanguinea coniugis intra primum, vel secundum gradum, impedit, quominus incestuosus matrimonio vti possit petendo. Idque locum habet, etsi incestus occultus sit.*
14 *Certi casus sunt, quibus priuatio debiti coniugalis propter incestum non incurritur.*
15 *Episcopus super petendo debito cum coniuge incestuoso dispensare potest.*
16 *Nimia multiplicatio prolis ordinariè non excusat à redditione debiti coniugalis, nisi accedat mutuum pactum.*
17 *Si culpa coniuncta petitioni coniugalis debiti proueniat ex circumstantia tenente se ex parte solius petentis, licitum est ei reddere. Sin autem ex circumstantia tenente se ex parte actus coniugalis reddere illicitum est.*
18 *Si exigere debitum sit culpa tantùm venialis, reddere nulla culpa est.*


HÆc obligatio pertinet ad bonum fidei coniugalis, secundùm quàm coniuges inter se coniugij vsum præstare debent, teste Apost. 1. ad Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.* Idque siue expresè petatur, siue tacitè, vt cùm vxor præ verecundia verbis expressis petere non audet, vti explicat S. Thomas in 4. distinct. 32. quæst. vn. art. 2. quæstiun. 1. Richardus ibid. a. 1. quæst. 2. Durandus quæst. 1. art. 1. S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 20. §. 6. Nauarrus cap. 16. numero 26. Et est hæc obligatio reddendi sub peccato mortali; quippe circa rem grauem, si alter seriò, instanter, & rationabiliter petat: vt proinde Confessarius interdum coniuges de præstatione huius debiti commonefacere debeat. 1

Dixi

Dixi autem *si serio, & instanter* exigatur: nam tergiuersatione aliqua, aut precibus petentem auertere, si id non valde ægrè laturus videatur, nulla, vel leuis est iniuria, vti notauit Sanchez lib. 9. disput. 2. numero 10. vbi rectè tamen monet, etsi coniunx non tanto rigore debitum coniugij exigere intendat, vt mortalis ei iniuria inferatur negando; interdum tamen peccatum mortale fore, saltem contra charitatem, si ex priuatione vsus coniugalis periculum incontinentiæ incurrat. Secundò dixi, si *rationabiliter exigatur*; videlicet tempore, loco opportuno: non item si nimis frequenter, & importunè petatur, sicuti Gl. notauit in c. quoniam, d. 31. ver. opportuno, Rodriq. to. 1. sum. c. 243. concl. 1. Aut si in loco non decente, puta in Ecclesia, vbi sine sacrilegio coniugalis actus exerceri non potest, excepto necessitatis casu, si videlicet coniuges diuturno tempore inclusi in sacro loco ob humanam fragilitatem, in periculo incontinentiæ versentur, sicuti notauit Syl. ver. debitum, q. 3. Less. lib. 4. c. 3. dub. 12.

Denique si coniunx cupiat actum coniugalem exercere, non seruato situ ordinario, seruato tamen naturali vase; distinguendum est, vtrum id fiat ob causam necessitatis, tunc quia culpa nulla in petente est, obligatio reddendi incumbit. An verò sine iusta causa tali modo actus coniugalis exigatur, neq; tunc in reddente culpa aliqua erit, si modestè monendo, aut rogando coniunx coniugem auertere non possit; propter regulam, quam infrà tradam n. 18. Si exigere debitum sit culpa tantùm venialis, reddere nullam culpam esse: At verò coniuges non peccant mortaliter, si intra vas naturale modo, aut situ indebito coniugij actum exercere aggrediantur, nisi probabile pollutionis periculum timeatur. Nam, hoc seposito, non peccatur in substantia actus coniugalis, sed tantùm in modo accidentali. Qua de re dixi etiam l. 3. c. 4. n. 14. in fine.

2 Porrò ex dicta obligatione debiti coiugalis reddendi sequitur primò, Si maritus crebrò seipsū polluat, animaduertens eâ re notabiliter impotentem se reddi ad vsū cōiugalem, peccare contra iustitiam, vt hanc circūstantiam, in sacra Cōfessione explicare debeat, sicuti notauit Sāch. lib. 9. disp. 3. n. 3. Secundò: Si coniunx immoderata ieiunia, vigilias, labores imprudenter assumat, animaduertēs se notabiliter impotentē reddi ad satisfaciendū coniugi, considerata eius complexione, peccat contra iustitiam ex genere suo mortaliter, sicuti docent Palud. in 4. d. 32. q. 1. a. 2. concl. 3. S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 20. §. 10. Syl. ver. debitum, q. 1. Sanch. n. 4. Ordinariè tamen non tenetur cōiunx abstinere à moderatis ieiunijs, vigilijs &c. etsi animaduertat, se aliquantulū debiliorē reddi: quare neq; hæc est sufficiens causa soluēdi ieiunij ab Ecclesia præcepti, nisi maritus animaduertat vxori incontinentiæ periculum imminere, nisi potentiorē se efficiat, vti notauit Sāch. n. 6. & 10.

3 Sunt verò casus aliqui à DD. numerati, quibus coniunx dicta obligatione coniugalis debiti liberatur: I. Si vnus coniugū adulterium cōmisit, alter obligatione, seu debito coniugali liberatur, sicuti colligitur ex cap. 5. & 19. Matth. Non quòd vsus coniugalis post adulterium, per se loquendo, illicitus sit petenti, aut reddenti, sed quod coniunx innocens coniugi adultero iustè negare possit, quia frangenti fidem, fides meritò non seruatur.

4 Interim valde probabile est, quod docet Caiet. t. 1. tr. 31. opusc. 17. respons. 4. Sotus in 4. d. 36 q. vn. a. 4. Petr. Sotus lect. 16. de matrim. Sanch. lib 1. disp. 68. n. 4. Coninck disp. 23. dub. 12. n. 87. contra Nau. c. 22. n. 23. Alphon. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 4. in fine, Henriq. lib. 11. c. 8. n. 2. in comment. lit. b. Adulterum coniugij vsum petere posse, non tantùm vt licitum (sicuti omnes fatentur) sed etiam vt iure debitum, si alter propter ignorantiam nihil excipiat. Quòd enim coniunx propter adulterium priuetur iure petendi debitum, pœna quædam est, ad quam adulter seipsum condēnare non debet, nemine agente, aut excipiente: præsertim cùm coniunx à debiti petitione abstinere plerumque non possit, quin criminis cōmissi suspicio, aliáue incōmoda oritura sint. Videri potest Petr. Ledesma quæst. 62. a. 1. dub. 1. concl. 2. Adde, quòd coniunx innocens talem pœnam inferre non possit debitum petenti, per oppositam adulterij exceptionem, denegando: nisi crimē tali pœna dignū non leuibus indicijs cognouerit, sicuti Sanch. notauit n. 5. Coninck n. 89. Ex quo denique sequitur, quòd coniunx adulter si animaduertat coniugem adulterium ipsius certò cognitum non habere, eum compellere possit ad debitum reddendum: secùs, si certò cognitum ille habeat, quamuis fortasse in foro externo probare nequeat, sicuti docet idem Sanchez lib. 10. disput. 10. numero 8.

5 Alter casus. Si reddenti timeatur graue periculum salutis corporalis: vt si petens peste laboret, vel petat ab eo, qui febri hectica tenetur. Ita S. Th. cōmuniter receptus in 4. d. 32. q. vn. a. 1. ibid. Durand. q. 1. num. 8. Sotus q. vn. a. 1. cōcl. 2. Abb. in c. 2. de coniug. leprosorum, Caiet. ver. matrimon. c. vlt. §. primus est. Petr. Ledesma q. 64. art. 1. circa concl. 2. diffic. 2. Petrus Sotus lect. 16 de matrimon. Syl. ver. debitum, q. 1. Sa num. 15. Sanchez lib. 9. disput. 24. num. 17. Rodriq. tom. 1. cap. 243. conclus. 1. Ratio est: Quia coniuges in matrimonij contractu corporum potestatem inter se dant salua suarum personarum incolumitate: siue, vt alijs verbis dicam, propagationi speciei inseruire promittunt, salua incolumitate indiuiduorum. Quinimò, cùm corporum suorum dominium non habeant, ideo nec possunt eorum vsum cum tanto periculo mortis, aut grauis infirmitatis alteri permittere: quare peccāt, si in tali periculo, seu proprio, seu alterius, coniugis, absque rationabili causa, actum coniugij exerceant, etiā reddendo. Secùs, si causa rationabilis necessitatis cohonestet, vt si periculū infectionis propter cōiugis leprā, vel morbum gallicum, diuturnum sit: nam valde difficile quibusdam accidit in perpetua lucta contra motus carnales perseuerare. qua de re Sanch. lib. 7. disp. 102. n. 11.

Quapropter non desunt DD. vt Ledesma cit. q. 64. a. 1. circa 2. concl. diffi. 2. concl. 3. Rodriq. cit. c. 243. concl. 2. existimantes, in tali casu, quo coniugi v. g. leproso probabile imminet incontinentiæ periculum, nisi coniugio vtatur, saltem charitatis lege obligari alterum coniugem ad reddendum cum propriæ contagionis periculo. Sed magis placet sententia Maioris in 4. distinct. 32. q. 1. art. 1. contra 3. concl. Sanch. cit. disp. 24. n. 12. etsi cōiunx sanus cum propriæ infectionis periculo actum coniugij laudabiliter exerceat: non tamen ad id obligari: quia nemo tenetur sui corporis vitam, vel incolumitatem pro priuati hominis peccato vitando exponere: cùm is in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentiæ remedia adhibere possit.

Verùm ijs quæ dicta sunt obstare videtur, quod Alexander III. respondit in c. 2. de coniugio leprosorum, *Si virum, vel vxorem leprosum fieri contingerit, & infirmus à sano debitum exigat, generali præcepto Apostoli quod exigitur, est soluendum.* Sed respondent DD. communiter apud Syl. ver. debitum, q. 1. §. secunda, Sanchez cit. disp. 24. n. 17. Pontificem ita respondisse, ex præsumptione, quòd cōiugi propinquum contagionis periculum plerumq; non immineat, ex accessu ad cōiugem leprosum, nisi etiam diuturna cohabitatio in eodem lecto, vel domo accesserit, ad quam proinde cohabitationem coniunx sanus cogendus non est, sicuti notat Gl. in c. 1. ver. ministrent, eod. tit. S. Th. in 4. dist. 32. q. vn. art. 1. S. Bonau. ibid. art. 2. quæst. 1. Scotus ante §. Ad argumenta. Richar. art. 4. q. 2. Durandus quæst. 1. art. 2. Debet tamen coniunx sanus leproso cōiugi debitum interdùm reddere, & alia obsequia præstare, atque idcirco non procul ab illo discedere, vti notauit Syl. ver. lepra, quæst. 3. Excipe I. Nisi coniunx leprosus iure suo in hac re cedat. II. Nisi coniunx sanus lepra maximum horrorem sentiat, quem superare

quasi impossibile ipsi sit, vti notat ibidem Syl.& Abb. in cit. c. 2. num. 5. Sanch.num.21. III. Nisi vxor vltima & perfecta specie lepræ, quæ leonina dicitur, infecta sit, vti docet Palud. d. 32. quæst. 1. art. 2. ibid. Maior quæst. 1. contra 3. concl. vbi notat, viro ex congressu cum muliere leprosa maius periculum imminere, quàm vice versa. IV. Nisi loci consuetudo talem, præsertim frequentiorem, accessum ad leprosos, propter contagionis publicæ periculum, prohibeat.

Porrò si loci consuetudo permittat, atque consentiat coniunx sanus perpetuò cohabitare leproso, id non tantùm licitum, sed etiam commendabile est, per se loquendo, vti colligitur ex c. 1. de cohabit. leprosorum. Quare si quis sponte contraxit cum persona, quam sciuit lepra, vel simili morbo contagioso laborare, exceptionem postea debiti non reddendi, aut non cohabitandi opponere non potest; sicuti neque is, qui sciens vitium mercis, nihilominus emit, sicuti docet idem Sanchez num. 22. Eadémque ratione, si mulier v.g. sciens se ob propriam indispositionem non posse generationi seruire sine corporis sui incommodo, tenebitur postea eo posthabito (nisi grauissimum sit ad quod se obligare non potuit) marito coniugale debitum reddere: cùm alioquin grauiter eum decepisset, sicuti notauit Coninck t.2. disp.31.dub. 7.num.86.

Huc etiam spectat, si mulier Medicorum iudicio, vel antecedentis partus experientia, in probabili mortis periculo constituta sit, si prolem concipiat, & pariat. Quo casu difficultas se offert, vtrum licitum sit vxori pharmacum accipere impediens prolis conceptionem, quo coniugij debitum marito reddere possit, immunis à periculo mortis, quod alioquin timere debet. Ad hoc ex communi Doctorum sententia apud Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 8.& 10. respondendum est, nullo casu licitum esse potione medica seu pharmaco conceptionem ac generationem prolis impedire. Nam id directè repugnat principali ac ferme vnico fini matrimonij, cuius tanta in lege noua sanctitas, & veneratio. Quamobrem in cap. vlt. de condit. appositis inter conditiones de iure impossibiles hæc numeratur: *Si generationem prolis euites*. Quòd si in aliquo casu talis impediendæ conceptionis licentia mulieribus daretur, mirè eâ abuterentur, cum magno humanæ generationis detrimento: quòd signum est, id à natura hominum, omniúmque animalium valde alienum esse; prolis, inquam, conceptionem impedire. Quemadmodum ob similem rationem DD. communiter dicunt, nullo casu licitum esse, seminis effusionem, seu pollutionem procurare.

Cur autem fœtum nondum animatum, si ex eo matri periculum mortis immineat, medicamentis expellere liceat, secundùm probabilem plurium sentẽtiam, non alia causa reddi potest, quàm ea, quia fœtus est actualis veluti aggressor, & proxima ac directa causa mortis maternæ: ergo ius habet mater se defendendi seu vitam suam liberandi, eijciendo, seu repellendo fœtum. At verò fœtus nondum in rerum natura existens vim nullam infert, cõtra quam naturali iure & propẽsione se defendere liceat. Simile est: Si infans, aut alius homo innocens in via iaceat, mihique impedimento sit, quominus vitam ab hoste liberare possim, nisi eum conteram & occidam, id mihi licitum est; quia principaliter ac directè intendo vitæ meæ liberationem, per accidens autem, & indirectè permitto potiùs, quàm efficio eius occisionem. At verò si mihi significaretur, infantem illum eo consilio in via ponendum fore, vt mihi fugienti & vitam liberare volenti impedimento sit, non erit mihi licitum directè, & ex proposito ad eius occisionem aggredi; quando nondum vllam vim infert. Alia verò ratio est de inimico, aut hoste, insidias iniustas parante aut meditante, illum enim præueniendo occidere licet, per se loquendo.

7 Tertius casus. Si exinde, quòd vxor, v.g. prægnans viro debitum reddat, probabile mortis periculum proli conceptæ timeatur, nec petere, nec reddere licitum est, vt per se patet. Cæterùm si fœmina experta sit, se prolem viuam edere nunquàm posse, probabile est quod docent Sanchez lib. 7. disput. 102. num.8. Coninck lo. cit. nihilominus petere posse, ac reddere. Quia melius videtur esse puero, vt existat priuatus visione Dei, ob culpam originalem, quàm vt omninò non existat, vti colligitur ex S. August. lib. 5. contra Iulianum, cap. 8. Quare eius 8
mors permitti poterit. Sin verò proli nascituræ non mors, sed morbi contagio timeatur, tunc similiter distinguendum; vtrum causa vnde morbi contagio proli timetur, perpetua sit, v.g. lepra: tunc petere licitum, & reddere necessarium est. Quia ex vna parte ius matrimonij id exigit, ne perpetua, vel valde diuturna continentia in coniugio seruanda sit, ex altera verò parte melius est proli, vt infirma nascatur, quàm vt omnino non nascatur. de quo vide Sanchez cit. disput. 24. n. 25. Vel causa nocumenti temporalis est, & non diu duratura; tunc plerumque peccatum est petere, saltem veniale, si periculum, quod proli, vel coniugi timetur, notabile non sit: vel indecentia non grauis; qualis est v.g. menstrui fluxus, tempus purificationis post partum. Quibus casibus arbitratur Sanch. lib. 9. disp. 21.& 22. coniugi petenti alterum non tantùm reddere posse, sed etiam debere: quo intelligo, si ille ægrè nimis laturus sit, ac proinde maius malum sequuturum existimetur, nisi reddatur. Vide de his Palud. in 4. d.32.q.1.a.3.

Quartus casus: Petenti in ebrietate, furore, amentia, 9 negari potest: cùm non rationabili, & humano modo petat: quod, vt probabilissimum, docet Victoria de matrim.num.289. Sotus in 4. d.34. q. vn. art. 4. Sa ver. debitum, num.16. Sanchez disp. 23. num. 10. contra Syl. ver. debitum, q.1. §. secunda, in fine. Nauar. cap. 16. n. 27. Veracrux p.1. speculi, a.41.§. hic circa. Idque maximè locum habere debet, si vxor, quæ fœcunda esse putatur, in amentiam, vel furorem incidit; quia periculum est ne fœtum animatum in vtero enecet: qua de re Ledesma q. 58. a.3. dub. 2. conclus. 3. Sanchez cit. disp. 23. numero 8. Quamobrem si vterque coniunx in amentiam incidat, separandi sunt, donec ad mentem redeant, teste Ledesma concl. 1. Sanchez n. 5.

Quintus casus. Votum continentiæ à coniuge editum. 10 Qua de re ita distinguendum est: Vel votum continentiæ perpetuæ editum fuit ante contractum matrimonij, vel post. Si antè, obligat vouentem, quatenus potest: videlicet, vt constante matrimonio coniugij debitum non petat: licet petenti reddere teneatur. Ratio est: Quia ad petendum debitum coniunx non obligatur, sed solùm ad reddendum, cap. si dicat, 33. q. 5. cap. quidam, de conuers. coniugat. Soluto verò matrimonio continentia seruanda erit: adeò, vt tametsi vouens dispensationem obtinuerit ad debitum petendum, non ideò tamen soluto matrimonio ad alias nuptias transire possit, sine expressa Summi Pontificis in ea re dispensatione. Deinde si accidat coniugem durante matrimonio in adulterium labi, debet innocens suum votum perfectè seruare, cùm sine iniuria coniugis possit, abstinendo etiam à redditione, vti ex communi docet Less. lib.2.c.41.n.53.

Si autem post nuptias continentiæ votum editum est, iterum distingue: Vel enim coniunx solùm vouit se debitum non exacturum, & obligatur voto, cùm illud in potestate ipsius sit, vti habetur in cit. c. quidam, mortuo autem coniuge, non prohibetur aliud matrimonium contrahere cum simili obligatione nunquam petendi, nisi votum non petendi restrinxerit ad præsentis matrimonij statum. Vel simpliciter, & absolutè continentiam vouit: Idque vel ante consummationem matrimonij, sciens se 11
aliter votum exoluere non posse, quàm Religionem ingrediendo, tunc ad id se obligasse censetur. Qui enim promittit finem, implicitè etiam promittit executionem

tionem medij vnici, si illud necessarium esse intelligat: vnicum autem medium exequendi votum continentiæ simpliciter dictæ habet coniunx, vt ante consummationem matrimonij Religionem ingrediatur: ergo vouendo absolutam continentiam ad id se obligasse censetur. Secùs verò dicendum, si id in mentem ipsi non venerit, vel non intellexerit, vti notauit Coninck disp. 34. dub. 5. concl. 3. & colligitur ex extrauag. Antiquę, de voto.

12 Vel coniunx continentiam absolutè vouit post matrimonij consummationem: tunc iterum distinguendum est: vtrum cum consensu alterius coniugis, an sine consensu: Si cum consensu coniugis, iure suo renuntiare volentis, omnimodè obligatur voto, vt neque petere, neq; reddere licitè possit, sicuti dixi lib. 4. tract. 4. c. 7. n. 15. Quamobrem à coniugis toro se separare debet, & soluto matrimonio à secundis nuptijs abstinere: Sin verò nesciente, aut non consentiente coniuge continentiam absolutè vouit, præsumendum est, voluisse se obligare in quantum potuit, videlicet vt nunquam peteret, quamuis reddere teneatur: deinde si à redditione debiti liberari contingat, v.g. per adulterium coniugis, multóque magis per mortem eius, vt in continentia perpetua maneat, vti annotauit Lessius libro 2. cap. 41. dub. 6. numero 52. Coninck disput. 34. dub. 6. conclus. 2. numero 42.

Id solùm hîc moneo, quòd coniunx, qui ante matrimonium continentiam vouit, vel post matrimonium debitum se nunquam exacturum, plerumque debeat alteri coniugi votum indicare, ne suspicionem odij, vel superbiæ concipiat, sicuti notauit Coninck dub. 6. numero 48. Quòd si nihilominus votum valde onerosum sit alteri coniugi, puta quia vxor præ verecundia petere non audet, quando vir voto obstrictus nunquam petit: vel si alteruter coniunx, qui vouendi licentiam absolutè cōcessit, iam pœnitens concessionis, grauibus stimulis carnis agitetur, non sine incontinentiæ periculo; his casibus voti obligatio cessat, quatenus maioris boni impedimentum esse censetur, secundùm probabilem sententiam multorum Doctorum apud Sanchez lib. 9. disput. 7. num. 3. & seqq. Quamuis contrarium sentiat Coninck dub. 6. num. 47. Fateor autem, longè tutius esse in his casibus, & interdum necessarium, vt dispensatio super voto petatur ab eo, qui tali dispensandi facultate præditus est, ne in coniugio cum periculo animæ, vel perpetua inquietudine viuere necesse sit.

13 Sextus casus. Si coniunx iure petendi debiti priuatus sit, ob incestum commissum cum coniugis consanguinea in gradu primo, vel secundo, innocens liberatur obligatione reddendi. Ita docent Henricus quodlib. 5. quæst. 40. Syluest. ver. luxuria, quæst. 4. dicto 4. Victoria num. 290. Petrus Ledesma quæst. 55. a. 6. dub. vltimo, §. His non obstantibus sit conclusio, Sanchez libro 9. disp. 6. num. 8. aliique communiter. Nam vbi cessat ius petendi, cessat etiam obligatio reddendi: Coniunx autem incestuosus, in pœnam criminis, amisit ius petendi debitum, c. transmissæ, c. Tuæ fraternitatis, de eo qui cognouit &c. c. si quis viduam, & seqq. 3. q. 7.

14 Sunt verò casus aliqui, quibus priuatio iuris petendi debiti propter incestum non incurritur. Primò, Si ignorantia à malitia incestus excusat; quia coniunx ignorat esse consanguineum, vel consanguineam coniugis ad quam accedit, vti colligitur ex cap. 1. eodem tit. & docet Palud. in 4. distin. 34. quæst. 1. a. 2. Victoria citat. numero 290. Sotus in 4. dist. 37. q. vn. a. 2. Rodriq. p. 2. cap. 243. concl. 11. Sanchez lib. 7. disp. 15. num. 9. & lib. 9. disp. 31. num. 47.

Secundò, Si per violentiam coniunx cognoscatur à consanguineo coniugis, iuxta cap. directionem, eodem tit. & notauit Sotus l. cap. Ratio harum duarum exceptionum est: Quia priuatio iuris petendi debiti Ecclesiastico iure constituta est in pœnam incestuosi: Ergo vbi incestus crimen non est, pœna hæc locum non habet. Imò probabile est, quod & Sotus indicat loco cit. à canonica hac pœna excusari coniugem, si graui metu, v.g. mortis, adactus in crimen incestus consentiat: quam pietate plenam sententiam esse, ait Sanchez, quamuis contrarium amplexus lib. 9. disp. 31. n. 4.

Tertiò, Postquam incestuosus dispensationem super petendo debito impetrauit, ius exigendi debiti plenè recuperat, sicuti notat idem Sanchez lib. 9. disp. 6. num. 10. 15
Potest autem talem dispensationem iure ordinario, saltem per consuetudinem acquisito, conferre Episcopus, sicuti docent Syluest. ver. luxuria, quæst. 4. dicto 5. Sotus cit. quæst. 37. a. 1. in fine, & art. 2. Rodriquez c. 242. conclus. 2. Sanchez lib. 8. disp. 12. num. 4. Valentia to. 4. disp. 10. q. 5. p. 5. in fine, Henriq. lib. 12. c. 2. n. 9. Sa ver. debitum, n. 13.

Quartò docent DD. plerique, Sotus, citat. art. 2. Gutierez cit. cap. 23. num. 9. Petrus Ledesma cit. quæst. 55. a. 6. Sanchez. lib. 9. disp. 7. num. 1. Ne matrimonium coniugi, propter contractam affinitatem mariti, nunquā petentis debitum, onerosum fiat, aut ne in periculum incōtinentiæ labatur: posse incestuosum in gratiā coniugis, insinuare se ad petendum debitum, quoties id necessarium esse prudenter iudicauerit. Quod etiam in vxore post crimen incestus, præsertim occultè commissum, locum habere potest, ne si nunquam petat causam malè de ipsa suspicandi præbeat. Et hæc quidem faciliùs in eiusmodi impedimento permitti possunt, quippe introducto legibus Ecclesiasticis, quæ non tanta seueritate obligant: nihilominus tutius semper est, quamprimum fieri potest, dispensationem petere.

Quintò excipit Angelus ver. incestus, num. 4. Sa ver. matrimonij impedimenta dirimentia, num. 7. Si crimen incestus occultum maneat. Sed hæc exceptio nullo iure probatur, &, si vera esset, valde raro huic impedimento inter coniuges locus foret: cùm incestus plerumque occultus sit: quare contrarium sentit Gl. c. qui dormierit, ver. neutram, 32. q. 7. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 5. §. rursus, quinto argum. Gutierez lib. 1. canon. qq. cap. 23. num. 8. Sanchez lib. 7. disput. 15. num. 13. Quare neque Iudicis sententia requiritur, teste eodem Castro, Caiet. t. 1. tr. 31. opusc. 17. respons. 4. Sanchez lib. 9. disp. 30.

Porrò alter coniunx qui innocens est, ab incestuoso sicuti priùs debitum petere non prohibetur: Quia *nemo iure suo sine culpa priuari debet*. sicuti dicitur in c. discretionem, de eo qui cognouit &c. Et clarè habetur in c. tuæ fraternitatis, eod. tit. *Affinitas post matrimonium iniquè contracta illi nocere non debet, quæ iniquitatis particeps non existit*. Ex quo probabilissimè contra alios infert Sanchez lib. 9. disput. 6. num. 12. non peccare coniugem innocentem, si incestuoso petenti debitum reddat: cùm enim ius coniugale plenissimè possideat, potest eo vti seu petendo, seu reddendo, perinde ac si nulla affinitas subesset: ne ex aliena culpa innocens grauetur. Eadémque est ratio, si coniunx voto continentiæ obstrictus debitum petat, vt mox iterum dicam.

Septimus casus afferri potest. Ne proles multiplicetur, quam parentes difficilè alere possint: quando 16
quidem in alijs etiam debitis excusat magna soluendi incommoditas, vel difficultas. Quæ ratio mouit Sotum in 4. d. 32. q. vn. a. 1. Rodriq. cit. c. 243. concl. 1. Sa ver. debitum, num. 18. vt docerent, cessante incontinentiæ periculo, non esse peccatum mortale ea de causa negare; imò Petr. Ledesma q. 64. a. 1. in fine, Sanchez lib. 9. disp. 25. nullam culpam agnoscunt.

Mihi dicendum videtur primò: Validum esse pactum continendi ea de causa initum, quin & licitum, quamdiu incontinentiæ periculum non imminet, vti docet Palud. in 4. d. 31. q. 3. a. 2. casu 5. Anton. p. 3. tit. 1. cap.

20.§. 6. Nauar.cap. 16.num.33. Sanchez citat. disput.25. num.1. Dicendum secundo: Secluso pacto ordinariè videtur esse peccatum mortale, ob eam causam coniugi petenti negare. In qua sententia videtur esse Angelus ver. debitum,§.15.Syl.q.8.Nau.c.16.n.25.& alij communiter cùm absolutè aiunt, multitudinem prolis non excusare à redditione debiti, Ad fundamentum contrariæ sent. respondetur; Prolem ex matrimonio suscipiendam, esse magnum bonum,cuius gratia omne incommodum coniugibus perferendum, prima coniugij stipulatione susceptum, constanter tolerari debet. Confirmatur: Nam ex vna parte multiplicatio prolis spectat ad præcipuum finem matrimonij, ex altera parte melius est proli,vt viuat inops, quàm vt omninò non viuat. Dixi autem *ordinariè*, Quia fateor si eo loco res sita sit, vt ob nouæ prolis generationem parentes, vel proles ad extremam penuriam redigendi sint, debitum negari posse: quod tamen ijs,qui inter Christianos viuunt, raro eueniet: cùm in piorum hominum, multòque magis Dei auxilio, qui cœli volatilia pascit, Matth.6. confidere oporteat.

Cùm ex dictis manifestum sit, non semper cùm vnus coniunx illicitè petit, alterum etiam illicitè reddere; quæri potest, quibus id regulis dignosci possit? De qua re videri potest Petr. Sotus lect. 16. Sanchez lib. 9. disp. 6. Coninck disp.34. dub. 4. Nos duabus regulis
17 contenti erimus: Prima. Si culpa petitioni coniuncta prouenit ex circunstantia tenente se ex parte solius petētis, licitū est ei reddere,v.g.marito incestuoso,vel voto castitatis obstricto. Quamuis, si facilè fieri possit, interdum monere oportet coniugem suæ non petendi obligationis. Et debet ampliari regula: Quòd coniunx in tali casu illicitè petenti coniugi etiam reddere teneatur, nisi ille iure petendi priuatus sit. Quę limitatio ponitur propter impedimentum incestus, item propter adulterium. Si enim incestuosus, vel adulter, qui etiam voto castitatis obstrictus est, debitum petat, ipsi negari potest; imò verò frequentiùs in tali casu ex charitatis lege negare debet. Alia verò, vt dixi, ratio est in casu, quo coniunx ius petendi integrum seruat, & solùm contra virtutem Religionis v.g. peccat; vt si voto continentiæ absque coniugis consensu se astrinxerat; tunc reddendi necessitas incumbit, si instanter petatur.

Secunda regula, Si culpa petitioni annexa prouenit ex circunstantia tenente se à parte actus coniugalis; tunc ordinariè, ac per se loquendo, etiam reddere erit illicitum. Exempla sunt: Si coniunx coniugij debitum petat in loco sacro; cum periculo abortus, vel alio nocumento prolis, vel ipsorum coniugum. Dixi autem *ordinariè*; Quia necessitas interdum excusat à culpa, vel vtrumque tam petentem, quã reddentem, v.g. in loco sacro, iuxta ea, quæ suprà dixi num. 1. vel solum reddentem, si difficultas negandi marito instanter exigenti magna videatur, vt idcirco nocumentum, quod non ita graue est permitti
18 possit.

Quamobrem Petr.Sotus cit. lect.16. Sanchez cit.disp. 6.n.6. hanc etiam regulam colligunt: Si exigere debitū est solùm culpa venialis, reddere nulla culpa est: quia ordinariè adest causa excusans,v.g. ne vxor marito petēti displiceat, & odium, vel rixam commoueat. Quare in tali casu plerumque etiam obligatur ad reddendum, vti docent Sotus & Sanchez ll. cc. & consentit Nau.cap.16. num.32.

CAP. II.

De mutua coniugum cohabitatione.

SVMMARIVM.

1 *Maritus est caput vxoris, ac familiæ, quibus proinde imperare potest, quæ ad conuenientem domus administrationem spectant.*
2 *Maritus vxorem & familiam alere debet; atque in illius defectum eius pater subuenire tenetur.*
3 *Vir domicilium suo arbitratu eligit, ac mutat: vxor autem sequi debet, si sine magno incommodo suo possit.*
4 *Coniunx coniugem exulantem, si nihil contra fidem matrimonij peccauit, sequi debet: nisi moralis impotentia, seu difficultas excuset.*
5 *Coniunx coniugem ab alia persona retentum vindicare sibi potest.*
6 *Marito concessum est vxorem delinquentem moderatè castigare, spectatis circumstantijs personæ &c.*
7 *Paterfamilias habet ius delicta domesticorum leuiter puniendi.*
8 *Carcerem priuatum constituere sub capitis pœna prohibitum est Cæsareo iure: non prohibetur tamen paterfamilias in casu alicuius delicti filium, vel seruum ad breue tempus includere, etiam punitionis causa.*
9 *In punitione domesticorum tria concurrere debent: causa puniendi, conditio personæ punibilis, recta intentio punientis.*
10 *Frater, aliique propinqui, licet natu maiores, non habent ius puniendi consanguineos; nisi illorum iuri ac potestati commissi sint.*
11 *Quod vxor laboribus suis, v.g. nendo, lucratur, sibi acquirit, nisi indotata nupserit, vel nisi ex materia à marito subministrata aliquid conficiat, tunc opus ad maritum spectabit.*

HÆc est altera coniugum obligatio, ad bonum matrimonialis fidei spectans, videl. vt cohabitent, mutua obsequia præstent, in administranda re familiari, educanda prole, vti constat ex ipsa matrimonij natura,& primæua institutione, explicata Gen. 2. Matth. 5. Ad quæ proinde præstanda cogi possunt tum ab Ecclesiastico Iudice, tum à seculari, iuxta c. literas, de restit. spoliatorum,& notauit Gl. in c.non est, ver. vxores, de sponsalibus.

Porrò cùm vir sit caput vxoris ac familiæ, secundùm 1
Apostolum ad Ephes.5.1. ad Corinth. 11.&c. hæc imago, 33.quæst. 5. quædam corrollaria inferuntur: Primum. Quòd vxor mariti præceptis, in ijs quæ ad conuenientem familiæ administrationem pertinent, obedire in conscientia tenetur. Qua de re Nauarrus cap. 14. num. numero 20. qui rectè etiam admonet num. seq. peccare patrem familias, si vxorem, liberos, famulos, totámque familiam à peccatis cohibere, & scandala inter ipsos impedire, quatenus in ipso est, negligat: cùm ipsi talis cura proximè incumbat. Videri etiam potest S. Anton.p.2.tit.5.c.9.§.2. Maior in 4.d.26.q.3.§.In hac materia, vbi hortatur mulieres, vt in vestium, & similium sumptuum moderatione viris iusta præcipientibus obtemperantes sint.

Alterum. Quòd maritus vxorem, & familiam alere debet. Nam ob hanc etiam causam dotem accipit, l. dotis fructus, ff. de iure dotium, l. pro oneribus, C. eod. Si autem pauperem, & indotatam duxit, sibi imputet, nihilominus enim alere tenetur, sicuti docent Innocentius 2
& alij in c. per vestras, de donat. inter virum & vxorem, Gaill.lib.2.obser.87.num. 1.Sanchez lib. 4.disp.26.num. 1. Veruntamen indotata vxor magis obligata est ad laborandum, quàm si attulisset dotem sufficientem, ex qua ali posset, spectato statu & conditione personæ, loci consuetudine, vti notat Abb. cit. c. literas, num.28. Sin verò dos marito expresse, vel tacitè promissa, sed non soluta fuerit, licet is vxori nihilominus cohabitare, & coniugij debitum reddere teneatur, vti resoluit Sanchez lib. 9. disp.5. num. 17 non tamen eam alere obligatus est, nisi

inops sit, & à parentibus ali non possit, cùm etiam, vice versa, vxor diues marito inopi alimenta præstare cogatur.

Præterea vxorem à marito sine necessaria causa recedentem, seu diuertentem maritus alere non tenetur, quamuis dotem ab ea acceperit. Qui enim nō facit quod debet, non recipit quod oportet, arg. l. si ea, C. de condit. insertis. Vxoris autem officium est, vt maneat in viri consortio, & obsequio, cit. cap. hæc imago: quare si id præstare nolit, meritò ei alimenta subtrahuntur, sicuti docet Sanchez lib. 9. disput. 4. num. 20. Secùs est, si ob viri sæuitiam, aliámue eius culpam recesserit; item si ob aliam causam discedere compulsa: v.g. ob mariti amentiam, morbum contagiosum, vel etiam ob proprium delictum in exilium acta: In eiusmodi casibus maritum ad alimenta ipsi præstanda obligari, rectè contra quosdam docet Sanchez n.23. Quandoquidem in tali etiam separatione nulla vxoris culpa, aut temeritas, sed necessitas apparet; licet per accidens causa per delictum data fuerit, vt postea iterum dicam.

His adde primò; Quòd in defectum mariti, ad vxorem, & familiam alendam obligati, pater eiusdem succurrere, & alimenta necessaria ministrare debet, vti docet idem Sanchez lib. 4. disp. 26. num. 21. arg. l. si quis à liberis, §. si vel parens, ff. de liberis agnosc. iun. Gl. ver. cætera.

Adde secundò: Si vxor ob culpam suam, puta adulterij, reiecta à marito per diuortium, bona aliunde non habeat ad sui substentationem; tunc ad Iudicem pertinebit ei à marito necessaria obtinere; si dotem mulieris in delicti pœnam lucrari velit. Qua de re Molina tr. 3. disp. 90. n. 7.

Tertium corrollarium. Quòd vir domicilium suo arbitratu eligit, ac mutat, vxor autem eum sequi debet,
3 iuxta c. vnaquæque 13. q. 2. *Vnaquæque mulier sequatur virum suum siue in vita, siue in morte.* Et ex communi docet Syl. ver. vxor, quæst. 8. Nau. cap. 14. num. 20. Rodriq. t. 1. cap. 15. conclus. 2. Sanchez lib. 1. disput. 41. num. 1. Quę causa est, cur vxor acquirat forum mariti sui, l. cùm quædam, ff. de iurisdict. omnium Iudicum: Item quòd dos non exigatur in loco contractus, sed domicilij, quod maritus tunc habuit, l. exigere, ff. de iudicijs.

Sed limitari debet primò: Si in pactis matrimonialibus certus locus habitationi constitutus fuit, non potest deinde maritus discedere, nisi causa de nouo superueniens, & antè non præuisa id exigat. Secundò, si sine magno incommodo corporis, aut animi vxor maritum sequi non possit, sicuti docet Nau. lo. cit. Sanchez l. cap. n. 3. Sa ver. matrimonium, num. 28. & indicat Sotus in 4. d. 35. q. vn. a. 1. ver. de alio verò argumento. Multóque minùs vxor tenetur virum, etiam iusta de causa v.g. voti sui exequendi peregrinantem, aut ad bellum proficiscentem sequi cum magno suo incommodo: secùs, si facilè possit. tunc enim ius matrimonij id postulat, sicuti docet Abb. cap. quod super, num. 8. de voto, Couar. in epit. p. 2. cap. 7. initio, num. 7. Sanchez cit. disp. 41. num. 7. 8. & 10. vel nisi mulier sciens tali viro nupserit, ideóque tacitè se ad id obligari: tunc comitari debet, si sine animę periculo possit, teste Abb. in cap. 1. de coniug. leprosorum, numero 8. Syluest. Couar. Sanchez ll. cc.

Quartum Corrollarium. Licet vir & vxor in eo iure quasi pares sint, quòd neuter absque consensu alterius ad longum tempus discedere debeat, vti constat ex natura contractus matrimonialis, & significatur in cap. 1. de coniug. leprosorum ibi: *Cùm vir & vxor vna caro sint, non debet alter sine altero diutius esse*: præterquam si causa necessaria diuturnam absentiam postulet; vt si Princeps maritum ad bellum euocet, vel ratio gubernandæ, & alendæ familiæ eum peregrinari cogat: Attamen in hoc maritus superior est vxore, quòd ille arbitratu suo etiam vxore inuita, breuem peregrinationem instituere possit; sed non, vice versa, vxor, si necessitas non exigat, absque viri consensu peregrinari, sicuti ex communi notauit Sanchez lib. 9. disp. 4. num. 15. Ægidius tom. 2. disp. 34. dub. 2. in fine. Pari ratione, licet vir arbitratu suo domicilium eligere possit, & vxorem cogere vt sequatur, non tamen ita vxor, sed solùm si causa necessaria domicilij mutationem exigat, sicuti notauit Sanchez in fine cit. disp. 41.

Quamobrem sequamur valde probabilem, magisque receptam sententiam Glos. in cap. 1. Qui matrimonium accusare possunt: Quòd vxor maritum relegatum sequi teneatur, non obstante, quòd is culpa sua ad talē necessitatem redactus sit, dummodo contra fidem matrimonij non deliquerit: quemadmodum & seruus seruitutis iure domini exulantis infortunium sequi cogitur: Idem omnino, secundùm hanc sententiam, dicendum esse videtur de exulante vxore, quòd vir eam sequi teneatur, si sine magno incōmodo suo possit: cùm vir & vxor, quòd attinet ad obligationem cohabitandi, & mutuò adhærendi pares existant, argumen. l. si cùm dotem, §. si maritus, ff. soluto matrimonio, ibi: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem viri participem esse?* Fateor tamen, frequentiùs occurrere posse causam, ob quam tale vxoris infortunium maritus sequi non teneatur. 4

Simili quoque ratione, sicuti vir vxorem ab alio retentam vendicare potest, adiectā causā iuris, quo in potestate illius est, siue ad ipsum pertinens, ita etiam, vice versa, vxor maritum sibi vēdicare potest, adiecta causa iuris tum diuini, tùm canonici, quo potestatem in corpus viri obtinet ad mutuam cohabitationem &c. sicuti docet Abb. in c. illud quoque, num. 10. de præsumpt. & Sanch. lib. 9. disp. 4. n. 9. 5

Corrollarium V. Quòd marito concessum est vxorem delinquentem castigare, l. rei iudicatæ, ff. soluto matrimonio &c. debet tamen esse castigatio moderata magis, quàm ea quæ est mancipiorum; quin & liberorum. Etsi enim vxor viro subdita sit, est tamen interim socia, & adiutrix domesticæ administrationis: ideóque quodammodò par. Neque refert, etsi vxor grauiter deliquerit; quia acris castigatio, si eam delicti grauitas postulet, Iudici relinquenda est, cuius est iuridicam, & delicto condignam pœnam inferre, vt mox ampliùs explicabo. 6

Quæri enim hoc loco vniuersim potest: Quousque se extendat ius patrisfamilias ad punienda delicta domesticorum. Pro solutione supponendum: Quòd punire, seu corrigere alterum per modum vindictæ actus iurisdictionis est, ad potestatem superiorem pertinens, comparatione subditorum. Talis autem potestas iurisdictionis exinde quasi naturaliter promanat, quòd plures homines in vnam societatem, vel familiam coeunt; non enim posset talis societas diu conseruari, nisi esset in ea potestas coërcendi, & puniendi singulos tanquam membra totius corporis, si à rectitudine honestatis declinent.

Hoc posito, Respondeo, & dico I. Paterfamilias habet ius delicta domesticorum moderatè, ac leuiter puniendi. Ita colligitur ex l. vn. C. de emend. seruorum, & l. vn. C. de emendat. propinq. l. aut facta, ver. causa, ff. de pœnis, & docet S. Tho. 2. 2. quæst. 65. a. 2. Abb. cap. cùm contingat, num. 20. de foro compet. Sanchez lib. 10. disp. 18. num. 16. Pet. Nau. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 459. Mol. tr. 3. de iust. disput. 2. & alij communiter. Ratio est: Quia potestas coercendi, ac puniendi, prouenit ex conditione Communitatis: quare cum ciuitas, vel similis Resp. sit perfecta communitas; ideo qui præsunt ciuitati habent perfectam potestatem coercendi, & inferendi pœnas graues, & irreparabiles, vt mutilationis, mortis. At verò familia domus est communitas imperfecta, quare qui præest familiæ, videl. paterfam. & participatiuè etiam materfamilias habens 7

potestatem coercendi, & pœnas inferendi domesticis tantum modo leues: cuiusmodi est v.g. subtractio cibi, verberatio aliqua, spectata personæ qualitate. Ita S. Th. cit. a. 2. ad 1.

Pro pleniore autem intellectu aliqua notanda sunt: I. Hoc ius coercendi, quod habet paterfam. non tantùm est ad emẽdationem delinquentis; (nam alioquin sequeretur, quod delinquente iam emendato non esset licitum eum castigare) sed est etiam ad veram punitionem criminis, quatenus potestas œconomica patrisfam. se extendit, sicuti bene docet Petr. Nau. n. 462. contra Sotum lib. 5. de iust. q. 2. a. 2.

II. Cùm congregatio familiæ subordinata sit toti congregationi ciuitatis, aut Reipub. cuius illa pars est: consequenter etiam potestas patrisfamilias subiecta sit publicæ potestati: ideo considerare oportet, quantam potestatem publicus Magistratus vel lege, vel consuetudine ciuibus permittat puniendi suos domesticos: tantam enim, & non maiorem in eos exercere possunt, dummodo delicta exigant. Et verò iure imperij, earúmque gentium quæ in hac re Romano iure vtuntur, non est concessa potestas patrifamilias, nisi inferendi pœnas leues, & reparabiles: pœna autem atrox, qualem grauia delicta exigunt, publico Magistratui reseruari solet. Cuiusmodi pœnæ etiam sunt exilij, carceris, adeò vt in l. vn. C. de priuatis carceribus, sub capitis pœna prohibitum reperiatur, ne quisquam, seu domi, seu in agro, priuati carceris custodiam habeat. Quare etiam S. Tho.
8 ait cit. quæst. 65. art. 3. ad 3. *Simpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum solùm pertinet, qui habet disponere vniuersaliter de actibus & vita alterius*; id est ad publicas potestates, sicuti explicat Mol. citat. disput. 2. numero 17

Dicit autem, *simpliciter*: Nam per accidens, quatenus necesse est ad impediendum malum aliquod, etiam non subditus ad tempus includi, vel ligari posset, donec remedium aliud afferetur. Deinde monet Molina, dictam prohibitionem intelligendam esse de carcere perfecto, & ordinario. Nam apud plerasque gentes concessum est patrifamilias, vt in casu alicuius delicti filium, vel seruum ad breue tempus includere, vel alio vinculo, etiam punitionis causa constringere possit, vti etiam ex communi annotauit Prosper Farinacius in praxi criminali lib. 1. tit. 4. q. 27. n. 25. qui hanc materiam plenè persequitur.

9 III. In punitione domesticorum, vt iusta & legitima sit, tria concurrere debent; Videlicet causa puniendi, conditio personæ punibilis, recta intentio punientis. Quod ad causam attinet siue delictum, necesse est, vt pœna (cuius inferendæ potestatem habet paterfamilias) commensuretur delicto, illudque non excedat. Sin verò ponamus delictum esse atrox, puta adulterium, furtum rei notabilis, cuiusmodi punire ad publicam tantùm potestatem pertinet, non prohibetur quidem paterfamilias illud castigare, sed leuiter, & intra limites potestatis suæ, vt interim magistratui ius publicè puniendi integrum maneat, si ad eius tribunal deferatur. Vide de hac re Victoriam relect. de potest. ciuili, in fine.

Quod ad alterum attinet, sunt quædam personæ domesticæ, obsequijs dominorum addictæ, quas propter status libertatem, & ætatis maturitatem non decet, nec consuetum est verberare: sicuti nec mechanici, qui pro constituta mercede laborant, à magistris suis verberari se, & vt seruos tractari patiuntur, sicuti notauit Mol. loco cit. n. 19.

Quod ad tertium attinet, requiritur, vt percussio fiat non ex odio, sed ex charitate erga delinquentem, vt emendetur, vel ex zelo iustitiæ, quia dignus est tali pœna ad aliorum domesticorum exemplum. Quamobrem etiam ita contra puniendum concitari potest, dummodo moderata sit: excessus autem censeri debet peccatum veniale, per se loquendo. Quòd si inflictio pœnæ ad neutrum finem necessaria videatur, videl. nec ad delinquentis emendationem, nec vt alij in officio retineantur; præstabit tunc misericordia vti, & pœnam remittere, sicuti Mol. notauit n. 15.

Dico II. Frater, & alij propinqui, quamuis natu 10
maiores sint, non habent potestatem coercendi consanguineos, per modum pœnæ, seu vindictæ. Ita ex communi Pet. Nauar. citat. cap. 3. numero 465. Ratio est: Quia talis potestas puniendi propria est superioris erga subditos: consanguinei autem minores ætate, vel sexu, non sunt subditi maioribus. Excepto, si eorum curæ, vel potestati seu expresse seu tacitè cõmissi sint: vt si puer, vel adolescens in domo & familia fratris ætate maioris, vel patrui sui habitet, vti colligitur ex citat. tit. Cod. de emendat. propinquorum, §. Quòd si atrocitas, ver. domesticę emendationis. Verùm per modum correctionis ad cauenda damna vel delinquenti, vel familiæ impendentia, nihil prohibet, quominus frater v.g. sororem moribus leuem, etiam suæ curæ specialiter non commissam, coerceat, vel castiget, sicuti annotauit Petr. Nau. num. 465.

RESTAT QVÆSTIO, Vtrum vxor ad laborandum marito obligetur? Respondeo ex doctrina Glos. in l. sicut, ff. de operis libertor. Abb. in c. literas, numero 27. de restitut. spoliatorum, Angeli ver. vxor, §. 2. Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 3. dub. 12. Sanchez lib. 6. disp. 6. n. 14. Vel loquimur de laboribus ad gubernationẽ & sustentationẽ familiæ spectantibus, coquendo, lauando &c. In his spectãda est tum regionis cõsuetudo, tum conditio & status vxoris: Vtrum ea plebea sit; talis enim ad eiusmodi labores obligatur, sicuti colligitur ex l. sicut patronus, ff. de bonis libertorum. An verò nobilis existat, vt eam eiusmodi seruiles labores dedeceant. Adde ex l. sed si vir, 11
ff. de donat. inter virum & vxorem, si vxor ex materia, v.g. lana viri, vestimentum aliquod suis, vel ancillarum operis confecerit, opus confectum ad maritum pertinere.

Vel loquimur de laboribus ad lucrum referendum, v.g. nendo: Tunc distingue, vtrum vxor dotem sufficientem marito attulerit, an non. Primo casu, non potest cogi ad operandum marito habenti sufficientes facultates ad familiam alendam. Quia hoc casu maritus vxorem ex allata dote alere tenetur, iuxta l. si cùm dotem, §. sin autem, ff. soluto matrimonio, & l. 2. Cod. de iure dotium. Quamobrem si quid vxor in hoc casu lucratur, ad ipsam pertinere debet. Sin verò vxor marito dotem sufficientem non attulit, cogi potest à marito ad laborandum & lucrandum ipsi, saltem per subtractionem alimentorum; quo ipso etiam modo pater liberos compellere potest ad labores non indecentes, argument. l. si quis à liberis. §. Idem iudex, ff. de liberis agnoscendis.

CAP. III.

De fide tori seruanda.

SVMMARIVM.

1 *Coniugi non licet ad alias nuptias transire, priùsquam certum nuntium, aliámue moralem certitudinem acceperit de morte coniugis.*

2 *Propter probabilem, non certam credendi causam quòd coniunx mortuus sit, non est alteri coniugi, saltem in externo foro permittendum, vt aliud matrimonium contrahat.*

HÆc est tertia obligatio ad bonum fidei coniugalis 1
pertinens, vt coniunx ad aliam personam copulandi causa non accedat, quamdiu coniunx eius viuit. Hoc enim est adulterij crimen, de quo dixi lib. 3. tract. 3. de iust.

iust. p.3. c. 1. Hic verò quæstio tractanda occurrit; Quàm exploratus esse debeat coniugis absentis obitus, vt alteri ad alias nuptias accedere permittendum sit. Extat responsio Clem. III. c. in præsentia, de sponsal. de mulieribus, quæ viros in causa captiuitatis, vel peregrinationis vltra septennium absentes præstolatæ, post diligentem inquisitionem ob carnis fragilitatem alteri nubere volunt: *Ne permittas eas contrahere donec certum nuntium recipiant de morte virorum.* Et Alexandri III. in c. dominus, de secundis nuptijs: *Super matrimonijs, quæ quidam nondum habita obeuntis coniugis certitudine, contraxerunt, id vobis respondemus, vt nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quòd ab hac vita migrauerit coniunx eius.* Ratio est: Quia quamdiu non habetur moralis certitudo, sed dubium aliquod manet de coniugis morte, periculum est, ne secundum matrimonium inualidè contrahatur, & fornicariè consummetur, ergò tutior interim pars tenenda, & à nuptijs abstinendum est.

Quærunt autem Doctores primò: Vtrum sufficiat testis, qui iuratus deponat de morte coniugis? Affirmat Abb. in citat. cap. in præsentia, num. 6. contra Bartol. in l. 2. §. si dubitetur, ff. Quemadmodum testamenta aperiantur.

Quærunt secundò; vtrum communis, & constans fama de more coniugis sufficere debeat? Affirmat Clarus lib. 5. sentent. §. fornicatio, num. 31. ver. Sed pone. contra Abb. citat. num. 6. Veracrux p. 1. speculi, art. 42. conclus. 2.

Sed facilis ad hæc ex dictis est responsio; Requiri certitudinem moralem, qualis ordinariè non habetur per vnius testimonium; multò minùs per famam, si sola sit: secùs, si quæ singula non sufficiunt, simul concurrant; vel aliæ etiam coniecturæ, seu adminicula credendi adsint, puta si vir senex fuit, vel in acie conflixit, & diu expectatus non redijt, atque insuper oculatus testis adest, vel publica fama de eius morte testificans: hoc casu, si exactior certitudo, pleniórue probatio haberi non possit, sufficere debet valde probabilis præsumptio: cùm & hæc moralem dubitationem excludere soleat, sicuti colligitur ex c. quoniam, §. Porrò: *Si autē de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur,* vbi id docet Glos. ver. præsumatur, S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 9. prope finem, Nauar. cap. 22. numero 53. & lib. 4. consil. 1. de secund. nuptijs, edit. 2. Syluest. ver. matrimonium, 8. quæst. 13. dicto 4. Sanchez lib. 2. disput. 46. quæst. 2. Philiarchus t. 1. p. 2. lib. 2. cap. 9. Rodriquez p. 1. summæ, cap. 233. conclus. 2. vbi monet, post Gutierez lib. 1. pract. qq. q. 8. in fine: Si coniunx de morte coniugis iudicio viri prudentis censeatur habere moralem certitudinem, seu valde probabilem præsumptionem, qualem iura requirunt, opus non esse, vt ab Ordinario licentia petatur contrahendi alias nuptias; ideóque Parochum absque tali licentia matrimonio assistere posse; quamuis longè tutius sit rem ad Ordinarium deferre; imò id necessarium esse arbitror, quoties rationabiliter dubitatur, an certitudo, vel præsumptio de obitu coniugis sufficiens sit, nécne. Quare etiam Abb. in citat. n. 6. denique ait: *In summa hanc materiam relinquerem arbitrio iudicantis, vt diligenter omnibus ponderatis consideret, vtrum de morte sit facta certificatio.*

Ad extremum quæri potest: Si neque testis, neque fama adsit affirmans de morte coniugis; adsint tamen alia magna indicia, seu coniecturæ non existere ampliùs in viuis. Exemplum habes: Quidam in amentiam, ac furorem actus, aliquoties sibi ipsi necem inferre attentauit; postea vinculis constrictus fuit, ex quibus denique erupit: quò autem peruenerit, licet diu diligenter quæsitus, nulla relatione sciri potest, atque ab eo tempore octo, vel decem anni intercesserunt, vtrum relictæ eius mulieri ad alias nuptias transire licitum sit?

Inprimis suppono: Consideratis omnibus, haberi in hoc casu indicia sufficientia ad gignendam verisimilem persuasionem, opinionémque de morte mariti: non tamen sufficientia ad gignendam certitudinem etiam moralem, cùm fieri possit, hominem insanum, & à vinculis, quibus ante tenebatur, nimis abhorrentem, in longissimas partes fugisse, atque ibi incognitum, vel nouis vinculis constrictum latitare.

Igitur difficultas in eo versatur, vtrum propter verisimilem præsumptionem, & probabilem credendi causam, intercessisse mortem prioris mariti, mulieri concessum sit ad secundas nuptias transire? Respondeo, & dico I. Valde probabilis est sententia Rosellæ ver. impedi- 2
mentum, imped. 12. S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 9. in fine, Syluestr. ver. matrimonium, 8. quæst. 13. dicto 2. & 4. Philiar. de offic. Sacer. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 9. Quòd mulier in tali casu nihil peccaret, si cum eiusmodi valde probabili persuasione, ac præsumptione, atque iustissima credendi causa, quòd prior maritus mortuus sit, adeóque bona fide, si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret. Quamobrem Confessarius in conscientiæ foro id psi permittere: & Iudex in foro externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret, neque mulierem punire, neque à secundo viro separare deberet, donec cognitum esset priorem maritum adhuc viuere. Idque apertè sumitur ex cap. cùm per bellicam, 33. quæst. 1. Ratio vero est: Quia in moralibus, in quibus plerumque certitudo omnino haberi non potest, homini ad instituendas actiones suas sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa opinio, seu præsumptio.

Dico II. Iudex Ecclesiasticus in tali casu indiciorum, & probabilis præsumptionis, non autem indubitatæ certitudinis de morte coniugis, licentiam & potestatem dare non potest ad secundas nuptias transeundi. Primò: Quia hæc est sententia Doctorum communissima, & pene omnium, vti videre est apud Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 46. q. 1. Consequenter hæc est Consistoriorum praxis: cùm à sententia receptissima, præsertim in causa tam ardua, qualis matrimonialis est, in iudicando recedendum non sit.

Secundò: Quia sacri canones hanc partem negantem sufficienter tradiderunt, videlicet c. dominus de secundis nuptijs, & c. in præsentia, de sponsalibus. Vtroque enim loco præcipitur Ordinario, vt ad secundas nuptias mulieres transire non permittat, nisi constet, seu certitudo habeatur de morte maritorum. Vbi autem, nec testimonium vllum de ipsa morte, neque etiam indicia indubitata mortis proferri possunt, non adest certitudo.

Tertiò: Si permissum esset in Ecclesijs ob probabilem præsumptionem de morte coniugis, alteri licentiam dare secundarum nuptiarum: facilè foret eiusmodi licentiam extendere, vt Iudici videatur præsumptio iusta, ac probabilis, vbi non est: quod in magnam sacramenti irreuerentiam, matrimoniorum confusionem, & Ecclesiæ scandalum cedere posset. Ideóque existimandum est, Summos Pontifices in citatis sacris canonibus præcipere voluisse Iudicibus Ecclesiasticis, quòd in tali casu, in quo de maximo præiudicio prioris matrimonij agitur, præsumptio esse debeat ipso iure firmata, priorem coniugem adhuc viuere, donec hæc præsumptio certis contrarijs testimonijs, aut probationibus infirmaretur.

Quartò, Iudex, præsertim Ecclesiasticus, bonum publicū Ecclesiæ, & reuerentiam sacramentorum præferre debet priuato commodo. Si autem in tali casu licentia secundi matrimonij denegatur, solùm timeri potest

periculum incontinentiæ, quod tamen mulier cum Dei gratia vitare potest. Si autem licentia concedatur, & publica Ecclesiæ approbatio, maius imminet periculum publici scandail, sacramenti irreuerentiæ &c. si fortè prior maritus adhuc viuat.

Solùm contra hæc obi ci posse videtur c. quoniam, §. porro, vt lite non contestata &c. *Si de carnali coniugio sit agendum, tamdiu alteruter coniugum expectetur, donec de ipsius obitu verisimiliter præsumatur.* Ergo sufficit verisimilis præsumptio, vt Iudex alterum matrimonium permittere possit.

Ad id optimè respondet Abb. Panormit. in cit. §. porrò, num. 12. Huius c. casum esse longè diuersum à nostro. Nam Innoc. III. Papa in illo c. quoniam, hoc respondit: Si causa, siue lis in iudicium deueniat, num matrimonium verum sit, quia allegatur v. g. impedimentum dirimens, testes priùs recipiendos non esse, neque vlteriùs procedendum, quàm lis contestata sit: excepto, si reus malitiosè lateat, vel legitimè citatus comparere nolit. Sin verò legitimè absens sit, & facilè venire, aut citari non possit, tunc expectandum esse donec verisimilis præsumptio habeatur de morte illius dubij coniugis. Quare mirum non est, quòd in hoc casu non requiratur omnimoda certitudo mortis, cùm non agatur de maximo præiudicio, sicuti in citat. cap. in præsentia; sed tantùm de hoc præiudicio, vt testes recipiantur, & iuxta allegata & probata ad definitiuam sententiam procedatur, in absentia partis.

Ad extremum id certum esse debet, & expressè definitur in c. 1. & seqq. 34. q. 1. & ab Innoc. 1. epist. 9. ad Probum, si post secundas nuptias, quamuis bona fide, & sine dolo celebratas, prior maritus reuertatur, dissoluto posteriore putatitio matrimonio, restituendam ipsi fore vxorem suam.

CAP. IV.

De bono prolis.

SVMMARIVM.

1 *Prolis generatio est præcipuus finis actus coniugalis, nisi per accidens, videl. propter sterilitatem, aut senectutem, desperetur prolis.*
2 *Licitum est coniugio vti ob vitandam incontinentiam, non tantùm in coniuge, sed etiam in seipso.*
3 *Solius corporalis sanitatis causa coniugio vti, videtur esse culpa venialis.*
4 *Propter voluptatem, tanquam finem operationis, coniugio vti, est veniale peccatum.*

1 EXTRA controuersiam est, quòd prolis generatio præcipuus finis sit actus coniugalis, quem proinde coniuges excludere nunquam debent; sed implicitè saltem, ac virtualiter intendere: Nisi per accidens ob senectutem, vel sterilitatem desperetur proles: ideóque intendi non possit, cùm nemo operans intendat ad id, quod fieri non posse arbitratur.

Quæstio autem est, vtrum coniuges etiam propter alios fines actum coniugij exercere possint; puta vt incontinentiæ periculum effugiant, vt corporis sanitatem seruent, voluptatem capiant.

2 Assertio I. Licitum est coniugio vti ob vitandam incontinentiam, non tantùm in coniuge, sed etiam in seipso. Ita contra S. Thom. in 4. distinct. 31. quæst. 2. a. 2. ad 2. S. Bonau. ibid. art. 2. quæst. 2. docet Durandus ead. dist. 31. quæst. 4. Palud. q. 2. a. 3. Maior quæst. vn. conclus. 4. Caiet. ver. matrimonium, cap. de matrimonij peccatis, Nauar. c. 16. num. 32. Michael Medina de sacrorum hominum continentia, lib. 3. cap. 13. Philiarchus t. 1. de offic. Sacerdotis, p. 2. lib. 4. cap. 19. Ægidius Coninck t. 2. disp. 34. dub. 7. concl. 1. Sa ver. debitum, num. 5. Nam matrimonium post lapsum hominis in peccatum, à Deo ordinatum est, vt in remedium concupiscentiæ sit; sicuti Apostolus indicat 1. Corinth. 7. *Propter fornicationem* vitandam, *vnusquisque suam vxorum habeat.* Et paulò post, *Reuertemini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.* Nec refert, quòd postea subiungat: *Hæc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* Non enim ita loquitur quasi minus malum permittat, vt maius malum vitetur; sed quia minus bonum coniugij indulgeat, eò quòd maius bonum continentiæ in præcepto non sit, & multis difficile accidat, sicuti explicat Med. cit. loco.

Neque placet limitatio, quam adhibent Palud. in 4. distinct. 31. quæst. 2. a. 2. S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 11. Veracrux p. 3. speculi, a. 16. conclus. 1. prope finē, Sanchez lib. 9. disp. 9. n. 4. Matrimonij vsum petere causa incontinentiæ vitandæ, tunc solùm licitum esse: si alia remedia carnis coercendæ coniugi non sufficere videantur. Cur enim semper necesse sit noua remedia præferre, quādo & hoc medium coniugalis vsus bonum est, ad eum etiam finem à Deo ordinatum, ab Apostolo commendatum? Profectò valde anxij reddentur coniuges, præsertim qui sine spe prolis copulantur, si examinare debeat, num alijs modis, v. g. ieiunijs aliisue carnis afflictionibus incontinentiæ suæ mederi possint. Vide Ioan. Maiorem cit. concl. 4.

Assertio II. Solius corporalis sanitatis causa coniugio vti probabile est esse culpam venialem. Ita S. Thom. in 4. dist. 31. q. 2. a. 2. ad 4. supplem. S. Thom. quæst. 49. a. 5. ad 4. Palud. quæst. 3. a. 3. Anton. cit. §. 11. P. Ledesma q. 49. a. 5. dub. 4. Veracrux cit. a. 16. cōcl. 2. Henriq. lib. 11. c. 15. num. 5. Nam hæc est sanctorum hominum persuasio, carnalem commixtionem non vacare culpa, & deformitate, nisi vel bono fidei coniugalis, cùm videlicet petenti ex iustitia debitum reddere necesse est, vel bono prolis generandæ, adde tu, continentiæ coniugalis seruandæ cohonestetur. 3

Dixi autem *solius*: Quia fatentur Doctores, nullam culpam esse, si coniugij vsus principaliter referatur ad prolis generationem, vel, eâ desparatâ, ad incontinentiam vitandam, secundariò verò, & concomitanter ad bonum corporalis sanitatis, aliúmue honestum finem. Verùm si proles desperata sit & nullum periculum incōtinentiæ vrgeat, tunc existimant plerique, vsum coniugij non vacare culpa in petente, secùs in reddente. Quamquam, vt verum fatear, hæc sententia demonstrari non potest, ideóque contrarium non improbabiliter docent Maior d. 32. quæst. vn. §. his præmissis, concl. 5. Sa & Coninck ll. cc. alij que apud Veracrux citat. conclus. 2. in fine. Cùm enim matrimonium præcipuè institutum sit ad propagationem speciei: videtur etiam secundariò institutum esse ad conseruationem indiuidui: quandoquidem species, nisi saluis indiuiduis, propagari non potest. Id verò pro certo tenendum est, si aliud seruandæ sanitatis medium non suppetat, quod rarò fit, tum nihil culpæ esse, ob hunc solum finem coniugio vti, sicuti docet Henriquez cit. n. 5. Sanchez lib. 9. disp. 10. n. 3. contra Ledesmam cit. q. 49. a. 5. dub. 4. post concl. 2.

Assertio III. Propter voluptatem, tanquam finem operationis, coniugio vti peccatum veniale est. Ita S. August. lib. de bono coniugij, cap. 6. *Coniugalis concubitus generandi causâ, non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ, tamen cum coniuge, venialem.* Et consentiunt S. Scholastici in 4. distinct. 31. vbi S. Thom. quæst. 2. art. 3. S. Bonau. art. 2. quæst. 3. & alij apud Sanchez lib. 9. disp. 11. n. 4. contra Maiorem loco cit. concl. 7. Ratio est: Quia non bonum delectabile, quod est naturæ sensitiuæ congruum, 4

gruum, sed bonũ honestum, quod naturæ rationali consonũ est, humanarum actionum finis esse debet. Et cùm voluptas à natura indita sit gratia operationis naturalis acuendæ, promptiorisque efficiendæ, profectò cum naturali rerum ordine pugnat, qui operationem ad voluptatem refert: id est, ideo operatur, v.g. cibum, potum, somnum &c. capit, vt voluptate fruatur. Veruntamen admittere, & amplecti voluptatem in ijs operationibus, quibus eam natura adiunxit, tanquam inseruientem ad proprios fines, non est dissonum rectæ rationi. Quamquam, vt rectè notauit Franciscus Arias tr. 2. de mortificat. sui, cap. 22. *Seruus Dei laudatissimè faciet, si toto pectore desideret, si possibile foret omnem delectationem abesse à cibo, & alijs eiusmodi.*

CAP. V.

De filijs legitimis, & illegitimis, ac horum legitimatione.

SVMMARIVM.

1 *Inter legitimè natos alij verè tales sunt, alij secundùm iuris benignam dispositionem.*
Qui suscepti sunt ex matrimonio non vero, tamen bona fide, saltem alterius coniugis, in facie Ecclesiæ celebrato, pro legitimis habentur.

2 *Conceptos illegitimè matrimonium subsequens purgat; si parentes conceptionis tempore, vel secundùm quosdam, tempore natiuitatis ad contrahendum inhabiles non fuerant.*

3 *Filij illegitimi alij naturales sunt, alij non naturales. Inter quos canonico iure hoc discrimen est, quòd illi suscepti sint à parentibus, inter quos tempore conceptionis (vel secundùm quosdam, tempore natiuitatis) matrimonium consistere poterat, alij verò non naturales ex coitu damnato suscepti fuerint.*

4 *Iure canonico omnibus illegitimè natis etiam spuriis, ex damnato coitu ortis, parentes necessaria alimenta præbere debent. Licet Cæsareo iure aliud decretum reperiatur.*

5 *Cura alendi prolem legitimam ad patrem pertinet: sed illegitimam primo triennio mater, postea pater alere debet.*

6 *Si mater ad paupertatem, vel infirmitatem, puero lactando vacare non possit, aut si nobilis sit, cui secundùm morem patriæ dedecori vertitur prolem lactare, patris impensis nutrix adhiberi debet.*

7 *In defectum patris, aliorúmque ascendentium per lineam paternam, mater aliique per lineam eius ascendentes prolem inopem alere coguntur.*

8 *Alimenta ea, quæ absolutè necessaria sunt ad vitam, parentes filijs suis quibuscunque, & quantumuis sceleratis naturali iure debent.*

9 *Filij naturales, si nec proles legitima adsit, nec vxor superstes, succedunt, patri suo ab intestato in duabus vnciis, & vnà cum illis mater.*

10 *Testamento, vel donatione concessum est patri legitimam prolem habenti, naturalibus filijs, vnà cum eorum matre, vnciam tantùm hæreditatis relinquere: sin mater absq; liberis superstes sit, semiunciam. Sin liberi legitimi non extent, etiam ex asse filij hæredes institui possunt.*

11 *Matri, spectato iure communi Cæsareo, naturales liberi vnà cum legitimis tam ab intestato, quàm ex testamento succedere solent, excepto feudorum iure.*

12 *Etiam nothi, seu vulgo concepti, matri & parentibus maternis, nisi ea illustris sit, vnà cum legitimis succedunt, secundùm ius commune Cæsareum: ad patris verò successionem non admittuntur.*

13 *Qui ex damnato coitu orti sunt, ascendentibus suis nec ex testamento, nec ab intestato succedere possunt: sed nec ascendentes ad eiusmodi filiorum successionem admittuntur.*

14 *Fratres illegitimi, si vterini sint eorúmque filij & nepotes consanguinitatis iure inter se succedunt: Sed fratres non vterini nullum ius agnationis inter se habere censentur.*

15 *Potest tamen frater fratrem illegitimum, etiam spurium, hæredem instituere: sicuti & alij eius cognati, præter ascendentes.*

16 *Duplex est legitimatio, seu natalium restitutio, vna ad Ecclesiastica iura, & altera ad ciuilia.*

17 *Legitimatio ad feuda, vel propriorum liberorum, item spuriorum, odiosa est, & non facilè concedi solita.*

18 *Spuriorum non est propriè dicta legitimatio, sed potiùs dispensatio quædam.*

19 *Episcopi communi iure dispensare possunt cum illegitimè natis ad ordines minores tantùm, & simplicia beneficia.*

20 *Qui habet potestatem legitimandi: censetur etiam habere potestatem dispensandi cum illegitimo, in ordine ad certum effectum, sed non vice versa.*

21 *Religiosi natalium defectu laborantes ipso iure dispensati esse censentur ad ordines sacros.*

22 *In dubio quisque censeri debet legitimè natus.*

23 *Si post nuptias contractas exacto mense septimo, nondum aduentante fine mensis vndecimi, proles nascatur, pro legitima haberi potest.*

FILII, & filiæ vel legitimi sunt, vel illegitimi. Legitimi sunt primò, Qui ex vero matrimonio suscepti sunt. Secundò, Qui suscepti sunt ex matrimonio non vero, attamen in facie Ecclesiæ celebrato, & bona fide, saltem vnius coniugis, consummato. Etsi enim post illorum conceptionem matrimonij impedimentum detegatur, pro legitimis tamen, benigna iuris dispositione, habentur: dummodo bona fide, saltem alterius parentis, concepti sint, quamuis post litis contestationem super impedimento matrimonij, sed ante Iudicis sententiam, vti constat ex cap. 2. c. ex tenore, Qui filij sint legitimi. Vbi etiam notant Doctores in dubio ob fauorem liberorum præsumendum esse, quòd bona parentum fide ex putatitio matrimonio concepti fuerint. 1

2 Tertiò, Qui ex personis solutis fornicariè, & illegitimè concepti erant, matrimonio postea inter illas contracto legitimantur; sicuti constat ex l. cùm quis, ff. de naturalibus liberis, Auth. Quibus modis naturales efficiuntur sui, collat. 6. & Instit. de nuptiis, §. vlt. & tit. 4. decret. Qui filij sint legitimi, c. 1. & c. tanta, eod. tit. vbi dicitur: *Tanta est vis matrimonij, vt qui antea illegitimè sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur*: quod Gl. ibi & Abb. num. 4. & 7. dicunt intelligendum esse quoad omnia, vt nimirum in hæreditate, feudo, primogenitura, non minùs, quàm alij legitimi, succedere; itémque ad ordines, beneficia, dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopales, absque alia dispensatione, promoueri possint, quia benigna iuris dispositione, ac veluti fictione, matrimonium subsequens trahitur retro ad tempus conceptionis liberorum. Quare dici solet, quòd matrimonium subsequens omnia antecedentia purgat. Necesse tamen est, vt parentes eo tempore quo proles suscepta est, ad contrahendum legitimum inter se matrimonium habiles, seu nullo impedimento astricti fuerint; alioquin proles subsequente matrimonio non legitimabitur, sicuti habetur in cit. c. tanta.

Dubium verò est, vtrum satis sit alterutro tempore, videlicet conceptæ, vel natæ prolis, parentes ad matrimonium habiles fuisse? Circa quam quæstionem certum esse debet, satis esse tempore conceptionis impedimentum nullum existere, licet tempore natiuitatis existat: Vt si proles suscepta sit inter personas solutas, sed nata eo tempore, cùm mater eius cum alio viro contraxit, si postea eo mortuo secundas nuptias ineat cum viro illo ex quo proles olim concepta erat, legitimabitur, vti docent Abb. cit. c. tanta, n. 3. Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 2. n. 18. Suar. t. 5. disp. 50. s. 1. n. 4. Ratio est: Quia iura solùm prohibent prolẽ legitimari, si ex coitu dãnabili, puta inter personas cõtrahere impeditas suscepta sit: talis autem proles non est suscepta ex coitu damnabili. Ergo &c.

Incertum vero est, si vice versa, parentes tempore natæ, non item conceptæ prolis ad contrahendum inter se habiles fuerint, vtrum secuto postea legitimo matrimonio, legitimetur? Exempli causa: Si aliquis ex coniugata conceptus fuit, natus autem post mortem mariti, vel conceptus ex Clerico sacris ordinibus

initiato, natus verò post dispensationem Sum. Pontificis.

Quòd talis sequente matrimonio legitimetur, affirmant Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 2. n. 2. Molina to. 1. tr. 2. disput. 171. Andr. Fachinæus lib. 3. controuers. c. 50. Vasq. tr. de testam. c. 5. n. 27. quæ sententia fauorabilis, & ob DD. auctoritatem probabilis est. Sed cōtraria iuri cōformior, quam docet Syl. ver. filij, q. 8. in medio, Suar. de censuris, disp. 50. s. 1. Quia leges solùm attendunt ad copulam, quę si habita est inter personas impeditas, nolunt eam purgari subsequente matrimonio, sicuti colligitur ex cit. c. tanta, *Si vir viuente vxore aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Quibus verbis nihil etiam distinguitur, vtrū mulier sciuerit virum, quo cum copulata est, coniugatum esse, an verò ignorauerit: vt proinde etiam hoc casu spurium nasci, & sequente matrimonio non legitimari, probabilius videatur, sicuti ex communiore docent Couar. n. 20. Andr. Fachin. lib. 3. controuer. iuris, cap. 55. Suarez cit. s. 1. num. 5. & 11. contra Gl. in cit. cap. tanta, ver. aliam.

3 Filij illegitimi alij naturales sunt, & alij non naturales, qui à quibusdam spurij vocantur. Naturales canonico iure ij omnes censentur, qui suscepti sunt à parentibus, inter quos matrimonium tempore conceptionis (vel natiuitatis, secundùm probabilē quorundā sententiam) absque impedimento iuris dirimente consistere poterat. Non naturales autem, atque spurij canonico iure ij solùm dicuntur, qui suscepti sunt ex parentibus, inter quos matrimonium dicto tempore consistere non poterat: quare ijdem ex damnato coitu nati dicuntur. Sic ex communi docent Couar. cit. c. 8. §. 5. n. 1. Mol. t. 1. tract. 2. disp. 165. Suar. cit. disp. 50. sect. 2.

At verò secundùm ius Cæsareum alia illegitimorum est distinctio. Diuiduntur enim primò in naturales, & non naturales: sed naturales ij solùm censebantur, qui nati erant ex concubina vnica domi retenta, cum qua matrimonium contrahi potuisset, Authent. Quibus modis naturales efficiuntur, §. si quis autem defunctus. Non naturales verò, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset, nati ex coitu damnato censebantur, reliqui autem nothi dicebantur, qui à naturalibus, seu ex cōcubina domi retenta natis, etiam hodie differunt, quòd illorum naturalium pater certus præsumitur donec contrarium ostendatur; nothorum verò incertus, quousque probationibus demonstretur: quamobrem hi spurij, seu vulgò concepti appellari solent.

Aliud porrò discrimen est inter ius Cæsareum, & canonicum, quo illud hodie correctum est. Nam iure Cæsareo patri interdictum erat alimenta præstare spurijs, seu ex coitu damnato ortis, Auth. Quibus modis naturales &c. §. penult. Auth. ex complexu, Cod. de incestis nuptijs, Auth. licet, Cod. de naturalibus liberis. Iure autem cano-

4 nico quibuscunque illegitimè natis parentes alimenta moderata præbere debent, iuxta c. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimonium quam polluerat adulterio, in fine: *Solicitudinis tuæ intererit, vt vterque parentum liberis suis: secundùm quod eis suppetunt facultates, necessaria subministret.*

5 Sunt verò hic aliqua annotanda. Primum ex Gl. communiter recepta in cit. c. cùm haberet, ver. secundùm facultates, Abb. ibid. n. 8. & Gl. in l. nec filium, ver. trimo petenti, Cod. de patria potestate; Curam alendi prolem primo triennio ad matrem spectare, postea verò ad patrem. Quod verum est, si loquamur de prole illegitima; Sin verò de natis ex legitimo matrimonio, absolutè dicendum est, obligationem alendi pertinere ad patrem: cùm ob eam rem dotem accipiat, vt onera matrimonij sustineat, familiámque alat, sicuti notauit Ioan. Faber tit. Institut. de iure natur. gent. & ciuili: Præterquam quòd mater proprio lacte natos suos nutrire debet. Quòd si mater in filium maiores expensas faciat, à patre repetere potest, nisi inops sit, l. si quis à liberis, §. si mater, ff. de liber. agnos- 6
cent. Sicuti & vice versa, si mater ob paupertatē, infirmitatē, &c. puero lactando vacare non possit, patris impendiis nutrix alia adhiberi debet. Idémq; obseruari solet, si mater nobilis sit, cui secundùm patriæ consuetudinem, dedecori vertitur proprium lactare filium. De qua re vide Abb. in c. 2. de cōuers. infidel. n. 4. Couar. cit. c. 8. §. 6. n. 19. & 20. Molinam disp. 168. §. mater, & disp. 228. §. secūdùm: Sunt autem alimenta ita debita propriis filiis, vt ad ea parentes omni iure compelli possint, adeò vt ipsis alimenta detrahere aliud non sit, quàm enecare, ait Abb. ibid. num. 5.

Alterum. Indefectum patris, si is videlicet pauper sit, 7
vel mortuus bona non reliquit, auus paternus prolem alere cogitur: in defectū verò ascendentium paternorum, hæc obligatio ad matrem deuoluitur, vti colligitur ex l. si quis à liberis, §. vtrum autem, ff. de liber. agnosc. & Auth. si pater, C. de diuortio, in fine, & docent Angelus, Syluest. Armilla, ver. alimenta: matre autem deficiente, subuenire debet auus, aliique ascendentes materni, iuxta l. penult. ff. eod. Quæ tamen intelligi debent, si filius indigeat: sin verò aliunde sufficientem sustentationem habeat, vel laborando honestè acquirere possit, spectata qualitate personæ, ac status sui, non tenentur parentes eum alere, iuxta l. si quis à liberis, §. denique idem, ff. eod. Contrà verò etiam ipsi liberi tum legitimi, tum illegitimi ascendentes suos inopes alere obligati sunt, cit. l. si quis à liberis, princ. & explicat Couar. cit. §. 6. Mol. cit. disp. 168.

Tertium. Nomine alimentorum comprehenditur victus, vestitus, habitatio, & cętera, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt, iuxta l. alimētis, ff. de alim. & cibar. legat. & l. verbo cibus, ff. de verbor. signif. Sed debet intelligi de substentatione competente, ac honesta, qualem vir bonus (id est, Iudex in foro externo, in interno foro quilibet prudēs Christianus) arbitrabitur secundū facultatem patris, & liberorum statum, vti colligitur ex cit. c. cùm haberet. Ex quo textu rectè infert. Abb. in cit. tanta, n. 13. Qui filij sint legitimi, & communiter obseruatum esse testatur Gaill. lib. 2. obseruat. 89. quòd pater filio spurio rectè donet, aut testamento relinquat, quod sit instar alimentorum; sicuti & filiæ dotem competentem eodem iure dare non prohibetur.

Sed sciri debet; Alimenta duobus modis æstimari posse, primò quatenus necessaria pręcisè ad vitam sustentandā. Secundò, quatenus requiruntur ad honestam sustentationem vitæ, secundùm qualitatem personæ. Atque hoc posteriore modo accipi debet; cùm dicitur, patrem canonico iure obligari ad præstanda alimenta omnibus liberis suis, etiam illegitimis: quamuis alimentorū quantitas quæ illegitimis debetur, tantò magis decrescat, quantò eorum conditio ex natiuitate vilior est. Iure au- 8
tem Cæsareo talia cōgrua alimenta olim negari debebāt spurijs siue ex coitu damnato conceptis, non item alimēta, quæ ad vitam necessaria sunt, & stricto naturali iure omnibus debentur liberis, quippe quorum natura communis est, ideóque nulla lege, vel consuetudine contrarium introduci potest.

Ex quo etiam infertur; Si filius, vel filia crimen admiserit, ob quod iure exhæredari possit, etiam alimenta ipsi denegari posse, non ea quæ ad vitam necessaria sunt; sed quæ ad congruitatem vitæ, teste Couar. cit. p. 2. epit. c. 8. §. 6. n. 17. licet aliter sentiat Vasq. de testamen. c. 5. n. 132. nihil repugnare, quin filius post pueritiam ob crimen priuetur omnibus alimentis, etiam necessariis, excepto casu necessitatis extremæ.

Inter filios illegitimos naturales, & non naturales dis- 9
crimen est, quòd ad ius successionis attinet. Nam naturales non extātibus liberis legitimis, vel per subsequens matrimonium legitimatis, succedunt patri ab intestato in duabus vnciis hæreditatis: & vnà cum illis mater, æquali portione,

portione, si legitima vxor superstes non sit. Extantibus autem legitimis liberis, omnino excluduntur à paterna hæreditate. Idémque est, si vxor legitima superstes sit: quandoquidem ex successione illegitimi iustum mærorem capere posset: quare datis alimentis competentibus filio illegitimo, hæreditas in hoc casu ad ascendentes, vel alios consanguineos deuoluitur.

10 Testamento verò, vel donatione concessum est patri liberos legitimos habenti, naturalibus, vnà cum matre eorum, vnicam vnciam relinquere: sin verò mater absque liberis superstes sit, semunciam, si plus acceperint, ad restitutionem hæredibus faciendam ipso iure obligantur. Si autem liberi legitimi non extent, permissum est patri illegitimos naturales ex asse hæredes instituere; vel quomodò ei placuerit, bona sua eis donare dummodo ascendentes, si supersint, legitima non priuentur. Habentur hæc in Auth. Quibus modis naturales efficiuntur sui, & Auth. licet, Cod. de naturalibus liberis, & videri potest Mol. tom. 1. tr. 2. disputat. 169.

11 At verò matri, spectato iure communi Cæsareo, naturales tam ab intestato, quàm ex testamento vnà cum legitimis succedere solent, l. si qua illustris, C. ad senatusconf. Orficianum. & Instit. eod. §. nouissimè: Excepto tamen feudorum iure, ad quæ illegitimi non admittuntur, lib. 2. feudorum, tit. Si de feudo defuncti fuerit controuersia, §. naturales. Atque hæc de successione liberorum naturalium.

12 Quòd verò ad non naturales attinet, eorum, secundùm ius Cæsareum, alij sunt nothi, seu vulgò concepti, ij spectato communi iure, matri, & alijs parentibus maternis, vnà cùm legitimis succedunt, l. 2. & 8. ff. vn. de cognati. Nisi mater illustris sit: ab eius enim hæreditate, si liberi legitimi adsint, spurij, seu vulgò quæsiti excluduntur, cit. l. si qua illustris. Ad successionem verò patris eiusmodi illegitimi non admittuntur: cùm eum vel omninò non, vel saltem honestè demonstrare non possint.

13 Alij verò sunt non naturales, qui ex coitu damnato orti sunt; ij omnis successionis in bonis paternis, ac maternis, aliorúmque ascendentium, tam ab intestato, quàm ex testamento, fidei commissaria substitutione &c. incapaces sunt: sicuti & vice versa, parentes succedere non possunt in bonis eiusmodi filij spurij, vti colligitur ex Auth. ex complexu, C. de incestis nuptijs, & citat. Auth. Quibus modis naturales, cap. vlt. & ex communi docet Gl. citat. §. nouissimè, Abb. citat. cap. tanta, numero 1. Nauar. lib. 3. consil. 2. de success. ab intestato, edit. 2. Mynsinger cent. 1. obseru. 35. Couar. citat. cap. 8. §. 5. Mol. tom. 1. tr. 2. disput. 167. concl. 4.

Alij verò præter ascendentes, spurium, etsi ex damnato coitu ortus sit, hæredem instituere non prohibentur, vti notauit Gl. in cit. cap. vlt. Auth. Quibus modis naturales, Abb. in citat. cap. cùm haberet, Mol. cit. disput. 167. conclus. 10. Quinetiam auus, deficiente prole legitima, nepotem, legitimum, aut naturalem ex spurio filio natum instituere potest, modò id non faciat intuitu patris, sicuti ex communi notat Couar. citat. cap. 8. §. 5. num. 19. Mol. concl. 9. Gaill. cit. obseruatione 88. numero 15. Clarus §. testamentum, quæst. 32. Deinde si testator bona relinquat executori, grauando eum, vt inter pauperes distribuat, potest executor etiam dare filijs spurijs testatoris, si pauperes sint, sicuti docet Mynsinger cit. loco.

14 Porrò fratres illegitimi, etiam vulgò concepti (imò secundùm quosdam etiam concepti ex coitu secundùm leges punibili) si vterini, siue ex eadem matre nati sunt, eorundémque filij, ac nepotes inter se consanguinitatis iure succedunt, l. hac parte, l. si spurius, ff. de cognati. Sed fratres non vterini ab intestato inter se non succedunt. Ratio est: Quòd in illegitimè natis censeatur, esse ius cognationis ex parte matris; non item agnationis ex parte patris. Neque refert, etsi filius à Principe legitimatus sit. Quia intelligitur, in ordine ad succedendum patri, non item alijs consanguineis, iuxta Auth. Quibus modis naturales &c. §. filium verò, & videri potest Couar. p. 2. epit. cap. 8. §. 5. numero vlt. Potest tamen frater fratrem illegitimum, etiam spurium, hæredem testamento instituere, vti constat ex citat. §. filium verò, & docet Glos. vlt. citat. Auth. Molina disput. 167. conclus. 12.

Habent autem hæc omnia locum etiam in conscientiæ foro, adeò vt si filius naturalis, aut spurius aliquid ex hæreditate accipiat, cuius secundùm leges incapax est, restituere teneatur, vti bene docent Couar. cit. c. 5. n. 11. Molin. disp. 169. concl. 1. Vasq. tract. de testam. c. 5. n. 100. contra Sotum lib. 4. de iustit. q. 5. a. 1. ea ratione nitentem, quòd lex pœnalis non obliget in conscientia ante executionem. Sed respondetur, hoc verum tantùm esse de lege propriè pœnali, qua aliquis iure sibi iam acquisito spoliatur in criminis pœnam, non autem, si quis ob iustā causam incapax fiat dominij, seu iuris cuiuscunque acquirendi. Interim hæres legitimus non prohibetur spurijs aliquid sponte concedere: quia tunc non iure hæreditatis, sed gratuitæ donationis accipiunt. 15

Legitimatio, siue natalium restitutio fieri solet per rescriptum Principis, vel alterius personæ à Principe potestate habentis. Ea duplex est: Vna ad Ecclesiastica iura, ordines, beneficia: quam solus Papa, tanquam supremus in Ecclesia Princeps, cuicunq; voluerit illegitimo, iure proprio & ordinario, conferre potest. Ad ciuilia verò iura & officia non solet Summus Pontifex legitimare alterius Principis temporali iurisdictioni subiectos: nisi fortè indirectè, ac casualiter, si quando grauis causa Christianæ Reipub. ita exigat, sicuti habetur in c. per venerabilem, Qui filij sint legitimi, & ex communi docet Couar. cit. c. 8. §. 8. n. 20. & 45. 16

Altera igitur est legitimatio ad ciuilia iura, puta hæreditatum successiones, officia, ac dignitates: quam quilibet Princeps in temporalibus, aut Republ. libera subditis suis, etiam proprijs liberis, quin & Clericorum filijs, etiamsi ipsi quoque Clerici sint, arbitratu suo conferre potest, sicuti ex communi docet Abb. in cit. c. per venerabilem, n. 13. Couar. in epit. p. 2. cap. 8. §. 8. num. 48. Mol. tom. 1. tr. 2. disp. 173. Vasq. de testamen. c. 5. n. 54.

Porrò eiusmodi generali legitimatione ciuili consequitur filius illegitimè natus, vt instar legitimorum succedat in hæreditate parentum, & consanguineorum aliorum, non item in paterna nobilitate, in feudo, primo genitura, nisi speciatim expressum fuerit, teste Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 8. n. 4. Quia *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, reg. 81. in 6. Quare neque data alicui potestate legitimandi, censeri debet concessum, vt ad feuda, vel vt proprios liberos legitimare possit, sicuti docet idem Couar. cit. §. 8. n. 28. & 50. Mol. disp. 175. §. obseruandum. Neque item vt spurios, seu ex damnato coitu ortos legitimare possit. Quinimo talium, qui ex parentibus orti sunt, quorum coniunctio humana lege permitti non poterat, non est propriè legitimatio, seu restitutio natiuitatis legitimæ, quę intercedere non poterat; sed potiùs dispensatio, quāuis ea plenissime data sit. Qua de re Couar. cit. §. 8. n. 16. Vasq. cit. c. 5. n. 48. 17 18

Simili ratione per legitimationem à Summo Pontifice absolutè collatam, habilis quis efficitur ad sacros ordines, & beneficia, etiam curata, sicuti colligitur ex c. 1. de filijs presbyt. in 6. & docet Vgol. de irregular. c. 44. §. 4. Henriq. lib. 8. c. 9. n. 10. Mol. disp. 173. ver. legitimatus à Sum. Pontifice, non tamen ad dignitatem Episcopalem vel Cardinalitiam, secundùm Simonem Maiolum lib. 1.

de irregul.c.9. quamuis contrarium sentiat Suarez disp. 50.s.5.n.10.

Notandum verò est, præter legitimationem absolutè dictam, seu ad Ecclesiastica, seu ad ciuilia; aliam esse secundùm quid, seu ad certum effectum, quę potiùs dis-
19 pensatio quædam est, v.g. super impedimento irregularitatis: cuiusmodi dispensationem Episcopi communi iure illegitimis concedere possunt ad minores duntaxat ordines, & simplicia beneficia, cit. c. 1. de filijs Presbyt. in 6. licet super defectu natalium absolutè dispensare non possint. Etsi enim præditus facultate legitimandi, cen-
20 seatur etiam præditus facultate dispensandi; non tamen vice versa, vti ex communiore tradit Couar. cit. c. 8. §. 8. numero 26. Mol. citat. disput. 173. ver. obseruandum est. Qui enim potest quod maius est, potest etiam quod minus est, si id in maiore contineatur. Deinde dispensatus ad ordines, non eo ipso etiam ad beneficia dispensatus censetur: quia ad disparata non sit bona illatio, præsertim in materia strictæ interpretationis, vti
21 notat Couar. Clem. si furiosus, p. 1. princ. corol. 5. Auila p. 7. de censur. disput. 3. dub. 6. Religiosi vero natalium defectu laborantes ipso iure dispensati censentur ad sacros ordines, sicuti colligunt DD. ex c. 1. extrà, de filijs Presbyterorum, verùm nisi aut Monachi fiant, non item ad dignitates, & prælaturas, vti Vgol. notauit, cit. c. 44. §. 5. Syluest. ver. legitimus, quæst. 1. Nau. cap. 27. n. 201. Auila lo. cit. notan. 5. Molina disp. 173. prope finem.

22 Denique sciendum est, quòd in dubio quisque censeri debet legitimè natus, & non illegitimè; tametsi temporis ordinarij, videlicet nouem, aut decem lunarium mensium spatium, quod à conceptione vsque ad natiuitatem plerumque intercedere solet, non nihil restringere, vel ampliare oporteat ad legitimam natiuitatem defendendam. Quia, vti Aristoteles testis est lib. 7. de animal. cap. 4. non vnum, sed multiplex pariendi tempus homini naturâ datum est. Nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest, quod plurimùm decimo: nonnullæ etiam mulieres vndecimum attingunt. Quare ita resoluit Ioach. Mynsinger cent. 6. obser. 40. Si post
23 contractas nuptias ante septimum mensem partus nascatur, non legitimum censeri, argumen. l. septimo, ff. de statu hominum. Rursus si post mortem aut post diuortium exacto mense decimo, non initio mensis vndecimi, sed sub finem illius, aut postea proles nascatur, non legitimam censeri, neque ad defuncti hæreditatem admittendam esse. Si autem intra dicta temporum interualla proles edatur (nisi aliud quippiam obstet) pro legitima habendam fore. Ita colligitur ex l. Gallus, ff. de liberis, & posthumis, l. intestato, §. post decem, ff. de suis, & legitim. hæredibus, Gellio lib. 3. Noct. Atticarum, cap. 16.

CAP. VI.

De bono Sacramenti.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium non est ita insolubile, vt eius dissolutio, naturali iuri propriè repugnet.*
Deus olim dispensauit cum Iudæis, vt ob rationabilem causam licitum esset coniugis repudium.
2 *Matrimonium præsertim consummatum, ex prima Dei institutione indissolubilitatem habet, sacri mysterij causa.*
3 *Matrimonium ratum, & non consummatum per Religionis professionem omnino dissoluitur: idque Ecclesia auctoritate, quam per traditionem accepimus.*
4 *Auctoritate Papæ matrimonium ratum ob causam grauissimam solui potest.*
5 *Nomen iuris æquiuocum est, quia interdum pro lege accipitur, interdum pro potestate, seu facultate aliquid agendi.*
6 *Nuptiæ secundæ, tertiæ, quartæ, &c. tùm veteri, tùm noua lege concessæ sunt.*
Concubinæ Patriarcharum dicebantur, non quòd legitimæ vxores non essent, sed quia non cum legalibus instrumentis acceptæ erant in communionem bonorum &c.
7 *Coniugium vnius viri cum pluribus simul vxoribus, non ita naturali iuri repugnat, vt nulla ratione, v.g. Dei dispensatione cohonestari possit.*
8 *Polygamia, seu matrimonium cum pluribus vxoribus est contra primæuam eius à Deo factam institutionem.*
9 *Polygamia plurium virorum ad vnam vxorem maiorem deformitatem præ se fert, quàm vnius viri ad plures vxores.*
10 *Pœnæ ciuiles, quæ directè, ac principaliter in odium secundarum nuptiarum statutæ erant, canonico iure sublatæ sunt, quæ verò directè, ac principaliter in fauorem liberorum prioris matrimonij decretæ, in suo vigore manent.*
11 *Probabile est, quòd Constitutiones istæ locum non habeant in marito ad secundas nuptias transeunte. Sed neque in vxore secundò nubente locum habere videntur ante Iudicis sententiam.*

PER bonum sacramenti intelligi debet indissolubilis nexus coniugum, vt neuter ab altero separari, vel alteri personæ coniungi debeat, sicuti docet S. Aug. lib. 9. super Genes. ad lit. c. 7. lib. 1. de nuptijs & concupisc. c. 10. & lib. de bono coniugij, cap. 24. Magister, & alij Scholastici in 4. d. 33. Supplem. S. Thom. quæst. 49. Eiusmodi enim indissolubilitas ex Dei institutione profecta, sacra significatione, siue mysterio non vacat, vt mox dicam.

Est enim PRIMA QVÆSTIO. An, & quo iure matrimonium indissolubile existat? Respondeo, & dico I. Matrimonium non est ita indissolubile, vt eius dissolutio propriè repugnet naturali iuri. De hac assert. videri potest S. Tho. in 4. d. 33. q. 2. a. 1. Bellarminus lib. 1. de matrim. c. 4. Sanchez lib. 2. disput. 13. Ægid. c. 2. disp. 26. dub. 2. Probatur primò: *Nam quibus causis res constituitur, eisdem etiam dissoluitur*, c. omnis, 27. q. 2. Et, *obligationes, quæ mutuo consensu contrahuntur, contraria voluntate dissoluuntur*, §. vlt. Instit. Quibus modis tollitur obligatio, *Nihilque tam naturale est, quàm eo genere quidquam dissoluere, quo colligatum est*, reg. 35. ff. Neque vlla ratio affertur, cur non etiam matrimonij contractus, iure naturali præcisè, spectato, per mutuum iustum consensum dissolui possit; nisi quòd talis dissolutio primario fini matrimonij, quæ est prolis generatio, & educatio, repugnare videatur. Verùm hac ratione non ostenditur matrimonij solutionem per se, & intrinsecè malam esse, sed solùm ratione adiuncti, quod sæpissimè abest, vt si proles perfectè educata sit, atque ob vxoris senium, sterilitatem, nulla spes generandæ prolis supersit. quo casu matrimonij dissolutio magis confert ad prolis generationem cum altero coniuge, quàm vt repugnet. 1

Probatur secundò: Nam Deus, absolutâ potentiâ in lege propriè naturali dispensare non potest, vti docet S. Thom. communiter receptus 1. 2. q. 94. a. 5. & q. 100. a. 8. Si enim lex naturalis est, sequitur ex naturalibus, & per se notis principijs: quæ cùm immutabilia sint stantibus rerum naturis, etiam quod ex eis deducitur secundùm se immutabile esse constat. Atqui Deus olim dispensauit cum Iudæis, vt ob rationabilem causam, licitum esset repudium coniugis, seu dissolutio matrimonij quoad vinculum, vti apertè colligitur ex cap. 24. Deuteron. & docent multi DD. apud Sanchez lib. 10. disp. 1. numero 7. Quamuis aliqui contrarium sentiant cum Magistro in 4. d. 33. quem ibi sequitur S. Bonau. art. 3. quæst. 1. Richar. licet dubius, art. 3. quæst. 1. A Moyse permissum, id est, non punitum fuisse repudium vxoris, tanquam minus malum, ad vitandum maius, videlicet vxoricidium.

Adde, quod hæc diuortij consuetudo postea etiam ad gentes defluxit, vti constat ex l. 1. 2. & vlt. ff. diuortijs, & videri potest Couar. in epit. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 1. Maior in 4. d. 32. q. 2. Neque est improbabile, quod docet Veracrux p. 2. speculi, a. 13. ante Christi aduentum etiam Gentilibus

Gentilibus permittente Deo repudium licuisse, eoque matrimonium verè dissolutum fuisse. Ergo dissolutio matrimonij per se atque intrinsecè naturali iuri non repugnat.

2 Dico II. Matrimonium, præsertim consummatum, ex primæua Dei institutione, ideóque quasi naturali seu congenito sibi iure, indissolubile est, sacri mysterij causa. Ita S. Aug. lib. 1. de nupt. & concupisc. c. 10. & lib. de bono coniugali, c. 7. & docent Scholastici in 4. d. 33. vbi S. Thom. q. 2. S. Bonau. a. 3. Sumitur ex c. 2. Gen. vbi Adam hoc indissolubile vinculũ cum vxore vna per diuinam inspirationem agnouit: *Hoc nunc os ex oßibus meis: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quem locum Christus apud S. Th. Matth. c. 19. interpretatus est, eo fine, vt matrimonium à prima sui institutione indissolubile, atque deinceps ita seruandum ostenderet: *Itaque*, ait, *iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Et infrà: *Moyses ad duritiam cordis vestri*, seu ob pronitatem populi Iudaici ad peccandum, ex Dei voluntate *permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.* Ita verò primitus à Deo institutum fuisse, magni sacramẽti causa, propter futuram Verbi diuini incarnationem; eandémque ab Adamo prophetico spiritu reuelatã esse, significat Apost. ad Ephes. 5. & docet S. Augustinus lib. 9. super Gen. ad literam, c. 19. & alij Patres apud Suar. 3. p. to. 1. q. 1. a. 3. Quamobrem leges, quæ in tit. Cod. Iustin. tit. de repudijs, & tit. de diuortijs, repudia permittunt, legi Christianæ penitus repugnant.

Porrò licet matrimonium ex ipsomet mutuo consensu, ac pactione indissolubilitatem quandam super alios contractus obtineat, maiorem tamen firmitatem per actualem eius vsum, consummationémque acquirit. Cuius ratio est: Quia vti habetur in c. debitum, de bigamis, & tradit S. Th. in 4. d. 27. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. Richar. d. 26. a. 4. q. 3. & d. 27. a. 2. q. 2. Palud. q. 2. a. 2. matrimonium mutuo consensu ratum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per dilectionem charitatis: matrimonium verò carnali copula consummatum significat cõiunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionẽ. Cum autẽ maior & firmior sit cõiunctio secundũ carnẽ assumptam, quippe nunquã quæ ex Dei ordinatione, perpetua & soluenda est, & non tam firma coniunctio per charitatem, quippe quę mortali peccato soluitur, & aufertur, saltem à singulis Ecclesię membris peccantibus; inde hoc discrimen oritur, quòd matrimonium inter fideles consummatum perfectam rationem sacramenti obtinens, nullo vnquam casu dirimatur quoad vinculum, sicuti habetur c. 2. de conuers. coniug. c. quanto, de diuortijs, & satis colligitur ex c. 19. Matth. vbi de matrimonio consummato sermonem esse, ex suprà dictis constat. Vide Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 19. Ratum vero matrimonium & nõ-

3 dum consummatum solemni Religionis approbatæ professione penitus dissoluitur, vt alteri coniugi permissum fit ad alias nuptias transire, sicuti habetur in c. desponsatam, c. decreta legalia, 27. q. 2. extrauag. antiquæ, de voto, & c. 2. c. ex publico, c. ex parte, 2. de conuers. coniug. & definit. Trid. sess. 24. de matrim. can. 6.

Quamuis autem plerique Doctores apud Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 19. existiment, hanc matrimonij dissolutionem per Religionis professionem, ex iure naturali, vel saltem diuina Christi traditione, ac priuilegio proficisci; mihi tamen placet sententia Henrici Gandauensis quodlib. 5. q. 35. Medinæ lib. 5. de sacror. hominum continentia, c. 86. & seqq. Less. lib. 2. c. 41. dub. 8. n. 69. Ægid. t. 2. disp. 26. dub. 3. concl. 4. sola Ecclesię auctoritate, quam per antiquissimam traditionem accepimus, introductum esse, vt per vota solemnia Religionis soluatur matrimonium ratum. Si enim matrimonium iure naturali, aut diuino per vota solemnia solueretur, idipsum etiam fieret per vota simplicia: quandoquidem votorum solemnitas, & à simplicibus discriminatio solo Ecclesiastico iure introducta est, vt patet ex c. vn. de voto in 6. Atqui per vota simplicia hodie non soluitur matrimonium ratum, vt constat ex cit. extrauag. antiquæ. Fortasse autẽ olim ita soluebatur, sicuti aliqui colligunt ex facto S. Theclæ, S. Cęciliæ, & S. Alexij, de quibus Bellar. lib. 2. de Monach. c. 38. Sanch. lib. 2. disp. 18. Ergo id non ad ius diuinum, quod immutabile & constans est, sed ad Ecclesiæ auctoritatem referri debet.

Eapropter in c. ex publico, de conuersione coniugat. secundùm cõmunem Doctorum interpretationem, præcipitur Iudici, vt coniugi, de Religionis ingressu ante matrimonij consummationem deliberanti, bimestre spatium definiat, intra quod vel propositum Religionis exequatur, vel coniugi suo debitum reddat. Circa quam cõstitutionem aliqua notanda sunt. I. Licet ob auctoritatem DD. apud Sanch. lib. 2. disp. 24. q. 5. satis probabile sit, coniugem, etiamsi Religionem ingredi nolit, posse tamen intra bimestre spatium coniugi debitum negare; contrarium tamen est probabilius, quod docet Nauar. c. 16. n. 27. Angelus ver. debitum, n. 14. Ægid. disp. 26. dub. 4. concl. 2. Quia potestas coniugi per matrimonij contractum in corpus coniugis acquisita restingui non debet, nisi quatenus talis restrictio legitimo iure fundata est: atqui sacri canones nusquam restringunt, neque rationabiliter possunt restringere coniugi ius & potestatem exigendi carnalem copulam, nisi in casu, quo alter coniunx Religionem ingredi cogitat. Ergo, &c.

II. Etsi coniunx post tempus bimestre, vel aliud Iudicis arbitratu definitum, teneatur coniugi exigenti coniugale debitum reddere, si tamen quamuis iniustè negato debito, & nondum consummato matrimonio, ad Religionem transeat, reuocari non potest, sicuti notauit Gl. cit. c. ex publico, ver. intra duorum, Syl. ver. votum, 5. q. 3. dicto 1. Sanch. cit. disp. 24. n. 27.

III. Dicta facultas ingrediendi Religionem ante matrimonij consummationem, intelligitur ad Nouitiatum, in quo integro anno persistendum est probationis causa, vel etiam diutius vsque ad expletum annum XVI. ætatis, iuxta Trident. sess. 25. c. 15. de Regul. & docet Nau. lib. 3. consil. 1. de conuers. coniugat. edit. 2. Henriq. lib. 12. c. 5. n. 8. Sanchez citat. disput. 24. n. 4. Ægid. citat. dub. 4. concl. 3.

IV. Si intra tempus à iure, vel à Iudice definitum ad deliberandum de Religionis ingressu, maritus coniugem deliberantem per vim opprimat, matrimonium indissolubile redditur quoad vinculum, quippe per veram, vt ponimus, copulam consummatum. Nihilominus tamen in hoc casu probabile est, vxorem ingredi, & inter viduas, & coniugatas profiteri posse, nisi exinde proli incommodum timeatur, sicuti docent DD. apud Abb. in cap. 2. de conuers. coniugat. in fine, & sequitur Syl. cit. q. 3. & ver. diuortium, q. 5. P. Ledesma de matrim. q. 61. a. 1. Rodriq. t. 1. sum. c. 239. concl. 2. Sanchez disput. 22. num. 6. Ægid. concl. 7. Quia *nemo sine culpa iure suo priuari debet*, c. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam: Vxor autem eo bimestri spatio per canonis beneficium libera à reddendo debito, habebat ius & facultatem Religionem ingrediendi: Ergo hoc iure & facultate per iniuriam mariti priuari non debet; ne is ex iniquitate sua commodum ferat, ipsique proprius dolus patrocinetur. Quamuis non pauci Doctores apud Sanchez numero 5. contrariam sententiam amplexi sint.

Porrò controuersum est, vtrum matrimonium ratum ob aliam quoque causam grauissimam, per Ecclesiæ, seu summi Pontificis auctoritatem solui possit: ita vt vtrique patri libertas relinquatur aliud matrimonium contrahendi. Multi Doctores negant, quorum Catalogum reperies apud Sanchez lib. 2. disputat. 14. Probant primò: Matrimonium ex lege diuina indisso-

lubile est: Pontifex autem non potest dispensare in lege diuina, c. sunt quidam, & sequent: 25. q. 1. Quamobrem ipsemet Christus Matth. 19. de matrim. dixit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Secundò Ecclesia, vel eius caput Sum. Pontifex non potest mutare sacramenta: Matrimonium autem ex CHRISTI institutione sacramentū est. Ergo non potest Ecclesiæ auctoritate solui ac mutari. Tertiò; Matrimonium ratum non nisi accidentaliter differt à consummato: Si ergò Ecclesiæ auctoritate solui potest matrimonium ratum, videtur etiam solui posse consummatum: consequens autem est falsum.

4 Verùm cōtraria sententia est vera, quā docent Canonistę in cit. c. ex publico, Caiet. t. 1. opusc. tr. 28. de matrim. quæst. vnic. Syl. ver. diuortium, quæst. 4. Nauarrus cap. 22. numer. 21. Medina lib. 5. de sacrorum hominum continentia, cap. 88. Henriquez lib. 11. c. 8. num. 11. Bellarm. lib. 2. de Monach. c. 38. Sanchez cit. disput. 14. num. 3. Ægid. disput. 26. dub. 3. concl. 1. Probatur ex praxi: Nam sæpius auctoritate Sum. Pontificis matrimonium ratum dicto modo dissolutum fuisse, testantur Caiet. Nau. Henriquez post S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 3. Idque etiam inde confirmatur. Nam Summus Pontifex ob grauem causam soluere potest vinculum professionis religiosæ, secundùm doctrinam Gl. c. cùm ad monasterium, §. vlt. de statu Monachorum, Henric. Gandauensem quodlibet. 5. quæst. 28. Palud. in 4. dist. 38. quæst. 4. a. 1. Caiet. 2. 2. quęst. 88. a. 11. Viualdum in candelabro de matrimonio, vbi de impedimento voti, n. 20. Ergò etiam matrimonium ratum, probatur consequentia ex illo vulgato: *Si possum vincere vincentem te, possum etiam vincere te*: Igitur si auctoritate Ecclesiæ solui potest, & quasi euinci vinculum religiosæ professionis, per quod soluitur, & quasi euincitur matrimonium ratum, sequitur eadem Pontificis auctoritate matrimonium ratum dissolui posse.

Neque refert, siue dicas, hanc dissoluendi vim religiosæ professioni ex iure diuino; siue dicas, ex iure Ecclesiastico competere. Si enim prius, apparet maximum esse vinculum religiosæ professionis, vt si huius ex iusta causa dissoluendi à Christo potestas Ecclesiæ concessa est, fateri debeamus, etiam ad minus vinculum matrimonij rati dissoluendum Ecclesiæ potestatem concessam esse. Sin verò posterius, quod suprà à nobis ostensum fuit, tunc eadem ratione, qua per Ecclesiæ auctoritatem vnuiuersim constitutum introductúmque fuit, vt per vota Religionis solemnia, quippe quibus homo arctissimè cum Deo, & Religione coniungitur, matrimonium antè celebratum, sed non consummatum dissolueretur; ita etiam dicimus, per Ecclesiæ, seu Sum. Pontificicis auctoritatem, ob aliam grauem causam, & publicam vtilitatem decerni posse, vt vinculum matrimonij rati ante eius consummationem dissoluatur.

Ad primum argument. respon. Matrimonio cùm suapte natura, tum ex Dei institutione maiorem indissolubilitatem inesse, postquam per eius consummationem vir & fœmina veluti vna caro facta est: quare etiam Christus apud Matth. cap. 19. verba illa, *Quod Deus coniunxit, homo non separet,* de eodem consummato matrimonio subiunxit. Verum quidem est, matrimonium etiam ratum secundùm primæuam Dei institutionem, indissolubilem, seu indiuiduam societatem continere, ita vt mutua ipsorum coniugum voluntate dissolui nunquam possit, quamuis auctoritate Ecclesiæ, seu Sum. Pontificis possit.

5 Neque verò per hanc dissolutionem soluitur, aut laxatur lex diuina, nec propriè hîc aliqua dispensatio legis accidit. Pro cuius intellectu aduerte: Quemadmodum in voto, ac iuramento proximè, ac directè remittitur ius Deo acquisitum, seu soluitur vinculum obligationis erga Deum, per commissionem Ecclesiæ, eiúsque Sum. Pastori factam: *Quidquid solueris super terram, erit solutum & in cœlis, Matth. 16.* Indirectè verò & consequenter aufertur lex diuina de voto obseruando, quippe quæ eo ipso desinit, quòd vinculum voti legitima potestate ablatum est. Ita similiter lex diuina iubet vinculum matrimonij, etiam nondum consummati, perpetuò consistere, præterquam si Ecclesiæ dissoluentis auctoritas accedat: ea autem accedente, directè quidem soluitur vinculum matrimonij, sed lex diuina tantùm indirectè, & per accidens amouetur, quando apponitur conditio per quam lex diuina obligare iam desinit.

Ad secundum respon. cum Sanchez citat. disp. 14. ad 5. Pontificia auctoritate non mutari essentiam, & institutionem sacramenti, sed fieri, vt per auctoritatem Ecclesiæ dissoluto contractu, in quo ratio sacramenti fundatur, vir & mulier desinant esse sacrum symbolum.

Ad tertium resp. Consummationem matrimonij esse quandam integralem eius perfectionem, quæ etiam secundùm Christi institutionem sacri mysterij causâ maiorem indissolubilitatem tribuit: quare non sequitur, si matrimonium ratum solui possit, etiam consummatum posse.

QVÆSTIO SECVNDA. An, & quo iure polygamia prohibita sit? Respondeo, & dico I. Coniugium alterum, tertium, quartum &c. contrahere post mortem prioris coniugis, licitum est, tùm veteri, tum Euangelica lege. Est assertio de Fide, contra Montanum, & Cataphrygas, qui secundas nuptias fornicationem dixerunt, teste S. August. lib. de hæresibus cap. 26. Quibus etiam Tertullianus adhæsit, vti apparet ex lib. eius de monogamia, & testatur S. August. cap. 86. Item contra Nouatianos, qui se Catharos appellabant, teste Conc. Nicæno can. 8. August. cap. 38. Quam hęresin refutat Apostolus ad Rom. 7. & 1. ad Corinth. 7. *Si dormierit vir eius, libera est: cui vult nubat.* in quæ verba vide S. Aug. lib. de bono viduitatis, c. 12. 6

Dico II. Coniugium vnius viri cum pluribus simul vxoribus voluntariè desponsatis, non ita naturali iuri repugnat, vt tanquam intrinsecè malum, sicuti periurium, blasphemia &c. nullo casu cohonestari possit. Ita docet S. Aug. lib. 16. de ciuit. c. 38. & lib. 22. contra Faustum, c. 47. Abulensis in c. 19. Matth. q. 30. S. Thom. in 4. a. 1. q. 1. Palud. q. 1. a. 1. Michael Medina lib. 4. de sacrorum hominum continentia, controu. 1. c. 9. Veracrux p. 2. spec. a. 15. concl. 1. & Martin. Becanus in analog. veter. ac noui testam. cap. 21. conclus. 2. & 3. Ægid. disp. 26. dub. 2. Quamuis aliqui apud Bellarmin. lib. 1. de Matrimon. cap. 10. Sanchez lib. 7. disp. 80. contrarium sentiant. Ratio verò assertionis est: Quia talis polygamia ex proprio obiecto malitiam non habet, sed solùm ex adiunctis incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel alijs maioribus incommodis compensari possunt. Accedit, quòd quæ intrinsecè, ac necessaria mala, & iuri naturali aduersantia sunt, à Deo concedi nunquam possunt. Constat autem, olim Deum concessisse Patriarchis, vt plures simul vxores licitè accipere possent. Ergo talis polygamia non ita propriè iuri naturali aduersatur. Caussa autem, cur Deus olim polygamiam concesserit, partim vtilitatis erat, vt genus Abrahę tantò ampliùs multiplicaretur, partim sacri mysterij, ad significandum duas Ecclesias Dei, Synagogam scilicet Iudęorum, ac Gentiū fœcundatam multitudinem, sicuti Apost. ad Galat. 4. explicat, ex c. 21. Genes. de Sara, & Agar. & videri potest Couar. in epit. p. 2. c. 7. §. 3. num. 1. vbi ostendit, eandem consuetudinem plures vxores ducendi postea ad Gentiles quosdam defluxisse, vti manifestum est ex cap. 26. & 28. Gen. & annotauit etiam S. August. ll. suprà citatis. 7

Neq; obstat, quòd in Scriptura *concubinæ* appellentur mulieres illę, quæ præter pręcipuam viro adhęrebant, vti videre est Gen. c. 25. Non enim ita appellabantur, quasi vxores

vxores legitimæ non essent; sed quia non cum legalibus instrumentis acceptæ in bonorum communionem, vt familiæ gubernatrices, eorúmque filij paternorum bonorum hæredes esse possent, sed solùm in societatem tori; sicuti colligitur ex cit. c.25. Gen. & talis concubinæ, quę tamen vera vxor erat, mentio etiam fit in l. si vicinis, C. de nuptijs, Conc. Tolet. 1. can.17. relato in c. 4. d.34. vbi videri potest Gl. Gregoriana, Maior in 4. d. 33. q.1. contra 1. concl. ver. Tertiò arguitur. Greg. Tholos. lib. 10. syntag. c.1. n. 16. Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 11. Adde etiam, quòd interdum non vna sola, sed plures, vt domi næ cum legalibus instrumentis accipiebantur, vt Rachel & Lya, Gen. 29.

8 Dico III. Polygamia, seu matrimonium cum pluribus vxoribus est contra primæuam eius institutionem à Deo factam, Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ; & erunt duo in carne vna.* Si autem vir vnus duas vxores habeat, non erunt duo in vna carne; sed potiùs diuisio in plures carnes, sicuti annotauit Innoc. III. in c. gaudemus, de diuortijs. Quamobrem Christus Matt. 19. & Marci 10. matrimonium in lege Euangelica, secundùm primæuam Dei institutionem celebrandam esse ostendens, inquit, adulterium esse, si quis dimissa vxore, (multóque magis si retenta) aliam ducat: vt hinc manifestò appareat, pluralitatem vxorum diuinæ legi, & institutioni repugnare, ideóque illicitam, ac nefariam esse, nisi quatenus per Dei voluntatē concessa erat Patriarchis, & antiquioribus Iudæis, postea verò circa Christi aduentum penitus talis concessio sublata fuit; vt exinde rectè Innocent. in cit. c. gaudemus responderit, Gentilem polygamum ad Christianam Fidem conuersum, compellendum esse, vt primæ vxori, alterâ relictâ, adhæreat.

9 Dico IV. Polygamia plurium virorum ad vnam vxorē in primis est contra primæuam matrimonij institutionem, deinde spectata natura, ac fine matrimonij, maiorem etiam deformitatem prę se fert, & incōmoda annexa habet, quàm altera polygamia; quamuis non ita, vt Deus absoluta sua potestate eam concedere non posset. Ita contra multos Doctores sentit Maior in 4. dist. 33. q. 1. in 1. argument. contra 1. conclus. Petrus Ledesma quæst. 65. a. 2. dub. 2. conclus. 2. Sanchez cit. disput. 80. numer. 15. Ægid. Coninck cit. disp. 26. dub. 2. conclus. 5. Sciendum enim est, quòd etiam alibi annotaui: Quasdam hominis actiones ab obiecto suo ita accipere malitiam, vt ea separabilis non sit, v.g. Deum odisse, blasphemare, mentiri: quasdam verò actiones malas esse, & repugnantes iuri naturali, quæ tamen cohonestari possunt, si talium exercendarum actionum ius conferatur ab eo, qui potestatem habet. Sic v.g. furtum siue acceptio rei alienæ, quæ per se mala censetur, si fiat domino inuito, statim cohonestatur, si is consentiat. Et occisio innocentis, quæ per se mala reputatur, eo ipso cohonestatur, si Deus Dominus humanæ vitæ, consentiat, seu iubeat: Sic etiam polygamia omnis, præsertim ea quæ est plurium virorum cum vna fœmina, ideo vel maximè iuri naturali repugnat, quia Deus, qui solus humanorum corporum dominium retinet, non aliter concessit corporum potestatem ad vsum generationis, nisi per vinculum indissolubile vnius cum vna. Quare si aliter fiat, repugnant homines non tantùm iuri diuino; sed etiam naturali: sin autem Deus licentiam det, tunc neutri repugnatur. Ex quo etiam intelligitur, quòd Deus polygamiam permittendo non propriè in ea dispenset, sed afferat conditionem per quam illicita esse desinat, ad eum modum, sicuti si iubeat innocentem occidi, vel rem alienam à suo domino auferri.

10 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum pœnæ iure ciuili statutæ ad secundas nuptias transeunti, canonico iure sublatæ sint? Respondeo, & dico I. Pœnæ, quæ directè, ac principaliter in odium secundarum nuptiarum ciuili iure statutæ erant, penitus sublatæ censeri debent. Hæc est communis sententia apud Sanchez lib. 7. de matrimon. disput. 87. num. 23. ex c. vlt. de secundis nuptijs, vbi ratio indicatur, quia hę pœnæ à secundis nuptijs arcentes, repugnant libertati matrimonij à Christo permissę, secundùm Apostoli doctrinam ad Rom. 7. 1. ad Corinth. 7. Tales pœnę sunt: I. Vt mulier intra annum luctus (numerandum à die obitus mariti) nubens, efficiatur infamis, l. 1. Cod. de secun. nupt. II. Vt posteriori marito non possit donare, aut testamento relinquere, vltra tertiam partem, cit. l. 1. III. Vt nihil à marito per donationem, aut vltimam voluntatem lucrari possit, & ferme etiam aliarum successionum incapax sit, sicuti legere licet in cit. l. 1. Vide etiam l. si qua mulier, Cod. ad S. C. Tertullian.

His adde, quòd dictas pœnas incurrat etiam mulier, si intra annum viduitatis fornicata sit, sicuti constat ex Auth. de restitut. & ea quæ parit, &c. prope finem. Neque quoad hoc, cùm iustę sint, canonico iure correctas esse, ex communi testatur Sanchez cit. lib. 7. q. 90. num. 1.

Dico II. Pœnę, quę ad alias nuptias transeuntibus ciuili iure directè, ac principaliter in fauorem liberorum prioris matrimonij decretę sunt, in suo vigore permanent. Est cōmunis apud eundem Sanch. q. 88. n. 39. contra Abb. in c. Ecclesia, num. 15. & in repetit. numero 20. de constitut. Ratio est: Quia non sunt propriè pœnæ, sed potiùs prouisiones, ac fauores liberorum: nec simpliciter à secundis nuptijs retrahunt, sed sub conditione, si coniunx bonis occasione prioris matrimonij prouenientibus, potiri velit.

Tales pœnæ, seu potiùs prouisiones sunt: I. Coniunx transeundo ad secundas nuptias amittit proprietatem bonorum prouenientium à coniuge defuncto; vt proinde ea neque alienare, neque vltima voluntate cuiquam relinquere possit; sed filijs prioris matrimonij ex ęquo inter ipsos diuidenda, relinquere cogatur. Ita habetur l. Fœminę, l. Generaliter, l. Hac edictali, Cod. de secun. nuptijs, & Authent. de nuptijs, §. si verò expectet. & §. Sed quod sancitum est, collat. 4. II. Coniunx ad secundas nuptias transiens, non potest suo coniugi donatione, aut vltimę voluntatis dispositione, plus relinquere, quàm vlli liberorum prioris matrimonij, cit. l. Hac edictali. III. Mater transiens ad secundas nuptias, priuatur tutela liberorum ex priore matrimonio susceptorum. Auth. Sacramentum, Cod. Quando mulier tutelę officio fungi potest. Quia suspicio est malè administraturam esse, propter affectum erga nouum maritum, & ex eo suscipiendam prolem. IV. Si mater ad secundas nuptias transeat, meretur vt educatione liberorum prioris matrimonij priuetur, l. 1. Cod. Vbi pupilli educari debent. V. Si mulier hęres ab intestato extitit alicui liberorum ex priore matrimonio, non acquirit plenum dominium, sed solùm vsufructum bonorum, quatenus ea ex paterna substantia proueniunt; quare ea alienare, vel per vltimam voluntatem alteri relinquere omnino prohibetur: sed alijs eiusdem matrimonij liberis reseruantur, si superstites sint: attamen ex testamento filij, imò etiam ab intestato, si alius filius, aut filia non supersit, pleno iure succedere potest. Ita habetur in cit. l. fœminę, §. illud etiam addimus, & Auth. ex testamento, C. de secundis nuptijs.

Porrò, cùm in his constitutionibus solùm mentio fiat matris ad secundas nuptias transeuntis; meritò dubitatur, an hæc multa similiter locum habere debeat in marito alteram vxorem ducente? Quamuis autem communis sententia affirmet apud Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 98. aliqui tamen non inprobabiliter negant, inter quos Andr. Fachinæus lib. 3. controu. c. 64. Quia si Imperator etiam patrem sua illa constitutione comprehendere voluisset, id expressisset; sicuti expressit in casu l. 11

generaliter, C. de secund. nupt. & Auth. de secundis nuptijs, §. Si verò expectet; vt quæ vel vxor ex bonis mariti; vel vice versa, maritus ex bonis vxoris dissoluto matrimonio consecutus est eiusdem matrimonij liberis reseruare cogatur. Præsertim cùm ratio disparitatis assignari possit; quia alioquin maritus plerumque nihil omnino ex demortui filij hæreditate consequeretur: quandoquidem vsufructus bonorum jam antè ad ipsum pertinebat. Igitur, quod attinet ad maritum, videtur standum esse constitut. Auth. de non eligendo secundò nubentes, §. cùm igitur.

Dico III. Constitutiones istæ, de quibus in secunda assert. dixi, non videntur in conscientia obligare ante Iudicis sententiam. Ratio est: Quia tametsi, quatenus ad liberorum promissionem spectant, fauorabiles sint, tamen comparatione ipsius transeuntis ad nuptias secundas, exosæ sunt, & quodammodo pœnales, seu ad similitudinem pœnalium latæ, sicuti colligitur ex cit. Auth. de nuptijs, §. Sin verò expectet ibi; *Et hæc communis viri, & mulieris mulcta sit posita.* Ad mulctam autem nemo obligatur ante Iudicis sententiam.

Confirmatur primò: Quia est communis sententia apud Sanchez quæst. 89. num. 43. Andr. Gaill. cit. obseruat. 98. num. 19. contra Sarmientum lib. 1. select. c. 4. Fachin. lib. 3. controu. c. 65. Dictis constitutionibus locum non esse, si coniunx ante mortem suam, vel liberi ex eo suscepti in secundas nuptias consentiant. Quid autem si nolint consentire? cùm tamen secundum Christianum, & diuinam legem, matrimonium impedire non possint: quandoquidem viduus, aut vidua lege soluti, suique in hac re arbitrij sunt. Profectò in hoc casu perinde in conscientiæ foro esse debet, ac si coniunx, vel liberi consensum præstitissent.

Confirmatur Secundò: Quia sententia, quam assert. præced. docui, licet communis sit, tamen non est certa, & contraria Abb. & aliorum probabilis. Quia leges illæ, quamuis fauorem filiorum contineant, semper tamen nituntur odio secundarum nuptiarum, quasi illæ minùs honestæ sint, & iunctæ cum aliqua iniuria erga priorem maritum, impietatem erga liberos, sicuti constat ex Auth. de nuptijs, §. si autem tutelam, & Auth. de non eligendo secundò nubentes, in princip. & §. de nuptijs, §. venient autem. Quamobrem etiam pœnæ, ac mulctæ appellantur.

Hinc resolues; Si vir susceptis ex primo matrimonio liberis, defuncta vxore diuite, aliam pauperem duxit, licet iure ciuili prohibeatur, illi plus, quàm vni liberorum suorum relinquere, attamen coram DEO nihil peccaturum, si supra id, quod lege concessum est, moderatam quippiam mulieri clanculum donet, quò post mortem suam se honestè alere possit. Cùm enim id extraneo cuiuis donare, aut legare possit absque peccato; cur non etiam vxori indigenti, & de se, ac liberis suis bene meritæ? Fateor quidem, quòd liberi (secundùm communem sententiam priore assert. traditam) per beneficium legis ciuilis, dictam donationem excedentem, rescindere possint; priusquam tamen rescindatur, puto eam consistere, vt naturalem effectum pariat, transferendi domini rei donatæ in vxorem, secundùm iustam donatoris defuncti voluntatem.

CAP. VII.

De diuortio.

SVMMARIVM.

1 Diuortium quoad torum mutuo interdum consensu fieri potest causa pietatis, vel alia honesta.

Sancti patres exempla memorant coniugum fidelium, mutuo consensu continentiam vouentium.

2 Coniunx Religionem ingredi potest, cùm consensu alterius coniugis simul ingredientis, vel in seculo edito continentia voto permanentis: modò tunc eius ætatis sit, vt extra probabile incontinentiæ periculum versetur: Idémque dicendum est, si maritus sacrum Ordinem suscepturus sit.

3 Ad Episcopum pertinet dispicere, vtrum vxor in hoc casu extra incontinentiæ periculum existat; quare conuenit ab eo licentiam petere: quamuis etiam sine petita licentia professio valitura sit.

4 Si coniunx absque coniugis consensu Religionem profiteatur professio irrita est. Quare reuocari, imo sponte egredi potest, tamen post mortem coniugi ad alias nuptias transire prohibetur.

5 Si coniugatus cum consensu alterius coniugis, nec Religionem ingredientis, nec in seculo votum continentiæ edentis, profiteatur, officio Ordinarij reuocari potest ad vxori debitum reddendum, ea autem mortua ad Monasterium redire cogitur, quia professio valida fuerat num. 5.

6 Si coniunx licentiam ingrediendi Religionem coniugi liberè concessit, censetur se obligasse ad perpetuam continentiam, imò & ad Religionis ingressum, si iuuenis, aut de incontinentia suspectus sit. Necesse tamen est, quòd fuerit conscius iuris ita disponentis, quod de vxore in dubio non præsumitur.

7 Si vnus coniugum adulterium commisit, alter eo ipso acquirit ius instituendi diuortij quoad torum, & cohabitationem, remanente tamen substantiali vinculo.

Nomine adulterij hoc loco accipi debet omnis consummatus concubitus cum altero supposito.

8 Maritus, & vxor in iure diuortij, propter adulterium instituendi, æquales sunt.

9 Separatio coniugum quoad habitationem propter commissum adulterium Ecclesiæ sententiam requirit, nisi causa notoria sit, vel maritus alio prætextu se separare possit, ita vt scandalum euitetur.

10 Si coniunx in causa non notoria à coniuge sine iudicio Ecclesiæ repulsus sit, ante omnia eum Iudex eius officium imploratur, in pristinum statum restituere debet, & postea causam diuortij cognoscere, compulso altero ad probationes proferendas.

11 Si coniunx repulsus fuerit prætextu impedimenti dirimentis, v.g: ob consanguinitatem, petitâ restitutione, si probationes incontinenti afferantur, restituendus est quoad omnia alia, exceptò toro, idque propter periculum fornicationis, si fortè impedimentum subsit.

12 Coniunx innocens post coniugis perspectum adulterium Religionem profiteri, vel sacrum ordinem accipere non prohibetur.

Si coniunx adulter semel, aut iterum monuerit alterum coniugem, vt post suam emendationem recipiatur, non exauditus Religionem ingredi, ac profiteri, vel sacros Ordines accipere potest.

13 Certi casus sunt, in quibus coniugi diuortium non permittitur propter coniugis adulterium: videl. si graui metu compulsus in adulterium consensit: si per ignorantiam ad non suam accessit: si etiam alter coniunx criminis particeps fuit, vel etiam ipse fornicatus.

14 Si post vnius vel vtriusque adulterium coniuges reconciliati sint, censetur ius matrimonij restitutum, perinde ac si crimen nullum antecessisset: quare si alteruter coniunx postea fornicetur, alter acquirit ius diuortij.

Si post sententiam diuortij Iudicis auctoritate factam, etiam alter coniunx adulterium committat, non obligatur ad recipiendum coniugem, nisi Iudex ex officio compellat ad occurrendum probabili periculo incontinentiæ.

15 Coniunx à coniuge adultero separare se potest, sed non debet ex necessitate præcepti per se, & ordinariè loquendo, nisi id necessarium sit ad procurandam emendationem coniugis, vel ad scandalum vitandum, ne maritus crimini vxoris sæpe relabenti indulgere videatur.

16 Coniunx innocens post institutum diuortium coniugem emendatum reuocare iure suo potest, sed ad id non obligatur.

17 Aliæ causæ instituendi diuortij sunt: Lapsus in hæresin: Graue periculum

periculum animæ, aut corporis, quod ex cohabitatione coniugis timetur: Graues, & frequentes discordiæ, quibus innocenti cohabitatio nimis molesta, ac intollerabilis redditur, quod Iudicis arbitrio committimus.

18 *Si causa diuortij propter graue periculum corporis, aut animæ notoria sit, propria auctoritate separatio fieri potest, per se loquendo: interim tutius est, imò ratione scandali vitandi plerumque necessarium, vt Iudicis Ecclesiastici officium imploretur, nisi periculum in mora sit.*

19 *Facto diuortio inter coniuges, liberi ordinariè manere debent penes innocentem, expensis patris, si is diuortio causam dedit: Sin contrà, apud patrem, expensis matris locupletis, saltem post Iudicis sententiam.*

DIVORTIVM duobus modis accipitur: Primò pro separatione coniugum dissoluto eorum matrimonio quoad vinculum, vt videre est tit. ff. & C. de diuortijs. Secundò pro separatione coniugum duntaxat quoad torum, vel etiam habitationem. Hoc posteriore modo acceptum diuortium duobus titulis institui potest. Quo-
1 rum primus est mutuus consensus ob maiorem vitæ perfectionem, aliámue honestam causam. Idque varijs modis fieri potest: I. Si vt meliùs Deo seruiant coniuges, vel ne proles eorum supra facultates multiplicetur, mutuo consensu in perpetuum, vel ad tempus toro separentur, nullo edito voto. Quæ coniugum conuersio (si ex causa iusta, & non ex odio, vel ira fiat) licita est; quamdiu incontinentiæ periculum alteri non imminet, sicuti colligitur ex Apost. 1. ad Corinth. 7. *Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram.*

II. Si mutuo consensu, ambo coniuges continentiam voueant. cuius rei commendata exempla multa reperies apud Patres Basil. in regulis fusiùs disputatis, interrogat. 12. Hilarium Arelatensem in epist. ad S. August. quæ habetur tom. eius 7. S. Paulinum lib. 4. epist. 3. ad Aprum, S. August. epist. 199. ad Ecditiam, & in lib. de bono coniugali, cap. vlt. Theodoretum lib. 4. hist. c. 1. Greg. 1. lib. 9. indict. 4. epist. 39. Gregor. Turonensem, de gloria Martyrum, cap. 32. Pelagium, seu Gelasium Papam in c. de Syracusanæ, d. 28. Quamuis propter incontinentiæ periculum consultum non est coniugibus continentiam vouere; nisi præmissa matura deliberatione, & longa experientia, quod facilè continentes ambo esse possint: atque post editum votum toro eos separari oportet.

2 III. Si vterque coniunx mutuo consensu Religionem ingrediatur, vel vno ingrediente, aut marito sacrum ordinem cum consensu vxoris suscipiente, alter quoque perpetuam cōtinentiam promittat, vti habetur in Concil. Agathensi, cap. 16. & in cap. 1. c. coniugatus, c. vxoratus, de conuers. coniugat. & colligitur ex verbis Christi Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, vxorem &c. centuplum accipiet.* Eodemque modo Apostolos, qui antè vxorati fuerant, relictis vxoribus, Christo adhæsisse, & Euangelium prædicasse, inter alios testatur S. Hieron. epist. 50. ad Pamachium contra Iouinianum, & lib. 1. aduersus Iouinianum: *Habuerunt quidem* Apostoli *vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant. Qui assumpti postea in apostolatum, relinquunt officium coniugale.*

Sunt verò hoc loco aliqua aduertenda: Primum. Non sufficit solus consensus coniugis, vt alteri licitum sit Religionem ingredi; sed requiritur, vt vel ambo ingrediantur, vel is, qui in seculo mansurus, & votum perpetuæ continentiæ editurus est, ea ætate sit, vt extra probabile periculum incontinentiæ esse videatur. Ita habetur in c. cùm sis, & c. ad Apostolicæ, de conuers. coniugato. Idémque eadem ratione dicendum, si vir sacrum ordinem suscipere velit, sicuti apertè habetur cit. cap. 16. Concil. Agathensis, quod refertur in c. Episcopus, dist. 77. & ex communiore docet Abb. in cit. coniugatus, n. 4. de conuers. coniug. Syluest. ver. diuortium, quæst. 17. dicto 2. Nauar. cap. 22. man. num. 52. & lib. 3. consil. 13. de conuers. coniugatorum, edit. 2. Sanchez lib. 7. disp. 39. n. 6. Coninck disp. 35. dub. 6. concl. 4.

Porrò dispicere, vtrum vxor, quæ edito voto in seculo mansura est, extra incontinentiæ periculum existat, 3
ad Episcopum pertinet: ideóque conuenit vt ab eo licentia petatur, sicuti colligitur ex c. si vir & vxor. 27. quæst. 2. & notauit Glos. in cap. 1. de conuers. coniugat. ver. reuocari. Vide etiam Glos. & Abb. in c. vxoratus, num. 7. eod. tit. vbi notant, licentiam Episcopi postulandam quidem esse, sed ad substantiam, & valorem professionis non requiri. Imò Sanchez lib. 7. disput. 32. num. 3. arbitratur, eam non ex præcepti necessitate, sed tantum ex consilio, & ad maiorem securitatem exigi. Contrarium verò docet Richar. in 4. dist. 32. a. 2. quæst. 3. Glos. in cit. cap. 1. de conuers. coniugat. ver. reuocari. idque in praxi obseruari solet.

Alterum aduertendum. Si coniunx sine consensu alte- 4
rius coniugis, Religionē professus est, professio irrita est, sicuti expressè habetur in c. quidā, de conuers. coniugat. Idémque dicendum, si graui, & iniusto metu, aut dolo consensus à coniuge extortus fuit, vti colligitur ex cap. veniens, & c. accedens, eod. tit. & ex communi docet Sanchez lib. 7. disp. 35. Ex quo sequitur, talem ita inualidè professum ab altero coniuge ex Monasterio reuocari posse: imò valdè probabile est, quòd coniunx ita professus propria auctoritate exire, & se coniugi suo restituere possit, imò debeat, sicuti colligitur ex S. August. epist. 45. ad Armentarium, & Riparium, relato in c. vna sola, 33. quæst. 5. vbi id Glos. notauit, ver. corrigenda. Quinetiam post mortem coniugis, si inualidè professus professionem suam neque expressè, neque tacitè ratificarit, egredi posse, contra Palud. in 4. distinct. 25. q. 3. d. 2. Nauar. lib. 3. consil. 5. num. 2. de conuers. coniugat. edit. 2. & alios, sentiunt DD. non pauci apud Sanchez lib. 7. disp. 34. & 35. argument. cit. c. quidam, vbi proposito casu de quodam, qui inuita vxore Religionem professus, & ideo ex Religione reuocatus fuerat, vtrum soluto matrimonio per mortem coniugis, cogatur reuerti ad Monasterium, an verò vxorem aliam ducere possit? Respondit Alexander III. Non obligari ad reditum, cùm professio irrita fuerit; propterea quòd corpus tūc obligatum vxori, non potuerit vlla promissione obligare Monasterio, vti docet etiam Gregor. I relatus in c. Agathosa, 27. quæst. 2. & videri potest Sanchez cit. disput. 34. numero 10. vbi benè notat; Sicuti si coniugatus verbis de præsente obliget se alteri mulieri ad perpetuam vitæ societatem, nulla inde obligatio, ne sponsaliorum quidem, oritur; ita similiter si coniugatus inuita vxore obliget se per professionem Religionis ad perpetuam obedientiam & nulla inde erga Religionem, ne simplicis quidem voti obligatio contrahitur.

Additur verò in cit. c. quidam, quòd talis inuita vxore inualidè professus, illa mortua, alias nuptias contrahere non possit. Ratio est: Quia præsumptio est, quod vouēs se voluerit obligare modo eo, quo potuit, secundùm illud vulgatum apud Abb. cit. c. quidam, num. 3. *Si non valet, quod ago, volo vt valeat, sicuti valere potest*: at verò maritus inuita vxore ad duo se obligare potest, & vt coniugij debitum non petat, & vt post mortem vxoris continentiam seruet: quare cùm hæc duo in professione religiosa, quippe ad omnem continentiam se extendente, tanquam pars in toto includantur, ideo præsumptio iuris est, quòd saltem hæc duo promittere voluerit maritus, si professio eius non valeret. Quæ tamen præsumptio in conscientiæ foro veritati cedere debet, si animus vouendi continentiam non erat, nisi dependenter à professionis valore.

Tertium aduertendum. Quotiescunque coniugatus, 5
consentiente altero coniuge, quamuis illicitè Religio-

nem professus est, valet professio, iuxta cit. c. ad apostolicam, & c. ex parte 1. de conuers. coniugat. Ex quo talis decisio colligitur: Licet maritus cum spontaneo vxoris consensu, nisi & ipsa conuertatur, vel in seculo, si senex sit, votum continentiæ edat, de iure Monasterium ingredi non possit, ideóque etiam post professionem Ecclesiastici Iudicis officio reuocari queat, ad debitum vxori reddendum, si ea in seculo relicta continentiæ votũ neque expresè, neque tacitè edidit, attamen mortua vxore, maritus aliam vxorem ducere nequaquam potest, sed statim ad Monasterium suum, tanquam verus professus, reuerti cogitur. Videri potest Durand. in 4. d. 32. q. 2. Abb. in c. 1. n. 8. de conuers. coniugat. Nau. lib. 3. consil. 14. eod. tit. edit. 2. Syl. ver. matrimonium, 8. q. 12. dicto 4. Sotus in 3. dist. 27. q. 1. a. 4. prope finem, Sanchez
6 lib. 7. disput. 33. q. vlt. vbi notant; Si coniunx licentiam ingrediendi alteri sponte concesserit, quòd præsumendum sit voluisse se obligasse ad perpetuam continentiam, imò & ad Religionis ingressum, si iuuenis, aut de incõtinentia suspectus sit, ideóque ad satisfaciendum voto suo compellendum esse, iuxta c. qui vxorem, 33. q. 5. sumpto ex Concil. Rhemensi: *Qui vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat priore mortua; sed similiter conuertatur.* Quam tamen præsumptionem Abb. in cit. c. 1. Sanchez lib. 7. disput. 33. num. 14. in dubio rectè dicunt intelligendam de solo marito: nam vxor in dubio potiùs præsumitur ignara iuris, requirentis in licentiam dante, vt similiter continentiam voueat, vel si iuuenis, aut aliter suspecta sit, Religionem profiteatur: quamobrem censeri non potest tacitè ad tale onus se obligare voluisse, nisi priùs ostendatur fuisse huius iuris consciam. Et quæ dixi de professione, similiter locum habere videntur in sacri ordinis susceptione, vti docet Nauar. loco cit. Sanchez lib. 7. disp. 38. & 39. eo excepto quòd specialiter decretum est, vt coniugatus ad Episcopalem dignitatem non assumatur, nisi vxor Religionẽ ingredi consentiat, c. sanè, de conuers. coniugat. & in Concil. Trullano canon. 48. idque docet Glos. in cit. c. sanè, ver. sacrum velamen. Abb. num. 2. rationem afferens: *Quia alioquin vxor remanens in seculo sæpe mulieribus associata Episcopum visitaret, & ab eo impetraret gratias, ad ditandos parentes, aliósque consanguineos.* Idémque tenet Syl. ver. matrimonium 8. quæst. 12. dicto 4. Armilla ver. diuortium, num. 11. Sanchez lib. 7. disp. 41. contra Additionem ad cit. cap. sanè, Sotum cit. a. 4. in fine, existimantes, si vxor promouendi ad episcopatum vetula sit, in seculo relinqui posse.

7 Alter titulus, seu causa, ob quam diuortium inter coniuges institui potest, est crimen; inprimis adulterium, quippe quod per se, ac directè fidei coniugali repugnat, cuius causa coniunx adulter iure coniugalis debiti exigendi priuatur, ideóque alter, qui innocens separationem, seu diuortium omni iure instituere potest: siquidem frustra sibi fidem quis postulat seruari ab eo qui fidem à se præstitam seruare recusat. Quę causa est, cur Christus Matth. cap. 5. & 19. hanc solam diuortij causam permisit: *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem,* id est, excepta fornicationis causa, *mæchatur*, seu facit eam mæchari, dum sine iusta causa mæchandi periculo exponit. Ratio verò est: Quia solum adulterium, seu fornicatio coniugis per se repugnat contractui matrimoniali, alterúmque coniugem in perpetuum liberat à fide coniugali; ita vt neq; temporis decursu per pręscriptionem iuri isti derogetur, nisi tacita condonatio accedat, sicuti colligitur ex cap. admonere, 33. q. 2. Alia verò crimina, ob quæ infrà dicam coniugem repelli posse, per accidens se habent ad matrimonij substantialem obligationem: quare ijs cessantibus recipi debet coniunx, vt postea dicam. Idque discrimen notauit Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 14. respons. ad 2.

Porrò hîc aliqua addenda sunt: Primum, Diuortium, quod causa adulterij coniunx innocens instituere potest, intelligi debet non quoad vinculum; sed solùm quoad torum & habitationem, sicuti explicat S. Hieron. in citat. cap. 19. S. Matth. & in epist. ad Amandum, S. August. in lib. 2. de adult. coniugijs, c. 9. in lib. contra Adimantum, c. 3. & serm. 25. & 26. de sermone Domini in monte, Innoc. 1. epist. ad Exuperium, c. 6. Alexander III. c. ex parte, de sponsal. Conc. Eliberinum, cap. 9. Trident. sessione 24. de matrim. canon. 7. idque satis colligitur tum ex Ecclesiæ praxi, tum ex verbis Christi, qui & apud Matth. locis citát. & apud Marcum cap. 10. Lucam cap. 16. indistinctè, adeóque vniuersim dixit, quòd *omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur.* Et Apost. 1. ad Corinth. 7. *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipiò non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere*, absque iusta causa: *Quòd si discesserit*, ex causa iusta, *manere innuptam, aut virò suo reconciliari.* Vide eundem Apostolum ad Rom. 7. S. Aug. cit. lib. 1. de adult. coniugijs, cap. 3. & 4. Bellarm. 1. de matrimon. cap. 16. Sanchez lib. 10. disp. 2.

Secundum: Nomen fornicationis, ac mæchiæ, ob quam innocenti ius diuortij competit, latè accipi debet, vt comprehendat omnem concubitum consummatum cum altero supposito, qualis etiam sodomia est, ac bestialitas, sicuti ex communiore annotauit Abb. in cap. maritus, de adult. num. 3. Sanchez lib. 10. disput. 4. num. 3. Quia iustum diuortium oritur ex eo, quòd coniunx carnem suam in alteram diuisit, contra naturam pacti matrimonialis explicatam Gen. 2. *Erunt duo in carne vna.* Idque notauit S. Hieron. cap. 19. Matth. relatus in c. dixit Dominus, 32. quæst. 1. Talis autem diuisio fit per fornicationem, sodomiam, & bestialitatem completam; non item per incompletam sine seminis effusione, multò minus per tactus impudicos, aut per peccatum mollitiei, vt videre est apud Sanch. cit. disp. 4. num. 10. Mol. tract. 3. disp. 95. n. 8.

Tertium. In iure hoc diuortij instituendi coniuges æquales sunt, vt non minùs vxor ob adulterium mariti, quàm maritus ob adulterium vxoris diuertere, seu separari possit, sicuti colligitur ex c. idololatria, 28. quæst. 1. & docet S. Tho. in 4. distinct. 35. quæst. vn. a. 4. & alij communiter apud Sanchez disput. 3. conclus. 2. Ratio est: Quia ius diuortij oritur ex violatione fidei coniugalis, ad quam coniuges æquali iure obligantur. 8

Quartum. Cumprimum coniunx innocens de coniugis adulterio certitudinem, saltem moralem acquisiuit; ius habet se separandi, etiam propria auctoritate; & consequenter alimenta, & dotem negandi, nisi quatenus ratio scandali obstat. Ita docet Abb. in c. tua fraternitas, num. 2. & c. vlt. de adulterijs, Sotus in 4. dist. 36. quæst. vn. a. 3. Syluest. ver. diuortium, quæst. 8. Armilla num. 7. Sa num. 1. Coninck disp. 358. dub. 1. Sanch. lib. 10. disp. 8. num. 22. & disp. 12. num. 5. argument. c. dixit Dominus, 32. quæst. 2. ver. libere. Ratio est: Quia ius naturale ac diuinum ob causam adulterij diuortium fieri permittit: Et verò separatio quoad torum, & debiti negationem, plerumque absque scandalo fieri potest, propria auctoritate: non item quoad habitationem; cùm talis separatio in publicam notitiam venire soleat. Quamobrem Ecclesiæ tunc iudicio opus est, vti docent 9 Scholastici in 4. distinct. 35. vbi S. Thom. q. vn. a. 3. S. Bonau. a. 1. vn. quæst. 3. Richar. a. 1. quæst. 3. Gratianus super c. siue, 33. quæst. 2. Excepto, si etiam crimen adulterij publicè notum sit, vt nulla tergiuersatione celari possit, sicuti docet Abb. in c. constitutus, num. 4. de conuers. coniugat. & c. gaudemus, num. 5. eod. tit. Syluest. cit. q. 8. Henricus Canisius in c. significasti, de diuortijs, Sanchez disput. 12. numero 25. quamuis non pauci contrarium sentiant apud. Couaruuiam in epit. p. 2. cap. 7. §. 5. num. 14. argument. c. literas, de restitut. spoliatorum, & c.

&c. porrò, de diuortiis. qui tamen casus diuersus, & specialis est, vt dissolutio matrimonij quoad vinculum, ob impedimentum dirimens, quamuis notorium videatur, numquam sine Ecclesiæ iudicio permittatur: idque propter errandi periculum in causa tam ardua.

Præterea si maritus certus de vxoris adulterio, quod tamen in foro externo probare nequeat, eam absque scandalo deserere possit, prætextu peregrinationis longinquæ, sed sine redeundi proposito, non prohibetur id agere, sicuti docet Sotus cit. a. 3. ad finem, Sa cit. n. 1. Henriquez lib. 11. cap. 17. n. 2. Sanch. cit. disp. 12. n. 32. Coninck cit. dub. 1. concl. 3.

10 Porrò, si vxor v.g. in causa non notoria à marito sine iudicio Ecclesiæ repulsa sit, ante omnia eam Iudex ab vxore imploratus, in pristinum statum restituere debet; & postea causam diuortij cognoscere, compulso marito ad probationes suas proferendum, sicuti constat ex c. in conquestione, de restitut. spoliatorum, iun. Glos. ver. non debet. Secùs autem est, si causa diuortij, puta adulterium, notoria sit, seu per euidentiam facti, seu per confessionem Rei. Nam hoc casu repulsa vxor non restituitur, vti habetur in c. significasti, de diuortijs: Ratio est: Quia petenti restitutionem obstat exceptio de notorio defectu iuris, seu proprietatis, vti notat Abbas in c. intelleximus, de adulter. & c. porrò, numero 9. de diuortiis. Si autem coniunx propria temeritate à coniuge recesserit, & postea pœnitens reuertatur, & ab altero coniuge non recipiatur: vel si maritus vxorem temere à se repellat, postea verò repetat, eáque redire nolit, vtroque casu *posterior mora damnosa est*, l. illud, ff. de periculo, & commodo rei venditæ; quare iure habitationis spoliatus censetur is coniunx, qui paratus cohabitare ab altero non recipitur, sicuti docent Gl. in c. significasti, ver. materiam, ibid. Abb. n. 7. de diuortiis, Gl. in c. literas, ver. diuertit, ibid. Abb. num. 9. de restitut. spoliatorum, Lancellotus Instit. iuris canonici, de diuortiis, §. ergo nisi legitima, Sanch. cit. disp. 12. n. 16. & 17.

Præterea licet cõiunx propria auctoritate coniugem ob adulterij suspicionem à se repellens, incontinenti probationes coram Iudice afferat, ordinariè tamen audiri non debet, sed priùs restitutio fieri quoad omnia, sicuti rectè contra quosdam docent Couar. in epit. p. 2. c. 7. §. 5. num.
11 16. Sanchez num. 22. Quia suprà cit. c. literas (quod in contrarium afferri solet) potiùs sententiam nostram cõfirmat: dicitur enim ibi, si vxor à marito discesserit, prętextu impedimenti dirimentis ob consanguinitatem, petita postea restitutione, si vxor incontinenti probationes afferat, restituendam esse priùs quoad omnia alia, excepto toro, seu commixtione carnali, videlicet propter periculum fornicationis, si fortè impedimentum subsit. Ergo cessante tali periculo, sicut cessat in causa diuortij, propter adulterium, restitutio plenè fieri debet, sicuti optimè notauit Gl. in citat. cap. literas, ver. incontinenti. Abb. ibid. num. 5. Verum interim est, quòd maritus v.g. sciens coniugis suæ adulterium, licet sufficienter probare nequeat, per se loquendo, vxori debitum reddere nõ teneatur, esto Iudex illi sub excommunicatione mandet. Nam præceptum Ecclesiæ in falsa præsumptione fundatum non obligat in conscientia: quia pręsumptio cedit veritati, vti docet Palud. in 4. d. 27. q. 4. art. 2. ver. tertius modus, Sotus d. 36. q. vn. a. 3. Veracrux 3. p. speculi, art. 5. concl. 4. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 4. Sanch. cit. disp. 12. num. 6. Coninck cit. dub. 1. concl. 3. ver. Nec his obstat, & colligitur ex cit. c. literas, de restit. spoliatorum. Dixi autem, *per se loquendo*: Quia ne iudicium Ecclesiæ contemnere videatur condemnatus, obedire debet, quatenus scandali vitandi necessitas postulat. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 4. 5. p. 1. c. 6. n. 3.

12 Quintum. Cognito diuortio, innocens non tantùm diuertere potest, sed etiam assumpto statu Religionis, vel ordinis sacri, in perpetuum se obligare ad continentiam; vt neque ipsi recedere, neque à coniuge adultero reuocari vnquam possit. Quare in hoc casu etiam coniunx alter statum Religionis assumere non prohibetur, vti docet ex communi Syluest. ver. diuortium, quæst. 10. Armilla num. 8. Sanchez disput. 10. num. 6. Si autem innocens statum non mutauit; non potest coniunx adulter absque expressa, aut tacita licentia coniugis innocentis, ad Religionem transire, aut sacrum ordinem suscipere; quamuis diuortium cum Ecclesiæ iudicio institutum sit: quandoquidem sententia diuortij nihil incommodi innocenti afferre debet, quominus coniugem adulterum reuocare, ipsique reconciliari possit, si ita ipsi lubitum sit, vti indicat Syluest. l. cit. & expressè docet S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 21. §. 6. Sanchez cit. lib. 10. disp. 10. num. 12. contra Henriquez lib. 11. cap. 17. num. 6. lit. x. Si tamen innocens semel atque iterum monitus, vt adulterum coniugem post emendationem recipiat, id facere nolit, potest adulter Religionem ingredi, ac profiteri, iuxta c. gaudemus, de conuers. coniugat. Et posse etiam in hoc casu maritum emendatum ad sacros ordines promoueri, ait Sanch. n. 16. Qui rectè etiam monet num. 15. casu, quo alter coniunx, instituto diuortio propter adulterium, Religionem ingreditur, vel ordinem sacrum suscipit, necesse non esse, vt etiam alter coniunx Religionem profiteatur, vel in seculo continentiam voueat. Quia iura id requirentia loquuntur in casu, quo matrimonium integrum, & illæsum perseuerat, non in casu perpetui diuortij, vti etiam notauit Sotus in 4. dist. 36. q. vn. a. 5. ad 3.

Certi casus sunt, in quibus coniugi diuortium non 13
permittitur, propter fornicationem coniugis. I. Si vim passa fuit, animo non consentiente; cùm hoc non sit adulterium formaliter, iuxta verba S. August. lib. 1. de ciuit. cap. 18. *Duo fuerunt, & adulterium vnus admisit*: refertur in c. proposito, 32. q. 5. Quod verò Abb. volum. 1. consil. 4. num. 3. Syluest. ver. adulterium, quæst. vlt. Armilla num. 7. existimant, idem dicendum esse, si alteruter coniunx graui seu iusto metu compulsus in adulterium consenserit, non posse ab altero diuortium institui, id ab aliis communiter reijcitur, sicuti videre est apud S. Anton. p. 3. tit. 1. c. 21. §. 6. Palud. d. 35. quæst. 1. a. 2. casu 5. Couar. in epit. p. 1. c. 5. in princ. num. 3. Sotum d. 36. q. vn. a. 1. Sanchez disp. 5. num. 16. Coninck disp. 35. dub. 2. Quia id verè ac formaliter adulterium est, iniuriosum alteri coniugi, quippe cùm ex natura coniugalis fidei potiùs mortem oppetere debeat, quàm in stuprum consentire, teste S. August. cit. c. 18. & refertur cap. ita, 32. q. 5.

II. Si coniunx bona fide ad alterum accessit: vt quia inuincibili ignorantia maritum suum esse credidit: quomodo Iacob Liam cognouit, Gen. 29. Aut si vxor maritum vita defunctum esse probabiliter persuasa, ad alias nuptias transiuit, c. cùm per bellicam, 34. q. 2. & docet S. Bonau. in 4. d. 35. a. 1. q. 1. Idémq; est, si in hoc casu cum aliquo fornicetur, quia vacat culpa adulterij formalis, quòd solùm causa iusta diuortij est, sicuti notauit Sanch. disp. 5. n. 12.

Neque obstat responsio Innoc. III. in c. gaudemus, de diuort. Si Gentilis iuxta ritum gentis suæ legitimam vxorem repudiauerit, quæ deinde alteri nupserit, ac postea ambo ad fidem conuertantur, maritus *dimissor non poterit obiicere fornicationem dimissæ, pro eo quòd* bona fide secundùm consuetudinem gentis, *alteri nupsit post repudium; nisi alias fuerit fornicata*. Intelligi enim debet hæc exceptio de fornicatione ante repudium. Videri potest Mol. tr. 3. disp. 96.

III. Si alter etiam coniunx eiusdem criminis particeps est, vt si in adulterium illius expresse, vel tacitè consentiat, c. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam &c. vel & ipse fornicatus sit, diuortium deinde instituere haud potest, vti habetur in c. significasti, de

diuortijs, c. intelleximus, & c. vlt. de adulterijs, & tradit S. Aug. lib. 1. de serm. Domini in monte, c. 28. relatus in c. 1. 32. q. 6. *Nihil iniquius, quàm fornicationis causa dimittere vxorem si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Rom. 2. Quare in hoc casu paria delicta pari veluti compensatione tolluntur.

Nec refert, quòd vnus priùs altero adulterium commisit, vel vnus sæpius altero; vel vnùs publicè seu notoriè, & alter occultè: cùm vterque nocens sit. De quo vide Abb. in c. ad hæc, num. 3. vt lite contestata &c. Nauar. in man. c. 22. num. 23. & lib. 4. consil. 1. & 2. de diuort. edit. 2. Mol. tr. 3. disp. 95. Sanchez lib. 10. disput. 6. & disput. 8. n. 30. qui tamen rectè monet n. 46. Maritum adulterium nihilominus posse criminaliter accusare vxorem de adulterio ad vindictam publicam, quia in ordine ad accusationem criminalem delicta paria non compensantur; præsertim cùm leges permittant marito vxorem de adulterio criminaliter accusare, sed non vice versa vxori maritum suum, l. 1. C. Ad L. Iulian. de adulteriis.

14 Cæterùm si post vnius, vel vtriusque adulterium coniuges reconciliati sint, censetur ius matrimonij restitutum, perinde ac si crimen nullum antecessisset: quare si alteruter coniunx postea fornicetur, alter acquirit ius diuortij, sicuti ex communi docent Sotus cit. d. 36. q. vn. a. 1. Petr. Ledesma q. 64. a. 1. dub. 2. Mol. cit. disp. 95. num. 10. Sanchez disp. 7. num. 1. Coninck disp. 35. dub. 2. num. 17. Sed etsi reconciliatio mutuo consensu facta non fuit, si tamen post vtriusque coniugis fornicationem, vnus emendatus, de emendatione pariter facienda admonit alterum coniugem; is verò ea non acceptata, denuo fornicetur, emendatus ius acquirit instituendi diuortij, sicuti docent Syluest. ver. matrimonium 9. quæst. 6. in fine, Sanchez & Coninck ll. cc. Cùm enim alter, cui offertur reconciliatio, eam in hoc casu acceptare teneatur, ideo, quatenus est in fauorem offerentis, censeri debet reconciliatio facta: vt priùs commissum adulterium ipsi ampliùs obesse non debeat.

Deinde si sententia diuortij, ob adulterium coniugis transijt in rem iudicatã, ideóque innocens plenè absolutus est societate tori, ac habitationis; valde probabile est, etsi postea adulterium committat, non obligari ad recipiendum coniugem, priusquam Iudex ex officio compellat ad occurrendum probabili periculo incõtinentiæ, vti docet S. Thom. in 4. d. 35. q. vn. a. 6. ad 4. Sotus ibid. q. vn. a. 6. ad 3. Abb. in c. tua fraternitas, n. 4. de adulter. Henriq. lib. 11. c. 17. num. 3. Sa ver. diuortium, num. 2. Sanchez cit. lib. 10. disp. 9. num. 30. contra Glos. in c. ex literis, de diuortiis, ver. ab inuicem separati, Palud. d. 35. q. 2. a. 2. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 6. Nau. cit. consil. 1. num. 2. Petrum Sotum de matrim. lect. 12. paulò ante finem, Mol. cit. disp. 95. num. 5. Graffis p. 2. decis. lib. 1. c. 12. num. 73. casu 3. Coninck cit. dub. 2. num. 13. argumen. cit. cap. ex literis, vbi vir, qui post diuortium aliam duxerat, restitui iubetur priori vxori. Sed facilis responsio est: Non fuisse diuortij sententiam iudicialiter latam: cùm dicatur, priuatim illis fuisse iniunctum, vt inter se separati continentiam seruent. Illud tamen fateri oportet, coniugẽ accusatum ciuiliter de adulterio ad diuortium instituendum, posse etiam post litem contestatam opponere exceptionem de lapsu alterius coniugis; imò coniugem, qui similiter fornicatus est, non posse bona conscientia diuortium instituere, esto crimen eius occultum, & alterius notorium sit, modò etiam alter se emendare paratus existat.

Porrò notandum, quòd duplex est criminis adulterij condonatio, sicuti notauit Sanchez lib. 10. disp. 14. Vna expressa quæ verbis fit: altera tacita quæ fit re, & facto, si videlicet maritus post cognitum vxoris adulterium cum ea commisceatur, vel existente adulterio notorio, cùm facilè possit, ab ea se non separet, domi retentam familiariter tractet, præsumitur tunc condonare iniuriam, seu iuri diuortij renunciare. Si tamen re ipsa abfuit voluntas remittendi iniuriam, nihilominus in conscientiæ foro diuortium instituere poterit, sicuti contra quosdam docent Sanchez citat. disp. 14. num. 21. Sa ver. diuortium, n. 7. licet in externo foro non audiatur, propter iuris amissi præsumptionem.

Sed quæres primò: Vtrum coniunx in conscientia 15 obligetur, cognito adulterio coniugis, diuortium instituere, vel alimenta adulteræ denegare? Responsio est negatiua secundùm mentem S. August. lib. 1. de sermone Domini in monte c. 27. relato in c. idololatria, 28. quæst. 1. ibi, *Permisit Dominus, non iußit.* Idémque colligitur ex c. quemadmodum, §. vlt. de iureiur. & tradit Nau. c. diuortium, d. 1. de pœnit. n. 8.

Excipe primò, Si ob scandalum vitandum, id necessarium esse videatur, ne maritus, si vxor sæpius relabatur, eius crimini indulgere videatur, iuxta c. si vir. de adulter. & docet S. Tho. in 4. d. 35. quæst. vn. a. 2. S. Bonau. ibid. a. vn. quæst. 2. Nauar. c. 16. man. c. 28. & cap. 22. num. 2. Gregor. de Valentia t. 4. disp. 10. quæst. 6. p. 2. Sanchez. lib. 10. disp. 13. qui tamen rectè monet num. 25. & Coninck disp. 35. dub. 3. num. 20. præceptum dimittendi vxorem propter scandalum rarò obligare; cùm id plerumque aliis modis tolli possit, si explicet maritus, inquit Palud. cit. d. 35. quæst. 2. a. 3. concl. 4. *quòd non foueat illam in crimine, sed iuxta se retineat, vt cohibeat à peccato. Quod si nihilominus aliquis scandalizatur, scandalum est ex malitia, quod contemnitur.*

Excipe secundò: Nisi id medium necessarium esse videatur ad abstrahendam vxorem ab adulterio, in quo perseuerabit, si ex domo eiiciatur, alimentis ei denegatis, arg. c. si quis crudelis, 32. q. 1. & c. non omnis, 5. quæst. 5. quod sumptum est ex Greg. I. epist. 48. ad Vincentium; *Melius est cum seueritate diligere, quam cum lenitate decipere: vtilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quàm esurienti panis frangatur, vt iniustitiæ seductus acquiescat.* Idque notauit Abb. in cit. c. si vir.

Quæres secundò: Facto diuortio propter adulterium, si coniunx adulter emendatus sit vtrum possit, aut etiam debeat reuocari? Respondeo, & dico I. Etiamsi diuortium Iudicis interueniente auctoritate institutum sit, nihilominus coniunx innocens adulterum coniugem reuocare, eique reconciliari potest; modò neuter coniugum statum mutarit. Ratio est: Quia per Iudicis sententiam innocens suo iure priuari non debet: cùm alioquin exceptio rei iudicatæ proficeret Reo, contra quem lata fuit. quod iniquissimum esse, ait Iulianus l. euidenter, ff. de except. rei iudicatæ. 16

Dico II. Innocens ordinariè non obligatur ad coniugem adulterum, etiamsi emendatus sit, recipiendum, quandoquidem frangendo semel matrimonij fidem, priuatus est iure exigendi coniugij debitum. Dixi autem *ordinariè*: Nam interdum ex honestate, imò etiam ex charitatis lege, si coniunx emendatus in incontinentiæ periculo versetur, nisi in matrimonium recipiatur, recipiendus erit, vti colligitur ex citat. cap. si vir, de adulteriis.

Nunc demum dicendum est de aliis causis, ob quas diuortium per accidens institui potest. Nota, quod dico *per accidens*: quia aliæ causæ præter adulterium, non proueniunt ex violata fide matrimonij: quamobrem talibus causis cessantibus coniunx recipi debet, at verò adulterij crimen perpetui diuortij causam præbet. Prima harum causarum per accidens est, lapsus in hęresin, cap. idololatria, cap. non solùm 28. q. 1. cap. vlt. de conuers. coniug. c. 2. c. de illa, c. quanto, de diuortiis, conuenienter Apostolo ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita.* Qualis admonitio, seu correptio etiam in hoc casu præmittenda est; & antè diuortium

tium

tium non faciendum, quam criminosus pertinax appareat, ficuti constat ex cit. cap. non solùm. Verùm cognita obstinatione in hæresi, vel apostasia, etiam propria auctoritate alteri coniugi se separare fas est; imò naturali, ac diuino iure ad id obligatur, si ex cohabitatione peruersionis periculum sibi, vel liberis suis imminere perspiciat. Id verò interest, vtrum diuortium propria auctoritate, an verò cum Ecclesiæ auctoritate & iudicio instituatur, quòd in priore casu Catholicus coniugem resipiscentem, seu ab hæresi reuertentem mox recipere cogitur. In posteriore verò semel ob heresin condemnatum coniugem, etiam resipiscentem recipere non tenetur. Quod discrimen apertè traditur ab Alexandro III. in cit. c. de illa, de diuortijs: Et confirmatur ex eo, quòd Ecclesia in pœnam hæresis priuare possit alijs iuribus, seu dominijs, sicuti constat ex cap. vltim. de hæret. in 6. Ergo etiam iure illo, quod habet in corpus coniugis.

Contrariam tamen sententiam tenent Gl. in cit. cap. de illa, ver. compellendam, & cit. c. vlt. ver. iudicio Ecclesiæ, Rodriq. t. 1. c. 230. concl. 2. & alij apud Sanchez disp. 15. n. 18. Coniugem innocentem, nisi Religionem ingredi velit, obligatum esse, vt hæreticum etiam condemnatum post pœnitentiam recipiat. Mouentur tum auctoritate Innoc. III. in cit. c. vlt. de conuers. coniug. tum verbis Christi, quòd propter solam fornicationem coniugem dimittere licitum sit, videl. absolutè & in perpetuum. Sed respōdeo cum Sanch. lo. cit. Coninck disp. 35. dub. 4. n. 24. Responsum c. vlt. magis fauere nostræ sententiæ: ibi enim dicitur, quòd mulier, quæ iudicio Ecclesiæ à viro propter infidelitatem separata fuerat, si is ad fidē reuertatur, etiā nolēte ipso religionē ingredi possit: id autē non rectè diceretur, si propter Ecclesiæ sententiā in perpetuū à viro libera esset. Ad verba Christi rectè respōdet Gutierez l. 1. can. qq. c. 24. n. 20. Coninck l. c. ob solā fornicationem coniugem dimitti posse dimissione quoad torum absoluta, & in perpetuum, quā coniunx per se ipsum instituere queat, ex natura & legibus matrimonialis contractus. Adde tamen, quòd Ecclesia, si id necessarium iudicet ad occurrendum periculo animæ, præcipere possit Catholico, vt coniugem hæreticum ad Fidem conuersum in matrimonium recipiat; tùm propter auctoritatem Doctorum apud Sanch. n. 18. tùm quia Ecclesia in tali casu ad salutem animæ multùm pertinente, nunquam ita hæreticum damnare censetur, quin postea, si seriò resipiscat, eundem restituere possit, dummodo res integra sit, & innocens statum non mutârit Religionem ingrediendo, vel sacrum ordinem suscipiendo.

Altera causa est: Si coniunx coniugi, sine graui periculo animæ cohabitare non possit, licitè ab eo diuertet, quamdiu tale periculum durat, imò ad hoc obligatur, si alijs remedijs periculo occurrere se posse non confidat. Quæ est communis sententia sumpta ex c. idololatria, 28. quæst. 1. & verbis Christi Matt. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* In quem locum vide interpretationem S. Hieron. Confirmatur. Cùm licitum sit à leprosi coniugio recedere, si infectionis periculum coniugi sano imminere videatur, vt suprà dictum c. 1. num. 6. quantò magis ob periculum animæ impendens? puta si maritus vxorem ad sodomiticum concubitum, vel leno ad adulteria, vel latro ad latrocinia pertrahere directè, vel indirectè conatur. de quo vide Nauar. cap. 22. num. 22. §. tertiò. Item si coniunx veneficijs, seu magijs deditus sit, vt propter Dæmonis societatem cohabitatio eius periculo siue animæ, siue corporis, vacare non videatur, sicuti notat Coninck citat. dub. 4. n. 23. Sanchez lib. 10. disputat. 18. n. 22.

Adde ex S. Thoma in 4. d. 39. quæst. vn. art. 6. in fine corporis, Sylueſt. ver. matrimonium, 9. quæst. vlt. Sanchez disput. 17. num. 4. Posse coniugem, præsertim maritum, qui est caput vxoris, causa emendandi ipsam, graui scelere implicatam, ab ea ad tempus recedere, si hoc medium ad emendationem opportunum videatur: quod etiam vice versa ad maritum emendandum quandoque locum habere potest.

Tertia causa est. Si coniunx coniugi sine graui periculo corporis cohabitare non possit. Huc pertinent insidiæ, quas coniunx alterius vitæ machinatur, vel alia magna coniugis sæuitia, seu ex ira & furore, seu ex crebra ebrietate, seu ingenij, aut morum asperitate proueniens; vt sine probabili periculo grauis damni, ipsi cohabitari non possit, sicuti colligitur ex c. literas, de restitut. spoliatorum; vbi habetur mulierem à viro diuertentem, eidem ante omnia restituendam esse, nisi *tanta sit viri sæuitia, vt mulieri trepidanti, non possit sufficiens securitas prouideri*: quo casu *non solùm non debet ei restitui, sed ab eo potiùs amoueri.* Similia habentur in c. ex transmissa, eod. tit.

Oportet autem esse graue malum in futurum impendens, & probabiliter ineuitabile alteri coniugi, vt diuertere ipsi liceat. Primò dico, *Graue malum*, cuius videlicet metus, ac trepidatio iusta sit, & meritò hominem prudentem ac discretum, considerata personæ ipsius qualitate, moueat, sicuti etiam docet Coninck cit. dub. 4. in princ. Eiusmodi malum non tantùm est mortis, aut mutilationis membrorum, sed etiam grauium, seu atrocium verberum, qualia maritus vxori etiam delinquenti potestatem non habet inferendi, sicuti suprà dixi cap. 2. num. 7. & notat Sanchez lib. 10. disp. 18. n. 5. vbi generatim tradit; Metum iustum censeri, tametsi aliquis culpâ suâ occasionem dederit, dummodo ille, qui metum infert, ius non habeat terrendi, aut puniendi, sicuti constat ex l. nec timorem, ff. de eo quod metus causa &c. 17.

Præterea ait Henriquez lib. 11. c. 17. num. 7. Sanchez cit. disp. 18. num. 11. Graues, & frequentes discordias, quibus cohabitatio nimis molesta redditur coniugi innocenti, sufficientem causam diuortio præbere: cùm graue malum reputetur, perpetuo offensum habere eum quocum viuere semper cogaris, & ex quo res tuæ pendeant, sicuti tradit idem Sanchez lib. 4. disp. 6. num. 14. Neque refert in his casibus, vtrum malum ab ipso coniuge timeatur, an verò à parentibus eius, dummodo coniunx sine culpa non sit, vt quia malum, cùm possit, remouere intermittit, v. g. à parentibus recedendo, sicuti notat idem Sanch. n. 23. & colligitur ex cit. c. ex transmissa.

Secundò dixi, *in futurum impendens.* Non enim sufficit ad diuortium, semel, aut etiam iterum vxorem v. g. à marito præter consuetudinem ira ingenti commotò acriter nimis verberatam esse: nisi probabilis timor sit, eiusmodi malum sæpius inposterum patiendum esse.

Tertiò dixi, *Probabiliter ineuitabile.* Ante omnia enim prouidendum est, vtrum cautio, eaque sufficiens dari possit de malo in posterum non inferendo: tunc enim diuortij locus non erit, sicuti constat ex cit. c. literas, & c. ex transmissa. Sufficiens autem cautio censetur, per quam boni viri arbitrio satis consultum est incolumitati alterius: qualis cautio plerumque est fideiussoria, aut pigneratitia, interdum verò optima est iuratoria, si vir probus iuramenti religionem quàm maximè revereri existimetur, vti notauit Gutierez lib. 1. canonic. qq. c. 24. n. 3. Sanch. n. 41.

Porrò ex dictis idem Gutierez cit. cap. 24. num. 5. Sanchez. n. 30. praxin colligunt in Consistorijs obseruari rectè solitam: Petito diuortio, propter mariti sæuitiam, Iudex petit informationem per testes, qui de sæuitia deponant: & habita informatione sufficiente, interlocutoriam sententiam pronuntiat, vt vxor in loco tuto statuatur, subministratis ei à viro alimentis, donec lis decidatur, iuxta cap. ex transmissa, de restitut. spoliatorum: denique arbitrio eius committitur, vtrum præstita sufficiente cautione, securitati mulieris

prospici possit, an verò tutum satis non sit, sed diuortiũ institui debeat. Etenim hæc tota res Iudicis examini, atq; arbitrio committitur vtrum malum, quod in posterum timetur graue sit, & ineuitabile, vt suprà dixi, & singulariter annotauit Abb. in cap. literas, numero 7. de restit. spoliatorum, Gutierez citat. cap. 24. numero 10.

Ad extremum tria aduertenda supersunt: I. Multum in hac causa referre, vtrum malum, quod coniunx ex cohabitatione accipit, culpa alterius coniugis eueniat, néc ne. Si enim sine eius culpa accidit, debet esse longè grauissimum, vt separatio seu diuortium concedatur. Exempli causa: Si coniunx in amentiam incidat, licet molestum sit ei cohabitare, tamen molestia hæc toleranda est: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel vxorem mariti participem esse?* l. cùm dotem, §. si maritus, ff. soluto matrimonio &c. idque ex communi docet Nau. c. diuortium, d. 1. de pœnit. n. 7. & in man. c. 22. num. 22. §. quintò: Sin verò talis furor sit, vt periculum vitæ alteri timeatur diuortium institui debet, sicuti monet Sa ver. diuortium, n. 8. Sanchez cit. disp. 18. n. 18.

18 II. Licet, per se loquendo, si causa diuortij propter graue periculum corporis, aut animæ, notoria sit, propria auctoritate separatio fieri possit; tamen longè tutius est, imò ratione scandali vitandi plerumque necessarium, vt Iudicis Ecclesiastici officium imploretur: nisi periculum in mora sit. Qua de re vide Gutierez cit. c. 24. n. 8. Sanchez cit. disp. 18. n. 5.

19 III. Iure nouo Auth. si pater, Cod. diuortio facto &c. si diuortium inter coniuges factum sit, liberi manere debent penes partem innocentem, expensis patris, si is diuortio causam dederat; sin contrà, apud patrem, expensis matris locupletis, saltem post Iudicis sententiam: quandoquidem in hoc casu non consentiunt Doctores, si mater diuortio causam præbuit, patris, an matris expensis proles ali debeat, si vterque idoneus sit: communior tamen sententia est, quòd mater ad id compelli debeat, sicuti videre est apud Syluest. ver. filij, quæst. 21. Gutierez citat. cap. 24. num. 19. Sanchez lib. 10. disput. 20.

Porrò, quod dixi prolem facto diuortio, coniugi innocenti, siue qui causam diuortio non præstitit, relinquendam esse, tres limitationes patitur: Prima, Si infidelis sit, tunc in fauorem fidei tradenda est alteri coniugi fideli, c. vlt. de conuers. infidelium, idque notauit Syl. l. c.

Secunda, Licet vir diuortio causam præbuerit, si tamen mulier ad secundas nuptias transeat, proles educanda ipsi non relinquitur, vti colligitur ex Auth. si pater, C. diuortio facto &c.

Tertia, si mater, quæ causam diuortio dederat, locuples sit, pater autem minùs idoneus, proles relinquitur apud matrem, sicuti habetur in cit. Auth. si pater, & expressiùs in Auth. Vt liceat matri & auiæ, §. illud, collat. 8. Similitérque haud dubiè dicendum, si pater, qui causam diuortio dederat, locuples sit, mater autem pauper, prolem patri relinquendam esse, vti notauit Sanchez num. 4.

PARS QVARTA,

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS, TVM DIRIMENTIBVS, TVM impedientibus tantum.

CAP. I.

De impedimentis matrimonij in genere.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta matrimonij alia sunt impedientia tantùm, alia verò dirimentia.*

2 *Ecclesia potestatem statuendi impedimenta matrimonij Christianis Principibus interdixit, sibique propriam reseruauit, sicuti & alias matrimoniales causas.*

3 *Fideles subiecti Principibus Ethnicis non videntur astringi impedimentis matrimonij, secundum leges illorum ciuiles.*

4 *Impedimenta matrimonij non nisi vniuersalibus Ecclesiæ legibus decerni possunt.*

5 *Matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere, est peccatum mortale, nisi grauis metus cogat ita celebrare.*

6 *Si impedimentũ matrimonij Ecclesiastica lege statutum est ob indecentiam copulæ in ordine ad virtutem v.g. Religionis, aut pietatis, tum carnalis coniunctio cum eiusmodi persona specialem malitiam continet.*



Mpedimenta matrimonij duplicis generis sunt, teste S. Th. in 4. d. 34. q. vn. a. 1. Alia quæ matrimonium illicitum reddunt, sed validum relinquunt: alia verò, quæ non tantùm illicitum, sed etiam irritum matrimonium efficiunt. Illa vocari solent impedimenta *impedientia tantùm*, hæc vero impedimenta *dirimentia*, non eo sensu, quasi matrimonium ratum dirimant, sed quia impediunt ne ratum fiat. 1

Est autem QVÆSTIO PRIMA. Ad quam potestatẽ pertineat, talia impedimenta matrimonij introducere? Respõdeo, & dico I. Spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis constitutionibus, omnis Magistratus secularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimẽta matrimonij tũ dirimentia, tum impedientia tantùm ob iustam causam decernere. Ita S. Th. in 4. d. 34. q. vn. a. 1. ad 4. Victoria relect. de matrim. p. 2. n. 12. Petr. Ledesma q. 50. a. 1. dub. 1. Sotus d. 39. q. vn. a. 1. solut. ad 3. Petr. Sot. de sacram. matrim. lect. 4. prope finẽ, Sanch. lib. 7. disp. 3. Coninck disp. 30. dub. 1. concl. 1. cõtra Richar. in 4. d. 42. a. 2. q. 2. in corp. & alios: Quia matrimonium humanus contractus est, in naturæ officium, & ad propagationem Communitatis institutus: quare perinde vt alij contractus subiacet dispositioni Magistratus, quatenus necessarium, vel expediens iudicatur ad bonum cuiusq; Reipublicæ, vt personæ aliquæ

inter

inter se contrahere prohibeantur. Neq; obstat, quòd matrimonium in noua lege sacramentum sit, quia ratio sacramenti superueniens matrimonio, non mutat, sed potiùs vt materiam supponit humanum contractum, quo immutato per humanam potestatem, consequenter etiam desinit esse materia sacramenti. Simile quiddam cernere est in alijs sacramentis: etsi enim homines materiam eorum à Christo institutam mutare non possint directè, ac per se, possunt tamen destruendo vinum v.g. per aquæ aut aceti affusionem, efficere, vt desinat esse sacramenti materia. Vide Palud. in 4. d. 26. q. 4. a. 3. Adrian. in 4. de sacramen. matrimon. q. 1. §. Ad rationes.

Dico II. Ecclesia hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonij Principibus Christianis respectu fidelium interdixit, sibique propriam reseruauit: sicuti & alias causas matrimoniales: quia ita decuit postquam cõtractus matrimonij ad sacramẽti dignitatem eleuatus est. Ita Sotus in 4. d. 40. q. vn. a. 5. ver. interrogationis huius. Victoria, Sanchez, Coninck ll. cc. Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 32. Henriq. lib. 12. c. 1. n. 4. & sumitur ex Trid. sess. 24. de sacram. matrimonij, can. 3. & 4. c. tuam, de ordine cognit. c. 1. de consang. & affinit. c. multorum, 35. q. 6. & perpetua Ecclesiæ praxi. Interim nihil obstat, quominùs adhuc hodie Principes tàm Christiani, quàm Ethnici leges ferre queãt pro matrimonijs subditorum infidelium, iisque certa impedimenta statuere tum dirimentia, tum impedientia tantùm, sicuti docet S. Th. d. 39. q. vn. a. 2. ad 3. Dutan. ibidem q. 1. n. 10. Nau. c. 22. n. 48. Rodriq. to. 1. sum. c. 230. concl. 1. Henriquez cit. c. 1. num. 5. Sanchez citat. disputat. 3. num. 5. Coninck num. 7. Ratio est: Quia infidelium matrimonium sacramentum non est: atq; ipsi etiam infideles Ecclesiasticis constitutionibus minimè arctantur, c. gaudemus, de diuortijs.

3 Porrò quod dicunt Sanchez & Conink, vterque n. 7. Fideles subiectos Principibus Ethnicis astringi impedimentis matrimonij, iuxta ritum ac leges eorum ciuiles, id alij Doctores non meminerunt; contrariúmq; probabilius est, quòd attinet ad impedimenta dirimentia, sicuti notauit Adamus Tanner de matrimonio thesi 137. Cùm non excedat potestatem indirectam Ecclesiæ, omnes vbique terrarum degentes Christianos eximere legibus ciuilibus, & subijcere Ecclesiasticis, quod attinet ad matrimonij validitatem, aut inualiditatem, quippe cùm plurimùm propter sacramenti dignitatem intersit, in hac re vniformitatem inter omnes Christianos existere.

4 Dico III. Impedimenta matrimonij ita sunt Ecclesiæ reseruata, vt non nisi vniuersalibus canonibus, à Sum. Pontifice, vel generali Concilio decerni possint: non item particularibus statutis Episcoporum. Est communis doctrina, quæ constat ex praxi Ecclesiæ. Ratio antè data est: Quia causæ, quibus matrimonij valor vertitur, semper grauissimæ iudicatæ sunt, vt proinde vniuersali Pontificio iure definiri debeant. Porrò licet Sum. Pontifex etiam per particularem sententiam, matrimonium ex iusta & graui causa quibusdam interdicere possit, tanquam inualidè contrahendum, non facilè tamen tali potestate vtitur. De quo vide Nau. lib. 4. consil. 1. n. 2. & consil. 2. de matri. contracto contra interdictum Ecclesiæ, edit. 2. Sanchez lib. 7. disp. 2. n. 12.

Qvæstio Altera. Quale peccatum sit, matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere, vel etiam consummare? Respondeo, & dico I. Contra-
5 here scienter matrimonium, quod iure naturali vel Ecclesiastico irritum, consequenter etiam prohibitum est, non potest à mortali peccato excusari. Ita omnes: Quia est violatio legis iustæ in re magni momenti.

Dico II. Probabilius est, esse etiam mortale peccatum sacrilegij, matrimonium ita inualidè contrahere, præsertim in facie Ecclesiæ, post Tridentinam constitutionem. Ita Doctores quidam apud Petr. Ledesmam q. 50. a. 1. dific. 3. §. aduertendum, & sequitur Coninck cit. disp. 30. dub. 2. concl. 4. contra Sanch. lib. 7. disput. 5. num. 1. Quia tales contrahentes ad velandum scelestum suum contractum, ritibus ac nomine sacramenti matrimonij abutuntur, non sine eius iniuria ac irreuerentia. Ab vtraque tamen assertione excipi debet: Nisi metus grauis, & cades in virum constantem cogat aliquem in matrimonium inualidè consentire: Talis enim non peccat, cùm re vera non habeat animum verè contrahendi, sciens se absolutè & efficaciter non posse, sed tantùm promittẽdi quatenus ex sua parte potest: cuiusmodi promissio in tali necessitatis casu non potest esse illicita, dummodo absit animus ita inualidè contractum matrimonium consummandi. Vide quæ dixi lib. 1. tract. 2. c. 6. n. 5.

Dico III. Copula habita cum persona, quacum matrimonium ob Ecclesiasticam constitutionem consistere nequit, tunc accipit specialem malitiam necessariò in Confessione explicandam, si impedimentum matrimonij cõstitutum fuit præcipuè propter copulam, quasi illa indecentiam aliquam habeat in ordine ad virtutem, puta Religionis; vt videre est in impedimento voti solẽnis, cultus disparitatis &c. aut cõtra virtutẽ pietatis ac reuerẽtiæ erga sanguine iunctos, vt in impedimẽto cõsanguinitatis, affinitatis &c. Secùs verò se res habet, si impedimentum contractus matrimonialis positum fuit, non propter indecentiam copulæ, sed ob aliam causam, puta ob criminis punitionem, vel matrimonij libertatem tuendam, vti videre licet in impedimento criminis, raptus &c. Quare si quis hoc casu cum muliere tanquam cum coniuge coniungatur, simplicem fornicationem committit, nisi id faciat in contemptum Ecclesiæ. Ita Sanch. cit. disp. 5. n. 7. Coninck dub. 2. in fine c. 11.

CAP. II.

De impedimento erroris.

SVMMARIVM.

1 *Error personæ contractum matrimonij naturali iure irritum reddit.*
2 *Error qualitatis, etsi ex dolo alterius contrahentis proueniat & det causam contrahendi, matrimonium non infirmat.*
3 *Error circa qualitatem conditionis seruilis, si alter contrahentium ingenuus est, matrimonium irritum reddit.*
4 *Mancipium à Domino prohiberi non potest, quominùs matrimonium contrahat: quamuis debita seruitia nihilominus exigi possint.*
5 *Coloni originarij & ascriptitij propriè non sunt serui, sed potiùs homines liberi.*

In primis dicam de impedimentis dirimentibus matrimonij, & ante omnia de impedimento erroris, ad extremum de ijs quæ impediunt tantùm, seu matrimonium prohibitum, non etiam irritum reddunt.

Assertio I. Error personæ contractum matrimonij naturali iure irritum reddit. Ita docet S. Bonau. in 4. d. 30. art. vn. quæst. 1. ibid. S. Thom. quæst. 1. art. 1. & alij communiter apud Sanchez lib. 7. disput. 30. Ratio est: Quia error circa substantiam, siue obiectum substantiale vitiat omnem contractum, sicuti dixi lib. 3. tract. 4. cap. 5. num. 1. Persona autem determinatè cognita contrahenti esse solet primum & substantiale obiectum cõtractus matrimonialis. Ergo error circa personã vitiat contractum matrimonij. Simile etiam vsuuenit ferme in emptione, si emere intendas Bucephalum, & pro eo obtrudatur Xanthus, irritus est contractus, propter errorem circa obiecti substantiam: quandoquidem animus est non in quemcunque equum, sicut neque in quamcunque mulierem, sed in certam consentire: at-

qui actus agentium non operantur vltra eorum intentionem. Non ita verò se res habet in ministratione sacramenti Baptismi, Confirmationis &c. in quibus error circa personam, (si videlicet existimes suscipientem esse Petrum, cùm sit Ioannes;) sacramentum non vitiat: quia virtualis ministrantis intentio esse debet baptisandi, confirmandi hominem præsentem, ac capacem, quicunque ille sit, sicuti dixi suprà tr. 1. cap. 4. num. 6.

Ampliari autem assertio debet, vt nihil intersit, vtrum sit error antecedens siue causa operis, quia si non errasses in persona, noluisses contrahere, an verò error concomitans, & non causa operis, quando ita habitualiter animo affectus fuisti, vt etsi non errasses, sed sciuisses esse aliam, quàm putaras, tamen cum ea contrahere voluisses. Ratio est: Quia vterque error aufert actualem consensum, & tantùm differunt, quòd prior facit inuoluntarium, posterior autem actum non voluntarium esse. Cæterùm, si errans actualiter intendat contrahere cum proposita muliere, quæcunque illa sit, validum erit matrimonium, sicuti & valida emptio, si falsò existimans esse Bucephalum, velit tamen emere propositum sibi equum, quicunque sit, sicuti notauit Nauarrus cap. 22. man. num. 32. Coninck disput. 31. dub. 1. n. 9. in fine. Nam eiusmodi error speculatiuus tantùm censetur, non practicus, quippe haud vitians obiectum substantiale actus voluntarij.

2 Assertio II. Error circa qualitatem personæ, tametsi proueniat ex dolo alterius contrahentis, & det causam contractui, nullo modo infirmat matrimonium. Est communis doctrina Scholasticorum in 4. d. 30. vbi Richardus a. 1. quæst. 2. Durandus quæst. 1. Palud. d. 34. quæst. 1. art. 3. conclus. 3. argument. cap. cùm in Apostolica, de sponsal. Ratio est: Quia matrimonium, si substantialiter consistat, non potest infirmari aut rescindi, exceptis casibus quos Ecclesiæ praxis permittit, cum errore autem circa qualitatem vel motiuum extrinsecum contractus substantialiter subsistit, puta si quis contrahat cum Caia simulante se sanam, cum leprosa sit, aut simulante se virginem cùm corrupta sit: quandoquidem talis error non tollit voluntarium absolutum ac simpliciter. Sequitur ergo, quòd tale matrimonium omnimodè subsistat, cùm nullus canon Ecclesiasticus extet quo infirmetur. Confirmatur doctrina ex l. Alioquin, ff. de contrah. emptione: *Quòd si ego me virginem emere putarē, cùm esset mulier*, id est corrupta, ait Glos. *valebit emptio: in sexu enim non est erratum.* Verum est, quòd talis emptio ob dolum rescindi potest, sed matrimonium semel validum rescindi ita non potest.

Limitari autem debet assertio primò: Nisi contrahens actualem voluntatem habeat non accipiendi mulierem hanc in vxorem, nisi sana sit, aut virgo. Secundò limitari debet, Nisi error qualitatis etiam in errorem substantiæ, siue personæ redundet: si videlicet aliquis existimet se cum alia persona contrahere, non ea, quam exteriùs accipit, ideóque neque consentiat cum hac cōtrahere: quia non cognoscentis, aut errantis non est cōsensus. Id verò tunc euenire solet, si per qualitatem vnam, vel plures certa persona describatur, animóque designetur, quæ visu alioquin ignota est, vt si consentias animo ad accipiendam eam, quæ inter filias Semproni j primogenita est, offeratur autem postea Caia, quæ primogenitam se mentitur, non valet matrimonium, tametsi ponamus, primogenitam antè mortuam esse. Secùs est, si Caia hæc visu priùs nota, & ad matrimonium determinata fuisset, tametsi postea simulet se primogenitam, cùm non sit, valebit tamen matrimonium, nisi actualis intentio fuisset, saltem animo retenta, non accipiendi eam, nisi primogenita sit, vt supra dictum, & videri potest S. Thom. in 4. distinct. 30. quæst. 1. a. 2. ad 5. Syl. ver. matrimonium, 8. q. 1. Angel. eod. 3. imped. 4.

Quæret aliquis: Cur Ecclesiastico iure irritum sit matrimonium graui iniusto cogente metu celebratum, non item quod ob dolum: cùm tamen vtrumque inuoluntarium admixtum habeat, iniuriámque contineat. Arbitror hanc rationem esse, Quia vtrum vis iniusta grauis interuenerit, plerumque coram Ecclesia demonstrari potest: at verò dolus ferme occultus est: quare ne multa matrimonia dubium valorem haberent, expediebat ea Ecclesiastico iure non infirmari, quando spectato naturali iure subsistendi vim obtinent.

Assertio III. Id speciale est, quòd error circa qualitatem seruilis cōditionis, si alter contrahentium ingenuus vel liber est, matrimonium irritum reddit. Ita habetur in c. 2. & vlt. de coniug. seruorum, & docet S. Thom. in 4. d. 36. q. vn. a. 1. ibid. S. Bonau. a. 2. quæst. 2. Richar. a. 1. & 2. Durand. quæst. 1. Quia conuenit, vt matrimonium contrahentes æqualem corporum suorum potestatem inter se conferant ad generationis finem &c. Liber autem homo plenam corporis sui potestatem alteri dat, obligans etiam se ad indiuiduam vitæ societatem: at verò seruus, seu mancipium vicissim corporis sui plenam & liberam potestatem dare non potest, neque ad indiuiduam societatem vitæ se obligare, quandoquidem in domini sui potestate constitutus ab eo vendi, in terras longinquas ablegari, domesticis negotijs diu noctúque occupari iure potest, non obstante matrimonij vinculo, sicuti constat ex c. 1. eodem tit. Veruntamen si homo ingenuus, vel liber, sciens alterius, quocum contrahit, conditionem seruilem, eam sponte remittat, constabit matrimonium, iuxta cit. cap. vlt. non minùs, quàm si seruus cum serua coniugium ineat. 3

Porrò controuersia est inter Doctores, Vtrum error conditionis seruilis naturali iuri matrimonium vitiet, an solùm Ecclesiastico? Priorem partem tenet Syluest. ver. matrimonium, 6. quæst. 1. Angles in floribus 4. sent. p. 1. super d. 36. quæst. de errore conditionis, a. 1. dub. 1. Secundùm quam sententiam dicendum, matrimonium inter infideles contractum, ex errore conditionis seruilis irritum pronuntiari posse, vt omni iure liceat decepto, cùm errorem cognouerit, ad alias nuptias transire. Quæ sententia probabilis est, sicuti fatetur Sanchez lib. 7. disp. 19. numero 15. Quia sacris canonibus non videtur id impedimentum de nouo introductum esse, sed quod antea semper receptum erat, approbatum fuisse, vt non sine verisimilitudine dici possit, errore isto seruilis conditionis iure gentium matrimonium infirmari.

Scio contrariam sententiam inter Doctores magis receptam esse apud Sanchez citat. disput. 19. numero 16. quòd solo iure Ecclesiastico, licet antiquissimo, id impedimentum introductum sit: quandoquidem non obstante hoc errore, vtrinque traditur absolutè potestas corporum, etsi per accidens impedita, ratione seruilis conditionis: sicuti si sanus cum leprosa per errorem contrahat, valet matrimonium, licet non minùs à coniugij vsu impediendus sit, quàm si cum mancipio contrahat. Sed responderi potest, non esse simile: quandoquidem seruitutis quidam status est, stabilem obligationem continens, quæ obligationi matrimonialiū suapte natura non parùm detrahit; vt saltem Gentium iure conuenientissimè introduci potuerit, per errorem eiusmodi status siue conditionis seruili matrimoniali vitiari. Non ita verò se res habet in ignorantia alterius qualitatis, quæ stabilem obligationem vsui coniugali repugnantem non adfert, sed tantùm per accidens impedit: tali enim errore, cùm varius ac multiplex esse possit, non expedit matrimonia passim vitiari, vt suprà dictum est. Cæterùm, si Dominus seruum aut seruam in matrimonium det homini libero nescienti seruilem illius conditionem, vel

vel sciens eos cum tali errore contrahere, de industria tacuerit, tunc mancipium hoc ipso libertatem consequitur, fauore matrimonij, vt validum existat; sicuti legimus in Authent. de nuptijs, §. Si verò decretum, collat. 4. & Auth. ad hoc, C. de latina libertate.

4 Alioquin verò, si mancipium seu cum altero mancipio, seu cum libero homine matrimonium contrahere velit, à domino impediri non potest, quamuis debita & cōsueta seruitia serui, postquā matrimonio copulati sunt, non minùs quàm antea, propriis dominis exhibere tenentur, vt habetur c. 1. de coniug. seruorum, vbi id docet Abb. num. 6. Maior in 4. distinct. 30. quæst. 1. §. dubitatur, Nauar. cap. 22. numero 34. Henriquez lib. 11. cap. 10. numero 4. lit. f. Coninck disput. 31. dub. 2. conclus. 4. qui notant: Si dominus in matrimonium serui consentiat, implicitè sibi obligationem imponere: quominus seruum à coniugij vsu sine grauissima necessitate omnino abstrahere, aut impedire possit; alioquin verò aduersus iustitiam non peccaturum, etsi seruum in remotissimis terris ab vxore abstractum vendat: cùm iure suo vtatur: licet contrarium sentiat Sanchez disput. 22. numero 12. Id verò certum est, peccare dominum contra charitatis legem, si coniuges probabili incontinentiæ periculo exponat: quare iudicis Ecclesiastici officio interdici illi poterit, ne ita vendat, vel aliis modis seruum coniugatum impediat, vt nunquam, aut vix vnquam vxori cohabitare possit. Cæterùm si coniugatus, vxore non consentiente, se alteri vendat, tunc minùs iuri coniugali, iam antè vxori acquisito, dominus præiudicare poterit.

Ad extremum nota; Licet coloni originarij, & ascriptitij, de quibus mentio est in cap. 2. de Iudæis, quibusdam locis, etiam Germaniæ nostræ, adeo dominis terræ obligati sint, vt recedere illis non liceat, nisi remissione gratis facta, aut pretio remissionis persoluto, insuper omnium prædiorum reditus, demptis tantùm expensis, & necessario victu, dominis suis inferre debeant, ideóque similitudinem quandam cum seruis gerere videantur, reipsa tamen serui non sunt, sed liberi homines censentur, cit. loco definimus, lib. 11. Cod. de agricolis & censitis, & citat. cap. 2. Quamobrem à legitimis actibus, puta testimonio ferendo, non repelluntur, sicuti notat Glos. numero citat. cap. 2. verbo sint liberi, ibid. Abb. & in c. indicatum de immunit. Eccles. num. 1. Quare quæ hoc cap. de seruis dicta sunt, pleraque in eiusmodi originarijs locum habere non possunt.

CAP. III.

De impedimento voti.

SVMMARIVM.

1 *Votum solemne professionis in Religione approbata non tantùm soluit matrimonium ratum, sed etiam dirimit contrahendum.*

2 *Vota simplicia in Societate Iesu matrimonium contrahendum dirimunt, sed antea contractum ac ratum non soluunt.*

3 *Votum continentiæ, quod sacro ordini annexum est, matrimonium ratum non soluit; impedit tamen, ac dirimit contrahendum.*

4 *Clerici in sacris, & Religiosi, si matrimonium contrahere præsumant, censuras ipso facto incurrunt.*

5 *Votum simplex continentiæ in seculo, est impedimentum impediens tantùm, non dirimens, excepto vnico casu, si vxor edito continentiæ voto licentiam marito dederat sacros ordines suscipiendi.*

6 *Qui cum voto simplicis continentiæ matrimonium contraxit, antè impetratam dispensationem coniugij debitum petere prohibetur.*

ASSERTIO I. Votum solemnis professionis in Religione approbata non tantùm matrimonium ratum nondum consummatum soluit, vt suprà dictum est p. 3. cap. 6. sed etiam impedit, ac dirimit contrahendum, sicuti constat ex c. meminimus, cap. rursus, cap. insinuante, Qui clerici vel vouentes, Conc. Chalcedon. can. 16. Concil. Carthag. 4. can. vlt. Tolet. 1. can. 16. Tolet. 4. cap. 51. Concil. Martisconensi c. 12. Turonico 2. cap. 16. Tribueriensi can. 23. S. Basilio in lib. de vera virginitate, & in prooemio Constit. monastic. Innoc. 1. epist. 2. ad Victricium, c. 12. S. Hier. lib. 1. contra Iouinian. cap. 7. S. August. in psal. 83. Chrysost. epist. 6. ad Theodor. Monachum, quibus locis Patres hi nuptias, quas Monachi, aut Sanctimoniales contraxerint, incestas atque adulteras appellant. Quamobrem rectè statuit Imperat. Iouinian. in l. 5. C. de episc. & Cleric. *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantùm, iungendi matrimonij causa, sacratißimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.* Ratio est: Quia placuit Ecclesiæ eos, qui vitæ perfectioris statu suscepto, stabili obligatione se Deo, & Ecclesiæ consecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonij, religiosæ eiusmodi obligationi valde repugnantem. 1

Quamobrem Gregor. XIII. in Bulla Ascendente Domino decreuit, vt etiam vota simplicia in Religione Societatis Iesu, quibus veri religiosi constituuntur, matrimonium contrahendum dirimerent, quamuis antea contractum non dissoluant, vti bene docent Vasquez t. 2. disput. 165. cap. 10. Sanchez lib. 5. moral. c. 1. num. 29. 2

Assertio II. Votum solemne continentiæ, quod ex constitutione Ecclesiæ sacro ordini annexum est, licet matrimonium ratum, & nondum consummatum non soluat, impedit tamen & dirimit contrahendum. Prior pars habetur in extrauag. antiquæ, Ioannis XXII. de voto, vbi additur: Si maritus ante matrimonij consummationem, sacrum ordinem accipiat, absque coniugis licentia, & non sicuti sacris canonibus definitum est, irregularem fieri, atque monendum, non verò cogendum, vt Religionem profiteatur: si nolit, vxori repetenti restituendum esse, vt matrimonium cum ea consummet, reddendo debitum, sed non exigendo, sicuti Gl. ibi notat, verè consummare. Ratio verò discriminis est, cùr Ecclesia velit, per professionem Religionis matrimonium ratum dirimi, non item per susceptionem ordinis: Quia per professionem censetur fieri perfectissima traditio suiipsius, & reciproca obligatio cum Religione, ideóque mors quædam spiritualis, ac veluti alterum spirituale matrimonium, cui meritò prius secundùm carnem initum cedere debeat. Cuiusmodi perfecta traditio in susceptione sacri ordinis non reperitur. 3

Posterior pars habetur in cap. nullus Missam, & c. præter hoc, d. 32. cap. 1. & 4. de cleric. coniug. cap. 1. 2. & c. insinuante, Qui clerici vel vouentes, cap. vn. de voto, in 6. in Trident. sess. 24. de matrim. can. 9. & docet S. Thom. in 4. d. 37. quæst. vn. a. 1. ibid. S. Bonau. art. vn. quæst. 2. & 3. Idque etiam in Orientalibus Ecclesijs obseruatum fuisse, vt matrimonium Sacerdotum non tantùm prohibitum, sed etiam irritum censeretur, testis est Azor t. 1. lib. 13. cap. 12. quæst. 5. & cap. 14. quæst. 7. Sanchez lib. 7. disput. 28. num. 3.

His adde primò; Quòd excommunicationem ipso facto incurrant Religiosi vtriusque sexus, & Clerici in sa-

cris constituti, qui matrimonium contrahere præsumant: & quicunque cum Monialibus contrahere non verentur; Clem. I. de consang. & affinit.

4 Adde secundò; Si Clericus in sacris de facto matrimonium contrahere præsumat, esse suspensum ab ordine, quamuis Episcopus cum eo post peractam pœnitentiam dispensare possit, si bigamus factus non est, iuxta c. 1. Qui clerici vel vouentes, & docet Abb. c. 2. eod. tit. in fine, & clarè habetur in cap. sanè, 2. de Cleric. coniugatis.

5 Assertio III. Votum simplex continentiæ extra Religionem editum, impedit quidem quominus matrimonium licitè contrahatur, non tamen illud dirimit; multò minùs antea contractum & ratum dissoluit. Ita habetur in c. meminimus, c. consuluit, cap. rursus, Qui Clerici, vel vouentes, & c. vn. de voto in 6. Ratio est: Quia per tale votum homo in facie Ecclesiæ non censetur mutare statum, cùm nullam promissionem acceptante Ecclesia edat, sicuti notauit Sanchez lib. 7. disputat. 11. numero 4.

Vnus tamen casus communiter excipitur: Si vxor in seculo continentiam vouens, marito licentiam dedit sacros ordines suscipiendi, eo defuncto, ne validè quidem ad secundas nuptias transire potest, sicuti constat ex c. quia sunt, quòd est Greg. I. lib. 11. epist. 59. vbi id notat Glos. ver. fuisse, & c. seq. d. 28. & c. seriatim, d. 32. & docent Abb. c. constitutus, num. 6. de conuers. coniugat. Paludan. in 4. d. 38. quæst. 2. a. 5. Azor tom. 1. lib. 13. cap. 14. quæst. 11. Sanchez lib. 7. disput. 40. contra Sotum lib. 7. de iust. quæst. 5. art. 3. solut. secundi.

6 Ad extremum nota: Licet is, qui cum voto simplicis continentiæ matrimonium contraxit, à petitione debiti impeditus sit ante impetratam dispensationem, non ita verò qui post votum Religionem ingrediendi ac profitendi matrimonium contraxit ac consummauit: talis enim neque petere, neque reddere prohibetur; cùm nondum habeat votum castitatis, sed votum de vouenda castitate solemniter, à cuius voti expletione impeditus est, donec matrimonium soluatur, vti ex communi docet Nau. lib. 3. consil. 17. de voto, edit. 2. Sanch. libro 9. disp. 33. n. 14.

CAP. IV.

De impedimento consanguinitatis.

SVMMARIVM.

1 *Consanguinitas est vinculum personarum, quæ ab eodem, eóque propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.*

2 *Omnes agnati etiam cognati sunt, sed non vice versa.*

3 *Triplex est linea consanguinitatis, Descendentium, Ascendentium, Transuersa.*

4 *Transuersa linea duplex est, æqualis, & inæqualis.*

5 *Consanguinitas hodie intra quartum gradum lineæ transuersæ tam æqualis, quàm inæqualis, matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit.*

ANTE omnia dicendum est, quid sit consanguinitas, quid cognatio, agnatio, linea, & gradus consanguinitatis. Consanguinitas definitur: Vinculum personarum, quæ ab eodem, eóque propinquo stipite, per
1 carnalem generationem descendunt. Explicatur: Omnes Gentes agnoscunt, vinculum aliquod ac veluti naturalem obligationem animorum, iunctam cum similitudine corporum, inter eas personas intercedere, quæ ab eodem stipite seu progenitore, eóque propinquo oriuntur: vnde & propinquitas sanguinis dicta est. Qui verò à communi stipite remoto descendunt, consanguinei vocari non solent: alioquin omnes homines inter se consanguinei erunt, quippe ab eodem parente Noë & Adamo descendentes. Ratio huius rei est: Quia virtus generatiua propensa quidem est ad generandum simile sui; verùm quo magis à communi stipite, seu generante per succedentes generationes, quibusdam quasi gradibus, progressio fit, eò magis similitudo seu proportio sanguinis minuitur.

Obijcies: Adam & filius eius Sem verè consanguinei erant, cùm tamen ab vno stipite per carnalem generationem non descenderint. Respondeo primò; Ob id Couar. in epit. p. 2. c. 6. §. 6. num. 1. definitioni addidisse hæc verba, *vel quarum personarum vna ab altera descendit*. Respondeo secundò: Definitionem nostram à Doctoribus tradi solitam esse, quatenus per eam explicatur consanguinitas, sicuti hodie in vsu est.

Cognatio & agnatio differunt, sicuti genus & species. 2
Nam cognati, siue quod idem est consanguinei, non omnes agnati dicuntur; sed ij tantùm, qui per virilis sexus cognationem iuncti sunt, & idcirco idem nomen, eandémque familiam sequuntur, siue mares sint, siue fœminæ, videlicet Titius & filij eius, filiæque, & germani fratres eius, fratrúmque filij, ac filiæ agnati vocantur. Vide l. 18. ff. de gradibus.

Linea consanguinitatis definitur: *Ordinata connexio* 3
personarum, consanguinitatem inter se habentium. Triplex est, vna secundùm habitudinem principij ad eos qui inde deriuantur, & dicitur *linea descendentium.* Altera secundùm habitudinem eorum qui deriuantur, ad principium suum; liberorum, inquam, ad parentem, & dicitur *linea ascendentium.* Tertia *linea transuersa*, quæ est habitudo eorum, quorum neuter, aut nullus ab altero, sed vterque, aut omnes ab eodem principio descendunt.

Gradus consanguinitatis definitur: *Distantia vnius personæ ab altera in eadem linea, siue scala consanguinitatis.* Finguntur enim gradus hi ad similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, vt à gradu in gradum proximum, qui ex illo quasi nascitur, transeamus.

Pro linea descendente, & ascendente vnica regula tam canonico, quàm ciuili iure recepta traditur: *Tot sunt gradus in linea descendente, vel ascendente, quot personæ, vnâ demptâ.* Quare pater & filius primo gradu iuncti sunt, auus & nepos secundo gradu, proauus & pronepos tertio gradu, abauus & abnepos quarto gradu, & sic deinceps.


Transuersa linea duplex est; vna æqualis, quæ est in- 4
ter personas à communi stipite æqualiter distantes, videlicet inter fratres ac sorores, inter patrueles & consobrinos, & inter horũ filios, ac nepotes. Pro hac secundùm canonici iuris constitutionem hæc regula recepta est: *In linea transuersa æquali, quot gradibus personæ singulæ à communi stipite distant, totidem inter se distant.* Quare cùm fratres & sorores vno tantùm gradu à suo patre vel matre distent in linea recta, sequitur vno etiam gradu inter se distare in linea transuersa. Patrueles verò & consobrini sunt in secũdo gradu lineæ transuersæ: quia in linea recta duobus gradibus à communi eorum stipite, auo & auia distant. Deinde filij & filiæ patruelium ac consobrinorũ tertio gradu iuncti sunt, quia in linea recta tribus gradibus distant à proauo vel proauia, communi ipsorum stipite. Nepotes autem patruelium & consobrinorum quarto gradu inuicem iuncti sunt, quia in linea recta à communi stipite, suo abauo vel abauia, quatuor gradibus remoti sunt.

Altera est linea transuersa inæqualis inter personas inæqualiter distantes à communi stipite: Videlicet inter patruum

patruum vel amitam, & fratris filios: inter magnum patruum vel magnam amitam, & fratris eorum nepotes: inter magnum propatruum vel magnam proamitam, & fratris eorum pronepotes; qui omnes inter se agnati sunt. Et similis ratio est de reliquis cognatis, videlicet auunculo & matertera, magno auunculo & magna matertera, magno proauunculo & magna promatertera, cum sororum filiis, nepotibus ac pronepotibus. Pro hac linea secundùm canonici iuris dispositionem, hæc regula recepta est: *In linea transuersa inæquali quot gradibus quæ remotior persona est à communi stipite distat, totidem gradibus ipsæ personæ inter se distant.* Quare patruus vel amita in secundo cognationis gradu est cum liberis fratris sui, & auunculus vel matertera in secundo cognationis gradu cum liberis sororis suæ, quia nepotes hi duobus gradibus in linea recta distant ab auo suo, cuius filius fuit eorum patruus, aut filia amita, vel ab auia sua, cuius filius fuit auunculus, & filia matertera. Magnus verò patruus, magna amita, magnus auunculus, magna matertera tertio gradu coniuncti sunt nepotibus sui fratris & sororis, quia pronepotes hi tribus gradibus in recta linea distant à suo proauo, vel proauia, quorum filij magnus patruus, magnus auunculus, filiæ verò magna amita, & magna matertera fuerunt. Patruelis quoque cum filio alterius patruelis tertio gradu iunctus est, quia filius patruelis tertio gradu distat à suo proauo, cuius nepos est patruelis. Denique magnus proauus quarto gradu iungitur sui fratris pronepoti, quia abnepos iste quarto gradu in linea recta distat à suo abauo, cuius filius est magnus propatruus. Et similis ratio est de magna proamita, magno proauunculo, magna promatertera.

His explicatis dicendùm: Quòd consanguinitas hodie intra quartum gradum lineæ transuersæ tam æqualis, quàm inæqualis, matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit, sicuti habetur in c. non debet, de consanguin. & affinit. Iure autem antiquo ad septimum vsque gradum impedimentum hoc extendebatur, c. 1. & seqq. 35. q. 5. c. ad sedem, q. 5.

Schema Consanguinitatis.



Consanguinitatis schema hoc extensum tantùm est ad gradus quatuor, videlicet intra quos secundùm ius canonicum est impedimentum dirimens; adeò, vt hypotheticus ille, seu mas sit, seu fæmina, cum nulla harum personarum nuptias contrahere possit, prohibente consanguinitatis iure.

CAP. V.

De impedimento affinitatis.

SVMMARIVM.

1 *Affinitas est propinquitas personarum ex carnali copula proueniens.*
2 *Affinitas, quæ ex legitimo toro est, intra quartum gradum matrimonium impedit; ac dirimit; quæ verò ex toro illegitimo prouenit, duntaxat intra gradum secundum.*
3 *Affinitas orta ex toro incestu cum consanguinea coniugis intra secundum gradum impedit à debiti coniugalis petitione.*
4 *Affinitas quæ per accidens est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati per se causam præbuit, nullum matrimonio impedimentum præstat.*
5 *Gradus affinitatis, per se ac propriè dictæ, desumi debet ex arbore consanguinitatis proprij coniugis.*

1 AFFINITAS definitur apud Couar. in epit. p. 2. c. 6. §. 7. *Propinquitas personarum ex copula carnali proueniens.* Et apud Nauar. c. 22. n. 42. *Propinquitas duarum personarum, quarum vna cum consanguinea alterius copulam habuit.* Duplex est affinitas; vna quæ ex legitimo toro originem trahit; altera quę ex illegitimo toro, puta fornicatione, adulterio, stupro. Neque inter est, vtrum carnalis copula fiat cum volente, an ignorante, ebria, coacta, dummodo per emissionem seminis in naturale vas mulieris, sicuti docent DD. in c. fraternitati, de eo qui cognouit, &c. Cùm enim vir & mulier per huiusmodi coniunctionem efficiantur veluti vna caro, idque non tantùm in legitimo coniugio, sicuti Christus ait Matth. 5. *Erunt duo in carne vna*; sed etiam in fornicatione, sicuti Apostolus ait 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*, hinc sequitur, quòd si Titius & Caia carnaliter coniungantur, omnes consanguinei Titij, secundùm eundem gradum, quo consanguinei ipsius sunt, fiant etiam affines Caiæ, & omnes consanguinei Caiæ fiant affines Titij.

2 His explicatis, est assertio I. Affinitas, quæ ex legitimo toro est, intra quartum gradum matrimonium impedit, ac dirimit, sicuti habetur in cit. cap. non debet, de consang. & affinit. Sensus est: Quòd Titius matrimoniū nec licitè, nec validè contrahat cum Caiæ defunctæ vxoris suæ consanguineis intra quartum gradum, neq; Caia cum consanguineis defuncti mariti Titij, etiam intra quartum gradum.

Assertio II. Affinitas, quæ ex illegitimo toro est, impedit ac dirimit matrimonium duntaxat intra secundum gradum, post nouam Trident. constitutionem sess. 24. c. 4. de reform. matrimonij. Sensus assertionis est: Si Titius fornicatur cum Caia, inhabilis fit ad matrimonium contrahendum cum Caiæ sorore, patruele, consobrina, matertera.

3 Assertio III. Affinitas, quam coniugatus contraxit cum coniuge, si cum eiusdem consanguinea intra secundum gradum incestum committat, impedit eum, quominus coniugij debitum petere ipsi liceat, quamuis innocenti coniugi reddere teneatur.

Pro intellectu huius assertionis nota I. Hæc debiti petendi priuatio oritur ex contracta affinitate cum coniuge, sicuti colligitur ex c. 1. iuncto c. discretionem, de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. Quare si coniunx cum proprio consanguineo incestum commisit, non idcirco iure debiti petendi priuatus est: cùm nullam exinde affinitatem cum altero coniuge contraxerit, sicuti ex communi notauit Sanchez lib. 9. disput. 27. num. 7.

II. Nihil refert ad hanc pœnam incurrendā, vtrum incestus occultè commissus sit, an verò publicè innotuerit: cùm vtroque casu affinitas contrahatur cum coniuge, quæ sola causa est, cur incestuosus à petitione debiti prohibeatur. Idque notauit Glos. c. qui dormierit, ver. neutram, 32. q. 7. Sotus in 4. d. 32. quæst. vn. a. 2. concl. 2. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 23. num. 8. contra Angelum, ver. incestus, §. 4. Syluest. ver. luxuria, quæst. 4. dicto 2. existimantes, nisi constet de incestu, non contrahi hanc pœnam, quia ita docuerit Abb. in c. literis, de præsumpt. numero 2. quæ tamen doctrina apud Abb. non reperitur, sicuti etiam Gutierez annotauit.

III. Coniunx contrahit hoc ex affinitate impedimentum si innocens sit, puta quia ipsemet voluntariè incestum cōmisit, vel vt ab altero coniuge committeretur, consensit, sicuti docent S. Bon. in 4. d. 34. a. 3. q. 2. Syl. cit. q. 4. dicto 3. Sanch. cit. disp. 27. n. 3. Secùs si innocens, vt si v. g. vxor per vim oppressa sit à cōsanguineo mariti, sicuti constat ex cit. c. 1. & cit. c. discretionem, vbi, *cùm suo iure non debeat sine culpa priuari.* Vbi Glos. ver. officere notat, affinitatem hanc non ex rei natura afferre impedimentum vsui coniugali, sed solùm in pœnam delinquentis, per Ecclesiasticam constitutionem. Alioquin verò spectatā sola rei naturā, matrimonium legitimè constitutum, retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari, reg. 73. in 6.

IV. Postquam Concilium Trident. impedimentum affinitatis ex copula fornicaria restrinxit ad gradum secundum, eadem restrictio obtinere debet, quod attinet ad pœnam priuationis debiti propter incestum cum consanguineis coniugis, sicuti docet additio Nauar. lib. 4. consil. 6. de consang. & affinit. edit. 2. Rodriquez t. 1. sum. cap. 243. Glos. 12. Henriquez lib. 11. cap. 15. numero 11. Sa ver. debitum n. 13. Sanchez cit. disp. 27. n. 14. contra Angles in 4. p. 1. de matrim. q. de impedimen. affinit. a. 1. ante difficult. 1. Nam pœna illa incurritur propter crimen incestus: qui autem hodie fornicatur cum consanguinea vxoris suæ vltra secundū gradū, non committit crimen incestus, sed tantùm simplicem fornicationem, si viduus sit, adulterium verò, si coniugatus: quare circunstantiam hanc affinitatis in Confessione explicare non tenetur, vti docet Gutierez lib. 1. canon. c. 23. num. 3. Sanchez lib. 7. disput. 67. num. 8. quandoquidem incestus non dicitur nisi earum personarum carnalis copula, inter quas matrimonium consistere nequit, vti colligitur ex tit. C. de incestis, & inutilibus nuptijs.

4 Porrò sciendum est, aliud genus affinitatis esse per accidens, quod matrimonio nullum impedimentum præstat, vti habetur in c. non debet, de consang. & affinit. Interuenit autem inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati per se causam præbuit, ac proinde affinitas talis etiā inter virgines seu personas omnis copulæ carnalis expertes consistere potest. Exempli causa: Si Titius & Caia carnaliter copulentur, ratione huius copulæ, adeóque per accidens consanguineus Titij contrahit affinitatem cum consanguinea ipsius Caiæ: quæ tamen affinitas matrimonium inter ipsos nec impedit, nec dirimit. Quamobrem nihil obstat, quominus duo vnius familiæ fratres matrimonium contrahant cum duabus alterius familiæ sororibus, vti habetur in c. super his, eod. tit. Et potest aliquis successiuè plures vxores accipere, quarum mariti fratres germani erant: v. g. Galla & Cæcilia nupsere duobus fratribus; poterit Sempronius Gallam viduam effectam ducere, eáque mortua, viduam Cæciliam. Deinde pater sponsi ducere non prohibetur matrem, vel filiam sponsæ: similiter ducere aliquis potest matrem, vel filiam vitrici, aut nouercæ suæ.

Præterea, si Caia habeat fratrem Sempronium, cui nupta est Placidia, Titius verò ducat Caiam; tunc contrahit Titius affinitatē propriè ac per se cum Sempronio, per

accidens verò cum Placidia.

Denique erant duo fratres, Iulius & Augustus, ille duxit Caiam, hic Semproniam: mortuo Iulio, Titius duxit Caiam viduam, hac verò mortua, mortuo item Augusto, non prohibetur Titius secundas nuptias celebrare cum relicta Sempronia: quia Titius & Sempronia per accidens tantùm affines sunt, ratione defunctorum priorum coniugum Augusti & Caiæ, qui per se ac propriè affines erant: siquidem Augustus erat frater Iulij, cuius coniunx fuit Caia. Plures eiusmodi casus affinitatis per accidens occurrere possunt, pro quibus cognoscendis hæc regula notari potest ex Nau. lib. 4. consil. 3. de consang. & affinit. edit. 2. Si neque vir carnaliter cognouit consanguineam mulieris, cum qua ille nuptias contrahere cupit, neque mulier carnaliter cognouit consanguineum viri, tunc si quæ inter eos affinitas, ea per accidens tantùm est, matrimonij contractum non impediens.

5 Quæres. Qua ratione deprehendi possint gradus affinitatis eius, quæ per se est, ad intelligendum, vtrum matrimonio impedimentum afferant. Respondeo: Ex inspecta arbore consanguinitatis, quam suprà posui. Nam affinitas illa oritur ex carnali copula viri cum muliere, ita vt quot gradibus consanguinitatis personæ iunctæ sunt viro, totidem etiam gradibus affinitatis iungantur mulieri, & similiter quot gradibus consanguinitatis personæ iunctæ sunt mulieri, totidem etiam gradibus affinitatis iungantur viro. Quare si vir personas sibi affinitate per se iūctas cognoscere velit, mulieris cū qua copulatus est, arborem consanguinitatis inspicere debet: nam nullam ex consanguineis eius intra quartum gradum (si copula coniugalis fuit) aut intra secundum gradum (si copula fornicaria fuit) in matrimonium ducere potest. Simili ratione mulier, si personas affinitate sibi per se coniunctas deprehendere velit, arborem consanguinitatis viri, quocum copulata est, inspiciat: nam nullum ex consanguineis eius intra quartum, aut secundum gradum, iuxta dictam distinctionem, in matrimonium accipere potest, absque legitima dispensatione.

Quamuis autem hæc omnia difficilem intellectum non habeant, quia tamen aliqui, etiam viri alioquin docti, in cognoscendis matrimonij impedimentis ex cōsanguinitate vel affinitate, sæpe multùm laborant, ideo pro faciliore captu hanc praxin subnectere libet. Si vir & mulier inter se matrimonio iungi volentes, timeant, ne impedimento seu consanguinitatis, seu affinitatis teneantur: Imprimis inquiratur, vtrum inter eos sanguinis coniunctio intersedat, *obs ein Blutfreundtschafft sene*: Si affirment, tunc inspiciēda erit arbor consanguinitatis, & considerandum vtrum à communi stipite æqualiter distent, an inæqualiter. Si æqualiter, siue vnam, siue alteram personam compara cum suo stipite, & inspice quotnam gradibus ab eo distet, totidem enim distabit à persona illa, quam in matrimonium accipere vult. Sin verò inæqualiter distent à stipite, tunc comparetur persona, quæ remotior est cum stipite, & quot gradibus ab eo distat, totidem gradibus personæ contrahere volentes distabunt: qui gradus si sint quatuor, aut pauciores, adest impedimentum, vt sine dispensatione Sum. Pontificis coniungi non possint: sin verò pluribus, quàm quatuor gradibus distent, nullum est impedimentum consanguinitatis.

Quòd si verò dictæ personæ vir & mulier respondeant, non esse inter ipsos sanguinis coniunctionem, sed tantùm affinitatem, *ein Schwagerschafft*, (loquor autem de affinitate contracta ex copula coniugali, non illegitima ac fornicaria) hoc casu quæratur, vtrum dictæ personæ antea matrimonio iunctæ fuerint: si enim neutra harum personarum coniugata fuerat, sed primas nuptias contrahere velint, certum esse debet nullum inter eas affinitatis impedimentum esse. Sin verò respondeant, alteram vel vtramque personam antea matrimonio iunctas fuisse, tunc inspiciatur matrimonium istud ex quo affinitas inter Iacobum & Annam, qui modò coniungi desiderant, orta sit: quia v.g. Iacobus dicit, se habuisse vxorem Vrsulam, cui Anna coniuncta fuerit, *sie sene ihr Befreundin gewesen*. Tunc demum consideretur, vtrum inter Annam & Vrsulam fuerit coniunctio sanguinis intra quatuor gradus: nam in eadem distantia graduum erit impedimentum affinitatis inter Iacobum & Annam, vt proinde sine Sum. Pontificis auctoritate coniungi non possint. Sin verò inter Annam & Vrsulam nulla fuit sanguinis coniunctio, tunc dicta affinitas nihil omnino impedit, quominus Iacobus Annam in vxorem ducere possit.

Quòd si demum affinitas inter Iacobum & Annam ex copula illegitima orta sit, quia v.g. Iacobus cognouit Vrsulam consanguineam Annæ, tunc videatur, in quoto gradu Anna sit consanguinea Vrsulæ: si in primo vel secundo gradu, quia videlicet est filia, soror, aut consobrina, adest impedimentum affinitatis inter Iacobum & Annam. Sin verò Anna consanguinea sit Vrsulæ in tertio, vel vlteriore gradu, non est impedimentum affinitatis, impediens matrimonium inter Iacobum & Annam.

CAP. VI.

Quousque Sum. Pontifex dispensare possit in impedimentis consanguinitatis & affinitatis.

SVMMARIVM.

1 *Naturali iure irritum, & consequenter indispensabile est matrimonium in primo gradu consanguinitatis linea recta, excepto casu publicæ extremæ necessitatis.*

2 *Probabilius videtur, matrimonium in secundo, & vlteriore etiam gradu linea recta naturali iure irritum esse.*

3 *Naturali iure illicitum saltem, (non omnino irritum est matrimonium in primo gradu lineæ transuersæ) excluso tamen necessitatis casu.*

4 *Matrimonium in secundo gradu lineæ transuersæ ob rationabilem causam cohonestari, & publica auctoritate permitti potest.*

5 *Probabilius est, matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ esse naturali iure irritum, excepto necessitatis casu.*

6 *Ex copula fornicaria secundum ius naturæ oritur aliqua affinitas, sed non dirimens matrimonij: quare Sum. Pontifex in omni impedimento affinitatis ex copula fornicaria dispensare potest.*

7 *Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ ob rationabilem causam cohonestari, & publica auctoritate permitti potest.*

8 *Summus Pontifex in omnibus gradibus consanguinitatis vltra primum, & in omnibus omnino gradibus affinitatis transuersæ lineæ dispensare potest.*

9 *Difficilior est dispensatio, si distantia graduum inæqualis sit.*

10 *Difficilius dispensari solet super impedimentis consanguinitatis, quàm affinitatis.*

HÆc res inde dependet, vt priùs intelligamus, quinam gradus consanguinitatis & affinitatis iure naturali matrimonium dirimant: siquidem in illis Sum. Pontifex dispensare nequit; cùm in ius naturale dispensatio non cadat. Sin verò gradus consanguinitatis matrimonio secundùm ius naturale non præbeant impedimentum, sequitur, Ecclesiæ auctoritate approbari posse: quandoquidem legibus Mosaicis iudicialibus in libro Leuitico hac de re latis non obligamur. Post Christi verò aduentum nullæ de nouo leges diuinæ positæ sunt, nisi circa Fidem & sacramenta, vti inter alios notauit Veracrux p. 1. speculi, a. 43. concl. 6.

Assertio

1 Assertio I. Naturali iure irritum, & consequenter indispensabile est matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, videlicet inter patrem, & filiam, matrem & filium. Nam omnes gentes liberaliter educatæ à tali coniugio tanquam inhonesto ac turpi abhorrent, vt videre est apud Sanchez lib. 7. disp. 51. n. 7. Bellarm. lib. de matrim. c. 27. propterea quòd proles naturali iure magnam reuerentiam ac submissionem debet parenti suo: per carnalem autem copulam æquaretur parenti, quasi vna caro cum ipso effecta, non sine debitæ reuerentiæ ac submissionis filialis iactura. Quæ ratio non tantùm ostendit, tale matrimonium illicitum, verùm etiam inualidum esse. Cùm enim homo homini corporis sui potestatem validè tradere non possit, nisi quatenus Deus naturæ auctor, & primus matrimonij institutor permittit, eo ipso indicio, quòd tale matrimonium turpe ac fœdū est, colligitur, eius cōtrahendi Deum potestatem non concessisse. Accedit, quòd nemo contractum validè se obligare possit ad actionem re ipsa illicitam & peccato obnoxiam: matrimonium autem est contractus, quo ius & potestas traditur copulæ carnalis: ergo si hæc in se turpis ac peccato obnoxia sit, matrimonium validum esse non potest.

Neque obstat, quod obijcit Coninck disp. 32. dub. 1. n. 5. Obligatum simplici castitatis voto illicitè matrimonium contrahere; attamen validè. Respondeo enim; Ideo tale matrimonium validum esse, quia copula inter tales personas secundùm se turpis, & illicita non est, sed tantùm per accidens ratione voti: id autem non obstat, quo minus se inuicem ex iustitiæ virtute obligare possint per realem matrimonij traditionem. Quemadmodum hoc ipsum in alijs contractibus euenit, vt si promiserim alicui equum me donaturum, postea verò alteri non simpliciter promittam, sed re ipsa tradam, posteriori ius & dominium acquiratur: quia fortius ius habet per traditionem completum.

At verò copula inter primi gradus consanguineos semper turpitudinem in se habet, vnico casu excepto: vt proinde talis copulæ promissio valida seu obligatoria esse non possit.

Veruntamen tale matrimonium non ita à natura abhorrens est, vt non vno saltem casu publicæ necessitatis cohonestari possit, si videlicet, hominibus omnibus alijs sublatis, talis copulatio ad conseruandum genus humanum necessaria esset, qua ratione S. Chrysostomus homil. 44. in Gen. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 6. à crimine incestus excusat filias Loth, ratas nullum alium virum præter patrem ex incendio superesse, Genes. c. 19. Cùm enim ius reuerentiæ debitum parenti priuatum sit, meritò cedit publicæ necessitatis bono; ideóque Deus, ipso naturali lumine dictante, in tali casu facultatem cōiugalis ineundi fœderis inter patrem & filiam concedere censeretur, vti docent Sotus in 4. d. 40. disp. vn. a. 3. Angles in 4. p. 1. de impedim. cōsang. a. 3. §. tunc illas ducere, Veracrux p. 1. speculi a. 43. ante 2. concl. Bellar. cit. cap. 28. Sanch. lib. 7. disp. 51. n. 10. contra Caiet. 2. 2. q. 154. a. 9. solut. ad 3. Petr. de Ledesma q. 54. a. 3. diffic. 1. concl. 3. Coninck disp. 32. dub. 1. n. 14.

2 Assertio II. Probabilius est, matrimonium etiam in secundo, vel vlteriore gradu lineæ rectæ ipso naturali iure irritum esse, puta aui cum nepte sua, proaui cum pronepte &c. Ita Doctores pleriq; apud Sanchez disp. 51. q. 2. Ratio est: Quia nepotes non minùs per se dependent ab auo, tanquam principio generationis suæ, quàm à proprio parente, cùm causa causæ sit etiam causa causati: consequenter nepotes auis suis, aliisque maioribus descendentibus non minorem reuerentiam & filialem submissionem (cui vsum coniugalem aduersari diximus) naturali iure debent, quàm proximis parentibus. Quamobrem omnes bene institutæ gentes eiusmodi matrimonium tanquam scelestum abominatæ sunt, sicuti constat ex l. nuptiæ, ff. de ritu nuptiarum: *Nuptiæ consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorúmue sunt, siue proximi, siue vlteriores sint, vsque in infinitum.* Et l. vlt. ff. eod. *Iure gentium incestum committit, qui ex gradu ascendentium, vel descendentium vxorem duxerit.* Quamuis cōtrarium cum quibusdam amplexus est Sanchez cit. quæst. 2. & vlt. ex quo infert num. 21. infideles matrimonio iunctos cum quocunque ascendente, demptis patre & matre, dummodo non contra leges & consuetudines suas contraxerint, conuersos ad Fidem separandos non esse. Sed contraria, vt dixi, sententia probabilior, & communior est.

Assertio III. Probabilius quoque est naturali iure irritum esse matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ transuersæ, videlicet inter fratres & sorores. 3
Quæ est communior Doctorum sententia apud Couar. in epit. p. 2. c. 6. §. 10. num. 15. Sanchez disp. 52. num. 11. Bellarmin. c. 28. Valent. t. 4. disp. 10. quæst. 5. p. 3. vbi de impedim. cognationis, §. Controuersia autem. Quia pleræque etiam gentes tale matrimonium detestatæ sunt, teste Aristot. lib. 2. Politic. cap. 2. Quamobrem Abraham Genes. 12. satis putauit suspicionem coniugij à se remotum iri apud Ægyptios, si diceretur Sara eius soror esse. Nam inter frares & sorores ob sanguinis coniunctionem est quidam naturalis pudor ac reuerentia, cui valdè aduersatur actus coniugalis, turpitudinem alterius reuelans. Accedit, eos ab incunabulis simul habitantes, valde ad concubitum inflammandos fore, nisi coniugia sibi à naturæ auctore interdicta esse persuasum haberent. Dempto tamē casu necessitatis, si alij præter fratres & sorores ad humani generis propagationē superessent. Idque indicat S. Augustinus lib. 15. de ciuitate c. 16. vbi tradit, matrimonia inter fratres & sorores solo mundi exordio licita fuisse, humani generis propagandi necessitate compellente.

Veruntamen improbabilis non est sententia aliorum apud Sanchez cit. disp. 52. numero 10. quos sequitur Coninck cit. disput. 32. dub. 1. conclus. 4. in fine: Licet eiusmodi matrimonium secundùm ius naturæ, seclusso casu dictæ necessitatis, indecens & illicitum appareat, non tamen ita, vt eodem etiam iure irritum existat. Cùm enim à primordio humani generis talia connubia fierent, facilè accidere potuit, vt eiusmodi consuetudo apud quasdam gentes, etiam propagata posteritate, permaneret, & credibile est, Deum talia matrimonia tanquam valida permisisse, nisi positiuo aliquo iure, propter naturalem, quam præ se ferunt, indecentiam, irrita pronunciata essent: sicuti de Iudæorum legibus constat ex Leuit. c. 18. de Romanorum ex tit. ff. de ritu nuptiarum, & §. inter eas, Instit. de nuptijs.

Ex qua probabili doctrina inferunt Veracrux. 2. p. spec. a. 22. conclus. 2. Sanchez cit. disp. 52. num. 12. Si ex gentibus, quibus est consuetudo talia matrimonia in primo gradu lineæ transuersæ celebrandi, (vt de quibusdam in prouincia Peruana refertur) ad Fidem Catholicam conuertantur, non esse à tali coniugio separandos. Verùm in hac re admodum graui consultius arbitror, Sum. Pontificem consulere, ideo vel maximè, quia multi existimant, Innoc. III. in c. gaudemus, de diuortijs voluisse, coniunctos in primo gradu consanguinitatis etiam lineæ transuersæ separandos esse. Vide Sotum in 4. d. 40. q. vn. a. 4.

Assertio IV. Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis lineæ transuersæ, indecens quidē esse videtur, si passim sine vrgente causa instituatur: sed non ita, vt etiam iuri naturali irritum existat, aut vt ob rationabilem causam, præsertim publica accedente auctoritate, cohonestari non possit. Hæc est communior Doctorum sententia apud Nauar. c. 22. num. 84. Valentiam tom. 4. disput. 10. quæst. 5. p. 3. ver. In alijs autem gradibus, Bellarminum c. 27. Sanchez disp. 52. num. 6. Colligitur verò 4

ex Leuit. c. 18. vbi generatim dicitur: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius.* Ratio ergo huius prohibitionis fuit moralis, quia turpe plerumque est cum cognata matrimonium contrahere: siquidem ipsa natura dictat reuerentiam quandam ipsi deberi, quacum pugnat copula carnalis, inquit Bellarminus cit. c. 27. resp. ad 1. arg. Eatenus tamen præcepta illa iudicialia fuerunt, quatenus quædam matrimonia etiam in secundo gradu consanguinitatis, videlicet inter nepotem & amitam, vel materteram, tanquam omnimodè illicita, atque irrita prohibebantur: cùm tamen secundùm ius naturæ talia non essent. Quandoquidem ex eiusmodi matrimonio nati sunt Moyses & Aaron, sicuti ex c. 6. Exodi ostendit Bellarm. c. 27. §. Tertium exemplum: Nachor quoque antea duxerat Melcham filiam Aram fratris sui, Gen. 11. Et Abraham duxit Saram filiam fratris sui Aram, teste S. Augustino lib. 16. de ciuit. c. 12. & 19. Et in c. gaudemus, de diuortijs respondit Innoc. III. Paganos, qui in secundo, aut tertio gradu coniunctas sibi vxores duxerant, si ad Fidem conuertantur, separandos non esse, cùm secundùm gentis suæ consuetudinem licitè, multóq; magis validè contraxerint, quippe canonicis constitutionibus non obligati. Qua responsione vt certum supponit, impedimentũ in secundo gradu consanguinitatis aut affinitatis matrimoniũ infirmans, sola Ecclesiastica sanctione fundatum esse: qua ipsa de causa Trident. Concil. sess. 24. can. 3. de sacramento matrimonij, anathema dicit ijs, qui negant, Ecclesiam in nonnullis gradibus prohibitis in Leuitico dispensare posse.

Neque is obstat cap. literas, de restit. spoliatorum, §. Opinioni, vbi Innoc. III. ait, In gradibus diuina lege prohibitis dispensari non posse. Non enim id intelligendum est, sicuti Glos. explicat, de gradibus prohibitis lege veteri in Leuitico, alioquin sibi contrarius esset Innocentius in cit. c. gaudemus, sicuti rectè notauit Sotus in 4. d. 40. q. vn. a. 4. ad finem. Sed intelligit de gradibus prohibitis lege diuina naturali, videlicet inter patrem & filiam, matrem & filium, & iuxta probabiliorem etiam sententiam, inter fratres & sorores. Etsi enim certum non sit, hoc matrimonium esse irritum iure naturali, quia tamen id valde probabile est, non solet Ecclesia illud dispensatiuè vnquam permittere.

5 Assertio V. Probabilius est, matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ esse iure naturali irritum, puta inter vitricum & priuignam, nouercam & priuignum, socerum & nurum, socrum & generum. Excepto tamen casu necessitatis, si tale matrimonium ad humani generis propagationem necessarium foret. Ita docent multi Doctores apud Sanchez lib. 7. disputat. 66. quamuis ipse cum alijs non paucis contrarium sentiat. Probatur ex eo: Quòd omnes gentes benè institutæ talia quoque matrimonia abominatæ sunt, sicuti colligitur ex l. si adulterium, ff. ad l. Iuliam de adulter. l. vlt. §. nouerca, ff. de condictione sine causa, & cap. 2. Amos, vbi Deus inter alia scelera exprobrat Israeli, quòd *filius & pater eius ierunt ad puellam* constuprandam, eáque re *violasse nomen sanctum Dei*, reddendo illud detestabile gentibus, quæ videlicet talem copulã pro detestabili haberent. Item ex Apostolo 1. ad Corint. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat.* Neque enim Apostolus id scelus exaggerare videtur propter illatam iniuriam patri (si ille adhuc in viuis fuerat) sed propter insolitæ fornicationis atque libidinis turpitudinem.

Confirmatur ex seuerissima pœna, qua Deus Leuit. 20. tale scelus prohibuit, vt facilè appareat iuri naturæ repugnans esse, *Qui supra vxorem filiam, duxerit matrem eius, scelus operatus est: viuus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.* Ratio verò est: Quia vir & mulier per coniunctionem carnalem fiunt veluti vna caro. Ex quo sequitur primò, quòd patrem ferè reuerẽtiam quã vir patri suo, etiã vxor viri seu nurus socero exhibere debet: & quam reuerentiam filius patri, etiam vxori eius seu nouercæ suæ debet, & sic de alijs. Quæ ratio sumpta est ex S. August. lib. 22. contra Faustum, c. 61. relato in c. si vir, 35. quæst. 3. *Si vir & vxor non duo, sed vna caro sunt: non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* Secundò sequitur, quòd sit etiam contra reuerentiam patri debitam, commisceri cum vxore eius, quamuis demortui; quippe cum qua ipse vna quasi caro factus est. Quæ ratio sumitur ex Leuit. cap. 18. *Turpitudinem matris tuæ, & vxoris patris tui non cooperies: turpitudo enim patris tui est.*

Atque hæ rationes probare videntur, spectato iure naturali, oriri affinitatem quandam ex copula etiam fornicaria; vt proinde, secluso iure Ecclesiastico, indecens esse videatur, concubinam patris sui in vxorem accipere: quod etiam prohibitum reperitur ab Alexandro Imperatore in l. liberi, C. de nuptijs. Atque ita docet S. Thom. in 4. d. 41. quæst. vn. a. 1. quæst. 3. ad 1. Veracrux p. 1. spec. a. 47. conclus. 2. Rebellus lib. 3. de matrim. quæst. 15. conclus. 2. Coninck disp. 32. dub. 4. concl. 1. contra Nauar. lib. 4. consil. 12. de consang. Henriq. lib. 12. c. 1. num. 2. & c. 3. n. 4. Sanchez lib. 7. disp. 65. num. 10. qui negantes, spectato iure naturali, vllam affinitatem ex copula fornicaria contrahi, consequenter inferunt, si quis in infidelitate fornicatus fuit cum Caia, postea baptisatum non prohiberi, quominus in vxorem ducere possit filiam, vel sororem eiusdem Caiæ. Sed contrarium puto esse verum, quod tradit Veracrux p. 1. speculi, a. 50. concl. 3. Coninck dub. 4. in fine. 6

Veruntamen, si ante susceptum Baptismum aliquis duxit filiã, matrem, vel sororem mulieris, quã fornicariè cognouerat, postea baptisatus separari non debet, si tale matrimonium secundùm gentis suę consuetudinẽ pro irrito censeri non solet. Ita monẽt Rebellus cit. conclus. 2. Coninck paulò antè citatus. Ratio est: Quia secũdùm ius gentiũ, ac naturale, ex copula illicita oritur quidẽ aliqua affinitas, sed non tam perfecta, sicuti ex copula cõiugali, neq; tanta, vt matrimonio impedimentum præstet, quominus validè, & ob iustã causam etiam licitè cõtrahatur.

7 Assertio VI. Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ, licet indecens esse videatur gentium & naturali iure, non ita tamen, vt etiam irritum existat, aut ex rationabili causa, præsertim publica accedente auctoritate, cohonestari non possit. Hæc est communis sententia apud Victor. relect. de Matrim. p. 2. num. 6. Bellar. c. 28. Sanchez lib. 7. disp. 66. num. 11. Prima pars colligitur ex Leuit. cap. 18. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui est:* quasi diceretur, vxorem fratris esse quasi vnam carnem cum fratre, ideóque propter coniunctionem, ac reuerentiam erga fratrem, decens non esse copulari cũ vxore eius, etiam demortui.

Altera pars probatur. Nam Iacob patriarcha duas sorores duxit, Rachel & Lian, Genes. 29. Et Iudas filio secundò genito dedit vxorem primogeniti sine liberis defuncti, Genes. 38. Imò postea cap. 25. Deuter. vniuersim præceptum fuit Israelitis, si fratrum vnus sine liberis decessisset, vt alter relictam eius vxorem accipiat, ex eáque suscitet semen fratris sui. Præterea Innocentius III. in c. vlt. de diuortijs, ijs, qui in infidelitate secundùm gentis suæ consuetudinem contraxerant cum vxore fratris sine liberis defuncti, permisit, vt ad Fidem conuersi matrimonio vti possunt. Atque vt matrimonia in hoc gradu affinitatis lineæ transuersæ contraherentur, non semel à Sede Apostolica ob causam grauem cum principibus viris dispensatum fuisse, constat.

8 His ita explicatis, colligitur primò: Quòd Summus Pontifex in omnibus gradibus consanguinitatis lineæ transuersæ, excepto primo gradu, dispensare possit, ac proinde etiam soleat. Quamuis Tridentin. Concil. sess.

seff.24.cap.5. de reformat. matrimonij velit, vt *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* Vbi nomine magnorum Principum ait Sanchez lib. 8. disp. 19. numero 3. intelligi magnates, seu magnos nobiles, qui sunt in aliquo potentatu seu baronia. Verùm, hoc non obstante, Sum. Pontifex, ex benignitate sua, ob causam vrgentem, etiam priuatam, dispensare interdum solet cum personis inferioris conditionis, teste Nauar. lib. 4. consil. 13. de consanguin. & affinit. edit. 2. Rodriquez t. 1. sum. cap.237. conclus. 2. Henriquez lib. 12. cap. 3. numer. 9. Sanchez cit.disp. 19. num. 4. qui etiam alias causas recensent, quę apud ipsos videri possunt, & apud Couar. in epit. p. 2. c.6.§.9. & 10. Coninck disp. 33. dub.3.

Colligitur secundò: Quòd Summus Pontifex dispensare possit in omnibus gradibus affinitatis lineæ transuersæ, v.g. vt quis ducat defunctæ vxoris sororem, materteram, vel consobrinam. Si autem affinitas ex fornicaria copula orta fuit, videtur dispensari posse etiam in primo gradu lineæ rectæ, videlicet vt quis ob causam vrgentem ducat filiam mulieris à se cognitæ, sicuti docet Rebellus cit.q.15. concl. 2.

9 Colligitur tertiò: Difficiliorem esse dispensationem, si distantia graduum consanguinitatis, vel affinitatis in linea transuersa sit inæqualis, maximè si distantia vnius partis sit primi gradus à stipite; vt proinde hoc ipso casu explicanda sit talis propinquitas, puta si vir ducere velit filiam aui, aut proaui sui, vel defunctæ vxoris suæ; vel mulier nubere velit filio aui, aut proaui sui, vel defuncti mariti sui: cùm Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Ascendens per quandam*, edita anno 1566. die 26. Augusti, declararit, non esse mentem Pontificis in tali graduum propinquitate dispensare, nisi exprimatur. Qua de re vide Couar. p. 2. cap. 6. §. 10. numero 26. Sanchez lib. 8 disput. 24. numero 25. Coninck disput. 33. dub. 6. numero 72.

His adde. Si graduum inæqualitas inde oriatur, quòd fœmina, quæ in matrimonium ducenda est, propinquior sit stipiti; vt si sit amita, vel matertera viri; hunc etiam modum propinquitatis, saltem in consanguinitate, explicandum esse: quia difficiliorem reddi dispensationem: cùm turpius videatur esse matrimonium, si fœmina, cui nepos ex fratre, vel sorore reuerentiam deberet, ratione coniugij eidem nepoti suo subiecta esse debeat, sicuti notauit Sanch. cit. disp. 24. n. 12.

10 Colligitur quartò; Difficiliorem esse dispensationem super impedimento consanguinitatis, quàm super impedimento affinitatis in simili gradu, sicuti ex communi notat Rodriquez p.1.sum. cap. 237. conclus. 3. Ratio est: Quòd maior sit coniunctio inter consanguineos, quàm inter affines: nam affinitas oritur ex eo, quòd vir & mulier veluti vna caro per copulam efficiuntur, ideóque omnes consanguinei vnius, fiunt in eodem gradu affines alterius coniugum. Ex quo apparet, coniunctionem consanguinitatis esse priorem, magis per se, & tanquam mensuram affinitatis. Neque his obstat, quòd in c.æqualiter, 35. q. 3. & c. 1. de consanguinitate & affinitate habetur, *æquè abstinendum esse à consanguineis vxoris, sicuti à propriis:* Id enim non de æqualitate omnimoda, sed similitudinaria intelligi debet, quia similiter prohibitum est intra certos gradus contrahere cum consanguineis coniugis, vti cum propriis.

CAP. VII.

De impedimento cognationis legalis.

SVMMARIVM.

1 *Adoptio duplex est, vna perfecta, quæ & arrogatio dicitur, altera simplex adoptio.*
2 *Adoptio legalis, saltem perfecta, est matrimonij impedimentum dirimens, ciuili iure constitutum, & canonico approbatum.*
3 *Triplex est species seu modus impedimenti proueniens ex adoptione legali.*

LEGALIS cognatio est propinquitas personarum ex adoptione proueniēs. Adoptio verò est extraneę personæ in filium aut filiam, nepotem aut neptem legitima assūptio. *Persona extranea* hîc dicitur, quæ non est ex descendentibus; siue alioquin sit adoptantis consanguinea, siue non. *Legitima* verò *assumptio* dicitur, quia legibus ciuilibus constituta, & canonicis approbata est: quare necesse est, vt in legali adoptione, & inde orta cognatione seruatæ sint conditiones, quæ iure ciuili præscribuntur, videlicet, vt adoptans sit masculus, sui iuris, maior xxv. annis, ad liberos gignendos naturaliter non impotens, vt persona extranea cùm adoptatur præsens sit adoptanti, & adoptionem consentiens; denique vt saltem octodecim annis minor sit suo adoptante, ideóque illum pro patre, spectata etiam ætatis ratione, habere possit: cùm hæc liberorum adoptio ad similitudinem carnalium introducta fuerit. Vide tit. ff. & Institut. de adoptionibus, Scholasticos in 4. d. 42. Syluest. ver. adoptio, q. 2. & 5. Sanch. lib. 7. disp. 63. n. 3. Mol. to. 2. disp. 227.

Duplex est adoptio: Vna perfecta, in qua Principis rescripto, persona extranea, sui iuris existens, in alterius veluti patriam potestatem, familiámque transfertur, vt instar legitimorum natorum esse incipiat. Alio nomine dici solet *arrogatio*: quia in ea rogari solet adoptans, num velit adoptandum filium sibi legitimum fore, similiter & adoptatus, an id fieri consentiat, sicuti constat ex l. 2. ff. de adoptionib. & notat Gl. Inst. eod. §. 1. ver. interrogatio. Altera est adoptio imperfecta, seu simplex, per quā extranea persona in parētis sui potestate existens, ab alio in filiū vel filiam asciscitur, vt tamen naturalis patris vel aui potestate non egrediatur, neq; patri adoptiuo ex testamento necessariò succedere debeat, (sicuti arrogatus in quarta bonorum parte) sed tantùm ius succedendi ab intestato habeat, §. Sed hodie, iuncto §. item, Instit. eod. tit. 1

His explicatis: Nemo dubitat, quin adoptio perfecta, siue arrogatio sit impedimentum dirimens matrimonij. Ita enim constat ex l. adoptiuus, l. per adoptionem, & l. quin etiam, ff. de ritu nuptiarum, c. ita diligere, cap. per adoptionem, 30. q. 3. & c. vn. de adoptione legali. 2

Est autem triplex modus huius impedimenti, vti docent Scholastici in 4. d. 42. vbi S. Thom. q. 2. a. 3. Richar. art. 2. quæst. 2. & Syluest. ver. matrimonium, 8. quæst. 8. dicto 2. Prima in linea legali recta inter adoptantem & descendentes adoptati, si in eius potestate existant. Altera in linea transuersa inter adoptatum & legitimos natos, ac nepotes adoptantis. Dico autem *natos legitimos*, vt primò excludam illegitimos. Cùm enim hi non censeantur esse in potestate patris sui, iuxta §. vlt. Institut. de nuptiis, non oritur cum illis cognatio legalis, sicuti neque cum emancipatis. quæ est probabilior sententia Nauar. cap. 22. num. 45. Couar. in epit. p. 2. cap. 6. §. 5. Armillæ ver. matrimonium, numero 18. Henriquez lib. 12. cap. 12. num. 3. Sanchez disp. 63. num. 30. Coninck disp. 32. dub. 3. num. 43. Secundò, vt excludam liberos adoptiuos: quia fratres & sorores adoptiui, si ex diuersa familia sint, inter se contrahere nullo iu- 3

re prohibentur, ſicuti ex communi teſtantur Couar. Henriquez, Sanchez ll. cc. Tertia eſt per modum affinitatis inter adoptatum & vxorem adoptantis, inter adoptantem & vxorem adoptati, ſicuti conſtat ex l. adoptiuus, ff. de ritu nuptiarum. At verò inter adoptantem & filij adoptiui parentes nulla legalis cognatio interuenit, vti docet S. Thom. in 4. d. 42. q. 2. a. 3. ad 1. Syl. ver. matrimonium, 8. q. 8. dicto 2. Nau. cit. num. 45. Sanchez num. 26.

Eſt porrò diſcrimen inter dictas ſpecies cognationis legalis, quòd prima & tertia, etiam diſſoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, matrimonium dirimat, ſicuti conſtat cit. l. adoptiuus, cit. l. quin etiam, & §. Ergo non omnes, Inſtit. de nuptijs. Non item ſecunda; ſed quamdiu adoptatus in poteſtate adoptantis manet, ſicuti conſtat ex l. per adoptionem, ff. eod. Inſtit. de nuptijs, §. inter eas, c. per adoptionem, 30. q. 3. & cap. vn. de cognat. legali. Quare facilis eſt modus efficiendi, vt filius adoptatus cum filia carnali adoptantis contrahere poſſit, ſi eorum alteruter ſecundùm formam ciuilium legum emancipetur.

Dubium verò eſt, an etiam ſimplex adoptio impedimentum matrimonio præſtet? Ita affirmant Hoſtienſis, & Abb. in cap. vn. de cognat. ſpirit. Scot. in 4. d. 42. q. vn. poſt principium, Richardus a. 2. quæſt. 2. ad 2. Sed alij valde probabiliter negant, inter quos Syluest. cit. q. 8. dicto 4. Petr. Ledeſma, quæſt. 47. a. 2. concluſ. 2. Sanchez cit. diſp. 63. num. 9. Ratio eſt: Quia impedimentum cognationis legalis introductum eſt ob ſimilitudinem, quam filij adoptiui gerunt cùm legitimè natis: eiuſmodi autem filiationis ſimilitudinem illi propriè non gerunt, qui ex imperfecta adoptione ſunt, quandoquidem in familiam & poteſtatem patris adoptiui non adſciſcuntur. Confirmatur primò: Quia iura paſſim ſignificant impedimentum cognationis legalis tale eſſe, vt dirimat matrimonium inter adoptiuum, & natos legitimos adoptantis, quod locum habere non poteſt, ſi adoptio ſimplex ſit: cùm per eam filius adoptiuus non tranſeat in poteſtatem adoptantis. Confirmatur ſecundò: Quia talia impedimenta in dubio potiùs reſtringi, quàm extendi debent.

CAP. VIII.

De impedimento cognationis ſpiritualis.

SVMMARIVM.

1 *Cognationis ſpiritualis matrimonium dirimentis olim tres ſpecies erant, paternitas, compaternitas, & fraternitas. Iure autem nouo, ſublata fraternitate, reliquæ duæ in vigore manent, ſed ad vxorem non transfundantur.*

2 *Infidelis baptiſans, etſi poſtea ad Fidem conuertatur & Baptiſmum ſuſcipiat, non contrahit cognationem ſpiritualem.*

3 *Si homo fidelis filium infidelis à ſancto fonte ſuſcipiat, & infidelis poſtea conuertatur, ac baptiſetur, oritur ſpiritualis compaternitas inter patrinum & parentem prolis baptiſata.*

4 *Legatus, qui nomine alterius tenet infantem, verè patrinus non eſt, nec ſpiritualem cognationem contrahit.*

5 *Qui autem legatum ſeu procuratorem mittit ad ſuſcipiendam baptiſatum, vel confirmatum, videtur ſpiritualem cognationem contrahere.*

6 *Si ſponſus de futuro prolem ex ſponſa ſuſceptam baptiſet propter neceſſitatem, ſoluuntur ſponſalia, ratione ſuperuenientis cognationis ſpiritualis. Similiter ſi ſponſus patrinus ſit: veriùm in tali caſu requiritur, vt ſciat eſſe prolem ſponſæ ſuæ.*

7 *Si maritus cogente neceſſitate propriam prolem baptiſet, vel vt patrinus ſuſcipiat, nullum impedimentum contrahit.*

8 *Si parens ſine cogente neceſſitate prolem propriam baptiſet, vel in Baptiſmo aut Confirmatione teneat, grauiter peccat: ſed non eſt certum, quòd à coniugalis debiti petitione propterea impeditus ſit.*

9 *Si Sacerdos cum filia Confeſſionis fornicetur, videtur eſſe circumſtantia neceſſariò in ſacra Confeſſione explicanda.*

COGNATIO ſpiritualis eſt propinquitas, ſecundùm iuris canonici diſpoſitionem, orta ex adminiſtratione, vel ſuſceptione ſacramenti Baptiſmi, vel Confirmationis. Nam ſicuti per naturalem generationem homo formatur & naſcitur, poſtea verò roboratur corporaliter, ita per ſacramentum Baptiſmi homo reformatur ac renaſcitur, & per Confirmationis ſacramentum roboratur ſpiritualiter: quamobrem etiam in ſpirituali regeneratione intelliguntur eſſe parentes ſpirituales, videlicet qui ſacramentum miniſtrauit, & patrinus, quibus cùm ſecundùm Eccleſiaſticam traditionem, magna reuerentia debeatur, ideo antiquitus in Eccleſia inſtitutum & obſeruatum fuit, vt hæc ſpiritualis cognatio, perinde ac carnalis, impedimentum eſſet matrimonij dirimens, ſicuti conſtat ex c. ſi quis filiaſtrum, c. de eo, 30. q. 1. cap. 1. c. veniens, de cognat. ſpirituali, c. 1. eod. tit. in 6.

1 Cognationis ſpiritualis matrimonium impedientis ac dirimentis iure antiquo tres ſpecies erant, ſicuti habetur in cit. cap. 1. in 6. videlicet *paternitas*, inter baptiſantem, confirmantem, & patrinos ex vna parte, & baptiſatum, vel confirmatum ex altera parte. *Compaternitas*, inter baptiſantem, confirmantem, patrinos ex vna parte, & parentes baptiſati, vel confirmati ex altera parte: & transfundebatur vtraque cognatio à viro ad vxorem, ita vt ſi coniugatus aliquam perſonam baptiſaret, confirmaret, vel patrinus eſſet, vxor eius ſimilem cognationem cum eiſdem perſonis, baptiſato videlicet, vel confirmato, & parentibus eorum contraheret: eò quòd vna caro cum viro ſuo reputatur, vti habetur in c. Martinus, de cognat. ſpirituali; Denique *fraternitas* inter filios carnales baptiſantis, confirmantis, patrinorum ex vna parte; & ipſum baptiſatum vel confirmatum ex altera parte. Sed iure nouo Concilij Tridentini ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat. matrim. ſublatâ ſpirituali cognatione fraternitatis, duæ tantùm nunc ſunt ſpecies cognationis ſpiritualis, paternitas, & compaternitas: earúmque neutra ad vxores transfunditur. Quamobrem Titius hodie non prohibetur ſui baptiſantis, confirmantis, aut patrini filiam, vel relictam vxorem ducere, ſicuti & pater Titij eandem relictam viduam iure nouo ducere poteſt.

2 QVÆSTIO PRIMA. Vtrum non baptiſatus, ſi v. g. in caſu neceſſitatis aliquem baptiſet, ſpiritualis cognationis capax ſit? Reſponſio eſt negatiua; tum quia non baptiſatus, quamuis catechumenus ſit, Eccleſiaſticis ſanctionibus non obligatur: tum quia in Chriſto ſpiritualiter per ſacramentum Baptiſmi non genitus, neque cognationem ſpiritualem contrahere poſſe cenſetur. Quæ eſt communis ſententia Doctorum in 4. d. 42. vbi S. Thom. quæſt. 1. art. 3. ad 3. Richard. art. 1. quæſt. 3. Durand. quæſt. 1. num. 9. Sotus quæſt. 1. a. 3. ver. perplexior, contra Gl. c. in baptiſmate, d. 4. de conſecr. ver. ſuſcipere, Angelum ver. matrimonium, 3. impedim. 7. num. 10.

Ex quo infertur primò: Si infidelis, qui puellam v. g. baptiſauit, poſtea ad Fidem Chriſti conuertatur, ac baptiſetur, non contracturum cognationem eſſe ſpiritualem, neque impeditum iri, quominus dictam puellam, aut etiam matrem vxorem ducat, vti rectè docent Sanchez lib. 7. diſp. 60. num. 11. Coninck diſp. 32. dub. 2. n. 25. contra Henriq. lib. 12. c. 3. n. 4. & c. 11. n. 2. Ratio eſt: Quia fundamentum, ex quo proximè talis cognatio oriri deberet, videlicet Baptiſmus præteritus, non amplius exiſtit: quare licet iam ſit capacitas in ſubiecto, non tamen conſurgit cognatio: quemadmodum neque relationes,

tiones, ad quarum similitudinem hæc spiritualis cognatio explicari debet, consurgere possunt, nisi existente eo in quo fundantur.

Infertur secundò: Si infidelis baptiset, vel è fonte Baptismatis suscipiat filium hominis infidelis, nullam cum hoc cognationem contrahere, sicuti rectè notarunt Duran. & Sotus ll. suprà cit. Ledesma q. 57. a. 3. in fine, Rodriq. t. 1. sum. c. 226. concl. vlt. Sanch. cit. disp. 60. n. 14. contra Syl. ver. matrimonium, 8. q. 7. dicto 12. Henriq. cit. c. 11. n. 3. in fine. Quia etiam spiritualis cognatio debet esse inter duos terminos, quorum vterq; capax huius relationis sit: cùm igitur non baptisatus nequeat esse compater siue cognatus spiritualiter, neque etiam fidelis, eius filium baptisans, cognatus ei censeri potest.

3 Veruntamen in hoc casu si parens prolis baptisatæ postea sacramentum Baptismi suscipiat, ex eo tempore censetur spiritualem cognationem contraxisse, per quã impeditur à nuptijs cum persona baptisante, confirmante, patrinis filiæ suæ, vti docent Syluest. cit. q. 7. dicto 12. Coninck cit. dub. 2. n. 27. contra Duran. Sotum ll. cc. Sanch. cit. disp. 60. n. 15. Quemadmodum etiam olim filij baptisantis, etsi postea geniti, mox vt Baptismum susceperunt, spiritualem & ipsi cognationem contrahebant, vti colligitur ex cap. 1. de cognat. spirit. in 6. & notat Abbas in c. 1. extrà, eod. Ratio est: Quia secundùm iuris dispensationem, spiritualis cognatio immediatè quidem contrahitur tantùm inter baptisatũ & baptisantem; mediatè verò ac consequenter redundat (spectato iure antiquo) in carnales filios baptisantis, & iure etiam nouo in carnales parentes baptisati, cum primum illi huius cognationis capaces sunt. Quæ ipsa causa est, quòd lõgè difficiliùs, imò verò nunquam Pontificia dispensatio fieri soleat in spirituali cognatione paternitatis, vti notauit Coninck disp. 33. dub. 6. n. 79.

Qvæstio Secvnda. Si quis per alium, tanquam legatum suum, aliquem in Baptismo, vel Confirmatione suscipiat, vter eorum spiritualem cognationem contrahat? Respondeo, & dico, Legatum in hoc
4 casu non contrahere: cùm non suo, sed alieno nomine teneat; ideóque patrinus non sit, sed loco patrini fungẽs. Ita Syl. ver. matrimonium, 8. q. 7. dicto 15. Sa de matrim. impedimentis, n. 5. ver. cùm quis per procuratorem, Couar. in epit. p. 2. c. 6. §. 4. n. 7. in fine, Henriq. lib. 12. c. 11. in fine, Sanch. disp. 59. n. 12. contra Sotum in 4. d. 42. q. 1. a. 2. prope finem, Rodriq. to. 1. sum. c. 226. Tolet. lib. 7. c. 8. num. 6.

Exinde non improbabiliter colligit Sa l. cit. virum loco mulieris, & mulierem loco viri tenere posse, citátque declarationem Cardinalium. Sed Cardinales super Trid. sess. 24. c. 2. de reformat. matrimon. apud Petrum Marzyllam contrarium significant: quare in hac re locorum consuetudo attendenda est.

5 Dico II. Ipse principalis, qui legatum seu procuratorem mittit, cognationem spiritualem contrahere videtur. Ita Cardinales super cit. cap. 2. Abb. in c. veniens n. 4. de cognat. spirit. Sa cit. n. 5. Philiar. de offic. Sacerdotis, to. 1. p. 2. lib. 2. cap. 11. Coninck disp. 32. dub. 2. n. 40. contra Couar. p. 2. epit. c. 6. §. 4. n. 6. Nau. consil. 6. de cognat. spirit. edit. 2. Sanch. lib. 7. disp. 59. num. 4. & alios. Ratio est: Quia is, cuius nomine alter è sacro fonte suscipit, verè patrinus efficitur, consequenter cognationẽ contrahit. Cõsequentia hæc videtur nota ex sacris canonibus, quibus vniuersim significatur à patrinis contrahi spiritualem cognationem. Antecedens verò probatur tum ex communi fidelium persuasione; tum ex eo, quòd Ecclesia non permitteret Baptismum sine vero patrino administrari.

Neque obstat primò, Quòd iura cognationem spiritualem interdum fundare videantur super actu personali tenentis, aut suscipientis, vt videre est causa 30. q. 1. Describunt enim susceptionis munus, sicuti ordinariè præstari solet: & fortè olim non ita vsitatum erat per legatũ patrini munus obire: Cæterùm *qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per seipsum*, reg. 72. in 6. vbi notant Doctores, sicuti & in l. 1. §. vsus, ff. de Procurator. Quòd omnis actus per procuratorem præstari possit, nisi expressè prohibeatur. Contraria tamen sententia Syluest. citat. quæst. 7. dicto 14. & 15. Henriquez, Sanchez ll. cc. & aliorum apud ipsos, quòd nec mandans, nec mandatarius seu legatus spiritualem cognationem, ac matrimonij impedimentum contrahat, probabilis est; saltem propter auctoritatem Doctorum: præsertim cùm in casũ qualitercunque dubio, & in canonibus non satis expresso circa matrimonij impedimẽta, non irrationabiliter in partem negatiuam inclinare liceat.

Qvæstio Tertia. Vtrum baptisans, aut suscipiens prolem in necessitate, quia alius nemo adest, aliquam cognationem & coniugij impedimentum contrahat? Respondeo & dico I. De baptisante affirmandum est, quòd contrahat impedimentum matrimonij: de patrino autem, siue suscipiente, vide quæ dixi suprà tr. 2. de Baptismo, c. 9. n. 5.

Corrollarium. Si sponsus prolem ex sponsa susceptam baptiset propter necessitatem mortis instantis, soluuntur sponsalia, ratione superuenientis impedimenti, sicuti rectè respondit Nau. 16. man. n. 34. & cap. 22. n. 40. & lib. 4. consil. 5. de cognat. spirit. edit. 2. Idq; verum est, etsi baptisans nesciat suæ sponsæ prolem esse; quia nihilominus verè baptisans est, vt pote habens intentionem Ecclesiæ conformem, baptisandi hunc hominem, quicunq; sit. Alia verò ratio est de patrino: licet enim sponsus scienter leuans è sacro fonte prolem sponsæ suæ, cum ea matrimonium ante dispensationem contrahere non possit, sicuti habetur in c. veniens, fin. Gl. ver. antequam, de cognat. spirituali: secùs tamen esse videtur, si nesciat esse filium sponsæ, sed arbitretur esse alium infantem, sicuti docet Abbas in c. 2. de cognat. spirit. n. 4. Sanchez lib. 7. disp. 58. n. 7. vbi aiunt, ad hanc cognationẽ requiri scientiam & animum: quorum vtrumq; hic desideratur. Patrinus enim determinatã intentionẽ habet, suscipiendi & spondendi pro eo homine, quem animo suo concipit: quare error circa personam efficit, vt verè patrinus non fiat, ideóque nec cognationem contrahat. 6

Dico II. Si cõiunx prolẽ cõiugis suæ baptiset, vel in sacramento Baptismi, aut Confirmationis tanquã patrinus suscipiat ob necessitatem, nullum impedimentum contrahit. Sumitur ex c. ad limina, 30. q. 1. vbi ratio redditur, quia *inculpabile iudicandum, ad quòd necessitas intulit*. Quãuis autem textus iste solùm loquatur de baptisante in casu necessitatis, communis tamen est sententia Doctorũ apud Sanchez lib. 9. disp. 26. n. 3. idem sentiendum esse, si parens prolem coniugis suscipiat, quando alius patrinus haberi nequit: etsi contrariũ scripserit Henriq. lib. 11. c. 15. n. 11. Sed probatur: Nã impedimentũ petendi debiti à sacris canonibus statutum est in pœnam delicti: parens autem nihil delinquit, si filij sui patrinus existat, eo casu quo alius adesse nequit, sicuti docet S. Th. 3. p. q. 67. a. 8. ad 2. *Sicuti generatio spiritualis*, inquit, *alia est à carnali, ità alius debet esse pater spiritualis à patre carnali, nisi necessitas aliud exigat.* 7

Si causam quæras, cur sponsus de futuro propter necessitatem baptisans ex sponsa susceptam prolem, impedimentum contrahat, quominus ante Papæ dispensationẽ cum ea nuptias contrahere liceat; maritus autem si ob eandem necessitatem prolem suam baptiset, non incurrat impedimentũ petendi debiti? Respondeo causã hanc esse; quia marito post nuptias acquisitũ est ius petendi debiti, ideo priuatio huius iuris censetur pœna: nemo autẽ puniri debet, nisi culpa ancesserit, c. discretionem, de eo qui duxit &c. Inter solutos autem seu nõdum matrimonio iunctos non censetur pœna, sed moralis inhabilitas ad

matrimonium, ex canonici iuris constitutione: qualis inhabilitas etiam sine culpa contrahi possit.

8 Dico III. Si parens extra casum necessitatis prolem ex coniuge susceptam à sacro fonte, vel in Confirmatione suscipiat, non tantùm grauiter peccat, sed etiam propter spiritualem cum coniuge cognationem, incurrere videtur impedimentum debiti petendi, licet coniugi innocēti reddere teneatur. Est communis assertio, cuius priorē partem docet Suarez p.3.q.67.a.8.Nau.c.16.num.34.& c.22.num.9.Sanchez cit. disp. 26. num. 5. vbi aiunt, esse mortale, quia seuerè id prohibetur in c. 1. & 2. causa 30. q.1. Quanquam pœna, quæ olim decreta erat, vt coniuges ob eam causam separentur, postea sublata sit, in c. si vir, de cognat. spirituali.

Altera verò pars nullo iure satis expresso, sed solo Doctorum consensu nititur, sicuti annotauit Suarez cit.a.8. Sanchez cit. disp.26.num.7. Quamuis Glos. in c. si vir, de cognat. spirit. ver. debitum subtrahere, contrarium teneat, cuius sententiam sequi videtur Duran. in 4.d.42.q.1.a. 3.n.11. in fine, & expressè Coninck disp. 34. dub.8.n. 69. argumen. cit. c. si vir, & c. de eo, 30.q.1. quorum sententiá probabilis est, nullum omnino coniugalis vsus impedimentum hodie oriri.

Illud verò certum est & apertè responsum ab Alex.III. in cit. c. si vir. Si coniunx ex ignorantia iuris, aut facti prolem coniugis baptiset, aut teneat, nullo petendi debiti impedimento affici, vti docent Nau. c.16.num.34.Suar. cit.a.8.§. maius verò dubium, Rodriq.t.1.sum.c.243.cōclus.10. Sanch.lib.9.disp.32.n.48.& 49. Cùm enim prohibitio illa in solo Ecclesiastico iure fundata sit, ideo qui eam ignorat, sicuti excusatur à culpa, ita etiam ab annexa pœna. Quamobrem Sanch. non improbabiliter ait, idem sentiendum esse de pœna priuationis debiti ob crimen incestus, si quis cum ignorantia seu facti, seu iuris, quia nescit v.g. fornicationem cum consanguinea vxoris intra quartum gradum per legem Ecclesiasticam crimine incestus notari, adulterium committat: cùm enim talis non peccet crimine incestus, neque pœnam ob tale crimen decretam incurrere eum oportet, vti etiam colligitur ex doctrina Henriq.lib.2.c.18. in fine.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum Sacerdos spiritualem cognationem contrahat cum suis confitentibus? Videtur enim esse affirmandum propter verba Symmachi Papæ in c. omnes, 30.q.1. *Omnes, quos in pœnitentia accipimus, ita filij nostri sunt, sicuti quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda sacri Baptismatis regenerauit.* Et c. vlt. refertur ex Cœlestino Papa: *Non debet Episcopus, vel Presbyter commisceri cum mulieribus quæ ei sua fuerint confessa peccata: si fortè, quod absit, hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali.* Sed contrarium est cer-

9 tum ex c. vlt. de cognat. spirit. in 6. vbi habetur, ex collatione aliorum sacramentorum, præter Baptismum & Confirmationem, spiritualem cognationem non oriri. Veruntamen ex suprà citatis auctoritatibus probabilissimè colligitur, esse circunstantiam sacrilegij necessariò in Confessione exprimendam, si Sacerdos cum filia Confessionis fornicatus sit, sicuti docet Armilla ver. circumstantia, num.12. Viualdus in candelabro, de Confess. vbi de circumstant. peccatorum, num. 20. Sanch. lib.7.disp. 55.n.4. Coninck disp.32.dub. 2. n.23.& consentit S.Th. 2.2.q.154.art.10. ad 2. vbi id vocat *spirituale stuprum.* Licet talem circumstantiam confitendam non esse, dicat Sa ver. Confessio, num.25. & dubitat Petrus Ledesma q.56. a.2.dub.vlt.

CAP. IX.

De impedimento publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

1 *Cùm consanguineis sponsæ quamuis carnaliter non cognitæ, hodiè intra primum duntaxat gradum nuptiæ celebrari validè non possunt, propter publicam honestatem.*

2 *Si sponsalia de futuro ex quacunque causa irrita sint, nullum ex iis impedimentum publicæ honestatis oritur.*

3 *Impedimentum honestatis ex sponsalibus validis ortum permanet, tametsi illa postea soluantur.*

4 *Ex sponsalibus conditionatis, pendente conditione, non oritur impedimentum.*

5 *Ex sponsalibus de præsenti etiam hodie oritur impedimentum vsque ad gradum quartum, etiam si illa irrita fuerint, modò non ex defectu consensus; aut ob publicæ honestatis impedimentum.*

6 *Si quis ex duabus sororibus vnam absolutè sibi desponsarit in futurum, cum altera deinde carnaliter copuletur, neutram in vxorem ducere potest.*

IMPEDIMENTVM hoc prouenit ex quadam quasi affinitate cum consanguineis sponsi, canonico iure introductum, ob publicam honestatem morum, sicuti cōstat ex c. iuuenis, c. sponsam, de sponsal. & c. si quis vxorem, c. si quis desponsauerit, 27. quæst. 2. Et extendebatur olim vsque ad quartum gradum, vt matrimonium irritum esset, quod sponsus seu de futuro, seu de præsente, contrahere attentaret cum sponsæ seu viuentis, seu demortuæ, licet nunquam carnaliter cognitæ, filia, nepote, pronepte, abnepte; item cum illius sorore, patruele, filia, aut nepte patruelis &c. 1

Præterea, iure antiquo c. vn. de sponsal. in 6. non tantùm ex validis, sed etiam quacunque de causa (præterquam ex defectu consensus) inualidis sponsalibus impedimentum oriebatur. Quæ correcta sunt per Trident. sess. 24. cap. 3. de reform. matrimon. Primò, vt publicæ honestatis impedimentum ortum ex sponsalibus de futuro non nisi ad primum gradum se extendat; ac proinde sponsus iam non prohibeatur ducere consanguineas spōsæ, præter matrē, filias & sorores eius: & sponsa vicissim non prohibeatur nubere consanguineis sponsi, præter patrem, filios, & fratres eius. Secundò vt quacunque de causa sponsalia de futuro valore suo carent, quia v.g. cū consanguinea, Moniali &c. contracta sunt, nullum ex ijs publicæ honestatis impedimentum oriatur, sicuti docet Nauar. c.22. num.57. Veracrux p.1. speculi, a.25. Coninck disp.32. dub.5. num.69. licet aliter Sanchez lib. 7. disp.68. Henriquez lib.12. c. 10. num.2. Quanquam, si sponsalia irrita sint, ob solum interni consensus defectū, tunc in externo foro valida, & consequenter impedimentum publicæ honestatis producentia censebuntur, si defectus probari non possit. 2

Quædam his addenda sunt: I. Hoc impedimentum perpetuum esse, vt etiam solutis sponsalibus maneat, sicuti constat ex suprà cit. c. *Si quis vxorem desponsauerit, vel subarrhauerit, quanquam postmodum præueniente die mortis eius, nequierit eam ducere in vxorem, tamen nulli de consanguinitate eius, licet accipere eam in coniugio.* Et c. sequ. *Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrhauerit, & siue præueniente die mortis, siue interuentibus alijs causis minimè eam cognouerit, neque eius superstes frater, neque vllus de consanguinitate eius* (quod nunc intellige intra primum gradum) *eandem sibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.* Quare audiendus non est Sa ver. matrimonium, vbi de impedimentis, numer. 12. ait, Si sponsalia communi sponsorum voluntate soluantur, cessare impedimentum: cui repugnat 3

repugnat etiam c. accessit, de desponsat. impuberum, in quo respondetur: Si puella impubes, antè desponsationem annum septimum compleuerat, licet postea adepta pubertate resiliuerit, ideóque sponsalia soluta fuerint, nihilominus publicæ honestatis impedimentum permanere.

Secundum. Si Sempronius sponsalia contraxerit cum Titia, & postea contra fidem priorum sponsaliorum cum consanguinea eius Caiâ; tunc imprimis distinguendum est, vtrum priora sponsalia fuerint pura, an conditionata. Si fuerunt pura, certum est sponsalia, vel matrimonium postea contractum cum Caia fore irritum, propter publicæ honestatis iustitiam: nihilominus potest, ac debet Sempronius ducere Titiam, non obstante posteriore despōsatione, si copula nulla intercessit cum Caia. Ratio huius est: Quia posterior desponsatio irrita fuit à sponsalibus: ergo non est æquum fieri veluti quandam actionem, id est, priora sponsalia vicissim à posterioribus irritari, vti habentur hæc omnia in c. vn. de sponsal. in 6. Sin verò sponsalia cum Titia Sempronius contraxit sub conditione pendente in futurum, ac postea Caiæ ante euentū conditionis, quem expectare debuerat, absolutè promisit: tunc neq; ex primis, neq; ex secundis sponsalibus impedimentum matrimonij dirimens contrahet.
4 Non enim ex primis, quominus saltē validè secundā ducere possit, quia ex spōsalibus conditionatis ante euentū conditionis non oritur impedimentū: Non item ex secūdis, saltem spectato iure nouo Trid. propterea quòd ea contra fidem priorum sponsaliorum iniustè contracta, ipso iure irrita fuerint: ex sponsalibus autem irritis non cōtrahitur impedimentum honestatis, sicuti notauit Sanchez lib. 7. disp. 69. n. 3. Sin verò ponamus, Sempronium Caiæ promittere matrimonium sub conditione expressa, vel tacita; si conditio priorum sponsaliorum non eueniat, tunc ea non eueniente, purificantur posteriora sponsalia cum Caia, vt deinde ne validè quidem Sempronius ducere possit Titiam, propter publicæ honestatis impedimentum.

5 Tertium. Ex matrimonio rato, & nondum consummato, etiam hodie oritur impedimentum publicæ honestatis vsq; ad gradum quartum, etiam si illud irritum fuerit ex quacunq; causa, duabus exceptis. I. Si irritum fuit ob defectum consensus. II. Si irritum fuit ob impedimētum publicæ honestatis: nam matrimonium contractum cum sorore, matre, vel filia sponsæ non habet vim quasi reciprocam dissoluendi præcedentia sponsalia, vt suprà dixi ex cit. c. vn.

Hæc verò omnia sumuntur ex motu proprio Pij V. incipiente *Ad Romanum*, in quo declarauit, Decretum Tridentinum in sess. 24. c. 3. de matrimon. *duntaxat intelligendum esse de sponsalibus in futurum, non autem de matrimonio contracto, sed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus casibus & gradibus, quibus de iure veteri introductum erat.* Vide Nau. lib. 4. consil. 11. n. 4. de sponsal. edit. 2. Sanch. lib. 7. disp. 70. n. 5.

6 Pro praxi resoluuntur hi casus: Primus. Si Sempronius absolutè sibi disponsârit Titiam, & postea carnaliter copuletur cum sorore eius Caia, neutram in vxorem accipere potest: Non enim Titiam, ob impedimentum affinitatis; non Caiam, ob impedimentum publicæ honestatis, ortum ex sponsalibus purè & absolutè contractis cum Titia.

Secundus. Caius fornicatus erat cum Titia, postea desponsauit sibi sororem eius Semproniam, neutram vxorem habere potest: Non primam, quia impedit publica honestas; non secundam, quia impedit contracta affinitas.

Tertius casus. Iulius sponsalia contraxit cum Ioanna: hanc postea duxit Augustus, frater Iulij, sed matrimoniū non consummauit, etsi hoc casu Iulius non teneatur nuptias celebrare cum Ioanna, quippe quæ fidem sponsaliorum violarat: si tamen eam ducere velit, non prohibetur: quia iura nolunt, vt si sponsalia præcedentia post eius matrimonium infirmarunt, ab eodem vicissim infirmentur; ne inter duas desponsationes detur quasi mutua reactio, à qua & natura abhorret.

CAP. X.

De impedimento criminis.

SVMMARIVM.

1 *Machinatio mortis coniugi facta cum proposito alterius determinati contrahendi matrimonij, est impedimentum dirimens.*
2 *Si vterque, qui post mortem coniugis contrahere matrimonium desiderant, ad cædem illius cooperantur, aliud non requiritur ad contrahendum impedimentum, nisi vt mors sequatur: sin verò alter tantùm homicidij reus fuit requiritur etiam vt adulterium interueniat.*
3 *Si adulteri viuente altero coniuge matrimonium contrahant, vel de contrahendo inter se spondeant, oritur inter ipsos impedimentum dirimens.*
4 *Ad hoc impedimentum ex crimine adulterij cum promissione matrimonij contrahendum, plures conditiones requiruntur.*
5 *Dispositum de vno correlatiuo, censetur etiam dispositum de altero, si æqualis comparationis sint, & disparitatis ratio nulla appareat.*
6 *Si infidelis ope mulieris Christianæ maritum eius occiderit, ac ad Fidem conuertatur, non potest mulierem illam vxorem ducere.*
7 *Irrita sunt sponsalia quæ viuente adhuc coniuge cum alia persona contrahuntur.*

DVo sunt crimina, quæ matrimonium subsequens per Ecclesiastici iuris constitutionem dirimunt. Primum est, Machinatio mortis facta coniugi, cum proposito alterius determinati matrimonij contrahendi, si quis 1
viuente, 31. q. 1. c. 1. de conuers. infidelium, c. significauit, c. super hoc, c. significasti, de eo qui duxit in matrimonium, & docet S. Tho. in 4. d. 37. q. vn. Neque refert primò, Maritúsne, an vxor sit, cui machinatio mortis tali consilio facta est, vti apertè constat ex cit. c. super hoc, & c. significasti, iuncto c. 1. de conuers. infidelium, & videri potest Sanch. lib. 7. disp. 78. n. 8.

Neque refert secundò: Vtrum machinatio mortis physicè fiat, an solùm moraliter per iussionem, consilium, sicuti colligitur ex cit. c. si quis viuente, & c. 1. de conuers. infideliū. Necesse tamen est, vt mors non tantùm attentata sit, sed executioni mandata: quia verba legis pœnalis cum effectu intelligenda sunt, iuxta c. relatum, de Clericis non residentibus, & notat Gl. communiter recepta in suprà cit. c. 1. ver. procurauerint, vbi ait, requiri *affectum cum opere subsecuto.* Verùm si quis cædem coniugis, suo nomine patratam, postea ratam habeat, probabilius est impedimentum non incurri, sicuti docet Glos. fin. in cit. cap. 1. ibid. Abbas num. vlt. & alij communiter apud Sanch. cit. disp. 78. n. 6. Coninck disp. 31. dub. 5. num. 50. Henriq. lib. 12. c. 14. num. 2. in comment. lit. q. Quòd enim sola ratihabitione hoc impedimentum incurratur, nullo iure expressum est, quare edictum de matrimonio non contrahendo, cùm prohibitorium sit, ad eum casum extendi non debet, iuxta c. cùm apud, de sponsal. vbi etiam regula traditur: *Quicunque non prohibetur, per consequentiam admittitur.* Et Glos. ibid. *Concessum intelligitur, quod prohibitum non est.* Aliam rationem vide apud Abb. l. c.

Porrò si vterque eorum, qui occiso coniuge, matrimonio coniungi desiderant, in cædem eius conspirarunt, 2
tunc aliud non requiritur ad contrahendum impedimentum, nisi vt cædes re ipsa sequatur, sicuti colligitur ex suprà cit. cap. 1. Sin verò alteruter tantùm homicidij reus sit, v. g. maritus vxorem occidat, nesciente, vel contradicente puella, quacum matrimonium contrahere deside-

rat, tunc impedimentum inter eos non oritur, nisi etiam adulterium præcesserit, vti colligitur ex cit.c. si quis viuente, c.1.c.super hoc, vbi id notat Abbas in 4.de eo qui duxit in matrimonium, & docent Nauar.c.22.num. 46. Sa de matrim.impedimentis,n.7.Sanch.disp.78.n.9.Coninck disp.31.dub.5.n.33. Valentia to. 4. disp.10.q.5.p.3. vbi de impedimento criminis.

Id verò in omni casu ad hoc criminis impedimentum iura citata exigunt, vt ambæ personæ inter se contrahere volentes, iniuriosæ fuerint coniugi occiso. Ex quo inferunt Sa, Coninck, Sanchez, non oriri impedimentum, si puella v. g. quæ coniugato commiscetur, nesciat eum coniugatum esse. Imò Sanch. n. 12. non improbabiliter addit, idem dicendum esse, tametsi in hoc casu puella coniugata sit: quia iura, quibus hoc impedimentum statuitur, faciunt mentionem adulterij, quod ex vtraque parte tendit in iniuriam cõiugis, præbens etiam occasionem mortis ei machinandæ: quare etiam requiritur in hoc casu, vt adulterium antecedat coniugis interfectionem.

Secundò infertur: Si Titius suasu Caiæ occidat vxorem suam, vt ducere possit aliam quamcunque, aut determinatè Semproniam sceleris insciam, quòd non impediatur, quominus ducere deinde possit vxorem etiam ipsam Caiam, aut Semproniam, modò cum neutra earum ante mortem coniugis mœchatus fuerit, vti Coninck notauit n.55.in fine.

Tertiò infert Nau.lib.4.consil.1.de eo qui duxit, edit. 2.Si adulteri aliò in fine, quàm vt matrimonium inter se contrahant, coniugem alterum trucidant, v.g. ne eos in adulterio deprehensos accusare possit, non esse impeditos, quòminus postea inter se nuptias celebrent.

Alterum crimen matrimonij dirimens est adulterium: Si adulterij, durante legitimo matrimonio, licet non consummato, inter se de facto matrimonium contrahere
3 aggrediantur, vel promissionem faciant de contrahendo post mortem coniugis. Ita habetur in cap. relatum, 31. quæst. 1. cap. 1. & 2. cap. cùm haberet, & cap. vlt. de eo qui duxit &c. Ratio huius impedimenti est: Ne ob factam promissionem, & spem alterius matrimonij contrahendi, captetur occasio alterius coniugis occidendi.

Ex quo rectè inferunt Sotus in 4. d. 37. q. vn. a. 4. Syluest. ver. matrimonium, 8. q. 9. dicto 5. Sanchez disp. 79. num. 5. Coninck cit. dub. 5. n. 60. Si fides data fuit sub prio-
4 re coniugio, adulterium verò commissum sub altero posteriore, nullum oriri impedimentum, quominus mortua secunda coniuge, adulter ducere possit adulteram cui olim promiserat: Quandoquidem hæc promissio & spes contrahendi extincta fuerat per matrimonium posterius. Quin etiam si adulterium sub priore coniugio commissum est, fides verò data sub posteriore, non contrahi matrimonij impedimentum, docent Sanchez & Coninck ll. cc. arg. cit. c. significasti, & c. vlt. de eo qui duxit &c. ex quibus hæc prima conditio ad impedimentum hoc contrahendum colligitur, Vt viuente eodem coniuge fides data, & adulterium commissum sit.

Altera conditio est: Vt ex vtriusque parte adulterium formaliter committatur, secùs est, si puella v.g. nesciat eum, quocum contrahit ac copulatur, coniugatum esse, sicuti constat ex c.1.de eo qui duxit, & explicat Richar. in 4.d.35.a.3.q.4.

Tertia conditio, Vt copula perfecta interueniat, cum immissione seminis intra vas, sicuti docet Sanch. lib. 7. disp. 79. n. 44.

Quarta conditio: Vt promissio matrimonij seriò & ex animo fiat, non fictè, cùm alioquin non censeatur promissio. Quæ est probabilis sententia Henriq. lib. 11. c. 14. n. 3. in fine, Sa cit. num. 7. licet contrarium sentiat Veracrux p. 1. speculi, a. 34. concl. 9. Sanchez lib. 7. disp. 79. n. 10. Coninck cit. dub. 5. n. 57.

Quinta conditio: Vt promissio exteriùs facta ab altero acceptata sit: cùm alioquin non habeat rationem pacti ac promissionis. Quinimò non est improbabile, quod tradit Henriq. lib. 12. c. 14. n. 3. & significat Gl. in cit. c. significasti, de eo qui duxit &c. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 22. casu secundo: Requiri promissionem mutuam, neque satis esse, virum v.g. promittere puellæ promissionem expresse, aut tacitè acceptanti, nisi ipsa etiam vicissim se obliget. Cùm enim iura ad hoc criminis impedimentum requirant, vt matrimonium viuente coniuge cum altero de facto contrahatur, vel saltem fides detur de contrahendo, videntur eodem modo id intelligere, quo aliàs desponsatio de præsente, vel de futuro fieri solet, videlicet reciprocè, sicuti etiam annotasse videtur Syluest. ver. matrimonium, 8. q. 9. dicto 4. Vgol. de sacram. tract. de matrimonio, c. 19. n. 8. licet contrarium sentiat Sotus cit. d. 37. q. vn. a. 4. §. secundus casus, Angles in 4. sent. p. 1. vbi de matrim. impedimentis, q. d. diuortio ob adulterium, a. 3. Sanchez lib. 7. disp. 79. n. 20. & alij plerique, arg. cit. c. significasti, vbi sufficere indicatur, si maritus viuente vxore alteri puellæ fidem dedit de matrimonio contrahendo. Quamuis sequendo priorem sententiam, responderi potest: Sermone esse de data fide sponsaliorum, quæ mutuam promissionem continent.

Sexta conditio esse videtur: Vt promissio sit pura, aut saltem ante mortem coniugis purificata: cùm alioquin non sit simpliciter facta promissio, quippe adhuc suspensa, & pendens à futuro euentu. Ita valde probabiliter docet Coninck n. 59. contra Nauar. lib. 4. consil. 2. de eo qui duxit &c. Rodriq. p. 1. sum. c. 229. concl. 5. Sanchez cit. disp. 79. n. 11. existimantes, ex promissione etiam conditionali oriri impedimentum, si conditio non deficiat ante adulterium: cùm etiam ex tali promissione concepta spe ineundi matrimonij, occasio præbeatur mortem coniugi machinandi. Sed respondetur: In pœnalibus verba legis, seruata verborum proprietate, strictè interpretanda esse, & non ob similitudinem rationis extendenda. Atqui verba hæc, *Si fides matrimonij contrahendi data sit*, seruata proprietate verborum, rectè accipiuntur de fide, seu promissione pura & absoluta: ergo non debet ob rationis similitudinem extensio fieri ad promissionem conditionalem.

Accedit, quòd neque ratio omnino similis sit. Nam Ecclesiam aiunt Doctores ad statuendum hoc impedimentum inductam fuisse, ne ansa capiatur occidendi coniugem: quæ ratio non ita locum habet, si promissio facta fuit sub conditione contingente, quæ æquè euenire potest, & non potest, cùm exinde non tam certa spes contrahendi matrimonij concipi possit. Qua eadem ratione colligitur, non oriri impedimentum, si adulteri non absolute inter se promiserunt, sed sub tali formula, *Non ducam aliam nisi te*. Nam sensus verborum videtur esse conditionalis, si aliquam duxero, promitto me ducturum te. qua de re supra dixi p. 1. c. 1.

His tria adde: I. Licet in iuribus, quibus hoc criminis impedimentum decernitur, modò de vxore, modò de marito adultero & fidem dante, sermo sit, vtriusque tamē similis ratio est. Quia dispositum, quamuis odiosum ac pœnale de vno correlatiuo, censetur etiam dispositū de altero, si æqualis comparationis sit, & disparitatis nulla ratio probabiliter afferri possit, sicuti notat Abb. 5
in c. quia Clerici, n. 7. de iure patronat. & Legistæ in l. vlt. Cod. de indicta viduitate.

II. Licet infideles, seu non baptisati Ecclesiasticis his impedimentis non astringantur, si tamen vnus ex adulteris promittentibus inter se matrimonium fidelis seu baptisatus sit contrahit is impedimentum, ne mortuo cō- 6
iuge, cum altera persona postea baptisata nuptias celebrare queat, vti colligitur ex c. 1. de conuers. infideliū, vbi dicitur, si Saracenus ope mulieris Christianæ maritum illius interfecit, non posse deinde ad Fidem conuersum mulierem

mulierem illam vxorem habere. Nam mulier ob Ecclesiasticam constitutionem impedita est cum tali viro contrahere: ergo per accidens & consequenter ipse etiam vir cum muliere contrahere impeditur. Existimat tamen Sanch.cit.disp.79.n.43.nō improbabiliter, si alterutrum eorum, quæ ad hoc impedimentum requiruntur, videlicet promissio, vel adulterium vtriusque Baptismum antecessit, impedimentum non contrahi: vt si infidelis, viuēte vxore sua, promisit mulieri infideli matrimonium, & postea ambo ad Fidem conuersi adulterium committant. Cùm enim facinus commissum ante Baptismum ab Ecclesia non puniatur, perinde censeri debet ac si non accidisset, quod attinet ad impedimentum criminis incurrendum, licet Veracrux p.1.spec.art.34.post.4.dub. concl.1.contrarium sentiat.

7 III. Promissio, pactum, seu sponsalia contracta cum aliqua persona de ineundo matrimonio post mortem cōiugis, bonis moribus repugnant, quippe quibus occasio capi potest vitæ coniugis insidiandi, sicuti docent Abb. in c. vlt.num.2. de eo qui duxit &c. Lancellotus in instit. iuris canonici, lib.2.de diuortijs, §. cùm ea autem, Sanchez cit. disp.70.n.40.arg. cit.c.vlt.& l. vlt. ff.de pactis. Qua simili ratione prohibitum est, ne beneficium Ecclesiasticum alicui promitti, aut conferri possit, antequam vacet, cap.2. de concess. præbendæ. Quamobrem tales promissiones, aut sponsalia ipso iure irrita censeri debent, vt ex ijs nulla obligatio oriatur.

CAP. XI.

De impedimento impotentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Impotentia perpetua ad copulam perfectam naturali iure matrimonium subsequens dirimit.*

2 *Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit, postea per miraculum sanetur, nihilominus irritum matrimonium censeri debet.*

3 *Eunuchi, & spadones qui vtroque teste carent, ad matrimonium contrahendum inhabiles sunt.*

4 *Si impotentia post nuptias superuenit matrimonium non dirimit: quare oscula & tactus ad ostendendum affectum coniugalem conceduntur, modò absit pullutionis periculum.*

5 *In dubio, vtrum impotentia perpetua sit, ad experiendum triennij spatium canonico iure conceditur.*

6 *Constitutus in mortis periculo matrimonium contrahere potest.*

7 *Si potentia generandi vi morbi, aut senio simpliciter destructa, vel exhausta sit, censetur impotentia perpetua matrimonij dirimens.*

1 IMPOTENTIA alia est ad prolem generandam, quæ sterilitas dicitur, & hæc, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum adfert. Alia verò est impotentia ad copulam carnalem, de qua hæc assertio sit. Impotentia perpetua ad copulam perfectam dirimit matrimonium subsequens. Ita habetur in lib. 4. decret.de frigidis, & docet S. Th.in 4.d.34. quæst.1.a.2. ibid.S.Bonau.a.2.q.1. Dura.q.2.Ratio est: Quia contractus matrimonij essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulationem carnalem: *Impossibilium* autem *nulla obligatio est*, reg.145.ff.Et, *Inhabilis ad soluendum, est etiam inhabilis ad promittendum.* Quæ ratio ostendit, quòd talis coeundi impotentia non solum Ecclesiastico, sed etiam naturali iure matrimonio impedimentum præbet: item, quòd etsi maximè velint impotentes, vel potens cum impotente matrimonium contrahere, tamen id efficere non possint; quamuis contrarium senserit Maior in 4. d. 34.q.1.

Nota autem primò, quo dixi *impotentia perpetua*, qualis est quæ neque arte medica, neque consuetis Ecclesiæ exorcismis tolli potest, etsi tolli possit cum periculo vitæ, aut grauissimi morbi, impossibilis censetur curatio: similiter si per illicitam incantationem, quia quod iure non possumus, id absolutè non posse censemur. Deniq; etsi per miraculum tolli possit, nihilominus, moraliter rem æstimando, impossibilis est curatio. Verùm sanatio per consuetos Ecclesiæ exorcismos, licet supernaturalis sit, non tamen in hoc euentu miraculosa reputatur: quandoquidem veluti ordinariè prouenit.

Corrollarium I. Si Medicorum iudicio mulier propter arctitudinem v.g. censeatur impotentia perpetua laborare, esto per incisionem periculosam fortasse tolli possit, quam etiam mulier sufferre parata sit, matrimonium cum ea contractum irritum est, consequenter vir, non expectato incisionis euentu, separationem petere, atque ad alias nuptias transire potest, vti docet Sanchez lib. 7. disp.93.n.20.

Corrollarium II. Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit, postea per miraculum sanetur, nihilominus irritum matrimonium censeri debet: neque cōualescet, nisi vir nouo edito consensu accipere illā decernat. Alia ratio, si mulier veneficijs reddita impotens, per ordinarios Ecclesiæ exorcismos postea curetur. Nam hoc ipso apparebit impotentiam fuisse tantùm temporalem, seu ordinario medio curabilem, ideóque matrimonium ab initio constitisse, vti colligitur ex cap. vlt.33.q.1. & c. fraternitatis, de frigidis, vbi Abb.n.6. 2

Secundò nota, Quod dixi, *ad copulam perpetuam*, id est, quæ fit cum omissione veri seminis in vas muliebre. Ex quo sequitur primò; Eunuchos, & spadones, qui vtroque teste carent, ad matrimonium contrahendum inhabiles esse, quia vero semine destituti sunt, sicuti constat ex motu proprio Sixti V. apud Gutierez lib.1.canon.qq. c.16.Sanchez lib.7.disp.92.n.17. Verùm, si post contractum matrimonium aliquis eunuchus factus sit, copulā imperfectam cum missione non veri seminis exercere nō prohibetur, sicuti docet Tolet. lib.7.c.16. num. 4. Sanchez disp. 102. num. 6. Quia licet tales matrimonium contrahere nequeant, contracto tamen vti eis licet, quatènus id fieri potest. 3

Sequitur secundò: Non tantùm eum qui absolutè & respectu omnium impotens est, impediri à contrahendo matrimonio: sed etiam eum qui impotens est respectu certæ personæ, quacum actum copulæ perfectæ exercere nunquam possit, siue id fiat ex incantatione magica, siue ex naturali improportione inter hunc virum & hanc fœminam. Licet enim talis impotentia respectiua non impediat ab omni matrimonio, impedit tamen cum ea persona, respectu cuius est, sine spe ordinariæ curationis.

Nota tertiò, quod in assertione dixi, dirimi *matrimonium subsequens*: Nam quod semel ratum fuit, licet nunquam consummatum matrimonium, nulla superueniente impotentia dirimitur, sicuti constat ex c.hi qui, 32.quæst.7. & docent DD.in 4.d.34. vbi S. Bon.a.2.quæst.2. Scot. q.vn.ver.contrarium videtur, Richar.q.3.a.2.& alij apud Sanch.lib.7. disput.102. num.3.contra Gratianum causa 33.q.1. Neque obstat c. Quòd proposuisti, 32. q. 7. Ne enim absurdam, sed sacris canonibus conuenientem doctrinam contineat, dici debet, sermonem ibi esse de muliere, quæ perpetua impotentia ante nuptias contracta laborabat, hoc casu consiliū dari marito vt in continentia viuat, sed ad eam non obligari, modò non omne subsidium deneget mulieri, quæ bona fide ipsi nupsit, cui ex charitatis saltem lege obligatus est.

Porrò in dubio vtrum impotentia antecesserit matrimonium, an verò subsecuta sit, vtra pars præferenda, Doctores non consentiunt. Est autem valde probabile, quod ex communiore docet Abb. in cap. fraternitatis

n.6. de frigidis, & c. literæ, n.3. eod. tit. præsumi posse, quòd impotentia antecesserit, si nunquam copula haberi potuerit, & nullis indicijs ostendi queat, quo tempore contracta sit impotentia.

4 His adde. Inter coniuges, quibus impotentia post nuptias aduenit, oscula & tactus ad declarandum affectum cõiugalem, vel sedandã concupiscentiam licitè exerceri posse, si pollutionis periculum absit, sicuti docet Sanch. lib. 9. disp. 17. num. 21. Quin etiam ad carnalem copulam conari ipsis concessum est, quamdiu probabilis spes superest ipsam aliquando perficiendi, licet præter intentionem pollutio contingat, vti notant Caiet. 2.2. q.154. a. 1. circa solut. ad 4. §. Ad secundum verò casum. Nau. c. 22. n.60. & in c. consideret, d.5. de pœnit. n.48. Rodriq. p. 1. c.243. concl.9. Henriq. lib.11. c.15. num.4. in comment. lit. N. Sanchez cit. disp.7. num. 22. arg. c. laudabilem, de frigidis. Sin verò desperatum sit, posse aliquando copulam perfectam inter coniuges obtineri cum missione seminis in vas, tum abstinere tenentur, propter pollutionem vitandam.

Alia verò ratio est, si impotentia antecessit, iuxta doctrinam Palud. in 4. d.34. prope finem, & aliorum: Si enim constet medicorum v.g. vel ftetricum iudicio, matrimonium cum vnius vel vtriusque impotentia perpetua contractum, ideóque irritum esse, statim separandi sunt: saltem quoad torum; nam si fraternæ societatis vinculo constricti inter se viuere & cohabitare consentiant, abstinentes omni carnis commixtione, tactibus impudicis &c. id eis omnino permissum est, iuxta c. laudabilem, & c. consultationi, de frigidis: Quin etiam consultum, nisi periculum incontinentiæ timeatur ei, qui, vel quæ absolutè potens est.

5 Sin autem non satis constet, vtrum impotentia perpetua, an verò temporalis sit, tunc ad experiendum triennij spatium eis conceditur in cit. c. laudabilem, vt interim conari eis licitum sit ad copulam, etsi per accidens pollutio eueniat. Elapso autem triennio, nullâque secuta emendatione, toro separari debent permissa licentia cõiugi qui potens est ad alias nuptias transeundi, vel vtrique coniugum, si vtrumque erga alias personas potentẽ esse ostendi, vel præsumi possit. Ad hæc tamen opus est Ecclesiæ auctoritate, tum propter scandalum vitandum, tum propter erroris periculum: quare etiam, si opus videatur, periti medici adhibendi erunt.

Quòd si verò in tali separatione, & noui matrimonij permissione error commissus postea detegatur, quia cõiuges re vera ad inuicem potentes erant, ideóque matrimonium validum existebat, tunc posterius putatitium dissolui, & prius redintegrari debet, vti monet S. Th. in 4. d.34. q. vn. a.2. Præterquam quòd coniunx innocens fornicarij coniugis, qui cum absolutè impotens iudicatus esset, alteri se non sine scelere copulauit, cohabitationem & congressum iure respuere possit, sicuti habetur in cit. c. fraternitatis, vbi notat Abb. n.7. Sanch. disp. 93. n.11. Non propterea statim, quòd ab alio viro post matrimonij separationem cognosci potuit, præsumendum esse prius matrimonium ratum & malè separatum fuisse: cùm ob disparitatem virorum potuerit esse vera impotentia respectu prioris, non item posterioris.

6 Ad extremum quæri solet: Vtrum constitutus in mortis periculo matrimonium contrahere possit? Responsio est affirmatiua ex omnium Doctorum sententia, vti testatur Couar. in epit. p.2. c.8. §.2. n.10. Sanch. disp.105. n.3. Et probatur ex Ecclesiæ consuetudine, secundùm quam morituros suasione interdum adducimus, vt concubinas, quibus diu adhæserant, in vxores accipiant: partim vt affectus eorum impudicus in coniugalem cõmutetur, partim vt iam concepta aut nata ex ipsis proles legitimetur. Ratio verò est: Quia, vt ponimus, infirmus morti propinquus, habet potentiam actus coniugalis exercendi, licet per accidens impeditam, quominus ob morbi vehementiam, & mortis aduentum, in actum deduci possit. Quòd si verò accidat ipsam generandi potentiam vi morbi secundùm se destructam esse, tunc impotens homo censeri debet matrimonij contrahendi. Ex quo etiã apparet ratio; cur veneficio ligatus, si ordinarijs Ecclesiæ exorcismis iuuari non possit, impotens censeatur; non item qui vi morbi per accidens impeditus est à generationis actu exercendo; siquidem etiam veneficium directè, ac per se tendit ad hominis potentiam generandi ligandam, saltem in ordine ad personam determinatam cum qua contrahere vult.

Confirmatur doctrina ex eo, quia morti propinquus potest inire matrimonium spirituale per professionem Religionis, iuxta c. sicuti tenor, de Regul. Ergo & matrimonium carnale. Neque obstat, quòd in mortis articulo contrahens non habeat propositum actus coniugalis exercendi. Nam tantùm abest, vt eiusmodi propositum requiratur, vt etiam contraria voluntas, videlicet nunquam exercendi actum coniugalem, non infirmet matrimonium, sicuti patet in matrimonio Beatiss. Virginis, item in ijs qui contrahunt cum proposito Religionem post nuptias ingrediendi, modò tale propositum in pactum non deducatur. Ordinariè tamen, & nisi graues causæ vrgeant, matrimonium morituris permittendum non est, sed eo tempore ad mortem bene obeundam disponendi.

Porrò rectè admonet Coninck disp. 31. dub. 7. n. 88. Si potentia generandi vi morbi, secundùm se ac simpliciter destructa esset, vt nulla humana arte restaurari posset, etsi hominem diutius viuere contingat, (quod in dubio præsumi non debet) tunc matrimonium validè contrahi non posse. Idémque sentiendum de viris senibus, quorum vires adeò exhaustæ sunt, vt nullo humano remedio iuuari possint ad copulã perficiẽdam: cùm nihil referat seu ex natura, seu ex alia extrinseca causa impotẽtia irreparabilis oriatur, sicuti docẽt DD. apud Rich. in 4. d.34. a.2. q.1. ad 2. & expressè Scot. ibid. q. vn. solut. 2. Sotus q. vn. a.2. concl. 3. Ledesma q.58. a.1. dub.4. concl. 3. Sanch. lib. 7. disp.92. n.24. & alij plerique contra Nau. lib.4. consil. 4. num. 15. & 18. de sponsal. impuber. edit. 2. Rodriq. to. 1. sum. c.235. concl.

Quòd si maritus ob senium simpliciter, ac perpetuò destitutus sit potentia seminandi intra vas, constat ex dictis, oscula & tactus ipsi licitos esse citra pollutionis periculum: illicitam autem copulam, cum periculo sui polluendi. Sin verò aliqua spes adsit intra vas perficiendi opus coniugale, licet rarissimè, & vix vnquam contingat, concessam coniugibus esse copulam, quamuis cum pollutionis periculo, ait Sanchez cit. disput. 17. numero 23.

CAP. XII.

De impedimento ætatis.

SVMMARIVM.

1 *Masculus ante annum expletum XIV. puella ante XII. canonico iure inhabiles sunt ad matrimonium, nisi certis indicijs constet ante eam ætatem puberes factos esse.*

2 *Si post legitimam ætatem masculus, vel fœmina nondum pubertatẽ consecuti sint, validè quidem matrimonium contrahere censentur, sed expectandum est vsque ad tempus perfectæ ætatis: vt experiri liceat, num verè potentes sint.*

3 *Si masculus, vel fœmina ante ætatem pubertatis legitimam in carnis delicto deprehendantur, præsumptio esse solet, quòd delictum non perfecerit.*

Ecclesiastici iuris constitutione c. continebatur, c. attestationes, & c. vlt. de desponsat. impuberũ, masculus ante completum decimum quartum ętatis annum, 1 fœmina

fœmina verò ante completum duodecimum, ad contrahendum matrimonium inhabiles censentur, nisi ob vrgentissimam causam dispensatio fiat, iuxta c. vbi, eod. tit. & docet S. Tho. in 4. d. 36. q. vn. a. 5. Ratio est, Quòd Ecclesia pro inconueniente habeat, vt matrimonium cōtrahatur ab ijs, qui nondum pubertatem & generandi potentiam assecuti sunt: pubertas autem ea plerumque ætate, quam diximus, tum masculis, tum fœminis contingit: Ergo ea ætate, & non antè matrimonium contrahere possunt. Quanquam, seclusa Ecclesiastica lege, & spectato iure naturæ, impuberes, si rationis vsum assecuti sint, matrimonium validè contrahunt: cùm eorum impotentia non perpetua, sed temporalis sit, quin & naturalis. Quamobrem Sum. Pontifex non minùs in hoc, quàm in alijs canonicis impedimentis dispensare absolutè potest, quamuis non facilè soleat, vt matrimonium inter impuberes, vsum tamen rationis consecutos, contrahatur. de quo vide Nau. lib. 4. consil. 4. & 5. de despons. impuber. edit. 2. Sanch. lib. 7. disp. 104. n. 11.

Porrò, si certis indicijs ostendatur, puerum, aut puellam, ante dictam ætatem, non tantùm rationis discretionem, sed & pubertatem siue carnalis copulæ potentiam assecutos fuisse, à matrimonio repellendi non sunt: cùm in eis malitia ætatem suppleat, sicuti dicitur in c. de illis, 2. & cap. vlt. eod. tit. & videri potest Ioan. Maior in 4. d. 28. q. 2. contra 3. concl. Couar. in epit. p. 2. cap. 5. num. 6. post S. Gregor. I. lib. 4. Dialog. c. 19. vbi narrat, quòd puer
2 nouem annorum nutricem suam impræguârit. Sin verò contrà accidat, vt post legitimam ætatem, videl. masculus post XIV. fœmina post annum XII. matrimonium contrahentes, ad eius vsum ob naturæ imbecilitatem inhabiles reperiantur, tunc plenæ pubertatis ætas expectanda est, quæ masculo obuenire censetur anno XVIII. iuxta l. adrogato, ff. de adoptionibus, & §. minorem, Instit. eod. In fœmina autem decimo quarto anno, arg. l. Mela, ff. de alimentis legatis. Et ab eo tempore conceditur spatium triennij ad experiendum, vtrum impotentia perpetua sit, nécne, sicuti ex probabiliore docent Sanch. lib. 7. disp. 104. n. 18. & disp. 110. n. 8. Coninx disp. 31. dub. 7. n. 84.

His adde I. Consultum non esse, vt in tenera, & adhuc infirma ætate coniuges copulentur, eò quòd proles infirma nasci, & matres iuuenculæ in partu periclitari solent. II. Si mas ante decimum quartum, fœmella ante duodecimum ætatis annum in carnis delicto comprehē-
3 datur, puta adulterio, incestu, sodomia, præsumptionē iuris ac de iure esse, quòd in ea ætate delictum non perfecerit, sicuti constat ex l. si minor, ff. ad L. Iul. de adult. & c. 1. de delictis puerorum. Si tamen certis indicijs constet, quòd malitia & coeundi potentia ætatem suppleat, puniri poterit, tamen mitiùs, quam sit pœna ordinaria. de quo videri potest Mol. tr. 3. disp. 36. n. 5. Couar. lo. cit. & quæ dixi lib. 1. tract. 4. c. 10. n. 5.

CAP. XIII.

De impedimento raptus.

SVMMARIVM.

1 *Raptus puellæ committitur, si ea de loco in locum causa libidinis exercendæ, vel matrimonij contrahendi, per vim iniustam abducatur.*

2 *Duplex est species raptus: vel enim vis iniusta infertur puellæ, vel parentibus, aut tutoribus in quorum potestate puella est, licet consentient in raptum.*

3 *Si puella volens ex domo patris, vel tutoris nescientis, aut si antecedente tractatu matrimonij, vel sponsaliorum abducatur puella, non est propriè raptus.*

4 *Inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris est, matrimonium, aut sponsalia validè non contrahuntur.*

5 *Probabile est impedimentum raptus locum duntaxat habere, si vis iniusta puellæ ipsi inferatur ad matrimonium cum ea contrahendum.*

RAPTVS puellæ, siue ea soluta sit, siue coniugata, aut vidua, tunc committitur, si ea de loco in alium locum causa libidinis exercendæ, vel matrimonij contra- 1
hendi, per vim iniustam abducitur. Quod crimen morte punitur, si rapta mulier honesta fuit, l. vn. C. de raptu virginum, iuncta Auth. de raptu mulierum, quæ raptoribus nubunt.

Duplex est species raptus, vti sumitur ex c. l. ex illa, & c. 2
seq. 36. q. 1. & docet S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 7. Mol. tr. 3. disp. 105. Sanch. lib. 7. disp. 12. I. Si vis iniusta exerceatur in ipsā puellam, quæ inuita & repugnans abducitur. II. Si vis iniusta committatur erga parentes, vel tutores, sub quorū cura & potestate puella existit; quamuis ipsa in abductionem cōsentiat, sicuti constat ex c. raptoribus. 36. q. 1. & ex communi tradit Abb. in c. cùm causam de raptor. n. 4. Verùm, si inscijs parentibus, vel tutoribus puella volens ex 3
domo sua abducatur, licet iniuria illis inferatur, non tamen propriè vis: quare non est propriè raptus, quia raptus, sicuti & rapina, violentiam continet, vti ex communi docet Nau. lib. 5. consil. 3. n. 1. de raptor. edit. 2. Sanch. n. 36. & disp. 13. n. 13. Veracrux in appendice ad speculum, de impedimento raptus.

Præterea si tractatus de matrimonio legitimè contrahendo, vel sponsalia antecesserunt, atque idcirco puella consentiens de domo patris, vel tutoris, quamuis ipso reclamante, abducta est, nō esse propriè raptū, neq; matrimonio impedimentum præbere, respondit Alexan. III. in c. cùm causam, de raptoribus. nihil obstante quòd iure ciuili aliter statutum sit, cit. l. vn. C. de raptor. virginum: quare in eodem foro, abducenti puellam ex domo patris, vel tutoris, in cuius potestate erat, pœna decerni potest, propter iniuriam ipsis illatam, vti notat Molina tract. 3. disp. 105. n. 11.

His explicatis, sciendum est: Quòd Concilium Trid. 4
sess. 24. c. 6. de reform. matrim. decreuit, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum matrimonium consistere posse. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere cōsenserit, tunc eam raptor in vxorem ducere possit. nihilominus raptor ipse, & omnes illi consilium, auxilium, & fauorē præbentes, ipso iure excōmunicati sint, ac perpetuò infames: Clerici verò de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptā, siue eam in vxorē duxerit, siue non duxerit, decenter, arbitrio Iudicis, dotare. Quare hæc pœna non obligat, nisi post iudicis sententiam. Idémque sentiendum, ait Sanch. disp. 13. n. 1. de pœna infamiæ, ac depositionis.

Videntur autem hæ pœnæ & inhabilitates incurri propter omnem raptum propriè dictum, cuius species supra numeratæ sunt: quandoquidem Trident. generaliter loquitur, *Inter raptorem & raptam* &c. idq; annotauit Veracrux in appendice ad speculum, de impedimento raptus. Quamuis Sanch. cit. disp. 13. n. 3. Coninx cit. disp. 31. dub. 4. in fine, non improbabiliter existiment, Trident. Concilio solùm eam raptus speciem puniri, per quam vis infertur puellæ, cùm intentio fuerit per illud decretum succurrere libertati matrimonij, ne id mulier inuita contrahere cogatur: licèt alij communiter cōtrarium sentiant, Nau. lib. 5. consil. 2. de raptoribus, Henriq. lib. 12. c. 14. n. 4. Rodriq. p. 1. sum. c. 232. concl. 1. Sa ver. matrimonium, n. 9.

Eodem porrò fundamento idem Sanch. cit. disp. 13. n. 4. existimat, decreto illo Tridentino solùm comprehendi raptum, qui fit causa contrahendi matrimonij; non itē ob exercendam libidinem. Idémq; sentit Rodriq. to. 1. sum. c. 213. n. 7. & probabile censet Coninck lo. cit. atque Cardinales eodem cap. 6. ita censuerunt apud Marzyllam, licet Sa ver. matrimonium, n. 9. contrarium dixerit.

His adde ex Nau.lib.5.conſil.4.de raptor.edit. 2. Sanchez lib.7.diſp.13.n.17. Molin.tract. 3. diſp.105. n. 22.& alijs communiter: Quòd neq; ſpōſalia inter raptorem & raptā, dum in domo raptoris manet, validè contrahi poſſint. Quia prohibito,& caſſato matrimonio, conſequenter etiam cenſentur prohibita, & caſſata ſponſalia præambula, ſi eadem vtriuſque prohibitionis cauſa ſit: videlicet defectus plenæ libertatis.

CAP. XIV.

De impedimento ex cultus, ſiue Religionis diſparitate.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium hominis baptiſati cum non baptiſato, etiam Catechumeno, Eccleſiaſtico iure irritum eſt.*

2 *Matrimonium hominis Catholici cum hæretico validum quidem, ſed plerumque mortaliter illicitum eſt.*

3 *Impium, & irritum eſt pactum additum matrimonio Catholici cum hæretica, vt liberorum alij patrem fidelem, alij verò matrem hæreticam ſequantur.*

4 *Si impedimentum dirimens matrimonij notorium eſt, vel in notitiam Eccleſiæ venturum, eo ſublato, oportet Parochum & teſtes iterum adhibere ad validandum matrimonium; ſecùs, ſi impedimentum omninò occultum ſit.*

5 *Matrimonium irritum, reddi validum poteſt quocunque coniugum conſenſu, verbis, aut factis declarato, modò eius impedimentum cognitum habeant.*

1 ASSERTIO I. Matrimonium hominis baptiſati cum non baptiſato, etiam Catechumeno, Eccleſiaſtico iure irritum eſt. Ita colligitur ex c.caue, 28.q.1. *Si Chriſtiana ſit*, id eſt catechiſata ſit, ait Gloſ. *non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſint ſacramento Baptiſmatis.* Et hanc eſſe communem ſententiam Doctorum, atq; Eccleſiæ praxin, teſtatur Couar.in epit.p.2. c. 6.§. vlt. Bellarm. de matrim. c. 23. Henriq.lib. 12. c.13.n. 3. Sanch.lib. 7. diſp.71. Tolet. lib.7.c.11.

2 Aſſertio II. Matrimonium hominis Catholici cū hæretico validum quidem, ſed mortaliter illicitum eſt. Quæ eſt communis ſententia Doctorum apud S. Tho. in 4.d. 39.q.1.a.1. Rich.a.1. q.1. Duran. q.1.ad 2. Couar.cit.§.vlt. n.5. Sanch.diſp.72. contra Gl.in c. vlt.ver.contra ſubſtantiam, de condit.appoſitis. Prior pars colligitur ex c. decreuit, de hæret. in 6. & ratio reddi poteſt: Quia matrimonium cum hæretico, qui rite baptiſatus eſt, veri ſacramenti rationem habet, ergo non decuit ita infirmari, ſicuti matrimonium cum infideli, licet contrarium ſenſerit Iacob. Simanca de Cathol.inſtit.tit.40.n.19. Poſterior pars ſumitur ex Concil. Chalcedon. can. 14. Eliber. c.16. Laodicen. can.10.& 31. Carthag.3.c.12. Agathc. 67.

Sed limitatur primò: Niſi hæreticus promittat, ſe poſt nuptias Fidem Catholicam ſuſcepturum, & cauſa ſubſit, cur nuptiæ abſolutioni ab hæreſi anteponantur. Ita Nicol. Serarius de coniugio Catholicorum cum hæreticis c.2. Sa de matrim. impedimentis n. 8. vbi ait: *Mortale eſt cum hæretico contrahere, niſi ſpes certa conuerſionis eſſet.* Et colligi videtur ex cit.can.14. Chalced. Concil. *Non oportet cum hominibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare, ſed potiùs accipere, ſi tamen profiteantur Chriſtianos ſe eſſe futuros, & Catholicos.* Confirmatur. Quia licet in lege veteri Exodi c. 34. & Deuter. 7. cautum fuerit, ne Iudæorum quiſpiam vxorem acciperet ex gentilitate, quia auertent corda ipſorum, vt ſequantur Deos alienos, ſicuti exemplo oſtendit Salomon Rex: Nihilominus Mahalon, & poſtea Booz Dauidis proauus in vxorem duxit Ruth Moabitidem, & Salmon Raab meretricem, ſicuti conſtat ex cap.1. Matth. propterea quòd Iudaiſmum ſuſcipere paratæ eſſent.

Secundò limitat Azor t.1.lib.8.c.11.q.5. Sanch.cit.diſp. 72.n.5. Addit.in Sa. cit.n.8. In Germania, aliiſque ſeptentrionalibus partibus, quibus Catholici mixti cum hæreticis communi iure viuunt, conſuetudinem obtinuiſſe, vt connubia inter ſe inire poſſint, ſi coniugi, qui Catholicus eſt, liberum permittatur ſine periculo peruerſionis in Fide orthodoxa perſiſtere. Quæ limitatio admitti poteſt, ſi in aliquo caſu morali euidentia conſtet, nullum eſſe periculū ſcandali, peruerſionis, aliorúmque incommodorum, quæ cum tali matrimonio plerumque iuncta ſunt. Sin verò dubium, vtrū eiuſmodi mala ſequi poſſint, ad Sum. Pontificē, vel etiā Epiſcopū in Germania noſtra, pertinebit rem examinare, & contrahendi matrimonij licentiam dare. Enimuerò experti ſumus ex matrimonio hominis Catholici cum hæretico tam multa ſequi ſolita incommoda ſpiritualia, tum ipſi coniugi Catholico, tum liberis ac Chriſtianæ Reipubl. vt naturali plerumq; legi charitatis &c. repugnet, ac proinde tunc neq; Sum. Pontifex id diſpenſatiuè permittere poſſit, præterquam ſi in aliquo caſu probabilis ſpes ſit ex eiuſmodi matrimonio longè maioris ſpiritualis fructus ſecuturi, ob quem incōmoda illa tanquam minora, permitti poſſint. quod tamē perrarum eſt, vti oſtendit Serarius l.c.& videri etiam poteſt Mart. Becanus in 2.2.c.9.q.5.dub.4.reſp.3.

Illud porrò apud omnes in confeſſo eſt, ſi matrimonio 3 Catholici cū hæretica pactū adijciatur, vt liberorū alij, puta maſculi patrē fidelem, fœminæ verò matrē hæreticā ſequantur, impium & irritum eſſe: quandoquidem ad vtrumq; pertinet cura liberos ſuos omnes in vera Fide, ac Religione educandi.

Alia tria matrimonij dirimentia ſunt: *Vis* grauis, & iniuſta, clandeſtina deſponſatio de præſente, de quibus dixi ſuprà p.2.c.5. Ac denique ligamen ſeu vinculum vnius legitimi matrimonij, quo durante aliud validè contrahi nunquam poteſt, vt ex ſuprà dictis conſtat.

Vna quæſtio reſtat: Si matrimoniū, quod ob aliquod impedimentum irritum erat (v.g. propter defectum ætatis, vel quia metu iniuſto extortum, vel intra quartū gradum conſanguinitatis, aut affinitatis contractum) poſtea ſecuta ætate, depoſito metu, vel impetrata diſpenſatione reualidandum ſit, quomodo id fieri debeat, & an neceſſe ſit Parochum & teſtes de nouo adhiberi? Reſpondeo, & dico I. Si impedimentum in facie Eccleſiæ publi- 4 cum ſeu notorium fuit, neceſſe eſt Parochum & teſtes iterum adhibere, & coram ipſis matrimonium celebrare. Idémque faciendū, ſi periculum ſit, ne in foro externo, vel in facie Eccleſiæ impedimentū aliquando inoteſcat, vti Rodriq. notauit p.1.caſuum, c.220.concl.2. Sanch. lib. 2. de matrim. diſp.37. n.11. Item, licet ſolus Parochus, vel teſtes requiſiti impedimentū extra Cōfeſſionem cognitum habuerint: quia non poterant talibus auctoritatem, vel teſtimonium matrimonio præbere, quod ſciebant eſſe nullum, ſicuti notauit Sanch. n. 10. Henriq.lib.12.c.3.n.7. Pet.Ledeſma q.47.a.3.dub. vlt.

Dico II. Si impedimentū omnino occultū ſit, neceſſe non eſt Parochū & teſtes iterū adhibere: ſed ipſi coniuges prioris impedimenti conſcij, inter ſe per conſenſum, verbis, vel facto declaratū, matrimoniū validū efficere poſſunt. Ita docet Nau.c.22.n.70.& lib.4.conſil.14.in fine, Pet.Ledeſ. q.45.a.5.dub.penult. Philiarchus t.1.de offic. Sacerdotis, p. 2. lib.2.c.13. Rodriq.cit.concl.2. Sanchez cit.diſput.37. num.3. Henriq. citat. cap.3.n.6. Cùm enim ratio quæ mouit Concil. Trid. ad caſſanda matrimonia clandeſtina, vt impedirentur grauia peccata & incōmoda, quæ ex ijs oriri plerūq; ſolerent, in dicto caſu penitus ceſſent: quin potiùs è cōtrario incōmoda, & ſcandala non exigua ſequerētur, ſi matrimonia, quæ publicè pro validis habebantur, iterum coram Parocho & teſtibus celebrare oportere: meritò colligimus, Trident. decreto, quatenus tum prohibitorium, tum caſſatorium eſt matrimonij clandeſtini, caſum illum quo matrimonium occultè inualidum reuelari debet, nequaquam comprehendi.

Sed

Sed nota quod in assertione dixi coniuges matrimonium validum efficere posse, *verbis, aut facto*; ideòque qualicunque signo declarante mutuum consensum, vt si carnaliter copulantur, vel maritali affectu cohabitent, arg. c. ad id, c. is qui, de sponsal. & c. insuper, Qui matrimonium accusare possunt, vbi id notat Abb. num. 2. Sotus in 4. d. 35. q. vn. a. 2. ver. sed est præterea, Couar. p. 2. c. 4. princ. n. 5. Henriq. lib. 11. c. 9. in fine, Sanch. lib. 2. disp. 36. n. 7.

Secundò nota, quod dixi: Si coniuges impedimenti *conscij sunt.* Nam si ignorent matrimonium in quo versantur inualidum esse, non possunt velle, vt validetur: cùm error voluntarium tollat, sicuti ex communi Nau. in man. c. 22. n. 47. & consil. 12. de sponsal. edit. 2. arg. c. veniens, iuncta Gl. De eo qui duxit in matrim. quam polluit &c. Qua etiam ratione docet idem Nau. c. 12. n. 71. Rodriq. p. 2. c. 99. concl. 7. Sanch. lib. 1. disp. 16. n. 7. Vt quis votum, quod inualidè conceptum est, denuo ratificet aut confirmet, necesse esse, vt eius inualiditatem cognitam habeat. Si enim nesciat, aut de valore eius dubitet, non censetur habere absolutam voluntatem se obligandi, sed renouandi, aut confirmandi obligationem antè existentem. Nisi constet animum vouentis fuisse, quòd promittere & obligari velit quamuis prior promissio & obligatio irrita fuisset. Similiter se res habet in casu matrimonij validandi: Si enim maritus v. g. occultè impetrata dispensatione super impedimento, non putet expedire, vt vxor resciat, potest eam, oblata opportuna occasione, interrogare, an tali ipsum amore prosequatur, vt iam etiam consentiat in maritum accipere, perinde ac si omnino ab eo libera esset, iuxta probabiliorem sententiam Caiet. t. 1. opusc. tr. 12. de matrim. q. 2. Soti in 4. 28. q. 1. a. 2. concl. 3. casu 1. Veracrux p. 1. speculi, a. 44. concl. 3. Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 6. Sanch. lib. 2. disp. 36. concl. 2. contra Nau. c. 22. n. 47. Philiarchum t. 1. p. 2. lib. 2. c. 13. vbi aiunt, necessarium esse vt cōscius impedimenti saltem generatim indicet ignoranti, *Suspicor ex causa aliqua non valuisse inter nos matrimonium, ideo rogo te ad pacandam conscientiam meam, vt quatenus opus est, denuo in matrimonium consentiamus.* qui modus si sine graui incommodo adhiberi possit, haud dubiè securior est: cùm alioquin non facilè ab ignorante eliciatur consensus de præsente efficax; sed solùm quòd vellet de nouo matrimonium contrahere, nisi antea contractum esset; cuiusmodi tamen consensus non sufficit, vt rectè notauit Sanchez cit. disput. 36. concl. 2. Illud tamen rectè monet Rich. in 4. d. 29. q. 2. a. 1. Veracrux p. 1. speculi, a. 29. in fine, Sanch. lib. 2. disp. 32. n. 11. Si matrimonium irritum fuit, quia alter sponsorum internum consensum verè non præbuit, sed simulauit, aliud non requiri ad validandum matrimonium, nisi vt consensum internè suppleat. Siquidem id solùm deest, quod in hoc casu ad matrimonij valorem iure naturali & diuino requiritur: neque Ecclesiasticæ constitutiones aliud exigere possunt. Ergo si id suppleatur, sufficit.

CAP. XV.

De impedimentis non dirimentibus.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta matrimonij non dirimentia sunt: Interdictum seu inhibitio Ordinarij, tempus feriarum, cognatio spiritualis contracta ex catechismo baptisandi, certa crimina, votum continentia, vel Religionis ingrediendæ, & sponsalia cum priore contracta.*

2 *Impedimenta ex catechismo, & criminibus, quæ antiquis canonibus, instituta fuerunt, hodie fermè abolita sunt.*

1 INTER impedimenta, quibus matrimonium illicitum, non tamen irritum redditur, primum locum tenet *interdictum Ecclesiæ.* Si videlicet Ordinarius pastor certis personis, ob iustam causam, v. g. vt de obiecti impedimenti veritate cognoscatur, matrimonium interim interdicat, sicuti constat ex c. penul. de sponsa duorum, vbi dicitur, pendente lite de matrimonij valore, interdicendum esse, ne interim aliud matrimonium contrahatur, & ex c. vlt. de clandestina desponsat. vbi Parochis præcipitur, si probabilis coniectura impedimenti apparuerit, contractus matrimonij ab eis *interdicatur expressè, donec quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis.* Verùm, licet Parochi in tali casu matrimoniū inhibere possint, nō tamen de eius impedimento cognoscere: cùm tractatio causarum matrimonialium ad Iudicem Ecclesiasticum pertineat, qui est Episcopus, vel similis Prælatus exemptus, eiusue Vicarius, aut delegatus, iuxta c. accedentibus, de excess. Prælat. & c. 1. de consang. & affinit. iun. Gl. ver. potestatem, & Abb. n. 12.

Alterum locum tenet *tempus feriarum*, videlicet ab Aduentu Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à Feria quarta Cinerum vsque in octauam Paschatis inclusiuè, quibus temporibus nuptiæ solemnes ab Ecclesia interdicuntur, vt videre est in Trid. sess. 24. c. 10. de reform. matrim. Vbi notandum est: Non prohiberi ipsum matrimonij contractum, præmissis etiam denuntiationibus, in dictis temporibus celebrari, si nuptialis benedictio, & solemnis traductio sponsæ cum signis lætitiæ &c. intermittatur, sicuti colligitur ex cit. Trid. & c. Capellanus, de ferijs, vbi dicitur, Romanæ Ecclesiæ consuetudinem esse, *vt quocunque tempore matrimonium contrahatur*, & notat ibi Gl. ver. quocunq; Abb. n. 4. Caiet. ver. nuptiarum peccata, Bellarm. lib. 1. c. 31. §. in altero more, Sa ver. matrimonij impedimenta non dirimentia, n. 2. Sanch. lib. 7. disp. 7. n. 12. Coninck disp. 30. dub. 3. Attendenda tamen est Ecclesiarū consuetudo, quæ apud nos est, vt Parochus his temporibus matrimonio, intermissa vel in aliud tempus dilata benedictione, non assistat, nisi necessitas vrgeat: vt si miles in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit, eique ad spiritualem salutem matrimonium expedire videatur: quamuis etiam hoc casu mos est, vt, si fieri possit ab Ordinario licentia petatur, sicuti indicat etiam Ioan. Chapeauille, c. 6. q. 9. in fine.

Tertium locum tenet cognatio spiritualis, quæ secundùm iuris canonici constitutionem, c. 2. de cognat. spirit. in 6. contrahitur ab eo, qui in catechismo pro persona baptisanda Sacerdoti interroganti respondet: contrahit enim impedimentum, quominus cum tali persona matrimonium licitè contrahere possit: quamuis ita contractum valeat, si verus patrinus non sit, qui in catechismo tenet, quia puer domi v. g. ob necessitatem baptisatus fuerat, & solùm cæremoniæ in Ecclesia adhiberi debent. Cæterùm valde probabile est, quod docet Sanch. lib. 7. disp. 10. impedimentum hoc omninò sublatum esse, per Trid. Conc. sess. 24. c. 2. de reform. matrim. vbi decernitur, vt omni impedimento sublato, spiritualis cognatio tantùm contrahatur inter baptisatum eiusq; patrem, & matrem ex vna parte: & baptisantem & susceptores de Baptismo ex altera parte. Qui autem tantummodo in catechismo tenet, nec baptisans, nec de Baptismo suscipiens est. Ergo spiritualem cognationem non contrahit. 2

Quartum locum tenent crimina quædam, ob quæ quasi pœnitentiæ loco, abstinentia à coniugio antiquis canonibus decreta erat. I. est, vxoricidiū, c. admonere, 33. q. 2. II. Presbytericidium, c. qui Presbyterū, de pœnit. & remiss. III. Matrimonium cū Moniali scienter initum, c. hi ergo, 27. q. 1. IV. Si quis propriā prolem de sacro fōte susceperit, in fraudem vsus coniugalis, c. de eo, 30. q. 1. V. Qui ob peccatum publicam pœnitentiam peragere debuit, c. de his, 33. q. 2. VI. Raptus spōsæ alienæ, c. statutū, 27. q. 2. VII. Incestus cum consanguineis coniugis, aut sponsæ adhuc viuentis, c. 1. 2. & c. transmissæ, de eo qui cognouit & c. fal-

tem intra secundum gradū, post Trid. Cōstit. sess. 24. c. 4. de reform. matrim. Dixi *viuentis*, non item demortuę, iuxta probabilem sententiam Soti in 4. d. 37. q. vn. art. 1. Henriq. lib. 12. c. 2. n. 1. Sa ver. matrimonij impedimenta non dirimentia, n. 7. contra Sanch. lib. 7. disp. 15. n. 12. Quia Ecclesia hoc impedimentum introduxit in pœnam criminis, quo per incestum cum consanguinea impeditur vsus coniugalis cum legitima coniuge: quæ ratio cessat, postquam ea defuncta est.

Ex quo etiam intelligitur, cur iura hoc impedimentum solùm decernant propter incestum commissum cum cōsanguineis coniugis, aut sponsæ, quod extendi non debet ad incestum cum propriis consanguineis: tum quia est decretum prohibitorium ac pœnale, ideóque non extendendum vltra casum expressum: tum quia non eadem ratio in vtroque incestu reperitur, quia incestus cum consanguineis vxoris magis matrimonio repugnat, quippe ipsius vsum impediens, sicuti docet S. Tho. in 4. d. 34. q. vn. a. 5. solut. ad arg. ibid. Rich. a. 5. q. 2. ad 1. S. Ant. 3. p. tit. 1. c. 16. §. 4. Henriq. n. 4. Sanch. cit. disp. 15. n. 16. contra Angelum ver. incestus, n. 5. Nau. c. 22. n. 74. Illud tamen specialiter statutum videtur in c. si quis cum matre, 33. q. 2. vt qui cum matre & filia fornicatus fuerit, à coniugio deinceps abstineat, sicuti notauit Sanchez numero 7.

Veruntamen Sotus cit. q. vn. a. 2. prope finem, Corduba lib. 1. quæstionarij, q. 12. dicto 3. Veracrux p. 1. spec. a. 27. concl. 2. Nau. c. 22. n. 75. & lib. 4. consil. 9. n. 5. de consang. edit. 2. Sanch. lib. 7. disp. 17. n. 8. Henriq. lib. 12. c. 2. Ægid. Coninck disp. 30. dub. 3. num. 25. testantur, hæc impedimenta criminum per diuturnam consuetudinem penitus esse sublata; adeò vt Nauar. dicat, se non meminisse tota ætate sua super tali impedimento dispensationem petitam fuisse. Quamobrem, licet Confessarius pœnitenti incestuoso, vxoricidæ &c. suadere possit, vt in delicti pœnam deinceps ab alio matrimonio abstineat, sicuti antiquis canonibus pœnitētialibus decretum erat; si tamen pœnitens nolit, cogi non debet: sed neque ei suaderit, si ob iuuentutem, vel aliam causam incontinentiæ periculo expositus esse videatur. Quòd si verò aliquis securius esse putet dispensationem petere propter crimen impediens matrimonij secundùm iura antiqua, eam Episcopus conferre poterit, sicuti ex communi docet Nau. cit. consil. 9. n. 5.

Quintum locum tenent sponsalia: ea enim legitimè contracta, nisi iusta de causa dissoluantur, impedimento sunt, quominus licitè matrimonium cum alia contrahatur.

Vltimum locum tenet votum simplex castitatis, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonij non ineundi: nam cum tali voto illicitè, quamuis validè, matrimonium contrahitur, sicuti constat ex dictis hoc tract. eod. p. 4. c. 3. n. 6.

Denique memoriæ iuuandæ causa prò impedimentis matrimonij dirimentibus hi versus retinendi sunt:

Error, Relligio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Raptus, Clandestina fides, Expers coeundi,
Aetas, Affinis, soluunt connubia cuncta.

Pro impedimentis verò non dirimentibus iste versus:

Interdico, Dies, Crimen, Sponsalia, Votum.

Atque hîc finis est totius operis, ad gloriam Dei optimi: quo volente, & adiuuante cœpi, ac finiui: ipsi sit sempiterna laus, & gratiarum actio. AMEN.

FINIS.



MORALIS THEOLOGIÆ REPERTORIVM

SEV

COMPENDIOSA RERVM IN EA CONTENTARVM, SECVNDVM ORDINEM APHABETI DESCRIPTIO.

FACTA AB

AVCTORE OPERIS, IN LECTORIS GRATIAM.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus PETRI BILLAINE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno bonæ Fidei.

M. DC. XXVII.

BENEVOLO
LECTORI AVCTOR S.D.

CVm opus, labórque meus prælo ferme liberatus eſſet, duo adhuc, Lector beneuole, à te deſiderari poſſe cogitabam. Vnum, vt doctrinas omnes, præſertim morales, toto volumine ſparſas, indicatis locis facilè reperire poſſit. Alterum, vt quæ ex Eccleſiæ praxi, Doctorum conſenſu, ac proprijs rationibus fuſiùs à me explicata fuerunt, compendio quodam aſſerta proponantur. Vtrique deſiderio tuo, eadem hac opera, me ſatisfacturum exiſtimo. Quod ſi aſſecutus fuero, diuino Numini gratia agam, mihíque gratulabor. A te autem, bene Lector, id vnum obnixè rogo, quicunque es, hunc librum lecturus, vt Deum pro me ores.



MORALIS THEOLOGIÆ REPERTORIVM.

Abbas.



BBATES alij seculares, & alij regulares sunt: item alij infulati, alij qui pastorale tantùm pedum gerunt. lib. 5. tr. 9. c. 13. §. vn. n. 14.

Abbates proximum post Episcopum dignitatis locum tenent in Concilijs, Processionibus. ibid.

Ad Abbatis creationem tria concurrunt; Electio, Confirmatio, Benedictio. Ibid. n. 15.

Abbas eligi debet, qui in Ordine expresè professus sit; qui X X V. ætatis annum attigerit; qui sacerdos sit, vel intra annum sacerdos futurus. eod. num.

Abbas confirmatus, aut benedictus, licet ad episcopatum eligi possit, tamen transire illi non licet, absque Superioris licentia. n. 16.

Benedictio Abbatis ab Episcopo fit, assistentibus duobus Abbatibus. Verùm consuetudo permittit, vt à tribus Abbatibus benedictio conferatur. n. 17.

Benedictio Abbatis potiùs ad solemnitatem spectat, quàm ad substantiam; adeò, vt quibusdam casibus etiam sine accepta benedictione, quæ ordinis sunt, exercere possit. eod. num.

Abbas nomine Conuentus non comprehenditur in odiosis. ibid. n. 18.

Abbatissa.

Abbatissæ iurisdictionem spiritualem propriè non habent; sed vsum quendam iurisdictionis sibi commissum. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 3. & 4.

Abbatissæ ex priuilegio, Sedis Apostilicæ conferre possunt beneficia, & instituere Clericos in Ecclesijs ad Monasterium suum pertinentibus. eod. num. 4.

Abbatissa, secundum quosdam, censuræ suspensionis capax est; cùm sit Ecclesiastica persona, habens iurisdictionem aliquam ex commissione. l. 1. tr. 5. p. 3. c. 1. n. 1. & c. 2. n. 2.

Abbatissa eligi non potest, nisi quadragesimum, aut in quibusdam casibus, trigesimum annum compleuerit. l. 4. tr. 2. c. 14. n. 1. §. quòd verò.

Abbatissæ post confirmationem benedici debent, vbi talis consuetudo viget. l. 5. tr. 9. c. 13. §. vn. n. 17.

Abortus.

Qui malitiosè impedit, ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, mortaliter delinquit. l. 3. t. 3. p. 3. c. 4. n. 2. q. 2.

Qui mulieri abortum procurat si fœtus animatus fuit, verè homicida, atque irregularis existit. n. 3.

Si certum sit, fœtum in vtero animatum non esse, faciliùs permittitur, ob matris vitam seruandam, eum expellere, etiam directa intentione; cùm fœtus sit veluti aggressor matris. n. 4.

Medicinas, quæ directè tendunt ad fœtus iam animati occisionem, puta venenum, dilacerationem &c. adhibere nunquam licitum est: at verò medicinas per se ac directè ordinatas ad matris sanitatem, v. g. venæ sectionem pharmacum ventris purgatiuum adhibere licet, si alioquin mater moritura sit; quamuis timeatur per accidens abortum secuturum esse. ibid. §. sin autem.

Si tamen existimetur, prolem animatam, non adhibito medicamento, in lucem edendam, & baptizandam fore, permittenda est mors matris. ibid.

Abstinentia.

Regula & mensura cibi, potus, ac somni capiendi, continetur corporis, ac vitæ tuendæ necessitate. l. 3. s. 4. num. 1.

Acceptio personarum.

Peccatum acceptionis personæ in eo consistit, quòd aliquis in iure dicendo, vel in bonorum communium, aut honorum distributione, non attendit ad causam, sed conditionem personæ ad rem non pertinentem. l. 4. tr. 1. c. 15. n. 6.

Peccatum acceptionis personæ non committitur, nisi antecedat aliquod debitum iustitiæ. ibid.

Acceptilatio.

Est imaginaria quædam solutio, per quam obligatio ex stipulatione orta tollitur. l. 3. tr. 4. c. 3. n. 2. §. Inter.

Acedia.

Acedia est tristitia de bono diuino, à nobis participando cum labore, & difficultate. lib. 2. t. 3. c. 9. n. 1.

Est ex genere peccatorum mortalium, quippe repugnans charitati, ac amicitiæ Dei. n. 2.

Acedia est vnum ex vitijs capitalibus. n. 3.

Expellitur acedia non cedendo, sed resistendo. n. 4.

Actio.

Actio est ius persequendi, seu petendi aliquid, quod ipsi debitum est. l. 3. t. 4. c. 1. n. 2.

Actio alia realis est, quæ & vindicatio rei dicitur, alia verò personalis. l. 1. t. 1. c. 5. n. 1.

Actio realis varijs modis competere potest, videlicet ratione dominij directi, aut dominij vtilis, vel quasi dominij; aut ratione seruitutis, pignoris seu hypothecæ constitutæ. ibid.

Actor.

Qui in ciuilibus actor, in criminalibus accusator dici solet. l. 3. t. 6. c. 3. n. 1. & 2.

Libellus Actoris syllogismum iuridicum continere debet. ibid.

Actor, itémque Reus in iudicio contumaciter non comparens, parti læsæ ad expensas, & damna resarcienda condemnandus est. ibid.

Accusatori onus probandi incumbit, non item denuntiatori. n. 4.

Si accusator in probatione deficiat, & calumniator appareat, pœna talionis plectitur: quæ tamen hodie ferme desijt & arbitraria imponi solet. Ibid.

De crimine pernicioso, si alia ratione impediri non possit, accusare, vel denuntiare quisque obligatus est. num. 6.

Iudex ad se delatam accusationen ordinariè admittere cogitur. n. 7.

Quòd Clericus actor coram seculari Iudice in eodem iudicio reconueniri possit, canonico iure receptum non videtur. l. 3. t. 6. c. 1. n. 2.

Si vtraque actio, ciuilis, & criminalis, ad pœnam seu vindictam tendit, vnâ intentatâ, altera tollitur, secus, si ad diuersa tendunt. ibid. n. 4.

Actus humanus, liber.

Illæ hominis actiones propriè humanæ dicuntur quæ propter finem fiunt ex deliberatione rationis. lib. 1. t. 2. c. 2. n. 7.

Intentio est motus rationalis appetitus in finem, per media assequendum. eod. cap. 2. n. 1.

Bruta propter finem agunt, non ex intentione. Ibid.

Deliberatio rationis oritur ex indifferentia rerum intellectui in hac vita propositarum. ibid. n. 2.

Voluntas libere eligit, vel respuit id, quod intellectus facta consultatione, iudicatur. n. 3.

Duplex est libertas; Vna secundum exercitium, altera secundum specificationem. n. 4.

Libero contradictoriè opponitur non liberum; contrariè autem, necessarium naturæ. n. 5.

Sola voluntas formaliter libera est à necessitate naturæ: intellectus autem est radix libertatis. n. 6.

Actus humani partim sunt eliciti à voluntate; partim imperati. n. 8.

Intellectus per se, & secluso actu voluntatis, non est capax peccati, aut meriti; similiter nec appetitus sensitiuus. n. 8.

Primus actus intellectus in quouis negotio non est propriè humanus, seu moralis; sed naturalis, ideóque peccati, aut meriti incapax. n. 10.

Actus intellectus, & actus voluntatis sunt inter se partim priores, partim posteriores, n. 11.

Licet intellectus in actibus suis per se liber non sit, multùm tamen pendet à libera motione voluntatis: num. 12.

Morale per se primò conuenit actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus. c. 7. n. 1.

Diuiditur in bonum morale, seu honestum; & malum morale, seu inhonestum. ibid. n. 2.

Bonum honestum dicitur, quod substantiæ rationali liberæ per se decens est; inhonestum verò quod eandem dedecet. ibid.

Actus morales bonitatis, vel malitiæ speciem accipiunt à reali obiecto suo; consequenter bonitas, vel malitia in obiecto reperitur fundamentaliter, in actione formaliter. n. 3.

Actus alij per se, & præcisè ex obiecto mali sunt; alij verò propter legis positiuæ prohibitionem. n. 4.

Actus morales alij internè consummantur, alij verò in externam operationem transeunt. n. 5.

Externa moralis operatio obiectiuè quidem prior est actu interno; sed vt exercita ab actu interno posterior tanquam participans bonitatem, vel malitiam ab interno actu. ibid.

Actus internus & actus externus in genere moris non faciunt numerum. n. 6.

Actus internus voluntatis efficax, si opere non completur, quia deest operandi facultas, habet quidem omnem substantialem bonitatem, vel malitiam, sed non accidentalem: quandoquidem, externa executione materialiter perficitur. n. 7.

Actionum humanarum circumstantiæ.

Circumstantiæ sunt particulares humanarum actionum in genere moris accidentales conditiones. lib. 1. tr. 2. c. 8. n. 1.

Earum duo sunt genera, quædam accidentaliter tantùm aggrauantes, vel minuentes, quædam verò nouam speciem afferentes. ibid.

Circumstantiæ afferentes nouam speciem subdiuiduntur, quod quædam actioni retinenti propriam speciem ex obiecto alteram adiungunt: quædam speciem actionis mutant siue ad aliam transferunt. numero 2.

Circumstantiæ humanarum actionum septem numerentur, Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando. eod. tr. 2. c. 9. n. 1.

Peccata tantò grauiora sunt, quantò sanctior, aut sublimior persona, quæ peccat, si cum plena deliberatione agat. n. 2.

Grauior est iniuria, quæ fit homini innocenti, sancto. ibid.

Peccata externa in loco sacro commissa, continent peccatum irreligiositatis, plerumque veniale: tunc autem mortale, si actus valde turpis sit, vel ad Ecclesia specialiter prohibitus, ob reuerentiam loci sacri; vt fornicatio, furtum. n. 3.

Peccata commissa in die festo, non continent peculiarem speciem irreligiositatis; nisi fiant ex directa intentione inhonorandi sacrum tempus. ibid. n. 9.

Circumstantia propter quid, siue finis, omnium præcipua est: quia finis est principale voluntatis motiuum. n. 4.

Idem finis, qui in operantis intentione principale obiectum est, ideóque actui interno speciem malitiæ conferens, est tamen circumstantia actionis, quæ propter eum finem fit: vt si quis furetur fornicandi causa. Ibid.

Duplex tamen est finis actionis; vnus ipsius operis, siue obiecto intrinsecus, ideóque actioni propriam speciem conferens: vt si pauperi tribuas, miseriæ eius subleuandæ causa. Alius est finis operantis, seu extrinsecus vt si eleemosynam des vanæ gloriæ causâ. Et iste finis est circumstantia actionis. Ibid. §. Vbi notandum.

Circumstantia finis boni nouam bonitatis speciem affert actionis ex obiecto bonæ: vt si ieiunes causa satisfaciendi Deo pro peccatis. n. 5. casu primo.

Circumstantia finis mali omnino destruit, & malam efficit actionem, quæ ex obiecto bona esset: vt si eleemosynam des vanæ gloriæ causa. n. 6.

Circumstantia fine boni tribuit actioni ex obiecto indifferenti primam, & vnicam bonitatis speciem similiter circumstantia finis mali vnicem speciem malitiæ: Vt si ambules fornicandi causa, opus intemperantiæ exerces. ibid.

Circumstantia finis boni nihil tribuit actui ex obiecto malo, sed relinquit simpliciter malum. Quod enim in se malum est, nulla bona intentione cohonestatur. num. 7.

Vt actio moraliter bona sit, necesse est cùm obiectum, tum finem & cæteras circumstantias, bona esse. Nam bonum ex integra causa malum ex quouis defectu. ibid.

Circumstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam, seu specie distinctam, vt videre est in furto fornicandi causa; vel solo numero distinctam, vt videre est in furante instrumenta, quibus vtatur ad

furandum pecunias. n. 8.

Actus impudicos qui per se ad fornicationem referuntur tanquam inchoationes, non est necesse in Confessione explicare, explicato actu principali fornicationis. Imò aliqui idem censent de actibus impudicis qui sequuntur. ibid.

Omnes actiones, quæ secundùm speciem ex obiecto indifferentes sunt, per circumstantias, præsertim finem, moraliter bonæ vel malæ existunt: quamobrem nulla datur actio moralis, & perfectè libera, quæ in indiuiduo indifferens sit. lib. 1. tract. 2. c. 8. n. 3.

Multæ tamen actiones ab homine exercentur solùm ex motiuo alicuius commoditatis, vel vtilitatis, cùm nihil aduertat, aut cogitet de alio superiore fine honestatis, propter quem agere deberet. Tum verò actio moraliter nec bona, nec mala est: cùm non fiat secundùm deliberationem rationis superioris. eod. n. 3. in fine, & eod. lib. 1. tr. 3. c. 5. n. 13.

Consensus voluntatis moraliter bonus, vel malus debet esse rationis superioris: quæ à S. August. viro comparatur; & non tantum inferioris, quæ mulieri assimilatur. eod. n. 13.

Homo nunquam peccat, nisi actualiter aduertat ad moralem malitiam operis, vel omissionis; aut saltem ad periculum malitiæ. ibid.

Circumstantiæ omnes morales quæ speciem mutant, vel nouam speciem adferunt, in Confessione explicari debent. tr. 2. c. 10. n. 1.

Circumstantias, quæ intra eandem speciem peccati grauitatem notabiliter augent, explicandas non esse, est communior Doctorem sententia. n. 1.

Excipenda tamen hinc est circumstantia Quid, seu circa quid, si attingat quantitatem, ac veluti integritatem obiecti: substantialis: v. g. quòd decem millia furatus sis; quòd incestum in primo consanguinitatis gradu commiseris, quòd totam domus familiam, tanto hominum numero constantem, occidere proposueris. n. 3.

Circumstantia relapsus non est necessario explicanda. n. 4.

Neque circumstantia duplicis præcepti, si v. g. violasti ieiunium Vigiliæ, cadentis in Quatuor tempora. Ibid.

Neque circumstantia violati duplicis voti castitatis. Si videlicet Religiosus, idémque Sacerdos fornicatus sit; necesse non est dicere circumstantiam sacerdotij: non sufficit tamen hoc casu confiteri se Sacerdotem esse, tacita professione: quia grauior est fornicatio Religiosi, quàm Sacerdotis. eod. num. 4. exemplo tertio.

Circumstantiæ peccati minuentes eæ tantùm explicari debent, quæ peccati malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali faciunt veniale. n. 5.

Adoratio.

Adoratio, & omnis latriæ cultus principaliter est in mente; secundario in actione externa. lib. 4. tract. 10. c. 2. n. 3.

Externa signa cultus quædam propriè instituta sunt ad Deum colendum; quædam verò indifferentia sunt ad latrian, & dulian. ibid. n. 4.

Christi, & Sanctorum imagines, ac reliquiæ coluntur tantùm respectiuè, cum ordine ad prototypon. l. 4. t. 7. c. 5. n. 9.

Imagines Christi, & Sanctorum concomitanter & per accidens, vna cùm prototypo, colimus; ita vt imagines ipsæ secundùm se adorationem, & cultum non terminent. ibid. n. 10.

Sacram Eucharistiam propriè, ac per se latriâ colimus cùm Eucharistia præter species, quæ inanimata accidentia sunt, Christum ipsum verum Deum, & hominem, in se contineat. n. 11.

Sanguis Christi, si in aliqua ecclesia asseruatur, vel è sacra hostia fluens apparet, non est adorandus cultu latriæ absoluto; sed solùm respectiuè. n. 13.

Adulterium.

Adultera plerumque non tenetur manifestare prolem esse spuriam, quæ publicè legitima censetur. l. 3. t. 3. p. 3. c. 14. n. 1.

Si adulter sibi persuadeat, vel meritò persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, debet compensare damnum patri putatitio, & liberis legitimis quatenus id fieri potest. ibid. n. 2.

In dubio, vtrum proles ex adulterio genita sit, adulter obligandus videtur ad restitutionem, saltem secundùm dubij proportionem. n. 3.

Iniquæ sunt leges ciuiles, si adulteros à priuato, puta patre, marito, occidi permittant approbatiuè; iustæ autem, si permittant solùm negatiuè, quia talem homicidā ob iustum eius dolorem non puniunt. ead. p. 3. c. 2. n. 4.

Aduocatus.

Aduocatus causæ probabilis patrocinium licitè suscipit & si contrariam probabiliorem iudicet. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 17.

Aduocatus contra iustitiam peccat, obligationémque damni compensandi contrahi, si causæ iniustæ patrocinium suscipiat; vel si à patrocinando non desistat, cumprimum iniustam esse deprehendit. ibid. n. 18.

Aduocatus qui probabili ignorantia facti laborans, causæ iniquæ patrocinium suscepit, postea errore detecto, salarium nihilominus petere potest, Sed parti aduersariæ in eadem causa patrocinium præstare non expedit; & plerumque licitum non est. n. 19.

Aduocatus, itémque Iudex, & Consiliarij, si intellexerunt, quòd pars altera litigantium iniquam causam foueat, non possunt esse auctores transactionis. n. 20.

Aduocatus à Iudice compelli potest, vt personæ, quæ se ipsam satis defendere non potest, patrocinium suscipiat. l. 3. tr. 4. c. 26. n. 9.

Aduocatus salarium iustè accipit, nisi pauperes clientes sint in graui, vel extrema necessitate constituti, quibus ex misericordiæ lege gratis subueniendum est. ibid. n. 10. & lib. 2. tr. 3. c. 7. n. 5.

Clericus in sacris, & beneficiatus, in causa ciuili, si aliena sit, procurator, vel aduocatus esse non potest: potest autem esse aduocatus in causis Ecclesiasticis, vel coram Iudice Ecclesiastico. lib. 3. t. 4. c. 26. n. 11.

Ædificatio.

Qui in solo suo ex aliena materia ædificat, dominus fit ædificij: quia quod solo inædificatur, solo cedit. l. 3. t. 1. c. n. 21. dicto 5.

Siquis in alieno solo suâ materiâ ædificârit, illius ædificium est, cuius & solum: si tamen ædificans bona fide egit, repetitionem habet. ibid.

Cuilibet communi iure concessum est, in fundo suo ædificare, & ædificium altiùs tollere, ac fenestras in eo aperire. l. 3. t. 4. c. 17. n. 34. §. Alter casus.

Priuatus tamen publica auctoritate prohiberi potest, ne ædes suas altiùs tollat, vel fenestras in muro suo aperiat, si exinde videri possint personæ religiosæ intra proprias ædes habitantes: dummodo ex tali seruitute ædium dominus magnum detrimentum non capturus sit; vel, si quod est, iustè ipsi compensandum sit. ibid.

Æmulatio.

Ex æmulatione agere censetur, qui id agit, vt alteri noceat, cùm sibi nihil prosit: quare erga ipsum actio de dolo competit. l. 3. tr. 2. c. 7. assert. 2. §. verùm, & tr. 4. c. 17. n. 34. casu. 2.

Ætas.

Cùm in iure requiritur, vt aliquis sit in anno v. g. vicesimo ætatis, sufficit inchoatum esse. Cùm autem requiritur, vt sit annorum viginti, debent esse completi, l. 5. tr. 9. c. 7. n. 1. §. Succedentibus.

Ætate minor dicitur, qui legitimam ætatem non compleuit. l. 3. t. 4. c. 11. n. 1.

Vide ver. Minor.

Alienatio prohibita, vel non prohibita.

Bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruari possunt, absque iuxta causa, certáque solemnitate alienari prohibentur. l. 3. t. 4. c. 10. n. 1.

Nomine alienationis prohibitæ in hac materia Ecclesiis fauorabili, comprehenditur etiam locatio in tempus longum, census perpetui, pignoris, vel hypothecæ specialis constitutio. ibid. n. 2.

Causæ, ob quas Ecclesiasticorum bonorum alienatio fieri possit, sunt: Necessitas, maior vtilitas, pietas, rei alienandæ incommoditas. n. 3.

Solemnitas ad alienationem requisita in his consistit: Vt præcedat tractatus cum capitulo: Vt accedat consensus Capituli: Vt interueniat auctoritas Prælati, cui Ecclesia subest. n. 4.

Res, quæ ab antiquo in feudum, vel emphyteusin concedi solita est, potest sine solemnitabus à Prelato iterum concedi, si Ecclesiæ expediat. Ibid. n. 2. §. Deinde.

Rei Ecclesiasticæ alienatio contra iuris terminos facta, irrita est: adeò, vt non tantùm Capitulum, sed etiam Prælatus Ecclesiæ rem à se alienatam reuocare possit, allegans propriam turpitudinem. n. 4. §. Quòd si.

Sacra vasa frangere, & pretium erogare ad subleuandam necessitatem pauperum, innocentium captiuorum &c. licitum est, si aliena bona non suppetant. n. 3.

Prælatus, sine consensu Capituli, Ecclesiæ præiudicare non potest in rebus quæsitis; sed in acquirendis. ibid. n. 6.

Non satis constat, vtrum Prælatus sine consensu Capituli renuntiare possit hæreditati, vel legato rei immobilis, aut mobilis pretiosæ. n. 7.

Quædam licet alienari validè non possint, tamen vsucapi possunt. n. 8.

Si Prælatus iurauit, se non alienaturum bona Ecclesiæ intelligitur iuramentum de alienatione illicita, quę sine iusta causa, & pręter iuris formam instituitur: si tamen iurauit, non alienaturum inconsulto Papa, extenditur iuramentum ad omnem alienationem, excepto necessitatis casu vel si alienatio rei modicæ sit. n. 9.

Prohibita alienatione rei, plerumque censetur exceptus esse casus necessitatis. l. 3. tr. 4. c. 4. n. 7. §. Illud.

Si quid datum, vel donatum alicui sit, ea lege, vt alienare non liceat: illo Religionem ingrediente, transit in Monasterium: quia hæc est alienatio naturalis acquisitionis, & accessoria ad personam. l. 3. tr. 4. c. 23. n. 15. §. Quin imò.

Prælatus, qui iurauit se bona Ecclesiæ non alienaturum Papa inconsulto, prohibetur etiam locare ad tempus longum. eod. tr. 4. c. 10. n. 10.

Papa non potest pro arbitratu, & sine iusta causa, res Ecclesiæ alienare. n. 11.

Contra eos, qui illegitimè Ecclesiastica bona alienant, pœnæ canonicæ decretæ sunt. n. 12.

Pauli II. Constitutio, vt locatio rei Ecclesiasticæ etiam non ad longum tempus, sed vltra triennium, inualida & pœnis subiecta sit non vbiq; recepta est. n. 5.

Beneficiatus prædia Ecclesiastica, quorum reditus in propriam vtilitatem percipit, ad tempus longum, sed non vltra vitam suam, locare potest non adhibito consensu Superioris. eod. num.

Bona pupilli, & Minoris immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruari possunt, absque Iudicis decreto validè non alienantur. eod. tract. 4. c. 9. n. 8. §. Limita tertiò.

Quæ in fraudem alienata sunt titulo gratuito, ea à creditoribus intra annum repeti possunt, & si donatarius fraudis ignarus fuerit. Sin verò titulo oneroso, rescindi alienatio non potest, si facta fuerit ignoranti. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 29.

Si donatarius probè sciat donationem fieri cum in iusto damno creditorum, videtur in conscientia obligatus ad restituendum; tametsi non repetatur. n. 30. Vide plura l. 3. tr. 2. c. 11. n. 7. & seqq.

Alimenta.

Alimentorum nomine comprehenditur victus, vestitus, habitatio, & cœtera, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt. l. 5. c. 10. parte 3. c. 5. n. 7.

Alimenta duplicis modi sunt; alia quę absolutè necessaria ad vitam sustentandam, alia verò quæ requiruntur ad honestam sustentationem vitæ secundùm qualitatem personæ. Ibid.

Altare.

Altare in quo Sacrificium peragitur lapideum esse debet, & ab Episcopo consecratum. l. 5. t. 5. c. 6. n. 1.

Summus Pontifex Sacerdoti simplici committere potest facultatem altare; consecrandi. Ibid. n. 2.

Duplex est altare; vnum mobile seu portatile, alterum fixum, seu stabile: quare hoc consecrationem amittit per amotionem à structura; non item altare per amotionem à ligno execratur. n. 3.

Tam portatile, quàm fixum altare consecrationem amittit per notabilem fractionem. quæ censeris soluet, si in nulla altaris parte calix cum patena consistere possit. Idémque sentiendum de alijs rebus benedictis, videl. calice, sacris vestibus. n. 4.

Valde conueniens, licet non simpliciter necessarium, est, vt in quolibet altari sacræ reliquiæ sint. n. 8.

Si altaris sigillum, seu loculus, in quo sacræ reliquiæ sunt, notabiliter frangatur, altare iterum consecrari solet. n. 9.

Altare, item calix, patena, corporale polluuntur per humani seminis, aut sanguinis effusionem, vt reconciliari debeant. n. 10.

Ambitio.

Est inordinata honoris appetitio, quæ pluribus modis contingit. l. 3. sect. 3. n. 11.

Apostasia.

Triplex est apostasia; à Fide, ab obedientia, ab Ordine sacro, vel Religione. l. 2. tr. 1. c. 16. n. 1.

Apostasia differt ab hæresi, sicut maius à minore, extensius à minùs extenso. ibid. n. 2.

Pœnas Apostatis à Fide decretas, hæretici quoque incurrunt, non vice versa. n. 3.

Apostasia ab obedientia, si latè accipiatur in omni peccato mortali reperitur; strictiùs verò si quis iustis præceptis Prælati obedire penitus recuset. ibid. n. 1.

Apostasia ab Ordine est, si Clericus in sacris ad statum coniugij, vel laicæ conuersationis, dimisso habitu, propria temeritate se transferat. eod. n.

Apostata à sacro Ordine ipso iure infamis est: & si monitus se non correxerit, deponendus. ibid.

Apostasia à Religione est criminosa, & mortifera recessio ab Ordinis instituto sine reuertendi proposito; etsi habitum Religiosus non exuat: Sin reuertendi animum retineat, fugitiuus est, non apostata. eod. n. 1.

Apostata, aut fugitiuus, si habitum penitus abiecit, excommunicationem incurrit. ibid.

Qui Apostatam recipit, occultat, aut defendit, ipso facto excommunicationem contrahit. ibid.

Qui ab Ordine, quem professus est, sine licentia Prælati ad aliam laxiorem Religionem transit, excommunicationem contrahit, sed apostata non est. Ibid.

Ad Prælatum Ordinis principaliter pertinet, fugitiuos, & Apostatas, tanquam personaliter obligatos, inquirere, acreducere; Episcopis verò, & alijs Ordinarijs committere id potest, si eorum auxilium Prælati implorent, aut in reductione negligentes sint; vel denique, si apostatæ, aut fugitiui cum scandalo in diœcesi delinquant. l. 4. tr. 5. c. 13. n. 7.

Si fugitiuus, aut apostata incorrigibilis videatur, vel sine scandalo, aut Ordinis graui detrimento capi, reduci, aut recipi nō possit, liberatur Ordo obligatione. eod. n. 7.

Appellatio.

Appellatio, cùm sit remedium innocentiæ, non ad defensionem iniquitatis instituta est. l. 3. tr. 6. c. 6. n. 1.

Ab arbitris appellari non potest, si partium consensu electi fuerunt; neque à Summo Principe. ibid. n. 2.

Duplex est appellatio; iudicialis, & extra iudicialis. num. 3.

Appellatio intra decem dies à lata sententia, vel alio grauamine fieri debet. n. 4.

Appellatio, si rationabili causa nititur, producit effectum tum suspensiuum, tum deuolutiuum. n. 5.

Literæ appellationis, quæ vulgò *apostoli* dicuntur, vel sunt dimissoriæ, vel refutatoriæ, vel reuerentiales. n. 6.

Tempus totum exercendæ, ac finiendæ appellationis annus est: Sin causa impedimenti incidit, biennium. num. 7.

Iniustè appellans, ad expensas litis, & alia damna Aduersario resarcienda obligatur. n. 8.

Iudex suspectus canonico iure recusari potest: ac peti, vt arbitri partium consensu statuantur. n. 9.

Regularibus denegatur appellatio nisi manifestum sit, eos à Prælatis suis grauari. n. 10.

Qui iurauit se pariturum mandatis Ecclesiæ, eo non obstante, à lata sententia appellare potest. l. 4. tr. 3. c. 9. n. 2. exemplo 7.

Arbiter.

Arbiter differt ab arbitratore, quòd ille veluti iudex sit: sed arbitrator amicabilis compositor. l. 4. tr. 5. c. 11. n. 6.

Arbitria ad formam iudiciorum redacta sunt. l. 3. tr. 6. c. 2. n. 10.

In causa Ecclesiastica laicus vnà cum Clerico arbiter constitui potest: sed non iudex. eod. lib. & tr. c. 1. n. 3.

Archidiaconus.

Archidiacono subsunt Archipresbyter, Primicerius, Custos Ecclesiæ. l. 4. tr. 2. c. 4. n. 4. §. officium.

Vide verbo Vicarius generalis.

Archiepiscopus, Metropolitanus.

Metropolitanus, postquam à Sede Apostolica pallium accepit, Archiepiscopus appellatur. l. 1. tr. 4. c. 7. n. 7.

Metropolitanus est ordinarius Superior Coepicoporum prouinciæ, tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ auctoritate. Ibid.

Metropolitanus in subditos Coepiscoporum nullam ordinariè iurisdictionem obtinet, nisi ad ipsum ab Episcopo suo appellârint. n. 8.

Metropolitanus, antequam pallium à Sede Apostolica accepit, quæ sunt ordinis episcopalis, exercere ipsemet non debet. ibid. n. 8.

Archiepiscopus in prouinciali Synodo inter Episcopos præsidet, sicut Decanus in Capitulo. ibid.

Prouincialia decreta immutare non potest, cum sit inferior Synodo, à qua etiam iudicari potest. ibid.

Archiepiscopus, dum prouinciam visitat, Prouincialium Confessiones audire potest, iubere item crucem ante se ferri, & populo benedicere, Indulgentias dare. ibid.

Pallium Archiepiscopale est singulare priuilegium personæ, vt eo in certis festis vtatur, & cum eo mortuus sepeliatur. ibid.

Archipresbyter.

Idem est, qui Decanus Presbyteris præfectus: tamen sine iurisdictione in foro externo. l. 4. tr. 2. c. 4. num. 4. §. officium.

Argumentatio.

Argumentum à speciali expresso ad alia excludenda, quod appellare solent *argumentum à sensu contrario*, in moralibus validum est. l. 1. tr. 4. c. 18. num. 9. ante ver. Deinde.

Arrha.

Qui ad contractus firmitatem arrham dedit, & postea non implet, amittit, quod dederat. Sin verò alter contrahens à contractu resiliat, duplum restituere cogitur. l. 5. tr. 10. parte 1. c. 1. n. 9.

Astutia.

Astutia est, quæ proposito fine verò, aut apparente, excogitat, & decernit media non conuenientia, sed fallacia, & fucata: eius veluti executio est dolus, ac fraus. l. 3. sect. 2. n. 6.

Dolus & fraus differunt, quòd fraus propriè fiat tantum per facta: dolus per verba, & facta ibid.

Astutia aliàs duplicitas cordis dicitur: quia vir astutus non simplici tramite, sed ambages ad alterius circumuentionem aggreditur. ibid.

Astuti, ac dolosi homines impiè agunt, & à Deo deseruntur. ibid

Veteres dolum etiam bonum dicebant, pro solertia, maximè si aduersus hostem aliquis machinetur. l. 4. tr. 3. c. 13. n. 11.

Auaritia.

Est peccatum ex genere suo veniale tantùm: per accidens autem mortale fieri potest. l. 3. s. 3. n. 14. §. Magnificentiæ

Audacia.

Est vitium Fortitudinis virtuti oppositum, per excessum fiduciæ videl. temeritas in aggrediendis periculis, quando, vbi, quomodo non oportet. l. 3. sect. 3. n. 8.

B.

Bannitus, siue proscriptus.

Proscriptum per publicam mortis sententiam cuiuis è populo occidere concessum est. lib. 3. tract. 3. parte 3. cap. 2. num. 2.

Fas non est proscripto se defendere contra iustum aggressorem, eum occidendo, vel mutilando. ibid. n. 3.

Extra territorium proscribentis fas non est proscriptum occidere. ibid.

Parentes, liberi, vxor, &c. proscriptum alere debent tantùm abest, vt occidere possint, nisi actualis Reip. hostis sit. eod. c. 2. n. 2.

Baptismus.

Baptismus est sacramentum regenerationis, per aquam in verbo. l. 5. tr. 2. c. 1. n. 1.

Baptismi sacramentum Christus ante passionem suam instituit. ibid. c. 2. n. 1.

Apostoli ante passionem Domini Baptismum Christi acceperunt. ibid. n. 2.

Inter Baptismum Christi, & baptismum Ioannis magnum discrimen est. ibid. n. 3.

Baptismus Ioannis homines sua vi non sanctificabat: quare baptizati à Ioanne iterum Christi Baptismate baptizari debebant. ibid. n. 4.

Baptismi materia.

Materia remota sacramenti Baptismi est aqua simplex, seu elementaris; propinqua autem est ablutio per aquam. c. 3. n. 1.

Glacies non resoluta non est idonea materia Baptismi. Ibidem.

Infans in vtero baptizari potest, si eius corpus aqua perfundatur, adiecta verborum forma. n. 2.

Certum est, Baptismum valere, si caput, pectus, vel scapuli aqua abluantur: de cæteris verò corporis partibus, vt manu, pede, &c. dubium est. n. 3.

Non pertinet ad substantiam Baptismi, vtrum conferatur per aspersionem seu affusionem aquæ; an verò per corporis immensionem, vnam, vel trinam: sed cuiusque Ecclesiæ consuetudo in ea re sequenda est. n. 4.

Si Minister prolem in puteum conijciat, cum adiecta verborum forma, animo baptizandi pariter & occidendi: quamuis grauiter peccet, tamen Baptismus validus esse videtur. n. 5.

Baptismi forma.

Forma Baptismi in Ecclesiis Occidentalibus est: *Ego te baptizo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

bellum instituatur. Quòd si competentem satisfactionem offerre parata sit, acceptari debet, bellúmque intermitti, aut cœptum reuocari. Ibid. assert. 4.

Plerumque illicitum est infideles, Iudæos, aut Turcas in belli societatem contra Christianos adsciscere: propter scandalum, & alia inde oritura incommoda. num. 6.

Exorto inter Principes dubio de iure proprietatis, potior est causa possessoris bonæ fidei. Sin longè probabilius iudicetur ad alterum rem pertinere, tunc possessor in transactionem, vel bonorum virorum arbitrium consentire debet: alioquin bellum contra eum geri potest, si partes contendentes Iudicem superiorem non habeant. l. 1. t. 1. c. 5. n. 25.

Sin neuter contendentium rem bona fide possideat, tunc alter alterum cogere potest, vt per arbitros, vel iustam diuisionem, transactionémve, controuersiam componi patiatur. Ibid. n. 26.

Per accidens, videlicet ob ignorationem, fieri potest, vt bellum ex vtraque parte formaliter iustum sit. num. 27.

Qui in aliquo regno subditi sunt, si de aliqua re contendant, debent stare sententiâ Regis: ideóque ordinariè inter tales iustum bellum geri non potest. n. 28.

Subditi in dubio de iustitia belli, pro Principe ad bellum eos vocante, præsumere, eique parere possunt: Sed extranei ac voluntarij milites iustitiam causæ magis examinare tenentur. l. 2. t. 3. c. 12. n. 8.

Milites parati quemcunque sequi vocantem ad bellum, seu iustum sit, seu iniustum, modò stipendium det, à Confessario absolui non possunt. eod. n. §. Illud.

Si pro vtraque parte bellantium præsumi possit, quòd iure practicè probabili nitantur, damnari non possunt milites, si de iustitia belli dubitantes seu huic seu alteri parti militem. Ibid. assert. 6.

Milites hosti damna inferre possunt, secundùm iustam Ducis supremi voluntatem, expressam vel tacitam. n. 9.

Bellum paruis principiis ortum in immensum excrescere quandoque potest. eod. n. 9.

In bello iusto insidiis vti licitum est, modò mendacium absit. n. 10.

Innocentes per se & ex intentione occidere nunquam licet: sed interdum per accidens eorum mors permittitur, si ita concessum sit ad victoriam & pacem obtinendam. n. 11.

Innocentes, si sint membra Reip. nocentis, bonis aut libertate spoliare concessum est. n. 12.

Vt tota Communitas deliquisse censeatur, necesse est, vt potior eius pars, quæ ad decernendum aliquid sufficiat, delictum fieri collegialiter statuerit, vel impedire neglexerit. eod. n. §. Porrò.

Milites in terra hostili etiam innocentes subditos spoliare possunt, si id necessarium sit ad finem belli. n. 13.

Belli Dux generalem vrbis direptionem permittere non debet, sine causa necessitatis, aut magnæ vtilitatis. Ibid. quæst. 4.

Mobilia ab hostibus accepta, gentium iure militum capientium fiunt: immobilia si occupentur ad supremum belli Ducem spectant, quatenus iustam compensationem, aut pro illata iniuria satisfactionem non excedunt. num. 14.

Si ab hostibus, contra quos iustum bellum geritur, abstrahantur mobilia, quæ ipsi ab aliis iniustè ceperant, Cæsareo iure ipsorum abstrahentium efficiuntur. Ibid. dicto. 3.

Bello iusto captis vitam condonare æquum est: nisi de crimine v. g. perduellionis specialiter conuicti sint. eod. c. 12. n. 7.

Ordinarium est, vt Communitas ob delitum mitiùs puniatur, iis exceptis, qui auctores, vel executores fuerunt. Ibid.

Capti etiam in bello iusto ex parte capientium, cessante scandalo, & speciali manendi pollicitatione, fugere possunt: capti autem in bello iusto ex parte capientium, non solùm fugere, sed etiam bona hostium secum auferre in compensationem damni, aut iniuriæ illatæ. num. 16.

In bello plurima ingentia peccata committi solent. num. 18.

Milites ratione stipendij ex iustitia obligati sunt, vt Duci obtemperent, in acie & pugna consistant, & non facilè fugiant: Vt stationem seruent, arcem commissam defendant, quamdiu spes defendendi superest: Vt sine Ducis consensu à castris non discedant &c. eod. num. §. Denique.

Si milites in solutione stipendij imminutionem, aut dilationem patiantur, non ideo ipsis licet subditos, aut accolas innocentes spoliare, excepta necessitate valde graui. Ibid. §. Sed etsi.

Clericis iure Ecclesiastico prohibitum est propria manu pugnare: excipiuntur autem, qui in minoribus tantùm sunt, & Ecclesiasticum beneficium non habent. n. 19.

Clerici, qui spiritualis auxilij causa, bello intersunt, spoliorum iure non minus, quàm alij milites, gaudent, num. 20.

Benedictio, Consecratio.

Duplex est benedictio: publica & priuata: hæc à quouis fideli fieri potest, illa ab Ecclesiæ Sacerdotibus. Ad Diaconum autem non pertinet solemniter benedicere. l. 5. tr. 9. c. 13. n. 1.

Ad maiorem, seu sanctiorem pertinet alteri benedictionem priuatam impertiri. eod. n. 1.

Semper in Ecclesia viguit consuetudo crucis figuram formandi. n. 2.

Benedictionum effectus non est ex opere operato infallibilis: sed per modum deprecationis maximam nomine Ecclesiæ impetrandi vim habent. n. 3.

Benedictiones Ecclesiasticæ aliæ sunt personarum, & aliæ rerum inanimatarum. n. 4.

Rerum inanimatarum benedictio, aut consecratio omnibus diebus fieri potest, etiam non festis. Sed consecratio Virginum fieri debet in festis solemnioribus, & Dominicis Diebus. Episcopi quoque tantùm diebus Dominicis consecrantur: quod & in Abbatibus obseruatur. eod. n. 4. §. Altera.

Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ, quibus res sacræ fiunt, vt aquæ, olei, vestium: Ecclesiæ item, alteris, & vasorum consecratio: Aliæ verò benedictiones inuocatiuæ tantùm quibus res sacræ non constituuntur, nec à profanis vsibus secernuntur: quomodo benedicuntur cibi, domus, nauis &c. Ibid. §. Altera diuisio.

Quod Ecclesiastica benedictione sacrum effectum est, non potest, vel saltem non solet vnquam ad vsus profanos adhiberi, extra grauissimam necessitatem. n. 5.

Partes auulsæ à re consecrata, destructâ eius formâ, saltem cùm Prælati licentia ad vsus profanos adhiberi possunt. n. 6.

Si ob causam vrgentem Ecclesia, vel monasterium destruatur, lapides & ligna rudia ad vsus profanos applicari possunt: at verò sacræ statuæ, & imagines in alio templo locari debent, atque in loco dirutæ Ecclesiæ crux erigi. Ibid.

Agnos cereos solus Pontifex consecrare solet, pridie Dominicæ in Albis. n. 7.

De Ecclesiarum, & altarium consecratione, atque vnctione frequens mentio est apud sanctos Patres. n. 8.

Benedictiones Episcopales requirunt, vt Episcopus consecratus sit: potest tamen Papa dispensare, vt etiam à Sacerdote simplici fiant. n. 9.

Abbates quidam insignibus Pontificalibus vtentes, sacros calices consecrant, immemorialis consuetudinis allegatione. Ibid.

Vestes, & paramenta sacra altaris à simplici Sacerdote benedici non possunt, sine priuilegio Sedis Apostolicæ: sed Abbates qui Pontificalia excercent talia benedicere solent. n. 10.

Benedictiones, quæ nec iure, nec consuetudine Episcopis reseruatæ sunt, à Presbyteris fieri possunt: sed nunquam à Diacono. n. 11.

Benedictio aquæ, in Ecclesiâ antiquâ vsitatissima, non vna, sed multiplex est. n. 12.

Si aqua, vel oleum non benedictum infundatur benedicto, totum benedictum erit: modò id quod additur, non sit in quantitate notabiliter excedente. n. 13.

Eulogiæ dicebantur olim panes benedicti: quarum eulogiarum aliæ publicæ erant, & aliæ priuatæ. l. 4. tr. 6. c. 7. num. 3.

Beneficium Ecclesiasticum.

Ecclesiasticum beneficium est ius perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officij, Ecclesiastica auctoritate constitutum. lib. 4. tr. 2. cap. 1. num. 1.

In beneficio Ecclesiastico duo continentur: quorum vnum est ius spirituale, & alterum ius redituum temporale. ibid. n. 3.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri. n. 3.

Beneficium aliud seculare est, & aliud regulare. c. 4. n. 1.

Omne beneficium censetur esse seculare, nisi constet, vel probetur regulare. Ibid.

Beneficium aliud est duplex, & aliud simplex. Inter beneficia duplicia quædam sunt maiora, vt Papatus, Episcopatus, Cardinalatus: quædam media, vt reliquæ dignitates personatus, & officia: denique quædam absolutè parochialia dicuntur. n. 4.

Alia diuisio beneficij est in titulare, & manuale. n. 5.

Capellaniæ aliæ sunt temporales, & non collatiuæ, aliæ propriè spirituales, & collatiuæ. n. 6.

Beneficia alia compatibilia sunt, & alia incompatibilia. c. 8. n. 1.

Plura beneficia, quorum vnum ad honestam sustentationem sufficit, naturali iuri repugnant: nisi talis pluralitas causa iusta cohonestetur. ibid. n. 2.

Iustæ causæ pluralitatis beneficiorum sunt necessitas Ecclesiæ, vtilitas Ecclesiæ euidens meritorum prærogatiua. ibid.

Specialiter prohibitum est, ne quis plura beneficia curata, vel plures dignitates, aut personatus obtineat: & altero obtento, prius ipso iure vacat: Sin autem retinere contenderit altero quoque priuandus est. n. 3.

Si Episcopo existenti in possessione episcopatus beneficium conferatur, collatio irrita est. n. 4.

Acceptans Vicariatum Episcopi non perdit dignitatem, aut beneficium curatum ante habitum: quia Vicarius ad nutum Episcopi amoueri potest. ibid. Aduertendo quarto.

Duo beneficia vniforma sub eodem tecto nemo obtinere potest: & vacat primum adeptione secundi. n. 5.

Duo beneficia simplicia, quorum ambo personalem perpetuam residentiam postulant, obtinere aliquis non potest. n. 6.

Plura beneficia compatibilia vnusquisque habere potest, quatenus ad honestam sustentationem requiruntur. num. 7.

Duo altaria, quibus vnus Capellanus satisfacere potest, eidem rectè conferuntur, vbi Ecclesiæ consuetudo id permittit. ibid. §. probabile.

Duo beneficia regularia eidem conferri non possunt. num. 8.

In pluralitate beneficiorum incompatibilium iure ordinario Papa dispensat, non etiam Episcopus: nisi incompatibilitas solùm sit ex iure diœcesano. num. 9.

Nulla consuetudine introduci potest, vt plures eiusdem Ecclesiæ dignitates, personatus, canonicatus eidem conferantur. n. 10.

In pluralitate quorundam beneficiorum, alioquin communi iure incompatibilium, vim aliquam habere potest consuetudo immemorialis. n. 11.

Obtinens plura beneficia residentiam postulantia in digniore residere debet. n. 12.

Beneficiorum vnio.

Vnio beneficiorum, quæ auctoritate Prælati Ecclesiastici fit, alia perpetua est, & alia temporalis, seu ad vitam beneficiati. l. 4. tr. 2. c. 9 n. 1.

Vnio ad vitam odiosa est: quare eam Episcopus facere non potest in beneficijs incompatibilibus. ibid.

Vnio perpetua operatur quasi extinctionem beneficij accessorij: quare in impetratione, principalis tantùm beneficij mentio facienda est: Et in omnibus attenditur natura, qualitas, vacatio beneficij principalis. n. 2.

Beneficium minùs dignum vnire oportet magis digno. Ibid. Corollario. 3.

Episcopus ob iustam causam vnire potest beneficia suæ diœcesis, quæ nec exempta, nec Papæ specialiter ac perpetuo reseruata sunt. n. 3.

Quin & omnino extinguere iustam ob causam talia beneficia, & vnum in duo diuidere Episcopus, vel similis Prælatus non prohibetur. Ibid.

Si collatio beneficij ad Papam deuoluta sit, nihilominus ab Episcopo vnio fieri potest. ibid. §. alia.

Vnio beneficiorum generaliter reseruatorum Papæ v. g. secundùm menses alternos, Episcopo non prohibetur; modo non fiat in fraudem. ibid.

Beneficia specialiter affecta Episcopus vnire non potest, exceptis quibusdam casibus, de quibus Trident. sess. 21. c. 5. sess. 23. c. 18. & sess. 24. c. 15. de reformatione ibid. n. 4.

Ecclesiæ parochiales Monasterijs, & dignitatibus, vel præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ vniri non possunt. Si tamen talis vnio à tempore immemoriali constitit, in dubium reuocari non debet: quamobrem cessat in tali beneficio vnito mensis Pontificius. n. 5.

Capitulum, vacante sede, beneficia vnire potest in casibus concessis; ita tamen vt iuri Episcopali non præiudicetur. ibid. §. Tertiò.

Episcopus, vel Capitulum beneficia suæ mensæ directè, ac principaliter vnire non potest absque Papæ consensu. n. 6.

Si tamen Canonicorum præbendæ nimis tenues sint, ad earum augmentum simplicium beneficiorum vnio fieri potest. ibid.

Legatus à latere vnire potest beneficia suę Prouinciæ, sicuti Episcopus: modo ea re iuri Episcopali in alijs non derogetur. ibid. §. Quartò.

Qui beneficia conferre potest, non illico etiam vnire: quia maior est potestas vniendi, quàm conferendi. n. 7.

Causæ vnionis faciendæ sunt: euidens necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ. n. 8.

Forma & solemnitas ad vnionem requisita est: vt antecedat cognitio causæ: vocentur ij, quorum interest: adhibeatur Capituli consensus, spectato communi iure num. 9.

Si Capitulum, vel ij quorum interest, sine iusta causa vnioni contradicant, à Papa compelli possunt: & interdum, si causa necessitatis notoria sit, illis etiam inuitis Episcopus vnire non prohibetur. eod. n. in fine.

Beneficiorum collator.

Beneficia Ecclesiastica alia electiua sunt, alia patronata; & alia liberè collatiua. c. 10. n. 1.

Omnis collatio vacantis beneficij fieri debet: & gratiæ expectatiuæ inferioribus Papa collatoribus prohibitæ sunt: quæ tamen prohibitio non vbique recepta est. Ibid. not. secundo.

Beneficium, in cuius colorata possessione alius existit,

non censetur conferri, nisi prius de iure possessionis cognoscatur. Ibid. not. 3.

Papa tribus potissimùm modis beneficia confert: I. Iure præuentionis. II. Iure concursus. III. Iure deuolutionis. n. 2.

Papa concurrit cum quolibet Ordinario in potestate conferendi beneficia: quare inter ipsum, & reliquos Ordinarios locus datur præuentioni. Ibid. §. secundò.

Per concordata Germaniæ beneficiorum non patronatorum collatio alternis mensibus ad Papam spectat. n. 3.

Si post tres menses à die notæ vacationis in loco beneficij, nulla dispositio, vel gratia Papalis appareat, ad collationem Ordinarius procedere potest. Ibid.

Episcopus, vel simili potestate præditus ordinarius collator est beneficiorum suæ diœcesis; sed cum consensu Capituli spectato communi iure. Quemadmodum etiam susceptio Monachi ad Abbatem spectat, cum consensu Conuentus: quamuis legitima consuetudine aliud introduci possit. n. 4.

Capitulum, vacante Sede, non confert beneficia libera, quorum collatio ad Episcopum propriè spectat; instituit tamen præsentatos à Patronis, confirmat electos, recipit resignationes causa permutationis, vnit beneficia, postulante causa. n. 5.

Legatus à latere concurrit cum Ordinario in collatione beneficiorum: quare datur locus præuentioni. n. 7.

Legatus à latere confert beneficia vacantia, etsi sint de iure patronatus Ecclesiastici; non item quæ sunt iuris patronatus laicorum; nisi ad Episcopum deuoluta fuerint. Conferre etiam potest beneficia, quæ ad Papam deuoluta, sed eidem non reseruata sunt. Ibid.

Beneficiorum reseruatio, deuolutio.

Beneficium reseruatum dicitur, cuius collationem Superior, videlicet Papa, propriam sibi vendicat, vt ab alijs Ordinarijs conferri non possit. l. 4. tr. 2. c. 11. n. 1.

Papæ reseruata beneficia sunt: I. Dignitates in Ecclesijs maximæ post Episcopatum: quales apud nos sunt Præposituræ. II. Beneficia quæ vacans per promotionem ad alterum, cuius collatio ad Papam spectat. III. Beneficia Cardinalium, Curialium, & Familliarium Papæ. IV. Quæ vacant per obitum Legatorum Cursorum, & ad Curiam accedentium, vel recedentium. V. Quæ vacant per depositionem, priuationem, traslationem, auctoritate Summi Pontificis factam. eod. n. 1.

Reseruatio beneficiorum in mensibus alternis est Papæ personalis; ita, vt mortuo Pontifice, dum Sedes Apostolica vacat Ordinarius omnibus mensibus conferre possit. eod. n. 1. in fine.

Reseruatio ista Papalis locum tantùm habet in beneficijs perpetuis, non autem manualibus. ibid.

Reseruationes Papales locum non habent in beneficijs, quæ sunt iuris patronatus laicorum ex fundatione, constructione, dotatione. Papa enim non censetur huic iuri laicorum præiudicare, nisi exprimat. n. 2.

Sub reseruatione Papali non comprehenduntur beneficia resignata causâ permutationis; cùm non propriè vacent. Imò aliqui putant neque ea reseruari, qua vacant causâ resignationis. ibid.

Imperator Romanus ex antiquissima consuetudine in qualibet Ecclesia preces primarias afferre potest. n. 3.

Si Collator beneficium scienter conferat indigno; vel si Electores scienter eligant indignum, collatio, vel electio irrita est; & collator, vel electores priuantur ea vice potestate conferendi, eligendi: & deuoluitur potestas ad alium, plerumque proximum Superiorem. n. 4.

Si Ecclesiæ Cathedralis Canonici Episcopum indignum scienter elegerunt, collatio deuoluitur ad Papam; nisi pars Canonicorum, licet minor, contradicat, tunc penes ipsos pauciores remanet ius eligendi. n. 5.

In inferioribus Ecclesijs quibus eligendi, vel confirmandi potestas ad Capitulum pertinet, deuolutio fit ad Episcopum, propter negligentiam, aut delictum Capituli. Idémque dicendum, si inferior Prælatus negligat, aut delinquat quòd si etiam Episcopus deficiat, fit deuolutio gradatim, videlicet ad Metropolitanum; ab hoc ad Papam. Ibid.

Si Episcopus negligentiam, vel delictum committat in conferendis beneficij, quæ ad ipsum spectant iure proprio. & non deuoluto, ius collationis ad Capitulum deuoluitur. Ibid. §. sin autem.

In expeditione eorum, quæ ad Prælatum spectant iure deuoluto, non perinde, ac in alijs, Capituli consilium, vel consensum requirere tenetur. ibid.

Beneficiatorum requisitæ qualitates.

Ad omnia beneficia simplicia, secundum ius Tridentinum, requiritur ætas inchoata quatuordecim annorum; ad curata verò maiore ætate opus est. l. 4. tr. 2. cap. 14. num. 1.

Irrita est præsentatio alicuius ad beneficium absolutè facta, si præsentatus eo tempore, quo Episcopo exhibetur, laicus sit. eod. n. 1. in fine.

Quædam beneficia sacerdotalia sunt; quædam diaconalia: idque vel actu, vel aptitudine. n. 2.

Iure communi necesse non est ordinem requisitum ad beneficium actu habere: sed satis est, si instituendus intra annum suscepturus sit. ibid.

Si fundator solùm requirat certum Missarum numerum; & non vt ipsemet Capellanus sacrificet; nihil obstat quominus alicui conferatur; qui per Vicarum satisfaciat. ibid. in fine.

Si fundator de beneficio expresè nihil disponat, relinquit illud dispositioni Ordinarij. ibid.

Instituendus ad beneficium ex legitimo matrimonio natus esse debet: vel saltem ab eo qui Ecclesiasticam potestatē habet, legitimè dispensatus, aut legitimatus. n. 3.

Episcopus cum quouis illegitimo dispensare potest ad Ordines minores, & beneficium simplex, cui sacer Ordo annexus non est. ibid.

Illegitimus, dispensatus absolutè ad beneficia, non ideo censetur habilis ad curata, & ad dignitates, & Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum. Neque dispensatus ad beneficia quæcunque, dispensatus etiam censetur ad Prælaturam, nisi exprimatur. n. 4.

Filius illegitimus in eadem Ecclesia, vbi eius pater beneficium obtinet, vel obtinuit, institui, aut ex officio ministrare non potest: sed ex deuotione celebrare in tali Ecclesia non prohibetur. n. 5.

Filius legitimè natus non potest patri suo in eodem beneficio immediatè succedere. Idémque dicendum videtur de nepote comparatione aui sui. n. 6.

Pater nullo iure prohibetur filio legitimo, aut illegitimo: mediatè, vel immediatè succedere. Sed non potest obtinere beneficium in Ecclesia, in qua filius illegitimus minister, vel beneficiatus est. ibid.

Necesse non est, vt qui beneficium Ecclesiasticum accipit, propositum omnino absolutum habeat in statu clericali permanendi. n. 9.

Qui beneficium curatum accepit, cui obligatio sacri Ordinis annexa est, debet habere propositum (saltem conditionale, nisi aliqua rerum mutatio interuenerit) intra tempus iure requisitum se habilem efficiendi: alioquin peccat mortaliter, licet ad fructuum restitutionem non teneatur. n. 11.

Qui simplex beneficium, cui nullus sacer ordo annexus est, eo animo accipit, vt fructus aliquamdiu lucretur, postea ad statum secularem rediturus, peccat quidem sed non mortaliter, per se loquendo. n. 12.

In promouendo ad beneficium requiritur morum probitas, & literarum scientia, pro qualitate, & conditione beneficij. eod. c. 14. n. 8.

Mortale peccatum est Ecclesiasticum beneficium indigno conferre, si dignus haberi potest. eod. t. c. 15. n. 1.

Inualidè prouisus in conscientia obligatus est, benefi-cium resignare, nisi dispensationem, vel tituli reualida-tionem impetret ab eo, qui potestatem habet. n. 2.

Si Episcopus potestate prælitus dispenset in defectu; non ideo semper titulus reualidatur; nisi defectus occul-tus fuerit. Ibid.

Inualidè prouisus, donec ei titulus reualidatur, admi-nistratione beneficij abstinere debet, ne vitium intrusio-nis incurrat. Postquam verò titulus reualidatus est, recu-perat fructus, si secundùm Ecclesiæ morem, vacantis be-neficij fructus ad successorem pertineant. n. 3.

Inualidè prouisus, si beneficium spatio triennij, cum bona fide, & titulo colorato pacificè possedit, postea tu-tus etiam in conscientia est. n. 4.

Triennalis possessio prodest possessori, si vitiosum be-neficij titulum habeat per ignorantiam facti, non iuris: v. g. si eo ignorante simonia ab altero commissa est. n. 5.

Beneficium conferre digno, prætermisso digniore, nisi causa subsit, est peccatum, licet non mortale in beneficiis simplicibus, & administrationem non habentibus. num. 6. & n. 8. q. 1.

Patronus laicus satisfacit muneri suo, si dignum præ-sentet: sed Ecclesiastico patrono, siue Prælato, ex officio incumbit Ecclesiæ prospicere, & reditus beneficiorum bene dispensare. n. 7.

Beneficia quibus modis vacent.

Ecclesiastica beneficia vacant per mortem naturalem beneficiati, si ius in re, & quasi dominium beneficij ha-buerat. l. 4. tr. 2. c. 17. n. 1.

Vacant item ex iuris dispositione ita decernentis, vt statim ab altero impetrare possint: vt puta, si beneficiatus Episcopatum aliúdve incompatibile beneficium accepit, aut si matrimonium contraxit, aut Religionem profes-sus est. Ibid. §. Secundò.

Deinde vacat beneficium per liberam beneficiati renun-tiationem factam coram Superiore id acceptante. n. 3.

Non omnis, qui ad beneficia instituere, is etiam desti-tuere, aut resignationes accipere potest. Ibid.

Quare si alicui commissa sit facultas conferendi bene-ficia, non ideo etiam censetur commissa potestas resigna-tiones accipiendi. n. 4.

Per renuntiationem non minùs vacat beneficium, quàm per mortem beneficiati: adeò, vt si ei, qui renun-tiauit, postea beneficium iterum conferatur, vltimum locum tenere debeat. eod. n. 4. §. Nota.

Episcopus electus, nondum confirmatus, & quicunque ius plenum in beneficio nondum obtinet, renuntiare po-test, etsi Superioris auctoritas non accedat. quare tali casu non censetur beneficium de nouo vacare; cùm col-latio effectum non habuerit. Ibid.

Duplex est renuntiatio; expressa, & tacita. Expressa aut fit purè, aut conditionatè: Conditionata vel fit in gratiam certæ personæ, vel causâ permutationis. n. 5.

Resignationes beneficiorum coram Episcopo purè fie-ri debent, & non cum conditione, vt certæ personæ conferantur: nam tales renuntiationes in fauorem alte-rius, solus Papa acceptat, vbi Constit. Pij V. recepta est. num. 6.

Beneficiatus tamen suum beneficium simpliciter resi-gnare potest in manibus Episcopi, addita deprecatione, vt certæ personæ conferatur. Ibid. §. quæ verò.

Resignationem beneficiorum causa permutationis fa-ctam Episcopus, vel similis Prælatus, admittere potest, ob causam publicæ vtilitatis: quin imò interdum pro-prio motu instituere, vocatis iis, quorum interest. eod. num. 6. §. Altera.

Qui beneficia permutant, ius proprium, reale, & pa-cificum in iis habere debent. n. 7.

Criminosus, aut irregularis ante sententiam priuatio-nis validè beneficium suum resignat. n. 8.

Parochus, diaconus ante finem anni, quos sacerdos or-dinari debet, beneficium permutare potest; non item anno finito: sicut nec is, qui alterum beneficium incom-patibile obtinuit. eod. n. 8. §. hoc adde.

Si infirmus beneficium resignet, & intra dies viginti vita decedat, non censetur vacare per resignationem, sed per mortem beneficati. n. 9.

Si beneficiatus matrimonium validè contrahat, vacat ipso iure eius beneficium. Sin verò inualidè, per Iudicis sententiam priuandus est, nisi cum eo dispensetur l. 4. t. 2. c. 14. n. 7.

Per Religionis professionem ipso iure vacare incipiunt omnia beneficia ante habita. Nouitio autem pro tem-pore durantis Nouitiatus, constituto Vicario beneficia seruari debent. ibid. n. 8.

Blasphemia.

Est maledictio, seu contumelia in Deum: formaliter ac directè opponitur laudi Dei. l. 4. tr. 10. c. 6. n. 1.

Blasphemia, sicuti & periurium, hæresis, in intellectu consistunt; exterioribus autem verbis, aliisque signis manifestantur. quare non potest esse actuale peccatum hæresis blasphemiæ &c. nisi intellectus actu, aut virtute aduertat ad verba, quæ ore pronuntiantur. n. 2.

In ebrietate homo propriè non blasphemat; cùm men-te & intellectu captus sit. n. 3.

Neque verba blasphema, quæ ex impetu prauæ con-suetudinis proferuntur, veræ blasphemiæ rationem ha-bent. Ibid.

Peccatum blasphemiæ diuersum est ab infidelitatis pec-cato, quamuis frequenter ex eo originem trahat, sicuti & ex aliis peccatis, quæ contra Deum committuntur: qualia sunt desperatio, odium Dei, &c. n. 4.

Desperatio non tantùm est radix blasphemiæ; sed etiam cùm homo in verba desperationis prorumpit, actu ipso blasphemat. Ibid. §. Secundò.

Peccatum tentationis Dei interdum blasphemiæ ratio-nem habet. n. 5.

Blasphemia alia est cum directa intentione inhonorandi Deum; alia cùm indirecta, ac virtuali, si homo scienter, ac seriò proferat verba diuini honoris diminutionem conti-nentia: vtraque verè blasphemia est, licet illa grauior. n. 6.

Blasphemia item alia est simplex, & alia hæreticalis. n. 7.

Qui in ira contra hominem, aut iumentum sacra ver-ba falsitatem non continentia irreligiosè profert, propriè non blasphemat. n. 8.

Blasphemia interdum fit cum iuramento peruerso, in-terdum sine eo. n. 9.

Blasphemia in Sanctos, quà tales sunt, in Dum redun-dat; quare eiusdem rationis est cum blasphemia in Deum. Eadémque ratio est, si quis vituperium dicat in Sacra-menta Dei, vel alias res sacras. n. 10.

Blasphemia differunt in grauitate contumeliæ, ideó-que modus blasphemandi in sacra Confessione inquiren-dus est: Item an directam intentionem pœnitens habue-rit inhonorandi DEVM; & quanam ratione motus sit, vt Deo optimo contumeliam inferre voluerit. n. 12.

C

Cæremoniæ sacræ.

Cæremonia, si latè accipiatur, est omnis actus homi-nis externus, ad Deum colendum accommodatus: vt ge-nuflexio; crucis formatio &c. strictè autem cæremoniæ dicuntur, quæ publicam in fideli populo institutionem, ac consuetudinem habent, & sacri quidam ritus sunt l. 5. tract. 2. c. 8. princip.

Cæremoniæ sacræ apud Christianum populum vsitatæ partim à Christo institutæ sunt (videlicet quæ ad sacrifi-cij, & Sacramentorum substantiam spectant) partim verò ab Ecclesia institutionem legitimam habent. Ibid. n. 1.

Cæremoniæ sacræ magnam in Ecclesia Catholica vtili-tatem habent: quia sicuti ex interna fide, & affectione co-lendi Deum proficiscuntur ita eandem mirè excitant, & augent. n. 2.

Ex

Ex cæremoniis sacris, Mysteriorum Christi intelligentiam populus percipit: quare Parochi earum vim, & significationem scire, ac fidelibus exponere debent. ibid. §. Accedit.

Cæremoniæ in Ecclesia congruenter institutę magnum indicium præbent veræ Religionis; Hereticorum autem propriũ est sacras cæremonias contemnere, & abolere. n. 3.

Cæremonias, & ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare in Sacramentorum administratione, Sacrificio est peccatum contra Religionis virtutem, ex genere suo mortale. Quamuis ob paruitatem materiæ veniale esse possit n. 4.

Cæremoniæ, quæ legitimam originem vel auctoritatem non habent, si fieri possit, tollendæ sunt. n. 5.

Multum interest ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem ritus Ecclesiasticos præsertim in Sacrificio, & Sacramentorum administratione, eosdem vbique seruari, ideóque Ecclesiæ principali Romanæ reliquas Ecclesias conformari. ib.

Cambium.

Est permutatio pecuniarum inter se; contractus absolutè licitus, sed propter lucri & quæstus immodicam cupiditatem, plures iniustitias frequenter coniunctas habet. lib. 3. tr. 4. c. 19. n. 1.

Cambium aliud est, quod *minutum* dicitur seu *manuale*; quia de manu ad manum permutando pecunias, plerumque grandiores cum minutioribus, perficitur: aliud verò est cambium *locale* seu *per literas*. n. 2.

Plures tituli sunt, cur campsor in cambio minuto plus accipere possit, quàm dedit; videl. locatio operæ, & obsequij, quod præstat congregando omnis generis pecunias; item lucri, vel commodi cessantis. n. 3.

Pecunia duplicem vsum habet; vnum principalem, vt tanquã pretium rerũ emptionibus seruiat; alterũ secundariũ, vt vnum pecuniæ genus cum altero cõmutetur. n. 4.

Si cambia, quæ suapte natura iusta sunt, sub graui pœna v. g. confiscationis bonorum prohibeantur, videri possunt merè pœnales, vt proinde transgredientes mortalis peccati damnandi non sint; nisi cambia instituantur cum graui Reipubl. detrimento, videl. ad exteros meliores monetas transferendo. ibid. §. Quare.

Iniquissima cambia fuerunt, quæ superioribus annis in Germania à multis exercebantur. ibid. §. Loquor.

Si famulus pecuniis domini sui proprio nomine cambiendo lucretur, lucrum sibi acquirit; licet teneatur de lucro cessante, & damno, si quod contra domini voluntatem cambiendo inferat. n. 5.

Si dominus velit, vt pecuniæ in eadem specie creditoribus obueniant, tum peccat famulus, & iniuriam infert creditoribus cum restituendi obligatione, si eas negotiando, vel combiendo cum minutioribus commutet. ibid. dicto. 2.

Si dominus putetur contentus esse, vt famulus talem rationem lucrandi instituat, nihil ille delinquit; etsi commutatio pecuniarum contra voluntatem creditorum accidat, & causa sit lucri ipsis cessantis. dicto 3.

Titulus iustus in cambio locali plus accipiendi, quàm dandi, præcipuus est locatæ operæ ad pecuniam formaliter, aut virtualiter transferendam in locum, ad quem campsarius vult: quare quò longior distantia est, & periculosior via, eò maius auctarium accipi potest. n. 6.

Si nuntium conduxisti, vt equum Augustam duceret, licet ei commodissimum sit proficisci, qui alioquin etiam conducto equo profectus esset, nihilominus pro locata opera pretium accipere potest: ita etiam se res habet in cambio locali. ibid. §. Præterea.

Tabellarius conductus à Titio, vt Augustam eat, si postea etiam ab alio rei ignaro conducatur, vt idem iter in gratiam eius conficiat, damnari facilè non potest, etsi ab vtroque integram mercedem accipiat. n. 7.

Auctarium cambij, quod à mercatoribus secundùm temporis exspectandi proportionem exigitur, probabiliter defendi potest. n. 9.

Cambia sicca dicuntur, quibus nullus iustus lucrandi titulus subest. n. 10.

Canonicus.

Secundùm Trident. Concil. sess. 24. c. 12. de reformat. nemo ad canonicatum, vel dignitatem in Ecclesia admitti deberet, nisi eo ordine insignitus sit, quem beneficium postulat. l. 4. tr. 2. c. 14. n. 1. §. Porrò.

Ad canonicatum non habentem annexum ordinem sacrum, videl. in Ecclesia Collegiata sufficit ætas XIV. annorum; sicuti ad alia simplicia beneficia. Sed interim, dum Subdiaconi ordinantur, vocem in Capitulo non habent. ibid.

Sola præbenda Canonicum non facit, sed potius collatio iuris spiritualis ab eo, qui potestatem habet: quare fieri potest, vt propter solum ius canoniæ aliquis suffragium in Capitulo habeat; quamuis talis non propriè censeatur habere beneficium, si nullos reditus accipiat. lib. 4. tract. 2 cap. 1. num. 3.

Receptus in Canonicum cum promissione præbendæ, eandem exigere potest, cùm occasio se obtulerit: quia Canonico de iure præbenda debetur. Si tamen post eius receptionem, alius ex mandato Papæ cum gratia exspectatiua receptus fuerit, hic illi præferendus est. eod. tr. 2. c. 10. n. 2.

Episcopus, & Canonici efficiunt vnum corpus; cuius ille caput est, hi membra. lib. 1. tr. 4 c. 7. n. 9.

Si numerus Canonicorum, Monachorum, aut Monialium alicubi determinatus non est, tot institui, vel suscipi debent, quot ex Ecclesiæ reditibus commodè sustentari possunt, spectatis etiam alijs oneribus, & impendijs. lib. 4. tr. 2. cap. 16. n. 1.

Si numerus Canonicorum statuto determinatus est, non debet is ob modicum redituum augmentum augeri; sed reditus accrescunt reliquis Canonicis. n. 3.

Si Ecclesiæ reditus multùm augeantur, etiam Canonicorum, vel Monachorum numerus augeri debet; & vice versa, si nimis decrescant, vt non sufficiant tanto numero sustentando, immiuni possunt, non obstante confirmatione Papæ. ibid.

Si numerus Canonicorum determinatus non sit, non vacat Canonicatus alicuius morte: neque refert, etsi longo tempore consuetudo fuerit tot Canonicos suscipiendi, si ex libera voluntate prouenit. n. 5.

Si Capitulum supra numerum decretum aliquem Canonicum creet, censetur renuntiare statuto; nisi id agat dispensatiuè ex gratia speciali, vt sit supernumerarius, vel nisi aliquem recipiat in Canonicum sine præbenda. eod. num. in fine.

Capitulum.

Capitulum, Episcopo viuente, & iurisdictionem tenente, nihil statuere, vel nouare potest, absque eius voluntate, & approbatione: exceptis causis exiguis, & ad Capitulum propriè spectantibus. l. 1. tr. 4. c. 7. n. 10.

Sed neque Episcopus communi iure, & contraria consuetudine seclusa, sine consilio Capituli statuere debet, quæ maioris momenti sunt. Si tamen sine iusta causa Capitulum consensum neget, ratum nihilominus erit, quod Episcopus decreuerit; cùm iura non tam consensum, quàm consilium Capituli requirant. ibid. n. 9.

In iis causis, quæ ad Capitulum etiam attinent, vel in eius damnum cedere possunt, consensus Capitularium omnino requiritur. eod. n. in fine.

Si Episcopus, aliúsue Ecclesiæ Prælatus malè administret, Capitulum, seu Conuentus contra illum agere potest, & res malè alienatas reuocare. eod. c. 7. n. 10.

Ad statuta capitularia sufficit consensus maioris partis, si ratio necessitatis, vel magnæ vtilitatis vrgeat: alioquin verò quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. eod. n. in fine.

In statutis diœcesalibus plus auctoritatis Episcopus

habet, quàm Capitulum: nam ille legislator est, hi tanquam consiliarij, vel consortes. ibid.

Capitulum, ipseque Decanus communi iure nullam iurisdictionem in causis ciuilibus, & criminalibus habet in singulos Canonicos, & Ecclesiæ Ministros, sed interdum consuetudine comparatam, & præscriptam. n. 11.

Capitulum, Sede vacante, exercet omnem iurisdictionem episcopalẽ, cùm voluntariã, tum contentiosam. n. 12.

Capitulum, Sede vacante, condere potest statuta, quas *Recapitulationes* vocant, & vim legis obtinent si ss. canonibus non repugnent. ibid.

Beneficia, quæ patronata non sunt, Capitulum, vacante Sede, conferre non potest: Sed potest concedere in commendam ad sex menses, & si interim Episcopus non eligatur, & confirmetur, tempus prorogare. n. 13.

Si collatio libera beneficij ad Episcopum, & Capitulum cõmuniter pertineat Sede vacante conferri potest. ibid.

Capitulum non succedit in iurisdictione Episcopo delegata, quia censetur electa industria personæ: succedit tamen in iurisdictione, quæ ipsi iure ordinario, ratione Prælaturæ commissa est, v. g. in commissione facta in Concil. Trident. sess. 24. c. 6.

Bona immobilia Ecclesiæ Cathedralis, & mobilia pretiosa, si seruando seruari possunt, vacante Sede alienari non debent, sed nec causa iudicialis agitari, nec præscriptio contra Ecclesiam interim procedere potest. num. 15.

Non prohibetur tamen Capitulum, quominus alienationes ab inferiore Ecclesia faciendas, Sede vacante confirmare possit. eod. n. in fine.

Contractus, & alienationes à Capitulo extra necessitatis casum, & extra Papæ auctoritatem institutas, Episcopus postea confirmatus infirmare potest, sed & cõfirmare, si Ecclesiæ vtiles videãtur. ibid. §. Bona immobilia.

Capitulũ alienationẽ à Prælato sine consensu suo factam, postea, si velit, approbare, & ratificare potest. ibid.

Infra annum à die Sedis vacantis, Capitulum ordinandi licentiam, aut literas dimissorias dare non potest, præterquam ei, qui Ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione arctatus est, secundum nouam constitutionem Trident. sess. 7. c. 10. de reform. n. 16.

Capitulum, vacante Sede, merè voluntarias gratias, siue donationes sine debito necessitatis conferre, aut fructus, & commoda Episcopatus distrahere non debet. num. 17.

Capitulum suspensionem ab officijs & beneficijs incurrit, si bona Prælati defuncti occupet, aut diripiat. l. 1. t. 5. p. 3. c. 2. n. 3.

Cardinalis Romanæ Sedis.

Romanæ Ecclesiæ Cardinales ordinariam, & quasi episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesia sui tituli. l. 1. tr. 4. c. 7. n. 24.

Ex præscripta consuetudine Cardinales ordinariam iurisdictionem exercent in familiares suos; vt proinde hi cum licentia Cardinalis cuique Confessario exposito confiteri possint. ibid.

Cardinales in Ecclesiam vniuersalem nullam iurisdictionem habent, etiam vacante Sede Papali. n. 25.

Ex Papæ commissione Cardinales emergentibus dubij circa morum reformationem, & in iudicialibus litibus Concilia, & Pontificia iura interpretantur. n. 16.

Casus reseruatus.

Casuum, seu grauiorum criminum reseruatio prouenit ex inferiorum animarum Pastorum à Superioribus dependentia. l. 5. tr. 6. c. 12. n. 1.

Papa nullum peccatum reseruare sibi solet nisi propter annexam censuram excommunicationis. n. 2.

Si aliquis commisit peccatum v. g. contentum in Bulla Cænæ, sed ob ignorantiam non crassam à censura Papali excusatus fuit, quia de ea nihil audiuit, ab inferiore Confessario absolui potest. ibid.

Sola mortalia, eáque tantùm externa, & opere consummata peccata reseruari solent. n. 3.

Homicidium voluntarium etiam occultum communi Ecclesiarum consuetudine Episcopis reseruatur. Quæ verò alia peccata in qualibet diœcesis reseruata sint, ex loci consuetudine, & diœcesali constitutione petendum est. num. 4.

In pluribus diœcesibus reseruata esse solent Crimen incendiarij, & præstitum auxilium: Sacrilegium, quo sacer locus violatur furto, sanguine, aut semine, per fornicationem, vel voluntariam pollutionem: Periurium, aut falsum testimonium in iudicio: Falsificatio literarum: Sortilegium, seu magiæ exercitium; dummodo crimen graue sit: Deniq; adulterium notorium, & omnia eo maiora. ibid.

Grauis & insolita casuum multorum reseruatio in diœcesi, etsi illicita sit, tamen à Parochis obseruanda est, donec tollatur. n. 5.

Prælatis regularibus certus modus præscriptus est à Clemente VIII. Papa reseruandi peccata. n. 6.

Si Prælatus expedire iudicet, vt ipsemet casum reseruatum cognoscat, & pœnitens extra Confessionem explicare nolit, ordinariè integrã omnium peccatorum Confessionẽ audire debet. Interdum tamen ob moralem impossibilitatem, sufficit solùm casum reseruatum audire, & ab eo directè absoluere, à reliquis autem peccatis indirectè; cum onere, vt reliqua inferiori Sacerdoti explicentur. num. 8.

Si postea Sacerdoti inferiori Confessio fiat, satis est explicare non reseruata, tacitis iis, à quibus Prælatus directè antè absoluerat. ibid.

Si Confessarius peccatum aliquod confitentis intelligat esse Superiori reseruatum, ordinariè eum absoluere non potest, sed ad Superiorem mittere debet; vel ipsemet absoluendi potestatem petere. n. 9.

Propter aliquam tamen necessitatem licitum est Sacerdoti absoluere à peccatis, quorum vnum aut plura reseruata esse scit, imposito onere pœnitenti, vt reseruata sola Superiori explicentur; vel absoluendi potestas ab eodem petatur. n. 10.

Si pœnitens ad Confessionem attulit peccatum reseruatum, non habens annexam excommunicationem, à quo putauit se legitimè absolui posse, plerumque absoluendus est, cum dicto onere: modò præter reseruatum aliud peccatum absolutioni directè subijciatur. num. 11. dicto. 3.

Sin autem peccatum reseruatum excommunicationem annexam habeat, non debet Sacerdos inferior hominem absoluere. Nihilominus absolutio valida erit, si detur homini excommunicationem inculpatè ignoranti, vel Sacramentum Pœnitentiæ bona fide petenti; tametsi excommunicationis censura non tollatur. n. 11. & 12.

Qui communicandi necessitate constrictus, Superiorem tunc accedere non potest, vt à peccato reseruato absoluatur; obligatus non est, vt inferiori confiteatur, si scandalum cesset, & communicaturus existimet se contritum esse: quia nemo, per se loquendo, idem peccatum bis confiteri tenetur. eod. n. 11.

Per accidens, si videl. pœnitens alia non reseruata habeat, vnà cum iis etiam reseruata confiteri debet, vt Confessarius pœnitentis statum integre cognoscat. ibid.

In mortis articulo, seu periculo, omnis Sacerdos, etiam excommunicatus, & hæreticus, à quibuscunque peccatis absoluere potest. n. 13.

Sed & ab omnibus censuris, iis videl. quæ Sacramentorum susceptioni, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, Sacerdos quiuis, in mortis articulo absoluendi potestatem habet, tametsi Sacramentum Pœnitentiæ non conferatur, v. g. amenti. Tales censuræ sunt excommunicatio, & personale interdictum; non item suspensio, & irregularitas. ibid.

Necesse est, vt mortis periculum, in quo omnis Sacerdos à peccatis, & censuris absoluere potest, propinquum, & non improbabile sit; quamuis propria sponte susceptum, v. g. in bello iusto, maris longa, aut periculosa nauigatione, in qua copia Sacerdotis non erit. ibid. §. His adde.

Mulier primò paritura, vel quæ antè difficiles partus experta erat, in probabili periculo mortis constituta censeri potest; vt à quolibet Sacerdote absolui possit. ibid.

Si Confessarius iurisdictione præditus adsit, vel vocari possit, Sacerdos simplex, seu iurisdictione carens ius absoluendi non habet in mortis articulo. n. 14.

Similiter Parochus in mortis articulo absoluere non potest à reseruatis Episcopo, si is adsit, aut facilè accersiri possit. Nisi alia sit consuetudo diœcesis, qualis facilè introducitur in diœcesibus amplis, in quibus plerumque Episcopus multùm distat. eod. n. 14. §. deinde.

Qui propter mortis periculum à peccato reseruato absolutus est, is cessante periculo, Superiori se sistere non debet: nisi fuerit annexa excommunicatio; tunc comparere debet, non vt iterum absoluatur, sed vt mandatum illius accipiat de satisfaciendo &c. n. 15.

Consultius est, in mortis articulo seu periculo confiteri priuilegiatis, qui potestatem à Papa delegatam habent absoluendi à censuris reseruatis, sine onere postea se sistendi. ibid.

Qui habet facultatem generaliter delegatam absoluendi subditos à casibus reseruatis, potest eam alteri Sacerdoti committere ad absoluendum ipsummet, cui talis facultas commissa est. lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 17.

Cautio.

Cautio fideiussoria, vel pigneratitia, si exhiberi non possit à Reo, iuratoria plerumque sufficiet. l. 1. t. 5. p. 2. c. 6. n. 8.

Censura Ecclesiastica.

Est pœna spiritualis, per quam homini delinquenti, ac contumaci, per Ecclesiasticam potestatem quorundam spiritualium bonorum vsus aufertur, donec à contumacia recedat. l. 1. t. 5. p. 1. c. 1. princip.

Bona spiritualia quædam sunt propria, quibus nemo inuitus spoliatur: vt dona gratiæ, virtutes, earúmque opera bona: quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam priuari potest, quoad vsum actiuum, vel passiuum, videl. Sacrificij, sacramentorum, Ecclesiæ suffragiorum, & satisfactionum &c. n. 2.

Censura est pœna medicinalis: quare ferri non potest ob peccatum merè præteritum, & emendatum, & cumprimum Reus à contumacia recesserit, per absolutionem tolli debet. ibid. §. Nota tertiò, & cap. 5. n. 1. & 2.

Depositio, degradatio, irregularitas, non sunt propriè censuræ; cùm sine spe restitutionis ordinariæ homini inferantur, sæpe propter peccatum merè præteritum: quare nec per absolutionem tolluntur, sed per dispensationem seu relaxationem legis, aut sententiæ. ibid.

Censuræ ipso interdum iure contrahuntur ante omnem Iudicis declarationem: sed depositio, degradatio, & cessatio à diuinis, cùm sint pœnę grauissimæ, non incurruntur ante Iudicis sententiam. Irregularitas tamen ipso facto incurritur in casibus iure decretis; cùm non tam pœna sit, quàm inhabilitas ad altaris ministerium. eod. c. 1. in fine.

Tantùm tres sunt censuræ species: Excommunicatio, Suspensio, Interdictum. c. 2. n. 1.

Facultas alicui delegata absoluendi à censuris non extenditur ad irregularitates, quæ per dispensationem tolluntur. ibid.

Censura alia est à iure lata, & alia ab homine: inter quas discrimen est, quòd hæc extinguitur morte, aut depositione ferentis, illa non item n. 2.

Censura quæ ab homine est, subdiuiditur in eam, quæ alicui nominatim infligitur; & in eam quæ per generalem sententiam fertur. ibid.

Iterum diuiditur censura, quòd alia sit latæ sententiæ, seu à iure, seu ab homine: alia verò sit sententiæ ferendæ. In dubio autem, si nimirum verba ambigua sint, pars benignior præferenda est, vt ferendæ, non latæ sententiæ censeatur. n. 3.

Omnis; & solus Prælatus Ecclesiasticus censuras ferre potest in subditos, eamque facultatem alteri Clerico delegare. c. 3. n. 1.

Laicis, & Clericis coniugatis, dum in coniugio viuunt, itemque bigamis committi non potest facultas censuras ferendi, nisi ex plenitudine potestatis Papalis. num. 2.

Fæminæ: quamuis sanctimoniales sint, & Abbatissæ, censuras propriè ferre non possunt. n. 3.

Censura ligari potest homo baptizatus, doli capax, qui Ecclesiasticum Superiorem habet. c. 4. n. 1.

Mortuus propriè, ac directè excommunicari non potest, sed impropriè, ac indirectè, si ita exigente crimine, in quo decessit, ad aliorum terrorem præcipiatur fidelibus, vt abstineant ab Ecclesiastica eius sepultura, & Sacrificijs. n. 2.

Furiosus qui ante furorem contumaciter peccauit, potest incurrere excommunicationem iuris: Sed ab homine excommunicari non debet, quin potiùs absolui, si amentia perpetua iudicetur. n. 3.

Summus Pontifex censuram nullam incurrere potest num. 4.

Peregrini non obligantur censuris locorum, generali sententia, aut statuto decretis. n. 5.

Subditus contra proprium statutum diœcesis suæ agens extra diœcesin, vel in loco diœcesis exempto, censuram non incurrit. n. 6.

Subditus extra diœcesin existens, censurâ ligari potest per sententiam particularem Prælati sui. n. 7.

Si subditus commisso delicto fugiat, etiam absens per nuntium, vel literas citari potest, isque comparere debet: &, si contumax sit, excommunicari potest. Idémque dicendum, si subditus ratione domicilij, alibi deliquit, & à Iudice delicti præuentus non fuit. Ibid. confirmat. 2.

Excommunicatio maior, & ferme etiam aliæ censuræ ferri non possunt, nisi ob mortale peccatum inobedientiæ, ac contumaciæ. Quare quotiescunque aliquis ob ignorantiam, vel animi passionem, à grauitate culpæ mortalis excusatur, ab excommunicatione etiam, graui suspensione, vel interdicto excusari debet. c. 5. n. 1. assert. 2.

Censura non incurritur ob peccatum, quod iuri tantùm naturali, aut diuino repugnat, sed requiritur præceptum Ecclesiæ, quod Reus contumaciter spernat, saltem interpretatiuo contemptu. ibid. in fine, & n. 2.

Excommunicatio, & aliæ censuræ infligendæ non sunt, nisi præcedente canonica monitione: Et requiritur trina, interposito aliquorum, saltem duorum, aut trium dierum interuallo. Quanquam etiam vnica monitio pro trina fieri potest, præfixo eo temporis spatio, quod trinæ sufficiat. n. 4.

Si criminis, aut malis impendentis periculum, factiue necessitas dilationem non patiatur, Iudex statim rem aggredi, censuram v. g. excommunicationis comminari, & contra inobedientem proferre potest. ibid. §. His addendum.

Canonica monitio ad Reum personaliter fieri debet, nisi malitiosè latitet, tunc satis est citationem fieri ad eius domum, vel ecclesiæ valuas, vt ad notitiam hominis deuenire queat; postea etiam absens, excommunicari potest. ibid.

Si per latam sententiam ipso iure vel ab homine aliquid in futurum fieri prohibitum est sub pœna excommunicationis, aut suspensionis, alia insuper monitio

non requiritur: sed ipso facto, seu criminis admissione censura contrahitur. Si tamen à Iudice declarandus, vel denuntiandus sit, priùs citari debet, datâ ei copiâ defensionis. num. 5.

Si à iure decreta est censura sententiæ ferendæ, infligi non debet Reo, etiam conuicto, aut manifesto, nisi præcedente canonica monitione; adeò, vt si Reus citatus abſistere velit, excommunicari non poſſit. n. 6.

Si censura ipso facto contracta, à Iudice tantùm declaranda, aut denuntianda sit, interdum citatio Rei intermitti poteſt, quando crimen notorium exiſtit, vt appareat nullam defensionem competere poſſe. Ibid. §. Et hæc adeò.

Ignorantia (si craſſa non sit, nec affectata) tum iuris, tum facti: etiam concomitans, à censura excuſat. n. 7.

Qui ſcit opus prohibitum eſſe, neſcit tamen annexam censuram, eam haud incurrit: ſecùs eſt in irregularitate. num. 8.

Si censura lata ſit contra eos, qui ſcienter, temere, vel cum præſumptione quippiam fecerint, non comprehendit facientem cum ignorantia, quamuis craſſa, aut ſupina. Sed affectata ignorantia non excuſat, cùm malitiam directam, & dolum contineat. eod. n. 8. in fine.

Qui ex graui metu Eccleſiæ legem, aut præceptum transgreditur, censuram euitat, licet quandoque à culpa mortali non excuſetur: vt ſi quis ob mortis metum, matrimonium contrahat, & conſummet. n. 9.

Censura interdum iniuſtè fertur, tamen validè: vt ſi accidentalis forma procedendi prætermittatur, v. g. trina monitio. Interdum verò censura non tantùm iniuſta, ſed etiam inualida eſt: idque vel ob defectum ferentis, ſi iuriſdictione careat, vel impeditam, aut ſuſpenſam habeat: Vel ob defectum cauſæ: Vel denique, ſi ſubſtantialis ordo iudicij prætermittatur, v. g. Reus non citetur: aut ſi nulla monitio anteceſſerit. c. 6. n. 1. & ſeqq.

Censura lata poſt appellationem legitimam, vel cum alio ſubſtantiali defectu, timenda non eſt, nec obſeruanda, per ſe loquendo: ſed interdum ob ſcandalum vitandum. num. 2.

Poſtquam censura in aliquem validè lata eſt, eius effectus per ſequentem appellationem non ſuſpenditur: quare nihilominus denuntiari poteſt, qui v. g. excommunicatus fuit. Niſi Iudex ordinarius, ad quem à delegato appellatum fuit, appellationem admiſerit: tunc enim iuriſdictionem eius cauſæ ad ſe reuocare cenſetur. Ibid. §. Verùm.

Si cauſa ferendi censuram re ipſa non ſubſiſtat, quamuis ſecundùm allegationes externi fori appareat, non obligat in conſcientia: debet tamen obſeruari, quatenus neceſſe eſt ad publicam diſciplinam, & Iudicis auctoritatem tuendam. n. 3.

Qui talem censuram coram aliis, qui innocentiam perſpectam non habent, v. g. celebrando, violat, quamuis peccet, tamen irregularitatem non incurrit. Ibid. §. De ſecundo, & coroll. 1.

Si eiuſmodi excommunicato propter allegationes falſas beneficium Eccleſiaſticum conferatur, collatio in ſe valida eſt: tamen in externo foro à Iudice reſcindi vel irrita declarari poteſt. eod. n. 3. coroll. 2.

Si talis re ipſa innocens, ſed publicè condemnatus, cum ſcandalo, & apparente contemptu celebret ac monitus deſiſtere nolit, verè excommunicari poteſt, propter contumaciam. Ibid. coroll. 1. addit. 2.

Vnicus caſus eſt, quo censura irrita eſt, niſi trina monitio anteceſſerit: videl. ſi Epiſcopus iis inferat, qui cum excommunicatis participant ea participatione, quæ communi iure minorem tantùm excommunicationem inducit. n. 4. in fine.

Censura abſolutione tollitur.

Censura propriè dicta alio modo non tollitur, quàm per legitimam abſolutionem. eod. tr. 5. p. 1. c. 7. n. 1.

Censura, & quæuis pœna, per legitimam Iudicis ſententiam inflicta, tranſit in rem iudicatam: quare non finitur morte illius, aut diſpoſitione: multò minus, quæ à iure impoſita eſt; ab auctore illius dependet, ſicut nec ipſum ius, ſeu ſtatutum. Ibid.

Sed neque per mortem eius, in quem censura v. g. excommunicationis lata eſt, ea omnino extincta cenſetur: cum etiam mortuus Eccleſiæ ſuffragijs, & ſepultura ſacra carere debeat. Ibid.

Censura in aliquem, ſaltem validè, ferri poteſt ſub conditione, vt cumprimum ſatisfecerit, ipſo facto liber ſit, & abſolutus. Non ſolet tamen ita ferri: ſed vt poſt tranſactum tempus abſolutio fieri poſſit.

A censura lata per ſententiam particularem is tantùm abſoluit, qui eam tulit, vel eius Superior, Succeſſor, aut ſpecialiter delegatus. n. 2.

Si Superior censuram ferentis ex certa ſcientia eam ad ſe reuocet, ſibique proprium faciat, inferior abſoluere deinde non poteſt: quo modo incendiarios, ſi nominatim excommunicati & publicati fuerint, pro abſolutionis beneficio ad Sedem Apoſtolicam mittendos eſſe, dicitur in c. tua, de ſentent. excommunicat. Ibid.

Summus Pontifex omnes Chriſtianos censura ligatos; Prælatus Ordinis omnes Regulares ab inferioribus Prælatis ligatos abſoluere poteſt, v. g. Prouincialis, quos Guardianus excommunicauit. At verò Archiepiſcopus ligatos censura Epiſcopi abſoluere non poteſt, niſi ad ipſum appellatum ſit: & tunc vocatis partibus, ac cognitâ cauſâ. Ibid. §. De Superiore.

Epiſcopus Regulares excommunicatos à proprio Prælato, ob cauſam pertinentem ad Regularem diſciplinam, abſoluere non poteſt. Si tamen exempti Regulares non ſint, ad Epiſcopum à ſententia iniuſta appellare poſſunt. Ibid.

Epiſcopus inferioris Prælati, cui ratione beneficij ſui iuriſdictio competit, ſententiam relaxare non debet: niſi cum conſcientia illius, & congrua ſatisfactione Reo impoſita. Si aliter abſolutio fiat, rata quidem erit, ſed illicita. Ibid. §. Deinde.

Quicunque iure ordinario, vel ex priuilegio abſoluere poteſt à censura iuris, is etiam abſoluere poteſt à censura per ſententiam generalem lata. n. 3.

Qui alicubi censuram iuris, aut ſententiæ generalis contraxit, ac poſtea domicilium tranſtulit poteſt ab altero Ordinario abſolui. Ibid.

Qui Epiſcopo ſubditus ratione domicilij, vel commiſſi delicti, ab illo particulatim excommunicatus fuit: & poſtea aliò proficiſcitur, vel Religionem ingreditur, non poteſt deinde ab altero Epiſcopo, vel Prælato abſolutionem conſequi. Nam præuentus à Iudice, forum ipſius in ea cauſa declinare non poteſt. n. 4.

Poteſtas abſoluendi à censuris interdum delegatur perſonæ particulari, & quandoque etiam reſpectu certæ cauſæ: interdum verò vniuerſim Epiſcopis, Ordini Regularium &c. n. 5.

Generali Sedis Apoſtolicæ conceſſione abſoluendi à quibuſcunque censuris iuris, haud dubiè etiam comprehenduntur censuræ, quas Epiſcopi diœceſano ſtatuto, vel ſententia generali reſeruant. Ibid.

Si in bulla nihil exprimatur, facultas abſoluendi à censuris abſolutè conceſſa, accipi debet de vtroque foro. Interdum verò ex circumſtantijs & materia ſubiecta intelligitur, non fuiſſe mentem Pontificis præiudicare foro externo: ſed dediſſe facultatem in fauorem animarum: vt cùm Confeſſarijs à censuris abſoluendi poteſtas delegatur. n. 6.

Abſolutio à censuris in foro conſcientiæ dicitur, non quòd fieri debeat in ſecreta Confeſſione, ſed quòd fiat ſine ſtrepitu iudicij, & ſine derogatione iuris alterius: ac denique duntaxat, vt anima eorum Deo abſoluta ſit, eod. num. 6. in fine.

Abſolutio data alicui in foro conſcientiæ tantùm, non prodeſt homini in foro externo, niſi Iudex eam vltro acceptare velit. quæ eadem etiam locum habent in diſpenſationibus conceſſis pro foro conſcientiæ tantùm. num. 7.

Si cenſura v. g. excommunicationis occulta fuit, non prohibetur, qui ab ea in foro conſcientiæ abſolutus eſt, etiam publicè celebrare. quòd ſi excommunicatio eius poſtea innoteſcat, puniri quidem propter crimen poteſt, ſed non vt irregularis condemnari, ſi de abſolutione fidem facere poſſit. eod. num. 7. dicto. 2.

Priuilegiatus abſque Ordinarij conſenſu abſoluere facilè non debet à cenſuris notoriis, ſi eæ ad forum iudiciale deductæ, aut probabiliter deducendæ ſunt: quia abſolutus in conſcientiæ foro, non ita efficaciter poſtea ad præſtandam ſatisfactionem vrgeri poteſt. Ibid.

Abſolutio à cenſura interdum confertur *ad cautelam*, & interdum *ad reincidentiam*. n. 8.

Etſi nulla ſuſpicio contracta cenſuræ adſit, præmittitur interdum abſolutio ad cautelam, videl. ante abſolutionem ſacramentalem, ante Ordinis, beneficij Eccleſiaſtici, vel priuilegij alicuius collationem. Ibid.

Frequenter abſolutio ad cautelam tribuitur duntaxat ad effectum aliquem conſequendum; v. g. vt diſpenſatio, vel alia gratia valeat, aut vt teſtimonium alicuius recipi poſſit. Ibid. §. Porrò.

Cenſus.

Duplex eſt cenſus: vnus reſeruatiuus, cùm quis fundum pleno dominij iure in alium transfert, reſeruata ſibi penſione annua ex fundo: alter conſignatiuus, cùm quis contractu donationis, venditionis, aut permutationis, alteri conſtituit ius in re ſua (id eſt cenſum deſignantis) reditus annuos percipiendi. lib. 3. tr. 4. c. 18. n. 1.

Cenſus conſignatiuus diuiditur in realem, ac perſonalem, in fructuarium, & pecuniarium; in perpetuum, ac temporalem: in redimibilem, ac irredimibilem. n. 2.

Cenſus realis tam perpetuus, quàm temporalis, etiam vitalitius, ab omnibus approbatur. n. 3.

Pereunte re, ſuper qua cenſus locatus eſt, etiam cenſus corruit: quare conſultum eſt, cenſum ſuper vno, aut pluribus fundis ſecuris collocare. n. 4.

Cenſus realis, quamuis conſtitutus ſit cum pacto redimendi, tam ex parte emptoris, quàm venditoris, probabiliter defenditur. n. 5.

Æquum eſt, vt in cenſu vtrinque redimibili maius pretium ſoluatur, quàm in cenſu redimibili ex parte ſolius venditoris. n. 6.

Quia ſub cenſu vtrinque redimibili intentio vſuraria facilè latere poteſt, ideo tanquam contractus vſurarius prohibitus eſt tum Pontificiis conſtitutionibus, tum Carolina. Sed id intelligi debet ſecundùm præſumptionem fori externi: præterquam quòd illæ conſtitutiones multis Germaniæ locis receptæ non ſunt: quatenus ea prohibent, quæ iuri naturali non aduerſantur. Ibid.

Cenſus perſonalis tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte ſolius vendionis, ſuapte natura licitus eſt. n. 7.

Cenſus item perſonalis ex vtraque parte redimibili probabiliter defenditur: quamuis periculo intentionis vſurariæ non caret. n. 8.

Cenſus inſtitui poteſt data facultate redimendi ad certum tempus; vel non ante tempus deſignatum. n. 9.

Cenſus vtrinque redimibilis, adiecto etiam pacto aſſecurationis, abſolutè loquendo, damnari non poteſt: quamuis periculo vſurariæ intentionis non vacat. n. 10.

Paſſim in Germania à viris etiam probis inſtituitur cenſus cum pacto aſſecurationis, & neutra pars contrahentium de damno queritur: imò multi teſtantur, hunc contractum ſine magna negotiationum iactura tolli non poſſe. n. 12.

Inter hypothecam, & cenſualem rei obligationem diſcrimen eſt. n. 13.

Licet homines rudes minùs intelligant, cur vltra ſortem ſuo tempore repetendam, penſiones annuas percipere poſſint; excuſantur tamen, quia aliorum prudentium exemplum ſecuti, nihil illicitè accipere proponunt. ibid. §. Alterum.

Vſura eſt, ſi cenſus cum pacto aſſecurationis conſtituatur, vel continuetur cum perſona nullos reditus habente. n. 14.

Contractus cenſualis Germanicus à mutuo manifeſtè diſtinguitur: quòd ille certum fundamentum requirat, ex quo reditus annui proueniant: Sed contractus mutui cum quacunque perſona inſtitui poteſt, ſine ordine ad aliquod fundamentum. Cùm igitur cenſualis contractus mutuum non ſit, non poteſt eſſe vſurarius. ibid.

Pretium iuſtum cenſus eſt, quòd lex, vel conſuetudo, aut in certo caſu iuſta Principis voluntas taxauit. Sin taxatum non eſt, quod æquitatis ratio dictat. ibid.

Ceſſatio à diuinis.

Non eſt cenſura, nec propriè pœna: ſed ſimplex prohibitio diuinorum officiorum, in ſignum mœroris, propter grauiſſimam iniuriam Eccleſiæ illatam. l. 1. tract. 5. p. 4. c. 6. n. 1.

Clericus violans ceſſationem à diuinis per exercitium ordinis, non efficitur irregularis. n. 2.

Quatuor feſtiuitatibus, exceptis in c. alma, de ſentent. excommunic. in 6. locus eſſe etiam videtur tempore ceſſationis, ſicuti in interdicto. n. 3.

Tempore ceſſationis purè videtur omnibus tum Clericis, tum laicis conceſſa ſepultura in loco ſacro, modò fiat ſine officio funebri. n. 4.

Qui epiſcopalem iuriſdictionem obtinet, & ſede vacante Capitulum, ceſſationem à diuinis ponere poteſt, ſicuti & interdictum. n. 5.

Cauſſa, propter quam ceſſatio indici poteſt, debet eſſe delictum grauiſſimum, publicum, & contumaciter perſeuerans aduerſus commune bonum Eccleſiæ. ibid. in fine.

Ceſsio bonorum.

Debitor, qui debitis ſoluendis impar bonis cedit, id eſt, creditoribus ſua bona relinquit, ſecundùm debitorum qualitatem ac proportionem diuidenda, non ideo reliquo debito liberatur, ſed tam in externo, quàm interno foro compelli poteſt ad laborandum, & acquirendum, quo ſatisfacere poſſit. l. 3. tr. 2. c. 12. n. 5.

Licet debitor ex contractu, vel quaſi contractu poſt ſoluendi moram poſtulante creditore in carcerem conijci, & detineri poſſit, donec ſatisfaciat, vel cautionem præſtet, tamen per ceſſionem bonorum id beneficij conſequitur, vt incarcerari non poſſit, vel carceratus liberari debeat. ibid.

Ordinarium id eſt, vt pro cauſa pecuniaria ſeu pro ciuili debito capere, vel incarcerare debitorem non liceat, modò cautionem exhibere poſſit: & niſi de fuga ſuſpectus ſit: vel niſi fiſci debitor exiſtat. ibid.

Si debitor poſtquam bonis ceſſit, aliquid acquiſierit, non amplius, quàm in quantum facere poteſt, conueniri debet, ſeruatis ei alimentis competentibus. §. alterum.

In conſcientiæ foro ære alieno grauatus, etiam ante bonorum ceſſionem, vel cùm bonis cedit, ſeruare poteſt ea, quæ ad ſuſtentationem neceſſaria ſunt, ſpectata conditione ſtatus iuſtè acquiſiti. ibid.

Clericus eo priuilegio gaudet, vt etiam ſine ceſſione bonorum in carcerem ob debita detrudi non poſſit, neque amplius, quàm commodè facere poteſt, id eſt, relictis alimentis neceſſariis condemnari. Niſi ſe ſatisfacturum recuſet, vel de fuga ſuſpectus ſit. ibid. §. porrò.

In debitis ex delictis v. g. ex furto, rapina ceſſio bonorum conceda non eſt, quin potius in his debitis locum habet illud: qui non habet in ære, luat in corpore. ibid.

Charitas.

Charitas Teologica est virtus perfectissima, ac veluti forma aliarum, & regina. l. 2. tr. 3. c. 1. n. 1.

Vt aliarum virtutum opera in homine iusto meritoria sint augmenti gratiæ & gloriæ æternæ, requiritur præuius actus seu imperium Charitatis. n. 2.

Gratia sanctificans & habitus Charitatis infusæ secundùm probabilem sententiam sunt vna qualitas realiter. n. 3.

Ad meritum singulorum bonorum operum non sufficit, si homo iustus initio diei omnia generatim Deo offerat. n. 5.

Dantur actus in indiuiduo indifferantes secundùm rationem meriti, ac demeriti. n. 4.

Duo sunt præcepta Charitatis: vnum de Deo, alterum de proximo diligendo. c. 2. n. 1.

Præceptum dilectionis Dei primum ac maximum est: quia Charitas omnibus facultatibus, ac virtutibus imperans earum actionem in Deum refert: vt qui Charitatem habent, legem vniuersam impleat. n. 2.

Iubemur Deum super omnia diligere secundùm maiorem æstimationem, non actus intensionem. n. 3.

Nefas est Deum diligere propter mercedem vitæ æternæ tanquam finem principalem: sed causa adminiculans & impellens ad diligendum potest esse spes præmij, sicuti & timor pœnæ. n. 4.

Præceptum dilectionis Dei licet à nobis secundùm omnem perfectionem impleri nequeat, potest tamen eo modo, sicuti ad viatorem pertinet. n. 5.

Præceptum negatiuum de non odiendo Deo semper obligat, sed affirmatiuum diligendi certis temporibus: quorum præcipuum est, cumprimum homo vsum rationis adeptus Deum tanquam vltimum finem super naturalem per Fidem sufficienter cognouit, longam moram trahere non debet, quin eum voluntate acceptet, & omnia opera in eum referat. n. 6.

Parentes, Parochi, Confessarij, pueros ac rudes homines admonere debent, vt cogitent, à quo creati & cur in Mundo positi sint: nimirum vt Deo omnium auctori seruiant, ad ipsum tanquam finem vltimum actionibus suis tendant, cui in perpetuum vniti esse debeant. ibid. §. intelligitur.

Præceptum de proximo diligendo dicitur secundùm & affine primo: vtpote ex quo consecutione quadam oritur, cùm diuina bonitas sit causa, & ratio diligendi proximum propter Deum. n. 7.

Nomine proximi intelligitur is, quem per Fidem cognoscimus diuinorum bonorum participem, videl. Angelos, Beatos, viatores, animas in purgatorio. ibid.

Quod iubemur proximum diligere sicut nos ipsos, intelligi non debet secundùm æqualitatem, sed secundùm similitudinem. ibid.

Præcepta Charitatis, cùm sint prima practica omnibus nota principia, ideo in Decalogo expresse posita non sunt: virtualiter continentur. n. 8.

Non omnia quæ ex Charitate diligenda sunt, æquè diligenda, sed cum ordine. c. 3. n. 1.

Quatuor ex Charitate diligenda sunt hoc ordine: Primum est, supra nos, Deus: Alterum sumus nos ipsi: Tertium est iuxta nos proximus: Quartum est infra nos corpus hominis. ibid.

Tria sunt bonorum genera, quæ vel nobis ipsis, vel alteri velle possumus. Primum continet spiritualia bona, gloriam, gratiam & virtutes: Alterum bona corporalia vitam & sanitatem corporis: Tertium bona externa famem, honorem ac diuitias. ibid. §. Quod ad alterum.

Propriæ animæ salus nulli alteri bono creato post haberi potest. n. 2.

Proximo in extrema spirituali necessitate versanti succurrendum est, cum certo propriæ vitæ periculo. n. 3.

Pastores animarum etiam in graui spirituali periculo constituis succurrere tenentur, posthabito proprio periculo corporali. ibid. §. His adde.

Propriam vitam pro aliena exponere ordinariè licitum non est, sed pro salute personæ publicæ, sicuti & pro ipsa Repub. multóque magis pro Fide Catholica propriam vitam exponere, laudabile, & interdum necessarium est. n. 4. §. Dixi.

Ad impediendam spiritualem damnationem iniusti aggressoris, quem occidere possis, tolerare mortem propriam, abundantioris Charitatis opus est. ibid.

Vitam hominis innocentis præferre oportet vitæ nocentis, cætera paria sint. n. 5.

Ea dilectione, quam comitatur gaudium in bono possesso, item honor, & reuerentia, magis diligendi sunt, qui meliores, Deóque similiores. Ea verò dilectione, qua desideramus bonum, & quam comitatur misericordia & beneficientia, ij magis diligendi, qui nobis coniunctiores existunt. ibid. coroll. 5.

Si cætera paria sint, primò omnium quisque opitulari debet vxori suæ; secundò filijs; tertiò parentibus, magis patri, quàm matri. Imò in casu extremæ necessitatis parentibus, à quibus viuendi principium accepimus, ante omnes alios succurrendum esse probabiliter dicitur. n. 6.

Insigni amico, aut benefactori potiùs subueniendum esse, quàm consanguineo non valde propinquo, vel non bene merito, verisimile est. Sed & fratribus spiritualibus magis etiam in temporalibus subueniendum videtur, quàm cognatis non valde propinquis. ibid.

In spiritualibus auxilijs eorum maior habenda ratio est, qui nobis secundùm spiritum filij, patres, aut fratres censentur: quamuis non nemo probabiliter dicat etiam in his parentes carnales præferendos esse. coroll. 7.

Primus, ac præcipuus actus Charitatis est dilectio, cui in executione respondet beneficentia. c. 5. n. 1.

Ex Charitatis dilectione sequuntur gaudium, pax: quæ tamen in hac vita imperfecta sunt, in altera perficientur. ibid. n. 1. & 2.

Charitatiuum subsidium.

Episcopi, & alij similes Prælati à Clero subsidium Charitatiuum petere possunt ob causam necessitatis, aut magnæ vtilitatis publicæ. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 3. n. 9.

Si dubium sit inter Episcopum & Clerum de causæ æquitate, recurrendum est ad Superiorem: vel arbitri partium consensu statuendi. ibid. coroll. 2.

Cùm subsidium istud charitatiuum sit (propter vnionem Charitatis inter Episcopum & Clerum) peti debet moderatum. coroll. 3.

Si Clerici iustè petitum subsidium conferre recusent, compelli possunt, etiam sub excommunicationis censura. num. 10.

Subsidium Charitatiuum est onus adhærens clericis in ordine ad ecclesiasticos reditus: quare soli beneficiati præstare coguntur. n. 11.

Capitula Collegiata, etiam Ecclesiarum Cathedralium, subsidium conferre debent. n. 12.

Monasteria Regularium non obligantur ad subsidium diœcesano Episcopo præstandum, nisi ratione Ecclesiarum, vel capellarum, habentium populum, seu curam plebis. n. 13.

Episcopus subsidium Charitatiuum remittere alicui non potest in perpetuum, sed vt semel, vel iterum non præstetur. n. 14.

Immunitas à præstando subsidio per præscriptionem temporis immemorialis, cum bona fide acquiri potest: præsertim si titulus præsumptus, puta fama accepti priuilegij exemptionis comitetur. n. 15.

Clericus.

Clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt: quippe ad diuinum cultum specialiter dedicati, quare, perfectiorem in Ecclesia statum profitentur, & tenent. l. 5. tr. 9. c. 1. n. 1.

In cassu dubio, si materia fauorabilis sit, nomine populi venit etiam Clerus, & nomine Cleri etiam Episcopus, ac Religiosi, non item in materia odiosa. l. 5. t. 7. c. 3. num. 6.

Clerici in communi vitæ societate degentes sunt & ipsi ciues, ac membra Reipub. vbi sedem fixam habent. l. 1. tr. 4. c. 13. n. 1. in fine.

Clerici obligantur secundùm vim directiuam secularium Principum legibus, quæ ad Reipub. bonam gubernationem pertinent, neque ss. canonibus, aut Ecclesiastico statui repugnant eod. n. 1. princip.

Non videntur tamen Clerici ciuilibus legibus obligari directè, & ex virtute ipsarum, sed solùm indirectè: quia id naturalis æquitas postulat, vt pax communis inter ciues seruari possit. n. 6.

Ecclesia reprobat ea secularium statuta, quibus de rebus, vel personis Ecclesiasticis directè decernitur præcipiendo, vetando: licet Ecclesiæ fauorum seu patrocinium continere videantur. eod. c. n. 2.

Neque de bonis patrimonialibus Clericorum speciatim aliquid ciuili lege præcipiente, vel prohibente statui potest: secùs est, si dispositio ciuilis præceptiua non sit, sed permissiua, & priuilegiatiua. n. 3.

Clerici delinquentes aduersus communem ciuitatis legem: pœnam merentur ab Ecclesiastico Magistratu inferendam: siue eandem quæ ciuili lege decreta est, siue aliam arbitrariam. n. 4.

Leges ciuiles prohibentes, aut infirmantes contractum obligant Clericos, si pœnales non sint. Quatenus autem pœnales, v. g. confiscationis bonorum, non obligant Clericos: sed ad arbitrium Ecclesiastici Iudicis spectat pœnam inferre. num. 5.

Clericorum continentia.

Sacerdotes, & alij Ministri sacri non lege diuina, sed partim proprio voto, partim Ecclesiastica lege ad perpetuam continentiam obligantur. l. 5. tr. 9. c. 11. n. 1.

Cælibatus seu continentia Sacerdotum ex Apostolica constitutione prouenit. n. 3.

Plures iustæ causæ sunt, cur Sacerdotes, & Ecclesiæ Ministri continentes esse debeant. n. 4.

In nulla Catholica Ecclesia vnquam permissum fuit, vt Presbyter, aut Episcopus vxorem duceret. n. 5.

Introducta ab Orientalibus consuetudo, vt Presbyteri vxoribus, quas antè duxerant, vti possent extra tempora ministerij sui: neque rationi neque sacris canonibus consentanea est. n. 9.

Falsum est, in Concilio primo Nicæno coniugij vsum Sacerdotibus permissum fuisse, n. 8.

Presbyteri, & Episcopi coniugati lecto, & cella separati ab vxoribus in continentia viuere debebant, secundùm canones antiquos. n. 6.

Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ olim à maritis suis dicebantur, à quorum tamen coniugali consortio abstinebant. n. 7.

Si Pontifex sine iusta causa dispenset cum initiato sacris ordinibus, vt vxorem ducere possit, dispensatio irrita est, quamuis matrimonium ita celebratum valeat. eod. c. 11. n. 2.

Si Clericus beneficiatus matrimonium validè contrahat, ipso iure amittit beneficia: quippe quorum coniugatus incapax est. l. 4. tr. 2. c. 14. n. 7.

Clericus, qui cum vnica, eàque virgine contraxit, si in coniugio permanens alicui Ecclesiæ seruiat, habitum, & tonsuram Clericalem deferat, priuilegio tum Canonis, tum fori Ecclesiastici gaudet. Verum ad beneficia, sacros ordines, & administrationes Ecclesiasticas admitti non debet, atque Ecclesiasticæ iurisdictionis perinde ac laicus incapax est. eod. n. 7. & l. 1. tr. 5. p. 1. c. 3. n. 2.

Clericus fornicarius, aut concubinarius quamuis notorius, ipso iure non est suspensus, sed aliter puniri potest, ac debet. l. 5. tr. 9. c. 11. n. 19.

Clerici percussor.

Quicunque in Clericum, vel Monachum manus violentas iniecerit, excommunicationem incurrit, & nullus Episcoporum, nisi mortis vrgente periculo, absoluere eum potest. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3.

Nullus prima tonsura initiatus, vel in minoribus constitutus canonis, & fori priuilegio gaudet, nisi vel Ecclesiasticum beneficum habeat, vel habitum, vel tonsuram Clericalem deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi seruiat; vel in aliqua schola, cum licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines versetur. eod. n. 3. §. Tertiò.

Priuilegium fori difficiliùs amittitur, quàm priuilegium canonis. ibid.

Clerici etiam in maioribus, qui dimisso habitu, & tonsura, negotijs secularibus se immiscent, si tertiò ab Episcopo moniti emendare se contempserint, canonis priuilegium amittunt. Si verò dimisso habitu Clericali, seditioni, vel latrocinijs, vel iniquis bellis se immisceant, etiam ante monitionem priuilegio canonis priuantur. n. 3. §. Quartò.

Clerici exercentes publicè officium lanionis, aut cauponis, si coniugati sint, vel habitum Clericalem dimiserint, atque ter moniti ab Episcopo non destiterint, priuantur omni Clericali priuilegio. §. Quintò.

Clericus, qui per annum exercet artem ignominiosam ludionis, mimi, aut parasiti, ipso iure perdit omnia Clericalia priuilegia; quin etiam ante annum, si post trinam Episcopi monitionem non resipiscat. §. Sextò.

Nomine Monachi gaudentis priuilegio canonis, comprehenduntur omnes vtriusq; sexus Religiosi: Et eorum Conuersi, ac Conuersæ: quamuis in quibusdam Religionibus propriè dictam professionem non emittunt modò habitu mutato se Religioni deuoueant: Denique & Nouitij Religiosorum. n. 4.

Ad excommunicationem canonis incurrendam requiritur, vt & animi affectus, seu internum lædendi propositum, ac peccatum mortale; & vt externa iniuria, seu violentia grauis sit, in corporis, vel saltem honoris læsione. num. 5.

Licet Clericus in sui percussionem consentiat, sit tamen ea Ordini Clericali ignominiosa sit, excommunicatio contrahitur; cùm canon præcipuè in fauorem Ordinis Clericalis promulgatus sit. Quinimo plerique putant, excommunicationem à Clerico incurri si seipsum per malitiam vulneret. eod. n. 6. in fine.

Excommunicatio canonis speciali constitutione extenditur etiam ad mandantem, consulentem, vel non impedientem, qui ex officio impedire deberet. n. 6.

Qui mandatum Clerici verberandi occidendi, ante operis executionem reuocauit, immunis est à pœna excommunicationis, & irregularitate, licet mandatarius nihilominus exequatur. n. 7.

Sed & de consulente probabiliter dicitur, si consilium datum reuocauit, & alia omnia egit, quæ potuit ad effectum impediendum, eo nihilominus secuto pœnas iuris euadere. eod. n. 7. §. De mandante, & §. seq.

Qui volens percutere Clericum Ioannem, ab eo aberrat, & casu, seu præter intentionem percutit alium Clericum proximè astantem, excommunicationem non contrahit: Secùs est, si quis sciens percutiat Clericum, quem existimat esse Iacobum, cum sit Ioannes. n. 8.

Si pueri Clerici pugnis rixentur, ex rei qualitate, & circumstantiis iudicandum est, vtrum iniuria percussionis ad mortale peccatum pertingat, & idcirco excommunicatio contrahatur. ibid. excusat. 2.

Qui ob defensionem sui, vel alieni corporis, famæ, bonorum, pudicitiæ, Clericum aggressorem detinet, vel percutit, excommunicationem non incurrit. ibid. excusat. 3.

Qui in Clericum cum vxore, matre sorore vel propria

filia impudicè agentem, manus violentas incontinenti iniecerit, canonis excommunicationem non incurrit; quamuis peccet. Sin autem post interuallum temporis, quo iustus dolor sedari potuit, hominem percutiat, aut occidat, censuram non effugiet. excus. 4.

Prælatus, & Præceptor si disciplinæ causa Clericum percutiat, à censura canonis immunis est; modò percussio non sit valde indecens, aut notabilis excessus. excus. 5.

Patri laico permissum non videtur castigare Clericum in maioribus constitutum. Idémq; arbitror dicendum de Magistro laico comparatione discipuli in sacris constituti. quamuis hæ personę faciliùs à mortali peccato, & consequenter ab excommunicatione excusari possunt; quòd difficilè interdum se cohibeant, quin grauiter, aut sæpius delinquentem filium, discipulum etiam verbere castigent. n. 9.

Episcopus non per se, sed per alium Clericum, vel, vbi consuetudo permittit, per laicum Clericos castigare potest. Sed Abbas per seipsum, non per alium, disciplinę causa Religiosum percutere debet; nisi necessitas aliud exigat. Consuetudine tamen ferme obtentum est, vt liceat id agere per alium Religiosum, quamuis laicus sit, seu Conuersus. Imò pueros, ac Nouitios, & Clericos in minoribus etiam per laicum secularem castigare licet. ibid. §. porrò.

Clerici, & Monachi facinorosi ex mandato Prælati Ecclesiastici à laicis capi possunt. Et in Gallia, aliísque locis consuetudo est, vt Clerici ita commeriti per laicos torqueantur, ac verberentur. ibid.

Præfectus nauis, & qui ab illo potestatem habet, verbaliter degradatum, & ad triremes damnatum, perinde vt alios remigantes, percutere potest, ex voluntate Prælatorum. ibid.

Ab excommunicatione contracta ob leuem Clerici, vel Monachi percussionem Episcopi ordinario iure absoluere possunt. Sed etsi grauis si percussio dummodo non enormis, in quibusdam casibus Episcopo, & Prælato Ordinis communi iure potestas absoluendi concessa est. num. 10.

Qui ante Religionis ingressum canonis excommunicationem contraxit, postea Nouitius, vel Religiosus factus, à Prælato Ordinis absolui potest; nisi percussio fuerit enormis. Multi verò Regularium Prælati Papali priuilegio obtinuerunt, vt etiam si excessus enormis fuerit, suos absoluere possint. ibid. §. Cæterùm.

Clericorum, ac Monachorum tonsura.

Tonsura Clericalis antiquissimam ab Apostolis originem habet. l. 5. tr. 9. c. 12. n. 1.

Tonsura Clericorum, ac Monachorum olim non nouacula, sed forcipe fieri debebat; neque licitum erat illis comam nutrire. Nunc verò Ecclesiarum consuetudo attendenda est. n. 2.

Neglectus tonsuræ, & habitus in Clerico seculari non est peccatum mortale, si absit contumacia, contemptus, & non nimius, ac inusitatus neglectus sit. n. 3.

Codicillus.

Codicillus dicitur, quasi paruus codex vltimam voluntatem continens, sine hæredis directa institutione. l. 3. tr. 5. c. 8. n. 1.

Est quasi imperfectum testamentum; quia aliam solemnitatem non requirit, nisi quinque testes, etiamsi non rogati, ac fœminæ sint. ibid.

Codicillo hæreditas nec dari, nec adimi potest: quin potiùs codicillus fundatur super hæredis institutione, aut ab intestato venientis successione; cui in codicillo aliquid commendatur exequendum, vel alteri dandum. ibid.

Codicillus duos, vel plures quis facere potest; modò contrarij non sint: alioquin prior à posteriore reuocatus esse censetur. n. 2.

Codicillus fieri potest vel sine testamento; vel cum testamento, ita vt ex testamento pendeat, tanquam aliquid accessorium à principali. n. 3.

Si nullum testamentum factum sit, codicillus quasi testamenti loco est, obligans hæredem ab intestato venientem, etiam posthumum. ibid.

Clausula codicillaris testamentis adijci solet: Si non valeat dispositio vt testamentum solemne, valere debet vt codicillus, cuius clausulæ expresè, vel virtualiter adiectæ plures effectus, & commoda sunt. n. 4.

Codicillus fieri potest vel in scriptis, vel nuncupatiuè. num. 5.

Columbarium.

Clumbaria licita sunt, si leges, & consuetudines loci obseruentur. l. 4. tr. 1. c. 5. n. 17.

Postquam columbæ ad columbarium redeundi consuetudinem amiserunt, & in naturalem libertatem se receptum, fiunt primò occupantis. ibid. §. Cæterùm.

Arte, vel fraude alienas columbas attrahere ad columbarium suum furti species est, ad restitutionem obligans. ibid.

Commodatum.

Est rei alicuius ad solum vsum gratuita concessio. l. 3. tr. 4. c. 14. n. 1.

Quæ vsu statim absumentur, vt pecunia, vinum &c. commodari non possunt; nisi fortè ad pompam, & ostentationem. ibid.

Commodatum differt à mutuo, vtpote in quo rei dominium transfertur; in commodato autem solus vsus, dominio ac possessione rei penes commodantem permanente. ibid. §. Ad solum vsum.

Commodatum gratuitum esse debet: sin merces interueniat, transit in locationis cõtractum. ibid. §. Gratuita.

Commodatarius quamuis etiam leuissimam, culpam præstare debet, si in ipsius tantùm gratiam commodatum fuit.

Casus autem fortuitus commodantis damno accidit, nisi commodatarius culpâ suâ causam dederit, v. g. in mora restituendi existens. n. 5.

Si res duobus commodata, aut locata fuit, ille solus damnum præstabit, cuius dolo, aut culpa perijt. Si neuter culpa caruit, vterque in solidum obligatur: Sed postquam vnus totum dedit, ab altero dimidium repetet. ibid.

Si duo ex pacto se obligârint ad casum fortuitum rei commodatæ, locatæ, vel depositæ: re pereunte, singuli tantùm pro parte tenentur: nisi expresè conuentum sit, vt in solidum obligentur. ibid.

Commodatarius à commodante repetere potest impensas maiores, & extraordinarias, quas circa rem commodatam sine culpa sua facere debuit, v. g. in equi curationem. Modica autem impendia, sicuti & cibariorum, ad commodatarium spectant. ibid. §. Interdum.

Res commodata ante tempus expresè, vel tacitè definitum, reuocari non potest, nisi præter opinionem graue aliquid eueniat. n. 3.

Si in domo commodatarij, depositarij &c. incendium oriatur, ratio dictat, vt quæ pretiosiora sunt, seu propria, seu aliena, periculo præ alijs eripiat. l. 3. t. 4. c. 7. n. 7.

Si commodatarius, vti debet, aliena pretiosiora præferendo, propriorum iacturam fecit, nihil à commodante exigere posse videtur. Sed alia ratio est de conductore, depositario, caupone: hi compensationem damni iure exigent. ibid. n. 7.

Si commodatarius eripiendo propria magis pretiosa, deserat aliena sibi commodata, nihil restituere debet: cùm omni culpa immunis sit, quia id diligentissimi cuiusque officium, & consilium esset, pretiosa præferendi minus pretiosis. ibid. dicto. 4.

Si res commodatæ, & res propriæ ęqualis pretij sint, & has liberet commodatarius, illis derelictis, videtur ad compensationem damni obligatus: quia in pari causa conuenit potiùs commodatarium, in cuius solius gratiam contractus institutus fuit, ex fortuito casu dam-

num sustinere. dicto. 5.

Compensatio.

Est debiti & crediti inter se contributio: Et parum interest, soluerit ne aliquis, an compensauerit; cùm compensatio veluti solutio quædam sit. l. 3. tr. 2. c. 9. n. 9.

Compensatio præcipuè locum habet in rebus, quæ in suo genere functionem recipiunt; vt vnum pro altero solui possit: item si debita sint eiusdem rationis, & indeterminata: Sin autem rerum determinatarum, tunc locum habet saltem detentio rei, donec alter soluat, quod liquidò debet. ibid.

In conscientiæ foro, sit quod mihi ex quacunque causa, etiam depositi, liquidò debetur, alio modo consequi non possim, extra, vel intra iudicium; tum ius naturæ, ac Gentium permittit, vt compensatione, vel saltem retentione rei cuiusque mihi debitæ prospicere possim, donec satisfiat. ibid. n. 10. & tr. 3. p. 1. c. 1. n. 9.

Si debitum incertum sit, propria auctoritate accipi sine iniuria non potest: quia in dubio melior est conditio possidentis. eod. n. 9.

Si alio conuenientiore modo aliquis debitum suum consequi possit, peccat quidem occulta compensatione vtendo; sed non propriè furtum committit. ibid.

Compensatio in eadem specie, vel eodem genere fieri debet: nec enim potest pro empto, & non tradito Bucephalo accipi Xanthus; aut pro debito oleo, frumentum. Si autem in eadem specie, aut genere fieri nequeat compensatio, licebit quandoque in conscientiæ foro alia accipere, aut retinere, seruata æqualitate; v. g. pro debito equo pecunias, quanti is æstimatur. ibid.

Famuli occulta compensatione vti possunt, si liquidò constet de inæqualitate stipendij, comparatione laborum suorum. Idémque dicendum, si manifestum sit, quòd dominus famulis, & famulabus non præbeat victum sufficientem, considerato eorum labore, & loci consuetudine; atque alia ratione quod sibi debitum est consequi nequeant. n. 10

Variæ tamen causæ esse possunt, cur Principum, & nobilium personarum Officialibus minus stipendium soluatur: videl. quia expresè, vel tacitè promittunt, se alijs modis remuneraturos esse: aut quia plures reperiuntur, qui eodem stipendio officium suscepturi sunt, vt proinde ob multitudinem se offerentium, opera veluti vilescat. ibid.

Concilium.

Concilia alia generalia, alia verò particularia sunt. Concilium generale dicitur, quod Sum. Pontificis auctoritate congregatum est, vniuersi Christiani orbis Episcopis conuenientibus. l. 1. tr. 4. c. 6. n. 9.

Particularia Concilia alia sunt Nationalia, quæ conuocatis eiusdem nationis Episcopis à Primate indicuntur; alia Prouincialia, quæ in prouincia conuocatis Coepiscopis à Metropolitano celebrantur; alia Diœcesalia, quæ auctoritate Episcopi conuocatis Prælati, & Parochis instituuntur; ad quas Synodos Prælati etiam exempti, qui generalibus Capitulis non subijciuntur, accedere debent. c. 7. n. 1.

Ad particularium Conciliorum auctoritatem in diœcesi, prouincia, vel natione obtinendam, consensus vel approbatio Papæ non requiritur. Sed generalis Concilij auctoritas omnino à Sum. Pontificis consensu, & approbatione dependet. Quamobrem semper soliti sunt PP. Conciliorum Oecumenicorum gesta ad Romanum Pontificem mittere, & confirmationem petere. cit. c. 6. n. 6. & c. 7. n. 2.

Si Papa alicuius particularis Concilij canonem pro tota Ecclesia approbet, inferior Papâ non potest in canone dispensare, vel abrogare. Secùs, si approbatio fuit tantùm accidentalis, ad maiorem securitatem, ne ab aliquo statutum oppugnari possit. eod. n. 2.

Ad Sum. Pontificem propriè pertinet Concilium generale indicere, ac congregare: vt pote qui omnium nationum Episcopis cum auctoritate imperare potest. l. 2. tr. 1. c. 7. n. 5.

Constat ex traditione, & praxi Ecclesiæ, generalia omnia Concilia Romani Pontificis auctoritate habita, conclusa & confirmata fuisse. ibid.

Imperator Romanus Concilium Episcoporum non vt auctor congregârat, sed priùs à Romano Pontifice monitus, ac rogatus, vt tanquam Ecclesiæ vniuersæ patronus suam quoque ad Synodi locum euocandi, ac deducendi Episcopo, opem, præsidiáque conferret. num. 6.

In generali Concilio soli Episcopi proprio, & ordinario sententiam decisiuam dicunt, tanquam Iudices: cùm enim fideles omnes ad Concilia venire possibile, aut conueniens non sit, eorum capita vicem omnium repræsentant. l. 1. tr. 4. c. 6. n. 11.

Ex priuilegio, & consuetudine etiam aliæ Ecclesiasticæ personæ, vt Rom. Ecclesiæ Cardinales, Abbates, & Ordinum Generales decisiuam in Concilijs sententiam dicere possunt. Ibid. §. Dixi autem.

Laici, quamuis Imperatoria, aut Regia potestate fulgeant, in Concilijs ius nullum dicendi, aut decidendi habent. l. 2. tract. 1. c. 7. n. 6.

Papa in propria persona Concilijs extra Vrbem inter esse non solet. l. tr. 1. 4. c. 6. n. 9.

Quod in generali Concilio, tanquam ad Fidem, vel bonos mores pertinens, definitum est, errori, aut falsitati subiectum esse non potest. Quare PP. decreta Conciliorum, tanquam à Spiritu sancto inspirata, pro indubitatis semper habenda esse dixerunt. l. 2. tract. 1. c. 2. n. 4. & c. 7. n. 4.

Concubinarius.

Concubinarius domi concubinam alens ordinariè absolui non debet, nisi promittat eam quamprimum eiecturum. l. 5. tract. 6. c. 4. n. 9.

Sacerdos publicus concubinarius post vitæ emendationem publicè notam celebrare non prohibetur, cùm hodiè suspensionem non incurrat. l. 1. tract. 5. p. 5. c. 4. num. 11.

Fideles non prohibentur Missam audire publici concubinarij, si denuntiatus non sit, tanquam in sacris vitandus. ibid.

Concupiscentia.

Nomine Concupiscentiæ intelligitur passio prosequentis bonum delectabile, cuiusmodi est amor, desiderium, spes, ira. l. 1, tr. 2. c. 5. princip.

Passio concupiscentiæ alia antecedens est, quæ naturaliter exurgens omnem voluntatis deliberationem præuenit, ac proinde peccati, ac meriti capax non est: alia autem est passio consequens, quæ voluntatis arbitrio excitatur, vt ad promptiorem operationem inseruiat. num. 1.

Passio consequens voluntarium, seu libertatem actionis non minuit, sed potiùs est signum vehementis voluntarij. num. 2.

Passio antecedens non facit quidem actum inuoluntarium, minuit tamen eius voluntarium seu libertatem. Imò interdum penitus tollit, si nimis vehemens sit, vt intellectum omnino perturbet. n. 3.

Confessio publica, & secreta.

Duplex est peccatorum confessio, & exomologesis: vna publica, quæ in grauioribus, & cum Ecclesiæ scandalo iunctis criminibus olim imponebatur: alia verò secreta, & sacramentalis, quæ in interiore Pœnitentiæ foro instituitur. l. 5. tr. 6. c. 7. n. 1.

Reconciliatio, seu absolutio sacramentalis nullo vnquam tempore lapsis, ac verè pœnitentibus in Ecclesia Catholica negata fuit. Sed publica & solemnis pœnitentium cum manuum impositione recôciliatio, pro temporum, & locorum varietate, mutata fuit. ibid. §. Tertium.

Nomine Pœnitentiæ dandæ Patres sacramentum Pœnitentiæ plerumque intellexerunt. n. 4.

Sacra communio tempore Cornelij & Cypriani grauissimè lapsis, etiam mortis tempore in criminis pœnam negabatur. Nunc autem canonica regula obtinet, vt, cui morienti absolutio à peccatis conceditur, neque viaticum negari debeat. n. 3.

Pœnitentes publici non tantùm in mortis periculo, sed etiam Feria. V. ante Pascha ad sacram Eucharistiam præmissa sacramentali Confessione admittebantur. num. 5.

Pœnitentia publica Clericis non imponebatur; imò per publicam pœnitentiam aliquis ad Clericalem statutum ineptus reddebatur. n. 6.

Confessio sacramentalis.

Omnium mortalium peccatorum Confessio sacramentalis Sacerdoti facienda diuino iure necessaria est lapsis post Baptismum. l. 5. tract. 6. c. 5. n. 1.

PP. antiqui testantur, Apostolos, eorumque in Sacerdotio successores potestatem à Christo accepisse, vt tanquam constituti Iudices fidelium peccata remittant. num. 2.

Testantur etiam PP. ad peccatorum remissionem à Sacerdote obtinendam necessarium esse, vt pœnitens peccata omnia mortalia etiam occulta confiteatur. n. 3.

Præceptum Confessionis non statim obligat, cùm quis in peccatum mortale lapsus est. n. 4.

In mortis articulo, vel probabili periculo lapsis incumbit præceptum diuinum sacramentalis Confessionis, ad absolutionem à Sacerdote impetrandam. n. 6.

Medici corporum, cùm ad infirmos vocantur, qui morte periclitantur, hortari eos debent, vt medicos aduocent animarum, ibid.

Præceptum Ecclesiasticum de annua Confessione omnis ætatis fideles, etiam pueros, obligat, si in mortale lapsi sint. n. 6.

Vtrum pueri confitentes sacramentalis absolutionis capaces sint, Confessarius non ex sola ætate iudicare debet, sed magis ex ingenij, & educationis qualitate. num. 7.

Non sufficit puerum deliberatè commisisse peccatum, quod confitetur, vt absolui possit; sed examinari debet, an de eo doleat ex motiuo non merè humano, sed supernaturali per Fidem cognito. eod. n.

Si de pueri capacitate dubium sit, absolui potest sub conditione, saltem animo retenta: imò in mortis articulo absolui debet. ibid.

Annuæ Confessionis instituendæ computatio fieri debet à Paschate ad Pascha; ita, vt, qui post Confessionem Paschalem in mortale lapsus est, eius Confessionem ad sequens Pascha differre possit, non amplius. num. 8.

Qui in Paschate confessus non fuit, postea cumprimum potest, confiteri debet. Quòd si præuideat, in Paschate à sacra Confessione se impeditum iri, anticipare tenetur. n. 9.

Qui post Pascha, v. g. in Pentecoste, sacramentaliter confessus est, si sequente Paschate à sacra Communione accipienda impediatur, non tenetur confiteri; cùm annuæ Confessionis præcepto iam satisfecerit. n. 10.

Qui de peccatis fictè, seu absque doloræ requisite confitetur, non satisfacit Ecclesiæ præcepto. n. 11.

Nullum præceptum est, ne Ecclesiasticum quidem, quod fideles omnes ad venialium peccatorum Confessionem obligat. n. 12.

Etsi consultissimum sit fidelibus, si Paschali tempore peccati mortalis conscij non sint, venialia confiteri, tamen ad id non obligantur. Consuetudo autem Ecclesiarum est, vt fideles omnes ante Paschalem Communionem Sacerdoti se sistant, eiusque examini se subdant. ibid. in coroll.

Ecclesia potest, & re ipsa solet v. g. Regularibus præcipere, vt sacramentum Pœnitentiæ percipiant, tametsi venialia tantùm habeant. n. 13.

Episcopi præcipere possunt Ecclesiæ Ministris, vt quolibet saltem mense sacramentalem peccatorum Confessionem instituant. n. 14.

Si confitens venialia peccata tantùm habeat, debet vnum, aut plura in specie explicare. n. 15.

Consultum non est, omnia venialia secundùm speciem, & numerum solicitè colligere ad Confessionem; cùm potiùs de verò dolore, & emendationis proposito solicitos nos esse oporteat. n. 16.

Secramentalis Confessio absolutè, & secundùm substantiam spectata, consistere potest in quouis signo propriæ accusationis de peccato, in ordine ad Sacerdotis absolutionem accipiendam. Ecclesiæ tamen traditio, & consuetudo declarat, faciendam esse Confessionem vocis sermone, si pœnitens loqui possit. eodem. tract. c. 6. num. 2. & 3.

Si in raro casu puella v.g. præ maxima verecundia peccatum ore explicare non valeat, potest prudens Confessarius Confessionem præsentis in scripto accipere, eámque absoluere. ibid.

Si ægrotus per gutturis angorem confiteri quidem voce possit, sed vix, ac ægrè, compellendus non est, si peccata scribere facilè possit, & offerre. ibid.

Si Confessarius animaduertat se subitò obsurdescere, vt pænitentem, qui ex scripto peccata legit, percipere nequeat, nisi etiam astantes audiant; hoc casu scriptum à confitente ablatum legere, & postea absoluere potest. ibid.

Qui perpetuò mutus est, & scribere nescit, peccata sua nutibus, quatenus potest, confiteri debet. Qui autem sperat locutionis vsum se breui tempore recuperaturum, interim excusatus esse videtur. n. 4.

Peregrinus Ecclesiastico præcepto non obligatur ad confitendum per interpretem, si aliter intelligi non possit: sed in mortis articulo constitutum, & de vera contritione dubitantem lex charitatis erga se: & pœnitentiæ erga Deum obligare videtur ad confitendum per interpretem, saltem ea peccata, quæ sine maiore infamia potest. num. 5.

In tali casu, qui etiam tempore communis naufragij accidere potest, non sufficit ad absolutionem accipiendam generalia signa doloris edere, si sine magna difficultate, quamuis audientibus alijs, speciale peccatum exprimi possit. ibid.

Integritas Confessionis sacramentalis, id est, vt omnia mortalia, etiam occulta, explicentur, ex iure diuino est, quamuis ad necessitatem, siue ad essentiam Sacramenti directè non spectet. eod. tr. 6. c. 8. n. 1.

In Confessione peccatorum requiritur integritas formalis, vt aliquis omnia mortalia, quatenus potest, ac debet, secundùm speciem, & numerum, confiteatur: non semper autem requiritur integritas materialis: cùm varijs causis accidere possit, vt non omnia mortalia, quorum conscientia est, explicari queant. n. 2. & 3.

Qui ob moralem impossibilitatem mortale peccatum in sacra Confessione non explicauit, debet id cessante impedimento explicare. n. 2.

Subitò obmutescens, aut in phrenesin lapsus, in mortis articulo, absolui debet, si sacramentalem absolutionem signo aliquo doloris eum petiuisse constet, licet nullum peccatum in specie explicare possit. n. 4.

Diligens conscientiæ examinatio ante sacram Confessionem requiritur: quanta autem diligentia opus sit, moraliter, consideratis circumstantijs, æstimandum est. num. 5.

Si negligentia discutiendi conscientiam leuis sit, non impedit fructum Sacramenti: secùs, si crassa & mortalis. ibid.

Minore conſcientiæ diſcuſſione indigent, qui frequenter, quàm qui rarò confitentur: item qui multis negotijs, aut commercijs impliciti ſunt, quàm ij, qui vitam quietam agunt. ibid.

Homines rudes abhibere non poſſunt exactam ſui diſcuſſionem: quare examine Confeſſarij iuuandi ſunt. ibid.

Inculpata, aut ſaltem mortaliter non culpabilis obliuio peccatorum mortalium faciliùs accidit circa ea peccata, quæ per ignorantiam craſſam commiſſa fuerunt. num. 6.

Qui non in ſpecie, ſed ſolùm in genere recordatur ſe mortaliter peccaſſe, hoc ipſum in Confeſſione explicare debet. num. 7.

Si homines rudes à Confeſſario examinati, nullum ne veniale quidem peccatum in ſpecie explicent, à Confeſſario abſolui non debent. quare apertè illis dicat, abſolutionem non dari, ſed conſcientiæ ſuæ relinqui, cùm materiam Sacramenti quantumuis examinati edicere nolint. num. 8.

Si pœnitens inchoatam Confeſſionem coram Sacerdote perficere non poſſit, interdum abſolui debet, videlicet ſi homo mutus, ſurdus, ignoti idiomatis, non omnia explicare poſſit: Si pœnitens inter confitendum in phreneſin, incidat, vel periculum ſit, ne mox moriatur. num. 9.

Tempore inſtantis naufragij, aut prælij periculoſi, ſufficit aliqua peccata audire: quo caſu fas etiam eſt plurium Confeſſiones ſimul excipere, & abſoluere. num. 10.

Si neceſſitas vrgeat confitendi parocho, cui ſine graui periculo animæ, corporis, aut fortunarum, proprio, vel alieno, peccatum aliquod ſignificari nequeat, eo prætermiſſo, ſatis eſt reliqua explicare, remanente obligatione, vt poſtea ceſſante impedimento clauibus directè ſubijciatur. n. 11.

Non opus tamen eſt ſtatim confiteri, cùm impedimentum ceſſauit, vel memoria peccati, quod pœnitens oblitus erat, reuocata eſt: ſed poteſt ad alterum Paſcha differri. n. 13. in fine.

Peccatum ordinariè explicandum eſt in Confeſſione, non obſtante, quòd complex à proprio Sacerdote agnoſcendus ſit, niſi quis facilè, petita etiam licentia, alieno confiteri poſſit. n. 12.

Si Confeſſarius animaduertat, pœnitentem paratum eſſe ad nominandum complicem circa tale peccatum, quod ſine complicis agnitione intelligi poteſt, prohibere illum debet. n.13.

Si complex correptione indigeat, præſtat plerumque vt non Confeſſarius, ſed alia perſona idonea corripiat. Sin talis non adſit, petat Confeſſarius à pœnitente, vt extra Confeſſionem de alieno peccato ipſi loquatur, in ordine ad correctionem fraternam. ibid.

Præcipuè cauere debet Confeſſarius, ne facilè fidem habeat fœminis accuſantibus maritos ſuos. ibid.

Qui duos Confeſſarios habet, quorum vni mortalia, alteri venialia confitetur, non peccat contra ſacræ Confeſſionis integritatem. Plerumque tamen id non vacat aliqua de ordinatione. n. 14.

Imprudenter agunt Confeſſarij, ſi reprehendant pœnitentes ſuos, quòd ſemel, aut iterum Confeſſionale eorum declinarint, cum id pœnitentibus interdum expediat ad maiorem libertatem in Confeſſione retinendam. ibid.

Qui de induſtria Confeſſarios imperitos adeunt, aut quibus ignoti ſunt nullum conſtanter retinentes, interdum ſe periculo exponunt facile labendi in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi. ibid.

Mentiri ex propoſito circa materiam mortalem, & Confeſſioni neceſſariam, eſt peccatum mortale, alias tantum veniale. n. 15.

Confeſſio interdum inualida eſt, vel ob defectum pœnitentis, ſi requiſito dolore careat, vel temere, aut per craſſam negligentiam omittat peccatum mortale; vel ob defectum Confeſſarij, ſi iuriſdictione careat, vel impeditam habeat per ſuſpenſionem ab officio, aut excommunicationem, &c. c. 9. n. 1. & 4. §. Secundò.

Si Confeſſio ob ſubſtantialem defectum irrita fuit, neceſſariò ſecundùm ſpeciem, & numerum peccatorum repetenda eſt. n. 1.

Sacramentum pœnitentiæ non poteſt eſſe validum, & informe. ibid.

Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem peccatum confiteri omiſit, non tenetur poſtea integram Confeſſionem repetere, ſecùs, ſi ignorantia mortalis fuit num. 4.

Si Confeſſarius ob diſtractionem, vel ſomnum, peccatum aliquod mortale non intellexit, videtur nihilominus conferri abſolutio. Si tamen pœnitens id poſtea reſciat, debet iterum peccatum illud clauibus ſubijcere. num. 5.

Si Confeſſio, quæ ob defectum pœnitentis, aut Confeſſarij inualida fuerat, denuo inſtituatur apud eundem Confeſſarium, non eſt neceſſarium peccata ſecundùm ſpeciem, & numerum repetere: modò Confeſſarius ſtatum pœnitentis adhuc recordetur, vt conuenientem illi pœnitentiam imperare poſſit. n. 6.

Homo rudis, qui ob ignorantiam non craſſam peccata ſolùm genericè, vel tantùm ſpecificè, & non ſigillatim confeſſus eſt, quia à Parocho nunquam inſtructus erat, validè abſolutus eſſe videtur, ſi de peccatis ex motiuo ſupernaturali doluit. Poſtea verò cognita obligatione ſua, debet peccata omnia ſigillatim explicare, ſed quatenus id moraliter fieri poteſt, ſpectata hominis ruditate, aliiſque circunſtantijs: vt quia Confeſſarius aliorum confitentium multitudine premitur. ibid. n. 4.

Confeſſarij iuriſdictio.

Solus Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti pœnitentiæ: requiritur autem in eo iuriſdictio. l. 5. tract. 6. c. 10. num. 1.

Sacerdotes in ordinatione accipiunt poteſtatem abſoluendi à peccatis remotam tantùm, & indeterminatam, quæ in actum exire non poteſt, niſi poſtquam iuriſdictio erga fideles collata fuerit. Sicuti ſi aliquis Doctor Iuris creetur, non poteſt iudicare, aut publicè docere, niſi alicubi iuriſdictionem, vel cathedram conſecutus ſit. ibid. aſſert. 2.

Quod aliqui dicunt, abſente Sacerdote, in mortis articulo cuiuis alteri etiam laico confitendum eſſe, id non intelligitur in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ſed tanquam vtile medium ad excitandam contritionem. Quare id in præcepto non eſt. ibid. in coroll.

In tribus caſibus omnis Sacerdos à peccatis abſoluere poteſt, I. Si Confeſſio ſit tantùm de venialibus. II. Si Confeſſio ſit de mortalibus, à quibus pœnitens antè abſolutus fuerat. III. In mortis articulo ab omnibus peccatis. n. 2.

Iuriſdictio in Pœnitentiæ foro alia ordinaria eſt, & alia delegata. Ordinariam inprimis habet Papa, eiúſque ſummus Pœnitentiarius in omnes Chriſti fideles, deinde Epiſcopus, & ſimiles Prælati, eorumque Vicarij generales in ſubditos diœceſanos: denique Parochus, vel perpetuus parochiæ Vicarius in parochianos. n. 3.

Reges, & Duces ſeu conſuetudine præſcripta, ſeu Pontificio diplomate ferme obtinuerunt licentiam, quemlibet approbatum Confeſſarium eligendi. ibid.

Epiſcopis, & alij exemptis Prælatis ipſo iure conceſſum eſt, quemuis prouidum & diſcretum Confeſſarium deligendi. Sed & Parochi, aliíque Sacerdotes ſeculares ſecundùm Eccleſiarum conſuetudinem cuiuis approbato, & expoſito confitentur. n. 4.

Iuriſdictioni Ordinariorum, videl. Epiſcopi, & Paro-

chi aliquis subijcitur, non tantùm constituendo in diœcesi, vel parochia domicilium; sed etiam quasi domicilium. Eadémque ratio est de aliorum Sacramentorum (excepto Ordinis) administratione: item de iure assistendi matrimonio, dispensandi in votis, sacra sepultura; quòd etiam quasi incolis, videl. scholaribus, militibus præsidiariis, famulis conferri possint. n. 5.

Ad domicilium, vel quasi domicilium, eiúsque ratione diœcesin, vel parochiam acquirendam, cùm animus requiritur, tum factum. n. 6.

Qui in duabus parochiis domicilium habet, in quibus diuisis anni temporibus habitat, in alterutrâ mauult parochiâ Sacramenta accipere potest. Quod tamen verum non est, si in vnum locum ad tempus breue, recreationis v. g. causa, secedat. eod. n.

Vagabundus confiteri potest cuiuis parocho, alteriue exposito Sacerdoti, vbi pro tempore versatur. n. 7.

Peregrinus dum à parochia sua absens est, alteri exposito Sacerdoti confiteri potest, ob tacitam Ordinarij voluntatem, consuetudine confirmatam. Si tamen in parochiam reuertatur, testimonium annuæ Confessionis, & Communionis Parocho postulanti exhibere debet. n. 9.

Peregrinus iudicatur, & absoluitur in Pœnitentiæ foro, etiam, quoad peccata reseruata, secundùm consuetudinem loci eius, in quo se iudicio submittit. n. 10.

Quicunque ordinariam iurisdictionem habet, alteri Sacerdoti à peccatis absoluendi potestatem delegare potest: in quo delegandi iure Superior non dependet ab inferiore; puta Papa ab Episcopo, quominus ipso etiam inuito ab omnibus casibus episcopalibus absoluendi potestatem Sacerdoti delegare possit. n. 11.

Qui habet tantùm delegatam potestatem Confessiones audiendi, alteri sub delegare non potest; nisi etiam hæc potestas ipsi concessa fuerit. n. 12.

Si alicui demandata sit vniuersitas causarum ratione officij sui, vt perpetua, & quasi ordinaria potestas sit, subdelegare potest in certo casu, aut erga certam personam. Exempli causa: Si Parochianus à Parocho, vel Regularis à Guardiano petat, vt plenam, quam ipse habet, absoluendi potestatem etiam à casibus reseruatis Cooperatori, vel Monasterij Confessario concedat. Nisi priuilegium videatur esse personale, ob hominis industriam datum. n. 12. in fine.

Is, cui Vicaria commissa est loco Parochi absentis, saltem in particulari casu subdelegare potest. n. 13.

Si Vicarius alicuius parochiæ officium suum solus explere non possit, concessum illi est præsumpta voluntate delegantis, vt exercitium aliquod iurisdictionis aut officij pastoralis etiam generatim alicui committat. ibid.

Si alicui ratione officij sui delegata sit potestas absoluendi subditos omnes, aut dispensandi cum Communitate, atque ipsemet in talem casum incidat, Confessario suo cum eadem auctoritate committere potest facultatem absoluendi, aut dispensandi secum. n. 17.

condenada. + Confessarij Ordinum Mendicantium omnes Christi fideles, à quibuscunque peccatis, sententiis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis Apostolicæ Sedis priuilegio absoluere possunt, iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur. n. 18.

Priuilegio isto non conceditur facultas tollendi irregularitates: attamen auferendi suspensiones, & interdicta iuris, quæ tanquam puræ pœnæ ob delictum præteritum, ad certum tempus, vel in perpetuum, inflictæ sunt. qualis est v. g. pœna depositionis lata à Pio V. in exercentes sodomiam. ibid.

Confessarij Ordinum Mendicantium accipiunt iurisdictionem in foro pœnitentiæ à Sum. Pontifice, accedente Prælatorum suorum consensu, & expositione, non autem per Episcopi approbationem. n. 19.

Dicta potestas absoluendi fideles à peccatis à Sum. Pontifice conceditur Ordini, quam proinde Prælati committere possunt Regularibus suis Sacerdotibus, quos idoneos iudicant, eandémque iterum auferre, tametsi ab Episcopo approbati fuerint. ibid.

Si Prælatus Regularis Confessario interdicat, ne Confessiones audiat, non ideo statim existimandus est iurisdictionem auferre velle, nisi ex circumstantiis, aut ex causa prohibendi aliud colligatur: vt si hominem ob inscitiam suspendit, vel deposuit. ibid. §. Ex quo sequitur.

Religiosi extra Ordinem suum ordinariè confiteri non possunt, & in ipso Ordine non alteri, quàm Superior iis designârit. n. 20.

Probabile est, quòd Confessarij Ordinum Mendicantium à censuris in foro conscientiæ fideles absoluere possint, tametsi eorum Confessiones non audiant. Idémque multò magis locum habet in dispensationibus super irregularitate, voto, iuramento, petitione debiti coniugalis. num. 21.

Facultas audiendi Confessiones, aut absoluendi à casibus reseruatis, mortuo concedente, non extinguitur. Sicuti nec facultas alicui concessa eligendi Confessarium, cùm sit gratia, & priuilegium. n. 22. & 23.

Confessariorum approbatio.

Iure nouo Tridentino, approbatio Sacerdotum requiritur ad audiendas Confessiones secularium, etiam Sacerdotum: non item regularium personarum. eod. tr. 6. c. 11. num. 1.

Si Prælatus Ordinis facultatem det Regulari confitendi Sacerdoti cuicunque voluerit, potest is eligere etiam ab Episcopo non approbatum. ibid. in coroll.

Qui beneficium curatum obtinuit, eo ipso ad Confessiones audiendas approbatus esse censetur. ibid.

Etiam Doctores, & Licentiati in Theologia, aut iure Canonico, ab Episcopis approbationem ad Confessiones audiendas petere debent. n. 2.

Episcopus peccat, si Sacerdoti idoneo approbationem sine iusta causa neget. n. 3.

Non pauci Doctores existimant, Regulares Mendicantes, si ab Episcopis repellantur, quando manifestò idonei sunt, nihilominus ad secularium Confessiones audiendas exponi posse. n. 4.

Approbatio Sacerdoti semel collata, ob iustam causam ab Episcopo reuocari potest. n. 6. +

Approbatio Sacerdotis differt à delegatione iurisdictionis ad audiendas Confessiones. Et interdum quidem simul conferuntur: interdum verò iurisdictio alicui demandatur v. g. à Parocho, ante approbationem Episcopi, sed dependenter ab illa: denique interdum committitur iurisdictio post approbationem, quo modo Parochi v. g. Sacerdotes ab Episcopo approbatos Confessionibus audiendis exponunt. n. 7.

Approbatus ab vno Ordinario, si ad aliam diœcesin veniat, alia approbatione indiget: ita, vt si aliter exponatur, absolutiones eius irritæ sint, si Episcopus nolit Sacerdotes ante nouam approbationem exponi. n. 8.

Si alicujus diœcesis Episcopus contentus sit, vt qui aliunde accedunt Sacerdotes, exponi possint, modò approbationis ab aliquo Episcopo sibi collatæ testimonium exhibeant, id sufficere debet. ibid.

Spectatio communi iure, eius Episcopi approbatio requiritur, in cuius diœcesi Confessiones audiendæ sunt. num. 9.

Confessarij officium, & obligatio.

Grauiter peccat Sacerdos, qui requisitâ scientiâ non instructus, munus Confessarij suscipit, vel exercet. eod. tr. 6. c. 13. n. 1.

Curatis Confessariis, seu animarum Pastoribus magna obligatio incumbit, vt scientia, & bonæ vitæ exemplo commissam sibi plebem spiritualiter pascant, & perire non sinant. eod. n. 1. aduertendo 3.

Sacerdos curatus debet subditorum Confessiones excipere, quotiescunque ij iustam confitendi causam habent,

bent & opportuno tempore ac loco petunt. n. 2.

Si Sacerdos curatus præsumere possit, subditum iustam causam haberi confitendi alieno Sacerdoti, debet ipsi petenti licentiam dare: Sin autem Curatus licentiam, quamuis malè, neget, non videtur valida Confessio alteri facta. n. 3.

Tametsi Parochus mortuus, vel peregre profectus sit, non ideo permissum est subditis ad alienum Confessarium accedere, sed expectare debent, donec redeat, vel Episcopus alium substituat, ibid. §. Quartò.

Tempore pestis grassantis Confessarius cautiones adhibere debet, vt ipse non inficiatur, & occumbat, sed pluribus prodesse possit. n. 4.

Tempore pestis grassantis; item ante conflictum cum hoste satis est interdum vnum, vel alterum peccatum singulorum pœnitentium etiam coram alijs explicatum intellexisse, vt absolutio conferri possit: interdum verò necesse est plures simul absoluere, quod etiam tempore naufragij accidere potest. ibid.

Confessarius pœnitentem ignorantia crassa & mortaliter culpabili laborantem monere debet; secùs, si inuincibili, aut saltem non mortaliter culpabili ignorantia laboret, & ex admonitione fructus non speretur. num. 5.

Impedimentum occultum dirimens plerumque significandum est sponso in Confessione, si nuptię nondum celebratę sunt; modò fructus aliquis secuturus putetur. num. 6.

Quotiescumque pœnitens dubitans de matrimonij valore, iure exigendi debiti &c. ex Confessario quærit, necesse est veritatem palam edicere. ibid.

Si Confessarius, consideratis circumstantijs, arbitretur pœnitentem integre confiteri, non debet eum interrogationibus fatigare. Sin verò putet eum non integre confiteri, aut de eo dubitet, prudenter & cautè interrogationes formare oportet. n. 7.

In interrogationibus formandis consultum est generaliora præmittere: præsertim circa vitia carnis cautè interrogandi sunt pœnitentes. n. 8.

Confessarius pœnitentem, dum peccata sua recenset, facilè interpellare non debet. n. 9.

Confessarius nunquam absoluere potest eum quem putat dispositum non esse, aut non integre, quatenus ei possibile, confessum esse; sed interdum dimittere debet, vt meliùs se præparet: plerumque autem expedit in ipsa Confessione interrogationibus, & admonitionibus hominem iuuare, aut dispositum reddere. n. 10.

Confessarius obligatur ex dolo, & culpa lata; sed magis pœnitenti, quàm alteri personæ. lib. 3. t. 4. c. 7. n. 5 §. Et quod.

Confessionis Sigillum.

Sigillum Confessionis est obligatio strictissima in omni casu obligans ad secreta tenenda ea, quæ dicta sunt, in ordine ad Sacramentalem absolutionem. eod. tr. 6. c. 14. n. 1.

Sigillum Sacramentale prouenit ex Christi institutione, quam per traditionem accepimus. n. 2.

Confessarius non obstante Confessione potest ea notitia vti, quam aliunde accepit. n. 3.

Sub sigillum Confessionis cadunt non tantùm peccata confitentis, sed etiam complicis; item peccatorum circumstantiæ, quas taceri pœnitentis interest. n. 4.

Sub sigillum Confessionis cadunt peccata omnia, non tantum præterita, sed etiam positum non abstinendi in futurum. n. 5.

Sigillum Confessionis violat Confessarius, si generatim dicat, Titium confessum esse peccatum mortale, casum reseruatum; aut si peccatum veniale in specie reuelet. n. 6

Si Confessarius duorum fratrum v. g. Confessiones excipere solitus, vnum eorum commendet, quòd exigua peccata ad Confessionem afferat, periculum quandoq; incurrit violandi sigilli, ob indirectam reprehensionem alterius. n. 7.

Confitentibus, tamen si ob indispositionem absoluti non sunt, Confessarius testimonium dare debet factæ Confessionis. n. 8.

Confessarius de peccatis ex sacramentali Confessione acceptis neque cum ijs loqui potest, qui ea antè cognita habent. n. 9.

Expedit vt Confessarius nunquam etiam generatim, ac nullâ nominatâ personâ loquatur de peccatis cognitis in Confessione, nisi necessitas postulet. n. 10.

Confessarius interdum generatim monere potest, vt caueatur, vigiletur: sed maxima adhibita cautione, vt possibile non sit confitentem in suspicionem venire. n. 11.

Confessarius interrogatus iurare etiam potest, se nihil scire de peccato, intellige vt priuatum hominem, cui edicere liceat n. 12.

Si Confessarius proprium peccatum confiteri non possit, nisi violando sigillum Confessionis, debet illud reticere. n. 13.

Vnicus casus est, quo obligatio sigilli Sacramentalis cessat, si pœnitens licentiam dedit loquendi de peccato suo. n. 14.

Si error in foro Pœnitentiæ commissus fuerit, qui postea corrigendus sit, debet pœnitens postea licentiam dare de peccato loquendi: sin dare nolit, nihilominus Confessarius errorem corrigere poterit. n. 15.

Si pœnitens licentiam loquendi de peccatis suis intra Confessionem dederit, reuocare deinde potest. n. 16.

Præter Confessarium, ad quem sigillum Confessionis principaliter spectat, etiam aliæ personæ obligantur ad tacendum, ad quas Sacramentalis Confessio immediatè, vel mediatè peruenit, v. g. astantes, interpres, ij quibus Confessarius peccatum manifestauit, &c. n. 17.

Si Confessarius cum licentia pœnitentis peccatum alteri manifestauit, non videtur iste obligatus sacramentali sigillo; nisi talis manifestatio facta sit ex causa pertinente ad sacramentalem Confessionem vel absolutionem. n. 18.

Qui scriptam Confessionem reperit, non videtur sacramenti sigillo astrictus, sed arctissimo secreto; ita tamen, vt in casu extremæ necessitatis reuelare possit. n. 19.

Si schedulæ repertor moraliter certus sit, non nisi leuia & non infamantia peccata in ea contineri, idóque ex curiositate legat, vel lecta euulguet, videtur venialiter tantùm peccare, ob materiæ paruitatem. ibid.

Pœnitens non obligatur sigillo sacræ Confessionis ad tacenda ea, quæ à Confessario dicuntur, sed interdum lege naturalis secreti. n. 20.

Etsi nunquam liceat alteri significare peccatum ex sola Confessione cognitum, accidere tamen potest, vt liceat facto aliquo significare ijs, qui peccatum antè cognitum habent, eius Confessionem factam esse, vt si pluribus conspirantibus in Parochi cædem, vnus eorum pœnitens propositi, confiteatur, hoc casu Parochus fugere non prohibetur. n. 21.

Confessarius notitia, quam ex sola Confessionis hausit, vti non potest in externa gubernatione, Sacramentorum ministratione &c. n. 22.

Forum Sacramentalis pœnitentiæ omnino segregatum est à foro iurisdictionis, & gubernationis externæ. num. 23.

Si complex peccati Confessario licentiam dedit, tunc potest alterum complicem speciatim examinare: alioquin plerumque tantùm generatim, & sicuti alias eiusdem conditionis personas interrogare debet. n. 24.

Confessarius credere debet pœnitenti, si neget se crimen aliquod commisisse, nisi euidenter sciat eum mentiri. n. 25.

Confirmationis Sacramentum.

Confirmatio est verum nouæ legis Sacramentum à Christo institutum. l. 5. tr. 3. c. 1. n. 1.

Sacramentum Confirmationis tanquam stabilis cæremonia semper in Ecclesia vsurpatum fuit. n. 2.

Materia remota huius Sacramenti est Chrisma ex oleo & balsamo confectum, atque ab Episcopo benedictum: quæ omnia ad Sacramenti essentiam spectant. c. 2. n. 1.

Probabilius est, quòd Papa Sacerdoti simplici potestatem Chrismatis consecrandi dare non possit. num. 3.

Materia proxima huius sacramenti est vnctio Chrismatis in fronte facta manu Episcopi in crucis figuram, quæ omnia ad essentiam spectare videntur. n. 4.

Credibilius est Apostolos semper confirmasse baptizatos per Chrismatis vnctionem, & hanc ipsam vocari manus impositionem. n. 5.

Forma Sacramenti est, Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris &c. c. 3. num. 1.

Antiqui Patre formas Sacramentorum in arcano tenebant, ne infidelibus irridendæ proderentur. n. 3.

Effectus Sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis; insuper actualis gratiæ auxilium ad fidem Christi constanter profitendam. cap. 4. n. 1.

Conuenit vt adulti ante susceptionem Confirmationis de peccatis sacramentaliter confiteatur: quare Episcopi confirmandos itémque ordinandos ad id exhortari debet, vel etiam præcipere, si Ecclesiæ consuetudo ita exigat. n. 2.

Subiectum capax huius sacramenti est omnis & solus homo baptizatus. c. 5. n. 1.

Olim infantibus quoque statim post Baptismum sacramentum Confirmationis conferebatur, nunc autem in plerisque Ecclesijs non confertur ante rationis vsum, qui circa septennium ferme contingit. n. 2.

Interdum etiam ante septennium pueri & puellæ confirmari possunt, videlicet si vsum rationis ante consequantur; Si diu non futura sit occasio Sacramenti suscipiendi: in periculo mortis existant, & Sacramentum opportunè consequi possint; Si diœcesis consuetudo sit, vt ante eam ætatem confirmentur. eod. num. 2. §. sufficit.

Post septennium si puer rationis vsum habeat, non expedit Sacramentum differre, quia dignius suscepitur ab innocente: ipsumque Sacramentum remedij loco est, vt homo à grauioribus lapsibus custodiantur. ibid.

Qui vsum rationis semel assecutus, postea in amentiam incidit, confirmari debet; nisi constet in statu mortalis peccati fuisse, cùm in amentiam laberetur, vel nisi spes sit vsum rationis recuperandum esse. n. 3.

Nihil obstat, quò minùs etiam ijs, qui perpetuò amentes sunt, Sacramentum hoc conferatur: licet multis Ecclesijs tales non confirmentur. ibid. Dicto. 2.

Morituri etiam pueri rectissimè confirmentur; cùm sint capaces & digni, & nisi confirmentur detrimentum spiritualis perfectionis patiantur: dummodo Episcopo vacet ad morituros accedere. ibid. q. 3.

Hodie non extat præceptum obligans sub peccato ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum, si scandalum & contemptus absit. n. 4.

Hodie cùm Espiscopus Sacramentum hoc ministraturus est, admonetur populus non strictè imposito præcepto, vt qui confirmati non sunt, ad confirmandum accedant vel adducantur. ibid. in fine.

Minister ordinarius huius sacramenti solus Episcopus est: quamuis Papa ex plenitudine potestatis Sacerdoti simplici committere possit. c. 6. n. 1.

Ad legitimam huius Sacramenti ministrationem iurisdictio etiam requiritur: quare Episcopus non nisi eos qui spiritualiter ipsi subditi sunt confirmare debet, nisi habeatur licentia, saltem rationabiliter præsumpta alterius Ordinarij. n. 2.

Si confirmante Episcopo in propria diœcesi accurrant etiam accolæ ex aliena, licitè confirmantur ob præsumptionem gratum id fore alteri Episcopo. Ibid.

Episcopus grauiter peccat, si longo tempore Confirmationis Sacramentum conferre intermittat. n. 3.

Coniugalis actus.

Generatio prolis est præcipuus finis actus coniugalis; nisi per accidens, videlicet propter sterilitatem, aut senectutem, proles disperetur. lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 4. n. 1.

Licitum est coniugio vti ad vitandam incontinentiam, non tantùm in coniuge, sed etiam in se ipso. num. 2.

Solius corporalis sanitatis causa coniugio vti videtur esse culpa venialis. n. 3.

Etiamsi proles desperata sit, & nullum periculum incontinentiæ vrgeat, non videtur esse illicitum coniugio vti propter sanitatem, etiam petendo. ibid.

Propter voluptatem, tanquam finem operationis, coniugio vti, est peccatum veniale. Sed admittere voluptatem in ijs operationibus, quibus eam natura adiunxit ad proprios fines, non est alienum à recta ratione. eod. n. 4. in fine.

Coniunx coniugi debitū coniugale seriò, ac rationabiliter petenti sub culpa mortali reddere tenetur. eadem. p. 3. c. 1. n. 1.

Confessarius interdùm coniuges interrogare debet, an coniugali debito satisfacere parati fuerint. ibid.

In Ecclesia, siue loco sacro coniugi actum exercere sacrilegij crimen est, excepto necessitatis casu. Ibid.

Coniunx contra iustitiam delinquit, si ieiunijs, alijsq; carnis afflictionibus notabiliter se impotentem reddat ad vsum coniugalem. n. 2.

Coniugi adultero, si eius adulterium cognitum est, iustè coniugij debitum negatur. n. 3.

Coniunx adulter, dum eius adulterium ignotum est, debitum exigere non prohibetur. n. 4.

Si debitum reddituro graue periculum salutis corporalis timeatur, iusta est causa denegandi. n. 5.

Si coniunx leprosus fiat, alter coniunx sanus non omnino liberatur obligatione debiti, si sine maxima difficultate reddere possit, nisi loci consuetudo talem præsertim frequentem accessum ad leprosos propter publicæ contagionis periculum prohibeat. n. 6.

Si ex vsu coniugali probabile mortis periculum proli conceptæ timeatur, iusta est causa negandi. n. 7.

Si causa nocumenti, quod proli inferetur, temporalis sit, plerumque culpa venialis est sine necessitate coniugij actum exercere. n. 8.

Coniugi petenti in ebrietate, aut amentia, sine peccato negari potest, cùm non rationabili modo petat. num. 9.

Qui ante nuptias votum continentiæ ediderat, coniugij debitum à coniuge petere non potest ante dispensationem factam ab Episcopo, aut priuilegiato; reddere tamen tenetur. n. 10.

Qui post matrimonium, ante eius consummationem, continentiam simpliciter vouit, nec petere, nec reddere potest, sed Religionem ingredi debet, nisi iuris ignarus vouerit. n. 11.

Si coniunx cum consensu coniugis continentiam absolutè vouit, à coniugij actu abstinere debet, tam reddendo, quàm petendo. Sin verò absque consensu votum edidit, seruire illud debet, quatenus potest. num. 12.

Coniunx qui ante matrimonium continentiam vouit, vel post matrimonium debitum se non exacturum, plerumque iudicare debet coniugi votum, ne suspicionem odij concipiat. Quòd si tale votum, magnam difficultatem afferat alteri cōiugi, interdum cessabit eius obligatio. Longè autem tutius est, in tali casu dispensationem petere. ibid. §. Id solum.

Incestus commissus cum consanguineo, vel consanguinea coniugis intra primùm, vel secundum gradum, impedit, quominus incestuosus matrimonio vti possit petendo: idque locū habet, etsi incestus occultus sit. n. 13.

Certi casus sunt, quibus priuatio debiti coniugalis propter incestum non incurritur: vt si ignorantia excu-

sauit, vel violentia illata fuit. n. 14.

Episcopus super petendo debito cum coniuge incestuoso dispensare potest. n. 15.

Nimia multiplicatio prolis ordinariè non excusat à redditione debiti coniugalis, nisi mutuum pactum accedat. n. 16.

Si culpa coniuncta petitioni coniugalis debiti proueniat ex circumstantia tenente se ex parte solius petentis, licitum est reddere: sin autem ex circumstantia tenente se ex parte actus coniugalis, reddere illicitum est. n. 17.

Si exigere debitum sit culpa venialis, reddere nulla culpa est. n. 18.

Conscientia.

Est actus intellectus practici, iudicantis aliquid hic, & nunc agendum esse, vel fuisse, tanquam bonum honestum; vel fugiendum esse, aut fuisse, tanquam inhonestum. Vel sic: Conscientia est iudicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principijs vniuersalibus contentis in synteresi. l. 1. t. 1. c. 2. n. 1.

Conscientia partim se extendit ad opera nostra præterita, ea accusando tanquam malè facta; aut commendando tanquam rectè facta: partim verò se extendit ad opera futura, dictando vtrum agenda, vel omittenda sint. num. 2.

Conscientia de agendis est actus elicitus à virtute prudentiæ. n. 3.

Conscientia alia est vera, recta; & alia falsa, errans, quæ tamen impropriè conscientiæ nomen meretur. c. 3. n. 1.

Conscientia erronea interdum inuincibilis est, & interdum vincibilis. n. 2.

Conscientia alia est consulens seu suadens aliquid agendum, vel omittendum, alia autem est præcipiens. n. 3.

Conscientia recta præcipiendo, vel prohibendo voluntatem obligat, vt peccet, nisi illam sequatur. cap. 4. num. 1.

Voluntas peccat, quotiescunque agit contra conscientiam erroneam præcipientem aut prohibentem. num. 2.

Operans contra conscientiam errantem ea specie peccati, & contra eam virtutem delinquit, sicuti intellectus iudicat. ibid. in corollario.

Conscientia inuincibiliter errans obligat voluntatem ad sequendum: errans autem vincibiliter obligat tantùm ad non repugnandum, dum ea perseuerat. n. 3.

Errans vincibiliter non est simpliciter perplexus, aut constitutus in absoluta peccandi necessitate, cùm possit ac debeat deponere errorem n. 4.

Si aliquis eò perplexitatis deueniat, vt vtrumque oppositorum existimet esse peccatum, eóque errore nec per se, nec per alium explicare se possit, eligere debet quod minus malum apparet. Quòd si neque hoc ipsum arbitrari possit, non peccabit quicquid egerit, quia nemo necessitate peccat. ibid. §. Quod si.

Scrupulus non est conscientia appellanda, cùm non sit iudicium, sed vana apprehensio, & hinc ortus timor peccatum alicubi esse, vbi non est. eod. tract. 1. c. 3. n. 4. & c. 6. n. 1.

Indicium hominis scrupulosi est, si contra sapientium, imò etiam proprium iudicium tale quippiam agere peccatum esse, nihilominus inquietus sit. eod. n. 1.

Scrupulosi plerumque in aliena causa iudicant sine formidine, hominémque absoluunt: at verò si idem casus ipsis eueniat, statim formidant peccatum inesse. ibid.

Contra scrupulos operari licitum, atque consultum est. n. 2.

Scrupulorum plura remedia sunt. eod. c. 6. n. 2.

Consuetudo.

Est ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex. l. 1. tr. 4. c. 24. n. 1.

Ad ius consuetudinis introducendum quatuor requiruntur: I. est actus liberè à populo frequentatus. II. Temporis diuturnitas. III. Scientia, & tacitus consensus potentis legem condere. IV. Vt frequentetur actus tanquam ex obligatione. n. 2.

Si populus legem condere non possit, tum neque ius consuetudinis introducere potest, nisi accedat approbatio, siue consensus Superioris, saltem tacitus: vt si longo tẽpore toleret, cùm prohibere possit. ib. in 3. requisito.

Triplex est consuetudo: Vna secundùm legem altera præter legem, quæ & iuris coustitutiua dicitur, tertia contra legem, quæ iuris abrogatoria dicitur. n. 3.

Consuetudo contra legem, quæ & desuetudo dicitur, vt legem vincat, & abroget, rationabilis esse debet, ac legitimè præscripta. n. 4.

Ea consuetudo irrationabilis est, quæ vel iuri naturali, aut diuino aduersatur, vel iure canonico reprobatur, vel peccandi licentiam aut occasionem præbet, vel alia ratione communi vtilitati perniciosa est. ibid.

Qui legem condere non possunt, interdùm tamen legem per diuturnam contrariam consuetudinem abolere, seu aduersus eam præscribere possunt. n. 5.

Ad præscribendum contra legem ciuilem ordinariè decennium requiritur, aduersus Ecclesiasticam 40. annorum spatium. n. 6.

Si lex resistat consuetudini introducendæ, non potest ea præualere, nisi immemorialis sit. n. 7.

Si lex non prohibeat tantùm, sed etiam reprobet consuetudinem tanquam irrationabilem, intelligitur quoque de immemoriali. n. 8.

Regula illa, *Quæsibilia priuilegio, sunt etiam quæsibilia per consuetudinem, saltem immemorialem,* locum non habet, si consuetudo vt irrationabilis damnata sit. n. 9.

Consuetudo aduersus legem procedere potest legislatore ignorante. n. 10.

Ad præscribendum contra legem, seu introducendam consuetudinem aduersus legem bona fides requiritur. num. 11.

Etsi primi temere legem Reip. vtilem transgredientes præscriptionem inchoare non potuerint, eorum tamen successores, dum bona fide vestigijs antecessorum insistunt, prẽscriptionem contra legem incipere, ac perficere possunt. ibid.

Consuetudo etiam in sacramentalibus, v. g. vt nuptię secundę benedicantur, aduersus ius commune introduci potest, si in sacris canonibus reprobata non sit. n. 12.

Impedimentum matrimonij dirimens per desuetudinem tolli potest, non autem nouum impedimentum per consuetudinem introduci, ignorante Papa. n. 13.

Consuetudo cœpta, & nondum consummata vnico actu contrario interrumpitur. n. 14.

Vt lex contraria consuetudine abrogetur, non sufficit merus eius non vsus, quia occasio seruandi non incidit, sed requiritur non vsus legis contrarius, id est, casum legis aliquoties accidisse, & contra eam publicè factitatum fuisse. ibid.

Consuetudo abrogatiua legis species quędam est prę scriptionis. n. 15.

Contentio.

Definitur impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. l. 2. tr. 3. c. 11. n. 2.

Veritas vel oppugnatur formali intentione, vel intentione virtuali, si quis doctrinam oppugnet non curans, siue vera sit, siue falsa. Et eadem ratio est de eo, qui veritatem oppugnat per culpabilem ignorantiam: quo modo plerique hæretici dogmata Catholica impugnare solent. ibid.

Contentio seu veritatis oppugnatio directè, vel indirectè voluntaria, est ex genere suo peccatum mortale oppositum paci, ac charitati. ibid.

Oppugnatio falsitatis, quæ ex objecto laudabilis est, interdum vitiatur inordinato modo clamoris, gestuum: item ex circumstantijs personarum, loci, temporis non congruentibus. n. 3.

Disputatio de rebus Fidei interdum illicita est, siue ex parte disputantis, si non sit satis doctus, & in Scriptura, ac Fidei controuersijs versatus; siue ex parte eorum, coram quibus disputatur, si sint homines simplices, indocti, & in Fide inconstantes. ibid.

Optimus cum hæreticis disputandi modus est, si doctrinæ illorum inconstantia, contrarietates, mendacia, crebræ falsationes ostendantur, & tanquam Rei conuincantur. ibid. §. Cęterum.

Contritio, attritio, Pœnitentiæ actus.

Pœnitentia tum præteritæ vitæ detestationem, animíque dolorem, tum nouæ vitæ inchoationem continet. l. 5. t. 6. c. 1. num. 1.

Pœnitentiæ virtus definitur detestatio ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa Dei, intentione eam abolendi, ac compensandi num. 2.

Pœnitentiæ virtus est pars quædam iustitiæ erga Deum. num. 3.

Duplex est pœnitentiæ actus; vnus perfectus, qui dicitur contritio; & alter imperfectus, qui attritio in scholis appellari solet. num. 4.

Veræ contritionis actus tum à charitate, tum à pœnitentiæ virtute procedit; cùm sit dolor animi de peccato, tanquam summo malo abolendo, quatenus Deo super omnia diligendo repugnat. num. 4. & 5.

Pœnitentiæ virtus extendit se etiam ad abolendam pœnam peccatis debitam, adeóque ad satisfactoria opera Deo exhibenda. num. 5.

Contritio, propter inclusum dilectionis actum, in omni lege fuit congrua dispositio per Christi merita consequendi iustificationem num. 6.

In vera contritione continetur propositum saltem implicitum seruandi mandata Dei. num. 8.

Per actum pœnitentiæ perfectum deletur quidem reatus culpæ, & qui inde consequens erat, reatus pœnæ æternæ, si culpa mortalis fuerat; remanet tamen plerumque reatus aliquis pœnæ temporalis. ibid. §. Sextum.

Qui verè contritus est, is saltem implicitè paratus esse debet quoduis aliud malum potiùs perferre, quàm contra Deum peccare. num. 7.

Attritio seu imperfectus dolor de peccatis, vt homini vtilis sit ad salutem, debet prouenire ex motiuo non merè humano, ac naturali, (quale est quòd peccatum honestati morali repugnet, infamiam, vel pœnam conciliet) sed ex motiuo supernaturali; vt quia pœnam æternam meretur &c. num. 9.

Attritio cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ, in lege noua sufficit ad hominis adulti iustificationem. Sed ante legem gratiæ nemo adultus à peccato mortali liberari, & iustificari poterat sine vera contritione, charitatem Dei includente. eodem tract. 6. cap. 2. num. 2.

Ad consequendam iustificationem in Sacramento Baptismi sufficere videtur attritio virtualis, si homo peccatorum suorum tunc memor non sit. num. 3.

Pœnitentia in omni lege necessaria fuit hominibus lapsis, tum necessitate medij ad salutem, tum etiam necessitate præcepti diuini; ita, vt ob eius transgressionem nouum impœnitentiæ peccatum incurrant. eod. c. 2. n. 1. & 4.

Contumelia.

Est iniusta honoris imminutio, scienter facta: requirit enim scientiam, & dolum; cùm sit vilipensio quædam, l. 3. tract. 3. p. 2. c. 6. num. 1.

Ad contumeliam sufficit propositum virtuale, quæ dicitur intentio operis, si quis scienter talem actionem exerceat, ex qua alterius honor suapte natura minuitur. ibid.

Ebriosus contumeliam inferre non potest. ibid. & l. 4. t. 10. c. 6. num. 3.

Non tantùm presens, sed etiam absens cùm honorari, tum contumelia affici potest. num. 1.

Iniuria siue contumelia alia atrox est, & alia leuis ibid. §. Notanda.

Contumelia tribus modis accidit: verbo, scripto, & facto. num. 2.

Ioci causa, & ad conuenientem animi recreationem, leuem alicui defectum obijcere, vrbanitatis est: nisi periculum sit hominem contristandi, vel ad iram concitandi. ibid.

Obiurgatio per conuitium rarò adhiberi debet correctionis causa: præsertim à Prælatis Ecclesiasticis, & præceptoribus regularibus. ibid. §. Præterea.

Conuitium inferenti non licet referre: secuti nec percutientem repercutere, vindictæ causa: secus si fiat cum moderamine inculpatæ defensionis. Ibid. §. Porrò.

Libello famoso grauis pœna iure decreta est: nisi crimen publicum sit, quod puniri Reip. interest. n. 3.

Magnum peccatum est, si hominem derideas ob virtutis exercitium. ibid. §. duo.

Irrisio parentum graue peccatum est, quod Deus grauiter punit. num. 4.

Iniuriam interdnm patimur directè, & per nos ipsos, interdum verò indirectè, in alijs personis ad nos pertinentibus. num. 5.

Defuncti quoque cadaueri, funeri, sepulchro, imagini, sicuti honor, ita & contumelia irrogari potest, quam actione prosequi ad heredem illius spectat. ibid.

Iniuriarum duplex actio est: vna ciuilis, ad pœnam applicandam actori, & altera criminalis, ad pœnam publicam: Et vtrà quis malit experiri potest, sed vnâ institutâ, altera tollitur. ibid.

Actio iniuriarum pœnalis est, nec ad hæredes transiante litis contestationem: in quo differt ab actione merè ciuili, ad illati damni compensationem spectans. ibid. §. Secundum.

Si iniuriam passus etiam imposterum mali quippiam ab Aduersario timeat, implorare potest Iudicis officium, quo compellatur ille cautionem prestare de non offendendo, vel securiatis causa in carcerem detrudatur. ibid. §. quartum.

Actio iniuriarum tollitur morte offendentis, vel offensi, eiusdemque remissione; item prescriptione. num. 7.

Qui alteri subitus est, filius familias, vxor, Religiosus, non potest inuito illo, ad quem iniuria indirectè redundat actionem remittere. Pater vero reclamente etiam filio, & Conuentus reclamente Religioso, cui iniuria facta est, condonare non prohibetur. ibid. §. Cęterum.

Etsi aliquis iniuriarum egit ciuiliter, vel criminaliter, vel iniuriam condonauit, vel si tempus agendi, videlicet anni spatium, elapsum est, nihilominus tam ipse, quam eius heredes actionem merè ciuilem intra triginta annos ad damni illati compensationem instituere possunt.

Correctio fraterna.

Est actus misericordię spiritualis, quo per couenientem sermonem proximum à malo peccati ad bonum honestatis conuertere nitimur. l. 2. tr. 3. c. 7. n. 1.

De ea extat pręceptum Domini. cuius obligatio suopte genere est sub martali: sępenumero autem omissio correptionis venialis efficitur, seu propter indispositionem eius, qui corripere deberet, seu propter materię seu peccati emendendi paruitatem. n. 2. & 3.

Pręceptum corripiendi non obligat, Si credas fratrem iam emendasse, vel mox per se emendaturum esse delictum, aut saltem non repetiturum: Si alius adsit ęquè idoneus, qui emendaturus existimatur: Si spes fructus ex correptione non affulgeat: Si locus, tempus, alięque circumstantię ad corripiendum opportunę non sint. eod. n. 2. §. Corripe.

Probabilius est, obligationem nobis incumbere sub peccato veniali ad corrigenda peccata, etiam leuia pro-

ximorum, si facillimè possimus. n. 3. dicto 3.

Corripiendi officium iustorum magis proprium est. Sed neque peccator omnino obligatione liber est: quamquam non superbè obiurgando, sed congemiscendo, propriámque culpam fatendo id agere debet. ibid. in fin.

Culpa, casus fortuitus.

Casus est rei inopinatæ euentus, qui neque à diligentissimo caueri potest, aut debet. l. 3. tr. 4. c. 7. n. 2.

Culpa est discessus ab eo, quod bonum, ac debitum est, hominisque diligentia præstari potest. ibid.

Culpa diuiditur in latam, leuem, ad leuissimam. eod. n. 2. §. Diuiditur.

Culpa alia dicitur merè ciuilis, quod est peccatum contra artem, industriam, sæpe inuoluntarium, & coram Deo excusatum: alia autem est culpa Theologica, quod est peccatum contra mores, & legem Dei. ibid. §. Quædam.

Culpa lata in delictis dolo non æquiparatur, sicuti in contractibus. l. 3. tr. 3. p. 3 c. 4. n. 1. §. Qui per culpam.

D.

Damnum.

Damnificatio duplex est, vna lucrosa, & altera non lucrosa. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 1.

Damnificatio interdum absque culpa fit, vt si infans, vel furiosus damnum det: aut si iusta causa adsit, v. g. si domus vicini igne correpta destruatur, etiam ea parte, qua nondum correpta est, ad ignem arcendum. quibus casibus nulla resarciendi obligatio est. ibid.

Si domus vicina destruatur, ne ignis damnum accolis inferat, ab omnibus communiter secundùm æquitatem præstandum est: sicuti etiam de iactu mercium statutum. ibid.

Qui nullo pacto præcedente, damnum dedit absque culpa Theologica, in conscientiæ foro ad nullam restitutionem obligatur: secùs in foro externo, vbi actio datur ex lege Aquilia. n. 2.

Si mancipium, vel bestia damnum intulit absque Domini culpa, præstare is non tenetur, ante Iudicis sententiam. ibid.

Qui damnum alteri intulit per culpam venialem, quia animo præcipitauit: is, secluso pacto, damnum resarcire debet non integrum, sed secundùm proportionem culpæ. num. 4.

Qui damnum infert certo restituendi proposito, minus delinquit: imò, si causa subsit, fieri interdum potest, vt omni culpa vacet. ibid.

Debitor.

Debitor ex contractu soluere debet tempore, de quo inter partes conuentum est: tametsi creditor tunc non exigat. l. 3. tr. 2. c. 10. n. 1.

Debitor ex delicto, ob iniustam læsionem, aut rei alienæ detentionem, cumprimum potest, restituere tenetur. num. 2.

Quæ iniustè accepta sunt, sumptibus eius qui accepit, ad Dominum deferenda sunt, vt is omnino indemnis seruetur. num. 3.

Debita ex contractu eo loco solui debent, de quo inter partes expresè, vel tacitè conuentum fuit. n. 5.

In censu reali solutionem pensionis fieri conuenit, vbi res frugifera sita est. In personali censu, vbi persona obligata domicilium habet: nisi consuetudine aliud obseruetur. eod. n. 5. §. alij.

Si creditor oblatum sibi debitum recipere nolit, consultum est apud iudicem deponi. n. 6.

Debita ex contractu incerta, id est, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non potest, à debitore licitè retinentur, eod. tract. 2. c. 9. n. 1.

Debita incerta, prouenientia ex delicto, pauperibus, vel Ecclesiæ restitui debent. n. 2.

Qui sine causa excusante, alteri iniustè v. g. pugnaturo pecuniam mutuò dat, vel ex contractu debitam sine necessitate restituit, contra iustitiam peccat, n. 7.

Soluens creditori sui creditoris obligatione liberatur. num. 8.

Si chicographum seu instrumentum debiti penes debitorem reperiatur, præsumptio est factæ solutionis. n. 10. §. Sed quid.

Debitor restituere non cogitur cum grauiore damno sibi, vel alteri inferendo, quàm æstimari possit commodum restitutionis: vt si maiores expensas facturum sit in re transmittenda, quàm valeat. eod. tr. 2. c. 12. n. 1.

Debitor non liberatur: obligatione restituendi, quia maius lucrum ipsi cessabit, quàm commodum creditori ex restitutione obueniet. num. 8.

In pari causa potior est conditio creditoris, quàm debitoris: excepta necessitate extrema, in qua melior est conditio possidentis. num. 2.

Qui ex furto vsuris, &c. debitor est, si ei cui restituendum esset, tantundem donet, immemor sui debiti, non videtur obligatione liberari. n. 9.

Si debitor ex delicto, v. g. fur, rem restituendam committat Confessario, is verò defraudet, aut fugiat, non liberatur primus debitor. n. 10.

Ære alieno grauatus, si manendo in seculo debita se soluturum existimet, non potest creditoribus inuitis Religionem ingredi, quamuis eam vouerit, n. 6.

Si debitis obstrictus contra creditorum voluntatem Religionem professus est, adhuc obligatus manet, adeò, vt interdum egredi teneatur: sicuti & filius, qui patrem graui inopia pressum, cùm iuuare debuisset, ingrediendo Religionem deseruit, n. 7.

Si debita omnia ob debitoris impotentiam restitui non possint; quæ certa sunt, præferenda incertis. Nisi res aliena in specie extet apud iniquum possessorem: ea enim pauperibus restitui debet, si proprio domino non possit, eod. tract. c. 11. n. 1.

Qui accepit facultatem vendendi, non ideo emptori fidem habere potest de pretij solutione, n. 2.

Impensa funeris, & Medicorum honoraria ante alia defuncti debita solui debent, n. 3.

Creditores hypothecarij præferuntur iis, qui solam debitoris personam obligatam habent, n. 4.

Inter hypothecarios creditores, qui priores hypothecas habent, aliis anteponuntur: exceptis casibus iure expressis. n. 5.

Si creditoribus merè personalibus, nullúmque iuris priuilegium habentibus plenè satisfieri non possit, soluendum est secundum proportionem debitorum; siue ex contractu, siue ex delicto proueniant, nulla etiam habita ratione prioritatis, aut posteritatis. n. 6.

Si vnus creditorum ante alios, quamuis priuilegiatos, sed nullam hypothecam potiorem habentes, debitum suum exigat; ei solui potest, antequam bona Iudicis auctoritate occupantur. Idémque dicendum, si vnus creditorum graui inopia prematur. n. 7.

Debitor non censetur alienasse in fraudem creditorum, si ob id facultates eius diminutæ non sint; vel si aliquid comparatum, quod necessarium sit ad conseruationem vitæ, honoris, status iustè acquisiti. n. 8.

Qui ære alieno grauatus hæreditatem sibi delatam repudiat, non censetur id agere in fraudem creditorum: sed in conscientiæ foro videtur aduersus iustitiam delinquere, si alioquin soluendo impotens sit. l. 3. tr. 5. c. 6. n. 6.

Vxor, & filij à marito debitis grauato accipere possunt alimenta, seu sustentationem necessariam, absque restituendi obligatione: quamuis maritus ob hanc causam familiæ alendæ, noua debita contraxerit. n. 9.

Decimæ.

Spectato communi iure canonico, ex omnibus licitè acquisitis decima pars Ecclesiæ Ministris debetur. l. 4. tr. 6. c. 1. n. 1.

Absque temeritate negari non potest, decimarum præ-

ſtationem Eccleſiæ Miniſtris fieri ſolitam, à prima Eccleſia hucuſque inter Chriſtianos vſitatam fuiſſe. n. 2.

Decimæ aliæ prædiales ſunt, aliæ perſonales, & aliæ mixtæ. n. 3.

Decimæ prædiales, ac mixtæ integræ ſolui debent, non deductis impendiis: ſed lucrum induſtriæ intelligi non poteſt, niſi deductis impenſis. n. 4.

Decimæ aliæ Eccleſiaſticæ ſunt, & aliæ laicales. n. 5.

In dubio decimæ cenſeri debent non laicales, ſed Eccleſiaſticæ. n. 6.

Decimæ materialiter, & ſecundùm ſubſtantiam de iure naturali, ac diuino ſunt; formaliter verò & ſecundùm determinationem de iure Eccleſiaſtico. eod. tr. c. 2. n. 1.

Præceptum de decimis in veteri lege iudiciale potiùs fuit, quàm cæremoniale. n. 2.

Cæremoniales veteris teſtamenti leges non ſolùm abolitæ, ſed etiam earum obſeruatio Chriſtianis interdicta eſt. eod. n.

Decimæ ex lege iuſtitiæ Parochis præſtandæ ſunt à fideli populo. n. 3.

Parochus actione ex canone decimas petere poteſt à quouis earum poſſeſſore. n. 4.

Eccleſia, ſiue Parochus aduerſus fructuum non decimatorum deſtructorem actionem inſtituere poteſt. n. 5.

Colonus partiarius decimas dare debet, proportione fructuum, qui ipſi manent, ratione culturæ. n. 6.

Omnes, & ſolæ perſonæ, quæ in ſpiritualibus ſubditæ, è manu Sacerdotis Sacramenta ſuſcipere debent, ad præſtandas decimas perſonali debito obligantur. eod. tract. c. 3. num. 1.

Clerici ſeculares non curati ex propriis noualibus decimas ſoluere debent. n 2.

Clerici ex Eccleſiaſticis reditibus nullas decimas perſoluunt. n. 3.

Religioſi, ſpectato communi iure, ad præſtationem decimarum per ſe, ac perſonaliter obligantur: ſed per priuilegia exempti ſunt. Quare hodie ex noualibus ſuis decimas nullas dare debent: ſicuti nec leproſi in communi viuentes. n. 4.

Nouale dicitur prædium de nouo cultum, cùm antè non coleretur, ideóque nullum, aut modicum fructum ferret. eod. n.

Ad decimas ex reali obligatione, omnes cuiuſcunque conditionis perſonæ obligantur: etiam ipſæ interdum parochiæ, ſi dotationis, aut legati nomine poſſideant prędia ad alias parochias pertinentia. n. 5.

Qui graui paupertate premuntur, ita vt ſolutis decimis neceſſaria non habeant ad ſe, ſuóſque alendos, interim à decimis immunes eſſe debent. n. 6.

Decimæ perſonales, vbi in vſu ſunt, præſtari debent Eccleſiæ parochiali, ad quam quinque fidelium ſpectat. eod. tract. c. 4. n. 1.

Decimæ prædiales ſoluendæ ſunt Eccleſiæ parochiali, intra cuius terminos prædia ſita ſunt. n. 2.

Parochus communi iure aduerſus quemlibet poſſeſſorem iuris decimandi intentionem fundatam habet. n. 3.

Decimæ debentur Eccleſiæ matrici, non filiali. n. 4.

Decimæ mixtæ ex fructibus, & fœtu pecorum, debentur parochiæ, intra cuius terminos pecora paſcuntur. n. 5.

Quarta pars decimarum communi iure Epiſcopo debetur, quamuis id multis locis non ſeruatur. n. 6.

Certi tamen caſus ſunt, quibus adhuc hodie integræ decimæ ad Epiſcopum pertinent. eod. n.

Decimæ prædiales debentur, cumprimum fructus ſolo ſeparati, & collecti ſunt. c. 5. n. 1.

Ipſemet parochus decimas prædiales ad horreum ſuum deferre debet, niſi aliter conſuetudine loci obſeruetur. num. 2.

Domini, vel villici prędiorum frumentum, alióſque fructus non antea in horrea ſua condere debent, quàm Parochos monuerint, vt ipſi, vel Procuratores eorum fructuum collectioni aſſiſtant. Ibidem. §. Inſuper.

Perſonales decimæ ex lucris, vbi ex in vſu ſunt, commodiſſimè ſoluuntur elapſis annis ſingulis, ſicuti alij cenſus & tributa pendi ſolent. ibid. aſſert. 3.

Parochus recuſantem ſoluere decimas non poteſt Eccleſiâ prohibere, ſed debet cauſam ad Ordinarium loci deferre. n. 3.

Prælati ſubditos compellere debent ad ſolutionem decimarum, niſi propter ſcandalum ad tempus diſſimulandum eſſe videatur. n. 4.

Ius decimarum ab Eccleſiaſticis perſonis per tranſactionem, compromiſſum, aut permutationem, cum Ordinarij auctoritate, acquiri poteſt. eod. tr. c. 6. n. 1.

Ius decimarum, quatenus in ſpirituali titulo fundatum eſt, vendi, aut permutari cum re temporali non poteſt. num. 2.

Vtilitas decimarum, quæ eſt ad fructus percipiendos, ſpectatâ rei naturâ, vendi, laicis concedi, aut locari poteſt. n. 3.

Epiſcopi poſt Concilium Lateranenſe decimas perſonis laicis in perpetuum feudum dare non potuerunt. n. 6.

Si Laicus decimas tanquam in feudum conceſſas à tempore immemoriali poſſideat, in dubio præſumitur ante Conc. Lateranenſe acquiſiuiſſe. n. 5.

Nihil obſtat, quominus Prælati laicis decimas ad tempus concedant, cum debita ſolemnitate, & ob iuſtam cauſam. n. eod.

Decimæ in feudum legitimo iure conceſſæ, poſſunt iterum concedi. n. 6.

Contra proprium Parochum ius decimarum ab Eccleſiaſticis perſonis cum titulo præſcribitur annis 40. ſine titulo autem, tempore immemoriali. n. 7.

Laici non poſſunt per præſcriptionem acquirere decimas, niſi ea fundata ſit in opinione, aut præſumptione alicuius legitimæ conceſſionis. n. 8.

Immunitas à ſoluendis decimis, cum titulo, & bona fide, 40. annis præſcribi poteſt; ſine titulo autem requiritur tempus immemoriale. n. 9.

Conſuetudo populi aduerſus legem decimarum ſine titulo, & Summi Pontificis conſenſu præualere non poteſt, niſi tempore immemoriali. n. 10.

Delectatio Moroſa.

Duplex eſt voluntatis affectus, vnus efficax, qui dicitur propoſitum, alter ſimplex complacentia, ſine exequendi voluntate. lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 1.

Aliud eſt delectari de re cogitata, aliud verò delectari de ipſa ſuſcepta cogitatione: hæc enim per ſe mala non eſt, licet circa rem ſecundùm ſe malam, v. g. fornicationem, occupetur. n. 2.

Aliud eſt delectari de opere malo; & aliud delectari de modo operandi malè. n. 3.

Omnis delectatio directè voluntaria de opere ſecundùm ſe malo, ſimiliter mala eſt. n. 4.

Delectatio voluntaria circa malum, moroſa vocali ſolet; non quòd moram temporis requirat, ſed quia, poſt rationis animaduerſionem, voluntas in ea acceptanda perſiſtit, quod inſtante fieri poteſt. n. 5.

Si quis ſine cauſa, aut neceſſitate actionem exercet, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram, tamen ſine directa intentione, & ſine periculo conſentiendi, is peccat tantùm venialiter: Sin verò cauſam iuſtam habet talem actionem exercendi, nihil peccat, permittendo carnis motionem exinde oriri. n. 6.

Si homo turpis obiecti cogitationem, & hinc ortam ſenſitiuam delectationem repellere intermittat; quòd placeat illi res cogitata, & hinc ortus motus in parte ſenſitiua; committit peccatum mortale delectationis moroſæ. Sin verò ideo expellere negligat, quia confidit de conſtantia partis ſuperioris, non inclinatæ ad conſenſum, probabile eſt non peccare eum mortaliter. n. 7.

Vt tamen dicta ſententia etiam practicè probabilis ſit,

requiritur, vt voluntas omittens carnalem delectationem, animum ad alia contertendo, depellere, interim formalis displicentiæ actum exerceat. n. 8.

Oblectari iis absolutè, & secundùm se, quæ ideo tantùm mala sunt, quia lege positiua, aut voluntario voto prohibita, non est mortale peccatum delectationis morosæ. n. 9.

Non est mortale peccatum opus prohibitum desiderare, vel in eo delectati, sub conditione si prohibitum non esset; modò opposita conditio auferat operis malitiam. num. 10.

Sin apposita conditio operis malitiam non aufert, mortale peccatum est, opus ex se mortale sub eiusmodi conditione desiderare, aut eo voluntariè oblectari: v. g. N. si infamiam timerem, vellem adulterari. n. 11.

Coniunx mortaliter non peccat, si de maritali copule coniuge absente cogitans, in re cogitata delectetur. n. 12.

Vidua mortaliter peccat, si voluntariè consentiat in motum delectationis sensitiuæ, quæ ex recordatione præteritæ copulæ maritalis exurgit. n. 13.

Coniunx probabiliter excusatur à peccato mortali, si voluntariè delectetur in commotione sensitiua, orta ex imaginatione coniugis absentis. n. 14.

Qui simpliciter, ac præcisè se oblectat cogitatione mulieris, etsi illa consanguinea sit, vel Deo sacrata, cõmittit vnum simplex peccatum mortale contra temperantiam: secùs, si desideret, vel proponat cum tali fornicari: quare tunc circumstantiam personæ in Confessione explicare debet. n. 15.

Denuntiatio charitatiua.

Duplex est denuntiatio: Vna iudicialis, & altera Euangelica, seu charitatiua: cuius species quædam sunt denuntiatio canonica, & regularis. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 1.

Crimen fratris occultum charitatiuè denuntiatur Prælato, interdum vt ex persona singularis ad paternè corrigendum idonea: interdum verò denuntiatur illi etiam vt est persona publica: quamuis non principaliter ad vindictam, per quam Communitati satisfiat (sic enim ad iudicialem denuntiationem spectaret) sed ad emendationem criminosi, quæ interdum per publicam confusionem procuratur. n. 2.

Crimina notoria statim ad Prælatum deferri possunt, nullâ alia monitione præcedente. n. 3.

Crimina perniciosa, non merè præterita, licet occulta sint, plerumque statim Prælato denuntiari possunt; vt caueat, impediat. n. 4.

Si crimen occultum, quod nec tibi, nec alteri perniciosum, sed peccantibus tantùm noxium est, per te solus emendare potes, tunc peccas contra ordinem à Christo traditum, si Prælato statim denunties. n. 5.

In bene institutis Religionibus crimina occulta frequentiùs absque præmissa secreta monitione ad Prælatum tanquam patrem deferri possunt eod. n. 5.

Qui crimen occultum per se emendare non potest, plerumque Prælato tanquam patri ad secretam emendationé denuntiare potiùs debet, quàm aliis ignorantibus. n. 6.

Crimen occultum, non perniciosum, Prælato tanquam publicæ personæ ad euulgationem denuntiari non potest: nisi secreta monitio, imò & testium inductio antecesserit: modò tamen profutura putetur. n. 7.

Si crimen merè præteritum & non iterum committendum sit, opus non est testes adducere: adhibentur enim testes tanquam obseruatores criminis; vt si opus sit, delinquens postea conuincatur coram Prælato tanquam publicâ persona. ibid.

Priùs Prælato, quàm aliis peccatum occultum reuelari potest, quatenus est persona singularis; non autem quatenus est persona publica, seu caput Ecclesiæ, tunc si per priuatas personas emendari possit, publicari non debet. ibid. §. colligitur tertiò.

Defectus tamen leues & non infamantes secundùm consuetudinem Religiosorum publicè denuntiari possunt, non præmissa priuata monitione. ibid.

Si denuntiatio ob aliquam causam illicita sit, vtpote contra charitatem, vel ordinem à Christo traditum, non debet fieri, etiamsi Prælatus iubeat. n. 8.

Delicta occulta filiorum ac famulorum, à quocunque deprehensa sint; plerumque statim denuntiari possunt patrifam. vt salubriter corrigantur. Eadémque ratio est de delictis occultis puerorum, in ordine ad Ludimagistrum. n. 11.

Per se loquendo, concessum est patrifam. delicta domesticorum occulta, etiam grauia, quorum punitio ad ipsum spectat matrifam. reuelare, ad salubrem correptionem: & vice versa, materfamilias marito denuntiare potest; sicuti & Præfectus superior Ludimagistro, ac vice versa. ibid. dicto 3.

Paterfam. Ordinis Prælatus, Ludimagister indices constituere possunt, qui subditorum errata obseruent, & ad ipsos deferant: neque debent Paterfamilias, Ludimagister, quin & Ordinis Prælatus in puniendis criminibus iuris processum seruare n. 11. in fine, & n. 12.

Prælatus non debet crimen occultum charitatiuè denuntiatum alijs manifestare, si solus emendare possit: Sin autem non possit, manifestare licet duobus, vel pluribus, quatenus necesse est ad criminis emendationem, vel vt tertiæ personæ, aut bono communi prouisum sit. lib. 3. tract. 6. c. 3. n. 5. discrim. quartò.

Prælatus denuntiatorem manifestare nullo modo debet, nisi necessitas postulet ad finem correctionis obtinendum: tunc verò deferens consentire tenetur; aut si nolit, ipso etiam inuito reuelari poterit. ibid discrimine tertio.

Prælatus criminis denuntiati notitia in gubernatione vti potest, quatenus licet, sine secreti violatione, & citra denuntiati infamiam discrim. quarto §. Porrò.

Denuntiatio canonica ad quoduis peccatum mortale tollendum institui potest. l. 3. tract. 4. c. 2. in fine.

Denuntiatio iudicialis.

Denuntiatio iudicialis eò tendit, vt per publicam vindictam Communitati læsæ satisfiat. Est ergo actus iustitiæ vindicatiuæ. lib. 3. tr. 6. c. 3. n. 5.

Denuntiatori onus probandi criminis non incũbit, sed solùm indicia aperiendi, quibus Iudex ex officio moueri possit ad vlteriorem inquisitionem: in quo differt à denuntiante chariratiuè, qui crimen, quod vidit, Prælato denuntiare potest, etsi indicijs ostendere nequeat, modò putet fidem aliquam sibi habendam fore. ibid.

Qui iudicialiter denuntiat, nomen suum inscribere debet, & vocatus coram Iudice comparere, ad publicam testimonij depositionem; non item, qui charitatiuè denuntiauit. ibid discrim. tertio.

Hoc interst inter denuntiationem iudicialem, & Euangelicam; quod illi locus esse possit, etiamsi crimen merè præteritum sit: Euangelicæ autem seu charitatiuæ non item, nisi etiam in posterum malum criminis committendi, seu in eo persistendi timeatur. l. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 13. §. Corollarium.

Si quis crimen occultum fratris in externo foro punibile, quod probare, vel indicijs ostendere potest, iudiciali denuntiatione prodit, antequam secretò monuit, is nihil contra iustitiam peccat; sed interdum contra charitatem. ibid. n. 13.

Denuntiationes de crimine occulto, non præmissa monitione secreta, olim in Ecclesiastico foro repellebantur, hodiéque repelli possunt, si sint contra personas graues in dignitate constituas. n. 14.

Depositio, Degradatio.

Depositio, latè sumpta, est remotio personæ à munere, aut dignitate ob defectum eius; strictè autem est canonica pœna, per quam persona Ecclesiastica ab ordine, iurisdictione, vel beneficio in perpetuum, & sine spe remissionis amouetur. l. 1. t. 5. p. 3. c. 5. n. 1.

Depositio aufert ipsum ius radicale, seu titulum beneficij, aut iurisdictionis, in quo differt à pœna suspensionis. n. 2.

Crimen, ob quod Clericus deponendus sit, debet esse enorme, siue vnum ex maximis, secundùm Iudicis arbitrium. ibid.

Notorius concubinatus, seu fornicatio, si post monitiones continuetur, est sufficiens depositionis causa ibid.

Per simplicem seu absolutam depositionem non auferuntur priuilegia fori, & canonis, sicuti per degradationem. n. 3.

Depositum, aut suspensum à beneficijs Ecclesia alere debet, ne mendicare cogatur, cum cleri opprobrio. ibid.

Contra Clericum depositum, & propter contumaciam excommunicatum, quamuis incorrigibilem, Iudex secularis extra necessitatis casum procedere non debet, ante actualem Ecclesiæ traditionem ibid. §. Cæterùm.

Degradatio est pœna Ecclesiastica, qua Clericus ab omni officio, ac beneficio depositus, Clericorum insuper priuilegijs, ac veluti gradu & statu suo per solemnem sententiam in perpetuum exuitur: in quo differt à depositione simplici, per quam priuilegia canonis, & fori non auferuntur. ibid. §. Venio.

Degradatio alia est verbalis seu sententionalis; sed respectiua, quia ordinatur ad Reum postea actualiter, & solemniter degradandum, ac Iudici seculari tradendum. Alia verò est degradatio realis, seu actualis, & solemnis num. 4.

Realis seu sententionalis degradatio non nisi ab Episcopo consecrato fieri debet. n. 5.

Realis degradatio fieri debet præsente Iudice seculari, cui denuntiatur, vt Reum in suam iurisdictionem recipiat; ad dita deprecatione efficaci, vt citra mortis periculum sententiam moderari velit. ibid. §. Debet.

Crimen, ob quod Clericus degradandus & seculari Iudici tradendus est, debet esse nimis enorme & Reipub. valde perniciosum; vt Ecclesia non videatur habere pœnam condignam, quàm Reo ipsamet infligat. n. 6.

Depositum.

In deposito dolus, non culpa, nisi quæ secundùm præsumptionem dolo æquiparatur, præstanda venit. lib. 3. sect. 5. tr. 4. c. 25. n. 1.

Si quis deposito seipsum obtulit, etiam de culpa, saltem leui, & lata, tenebitur. ibid.

Contractus depositi magnam fidem requirit: vt etiam furi rem apud te depositam restituere debeas, si sine Domini detrimento possis. n. 2.

Depositarius absque consensu domini, expresso, aut tacito, re deposita vti prohibetur. n. 3.

Si aliquis pecuniam numeratam, non clausam, nec obsignatam alterius custodiæ committat, censetur ipsi mutuò dare: quamobrem periculum casus fortuiti eidem incumbet. ibid.

Depositarij possunt esse omnes, qui iudicij discretionem habent, tum mas, tum fœmina. n. 5.

Ecclesia, aut Monasterium non obligatur, si depositum dolo beneficiati, Religiosi, aut Prælati perijt, vel absumptum fuit, nisi Capitulum consenserit in depositi susceptionem, vel nisi aliquid in vtilitatem eius versum sit. n. 6.

Sequestrum species quædam depositi est; eáque duplex, voluntaria, ac necessaria. n. 7.

Desperatio.

Desperatio opponitur virtuti Spei secundùm defectum: cùm quis desperat se remissionem peccatorum, & gloriam æternam consecuturum esse. lib. 2. tr. 2. c. 2. n. 3. §. secundùm.

Desperatio est peccatum inter alia maximè periculosum. ibid.

Desperatio si non ex infidelitate, saltem ex Fidei infirmitate proficiscitur: quare animus hominis desperantis ante omnia in Fide confirmandus, erigendúsque est, ad considerandam misericordiam, & dilectionem Dei. n. 4. §. interim.

Detractio.

Detractio famæ iniusta, vel fit directè vel indirectè. lib. 3. tr. 3. parte 2. c. 3. n. 1.

Detractio est peccatum ex genere suo mortale, leuius homicidio, & grauius furto. n. 2.

Detractio sæpe est peccatum tantùm veniale, vel ob materiæ leuitatem, vel ob imperfectionem actus. n. 3.

Detractio vulgare vitium est, sed valde noxium: seminat enim odia, dissensiones, lites. ibid.

Detractio alia est formalis, siue ex proposito nocendi; alia verò materialis: Item alia est, per quam crimen falsum alicui imponitur, alia, per quam crimen verum, sed occultum proditur. n. 4.

Crimen alterius occultum manifestare, non semper est illicitum; sed quibusdam casibus concessum: videl. vt consilium, vel auxilium capias à viro prudente: Vel si opus sit ad impediẽdum maius damnum Communitatis, personæ priuatæ, ipsiúsve criminosi: Vel si quis dignitatem, beneficium, aut officium postulet, ad quod iure inhabilis est. n. 5.

Crimen alterius graue etiam vni homini prudenti ac graui sine causa manifestare, videtur esse mortale. n. 6.

Si ita narretur crimen ex relatione aliorum, vt credibile sit audientes non credituros, non est periculum peccati mortalis. n. 7.

Crimen in loco, vbi notorium est notitia facti, aliis ignorantibus manifestare non est illicitum. n. 8.

Qui crimen falsum scienter alicui imposuit, is dictum suum retractare debet: interdum tamen satis erit, si infamator dicat, se deceptum fuisse, aliter rem comperisse. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 7. n. 1.

Qui probabili errore ductus alterum falsò infamauit, aut denuntiauit, re postea intellecta retractare tenetur; quamuis huius obligatio non tanta sit, quanta eius, qui per iniuriam formalem infamauit. ibid. §. hoc moneo.

Qui falsum contra aliquem testimonium scienter dixit, ex quo illi mors timeatur, obligatur ad retractandum cum æquali mortis periculo, secùs, si ex probabili, aut mortaliter non culpabili ignorantia fecit. ibid.

Qui crimen verum, sed occultum iniustè prodidit, is conceptam criminis opinionem abolere tenetur, quatenus potest sine mendacio. n. 2.

Si quis criminis conceptam opinionem in specie auferre non possit, debet infamato aliam æquiualentem compensationem famæ facere, videl. ob alias eius dotes laudando, &c. ibid.

Qui famam iniustè ablatam nec directè, nec indirectè restituere potest, omnino liberari videtur, vt non debeat pecunia satisfacere, ante Iudicis sententiam. n. 3.

Dictum illud: *Qui restituere non potest, quatenus debet, is restituere debet, quatenus potest*; intelligi debet de rebus eiusdem ordinis, vt inter se commutationem recipiant. ibid. §. contrariam.

Si ex infamia alteri à te aspersa aliud damnum pretio æstimabile ipsi secutum est, debes integre satisfacere; transitque hæc actio ad hæredes, & contra hæredes: In quo differt hæc obligatio resarciendi damna ab altera obligatione restituendi famam, vel hominem, quæ purè personalis est, nec infamatoris personam transgreditur. num. 4.

Obligatio restituendi famam extinguitur per spontaneam condonationem; vel si infamia homini aspersa penitus deleta sit. n. 5.

Si ille, quem tu infamasti, vicissim te infamauit, famámque restituere nolit, probabile est, compensationi locum esse ob regulam: Quod non cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum. ibid.

Dies.

Dies vel accipitur vt naturalis, vel vt artificialis. lib.

4. tract. 1. cap. 3. num. 1.

Dies naturalis viginti quatuor horas toto anno æquales in se continens, à noctis medio incipit. ibid.

Dies artificialis duodecim horas ab ortu solis vsque in occasum continet, quæ pro temporum varietate longiores, aut breuiores sunt. ibid.

Dignitas, Personatus, Officium.

Dignitas est præeminentia ferme cum iurisdictione fori exterioris. Talia beneficia obtinent Abbates, & alij Prælati: item Archidiaconus, seu generalis Vicarius. lib. 4. tr. 2. cap. 4. n. 4. §. Alia.

Personatus est præeminentia in Ecclesia sine iurisdictione externa: quamuis dignitas & personatus interdum pro eodem accipiuntur. ibid. §. Personatus.

Officium dicitur administratio, sine iurisdictione fori externi: cuiusmodi habet custos, Thesaurarius, Primicerius, qui Diaconis præfectus est. ibid. §. Officium.

Discordia.

Discordia est dissensio voluntatum circa bonum, quod ex charitate velle debemus. lib. 2 tr. 3. c. 11. n. 1.

Discordia circa malum laudabilis est. Qua ratione parentibus, cognatis, &c. obediendum non est, cùm à bono honestatis impedire volunt. ibid.

Non est discordiæ peccatum, si nolis cum altero consentire in bono, ad quod non obligaris. ibid.

Dispensatio.

Est legis relaxatio, publica auctoritate facta: quare actus est iurisdictionis voluntariæ. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 1.

Superior licentiam dans aliquid agendi, non dispensat in lege; sed efficit, vt subditus lege non obligetur. ibid. §. Tertiò.

In legem diuinam non cadit dispensatio: sed interdum interpretio locum habet, legem diuinam, ob causam, aut circumstantias, cessare. ibid. §. Secundò distinguitur.

Dispensandi potestas alia est ordinaria, alia delegata num. 2.

Papa in omni Ecclesiastico iure tum vniuersali, tum particulari dispensare potest. n. 3.

Episcopus in lege vniuersali Ecclesiæ iure ordinario dispensare nequit: quia inferior non dispensat in lege Superioris: Excepto casu necessitatis, si ad Sum. Pontificem non sit facilis accessus. Verùm in impedimento dirimente matrimonij illegitimè contracti Episcopus nunquam dispensat. n. 4.

In materia leui, aut frequenter occurrente, v. g. circa festa, ieiunia, ad Episcopum pertinet ob causam dispensare. ibid. except. 4.

Dispensandi potestas interdum delegatur à iure, quæ si in perpetuum fiat, ratione officij, aut dignitatis, transit in ordinariam: interdum verò delegatur ab homine. num. 6.

Quæ ab homine est dispensandi potestas, vel datur per modum puræ commissionis, seu mandati; vel per modum gratiæ: Et hæc si absolutè collata fuit, non expirat morte concedentis. eod. n. 6.

Dispensatio interdum expresè fit per verba: interdum tacitè per factum, quo dispensandi facultas significatur: vt si Prælatus subditum, quem irregularem esse scit, ad ordines mittat, &c. n. 7.

Dispensatio iusta est, quæ cum causæ cognitione fit: & hæc interdum debita; interdum permissa, ob misericordiam, pietatem. n. 10.

Si inferior sine iusta causa in lege superioris dispenset, irrita est dispensatio. n. 11.

Peccatum est ex genere suo mortale dispensare in lege Superioris, vel talem dispensationem petere, aut concessâ vti. n. 12.

Si Prælatus inferior probabiliter arbitretur iustam adesse dispensandi causam, quamuis eum errare contingat, valet dispensatio, ob præsumptam voluntatem Superioris: in cuius iure dispensatur: Idémque locum habet in dispensatione in votis, iuramentis, & in concessione indulgentiarum. ibid.

Si superior in lege propria dispenset absque iusta causa valet dispensatio: quamuis ipse, & qui talem dispensationem petit, eáque data vtitur, saltem venialiter peccent. num. 13.

Si causa dispensandi tempore datarum literarum adfuit; non item, cùm à Commissario dispensatio facienda est, non potest eam executioni mandare. n. 14.

Etsi tempore exequendæ dispensationis causa subsistat, tamen non substitit tempore datarum, quia postulatio subreptitia erat, non potest dispensationem exequi Commissarius. ibid.

Si causa dispensandi subsistat, cùm dispensatio facta ab Ordinario, vel Commissario intrinsecum effectum consecuta est, nihil interest, etsi postea causa cesset. n. 15.

Prælatus in lege propria dispensans, commutionem aliquam adiungere potest. n. 28.

Episcopus in lege vniuersali, v. g. ieiuniorum, cum aliquo dispensans, eleemosynam imperare potest in opus pietatis; non per modum compensationis, aut stipendij sibi obuenientis. n. 29.

Si Prælatus, v. g. in lege ieiunij dispenset cum Communitate, cuius caput existit, indirectè seipsum etiam obligatione soluit. n. 30.

Si Prælatus sine iusta causa secum ipse dispenset, dispensatio nulla est. n. 31.

In casu, quo Prælatus cum subdito in lege dispensare posset, seipsum etiam liberum censere potest. n. 32.

Prælatus, dispensandi potestate præditus, Confessario suo committere potest, vt secum, causâ cognitâ, dispenset: Idémque locum habet in absolutione à peccatis. num. 33.

Dispensatio super irregularitatibus.

Solus Papa proprio, & ordinario iure, in irregularitatibus dispensat. l. 1. t. 5. p. 5. c. 9. n. 1.

Quamuis in omnibus irregularitatibus Papa dispensare possit, in aliquibus tamen rarò solet: videl. in bigamia, præsertim vera; in homicidio voluntario, si notorium sit; in corporis defectu, si valde deformis sit. n. 2.

Licet Episcopus dispensare non possit, tamen ad ipsum pertinet iudicare, vtrum deformitas, v. g. oculi albugo, grauis sit, & irregularitatem inducens. Faciliùs autem permittet, vt aliquis in ordine iam suscepto ministret, quàm vt de nouo ordinetur. n. 3.

Episcopi dispensare possunt in irregularitatibus prouenientibus ex crimine occulto, id est, non notorio, aut famoso. n. 4.

Non possunt Episcopi dispensare, quamdiu crimen sub foro contentioso versatur: finito autem iudicio, si vel Reus absolutus sit, vel occultè punitus, ac toleratus, videtur eis concessa dispensatio. n. 5.

Per professionem in Religione non tolluntur irregularitates, præter eam, quæ ex defectu natalium. n. 6.

Nomine homicidij indispensabilis, seu, cuius irregularitas soli Papæ reseruata est, intelligitur tantùm homicidium directè voluntarium; idque iniustum. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 4.

Probabile est, Episcopum dispensare posse in irregularitate ex mutilatione illicita, si occulta sit, item in homicidio facto causa defensionis, cum excessu moderationis, & in homicidio indirectè voluntario. n. 2.

Cum homicida indirectè voluntario, quamuis notorio, dispensare Episcopus potest ad ordines minores accipiendos. n. 3.

Episcopus per facultatem in Tridentino concessam, dispensare non potest super irregularitate oblenitatis defectum, cum Iudice, Accusatore, milite, &c.

Prælati Ordinum Mendicantium amplam potestatem habent dispensandi cum suis super irregularitatibus. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 9. n. 7.

Non possunt tamen Ordinum Prælati cum suis dispensare in bigamia vera, vel interpretatiua; secùs dicendum de similitudinaria, quæ indispensabilis non est. ibid.

Episcopus, aut Ordinis Prælatus priuilegiatus dispensare potest cum Sacerdote Regulari in corporis deformitate, v. g. pedis claudicatione, aut priuatione, si in tali casu Papa dispensare soleat. ibid. §. denique.

Si in priuilegio dispensandi super irregularitate excipiatur homicidium voluntarium, intelligi debet de directè volito, & iniusto; etiamsi occultum sit: Si autem excipiatur natalium defectus intelligitur etiam de occulto. eodem. §.

Irregularitas non ligat hominem cum graui periculo vitæ, aut famæ: quare homicida occultus, v. g. celebrare potest, quoties absoluta necessitas postulat, ad vitandam infamiam, &c. donec dispensatio impetretur. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 6.

Dispensatio in votis, & iuramentis.

Si Prælatus Ecclesiasticus in voto, vel iuramento sine causa iusta dispenset, irrita est dispensatio: quia potestas dispensandi in iure Superioris, Dei nimirum, data est in ædificationem, non destructionem. lib. 4. t. 4. c. 8. n. 4.

Episcopi iure Ordinario dispensare cum subditis suis possunt in voto ac iuramento, sicuti & à peccatis absoluere; nisi Papæ reseruata sint: quia talis facultas ob casuum frequentiam Episcopis necessaria est. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 5.

Parochis iure ordinario non conceditur dispensandi potestas; sed interdum ex priuilegio, vel consuetudine, introducta ratione necessitatis in casibus frequenter occurrentibus. ibid.

Archiepiscopus dispensare potest in votis Suffraganeorum; sed non cum subditis eorundem, nisi per viam appellationis aditus fuerit. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 7.

Quinque vota seu communi iure, seu consuetudine Sum. Pontificis dispensationi reseruantur: videl. Continentiæ perpetuæ, Religionis, Romanæ, Hierosolymitanæ, & Compostellanæ peregrinationis. Quare generali priuilegio dispensandi in omnibus votis hæc non comprehensa censetur. ibid. §. Porrò.

Ob causam necessitatis, & difficultatem adeundi Papam, Episcopus dispensare potest in voto reseruato Papæ: sed dispensatio Episcopi in voto v. g. continentiæ non ampliùs se extendit, quàm necessitas postulat, vt videl. liceat matrimonium contrahere, vel contracto vti, sed extra illud continentia seruanda sit. eod. cap. 8. n. 16.

Vota quædam reseruatis similia sunt, sed re ipsa non reseruata Papæ: videlicet votum seruandi castitatem ad certum tempus, votum castitatis coniugalis, votum non petendi debitum coniugij, votum vxorem non ducendi, votum non fornicandi, sacri ordinis suscipiendi, Religionem strictiorem ingrediendi. n. 8.

Votum pœnale, v. g. si fornicatus fuero, voueo in pœnam me Religionem ingressurum, neque post culpam admissam reseruatum est, ex quorundam probabili sententia. n. 9.

Votum conditionatum, v. g. si ex morbo conualuero, voueo me Religiosum fore, reseruatum non est ante conditionem impletam; postea verò videtur reseruatum. num. 10.

Votum castitatis, vel Religionis ingrediendæ, si metu iniusto, eóque leui extortum fuerit, sub Episcopi dispensationem cadit. n. 11.

Votum alternatiuum, cuius altera tantùm pars reseruata, reseruatum non est, nisi postea vouens ad partem reseruatam, cum volũtate obligationis se determinârit. n. 12.

Postquam Sum. Pontifex votum reseruatum in aliud commutauit, Episcopus exigente causa dispensare non prohibetur. n. 13.

Reseruatio votorum strictæ interpretationis esse debet, atque in casu dubio non asserenda. n. 14.

Si coniunx, cum consensu coniugis, continentiam perpetuam absolutè vouerit, reseruatum hoc votum censeri debet. n. 15.

Si Sum. Pontifex in voto continentiæ cum aliquo absolutè, & illimitatè dispensauit, intelligitur ad omne legitimum matrimonium, ita, vt si matrimonium, quod cum puella contrahere volebat, impeditum fuerit, aliam ducere possit. Secùs, si gratia dispensationis data fuit respectiuè, seu in ordine ad certum matrimonium, ob specialem causam. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 16. in fine.

In voto Religionis, quamuis strictioris, dispensari potest cum ingredientibus in Societatem Iesu; ita tamen, vt, si iterum eos egredi contingat, redeat obligatio voti. l. 4. t. 4. c. 8. n. 30.

Quicunque habet potestatem dispensandi, aut commutandi vota, potest tali facultate vti, tametsi vota iurata sint. l. 4. t. 3. c. 11. n. 3.

Prælati Ecclesiæ, sicuti in votis ita & in iuramentis pijs, seu in Dei honorem conceptis ordinariam dispensandi potestatem habent: quia vota, & iuramenta pia in iure æquiparantur. n. 4.

Iuramenta continentiæ perpetuæ, Religionis, alteriúsve materiæ reseruatæ, si pœnalia, aut conditionata sint, perinde vt vota eiusdem conditionis, ab Episcopo relaxari possunt. ibid.

Iuramentum promissorium erga hominem ordinariè relaxari non potest, absque consensu eius, cui prestitum est. num. 5.

Iuramentum in hominis vtilitatem principaliter editum, si non est propriè confirmatorium promissionis, sed per se stans, episcopali, vel quasi episcopali auctoritate relaxari potest. n. 6.

Priuilegia dispensandi, aut commutandi vota, & iuramenta dari solent sine præiudicio tertij, quod intelligitur, postquam illi per acceptationem ius acquisitum est. num. 7.

Qui habent priuilegium dispensandi, vel commutandi vota, possunt etiam commutare iuramenta pia, quæ sine promissione in Dei honorem principaliter concepta sunt: non autem possunt vi eius priuilegij, relaxare iuramenta directè in hominis vtilitatem edita, quamuis acceptata non fuerint. n. 8.

Priuilegia Regularium Mendicantium quòd possint dispensare, & commutare vota, & iuramenta etiam Episcopo reseruata, intelligi debent de ijs votis, aut casibus, qui ordinario iure Episcopo competunt, non item de ijs, qui per se Papales sunt, & per accidens ob vrgentem necessitatem ad Episcopum deuoluuntur. lib. 4. tr. 4. c. 8. n. 17. obseru. 4.

Distributiones quotidianæ.

Sunt portiones Ecclesiasticorum redituum, quotidie distribui solitæ ijs beneficiatis, qui statis horis diuino officio intersunt. lib. 4. tr. 2. c. 7. princip.

Honestum, & iuri consonum est, vt pro omnibus canonici officij horis distributiones statuantur: quamuis id non vbique obseruetur. n. 1.

Distributiones presentibus tantùm debentur, ijs exceptis, quos vel infirmitas, vel iusta corporalis necessitas excusat. n. 2.

Beneficiati ob iustam causam absentes extra locum beneficij, non accipiunt distributiones: si autem in loco beneficij commorantes, ab officio absint, propter Ecclesiæ vtilitatem, vel corporalem infirmitatem, recipiunt. n. 3.

Qui in Ecclesia duplici beneficio fungitur, videl. Præpositi, & Canonici, æquum videtur, vt duplicem distributionem accipiat. n. 4.

Distributiones, quas Canonici ob absentiam amittunt, alijs præsentibus accrescere debent. n. 5.

Vbi consuetudo retinetur, vt Canonici ipsimet in choro cantent, non possunt, saltem integras distributiones accipere, si præsentes cantare negligant. n. 6.

Si Canonicus à choro frequenter, & quasi consuetudine absit, vel cum officij in Ecclesia peragendi iactura, mortaliter peccare censetur. n. 7.

Diuortium.

Diuortium duobus modis accipitur; vel pro separatione coniugum cum dissolutione matrimonij quo ad vinculum, sicuti in iure ciuili titulo de diuortijs videre est: vel pro separatione coniugum duntaxat quoad torum, aut etiam habitationem. l. 5. tr. 10. p. 3. c. 7. princ.

Diuortium quoad torum mutuo interdum consensu fieri potest, causâ pietatis, vel alia honesta. ibid. n. 1.

Sancti Patres exempla memorant coniugum fidelium mutuo consensu continentiam vouentium. ibid.

Coniunx Religionem ingredi potest cum consensu alterius coniugis simul ingredientis, vel in seculo edito continentiæ voto permanentis, modò tunc eius ætatis sit, vt extra probabile incontinentiæ periculum versetur. Idémque dicendum est, si maritus sacrum Ordinem suscepturus sit. n. 2.

Ad Episcopum pertinet dispicere, vtrum vxor in hoc casu extra incontinentiæ periculum existat: quare conuenit ab eo licentiam petere, quamuis etiam sine petita licentia professio valitura sit. n. 3.

Si coniunx absque coniugis consensu Religionem profiteatur, professio irrita est. Quare reuocari, imò spote egredi potest; tamen post mortem coniugis ad alias nuptias transire prohibetur. n. 4.

Si coniugatus cum consensu alterius coniugis, nec Religionem ingredientis, nec in seculo votum continentiæ edentis, profiteatur, officio Ordinarij reuocari potest ad vxori debitum reddendum; eâ autem mortuâ, ad Monasterium redire cogitur; quia professio valida fuerat. num. 5.

Si coniunx licentiam ingrediendi Religionem coniugi liberè concessit, censetur se obligasse ad perpetuam continentiam; imò & ad Religionis ingressum, si iuuenis aut de incontinentia suspectus sit. Necesse tamen est, fuisse conscium iuris ita disponentis: quod de vxore in dubio non præsumitur. n. 6.

Id speciale est, quòd coniugatus ad Episcopalem dignitatem non assumatur, nisi vxor Religionem ingredi consentiat. ibid.

Si vnus coniugum adulterium commisit, alter eo ipso acquirit ius instituendi diuortij, quoad torum & cohabitationem, remanente tamen substantiali vinculo. n. 7.

Nomine adulterij hoc loco accipi debet omnis consummatus concubitus cum altero supposito. ibid.

Maritus & vxor in iure diuortij propter adulterium instituendi æquales sunt. n. 8.

Separatio coniugum quoad habitationem propter commissum adulterium, Ecclesiæ sententiam requirit; nisi causa notoria sit, vel maritus alio prætextu se separare possit, ita vt scandalum euitetur. n. 9.

Si coniunx in causa non notoria à coniuge sine iudicio Ecclesiæ repulsus sit, ante omnia eum Iudex, cuius officium imploratur, in pristinum statum restituere debet, ac postea causam diuortij cognoscere, compulso altero ad probationes proferendas. n. 10.

Si coniunx repulsus fuerit prætextu impedimenti dirimentis, v. g. ob consanguinitatem, petita restitutione, si probationes incontinenti afferantur, restituendus est quoad omnia alia; excepto toro, idque propter periculum fornicationis, si fortè impedimentum subsit. n. 11.

Coniunx innocens post coniugis perspectum adulterium Religionem profiteri, vel sacrum ordinem accipere non prohibetur. n. 12.

Si coniunx adulter semel, aut iterum monuerit alterum coniugem, vt post suam emendationem recipiatur, non exauditus Religionem ingredi, ac profiteri, vel sacros Ordines accipere potest. ibid.

Certi casus sunt, in quibus coniugi diuortium non permittitur propter coniugis adulterium; videl. si graui metu compulsus in adulterium consensit: si per ignorantiam ad non suam accessit: Si etiam alter coniunx criminis particeps fuit, vel etiam ipse fornicatus. n. 13.

Si post vnius, vel vtriusque adulterium, coniuges reconciliati sint, censetur ius matrimonij restitutum, perinde ac si crimen nullum antecessisset: quare si alteruter coniunx postea fornicetur, alter acquirit ius diuortij. num. 14.

Si post sententiam diuortij Iudicis auctoritate factam, etiam alter coniunx adulterium committat, non obligatur ad recipiendum coniugem: nisi Iudex ex officio compellat, ad occurrendum probabili periculo incontinentiæ. Ibid. §. Deinde.

Coniunx à coniuge adultero separare se potest, sed non debet ex necessitate præcepti, per se, & ordinariè loquendo, nisi id necessarium sit ad procurandam emendationem coniugis, vel ad scandalum vitandum, ne maritus crimini vxoris sæpe relabentis indulgere videatur. num. 15.

Coniunx innocens post institutum diuortium coniugem emendatum reuocare iure suo potest, sed ad id non obligatur. n. 16.

Aliæ causæ instituendi diuortij sunt: lapsus in hæresin: graue periculum animæ, aut corporis, quod ex cohabitatione coniugis timetur: graues & frequentes discordiæ, quibus cohabitatio coniugi innocenti nimis molesta, ac intolerabilis redditur. n. 17.

Si causa diuortij propter graue periculum corporis, aut animæ, notoria sit, propria auctoritate separatio fieri potest, per se loquendo: interim tutius est, imò ratione scandali vitandi plerumque necessarium, vt Iudicis Ecclesiastici officium imploretur, nisi periculum in mora sit. n. 18.

Facto diuortio inter coniuges, liberi ordinariè manere debent penes innocentem, expensis patris, si is diuortio causam dedit: Sin contrà, apud patrem, expensis matris locupletis, saltem post Iudicis sententiam. n. 19.

Si coniunx, qui diuortio causam dedit, fidelis sit, alter autem infidelis, proles relinquitur fideli, ob fauorem fidei. ibid.

Licet vir diuortio causam præbuerit, si tamen mulier ad secundas nuptias transeat, proles ipsi educanda non relinquitur. ibid.

Domicilium.

Domicilium habere censentur, qui habitationem fixam statuerunt, quasi domicilium qui habitationem ad tempus non admodum breue, negotij causa. lib. 5. tr. 6. c. 10. n. 5.

Ad domicilium, vel quasi domicilium, eiúsque ratione diœcesin, vel Parochiam acquirendam, cùm animus requiritur, tum factum. Animus consistit in proposito voluntatis permanendi: Factum consistit in actuali habitatione: cumprimum enim aliquis peruenit ad locum animo permanendi, incola est, & iurisdictioni subiectus. num. 6.

Non requiritur ad domicilium, vt quis diu inhabitet; sed satis est, si animum constanter inhabitandi habeat, donec aliud eum auocet. lib. 5. t. 9. c. 9. n. 10.

Filius manens cum patre, sortitur domicilium patris; neque illud discessu suo amittit, si animum ad patrem reuertendi seruet, & alibi domicilium non fixerit. Potest enim etiam filiusfam. domicilium statuere, si pubes est; non item, si impubes. eod. c. 9. n. 11.

Constituto domicilio habitationis, non ideo amittitur domicilium originis. Verùm in acquirenda iurisdictionis subiectione non habetur ratio originis, sed potiùs domicilij habitationis, quod principalius censetur. n. 12.

In Clerico beneficiato idem est domicilium habitationis, quod beneficij residentiam postulantis. Sin autem ibi non resideat, non potest conueniri in loco beneficij

præterquam in causis pertinentibus ad beneficium. idem.

Dominium.

Dominium aliud est iurisdictionis, & aliud proprietatis, ídque definitur, ius perfectè disponendi de re, nisi lege quis prohibeatur. lib. 3. t. 1. c. 5. n. 2.

Homo totius spectabilis mundi dominus propriè dici non potest; cùm cœli, astra, nubes &c. eius imperio; ac libertati subiecta non sint. n. 4.

Christus, quà homo, plenam potestatem, & dominium super res omnes creatas à Patre cælesti accepit. Quamuis per hoc dominium Christi vniuersale nihil decedat dominio particulari aliorum hominum. ibid. §. Porrò.

Diuisio rerum gentium iure introducta est, cùm iure primæuo ac naturali communis esset rerum possessio, ac dominium. n. 5.

Ad acquisitionem dominij ordinariè duo requiruntur titulus, & apprehensio. n. 7.

Titulus acquirendi domini alius est verus, & alius bona fide præsumptus, qui vsucapioni locum præbet: at verò siquis absque titulo cùm vero, tum rationabiliter præsumpto rem possideat, tanquam suam, malæ fidei possessor dicitur. ibid.

Quibusdam casibus solùs titulus sine traditione, vel apprehensione, sufficit ad acquirendum dominium; non item ad possessionem. n. 8.

Quod per alluuionem fundo Titij adijcitur ipsius fit; secùs, si per vim fluminis repentina adiectio fiat. eod. cap. 5. num. 20.

Rerum dominium acquiritur nobis per specificationem, accessionem, confusionem, commixtionem, ædificationem, implantationem, scriptionem, pictionem. n. 21.

Sicuti ædificia solo cedunt, ita multò magis plantæ, & arbores. Quare qui alienam plantam in suo solo posuerit, eáque radices egerit, ipsius fit planta, cuius & solum est. E contrario, si quis suam plantam in Titij solum transtulerit, ad ipsum pertinebit, postquam radices egerit: quamuis æstimatio plantæ, atque impensi laboris merces repeti possit, præsertim si bona fide actum. ibidem. dicto 6.

Si arbor prope confinium posita, in duorum dominorum fundos radices egerit, communis erit. Sin autem in vnius fundo posita fuit, ipsius arbor est, in cuius fundo plantata. Sed impendentes ramos succidi debent, si fundo vicino officiant. ibid. in coroll.

Quæ in mare iacta sunt ob naufragij periculum, vel incendio erepta, ea propriis dominis restitui debent postulata laboris, & industriæ compensatione. n. 22.

Si ligna cædua, vel pascua priuata sint, vel ad dominum particularem spectantia, nemo alius absque furti crimine illis frui potest: Eadémque ratio est de viuarijs, & piscinis. eod. cap. 5. n. 18. §. Si autem.

In dubio ius pascendi censetur pertinere ad communitatem, non ad dominum ciuitatis: quia nomine iurisdictionis non comprehenditur ius pascendi. Potest tamen dominus pascuis publicis vti, sicuti alij è Communitate; nisi aliud propter consuetudinem, vel antecedens pactum, obseruari debeat. ibid.

Si ciues, siue incolæ in communibus locis ligna cædant, contra Magistratus prohibitionem, obligantur ac pœnam deprehensi; non item ad restitutionem, nisi graue damnum dederint. eod. n. 18.

Oppidani tam à culpa mortali, quàm à restituendi onere per tacitum plerumque consensum, vel consuetudinem excusantur, qui cùm oppida, & syluas vicinas habeant, vicissim cædere solent, cum obligatione mulctæ soluendæ, si deprehendantur; modò extraordinarium damnum non inferant. ibid.

Donatio inter viuos.

Duplex est donatio inter viuos; vna verbalis, quæ licet rei dominium non transferat, parit tamen obligationem, & actionem personalem, etiam in externo ciuil foro. Altera verò est donatio realis & perfecta, in qua res donata etiam traditur, vt statim, accipientis fiat. l. 3. t. 4. c. 12. n. 2.

Si alicui personæ, cui bonorum administratio competit, prohibitum sit donare, ea prohibitione non censentur comprehensæ donationes remuneratoriæ. Quamorbem Ecclesia, vel Minor restitutionem in integrum petere nequit ob donationem remuneratoriam, vel aliam similem, quę honestè intermitti non potuit. eodem. c. 12. n. 10.

Donatio simplex, & merè liberalis facta coniugi à coniuge non statim firma, & irreuocabilis est; sed morte donantis confirmatur. n. 11.

Quibusdam casibus statim valida est donatio facta coniugi à coniuge; videlicet inter coniuges Principes, vel si donans ex donatione pauperior non fiat, vt si maritus vxori donet, quod prodigere decreuerat, item si ex donatione donatarius non fiat ditior, vt si locus sepulturæ donetur, aut si vxor marito donet causa honoris, vel dignitatis adipiscendæ. Eod. num. 11. §. Eadem verò.

Licet simplex, ac merè liberalis donatio inter coniuges ante mortem donantis ordinariè rata non sit, ideóque ex hac parte ad naturam vltimæ voluntatis accedat, adeò, vt & Falcidia ex ea detrahi possit, hæc tamen locum non habent in donatione remuneratoria, cum non sit propriè, & simpliciter donatio, sed debiti retributio: vt si nobilis vxor marito ægro aut seni diuturna obsequia præstitit. Ibid. §. Illud.

Simili modo donatio simplex, facta filiofam. à patre, ante mortem reuocari potest. n. 12.

Sin autem donatio fiat ob causam, videlicet in beneficij remunerationem, ad nuptias, aut filiæ in dotem, item ad Religionis ingressum, ad captiuitatis redemptionem, ad sacros Ordines, statim valida est. Ibid. Notando primo.

Donatio, quę liberis fit à matre, auia, vel auo materno, valida est, sicuti & illa, quæ à patre fit filio emancipato. Ibid.

Donatio simplex facta filio emancipato, post mortem illius ad diuisionem hæreditatis conferenda est: Sin autem facta fuerit filio in potestate, ordinariè conferenda non est: quia censetur à patre vt præcipuum aliquod filio relictum. n. 13. Dicto. 2.

Quæ pater filio donauit ob causam, puta propter nuptias, vel in dotem aut ad Religionis ingressum, &c. illo mortuo conferri debent: alia ratio est de donatis ad militiam, aut Principis palatium, hæc enim inter castrensia bona numerantur, ideóque non conferuntur. Ibid. §. Dico 3. & n. 14.

Sed neque conferenda sunt, quæ pater filio ad studia litterarum mittit, aut quæ ipsi sponte, ac liberaliter donat ad instituendam peregrinationem, redimendam captiuitatem, aut mulctam, item quæ largitus est filio ad honestam recreationem, discendam artem, ad conuiuium doctorale, ad primitias, comparandum sibi beneficium aut dignitatem. Eod. n. 14. §. Neque.

Si pater expressit, vt quæ filio studiorum causa transmisit, in cumulum hæreditatis conferrentur, vel in portione legitima numerarentur, deducenda nihilominus sunt necessaria alimenta, quæ ipsi, etiam in domo paterna degenti, naturali iure debita sunt. Ibidem.

Donatio facta vltra solidos quingentos iure Cæsareo non subsistit, exceptis quibusdam casibus. n. 15.

Donatio omnium bonorum tum præsentium, tum futurorum, irrita est, nisi facta fuerit Ecclesiæ, vel pauperibus. n. 16.

Donatio legitimè perfecta ob magnam donatarij ingratitudinem reuocari potest, etsi iuramento firmata fuerit, nisi etiam ipsi reuocandi licentiæ iuramento renuntiatum sit. num. 17. §. Porrò

Queri-

Querimonia ista contra ingratum personalis est, vt ad successores donantis non transeat ante litis contestationem; vel nisi ille agere impeditus fuerit, aut commissam ingratitudinem ignorauerit. Sed neque à donatore contra hæredes donatarij hæc actio moueri potest, cùm ex delicto descendat. ibid. §. Non potest.

Donatio facta Ecclesiæ reuocari non potest propter ingratitudinem Prælati, aut Capituli; quia censetur facta non intuitu personarum, sed ex pietate erga Deum. eod. num. 17. in fine.

Donatio liberis inofficiosa reuocari potest, licet iuramento confirmata sit. Quin & parentibus ius competit instituendi querelam contra inofficiosam donationem liberorum. num. 18.

Iusta causa reuocandi donationem magnæ partis bonorum est inopinata susceptio prolis. num. 19.

Interdum æquitas postulat, vt etiam Ecclesiæ factam donationem Prælatus ob hanc causam remittat. num. 20.

Renuntiatio hæreditatis nondum aditæ, quamuis delatæ, natiuitate liberorum non reuocatur; sicuti nec donatio facta inter coniuges ad eiusmodi renuntiationem extenditur. num. 21.

Donatio mortis causa.

Mortis causa donatio est, cùm quis habere se mauult, quàm eum cui donat; magísque eum cui donat, quàm hæredem suum. l. 3. t. 4. c. 12. n. 3.

Conuenit hæc donatio partim cum pactis, videlicet secundùm formam constitutionis: opus enim est, vt donatarius donationem acceptet per se, vel per alium, cui pro altero stipulari concessum est: partim verò videl. secundùm effectus, conuenit cum vltimis voluntatibus, præsertim legato; vt etiam ante mortem reuocari possit, & post mortem Falcidia deduci &c. num. 4.

Si nemine acceptante donatio mortis causa fiat in testamento, vel codicillo, censeri debet legatum. ibid.

Donatio mortis causa à testamento, & hæreditatis aditione omnino independens, ipsa donantis morte confirmatur. ibid. §. differt.

Ad solemnitatem, & valorem huius donationis, sicuti ad vltimas voluntates, saltem quinque testes requiruntur. ibid. §. Id verò.

Donatio mortis causa duobus modis fieri potest; primò ob timorem periculi imminentis, adeóque sub conditione, si ex hoc periculo non euasero: Secundò fieri solet in euentum mortis absolutè, si videlicet tunc nullum mortis periculum timeatur; vel etsi timetur, non tamen illud sit causa finalis donandi, sed tantum impulsiua. ibid. §. Donatio.

Si tali pacto mortis causa donetur, vt donatio irreuocabilis sit, censetur donatio inter viuos, vt proinde inter coniuges fieri non possit. ibid. §. Porrò.

In dubio potiùs præsumendum est, donationem fuisse inter viuos, quàm mortis causa factam; & ad contrarij probationem, ostendi debet, donationem seu expresè, seu præsumptiuè factam esse cum dependentia à morte donatoris. num. 5.

Multùm refert ad donationem tum inter viuos, tum mortis causa adiuuandam, si res donata donatario statim tradatur, ita vt accipientis fiat. Expedit etiam, vt donationi testes adhibeantur; saltem duo, si donatio inter viuos, seu absolutè facta sit, quamuis à moriente: atque hi testes requiruntur tantùm per accidens, ne res donata in foro externo ab hæredibus euinci possit. ibid. §. Ex dictis.

Dos, parapherna, donatio propter nuptias.

Dos definitur, quod ab vxore, vel alio, eius nomine, marito datur, ad onera matrimonij sustinenda. l. 3. tract. 4. c. 13. num. 1.

Dos, quatenus à patre filiæ datur ex lucratiuo titulo prouenit: Sed comparatione mariti, fortitur rationem contractus reciproci. ibid.

Dos sine matrimonio esse, aut intelligi non potest. Ibid. in Coroll. 1.

Maritus dotis dominium non habet; sed plenam administrationem, & fructus eius, perinde ac si dominus sit. num. 2.

Si dos consistat in pecunia, vel alijs rebus vsu absumptibilibus; aut si res dotales marito æstimatæ tradantur, ita, vt æstimatio donationem efficiat; his casibus periculum rerum dotalium ad maritum, tanquam verum dominum spectat: alioquin verò maritus non tenetur nisi ex dolo, & culpa saltem leui. eod. n. 2. §. Duobus.

Duplex est dos. Vna profectitia à parente per virilem sexum ascendente, & filium in potestate habente: alia verò aduentitia, seu aliunde aduenien̄s. n. 3.

Pater compelli potest Iudicis officio, vel liberos elocet, & dotem competentem assignet: idque verum est, etsi filia cum patris consensu nubens, propria aduentitia bona habeat. num. 3. & 4.

Si pater penes se habens bona aduentitia, dotem filiæ vel donationem propter nuptias filio constituat, in dubio præsumitur ex proprijs dedisse. Secus est, si alius bonorum administrator, imò etiam auus paternus dotem, vel donationem constituat. eod. n. 4.

Si filia cum patris consensu in matrimonium collocata fuerit, nulla facta dotis mentione, nihilominus eam dotare debet. Eadémque ratione, si mulier diues sine expressione dotis ducta sit, tacitè censetur dos promissa, pro conditione & dignitate viri. Ibid. §. Secundò.

Licet filia inconsulto, aut inuito patre, nupserit viro digno, nihilominus pater dotem dare debet: nisi municipali statuto aliter decretum sit, vel nisi (secundum quosdam) filia ex aduentitijs bonis dotata sit. Ibid. §. Tertiò.

Si filia (præsertim minor viginti quinque annis, vel antequam pater in culpabili mora eam elocandi fuit) absque eius licentia nupserit viro indigno moribus, aut genere, cogi non potest pater ad plene dotandum, sed tantùm ad necessaria alimenta præstanda. §. Id verò.

Pater obligatus etiam est dotem constituere filiæ Monasterium ingredienti: quia causa Religionis fauorabilior etiam est matrimonio carnali. Ibid. §. Quartò.

Dos ex facultatibus patris constituenda est deducto ære alieno, adeò, vt post patris mortem restituenda sit, quatenus in præiudicium creditorum, vel aliorum liberorum data fuerat. §. Porrò.

Mater, imò etiam frater, si diues sit, in defectum aliorum, filiæ, aut sorori inopi dotem dare cogitur, sicuti & alimenta: nam dos succedit loco alimontorum. n. 5.

Dos profectitia soluto matrimonio reuertitur ad dantem, qui est pater, aut auus filiam in potestate habens. Sed dos aduentitia manet mulieri, eiusve proximo hæredi. num. 6.

Si loci statuto, aut consuetudine receptum sit, vt liberi in matrimonium elocati patria potestate egrediantur, dos, vel donatio propter nuptias ad patrem non reuertitur. Ibid. §. Ex hoc.

Maritus mortua vxore dotem aduentitiam lucratur duobus casibus: Primus. Si pactum intercessit de dote lucranda. Secundus. Si vxor intestata decedat deficientibus liberis, & propinquis. Ibid. §. Duobus.

Constante matrimonio maritus dotem aduentitiam lucratur ob adulterium vxoris, vxor quoque donationem propter nuptias, propter adulterium mariti. Id verò intelligitur post Iudicis sententiam, cùm sit pœna. n. 7.

Si adultera liberos habeat, ad ipsos dotis proprietas pertinet post mortem matris. Ibid.

Si maritus ad inopiam vergat, vt dos periclitari incipiat, neque alia cautio sufficiat, repeti poterit, vt vel vxor eam administret, vel tuto aliquo loco, v. g. apud mercatorem collocetur. Ibid. §. Præter.

Si scandalum cesset, vxor marito prodigo dotem clanculum substrahere non prohibetur, ita tamen, vt otiosa

non maneat, sed exposita lucrum afferat, ad familiam alendam. ibid.

Si maritus dotem, vel partem eius, aut matrimonij communia lucra prodigè absumpsit, vxori damnum iniustum infert: ad cuius compensationem ipse, & hæredes eius tenentur. ibid. §. Sin verò.

Vxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti, donec ei dos restituatur. num. 8.

Parapherna dicuntur reliqua omnia vxoris bona, præter dotem, in quorum administratione, & fructibus maritus vxore nolente se immiscere nequaquam debet. n. 9.

Donatio propter nuptias ad similitudinem dotis constituitur, vt mulieri dos securior maneat, si maritus bona possideat, quæ illi pro dote specialiter obligata sint. n. 10.

Si pactum intercessit de dote lucranda post mortem vxoris, intelligitur id etiam de lucranda donatione hac post mortem mariti. §. Accedit.

Iure Cæsareo communi inter dotem & donationem propter nuptias æqualitas seruanda est: quod tamen hodie ferme non obseruatur; cùm sæpe nulla constituatur donatio propter nuptias, aut non æqualis doti, sed minor, aut maior, vel sub alia forma. ibid.

Quibusdam locis constituitur sponsæ arrha, id est, donatio facta in remunerationem dotis, virginitatis. Quæ donatio post mortem mariti ad vxorem spectat: sin ante maritum moriatur, ius habet de ea disponendi, sicuti de dote aduentitia. num. 11.

Dubium, opinio.

Dubium aliud iuris est, & aliud facti. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 2.

Dubium iuris aliud est speculatiuum, aliud practicum; & hoc vel generale seu abstractum, vel propriè seu proximè practicum. ibid.

Agere, vel omittere aliquid cum dubio propriè practico, semper est peccatum: requiritur enim ad rectè ac prudenter operandum iudicium practicum moraliter certum quæ est conscientia, prudentiæ actus. n. 3. & 4.

Ex duabus oppositis opinionibus versantibus circa actionem humanam, an ea licita sit, quisque in praxi sequi potest, quam maluerit. num. 7.

Vir doctus alteri consulenti suadere potest secundùm probabilem aliorum Doctorum sententiam, etsi eam ipsemet falsam iudicet. num. 9.

Confessarius absoluere debet pœnitentem, qui secundùm probabilem Doctorum opinionem operari vult, quamuis ipsemet Confessarius iudicet doctrinam secundùm se falsam esse. num. 10.

Superiori præcipienti secundùm opinionem probabilem subditus obedire tenetur, etiam contra propriam probabiliorem. num. 11.

In dubio, an Prælatus iustè præcipiat, debet subditus obedire; nisi exinde graue commodum timeatur, non item si præceptum negligatur. num. 12.

Doctrina illa, quòd liceat quamuis probabilem sententiam in agendo sequi, accommodanda non est ad quæstiones merè speculatiuas. num. 13.

Si quæstio sit de valore Baptismi, alteriúsve Sacramenti, plerumque non licet administrare secundùm probabilem, tamen incertam sententiam: sufficit tamen magna probabilitas, quæ ferme sit moralis certitudo. num. 13. & 14.

Dubium facti potiùs speculatiuum est, quàm practicum, v. g. an is, qui sacerdotium desiderat, XXIV. ætatis annum compleuerit. cod. c. num. 29.

Factum in dubio plerumque non præsumitur, sed ostendi debet. num. 30.

Factum in dubio præsumitur, si illud de iure faciendum erat: v. g. si constet alienationem factam esse, præsumptio est necessariam solemnitatem interuenisse. ibid.

In dubio, an aliquis votum ediderit, aut homini promiserit, non debet censeri obligatus. Sin verò constat promissionem factam esse; sed dubitetur, an ei satisfactum, stat præsumptio pro obligatione. n. 31.

Si probabilius sit, ideóque opinetur aliquis se votum executum esse, aut canonicæ orationis pensum persoluisse, videtur esse immunis obligatione. ibid.

In dubio non præsumitur aliquid actum v. g. donatum, legatum esse: si autem constet actum esse, præsumptio est pro valore eius. num. 32.

Qui dubitat, vtrum annum vicesimum primum compleuerit, non tenetur interim ieiunare. n. 33.

Si dubium sit, vtrum pubes fuerit adolescens, cùm votum edidit, à patre, vel tutore irritari potest. n. 34.

Dubitans, vtrum vicesimum quartum ætatis annum compleuerit, à sacro presbyteratus ordine interim abstinere debet. num. 35.

Dubitans, an dies ieiunij transacta, seu noctis medium sit, non potest carnibus vesci: Dubitans verò, vtrum sequens ieiunij dies cœpta sit, pergere potest vescendo, donec certior fiat: Et quòd talis, non obstante hoc dubio, postera die licitè communicet, aut sacrificet, improbabile non est. n. 36.

Qui dubitat, vtrum peccatum mortale confessus fuerit, debet illud confiteri: dubitans verò, an mortaliter peccauerit, videtur obligatus ad confitendum, sub dubio. num. 37.

In dubio, vtrum excommunicatio, aliáve censura contracta sit, benignior pars præferenda. Sin verò constet censuram contractam esse, in dubio non præsumitur absolutionem datam fuisse. num. 38.

In dubio iuris nemo censeri debet irregularis; sed neque in dubio facti, excepta irregularitate ex homicidio iniusto. num. 39.

Qui rationabiliter opinatur, quamuis non sine formidine oppositi, se hominem non occidisse, mortaliter non peccasse, aut peccatum confessum esse, practicè securus esse potest. num. 40.

Puer Baptismum petens, de quo dubitatur, an vsum rationis habeat, baptizari debet reluctantibus parentibus infidelibus, si periculum in mora sit. Sed & vicè versa, si parens talem puerum Baptismo offerat, ipse verò reluctetur. num. 41.

Interdum ex diuersis principijs pro vtraque dubiæ quæstionis parte rationes probabiles occurrunt, vt discerni nequeat, quarum maius momentum sit. n. 42.

Duellum.

Est pugna singularis ex condicto. Si ad demonstrandam veritatem, & testimonium innocentiæ instituatur, inter purgationes vulgares numeratur, & damnatur canonico iure. l. 3. t. 3. p. 3. c. 5. principio.

Licitum non est Iudici duellum imperare Reis: sed quandoque licitum his est in tali necessitatis casu acceptare. n. 1. dub. 2.

Ad liberandam vitam ex certo periculo, quandóque fas est cum iniquo accusatore duellum instituere; seu offerendo, seu oblatum acceptando; non ita verò pro defensione honoris, ac bonorum fortunæ. n. 2.

In bello seu offensiuo, seu defensiuo, plerumque licitum non est duellum cum hoste instituere; seu totius belli causam ad paucorem certamen reuocare: nisi id necessarium esse videatur, aut valde vtile ad ignominiam auertendam, ad militum animos confirmandos, hostium verò debilitandos, denique ad pacem constituendam. num. 3.

In eiusmodi duello, quod communi vtriusque exercitus, vel Ducum consensu instituitur, semper intelligitur pactum esse annexum, vt neutrius factionis militi succumbenti à circumstantibus succurratur. ibid. casu tertio.

In alijs priuatis duellis, si ex vtraque pugnantium parte illicita sint, circumstantes ex charitatis lege dirimere tenentur, si possint. Sin autem ex parte tantùm vnius illicitum duellum est, circumstantes innocenti, si succumbat; succurrere debent; tamensi conditio posita

fuerit, vt neutri succurreretur. ibid. §. Alia.

Prouocato ad duellum plerumque non est licitum comparere. Sed in quibusdam raris casibus damnari non potest: videl. Si miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate excidere debeat, ob ignauiæ, ac timiditatis notam, nisi identidem prouocanti se sistat. Vel si quis ab iniustis conuitijs, ac subeundo dedecore aliter se liberare nequeat, nisi cum prouocante congrediatur. l. 3. t. 3. p. 3. c. 3. num. 3.

Pro defendendo honore mundano non est licitum vitam corporis probabili periculo exponere: Et vulgi error est, pro honore seruando moriendum esse; cùm honor, qui est ab hominibus, minus bonum sit, quàm corporis vita. ibid.

Qui ex condicto in duellum descendit, & vulnus, vel mortem alteri infert, ad nullam restitutionem obligatur vulnerato, vel hæredibus eius faciendam. Idémque sentiendum de ijs, qui ludo periculoso, v. g. hastiludio congrediuntur; modo leges ludi obseruentur. eod. t. 3. p. 3. c. 6. n. 5. princ. & in fine.

Pœna excommunicationis decreta est contra duello congredientes, & eorundem patrinos, auxilliatores, spectatores. Verùm in his regionibus excommunicatio hæc, quoad priuata, seu non solemnia duella, in obseruatione non est. cit. c. 5. num. 4.

E

Ebrietas.

Est excessus in potu, causa voluptatis, donec vsus rationis adimatur: si deliberatè fiat, est peccatum mortale. lib. 3. sect. 4. num. 4.

Inebriare se non causa voluptatis, sed valetudinis recuperandæ, si in raro aliquo casu necessarium medium esse censeatur, non videtur esse illicitum. n. 5.

Sed & id probabile est, licitum esse inebriari mortis vitandæ causa, quam tibi aliquis per violentiam minatur, nisi propinanti respondeas, si scandalum absit. ibid. §. Ex qua.

Si absit periculum amittendi vsum rationis, bibendi modum excedere veniale peccatum est. ibid. §. Deinde.

Alterum prouocare, seu inducere ad ebrietatem illicitam est peccatum ex genere suo mortale: neque excusatur ille, qui alterum ad ebrietatem prouocat, vt grauius eius peccatum certò alioquin committendum euitetur. num. 6.

Ecclesia.

Est fidelium visibilis congregatio: quare hæretici etiam occulti in Ecclesia non sunt, neque Schismatici externi. lib. 2. tract. 3. c. 11. n. 6.

Neque Cathechumeni, quamuis credentes, propriè in Ecclesia sunt, sed tantùm voto ac desiderio. lib. 5. tract. 5. c. 2. n. 8.

Ecclesia iure minoris natu semper illæsa seruatur. lib. 3. tract. 4. c. 11. n. 3.

Ecclesiastica bona.

In primitiua Ecclesia fideles prædia sua vendebant, eorúmque pretia Apostolis afferebant, postea verò visum fuit expedire, vt Ecclesia bona etiam immobilia possideret, ex quibus reditus annuos ad substentationem Ministrorum &c. acciperet. lib. 4. tract. 2. c. 2. n. 1.

Quadripartita est Ecclesiasticorum prouentuum diuisio, secundùm canones antiquos. ibid. n. 3.

Bona Ecclesiastica immobilia sunt vniuersitatis; administratores autem sunt Episcopi, aliique Prælati ordinarij. eod. tr. c. 1. n. 2.

Bona Clericorum alia sunt patrimonialia, alia quasi patrimonialia, & alia Ecclesiastica. c. 3. n. 1.

Bona, siue reditus Ecclesiastici, quatenus beneficiatis secularibus ad honestam sustentationem necessarij sunt, pleno dominij iure ad ipsos pertinent. ibid. n. 2.

Beneficiati redituum Ecclesiasticorum domini fiunt non omnino absolutè, sed cum annexo onere, vt quæ superflua sunt, pauperibus, vel in alium vsum pium erogare ex iustitia obligati sint. n. 3.

Beneficiatus ex reditibus Ecclesiasticis filios suos, etiam spurios, alere tenetur, si indigeant, & ipse patrimonialia bona non habeat. n. 4.

Beneficiatus licet patrimonialia bona habeat, potest ex bonis Ecclesiasticis filio, vel cognato indigenti subministrare sumptus ad studia literarum. n. 5.

Clerici testari de reditibus Ecclesiasticis etiam ad pias causas communi iure prohibentur. n. 6.

Consuetudo vt Clerici de bonis Ecclesiasticis testentur ad causas profanas, non videtur esse iusta, neque à Prælatis Ecclesiasticis approbata, sed tantùm tolerata. Aliud verò sentiendum de consuetudine testandi ad causas pias. n. 7.

Beneficiatus nec merus vsuarius est, nec propriè vsufructuarius, comparatione bonorum stabilium, ex quibus reditus percipit. num. 8.

Donatarij, legatarij, & hæredes non possunt accipere aut retinere, quod ipsis ex Ecclesiasticis superfluis reditibus relinquitur, nisi pauperes sint. n. 9.

Regulares beneficiati plenam suorum redituum administrationem habent, à SS. canonibus concessam. n. 11.

Si Ecclesiæ Prælatus donationem aliquam, vel eleemosynam facturus sit, ex bonis Ecclesiasticis, quæ sint communia collegialiter, requiritur consensus maioris partis Capituli. Sin verò donaturus sit bona communia particulariter, seu quæ ad communem massam non pertinent, sed inter singulos distribuenda sunt, requiritur consensus omnium. l. 3. t. 4. c. 12. n. 11. §. Alterum.

Episcopus non potest reditus vnius ecclesiæ pro fabrica deputatos, quatenus abundantiores videntur, ad alterius pauperioris ecclesiæ subsidium transferre: quia res legata, vel donata ad vnum vsum, non potest ad alterum transferri, nisi auctoritate Principis. Excipitur tamen, si magna, & manifesta abundantia redituum vnius ecclesiæ sit; alterius autem ecclesiæ grauis necessitas, cui ex lege charitatis subueniendum sit. lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 16.

Ecclesia pupillo comparatur, cùm seipsam defendere non possit. Quare sicuti tutor non potest alteri bona pupilli donare cum detrimento eius, ita nec ecclesiarum tutor, seu administrator Episcopus, vel alius Prælatus. ibid.

Ecclesia sacer locus.

De ecclesiarum consecratione, seu dedicatione, ad quam plures Episcopi conuenire solebant, frequens mentio est apud SS. Patres, & Scriptores antiquos. lib. 5. tr. 9. c. 13. n. 8.

Scriptura in marmore, vel vnus testis fidem facit de ecclesiæ consecratione. lib. 5. t. 2. c. 5. n. 3. §. Dixi.

Ecclesia ab Episcopo excommunicato, etiam hæretico, validè consecratur; vt reconciliatione nulla indigeat. lib. 5. t. 5. c. 5. n. 9.

Satis est ecclesiam benedictam esse, atque Episcopi auctoritate ad officia publica deputatam, vt sacris locis annumeretur. eod. c. 5. n. 1.

Ecclesia quinque modis violatur, vt in ea Missam celebrare non liceat; videl. iniuriosa sanguinis effusione, iniurioso homicidio, illicita humani seminis effusione, excommunicati non tolerati, vel denique non baptizati hominis sepultura. n. 7.

Factum, per quod ecclesiæ, vel altaris violatio inducitur, publicum seu notorium esse debet. n. 8.

Sacristia, & cameræ, quæ sunt pro custodia vasorum, & vestium, non videntur violari, sicuti ecclesiæ. n. 10.

Violatâ ecclesiâ, etiam cœmeterium violatum esse censetur, sed non vice versa. n. 11.

In materia fauorabili nomine ecclesiæ, etiam cœmiterium comprehendi solet. lib. 5. t. 7. c. 3. n. 4.

Si ecclesia consecrata violetur, solus Episcopus eam reconciliat; benedictam verò, vel ad publica officia auctoritate Episcopi deputatam etiam simplex Sacerdos

Idémque sentiendum est de cœmiterio. Decens tamen est, vt prius Episcopo res significetur, quam ecclesiam, Præsbyter reconciliet, si extra Missæ sacrificium violetur. l. 5. t. 5. c. 5. num. 12.

In praxi obseruatur, vt, nisi locus consecratus, vel auctoritate Episcopi benedictus fuerit, nunquam violari censeatur, vt reconciliatione indigeat. eod. c. 5. n. 2.

Ecclesia polluta non reconciliatur per solum Missæ sacrificium, quod bona fide in ea celebratur. n. 13.

Si Catholici ecclesiam recipiant, in qua hæreticorum exercitia viguerunt, opus non est eam solemniter ab Episcopo reconciliari: sed sufficit aqua benedicta aspergere. num. 14.

Religiosis Mendicantibus à Sede Apostolica concessa est facultas ecclesias consecratas, si pollutæ fuerint, reconciliandi aqua ab Episcopo benedicta: & vt possint solemniter benedicere ecclesias suas, & cœmiteria, si Episcopi nolint, aut negligant. num. 12.

Interdum ecclesia consecrata consecrationem omnino amittit, vt iterum consecrari debeat, videl. si eius parietes secundùm maiorem partem destructi, aut absumpti sint. Sed benedictio templi, aut cœmiterij non amittitur destructis parietibus; cùm ea solo inhærere censeatur. n. 15.

Si Ecclesia diruta sit sine spe reædificationis, amittit priuilegia loco sacro concessa. ibid.

Veruntamen si ecclesia in alium locum sub eodem Patrono auctoritate Prælati transferatur, vnà etiam indulgentiæ eius, & priuilegia omnia transferuntur. l. 5. t. 7. c. 8. num. 5.

Si minor pars Ecclesiæ corruat, aut destruatur, non amittitur eius consecratio; & pars, quæ adijcitur ipsa accessione consecrationem à toto corpore acquierere censetur. Idémque sentiendum, si ecclesia amplietur: quare tali casu sufficit, partem adictam aqua benedicta aspergere. eod. num. 15.

Ecclesia successiuè reparata non est iterum consecranda, quia moraliter eadem censetur. Si tamen animo omnes, aut pene omnes parietes reparandi, adeóque quasi nouam ecclesiam ædificandi, vnus murus post alium quasi continuatis operis deijciatur & reperetur, probabile est, Ecclesiam iterum consecrandam esse. num. 16. §. Hæc posterior.

Pollutâ ecclesiâ polluuntur etiam altaria, omnia, quæ in ea fixa sunt: sed ecclesiâ execratâ, non ideo etiam altaria execrantur. num. 7.

Ecclesia execratur, si eius parietes incendio ita absumantur, vt omnis crusta, vel secundùm majorem partem auferatur; licet parietes non corruant. Quia consecratio potissimùm consistit in exterioribus crustis eod. c. n. 15.

Si crusta omnis, vel maior eius pars renouandæ ecclesiæ causa successiuè auferatur, consecrationem idcirco ecclesia non amittit. ibid.

Electio Ecclesiastica.

Electio est alicuius personæ ad Ecclesiæ vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio. lib. 4. tract. 2. c. 12. num. 1.

Beneficia propriè electiua dicuntur Prælaturæ, seu in quibus aliquis instituitur, vt sit caput Collegij, & quasi sponsus Ecclesię secularis, vel regularis. Sed latè beneficium electiuum appellatur omne illud, ad quod alicui ius tribuitur per suffragia & alterius confirmationem quo modo in quibusdam, etiam Cathedralibus Ecclesijs, Decanatus electiuum beneficium est. eodem. cap. 12. num. 1.

Electio non tribuit electo ius in re, & quasi dominium beneficij, ad quod electus est, sed tantum ius ad rem: quare opus est. Superioris confirmatione, per quam plenum ius acquiritur. num. 2.

Si electus ante confirmationem moriatur, beneficium vacare censetur per mortem prioris Prælati. ibid.

Si electus ante confirmationem beneficij administrationem vsurpet, priuatur iure suo. Sed neque confirmatus, dum alius in possessione est, administrare debet. ibid. §. Secundò.

Prælati à Papa confirmandi, aut consecrandi, si antea Ecclesiam administrent, fructuum perceptione priuantur: & qui eiusmodi Prælatis obediunt, à beneficijs suspenduntur. ibid.

Beneficia Prælati electi non vacant, nisi post confirmationem, imò etiam consecrationem, vel saltem post lapsum tempus trimestre. ibid. §. Tertiò.

Percussor Episcopi electi non incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ; sed nec confirmati, ante eius consecrationem. ibid. §. Quartò

Electio iure communi ad Collegium spectat, ex consuetudine interdum ad alios. num 3.

Sufficit electorem esse in quasi possessione iuris eligendi, licet postea ab eo euincatur. ibid.

Qui à pacifico possessore electus est, præfertur alteri electo à proprietatem habente. ibid.

Quidam eligendi potestate ob crimen, vel censuram priuati sunt. ibid. dicto. 4.

In Ecclesijs regularibus, qui professi non sunt, & Laici conuersi electioni interesse non debent. ibid.

Omnes, qui ius eligendi habent, ad electionem vocandi sunt. num. 4.

Absens iustè impeditus procuratorem constituere potest, qui tamen è Capitulo sit. ibid. dicto 4.

Nisi electus intra spatium mensis electioni sibi significatæ consentiat, postea ius consentiendi non habet. ibid. dicto 5.

Electus intra trimestre spatium confirmationem petere debet; alioquin electio cessat. num. 5.

Tres sunt modi, seu formæ eligendi. I. Per scrutinium. II. Per compromissum. III. Quasi per diuinam inspirationem. num. 6.

Beneficiati Episcopo inferiores ad Episcopatum eligi non prohibentur: sed Episcopus ad alium episcopatum postulari debet. num. 9.

Etsi decens sit, aliquem capitulariter eligi, qui de gremio Ecclesiæ sit idoneus, si tamen Capitulares huic iuri renuntiare volentes alium sponte eligant, electio rata est. ibid.

Si Religiosus ad Ecclesiam secularem eligatur, acceptare non potest electionem, sine consensu Prælati, qui tamen consensum præstare debet, si Ecclesiæ vtilitas postulet. Postquam verò Religiosus ad Prælaturam, vel beneficium parochiale translatus fuit, ad aliam Ecclesiam promoueri poterit, sine consensu Prælati regularis. ibid.

Regularis ex vno Monasterio eligi potest in Prælatum alterius Monasterij; si eiusdem Ordinis sit; non item, si diuersi Ordinis; nisi Prælatura episcopalis sit. eod. num. 9. §. His quædam.

Si Canonici ad beneficium residentiam requirens eligant aliquem, qui simile beneficium antè obtinet; distingue, vtrum id sciant, tunc censentur contenti esse, vt post dispensationem beneficium absens retineat: Si tamen dignius sit beneficiū, ad quod eligunt, censentur sub conditone eligere, si prioris residentiam dimittat. An verò ignorent, tum resilire possunt, nisi electus suum beneficium resignare, vel in eo non residendi dispensationem impetrare velit. lib. 4. tract. 2. cap. 8. in fine.

Electioni Prælati patronus, pręsertim laicus, interesse non debet: vel etsi ex speciali consuetudine, aut fundationis lege intersit, libertatem tamen eligentium impedire non potest, neque ius suffragij sibi arrogare. l. 4. tract. 2. c. 13. n. 8. §. Cæterum.

In fundatione conditio apponi potest de consensu Patroni requirendo. Verùm patrono laico solus Papa ta-

lem facultatem concedit. ibid.

Post factam prælati electionem nihil prohibet patroni consensum requirere; quem tamen is negare non potest, nisi iustam causam habeat, videl. si electum idoneum non esse ostendat. ibid. §. Post factam.

Si secularis potestas cum auctoritate se immisceat electioni Ecclesiasticæ, dicitur ea facta per abusum secularis potestatis; ac pœnas canonicas adiunctas habet. l. 4. t. 9. c. 9. num. 2. §. Duodecimò.

Eleemosyna.

Est opus, quo datur aliquid indigenti ex commiseratione, propter Deum. lib. 2. tract. 3. c. 6. num. 3.

Magistratus ob iustas causas peregrinos mendicantes ciuitate expellere potest. ibid. §. Notat.

Eleemosynæ præceptum oritur vel ex parte dantis, si habeat bona superflua; vel ex parte accipientis, si in necessitate extrema, aut graui positus sit. n. 4.

Extremam necessitatem naturæ patientibus plerumque subueniendum est ex ijs, quæ statui conseruando necessaria sunt. Constitutis autem in graui necessitate succurrendum esse videtur, saltem cum modico status detrimento. eod. num. 4.

Diues contra iustitiam peccat, si pauperi in extrema famis necessitate non subueniat sed mori sinat. l. 1. tr. 2. c. 3. n. 8. & l. 3. tract. 3. c. 1. num. 7. in fine.

Etsi diues homini extrema patienti iniuriam inferat, si necessaria neget, cùm ipsi naturali iure debeantur, transactâ tamen illa necessitate debitum hoc extinguitur, vt restitui nihil debeat. eod. n. 7. aduert. 3.

Frequens non est, vt homines seculares plura in bonis habeant, quàm ad statum eorum necessarium sit. l. 2. t. 3. c. 6. num. 4. in fine.

Nemo tenetur magnam pecuniæ summam dare pauperi ad emendam necessariam medicinam, quæ valde magni pretij sit: cùm nec ipse infirmus, si pecunias haberet, talem medicinam sibi comparere deberet; quia sufficit adhibere remedia communia. l. 2. t. 3. c. 6. n. 4. §. Dixi.

Ex ijs quæ absolutè superflua sunt, præceptum est diuitibus, vt eleemosynam dent, si graues pauperum necessitates cognôrint. n. 5.

Probabilius est, quòd ex superfluis bonis eleemosyna danda sit communem inopiam patientibus: quamquam hæc obligatio censenda non est sub mortali. n. 5.

Qui mutuo, aut venditione succurrere potest necessitati proximi, non tenetur donare, præsertim notabilem quantitatem. num. 6.

Illicitè acquisita, si proprio domino restitui debét, alijs in eleemosynam dari non possunt: secùs est, si quæ malè, aut turpiter acquisita tamen in acquirentis dominium transierunt. num. 7.

Vxor eleemosynas, aliásque donationes arbitratu suo facere potest de bonis paraphernis; non item de dote, alijsque familiæ bonis, sine licentia mariti: Excepto, si maritus absens sit, prodigus, aut mente captus; vel opum abundantia, pauperum grauis necessitas, aliáve iusta causa postulet, & maritus ob auaritiam, vel imprudentiam intermittat. lib. 3. tract. 4. c. 12. n. 6.

Probabile est, quòd vxor, etiam marito inuito, moderatas eleemosynas facere possit; præsertim si bona in coniugio acquisita secundùm morem regionis communia sint: cùm ipsa non sit veluti ancilla, sed socia domesticæ administrationis. ibid.

Prælati Ordinum regularium ex bonis Monasterij eleemosynas, & donationes remuneratorias facere possunt, & sæpe debent, secundum facultates Monasterij, cui præsunt. eod. c. 12. n. 9. §. Quidam.

Oeconomi regulares, & Procuratores eleemosynas, aliásve donationes facere possunt, secundùm limites suæ cōmissionis, seu secundùm Superiorum voluntatem expressam, aut rationabiliter præsumptam. n. 10. §. Tertiò.

Religiosi nullam adminstrationem bonorum habentes, nullas eleemosynas dare possunt, sine licentia Prælati excepto casu necessitatis extremæ, si pauper fame alioquin moriturus sit. ibid. §. Denique.

Si Religiosus cum legitima licentia extra Monasterium degat, v. g. in peregrinatione, aut in studio literarum, potest moderatas eleemosynas facere, sicuti alij eiusdem Ordinis & conditionis solent, ibid. §. Alij.

Si Religioso certa quantitas ad substentationem assignata sit, quod parcius viuendo seruauit, ex præsumpta Superioris voluntate, in eleemosynas expendere potest. ibid.

Emphyteusis.

Emphyteuses concedi solent, vt prædia magis fœcunda reddantur. lib. 3. tract. 4. c. 23. n. 1.

In emphyteusi ius dominij vtilis transfertur, in eóque à locatione distinguitur. num. 2.

In dubio, num. sit contractus censualis, an emphyteuticus, præsumitur talis, qualis in eo loco vsitatior est. num. 3.

Laudemium ad substantiam emphyteutici contractus necessariò non requiritur. n. 4.

Emphyteusis alia est Ecclesiastica, & alio laica, seu communis. num. 5.

Ad emphyteuticum contractum scriptura requiri solet. num. 6.

Emphyteuta domino exigenti instrumentum, seu titulum emphyteuseos, ipsáque prædia emphyteutica, & fines eorum exhibere cogitur. ibid.

Impendia, quæ ad fundi conseruationem, & fructuum collectionem spectant, emphyteuta præstare debet. num. 7.

Si emphyteuta tribus annis continuis in emphyteusi laica; duobus verò annis in Ecclesiastica, pensionem integram non soluat, ipso iure cadit in pœnam commissi. num. 8.

In emphyteusi, præsertim Ecclesiastica, si post elapsum biennium mox oblatis pensionibus emphyteuta moram purget, liberatur pœna commissi. ibid. §. Quintò.

Si dominus omisit voluntatem suam declarare, cùm facilè ei licuerit, non potest deinde successor caducitatis pœnam exequi. Sed neque contra hæredem emphyteutæ, aut vasalli condemnatio fieri potest, si contra delinquentem scienter intermissa fuit. ibid. §. Quartò.

Probabile est, dominum in casu notorio canonis non soluti propria auctoritate rem emphyteuticam occupare posse. ibid.

Si dominus post causam caducitatis, insequentis temporis pensiones receperit, præsumitur ius reuocandi condonare: sicuti & dominus, si à vasallo post incursam caducitatem sine protestatione seruitia solita recipiat. ibid. §. Sextò.

Ecclesia expellens emphyteutam post incursam caducitatem, nihilominus pensiones exigere potest: sed in priuata emphyteusi dominus censetur remittere, si nihil protestetur. eod. n. 8. in fine.

Emphyteuta si domino non requisito rem emphyteuticam alienet per venditionem &c. ipso iure ea priuatur: quare duorum interim mensium spatium domino conceditur, intra quod si fundi possessionem emptori emphyteuta tradat sine domini concensu, pœna commissi incurrit num. 9.

Si dominus à nouo emphyteuta, qui sine consensu suo in possessionem missus est, pensionem accipiat, censetur alienationem ratam habere. ibid. limit. 2.

Potest tamen emphyteuta fundum oppignerare, ad vitam suam locare, censum, vel seruitutem in illo, etiam irrequisito domino, constituere. n. 10.

Titulo lucratiuo non prohibetur emphyteuta fundum emphyteuticum in alterum transferre, saluo tamen iure proprietarij. n. 11.

Emphyteusis alia est simpliciter hæreditaria, alia mixtè hæreditaria, alia simpliciter ex pacto, & prouidentia. num. 12.

Emphyteusis alicui absolutè concessa pro se, & filijs suis, etiam fœminas comprehendit. n. 13.

Si emphyteusis alicui concessa sit pro se, & hæredibus aut successoribus suis, hæreditaria censeri debet; vt etiam ad extraneas transire possit: quamquam in Ecclesiastica emphyteusi nomine hæredum intelligi solent descendentes. ibid. dicto 3.

Emphyteusis, etsi absolutè hæreditaria sit, tamen in personam potentiorem transferri nequit. n. 14.

Cùm bona ob crimen confiscantur, licet fiscus succedat in emphyteusi hæreditaria, si priuata sit: cogi tamen potest fiscus, vt intra annum alteri vendat. ibid. in Corollario.

Emphyteusis hæreditaria Ecclesię legari, vel cùm hæreditate relinqui potest, ita tamen, vt intra annum vendi debeat. ibid.

Si emphyteuta Religionem profiteatur, quæ capax sit immobilium bonorum, emphyteusis hæreditaria ad Monasterium transit. Sed ea vendi debet, saltem post mortem Professi, vel aliter prouideri de laudemij solutione, ne domini directi conditio deterior fiat. Sin autem emphyteusis sit ex prouidentia, vtilitas eius, dum Religiosus viuit ad Monasterium spectat, postea succedit ille, qui ex inuestitura vocatur, alioquin ad dominum redit. ibid. &c. 24. n. 10.

Pater vni filiorum donare, vel prælegare potest emphyteusin, si hæreditaria sit: sin verò ex pacto & prouidẽtia, non potest in præiudicium aliorum liberorum, nisi sit emphyteusis noua, siue primitus acquisita. n. 16.

Si tempus iuris emphyteutici ad hominis vitam, ad duas, vel tres generationes concessi finitum sit, non tenetur dominus, secundùm iuris rigorem, agnatum proximum, quantumuis idoneus sit, inuestire. n. 17.

Laudemium ex venditione feudi emphyteutici vsufructuario, non proprietario debetur, v. g. patri, non filio, ex bonis aduentitijs eius. n. 18.

Si emphyteuta fundo emphyteutico priuatus est ob canonem non solutum, meliorationes à domino petere non potest. ibid. quæst. 5.

Si emphyteuta sine culpa sua fundum emphyteuticum amittat, repetere potest meliorationes eas tantùm, ad quas ratione contractus emphyteutici non tenebatur: vt si nouum ædificium extruxerit. n. 19.

Emptio, & Venditio.

Contractu emptionis ac venditionis, cusonumo seu pecunia, de nouo introductus est; cùm antea res aliæ inter se permutari solerent. lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 1.

Contractus iste, quà pretium interuenit, emptio; quà verò merx, venditio dicitur. n. 2.

Duplex est rerum venalium pretium, vnum legitimum, & alterum naturale: illud in indiuisibili consistit; hoc verò vulgare est, & latitudinem habet: quare triplex statuitur: Supremum, mediocre, infimum. n. 3. & 4.

Tempore sterilitatis non potest solis agricolis pretium frumenti taxari, aliis mercibus non taxatis. n. 4.

In pretio emptionis ac venditionis, quòd liceat contrahentibus se circumuenire I C. dictum est. 5.

In externo foro contrahentibus non succurritur, nisi vltra dimidium iusti læsi sint: sed in conscientiæ foro omnis contrahentium notabilis læsio ad æqualitatem reducenda est. n. 5. & 6.

Si emptio v. g. rei Ecclesiasticæ, vel ad Minorem spectantis iusto pretio peracta est, prætermissa iuris solemnitate, in conscientia tutus est emptor, donec Iudicis rescindentis auctoritas accedat. Idémque sentiendum de electione, & similibus actibus. l. 1. tr. 4. c. 10. n. 9.

Si contrahentes sciant iustum mercis pretium, & nulla vi, aut fraude interueniente supra, aut infra limites iusti pretij emant, aut vendant, præsumitur donatio: quod etiam de alijs onerosis contractibus dici debet. lib. 3. tr. 4. c. 17. n. 6.

Sicuti in decepto venditore, ita etiam in decepto emptore dimidium iusti in foro externo æstimari debet. num. 7.

Rescisso contractu propter læsionem immodicam fructus temporis intermedij ad emptorem, vtpote dominum, spectare æquum est. n. 8.

Iustum mercis pretium est, quòd loci consuetudo approbat, secundùm communem hominum æstimationem. n. 9.

Qui frumentum v. g. pretio consueto vendit, sciens breui superuenturam copiam, nihil peccat: similiter, qui intellexit locationum pretia minuenda esse ob aulæ recessum; vel Magistrum certum genus monetæ interdicturum, si pecunias expendat, vel domum consueto pretio locet. ibid.

Magistratus tamen, & Assessores iniustè agunt, si eiusmodi decretum ante promulgationem alicui prodant, vel ipsi eius scientia vtantur cum aliorum damno. ibid.

Causæ, ob quas pretia rerum augentur vel minuuntur, sunt penuria vel abundantia mercium; emptorum vel venditorum paucitas, aut multitudo, item pecuniæ abundantia, item mòdus v. g. vendendi sub hasta, si emptor à venditore rogetur &c. n. 10.

Merx multùm distans à loco, in quo venditur, tantò minoris æstmari solet. lib. 3. tr. 4. c. 19. n. 8.

Nemo suum commodum emere cogitur. eod. tr. 4. c. 17. n. 10.

Dominium mercis, quamuis traditæ, non antè acquiritur emptori, quàm is pretium soluerit, vel ipsi fides de solutione habita sit. n. 11.

In dubio censetur venditor fidem habere emptori de pretij solutione. ibid.

Res in specie empta, si ante traditionem absque venditoris culpa pereat, emptoris damnum est, secùs, si res indeterminatè, seu in genere empta fuit. n. 12.

Si venditio facta est ad futuram mensurationem, aut numerationem, periculum rei interim ad venditorem spectat. num. 13.

Si vinum, mel, ouium grex, vel aliud simile non ad numerum, mensuram, sed ad corpus venditum fuerit, neque actum vt degustaretur, emptor periculum præstabit. Idémque dicendum, si certus terminus mensurationi, aut numerationi præfixus fuerit, post culpabilem moram emptoris, ad ipsum periculum pertinet. ibid.

Venditor mercis vitium occultum significare tenetur, alioquin rescindi potest contractus, si dolus causam contrahendi dedit. n. 14.

De vitio per se manifesto emptorem monere necesse non est, nisi inuincibili ignorantia laborare videatur. Ibid. §. Cæterum.

Si merx vitiosa aliqualem vsum habet ad eum finem, ob quem emitur, interdum necesse non est vitium occultum manifestare: plerumque tamen de pretio aliquid ob hanc causam remittendum erit. n. 15.

Plerumque peccant Oenopolæ, si vino aquam admisceant. eod. num. 15. §. In specie.

Actio quanto minoris, in conscientiæ foro etiam vltra anni spatium durat, ad petendum pretium iustum. n. 16.

Peracta venditione partium consensu, fructus omnes pendentes, cùm maturi, tum immaturi, ad emptorem spectare debent censentur enim pars fundi. n. 17.

Vendito equo, censentur etiam vendita necessaria ornamenta: vendita autem domo, etiam seræ, claui, & similia emptori cedunt. ibid.

Ager pluris æstimatur ante messem, quàm post messem. ibid. coroll. 1.

Si domus vendatur, quæ alteri elocata est, pensio pertinet ad venditorem & emptorem proportione temporis

antecedentis & consequentis. coroll. 3.

Peracta venditione, etiam fructus producendi, seu postea exhorti ad emptorem spectare debent; etiamsi pretium solutum non sit. n. 18.

Vsuræ pretij non soluti exigi possunt, si compensatoriæ sint, secùs, si lucratoriæ. n. 9.

Res quælibet ei perit, aut fructificat, cui in specie debita est. eod. n. 19. in fine.

Si venditio ita fiat, vt periculum rei venditæ, interim donec pretium soluitur, ad venditorem pertineat, tunc fructuum æstimationem is exigere poterit. n. 20.

Venditor emptori obligatus est de mercis euictione. num. 21.

Si res aliena emptori ignoranti vendita fuerit, valet contractus, & dominium pretij venditori acquiritur. ibid. §. Est autem.

Qui alienis numis aliquid mercatur, dominium mercis acquirit: numi tamen venditori non acquiruntur, nisi cum proprijs ita miscuerit, vt discerni non possint. Semper autem fur tenetur, si numi alieni euincantur à venditore. eod. n. 2. in fine.

Qui à fure emente pecunias furtiuas bona fide accepit, easque cum proprijs commiscuit, ad nullam restitutionem domino pecuniarum obligatur. n. 23.

Bonæ fidei emptor si postea intelligat rem furtiuam esse, domino suo restituere debet, non furi. n. 24.

Qui rem furtiuam, quam à fure emit, alteri bona fide vendit, postea comparenti domino restituere nihil debet: secùs, si res furtiua illi donata erat. n. 25.

Licitum est res furtiuas modico pretio redimere, ea intentione, vt dominis suis restituantur. n. 26.

Qui scit rem alienam esse, vendere eam non debet; sin verò dubitat, post diligentem inquisitionem vendere non prohibetur, monito priùs emptore de euictionis periculo. num. 27.

Si res duobus vendita, vni, quamuis posteriori, tradita sit, dominium huic acquiritur. Sed excipiuntur Ecclesiæ, & ciuitates, quibus per solam conuentionem absque traditione dominium rei comparatur. n. 28.

Res sacra, homo liber (extra necessitatis casum) item publicum forum, theatrum vendi non possunt. n. 31.

Seipsum aliquis in necessitate vendere non prohibetur, cum homo libertatis suæ dominus sit. ibid.

Res sacræ, quæ ratione materiæ pretio æstimabiles, vendi vel oppignerari possunt ob piam necessitatis causam. Sed alienatio fieri debet alteri Ecclesiæ; nisi sacra vasa conflata, aut profanata sint; tum etiam laico alienatio fieri potest. ibid.

Ea quæ sunt in spe, vt lucra, item iura & actiones recte venduntur. n. 32.

Actio cedi, aut vendi non potest potentiori, ratione officij, seu potestatis exercendæ in debitorem: secùs est, si emptor potentior sit ratione alterius qualitatis; præterquam, si appareat actionem ea intentione translatam esse, vt alter potentiorem aduersarium habeat. Ibid. § Excipitur.

Probabile est, quòd ius, seu chirographum ad accipiendum sequente anno centum, minore nunc pretio emi possit, puta nonaginta. n. 33.

Debitum, quod difficilem solutionem habet, tantò minùs valet. ibid.

Qui sua industria alienum debitum facilè consequi potest, quod is, cui debetur, difficilè impetrabit, pretio minore emere non prohibetur; modò difficultas solutionis non ipsius culpâ proueniat. eod. n. in fine.

Nemo inuitus rem suam vendere cogitur: exceptis casibus publicæ necessitatis, aut publici fauoris, vt si fundus personæ priuatę necessarius sit ad constructionem, vel ampliationem ciuitatis, viæ publicæ, Principis palatij, templi, monasterij, Hospitalis &c. n. 34.

Si ædes priuatæ non simpliciter necessariæ, tamen valde vtiles sint ad Religiosorum, vel Clericorum plurium habitationem, cum bono pubico iunctam, subditi cogi possunt à Principe, saltem si ex tali venditione nullum, aut modicum detrimentum patientur. ibid. §. Testantur.

Si dominus loci nimia sæuitia vtatur in subditos, & monitus non absistat, à Magistratu compelli potest ad vendendum dominium, vel omnino iurisdictione priuari ibid. casu tertio.

Si aliquis in loco communi ecclesiam ædificare velit, socius ad partem suam iusto pretio vendendam cogi potest, Religionis fauore. Casu quarto.

In casu communis inopię, qui frumento, & similibus rebus abundant, cogi possunt, vt ciuibus seu indigenis vendant, non exteris: item vt emptores non plus coemant, quàm ad familię sustentationem indigent: cuiusmodi legibus etiam personę Ecclesiasticę se conformare debent. eod. n. 34. vers. Adde secundò.

Venditoribus à Magistratu pretium rerum ad victum necessariarum taxari potest, non ita verò, si res non necessarię venales exponantur, vt gemmę &c eod. n. 34.

Episcopus.

Episcoporum Ecclesiastica iurisdictio, quoad substantiam, est diuina institutione est; quoad modum verò, & ordinem institutionis, à Summo Pontifice pendet. lib. 1. tr. 4. c. 7. n. 3.

Ad Romanum Pontificem pertinet Episcopos electos confirmare, eorum iurisdictionem tum locorum spatijs, tum causarum qualitate definire; eosdem iustas ob causas deponere. n. 5.

Episcopi non succedunt Apostolis in apostolatu, sed in sacerdotali ordinis dignitate. ibid. obiectione. 1.

Dictum Canonistarum: *Quòd potest Papa in Ecclesia tota, id potest Episcopus in sua diœcesi*, intelligitur cum dependentia à Sum. Pontifice, & exceptis causis maioribus, quę soli Papę reseruantur: v. g. dispensatio in impedimentis matrimonij, deposito, vel translatio Episcopi, diœcesium diuisio, mutatio, ibid. §. Ex his omnibus.

Ad Episcopum spectat ob iustam causam disponere de beneficijs ad suam diœcesin pertinentibus: modo nihil contra canones agat, neque fundatorum voluntati sine causa necessitatis deroget. Quare Episcopus ex ecclesia parochiali facere potest Collegiatam, diuini cultus augendi causa: Ecclesiam parochialem ob plebis multitudinem diuidere: Ob redituum tenuitatem vnum beneficium alteri vnire, vel omnino supprimere. lib. 4. tr. 2. c. 13. n. 11. q. 5.

Hodie secundum stylum curię non permittitur Episcopis, vt beneficia pensionibus grauent. Quare in tali casu tum plebs, tum patronus Ecclesiæ se opponere possunt ne id fiat sine Sedis Apostolicæ auctoritate. ibid.

Episcopi non possunt statuere contra leges, vel consuetudines Ecclesiæ vniuersales; tametsi secularibus Ducibus sæpe concessum sit contra legem Imperatoriam decernere. Ibid.

Episcopi non possunt statuere, aut priuilegiare cum præiudicio iuris aliorum: quia solius supremi Principis est, postulante causa publica, vni auferre, & alteri dare, ibid.

Episcopus non potest facere statutum in præiudicium iuris Ecclesiarum inferiorum, nisi causa maxima, eáque publica vrgeat, tum consentire debent inferiores Rectores, aut, ijs etiam nolentibus, procedi poterit. ibid.

Ordinatio Episcoporum olim ad testimonium populi, electionem Cleri, à prouinciæ Episcopis, cum auctoritate Metropolitani siue Primatis, fieri debebat. Nihilominus mos antiquus fuit, vt ad Rom. Pontificem referretur, quinam etiam in Oriente Episcopi canonicè electi essent, vt electio confirmaretur. ibid. obiect. 2.

Episcopatum, aliámve Prælaturam appetere principaliter, propter Dei honorem, atque salutem animarum, secundariò verò propter temporalia bona, non est illici-

tum, si debitæ conditiones adsint. lib. 4. tr. 2. c. 15. n. 10.

Episcopatum solus Papa imperare alicui potest. Id verò frequens est, vt Episcopum vnius Ecclesiæ cogat ad acceptandum, alterius Ecclesiæ Episcopatum, propter publicam vtilitatem: imò Episcopatus vacare videtur per translationem à Papa decretam, & confirmatam, ante translati acceptationem. ibid. n. 11.

Licet alioquin qui ad Prælaturam habilis est, si renitatur, à Superiore suo cogi possit; tamen Prælatus Ordinis Religioso præcipere non potest, vt Episcopatum, aliámve Prælaturam extra Ordinem acceptet. ibid. dicto 2.

Episcopus eligi non potest, nisi trigesimum ætatis annum compleuerit: quia etiam Christus post exactum annum XXX. prædicare cœpit. lib. 5. tr. 9. c. 7. n. 1.

Episcopus, vel similis persona publica contumeliam, vel infamiam iniustè illatam se defendendo repellere debet, propter Communitatis bonum. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. in fine.

Sine Episcopi consensu Ecclesiæ subiectæ statuere non possunt in rebus alicuius momenti; sed tantùm in causis exiguis. lib. 1. t. 4. c. 7. n. 10.

Olim vsitatum erat, vt Episcopi in ciuilibus fidelium controuersijs iudicium ferrent. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 8. n. 6.

Eremita.

Eremitæ illi soli, qui edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione, Ordini vel Ecclesiæ alicui speciatim additi sunt, inter personas Ecclesiasticas numerari, earúmque priuilegijs gaudere debent. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4. dub. 2.

Eucharistia.

Est propriè Sacramentum, ad cuius constitutionem pertinent tum species sensibiles, tum corpus & sanguis Christi, quæ sub speciebus continentur, tanquam spirituale animæ nutrimentum. lib. 5. tr. 4. c. 1. n. 1.

Transmutationis seu conuersionis panis ac vini in verum corpus, & sanguinem Christi, frequens est mentio apud SS. Patres. n. 2.

Eucharistia sub speciebus panis, ac vini, ex vnicum, integrum, ac perfectum Sacramentum; idque pluribus rationibus. n. 5.

Eucharistiæ Sacramentum omnium excellentissimum est. num. 3.

Eucharistiæ Sacramentum varijs nominibus appellari solet. n. 6.

Eucharistiæ materia.

Materia & forma aliter se habent in hoc Sacramento, ac in alijs, quæ esse successiuum habent. eod. tract. 4. c. 1. num. 4.

Materia, ex qua Sacramenti Eucharistiæ, est panis, & vinum. c. 2. n. 1.

Panis triticeus esse debet necessitate Sacramenti: Sed nomen tritici latè accipitur, vt omne genus frumenti comprehendat, quod ad conficiendum panem pro hominis victu communiter adhibetur. n. 2.

Oriza, auena, milium, hordeum non sunt materia huius Sacramenti. n. 3.

Panis ex triticea farina, & aqua elementari mixtus, & igne tostus esse debet: quare nec farina lacte, melle, oleo, aqua rosacea, vel simili liquore subacta & tosta, nec massa farinacea cruda, vel oleo, aut butyro frixa, vel aquâ elixa huius Sacramenti materia est. ibid. assert. 3.

Vt panis azymus sit, non est de necessitate Sacramenti; quamuis id conuenientius sit: cum etiam Christus in azymo consecrârit. n. 4.

Vinum, quod est materia Calicis, de vitæ esse debet, necessitate Sacramenti. n. 5.

Nec agresta, nec acetum validè consecratur: nec vna matura; cùm potus non sit. ibid.

Mustum, seu vinum recens expressum validè consecratur, sed non licitè. n. 6.

In vino congelato non licitè, tamen validè consecratur; nisi spissa admodum fuerit congelatio, quæ tam breui tempore vix accidit. eod. n. aduert. 4.

Si contingat vinum consecratum in calice congelari, debet liquefieri, & sumi: sin ante consecrationem, post oblationem congeletur; & facta resolutione accidentium mutatio non appareat, consultius est consecrare, quàm mutare. ibid. §. Cæterum.

Admixtio aquæ ad vinum non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti semper in Ecclesia obseruati, atque obligantis sub mortali. n. 7.

Qui cum aqua fiat in calicem infusa, vtrum in sanguinem Christi conuertatur, magna etiam olim dubitatio fuit. n. 8.

Aqua, nisi valde copiosa affusa fuerit, vt quantitate vinum superet, vnà cum vino in Christi sanguinem commutatur. n. 9.

Non est solicitè curandum, vt aqua valde modica, vel vna guttula affundatur, sed plures guttæ affundi possunt; imò etiam octaua, vel decima pars proportionalis. ibid. §. Addo.

Materia consecranda debet Sacerdoti moraliter præsens esse. Quare dicunt, materiam non consecrari, si à tergo sit Sacerdotis, vel post interiectum parietem, sub mappa, vel corporali latens, aut magno interuallo distans. num. 10.

Nec magnitudo, nec paruitas materiæ obstat, per se loquendo quominus validè consecretur: sin materia tam parua sit, vt humano visu percipi nequeat, ideóque non demonstrari, consecrationis incapax est. n. 11.

Ad valorem consecrationis requiritur, vt Sacerdos materiam consecrandam determinatè cognoscat, & intendat: quare irrita erit consecratio, si Sacerdos velit consecrare partem aliquam materiæ indeterminatè; v. g. quinque ex præsentibus octo hostijs. n. 12.

Sacerdos censetur habere intentionem consecrandi, quæ sit Ecclesiasticæ consuetudini conformis. n. 13.

Si Sacerdos pro vna duas hostias iunctas posuit, & consecrauit, vtraque consecrata est, & sumenda. Quòd si id aduertat ante consecrationem postquam obtulit, seponat alteram, & Missâ finitâ vt eulogiam sumat, vel alteri det. ibid.

Si quis in scio, seu non aduertente Sacerdote, formulas in alteri ponat, non consecrabuntur; cùm nec actualis, nec virtualis intentio adsit. eod. num. 13. §. Neque his casibus.

Ante Offertorium hostiæ adesse debent, vt licitè postea consecrentur. ibid. eod. §.

Si Sacerdos, antequam ad sacrificandum egreditur, de hostijs consecrandis admoneatur, easque consecrare velit, postea verò obliuiscatur, nihilominus consacratæ censeri debent. ibid. eod. §.

Totum, quod in calice per modum continui est, consecratur. n. 14.

Consultum est, vt Sacerdos ante oblationem omnes guttas adhærentes abstergere curet; deinde offerat, & consecret, secundùm communem Ecclesiæ intentionem, cui suam conformari semper velit. ibid. §. Quod porrò

Eucharistiæ Forma.

Forma substantialis verborum, quibus Christi corpus conficitur, hæc est: *Hoc est corpus meum.* Et quibus Calix consecratur: *Hic est sanguis meus.* c. 3. n. 1.

Virtute verborum, per omnipotentiam Dei, substantialis conuersio fit panis in Christi corpus, & vini in sanguinem: quæ conuersio in eo consistit, quòd in locum substantiæ, v. g. panis accidentia hactenus sustentantis, nunc autem omnino desinentis, succedat corpus Christi, itidem sustentans accidentia panis, non vt formas sibi inhærentes, sed altiore, tamen propriè dicto sustentationis modo. n. 2.

Verba consecrationi substantialia Sacerdos non materialiter tantùm, sed etiam significatiuè profert, reliqua

autem verba tantùm materialiter, ac historicè. n. 3.

Eucharistiæ suscipiens.

Tres sunt manducationes, seu modi sumendi ss. Eucharistiam: vna Sacramentalis tantùm; alia spiritualis tantùm; tertia spiritualis, & sacramentalis simul, per quam vnà cum Sacramento accipitur effectus eius, quæ est gratia sanctificans. c. 4. n. 1.

Etsi hoc Sacramentum per se institutum sit pro fidelibus viuis seu iustis, per accidens tamen ob inculpatam ignorantiam peccati mortalis potest etiam peccatorem iustificare. eod. n. in fine.

Olim etiam infantibus ss. Eucharistia dabatur: nunc autem dari non solet ante sufficientem rationis discretionem. n. 2.

Pueri, ac puellæ priùs ad sacram Confessionem, quàm ad sacram Communionem admittendi sunt. n. 3.

Certa ætas definiri non potest, in qua Eucharistia ministrari debeat: sed prudentium parentum, multò magis Confessariorum iudicio id relinquitur. Nam alij citius videl. circa annum nonum, aut decimum; alij seriùs, circa annum decimum quartum, sufficientem rationis vsum, & spiritualium rerum intelligentiam assequuntur. eod. n. §. Porrò.

Pueri, propter animi leuitatem, ferme non tam frequenter ad ss. Synaxin admittendi sunt, quàm adulti Interdum verò proba institutio compensat teneræ ætatis imbecillitatem. ibid. §. Denique.

Qui post rationis vsum in amentiam inciderunt, ijs in mortis duntaxat articulo ss. Eucharistia danda est, si capaces esse videantur. n. 4.

Qui debilem & imperfectum rationis vsum habent, rariùs, quàm alij, communicandi sunt, minimum tamen in Paschate, & multò magis in mortis articulo, modò eum rationis vsum obtineant, vt sacramentaliter absolui, & inter cibum spiritualem ac profanum discernere possint. eod. n. dicto 3.

Surdis & mutis à natiuitate, si rationis vsu polleant, ss. Eucharistia, & alia sacramenta negari non debent. n. 5.

Energumenis Eucharistia danda est, si absque irreuerentia sumere possint, & non propter scelera in Diaboli potestatem venerint. n. 6.

Frequens ss. Eucharistiæ sumptio commendabilis est, & olim valde vsitatum erat, vt quotidie sumeretur. cap. 5. num. 7.

Melius est ex deuotione Eucharistiam sumere, quàm ob humilitatem & reuerentiam sacramenti abstinere: quia prior actus Amoris est, alter timoris: Amor autem timori præualet. ibid.

Per accidens ob vitæ huius impedimenta, & distractiones, raró hodie inter laicos reperiuntur, qui ad ss. Eucharistiam sæpius, quàm octauo quoque die, cum debita reuerentia, & animæ fructu, aliorúmque ædificatione accedat: quibus autem in particulari toties communicare expediat, Confessarius dijudicabit. ibid. §. At verò.

Ecclesia non permittit, vt aliquis intra eundem diem bis communicetur. n. 5.

Peccata venialia, licet effectum Eucharistiæ, quæ est gratia sanctificans, non impediant, faciunt tamen, vt Sacramentum minùs reuerenter suscipiatur, præsertim si actualia sint. c. 6. n. 1.

Ad augmentum gratiæ in suscipiente iusto alia actualis dispositio necessariò non requiritur, nisi vt Eucharistia voluntariè suscipiatur, tanquam spiritualis cibus animæ. num. 2.

Cum peccato veniali actuali communicare, venialis irreuerentia est. n. 3.

Qui cum conscientia peccati mortalis ss. Eucharistiam accipit, graue sacrilegium committit. n. 4.

Communicaturus, si mortalis peccatis conscius est, sacramentaliter confiteri debet, si id fieri possit. n. 4.

Vrgente necessitate sacrificandi, aut communicandi, si copia confessarij non sit, post contritionem de peccato mortali, communicare licet. n. 5. §. Tertium.

Si Sacerdos in altari recordetur peccati mortalis, opus non est accersere Confessarium; sed elicita contritione, & postea confitendi proposito, sacrificium perfici potest: excepto, si in publico Missæ officio inter cantionem, vel concionem Sacerdos facilè confiteri possit. ibid. §. Contrarium.

Satius est die festo Missam intermittere, quàm non præmissa Confessione, sed sola contritione de peccato mortali, sacrificare; nisi alia necessitas cogat. n. 6.

Sacerdos, qui ob necessitatem sine præuia Confessione celebrauit, quam primum postea confiteri debet, si peccatum mortale habuerat. n. 7.

Peccatori publico, seu publicè, seu priuatim petenti neganda Eucharistia est. Idémque dicendum, si peccator emendatus est, eius tamen emendatio publicè ignota sit, & criminis infamia perseueret. Talis tamen post sacramentalem absolutionem interdum in capella priuata communicari potest. n. 8.

Interdum rationem scandali vitandi necesse est, vt qui frequenter, & publicè lapsus est, aliquo tempore abstineat à sacra Eucharistia, donec plenè satisfecisse visus sit. ibid. §. Adde secundò.

Propter publica etiam, & vehementia criminis indicia Eucharistia negari debet, donec infamia laborans se purgauit. §. Adde tertiò.

Ad sacram Eucharistiam sumendam in criminis purgationem, Reus suspectus cogi non debet. n. 9.

Peccatori occulto ss. Eucharistia negari potest, si priuatim petat; non item si publicè. n. 10.

Ad mortem damnatis Christianis ss. Eucharistia per modum viatici administrari debet. n. 13.

Canonica regula est: *Cui poenitentia conceditur, neque viaticum negari debet.* Ibidem.

Decens est, vt Reis sacra Eucharistia pridie supplicij, vel saltem horis aliquot ante mortem præbeatur, nondum publicatâ damnationis sententia. Ibid.

Corporalis immunditia per se non impedit à dignia susceptione Eucharistiæ; sed interdum per accidens. n. 14.

Mulieri menstruatæ consultum est, ob reuerantiam sacramenti, sacram Communionem differre, si commodè fieri possit. Nullius tamen culpæ damnanda est, si cum fluxu menstrui accedat. ibid. §. Sed obseruandum.

Pollutionem passus, quamuis culpa sua, post pœnitentiam communicare potest: consultum tamen est, ob humilitatem abstinere: quod interdum Confessarius præcipere potest, vt homo grauitatem peccati magis agnoscat. num. 15.

Si post pollutionem, etiam inuoluntariam, malignus effectus commotæ carnis, aut animi perturbati maneat, consultum est eo die abstinere; nisi necessitas communicandi cogat, aut si putetur Dæmonis fraude id agi, vt homo à sacra Eucharistia auertatur, tunc accedendum est adhibita præparatione. ibid. §. Cæterùm.

Mulier non obstante quòd communicare velit, marito debitum coniugij exigenti reddere debet: Si tamen non frequenter mulier communicet, sed in præcipuis festiuitatibus, rogare maritum potest, vt abstineat, sin autem ille constanter petat, reddi debet, & nihilominus sacra Eucharistia accipi potest, nisi animi indispositio prohibere videatur. num. 16.

Sacram Eucharistiam à ieiunis sumendam esse, Apostolica constitutio, & traditio est. num. 17.

Ieiunium, quod Communicaturo præcipitur, perfectum & naturale esse debet. num. 18.

Si modicum quid cum saliua per guttur casu traijciatur, non impedit sacram Communionem. num. 19.

Qui proximè ante medium noctis cænauit in Dominica, incidente in vigiliam Natiuitatis Domini, potest statim post medium noctis sacrificare, & communicare, si

rectè dispositus sit. eod. n. 19. §. sciendum est.

Certi casus sunt, quibus licitum est sacram Eucharistiam sumi à non ieiunis. n. 20.

Etsi Eucharistia ob mortis periculum sumpta sit à non ieiuno, potest iterum ita accipi, saltem post sex, vel septem dierum interuallum. Quinimo si aliquis assuetus sit frequenter communicare, ac propter deuotionem difficilè abstineat, permitti potest, vt altero statim die iterum communicet non ieiunus: dummodo mortis periculum instare videatur. ibid. §. Adde primò.

Non est licitum Sacerdoti post sumptum cibum sacrificare, vt sacram hostiam habeat ad moriturum communicandum. n. 21.

Etiam post acceptam ablutionem licitum est Sacerdoti reliquias hostiarum à se consecratarum in altari absumere. Idque intelligendum est etiam de grandioribus, vel integris formulis, si facilè seruari non possint. n. 22.

Si Sacerdos ante consecrationem recordetur se ieiunum non esse, aut in excommunicatione, plerumque consultius est progredi, si publicè celebret: Sin verò priuatim, recedere debet, si sine graui nota possit. n. 21.

Post sumptam sacram Eucharistiam decens est aliquamdiu à cibo, & potu abstinere; sed non præcepto. num. 23.

Indecens est post sumptam sacram Eucharistiam statim exspuere; tamen paruo interposito tempore licitum est, præsertim si ex necessitate fiat: plus verò periculi est, si sputum ex pectore proueniat, quàm si ex capite descendat. eod. n. 23.

Eucharistiæ sumendæ necessitas, & obligatio.

Sumptio ss. Eucharistiæ, propriè loquendo, non est necessaria hominibus necessitate medij ad salutem. cap. 5. num. 1.

Sumptio sacræ Eucharistiæ fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti diuini, non tantùm in mortis articulo, sed sæpius in vita. n. 2.

Parochis curandum est, vt semper in sacrario, claue obserato, pro infirmis conseruentur hostiæ consecratæ in pixide munda, operculo benè clausa, & velo cooperta: quas hostias ne vetustate corrumpantur, ante alias distribui, vel ab ipso Sacerdote in Missa post suum oblatum, ante ablutionem sumi, & alias nouiter consecratas substitui subinde oportet. ibid. §. Altera pars.

Frequentiùs accidit, vt Eucharistia ad infirmos deferenda sit, quàm extrema-vnctio. n. 3.

Parochi aduigilare debent, an aliqui in mortis periculo constituti sint, vt maturè, & de die sacrum Viaticum afferant. n. 6.

Si homo paucis diebus antè, quàm in mortis periculum incidit, communicârit, non tenetur iterum communicare; secùs, si longiore tempore. n. 4.

Qui semel in mortis periculo Eucharistiam per modum viatici accepit, non tenetur iterum accipere, dum idem periculum perseuerat. eod. n. 4. in fine.

Ex Ecclesiæ præcepto fideles obligantur ad Eucharistiam in Paschate sumendam: Sin verò tunc non accipiant, debent postea, cumprimum commodè possunt, communicare. n. 8.

Qui prouidet, se in Paschate à sacra Synaxi impeditum iri non tenetur præuenire, si intra eum annum semel communicârat. n. 9.

Pœnæ canonicæ decretæ ijs, qui annuam Confessionem, vel Paschalem Communionem omittunt, vt ab Ecclesia arceantur, & mortui Ecclesiastica sepultura priuentur, non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ. Quare Parochi non facilè eas inferre debent, nisi prius monito, & iubente Ordinario. n. 10.

Eucharistiæ sumendæ ritus.

Nullum Christi præceptum extat sacram Eucharistiam extra Sacrificium sumendi sub vtraque specie; cùm essentia, & spiritualis fructus ss. Eucharistiæ, quatenus sacramentum est; in vna specie consistere possit. n. 11. & 12.

Sacra Communio sub vna panis specie in veteri etiam Ecclesia vsitata erat. n. 13.

Manichæi olim à Calice abstinebant, quòd vinum dicerent esse abominale: quem errorem Patres reprehenderunt. n. 12. ad 5. & 6. argumentum.

In veteri Ecclesia consuetudo erat Eucharistiam in Ecclesia à Sacerdote acceptam domum ferendi, & sumendi: qui tamen mos postea sublatus fuit. n. 14.

Clericum Communio olim appellata erat, quæ intra altaris cancellos fiebat, laicorum verò, quæ extra cancellos. num. 15.

In veteri Ecclesia indubitatum erat, sacram Eucharistiam consecratione effici, extra vsum permanere, asseruandam & adorandam esse. n. 16.

Eucharistiæ Minister.

Ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam ex Christi institutione solis Sacerdotibus competit. c. 7. n. 1.

Diaconi ex commissione Sacerdotis sacrum calicem olim dispensarunt, & nunc quoque potestas dispensandi sacrum Christi corpus in casu necessitatis committi eis potest. n. 2.

Dispensatio S. Eucharistiæ requirit in Ministro iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, vt licitè fiat. n. 3.

In casu necessitatis, quo infirmus morti propinquus communicandus est, si proprius Sacerdos Communionem afferre non possit, nolit etiam per iniquitatem alteri committere, tum quilibet Sacerdos, eóque absente Diaconus deferre potest. n. 2. in fine.

Irregularitatem incurrit Sacerdote inferior, si sacram Communionem sine legitima licentia dispenset. n. 3. §. porrò.

Regulares excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt, si sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ-vnctionis sine Parochorum speciali licentia, eorum subditis ministrare, vel matrimonia solemniter benedicere præsumant. ibid.

Regulares Mendicantes vi priuilegij sui non possunt Viaticum Parochianis dare in mortis articulo. ibid. §. Priuilegium.

Regulares Mendicantes in templis suis etiam Paschali tempore ministrare Eucharistiam possunt fidelibus: qui in parochia præcepto Ecclesiæ de Paschali Communione aliàs satisfacere parati sunt. n. 4.

Nemo sibiipsi S. Eucharistiam ministrare debet, extra necessitatis casum. n. 5.

Si aliquis seu clericus, seu laicus, in mortis articulo Ministrum idoneum non habeat, à quo S. Eucharistiam sumat, seipsum communicare potest, si scandalum absit. ibid. §. Altera.

Sacerdos infirmus deferente Diacono sacrum ciborium (quando Sacerdos alius non adest) proprijs, si possit, manibus hostiam accipere, & ori applicare debet. ibid.

Sacerdos sacrificare impeditus etiam extra mortis periculum, si rationabilis causa suadeat, & scandalum cesset, absente Sacerdote sacram hostiam ex sacrario accipere, & seipsum communicere potest, secundùm probabilem quorumdam doctrinam. ibid. §. Addunt.

Si morituro alijs sacramentis destituto S. Eucharistiæ sumptio ad salutem valde necessaria videatur, nullúsque Sacerdos, aut Diaconus haberi possit, qui deferat, non est improbabile, neque ab Ecclesiæ veteris consuetudine alienum, si alius Clericus inferior, vel eo absente laicus deferat, modò scandalum absit. ibid. §. Denique.

Eunuchus.

Qui seipsum castrat, aut castrari curat, mortaliter peccat, & irregulari efficitur. lib. 3. tr. 3. par. 3. c. 1. n. 1.

Peccant parentes, qui filios, quamuis consentientes castrare audent, vt Ecclesiæ cantu, vtiles sint. num. 2. §. Illud.

Qui genitalibus sine culpa propria priuatus est, irregu

laritatem timere non debet. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 7. n. 5.

Eunuchi, qui vtroque teste carent, ad matrimonium contrahendum inhabiles sunt. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 11. num. 3.

Exceptio.

Est actionis exclusio, non inficiando eius intentionem seu fundamentum, sed opponendo aliquid, ob quod fine vel efficacitate sua priuetur. lib. 3. tr. 1. c. 8. n. 1.

Duplex est exceptio: Vna peremptoria, per quam actio simpliciter & perpetuò excluditur. Altera autem dilatoria, per quam actio excluditur ratione loci, vel personæ: qualis est exceptio declinatoria fori. n. 2.

Exceptionem à Reo oppositam interdum Actor contraria exceptione retundit, quæ dicitur replicatio: & hanc iterum Reus exceptione impugnat, quæ duplicatio appellatur: & sic triplicationes, quadruplicationes dari possunt. eod. c. 8. n. in fine.

Excommunicatio.

Excommunicationis nomen, si absolutè proferatur, accipi solet pro maiore, qua aliquis propter contumaciam ab Ecclesiæ communione simpliciter separatur. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 1. n. 1.

Triplex est fidelium communio; Merè interna, merè externa, & mixta. n. 2.

Ecclesia neminem priuare potest communione fidelium merè interna, quæ est per Fidem, ac Charitatem. num. 3.

Ecclesia excommunicatum non priuat fructu orationum, & satisfactionum, quas fideles proprio nomine, & priuata intentione ipsi applicant: quare Sacerdos pro excommunicato, etiam vitando, non prohibetur orare in *memento*, & offerre Sacrificium, vt priuata persona. n. 4.

Ecclesia per excommunicationem priuat hominem communibus suffragijs, vsu sacramentorum, & fidelium conuictu. n. 5.

Excommunicatio est pœna, qua nulla maior in Ecclesia est. n. 6.

Communitas collectiuè excommunicari non potest. ibid. §. Quæ ipsa.

Anathema ab excommunicatione essentialiter non differt. num. 7.

Excommunicato sacramenta suscipere non licet: validè tamen ea suscipit, excepta Pœnitentia. c. 2. n. 1.

Si excommunicatus bona fide peccatorum Confessionem instituat, videl. in casu necessitatis, aut probabilis ignorantiæ, nihil obstat, quominus verè absoluatur à peccatis; remanente excommunicatione, si Superiori reseruata, vel Confessarius errans priùs à peccatis, quàm à censura absoluat. ibid.

Excommunicatus, per quem stat quominus absoluatur, videtur peccare contra Ecclesiæ præceptum, quando in Paschate se disponere negligit ad percipienda sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ. n. 3.

Excommunicatus, licet emendatus sit, quamdiu tamen absolutionem non accepit, non videtur Ecclesiæ suffragijs gaudere. n. 4.

Excommunicato interdictus est vsus actiuus seu administratio sacramentorum: valet tamen sacramentum ab excommunicato ministratum, excepta absolutione sacramentali, cùm ad eam iurisdictio requiratur, qua excommunicatus non toleratus caret. n. 5.

Excommunicato prohibitum est diuina officia celebrare, iisque interesse. n. 6.

Quòd si sacrificio Missæ interesse præsumat, monendus est, vt discedat; si nolit, expelli debet opera laicorum, si ij non adsint, nec vocari possint, etiam à Clericis. ibid.

Excommunicatus inter orandum officium non debet dicere: *Dominus vobiscum*; sed solo eius, *Domine exaudi orationem meam*. ibid. §. Notant.

Excommunicatus inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica: quare electio eius, præsentatio, institutio irrita est, quamuis excommunicationem suam ille ignoret. n. 7.

Excommunicatus incapax etiam ex pensionis Ecclesiasticæ. num. 8.

Excommunicatus ipso facto non excidit titulo, ac possessione beneficij antè acquisiti: Si tamen per annum in excommunicatione insordescat, priuari potest. ibid. q. 2.

Si excommunicatus in contumacia, vel mora petendæ absolutionis persistens, officium nec per se, nec per alium obeat, fructus beneficij percipere nequit: sin autem officium præstet, quamuis peccet, tamen probabile est, quòd fructus in conscientiæ foro retinere possit. n. 9.

Si excommunicatus à contumacia recessit, & per eum non stat, quominus absoluatur, fructus beneficij interim percipit: licet officium non præstet, quia non potest sicuti & beneficiarius infirmus percipit fructus, esto culpa sua causam infirmitati præbuerit. n. 10.

Ad beneficium legitimè electus, si postea in excommunicationem lapsus est, non potest illud durante excommunicatione acceptare. n. 11.

Rescriptum Sedis Apostolicæ ab excommunicato impetratum non valet: quare inseri solet absolutio ad cautelam, duntaxat ad effectum rescripti consequendum. num. 12.

Excommunicatus non toleratus omni exercitio Ecclesiasticæ iurisdictionis caret: quare nec eligere potest, nec præsentare. n. 13.

Electio Summi Pontificis ob nullam Cardinalium excommunicationem, suspensionem, vel interdictum, infirmari potest. ibid. aduert. 2.

Excommunicatio hominem priuat communicatione forensi. Si tamen Actor, Aduocatus, aut Testis in iudicio neque à Iudice, neque per Aduersarij exceptionem repellantur, eorum acta valent: secùs est de Iudice non tolerato, cùm iurisdictione priuatus sit. n. 14.

Neque Tabellionis excommunicati, & vitandi instrumentum authenticum censeri potest. n. 15.

Excommunicato prohibita est omnis politica fidelium communicatio; præterquam in casibus iure, aut necessitatis ratione exceptis. n. 16.

Excommunicatio non obstat, quominus contracta debita solui, vel exigi possint. n. 17.

Si excommunicatus anno integro in excommunicatione pertinaciter perseueret, de hæresi suspectus redditur. n. 18.

Si excommunicatus ante absolutionem moriatur, sepultura Ecclesiastica priuatur: Si tamen ante mortem pœnitentiæ signum edidit; neque per eum stetit, quominus absolueretur, etiam post mortem absolui potest, eo fine, vt Ecclesiæ suffragijs, & sacra sepultura fruatur. num. 19.

Qui propria temeritate defunctorum corpora interdicti tempore, vel excommunicatos, aut nominatim interdictos, vel vsurarios manifestos in loco sacro sepelire præsumunt, ipso iure excommunicationem incurrunt. ibid. §. Porrò.

Excommunicatus vitandus, aut non vitandus.

Qui excommunicato communicat in crimine criminoso, similiter excommunicationem incurrit. c. 3. n. 1.

Cum excommunicato communicare in rebus sacris est peccatum mortale, nisi materiæ paruitas excuset. n. 2.

Communicare cum excommunicato in rebus politicis plerumque est peccatum tantùm veniale. n. 3.

Qui cum excommunicato communicat in rebus sacris, aut politicis, minorem excommunicationem incurrit. num. 4.

Excommunicatio minor per se solùm priuat vsu sacramentorum passiuo: peccat tamen saltem venialiter, qui in excommunicatione sine necessitate sacramentum ministrat. ibid. §. Atque hîc.

Si in minore excõmunicatione cõstitutus ad beneficiũ Ecclesiasticũ se eligi patiatur, electio infirmanda est. n. 5.

Hodie excommunicati, nisi denuntiati sint, aut notorij Clericorum percussores, à fidelibus vitandi non sunt, seu in sacris, seu politicis in negotijs. c. 4. n. 1.

Ad hoc, vt percussor Clerici vitandus sit, requiritur notorium facti, adeò in publico manifesti, vt nulla tergiuersatione celari, aut excusari possit: si videl. constet, quòd percussio Clerici notoriè facta sit, atque ita malitiosè, vt nulla probabili ratione à peccato mortali, & annexa censura canonis excusari queat. n. 2.

Qui in vno loco ob excommunicationem denuntiatus est, alibi, vbi eius excommunicatio ignota, vitandus est occultè non publicè. Sed Clerici percussor in loco, vbi id ignotum, neque in occulto vitari debet. n. 3.

Fideles si velint, abstinere possunt à communione excommunicati non vitandi, cuius excommunicatio publicè non est, vel sufficienter probari potest. n. 4.

Communis est doctrina, quòd fideles peccent, si sine ylla causa necessitatis, aut maioris vtilitatis excommunicatum toleratum inducant ad sacrificandum, vel sacramenta ministranda; si alius minister haberi possit. Contraria tamen sententia probabilis est; cùm fidelibus ipsis plena cum talibus excommunicatis facultas data fuerit. num. 5.

Etsi ipsi excommunicati tolerati se ingerere non debeant communioni fidelium, præsertim in sacris; tamen licitè requisiti, aut rogati parere possunt. n. 6.

Excommunicatus non vitandus seu toleratus validè absoluit à peccatis, & exercet actus iurisdictionis voluntariæ, non item coactiuæ. n. 7.

Probabile est, quòd hodie liceat publicè orare, & sacrificare pro excommunicatis toleratis, etiam hæreticis: modò horum nomina in Missa non exprimantur, contra Ecclesiæ morem, aut cum scandalo. n. 8.

Excommunicatis toleratis præcisè ob censuram sacra sepultura negari non debet; sin verò constet, vel præsumi possit, eos in peccato mortali decessisse, v. g. in hæresi, sepeliri non debent in loco sacro; si tamen sepeliantur, locus non violatur. n. 9. q. 2.

Absolutio ab Excommunicatione.

Excommunicationes iuris aliæ sunt, quarum absolutionem reseruat sibi Auctor, videl. Papa, Episcopus &c. aliæ sunt excommunicationes non reseruatæ, à quibus Parochus etiam, & quilibet expositus Sacerdos absoluere potest. lib. 1. t. 5. p. 2. c. 5. n. 1.

Inter excommunicationes reseruatas Papæ, præcipuæ sunt Bullares, quæ quotannis in die Cœnæ Domini renouantur. n. 2.

A casibus Bullæ Cœnæ, & annexa excommunicatione nemo, quamuis episcopali, aut maiore dignitate præditus, absoluere potest, præter Sum. Pontificem, eiúsve specialiter delegatum. ibid.

Pluribus locis, præsertim ab Vrbe remotioribus, Episcopi absoluunt à casibus occultis Bullæ Cœnæ, etiam ab hæresi; quin & ab hæresi manifesta, propter frequentiam casuum in septentrionalibus regionibus, & difficultatem adeundi Papam. ibid.

In Priuilegio absoluendi ab omnibus censuris, aut excommunicationibus non censentur comprehensæ Bullares nisi exprimantur: Et in generali facultate absoluendi à censuris Bullæ non censetur comprehensa absolutio ad hæresi, nisi speciatim explicetur. eod. num. 2. notando 4.

Qui absque legitima potestate, & probabili excusatione, à censura Bullæ absoluere præsumpserit, excommunicationem non reseruatam incurrit. notando 3.

Parochi potestatem absoluendi ab excommunicatione non reseruata non habent ex officio tanquam ordinariam vt eam per se atque directè, sicuti Episcopi, delegare possint, sed tantùm indirectè, quatenus alicui Sacerdoti approbato committunt facultatem Confessiones audiendi. c. 6. n. 1.

Ab excommunicatione iuris, quam Auctor sibi reseruauit; item ab ea, quæ alicui nominatim siue per particularem Iudicis sententiam inflicta est, nullus inferior sine facta commissione absoluere potest. ibid. dicto 2.

In mortis tamen articulo quiuis Sacerdos ab omni excommunicatione, quantumcunque reseruata, intra, vel extra sacramentalem Confessionem, absoluere potest. num. 2.

Inferioribus Clericis commissa non est potestas absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis. ibid. §. Porrò.

Casus Papæ reseruatus propter excommunicationem superueniente impedimento legitimo fit episcopalis. n. 3.

Si impedimentum adeundi Pontificem temporale sit, absolutus, eo cessante, Apostolico conspectui se præsentare tenetur; alioquin in eandem excommunicationem reincidit. n. 4.

In articulo mortis Sacerdos expositus absoluere potest à casu Papali; licet Episcopus adiri queat: excepto, si specialis commissio facta reperiatur, v. g. absoluendi percussores Clericorum. n. 5.

Probabile est, impeditum ire Romam absolui posse ab Episcopo, licet ad Legatum Papæ, vel Priuilegiatum se conferre possit. n. 6.

Ad essentiam absolutionis ab excommunicatione pertinet, vt externo aliquo signo manifestetur: quamuis verba absolutè non requirantur. n. 7.

Forma consueta absoluendi ab excommunicatione talis est: *Absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter crimen (hæresis, percussionis sacrilegæ) & restituo te sacramentis Ecclesiæ, ac fidelium communioni, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* In publica verò & solemni absolutione præmittitur psalmus pœnitentialis, & aliæ cæremoniæ adhibentur. ibid.

Ante absolutionem ab excommunicatione exigenda est satisfactio parti læsæ, & iuramentum parendi Ecclesiæ, si crimen enorme fuerit; quamuis si hæc, vti debent, à Reo non exigantur, nihilominus absolutio valeat. n. 8.

Absolutio ab excommunicatione, aliáve censura etiam absenti dari potest: quare Prælati Ordinum in Capitulis generalibus absolutionem etiam ad absentes extendunt. num. 9.

Si confessarius absoluendi facultate præditus oblitus sit aliquem ab excommunicatione, aliáve censura absoluere, si hominem accersere non possit, absenti absolutionem dare potest. Sed alia ratio est de absolutione sacramentali. ibid. §. Exinde.

Absolutio ab excommunicatione, aliáve censura etiam inuito, & nondum emendato, saltem validè, conferri potest, nisi qui absolutioni reluctatur, persistat in crimine, cui excommunicatio ipso iure continuè annexa est. ibid. dicto 6.

Irrita est absolutio ab excommunicatione &c. quæ fictione dolosa, aut per vim ac metum iniustum impetrata est, & ita extorquens excommunicationi de nouo subijcitur. n. 9. dicto 7.

Excommunicatus iterum ob aliam causam excommunicari potest, consequenter etiam absolui potest ab vna excommunicatione, altera remanente. n. 10.

Confessarius Priuilegiatus à Papa, si generatim absoluat à vinculo excommunicationis &c. aufert omnes excommunicationes etiam eorum peccatorum, quæ pœnitens per obliuionem non crassam confiteri omittit, vel quibus nescit ipse, aut Confessarius censuram annexam esse. ibid.

Expensæ.

Expensæ aliæ sunt necessariæ, aliæ vtiles, aliæ ad voluptatem spectantes. lib. 3. tract. 2. cap. 4. num. 4. ver. Porrò.

Fructus, & lucra non intelliguntur, nisi deductis expensis. ibid.

Exorcismus.

Exorcismus.

Est sermo increpationis contra immundum spiritum in Catechumenis, Energumenis &c. ad fugandum per virtutem Crucifixi. lib. 5. tr. 9. cap. 14. n. 1.

Exorcismi in veteri etiam Ecclesia vsitatissimi fuerunt. num. 2.

Secundùm Romanę Ecclesię consuetudinem nulla oratio *Per eum, qui venturus est*, concluditur, nisi sit exorcismus: mirè enim Dæmon concutitur recordatione iudicij extremi. ibid.

Res etiam inanimatæ quodammodo adiurari possunt: tales sunt exorcismi tempestatum, contra locustas, vermes &c. quales etiam in veteri Ecclesia vsitati erant. n. 3.

Trina Dæmonis exsufflatio, & exorcismi, cum crucis signationibus, seu adultus, seu paruulus baptizandus sit, secundùm antiquum Ecclesiæ morem à Sacerdote adhibentur. lib. 5. t. 2. c. 8. n. 7. cæremon. 4.

Ratio exorcismi Catechumenorum est, non quia Diabolus in baptizandorum corporibus tanquam obsessis habitet; nec quia homo secundùm naturam malus sit; sed quia ex lapsu primorum parentum originem peccati & iustitiæ priuationem trahat, atque ideo Diaboli infestationibus magis obnoxius sit. ibid. n. 8.

Consuetissimi exorcismi sunt ad pellendum Dęmonem ex Energumenis, in quem etiam finem Clerici exorcistæ in Ecclesia ordinantur. lib. 5. tr. 9. c. 14. n. 4.

Olim non tantùm ordinati Clerici, sed etiam alij Christiani ex corporibus obsessorum Dæmones in Christi Fide eijcere soliti sunt. ibid.

Frequens in Ecclesia vsus exorcismorum est ad soluendas præstigias, & varias molestias, quibus seu corpora hominum, seu eorum habitationes &c. malitia Dæmonis, & veneficorum infestantur: ad quos exorcismos Minister præparatus accedere debet, & armis spiritualibus munitus. ibid.

Exorcismos non quoslibet, sed approbatos ab Ecclesia vsurpare oportet. n. 6.

Dæmon non per modum obsecrationis, sed per imperium expellendus est exorcismis. ibid.

F.

Falsi crimen.

Ad crimen falsi tria requiruntur: veritatis immutatio, dolus operantis, damnum alterius notabile. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 4. n. 1.

Crimen falsi varijs modis committitur; monetam publicam adulterando, testamentum, aliúdve instrumentum immutando, supprimendo, lacerando, signum adulterinum faciendo; alienum chirographum imitando, falsis ponderibus, mensuris vtendo, alienum partum supponendo, falsum testimonium dicendo, Iudicem corrumpendo, parti aduersariæ causam prodendo &c. n. 2.

Qui literas priuatas dolosè aperit, non videtur puniendus pœna falsi, sed alia arbitraria, nisi aduersario eas ostendat: Sin autem iusta sit aperiendi causa, videl. iure belli, aut necessariæ defensionis contra inimicum, reprehendi non potest. ibid. §. Tertiò.

Falsificans literas Papales incurrit excommunicationem Papæ reseruatam. ibid. §. Octauò.

Non est licitum amisso instrumento legitimo aliud simile confingere. n. 3.

Literas laceratas, & in publicum abiectas quilibet colligere, & legere, earúmque notitia in suum commodum vti potest. n. 4.

Fama, honor, laus.

Fama est frequens ac vulgaris de re aliqua opinio & sermo; strictè tamen accipitur pro bona existimatione de alterius excellentia. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 1. n. 1.

Honor est testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ: quę testificatio erga homines non nisi per externa signa verborum, aut factorum fit. ibid. n. 2.

Honoris affinis est laus, differunt tamen, quia laus in solis verborum signis consistit; honor etiam in alijs, vt capitis inclinatione, genuflexione, statutæ positione. Ibidem.

Familia.

Familia domus non est perfecta communitas, sed subordinata & dependens à Republica seu ciuitatis Communitate, à qua & potestatem suam accipit. lib. 1. tract. 4. cap. 8. num. 7. In fine, & lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 2. n. 7.

Qui familiæ præest, videl. paterfamilias, & participatiuè materfamilias, habent potestatem intra limites facultatis suæ, domesticis, præsertim liberis, & mancipijs præcipiendi, quæ iusta sunt; etiam sub peccato mortali, si materia talis obligationis capax sit. Idémque dicendum de Ludimagistro comparatione discipulorum sibi subiectorum. cit. c. 8. n. 7. In fine.

Præcepta parentum &c. frequentiùs sub culpa obligant, quàm leges, seu statuta domestica: hæc enim plerumque tantùm sub pœna obligare censentur. ibid.

Paterfamilias potestatem habet coercendi, & pœnas inferendi domesticis tantummodo leues, cuiusmodi est v. g. subtractio cibi, verberatio aliqua, spectata qualitate personæ. cit. tr. 10. p. 3. c. 2. n. 7.

Cum vir sit caput vxoris, ac familiæ, ideo vxor præceptis mariti in ijs, quæ ad conuenientem familię administrationem spectant, obedire in conscientia tenetur. eod. cap. 2. num. 1.

Peccat paterfam. si vxorem, liberos, famulos, totámque familiam à peccatis cohibere, & scandala inter ipsos, quantum in eo est, impedire negligat. ibid.

Marito concessum est vxorem delinquentem moderatè castigare, spectatis circumstantijs personę: acris autem castigatio vxoris, vel liberorum, si eam delicti grauitas postulat, Iudici relinquenda est. n. 6.

In punitione domesticorum, vt iusta sit, tria concurrere debent: causa puniendi, conditio personæ punibilis, recta intentio punientis. n. 9.

Concessum est patrifam. vt in casu alicuius delicti filium, vel seruum ad breue tempus includat, vel alio vinculo, etiam punitionis causa, constringat. Non enim iste priuatus carcer censeri debet, quem constituere sub capitis pœna Cæsareo iure prohibitum est. n. 8.

Frater, aliíque propinqui, licet natu maiores, ius non habent puniendi consanguineos; nisi illorum iuri ac potestati commissi sint. n. 10.

Verùm per modum correctionis ad cauenda damna delinquenti, vel familię imminentia, potest frater v. g. sororem moribus leuem, etiam suę curę specialiter non commissam, coërcere, vel castigare. ibid.

Quędam personę domesticę sunt; quas propter status libertatem, & ętatis maturitatem, non decet, nec consuetum est verberare: sicuti nec mechanici, qui pro mercede laborant, à Magistris suis verberari se patiuntur. n. 9. §. Quod ad alterum.

Maritus vxorem, & familiam alere debet: nam ideo etiam dotem accipit. Quòd si pauperem, & indotatam duxit, sibi imputet; nihilominus enim alere debet. eod. cap. 2. n. 2.

Si dos marito expresè, vel tacitè promissa, soluta non fuerit, licet is vxori cohabitare debeat, non tamen eam alere tenetur, nisi inops sit, & à parentibus ali non possit: cùm etiam, vice versa, vxor diues marito inopi alimenta prestare cogatur. ibid.

Vxorem à marito sine causa necessaria recedentem seu diuertentem maritus alere non tenetur: quamuis dotem acceperit: secùs est, si ob viri sæuitiam, vel ob aliam causam iustam, discedere compulsa fuerit. ibid.

Si vxor ob culpam, puta adulterij, à marito reiecta, non habeat bona ad sustentationem necessaria, Iudex ei à marito obtinere debet, si is vxoris dotem lucrari velit. ibid. §. Adde secundò.

In defectum mariti ad vxorem, & familiam alendam

obligati, eiusdem pater succurrere, & alimenta præbere debet. §. Adde primò.

Maritus domicilium arbitratu suo eligit, ac mutat; vxor autem sequi debet: quare vxor acquirit forum mariti. num. 3.

Si in pactis matrimonialibus certus locus constitutus fuit, non potest maritus discedere; nisi causa de nouo superueniens, & antè non prouisa postulet. ibid. limit. 1.

Si vxor sine magno incommodo corporis, aut animi, maritum sequi non possit, v. g. peregrinantem, ad bellum proficiscentem, non obligatur: si tamen mulier sciens tali viro nupserit, comitari debet; modò sine animæ periculo possit. limit 2.

Maritus suo arbitratu, etiam inuita vxore, peregrinationem breuem (non longam) instituere potest; non item vxor sine viri consensu, nisi necessitas postulet. num. 3. coroll. 4.

Vxor maritum relegatum sequi tenetur, etsi is culpa sua ad hanc necessitatem adactus sit; modo contra fidem matrimonij non peccârit. Idémque sentiendum videtur de exulante vxore, quòd vir eam sequi debeat, si sine graui incommodo possit. n. 4.

Coniunx coniugem ab alia persona retentum vindicare sibi potest, adiecta causa iuris diuini, & canonici, quo potestatem habet in corpus illius. n. 5.

Quod vxor laboribus suis v. g. nendo lucratur, sibi acquirit, cùm ad operandum marito obligata non sit, si dotem sufficientem attulit. Si tamen ex materia à marito data opus conficiat, id ad maritum spectabit. n. 11.

Pater familias ex lege iustitiæ non cogitur famulo ægro tanti, & non præstanti ea, ad quæ conductus est, præbere expensas maiores, v. g. in medicos, & chirurgos, sed tantùm tenues, & alimenta. Multò minus salarium pro eo tempore soluere cogitur, nisi loci consuetudine receptum sit, vt nihil propter infirmitatem de annua mercede detrahere liceat. lib. 3. t. 4. c. 28. n. 3.

Quæ in curationem famuli domi ægrotantis liberali affectione paterfam. impendit, de constituta mercede postea detrahere non potest. ibid.

Si herus pius ac benignus sit, non facilè solet de mercede annua famuli detrahere, si ægritudo eius breui tempore duret. l. 5. tract. 5. c. 3. n. 7.

Licet omnes famuli ac domestici ex lege charitatis furta impedire debeãt, si sine graui incommodo suo possint, ex iustitia tamen ferme is solùm obligatur, qui curam penus gerit. Probabiliter tamen dicitur, omnibus famulis, hoc ipso quòd domestici sunt, custodiam domus aliquo modo incumbere, saltem vt ab extraneorum iniuria defendant. l. 2. tr. 2. c. 5. n. 7. §. Ex quo.

Famuli mercede conducti non ad pugnandum, sed ad alia obsequia, si negligãt dominum defendere, vel à morte liberare, propriè non peccant contra iustitiam: quare non tenetur pœna homicidij, sed alia arbitraria, licet grauiore, quàm si alius, cùm potuisset iniustam occisionem impedire, neglexisset. Multi tamen conductitij famuli sunt, quorum opera eo fine conducitur, vt dominum contra iniquos defendant. l. 3. tract. 3. p. 3. cap. 3. num. 5.

Festum, Dies Dominica.

Tertium Decalogi præceptum partim morale & ex naturali lege descendens est, partim verò cæremoniale, quatenus certum tempus, videl. integra dies sabbathi, in eo designatur. lib. 4. tract. 7. c. 1. n. 1.

Vnius diei integri ex quauis hebdomade designatio, tanquam naturali æquitati valde consona, mox Apostolorum tempore recepta fuit, nisi quòd sublato Sabbato, Dominica dies instituta sit, in memoriam mundi eo die creati, quin & recreati per Christum Solis die natum, & resurgentem. ibid. §. Porrò.

Inter Dominicas dies aliarum prototypon est Dominica resurrectionis, quæ quotannis celebrari debet in prima die hebdomadis post decimam quartam Lunam primi mensis. ibid. §. Inter.

Pascha celebrari non potest ante diem XXII. Martij, nec post diem XXV. Aprilis. n. 2.

Præter Dominicam diem, aliæ sunt pari veneratione obseruandæ festiuitates Dei, Christi Domini, & Sanctorum eius, partim Pontificia & vniuersali lege, partim diœcesalibus statutis introductæ. n. 3.

Episcopus specialia festa instituturus non tantùm Cleri, sed etiam populi consensum, spectato communi iure requirere debet. Si tamen populus iustam causam contradicendi non habeat, eo etiam inuito festum institui potest. ibid.

Per diuturnam consuetudinem populi celebrantis quotannis cum Episcopi expresso, vel tacito consensu, festum aliquod tãquam ex obligatione, lex particularis introduci potest. l. 1. tract. 4. c. 24. num. 2. & lib. 4. tract. 7. c. 1. num. 3.

Postquam festum particulari statuto, vel consuetudine introductum est, non potest à populo abrogari; sed ab Episcopo, etiam abnuente populo. eod. n. 3. in fine.

Episcopus festa particularia abrogare potest, sed ita videatur secũdùm diei dimidium, vt matutino tantum tempore vacatio sit: quo etiam modo festa constitui possunt ibid. num. 4.

Dies festi, quos Episcopus seruandos præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, seruari debent: secùs verò dicendum videtur de festis, quæ populus vouit, & Episcopus approbauit. n. 5.

Obseruatio Festi à medio noctis vsque ad alterius noctis medium protenditur. eod. tract. 7. c. 2. n. 1.

Vbi consuetudo viget festa inchoandi à vespera tanquam ex obligatione, non libera deuotione, adueniente altera vespera laborare concessum est. ibid.

Sola opera seruilia, id est, quæ corporis commoditati inseruientia tanquam ignobiliora per seruos exerceri solita sunt, festis diebus prohibentur. n. 2.

Quædam seruilia opera propter necessitatem permissa sunt, vt cibos coquere. ibid.

Scribere, transcribere non sunt opera seruilia: Idémque probabiliter dicitur de pictura, si sine magno apparatu fiat; & de typographis characteres ordinantibus.

Saltem ipsi in ea persuasione sunt, quòd post peractam rem diuinam, quæ præcedentibus diebus neglexerint, cõpensare liceat. Ipsa verò librorum impressio seruile opus est. num. 3. in fine.

Opus, quod suapte natura liberale est, vt studere, docere, scribere, &c. non fit seruile, atque illicitum die festo, quia propter lucrum, aut mercedem exercetur. n. 4.

Iter facere pedibus, equo, curru, naui, non numeratur inter opera seruilia. n. 5.

Plaustra, currus, aut mulos onustos agere, seruile opus est: quare non licet die festo inchoare; inchoatum verò fas est continuare, si commodè abrumpi non possit. ibid.

Venari, aucupari, itémque bellare per consuetudinem videntur liberalia opera effecta. n. 6.

Mercatus quoque, licet opus seruile non sit, festo die prohibetur. Sed permittitur distractio rerum ad victum quotidianum necessararium. Et quibusdã locis nundinæ solemnes in festo dedicationis celebrantur; quales consuetudines moderari conuenit, vt nundinationes ante rem diuinam peractam non fiant. ibid. dicto 8.

Actus forensis iudicij in diebus festis prohibentur: exceptis causis necessitatis, ac pietatis. n. 7.

Actus iudiciales, si die festo instituantur, ipso iure irriti sunt, nec partes contendentes huic constitutioni renunciare possunt. ibid.

Extraiudiciales actus, vt amicabilis compositio, iuramenti non iudicialis interpositio, Doctoris inauguratio, die festo non prohibentur. n. 8.

Ex communicationemin aliquem ferre non videtur esse prohibitum in festo die; multò magis absolutio à censura, & alij actus iurisdictionis voluntariæ fieri possunt. n. 7. §. Secundò.

Preceptum de obseruatione festi abstinendo à seruilibus operibus sub peccato mortali obligat, tamen ob materię leuitatem veniale fieri potest: sin autem necessitas concurrat, omni culpa vacat, vt cùm famuli, & ancillę pauperes festo die vestes reficiunt. eod. tract. 7. c. 4. n. 1.

Non tantùm necessitas à precepto excusat, eáque vel publica, vt reficiendi pontes, fontes, parandi aliqua ad communem festiuitatem, vel priuata, vt si agricolę propter superuenturam pluuiam fœnum congregant &c. Sed etiam pietas, & religio in Deum, vt si altaria ornanda, vel alia ad festiuitatem paranda sint, item misericordię in proximum, si vestes conficiendę, insignia pingenda pro funere. num. 2.

Quædam opera propter aliqualem necessitatem consuetudo tolerata excusat, vt quòd artifices aliqui quibusdam locis ad vesperam materiam præparant pro labore diei sequentis. ibid. §. Ad pietatem.

Si excusationis causa manifesta sit, opus non est petere licentiam à Superiore: sin verò causa dubia, vel non satis sufficiens videatur, vt per se excusationem præbeat. Episcopus, eóque absente Parochus dispensare potest. Ad Confessarium verò pertinebit interdum declarare tantùm, vtrum causa excusationis sufficiat, sine alia dispensatione. ibid. §. Porrò.

Operarij ex locis Catholicis egredi non possunt ab loca hæreticorum, in quibus ob diuersitatem Calendarij festa non seruantur, nisi Episcopus expressè, vel tacitè consentiat. l. 1. tract. 4. c. 11. n. 9.

Feudum.

Est concessio, seu donatio rei immobilis (puta ciuitatis, pagi agri &c.) secundùm vtile dominũ, pro fidelitate, & obsequio personali, quod vasallus domino exhibere debet. lib. 3. tract. 4. c. 24. n. 1.

Feudum magis etiam, quam emphyteusis, alienari prohibitum est, absque domini consensu. n. 3.

Consuetudo tamen permittit, vt liceat vasallo inscio domino pascua, & terras incultas in tempus etiam longum locare, seu in emphyteusin dare, seruitutem in re feudali constituere, fructus & commoditatem alienare, imò etiam alium vasallum sub infeudare, tamen sine domini præiudicio, & non vltra vitam concedentis. ibid.

Duplex est feudum; nouum, & antiquum. Deinde aliud est feudum hæreditarium; aliud verò gentilitium, seu ex pacto & prouidentia. n. 4.

Appellatione liberorum in materia feudali veniunt tantum masculi, non item fœminæ; nisi specialis earum mentio fiat. ibid.

De feudo nouo, seu quod primò alicui acquisitum, cum domini consensu disponere potest vasallus, non requisita voluntate agnatorum. n. 5.

De feudo propriè hæreditario tam nouo, quàm antiquo, vasallus arbitratu suo, perinde ac de bonis proprijs, disponere potest. n. 6.

De feudo antiquo, quod cum pacto & prouidentia cõcessum est (sicuti feuda plerumque concedi solent) non potest vasallus, etiam cum domini consensu, disponere, nisi proximi agnati renuntiatio accedat. n. 7.

Bona feudalia ex prouidentia, sicuti & emphyteutica, non veniunt in confiscationem bonorum: nam bona, quæ ad extraneos non deferuntur, ob crimen non confiscatur. n. 8.

Bona feudalia ex pacto & prouidentia omnino separata sunt ab hæreditarijs: quare filio in legitimam computari non debent, & proximus agnatus etiam repudiata hæreditate in tali feudo succedere potest. Ibid. corollar. 2.

In generali bonorum obligatione, aut hypotheca non veniunt bona feudalia. Sed fructus eius anni, quo vasallus moritur, creditoribus debentur: quod etiam in Ecclesiastico beneficio Clerici debitoris locum habet. ibid.

Qui iuramento renuntiauit hæreditati paternæ, in feudo succedere potest: secus, si omnibus paternis bonis renuntiauit. ibid. corollar. 3.

Vasallus, eiúsque successor, cùm inuestitur, iuramentum fidelitatis præstare debet; & iterum, si dominus moriatur, petitâ inuestiturâ fidelitatem iurare. num. 9. §. Secundò.

In quibusdam feudis vasallus in recognitionem dominij directi pensionem realem præstat, non tantùm cùm inuestitur, sed etiam cùm mortuo domino alius succedit: In quo discrepat ab emphyteuta, qui laudemium in inuestitura tantum pendit. ibid.

In feudo deficiente linea descendente succedunt agnati laterales in infinitum: quare dicunt, vltimum agnatum primi acquirentis successorem esse, etsi feudum per mille manus transierit. n. 10.

Feudi capaces non sunt Clerici in sacris, & Monachi, nisi feudum sit Francum, seu liberum ab obsequio, aut nisi loci consuetudo permittat, vt obsequium per aliam personam præstetur. ibid. §. Quartò.

Clerici, & Monachi capaces sunt feudi, in quo realis pensio præstatur: sed hoc non est propriè dictum feudum. ibid.

A successione feudi excluduntur filij illegitimi omnes, nisi expressa mentio fiat, vt feudi etiam capaces sint: sed legitimati per subsequens matrimonium admittũtur. n. 11.

Beneficium feudi à vasallo aufertur ob magnæ ingratitudinis causam. num. 12.

Si feudum amissum sit propter feloniam seu peccatum aduersus dominum, non defertur agnatis, sed ipsi domino. Sin verò aliud crimen fuerit, feudum ad agnatos pertinet. ibid. §. Porrò.

Si inter vasallum vel agnatos eius, & dominum controuersia sit super feudo, iudicare debent Pares Curiæ. Sin autem inter vasallos ipsos controuersia existat, dominus est iudex competens. ibid. in fine.

Fides diuina.

Sola Fides diuina infallibilem certitudinem habet, quia nititur auctoritate Dei reuelantis, qui suapte natura nec falli potest, ob illimitatam scientiam, nec fallere, ob infinitam bonitatem. lib. 2. tract. 1. c. 1. n. 1. & 4.

Credimus Deum, credimus Deo, & credimus in Deum, ibid. num. 5.

Materiale obiectum Fidei, quod terminationis appellant, est Verbum Dei obscurè propositum; subiectum verò attributionis est Deus. c. 2. n. 1.

Verbum Dei aliud est, quod per seipsum immediatè reuelat; aliud verò, quod per interpositam personam tanquam legatum suum. n. 2.

Verbum Dei aliud est scriptum, aliud non scriptum, seu traditum. n. 3.

Sub verbo Dei publicam auctoritatem habente etiam Ecclesiæ definitiones comprehenduntur. n. 4.

In decretis Ecclesiæ sola sententia definitiua dogmatis infallibilem veritatem habet; non item disputationes præmitti solitæ, neque rationes, quibus definitio probatur. eod. n. 4. discrim. 3.

Ratio formalis Fidei diuinæ est auctoritas Dei obscurè reuelantis: id est, propositionibus Fidei non alium assensum præbemus, nisi quatenus à summa veritate reuelatæ sunt. c. 3. n. 1.

Fides consistere potest cum euidentia Dei attestantis, & reuelantis; non item cum euidentia rei reuelatæ, num. 2.

Fidei diuinæ assensus in nobis, secundùm ordinariam Dei legem, extrinsecis adminiculis indiget, quæ veræ Fidei notæ dici solent. num. 3.

Hæretici nihil magis oderunt audire, quàm de veræ

Fidei, atque Ecclesiæ notis, prouocantes ad Scripturam; de qua tamen, eiúsque intelligentia tota controuersia est. eod. n. 3. §. Quæ sanè.

Intellectus viatoris in eliciendo assensu Fidei diuinæ quàm maximè pendet ab auxilio Spiritus sancti. n. 4.

Licet Fides sit virtus intellectualis, tamen necessariò requirit piam affectionem liberæ voluntatis, mouentis intellectum ad essentiendum obscuris propositionibus. Quæ causa est, quòd Fides certitudinis assensionem firmissimam habens, faciliùs tamen abijci possit, quàm scientia. ibid. coroll. 1.

Extrinseca indicia, & motiua Fidei diuinæ possunt esse formalia principia fidei humanæ & acquisitæ; adeò, vt illis homo permotus arcana mysteria credat, destitutus Fide supernaturali, ac iustificante; vt in hæreticis apparet. ibid. coroll. 3.

Interna sancti Spiritus illustratio ordinariè non est nobis sufficiens argumentum cognoscendi, aut probandi veram Fidem. n. 5.

Vtrum Fides discursiua sit, Doctores non consentiunt: Id verò certum esse videtur, non circa omnia obiecta discursiuam esse: imò omnibus propositionibus sine discursu assentiri eam posse, probabilius est. cap. 4. num. 1. & seqq.

Probabile est, quòd Fides diuina discursiuos assensus eliciat circa obiecta sua, quæ mediata sunt, seu quæ in aliud, tanquam medium & principium formale, resolui possunt. num. 4.

Conclusio, quæ ex duabus propositionibus Fidei diuinæ infertur, Fidei est: secùs, si vna earum naturaliter euidens. n. 4. §. Cæterum.

Omnes Fidei actus eiusdem speciei seu essentiæ sunt. ibid. §. Secundò.

Resolutio Fidei, si propriè loquendum, fit in formale principium, tanquam medium assentiendi. c. 5. n. 1.

Fides diuina, per se loquendo, resoluenda non est, in auctoritatem Ecclesiæ; quatenus ea Spiritu sancto regitur; sed in veracitatem Dei reuelantis. Ecclesiæ autem definitiones fidelibus esse debent, vt norma discernendi credenda à non credendis. n. 2. &3.

Fides acquisita per humana motiua, secundùm ordinariam Dei legem; est prærequisitum quoddam ad Fidei diuinæ assensum. n. 4.

Inter credenda absolutè primum, ac præcipuum est, quòd Deus sit. c. 6. n. 1.

Inter Fidei articulos, quos discursiuè & vt conclusiones credimus, non est aliquis ordo per se necessarius; conuenientior tamen ordo proponendi, ac credendi est ille, qui in Symbolo Apostolico continetur. n. 2.

Hæretici cùm ex eorum concessis conuincendi sunt, tum maximè per traditionem, & consensum Ecclesiæ. num. 2. & 3.

Quatuor in Ecclesia Fidei Symbola extant Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Athanasianum. c. 7. n. 8. §. Secundò.

Symbolum Fidei quatuordecim articulis constat, quorum septem ad Diuinitatem pertinent, alij septem Christi incarnati opera explicant. n. 9.

Fidei diuinæ necessitas.

Alia medij est, & alia necessitas præcepti. c. 8. n. 1.

Explicita supernaturalis cognitio Dei vnius est medium ad salutem omnibus adultis necessarium. n. 3.

Post lapsum humani generis fides actualis in Christum Redemptorem, saltem implicita, adultis necessarium medium ad salutem semper fuit. n. 4.

Post Euangelij promulgationem explicita Fides in Christum, & SS. Trinitatem, necessaria est, saltem necessitate præcepti. n. 5.

Hominibus præceptum diuinum impositum semper fuit supernaturali Fide credendi vnum Deum, & Christum Saluatorem, secundùm modum reuelationis, aut prædicationis ipsis factæ. c. 9. n. 1.

Quantò homines remotiores fuerunt à tempore Christi, tantò difficiliùs, & obscuriùs mysteria Fidei Christianæ communiter crediderunt. Credibile tamen est, nullo tempore defuisse viros præclaros seu Maiores Ecclesiæ, qui explicitè mysteria crediderunt, sacrificijs figurarunt, & sub vmbris annuntiârunt: ex quo constans semper fama & persuasio de venturo mundi redemptore emanauit. ibid. assert. 2.

In lege Euangelij adultis omnibus ex præcepto necessaria est explicita Fides articulorum, qui in vulgato Symbolo continentur, saltem secundùm ipsorum substantiam. num. 2.

In omni hominum statu necessitate præcepti ea cognosci, vel credi debent, quæ vel Fidei exercendæ, vel piè viuendi causa ad salutem requiruntur. n. 3.

Extat Ecclesiasticum præceptum obligans, saltem sub veniali, discendi orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum. Quare parentes talia liberos suos edocere, & Parochi plebem sui commissam in doctrina Christiana erudire debent. n. 4.

Præceptum negatiuum non dissentiendi Fidei mysterijs semper obligat: sed requiritur, vt eorum credibilitas sufficienter homini proposita sit. c. 10. num. 1. & 2.

Affirmatiuum præceptum acceptandi veram Fidem non semper obligat; sed in certis casibus, quorum præcipuus est, cumprimum hominis rationis vsum assecuto mysteria Fidei sufficienter proposita sunt, cum credendi obligatione; non debet tunc longiorem moram trahere, quin assentiatur. num. 2.

Si sectarij dubitare incipiant, obligati sunt veritatem Fidei diligenter inquirere, facta vtrinque collatione argumentorum: quòd si postea Religio nostra ob notas seu argumenta, quibus eam Deus ornauit, credibilior appareat, obligati sunt ad eam amplectendam. eod. n. 2. & 3.

Impossibile est intellectum retinere fidem, aut opinionem, quæ ipsi post diligentem inquisitionem minùs verisimilis apparet, quàm eius opposita. n. 3. §. Sed hæc.

Fidei externa confessio.

Nullo casu licitum est externa voce, alióve signo veram Fidem negare, aut falsam profiteri. c. 11. n. 1.

Priuatùm hominem sciscitantem ex me, num Catholicus sim, repellere possum dicendo. Quid sua interest? sed non possum ficto animo negare, me Catholicum, aut Christianum esse. n. 3.

Ob grauem necessitatis causam, licitum est fideli se vestire Iudaico, aut Gentilium more, vt incognitus periculum aliquod effugiat. n. 4.

Christiani in mari nauigantes Turcarum signis vti possunt, ne à Turcis capiantur: Item milites Christiani habitu, ac sermone Turcarum, vt hac ratione incogniti hostem incautum inuadant, & opprimant. Nec refert, etsi in vexillis Mahometis, aut Matris imaginem ferant; cùm & hæc, tanquam fabulosa, ornatus causa adhiberi soleant. ibid. §. Simili.

Fas non est occultis Catholicis inter hæreticos Cœnam sumere, ob metum v. g. pœnarum: quia id per circumstantias determinatur ad professionem Religionis hæreticæ. ibid. §. Præterea.

Licitum est apud hæreticos die interdicto carnes comedere; ne, si Catholicus agnoscatur, graue periculum incurrat; cùm lex Ecclesiastica tali casu non obliget. Sed solius irrisionis metus plerumque non est sufficiens excusandi causa. n. 5.

Non peccat Catholicus, si hæreticorum concionem adeat, ob iustam causam, v. g. vt dominum comitetur, errores Ministri notet ad confutationem. Ibid. §. Denique.

Magistratui hæretico in odium Religionis Catholicæ præcipienti, vt subditi Catholici conuentus, seu conciones hæreticas accedant, obedire nefas est. n. 6.

Ante prouisionem beneficij curati, vel canonicatus in

Ecclesia Cathedrali Fidei professionem facere oportet; quæ etiam facienda est ab ijs, qui cathedram, vel gradum Doctoris in Academia accipiunt. n. 7.

Fides publica, & priuata.

Hosti, quamuis iniustè vexanti, aut bellum gerenti seruanda est publica Fides, id est, quæ à publico Magistratu datur. Idque ob publicam necessitatem Gentium iure introductum est; cùm alioquin pax nulla, aut societas inter humanum genus consistere posset. Intelligitur autem, dummodo fœdus ex obiecto malum non sit. lib. 2. tr. 3. c. 12. n. 15.

Licet fœdera priuata ob vim iniustam à Superiore secundùm æquitatem rescindi possint, non tamen publica fœdera. ibid. §. Neque verò.

Si fœdus priuatum, seu quod priuati pepigerunt cum altero priuato, vel cum Republica, cedat in proprij Principis, aut Communitatis perniciem, rescindi potest: secùs, si in publicam perniciem non cedat: vt si Tyranno reditum iuratus promisisti, fides seruanda erit. ibid. §. Deinde.

Si fœdus publicum inter partes Catholicorum initum, successu temporis cedat in magnum Ecclesiæ detrimentum, Summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ, fœdus indirectè rescindere potest: siquidem ipsi Catholici Principes non aliter sua fœdera constituere censentur, nisi vt salua interim sit Ecclesiæ Christi incolumitas. ibid. dicto 2.

Si Rex Christianus cum infidelibus publicum fœdus ineat, nulla omnino ratione à Sum. Pontifice relaxari potest. ibid. dicto 3.

Sed neque si Catholici cum hæreticis publicum fœdus constituant, per auctoritatem Pontificiam solui, aut relaxari potest. ibid. dicto 4.

Falsum est, quod Caluinistæ nobis imputant, quasi doceamus, fidem hæreticis seruandam non esse: cùm contrarium apertè profiteamur, fidem publicam hæreticis datam inuiolabiliter sine vllo absolutionis remedio seruandam, quamdiu ipsi seruare parati sunt. ibid. §. Verùm.

Fideiussor.

Fideiussor est, qui de alterius obligatione interposita propriæ fidei & obligationis cautione, securitatem præstat. lib. 3. tr. 4. c. 29. princip.

Obligatio fideiussoris accessoria est, ideóque supponit aliam obligationem, saltem naturalem. ibid. n. 1.

Qui pro Religioso fideiubet, censetur ad id se obligare, quòd Prælatus, & Capitulum rem ratam habebunt. num. 2.

Fideiussori debitor principalis alium fideiussorem constituere potest qui priorem indemnem seruet. ibid.

Fideiussor intensius obligari potest, quàm principalis, non autem extensiùs. n. 3.

Fideiussores alij in iudicio accipiuntur, alij extra iudicium: deinde alij simpliciter dicti fideiussores sunt, alij verò indemnitatis. n. 4.

Licet fideiussor simpliciter se obligârit, tamen opponere potest exceptionem ordinis, vt priùs excutiatur principalis debitor, si præsens sit, nisi ille renuntiârit huic beneficio, vel nisi consuetudine loci aliud obseruetur. ibid. §. Præterea.

Si mulier fideiusserit, S C. Velleiano defenditur, quominus obligationem contrahat: Si tamen per errorem soluat, creditor interim retinere potest, donec à muliere repetatur. Qui enim tutus est exceptatione fauorabili ac perpetua, condicere potest, quod quocunque errore soluit. n. 5.

Si mulier pro fideiussione pretium accepit, S C. auxilio defendere se non potest. ibid. §. Præterea.

Praxis fermè obtinet, vt mulier publico instrumento fideiubens, exceptioni S C. validè renuntiet, si ex certa cognitione, v. g. à Notario satis instructa, id agat. n. 6.

Clericis in damnum proprium fideiubere potest; sed non in præiudicium Ecclesiæ suæ. n. 7.

Clericus ex fideiussione non tenetur, nisi quatenus commodè soluere potest; ita vt non egeat. ibid.

Si Religiosus, absque licentia Prælati & Capituli fideiusserit, Monasterium non obligatur. Prælatus tamen in re modica fideiubere potest, sine consensu Capituli expresso. ibid.

Si plures fideiussores sint, omnes ad soluendum idonei, legis beneficio vti possunt, vt non nisi secundùm portiones teneantur. n. 8.

Si fideiussor pro principali debitore debitum soluit, cogere potest creditorem, vt cedat sibi omnem actionem, quam contra eundem debitorem habet. Sed & actione mandati agere potest aduersus eundem debitorem, vt omne damnum & interesse ipsi compensetur. ibid. §. Prætera.

Fideiussor etiam in conscientiæ foro obligatus est debitum soluere in defectum principalis debitoris, cuius obligationem in suam fidem recepit. ibid. §. ad extremum.

Certi casus sunt, quibus fideiussor obligatione liberatur. num. 9.

Filiusfamilias.

Filijfamilias dicuntur non solùm filius, & filia; sed etiam ex his nati nepotes, & neptes &c. quamdiu sub patris, vel aui paterni, potestate existunt, licet viginti quinque annis maiores sint. lib. 3. tr. 4. c. 8. princip.

In materia fauorabili, & nemine præiudicante nomine filiorum etiam nepotes comprehenduntur. Plerumque tamen, & secundum vsitatam acceptionem, nomine filiorum etiam filiæ veniunt; sed non nepotes. Quòd si materia odiosa sit, vt strictam interpretationem mereatur, nomen masculinum *filij* non censetur comprehendere filias, nisi identitas rationis id persuadeat. l. 1. t. 4. c. 18. n. 8. & l. 4. t. 2. c. 14. n. 5. & 6.

Filijfamilias quadruplex peculium est: Castrense quasi castrense, aduentium, & profectitium. n. 1.

Licet per filij Clericatum, item per professionem seu filij, seu patris in Religione, patria potestas soluatur, tamen bona aduentitia manent in priore statu penes patrem, vel eo profitente penes Monasterium. n. 2.

Quibusdam locis consuetum est, vt post contractum matrimonium à filio, aut filia, potestas patria adeò soluatur, vt omnium bonorum administratio, & vsusfructus ad filium, vel filiam transferetur. Quare simili ratione bona aduentitia post professionem filij, aut filiæ Monasterio pleno iure assignari debent. ibid.

Certi casus sunt, quibus aduentitiorum bonorum vsusfructus ad filium spectat: videlicet si ipsi à patre remissus, si vnà cum patre successit in hæreditate fratris, si pater sine causa iusta diuortium instituit, si filius hæreditatem, vel donum accepit patre contradicente, si quid ea lege datum, vt vsusfructus ad filium pertineat: quam tamen conditionem mater, vel auia legitimæ portioni adijcere non potest. n. 3.

Filiusfamilias impubes, ne patre quidem auctore, vllo ex contractu ciuiliter obligatur, attamen naturaliter, si pubertati proximus sit. n. 4.

Filiusfamilias pubes ex omni contractu etiam sine patris auctoritate tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur. num. 5.

Si filiusfamilias ex bonis aduentitijs, quorum administratio, & vsusfructus penes patrum est, contra eiusdem voluntatem donet, vel ludendo aliáve ratione alienet, donatio infirma est, quippe à patre reuocabilis; interim verò filiusfamilias personaliter obligatus manet de euictione. eod. num. 5. & lib. 3. tract. 4. cap. 12. num. 7. dicto 2.

Etsi alienatione bonorum aduentiorum damnum patri inferatur, rarò tamen præsumendum est tam seue-

tum in filium existere, vt eius compensationem sibi fieri postulet. Quare neque is in conscientia restituere obligatus est, cui aliquid à filiofam. ex bonis aduentitijs contra patris voluntatem donatione, ludo &c. datum fuit, nisi pater repetat. ibid.

Donatio, aut quæuis alienatio bonorum profectitiorum, filijfam. facta absque patris consensu, saltem tacito, omni iure irrita est. ibid. dicto 3.

Si parens filio ad Academiam, vel Principis aulam sumptus necessarios mittat, censetur illi permittere, vt ex centum, v. g. aureis quinque ad honestas animi recreationes expendat: neque verò peccabit aduersus iustitiam, si hanc ipsam pecuniam malè absumat: cum pater tunc inuitus non sit quoad rem insumptam, sed quoad modum insumendi. ibid.

Etsi filius plus iusto contra patris voluntatem expenderit ex bonis profectitijs, sæpe tamen præsumendum non est, quod parens restitutionem postulet, nisi magnus impendiorum excessus in notabile reliquorum liberorum grauamen cedat. ibid. §. Addit secundò.

Tunc excessus notabilis æstimari debet, ideóque ad hæreditatis diuisionem necessariò conferendus, si prudentis viri arbitrio sumptus superent alimenta, quantumuis largiora, quæ pater vni filio præ alijs liberis donare iure potest. ibid.

Si pater filio versanti v. g. in studio literarum certam pecuniæ summam tanquam competentia alimenta definiat, quidquid deinde propria parsimonia ex victu, aut vestitu sibi ipsi subtrahit, arbitratu suo donare, vel aliter alienare potest; nisi constet, aliam esse patris voluntatem. ibid. §. Tertiò.

Pater filium propria bona aduentitia vel castrensia habentem alere non tenetur. cit. tr. 4. c. 8. n. 5. q. 1. dicto 1. & c. 12. n. 14.

Lucra filijfam. quæ ex artificio eius proueniunt, inter aduentitia bona numerantur, quæ proinde post patris mortem præcipua habere debet. Si tamen filius, v. g. opificis patri operam præstet, nullo seu expresse, seu tacitè petito salario, censetur id patri remittere, pietatis, ac gratitudinis causa. eod. n. 5.

Si filiusfam. ex bonis paternis nomine patris lucretur, v. g. filius mercatoris, salarium, vel partem lucri vix honestè petere potest. Sin autem filius ex re patris non frugifera suo periculo negotietur, cum proposito restituendi, lucrum ad filium pertinebit. n. 6.

Pater prohibere non potest, quominus filiusfam. ex domo paterna discedat, artis discendæ causa, nisi pater inops sit, vt filium lex pietatis obliget ad operam ipsi præstandam. n. 7.

Patria potestas in filium septem ferme modis soluitur. num. 8.

Filij legitimi & illegitimi.

Inter legitimè natos alij verè tales sunt, alij secundùm benignam iuris dispositionem. lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 1.

Qui suscepti sunt ex matrimonio non vero, tamen bona fide, saltem alterius coniugis, in facie Ecclesiæ celebrato pro legitimis habentur. ibid.

Conceptos illegitimè matrimonium subsequens purgat, si conceptionis tempore, vel secundùm quosdam, tempore natiuitatis ad contrahendum habiles fuerant. num. 2.

Filij illegitimi alij naturales sunt, alij non naturales: inter quos canonico iure hoc discrimen est, quòd illi suscepti sint à parentibus, inter quos tempore conceptionis (vel secundùm quosdam tempore natiuitatis) matrimonium consistere poterat: alij verò non naturales, si ex coitu damnato suscepti fuerint. n. 3.

Iure canonico omnibus illegitimè natis, etiam spurijs, seu ex damnato coitu ortis parentes alimenta necessaria præbere debent: licet Cæsareo iure aliud decretum fuerit. num. 4.

Cura alendi prolem legitimam ad patrem pertinet; sed illegitimam primo triennio mater, postea pater alere debet. n. 5.

Alimenta ea, quæ absolutè necessaria sunt ad vitam, parentes filijs suis quibuscunque, & quantumuis sceleratis, naturali iure debent. n. 8.

In defectum patris, aliorúmque ascendentium per lineam paternam mater, aliíque per lineam eius ascendentes prolem inopem alere coguntur. n. 7.

Mater, & auia præbentes alimenta filio, aut nepoti, si nihil protestentur, neque contrarium ex coniecturis colligi possit, censentur affectu materno præstitisse, absque repetendi proposito. lib. 3. tr. 4. c. 28. n. 5.

Si mater, vel auia bona liberorum penes se habeat, ex illis suppeditare censetur. ibid.

Vitricus priuigno non censetur alimenta donare, sed animo repetendi dare; nisi ille inops sit, vel in seruitio vitrici existens. ibid.

Si mater ob paupertatem, vel infirmitatem legitimæ proli vacare non possit; vel si nobilis sit, cui secundùm morem patriæ dedecori vertatur, patris impendijs nutrix adhiberi debet. cit. lib. 5. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 6.

Filij naturales, si nec proles legitima adsit, neque vxor superstes, succedunt patri suo ab intestato in duabus vncijs, & vnà cum illis mater. n. 9.

Testamento, vel donatione concessum est patri legitimam prolem habenti naturalibus filijs vnà cum eorum matre vnciam tantùm hæreditatis relinquere: sin mater absque liberis superstes sit, semiunciam. Sin autem liberi legitimi non extent, etiam ex asse naturales filij hæredes institui possunt. n. 10.

Matri spectato iure communi Cæsareo, naturales liberi vnà cum legitimis tam ab intestato, quàm ex testamento succedere solent: excepto feudorum iure. n. 11.

Etiam nothi seu vulgò concepti matri & parentibus maternis, nisi ea illustris sit, vna cum legitimis succedunt communi Cæsareo iure: ad patris verò successionem non admittuntur. n. 12.

Qui ex damnato coitu orti sunt, ascendentibus suis nec ab intestato, nec ex testamento succedere possunt: sed neque ascendentes ad talium filiorum successionem admittuntur. n. 13.

Fratres illegitimi, si vterini sint, eorúmque filij, ac nepotes consanguinitatis iure inter se succedunt: sed fratres non vterini nullum ius agnationis inter se habere censentur. num. 14.

Potest tamen frater fratrem illegitimum etiam spurium hæredem instituere, sicuti & alij cognati, præter ascendentes. num. 15.

Legitimatio, seu natalium restitutio duplex est: vna ad Ecclesiastica iura, & altera ad ciuilia. n. 16.

Legitimatio ad feuda, & liberorum propriorum, item spuriorum odiosa est, & non facilè concedi solita num. 17.

Spuriorum non est propriæ dicta legitimatio, sed potiùs dispensatio quædam. n. 18.

Per legitimationem à Summo Pontifice absolutè factam habilis quis efficitur ad sacros ordines, & beneficia etiam curata; non tamen ad dignitatem episcopalem, vel cardinalitiam, nisi exprimatur. ibid.

Episcopi communi iure dispensare possunt cum illegitimè natis ad ordines minores tantùm, & beneficia simplicia. num. 19.

Qui habet potestatem legitimandi, censetur etiam habere potestatem dispensandi cum illegitimo in ordine ad certum effectum, sed non vice versa. n. 20.

Religiosi natalium defectu laborantes ipso iure dispensati esse censentur ad ordines sacros. n. 21.

In dubio quisque censeri debet legitimè natus. n. 22.

Si post nuptias exacto mense septimo, & nondum aduentante fine mensis vndecimi proles nascatur, pro legi-

tima haberi potest. num. 23.

Licitum est interdum filios illegitimos, præsertim spurios, exponere, quando ita necessarium ad occultandum crimen, & grauem vitandam infamiam; adhibita tamen cautione, ne proles frigore &c. pereat. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 14. num. 4.

Vix potest accidere casus, vt prolem exponere liceat propter parentum inopiam, quia illam alere non possint. Nam inter homines, qui prolem suscepturi sperantur ex misericordia, erunt aliqui qui parentibus subsidium præstabunt, ad alendam prolem præsertim legitimam. ibid. dicto 2.

Si proles exponenda sit, consultum est, vt priùs baptizetur, appositâ schedulâ de Baptismo testante. ibid. dicto 1.

Si orphanotrophion, in quo proles spuria suscipitur, diues non sit, tum pater, & in eius defectum mater, si diuites sint, compensationem aliquam facere tenentur; quatenus sine famæ periculo possunt. dicto 3.

Si parentes sine infamatione curam fidei expositi habere, eique sustentionem ministrare indigenti possint, postquam ex infantia excessit, ad id obligantur. num. 4. dicto 4.

Fraternitates.

Fraternitates piæ, quæ ex personis laicis sociatæ sunt, simpliciter quidem subsunt Magistratui seculari: secundùm qui verò, videlicet quoad actus Ecclesiasticos, puta ordinem seruandam in processionibus, in comitanda S. Eucharistia Episcopo subjiciuntur. l. 3. t. 5. c. 5. num. 1. §. Tertiò.

Fructus.

Fructus alij sunt rei, alij verò meræ industriæ. l. 3. tr. 2. c. 3. num. 2.

Fructus rei alij sunt purè naturales, quos natura producit, nullo, aut vix hominis labore seu industria concurrente: vt animalium fœtus, arborum poma &c. alij autem sunt mixti, ad quorum productionem tam hominis industria, quàm natura operatur, vt segetes &c. Huc referuntur pretia domorum, prædiorum, locatorum, qui fructus ciuiles dicuntur. ibid. §. Fructus.

Præterea fructus rei (quos omnes Theologi naturales vocant) alij sunt percipiendi, pendentes; alij verò à solo separati, percepti. ibid. §. Ad extremum.

Fructus, vel potiùs lucra, quæ meræ industriæ sunt, ad bonæ fidei, imò etiam malæ fidei possessorem pleno iure spectant. Quare si fur pecuniam furtiuam negotiationi exponat, lucrum eius est. num. 3.

Fructus percipiendi, v. g. segetes agro adhærentes, ad rei dominum spectant: censentur enim pars rei frugiferæ. num. 4.

Fructus omnes rei, seu merè naturales sint, seu mixti, qui à bonæ fidei possessore ex re aliena percepti, & adhuc extantes sunt, domino restitui debent, deductis expensis, & æstimatione laboris. num. 5.

Qui torquem aureum à non domino emptum, aut furto ablatum elocauit, locationis pretium vero domino restituere obligatus est. Quemadmodum etiam possessor iniquus ædium locationis pretium restituere domino debet, nihil obstante, quòd fortasse dominus ædes non elocasset. num. 6.

Si bonæ fidei possessor fructus rei seu merè naturales, seu mixtos & industriales absumpsit, tenetur restituere, quatenus ex ijs locupletior factus est. n. 7.

Malæ fidei possessor omne rei augmentum, & fructus omnes vnà cum re restituere debet, deductis impendijs, & æstimatione laboris. c. 4. n. 4.

Fructus non intelliguntur, nisi deductis impendijs: hæc enim ante omnia restitui debent ei, qui fecit. ibid. §. Porrò, & l. 4. tract. 2. c. 3. n. 10.

Soluto matrimonio, fructus ex fundo dotali, vt eius elocati pretium debentur marito secundùm rationem temporis antecedentis; quo mulieri in matrimonio fuit. Idémque simili ratione dicendum est, quòd fructus pendentes tempore mortis, aut renuntiationis beneficiati partim ad ipsum, partim ad successorem spectare debeant, pro rata parte anni. eod. n. 10.

Stipendiarius, & quicunque pro opere, aut labore præstando salarium annuum habet, id ei, vel hæredibus eius debetur secundùm proportionem temporis anni, quo officium præstitit. ibid. in fine.

Furtum.

Est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causa, alicuius rei, vel eius vsus, possessionísve. Breuiùs sic definitur: acceptio rei alienæ, occulta, & fraudulosa. lib. 3. t. 3. p. 1. c. 1. in princip.

Si commodatarius, Depositarius, Qui pignus accepit, contra rationem conuentionis re commutata, deposita, pignore vtantur, quasi furtum committunt. Sed & is, Commodatarium, Creditorem &c. priuat vsu, possessione, custodia rei commodatæ, pignoris &c. ibid.

In externo foro ad crimen furti requiritur & affectus furandi, & vt dominus inuitus sit rem sibi auferri. ibid.

Furtum diuiditur in simplex, ac qualificatum: item in manifestum, & non manifestum. n. 2.

Fur alius diurnus est, & alius nocturnus. ibid. §. Præterea.

Furem nec diurnum, nec nocturnum occidere fas est, si eum absque periculo capere, aut res tuas ab eo liberare possis. lib. 3. t. 3. p. 3. c. 3. n. 4.

An furtum mortale sit, ex obiecto prudentis viri arbitrio æstimandum est, non solùm ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantiis personæ, cui ablata est. cit. c. 1. num. 3.

Duo vel tres ducati à quocunque auferantur, etiam valde potente, mortale peccatum constituere videntur. ibid. dicto 3.

Mortale peccatum committi potest, etiam rem modicam auferendo, si exinde graue damnum, vel iactura lucri cessantis eueniat. ibid. §. Tria.

Si pœnitens confiteatur, modicum quid furatum se esse, interdum à Confessario examinari debet, an fortè non defuerit animus plura surripiendi. Nam in conscientiæ foro non id quod furto ablatum, sed mens furendi attenditur. ibid. §. Alterum.

Licet verè furtum sit, si liberi, vel mancipia patrifamilias inuito auferant; tamen actio furti pœnalis, & famosa contra eos non conceditur: nec coniugi aduersus coniugem ob matrimonij honorem. Sed neque contra alios domesticos patrifam. actio furti permittitur, si furta modica sint: potest tamen his casibus Iudicis officium implorare ad rei ablatæ restitutionem. n. 4.

Plerumque maior quantitas requiritur ad constituendum mortale, si vxor, liberi, aliíque domestici furentur, præsertim esculenta, & poculenta, quæ ipsimet absumant. Eadémque ratio est de Religiosis talia domi furantibus. ibid. num. 5. & lib. 4. tract. 5. cap. 7. num. 4. §. Atque hæc.

Si domestici sine magna difficultate ablata restituere non possint præcipiat illis Confessarius, vt extraordinarijs officijs, & obsequijs, quatenus fieri potest, compensare studeant. eod. n. 5. in fine.

Qui repetitis vicibus modicum quid furatur, denique mortaliter peccare potest. Maiore autem opus est quantitate ad peccatum mortale, si modica furta diuersis fiant, quàm si eidem. Deinde si fiant animo ditescendi, seu congregandi etiam à pluribus prædam iniquam, grauius peccatum est, quàm si sine tali proposito furta modica fiant. num. 6.

Qui sæpius, etiam post pœnitentiam, furando ab eodem homine denique peruenit ad damnum valde notabile, mortalem culpam incurrit. ibid. aduert. 2. in fine.

Siue ab vno, siue à pluribus fureris, maiore opus est

quantitate ad peccatum mortale, si furta modica per maiora temporum interualla fiant. ibid. aduert. 3.

Qui furatur cum certo restituendi proposito, plerumque mortaliter non peccat. aduert. 4.

Qui extrema, aut quasi extrema necessitate coactus, rem aliquam domino inuito accipit ad vtendum, absumendum, quatenus indiget, is non furatur, nec peccat: sed nec restituere quicquam debet; si ad meliorem fortunam deueniat. eodem. cap. 1. num. 1. §. per vocem, & num. 7.

In casu, quo extremè laboranti nemo dare vult, quiuis alius, si ex proprio subuenire nequit, aliena accipere potest, quibus misero subueniatur. eod. n. 7. §. Alterum.

Qui in graui necessitate positus, à diuite, præsertim antè rogato, aufert ea, quibus indiget, non facilè peccati mortalis damnari debet. n. 8.

Licet ob necessitatem grauem fas non sit rem alienam auferre; tamen rei iam habitæ restitutionem differre, ob similem necessitatem, licitum esse videtur; cùm ea re parum creditori adimatur: quod enim differtur, non aufertur. eod. n. 8. in fine.

Pœna furto decreta vel ciuilis est in duplum, aut quadruplum, vel criminalis, quæ olim arbitraria erat, hodie verò ob tertium furtum materiæ notabilis suspendium inferri solet. num. 11.

Iusta esse potest constitutio, vel consuetudo, quæ pro vno furto simplici magnæ quantitatis pœnam mortis, vel mutilationis decernit: multò verò magis, si sit furtum sacrilegum, vel aliter qualificatum. eod. n. in fine.

G.

Gratia.

Gratia alia est, quæ est debito Ecclesiasticæ potestatis procedit in beneficijs, dispensationibus &c. alia verò merè gratuita concessio. lib. 3. t. 4. c. 1. n. 6.

Gratia dispensationis, aut concessionis beneficij Ecclesiastici, alia est facta seu expedita ex parte concedentis; alia verò est facienda seu expedienda à Commissario: hæc expirat morte concedentis, re integra, illa non expirat, etsi ante acceptationem moriatur, qui concesserat, quod est speciale in prouisionibus ex officio fieri solitis, & in alijs merè gratuitis concessionibus locum non habet. ibid. & lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 38.

Si tamen facultas v. g. à peccatis absoluendi, in votis dispensandi principaliter data fuerit in fauorem eius cui committitur, non censetur expirare morte concedentis. eod. num. 18.

Rescripta Principum alia sunt gratiæ, & alia iustitiæ: inter quæ hoc præcipuum discrimen est, quòd rescriptum gratiæ (cuius species est dispensatio) obtentum per subrectionem ipso iure irritum sit, rescriptum autem ad lites non antè irritum censeatur, quàm ab aduersario oppugnatum fuerit. lib. 1. t. 4. c. 22. n. 17.

Taciturnitas qualitatis, cuius expressionem ius, vel stylus Curiæ specialiter requirit, gratiæ rescriptum subreptitium reddit; esto Princeps etiam expressâ illa gratiâ concessurus fuisset. n. 18.

Rescripta gratiæ subreptitia censentur, quæ per taciturnitatem veri, per se & intrinsecè ad rem pertinentis, obtenta sunt, si Princeps ea veritate expressa non concessisset, vel saltem tali modo non concessisset. n. 19.

Dissimulatio veritatis, quamuis intrinsecè pertinentis ad rem postulatam, non vitiat gratiam v. g. dispensationis, si præsumptio esse possit, etiam intellecta tali veritate Superiorem dispensaturum fuisse. n. 20.

Si qualitas dissimulata in postulatione extrinsecè tantùm se habeat ad rem postulatam, non ideo dispensatio, vel alia gratia subreptitia censetur, tametsi Superior eâ circumstiâ cognitâ non dispensasset. n. 21.

Expressio falsi si fuit causa finalis concedendi, vitiat gratiam, non item si fuit causa tantùm impulsiua. n. 22.

Si vna tantùm causa obtinendæ dispensationis, alteriúsve gratiæ, eáque falsa à supplicante allata fuerit, subreptitia gratia censeri debet. Et similiter, si duæ narratæ fuerunt, quarum altera tantùm vera erat, sed insufficiens ad iustam concessionem, aut dispensationem. n. 23.

Expressio falsi vitiat gratiam, v. g. dispensationis, si Principi causa finalis fuit dispensandi tali modo. n. 24.

Si gratia concessa duas partes inter se diuisibiles contineat, vnâ ob suprectionem vitiatâ, altera pars, cuius causa verè subsistebat, ipso iure non vitiatur. n. 25.

Si causa dispensandi tempore datarum literarum adfuit, non item cùm à Commissario dispensatio facienda est, non potest eam executioni mandare: quia cessante finali causa mandati, cessat mandatum, si res integra sit. eod. c. 22. n. 14.

Etsi tempore exequendæ dispensationis causa subsistat, si tamen non substitit tempore datarum, quia postulatio subretitia erat, non potest dispensationem exequi Commissarius. eod. n. 14. dicto 2.

Si causa dispensandi subsidat, cum dispensatio facta ab Ordinario, vel Commissario intrinsecum effectum consecuta fuit, nihil interest, etsi postea causa cesset. n. 15.

Gratiæ & dispensationes, quæ tractum successiuum habent, cessante causa finali, pariter cessant: vt si Papa infirmum, cuius valetudo desperata sit, ieiunij lege liberet, ille autem præter opinionem integre conualescat. num. 16.

Error qualitatis, adiectæ per modum demonstrationis, non vitiat gratiam dispensationis, si de rei substantia constet: v. g. *Confero tibi beneficium simplex huius Ecclesiæ, quod patronum Titium habet*; cùm tamen alium Patronum habeat. Sed error in qualitate pertinente ad rei substantiam, dispositionem irritam reddit. eod. c. 22. n. 26.

Gula.

Est inordinatus appetitus, vel vsus ciborum, voluptatis causa. lib. 3. sect. 4. n. 2.

Gulæ vitium quinque modis committitur: si plus iusto comedas, vel ante tempus, vel voraciter, vel cibos nimis exquisitos, vel nimis exquisitè paratos. ibid.

Etsi vitium gulæ inter capitalia numeretur, quia aliorum peccatorum origo esse solet; per se tamen, & absolutè veniale tantùm est; per accidens quandoque mortale. ibid. §. Porrò.

Carne humana vesci, extra casum necessitatis extremæ, est peccatum mortale. n. 3.

Etiam extra casum extremæ necessitatis licitum est ad morbum depellendum vti medicamentis ex humana carne confectis; aut lacte fœmineo, quod phtysicis prodesse aiunt; aut effuso hominis cruore, quem caduco morbo laborantes hauriunt. eod. n. 3. §. Porrò.

H.

Hæreditas, Hæres.

Tum singuli homines, tum etiam Communitates hæredes institui possunt, nisi lege prohibeantur. lib. 3. tr. 5. c. 5. num. 1.

Religiosi professi Ordinum, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, hæredes institui possunt; succedit autem eorum nomine Monasterium. num. 2.

Collegia, & Domus Societatis IESV ratione alicuius Professi, aut vota formata habentis, succedere non possunt, siue ex testamento, siue ab intestato. n. 3.

Monasteria Ordinis Minorum capacia non sunt vllius hæreditatis, imò nec eorum Ecclesiæ, secundùm probabiliorem sententiam. n. 4.

Societatis IESV Collegia, & Domus hæreditates accipere possunt: modò non deferantur contemplatione suorum Professorum, seu ex testamento, seu ab intestato. Alia verò ratio est de legatis, quæ etiam contemplatione Professi delata, sicuti & donata, Societas accipere potest. num. 4. & 5.

Per professionem Religiosi omnia eius bona, & iura,

excepta portione legitima descendentibus vel ascendentibus debita, in Monasterium transeunt, si bonorum immobilium capax sit. n. 6.

Hæreditas alia delata tantùm est alia verò adita seu voluntariè acceptata, ita vt dominium etiam ante rerum hæreditariarum apprehensionem hæredi acquiratur. eod. t. 5. c. 7. n. 12.

Monasterium ratione Monachi sui hæreditatem delatam adire potest etiam ipso inuito, vel ante aditionem mortuo. lib. 3. t. 5. c. 5. n. 4.

Religiosus ad Episcopatum translatus hæreditariæ successionis capax est: sed bonorum tantùm administrationem habet, non dominium. n. 8.

Hæres alius est ex testamento, & alius ab intestato: ille vel est vniuersalis, siue ex asse, vel particularis: & tunc vel in parte hæreditatis aliquota, v. g. triente, vel in re certa, & hic legatarius potius censetur. ibid. n. 9.

Hæredes ex testamento alij sunt necessarij, videlicet descendentes & ascendentes, quibus saltem portio legitima debetur, quæ est triens hęreditatis: nisi plures sint quàm quatuor liberi tunc est semis. Alij verò hęredes non necessarij dicuntur. n. 10.

Si filius descendentes non habeat, iuri legitimè renuntiare potest; secus est, si descendentes ex ipso habeat. ibid. §. Heredes.

Si vnus ex liberis defunctus nepotes reliquit, ij patris loco succedunt, adeóque non in capita, sed in stirpem. Ib.

Portio legitima necessarijs hęredibus relinqui debet titulo honorabili institutionis, & sine vllo grauamine, modo, conditione; alioquin pro non appositis habentur. Ibid. §. Ascendentium.

Si alicui descendenti, aut ascendenti portio legitima non relinquatur, competit ei actiò, vel ad petendum cōplementum, aliquid relictum fuerat; vel ad rescindendum testamentum tanquam ipso iure nullum, si nihil iure institutionis relictum, neque causa idonea exhęredationis inserta, & probata fuit. n. 11.

Etiam ob posthumi pręteritionem, vel exhęredationem, testamentum rumpitur. n. 12.

Etsi secundùm ius ciuile parentes liberis singulis non nisi certam portionem debeant relinquere, peccant tamen plerumque, si sine iusta causa inter liberos successionis inęqualitatem constituant. n. 13.

Ius naturæ postulare videtur, vt pater filijs testamento relinquat, quatenus ad vitæ sustentationem indigent, etiam vltra legitimam ciuili iure debitam. Et ferme eadem ratio est de liberis comparatione parentum indigentium. n. 16.

Liberi naturales respectu patris non sunt hæredes necessarij; at verò matris respectu sunt. n. 14.

Frater & soror testatoris, si præteriti sint, testamentum infirmare non possunt, nisi persona infamis instituta fuerit. n. 15.

Filia inconsultis, aut inuitis parentibus nubens, ob id exhæredari non potest, spectato communi Cæsareo iure. Per consuetudinem tamen, vel statum talis exhæredandi potestas constitui potest, in casu quo liberi grauiter delinquunt absque consilio vel consensu contrahendo. lib. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 15.

Liberi legitimi ante omnes alios succedunt parenti ab intestato, & in demortuorum locum nepotes. lib. 3. tr. 5. c. 6. n. 1.

Deficientibus descendentibus veniunt pater & mater defuncti, & in illis locum aui & auiæ. n. 2.

Si defunctus bona seu à patre, seu à matre profecta reliquit, in illi auus paternus, in his maternus præferendus videtur. ibid. §. Si tamen.

Si vna cum patre, aut matre, vel his deficientibus, cum auo vel auia adsint fratres, aut sorores ex vtraque parte coniuncti, succedunt omnes in capita, siue æqualiter. ibid.

Fratres & sorores ex vtraque parte coniuncti præferuntur ijs, qui vna tantùm parte coniuncti sunt. n. 3.

Si vnus ex fratribus vel sororibus vtrinque coniunctis mortuus liberos reliquerit, succedunt hi loco parentis sui in stirpes: Sin autem fratres omnes & sorores mortui, tum eorum liberi (exclusis patruis ex vna parte coniunctis) in capita, adeóque æquis portionibus succedere debent. ibid.

Deficientibus fratribus & sororibus, eorúmque liberis legitimis, veniunt fratres & sorores vna tantùm parte coniuncti; ita vt qui ex parte matris coniuncti sunt, in bonis à patre prouenientibus, qui autem ex te matris coniuncti, in bonis à matre profectis, in reliquis autem æqualiter omnes succedant. eod. n. 3. §. Quartò.

Deficientibus consanguineis intra decem gradus, succedit coniunx defuncti, nisi inter eos fuerit diuortium: Sin autem nec coniunx succedat, pertinet hæreditas ad fiscum. n. 4.

Hæres alius est suus, alius non suus. Hæres suus dicitur proximus descendens in potestate defuncti mortis tēpore existens, cuius hoc proprium est, vt hæreditatis dominium etiam ante eius aditionem acquirat; quia prorsus vna persona cum defuncto censetur. Alij verò hæredes non sui hæreditatis dominium antè non acquirunt, quàm eam adeant seu voluntatè acceptent. n. 5.

Hæres hæreditatem acceptando omnia in se debita & onera realia defuncti transfert. Si tamen intra 30. dies inuentarium confecerit, duplici beneficio gaudet: Primum. Vt defuncti creditoribus supra vires hæreditatis obligatus non sit. Quod tamen etiam sine inuentarij confectione, in foro conscientiæ locum habere, probabile est. Alterum. Quòd deductis expensis fuerit, & solutis debitis, quartam partem restantis hæreditatis obtinere debeat, beneficio legis Falcidiæ. n. 7.

Hæreditatis renuntiatio.

Renuntiatio hæreditatis futuræ nullius roboris est, nisi iuramento firmata sit; vel nisi quis in ipsa factione testamenti liberè in sui præteritionem consentiat. lib. 3. tr. 5. c. 7. n. 1.

Si hæres necessarius, puta filius à patre integram portionem accepit, quæ ipsi iure debetur, reliquæ hæreditati validè renuntiat. Si tamen bona patris postea augeantur, legitimam portionem eius filius exiget. eod. num. 1. except. 2.

Renuntiatio hæreditatis strictæ interpretationis esse debet. Quare nihil obstante, quòd filius cum iuramento hæreditati renuntiauit, succedere potest, si à patre hæres instituatur. n. 2.

Si filius renuntiauit in fauorem fratris, eo mortuo ante patrem, in paterna hæreditate succedere potest: imò institui debet, quia causa renuntiationis cessauit. ibid.

Filius qui iuratus renuntiauit hæreditati paternæ, nihilominus succedere potest in ijs bonis, quæ pater ad secundas nuptias transiens liberis ex priore matrimonio susceptis, ob ciuilem constitutionem ac fauorem, relinquere cogitur. ibid.

Omne pactum, vel donatio de alterius viuentis hæreditate irrita est: Nisi fiat in fauorem alicuius Communitatis v. g. Conuentus regularis: aut nisi ob necessitatem, quia secundùm Ordinis constitutiones, de omnibus iuribus acquisitis, & acquirendis aliquis disponere debeat. num. 3.

Si consensus eius, de cuius hæreditate agitur, paciscentibus accedat, isque vsque ad mortem in ea voluntate perseueret, morte confirmabitur pactum. ibid. limit. 1.

Renuntiatio, vel pactum quodlibet circa hæreditatem personæ incertæ iure subsistit v. g. *Si quæ, mihi dum vixero, hæreditas obuenerit tua esto.* ibid. limit. 2.

Renuntiatio hæreditatis, & quæuis obligatio, quamuis iurata, irrita est, quæ fit ab ingredientibus Religionem nisi fiat cum requisita forma in Trident. sess. 25. cap. 16.

de Regularibus. n. 4.

Tridentina hæc constitutio locum non habet in renuntiationibus, aliísve dispositionibus, quibus, absolutè loquendo, nulla obligatio imponitur renuntianti, disponenti: sicuti accidit in vltimis voluntatibus, quippe cùm vsque ad professionem reuocabiles sint. Ex quo sequitur, valere testamentum conditum à Nouitio, neque rumpi secuta professione, etiamsi Monasterium institutum fuerit. num. 5.

Decreto illo Trident. non comprehenditur donatio modica, quæ Monasterio, vel certæ personæ in ingressu fit: quia cessat ratio, quæ mouit ad donationes, aliásve dispositiones irritas declarandum, ne Nouitius exeundi libertate priuetur, si maiorem partem substantiæ Monasterium possideat. ibid. dicto 3.

Renuntiatio beneficij Ecclesiasti ante duos menses professioni proximos fieri non potest. In Societate autem IESV non vacant beneficia Nouitiorum durante biennio probationis: eo autem expleto, statim resignari debent. n. 6.

Tridentina Constitutio irritas reddens renuntiationes locum etiam habet in ijs, quæ fiunt ante ingressum seu assumptionem habitus religiosi, tamen causâ ingrediendi. Quamuis sententia opposita etiam probabilis sit. n. 7.

Irrita est renuntiatio, aut donatio bonorum acquisitorum, tametsi facta sit sub conditione regressus, seu recuperationis, si professio non sequatur. n. 8.

Renuntiationes à Candidatis Societatis IESV factæ cum conditione regressus, omnino repugnant Constitutionibus eiusdem Societatis. n. 9.

Si renuntiatio, vel donatio bonorum post primum annum Nouitiatus, vel post edita vota simplicia in Societ. IESV, facta fuerit in fauorem Collegij eiusdem Societatis; & postea contingat eum, qui renuntiarat, dimitti, nihil ipsi ordinariè restituendum est. n. 10.

Locum etiam habere videtur Trident. Constitutio, si Societatis nostræ Canditati donationes, vel renuntiationes bonorum faciant aliter, quàm eiusdem Societatis Constitutiones requirunt. n. 11.

Licet secundùm subtilitatem ciuilis iuris ignorans sibi delatam hæreditatem esse, eam moriens non transmittat, tamen valde probabile est, si quis alteri donet hæreditatem, quæcunque ipsi commoda, seu delata sit, seu ante mortem naturalem, aut spiritualem deferenda, talem donationem validam fore, maxime si fiat in fauorem causæ piæ. num. 13.

Professurus in Religione Mendicantium pacisci potest cum patre, vt veluti in præmium renuntiationis paternæ hæreditatis aliquid det ad piam causam, quam filius ipse designat. n. 14.

Non potest aliquis donare hęreditatem obuenturam post mortem suam, aut Religionis professionem, quia viuentis non est hęreditas. n. 15.

Si tamen pater mortuus sit relicto bonorum vsufructu vxori, dum ea viuit, non prohibetur filius ante professionem disponere de parte hęreditatis paternę: cum disponat de iure sibi iam acquisito secundùm proprietatem. ibid. §. Veruntamen.

Hæresis, Hæreticus.

Hęresis est error contra veritatem Fidei, iunctus cum pertinacia in eo, qui fidem suscepit. lib. 2. tr. 1. c. 13. n. 1.

Catechumenus credens, si Fidem abijciat, non propriè dicitur hęreticus, cùm nec propriè in corpore Ecclesię fuerit, quare neque Ecclesiasticis hęreticorum pœnis obligatur. ibid.

Qui ignorat, quamuis crassa & mortaliter culpabili ignorantia opinionem suam Ecclesię Catholicę repugnare, is pertinax non est, ideóque nec hęreticus. Sectarij autem, qui per ignorantiam crassam Ecclesię Catholicę repugnant, inter veros, & formales hęreticos numerari debent. n. 2. ver. Denique, & ver. Verùm.

Omnes hæretici Ecclesiæ vniuersali, cuius caput Romanus Pontifex est, se opponunt, illiúsque infallibilem auctoritatem in proponendis Fidei dogmatis negant. n. 3.

Hæreticorum mos est, spreta auctoritate Maiorum, ad Scripturas prouocare. l. 2. t. 3. c. 11. n. 3.

Libertas religionis, siue exercitium hæresis hęreticis permissum, aut promissum, maximum Reipubl. malum est. l. 2. t. 1. c. 17. n. 4.

Qui à secta Lutheri, Caluini, quam professi sunt, recedere cupiunt, si probabili, vel saltem mortaliter non culpabili ignorantia laborasse videantur, à locorum Parochis absolui possunt, cùm materiales tantùm, non formales hæretici fuerint. Sed Ecclesiarum consuetudo ferme requirit, vt etiam tales ad illos mittantur, qui ab hæresi absoluere possunt, vel Episcopi, aut Vicarij eius iudicio relinquantur. eod. tr. 1. c. 13. n. 4.

Reuertentes ad Fidem Catholicam, priùs sufficienter instruendi sunt in publicis concionibus, catechismis, & priuatis congressibus, exacta etiam coram testibus Fidei professione, quàm ad sacram Confessionem, & Synaxin admittantur. ibid. §. Nota.

Qui circa Fidei articulum seu propositionem deliberatè dubitat, is hæreticus est; cùm virtualiter iudicet; eam incertam veritatem habere. n. 5.

Qui inter hæraticos nati & educati, orthodoxam Religionem ignorant, his interim debitare licet, donec instruantur, vt argumenta nostræ Fidei rectè apprehendant. ibid. §. Excipiendi.

Ij, quibus hęreticæ, aut blasphemæ cogitationes subinde occurrunt, si seriò eas detestentur, & protestationem faciant nunquam consensuros esse, non culpæ rei sunt, sed magis merendi occasionem habent. In quibusdam tamen hominibus tales tentationes DEVS permittit propter vitam eorum sceleratam, præsertim impuritatis vitium: quibus suadendum, vt se corrigant, tum Fidem ipsorum, & in Deum fiduciam constantiorem fore. ibid. §. Id obiter.

Qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, habens sufficientia indicia reuelationem à Reo prouenire, is essentialiter ab hæretico non differt; quamuis propriè hęreticus dici non possit, ideóque nec hæreticorum pœnis subiectus sit. n. 6.

Qui agnoscit v. g. Christum verum hominem esse, negat tamen propositionem Theologicam, v.g. quòd Christus videndi naturalem facultatem habeat, is hæreticus non est. n. 7.

Hæretici formales, si hęresin externo actu prodant, excommunicationem Papæ reseruatam in Bulla Cœnæ Domini incurrunt. c. 14. n. 1.

Si internus hæreticus exteriùs dicat se hęresin Lutheri aliquando sectatum esse, vel habere propositum amplectendi, non ideo excommunicationem incurrit, cùm præsentem hęresin suam non exprimat. ibid. §. Secundò.

Qui hęresin, quam animo conceptam gerit, in somno, vel ebrietate profert, excommunicationem propterea non incurrit. n. 2.

Neque qui consilij, aut instructionis capiendę causa hęresin suam alteri manifestat, ob id excommunicationem contrahit, cùm talis manifestatio mortaliter mala non sit. n. 3.

Si hęreticus opere, vel omissione operis, (v. g. abstinendo à sacra Synaxi, Missę auditione) spectatis circumstantijs, suam hęresin sufficienter profiteri censeatur, excommunicationem incurrit. n. 4.

Hęreticorum credentes, fautores, ac receptatores eandem excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini contrahunt. n. 5.

Fautores, & receptatores excommunicationem incurrere non videntur, nisi exinde malus effectus consequatur, videlicet vt hęreticus Iudicis manus euadat, hęresis eius magis diffundatur &c. Sin autem receptator ta-

lem euentum secuturum prouidit, etsi non fecerit formali intentione vt eueniat, excommunicationis censuram contrahit. Eod. num. 5. §. Tertio loco, & §. Id verò.

Homicidium, mutilatio.

Seipsum sine causa necessitatis mutilare, aut castrare, est iniuria aduersus Deum. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 1.

Maioris mali vitandi causa licitum est seipsum mutilare. num. 2.

Peccant parentes, si filios, quamuis consentientes vt Ecclesiæ cantu vtiles sint, castrare audeant. ibid. §. Illud.

Seipsum occidere nunquam licet, nisi Deus ita iubeat. num. 3.

Licitum est ex alto loco desilire cum certo mortis periculo, vt quis horrendam incendij deflagrationem effugiat. eod. n. 3. In fine.

Simili ratione milites se in mare quandoque abijciunt, naue incensa, vt hostis crudelitatem effugiant. ibid.

Ad mortem se offerre, & ab alio inferendam permittere, non semper illicitum est. n. 4.

Si Tyrannus ciuitatem oppressurus sit, nisi innocens aliquis supplicio tradatur, debet is ob seruandam Remp. hosti se dedere; idque ei à Magistratu præcipi potest: Si obedire recuset, nocens iam esse incipit. ibid. §. Ex inde.

Propriam vitam plerumque liberare non tenemur per medium valde difficile, aut insolitum, v. g. pedum sectionem, pretiosissimum medicamentum &c. ibid. §. Resoluitur.

Corporis voluntaria castigatio debet esse moderata. num. 5.

Qui seipsum voluntariè interimit, in loco sacro sepeliri non debet; nisi ante mortem signa contritionis eum edidisse constet. n. 8.

In dubio, vtrum aliquis seipsum occiderit, an verò ab altero occisus, vel casu præcipitatus sit, præsumi non debet delictum; præsertim tam atrox, & à natura alienum. Si autem constet, quòd homo seipsum occiderit, præsumitur deliberatè egisse; nisi graues contrariæ coniecturæ adsint, propter antecedentem melancholiæ morbum, amentiam &c. ibid. §. Veruntamen.

Iure Cæsareo ijs, qui mortem sibi consciuerunt metu futuræ sententiæ ob crimen delatum, pœna confiscationis bonorum infertur, non autem alijs, qui ob aliam causam seipsos peremerunt. ibid. §. Denique.

Magistratus ius habet occidendi subditos, in iustam criminum vindictam: Item exponendi eos mortis periculo, quatenus id necessarium videtur ad Rempub. defendendam. eod. tr. 3. p. 3. c. 2. n. 1.

Actualem sui aggressorem, occidere volentem, quilibet præuenire, & occidere potest, cum moderamine inculpatæ tutelæ. c. 3. n. 1.

Vir nobilis & militaris, licet fuga declinare possit impetum aggressoris, plerumque tamen non obligatur. num. 2.

Persona v. g. Ecclesiastica, quam fugere potiùs oportet, si non fugiat, sed aggressori resistat, suique defendendi causa eundem mutilet &c. ad compensationem damni non obligatur. ibid. §. Oportet.

Non solum pro defensione vitæ, aut honoris; sed etiam facultatum, quæ non modici momenti sunt, & alia ratione liberari non possunt, concessum est aggressorem, vel raptorem mutilare, interficere. n. 4.

Licet post acceptum vulnus, alapam, aliámve contumeliam, cessante periculo vlterioris plagæ, vel ignominiæ, aduersarium percutere plerumque nefas sit, tunc tamen licitum est, si vir strenuus seu militaris alia ratione à se dedecus remouere non possit, quàm incontinenti repercutiendo. n. 3. §. Denique.

Si quis ius habeat aggressorem, vel raptorem defensionis causa occidendi, etiam alijs concessum est vim passo opem ferre: quin interdum obligatio incumbit seu ex charitatis, seu iustitiæ lege. n. 5.

Homicidium aliud est casuale, & aliud voluntarium. Et hoc vel est directè volitum, quod dicitur homicidium ex proposito, vel est volitum indirectè, ac interpretatiuè, interueniente culpa, non dolo. eod. c. 3. n. 5.

Homicidium dolosum, seu ex proposito, si simplex sit, punitur iure Cæsareo capitis amputatione: sed nobiliores in insulam deportantur. At verò homicidium qualificatum, videl. parricidium, item occisio coniugis, fratris, sororis, alteriúsve valde propinqui, grauiùs puniri solet, secundùm facti qualitatem, & circumstantias. cap. 4. num. 1.

Homicidium voluntarium aggrauatur ex modo occidendi: vt si quis ex insidijs occidat, aut veneno, vel si ab altero pretio conductus hominem interficiat. ibid. §. Præterea.

Qui per culpam, & non ex proposito hominem interimit, Iudicis arbitrio puniendus est, secundum proportionem culpæ. §. Qui per culpam.

Homicidium in ebrietate interdum omni culpa vacat, interdum verò indirectè voluntarium est, ideóque culpabile, minùs tamen, quàm si directè volitum esset. n. 2.

Suadens, aut mandans homicidium iniustum fieri, crimine & pœnis patrati homicidij tenetur. n. 5.

Si affirmanti tui gratia se hominem necaturum, credas id ad ipso futurum esse, neque contradicas & impedias, cùm possis, tacitè consentire, ac mandare censeris. ibid. Dicto 3.

Qui homicidium suo nomine patratum postea ratum habet, licet excommunicationem, & alias pœnas iuris incurrat, non tamen irregularitatem, neque damni resarciendi obligationem contrahit. n. 6.

Qui hominis necem, cùm facile posset, impedire negligit, irregularitatem, & obligationem damni compensandi non contrahit; nisi ex iustitia obligatus fuerit ad defendendum. n. 7.

Qui sciens tractatum, vel conspirationem aduersus Principem, non reuelet ad impediendum, capitali pœna plecti potest. n. 8.

Si Iudex, vel Gubernator innocentem occidi, Medicus, Chirurgus infirmum ex morbo decedere permittantur, cùm facilè impedire possent, homicidij rei sunt & irregulares. Idémque sentiendum videtur de liberis comparatione parentum, & de parentibus comparatione liberorum. eod. n. 8. in fine.

Contra iniquum aggressorem, mutilatorem, occisorem duæ actiones institui possunt; Vna ad compensationem illati damni, secundùm commutatiuæ iustitiæ æqualitatem: Altera ad satisfactionem pro iniuria, quæ secundùm iustitiam vindicatiuam ab offenso æstimatur, & à Iudice decernitur, pensata qualitate facti, & circumstantijs personarum: præterquam quòd etiam criminaliter agi possit ad pœnam publicam. cap. 6. princ.

In æstimationem damni, quod iniustè vulnerans resarcire tenetur, imprimis veniunt impendia facta in Medicos, Chirurgos, deinde operæ, quibus homo caruit, vel cariturus est. n. 1.

Pro cicatricis deformitate, membri, ipsiúsque vitæ iactura, compensatio nulla fieri debet, ante Iudicis condemnationem. n. 2.

Homicida ex iustitia non obligatur, vt pro anima defuncti sacrificia, preces, eleemosynas Deo offerat: quamuis Confessarius plerumque talia loco pœnitentiæ homicidæ imperare debet. ibid. §. Deinde.

Homicida damnum compensare debet, quod exinde prouenit occisi parentibus, liberis, vxori. Sed quod familiaribus, & clientibus per accidens prouenit, non videtur ex iustitiæ lege compensandum esse. n. 3.

Neque compensari debet damnum, quod alicui tertio euenit, cui per errorem homicidij crimen imputatum fuit: quamuis homicida id præuiderit; dummodo per

se non intenderit, neque sua aliqua actione, v. g. vtendo, illius ense, causam falsæ suspicionis præbuerit. eod. n. §. Eadémque.

Creditoribus illatum damnum homicida ex iustitia resarcire debet. Verùm id in praxi non obseruatur. n. 4.

Etsi ille, qui alterum iniustè inuadit, illatum damnum resarcire cogatur, non tamen etiam inuasus, quamuis plura vulnera inflixerit, modò inculpatæ tutelæ moderationem non excesserit. n. 5. §. Colliges.

Qui ob acceptam iniuriam iusto dolore, aut ira affectus vulnerauit, vel occidit, v. g. maritus deprehensum in adulterio, potest denegare restitutionem damnorum: donec ad Iudicem delatâ causâ cognoscatur, vtrum in pœnam delicti, & iniuriæ compensationem, restitutio remittenda sit, necne. eod. n. 5. §. Excipe.

Horæ Canonicæ.

Canonicæ horæ dicuntur publicæ, ac statæ preces, horis diurnis & nocturnis, ex sacrorum canonum decreto, ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ ad Deum persoluendæ. lib. 4. t. 1. c. 2. n. 1. §. Canonicæ.

Officium Ecclesiasticum diuitur in diurnum, & nocturnum. Diuini officij multis olim Ecclesijs septem partes, seu horæ distinguebantur; secundùm Romanum verò morem, sex tantùm: Vt proinde totius officij septem horæ censeantur. n. 2.

Non obstat, quominus in priuata oratione, ad imitationem moris antiqui, preces nocturnas à laudibus matutinis separemus: In publico autem choro cuiusque Ecclesiæ consuetudo seruari debet. Ibid. §. At verò.

Si dies naturalis in quatuor partes æquales secetur, quatuor emergunt præcipua orandi tempora; Matutinum, Meridianum seu propriè Diurnum, Vespertinum & Nocturnum. c. 3. n. 2.

Officij propriè diurni tres partes numerari solent, Tertia, Sexta, & Nona. Quamuis interdum Tertia matutino officio, Nona autem vespertino tribuatur. n. 3. & c. 6. In fine.

Orationis hora sacra incipit post expletam profanam; v. g. hora sacra Tertia post exactam tertiam diei artificialis; & Sexta hora sacra post exactam meridiem. eod. cap. 3. num. 4.

Officium matutinum duas partes in se complectitur; Laudes, & horam Primam. Illi proportione quadam respondet officium Vespertinum, duas item partes continens, Vesperas, & Completorium. n. 6.

Consultùm est in priuata Officij recitatione publici chori tempora obseruare. Sed nihil etiam obstat, quominus aliquis primæuæ institutioni ac temporum assignationi conformare se possit. n. 7.

Statorum temporum metas sine causa iusta notabiliter transgredi, vel horarum ordinem immutare, peccatum veniale est. Sed modica, & non inconsueta temporis mutatio omni culpa vacat. Eod. n. 7. In fine, & n. 8.

Qui intra diem naturalem officium eius culpatè, vel inculpatè intermisit, altero die supplemere non cogitur. num. 9.

Hoc etiam in primis Vesperis festi locum habet, vt qui in vigilia recitare intermisit, altero die seu in festo dicere obligatus non sit. Ibid. §. Excipiunt.

Obligatio Canonici officij ex triplici capite oritur: I. ex professione Religionis additæ choro. II. Ex sacri Ordinis susceptione. III. Ex beneficio Ecclesiastico. cap. 4. Principio.

Canonici Officij obligatio aliter Capitulo Religiosi Ordinis incumbit, & aliter singulis. n. 1.

Consuetudo interpretatur, quòd omnes, ac singuli Religiosi Professi exceptis laicis, seu Conuersis, ad canonicum Officium, intra, vel extra chorum, persoluendum sub mortali peccato obligentur. n. 2.

Probabile est, quòd Religiosus per sententiam eiectus, si clericus in minoribus tantùm est, obligatione recitandi Officij immunis fit. Sed apostata, & fugitiuus obligati manent, quin & damnatus ad triremes, si officio suo satisfacere possit. eod. n. 2. §. Adde secundò.

Si Religiosus dispensatus sit, vt perpetuò extra monasterium degat, probabile est, exemplum esse à choro monachali, &, quæ inde nascitur, obligatione orandi Officij, si in minoribus tantùm est. ibid. §. His adde.

Clerici omnes in sacris, etsi beneficiati non sint, ad canonicas horas vniuersali Ecclesiarum consuetudine sub peccato mortali obligantur. n. 4.

Clerici in minoribus iure communi non obligantur ad certas preces: Attamen per diuturnam diœcesis consuetudinem, veluti sub præcepto acceptam, & obseruatam, nihil prohibet eos obligari. n. 5.

Beneficiati omnes ad officium canonicarum precum sub mortali peccato obligantur; & ita quidem, vt si post sex menses à beneficio obtento recitare intermittant, ad fructuum etiam restitutionem obligentur. lib. 4. tr. 2. c. 5. num. 1.

Hæc fructuum restitutio fieri debet non precisè pro rata omissionis officij, ac temporis, sed quatenus reditus beneficiarij dantur propter officium canonicum, non item propter alias obligationes. n. 2.

Fieri potest, vt alia ministeria Parochi in Sacramentorum ministratione, sacrificijs, publicis concionibus, tam multa, & grauia sint, vt prudentis viri arbitrio sextuplo superent onus Officij Canonici priuatim persoluendi. Ibidem.

Si Parochus, vel Capellanus valde exiguos reditus habeat, qui vix æquent, aut non superent iustum stipendium, quod ipsi propter alia officia debetur, probabile est, ad nullam restitutionem eum obligari, ob intermissum officium. Quamuis interim talis mortaliter peccet; & à Confessario, si propria patrimonialia bona habeat, pœnitentiæ loco eleemosynæ imperari debeant. ibid.

Qui imperio ac minis parentum cogitur ad acceptandum beneficium, recitare tenentur, si reditus ex beneficio ipsi percipiant: sin autem pater reditus auferat, filius liber est, ac patri restituendi obligatio incumbit. eod. c. 5. q. 1.

Solus titulus beneficij Ecclesiastici non inducit obligationem recitandi, sed requiritur etiam possessio. n. 3.

Si beneficiatus sine culpa sua nullos reditus accipiat, nec postea accepturus sit, ad recitandum non obligatur. num. 4.

Defendi potest aliquarum Ecclesiarum consuetudo, secundùm quam Canonici anno primo, aut secundo ad recitandum non obligantur: quia fructibus carent, qui alijs antiquioribus Canonicis accrescũt, vel ipsis post mortem seruantur ad funeris impendia, & debita soluenda. Eod. n. 4.

Iusta esse potest consuetudo, beneficia valde tenuia conferendi, sine canonicarum precum obligatione. n. 5.

Præstimonia ea, quæ in titulum perpetuum dantur, & verè Ecclesiastica beneficia sunt, ad Canonicum officium obligant: Sed non ea præstimonia, quæ Clericis dantur vti stipendia, dum in literarum studijs versantur, vel donec beneficium acquirant. n. 6.

Commenda duplex est; perpetua, & temporalis. Illa ad orandum obligat, cùm habeat vim & effectum tituli, ideóque æquiparetur beneficio. Hæc autem non obligat, si non in personæ, sed Ecclesiæ vtilitatem constituta sit. num. 7.

Vicarij alij sunt perpetui, & alij temporales, illi ad recitandas horas obligantur, quia sunt veri beneficiati: hi autem ratione vicariæ ad orandum non obligantur, cùm titulum beneficij non habeant, sed solam administrationem & custodiam ad tempus. n. 8.

Si Vicario tota administratio beneficij cum auctoritate Episcopi, quamuis ad tempus, vel cum potestate amouendi committatur, ea tacita conditione ac pacto committi

mitti censetur, vt omnia officia prestet, si Principalis, cuius Vicarium agit, Officium non persoluat. Ibid. §. Temporales.

Coadiutor beneficiati ratione huius muneris præcisè adcanonicas horas non astringitur, tametsi aliqua portio ex reditibus beneficij ipsi propter labores suos obueniat. Sed excipiendi sunt Coadiutores illi, qui vt perpetui, cùm pleno iure administrandi, & futura successione, à Papa constituuntur, ob beneficiati infirmitatem. n. 9.

Officium tum publicè in choro, tum priuatim extra chorum, dici debet secundùm ritum Breuiarij Romani reformati. l. 4. t. 1. c. 5. n. 1.

In quibus Ecclesijs, vel Monasteriis antiquus & proprius Breuiarij vsus adhuc retinetur, decet Clericos harum Ecclesiarum etiam in priuata recitatione eum ritum tenere. num. 2.

Probabile tamen est, secluso scandalo, cuiuis extra chorum licitum esse, posthabito suæ Ecclesię Proprio, Romanum Breuiarium recitare. Ibid.

Clericus beneficiatus, dum ab Ecclesia absens est, vel in alia diœcesi habitat, debet potiùs recitare officium diœcesis, in qua beneficium obtinet. n. 5.

Si Clericus in alia diœcesi beneficiatus, aut professus, hospitetur v. g. Augustę, vbi festum proprium S. Vdalrici, celebratur, potest se conformare in officio, sed ad id non obligatur. Eodem numero 3. §. Quæres.

Qui antiquum suæ Ecclesiæ ritum orandi seruant, debent recitare psalmos pœnitentiales, officium defunctorum &c. sicuti secundum receptam consuetudinem in eorum Breuiario annotatur. n. 4.

Peccatum veniale tantùm est, officium sine necessaria causa mutare, v. g. dicere de Sancto, cum debeat dici de Feria. Si tamen officium longius in multò breuius commutetur per fraudem, aut si quis frequenter vel perpetuò mutet, videtur mortale peccatum esse. Ibid. Assert. 4.

Qui aliud officium æquiualens pro eo, quod in Breuiario assignatur, recitauit, non obligatur ad repetendum, præsertim si per errorem mutatio facta fuit. num. 5.

Ecclesiæ, quæ ritum Breuiarij Romani receperunt, possunt tamen officium Canonicum de Sanctis suis, idque cum Octaua (si Patroni sint) recitare. n. 6.

Eiusmodi officium proprium Sancti secundùm ritum Breuiarij Romani dici debet: Lectiones tamen accomodatæ deligi possunt, quæ in Breuiario communi non continentur. Neque opus esse videtur, vt Lectiones à Sede Apostolica approbentur, si omni suspicione falsi carentes, antehac in Ecclesia recitari consueuerunt. Sin autem Lectiones de Sancto nouiter introducantur, opus est approbatione Romana. Eod. n. 6. dicto 2.

Illud permissum non videtur, vt in festo alicuius Sancti, v. g. Iacobi Apostoli, cuius officium in ipso Romano Breuiario describitur, aliæ lectiones retineantur in Ecclesia, quæ Breuiarium Romanum acceptauit. n. 6. Dicto III.

Horæ singulæ officij continuè recitari debent, nisi causa incidens interruptionem postulet. Neque opus est, postea quæ dicta fuerunt repetere; licet consultũ sit repetitionem facere ab initio nocturni, vel psalmi interrupti, si interruptio magna, licet iusta, fuerit. n. 7.

Si Clericus tardè ad chorum veniat, hora iam cœptâ, cum alijs cantando pergere potest; & postea, quæ omissa sunt, complere: imò probabile est, nihil supplendum, si non multùm in choro processum fuerat ante eius aduentum. Ibid. §. Adde primò.

Clericus supplere non debet, quæ cantare, & audire neglexit, dum librum parauit, altari thurificauit &c. sicuti etiam qui Missæ inseruiunt, interesse censentur, dum paranda re necessaria occupantur. Ibid. §. Simile.

Si quis dum matutinum recitat, non habeat sermones ad manum, vel eos ratione itineris legere non possit, ob necessitatis causam, potest se exoluere penso canonico, & sermones differre. Ibid. §. Adde secundò.

Modus orandi cum socio vno, vel pluribus, etiam in priuata recitatione commendatur. n. 8.

Etiam ea, quæ ratione voti, aut pœnitentiæ iniunctæ recitari debent, cum socio dici possunt. Ibid. §. Adde tertiò.

Qui sine vlla attentione horarium officium recitat, non videtur satisfacere Ecclesiæ præcepto, ideóque mortaliter talem peccare probabilius est, quamuis ad restitutionem fructuum obligandus non sit. n. 10.

Causæ excusantes ab officio canonico sunt: Naturalis obliuio, grauis infirmitas, necessaria occupatio cum recitatione horarum moraliter non consistens, vel alia impotentia. c. 6. n. 1.

Si certus sis, quòd vnam horam v. g. Nonam, aut Vesperas, commodè recitare possis, etsi reliquum diei officium non possis, ad illud obligaris. n. 2.

Qui beneficium, vel ordines sacros suscipit, recitandi ignarus, debet socium sibi adiungere, à quo discat, & officio præstando idoneus reddatur, si proprio marte non possit. Ibid.

Qui officium horarium ipsemet persoluere non potest, non tenetur alteri demandare, nec loco eius orationis aliud præstare. n. 3.

Qui sacrum ordinem Subdiaconatus accipit, eo die obligatur non ad integrum officium, sed ad eas horas, quæ correspondent tempori, ex quo obligationem recitandi suscepit, videlicet vt incipiat à Nona. n. 3. §. Dubitatur quartò.

I.

Ieiunium.

Ieiunium aliud est naturæ, aliud virtutis, & aliud Ecclesiasticum. l. 4. t. 8. c. 1. n. 1.

Ad ieiunium Ecclesiasticum tria requiruntur: I. Ciborum delectus, seu abstinentia à carnibus &c. II. Abstinentia ab altera refectione. III. Certum refectionis tempus, videlicet cœna sit. n. 2.

Comestio ouorum, & lacticiniorum in sola Quadragesima, non item alijs ieiuniorum diebus prohibetur, spectato communi iure, Quibusdam autem locis etiam in Quadragesima propter consuetudinem ijs vesci licet. num. 3.

Olim in Quadragesima, præsertim in hebdomade sancta, strictior abstinentia seruabatur, quàm nunc in more sit. n. 4.

Pinguedo lardi in locis, quibus ouis & butyro vesci licet, non tam seuerè diebus ieiuniorum prohibetur, sicuti caro. Quare ancillis, quæ iussu herarum lardum porcinum, aut anserum pinguedinem diebus ieiuniorum loco butyri adhibent, ob aliquam necessitatem, permitti potest, vt & coquant, & comedant. n. 5.

Refectio vnica in die ieiunij moraliter continuata esse debet, potest tamen ob causam interrumpi, ac diuidi. Quare si sufficienter refectus à cœna surrexisti, animo non reuertendi, probabilius est, quòd non liceat iterum accumbere, & comedere. n. 6.

Lectores, & ministri mensæ in Monasterijs, & Collegijs excusantur, si priùs aliquid comedant. Ibidem. §. Tertium.

Vini potio cum pauxillo panis, item confecta, si per modum medicinæ sumantur, ieiunium non violant. num. 7.

Tempus cœnandi diebus ieiuniorum olim erat vespera, vel hora nona, nunc verò anticipatum est ad meridiem, vel horam, aut quibusdam locis sesqui horam ante meridiem. n. 8.

Collatiuncula nocturna per consuetudinem introducta, debet esse modica sumptio ciborum leuiorum, puta fructuum, herbarum, iuncto pane. n. 9.

Iusculum, aut placentas in nocturna in ieiunij cœnula comedere, non videtur licitum esse. ibid.

Quantitas cœnulæ secundùm personarum, & regionum constitutionem metienda est. §. Quod attinet.

Collatiunculam circa meridiem accipere, cœnâ in noctem translatâ, videtur esse culpa venialis; nisi aliqua causa postulet. n. 10.

Qui refectionem, seu cœnam multùm sine causa anticipat, venialiter tantùm peccat; sed olim talis anticipatio grauiùs prohibita erat. n. 11.

Quoties aliquis in die ieiunij carnes comedit, toties mortaliter peccat. n. 12.

Qui ieiunium altera plena refectione violauit, eo die solutus est, vt etiam tertiam refectionem accipere possit, absque noua Ecclesiasticæ legis transgressione. n. 13.

Qui manè iuntaculum sum sit, iusta, vel iniusta de causa, debet eo die, quatenus potest, ieiunare. n. 14.

Ieiunium Quadragesimæ ab Apostolis institutum, semper in Ecclesijs, quamuis variè, obseruatum fuit. cap. 2. num. 1.

Sabbatho ieiunare plerisque occidentalibus Ecclesijs etiam olim vsitatum erat. Sed Orientales Sabbathum vt festum colebant, ideoque non iuiunabant. n. 2.

Credibile est, olim in omnibus Ecclesijs bis in hebdomade ieiunatum fuisse; in Oriente Feria quarta, & sexta; in Occidente Feria sexta, & Sabbatho. n. 3.

Ieiunia Quatuor temporum antiquissimam institutionem habent. n. 4.

A Paschate vsque ad Pentecosten ieiunia secundùm antiquissimam traditionem cessant; attamen prohibitum non est ijs etiam diebus ieiunare. n. 5.

Quædam peruilegiæ festiuitatum cum ieiunio celebrantur. n. 6.

Statio, ieiunium, vigilia interdum promiscuè à Scriptoribus vsurpantur; licet re ipsa differant. n. 7.

Olim etiam Aduentus Domini cum ieiunio celebrari solebat. eod. n. 7. §. Præterea.

Abstinentia à carnibus in diebus Rogationum in consilio est, non in præcepto. n. 8.

Dominico die ieiunare hodie prohibitum non est. num. 9.

In die Natalis Domini incidente in Feriam sextam non est prohibitum fidelibus à carnibus abstinere, ob deuotionem: quin imò Regularibus illis, qui ad perpetuam carnium abstinentiam obligantur, eo etiam die necessario abstinendum est. ibid. §. Veruntamen.

Pueri & puellæ ante completum ætatis annum XXI. ieiunij lege non obligantur. c. 3. n. 1.

Probabilius est, senectutis certum tempus constitutum non esse, sed prudentis arbitrio definiendum, quando corporis vires ob ætatem deficiant, vt ieiunij lege homo liberari censeatur. n. 2.

Illud omnino improbabile est, quod aliqui omnes fœminas quinquagenarias ieiunij lege liberant. ibid. §. Illud.

Sed & id improbabile videtur, quod aliqui docent, eum, qui vouit se ieiunaturum certis diebus hebdomadæ, vel anni per vitæ suæ decursum, liberari hoc ipso, quòd ad annum sexagesimum ætatis peruenerit. ibid. §. Sed &.

Licet adolescentes ex lege Ecclesiastica ante completum tertium septennium ad ieiunia non obligentur, tamen proprio voto astringi solent, v. g. in Ordine S. Francisci ad obseruanda certarum dierum ieiunia. ibid.

Ægroti, conualescentes, pauperes, laborantes &c. à ieiunij lege excusantur. n. 3.

Ad hanc causam excusationis non interest, vtrum labor directè sit corporis, an animi, si cum ieiunio facilè non consistat. Quare etiam Concionatores, & Professores interdum à ieiunio excusantur. ibid. Causa 4.

Tonsores, sartores, pictores ex hoc capite non excusantur, sed sæpe ex alijs causis; vt quia vnicam plenam refectionem non habent. ibid.

Lex ieiunij cessat, si consistere non possit cum opere præstantiore, aut maioris momenti. n. 4.

Opus ieiunij præsertim præcepti plerumque melius est, quàm peregrinatio. Si tamen peregrinatio ad locum pium videatur esse valde vtilis ad cultum diuinum, quæ differri facilè non possit, neque cum ea ieiunium tolerari, tum iusta erit excusationis causa. n. 5.

Peregrinatio longinquior pietatis causa institui potest, non obstante, quòd dies ieiunij per accidens incidet, in quo propter corporis defatigationem bis refici debeas. eod. num. 5.

Quamuis illicitum sit, non necessaria corporis exercitia, v. g. pilæ lusum instituere, cum proposito idcirco ieiunium soluendi, postquam tamen corpus defatigasti, ita vt ieiunium perferre nequeas, sufficientem causam excusationis habes. ibid. §. His quædam.

Tametsi nulla iusta excusatio re ipsa subsit, si tamen bona fide & probabili ratione subesse existimes, & idcirco non ieiunes, vel consuetam quantitatem cœnulæ nocturnæ excedas, non es culpæ saltem grauis condemnandus. num. 6.

Qui rationem aliquam afferunt, quæ ipsis iusta apparet, cur in Quadragesima bis tantùm, vel ter per hebdomadem ieiunent, non nimis à Confessario vrgendi sunt, ne forte si ipsis contradicat, nunquam ieiunent. Ibidem.

Lex ieiunij Quadragesimalis ita omnibus seculis, & nationibus apud Christianos frequentata est, vt irrationabilis censeri possit consuetudo eius abrogatoria in totum, vel in partem. n. 7.

Faciliùs accidit excusatio ab ea præcepti paret, quæ alteram refectionem in die ieiunij prohibet, quàm ab ea quæ carnium esum vetat. n. 8.

Episcopi ob publicam causam ieiunium in aliam diem transferre non prohibentur. n. 9.

Ignorantia, Error.

Ignorantia variè diuiditur: I. Quòd alia est priuationis; alia prauæ dispositionis, siue error positiuus. II. Quòd alia est ignorantia iuris, & alia ignorantia facti. III. Alia ignorantia est causa operis, quia si ea abesset, opus non fieret; alia non est causa operis, sed concumitans IIII. Ignorantia alia est antecedens, quæ & inuincibili. ac inuoluntaria dicitur, quia omnem liberæ voluntatis actum præuenit; vel est consequens, vincibilis voluntaria. lib. 1. t. 2. c. 4. n. 1. & seqq.

Ignorantia vincibilis alia est affectata, cùm quis data opera ignorare vult, & non inquirere veritatem, alia verò est indirectè volita, & hæc vel est crassa siue supina, vel est leuis. num. 5.

Ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti omnino à culpa excusat. Quò etiam pertinet inconsideratio seu obliuio: nisi enim operans aduertat ad rationem honestatis, vel inhonestatis, moraliter non peccat. n. 6.

Si operans indistinctè iudicauit esse peccatum, quod re ipsa nullum, aut veniale tantùm est, non est præsumendus mortaliter peccasse; nisi venerit illi in mentem dubitare, vel suspicari de malitia mortali n. 7.

Etiam concomitans ignorantia, si inuincibilis sit, à culpa excusat. Neque enim obstat, quòd homo ita habitu affectus sit, vt, si animum auerteret, operis malitiam approbaret: quia Deus non imputat homini peccata, quæ faceret, si hoc, vel illud in mentem ei veniret: sed diuinæ gratiæ adscribendum est, quòd animo non incidat. num. 8.

Ignorantia vincibilis non excusat opus à culpa, facit tamen esse leuiorem, quàm si scienter patratum fuisset. num. 9.

Ignorantia vincibilis earum rerum, quarum cognitio per se in præcepto, est speciale peccatum, v. g. negligentia in rebus Fidei discendis. Non autem speciale pecca-

tum est, si cognitio rerum per accidens tantùm requiratur in ordine ad opus, quod præcipitur, aut prohibetur. num. 10.

Probabilis seu iusta ignorantia legis excusat non solùm à culpa, sed etiam à pœna. lib. 1. tr. 4. c. 20. n. 1.

Ignorantia crassa seu supina cùm à peccato mortali non excuset, non liberat à pœna legis, etiam graui. Si tamen pœna decreta sit scienter, aut temere peccantibus, non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia, nisi affectata sit. n. 2.

Ignorantia vincibilis non crassa excusat à pœna ordinaria graui. Quare Iudex in tali casu aut veniam delicti dare, aut aliam pœnam mitiorem imponere debet. n. 3.

Qui præuaricatur legem, quam latam esse non ignorat, licet ignoret annexam pœnam, nihilominus efficitur reus pœnæ. n. 6.

Id verò speciale est, vt tametsi aliquis sciat opus prohibitum esse, etiam Ecclesiastica lege, si tamen ignoret ignorantiâ non crassâ censuram prohibitioni annexam esse, eam haud incurrat. Quod tamen in irregularitate locum non habet; cùm ad eam non requiratur contumacia, sicuti ad censuram. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 5. n. 8.

Vt aliquis propter ignorantiam crassam censeatur incurrisse censuram, necesse est, vt de ea cogitationem, vel suspicionem habuerit, & nihilominus sine adhibita veritatis indagatione opus prohibitum exequatur, non sine contumacia virtuali. eod. n. 8. §. Porrò.

Si censura lata sit contra eos qui scienter, temerariè, cum præsumptione peccauerint, contrahitur etiam ab ijs, qui cum ignorantia affectata delinquunt; non item, si ignorantia affectata non sit, quamuis crassa siue supina, ibid. §. Multò.

Ignorantia facti excusat, non iuris: quia ius finitum est, quod comprehendi potest; facta autem varia & infinita, quæ etiam prudentissimos fallunt. lib. 1. tr. 4. cap. 20. num. 7.

Potest tamen dari etiam inuincibilis ignorantia iuris communis: sed ea in dubio non præsumitur; nisi in quibusdam personis, puta milite, minore XXV. annis. ibid.

Ignorantia iuris excusat in damnis, & suum petenti nihil nocet; non autem excusat in commodis, & acquirere volentem nihil adiuuat. Facti autem ignorantia, nisi crassa sit, tam in commodis, quàm damnis excusat. ibid. §. Debet.

Error circa rei substantiam, siue obiectum substantiale, omnem contractum naturali iure irritum reddit: vt si emas vitrum pro gemma; aut dones Petro, quem putas esse Ioannem. Sin autem emas à Petro, quem Ioannem esse putas, plerumque pertinet ad accidentalem circumstantiam, quæ contractum non vitiat. lib. 3. t. 4. c. 5. n. 1.

Error circa obiecti qualitatem, licet dolo alterius contrahentis ingeneratus, si tamen concomitans tantùm sit, non reddit contractum irritum, aut irritandum: vt si emas vinum Austriacum, ratus esse Rhenanum, quod tamen emisses, etsi non ignorasses: interim verò actio competit, vt soluatur tibi, quanti interest dolum adhibitum non fuisse. num. 2.

Error circa obiecti qualitatem non proueniens ex dolo contrahentis, etsi sit causa operis, non tamen infirmat contractum. Præterquam si intentio conditionalis sit non aliter promittere, aut contrahere, nisi existente tali circumstantia, quam falsò inesse existimas: v. g. si vouisti peregrinationem ad limina Apostolorum, ratus esse iter bidui, cùm sit decem dierum. n. 3.

Si error versetur circa circumstantiam valde immutantem obiecti, & nimis excedentem promittentis existimationem, censeri potest promissio non simpliciter facta, sed sub virtuali conditione existimatæ circumstantiæ. ibid.

Idem quoque dicendum, si error versetur circa qualitatem, aut circumstantiam; quæ sit principale motiuum, & causa finalis promittendi, aut contrahendi: v. g. dono tibi, quia consanguineus meus es: quare hoc casu donatio non subsistit, si consanguineus non sit. ibid. §. 2.

Si causa donandi falsò existimata, sit tantùm impulsiua, ac secundaria, nihilominus subsistit donatio; nec reuocari potest, causâ non secutâ: v. g. si puellæ dones non sub conditione nuptiarum, sed absolutè, quamuis cùm proposito consiliandi eius animum, quia putas in matrimonium consensuram. n. 4.

Si eleemosyna data sit homini hæretico, simulanti se Catholicum, subsistit donatio; quia principaliter facta censetur intuitu paupertatis, ex motiuo misericordiæ. Sed etsi paupertas quoque simulata fuerit, fieri tamen potest, vt valeat donatio, tanquam data ob honorem Dei &c. ibid. §. Hinc resoluitur.

Etsi error, vel dolus dans causam contractui proueniat ab altero contrahente, non sine iniuria, valet tamen contractus mero iure: quamuis rescindi possit, ac debeat, si deceptus velit, & contractus solubilis sit. n. 6.

Tametsi verò qui dolo circumuentus fuit nihil excipiat, quia nescit se deceptum esse, nihilominus deceptor in conscientia obligatus est ad damnum resarciendum: nisi præsumere possit, talem restitutionem remitti. Qualis præsumptio fieri interdum potest ab eo, qui eleemosynam per simulationem acquisiuit; item à famulis, qui per ementita seruitia à Magistratibus dona acquirunt, præsertim si hi munifici ac liberales sint. eod. num. 6. §. Ad alterum.

Immunitas Ecclesiastica.

Est ius, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communibus oneribus liberæ sunt. Quare triplex immunitas est, localis, realis, & personalis. lib. 4. tr. 9. c. 1.

Particularis Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ personæ nomine immunitatis Ecclesiasticæ non comprehenduntur; sed solùm exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum, vel omnibus locis, aut rebus Deo dicatis communes sunt. eod. c. 1. ver. Data opera.

Causæ omnes spirituales secundùm propriam institutionem à secularium Iudicum potestate liberæ sunt. cap. 2. num. 1.

Causæ spirituales censentur, quæ ad Dei cultum, vel spiritualem animæ salutem directè spectant. n. 2.

In causis merè ciuilibus Iudex Ecclesiasticus ordinariè se non immisceat: quia potestas, & iurisdictio Ecclesiastica discreta est à iurisdictione ciuili. n. 3.

Crimina alia sunt merè Ecclesiastica, alia merè ciuilia & alia mixta. n. 4.

Crimina mixti fori censentur sponsaliorum violatio adulterium, vsura, blasphemia, periurium, sortilegium sacrilegium, in quibus vnus Iudex non præiudicat alteri quominus & ipse in suo foro cognoscere, ac punire possit. num. 5. & 6.

Crimen interdum mixti fori censetur secundum ordinem ad diuersos effectus. E. G. Si quis seipsum interfecisse dicatur, causa hæc à Iudice seculari cognoscitur in ordine ad confiscationem bonorum, secundum consuetudinem regionis; ab Ecclasiastico verò in ordine ad negandam sacram sepulturam. n. 7.

Æquitas & mutua concordia postulat, vt Iudex secularis & Ecclesiasticus se inuicem adiuuent. ibid.

Si circa crimen mixti fori quæstio iuris incidat v. g. an contractus sit vsurarius; vtrum magia naturalis, an superstitiosa; vtrum sponsalia, vel matrimonium valeat; solius Ecclesiastici Iudicis est eam definire. n. 8.

Si quæstio spiritualis incidat coram Iudice seculari, supersedere is debet causa principali, donec incidens coram Iudice Ecclesiastico terminetur. n. 9.

Si quæstio facti incidat super vsura; periurio &c. Iudex secularis in foro suo inter laicos cognoscere potest. num. 10.

Si lis sit de rebus Ecclesiasticis, puta beneficio, iure de-

cimarum, iure patronatus, Iudex secularis, ne in possessorio quidem iudicio, competens esse potest. n. 11.

Causa proprietatis, & causa possessionis, quoad iudicialem cognitionem, connexæ sunt, & diuidi non debent. num. 12.

Si quæstio non sit de possessione iuridica, sed sola facto laici turbantis, vel pellentis Clericum è possessione beneficij, aut iuris decimarum, Iudex secularis cognoscere non prohibetur contra laicum. n. 13.

Si laico ab Ecclesia decimæ in feudum concessæ sint, non ideo consequens est, concessum etiam esse ius iudicandi de talibus decimis. n. 14.

Ortâ controuersiâ inter Clericum & laicum de decimis, síntne clericales, an laicales, ad Ecclesiasticum Iudicem pertinet cognoscere, ac iudicare. n. 5.

Mota quæstione de iurisdictione inter Iudicem Ecclesiasticum, & secularem, decet magis ad Ecclesiasticum cognitionem pertinere. eod. tr. 9. c. 7. n. 6.

Quæ Iustinianus Imperator de Ecclesiasticis causis, ac personis decreuit, nullam vim obtinent. eod. tr. 9. cap. 4. num. 2.

Clerici in omnibus causis criminalibus plenissimum priuilegium exemptionis à foro secularium obtinent. eod. c. 4. n. 1.

Necessitas publici, vel priuati incommodi auertendi non tribuit seculari Magistratui iurisdictionem in Clericos; sed ius duntaxat defensionis naturalis. n. 3.

Ob defectum iustitiæ, seu negligentiam Ordinariorum Clerici ad seculare tribunal trahi non possunt. Quia major minoris, & non minor maioris Iudicis negligentiam, ac defectum supplere debet. n. 4.

Laici Clericis gradu inferiores, eisdémque sæpe infesti sunt. eod. tr. 9. c. 8. n. 3.

Ecclesiastici Iudices contra subditos suos tunc seculare brachium inuocare possunt, si ordinarium iuris remedium ipsis deficiat. c. 4. n. 5.

Clericus in flagranti crimine deprehensus, aut suspectus de proposito patrandi, à seculari potestate capi potest, vt Iudici Ecclesiastico tradatur. n. 6.

Iudex secularis Clericos arma contra publicam prohibitionem in plateis gestantes non ita priuare potest, vt eorum restitutionem deneget: nisi Prælatorum Ecclesiasticorum consensus accedat. n. 7.

Clericus debitor, si fugam meditetur, interim à Iudice seculari, aut creditore capi potest, vt Iudici suo sistatur, & ad solutionem, eiúsve cautionem compellatur. n. 8.

Clericus à Iudice seculari ad testificandum cogi non potest. Quibusdam tamen locis consuetudo est, vt Clerici seculares à Iudice, vel à partibus rogati, ad testificandum, præsertim in causis ciuilibus, vltrò accedant, non petitâ licentiâ Episcopi. n. 9.

Iudices seculares contra concubinas Clericorum procedere solent: sed id agere debent non vsurpata iurisdictione in personas Clericorum. n. 11. aduert. 1. & 2.

Qui post crimen commissum Clericus, vel Religiosus factus est, à seculari Magistratu iudicari non potest, nisi causa præuenta fuerit. n. 12.

Clericus ad statum laicalem transiens, iudicari potest à Iudice Ecclesiastico propter crimina in clericatu commissa. num. 14.

Religionis Nouitius ob crimen in Monasterio commissum, à seculari Iudice, neque postquam ad seculum redijt, iudicari, ac puniri potest. c. 7. n. 5.

Clerici in causis etiam ciuilibus à seculari Magistratu exempti sunt. c. 5. n. 1.

Si bona per accidens subijciantur Magistratui, propter subiectionem personæ, tunc liberatâ, aut exemptâ personâ, consequenter etiam bona eximuntur iurisdictione. eod. c. 5. n. 1. & c. 4. n. 13.

Si bona, quæ à Clericis possidentur, comparatione laicæ potestatis obligationem habent per se, sibique propriam, v. g. ratione feudi, aut emphyteuseos, tum eo respectu iurisdictioni laicorum subsunt. c. 5. n. 2. & 3.

Bona immobilia Ecclesiæ à laicis donari possunt cum reseruatione iurisdictionis comparatione eorundem bonorum. num. 4.

Actor Clericus forum Rei laici sequi debet. num. 5.

Priuilegium fori trahit secum exemptionem à tributis. cap. 7. n. 3.

Bona Ecclesiarum cùm ad speciale dominium Dei pertinere censeantur, à secularium Magistratuum exactione libera esse debent. c. 6. n. 1.

Simili libertate gaudere debent vasa, & ornamenta sacra, etiamsi in priuato oratorio sub particulari alicuius dominio existant. ibid.

Non est æquum, vt bona Ecclesiæ à duplici Magistratu, Ecclesiastico & seculari, exactionibus grauari possint. num. 2.

Inter onera merè realia, quæ etiam ad Ecclesiam, & quemcunque possessorem transeunt, numerari non debent indictiones seu tributa ordinaria Principum; cùm ea imponantur ratione subiectionis personarum. num. 3. & 4.

Clerici ab angarijs, & similibus muneribus, quæ subditis à seculari Magistratu indicuntur, liberi esse debent num. 6.

Ad necessitatem aliquam tollendam, quæ ad ipsos etiam Clericos directè pertinet, non minùs, quàm laici concurrere, & contribuere debent. n. 7.

In magna necessitate, si ciuitas aliter defendi non possit, etiam Clerici ad vigilias obligantur, naturali iure. ibid. §. Verùm.

Si alicubi aquarum inundatio, aut vermium morsus deuastet prædia, etiam Ecclesiæ & Ecclesiastici possessores, vnà cum laicis, contribuere debent. Idémque dicendum, si vicini omnes contribuant ad sternendam lapidibus viam, atque etiam Ecclesiastici domos ibi habeant. ibid. §. Vide.

Bona Clericorum, non tantùm quæ ex clericali titulo acquisita, à secularium Principum exactione libera sunt, sed etiam patrimonialia: præterquam si Clerici negotiationem ipsis prohibitam exerceant. n. 8. & 9.

Priuilegia, quæ principaliter data sunt ob fauorem bonorum Ecclesiasticorum, non competunt Clericis respectu bonorum priuatorum: cuiusmodi est priuilegium restitutionis in integrum, item vt non tempore ordinario, sed quadraginta annis vsucapio immobilium perficiatur. At verò priuilegia, quæ data sunt principaliter personis siue statui Ecclesiastico, accessoriè verò rebus, ea locum etiam habent in bonis Clericorum proprijs. num. 10.

Regulares vtriusque sexus, eorúmque Conuersi atque Nouitij Ecclesiastica immunitate gaudent. c. 7. n. 1.

Clerici in minoribus exemptionis priuilegio gaudent, si haberant conditiones requisitas à Trid. sess. 23. c. 6. de reform. n. 2.

Clericus in minoribus fori priuilegium amittit, si tonsuram, & habitum omnino dimiserit. Si tamen postea sine fraude ac dolo resumat, recuperat priuilegium. Sin autem Clericus beneficiatus habitum, & tonsuram non deferat, fori priuilegium non amittit, donec ter ab Episcopo monitus incorrigibilem se præbeat. Imò Clerici in sacris non antè priuilegium amittunt, quàm eo per sententiam priuentur. n. 3. & n. 4. §. Ad extremum.

Clerici coniugati, qui cum vna, eáque virgine contraxerunt, si tonsuram, & vestes clericales deferentes, Ecclesiæ seruiant, canonis priuilegium, & exemptionem fori in causis criminalibus retinent. n. 4.

Etsi Clericus coniugatus negotiationem aliquam, quæ indecens non sit, exerceat, priuilegia fori, & canonis retinere debet. eod. n. 4. §. Adde.

Exemptio Ecclesiasticorum à seculari Magistratuum

quoad personas, tum quoad bona ipsorum, à diuino iure proficiscitur. c. 8. n. 1.

In veteri lege Sacerdotes, & Leuitæ exempti erant à iurisdictione, & tributis aliarum tribuum. n. 2.

Summus Pontifex, & Concilium generale ob iustam causam seculari Magistratui aliquam iurisdictionem, vel exactionem in Clericos committere, aut permittere possunt. n. 4.

Ecclesiastica immunitas duobus modis violari potest; vel solo facto, vel prætenta potestate seu iurisdictione, qui modus violationis longè grauior est. c. 9. n. 1.

Plures sunt speciales modi, quibus Ecclesiastica immunitas violatur. n. 2.

Statuta secularium interdum directè derogant Ecclesiasticæ immunitati, interdum verò indirectè. n. 3.

Ecclesiastica immunitas per solam consuetudinem, quamuis immemorialem tolli, aut minui non potest. cap. 10. num. 1.

Si semper constans fama ac traditio fuit de accepto priuilegio Apostolico ad exercendam iurisdictionem aliquam in Clericos, tunc locus esse potest præscriptioni per tempus immemoriale, si bona fides concurrat. num. 2.

Exemptionem Clericorum conseruare, eámque læsam redintegrare, ad clauem supremæ Ecclesiasticæ iurisdictionis pertinet. n. 3.

Immunitas, siue asylum loci sacri.

Legibus cùm ciuilibus, tum canonicis asylum seu ius immunitatis Reis ad Ecclesiam confugientibus constitutum est. lib. 4. tr. 9. c. 3. n. 1.

Non solùm templa, & sacella, quæ Episcopi auctoritate consecrata, vel benedicta, aut alia ratione, v. g. crucis erectione, deputata sunt ad publicum Sacrificij, & Sacramentorum vsum, sed etiam alia loca religiosa, vt Hospitale Episcopi auctoritate fundatum Monasterium; quin & Episcopi palatium Ecclesiastica immunitate gaudent. num. 2.

Immunitas hæc etiam in cœmiterijs locum habet, item in omnibus Ecclesiæ habitaculis, puta sacristia, porticu, atrio, quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus: quia quæ locis religiosis adhærent, religiosa sunt. eod. num. 2. extens. 3. & 4.

Ecclesiæ immunitate defenditur, qui ad eam clausam confugiens, ansam, vel vectes portarum manu apprehendit: item, si in superiore parte fabricæ, vel in turri, vel etiam supra tectum Ecclesiæ existat. Quare apparet, immunitatem hanc, quippe Ecclesiæ fauorabilem, latiùs extendi, quàm illius violationem. n. 3.

Probabile, ac decens est, vt Reus confugiens ad Sacerdotem sacram Eucharistiam manibus ferentem, ab Ecclesia defendatur. n. 4.

Non tantùm Reus criminis, sed etiam Reus debiti, siue qui ob ciuilia debita, ad Ecclesiam confugit, immunitate gaudere debet, vt extrahi non possit, quod tamen multis locis in debitore ad Ecclesiam confugiente non obseruatur, præsertim si per fraudem absconsis, vel secum delatis bonis, in Ecclesiam se recipiat. n. 5.

Nemo criminosus ad Ecclesiam confugiens extrahi debet, nisi in casibus iure, vel consuetudine legitima exceptis. num. 6.

Si crimen, ídque graue in ipsa Ecclesia committatur, indignus est, qui à loco sacro defendatur, cui irreuerentiam intulit. ibid.

Qui prope Ecclesiam fiduciâ immunitatis consequendæ deliquit, non ideo priuilegio isto spoliandus est. n. 7.

Publicus latro, vel agrorum depopulator, hæreticus, & qui per insidias hominem incidit, immunitate loci sacri non gaudent: secùs dicendum de ijs, qui sine insidijs ex proposito ad hominis cædem aggrediuntur. n. 8.

Non tantùm qui hominem ex insidijs occidit, sed etiam qui occidi mandat, iure immunitatis priuantur: modò cædes reipsa sequatur: nam sola aggressio, aut vulneratio non videtur sufficiens, vt Reus ad Ecclesiam confugiens extrahi possit. n. 9.

Qui per assasinos (infideles ex Syria, arbitrantes fas esse, quoscunque Regis sui inimicos ipso iubente necare) homicidium patrari mandauit, etiam effectu non secuto immunitatis iure olim priuatus esse censebatur. ibid.

Omnes fideles, etiam excommunicati, non item infideles, hac immunitate gaudere possunt. n. 10.

Clerici qui exemptionis priuilegio gaudent, confugientes ad Ecclesiam propter delictum, ab Ecclesiastico suo Iudice extrahi possunt. n. 11.

Si infidelis reus ad Ecclesiam confugiens sacrum Baptisma non simulatè petere videatur, defendendus est. num. 12.

Prohiberi non potest, quominus victus, ac vestitus ad Reum in Ecclesiam deferantur. Potest tamen Iudex custodiam Ecclesiam apponere, ne Reus libere aufugiat. Non potest tamen à Iudice, vel apparitoribus capi, aut extrahi, si vestes solas, pedem, vel manum extra Ecclesiam posuit, capite, & alijs præcipuis membris intra Ecclesiam existentibus. n. 13.

Iudex secularis Reum extra casus iure, vel legitima consuetudine exceptos, è loco sacro extrahens, sacrilegium committit, ipsíque Ecclesiasticus Iudex resistere potest, præsertim censuris. n. 14.

Processus Iudicij contra Reum illegitimè extractum ipso iure irritus est. n. 14.

Inanis gloria.

Est inordinatus appetitus humanæ existimationis ac laudis: ex genere suo peccatum veniale, per accidens sæpe mortale. lib. 3. sect. 3. num. 12.

Indulgentiæ.

Indulgentia est pœnæ temporalis Deo debitæ remissio, extra Sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum. lib. 5. t. 7. c. 1. n. 1.

Iustus in hac vita non solùm pro suis, sed aliam pro aliorum iustorum peccatis, ob charitatis vnionem, per Christi merita satisfacere potest. n. 2.

Satisfactiones Sanctorum abundantes concurrunt ad indulgentiam seu remissionem culpæ temporalis per modum causæ particularis, & proximæ, at verò satisfactiones Christi per modum causæ vniuersalis, & primariæ. num. 3.

Concessio indulgentiarum est actus Ecclesiasticę voluntariæ iurisdictionis: quare ad illam non requiritur certus ordo, sed potestas iurisdictionis. n. 4.

Indulgentiæ non nisi subditis conceduntur: exempti tamen participes se reddere possunt indulgentiarum Episcopalium: Et vnus Episcopus subditis suis facultatem dare potest lucrandi indulgentiam Episcopi alterius. num. 5.

Indulgentia, cùm sit beneficium Principis, nemini præiudicans, latè interpretandum est: modò constet de potestate, & sufficiente causa concedendi. n. 6.

Indulgentia seu remissio pœnę à Sacerdote iniunctę primis Christianorum seculis vsitata fuit. c. 2. n. 1.

Indulgentia seu remissio pœnæ iniunctę non tantùm est in ordine ad Ecclesiam, sed etiam vt Deo satisfactum sit. num. 2.

Indulgentia vel est totalis seu plenaria, vel est partialis cuius species quędam sunt carena, quadragena. cap. 3. num. 1.

Cùm indulgentia vnius anni v. g. aut septennis conceditur, sensus est, remitti tantam pœnam peccatis debitam, quanta deberetur per pœnitentiam vnius anni, vel septem annorum, secundùm canones pro peccatis imponi solitam. ibid.

Diuiditur etiam indulgentia in personalem, & realem in perpetuam, ac temporalem. n. 2. In fine.

Olim indulgentię ferme tantùm concedebantur, de

Pœnitentijs iniunctis, nunc verò etiam de non iniunctis concedi solent. n. 2.

Si indulgentia localis concessa est cum determinatione temporis, v. g. diei, tum qui sæpius in die Ecclesiam visitat, semel tantùm lucratur indulgentiam: secùs, si absque determinatione indulgentia concessa est Ecclesiam visitantibus. n. 3.

Nomine Ecclesiæ, cui indulgentia conceditur lucranda à visitantibus, etiam adiunctum cœmiterium intelligi oportet. n. 4.

Loco diruto sine spe reędificandi, vel in alium locum sub eodem patrono, & cum omnibus priuilegijs transferendi, pereunt concessæ indulgentiæ locales. n. 5.

Summus Pontifex potestate à Christo accepta, alij verò inferiores Episcopi ex concessione Summi Pontificis indulgentias largiuntur. c. 4. n. 1.

Episcopi communi iure vnius anni indulgentiam dare possunt pro die anniuersariæ dedicationis templi, aliàs verò ob iustam causam dierum quadraginta. n. 2.

Si Episcopus vltra limites potestatis suæ indulgentiam concedat, irrita est concessio, quoad excessum. eod. n. 2. notando 3.

Episcopi viuis tantùm, non etiam defunctis indulgentias dare possunt. notando 4.

Cardinales, Legati Apostolici, & alij Prælati qui Episcopi non sunt, tametsi non iure ordinario, tamen ex commissione Pontificis generali, aut speciali, indulgentias interdum dare possunt. n. 3.

Facultas indulgentias dandi etiam per consuetudinem acquiri posse videtur, sicuti etiam iurisdictio in foro pœnitentiæ à peccatis absoluendi cum bona fide vsucapi potest. num. 4.

Per communicationem bonorum operum ac meritorum factam personis, ac si membra essent alicuius Religionis, proximè ac directè non applicantur satisfactiones subditorum; sed fructus iste communicationis præcipuè prouenit per modum impetrationis. n. 5.

Si Religiosus contra præceptum Prælati fructum boni operis alteri applicat, licet malè faciat, tamen eius applicatio valet. num. 6.

Non tantùm vt licitè, sed etiam vt validè indulgentia concedatur, pia & rationabilis causa requiritur. c. 5. num. 1.

Fieri solet, vt alij plus de indigentia v. g. plenaria consequantur, quia plus deuotionis, & conatus adhibent. num. 2.

Tametsi accidat, indulgentiæ concessionem propter defectum causæ irritam esse, aliæ tamen per accidens adiunctæ facultates, absoluendi à casibus reseruatis, & censuris, dispensandi in votis &c. subsistere possunt. num. 3.

Indulgentiæ propriè tantùm dantur Christianis baptizatis: est tamen probabile, prodesse etiam Catechumenis per modum suffragij. c. 6. n. 1.

Cùm homo indulgentiam consecuturus est, in Dei gratia esse debet. n. 2.

Nisi opus præscriptum impleatur, indulgentia obtineri non potest. n. 3.

Ad lucrandam indulgentiam non requiritur actualis intentio; sed sufficit habitualis, seu interpretatiua, si videl. re ipsa præstes, quod requiritur; etsi ignores, vel oblitus sis indulgentiam concessam esse. n. 5.

Vna oratione non potest aliquis plurium numismatum similes indulgentias lucrari. n. 6.

Si indulgentia concessa sit verè pœnitentibus ac confessis, non requiritur ad eam lucrandam sacramentalis Confessio, si quis mortale peccatum non habeat: sin verò habeat, non sufficit ei contritio. n. 7.

Certum est, quòd Sum Pontifex animabus in purgatorio detentis indulgentias impartiri possit. c. 7. n. 1.

Indulgentia concessa viuis non potest defunctis applicari, nisi in concessione id expressum fuerit. n. 2.

Summus Pontifex defunctis indulgentias dat per modum suffragij, non per modum iudiciariæ absolutionis, Quare probabile videtur, non ita certò & infallibiliter indulgentiam prodesse defunctis sicuti viuis. n. 3.

Credibile est, quòd Deus faciliùs acceptet indulgentias oblatas pro ijs defunctis, qui ex hac vita decesserunt, magis digni tali condonatione. n. 4.

Infamia.

Infamia est duplex; Vna iuris, & altera facti. Illa interdum oritur ex delicto proprio, cui iuris constitutione infamiæ pœna constituta est, seu ipso facto incurrenda, seu à Iudice decernenda. Interdum oritur ex delicto parentum; aut ex vili conditione, seu statu personæ. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 1.

Qui ciuili iure infames habentur, etiam canonica tales censentur, nisi infamia ciuili iure introducta per canonicum sublata sit. n. 2.

Infamiam iuris auctoritatiuè abolere, ad Principem spectat, comparatione subditorum suorum. n. 3.

Infamia facti oritur non tantùm ex euidentia criminis infamantis, sed etiam ex vulgata opinione de commisso tali crimine: dummodo rumor seu fama non ex leuiculis hominibus originem traxerit. n. 4.

Infamia tum iuris, tum facti, à dignitatibus & honoribus repellit. Imò infamia facti priuat etiam dignitate acquisita: sed requiritur Iudicis sententia. n. 5.

Electio, vel collatio beneficij facta infami, ipso iure irrita est. Si tamen infamia est tantùm facti, electus, vel prouisus beneficium in foro conscientiæ retinere potest, si per vitę emendationem, infamiam abolere velit. num. 6.

Infidelitas.

Infidelitas alia est materialis, alia formalis: illa peccatum non est, sed magis pœna peccati, si quis vel de vera Fide nihil audiuit, vel etsi audiuit, argumenta veritatis non perspexit. Hæc verò formaliter, & contrariè Fide diuinę opponitur; si quis post perspecta argumenta veritatis, pertinaciter se opponat. lib. 2. t. 1. c. 12. n. 1.

Inter infidelitatem materialem & omnino inculpatam, atque infidelitatem formalem, est infidelitas media, videl. ignorantia, vel error in rebus Fidei culpabilis, sed sine pertinacia: puta si Catholicus ex vincibili ignorantia aliquid doceat, vel sentiat veræ Fidei repugnans; paratus tamen corrigi, si contra Ecclesię definitionem esse sciat. eod. c. 12. n. 3.

Infidelitatis peccatum grauius est ijs peccatis, quæ ad mores pertinent. n. 2.

Infidelitatis tres species sunt, paganismus, Iudaismus, apostasia, ac hæresis. n. 1. §. Altera.

Communicatio familiaris cum infidelibus, præsertim Iudęis, canonico iure prohibita est, excepto necessitatis casu. eod. t. 1. c. 17. n. 1.

Pagani, & Iudęi ad Fidem Christi amplectendam cogi non possunt. Alia verò ratio est de apostatis, & hęreticis, cùm Ecclesia in eos iurisdictionem retineat. n. 2.

Fas non est Gentiles exteros bello prosequi, propter idololatriam, & similia peccata, quę ipsis Christianis, vel alijs innocentibus iniuriosa non sunt. n. 3.

Qui autem Christiano Magistratui subditi sunt infideles, ij cogi possunt ad naturę legem seruandam. ibid.

Ritus Gentilium, sicuti & hęreticorum exercitia in terris Catholicorum toleranda non sunt, nisi id necessarium videatur ad maius malum vitandum, vel maius bonum, videl. ipsorum infidelium certam conuersionem promouendam. num. 14.

Iudęis in Christianorum terris habitatio, & rituum Iudaicorum exercitium permitti potest, non item, vt synagogas nouas ędificent, aut libros edant, quibus Christianam Fidem oppugnent. n. 5.

Iudæorum causę ciuiles decidi debent apud Iudicem

præscribit; consequenter nec vsucapit. ibid. §. Præterea.

Probabile est, si thesaurus reperiatur in loco publico, id est, ad nullius speciale dominium pertinente, totum pertinere ad inuentorem. ibid. §. Alterum.

Res inuentas v. g. loculum plenum pecunijs, quarum dominus post sufficientem inquisitionem ignoratur, inuentor retinere, ad demum absumere potest secundùm probabilem sententiam. n. 24.

Si post alienationem, vel absumptionem rei inuentæ bona fide factam, dominus compareat, nihil ipsi restitui debet, nisi quatenus inuentor locupletior inde factus est. Sed neque pauperes, si in ipsos rei inuentæ distributio facta fuit, aliquid restituere debent, nisi res in specie extet, vel ex ea locupletiores facti sint, dominiúsque repetat. ibid. §. Inter has.

Inuentor rei alienæ nihil à domino, cui restituere cogitur, ratione inuentionis exigere potest, sed solam compensationem laboris, & expensarum, quas fecit, rem ad dominum deferendo. lib. 3. tr. 4. c. 28. n. 2.

Inuentor rei alienæ, si nesciens ad quem pertineat, eam per negligentiam, etiam crassam, tamen sine dolo, amittat, ad nullam restitutionem domino postea repetenti obligatus esse videtur. lib. 3. tr. 2. c. 4. n. 3.

Inuidia.

Est tristitia de bono alieno, quatenus inuidentis malum existimatur, videlicet excellentiam ipsius diminuens. lib. 2. tr. 3. c. 10. n. 1.

Opponitur Charitati, cuius actus est gaudere de bono proximi: quare ex genere suo peccatum mortale est. ibidem.

Affectiones quædam similes inuidiæ, tamen interdum bonæ sunt, vt scelus, indignatio &c. n. 2.

De prosperitate proximi tristari licet, non quatenus ipsi commoda est, sed quatenus nobis noxia. Item de infortunio hominis, v. g. parentis morte gaudere aliqua ratione malum non est, videl. quatenus filio hæreditatem adfert. num. 3.

Multò magis gaudere licet de morte patris, quatenus ex Dei voluntate euenit. Nam omnis voluntas nostra bona est, quæ versatur circa obiectum diuinæ voluntatis, sub eadem ratione, qua id Deus vult, & non vult. n. 4.

Irregularitas.

Irregularitas non est censura, sed canonicum impedimentum, quominus aliquis ordines suscipere, aut susceptis vti possit. Ex quo apparet, non tantùm in Clericos, sed etiam in laicos cadere irregularitatem. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 1. n. 1.

Quæcunque sacra munera laico competere possunt, v. g. in Ecclesia canere, sacrificanti ministrare, ea etiam Clericus irregularis obire potest. n. 2.

Irregularis omnes actus iurisdictionis validè exercere potest, quamuis illos non licitè, qui actum ordinis requirunt, vti est absolutio à peccatis. ibid. coroll. 2.

Probabile est, quòd collatio beneficij facta irregulari non sit ipso iure irrita, sed infirmanda. n. 3.

Irregularitas diuiditur in eam, quæ ob culpam, puta propriam ac mortalem contrahitur, & in eam, quæ ob alium defectum. n. 4.

Irregularitas solo iure Ecclesiastico, eóque non particulari, sed vniuersali decerni potest. n. 5.

Irregularitas non agnoscitur, nisi de ea ius expressum, vel generalis Ecclesiarum consuetudo habeatur. n. 6.

Irregularitas alia est totalis, & propriè dicta, quæ omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio priuat: alia verò est partialis, quæ aliquo tantùm ordine, vel solo ascensu ad superiorem ordinem priuat. n. 7.

Irregularitas ob nullum crimen occultum incurritur, excepto homicidio, & violatione censuræ. c. 4. n. 9.

Irregularitates, & censuræ, licet iure satis expressæ non sint, possunt tamen per generalem Ecclesiæ consuetudinem consensu Doctorum introductam, vim obtinere. eod. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. n. 5. In fine.

Canones non infligunt notam irregularitatis propter officium debitum ex lege Charitatis, alteriúsve virtutis. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 7. n. 6.

Irregularitas hominem non ligat cum graui periculo vitæ, aut famæ. ead. p. 3. c. 12. n. 6.

Irregularitas ex abusu Baptismi.

Qui alterum absolutè rebaptizat, & qui baptizanti ministrat, irregularis efficitur, si culpa notoria sit, & crassa ignorantia à mortali non excuset. l. 1. t. 5. p. 5. c. 2. n. 1.

Est tamen hæc irregularitas tantùm partialis, vt impediat, quominus Clericus ad altiorem ordinem ascendere possit. ibid.

Qui se absolutè rebaptizari sinit, simpliciter irregularis efficitur, modò in ea re mortaliter peccârit. n. 2.

Qui ab hæretico se baptizari sinit, irregularis fit; nisi ignorantia, vel necessitas excuset. n. 3.

Qui in ægritudine ob mortis periculum baptizatus est, ordinari non debet. n. 4.

Neophytos, seu recens ad Fidem conuersos citò ordinare non oportet. n. 5.

Propter iteratam susceptionem sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, non incurritur irregularitas; cùm ea iure expressa non sit. n. 6.

Irregularitas ex Ordinis abusu.

Qui furtiuè ordinatus est, videl. ignorante Episcopo per dolum se ingerens, irregularis efficitur. c. 3. n. 1.

Clericus solemniter ministrans in ordine, quem non habet, irregularitatem contrahit; si ignorantia eum à mortali non excuset. n. 2.

Quibusdam Ecclesijs præsertim Regularium consuetum est, vt Clerici in Minoribus superpelliceo, vel Dalmatica induti cantent Epistolam, Euangelium, aut Passionem Domini. Sed calicem sacrum ad altare porrigere non debent. eod. n. 2. §. Quæres.

Si laicus solemniter exerceat actum ordinis clericalis proprium, v. g. baptizet, tametsi grauiter delinquat, tamen irregularitem incurrere non videtur. n. 3.

Multò minus irregularitatem contrahet laicus, vel Clericus, si tanquam Diaconus sit, cum manipulo, & stola prædicare in Ecclesia malè præsumat; cùm non exerceat actum ordinis. ibid. §. Multò.

Clerici, etiam non Diaconi, si in Theologia eruditi sint, ad prædicandum in Ecclesia à Parochis constitui possunt; nisi diœcesis consuetudo aliud postulet. Sed Trident. Concilium ait, tales priùs ab Episcopo examinari, & approbari debere, quàm ad munus prædicandi exponantur. ibid.

Clericus suspensus ab ordine, si ad superiorem ordinem ascendat, non videtur irregularitatem incurrere. n. 5.

Irregularitas ex infamia.

Infamia tam iuris, quàm facti, irregularitatem homini inducit. c. 4. n. 8.

Infamia iuris non tollitur per pœnitentiam; sed infamia facti, ita, vt Sacerdos publicus concubinarius post vitæ emendationem publicè notam celebrare non prohibeatur n. 10. & 11.

Hæresis & apostasia, si notoria sit, facit irregularem, vt talis etiam emendatus, & absolutus ordinari non debeat. Quibusdam tamen regionibus, quibus hæretici infames non censentur, si ad Fidem Catholicam reuersi sint, ab Episcopis ordinantur. n. 12.

Irregularitas ex defectu natalium.

Illegitimè nati omnes irregulares sunt, tametsi defectus occultus sit. c. 5. n. 1.

Probabile est, quòd Episcopus dispensare possit cum illegitimo occulto: Sed oppositum iuri conformius est. num. 2.

Natus ex coniugato post legitimam eius in sacris ordinationem, vel in Religione professionem; licet pro legitimo habendus sit, tamen sine dispensatione ordinari

non debet. num. 3.

Cum expositis, quorum parentes ignorantur, Episcopus dispensare potest, vt in sacris ordinentur. n. 4.

Irregularitas ex bigamia.

Est ob defectum Sacramenti; quia matrimonium cum altera vxore non perfectam significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quippe qui vnicam sibi copulauit. cap. 6. n. 1.

Bigamia vera, & propriè dicta est, si quis cum duabus legitimis vxoribus matrimonium consummauit. n. 2.

Qui viduam, vel ab altero corruptam in matrimonium accepit, post consummationem interpretatiuè bigamus est. n. 3.

Qui mulierem duxit, à seipso, & non ab alio ante matrimonium cognitam, bigamiæ irregularitatem timere non debet. ibid. §. Tertiò.

Qui ad propriam vxorem accessit, postquam ab altero cognita est, bigamus censetur: quamobrem ordinari non potest. num. 4.

Clericus in sacris, qui antè fuerat coniugatus, si in clericatu vxorem inualidè ducat, & cognoscat, efficitur irregularis, tanquam sit bigamus. n. 5.

Si laicus post primum matrimonium aliam mulierem, seu viuente priore, seu mortua seriò ducat, irregularitatem incurrere videtur, post consummationem eod. num. 5. In fine.

Si Religiosus professus, vel Clericus in sacris vxorem ducat, irregularitatem contrahit post consummationem, quamuis dispensabilem ab Episcopo. n. 6.

Episcopus cum bigamo vero, aut interpretatiuo dispensare non potest ad ordines seu maiores, seu minores accipiendos. n. 7.

Bigamia per Baptismum non tollitur: quia Baptismus culpas tollit morales, non legales defectus. Quare nec infamia ciuilis Baptismo aboletur: sed infamia facti etiam ea, quæ ex iniusto homicidio contracta auferri videtur. n. 8. & 9.

Irregularitas ex homicidio & mutilatione.

Ad hanc irregularitatem culpa non requiritur: sed sufficit occidendi, vel mutilandi voluntas actualis, aut virtualis; modò effectus sequatur, & necessitas non compulerit. l. 3. t. 3. p. 3. c. 7. n. 1.

Iudex, accessor, accusator, denuntiator, testis, tabellio, qui torquendo exprimit confessionem Rei: qui dictat, scribit, signat, publicat literas condemnationis ad mortem; item sententiæ executor, & cooperatores eius, irregularitatem contrahunt, ob perfectæ lenitatis defectum. ibidem.

Irregularis etiam efficitur, qui criminosum Iudici tradit, si postea iusto supplicio afficiatur. ibid.

Ad irregularitatem ex hoc capite incurrendam requiritur, vt cooperatio ad mortem, vel mutilationem notabilis sit, & non admodum remota. n. 2.

Si Episcopi, & similes Prælati temporalem etiam iurisdictionem obtineant, tum leges aduersus malefactores condere, Iudices creare, iisque causas criminales committere non prohibentur. n. 4.

Si Clericus iurisperitus etiam in particulari de aliquo Reo interrogatus, an liceat, vel deceat eum accusare, aut condemnare, ius generatim explicet, irregularitatem non incurrit, secuta condemnatione. Quin imò Confessarius Iudici absolutionem negare poterit, nisi officio satisfacere, & Reum noxium Reipubl. morti adiudicare velit. eod. n. 4. §. Insuper.

Qui in persona, vel rebus suis, aut suorum iniuriam passus est, absque irregularitatis periculo malefactorem Magistratui denuntiare, & ciuiliter contra ipsum agere potest, cum expressa protestatione, quod sanguinis vindictam non intendat. n. 5.

Qui in bello offensiuo propria manu occidit, vel mutilat, irregularis efficitur. c. 8. n. 1.

Qui bello iusto intersunt, opémque adferunt, si neminem propria manu mutilent, vel occidant, irregularitatem non contrahunt. Secùs est in bello iniusto, in quo ob vnius hominis occasionem, vel mutilationem, omnes, qui auxilium attulerunt, irregulares efficiuntur. n. 2.

Qui ob necessariam corporis sui defensionem occidit, vel mutilat hominem, irregularis non fit. c. 9. n. 1.

Si Clericus, vel laicus ob necessariam Reipubl. vel hominis innocentis defensionem ex obligatione charitatis pugnet, atque aliquem occidat, irregularitatem non contrahit. n. 2.

Qui iniquum aggressorem ob famæ, aut bonorum defensionem mutilat, vel occidit, irregularis efficitur, propter mansuetudinis defectum. n. 3.

Ob homicidium merè fortuitum non incurritur irregularitas, siue aliquis operam dederit rei licitæ, siue illicitæ. cap. 10. num. 1.

Adulter irregularis efficitur, si occasione adulterij homicidium secutum fuerit, modò ille tale periculum præuiderit. num. 2.

Clericus in sacris irregularis efficitur, si exercendo artem chirurgicam per incisionem, vel adustionem, quamuis omni adhibita diligentia, hominem occidat, vel mutilet. num. 3.

Ad contrahendam irregularitatem ex homicidio indirectè voluntario, requiritur culpa mortalis, si quis operam dederat rei licitæ; sin verò rei illicitæ, sufficere videtur culpa venialis. num. 4.

Si vulneratus vulnere non lethali, tamen mortuus est ob Chirurgi penuriam, aut imperitiam, iniquè vulnerans irregularis efficitur. num. 5.

Homicidium, & mutilatio seu membri abscissio in iure æquiparantur. c. 11. n. 1.

Qui alteri aurem, nasum, aut digitum vnum ex maiorem imputauit, irregularitatem incurrere videtur: licet aliqui contrarium non sine probabilitate doceant. n. 2.

Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, operam dare debet, vt quàm fieri potest, citissimè à Papa dispensationem impetret: Interim verò post peractam pœnitentiam celebrare poterit, quoties absoluta necessitas postulat ad vitandam infamiam, aliúdue graue periculum. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. n. 6.

Irregularitas ex corporis vitio.

Omnis defectus corporis, qui vel congruum exercitium impedit, vel notabilem deformitatem adfert, irregularitatem inducit. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 7. n. 1.

Irregularis est, cui aures, vel nares abscissæ sunt; nisi aurium deformitas capillatura tegi possit. ibid.

Irregularis est nanus, qui ita statura paruus est, vt brachia attollere non possit, quatenus necesse est ad alteris ministerium. ibid.

Hermaphroditus irregularis est, cùm sit monstrum: quòd si ad fœmineum sexum magis accedat, Characteris etiam incapax est. ibid.

Vnius oculi, etiam sinistri priuatio, sine notabili deformitate irregularem non efficit. n. 2.

Cum lunaticis, arreptitijs &c. si plenè conualuisse videantur, Episcopus dispensare potest, vt in suscepto ordine ministrare, aut celebrare ipsis liceat: imò etiam, vt ad altiorem ordinem ascendant. n. 3.

Sacerdos, qui in lepram incidit, si priuatim sine scandalo celebrare possit, prohiberi non debet: Sicuti & Epylepticus, si rarò cadat, & spumas non euomat, priuatim celebrare potest, adiuncto ei socio Sacerdote. eod. n. 3.

Claudus irregularis non est, nisi magna gressus deformitas sit. n. 4.

Qui sibiipsi membrum, vel partem membri per iniquitatem amputat, vel amputari iubet, irregularis efficitur. num. 5.

In dubio, an defectus corporis notabilis sit, & irregularitatem inducens, ad Ordinarium pertinet iudicare. n. 6.

Irregularitas ex obligatione seruili.

Seruus seu mancipium sine domini consensu ordinari non potest, alioquin à domino vindicari, ac repeti poterit, ead. p. 5. c. 8. n. 1.

Neque coloni originarij, qui non tantùm ratione personarum, sed etiam personaliter obligati sunt, ordinari debent, priusquam à suo domino liberi existant. num. 2.

Sed & quicunque secularis muneris obligatione astricti sunt, priùs se expedire debent, redditis etiam rationibus, quàm in Clerum assumantur. n. 3.

Iubileum.

Annus Iubilei nunc XXV. quoque anno institui solet, in quo omnes aliæ plenariæ indulgentiæ extra Vrbem suspensæ sunt. l. 5. t. 7. c. 8. n. 1.

Finito anno Iubilei indulgentiæ plenariæ eius Vrbem vim suam recuperant. n. 2.

Suspensio plenariarum indulgentiarum intelligitur quoad omnes viuos, etiam in mortis articulo constitutos: sed non quoad defunctos, quominus eis prosint indulgentiæ plenariæ per modum suffragij concessæ num. 3.

In anno Iubilei suspensæ etiam sunt aliæ facultates v. g. absoluendi; sed eæ tantùm, quæ à Sede Apostolica datæ sunt in ordine ad plenarias indulgentias consequendas. n. 4.

Aliquæ plenissimæ indulgentiæ instar Iubilei cum gratijs, & facultatibus annexis, à Sede Apostolica vniuerso Christiano orbi interdum concedi solent. n. 5.

Indulgentiam instar Iubilei lucrari potest, qui in Sabbatho vel Feria sexta antecedente primam Dominicam de peccatis confitetur. n. 6.

Ad lucrandam indulgentiam Iubilei nihil referre videtur, vtrum quis sacram Confessionem anteponat, vel postponat alijs in Bullâ præscriptis operibus. n 7.

Indulgentiam Iubilei tantùm semel aliquis intra quindecim dies consequi potest, cùm sit indulgentia non perpetua, sed ad tempus determinata. n. 8.

Si quis bona fide à peccatis reseruatis absolutus fuerit, animo lucrandi indulgentiam Iubilei, rata est absolutio, etsi ille postea animum mutet. n. 9.

Qui vna hebdomade præstat opera, sed sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ altera hebdomade perficit, videtur lucrari indulgentiam, si id faciat ob iustam causam, aut necessitatem. n. 10.

Credibile est, quòd ciuis peregrinaturus opera iniuncta etiam in alia diœcesi perficere possit, ad indulgentiam Iubilei lucrandam. n. 11.

Senes, & adolescentes alioquin excusati à ieiunij lege, tamen ieiunare debent, si indulgentiam Iubilei lucraturi sint. n. 12.

Indulgentia Iubilei ita hodie concedi solet, vt per opera v. g. ieiunia alioquin sub pręceptum cadentia satisfieri possit. n. 13.

Iudicium temerarium, suspicio, Dubitatio.

Dubitatio, suspicio itémque iudicium aliud est prudens, quod sufficientibus indicijs nititur, aliud verò imprudens seu temerarium, quod sufficientibus indicijs nixum non est. l. 3. t. 3. p. 2. c. 2. n. 2.

Suspicio alia est leuis, alia verò grauis seu vehemens, quæ plus assensus, & parum dubitationis habet, alia denique suspicio violenta, quæ & præsumptio dicitur, excludens quasi omnem dubitationem, ac formidinem oppositi. n. 1. notan. 2.

Maiora indicia requiruntur ad ferendam contra aliquem sententiam in externo publico iudicio, quàm interno cuiusque hominis: atque in ipso foro externo maiora indicia seu probationes exiguntur ad criminis condemnationem, quàm ad ciuilis causæ definitionem. n. 2. §. Adde.

Tentationes peccatorum in intellectu consistentium, quale etiam est temerarij iudicij, frequentius homini occurrunt, propterea quòd intellectus à propositis sibi obiectis naturaliter moueatur, voluntas autem difficilè illum impediat, aut aliò applicet. n. 3. coroll. 2.

Suspicari, vel iudicare de proximo, vbi sufficentia indicia se produnt, nec Charitati, nec iustitiæ repugnat. num. 4.

Temere iudicare proximum, est peccatum contra iustitiam suopte genere mortale. n. 5.

Temere de proximo suspicari, vel de eius probitate dubitare, est ex genere suo peccatum tantùm veniale. n. 6.

Dubia in meliorem partem interpretanda sunt. n. 7.

Qui semel malus est, semper præsumitur esse malus: quia mutatio est quid facti: quare in dubio non præsumitur, donec de emendatione appareat. n. 8.

Iudex, Iudicium publicum.

Iudicium diuiditur in Ecclesiasticum, & seculare; in petitorium, & possorium; in ordinarium, & extraordinarium seu summarium. lib. 3. tr. 6. c. 1. n. 1.

Iudex alius est ordinarius, qui tanquam ex officio vniuersitati causarum præest, siue proprio iure, si supremus Iudex sit; siue ex principis beneficio, si subordinatus. Alius verò est Iudex delegatus, cui vices suas Ordinarius commisit; seu ad vniuersitatem causarum, seu ad causam specialem. eod. t. 6. c. 2. n. 1.

Qui merè delegatus Iudex est, alteri causam subdelegare nequit, nisi sit delegatus Principis summi. ibid.

Ante vicesimum ætatis annum completum nec arbiter constitui, nec Iudex delegari potest, nisi à Principe, aut si partes consentiant. ibid.

In causis ciuilibus Iudex non procedit, nisi postulatus, in criminalibus verò etiam ex officio, seu per viam inquisitionis. n. 2.

Ad officium Iudicis pertinet, lites diminuere, & partes ad concordiam reuocare. ibid.

Triplex est inquisitio, quam Iudex, vel prælatus visitans instituere potest, generalis, specialis; & mixta. num. 3.

De persona speciatim inquisitio fieri non debet ad puniendum, nisi infamia, vel indicia criminis præcedant. Secùs est, si inquisitio fiat propter prælaturam, vel ordines alicui conferendos, vel matrimonij impedimentum detegendum. eod. n. 3. §. Altera.

Etsi Iudex crimen hominis oculis suis deprehenderit, non potest tamen contra eum procedere, nisi priùs informationem acceperit de indicijs, aut infamia: Quia non potest idem esse Iudex, & accusator. ibid. §. Tertia.

Si Iudex ad punienda crimina ex officio procedat, boni publici causa, tunc vicem accusatoris supplere debet publica infamia, quæ & clamorosa pupuli insinuatio dicitur. §. Quamobrem.

Sola fama non probat, sed criminis indicium Iudici præbet, maximè si à viris honestis ortum habuit. n. 4.

Iudices, præsertim seculares, sæpe procedunt contra criminosum nulla pręcedente infamia, ex alijs indicijs criminis, v. g. denuntiatione Officialis, hominis fuga, extraiudiciali confessione criminis. ibid.

Indicia alia leuia sunt, alia grauia, alia denique quæ violentam pręsumptionem, ac moralem certitudinem pariunt. n. 5.

Pręsumptio alia hominis est, & alia Iuris, & hęc interdum iuris ac de iure: cuius hęc conditio est, vt contra eam, ob ipsam iuris dispositionem, admitti non debeat probatio in contrarium: quamquam si contraria veritas apertè nota sit, pręsumptio cedit. ibid.

Ex vna parte tantò maiora indicia ad inquirendum de persona requiruntur, quantò ea dignior est, & quantò crimen maius, maiórque hominis infamatio futura. Ex altera verò parte tantò leuiora indicia interdum sufficiunt, quantò perniciosius crimen est, etiam in futurum impendens, vt publica latrocinia, hęresis, proditio &c. num. 4.

Leuiora indicia, cęteris paribus, sufficiunt ad informa-

tionem vlteriorem capiendam, & interdum Reum citandum, arrestandum, incarcerandum; grauiora autem requiruntur ad Reum iudicialiter examinandum, torquendum; vrgentissima demum ad ferendam sententiam definitiuam in causa ciuili; quin & criminali, saltem ad pœnam extraordinariam statuendam. ibid. aduert. 3.

In criminibus suapte natura occultis, vt plenior probatio haberi nequeat, interdum sufficiunt vrgentissima indicia, quæ apertam præsumptionem faciant. ibid.

Si Iudex videat crimen probari non posse, maturè desistere debet, ne frustra hominis famam laceret. ibid.

Licet indicia seorsim sumpta non sufficiant, tamen iuncta cum alijs, quibus adiuuatur, sufficere possunt ad indicendam v. g. probationem plenam. ibid. aduert. 4.

In causis ciuilibus, & minoribus criminalibus semper Iudex sententiam ferre debet secundùm publicas allegationes, si eas falsitatis arguere non possit. At vero in criminalibus, quibus pœna mortis, vel membrorum mutilatio imponenda est, Iudex non potest secundùm publicas probationes hominem condemnare, quem priuatâ notitiâ innocentem scit. n. 8.

Sententia iustè lata ordinariè non retractatur, propter instrumenta postea reperta: secùs, si iniustè, seu contra leges lata fuit. n. 9.

Si Iudex dolo, vel magna imperitia sententiam iniustam tulit, litem suam facere censetur, & de damno tenetur. num. 10.

Si Iudex alioquin ad tale minus idoneus, propter obliuionem ex humana fragilitate inter iudicandum erret, in conscientiæ foro non obligatur ad restitutionem; cùm iniuriam formalem non intulerit: debet tamen sententiam reuocare, si sine graui incommodo possit. eod. num. 10. dicto 3.

Nemo in causa propria iudex esse potest, exceptis quibusdam casibus. n. 11.

Si causa notoria sit, quòd Iudex ratione publici officij iniuriam passus fuerit, potest Reum incontinenti punire vt iurisdictio, & publica potestas sua defensa permittat. ibid. Exceptione 2.

Si inuentus à Iudice, forum ipsius in eadem causam resignare non potest. lib. 1. t. 4. c. 7. n. 4.

Orto dubio, num causa ad hoc forum pertineat, potest id Iudex cognoscere, & postea causæ principalis processum adoriri. citat. tr. 6. c. 2. n. 12.

Si Iudex à patre contendente tanquam suspectus recusetur, iustitiam huius recusationis cognoscere non potest, sed causâ supersedendum erit. eod. n. 12. In fine.

Si Iudex in exequenda causa, proferenda sententia negligens sit, grauiter peccat, & non solùm parti læsæ officium eius requirenti compensare tenetur; sed interdum etiam Communitati, seu Fisco. lib. 3. tr. 2. c. 5. num. 7. §. Secundò.

Iudices inferiores secundùm leges, non secundùm æquum & bonum, sicut ipsis videtur, iudicare debent; cùm interius, & æquitatem interposita interpretatio soli Principi reseruata sit. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 5. n. 31.

Iudex sententiam ferre debet secundùm opinionem de iure probabiliorem; & falsum est, quod aliqui dicunt, satisfacere eum conscientiæ suæ, si causam adiudicet parti probabiliter se defendenti; quamuis altera æquè probabiliter, aut etiam probabilius. lib. 1. t. 1. c. 5. n. 16.

Si Iudex casum controuersum in iure decisum non habeat, à similibus argumentum ducere, & ita ius dicere debet. lib. 1. tr. 4. c. 18. n. 11.

Si post causæ diutius dilatæ accuratam discussionem, neutra pars superare videatur, ad superiorem Iudicem lis ablegandа est, vel arbitri statuendi, vel compositio suadenda; imò quandoque imperanda est; vel denique vni dimidium, alteri alterum dimidium iuris, ac rei, de qua lis est, adiudicandum. cit. c. 5. §. Quæres.

Si à litigatoribus, corúmve aduocatis minus dictum fuerit, Iudex supplere potest, & preferre, quod sciatiuri publico conuenire. ibid. §. Porrò.

Probabilior causa censeri debet: I. Cui lex assistit. II. Quam loci consuetudo tuetur. III. Quam Doctores communiter sequuntur. IIII. Quam firmiores rationes stabiliunt. V. Si reliqua paria sint, præferenda est opinio benignior. ibid.

Licet Iudex à partibus munera liberalia accipiens non rarò grauiter peccet, seu scandali causa, seu ob periculum peruertendi iustitiam; acceptorum tamen dominium comparat, spectato naturali iure. lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 10.

Etsi lex positiua munerum acceptionem prohibeat, non tamen accipiens ante sententiam Iudicis ad restitutionem obligatur, nisi lex exprimat, vt non illicita tantùm, sed etiam inualida acceptio sit. ibid. §. Quin etsi.

Si Iudex, aliúsve Officialis, quæ iusta sunt, neget, v. g. instrumento sigillum apponere, nisi donum ipsi offeratur, iniusta hæc extorsio est, quando publicum stipendium habens, nec iure, nec consuetudine permissa, aliquid vt debitum sibi exigere potest. ibid. §. Sin verò.

Si plures simul delinquant, omnes ab eodem Iudice iudicari debent. lib. 4. tr. 9. c. 4. n. 10.

Iurisdictio.

Est facultas alicuius habentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios ad eorum regimen, & gubernationem. lib. 1. t. 4. c. 5. n. 1.

Iurisdictio alia ab Ecclesiastica, & alia ciuilis: Iterum alia est contentiosa, ad quam pertinet leges condere, præcipere, punire: quare proprium tribunal postulat. Alia verò est voluntaria iurisdictio, ad quam pertinet legitimare, dispensare, beneficia, & officia conferre, Sacramenta ministrare. n. 2. & 3.

Nemo sortitur forum, nisi ratione domicilij, aut habitationis; vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione rei, seu possessionis sitæ in territorio, vel denique interdum ratione originis. lib. 1. tr. 4. c. 12. n. 7.

Iurisdictio Ecclesiastica indiuidua est, vt non possit simul duobus competere, nisi vnus alteri subordinatus sit. lib. 1. t. 4. c. 7. In fine.

Iurisdictio in mortuos nulla esse potest. lib. 1. tr. 5. p. 1. c. 4. n. 2.

Iurisdictio contentiosa etiam in inuitos exercetur, voluntaria autem non nisi volentibus confertur: quia beneficium non datur inuito. lib. 1. t. 4. c. 5. n. 4.

Iurisdictio voluntaria extra proprium territorium validè, & plerumque etiam licitè exercetur, dispensando v. g. cum subditis in votis, iuramentis, assistendo eorum matrimonijs, absoluendo à censuris, peccatis. Sed contentiosa iurisdictio extra territorium exerceri non potest, sine consensu Iudicis proprij, ipsarúmque partium litigantium. ibid.

Parochus in aliena parochia subditorum suorum nuptias benedicere non debet, neque Episcopus in aliena diœcesi ordines, aut sacramentum Confirmationis conferre, sed in Pontificalibus extra diœcesin sacrificare non prohibetur. n. 5.

Iurisdictio iterum diuiditur in imperium, ac simplicem iurisdictionem. Imperium aliud est merum, & aliud mixtum: atque vtriusque plures gradus distingui solent. n. 7. & seqq.

In generali meri, aut mixti imperij concessione à Principe alicui factâ, non censentur ea comprehensa quæ primi gradus, adeóque propria supremæ potestatis esse solent. n. 10.

Aliqua eorum, quæ ad primum gradum imperij spectant, & Regalia dicuntur, vt potestas monetam cudendi, tributa imperandi, vectigalia, angarias imponendi &c. inferioribus Ducibus ab Imperatore in feudum concedi solent. n. 9.

Generalibus Sedis Apostolicæ Legatis, item Episco-

pis, & Prælatis similem episcopali iurisdictionem habentibus, competunt ea omnia, quæ sunt meri, aut mixti imperij Ecclesiastici, dempto primo gradu. n. 11.

Præterea diuitur iurisdictio in ordinariam, quæ ab aliquo ex proprio officio exercetur, & in delegatam, quam aliquis ex commissione sibi facta exercet. eod. c. 5. n. 2.

Iurisdictioni ordinariæ æquiparatur, quæ alicui in perpetuum commissa est, ratione dignitatis, aut officij sui: qualis v. g. est potestas dispensandi in irregularitatibus ex occulto delicto Episcopis concessa. lib. 5. tr. 6. c. 18. n. 2. §. Duobus.

Delegatus subdelegare non potest, nisi hæc ipsa subdelegandi potestas ei concessa sit. Excipitur autem delegatus Principis, qui causam sibi demandatam, cum partium consensu, alteri subdelegare non prohibetur: nisi personæ industria speciatim delecta esse videatur, vt fieri solet in causis grauibus, puta matrimonialibus. eod. n. 12. except. 1.

Delegatio alicuius potestatis duobus modis fieri potest: Vel per modum puræ commissionis, aut mandati, in fauorem certæ causæ, personæ: cuiusmodi facultas expirat mortuo, aut deposito delegante, præterquam si delegatio potius à dignitate, quàm persona particulari profecta sit. Altera autem fit per modum gratiæ in fauorem delegati, quæ si absolutè conferatur, non expirat morte concedentis. lib. 1. t. 4. c. 22. n. 6.

Delegatio facultatis, v. g. Confessiones audiendi, duobus modis alicui fieri potest, expressè, vel tacitè. Expressa delegatio verbis fieri solet: quamuis certa verborum formula non requiratur. Tacita autem delegatio fit re, aut facto voluntatem delegantis significante. ibid. n. 7.

Ad tacitam commissionem facultatis omnino necessaria est scientia eius, quod agitur: qui enim nescit, vtique non consentit. Quare ratihabitio, quæ dicitur de præterito, nullo modo sufficit ad conferendam potestatem, aut valorem actui illi, ad quem actualis voluntas conferentis requiritur. Exempli causa, si Sacerdos in necessitate aliqua Confessiones audiat, quem si Ordinarius sciret, haud dubiè consentiret: quia tamen nescit, & non consentit, absolutiones irritæ sunt. eod. c. 22, n. 8. & lib. 5. t. 6. c. 10. n. 12.

Error communis cum titulo præsumpto ius facit, iurisdictionémque tribuit, etsi occultum subsit impedimentum ex iure positiuo proueniens. Quare si Ordinarius, v. g. Parochus, Sacerdotem non approbatum, qui publicè approbatus existimatur, Confessionibus audiendis exponat, validæ erunt absolutiones, secùs est, si seipsum intrudat, vel ab aliquo non Ordinario exponatur. eod. c. 22. num. 9.

Si Sacerdos alicubi excommunicatus, & denuntiatus, ex eo loco in alium remotum se transferat, vbi eius impedimentum ignoratur, ibique parochiale beneficium Episcopi auctoritate accipiat, eius absolutiones validæ erunt. eod. n. 9. in coroll.

Si Parochus Diaconum, qui publicè existimatur Sacerdos, mittat ad assistendum matrimonio benedicendum aquam, aut nuptias, licet mortaliter peccet, acta tamen Diaconi valida erunt. Si autem Diaconum exponat ad Confessiones audiendas, absolutio haud dubiè irrita est. ibid. §. Dictum est.

Iuramentum.

Est inuocatio diuini nominis, in testimonium alicuius rei. lib. 4. tr. 3. c. 1. n. 1.

Iuramentum, cùm sit actus latriæ, per solum verum Deum fieri potest: quia solius Dei infallibile testimonium est, quippe qui nec falli potest, nec fallere. eod. num. 1. & 2.

Quod per falsum Deum iuramentum fit, per se loquendo, obligatorium non est. n. 2.

Ad iurandum animus siue intentio requiritur: imò solo animo iurari potest, absque externo signo. n. 3.

Ad rationem iuramenti requiritur, inuocationem diuini testimonij contineat, & non meram assertionem. Quare si quis modo, sensuque enuntiatiuo dicat: *Coram Deo ita est, Deus scit me verum dicere*, iuramentum non profert. num. 4.

Hæc loquendi forma, *Deus mihi testis est*, frequentiùs vt iuramentum accipitur. eod. n. 4. §. Veruntamen.

Inuocatio diuini testimonij tum explicitè fieri potest; tum implicitè, v. g. per creaturas iurando. Est autem tantò decentius iuramentum per creaturam, quantò illa sanctior, aut excellentior. n. 5. & 6.

Cùm in sacris canonibus prohibetur iuramentum per creaturam, intelligitur de Gentilium iuramentis per Iouem, Solem. n. 7.

Verba illa, *Auff mein aydt*, plerumque iuramenti formam continet. c. 2. n. 1.

Fides à Sacerdotibus interponi solita per sanctam eorum consecrationem, non est propriè iuramentum; sicuti nec fides à viris principibus interposita: sed in externo foro vti iuramenta accipiuntur, ita & obseruari iubentur. num. 2.

Homagium, quod vasalli domino suo præstare debent, est propriè iuramentum. n. 3.

Verba hæc in veritate, in conscientia mea, non videntur habere vim iuramenti; nisi quis iurare velit per conscientiam, sicuti per animam, iuramento execrationis, aut iurare per conscientiam, quatenus est participatio quædam diuinæ mentis, ac veritatis. n. 4.

Iuramentum si debito modo fiat, est actus virtutis Religionis. c. 3. n. 1.

Iuramentum religiosum tres comites habere debet, veritatem, iustitiam, & iudicium. n. 3.

Quod Christus docuit non iurare omnino, (id est nullo modo, seu nulla iurandi forma) intelligi debet absque necessitate, aut rationabili causa. n. 2.

Nulli minùs creditur, quàm ei qui frequenter iurat: ei autem facilè fides habetur, qui verum loqui, & nunquam iurare consueuit. ibid.

Iuramentum aliud est voluntarium, aliud autem necessarium; videl. quod à lege, aut Superiore defertur, ad litem finiendam, ad criminis purgationem, ad Fidei professionem, ad obedientiam, vel subiectionem. cap. 4 num. 1.

Iuramentum item aliud iudiciale est, idque subdiuiditur in necessarium, quod à Iudice parti defertur, & voluntarium, quod à parte defertur parti. Aliud autem est. iuramentum extra iudicium. ibid. §. Altera.

Præterea iuramentum aut est reale, aut verbale tantùm, aut mixtum ex vtroque, videl. quod præter verba corporalem etiam actionem continet, v. g. tactum sceptri, aut libri Euangeliorum, ad maiorem reuerentiam, ac timorem diuini Numinis. n. 2.

Corporale iuramentum ex eiusmodi circumstantijs acquirit, vt eius obligatio grauior censeatur, & violatio maiorem pœnam mereatur. ibid. §. Eiusmodi.

Interdum iuramentum fit per simplicem diuini Numinis contestationem; interdum verò per execrationem. num. 8.

Præcipua iuramenti diuisio est in assertorium, quo confirmatur dictum de præsenti, vel præterito, & iuramentum promissorium, quo confirmatur dictum de opere futuro. n. 4.

In iuramento promissorio includitur etiam assertorium. Qui enim iurat se aliquid facturum, imprimis per Dei auctoritatem asserit, se voluntatem faciendi habere, deinde Deum vt testem, vel potiùs fideiussorem adducit, quod opus re ipsa faciendum sit. eod. n. 4. §. Præterea.

Qui vt testes innocentiæ alicuius producuntur, ij tantùm iurant de credulitate, existimare se hominem innocentem esse, præterquam si negatiua restricta sit ad certum tempus, aut locum: sic enim absolutè iurare possunt, Titium

Titium tali loco, & tempore hominem non occidisse. Ibidem.

Qui veritatem speculatiuam, aut futurum naturalem euentum (v. g. masculam prolem nascituram esse) iuramento confirmat, is videtur, profiteri certam talium cognitionem. Quare eiusmodi iuramenta sæpe temeraria sunt. Qui autem alienum factum contingens (v. g. Titium vrbe abiturum) iuramento affirmat, is asserere videtur, se saltem probabiliter conceptam opinionem habere. n. 4. & 5.

Iuramentum de opere futuro interdum est nudum, ac per se stans; vt videre licet in eo, qui subdito delinquenti pœnam iuratus minatur: Interdum verò est confirmatorium promissionis. n. 5.

Iuramentum confirmatorium promissionis erga Deum est votum iuratum, cuius præuaricatio duas diuersæ speciei malitias contra Religionis virtutem habet.

Iuramentum autem confirmatorium erga hominem est pactum iuratum, duplicem obligationem continens, videl. Iustitiæ & Religionis: Deniq; potest esse iuramentum confirmatorium promissionis factæ Deo & homini, in quo tres obligationes continentur; vti videre licet in voto iurato dandi eleemosynam pauperi promissionem acceptanti. n. 6.

Iuramenti iudicialis plures species sunt, videl. iuramentum calumniæ, iuramentum in litem, iuramentum litis decisiuum. c. 5. n. 1.

Iuramentum litis decisiuum aliud est necessarium, quod in causa dubia ob inopiam plenę probationis à Iudice deferetur; siue ex officio, siue ad instantiam partis. Aliud verò est voluntarium, quod à parte parti defertur, idque simpliciter recusari potest, si tamen sponte suscipiatur, parit exceptionem Reo iuranti, Actori autem tribuit actionem. eod. c. 5. n. 2.

A Iudice delatum iuramentum recusare potest Actor si intentionem suam plenè probauit; Reo autem, si rem cognitam non habeat, aut eius probabilem obliuionem allege. eod. n. 2.

Iuramentum à Iudice delatum non obstat, quominus propter instrumenta de nouo reperta sententia retractari possit. Sed aliud dicendum de iuramento à parte delato: cùm enim speciem veluti transactionis habeat, confert ad plenam litis decisionem; nisi talis causa sit, in qua periculum animæ vertitur, non remissibile partium consensu. eodem num. 2. §. Porrò.

In conscientiæ foro quotiescunque veritas aliter, quàm in iudicio iuratum fuit, manifestè apparet, ea præualuere debet. Ibid.

Iuramentum necessarium in causa dubia propter inopiam probationis Iudex plerumque deferre debet Actori, in probationis supplementum; non autem Reo ad innocentiæ ostensionem. n. 3.

Iuramentum purgationis Reo præsumptione aliqua, etiam citra semiplenam probationem, grauato, in omnibus causis, etiam arduis, cùm ciuilibus, tum criminalibus, deferri potest. eod. num. 3. §. Porrò.

Ad Iudicis prudentis arbitrium pertinet, vt consideratis causæ & personarum circumstantijs iuramentum interdum Actori in supplementum probationis deferat, si videl. causa non ardua, aut famosa sit; sed agatur v. g. de pecunario debito, non magni momenti. Ibid. dicto 2.

Iuramentum de patrando opere malo obligationem nullam parit: quia iuramentum institutum non est, vt sit vinculum iniquitatis. c. 6. n. 1.

Accidit interdum, vt quis illicitè iuret, v. g. prodigam donationem se facturum, & tamen iuramento obligetur. num. 2.

Iuramentum de opere indifferente, nisi ex fine ac circumstantijs cohonestetur, nullam vim obligandi habet: vt si iures te ædes hominis non ingressurum. Si tamen id ad finem bonum referatur, vel ad proximi vtilitatem, efficitur obiectum capax iuramenti promissorij. num. 3.

Iuramentum de re illicita, tametsi mutatâ circumstantiâ licita fiat, non ideo conualescit: v. g. qui contra fidem primorum sponsaliorum secunda sponsalia iuratus contraxit, priore sponsâ ante nuptias mortuâ, cogendus non est ad seruanda sponsalia secunda, cùm ab initio irrata fuerint. n. 4.

Qui voto castitatis obstrictus, postea sponsalia, quamuis iuratus, contraxit, post obtentam dispensationem in voto, cogendus non est ad seruanda sponsalia, quæ ab initio nulla erant. Nam iuramentum, sicuti & votum, emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili. Ibid.

Iuramentum diuini duntaxat honoris intuitu conceptum de opere minus bono, vel ab initio nullum est, vel arbitratu vouentis in aliud opus melius commutari potest: vt si iurasti, te vxorem ducturum; vel hac hora oraturum, postea autem intelligis gratius Deo futurum, si ægroto opem feras. n. 5.

Iuramentum, quod in gratiam vel vtilitatem hominis, alteriúsve Communitatis editum esse de opere honesto, semper obligat; neque in aliud, quamuis melius opus, arbitratu iurantis commutari potest. Qua de re regula traditur quòd *iuramentum homini præstitum seruari debet, si sine peccato seruari possit.* n. 6.

Omne tamen promissorium iuramentum hac tacita conditione editur, nisi is, in cuius gratiam iuratur, remittat, vel pro eo opus aliud acceptet. Ibidem §. Addidi.

Alumni Collegij Anglicani Romæ, qui iuramentum præstant se post studia absoluta in Angliam ituros, Fidei Catholicæ propagandæ causa, non possunt absque dispensatione Religionem ingredi, in qua voto suo satisfacere nequeant. Ibid. §. Exinde.

Iuramentum de faciendo in alterius gratiam opere à legibus prohibito, vel infirmato, obligationem parit, saltem sub Religionis virtute, si legis prohibitio, vel infirmatio non obliget sub culpa. n. 7.

Quotiescunque lex ciuilis, vel alia quæcunque sub peccato obligat, ne tale opus fiat, vel promittatur, tunc iuramentum de eo faciendo irritum est. n. 8.

Leges prohibentes, vel infirmantes promissionem, seu pactionem, quarum finis proximus est, commodum paciscentium, non solent eos obligare sub culpa: talia sunt priuilegia concessa ætate minoribus, filijs familias. At verò leges prohibentes pactionem, aut actionem, cuius finis proximus est bonum Reipubl. v. g. quibus Clericorum immunitas conseruatur, eæ sub peccato obligare solent, ideóque ne iuramento quidem eliduntur: quia iuri publico priuatorum pactis, etiam iuratis, renuntiari non potest. n. 7.

Qui iurauit alteri vsuras se soluturum, ex religionis virtute obligatur. Qua de re regula traditur, quòd *iuramentum obligat, etsi contineat turpitudinem tenentem se ex parte recipientis, non item iurantis.* c. 7. n. 1.

Etsi mutuatarius promittendo vsuras peccet, si nulla necessitate ad mutuandum inducat vsurarum promissione, tamen iuramento obligatur: quia licet promissio, & iuramentum illicitum fuerit, non tamen de re illicita, quæ est solutio vsurarum promissarum. Ibid. §. Addendum.

Qui iurauit latroni iniquè exigenti pecunias se soluturum, iuramentum seruare debet, nisi ipsi relaxetur. num. 2.

Iuramentum, præsertim quod vi iniusta extortum, non ad aliud obligat, quàm secundùm strictam interpretationem in promisso continetur. n. 2.

Qui iurauit se in carcere iniustum rediturum, obligatur iuramento etiam cum vitæ periculo. n. 3.

Etsi Princeps Catholicus peccet, si absque maxima necessitate hæreticis publicum exercitium in prouincia

ſua permittat, aut promittat, poſteaquam tamen publica, & iuramento confirmata fide pollicitus fuit, ſeruare omni mode debet. Nam quæ non ita intrinſecè mala ſunt, quin cauſa aliquâ cohoneſtari queant (qualia ſunt permiſſio exercitij hæretici, redditus ad Tyrannum, pecuniarum profuſio) eâ ipsâ interdum circumſtantiâ cohoneſtentur, quòd cum iuramenti obligatione promiſſa fuerint. eod. num. 3. in fine.

Matrimonium ex graui metu celebratum accedente iuramento non confirmatur, ſed irritum manet: quia iuramentum ſortitur naturam actus, cui apponitur. n. 4.

Error, vel dolus, quamuis antecedens ſit & cauſa iurandi, ſi tamen verſetur circa accidentalem conditionem rei promiſſæ, non infirmat obligationem iuraméti. quamuis eiuſmodi dolus iniuſtus, ſicuti & metus, ſi cauſam iurandi præbuit, faciliorem iuramenti relaxationem mereatur. num. 5.

Pacta, & contractus alioquin ciuili iure irriti interdum acceſſione iuramenti confirmantur. Sic enim pactum nudum confirmatur: ſic contractus Minoris ſine tutoris auctoritate inſtitutus: ſic donatio facta filio emancipato, aut coniugi; vel alia quæuis vltra quingentos ſolidos. c. 8. num. 1.

Si promiſſio vel pactum ex parte exigentis, vel acceptantis turpidinem contineat, appoſito iuramento non confirmatur. Quare ſi vſurario vſuram iuratus promiſiſti, obligaris quidem ex religionis virtute, ſed non ſecundùm iuſtitiam efficaciter: quare à Iudice compellendus non es ad ſolutionem, ſed potiùs liberandus: idque in odium iniuſti exactoris, ne ex iniquitate commodum ferat. num. 2. & 3.

Poſtquam legitimus Magiſtratus, ſeu Eccleſiaſticus, ſeu ciuilis, iudicauit promiſſionem iuratam reſcindendam eſſe, ceſſat etiam obligatio erga Deum: quia promiſſorium iuramentum tacitam conditionem habet, niſi promiſſio à promiſſario remittatur, aut à Iudice reſcindatur. Ibid. in coroll. 1.

Iura ciuilia adeò interdum contractui reſiſtunt, & ne acceſſione quidem iuramenti vim obligandi acquirant, vti videre licet in pacto ſucceſſionis futuræ, aut ſi quis durante matrimonio iuratus alteri puellæ promiſit. n. 4.

Actus geſtus contra antecedens non agendi iuramentum, validus eſt, ſi is pendeat ex mera facultate agentis: vt ſi quis iurârit, ſe procuratorem non reuocaturum, teſtamentum non mutaturum. num. 5.

Si iuraſti te votum non editurum inconſulto Confeſſario, & poſtea nihilominus voues, quamuis temere, tamen obligaris voto. ibidem exemplo 4.

Si Capitulum ſtatutum iuramento firmauit de non augendo numero Canonicorum, & poſtea ſupra eum numerum nouum Canonicum inſtituat, valida eſt inſtitutio. exemplo 6.

Iuramentum in dubio ſtrictè interpretandum eſt: v. g. iuramentum de ſeruandis ſtatutis, intelligitur tantùm de editis, non de impoſterum edendis. cap. 9. num. 9.

Iuramentum præſtitum circa materiam iuris, interpretandum eſt ſecundùm limites iuris: v. g. iuramentum Epiſcopi de non alienandis bonis Eccleſiæ, intelligitur de alienatione illicita: & iuramentum non dandi priuilegia ſine conſenſu Capituli, intelligi debet de conceſſione priuilegiorum illicita, ſeu quam Epiſcopus ſecundùm canones abſque conſenſu Capituli facere non poteſt. num. 2.

Iuramentum ſeruandi ſtatuta alicuius Communitatis, intelligitur ſecundùm differentiam ſtatutorum, intentionem legiſlatoris, & loci conſuetudinem, communémque interpretationem. eodem numero 2. exemplo 2.

Iuramentum de ſeruando ſecreto intelligitur quatenus materia ſecretum poſtulat. exemplo 5.

Iuramentum extendi non debet vltra intentionem iurantis veriſimiliter præſumendam: v. g. ſi iuraueris, te alteri pariturum in omnibus, interpretari oportet, niſi illicita, aut valde ardua, & à ſtatu tuo abhorrentia imperet. num. 3.

In omni iuramento promiſſorio tacitæ conditiones ſubintelliguntur I. Si potero. II. Saluo iure Superioris. III. niſi is, cui iuratum, obligationem remittat. IV. Si res notabilem mutationem non accipiant. num. 4.

Homo promiſſorem, etiam iuratum, liberare poteſt, ſi promiſſio principaliter in eius honorem facta fuit: Secùs, ſi principaliter in Dei honorem. num. 5.

Iuramentum aſſumit naturam & conditiones promiſſionis, cui adijcitur: v. g. qui iurauit ſe debitum ſoluturum, is poſtea ob iuſtam cauſam compenſatione vti poteſt cum alio ſimili, eóque liquido debito. n. 6. & exemplo. 3.

Iuramentum reciprocæ promiſſioni aut contractui adiectum, eam tacitam conditionem habet, ſi alter quoque promiſſis ſteterit. At verò non ſeruanti fidem fides ſeruanda non eſt. Exemplo 4.

Iuramentum per Procuratorem fieri poteſt: ſed requiritur mandatum ſpeciale in cauſa ſpeciali. cap. 10. num. 1.

Si iuramento Procuratoris falſitas ſubſit, Principalis ipſe, cuius mandato, & in cuius animo Procurator iurauit, periurij crimine notabitur. Ibid. §. Ex quo ſequitur.

Ex iuramento confirmatorio promiſſionis ab aliquo acceptatæ in foro externo actio conceditur: ſecùs, ſi ſit iuramentum per ſe ſtans: vt ſi quis nemine acceptante iurauit ſe Eccleſiam ædificaturum; quamuis talis iurans Iudicis Eccleſiaſtici officio compelli poſſit ad ſeruandum iuramentum: quod etiam is in cuius vtilitatem iuratum fuit, eiúſque hæres implorare poteſt. num. 2.

Obligatio, quę eſt iuramenti propria ex virtute Religionis, propriè afficit ſolum iurantem. num. 3.

Et ſi quis pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis iurauerit, non obligantur tamen ſucceſſores ex vi iuramenti, ſed tantùm ex vi pacti, ſi nulla interuenit turpitudo ex parte iuratam promiſſionem exigentis. Ibid. illatione 2.

Hæres vaſalli, cùm inueſtitur, nouum fidelitatis iuramentum præſtare cogitur; quia ex anteceſſorum ſuorum homagio non obligatur. illatione 4.

Si iuramentum non ſit confirmatorium promiſſionis, ſed per ſe ſtans, nulla ex eo obligatio ad hæredem tranſit: vt ſi iuraſti te vſuras ſoluturum, pecunias latroni daturum, vel datas non repiturum. Cæterum ſi iuramentum editum ſit ſine turpitudine alterius, in cuius gratiam iuratum, Iudicis officium implorari poteſt, vt compellar hęredem iuramento reali ſatisfacere, ad exonerandam conſcientiam defuncti. n. 4.

Obligatio iuramenti propriè promiſſorij tranſit ad hęredes, aut ſucceſſores eius, cui iuratum, licet id expreſſum non fuerit: quia plerumque tam hęredibus noſtris, quàm nobiſmetipſis cauere volumus. num. 5.

Iuramentum ex parte iurantis perſonale eſt, ſed reſpectu eius, cui iuratur, reale, id eſt tranſitorium cum re, puta dignitate, hæreditate, dummodo iuramentum præſtitum ſit Prælato v. g. ratione officij, ac dignitatis ſuæ eod. num. 5.

Deus ſecundùm quandam metaphoram in Scriptura ſacra iuraſſe memoratur. c. 12. n. 1.

Omnis creatura intellectualis, ipſéque Chriſtus Dominus, quà homo, propriè iurare poteſt. n. 2.

Iuramentum impuberis, item periuri, in iudicio non recipitur. num. 3.

Sacerdotes non niſi graui de cauſa iurare coguntur, videl. ad purgationem ſui, vel alterius innocentiam oſtendendam, item pro Fide, pro obedientia, pro pace, pro indemnitate Eccleſiæ, pro abſolutione ab excommunicatione. num. 4.

Clericus iurare non debet in manu laici exigentis iuramentum coactiuum. Alioquin vero non prohibetur clericus etiam ſacerdos, propter aliquam neceſſi-

tatem præstare iuramentum voluntarium coram laico. num. 5.

Laici ob suspicionem pestis, & ad defensionem ciuitatis, possunt à Clericis, & Religiosis exigere iuramentum, cùm non sit coactiuum simpliciter, sed ex hypothesi, si ciuitatem ingredi velint. Quamuis magis decet eos non corporali tactu, aut manuum eleuatione iurare, instar laicorum, sed interrogari tantùm, & fidem eorum postulari per sanctam consecrationem. Ibidem.

Iuramenta eodem modo, sicuti vota, per dominatiuam potestatem irrita reddi possunt à patre, tutore, Ordinis Prælato, &c. c. 11, n. 1.

Iuramentum etiam homini præstitum irritari potest, si versetur circa materiam alterius, dispositioni subiectam, aut circa promissionem, quæ dominatiuę potestati patris tutoris, Prælati, mariti &c. subiecta est. num. 2.

Sum. Pontifex suo arbitratu irritare potest omnia iuramenta à Clericis edita circa beneficia Ecclesiastica: cùm in ijs plenissimam potestatem habeat. Ibid.

Directa relaxatio iuramentorum, quę fit per modum absolutionis, aut dispensationis, ad ecclesiasticos tantùm Prælatos pertinet: indirecta verò etiam laicæ potestati competere potest. n. 9.

Si is, cui iuratum est, propter vim, fraudem, vel aliam causam pertinentem ad Reipubl. bonum cogi potest ad relaxandam obligationem iuramenti, tunc illo etiam inuito, eius legitimus Iudex relaxationem facere potest. Nam in tali casu factum Iudicis, censetur esse factum partis. Sed opus est partis citatione. eod. num. 9.

Ciuilis potestas videtur posse efficere, ad improborum hominum fraudes impediendas, ne ex contractu aliquo v. g. tutoris cum pupillo, etiam accedente iuramento, obligatio, vel solutio sequatur. eod. num. 9. in fine.

Causa iuramenti per se spiritualis est: si tamen super contractu inter laicos interpositum sit, ad eius obseruationem cùm Ecclesiasticus, tum laicus Iudex compellere potest. n. 10.

Ius naturale, gentium, ciuile.

Ius siue lex naturalis, immutabilis est: Quare definitur ab Aristotele, quæ vbique eandem vim habet, non quia ita visum fuit. l. 1. tr. 4. c. 8. n. 7.

Ius gentium appellatur, quo omnes ferme gentes vtuntur: vt sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, Legatorum non violandorum religio, &c. Ibid. §. Ius gentium.

Quædam sub gentium iure comprehenduntur, quæ facultatem potiùs significant quippiam agendi omnium gentium concessione: vt vim vi repellere, hostium iniurias vlcisci, ac bello prosequi, eos captos seruare. Quare à quibusdam appellantur iura non præceptiua, sed permissiua. Ibid. §. Ex parte.

Ius ciuile propriè, & strictè dicitur, quod quisque populus sibi vt proprium constituit, cùm enim gentium iuri aliquid additur, vel detrahitur, ius proprium, seu ciuile efficitur. eodem n. 7. §. Iureconsulti.

Ius Canonicum.

Ius commune canonicum, seu Ecclesiasticum, quatenus in scholis traditur, quinque partes complectitur: Decretum Gratiani, Quinque libros Decretalium, Sextum Decretalium, & Extrauagantes constitutiones. l. 1. tr. 4. c. 6. n. 11.

Opus gratiani hactenus à nullo Pontifice approbatum est: quamobrem quæ in eo adducuntur capitula, singula ad suam originem reuocanda sunt, vt appareat quantam auctoritatem mereantur. n. 12.

Diligenter distiguendum est inter decreta Fidei, & Ecclesiastica decreta morum, quæ sunt propriè dictæ leges. Nam canones Fidei ita inestabilem veritatem habent, vt nullo vnquam tempore mutari, aut reuocari possint. Sed decreta siue canones morum pro temporum varietate abrogari, vel desuetudine aboleri nihil prohibet. n. 14.

Mira est conspiratio inter ius ciuile, & canonicum, & multa Sum. Pontificum decreta ex ciuilibus legibus pœne ad verbum desumpta sunt. Quamobrem nemo se Canonistã, vel Casistam profiteri potest, nisi ciuilium etiam legum aliqualem cognitionem habeat, præsertim cùm leges ciuiles, si iustę sint, in conscientia etiam obligent. eod. tract. 4. c. 8. n. 9.

Religiosis prohibitum non est, sed potiùs comendatum, intra claustrum leges ciuiles inspicere, earúmque intellectum addiscere, quatenus necessarium videtur ad sacros canones intelligendos, ac docendos, & occurrentes conscientię casus dissoluendos. eod. n. 9. in fine.

Si lex canonica contraria sit legi ciuili circa materiam Ecclesiasticam, ciuilis sublata esse censetur. Sin verò circa aliam materiam, vtraque in suo foro seruanda est. eod. c. 8. num. 8.

Si in aliqua causa canones nihil decernant, tunc secundùm leges proprias Regni in foro Ecclesiastico iudicari debet, nisi alia sit Consistorij consuetudo. eod. tract. 4. c. 13. num. 7.

Ius, Iustum Iusticia.

Ius, siue iustum, interdum accipitur, vt idem sit quod æqualitas alteri debita: & hoc iustitiæ particularis, ac propriè dictæ obiectum est. l. 3. [?]. 5. tr. 1. c. 1. n. 1.

Iusticia moderatur hominis actiones in ordine ad alterum: sed Temperantia & Fortitudo in ordine ad ipsum operantem. n. 12.

Iustitia quædam generalis dicitur, quæ circa omnia virtutum opera ob Reipubl. felicitatem versatur, alio nomine Iusticia legalis appellatur. c. 2. n. 1.

Opera virtutum, quatenus per ea diuinæ legi, ac voluntati conformamur, iustitiæ in sacris literis frequenter appellantur. n. 2.

Iustitia particularis definitur: Constans, & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. c. 3. princip.

Ad proprietatem iustitię particularis tria omnino necessaria sunt: I. Vt sit ad alterum simpliciter. II. Vt versetur circa debitum. III. Vt reddat ad ęqualitatem. ibid. num. 1.

Inter patrem & filium, inter dominum & seruum, inter maritum & vxorem, non est iustum simpliciter, sed secundum quid, videl. paternum, herile, œconomicum num. 12.

Iustum tamen œconomicum magis ad proprietatem iusti accedit, quàm herile, ac paternum: quia vxor marito ferme æqualis est, quippe in familiæ administratione eius socia, in iure autem coniugij omnino par. ibid.

Iustum paternum non deficit in ratione debiti; imò maius debitum, arctiorque obligatio est pietatis siue iustitiæ patris erga filium, & vice versa, quàm sit iustitiæ ciuilis, Quare grauiùs etiam delinquit filius, si in parentem impius, & contumeliosus sit, quàm si in alium ciuem iniurius. eod. n. 2. §. Ad traditam.

Neque Religio erga Deum propriè dicta iustitia est, cùm non sit propriè ad alterum: sumus enim opus, & possessio Dei, & æquiualens ipsi reddere nequimus. num. 3.

Inter patrem & filium, inter maritum & vxorem, inter dominum & seruum, quod attinet ad bona ipsorum propria, videtur esse iustitia propriè dicta. n. 4.

Licet filius, si patrem in bonis temporalibus defraudet contra iustitiam simpliciter dictam delinquat, tamen, cęteris paribus, non est tam graue & tam perfectum peccatum iniustitiæ, quàm si alteri quippiam auferret: idque propter arctissimam tum naturalem, tum legalem coniunctionem, ita vt bona patris aliquo modo ad filium spectare censeantur, & vice versa. ibid. §. Porrò.

Duę sunt species iustitiæ particularis: Vna commutatiua, quæ propriè est ad alterum, seu distinctam personam. Altera iustitia distributiua, quæ non est omnino ad alterum, sed totius ad partem. Quare apparet hanc diuisio-

nem esse in species analogas. c. 4. num. 1.

Iustitia commutatiua respicit ius strictum, siue propriè dictum debitum: Distributiua autem ius, aut debitum latè acceptum. Magis enim proprium ius quisque habet ad pretendum sibi debitum ex contractu, quam habeat aliquis qui in Republ. dignior est, ad pretendam dignitatem, vel beneficium. ibid. §. Secundò.

Iustitia commutatiua constituit perfectam seu arithmeticam æqualitatem; distributiua verò geometricam seu proportionalem. num. 2.

Iustitiæ simpliciter dictæ, ac commutatiuæ duplices sunt commutationes, & inde ortæ obligationes: aliæ voluntariæ, quæ mutuo paciscentium consensu constituuntur, aliæ inuoluntariæ, quę oriuntur ex delictis, quibus alteri damnum iniustum aufertur, videl. furto, detractione, homicidio. ibid. §. Iustitiæ.

Est & alia iustitia, quæ vindicatiua dicitur, sed plurimùm recedit à veræ iustitię proprietate. n. 3.

Ius Patronatus.

Est ius nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans: alias ius aduocationis dicitur. l. 4. tr. 2. c. 13. princ.

Ius patronatus ex tribus causis acquiritur; videl. Ecclesiæ fundatione, ędificatione, & dotatione. n. 1.

Qui ecclesiam construit, videtur etiam se obligare ad dotandam, si nemo alius dotet. Nam ecclesia sine dote consecrari non debet: alioquin Episcopus eam dotare deberet in patroni defectum, si absque detrimento Ecclesiæ possit. ibid.

Patronus ecclesiæ tum vnus esse potest, tum etiam plures; si videl. alius fundauit, alius ædificauit, alius dotauit: vel si plures concurrant ad fundandam, construendam, dotandam; licet inęqualiter. num. 2.

Patronus effici etiam potest, qui post ecclesiæ consecrationem ei dotem assignat. Sed necesse est, vt qui vel ab initio, vel postea aliquid confert, id faciat animo construendi, aut dotandi: Sin autem precisè vt donet, benefaciat, ecclesiæ benefactor est, non patronus. num. 3.

Si ecclesia omnino destruatur, amittitur ius patronatus, quod ex sola constructione ortum habuit; & qui illam reædificat, efficitur nouus patronus. ibid.

Duplex est ius patronatus; ecclesiasticum, & laicum: discrimen est, quòd si in patronatu laico intra quatuor menses à die vacationis cognitæ patronus neminem pręsentet, collatio beneficij libera efficitur: at verò in ecclesiastico patronatu sex menses conceduntur. n. 4.

Si duo sint patroni vnus Clericus, alter laicus, tum laicus gaudet priuilegio Clerici, ob societatem. ibid.

Iuri patronatus laici ex fundatione, constructione, vel dotatione Papa non ita derogare censetur per vnionem aut reseruationem, sicuti iuri patronatus Ecclesiastici. Sed etsi expresè addatur *ad quoscunque etiam laicos præsentationis beneficium pertineat*, non tamen comprehenditur ius patronatus Regum, Ducum, Marchionum, nisi exprimantur. n. 5.

Patronatui laico, qui competit ex priuilegio, aut consuetudine pręscripta non minùs, quàm Ecclesiastico per concessionem, vel reseruationem absolutè factam derogatum censetur. ibid.

Legatus à latere conferre potest beneficium etiam sine consensu patroni habentis patronatum Ecclesiasticum; non ita tamen derogare potest iuri patronatus laici. ibid. discrim. 3.

In patronatu laico patronus variare potest, id est, postquam præsentauit vnum, pręsentare etiam alterum: quo casu etiam Episcopus præferre potest, quem magis idoneum iudicauerit. Sed in patronatu Ecclesiastico, qui primus præsentatus est, institui debet. ibid. discrim. 4.

Præsentato in tali casu ius competit ad pretendum beneficium, ita vt agere possit contra Episcopum nolentem instituere; vel contra intrusum, vt inde remoueatur. ibid.

Si patronus Ecclesiasticus indignum præsentet, priuatur ea vice præsentandi iure: sed laicus patronus alium præsentare debet. n. 7.

Patrono quatuor iura competunt: Instituendos ad beneficia vacantia Episcopo pręsentare: Honorem præcipuum in sessionibus, processionibus &c. obtinere: Alimenta in casu inopię ab Ecclesia recipere: Ecclesiam defendere, eiúsque solicitudinem genere. n. 8.

Patronus Ecclesię seruitium, seu onus imponere non potest contra sanctorum canonum decreta: si tamen conditio aliqua honesta ante fundationem acceptata fuerat, ea seruari debet. Quare Panormitan. respondit; quòd habens ius patronatus, in eius recognitionem à Presbytero exigere non possit certos cereos; quia tempore fundationis conuentum non fuerat. n. 9.

Patronus curam gerere debet, vt officia diuina celebrentur, secundùm fundationis statutum, & vt bona Ecclesię ad alienos vsus non conuertantur, aut à Ministro siue Sacerdote dilapidentur; alioquin honesta cum monitione compescere, vel Episcopo denuntiare debet: denique, vt ædes sacræ conseruentur, reparentur, eod. n. 9. §. Quartò.

Ad reparationem Ecclesię indigentis Ministri contribuere debent, si reditus superfluos habeant; alioquin Parochiani. Eadémque ratione hi adigi possunt ad subueniendum, si Parochus commode viuere non possit ex Ecclesię reditibus, & Patronus reditus augere nollit, neque alia ratione, v. g. per Ecclesiarum vnionem, facilè subueniri queat. num. 10.

Patronus Ecclesiasticus rationem administrationis rerum temporalium exigere potest: at verò laicus patronus nullam administrationem, vel iurisdictionem vendicare sibi debet. Sicuti neque in ciuilibus ius protectionis, & aduocatię extendit se ad iurisdictionem, aut collectationem erga loci incolas; sed solùm ad protectionem, & tutelam. num. 11.

Episcopus extra casum necessitatis non potest disponere circa beneficia cum præiudicio iuris patronatus; secùs, si patroni nihil intersit. num 12.

Patronus non potest impedire magnam Ecclesię vtilitatem; cùm ius patronatus ipsi non absoluto debito, sed ex gratia, seu gratitudine concessum sit. ibid.

Episcopus non potest sine consensu patroni Ecclesiam parochialem conuertere in Collegiatam, quia ille amitteret ius præsentandi, licet alia iura retineret. Quòd si ob causam necessitatis talis mutatio facienda sit, nihil obstabit, quin patronus etiam præsentationem Rectoris retineat. ibid. coroll. 1.

Episcopus non potest vnire beneficium patronatum sine consensu patroni. coroll. 2.

Institutus non potest beneficio in fauorem alterius renunciare; neque illud permutare absque patroni consensu, excepto casu necessitatis, aut magnæ vtilitatæ Ecclesiæ, in quo patronus consentire tenetur. coroll. 3.

Episcopus pensionem temporariam, & ad successores non transeuntem beneficio imponere, aut fructus beneficij alteri pio vsui ad certum tempus applicare potest, sine consensu patroni laici. Tutius tamen est, quin & honestius, vt patroni consensus requiratur: alioquin enim, si substractio fructuum sine iusta causa fiat, eam impugnare poterit. eod. corollar. 3. iuncto §. Hæc tamen.

Fundationes, & quæuis vltimæ dispositiones, si iustæ, ac rationabiles sint, mutari non possunt sine Principis consensu, qui in spiritualibus est Papa. n. 13.

Si dubium sit de voluntate defuncti, ad Episcopum loci pertinet, eam interpretari. Deinde si voluntas defuncti irrationabilis sit, potest Episcopus se opponere, vt executio non ita, sed aliter fiat, ibid. notando 1.

Probabile est, quòd Episcopus pro vna, vel altera vice, mutationem aliquam in beneficio, aut fundatione ob causam rationabilem dispensatiuè facere possit. notand. 3.

Patronus, eiúsve hæres, seu successor iuri patronatus renuntiare, & collationem beneficij liberam efficere non prohibetur. n. 14.

Eadem ratione patronus remittere potest conditiones, quæ contra, vel præter ius commune in suum fauorem constitutæ fuerunt. Sed & nouæ conditiones Ecclesiæ vtiles cum Episcopi consensu à patrono, eiúsque hærede adijci possunt. ibid. dicto 3.

Conditiones, quas fundator ob cultum diuinum, vel ob sui memoriam, honorem, & commodum familiæ obseruari voluit, neque cum consensu Episcopi omnino tollere potest, extra casum magnæ necessitatis, aut vtilitati Ecclesiæ. dicto 4.

Heres, vel successor, ipséque Episcopus sine grauissima causa auferre non possunt insignia, aut sepulchrum fundatoris, quę posita sunt in capella, vel ecclesia, quam construxit, vel dotauit. ibidem. §. Ex his resolues.

Sepulchra, & insignia eorum benefactorum, qui capellam extruserunt, sine magna necessitatis ratione tolli non debent, tametsi familia extincta sit. num. 15.

Si fundator conditionem apposuit, aliquem ex familia, aut gente ad beneficium præsentandum, instituẽdúmque esse; si idoneus adsit, non potest alius promoueri. ibid. §. Resolues secundò.

Si fundatio requirit, vt in certo loco, vel altari Sacrificium offeratur, non potest ad alium locum tranferri: nihil tamen obstat semel, aut iterum alibi sacrificari, si patronus velit, vel causa rationabilis postulet. n. 16. §. Resolues quartò.

Nec Episcopus, nec patronus numerum Missarum, aut præbendarum minuere, aut residentiam personalem tollere potest, præterquam ob causam necessitatis. §. Resolues quintò

Interpretari voluntatem fundatoris defuncti, vel pro vna vice ob causam rationabilem & ecclesiæ vtilem dispensare, ad Episcopum cum hæredis consensu pertinet. num. 17.

Cauendum tamen est, ne dispensatio fiat cum præiudicio personæ tertiæ: quia solius supremi Principis est, ob causam auferre vni, & alteri dare. ibid. & num. 13. notan. 2.

Ius patronatus tum masculo, tum fœminæ, puberi & impuberi, competere potest. n. 18.

Si ius patronatus annexum sit bonis dotalibus, ad maritum pertinet presentatio. ibid. §. Duo.

Ad presentationem factam à Minore necessariò non requiritur. Curatoris auctoritas; sed de pupillo paulò alia ratio est. ibid.

Si lis alicui mota sit de possessione iuris patronatus, interim presentatio ab eo admittenda non est: Sin autem possessori bonæ fidei de proprietate iuris lis mota fuerit, præsentatio admittitur, sed præsentatus lite pendente institui non debet. Si tamen ante litis contestationem præsentatio facta fuit, institutio facienda est, eáque omni iure rata erit, etsi postea appareat patronatum iure proprietatis ad alium pertinuisse. n. 19.

Ius patronatus quatuor modis transferri potest: Hæreditaria successione, donotione, permutatione, venditione, aut alia translatione vniuersitatis. n. 20.

Si duobus existentibus patronis vnus ius suum alteri cōdonet, non videtur requiri consensus Episcopi. ibid. §. Illud.

Neque requiritur Episcopi consensus, si quis ius patronatus alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri loco pio donare velit. Sin autem ad aliam personam, vel Communitatem ius patronatus donatione, vel permutatione per se transferendum sit, opus est, vt consensus Episcopi, saltem post factam conuentionem, accedat. ibid. §. Donatione, & §. Permutatione.

Licet ius patronatus per se vendi, aut cum re temporali permutari nequeat, tamen per accidens transferri potest vnà cum vniuersitate, que alicui venditur, donatur, legatur, in feudum datur: modò in venditione, aliáve commutatione rerum temporalium, quibus ius patronatus annexum est, ipsius nulla ratio habeatur in æstimatione. Etenim rem aliquam, propter annexum ius patronatus maiore pretio vendere, simoniacum est. num. 21.

Neque per fundi oppignerationem, neque per locationem eius ad breue tempus, annexum ius patronatus acquiritur: potest tamen debitor creditori fundum hypothecę nomine possidenti committere, vt suo nomine pręsentationem faciat. eod. n. 21. in fine.

L

Legatus Sedis Apostolicæ.

Est ordinarius Iudex in Prouincia, ad quam destinatus est, quare delegandi potestatem habet, eiúsque potestas morte Papæ legantis non expirat. l. 1. tract. 4. c. 7. n. 21.

Legatus aliquanto maiorem in prouincia potestatem habet, quàm Episcopus, aut Archiepiscopus; quippe quorum ordinarius Iudex est: causæ tamen Episcoporum grauiores Sum. Pontifici reseruantur. ibid.

Causas diœcesanorũ Legatus suscipere non debet, nisi ad ipsum per appellationem deuoluantur; vel Episcopus eas intra biennium à die motæ litis definire negligat. Ibid. & tr. 5. p. 1. c. 7. n. 2. §. De superiore.

Triplex est Legatus Sedis Apostolicæ: vnus à latere, qui à die discessus ab Vrbe, vsque ad diem reditus absoluere potest omnes percussores Clericorum. Alius est Legatus non à latere, qui solos prouinciales, dum in prouincia morantur, à censura canonis absoluit. Alius denique Legatus natus dicitur, cui ratione particularis Ecclesiæ talis dignitas competit. eodem. tract. 4. c. 7. num. 21.

Legati à latere hæc etiam propria sunt: Quòd beneficia Ecclesiastica conferre possit; & quod in exemptos prouinciæ iurisdictionem exercere, Episcoporum & Abbatum exemptorum electionem confirmare. Verùm quę ad primum gradum imperij pertinent, & Papæ specialiter reseruantur, vt Episcoporum translatio, diœcesium vnio, aut diuisio, dispensationes in impedimentis matrimonij, communi iure Legato à latere non competunt; sed interdum ex speciali concessione. eod. num. 22.

Nuntij Apostolici, & quiuis alij delegati Papæ in causa ipsis commissa superiores sunt alijs Ordinarijs: cùm repræsentent personam Papæ. n. 23.

Dum delegatus Papæ visitat, non potest Ordinarius loci id munus obire. ibid.

Legatum.

Legatum seu fidei commissum in particulari est donatio quędam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda. l. 3. tract. 5. c. 10. num. 1.

Qui testari, ij etiam legare, & qui hæredes institui, ijs etiam legata relinqui possunt. n. 2.

Licet Fratres Minores hæredes institui nequeant, tamen legata per modum eleemosynæ ijsdem relinqui possunt; modò id non fiat in magna quantitate, vt veluti hęreditas sub legati nomine dari videatur. n. 3.

Fratribus Minoribus nec habitatio seiuncta ab eorum Monasterio; nec reditus annuus perpetuus, vel ad tempus longum pro victu, ac vestitu eorum legari potest. Interim non obstat, quin annuus reditus legetur pro ornamẽtis ecclesiæ, pro vino, frumento ad Sacrificium quotidianum, item pro coemendis libris necessarijs. n. 4.

Verisimilius est, quòd anniuersaria perpetua, quibus hæredes grauantur ad eleemosynam præbendam Fratribus, repugnent eorum paupertati; cùm re vera sit reditus annuus pro victu, & vestitu. eod. n. 4. §. Secundò.

Rem immobilem Fratribus Minoribus absolutè legari nihil prohibet; cùm eam vendere possint, & debeant. Hortum verò legatũ ad Fratrum recreationẽ, vel quotidiana olera decerpenda necessariũ, possidere possunt. n. 5.

Domui professe Societatis Iesu tum hæreditas, tum legata relinqui possunt, ita tamen, vt si in ijs bona stabilia contineantur, vsui Domus non necessaria, ea vendi debeant. n. 6.

Res non tantùm testatoris propria, sed etiam aliena legari potest, modò non sit ipsius legatarij. n. 7.

Si debitor creditori legauerit, censetur, reliquisse in compensationem debiti, si ex iuris necessitate debebat: secùs, si ex voluntario contractu. n. 8.

Debita v. g. ex furto plerumque differri non debent, vt testamento relinquantur: præterquam si iusta causa, vel necessitas excuset, quominus ipsemet debitor, dum in viuis est, satisfacere queat. n. 9.

Legata interdum purè fiunt, interdum in diem, interdum sub conditione. n. 10.

Conditio in futurum alia est potestatiua, cuius euentus, moraliter loquendo, ex sola voluntate eius pendet, cui imponitur, alia verò est casualis, alia denique mixta: quibus omnibus hoc commune est; vt si ante impletam conditionem legatarius moriatur, expiret legatum, nec ad hæredes transmittatur, si relictum fuerat principaliter intuitu personæ, secùs, si intuitu animæ, seu pię causę, vel intuitu dignitatis. n. 11.

Si quis Episcopo aliquid legauit fauore personæ, quia erat eius propinquus, eo mortuo, antequam dies legati cedat, expirat legatum, sin autem relictum fuit fauore Ecclesię, successori debetur, postquam dies legati cessit, vel conditio euenit. ibid.

Si legatum fuerit pro Ecclesia in aliquo loco ędificanda, & ibi ędificari non possit, alio loco ędificanda est, cum consensu Episcopi, & executoris testamenti. ibid.

Legatum vel hęreditas relicta sub conditione nuptiarum, non debetur, nisi nuptię sequantur. Si tamen persona, cui relictum, Religionem ingrediatur, videtur ei dandum esse secundùm benignam interpretationem voluntatis testatoris. n. 12.

Si legatum, vel hęreditas relicta sit sub conditione directè auocante à Religioso statu, tanquam inutilis reijcitur, seu pro non adiecta habetur. Secùs est, si conditio indirectè tantùm, & per accidens à Religione auocet, per se autem ac directè ad matrimonij contractum respiciat. Potest enim testator iustam legandi causam habere pro liberorum educatione, & familiæ sustentatione: quemadmodum etiam feuda, pręsertim maiora, eam conditionem habent, vt Clerici, & Monachi capaces non sint. eod. n. 12. & n. 14. §. Secundò.

Iusta censetur esse conditio legato, vel hęredis institutioni adiecta, si cum certa persona matrimonium contractum fuerit. n. 13.

Si tamen persona, quà cum contrahendum, indigna sit, vel si per eam stet, quominus nuptię celebrentur, vel si ante nuptias moriatur, legatarius consequi debet legatum: quia id speciale est in conditione mixta pendente à duorum voluntate, vt si ex defectu tantùm alterius omittatur, pro impleta haberi debeat. n. 13.

Conditio legato, vel hęredis institutioni adiecta, si matrimonium omnino non contrahatur, tanquam bonis moribus repugnans reijcitur: nisi vidua sit, cui ita relinquitur, vel nisi conditio adiecta sit fauore status religiosi, aut sacerdotalis. n. 14.

Si virgini legatum sit sub conditione permanendi in statu continentiæ, seu non nubendi, alioquin legatum transferatur ad causam piam, valebit dispositio. ibid. limitat. 3.

Conditio adiecta legato, vt matrimonium non contrahatur, nisi accendente alterius consensu, tanquam inutilis reijcitur. Secùs est, si requirendum sit consilium duntaxat: quia hic libertatem non tollit, cùm consilium petere quidem, sed non sequi necesse sit. ibid. §. Ex eadem.

Si coniunx coniugi promiserit, se post mortem eius alteras nuptias non contracturum, obligatur promissione, sed plerumque non sub peccato mortali, nisi iurauerit, vel nisi liberorum multùm intersit alias nuptias non contrahi. n. 15.

Lex.

Lex duplex est, naturalis, & positiua: naturalis alia non est, quàm recta hominis conscientia: positiua lex est, quę ex rerum natura necessariò non prouenit, sed à Magistratus libera positione. Ea diuiditur in diuinam, & humanam. lib. 1. t. 4. c. 1. n. 1.

Leges diuinę positiuę in noua lege non sunt alię, nisi circa Fidem, Sacramenta, & Sacrificium: ibid.

Cęremoniales veteris testamenti leges non solùm abolitę, sed etiam earum obseruatio Christianis interdicta est. lib 4. t. 6. c. 2. n. 2.

Lex definitur: Recta agendorum ratio, à publica potestate Communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi. cit. lib. 1. t. 4. c. 1. n. 2.

Ad constitutionem legis tria concurrunt: Iudicium practicum de agendo, voluntas obligandi, imperij denuntiatio. n. 3.

Tametsi subditi sciant Superiorem iudicare consultum, vt aliquid ab ipsis agatur, idémque velle, aut optare, si tamen voluntatem obligandi externo pręcepto non intimet, non oritur obligatio exequendi. Interim consilij est, quodcunque signum iustę voluntatis Prælati instar pręcepti habere. ibid.

Lex debet esse honesta, iusta, possibilis, vtilis pro communi vtilitate lata, denique constans, ac perpetua. n. 4.

Lex siue statutum perpetuò manet, ob continuam successionem Communitatis, neque extinguitur, nisi à legislatore, eiúsve successore reuocetur, vel desuetudine abrogetur, in quo differt lex à præcepto, seu mandato tendente ad personas singulas, cum quibus plerumque extinguitur, imò etiam per mortem pręcipientis. n. 5. §. Hinc verò.

Lex publicè in curia Principis promulgata, quatenus est ex sua parte, statim habet essentialem vim obligandi omnes subditos; licet secundùm actum non astringat inuincibiliter ignorantes. c. 2. n. 1.

Ad substantiam legis non requiritur scriptura; sed potest etiam voce, vel alio signo denuntiata esse. n. 2.

Legislator interdum tempus adijcit, ex quo lex obligare incipiat, v. g. elapso mense post promulgationem. num. 3.

Si legislator nullum tempus adijciat, discrimen est inter legem Imperatoriam, & Pontificiam, quòd illa vim obligandi non habeat ante elapsum tempus bimestre post promulgationem in singulis prouincijs: sed Pontificia simul ac in Romana Curia promulgata est, in toto Christiano orbe vim obligandi habet, quatenus est ex parte legis. num. 14.

Cur diœcesanos absentes lex Romæ promultata non statim obliget, id non prouenit ex defectu legis, sed alicuius conditionis accidentalis, puta quia illam ignorant. num. 5.

Elapsis duobus mensibus post promulgationem legis Cæsareæ factam in Metropoli prouinciæ, ignorantia probabilis non præsumitur, sed ab allegante probari debet. num. 6.

Lex substantiam promulgatione accipit, neque intrinsecè pendet à populi acceptatione: accidentaliter tamen perficitur & confirmatur communi acceptatione, & vsu. cap. 3. num. 1.

Episcopis, præsertim Metropolitanis, ex officio incumbit, nouas Pontificias constitutiones in vsum deducere, saltem postquam ex Curia Romana authenticè ipsis transmissæ fuerunt. n. 2.

Diœcesanus nec de peccato damnari, nec puniri potest, si legem Pontificiam in diœcesi sua non promulgatam, neque vsu receptam ipse quoque non seruet. n. 3.

Si lex legitimè promulgata à maiore populi parte sub rationalibus causæ prætextu non recipiatur, currit contra eam præscriptio, quæ saltem decem annorum spatio absoluitur. n. 4.

Plus temporis, videl. quadraginta annorum spatium, requiritur ab abolendam via præscriptionis legem Ecclesiasticam receptam, minus autem tempus videl. decennium sufficit ad præscribendum contra legem non receptam. ibid.

In dubio num lex recepta sit, stat præsumptio pro lege; cùm lex debuerit recipi. n. 6.

In legum obseruatione quilibet conformari debet illi Communitati, cuius proxima pars est. n. 5.

Fieri potest, vt lex secundum vnam sui partem, vel secundùm vnum genus hominum in obseruatione sit, secundùm alterum non sit. ibid.

Si noua constitutio prouinciæ non conueniat, legislatori supplicari potest, atque interim, dum responsum expectatur, eius executio differri. n. 7.

Legislator.

Lex & legislatrix potestas alia Ecclesiastica est, & alia ciuilis. Differunt inter se tum ratione originis, tum ratione finis. lib. 1. t. 4. c. 6. n. 1.

Ciuilis potestas subordinata esse debet Ecclesiasticæ potestati ratione finis, sicuti corpus animæ naturalia supernaturalibus, temporalia æternis subordinata sunt. num. 2.

Potestas Ecclesiasticorum Præsulum ad aliorum Regnorum iura, & causas ciuiles directa, & ordinaria via se non extendit. ibid. §. Cæterùm.

In defectum Iudicis secularis, si is iustitiam administrare nolit, Ecclesiasticus Iudex inter Christianos adiri potest. Præterea si ciuiles leges peccata foueant, & animarum saluti repugnent, ad Ecclesiasticam potestatem pertinet prohibere. ibid.

Legum ferendarum potestas ex ipsa natura & conditione hominum in Societatem conspirantium necessariò oritur: quare Deum auctorem habet. c. 8. n. 1.

Triplex est forma Reipubl. Democratia, Aristocratia, Monarchia. n. 2.

Leges ferre possunt imprimis Respubl. liberæ, deinde cuiusque Reipubl. supremum caput: Imperator, Rex, & qui ab istis potestatem acceperunt. n. 3.

Communitates in Republ. approbatæ v. g. Mechanicorum, statuta intra limites suos condere possunt, quæ tamen à proprietate publicarum legum nonnihil deficiunt, sicuti & statuta domestica à patrefamilias posita. num. 6.

Legislator alius est absolutus, videl. Papa, Imperator, Rex, Episcopi, Duces Imperij: quamuis horum aliqui in ferendis legibus certarum personarum consilium adhibere debent. Alius verò est legislator dependens, qui solus legem condere non potest, sed cum alijs, inter quos primas tenet. c. 9. n. 1.

Princeps, seu legislator absolutus suis legibus non obligatur in coactiua, sed in directiua, quæ obligatio radicaliter ex naturali iure, proximè autem ex ipsa positiua lege descendit. n. 2. & 3.

Si Magistratus aliquis statutum fecit, vt v. g. debitores ante quinquennium debita soluere non teneantur, tum etiam qui Magistratui debet, eodem contra ipsum iure vti potest. eod. n. 3. §. Tertium.

Legis materia, & effectus.

Legislator cùm ciuilis, tum Ecclesiasticus subditos obligare potest in conscientia, siue sub peccato. lib. 1. tr. 4. cap. 14. n. 1.

Vt lex sub peccato mortali obliget, requiritur, & intentio legislatoris, & materiæ grauitas, seu capacitas. num. 2.

Legislator circa materiam alioquin grauem potest non nisi leuem obligationem imponere velle, videl. sub culpa veniali. ibid.

Materia legis, quæ secundùm se leuis est, grauis effici potest, post Iudicis, vel Prælati admonitionem, præsertim repetitam. ibid.

Interdum materia, quæ secundùm se leuis est, tamen relata ad Communitatem, & publicam pacem, grauis obligationis capax esse potest. n. 3.

Ex verbis, quibus legislator vsus est, colligi debet, qualem obligandi intentionem habuerit: inspicienda etiam est consuetudo, & proborum hominum persuasio, quæ est optima legum interpres. n. 4.

Lege humana, etiam ciuili, præcipi possunt non tantùm opera iustitiæ, sed etiam aliarum virtutum moralium, iisque contraria prohiberi. Sed non omnes virtutum actiones præcipi possunt; neque omia peccata, etiam externa, à Magistratu prohiberi, sed quædam interdum permitti debent, vt grauiora vitentur. eod. tr. 4. cap. 4. num. 1. & 2.

Quædam leges, siue præcepta secundùm substantiam sunt iuris naturalis, aut diuini, secundùm determinationem verò sunt iuris humani. Ita videre est in Confessione annua, Communione Paschali &c. n. 3.

Legislator legitima sua intentione, seu motiuo efficere potest, vt opus aliquod fiat medium siue materia alicuius virtutis conueniens, aut necessaria. n. 4.

Lege, aut præcepto humano per se præcipi, aut prohiberi non possunt actus merè interni. n. 5.

Crimen externum, quamuis per accidens occultum sit, v. g. occultum homicidium, Ecclesiastica lege puniri potest. eod. n. 5. In fine.

Qui opus præceptum, quatenus ex obiecto bonum est, implet, quamuis mala intentione, is legem humanam non violat: quare dicere solent, quòd intentio, ac finis præcepti non cadat sub præceptum. n. 6.

Interdum accidit, vt Ecclesiasticus legislator, præsertim statuendo censuram, aliquid prohibeat adiuncta conditione actus interni, v. g. *Qui ex odio tale quid fecerit*, tali casu conditio restringit pœnam, seu censuram iuris, vt in conscientia non incurratur, nisi ex tali affectu peccetur. ibid.

Qui opus præceptum secundùm substantiam præstat, v. g. die festo Missam attentè audit, tametsi tunc nolit præceptum implere, re vera tamen satisfacit. n. 7.

Actus interni ab humana potestate præcipi, vel prohiberi possunt concomitanter, quatenus requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum. Sic enim dolor de peccatis præcipitur, annua Confessio imperatur. n. 8. & 13.

Si ebrius, dormiens, aut mentis inops dicat horas canonicas, non satisfacit præcepto, sed debet iterum recitare, si ad mentem redeat. Eadémque ratio est, si quis simpliciter inuitus seu coactus Missæ in die festo intersit. num. 9.

Si aliquis in somno, mentis impotentia, vel per vim adactus decimas Parocho soluat, materialiter & in effectu satisfactum est legi, vt opus non sit alias decimas dare. num. 10.

Qui opus sub censura Ecclesiastica prohibitum omnino inuitus intermittit, pœnam legis, aut præcepti euitat. Qui autem opus sub censura præceptum coactus facit, tunc pœnam contrahit, si, spectata Ecclesiæ intentione, ad eius executionem actio voluntaria intrinsecè requiratur. num. 11.

Qui ob metum opus præceptum exequitur, satisfacit: v. g. puer, qui à Pædagogo verberum metu adactus Missam attentè audit. Sed etsi expressam habeat intentionem non audiendi, si Pædagogus abesset, nihilominus implet opus præceptum, vt aliam Missam audire non teneatur; peccat tamen secundùm affectum internum peccato commissionis. n. 12.

Legislator aut Prælatus non potest subditos obligare

ad habendam intentionem, aliámve internam dispositionem, quæ operi non intrinseca, & substantialis sit, v. g. vt ieiunia peragant in statu gratiæ, vt Sacrificia offerant ad particularem intentionem. Prælatis tamen regularibus paulò maior potestas in suos competit, ratione voti religiosæ obedientiæ. n. 13. §. Non poterit.

In ijs quæ pertinent ad naturam corporis conseruandam, & propagandam, homo sui iuris esse debet, ac soli Deo subiectus. Quæ causa est, quòd serui dominis, filij parentibus obedire non teneantur in matrimonio contrahendo, aut virginitate seruanda. n. 14.

Leges positiuæ ordinariè non obligant cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut bonorum magnæ iacturæ. cit. tr. 4. c. 14. n. 5.

Etsi Deus, ipséque Christus absoluta, & illimitata potestate præditus, ad legum suarum obseruationem cum quouis periculo homines astringere possit; ordinariè tamen, ac per se loquendo, non tanta seueritate diuinæ leges positæ sunt, ne in veteri quidem Testamento de Sabbatho, abstinentia à sanguine &c. Multò minùs in nouo Testamento de suscipiendis Sacramentis. ibid. §. Atque hîc.

Interdum etiam humana potestas præcipere, vel prohibere aliquid potest cum periculo mortis &c. Si videl. ex obseruatione legis, aut præcepti maius Reipubl. commodum speretur, vel ex neglectu maius incommodum timeatur, quàm æstimari debeat priuatum periculum mortis &c. n. 6.

Si legis positiuæ transgressio cessura est in contemptum potestatis legislatricis, aut in Fidei, ac Religionis Christianæ detrimentum, tunc ipsa etiam naturæ lex obligat ad obseruationem, quamuis cum vitæ dispendio. num. 7.

Sacrificare sine sacris vestibus licitum est ad grauissimum periculum mortis vitandum, modò id non cedat in contemptum Religionis Catholicæ. n. 9.

Lex Carthusianorum de carnium abstinentia semper obligat: excepto casu, si nullo alio cibo præter carnes suppetente, lex naturalis dictet vitam præsenti alimento seruandam esse. n. 11.

Obligatio legis non se extendit ad actus præteritos, sed solùm ad futuros. Quatenus verò lex declaratoria est, etiam ad casus præteritos se extendit. n. 12.

Lex nouam pœnam delictis statuens, aut certam formam actibus præscribens, & infirmans, nisi aliter fiant, ordinariè non ad preterita, sed ad futura tantùm extenditur. ibid.

Lex pœnalis.

Lex vel est absolutè obligatoria sine adiectione pœnæ, vel est merè pœnalis sine obligatione sub culpa, vel denique est mixta, quę tum sub culpa, tum sub pœna obligat. lib. 1. tr. 4. c. 15. n. 1.

Lex quę à principio lata est, vt tam sub culpa, quàm sub pœna obliget, potest per consuetudinem fieri merè pœnalis. lib. 1. tr. 4. c. 24. n. 2. Illat. 2.

Omnis lex propriè dicta pręceptum continet obligans in conscientia. Quare lex purè pœnalis non videtur esse propriè lex, sed potiùs ordinatio, monitio. Remotè tamen continet obligationem in conscientia, videlicet ad pœnam acceptandam, si subdito legem transgredienti per Superioris pręceptum imponatur. cit. cap. 15. eod. num. 1.

Pœna interdum propriè, & strictè accipitur, quatenus est correlatiuum peccati, seu culpę propriè dictę, interdum verò accipitur latè pro quocunque incommodo, quod alicui iustè infligitur, quamuis non pręcedente eius peccato, seu culpa coram Deo; sed alio defectu, seu culpa ciuili, regulari, domestica. num. 1. §. Objiciet, & num. 2.

Ex grauitate adiectæ pœnæ mortis, mutilationis, exilij &c. coniectura sumitur de mente legislatoris sub culpa mortali obligare volentis. n. 2. §. Lex pœnalis.

Leges pœnales non ita interpretandæ sunt, quasi earum transgressores in conscientia obligentur ad pœnam per seipsos soluendam, seu actiuè exequendam. n. 3.

Qui commisit crimen cui lege lata bonorum confiscatio decreta est, v. g. crimen læsæ Majestatis; hæresis &c. ante Iudicis sententiam licitè, ac validè bona sua alienat: ea tamen conditione, vt si deinde sententia feratur, quamuis post mortem criminosi, omnia bona, quę à die commissi criminis alienata sunt, fiscus reuocare possit. num. 4.

Debet tamen fiscus emptori pretium restituere, si extet, vel quatenus criminosus, cui fiscus succedit, ditior exinde factus fuit. ibid.

Leges pœnales interdum ipso facto, & ante Iudicis sententiam, efficiunt criminosum inhabilem ad acquirendum, vtendum, vti videre est in Ecclesiasticis censuris, irregularitate, canonicis impedimentis matrimonij, priuatione fructuum ob neglectum officium canonicum &c. num. 5.

Non facilè tamen reperietur lex tanta seueritate obligans, vt criminosus ante Iudicis sententiam, positiuam pœnalem actionem exercere cogatur, abdicando se dominio, ac titulo acquisito. Tametsi enim lex pœnalis ipso facto decernat priuationem rei suæ, non tamen criminosus ad executionem obligatur ante sententiam Iudicis. num. 6.

Reus tenetur per seipsum exequi pœnam honestam, & non nimis acerbam, v. g. vt in carcerem, aut exilium eat, ac maneat, posteaquam per Iudicis sententiam condemnatus est. n. 7.

Damnatus ad mulctam pecuniariam exspectare potest, donec ea exigatur, nisi Iudex expresè iusserit, vt pecunia sine alia admonitione afferatur. Idémque obseruari solet in pœna conuentionali. ibid.

Iudex interdum condemnat Reum ad agendum, videl. in mitioribus pœnis; interdum verò ad patiendum, videl. pœnas grauiores mortis, verberationis publicæ, & infamis. eod. n. 7. assert. 4.

Per sententiam condemnatus, vt venenum ebibat, parere non tenetur; imò nec posse videtur. n. 8.

Damnatus ad mortem inediâ perferendam, non tenetur cibum clam sibi sub ministratum recusare; quamuis possit, ob iustitiæ amorem. n. 9.

Ante Iudicis sententiam semper licitum est Reo fugere; nisi promiserit, vel iurârit se permansurum. n. 10.

Etiam post latam sententiam de pœna grauissima mortis, mutilationis &c. sustinenda Reus fugere potest: Quin & in eum finem vincula, & compedes rumpere. eod. n. 10. dicto 2.

Aliqui non improbabiliter hanc fugiendi licentiam ad perpetuos carceres, ad triremes, & ad seruitutem extendunt; nisi obstet iuramenti, aut voti religio, vel specialis permanendi promissio. ibid. §. Neque desunt.

Quibus casibus Reo fugere, & idcirco compedes, & carceres effringere permissum est, alijs quoque consilium, vel instrumenta subministrare licet, non tamen ad violandam custodiam principaliter cooperari. ibid. dicto 3.

Reus mortis, etsi fugere possit, non tamen tenetur: Quin & Iudici seipsum sistere potest, ad iustam pœnam patiendam. num. 11.

Lex prohibent, aut infirmans contractus, & Testamenta.

Legislator supremus potestatem habet ex iusta causa personas aliquas ad contrahendum, testandum inhabiles reddere. Item contractui, vel testamento certam formam præscribere, quæ ad eorum substantiam pertinere debeat. lib. 1. t. 4. c. 16. n. 1.

Interdum lex contractui nec resistit, nec assistit, vti videre est in pacto nudo, ex quo ciuili iure actio non nascitur. num. 2.

Interdum lex contractum prohibet, sed non infirmat,

nec à Iudice infirmandum decernit: nam multa fieri prohibentur,quæ si fuerint facta,obtinét firmitatem.n. 3.

Si lex Ecclesiastica simpliciter aliquid prohibeat, nulla facta mentione infirmandi, non censetur infirmare. Secùs est dicendum de lege Imperiali. ibid. §. Quærunt.

Interdum lex contractum, aliúmve actum licet per se ipsum non infirmet, tamen à Iudice infirmandum decernit. num. 4.

Interdum lex contractum, testamentum &c. ipso facto & ante omnem aliam sententiam irritum reddit, & consequenter Iudici iubet, vt per sententiam ita declaret. num. 5.

Talis infirmatio contractus, alteriúsve actus, suapte natura subsistentis plerumque intelligitur tantùm ciuiliter,vt interim maneat obligatio naturalis per se sufficiens ad transferendum dominium, aliósque effectus: vti videre licet in prohibito ludo alearum, alienatione fundi dotalis, donatione vltra 100. solidos, infirmatione testamenti non solemnis &c. ibid. §. Est autem.

Interdum lex plenissimè infirmat, seu irritat actum, v. g. matrimonium clandestinum, vt nullus inde effectus, aut obligatio, ne in conscientiæ quidem foro oriatur. num. 6.

Si legislator cùm actum instituit, vel eius exercendi potestatem primitus confert, formam vel conditionem apponat, cum qua exerceri debeat, censetur forma substantialis, Sin autem legislator formam procedendi præcipiat obseruari ab ijs, qui iam antea actus secundùm substantiam exercendi potestatem habuerunt, forma accidentalis censeri debet. n. 7.

Sed etsi legislator exprimat, vt tali formâ non obseruatâ actus in vtilis sit, plerumque tamen ita intelligi debet, vt requiratur Iudicis sententia irritantis actum. num. 8.

Lex etiam Ecclesiastica, si sit irritans alicuius actus iure naturali, & diuino, alioquin subsistantis, plerumque censeri non debet effectum sortiri, priusquam in diœcesi promulgata sit. cod. tr. c. 2. n. 7.

Id proprium est legum irritantium actus ob defectum solemnitatis, quod postquam sufficienter promulgatæ sunt, effectum irritationis consequantur etiam erga ignorantes. Exempli causa, qui ob vincibilem ignorantiam clandestinum matrimonium contraxit, aut cum affine sua, à culpa quidem immunis est, sed matrimonij contractus non valet. ibid.

Legum interpretatio, & epikeia.

Interpretatio legis alia necessaria est, alia tantum doctrinalis: Illa vel est generalis, siue erga omnes subditos, cuiusmodi interpretatio ad legislatorem seu Principem pertinet: vel est particularis, quæ ad inferiorem Iudicem spectat. l. 1. tr. 4. c. 18. n. 1.

In dubio præsumptio esse debet pro lege communi: quod verò à communi iure deficit, aut exorbitat, strictè interpretandum est. n. 2.

Correctio legum, quantùm fieri potest, vitari debet. ibid.

Lex limitatoria certum casum à communi lege excipiens confirmat potiùs eam in reliquis. Quare dici solet, quòd exceptio à regula firmat regulam in alijs. eod. n. 2. in fine.

Lex pœnalis, & aliæ odiosæ strictam interpretationem postulant. num. 3.

Verba legis pœnalis intelligenda sunt cum effectu. ibid.

In legum interpretatione potiùs ad hærendum est menti legislatoris, quàm verbis, quibus vsus est. num. 4.

In dubio verba legis, alteriúsve dispositionis, accipi debent secundùm communem acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda est. n. 5.

Propria verborum interpretatio eligenda potiùs est, quàm impropria, nisi ad hanc recurrere necessitas cogat. num. 6.

Lex generaliter, vel indefinitè loquens, omnia significata propria comprehendere censetur: nam enunciatio indefinita in communi locutione æquiualet vniuersali. num. 7.

In materia fauorabili, ac nemini præiudicante, nisi quid obstet, vltra communem, & visitatam verbi acceptionem interpretatio fieri potest. n. 8.

Interdum lex vltra verborum significationem ob rationis identitatem extenditur ad alios casus, & personas, si præsumi possit legislatoris mentem fuisse eos etiam comprehendere: quòd maximè locum habet in lege fauorabili. At verò in lege odiosa talis extensio ob similitudinem rationis fieri non potest, nisi necessitas cogat ad seruandam iustitiam legis. num. 9.

Statutum de vno correlatorum, censetur etiam statutum de altero: & quando duo in iure æquiparantur, quòd de vno statuitur, de altero etiam statutum censetur, si nulla ratio diuersitatis afferri possit. num. 10. & 5. t. 10. p. 4. c. 10. num. 5.

In ijs, quæ inter se subordinata sunt, cui concessum quòd est plus, censetur etiam concessum, quod est minus: v. g. qui testamentum facere potest, multò magis codicillum cod. num. 10. in fine.

Lex interpretans non minùs obligat, quàm interpretata. suprà cit. c. 18. num. 11.

Æquum & bonum opponitur stricto iuri, verborum proprietati tenaciter adhærenti eodem tract. 4. c. 19. num. 1.

Æquum & bonum, siue epikeia, est emendatio iusti legitimi: dictat enim aliquem casum à lege propter æquitatem excipiendum esse, qui alioquin verbis vniuersalibus legis comprehenderetur n. 2.

In legibus obligantibus potius, quam irritantibus epikeiæ locus est. ibid. §. Porrò.

Si manifestum sit casum aliquem ob speciales circumstantias à lege generali excipi oportere, talis interpretatio à quolibet fieri potest. n. 3.

Si concurrant duæ leges, siue præcepta, quæ simul seruari non possunt, posthaberi debet minus ibid.

In dubio, vtrum lex in particulari casu per epikeian cesset, Princeps consuli debet. num. 4.

Qui excusatur ab eo, quod in præcepto accidentale est, debet tamen obseruare principale, si possit: v. g. qui ob negotium in die ieiunij prandium anticipare cogitur, nihilominus ieiunium seruare debet, si possit. num. 5.

Si præceptum sit de re indiuidua, qui excusatur à parte eius substantiali, excusatur à toto v. g. qui vouit se Vesperas, vel Rosarium recitaturum, & non potest dicere totum, excusatur etiam à parte, nisi pars præcepti quæ seruari non potest, exigua sit; qua ratione qui ieiunij legem perferre nequit, nisi mane ientaculum capiat, de cætero, si certus sit se ieiunare posse, obligatur. n. 6.

Si præceptum sit de re diuidua, qui excusatur ab vna eius parte, debet nihilominus alteram seruare: v. g. Clericus, qui ob causam iustam impeditur à recitandis matutinis, nihilominus recitare debet horas paruas, & Vesperas si possit. n. 7.

Si certus sis adesse impedimentum excusans à maiore parte canonici officij, aut quadragesimalis ieiunij, dubites autem quoties in hebdomade ieiunare, aut quantam officij partem sine corporis læsione persoluere possis, tunc epikeia dictabit te obligatione omnino solui; cùm alioquin scrupulorum, & anxietatis materiam oriri perfacilè esset. Ibid.

Legis abrogatio derogatio.

Legi derogatur, cùm pars eius detrahitur; abrogatur verò, cùm prorsus tollitur. l. 1. tr. 4. c. 21. n. 1.

Posterior Principis constitutio derogat, vel abrogat priorem, quatenus ei contraria est; licet verbis expressis nulla eius mentio fiat. Sed excipiuntur decreta Concilij generalis, quibus posteriore contraria lege ac priuilegio non derogatur sine expressa clausula derogatoria. n. 2

Cessante vniuersum totali causa legis, per seipsum cessat lex. Sin autem ratio legis in particulari homine cesset negatiuè tantùm, non ideò deficit lex; sed opus est, vt cesset contrariè, videl. per impedimentum, vel moralem impossibilitatem seruandæ legis. n. 3.

Si lex plures partes habeat inter se separabiles cessante ratione vnius tantùm partis, perseuerat lex secundùm alteram partem. Ibid. assert. 3.

Lex in præsumptione fundata cessat obligare, si de contraria veritate constet; cedit enim præsumptio veritati. n. 4.

Ea autem lex in præsumptione fundari dicitur, cuius formale motiuum, & intrinseca obiecti conditio est præsumptio alicuius rei. Quamobrem Iudici præcipitur, vt in omnibus occurrentibus casibus ex tali præsumptione, quam ipsa lex facit, sententiam ferat. Ibidem.

Libri hæretici, aliique prohibiti.

Qui librum hæretici de religione tractantem sine Apostolicæ Sedis auctoritate scienter legit, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 1.

Censuram excommunicationis non incurrit, qui hæreses Scriptoris hęretici in libro auctoris Catholici ad verbum incertas, quamuis praua incertatione, legit. ib.

Neque libri Catholicorum, quibus breuis scolis hæreticorum inserta sunt, hac censura comprehenduntur. num. 2.

Qui vnam hæretici epistolem, vel concionem de religionis materia scriptam scienter legit, videtur incurrere censuram excommunicationis; licet aliquid negent. n. 3.

Libri hæreticorum historici, poëtici, iuridici medici, etsi obiter hæresin admixtam habeant his regionibus non prohibentur. n. 4.

Paruitas materiæ, puta si quis paucos versus legat in libro hæretici de religione scripto, ab excommunicatione excusat. n. 5.

Fieri potest, vt aliquis vir prudens, ac doctus in Germania nihil peccet, si locum aliquem contradictionis in hæretici auctore quærat, certò sperans, eo exhibito alterum ad Fidem Catholicam perducendum fore: tunc enim lex naturalis charitatis vincere debet Ecclesiasticam. Ibid.

Excommunicationem incurrit, si quis proœmium tantùm, vel Epistolem ad lectionem, vel annexum indicem sufficiente quantitate legat. Ibid. §. Denique.

Qui alteri, v. g. famulo suo, librum hæreticum legendum tradit, vt ex eius ore audiat, excommunicationem Bullæ incurrit. n. 6.

Qui alteri librum hæreticum tradit, vel eius lectionem suadet, mandat, non tamen vt ipsi auscutet, & quasi per ipsum legat, excommunicationem non incurrit. Ibid. §. Secunda.

Si tamen ex eiusmodi suasione, vel mandato malignus effectus hæresis sequatur, contrahetur excommunicatio, quatenus ea in fautores hæreticorum decreta est. Ibid.

Qui librum hæretici de religione tractantem retinet, imprimit, aut quomodolibet defendit, eandem excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit. n. 7.

Non incurrit excommunicationem, qui librum breui tempore retinet; cùm ob materiæ leuitatem mortaliter non peccet: multò minùs incurrit, qui quamuis tempore longiore retinet, donec tempus opportunum offeratur tradendi Inquisitori, aut Theologo. Ibid.

Bibliopolæ, & bibliopegi cauere debent, ne retinendo libros hæreticos ad vendendum, vel compingendum, excommunicationem contrahant. Ibid.

Index librorum prohibitorum duas classes continet. In prima continentur auctores hæretici, aut suspecti de hæresi; quorum omnes libri editi, aut edendi prohibentur: In altera ponuntur libri, qui doctrinam non sanam, aut suspectam continere existimantur, tametsi à Catholicis auctoribus prodierint. n. 8.

Libri primæ classis prohibentur sub excommunicatione Papæ reseruata: sed libri secundæ classis sub excommunicatione non reseruata. Verùm quod atinet ad prohibitionem librorum secundæ classis, ea apud nos in Germania non omnino recepta est. ibid. §. Inter has.

Libri cuiuscunque auctoris res obscænas ex professo tractantes penitus prohibentur, ijs exceptis, qui ab Ethnicis v. g. Poëtis conscripta sunt: Sed pueris non sunt prælegendi, nisi expurgati. Ibid. annotat. 2.

Libri omnes, & scripta magica penitus reijciuntur, quamuis ob lectionem tum horum, tum obscænorum, & similium librorum excommunicatio non contrahatur; sed peccatum mortale, si materiæ grauitas adsit. annotat. 3.

Sacra biblia vulgari idiomate legere his regionibus populo non est prohibitum. Sed versio Germanica Lutheri, & aliorum hæreticorum prorsus interdicta; imò etiam versiones hæreticorum latinæ præsertim noui Testamenti. Ibid. annotat. 4.

Hæreticorum libros, & alios noxios, ac vanos publicè comburendi antiquissimus in Ecclesia Catholica mos est. n. 9.

Sacrorum librorum traditores olim dicti erant, qui cruciatuum metu eos Gentilium Magistratui tradebant. eod. n. in fine.

Locatio, conductio.

Est contractus, quo res alteri vtenda, vel fruenda conceditur, certa pensione constituta. l. 3. tr. 4. c. 22. n. 1.

Locatio, & conductio cum emptione, & venditione affinitatem quandam habet, & ferme eiusdem iuris regulis constituitur; diferunt tamen, quia emptio, & venditio tendit ad dominij translationem, locatio solùm ad vsus vel fructus concessionem. Deinde si res vendita ante traditionem sine culpa venditoris pereat, emptor nihilominus pretium soluere debet. Sin autem res locata ante traditionem intereat, conductor omnino liberatur. §. Hinc etiam.

Conductor rem sibi locatam alteri æquè idoneo ad eundem vsum locare non prohibetur. n. 2.

Si impedimentum accidit ex parte rei conductæ, liberatur conductor à soluenda pensione, secundùm proportionem temporis, quo vti, frui non poterit: Sin verò ex parte conductoris impedimentum incidit, non ita liberatio contingit. n. 3.

Etiam in locationis contractu locator de euictione tenetur. Ibid. dicto 3.

Expensas in rem conductam, quæ duraturæ sunt, item tributa, & onera publica præstare ad locatorem, seu dominium spectat: & interim, dum expensę necessariæ, vel vtiles conductori non soluuntur, rem conductam retinere potest. n. 4.

Conductor dolum, & culpam, etiam leuem, non item leuissimam, multò minus casum fortuitum præstare cogitur; nisi aliter conuentum sit, vel nisi culpa sua causam fortuiti casus præbuerit, videl. in mora restituendi existens. Ibid. q. 4.

Consuetudo interpretatur, vt si valde pretiosa locata sint v. g. vasa aurea, argentea, conductor etiam leuissimam culpam præstare debeat. Ibid.

Conductor, vel custos v. g. pecorum ostendere debet rem sibi commissam perijsse, & quidem sine culpa sua, nisi graues coniecturæ adsint pro hominis innocentia, vel nisi consuetum sit eiusmodi res perire, & quidem sine culpa conductoris, aut custodis. n. 5.

Incendium culpa inhabitantium accidisse in dubio præsumitur: non tamen semper patris familias, sed sæpe famulorum culpâ, quam dominus præstare non cogitur. num. 6.

Propter modicum infortunium nihil colono de pensione remittitur. Secùs si magna, & plus, quàm tolerabilis clades facta sint; neque antecedentium, vel subsequen-

tium annorum fertilitate compensari videatur. Verùm colono partiario ob anni sterilitatem nihil condonatur. num. 7.

Colono emphyteutico, qui magna pensionem soluit, ęquitatis ratione remissio aliqua facienda est propter cladem immodicam. Secùs, si pésio comparatione fructuum modica est, & solùm ferme in recognitionem dominij, nisi fundus omnino perierit, vel in hostium potestatem deuenerit, sine spe breui tempore recuperandi. Ib. §. Adijciamus.

Si pluribus annis ob cœli clementiam vberiores fructus ex fundo proueniant, colono emphyteutico pensio augeri potest: Secùs, si id fiat ob coloni industriam. n. 8.

Si quis conduxerat molendinum, & postea alia vicina destruantur, augeri ipsi potest pensio. Ibidem.

Locator conductorem durante tempore conductionis expellere non potest, nisi in casibus iure expressis. n. 9.

Successor vniuersalis, siue hęres, non item particularis, puta emptor, donatarius, legatarius locationis contractu stare tenetur. num. 10.

Si tamen locatio facta fuerit ad tempus longum, vt transeat in emphyteuticum, quo dominium vtile transfertur, non potest colonus à successore particulari expelli. eod. n. 10. in fine.

Ludus, Sponsio.

Ludus alearum, id est, qui magis fortuna, quàm arte regitur, licet suapte natura contractus licitus sit, tamen per accidens adiuncta mala habet; quare humana lege prohibitus est, præsertim Clericis. l. 3. tr. 4. c. 21. n. 1.

Clerici aleis, vel chartis ludentes mortalis peccati damnari non debent, nisi frequenter, aut publicè cum populi scandalo ludant. Sin autem priuatim, & sine scandalo ex bonis patrimonialibus, aut etiam ex beneficiorum redditibus, sed in quantitate modica, spectato statu suo, ludant, sine officiorum suorum neglectu, excusari interdum possunt à peccato. n. 1. in fine & n. 2.

Qui creditâ pecuniâ lusit, ac perdidit, soluere non tenetur, spectato iure communi Cæsareo, si tamen nihil excipiens soluat, dominium pecunię solutæ in lucrantem transfert. eod. n. 2.

Quibusdam locis in foro externo non conceditur actio ad recuperandum id, quod ludo perditum est, nisi magnæ quantitatis sit. Tunc verò si lex Cęsarea in vigere non sit ad lusu perditum recuperandum, in conscientia obligatus esse videtur ad soluendum, qui data fide solutionis faciendæ lusit, ac perdidit. n. 3.

Si tanta alicui sit ludendi peritia, vt quasi certus sit se lucraturum, iniquus efficitur ludus, nisi alter expressè, vel virtualiter in hanc inęqualitatem consentiat. Ibid. §. Porrò.

In sponsionibus vero qui propria persuasione sine alterius dolo decipitur, sibiipsi imputare debet, cùm spondens hoc ipsum profiteri censeatur, se rem cognitam habere num. 4.

Qui propria bona non habet, vti ad lucrandum, ita etiam ad perdendum in ludo inhabilis est, videl. Religiosus, aut filius familias ex bonis profectitijs à patre. Quare qui ab eiusmodi personis lucratur, quatenus ipsis ludendo perdere concessum non est, ad restitutionem obligantur. num. 5.

Filius, aut Religiosus vna pecunię depositione plus lucrari non potest, quàm perdere, sed pluribus iactibus potest. num. 6.

Pupillus, & Minor, licet ludendo perdere nequeant, quominus contra lucrantem excipere, aut per rei datę repetitionem solutum recuperare possint, tamen lucrari honesto ludo non impediuntur, cùm naturalis in ipsis quoque obligatio subsistat. Si tamen minor natu ad ludendum accesserit animo non soluendi, aut solutum repetendi, videtur obligatus esse ad restitutionem lucri. Ib. ver. Alia ratio est.

Olla fortunæ contractus licitus est, & reuocari potest ad emptionem, ac venditionem. n. 7.

Luxuriæ peccatum.

Luxuria castitatis virtuti opponitur, & est inordinatus appetitus, vel vsus venereorum. Dupliciter hoc peccatum contingit. I. Secundùm substantiam actus, & sic est mortale, II. Quoadmodum, & circumstantiam recidentalem, qua ratione in coniugio peccari potest, plerumque venialiter tantùm. l. 3. sect. 4. n. 9. §. Castitati, & l. 5. tr. vlt. p. 3. c. 1. n. 1.

Luxuriæ sex species numerantur: simplex fornicatio, adulterium, incestus, struprum, raptus, vitiùm contra naturam, quibus septima species addi potest, concubitus sacrilegis. cit. n. 9. §. Castitati.

Simplex fornicatio, & impudicitia inter personas legitimo fœdere non coniunctas est ex genere suo peccatum mortale num. 10.

Licet peccata circa Veneream delectationem sępe venialia sint ob imperfectionem voluntarij, tamen non datur in hoc genere peccatum veniale ob materię paruitatem. l. 4. t. 5. c. 8. n. 2.

Si coniuges post votum continentiæ coniungantur, non est copula fornicaria, sed tantùm sacrilegia. l. 5. t. 10. p. 2. c. 1. n. 4.

Si masculus, vel fœmina ante pubertatis ætatem legitimam in carnis delicto deprehendantur, pręsumptio esse solet, quòd delictum non perfecerit. l. 5. t. 10. p. 4. c. 13. num. 3.

Oscula, & amplexus, si fiant non causa delectationis venereę, sed vt signa amicitiæ, v. g. secundùm patriæ consuetudinem, culpa vacant. Similiter si placeat tactus corporis ob solam proportionem, seu connaturalitatem cum organo tactus, peccatum non est, per se loquendo: quia tactus rei blandæ, sicuti & visus rei pulchrę, organa sensuum naturaliter delectant. Denique si oscula & amplexus profiscantur ex loco, aut animi leuitate, non causa delectationis venereæ, culpam tantùm venialem habent, per se loquendo. Ibid. suprà cit. n. 10. §. Quædam.

Oscula, amplexus, & tactus inter sponsos de futuro videntur excusari à peccato mortali, si absit periculum pollutionis, & consensus in copulam, neque per se siue ex obiecto turpes sint. n. 11.

Tactus inter coniuges, si fiant solius voluptatis causa, & non in ordine ad copulam coniugalem, culpa non vacant: sed venialem non excedunt, per se loquendo. n. 12.

Impudici tactus pertinent interdum ad peccatum mollitiei, vel adulterij, &c. pro diuersitate personæ, cum qua exercentur. n. 13.

Se ipsum contrectare, aut confricare, causa delectationis venereę, si fiat cum plena deliberatione, est peccatum mortale: sed non omnis pruritus etiam circa partes verendas, venereus est: nec omnis extinctio eius per fricationem luxuriosa delectatio censeri debet. Ibid.

Turpiloquium, turpis cantio, literæ amatoriæ, si venereæ voluptatis gratia instituantur inter personas omnino solutas, mortalia peccata sunt: Sin ex animi leuitate, & curiositate, venialia tantùm, per se loquendo, sed per accidens sępe mortalia. Ibid. addendo 5.

Mortaliter peccare censendi sunt, qui turpes libros, cantilenas, aut comœdias scribunt, vel publicè exhibent: Item qui turpes imagines pingunt, ac publicè proponunt: cùm hæc vix fieri possint sine aliquorum spirituali iactura Ibidem.

Delectatio quæ capitur ex aspectu corporis, faciliùs à peccato excusatur, quàm delectatio ex tactu. num. 14.

Directè & efficaciter intendere, vel procurare pollutionem, seu seminis humani effusionem in se, vel in alio, semper est peccatum mortale contra naturam, quacunque id causa, aut fine fiat. n. 15.

Qui causam pollutioni per accidens prębet, non peccat mortaliter, imò nec venialiter peccat, si actio, ex qua

pollutio oritura putatur, per se honesta sit, & finis eius honestus. n. 16.

Pollutionem naturaliter prouenientem v. g. in somnis permittere, non est peccatum. n. 17.

Pollutionis nomine non comprehenditur stillicidium, seu fluxus humoris, qui semen humanum non est, quamuis cum eo similitudinem gerat. n. 18.

Voluntaria pollutio etiam inter coniuges est peccatum mortale. n. 19.

M.

Maledictio.

Maledicere est malum alicui dicere, quod elicitiuè ad intellectum pertinet, non ad voluntatem: verùm cùm maledictio fiat per modum imprecandi, v. g. fulmine, laqueo pereas, aliud non est, quàm expressio voluntatis auersæ ab altero: quare maledictio est actus ab odio imperatus. l. 2. t. 3. c. 8. n. 6.

Hominibus malis seu peccatoribus interdum licitum est maledicere ex odio abominationis, v. g. latroni, qui Reip. noxius est, vt laqueo suspendatur. n. 7.

Proximo sine iusta causa maledicere charitati repugnat, interdum etiam iustitiæ, si contumeliam contineat, quas rationes seu species peccatorum in Confessione perpendere oportet: interdum enim ambæ reperiuntur in maledictione, vt si quis ex odio maledicat homini in faciem: interdum verò peccatur tantùm contra charitatem, vt si quis seriò maledicat absenti sine vlla honoris, aut bonæ existimationis detractione: interdum autem committitur peccatum contumeliæ, non item peccatum odij contra charitatem, si quis alicui in faciem maledicat non ex animo, quasi ita euenire optet. n. 8.

Tantò grauior contumelia, vel impietas est, quanto excellentior persona, vel à nobis magis reuerenda cui maledicitur v. g. pater, vel qui loco patris esse debet. Ibidem.

Accidit interdum, vt verba maledictionis erga hominem nec charitati, nec iustitiæ notabiliter repugnent, sed ferme tantùm mansuetudini, ac patientiæ; ideóque culpam venialem non excedant; vt si parens filio malum imprecetur; non ex animo & seriò, ac sine notabili immimutione honoris. §. Denique.

Si quis creaturis in hoc mundo existentibus rationalibus, vel irrationalibus maledicat, quatenus creaturæ Dei sunt, adeóque cum habitudine ad Deum, is blasphemat; sed talis intentio in dubio præsumenda non est. l. 4. t. 10. c. 6. n. 10. §. Imò etiam.

Creaturis irrationalibus absolutè maledicere, est actus saltem otiosus, præterquam quod inordinatus affectus iræ, ac impatientiæ admisceri soleat. Quòd si quis maledicat creaturis istis, quatenus spectant ad hominis dominium, aut possessionem, tum ab odio imperari solet. eod. c. 6. n. 11.

Mos antiquus est per rhetoricam exaggerationem ad significandam animi mœstitiam, maledicere irrationalibus creaturis: quo modo Dauid maledixit montibus Gelboe, in quibus Saul & Ionathas occubuerunt: & Iob ac Ieremias maledixerunt diei, in qua nati fuerunt. ibid. §. 2.

Mandatum.

Mandatum est officium ab eo qui gratis suscepit exequendum: gratuitum enim mandatum esse debet: sin verò merces interueniat, in locationem transit. l. 3. t. 4. c. 26. n. 1.

Licet mandans post præstitum sibi officium ex gratitudine obligatus maneat ad remunerandum, tamen id strictè debitum non est: quare nec occultæ compensationi in hoc casu locus esse potest, Verùm Procuratori, sic vti & Aduocato, quos constat laborem suum gratis non præstare, ad Iudicem pertinet iustum salarium decernere, si ipsis constitutum non fuerat. eod. n. 1.

Inter mandantem & mandatariū conuentio interuenire debet, saltem tacita. Si enim videas, in tui gratiam aliquid ab altero fieri, nec prohibeas, tacitè mandare censeris. Ibid. §. Inter.

Mandatarius mandatum fideliter & integre exequi debet: alioquin famæ periculum sustinebit, si de dolo conuictus, & damnatus fuerit; ex culpa tamen, nisi lata sit, non obligatur, si mandati executio gratis fiat. Ibidem.

Mandans ratum habere debet, quod nomine eius gestum est à mandatario; nisi fines mandati excesserit: nam gesta contra, vel præter formam mandati irrita sunt. n. 2.

Qui mandat centum aureis emi, mandare etiam intelligitur, vt, si fieri possit, etiam minoris ematur: quare nisi dominus contentus esse videatur, vt mandatarius, vel famulus sibi retineat, quantò minoris emptum fuit, domino restitui debet. Et similis ratio est de venditione, si pluris res vendi potuit. Ibidem.

Si mandans v. g. Clerici occisionem postea reuocet mandatum, sed reuocatio ad mandatarium non perueniat, nihilominus excommunicationem incurrit, ac damni resarciendi obligationem. Secùs est, si mandatarius verè ac seriò factam cognouit, & nihilominus occidit, tunc enim censeri non potest hæc executio mandati, sed proprio nomine commissum homicidium. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. num. 7.

De consilio aiunt aliam rationem esse, nam si semel persuasisti Titio, vt occideret, etsi postea consilium reuoces, nihilominus secuti homicidij causa censeberis. Quare licet pœnas iuris, v. g. excommunicationem euites, non tamen irregularitatem, & restituendi damni obligationem. Quamuis probabiliter dici potest, si suasor propositas ante rationes seriò, & efficaciter retractauit, quantum potuit, etiam ab irregularitate, & restitutione immunem fore. Ibid. §. At verò.

Mandans mandatarium indemnem seruare debet, vt omnes expensas ipsi restituat, quin & fortuitum damnum quod occasione mandati passus est, eidem resarciat, ne ipsi officium damnosum sit. Alia ratio est, si merces vel salarium interueniat: quare si famuli, & milites stipendiarij aliquid in profectione amittant v. g. pecuniam, ensem, à dominis exigere non possunt. cit. l. 3. tr. 4. c. 26. n. 3.

Vt obligatio & actio mandati oriatur, debet esse de re honestà, licita: nam rei turpis nullum mandatum est. n. 4.

In externo foro à pœna excusantur personæ alterius potestati subditæ, si eius mandato leuia delicta commiserint, sed non in grauibus delictis, v. g. furto notabili, aut homicidio: quamuis & in his interdum mitior pœna decernitur, si propter metum aliqualis obediendi necessitas compulerat. Ibidem.

Mandatum aliud generale est, aliud speciale: Generale tamen mandatum non se extendit ad ea, quæ speciale mandatum exigere videntur, videlicet ad alienationem, transactionem, oppignerationem, iuramenti delationem; præterquam si mandatum generale fiat cum potestate plena ac libera: nam tale mandatum æquiparatur mandatis specialibus. Veruntamen ex vi talis mandati donari non potest, nisi talis facultas specificè exprimatur. n. 5.

Syndici & Administratores ciuitatum alienare, & transigere possunt: quia generale mandatum à lege habent cum libera potestate. ibid.

Literæ *credentiæ*, in quibus generatim cōtinetur, vt plena fides habeatur offerenti, non obligant scribentem, nisi fides literis habenda magis specificata sit, v. g. *fidem ei habebis in omnibus, meo periculo*. §. Huc etiam.

Mandatum expirat I. per reuocationem, si res integra sit. II. per renuntiationem, si ea tempestiuè fiat. III. expirat plerumque per mortem mandantis, si res integra sit, IV. per mortem mandatarij, præsertim re adhuc integra, interdum autem etiam si negotium cœptum fuerit reuocabitur mandatum, si personæ industriæ specialiter electa erat. num. 6.

Si tibi mandatum fuerit, vt puellæ dotem traderes, exequi debes etiam post mortem mandantis, ob specialem

lem dotis fauorem: quare idem quoque existimandnm est de mandato ad causas pias, v. g. si eleemosynario data sit pecunia inter pauperes distribuenda, dandam etiam esse post mortem mandatis. eod. n. 6. §. Tertiò.

Si is, qui in alterius potestate est, seruus, filius, Religiosus ex voluntate & iussu seu expresso, seu tacito contrahat, tum aduersus dominum, patrem, Prælatum acquiritur actio ex iussu; siue specialiter iussum fuerit in aliquo genere contractus, siue generaliter, *quod voles cum seruo meo negotium gere periculo meo*. eod. t. 4. cap. 27. n. 1.

Huc spectat etiam actio exercitatoria, & institoria. Nam si quis maritimæ, vel terrestri negotiationi alium præposuit, censetur ratum habere velle, quicquid in tali negotio gestum fuerit; modò fines, & forma consueta negotij obseruentur. Imò latiùs id extenditur, vt cuicunque negotio, vel officio aliquis alterum præposuerit, actio competat aduersus præponentem, tanquam ex iussu generali. num. 2.

Si seruus, vel similis persona quæ necessariò paret, negotio, vel officio alicui præposita fuerit, oritur actio veluti ex iussu: Sin verò alia libera persona, oritur actio ex mandato. Discrimen autem est, quòd qui cum mandatario contraxit, contra ipsum quoque actionem directam instituere possit; & similiter aduersus institorem, vel negotiationis præpositum, si homo sui iuris est; secùs, si in potestate constitutus. n. 3.

Si personæ in potestate alicuius positæ sine eius iussu expresso, & tacito contraxerunt, absolutè loquendo, non obligatur, Prælatus v. g. ex contractu Religiosi, pater ex contractu filij, dominus ex contractu serui; sed solùm, quatenus in rem eius aliquid versum, esse demonstrari potest. Ibid.

Tunc aliquid dicitur in rem alicuius versum, si quid ipsi vtiliter comparatum, vel in quoscunque sumptus necessarios, aut vtiles expensum; non item, si ad meram voluptatem, nisi dominus in id consenserit. n. 4. casu IV.

Certi casus sunt, quibus Monasterium obligatur ex contractu, aut delicto Religiosi sui. I. Si Religiosus communicato consilio cum Prælato, & Capitulo deliquit: nam delictum Prelati, & Capituli nocet Ecclesiæ. II. Si Religiosus administrationi præpositus aliquid egit, aut contraxit, secundùm limites commissionis, & officij. III. Si Religiosus cum licentia Prælati extra Monasterium degens, sumptus faciat, vel pecunias mutuò accipiat, secundum quantitatem ipsi destinatam: nam ita etiam de filio familias statutum est. n. 4.

Si famulus vinum v. g. pecuniâ numeratâ à domino emere iussus, impetrata ab œnopola fide de solutione, pecuniam à domino traditam intercipiat, contra eundem dominum nec ex iussu, nec de in rem eius verso a ctio competere potest. n. 6.

Non dicitur aliquid versum in rem seu vtilitatem alterius, quando tantundem erogauit, quantum accepit. eod. num. 6.

Æquum, non est, vt vel crudulitas creditoris domino obsit, vel calliditas serui noceat: quare curiosus creditor esse debet, quò vertatur id, quod seruo datum fuit, nisi sufficiens mandatum exhibuerit. Ibid.

Constitutus ad recipiendam pecuniam nihil præiudicat domino, si confiteatur pecuniam se recepisse; cùm non ad confitendum, sed tantùm ad recipiendum constitutus esse censeatur: mandatum autem non extenditur vltra comprehensa in eo. Ibid. §. Sed neque.

In quocunque mandato generaliter dato semper præsumitur mandatum id quod est de consuetudine mandantis. Ibid. §. Alia quidem.

Actio quod iussu, seu exercitatoria, institoria, longè commodior est, quàm actio in rem versa: quia per hanc actionem plus non consequetur actor, quàm ostenderit, re ipsa in alterius vtilitatem versum fuisse. eod. num. 6. in fine.

Martyrium,

Martyrium est excellentissimus fortitudinis actus: nam Martyr propter seruandum bonum veritatis Fidei ipsam vitam profundere non perhorrescit. l. 3. sect. 3. n. 2.

Non sunt propriè & perfectè martyres, qui in vincula coniecti, multa patiuntur, nisi eam mortem perferant: sed tales Confessores dici solent. n. 3.

Hæretici martyres esse non possunt: si enim occidentur propter Fidem, quam profitentur, cùm ea Christi non sit, sed ipsorum propria, & humana, sequitur eos non occidi propter Fidei supernaturalis veritatem. Ibid. §. Sequitur II.

Paruuli baptismo sanguinis speciali Dei priuilegio saluantur, sine propria voluntate. n. 4.

Ad martyrium requiritur, vt mors alicui inferatur, odio Fidei, seu doctrinæ Christianæ, & vt homo, si adultus sit, mortem voluntariè acceptet, propter Fidei veritatem tuendam. n. 3.

Si quis dormiens occidatur in odium Fidei Christianæ, cùm antea nihil cogitârit, ideóque nec consenserit in mortem, martyr censeri non debet. Secùs, si in vincula cõiectus statuit apud se mortem fortiter pro Fide tuenda perferre, ac postea in somnis occidatur. n. 4. §. Quòd verè.

Martyres non sunt, qui pro Fide contra hæreticos pugnando occiduntur, quia non voluntate, sed potiùs necessitate mortem oppetunt, nec Christi cum mansuetudine patientis similitudinem gerunt. eod. n. 4. §. Secundò. sequitur.

Qui ob motiuum honestatis moralis mortem subijt martyr non est, sed requiritur causa pia, quæ per Fidem supernaturalem cognita est. n. 5.

Causa veri martyrij est, non solùm si quis mortem patienter oppetat propter Euangelicæ veritatis prædicationem, aut confessionem verbalem, sed etiam propter cuiusque virtutis opus secundum Euangelicam doctrinam non omittendum, aut mali peccatum non committendum. l. 3. t. 3. p. 3. c. 1. n. 6.

Apud infideles, aut hæreticos Euangelium prædicare, sacrificare, à carnibus abstinere &c. cùm probabili periculo mortis, ex qua non magnus Ecclesiæ fructus speratur, non fortitudinis, sed potiùs temeritatis opus est: quare inde laus martyrij acquiri non potest, nisi inuincibilis ignorantia hominem excuset. Ibidem.

Tametsi ipsi infideles Christianum persequantur, & ad necem quærant, interdum expedit magis fugere, vt diutius viuendo pluribus aliquis prodesse possit. Ibid.

Martyrium instar Baptismi fluminis omnem culpam, & pœnam delet, sed non absque imperio & motione charitatis in homine adulto, suprà cit. l. 3. n. 6.

Licet baptismus sanguinis in se includat baptismum flaminis seu dilectionis, tamen ab eodem distingui solet, propter peculiares excellentias, quas habet: I. In baptismo sanguinis valde copiosa gratia infunditur, propter excellentissimæ charitatis actum. II. Baptismus sanguinis omnem etiam venialem culpam delet, propter virtualem regugnantiam erga peccata omnia (nisi mens actualiter alicui inhærescat,) pœnámque omnem peccatis debitam extinguit. n. 7.

Martyrium quadam ratione etiam superat baptismum fluminis: quia non tantùm peccata penitus tollit, sed etiam possibilitatem peccati aufert, hominémque actualiter introducit in vitam beatam. Præterea in se continet veram, & realem imitationem passionis Dominicæ, ex qua omnis vis nostræ salutis promanat: cùm baptismus fluminis contineat repræsentationem figuralem. Ibid. §. Superat.

Martyribus propter excellentissimę fortitudinis actum, speciale præmium in cœlo datur, quæ *aureola* dici solet. Verùm sicuti hęc accidentalis gloria in cœlo supponit gloriam essentialem, in eáque fundatur, ita etiam meritum gloriæ illius accidentalis supponit meritum principale charitatis, in eóque fundatur. Ibidem.

Matrimonium.

Definitur, maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ societatem retinens. l. 5. t. 10. p. 2. c. 1. n. 1.

Etsi omnes alij contractus sicuti mutuo consensu constituti sunt, ita etiam dissolui possint, matrimonium tamen partim suapte natura, ob commodum prolis generandæ, & educandæ; partim verò, & multò magis, ex Dei primæua institutione, sacri mysterij causa, indissolubilem nexum habet. Ibidem §. Posterior 1. & l. 3. tr. 4. c. 5. n. 5. §. Denique.

Coniunx potestatem & ius reale habet in corpus coniugis; sed non propriè dominium. eod. n. 1. §. Eiusdem.

Triplex est matrimonium: I. Legitimum, quod legitimo consensu inter personas non impeditas celebratum, etiam inter infideles esse potest. II. Ratum, quod in se includit legitimum; sed addit rationem sacramenti, & maioris firmitatis inter Christianos. III. Matrimonium consummatum, quod accedente carnis copula, magis perficitur, & completur. n. 2.

Beata Virgo Maria verum cum Iosepho matrimonium contraxit. n. 3.

Matrimonium in lege noua inter fideles sacramentum est, à Christo institutum. c. 2. n. 1.

Matrimonium non tantùm sacramentum est, sed etiam officium naturæ, atque contractus naturalis. l. 4. tr. 10. c. vlt. n. 34.

Si baptizatus cum catechumena ex Papæ dispensatione matrimonium contrahat, ex neutra parte Sacramentum erit. cit. cap. 2. n. 1. §. Ex quo.

Ipsi coniuges ministri sunt huius sacramenti, & non Sacerdos. n. 2.

Hæretici qui rite baptizati sunt, tametsi nolint contrahendo matrimonium Sacramentum accipere, ex hypothesi erroris speculatiui, quia putant, non esse Sacramentum; re ipsa tamen sacramentum suspiciunt, quando volunt contrahere, sicuti fideles solent, & in Ecclesia Christi consuetum est. eod. n. 2. §. Porrò.

Materia sacramenti matrimonij sunt corpora coniugum inuicem tradenda; forma autem sunt verba coniugum contrahentium. n. 3.

Matrimonium non tantùm est sacramentum, cùm fit; sed etiam factum manet. n. 3.

Mutus & surdus à Natiuitate, si rationis compos sit, à matrimonij sacramento prohiberi non potest: fatui autem seu amentes admittendi non sunt. n. 5.

Secundùm consuetudinem Ecclesiæ, quæ nunc viget, non permittitur cohabitatio coniugis ad Fidem conuersi cum altero coniuge, qui infidelitate persistit. cap. 3. num. 1.

Non ideo statim matrimonij vinculum soluitur, quia vnus ad Fidem Christi conuertitur, alter autem conuerti, aut sine contumelia Creatoris cohabitare recusat. n. 2.

Si vxor infidelis post conuersionem mariti ad alias nuptias transeat, marito aliud matrimonium non contrahente, accidat verò postea, vt etiam ipsa mulier ad Fidem conuertatur debet illa deserto marito posteriore adhærere priori, nisi Papa ipsis volentibus dispenset. coroll. 3.

Si coniunx infidelis à coniuge ad Fidem Christi conuerso sponte recedat, vel sine contumelia Creatoris cohabitare nolit, alter ad alias nuptias accedere iure potest, quibus prius matrimonium penitus soluitur. n. 3.

Si infidelis cum coniuge ad Fidem conuerso cohabitare velit sine contumelia Fidei, quamuis id Ecclesia non permittat; Sedes Apostolica priùs consulenda erit, quàm fideli ad aliud matrimonium transitus permittatur. n. 4.

Si alter coniugum baptizatorum in apostasiam labatur, neque nocenti, neque innocenti aliud matrimonium contrahere concessum est. n. 5.

Si ambo coniuges infideles Fidem Christi & baptismum suscipiant, eorum matrimonium efficitur sacramentum, ideóque ratum & indissolubile. n. 6.

Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento, quòd iure tantùm Ecclesiastico dirimens est, post eorum conuersionem separandi non sunt: secùs est, si impedimentum matrimonij ex iure naturali fuit, vt si pater filiam, aut frater sororem duxit. eod. n. 6. addit. 2.

Matrimonium clandestinum, id est, sine Parocho aliísque testibus celebratum, olim seuerè prohibitum erat, nunc verò etiam irritum est. c. 4. n. 1.

Ecclesia potest formam contractui matrimonij præscribere, qua non seruata, irritum fit. n. 2.

Parochus aliúsve Ordinarius matrimonio assistens debet esse proprius, vel vtriusque, vel saltem alterius sponsorum, & potest etiam extra parochiā validè assistere. n.

Parochus matrimonio assistere potest, etsi nondum sacerdos sit: sed alteri, quàm sacerdoti, assistendi facultatem committere nequit. n. 4.

Parochus matrimonio validè assistit, licet excommunicatus non toleratus sit, modò titulum ac possessionem Parochiæ retineat. n. 5.

Præsentia Parochi aliorúmque testium debet esse moralis, vt intelligant quod agitur: sed necesse non est ad matrimonij contractum, vt habeant qualitates, quæ in aliis causis ciuilibus, aut criminalibus requiruntur. n. 6.

Simili ratione si de matrimonij valore lis in iudicio oriatur, ordinariè sufficiunt qualescunque testes ad fidem faciendam, etsi sint impuberes, fœminæ, infames, infideles, parentes, liberi, serui. Ibid. §. Secundò.

Decretum Concilij Ttident. requirentis Parochi, ac testium præsentiam, non obligat in locis, vbi ea constitutio nunquam promulgata, aut recepta est. n. 7.

Sacerdos Catholicus non prohibetur assistere matrimonijs hæreticorum, quos in sua parochia habet. n. 8.

Ante matrimonium trinæ denuntiationes publicè fieri debent, quæ tamen ad substantiam contractus non pertinent, quasi ijs intermissis irritus existat. n. 9.

Denuntiationes in vtriusque sponsæ parochia fieri deberent, quamuis id non vbique obseruatur. n. 10.

Denuntiationes ob iustam causam interdum remitti debent, vel vna sola pro trina fieri, talis autem remissio ad Episcopum spectat, nisi periculum in mora sit, vt Episcopi consensus expectari nequeat, v. g. si quis morti vicinus cum concubina contrahere velit. n. 11.

Si fideles cognitione moraliter certa deprehenderunt occultum matrimonij impedimentum, v. g. ex crimine incestus ortum, post Ecclesiæ promulgatum præceptum, denuntiare illud tenentur; excepto, si sperent, priuata monitione malum emendari posse; aut si putent, ex tali denuntiatione maius aliquod malum, aut scandalum oriturum esse. lib. 3. t. 3. p. 2. c. 4. n. 8. In fine.

Ad obijciendum impedimentum matrimonio nondum contracto vnius idonei ac iurati testis depositio sufficit, etiamsi is ipsemet denuntiator sit, propriam turpitudinem allegans: si v. g. sponsi frater, aut patruelis dicat, se cum sponsa fornicatum esse. n. 9.

Interrogatus de occulto matrimonij impedimento, aut de contracta irregularitate, debet abstinere à sacramento Matrimonij, Ordinis, vel defectum manifestare, tametsi is occultus sit: cùm non agatur hîc ad vindictam publicam, sed ad peccatum impediendum, & honorem sacramenti seruandum. n. 10.

Si tamen dispensatio super impedimento, aut defectu occultè impetrata sit, ac proinde ratio interrogandi ob peccatum vitandum cesset, necesse non erit confiteri, nisi Ordinarius iuridicè interroget, præcedente infamia, & indicijs sufficientibus: quandoquidem dispensatio, quæ occultè seu pro foro conscientiæ tantùm impetratur, in iudiciali foro nihil adiuuat. Ibid.

Si Parochus probabiliter cognouit subesse impedimētum, quamuis occultum, modò non ex sacra Confessione cognouit, non debet sponsos cōiungere, sed rem ad Episcopum deferre, si illos priuata monitione, à contrahendo

abstinere nequeat. Et debent hęc intelligi de omni matrimonij impedimento, etiam impediente tantum eodem. num. 10. in fine. & lib. 5. t. 4. c. 6. n. 11.

Nulla culpa est, per se loquendo, matrimonium consummare ante benedictionem. l. 5. t. 10. p. 2. c. 4. n. 12.

Primæ nuptiæ secundùm antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem benedici debent: secundis autem nuptijs benedictio adhibenda non est; propterea quòd postquam benedictio alicui rei semel collata fuit, repeti non soleat. Consuetudo tamen iam obtinuit, vt nuptiæ virginis, seu primò nubentis cum viduo benedicantur; imò quibusdam locis, quotiescunq; alter coniunx, etiam vir, benedictionem non recepit, nuptię eius benedici solent. n. 13.

Sponsalia clandestina omni iure valida & obligatoria sunt, atque Parochi pręsentia ad sponsaliorum valorem nequaquam requiritur. n. 14.

Si Parochus sponsalibus de futuro intersit, interdum expedit monere homines simplices, non esse inter eos contractum matrimonium, vt sciant fornicationem mortalem fore, si carnaliter coniungantur ante nuptias. Quare permittendum non est, vt post talem desponsationem ad eandem domum commigrent. Ibidem.

Si sponsi contrahentes sponsalia de futuro coram Parocho, vtantur verbis de præsente, non debet idcirco matrimonium ratum censeri, cùm Parochus, & testes pręsentiam suam non exhibuerint tanquam matrimoniali contractui, quippe quod nec dum denuntiatum fuit. n. 15.

Ob intermissas matrimonij denuntiationes canonicæ pœnæ incurruntur. n. 16.

Matrimonium graui metu, ad iniustè incusso, celebratum, iure Ecclesiastico irritum est. Nec refert hoc loco, vtrum metus ab ipso contrahente, an ab alia persona incussus fuerit. c. 5. n. 1. & 2.

Si aliquis iniuriam, aut vim passus sponte eligat matrimonium, tanquam medium ad se liberandum, vt si in carcere iniustè detentus matrimonium contrahere velit cum filia Iudicis, ad conciliandum eius animum, omni iure validum existit. cit. n. 1. §. Secundò.

Si metus iustè incutiatur, seu à lege, aut Iudice, seu ab homine priuato, v. g. si pater stupratori filiæ accusationem minetur, nisi eam ducat, validum erit matrimonium. n. 2. §. Tertium.

Si tamen antecedens culpa per se non requirat consensum in matrimonium, tanquam pœnam delicti, aut damni compensationem, iniuria infertur delinquenti, si ad matrimonium cogatur, ideò irritum censeri debebit, si ob talem metum, qui in virum constantem cadat, matrimonium contrahat. Ibid.

Metus reuerentiæ non censetur esse iustus, & sufficiens, ad infirmandum matrimonium, nisi alia adiuncta sint. v. g. patris sæuitia, minæ. n. 3.

Similiter preces, quamuis importunæ, & sæpius repetitæ sint, non sufficiunt ad infirmandum matrimonium, nisi iunctus sit metus reuerentialis, adeóque duæ impulsiones concurrant, videlicet hominis auctoritas, & precum importunitas. §. Simili.

In dubio, vtrum metus grauis in matrimonij contractu interuenerit, pro parte negatiua, adeóque pro valore matrimonij iudicari debet. Eadémque ratio est de Religionis professione. n. 4.

Si matrimonium graui metu cogente contrahatur inter infideles, validum censeri debet, quia consensus absolutè non defuit, licet cum inuoluntario mixtus sit, præsertim si infideles iurę Cæsareo, non vtantur, si quidem etiam illo iure matrimonium ob grauem metum infirmari videtur. cod. n. 4. in fine.

Si vnus contrahentium animum simularum habeat, omni iure irritum est matrimonium, sed deceptor damnum iniustè illatum compensare debet, quæ compensatio plerumque ita fieri debet, vt, deposita simulatione, vero apud animum elicito consensu matrimonium ratificet: quod in hoc casu ad ratificationem sufficit, modò alter contrahens actu, vel virtute consensum retineat. c. 6. n. 1.

Quibusdam casibus deceptor non obligatur ad verum matrimonium, sed aliam puellæ compensationem facere potest: I. Si decepta pro virgine se falsò iactauit, nam deceptio deceptione tollitur. II. Si ex tali matrimonio scandala, & infelices exitus timeantur. III. Si deceptor longè eminentiore statu positus sit, dummodo spe matrimonij copula non intercesserit. IV. Si decepta cognita deceptione, aliam damni compensationem sponte recipiat. V. Si deceptor aliud postea matrim. vero consensu contraxit. c. 6. n. 2. ver. Sunt verò.

Coniugi affirmanti, quamuis iurato, se fictè contraxisse, fides habenda non est, donec clarè id demonstret: neque enim iuranti creditur aduersus ea, quæ antea asseuerauit. n. 3. ver. Porrò.

Matrimonium contractum sub conditione relata in præsens, vel præteritum, statim valet, si conditio est, non valet autem, si conditio non est. c. 7. n. 1.

Probabile est, quòd matrimonium contractum sub conditione honesta, relata in futurum, ea eueniente, perficiatur, absque nouo contrahentium consensu. n. 2.

Per se loquendo, non peccant consanguinei, vel aliter impediti, si matrimonium verbis de futuro spondeant sub conditione dispensationis Papalis: & oritur inde vera oblagatio sponsaliorum sub conditione. n. 4.

Si impediti spondeant verbis de præsente sub conditione relata in futuram dispensationem Papæ, eâ impetratâ, non videtur matrimonium consistere, absque nouo consensu coram Parocho, & testibus expresso. n. 5.

Si quis matrimonium cum duabus contraxit sub conditione in futurum, illud validum est, cuius conditio priùs impletur. n. 7.

Matrimonium contractum sub conditione, quę eius substantiæ, vel substantiali proprietati, repugnat, ipso iure irritum est. n. 8.

Validè contrahitur matrimonium cum intentione adulterium committendi, aut à coniuge sine iusta causa se separandi: Non autem validè contrahitur matrimonium, si talia in pactum deducantur. Ibid. Coroll. 1.

Valet matrimonium, si quis contrahat cum intentione eo nunquam vtenti petendo, aut reddendo, non autem valet, si conditio seu pactum adijciatur, quo ius matrimonij impeditur: v. g. accipio te ea lege, vt in perpetua continentia viuamus, vt nunquam à me coniugi debitum exigas, vt tibi exigenti reddere non tenear. n. 9.

Conditio impossibilis adiecta contractui statim eum vitiat, at modus impossibilis non vitiat, sed pro non adiecto habetur, pręterquam si repugnet substantię contractus. n. 11.

In dubio num conditio impossibilis, sed non repugnans substantię matrimonij (v. g. vt cœlum digito tangas, vt hæretica fias) apposita fuerit tanquam propriè dicta & suspensiua conditio, an verò tanquam modus non suspensiuus, hoc posterius præsumi debet, ob matrimonij fauorem. n. 12.

Coniugi non licet ad alias nuptias transire, priusquam certum nuntium, aliâmue moralem certitudinem de morte coniugis acceperit. cod. t. 10. p. 3. c. 3. n. 1.

Propter probabilem, non certam credendi causam, quòd coniunx mortuus sit, non est alteri coniugi, saltem in externo foro, permittendum, vt aliud matrimonium contrahat. n. 2.

Dubitans de matrimonij contrahendi valore (quia v. g. certum nuntium de morte coniugis non accepit abstinere cogitur: Sin autem contrahat, stante tali dubio, coniugij debitum petere non potest: sed alteri bona fide contrahenti reddere tenetur. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 25.

Si post matrimonium bona fide contractum superuenit dubium de illius valore, ídque post diligentem veritatis indagationem depelli non potest, licitum est debi-

tum petere, reddere autem necessarium. n. 26.

Qui defectum matrimonij, quamuis bona fide contracti, manifestò deprehendit, omnino abstinere cogitur à reddendo, & petendo. Ibid.

Matrimonium non est ita insolubile, vt eius solutio naturali iuri propriè repugnet: quare Deus olim dispensauit cum Iudæis, vt ob rationabilem causam licitum esset coniugis repudium; eáque diuortij consuetudo postea etiam ad Gentiles defluxit. c. 6. n. 1.

Matrimoniũ, presertim consummatũ, ex prima Dei institutione indissolubilitatẽ habet, sacri mysterij causa. n. 2.

Matrimonium ratum & non consummatum per professionem Religionis omnino dissoluitur; ídque Ecclesiæ auctoritate, quam per traditionem accepimus. n. 2.

Post matrimonij contractum coniugi bimestre spatium conceditur, vt deliberet, vtrum Religionem ingredi velit; postea verò, si ingressus non fuerit, coniugij debitum reddere debet coniugi exigenti. eodem num. 3. §. Ea propter.

Auctoritate summi Pontificis ob grauissimam causam matrimonium ratum solui potest; non per propriè dictam dispensationem, sed per remissionem iuris ex commissione ipsi facta à Christo: *Quidquid solueris super terram* &c. n. 4. & 5.

Nuptiæ secundæ, tertiæ, quartæ &c. tum veteri, tum noua lege concessæ sunt. n. 6.

Coniugium vnius viri cum pluribus simul vxoribus non ita naturali iuri repugnat, vt nulla ratione, v. g. Dei dispensatione, cohonestari possit. n. 7. & 8.

Concubinæ Patriarcharum dicebantur, non quòd vxores legitimæ non essent, sed quia non cũm legalibus instrumẽtis acceptæ erant in communionẽ bonorũ eod. n. 7.

Pœnæ ciuiles, quæ directè ac principaliter in odium secundarum nuptiarum statutæ erant, canonico iure sublatæ sunt; quæ verò directè, ac principaliter in fauorem liberorum prioris matrimonij decretæ in suo vigore manent. n. 10.

Probabile est, quòd constitutiones istæ locum non habeant in marito ad secundas nuptias transeunte; sed tantùm in vxore. Quin neque in vxore locum habere videntur ante Iudicis sententiam: videl. si vir susceptis ex primo matrimonio liberis defuncta vxore diuite, aliam pauperem duxit, licet iure ciuili prohibeatur plus ei, quàm vni liberorum suorum relinquere, tamen coram Deo nihil peccabit, si supra id quod lege concessum est moderatum quippiam mulieri clanculum donet, sicut & extraneo cuiuis donare, aut legare posset. n. 11.

Si coniunx coniugi promiserat, se post mortem eius alias nuptias non contracturum, obligatur promissione: sed plerumque non sub peccato mortali, nisi iurauerit, vel nisi liberorum multùm intersit, alias nuptias non contrahi. l. 3. t. 5. c. 10. n. 15.

Matrimonij impedimenta.

Impedimenta matrimonij duplicis generis sunt: alia impedientia tantùm, id est, quæ matrimonium illicitum reddunt, sed validum relinquunt: alia autem dirimentia, quæ non tantùm illicitum, sed etiam irritum efficiunt. l. 5. t. 10. p. 4. c. 1. n. 1.

Ecclesia potestatem statuendi impedimenta matrimonij Christianis Principibus respectu fidelium interdixit, sibique propriam reseruauit; sicuti & alias causas matrimoniales, quia ita decuit, cùm contractus matrimonij ad sacramenti dignitatem eleuatus fuerit. n. 2.

Interim nihil obstat, quominus adhuc hodie Principes tam Christiani, quàm ethnici leges ferre queant pro matrimonijs subditorum infidelium, iísque certa impedimenta statuere. Ibid.

Fideles subiecti Principibus ethnicis non videntur astringi impedimentis matrimonij, secundum leges illorum ciuiles. n. 3.

Impedimenta matrimonij non nisi vniuersalibus canonibus à Summo Pontifice, aut generali Concilio decerni possunt. num. 4.

Matrimonium cũ impedimento dirimente scienter cõtrahere, est peccatũ mortale, nisi grauis metus cogat. n. 5.

Si impedimentum matrimonij Ecclesiastica lege statutum sit ob indecentiam copulæ in ordine ad virtutem Religionis, aut pietatis, tum carnalis coniunctio cum eiusmodi persona specialem malitiam continet. num. 6.

Impedimentum erroris.

Error personæ contractum matrimonij naturali iure irritum reddit, siue sit antecedens & causa operis, siue concomitans. c. 2. n. 1.

Error qualitatis, etsi ex dolo alterius contrahentis proueniat, & det causam contrahendi, matrimonium non infirmat: nisi contrahens actualem voluntatem habeat non accipiendi mulierem hanc in vxorem, nisi v. g. sana sit, cuiusmodi tamen intentionem aliquem habuisse nunquam præsumitur. num. 2.

Interdum error qualitatis in errorem substantiæ seu personæ redundat, si nimirum aliquis existimet se cum alia persona contrahere, non ea quam exterius accipit, ideóque nec consentiat cum hac contrahere: quia errantis non est consensus. ibid. limit. 2.

Error circa qualitatem conditionis seruilis, si alter contrahentium ingenuus est, matrimonium irritum reddit, non tantùm iure Ecclesiastico, sed probabiliter etiam gentium iure. n. 3.

Si dominus mancipium in matrimonium det homini libero, nescienti seruilem illius conditionem, vel si sciens eos cum tali errore contrahere, de industria tacuerit, tum mancipium hoc ipso libertatem consequetur, ob fauorem matrimonij, vt validum existat. ibid.

Impedimentum voti.

Votum solemne professionis in Religione approbata, non tantùm soluit matrimonium ratum, sed etiam impedit, ac dirimit contrahendum, ídque Ecclesiastico iure. c. 3. num. 1.

Vota simplicia in Societate IESV matrimonium contrahendum dirimunt, sed antea contractum ac ratum non soluunt. num. 2.

Votum continentiæ, quod sacro Ordini annexum est, matrimonium ratum non soluit, impedit tamen ac dirimit contrahendum. n. 3.

Clerici in sacris & Religiosi, si matrimonium contrahere præsumant, ipso facto censuras incurrunt. num. 4.

Votum simplex continentiæ in seculo est impedimentum impediens, non dirimens, excepto vnico casu, si vxor edito continentiæ voto, licentiam marito dederat sacros Ordines suscipiendi. n. 5.

Qui cum voto simplicis continentiæ matrimonium contraxit, ante impetratam dispensationem ab Episcopo, vel Priuilegiato, coniugij debitum petere prohibetur: non item à petitione debiti impeditur, qui post votum Religionem profitendi contractum matrimonium consummauit. num. 6.

Impedimentum consanguinitatis, & affinitatis.

Consanguinitas est vinculũ personarũ, quæ ab eod. eóq; propinquo stipite per carnalẽ generationẽ descendũt. c. 4.

Omnes agnati etiã cognati sunt, sed non vice versa. n. 2.

Triplex est linea consanguinitatis: descendentium ascendentium, transuersa. n. 3.

Transuersa linea duplex est, æqualis, & inæqualis. n. 4.

Pro linea descendente, & ascendente vnica regula est: *Tot sunt gradus in linea descendente, vel ascendente, quot personæ, vnâ demptâ.* Pro linea transuersa æquali hæc regula est: *Quot gradibus in linea æquali personæ singulæ distant a communi stipite, totidem inter se distant.* Pro linea transuersa æquali, hęc regula: *Quot gradibus in linea inæquali remotior persona à communi stipite distat, totidem gradibus ipsæ personæ inter distant.* n. 3. & 4.

Consanguinitas hodie iura quartum gradum lineæ

transuersæ tam æqualis, quam in æqualis matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit. num. 5.

Affinitas est propinquitas duarum personarum, quarum vna cum alterius consanguinea copulam carnalem habuit, & est duplex: Vna quæ ex legitimo loco originem trahit, altera quæ ex illegitimo. c. 5. n. 1.

Affinitas quæ ex legitimo toro est, intra quartum gradum matrimonium impedit, ac dirimit: quæ verò ex toro illegitimo prouenit, duntaxat intra gradū secundū. n. 2.

Affinitas orta ex criminine incestus cum consanguinea coniugis intra secundum gradum, impedit à debiti coniugalis petitione. num. 3.

Affinitas quæ per accidens est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati causam præbuit, nullum matrimonio impedimentum præstat. num. 4.

Gradus affinitatis per se ac propriè dictæ desumi debet ex arbore consanguinitatis proprij coniugis. num. 5.

Naturali iure irritum, & consequenter indispensabile est matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectę, excepto casu publicæ necessitatis. c. 6. n. 1.

Probabilius videtur matrimonium in secundo, & vlteriore gradu lineæ rectæ, naturali iure irritum ac indispensabile esse. num. 2.

Naturali iure illicitum saltem, si non omninò irritum, est matrimonium in primo gradu lineæ transuersæ, videlicet inter fratres & sorores, excepto tamen necessitatis casu. num. 3.

Matrimonium in secundo gradu lineæ transuersæ ob rationabilem causam cohestari, & publica auctoritate permitti potest. n. 4.

Probabilius est, matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, v. g. inter vitricum, & priuignam naturali iure irrritum esse, excepto casu necessitatis. n. 5.

Ex copula fornicaria secundum ius naturę oritur aliqua affinitas, sed non dirimens matrimonij: quare Summus Pontifex in omni impedimento affinitatis ex copula fornicaria dispensare potest. num. 6.

Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transuersæ ob rationabilem causam cohonestari & publica auctoritate permitti potest, vt videl. aliquis post mortem vxoris sororem eius ducat. num. 7.

Summus Pontifex in omnibus gradibus consanguinitatis vltra primum, & in omnibus omninò gradibus affinitatis lineæ transuersæ dispensare potest. num. 8.

Difficilior solet esse dispensatio, si distantia graduum in linea transuersa inęqualis sit, maximè si distātia vnius partis sit primi gradus à stipite: quare talis propinquitas explicanda est in supplicatione, v. g. si quis ducere velit filiam aui sui, aut defunctę vxoris suæ. num. 9.

Difficilius dispensatur super impedimentis consanguinitatis, quam affinitatis. num. 10.

Impedimentum cognationis legalis.

Legalis cognatio est propinquitas personarum ex adoptione proueniens. Adoptio verò est extraneæ personæ (id est quæ ex descendentibus non est) in filium, aut filiam, nepotem, aut neptem legitima assumptio. c. 7. princ.

Adoptio duplex est; vna perfecta, quæ & arrogatio dicitur, altera imperfecta, seu simplex adoptio. num. 1.

Adoptio legalis, saltem perfecta (si videlicet persona extranea sui iuris existens in alterius patriam potestatem instar legitimi nati transferatur) est matrimonij impedimentum dirimens, iure ciuili constitutum, & canonico approbatum. num. 2.

Triplex est species impedimenti ex adoptione legali: I. in linea legali recta inter adoptantem, & descendentes adoptati, si in eius potestate sint. II. in linea transuersa inter adoptatum & legitimos natos ac nepotes adoptantis. III. per modum affinitatis inter adoptatum & vxorem adoptantis, inter adoptantem & vxorem adoptati. num. 3.

Impedimentum cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas secundum canonici dispositionem, orta ex administratione vel susceptione sacramenti Baptismi, vel Confirmationis. c. 8. princ.

Cognationis spiritualis dirimentis matrimonium olim tres species erant: paternitas, compaternitas, & fraternitas: iure autem nouo, sublata fraternitate, reliquæ duæ in vigore manēt, sed ad vxorem non transfundantur. n. 1.

Infidelis baptizans, etsi postea ad Fidem Christi conuertatur, & Baptismum suscipiat, non contrahit spiritualem cognationem. n. 2.

Si homo fidelis filium infidelis è sancto fonte suscipiat, & infidelis postea conuertatur, ac baptizetur, oritur spiritualis compaternitas inter patrinum & parentem prolis baptizatæ. n. 3.

Legatus qui nomine alterius tenet infantem, verè patrinus non est, nec spiritualem cognationem contrahit. Qui autem legatum, seu procuratorem mittit ad suscipiendum baptizatum, vel confirmatum, videtur contrahere cognationem. n. 4. & 5.

Si sponsus de futuro prolem ex sponsa susceptam baptizet propter necessitatem, soluuntur sponsalia, ratione superuenientis cognationis spiritualis, & similiter si sponsus patrinus fit. Verum in tali casu requiritur, vt sciat esse prolem sponsæ suę. n. 6.

Si maritus cogente necessitate prolem propriam baptizet, vel vt patrinus suscipiat, nullum impedimentum contrahit. num. 7.

Si parens sine cogente necessitate prolem propriam baptizet, vel in Baptismo, aut Confirmatione teneat, grauiter peccat: Sed non est certum, quòd à coniugalis debiti petitione propterea impeditus sit. n. 8.

Si Sacerdos cum filia Confessionis fornicetur, non contrahit quidem cognationem spiritualem, sed videtur hæc esse circumstantia necessario in Confessione explicanda. num. 9.

Impedimentum publicæ honestatis.

Impedimentum hoc prouenit ex quadam quasi affinitate cum consanguineis sponsi, canonico iure introductum, ob publicam honestatem morum: sed iure nouo Tridentino impedimentum istud duntaxat est intra primum gradum, si sermo sit de sponsalibus in futurum. c. 9. princ.

Si spōsalia de futuro ex quacunque causa irrita sint, nullum ex ijs impedimentum publicæ honestatis oritur. n. 2.

Impedimentum honestatis ex sponsalibus validis ortum permanet, tametsi illa postea soluantur. num. 3.

Ex sponsalibus conditionatis pendente conditione non oritur impedimentum. num. 4.

Ex sponsalibus de præsente etiam hodie oritur impedimentum vsque ad gradum quartum, etiam si illa irrita fuerint; modò non ex defectu consensus; aut ob publicæ honestatis impedimentum. num. 5.

Si quis ex duabus sororibus vnam absolutè sibi desponsarit in futurum, cum altera deinde carnaliter copuletur, neutram in vxorem ducere potest: non enim priorem, ob impedimentum affinitatis: non item posteriorem, ob impedimentum publicæ honestatis. num. 6.

Impedimentum criminis.

Machinatio mortis coniugi facta cum proposito alterius determinati contrahendi matrimonij, est impedimentum dirimens. c. 10. n. 1.

Si vterque, qui post mortem coniugis matrimonium contrahere desiderant, ad cædem illius cooperantur, aliud non requiritur ad contrahendum impedimentum, nisi vt mors sequatur. Sin verò alter tantùm homicidij reus fuit, requiritur etiam, vt adulterium interueniat. num. 2.

Si adulteri viuente altero coniuge matrimonium contrahant, vel de contrahendo inter se spondeant, oritur inter ipsos impedimentum dirimens. n. 3.

Ad hoc impedimentum contrahendum plures requiruntur cōditiones: I. vt data fides & adulteriū sub eodem

matrimonio interuenerint. II. vt adulterij peccatum ex vtraque parte formaliter fiat. III. vt copula perfecta sit. IIII. vt promissio matrimonij seriò fiat. V. vt promissio acceptata sit: imò aliqui probabiliter existimant, requiri promissionem mutuam. VI. vt fuerit promissio pura, vel saltem ante coniugis mortem purificata. n. 4.

Si infidelis ope mulieris Christianæ maritum eius occiderit, ac deinde ad Fidem Christianam conuertatur, non potest mulierem illam vxorem ducere. n. 6.

Impedimentum impotentiæ.

Impotentia alia est ad prolem generandam, quæ sterilitas dicitur: & hæc, si sola sit, nullum matrimonio impedimentum affert: alia verò est impotentia ad copulam perfectam, quæ, si perpetua sit, naturali iure dirimit matrimonium subsequens. c. 11. n. 1.

Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit, postea per miraculum sanetur, nihilominus irritum matrimonium censeri debet: neque conualescet, nisi vir nouo consensu accipere illam decernat. Sed alia ratio est, si mulier veneficio impotens reddita, per Ecclesiæ exorcismos postea curetur: eo ipso enim apparebit, impotentiam tantùm temporalem fuisse, & medio ordinario curabilem. n. 2.

Non tantùm qui absolutè impotens est, impedimentum matrimonij habet, sed etiam qui impotens respectu certæ personæ; siue id fiat ex magica incantatione, siue ex naturali constitutione. n. 3.

Quod semel ratum fuit matrimonium, nulla superueniente impotentia dirimitur. In dubio autem vtrum impotentia antecesserit matrimonium, an verò subsecuta sit, præsumitur eam antecessisse, si nunquam copula haberi potuit, & nullis indicijs ostendi queat, quo tempore impotentia contracta fuerit. eod. n. 3. §. Nota tertiò.

Si impotentia post nuptias superuenit, matrimonium non dirimit: quare oscula & tactus ad ostendendum affectum coniugalem conceduntur; modò absit pollutionis periculum. n. 4.

In dubio, vtrum impotentia perpetua sit, an temporalis, ad experiendum triennij spatium conceditur, canonico iure. n. 5.

Constitutus in mortis periculo matrimonium contrahere potest. num. 6.

Si potentia generandi vi morbi, aut senio simpliciter destructa, vel exhausta sit, censetur esse impotentia perpetua matrimonij dirimens. num. 7.

Impedimentum ætatis.

Masculus ante expletum XIV. puella ante XII. canonico iure inhabiles sunt ad matrimonium, nisi certis indicijs constet, ante eam ætatem puberes factos esse. cap. 12. num. 1.

Si post legitimam ętatem masculus, vel fœmina nondum pubertatem consecuti sint, validè quidem matrimonium contrahere censentur: sed expectandum est vsque ad tempus ętatis perfectę, vel expiriri liceat, num verè potentes sint. num. 2.

Impedimentum raptus.

Raptus puellæ committitur, si ea de loco in locum libidinis exercendę causa, vel matrimonij contrahendi, per vim iniustam abducatur. quod crimen morte punitur, si rapta mulier honesta fuerit. c. 13. num. 1.

Duplex est species raptus: vel enim vis iniusta infertur puellæ, vel parentibus, aut tutoribus, in quorum potestate puella est, licet consentiens in raptum. num. 2.

Si puella volens ex domo patris, vel tutoris nescientis; aut si antecedente tractatu matrimonij, vel sponsaliorum abducatur puella, non est propriè raptus. num. 3.

Inter raptorem & raptam, quamdiu in potestate raptoris est, matrimonium aut sponsalia validè non contrahuntur: probabile autem est, impedimentum hoc duntaxat incurri, si vis iniusta seu raptus propriè dictus ipsi puellæ inferatur ad matrimonium cum eo contrahendum. n. 5.

Impedimentum ex cultus disparitate.

Matrimonium hominis baptizati cùm non baptizato, etiam catechumeno, Ecclesiastico iure irritum est. c. 14. num. 1.

Matrimonium hominis Catholici cum hęretico validum quidem, sed plerumque mortaliter illicitum est, nisi hæreticus promittat se post nuptias Fidem Catholicam suscepturum, & causa postulet, cur nuptiæ absolutioni ab heresi anteponantur. n. 2.

Impium, & irritum est pactum additum matrimonio Catholici cum hęretica, vt liberorum alij patrem fidelem, alij verò matrem hæreticam sequantur. n. 3.

Episcopus dispensare potest in impedimento matrimonij alioquin dispensabili, si cum defectu occulto in facie Ecclesiæ saltem cum alterius bona fide celebratum fuit, & ad Pontificem facilis accessus esse non possit, separatio autem sine maximo incommodo fieri nequeat. At verò si nondum contractum matrimonium sit, Episcopi dispensare non solent. l. 1. t. 4. c. 22. num. 4.

Impedimenta non dirimentia.

Hæc matrimonij impedimenta sunt: Interdictum seu inhibitio Ordinarij; tempus feriarum; cognatio spiritualis, contracta ex Catechismo baptizandi, certa crimina, votum continentiæ, vel Religionis ingrediendæ, denique sponsalia cum priore contracta. c. 15. n. 1.

Impedimenta ex Catechismo & criminibus, quæ antiquis canonibus instituta fuerunt, hodie ferme abolita sunt. num. 2.

Tempore interdicti, videlicet ab Aduentu Domini vsque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum vsque in Octauam Paschatis inclusiuè, potest matrimonij cõtractus, etiam præmissis denuntiationibus, ce[n]tio sponsæ cum signis lętitiæ intermittantur. num. 1. §. Alterum.

Attendenda tamen consuetudo Ecclesiarum, quæ apud nos est, vt parochus his temporibus, intermissa, vel in aliud tempus dilata benedictione, non assistat, nisi necessitas vrgeat, & tunc etiam, si fieri possit, Ordinarius priùs consulatur. ibid.

Medicus, Chirurgus.

Medicus in curando infirmo sequi debet sententias certas, & securas, relictis incertis, ac dubijs. l. 1. t. 1. c. 5. num. 15.

Si moriturus homo sit, nisi ei adhibeatur medicamentum, non vacans periculo accelerandæ mortis, iunctum tamen cum probabili spe conferendæ sanitatis, adhiberi potest eod. num. 15. §. Sed quęstio est.

Si medicus, vel chirurgus hominem sanare volens interficiat, vel mutilet, per crassam negligentiam vel imperitiam, irregularitatem contrahit, non item, si negligentia leuis sit. l. 3. t. 3. p. 3. c. 10. n. 4. exemp. 4.

Medicis præcipitur, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, atque inducant, vt Medicos aduocent animarum. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 5.

Mendacium.

Mendacium aliud non est, quàm dictum contra mentem, si nimirum aliquid affirmes, quod existimas non esse, vel neges, quod existimas esse, ídque fallendi gratia. l. 4. t. 3. c. 13. n. 1.

Non omnis qui falsum dicit, mentitur, neque omnis qui mentitur, re ipsa falsum dicit: quia culpa mentientis est in enunciando animo suo, fallendi cupiditas. n. 2.

Qui absque debita consideratione falsum dicit sine fallendi proposito, peccat contra veritatis virtutem, sed propriè non mentitur. n. 13.

Mendacium non tantùm verbis, sed etiam alijs signis, & actionibus animi interpretibus fieri potest. n. 3.

Mendacium est triplex, perniciosum, officiosum, & iocosum. n. 4.

A mendacio excludendæ sunt locutiones tropicæ & figuratæ, videl. ironiæ, hyperbolæ, fabulæ, & parabolæ: quia verum sensum continent, quem loquens exprimere

intendit, quamuis interdum animaduertat eum ab audiente non statim apprehendi, sed alium falsum sensum, opinionémque concipi. quod ipse quidem non intendit, sed permittit eod. n. 4. §. Deinde.

Amendacio excuduntur etiam ioci, qui ita proferantur, vt facilè sit intelligere, falsum esse, quod exteriùs enunciatur: deest enim animus fallendi, licet fortasse audiens propter simplicitatem suam seriò accepturus sit. num. 3. in fine.

Amphibologiæ seu orationes ambiguæ mendacia non sunt, quando enuncians eum sensum, qui verus est animo intendit, tametsi intelligat audientem alterum sensum qui falsus est accepturum esse: hanc enim deceptionem enunciatione sua efficere non intendit, quamuis permittat. num. 5.

Si signum seu vocis, seu facti per se, aut per circumstantias determinatum sit ad vnum, eúmque falsum sensum, non est locus æquiuocationi, sed est verum mendacium. Nam vbi est determinatio externe significationis ad vnum, ibi non est sensus ambiguus, consequenter si homo aliter in mente esse cognoscat, quàm foris significat, propriè mentitur. n. 6. & 12. in fine.

Inusitatem non est apud homines prudentes, præsertim cùm interrogatur de rebus, quas edicere nolunt, aut non possunt, vt non integrum animi sensum externo sermone exprimant, sed partem implicitè significent, ita vt audiens saltem confusè, id facilè aduertere possit. Sic. v. g. alicui malitiosè interroganti quæ edicere non oportet, Principis Consiliarius sine mendacio interdum respondebit, *Nescio*, intelligendo, vt reuelet. l. 4. tract. 3. c. 13. n. 7.

Si restrictio mentis omnino aliena sit à loquentium consuetudine, & in externa locutione nec explicitè, nec implicitè significetur, à mendacio excusari non potest, quando animo fallendi fit: quare si tale perniciosum mendacium sit, orietur exinde restitutionis obligatio: vt si viatori quærenti, an in silua latro sit, respondeas *non est latro in silua* sub intelligendo, non comedere eum in silua. eod. num. 7. & 12.

Omne mendacium per se, & intrinsecè malum, nullóque casu licitum est. Idque intelligi debet non tantùm de emendacio oris, sed etiam de mendacio facti, quæ est simulatio. Nam simulatio, & omne mendacium est falsi, ideóque repugnat præcepto negatiuo iuris naturalis, *Ne falsum dicas*, siue, ne alteri falsum ingenerare velis. Dissimulatio autem est veri: non semper autem obligati sumus ad verum manifestandum: quamobrem dissimulatio, & vocis ambiguitas licita esse potest. num. 8. & 10. & l. 2. t. 1. c. 11. n. 2. in fine.

Olim non ita cognitum erat omne mendacium, simulationémque peccatum esse, nulláque necessitatis ratione cohonestari posse. cit. c. 13. num. 9.

Veritatem verbi æquiuocatione, aut facti dissimulatione alterum celare, non est per se malum, sed interdum licitum, si ob iustam causam fiat. num. 10.

Æquiuoca locutio, aut dissimulatio veritatis, si iusta ratione non nitatur, licet mendacium non sit tamen culpa non vacat, & dolus malus censetur. num. 11.

Calliditas hæc in sermonis ambiguitate, animíque duplicitas, propria hominum non bonorum ac prudentium, sed peruersorum, humanæ societati noxia est, vt à talium hominum consortio, ac familiaritate meritò caueamus. num. 12.

Qui pecuniam mutuò datam fideliter soluit, is postea in iudicio conuentus, si aliæ probationes desint, iuratus dicere potest, se hunc mutui contractum non instituisse, intellige tali modo obligationis, vt bis soluere debeat, Nisi interrogatio magis determinetur, vtrum nullum vnquam modo mutuam pecuniam à Titio acceperis: tu autem respondeas nullo modo, aut ratione te accepisse, mendaciùm erit, tametsi mente aliquid reticeas, quod exteriùs nec explicitè, nec implicitè proditur. c. 14. n. 8. princ.

Qui sub iuramento interrogatur, vtrum veniat ex loco, qui falsò existimatur peste infectus, iurare potest, se inde non venire, intelligendo ex loco, qualis existimatur. Quod autem multi addunt, etsi locus infectus sit, si tamen celeriter transiens certò credat se peste infectum non esse, eum posse se non transisse, id difficultatem habet: quia interrogatio absolutè formari solet, vtrum quis quomodocunque transierit, cùm facilè sit, præsertim si aër infectus, etiam non aduertentem pestilentia in corpore, aut vestibus corripi: profectò in externo foro talis vt periurus non immeritò punietur. eod. n. 8. casu 3.

Qui de aliquo facto tanquam reus criminis interrogatur, si ob circumstantiam ab omni culpa immunis sit, potest iuratus negare se id fecisse, intelligendo eo modo ac fine, quo à Iudice interrogatur. Exemplum habes in eo, qui hominem per inculpatam ignorantiam pro fera occidit. casu 4.

Reus de occulto crimine præter iuris ordinem interrogatus, negare potest se fecisse, intelligendo tale crimen, quod in iudicium venire debeat: si tamen Iudex Reum determinatiùs constringat, vt iuratus dicat, nullâne ratione ac modo crimen commiserit, etiam occultissimum, & nullo modo probabile, tum mendacium ac periurium, committet Reus, si neget crimen tale se commisisse. §. Hæ recentiorum.

Si aliquis à te pecunias mutuò petat, aut libros commodatò, tu autem neges te habere, intra mentem intelligendo, *quod tibi dare obligatus sim*, mendacium committis, non æquiuocationem: quia verba per omnes circumstantias determinantur ad significandum te non habere, quod possis gratis mutuare, aut commodate. Simile mendacium est, si latroni pecunias iuratus promittas te daturum, intra mentem retinendo, *si tamen tibi ex iustitia debeam*. ibid. §. At verò.

Licet interrogatus iniustè non semper teneatur respondere ad intentionem interrogantis, sed possit secretum per ambiguitatem sermonis quandóque celare, debet tamen verbis significantibus vti, quę in aliquo sensu apud vulgus, vel apud Sapientes vera sint, aliàs mentitur, quod nunquam licet. ibid.

Meritum.

Nullum opus hominis iusti ex condigno meritorium est augmenti gratiæ, ac vitæ æternæ, sine præuio actu seu imperio charitatis. l. 2. t. 3. c. 1. n. 2.

Dantur actus in indiuiduo indifferentes etiam in homine iusto, secundùm meritum ac demeritum vitæ æternæ. n. 4.

Non sufficit homini iusto ad promerendum singulis actionibus bonis augmentum gratiæ ac gloriæ æternæ, quòd initio diei, aut hebdomadis omnia generatim Deo offerat: sed necesse est, vt propositum hoc efficax sit, id est, verè causa operum subsequentium existat. n. 5.

Metus.

Metu fieri dicitur, quod quis mali declinandi causa facit, alioquin non facturus. l. 1. t. 2. c. 6. n. 2.

Metus alius est, qui ab intrinseco pontificisci dicitur, cùm ad auertendum malum maius aliquis vltro eligit medium, à quo alioquin abhorret. Alius verò est metus, qui ab extrinseca persona directè incutitur ad extorquendum alicuius rei consensum. Et iste metus subdiuiditur I. Quòd alius sit iustè incussus, & alius iniustè II. Quòd alius sit cadens in virum constantem, qui etiam dicitur grauis, probabilis; alius verò cadens in virum inconstantem, leuis, vanus metus. n. 3. & 4.

In ordine ad euitandam culpam metus etiam mortis, aut alterius grauissimi mali, non censetur iustus, aut cadens in virum constantem, si ob eum aliquis in peccatum, quamuis minimum, consentiat: sed in ordine ad euitandam obligationem ex promissione, aut contractu, censetur metus cadens in virum constantem. num. 4.

Si qui ex metu graui, v. g. iniustæ mortis, matrimo-

n ium contrahat, & consummet, irritum censeri debet, dummodo præsens, & nondum depositus metus sit causa consensus in matrimonium & copulam: consequenter mortaliter peccabit, quippe consentiens in copulam fornicariam, nisi ignorantia excuset. num. 5.

Metus mortis, mutilationis, corporis cruciatus, seruitutis, exilij, captiuitatis, diuturni carceris, grauis infamię, stupri, iniustę excommunicationis, amissionis omnium bonorum, aut magnæ partis, communiter censetur iustus ac probabilis. Sed Iudex, diligenter consideratis circumstantijs, & inprimis personæ qualitate, videl. sexu, ætate &c. arbitrari debet, quænam alia grauia mala sint, quorum iustus, ac probabilis sit. eod. num. 5. §. Porrò.

Quod metu fit, simpliciter voluntarium est, inuoluntarium autem secundùm quid: quæ dici solet mixtum ex voluntario, & inuoluntario. n. 7.

Metus, licet voluntarium non tollat, minuit tamen, consequenter etiam culpam, & pœnam ibid. in fine.

Vis & coactio propriè ac simpliciter dicta, si membris exterioribus inferatur, tollit omne voluntarium, omnémque culpam: quare Patres dixerunt, violentia stupri animum nequaquam maculari. num. 6.

Permissiones & contractus initi ex metu, qui ab intrinseco prouenit, omni iure valent, v. g. si Religionem profiteri sponte eligas, vt mortis tibi decretum supplicium, vel maris naufragium effugias. l. 3. tract. 4. cap. 6. n. 1.

Permissiones & contractus directè extorti per metum grauem prouenientem ab extrinseco, licet valeant iure naturali, & mero iure ciuili, cùm consensus absolutus non desit, tamen secundùm æquitatem arbitrio metum passi rescindi possunt. num. 2.

Tametsi metus iniustus à tertia persona incussus sit absque iniuria alterius contrahentis, per Iudicis officium succurritur: antequam tamen actio intentetur, & Iudex contractum rescindat, non obligaturis, qui bona fide cum metum passo contraxit. eod. n. 2. §. Hoc tamen.

Matrimonium, & sponsalia, item Religionis professio, & votum profitendi, vel Religionem ingrediendi, per metum grauem infirmantur secundùm Ecclesiastici iuris constitutionem: vtrum verò alia simplicia vota ob grauem metum ipso iure irrita sint, non satis constat. num. 3.

Metus leuis iniustè incussus, & qui dici solet reuerentialis, si efficiat inuoluntarium mixtum, sufficientem causam præbet conscientiæ foro, atque etiam implorato Iudicis officio, rescidendi contractus, dummodo solubiles sint: quòd dicitur propter matrimonium, & professionem Religonis, quæ duo ob metum directè & iniustè incussum ipso iure irrita sunt, si sit cadens in virum constantem, non item si leuis metus. num. 4.

Si Caia sponsalia celebret cum Titio ideo solùm, quia ob naturalem verecundiam patri cum auctoritate petenti contradicere non est ausa, resilere potest. Simile est, si filia ob similem metum reuerentiæ, renuntiet hæreditati paternæ, contenta dote; retractari enim potest renuntiatio. Aut si filij, vel vsor simili metu promiserint soluere debita patris, vel mariti, ne moriturum molestia afficiant, poterunt opponere metus exceptionem. ibid. assert. 4. §. Exempla.

Si creditor disperans integrum suum debitum propter debitoris iniquitatem se consecuturum esse, partem debiti remittat, in conscientia non est tutus debitor. ibid. Exemplo 4.

Etiam precum importunitas, si inuoluntarium mixtum efficiat, facultatem præbet actum, vel contractum rescidendi: vt si moriturus aliquem propter importunitatem precum hæredem instituat. Pleiumque tamen accidit, vt testater nihilominus absolutè velit dispositionem suam validam esse, quo casu tametsi institutus peccàrit molestiam inferendo, tamen rem sibi relictam accipere, & retinere potest, secundùm defuncti voluntatem, donec per Iudicis sententiam testamentum rescindatur. num. 5.

Qui importunitate precum efficiente inuoluntarium mixtum ad ludendum tractus fuit, non tenetur soluere: si tamen solutum fuerit, non videtur alter obligatus ad restituendum, quia causa iniusta huius damni extitit præterquam si ille qui perdidit restitutionem remittat. eod. n. 5. Exemplo 3.

Si Religiosus diuturna solicitatione, querelis, murmure, aliquid tandem à Prælato impetret, ideo dante, vt hominis importunitate se liberet, non est ille tutus in conscientia, sed paupertatis violator. Idémque sentiendum, si subditus causas fingat, ob quas illi concedatur, vel aliquid taceat intrinsecè ad rem pertinens, quod si exprimeretur, Prælatus licentiam non daret. Exemplo. 4.

Misericordia.

Est virtus charitati affinis, quippe ex qua proximè nascitur: illi secundùm excessum opponitur nimia cordis molities, siue indulgentia, secundùm defectum verò cordis durities, atque crudelitas. l. 2. t. 3. c. 6. n. 1.

Misericordia est de aliena miseria, aliquo modo inuoluntaria, quæ vt propria æstimatur, patienti autem indecens. num. 2.

Christo Domino, & Martyribus eius meritò compatimur: quia licet passionis fructum sponte ac libenter amplexi sint, tamen repugnantiam & tristitiam propter dolores experti: nam miseriam quatenus malū quoddam est, vnusquisque naturaliter abhorret. eod. n. 2. requisito. 2.

Missæ auditio.

Præcepto audiendæ Missæ diebus Dominicis, ac festis, fideles sub peccato mortali obligantur, postquam ad rationis vsum peruenerunt. l. 4. tract. 7. c. 3. num. 1. & c. 4. num. 2.

Ad Missam audiendam secundùm præceptum Ecclesię requiritur moralis ac pia præsentia, vt & corpore aliquis præsens sit, & animi attentionem habeat: quamuis aliqui aliter sentiant. c. 3. n. 2.

Absolutè necessarium non est, vt sacrificantem aliquis videat, vel audiat: sufficit, si ita moraliter præsens sit, vt ex signis quibusdam colligere possit, quid à sacrificante agatur. ibid. §. Tria.

Licet reprehendēdi sint, non tamen statim peccati mortalis damnandi, aulici, & mercatores, qui inter Missarum solemnia modo attendunt, modò confabulantur. ibid. §. Secundum.

Nihil refert, vtrum aliquis sub Missa oret preces voluntarias, an eas quibus alioquin obligatur, v. g. canonicum officium. §. Tertium.

Missa integra audienda est, saltem vsque ad Sacerdotis benedictionem: qui autem partem Missæ non notabilem negligit, peccat tantùm venialiter: fortasse autem dici potest, non esse culpę mortalis damnandū eum, qui ab Offertorio vsque ad benedictionē Sacerdotis interest n. 3.

Qui à duobus Sacerdotibus dimidia Missarum successiuè audit, peccat saltem venialiter, nisi impeditus sit, minus Missam ab eodem audiat. n. 4.

Qui die festo ad vnicam eius loci Missam venit; cùm præfatio cœpta est, debet quod reliquum est Missę audire: quia qui secundarium in præcepto seruare non potest, debet tamen seruare principale, si possit. Sin autem circa præfationem discedere aliquis debeat, & quod principale Sacrificij est, negligere, non peccabit, etsi totam Missam intermittat. l. 1. t. 4. c. 19. n. 5.

Causæ excusantes à præcepto Missæ audiendæ sunt: I. Impotentia spiritualis, si v. g. in excommunicatione sis. II. Impotentia corporalis, si Missam audire non possis sine magna difficultate, aut iactura bonorum corporis, vel fortunę. III. Rationabilis consuetudo, scientibus Prælatis introducta: qualis quibusdam locis est in vidua maritum defunctum lugente. IV. Si Sacerdos à quo Missam audire debeat, notoriè excommunicatus, vel concubinarius sit: potest enim aliquis à Sacrificio eius abstinere, licet non debeat ante denunciationem. cap. 4. n. 3.

Si famulus frequenter & quasi ordinariè sine iustæ necessitatis causa impediatur à Missa audienda, oportet eum oblata opportunitate ministerium relinquere, & alteri domino operam locare. Eadémque ratio est, si opifices à Magistris suis in vigilijs & Sabbathis post noctis medium laborare cogantur: Si id fiat ob necessitatem haud dubiè parere possunt; si absque necessitate, aut iusta causa, interdum obedire poterunt, odij, vel contentionis vitandæ gratia: sin autem frequenter, & per consuetudinem; dominum, vel magistrum deserere debent, si alium acquirere possint. eod. n. 3.

Qui Missæ in die festo non intersunt, ad alias preces domi fundendas Ecclesiastico præcepto non obligantur. num. 5.

Molendinum.

In publicis fluminibus non est licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium; sicuti neque in via, aut alio loco publico ædificare fas est, absque Principis consensu: at verò in priuatis, aut proprijs fluminibus cuilibet permissum est, molendinum construere, vel ædificare. l. 3. t. 1. c. 5. n. 19.

Si per nouum molendinum priori & antiquiori auferatur commodum naturale, ac necessarium molēdi, quod est aqua, nefas est construere, cum aliorum iniuria. Verùm incommodum illud quod ex noui molendini constructione sequetur, vt ad alia pauciores frumenta deferant, in æstimatione esse non debet; imò expedit plerumque Reip. plura molendina esse. ibid. §. Sed limitari.

Licet regionis alicuius consuetudo sit, ne nouum molendinum cum aliorum damno ædificetur, potest tamen quilibet in solo suo extruere molendinum pro proprio tantùm frumento molendo, deriuata etiam aqua ex proprio flumine: at verò ex publico deriuare non potest sine Principis licentia. ibid. §. Limita.

Existente consuetudine non ædificandi nouum molendinum cum alterius præiudicio, nihilominus potest pristinum transferri in locum fluminis commodiorem: quod tamen verum non est, si nouis riuis diriuatis cum varijs aquarum dilapsibus, in aliorum magnum præiudicium molendinum extruatur, ita vt noua forma molendini meritò censeatur. ibid.

Moneta.

Numus publica lege cōstitutus fuit, vt rerum omnium, quibus indigemus æstimatio esset. l. 3. tract. 3. p. 1. c. 5. num. 1.

Numus vt legitimus ac iustus sit, requirit materiam, & pondus metalli, sicuti signum ipsi impressum indicat. num. 2.

Numi valor & estimatio alia intrinseca ac veluti substantialis est, alia verò extrinseca & impositia, quæ vt vera ac iusta sit, intrinsecè correspondere debet. n. 3.

Tria ad iustitiam cusæ monetæ requiruntur: legitima cudendi auctoritas, materiæ bonitas seu integritas, iustum materiæ pondus, sicuti impressum signum demonstrat. num. 4.

Ius monetam cudendi inter Regalia numeratur: quare illud tanquam speciale priuilegium Ducibus, Comitibus, Ciuitatibus ab Imperatore concessum vendi, vel aliter alienari non potest. Vsus tamen & commoditas ad tempus alteri elocari poterit: Eadémque ratio est de iure vectigalium. n. 6.

Princeps mutationem monetarum facere non potest absque consensu Communitatis, vel saltem potioris eius partis, excepto casu publicæ, ac manifestæ necessitatis num. 7.

Ingentia incommoda ex monetarum præsertim intrinseca mutatione prouenire solent, vt consideratis omnibus plerumque etiam ipsum Reip. caput plus inde damni accipiat, quamuis vna aliqua ratione in ipsius commodum mutatio cessura videatur. n. 8.

Grauissimè peccat Princeps seu Magistratus si ob commodum suum & absque publica necessitate monetarum mutationem introducat. n. 9.

Mutatio pecuniæ alia intrinseca tantùm est; alia tantùm extrinseca: alia tum intrinseca, tum extrinseca. n. 10.

Si mutatio monetarum facta est in bonitate intrinseca videlicet, in materia & pondere, attendendum est ad tempus contractus non solutionis; id est, debita pecuniaria soluenda sunt secundùm bonitatem monetarum, quam habuerunt tempore contractus, non solutionis. n. 19.

Promittens, aut legans pecunias censetur intelligere de talibus, quales visitatæ sunt tempore dispositionis aut promissionis. num. 20.

Si valor monetarum extrinsecus crescat in manu depositarij, administratoris, aut cuiuscunque possessoris ordinariè tale augmentum non ad ipsum, sed ad dominum pecuniarum spectat. n. 18.

Si intrinseca imminutio monetarum, & consequenter extrinseca auctio aliarum bonarum pecuniarum, modica sit, eius mutationis consideratio nulla esse debet: secùs, si immodica, & valde notabilis. n. 22.

Si monetæ species certo numero in pactionem, vel promissionem deducatur, superueniens eius mutatio extrinseca creditoris commodo, vel incommodo accidit. num. 13.

Qui certam speciem, vel materiam pecuniæ promisit, aliam quamuis extrinsecè æquiualentem, creditori inuito soluere non potest, nisi promissa pecuniæ species perierit, aut acquiri nequeat, aut nisi ostendatur, nihil interesse creditoris, num in hac, an altera moneta debitum recipiat. n. 14.

Si nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, quantitas pecuniaria in obligationem deducatur, & postea extrinseca monetarum mutatio fiat, ea commodo, vel incommodo debitorio accidit: quia tantò pauciores, vel plures numos soluere cogetur. num. 15.

Extrinseci seu impostitij valoris mutatio in solutionibus debitorum antiquorum attendenda non est his casibus: I. Si auctio, vel diminutio extrinseca facta est non per legitimam potestatem. II. Si mutatio valoris constituta est publica quidem lege, sed non vt stabiliter ac perpetuò duratura. III. Si notabilis auctio extrinseca monetarum introducta est propter intrinsecam diminutionem, seu deprauationem aliarum minutiorum pecuniarum, præsertim si auctio enormis, & non duratura sit. num. 16. & 25.

Magnus seu immodicus extrinsecæ taxationis excessus supra iustum, valorem intrinsecum monetarum, tanquam stabiliter duraturus constitui non potest lege stabili, sed temporis tantùm diuturnitate ac perpetuitate introduci. num. 17. & 24.

Si moneta mutata sit tam intrinseca bonitate, quàm extrinseco valore, tum alia pecuniæ species efficitur, quamuis nomine conueniens: quare noui numi pro veteribus qui in obligationem venerunt, solui non debent. n. 12.

Crimen falsi admittit, qui monetam cudit tali potestate non præditus, vel qui de publica moneta detrahit abscindendo, radendo. eodem. cap. 5. num. 5.

Qui adulterinæ materiæ numos, puta stanneos, plumbeos tingunt, vt appareant aurei, argentei, falsi crimen committunt. eod. n. 5. casu 4.

Simili crimine notantur, qui falsas monetas videlicet stanneas, plumbeas pro argenteis scienter expendunt, nihil obstante quòd antea etiam ab alijs decepti fuerint. casu 5.

Moniales & claustra.

Mulieres sanctimoniales priuatim suas exhortari possunt, & tanquam filialibus benedicere, item in matutinis suis Euangelium legere. l. 1. tract. 5. pag. 1. cap. 3. num 1. in fine.

Expedit Monasteria monialium sufficientes reditus

habere, vt cum secularibus communicandi occasio præcidatur. Quare facilè cohonestatur consuetudo in susceptione earum dotem moderatam exigendi. l. 4. tract. 10. c. vlt. num. 39.

Monialibus omnibus perpetua clausura præcepta est, etiam ijs, que eam expresse professæ non fuerunt. Quare ad eam obseruandam à Prælatis compelli possunt. l. 4. tract. 5. c. 9. n. 13. Corol. 1.

Clausura Monialibus omnibus seuerissimè præcipitur; nisi ob causam necessariam licentia ab Ordinaria obtenta fuerit. l. 4. tr. 5. c. 12. n. 1.

Ingressus intra claustra Monialum sub excommunicatione prohibitus est: præterquam si ob causam necessitatis licentia ab Ordinario in scriptis obtenta sit. n. 2.

Constitutiones de clausura Monialium, & prohibito ingressu intra septa Monasterij Monialium, non vbique quoad omnem modum receptæ sunt. n. 3.

De ingressu mulierum intra claustra virorum regularium, non ita constat sub peccato mortali, & excommunicationis censura prohitum esse. n. 4.

Certi casus sunt, quibus mulieres ad regularium virorum habitationes sine scandalo, & peccato admittuntur. num. 5.

Mutuum.

Mutuum est traditio rei, sub eodem genere functionem recipientis, vt statim accipientis fiat, & postea tantundem eiusdem generis, ac qualitatis restituatur. l. 3. t. 4. c. 18. num. 1.

Si frumenti scapham mutuò accepi, satisfaciam restituendo simile frumentum in eadem quantitate, tametsi eius valor diminitus sit. ibid. §. Quod dicitur.

Si mutuo reddendo certum tempus præscriptum fuerit, & mutuatarius in mora culpabili extiterit, omne damnum, & lucrum cessans compensare debet. Sin autem nullo definito tempore mutuatum fuit, solutio fieri debet cum primum mutuator postulauerit; modò non statim postulet, sine cogente necessitate. num. 2. §. Si mutuo.

Filius familias pecunias mutuas accipiendo iure Cæsareo non obligatur ob S. C. Macedonianum. Si tamen filius, eiúsve fideiussor non opposita exceptione re ipsa soluat, solutum repetere non potest: quia hoc S. C. non principaliter ob fauorem personarum, sed magis in odium fœneratorum introductum fuit. n. 3.

Licet mulier renuntiare possit beneficio S. C. Velleiani, quod in eius gratiam constitutum fuit; tamen filius familias exceptioni S. C. Macedoniani renuntiare nequit. ibidem.

Si ex pecunia mutuò accepta filius familias, aut pater eius ditior factus fuerit, eatenus naturali iure ad restitutionem in conscientię foro obligatur. ibid. §. Cæterùm.

Vt exceptio S. C. Filiofamilias in animæ iudicio prosit, necesse est, vt mutuator seu fœnerator in culpa aliqua fuerit: secùs dicendum, si nihil contra legem peccauit, quia probabiliter credidit filiumfamilias non esse; aut si mutauit ad sumptus necessarios, vt pater rationabiliter contentus esse debeat. n. 5.

Si administrator, vel curator alicuius personæ, aut loci fauorabilis pecuniam mutuò accepit, mutuans ostendere debet pecunias in vtilitatem eius personæ, aut loci versam fuisse. n. 6.

Si constet, aut ostendatur administratorem, v. g. ciuitatis, vel alium quemuis mandatarium plenara facultatem habuisse mutuò accipiendi, tum probari non debet, in vtilitatem ciuitatis, v. g. versum fuisse. n. 7.

Si mutuum datum fuerit Ecclesiæ, quamuis interueniente auctoritate Prælati, si tamen ac debiti solutionem necesse sit bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa alienare, necesse erit ostendere, pecuniam mutuò datam in Ecclesiæ vtilitatem conuersam fuisse: quin etiam si Capituli consensus accesserit, opus tamen est, vt euidens vtilitas, aut necessitas alienationem postulârit. n. 7.

Si Prælatus, qui mutuum acceperat, mortuus sit, cùm creditor ab Ecclesia repetit, saltem hoc ostenderei debet, quòd Ecclesia indiguerit pecunia, adeóque prudenter egerit, pecuniam nomine Ecclesiæ mutuò accipiendo: quare dici solet, quòd Prælatus debita antecessoris soluere tenetur, quæ pro necessitate Ecclesiæ contracta sunt. eod. n. 7. §. Ceterùm.

Qui spe mutui accipiendi chirographum dedit, intra biennium opponere potest exceptionem non numeratæ pecuniæ. n. 8.

Iure Cæsareo prohibitum est, ne pecuniæ publicæ titulo mutui, alteriúsve contractus exponantur, vel accipiantur: pendet tamen id ex voluntate Magistratus, qui interdum tacitè consentit, vt pecunię ab Officialibus ad lucrum exponantur, idque in partem quasi stipendij computetur: modò fiat sine damno subditorum, aliórumve, quibus statis temporibus pecunię distribuendæ sunt. l. 3. t. 4. c. 25. n. 4.

Tametsi Magistratus prohibeat, ne pecuniæ publicæ in mutuum, censum, cambium &c. alijs tradantur, aut frumentum ex horreo publico sine iussu Magistratus extrahatur, si tamen certum sit, neque Magistratum, neque alios exinde damnum accepturos, probabile est, non posse Officialem culpæ mortalis damnari. eod. n. 4. dicto. 2.

Id verò certum est, quod in tali casu lucrum ex negotiatione, cambio, censu &c. non ad Magistratum, sed ad Officialem ipsum pertineat; modò is proprio nomine, ac periculo pecunias exposuerit: secùs enim est, si pecunia cum Domini periculo exposita fuerit, tunc ad eundem etiam lucrum spectare æquum est. dicto. 3.

Cùm plerumque tales Officialium negotiationes, factę contra Magistratus voluntatem, in Principis, aut Communitatis detrimentum çedant, ideo quibusdam locis, si deprehendantur grauiter puniri, & officio amoueri solent: Primò; Quia contractare alienam pecuniam, eiúsque vsum domino prohibente sibi vendicare, furti species quędam censetur. Secundò; Quia sæpe contingit, vt merces maiore pretio emi debeant, propter odium minutiorum ac deteriorum monetarum, quas Officiales in ęrarium Principis inferunt: ac per se turpe est, si ex alicuius Magnatis Camera semper, aut plerumque proueniant deteriores monetæ. eod. n. 4. §. Alia item, & eod. tract. 4. c. 19. num. 5. Aduerto tamen.

N

Nauta, Caupo, Stabularius.

Lege ciuili statutum est, vt nauta, caupo, & stabularius teneantur de damno qualicunque eorum culpa, etiam leuissima, in rebus custodiæ suę commissis eueniente: sed in conscientiæ foro probabile est, eos non obligari ad culpam leuissimam prętandam ante Iudicis condemnationem: quippe quę ob fraudis pręsumptionem fieri solet. l. 3. tr. 4. c. 25. n. 1. §. Illud verò.

Si aliquis ratione officij vel conditionis suæ rerum depositarum custodiam profiteatur: vt caupo, stabularius, nauta; sufficit eo vidente, ac tacente res in domum eius deponi. Ibid. §. Quędam.

Si cista deposita fuit apud cauponem, & postea aliquid amissum esse queratur is, qui deposuit, ipsi obligatio incumbit probandi talem rem in cista fuisse. Secùs est, si cista cauponi tradita ab eodem restituatur, amotis seris; aut sigillis, ita vt appareat, vel præsumptio sit de dolo cauponis. Ibid. & l. 4. tr. 3. c. 5. n. 1. §. Alterum.

Si quis ex iustitia teneatur impedire hominis mortem, v. g. nauta naufragium, & cùm facilè possit, nullum omnino impediendi conatum adhibeat, dolus non omnino abesse censetur; vt ęquiparari possit homicidio directè voluntario. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 1.

Negotiatio, Monopolium.

Negotiatio dicitur, cùm merces ex proposito emuntur, vt postea cariùs distrahâtur, lucri causa. l. 3. tr. 4. c. 17. n. 37.

Negotiatio per se mala non est; sępè autem per accidens ob hominum cupiditatem ac malitiam, peccati causa existit. n. 38.

Negotiatio propriè dicta, videl. si res emptæ, non immutatæ, postea cariùs vendantur, personis Ecclesiasticis sub mortali peccato prohibita est: excepto tamen necessitatis casu, si alio modo vitam sustentare nequeant. n. 39.

Si monasterio propria prędia ad alendos Fratres non sufficiant propter necessitatem, fas est conducere aliena, & inde perceptos fructus absumere, aut vendere. Ibidem.

Impropriè dicta negotiatio, quæ est rerum in melius mutatarum, ordinariè etiam prohibita est Clericis, ac Religiosis, licet non tam seuerè, sicuti negotiatio propriè dicta. n. 40.

Si Clerici, vel Religiosi negotiationem instituant, non minùs, quàm alij negotiatores tributum, aut vectigal pendere debent. Ibid.

Concessum est Clericis, & Religiosis, vt empta pecora, & in proprijs prædijs nutrita vendant, vel ex proprijs agrorum fructibus confectam cereuisiam, ex proprijs vineis expressum vinum diuendant. Sed non debent in propria domo, aut Monasterio tabernam constituere ad potitandum. Ibid. §. Excipitur.

Si Clerici, vel Religiosi negotiationem etiam propriè dictam per alteram personam exerceant, iure societatis, vel conductæ operæ, non possunt grauis peccati condemnari, Quamuis etiam iste negotiandi modus per alium statui Ecclesiastico non conueniat, nisi debitis circumstantijs, puta necessitate rei familiaris, aut consuetudine regionis cohonestetur. ibid. §. Pręterea.

Qui coëmptione, v. g. ftumenti, inopiam & caritatem inducunt, contra iustitiam peccant, & tanquan Reipubl. perniciosi legibus, ac pœnis coërceri possunt, cogendo etiam ipsos in annonæ charitate viliore pretio diuendere. eod. n. 4. §. Porrò, & n. 41.

Monopolia illicita sunt, nisi ob iustam causam publica auctoritate permittantur. c. 42.

Magistratus monopolæ pretium taxare debet, præsertim in mercibus necessarijs: at verò in his quæ ad luxum & voluptatem spectant, faciliùs permittitur præstantibus artificibus arbitraria ęstimatio. Ibid.

Mercatores contra iustitiam peccare videntur, si inter se conueniant, vt non nisi summo pretio aliquod mercis genus diuendant. Eadémque ratio est, si emptores inter se conueniant, vt nullus emat supra pretium infirmum. num. 43.

Negotiorum, gestor.

Qui absentis negotia gerenda vtiliter suscepit, is actionem gestorum acquirit. l. 3. tr. 4. c. 28. num. 1.

Hęc actio competit, tametsi negotij euentus infelix fuerit; modò negotij gestor prudenter egerit, vt si equum Titij de manu militis, tanquam illius negotium gesturus, exiguo pretio redimas; sed mox equus fortuito casu pereat. Ibid.

Negotiorum gestor rationem administrationis reddere debet, & si quid eius culpa, etiam leui, neglectum est, resarcire. Si tamen negotium desertum, & à nullo alio suscipiendum erat, suscipiens tenetur tantùm de dolo, & culpa lata: è contrario verò ad exactissimam diligntiam obligabitur, si alius negotium diligentius administraturus fuisset. Ibid. §. Sed vice versa.

Si quis nomine absentis nouũ negotium, quod ille nunquã agere consueuerat, agressus sit, v.g. negotiationem alquam, tum etiam fortuitum casum præstare debet. Ibid.

Si fideiussor pro principali debitum soluit, quia rogatus fuit, habet actionem ex mandato. Sin autem sponte accessit ad fideiubendum, habet actionem negotiorum gestorum. Ibid.

O.

Odium.

Duplex est odium: Vnum personę, quod & Odium inimicitiæ dicitur: Alterum qualitatis; aliàs odium abominationis vocatur. l. 2. t. 3. c. 8. n. 1.

Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum est peccatum mortale ex genere suo, quippe charitatis virtuti directè oppositum. n. 2.

Odium inimicitiæ erga Deum est omnium peccatorum grauissimum. n. 3.

Odium Dei in omni peccato mortali virtualiter continetur. Ibid.

Odium peccatum inter capitalia non numeratur, cùm sit potiùs complementum peruersionis. n. 4.

Odium abominationis erga Deum semper malum est, non item odium abominationis erga hominem. n. 5.

Oratio.

Est actus rationis practicę desiderium animi coram Deo explicantis, vt aliquid ab ipso impetretur. Quare elicitiuè est ab intellectu, supposito actu voluntatis mouentis. l. 4. tr. 1. c. 1. n. 1.

Oratio ad Deum homini viatori necessaria est tum necessitate medij ad salutem, tum necessitate præcepti diuini, ac naturalis. n. 2.

Oratio est vnum ex præcipuis medijs, quo secundùm Dei prouidentiam consequi debemus bona spiritualia, & æterna, ad quæ prædestinati sumus. Ibidem, & num. 10. in fine.

Tempora, quibus pręceptum orandi per se, & ex Religionis virtute obligat, determinari non possunt; necesse tamen est, vt nimis diu ab oratione desistamus. num. 3.

Per accidens plures orandi obligationes occurrere possunt, videl. si grauis tentatio superanda sit: Si eximium, & ad salutem necessarium à Deo beneficium consequendum, v. g. illuminatio in Fide: In mortis propriè periculo: Si Communitas in magna necessitate constituta sit. Ibid. §. Per accidens.

Peccatores bene orare possunt, & orando impetrare num. 4.

Animæ in purgatorio Deum orant non tantùm pro seipsis, sed etiam pro nobis in terra existentibus; quia licet non sint in statu merendi, possunt tamen aliquid humiliter à Deo petendo impetrare. n. 5.

Sanctos in cœlo pro nobis orare certum est: quare consuetudo Ecclesiæ semper fuit, Sanctorum apud Deum patrocinium inuocandi. n. 6.

Christus vt homo, etiam nunc in cœlis orat Patrem suum cœlestem pro nobis. Sed quia peracto Redemptionis negotio nihil iam noui à Deo patre postulat, ideo tum ob hanc causam, tum ob periculum erroris apud homines rudes, Ecclesia fundere non solet preces ad Christum, vt oret pro nobis tanquam homo, & mediator; sed vt misereatur nostri, vt tribuat nobis, tanquam Deus, eodem n. 6. dicto. 4.

Pro Beatis in cœlo ferme non oramus, sed potiùs vt ipsi pro nobis Deum orent. Nihil tamen obstat, quominus Sanctis gloriæ accidentalis augmentum desideramus, atque à Deo petamus. eod. n. 6. in fine, & l. 5. tr. 5. c. 2. n. 3.

Pro animabus in purgatorio, & omnibus hominibus viatoribus rectè Deum oramus: imò interdum ad orandum, pro quibusdam obligati sumus. n. 7.

Quotiescunque pro Communitate aliqua sub generali ratione Deum oramus, nefas est aliquem in particulari, v. g. inimicum, aut alium quamuis obstinatissimum peccatorem, excludere. Ibid. dicto. 4.

Quæ bona hominis absolutè sunt, ea sicuti desiderari, ita & per orationem à Deo absolutè peti possunt. Talia sunt imprimis spiritualia bona, quibus homo malè vti non potest, per se loquendo: Deinde verò etiam scientiæ, artes; item corporis vita, sanitas, & membrorum integritas, quibus homo malè etiam vti potest: cùm etiam hę naturales hominis perfectiones sint, secundùm rectam rationem appetibiles. n. 8.

Quæ indifferentia sunt, id est, per se non habentia rationem appetibilis secundùm rectam rationem, sed solùm vti sunt vtilia ad aliud hominis bonum comparandum, ea non nisi sub conditione à Deo petere oportet, si, & quatenus ad animæ salutem nobis expediunt diuitię, honor, gloria, potestas inter homines. n. 7. q. 4. & n. 8. dicto. 4.

Oratio Dominica omnium sanctarum orationum veluti exemplar, aut compendium quoddam est. num. 8. §. Confirmatur.

Licitum est interdum ob bonum finem petere sibi temporalia mala, puta corporis mortem, ægritudinem, dolorem &c. sub conditione expressà, aut tacita, si secundùm Dei prouidentiam nobis ad saluté expediant. n. 8. dicto 3.

Rem malam, seu auxilium ad peccandum à Deo petere est peccatum mortale; rem autem indifferentem absque vlteriore honesto fine, v. g. lucrum ex ludo à Deo petere est peccatum quidem est, sed non semper mortale. num. 9.

Oratio infallibilem ex Christi promissione impetrandi vim habet, modo adsint conditiones requisitę, vt petamus necessaria, seu vtilia ad salutem, pie, ac perseueranter. num. 10.

Promissio Christi: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, &c.* extendit se etiam ad orationes pro alijs fusas; ideo tamen difficiliorem impetrationem censetur habere oratio pro altero, quam pro se, quia vt Deus conferat donum, quod petitur, debet homo esse dispositus ad recipiendum: quæ dispositio in libera potestate orantis est, si pro se petat, non item se pro alio. Ibid. conditione. 3.

Confessarij, & Concionatores non debent terrere peccatores, quasi omnia eorum bona opera, & orationes apud Deum inutiles sint: quia licet nihil ex condigno mereantur, nec vim satisfaciendi pro peccatis habeant, tamen vtilia sunt per modum impetrationis, si ex fide, ac spe in Deum procedant. eod. n. 10. §. Maximè.

Ad omnem orationem necessaria est attentio: Ea in oratione vocali triplex distingui solet: Vna superficialis attentio, quæ est ad verba, vt rectè & integre proferantur. Altera literalis ad verborum sensum, seu intelligentiam. Tertia spiritualis ad Deum. lib. 4. tract. 1. cap. 5. n. 9.

Attentio literalis, per quam verus verborum sensus percipitur, eique affectus accommodatur, reliquis quidem perfectior est, non tamen necessaria, aut in præcepto posita, cum sufficiat literæ superficiali intendere, animo laudandi Deum. Ibid. §. Altera.

Spiritualis attentio interdum accipitur strictè, si dum lingua verba profert, spiritus pia meditatione sacri mysterij, vel circa rei postulandæ proponendam necessitatem occupetur. Interdum verò latè accipitur, quatenus ad cuiusque orationis essentiam intrinsecè requiritur, cum oratio sit eleuatio mentis in Deum. eod. n. 9. §. Tertiò.

Si oratio in aliquo casu sub obligationem cadat præcepti diuini, tum nullam attentionem, seu mentis eleuationem erga Deum adhibere est peccatum mortale. Ibid. §. Nunc dicendum.

Non attendere, sed voluntariè distrahi in oratione, quæ sub nullum præceptum cadit, est peccatum cuiusdam irreuerentiæ contra Religionis virtutem, sed non mortale, si contemptus absit. Ibid. §. Secundò.

Certum non est, vtrum sit peccatum mortale orationes ab Ecclesia præceptas, v. g. officium Canonicum, recitare sine vlla attentione, sine intentione mentis in Deum est tamen probabilior pars affirmatiua. n. 10.

Duplex est attentio mentis in oratione: Vna actualis, quæ initio cuiusque orationis necessariò requiritur, vt v. g. qui Breuiarium orandi causa in manus accipit Deum laudare, colere, vel officio suo, & Ecclesiæ præcepto satisfacere velit. Altera verò est attentio seu eleuatio mentis in Deum virtualis, quæ virtute prioris propositi nunquam reuocati in verborum continua pronuntiatione perstat, etsi mens ob innatam fragilitatem ad aliena cogitanda deflectat. n. 11.

Accidit quibusdam, vt distractio omnino inuoluntaria vno, vel altero psalmo perseueret, sine culpa: qua distractione animaduersa satius est nihil repetere, sed solùm ab impertinente distractione abstinere, Deóque animum intendere. eod. n. 11. in fine.

Actiones aliquæ sunt cum oratione incompatibiles v. g. scribere: aliquæ verò sunt cum oratione suaptenatura compatibiles, v. g. se vestire, caput lauare: & tales sine culpa inter orandum exercere possunt, si interim mens Deo intenta sit. n. 12.

Videtur tamen indecens esse, & culpa veniali non vacare, si Clericus publicas Ecclesię orationes, videl. officium canonicum inter profanos labores, seu actiones persoluat, nisi id fiat ob aliquam necessitatem, & in modica orationis parte, atque cum cura debitam attentionem adhibendi. Ibidem.

Ordinationis Sacramentum.

Inter Clericos quidam nullum gradum officij, aut potestatis Ecclesiasticæ obtinent, sed solùm tonsurati sunt, & consecrati, ac deputati, vt ad gradum aliquem ascendere possint, alij verò gradum habent traditæ potestatis ac ministerij ad sacrosanctum Missæ sacrificium: & hi propriè Ordines, id est, gradus Ecclesiastici ministerij dicuntur. l. 5. tr. 9. c. 1. §. Porrò.

Ordinatio Clerici non est mera deputatio personæ ad Ecclesiasticum officium, sed est stabilis, & non iterabilis consecratio. n. 2.

Hæretici nostri cùm legitimis Episcopis careant, nullos Sacerdotes, aut Clericos ordinare possunt. n. 3.

Sacra ordinatio est verè, & propriè dictum legis nouæ Sacramentum, quod etiam Patres antiqui testantur c. 2. num. 2.

Septem tantùm sunt ordines, quorum aliqui sacri dicuntur, quibus videl. votum continentiæ annexum est, alij non sacri, siue minores ordines. cap. 3. n. 1. & 2.

Prima tonsura ordo non est, sed fundamentum ordinationis. n. 3.

Sacerdotum ordo bipartitus est, Episcoporum & Presbyterorum. n. 4.

Episcopi semper superârunt Presbyteros ordinis potestate, non item iurisdictione. n. 5.

Episcopatus includit in se ordinem Presbyteratus: quæ causa est, cur tanquam distinctus ordo numerari non soleat. n. 6.

Certa Fide tenendum est, ordinationem Presbyteri sacramentum esse. c. 4. n. 1.

Potestas absoluendi à peccatis necessariò supponit potestatem conficiendi sacram Eucharistiam, sed non vice versa. n. 2.

Certum esse debet, quòd Episcopatus sit verè sacramentum, quamuis non omnino distinctum à Presbyteratu. n. 3.

De diaconatu quoque dubitari non debet, quin sacramentum sit: sed de subdiaconatu, & quattuor minoribus minùs certum est, quamuis probabile, omnia sacramenta esse. n. 4.

Sacramenta ordinis tametsi specie vltima non conueniant, habent tamen vnitatem ordinis ad eundem finem principalem, quod est sacrificium Missæ. n. 5.

Impositio manuum est cæremonia substantialiter requisita ad ordinationem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi. cap. 5. n. 1.

Manus impositio confirmatoria, & ordinatoria repeti non possunt: aliæ verò manuum impositiones repeti possunt. eod. l. 5. t. 3. c. 4. n. 3.

Ordinatio Presbyteri duabus partialibus ordinationibus perficitur: Prioris ordinationis materia est traditio calicis cum vino & patenæ cum pane: Forma autem est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo*, Posterioris ordinationis materia est impositio manuum facta ab Episcopo,

pto, Forma autem: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata.* &c. cit. tr. 9. c. 5. n. 2.

Materia ordinationis Diaconi est impositio manuum Episcopi cum traditione alicuius rei, per quam potestas, & officium eius significatur. Forma autem sunt verba, quæ cum eiusmodi materiali symbolo proferuntur. eod. n. 2. assert. 3.

Propria materia ordinationis Subdiaconi est traditio calicis vacui cum patena superposita: Forma autem sunt verba Episcopi, quibus traditum ipsi ministerium significatur. Et simili modo alij inferiores ordines conferuntur per rerum administraria propria pertinentium assignationem. num. 3.

Physicus materiæ contractus non est necessarius ad substantiam, & valorem sacramenti Ordinationis; sed sufficit moralis. Interim tamen curandum est ordinandis, vt re ipsa tangant materiam porrectam, dum Episcopus verba profert. §. Restat dubium, & n. 4.

Subiectum ordinationis capax est mas baptizatus, non fœmina. Quare Papa dispensare non potest, vt mulier prima tonsura initietur, cùm ea sit deputatio personæ ad Ecclesiasticos ordines. c. 6. n. 1. & 2.

Mulieres Diaconissæ in veteri Ecclesia ordinabantur non ad ministrium Ecclesiasticum, sed ad ostium templi, per quod mulieribus ingressus patuit. n. 3.

Qui graui iniusto metu adactus sacrum ordinem suscipit, characterem habet, sed ad continentiam non obligatur, per se loquendo. l. 4. t. 5. c. 5. n. 10.

Paruuli ante vsum rationis validè quidem, sed non licitè ordinantur. cit. t. 9. c. 6. n. 4.

Ordo superior non includit essentialiter ordinem inferiorem, excepto Episcopatu, qui requirit Presbyteratum. Quare si quis per saltum Presbyter v. g. ordinatus fuit, cùm Diaconus, vel subdiaconus non esset, is non iterum ordinatur, sed ordo prætermissus tantummodo ei confertur. n. 5.

Prima tonsura quouis die conferri potest: ordines autem minores, etiam extra generales ordinationes quouis Dominico die, aut festo conferre licet, modò non multi ordinentur. c. 8. n. 1.

Quibusdam locis consuetudo est, vt ordies minores in vespera Feria VI. vel etiam in Feria IV. Quatuor temporum conferantur. Ibidem.

Subdiaconatum, & alios ordines maiores extra Quatuor tempora, & duo Sabbata Passionis, & resurrectionis Christi conferre illicitum est. Sed Regulares aliqui Apostolicum priuilegium habent, vt extra tempora ordinari possint. n. 2.

Duo sacri ordines eadem ordinatione conferri eidem non possunt. n. 5.

Episcopo permissum est ob causam rationabilem ieiunio sabbathi continuato sacrorum ordinum collationem ad manè Dominicæ sequentis differre. n. 5.

Qui in sabbatho Presbyter ordinatus fuit, insequente manè Episcopus ordinari potest, etiam ieiunio non continuato. n. 6.

Quibusdam in locis consuetudo est, vt quatuor minores, & subdiaconatum eidem simul conferre liceat n. 7.

Minister ordinarius sacramenti ordinationis solus Episcopus est: sed ordinum minorum collatio etiam Presbyteris à Sum. Pontifice committitur, videl. Romanæ Sedis Cardinalibus: Item Abbatibus, si Sacerdotes sint, & ius baculi ac mitræ habeant, talis facultas communi iure concessa est. c. 9. n. 1.

Abbates non nisi Regularibus suis primam tonsuram, & ordines minores conferre possunt: quo tamen nomine etiam Nouitij comprehendi videntur. Ibid. & n. 1.

Abbas priùs ab Episcopo benedictus esse debet (ordinariè loquendo) quàm tonsuram, & ordines minores cōferat Si autem in collatione ordinum limites commissionis suæ excedat, videtur irrita esse ordinatio n. 3. & 7.

Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus validè ordines confert, sicuti & Ecclesiarum, vasorum, altarium, virginum consecrationes à tali Episcopo validè fiunt, vt repetere nihil op us sit. n. 5. & 6.

Non satis constat, vtrum potestas ordinandi Diaconos, & Subdiaconos simplici Sacerdoti committi possit à Sum. Pontifice: certum autem esse videtur, potestatem Sacerdotes ordinandi committi non posse. n. 4.

Qui per saltum Episcopus creatus est, omnes ordines conferre potest; modò sit Presbyter ordinatus. n. 8.

Episcopi licitè ordinare non possunt, nisi subditos suos, vel alienos cum licentia Ordinarij. n. 9.

Prælatis exemptis Ordinum competit facultas Regularibus suis literas dimissorias danti, vt à quouis Catholico Episcopo ordinari possint. eod. n. 9.

Triplex est Episcopus ordinationis: Vnus originis, alter domicilij, tertius beneficij Ecclesiastici. n. 10.

Si adolescens in vna dœcesi natus sit, & postea cum patre in aliam diœcesin migrarit, atque ab eodem deinde studiorum causa ad Academiam missus sit, in arbitrio ipsius positum est ordines petere ab Episcopo originis, vel ab Episcopo domicilij paterni: quamuis id non vbique obseruetur. n. 11.

Nemo sine titulo sustentationis ad ordi nem sacrum promoueri debet; alioquin Episcopus illi p rouidere cogitur: nec pascici potest, sub pœna suspensionis, vt talis prouisio non exigatur. eod. l. 5. tr. 9. c. 10. n. 5. & l. 4. tr. 2. c. 2. n. 2.

Si Clerici ex patrimonialibus bonis sufficientem sustentationem habeant, etiam sine vllo suste ntat ionis titulo ordinari possunt. eod. n. 2.

Religiosi, etiam Societatis Iesu licet sole mniter non professi, sine alio sustentationis titulo ordinari debent. cit. c. 10. n. 6.

Qui cum titulo sustentationis ficto ordinationem impetrat, suspensionem ab ordine incurrit. n. 7.

Beneficium ad cuius titulum aliquis ordinatus fuit, resignari validè non potest, nisi aliunde habeatur sufficiens sustentatio. n. 8.

Qui ordinantur ab Episcopo non habente legitimam executionem ordinis conferendi, suspensionem, seu potiùs irregularitatem contrahunt. eod. c. 10. n. 1.

Qui extra tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine literis dimisorijs sacrum ordinem accipiunt, suspensi sunt: requiritur autem ad incurrendam hanc suspensionem dolus, aut culpa crassa in ordinato. n. 2.

Qui ante ætatem legitimam ornari se fecit, licet postea à suspensionis censura absoluatur, non potest tamen in ordine ministrare sine dispensatione Papali, priusquam ætatem legitimam consecutus fuerit. n. 3.

Episcopus, qui scienter alienum subditum ordinat, per annum à collatione ordinum suspenditur. n. 4.

Qui per saltum se ordinari fecit, suspensus est ab exercitio ordinis ita suscepti. n. 9.

Qui vno die duos ordines sacros accepi t, suspensionem incurrisse censetur. n. 10.

Episcopus in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij episcopalia exercens, suspensionem incurrit. n. 11.

Qui post nuptias, ante matrimonij consummationem, sacrum ordinem aliter suscipit, quàm sacri canones permittunt, veluti irregularis efficitur. n. 12.

Qui in excommunicatione sacrum ordinem suscepit, suspensionem similem irregularitati incurrit. n. 13.

Si solus Episcopus occultam alicuius regularitatem cognitam habet idque probare non potest, ordinationem homini petenti denegare nequit. l. 5. t. 4. c. 6. num. 12.

Ornatus corporis.

Excessus in corporis ornatu, consideratâ qualitate personæ, loci &c. ad insolentiam, & luxum pertinet: id tamen, per se loquendo, veniale tantùm peccatum est; sicuti & excessus in apparatu conuiuiorum, ædificiorum, & similium. l. 2. tr. 3. c. 13. n. 11.

Corporis cultus luxuriæ incitamentum esse solet; qua-

re dissuaderi debet, præsertim adolescentibus, qui ea re emolliuntur,& à bonis artibus,ac virtutibus retrahuntur; vt non rarò exinde mortalis peccati periculum immineat. Ibid. circumstant. 3.

Si mulier fucis, ac pigmentis vtatur ad pulchritudinem mentiendam,peccatum tantùm veniale est,per se loquendo. Ibid. circumstant. 5.

Cultus muliebris viros ad lasciuiam prouocat: Si tamen mulieres non intendant alicuius turpem amorem prouocare, non debet id ipsis imputari ad peccatum mortale; cùm sit potiùs scandalum acceptum, quàm datum. circumstant. 6.

Si ornatus muliebris sit admodum turpis, & directè ad libidinem prouocatiuus: Item, si quis consuetudinem introducat alicuius vestimenti, cuius occasione probabile sit multos scandalum passuros esse, peccatum mortale committitur. ibid.

Virum vestimento muliebri vti, aut fœminam virili, per se non est peccatum;sed causa iusta cohonestari potest; v.g. in comedijs, vel ad sui occultationem: si autem ex leuitare fiat,est peccatum,sed tantùm veniale. ibid.in fine.

P.

Pactum, contractus.

Pactum est duorum, vel plurium consensus in idem. Effectus eius est obligatio, cui ex altera parte respondet actio, seu ius petendi. l. 3. tr. 4. c. 1. & 2.

Promissio, nisi acceptata sit, ac veluti formata alterius partis indicato consensu, obligationem nullam parit: exceptis casibus iure expressis. n. 3.

Non permittitur, vt quis pro altero pacisci, seu stipulari possit; nisi sit persona subiecta, puta filius pro patre, seruus pro domino, Regularis pro Prælato, aut Monasterio. Idémque plerique docent de publico Tabellione, stipulante pro altero in publica scriptura, vel coram Iudice. Tunc autem positum erit in arbitrio domini, patris, Capituli, promissionem suo nomine acceptatam postea, vel ratam habere, vel respuere. n. 4.

Qui aliorum administratores sunt, videl. tutor pro pupillo, curator pro Minore, prodigo, amente; parochus, vel Rector pro Ecclesia, aut causis pijs stipulari possunt. Ibid. §. Denique.

Si donator misso nuntio ad donandum,antequam donatio acceptetur, è viuis excedat,expirat ius acceptādi,& res donationi destinata ad hæredes donatoris spectat.n.5.

Pactum aliud est nudum, quod in ciuili foro actionem non parit, sed exceptionem, aliud verò est pactum vestitum, ex quo ciuilis etiam actio nascitur. c. 2. n. 1.

In conscientiæ foro ex omni etiam nuda conuentione acceptatâ obligatio oritur, siue ex iustitia, siue ex fidelitatis virtute. Id verò pendet ex intentione promittentis, vtrum obligationem ex iustitia, quæ ex genere suo sub mortali est, contrahere voluerit, an verò tantùm obligationem fidelitatis, quæ, per se loquendo, leuis est, & sub peccato solùm veniali. eod. n. 1. §. Explicatur, & eod. t. 4. c. 12. n. 1.

Ex circumstantijs adiunctis, si videl. chirographum, aut testes adhibiti, vel manus stipulatio intercessit, coniectura sumi potest, intentionem promittentis fuisse ex iustitia se obligare. eod. c. 12. n. 1. §. Porrò.

In foro canonico actio conceditur ex pacto simplici, saltem si cum expressione causæ initum fuit. eod. tract. 4. c. 2. num. 3.

Pacta seu conuentiones varijs modis confirmantur, vt ex ijs etiam ciuilis obligatio, & actio oriatur. ibidem num. 2.

Si pactum iuramento confirmatum sit, ciuili iure actionem parit. Ibid. §. 6.

Contractus, si latè accipiatur, idem est, quod pactum: Sin strictè, idem est, quod pactum onerosum seu reciprocum, quod ex vtraque paciscentium parte obligationem continet. cap. 3. n. 1.

Contractuum alij solo consensu perficiuntur, vt emptio & venditio, alij re, vt mutuum, commodatum, depositum: alij scriptura, v. g. emphyteuticus contractus alij denique verborum solemnitate quæ verborum obligatio olim dicebatur, nunc autem ferme abolita est. n. 2.

Quod purè & simpliciter promissum est, statim peti debet, saltem post breuem dierum moram, viri boni arbitrio: quod verò in diem certum promissum fuit, id solui non debet, antequam dies transactus sit. c. 4. num. 1.

Dies incertus interdum promissioni adiicitur causa obligationis suspendendæ, vt sit veluti conditio: v. g. *Cùm naues ex India appulerint.* interdum verò adijcitur causa solutionis differendæ, v. g. *cùm pater meus morietur*: quare quod tali modo legatum fuerit, ad hæredes transmittitur. n. 2.

Conditio de præsente, vel præterito, si vera est, confirmat promissionis obligationem, sin falsa est, statim infirmat: at verò conditio de futuro possibilis promissioni adiecta eius obligationem suspendit. n. 3. & 5.

Pactum conditionale mortuo paciscente, seu promissario ad hæredes eius transmittitur: sed legatum sub conditione, si ea pendente legatarius moriatur, penitus expirat. Ibid. §. Nota.

Conditio de futuro impossibilis siue secūdùm naturam, siue secundùm mores, reddit contractum, seu promissionem irritam. Quia impossibiliū nulla obligatio est. n. 4.

Modus promissioni adiectus, v. g. *promitto, dono, vt Romam eas, vt sepulchrum ædifices*, licet illam non suspendat, tamen promissario vicissim obligationem adfert, implendi modum. Quare quod ita promissum, legatúmue est, statim peti potest: sed promissarius, vel legatarius satisdare debet de implendo modo. n. 6.

Si modus adiectus promissioni, vel legato fuit vt causa finalis, ac principalis, reuocari potest, non impleto modo; quia sensus est, *dono, aut lego tibi centum, ea lege, vt Romam eas, Alioquin retinere non possis*: Sin autem non fuit causa principalis, reuocari propterea donatio, vel legatū non potest: sed compellitur donatarius, vel legatarius ad seruandum modum, vel præstandum quanti interest non seruari. Ibid. §. Quæstio.

Vt modus seu grauamen promissioni accessorium censeatur, debet incontinenti, veluti vna pactione adijci, si enim promissio, vel donatio perfectè ac simpliciter facta fuerit, modum aut conditionem ampliùs non recipit, donatario inuito. Ibid. §. Quod ad.

Si modus adiectus impossibilis sit de iure, aut de facto, v. g. *dono tibi, vt à Religione Catholica deficias, vt cœlum digito tangas*, valet promissio, legatum, vel donatum, & modus pro non adiecto habetur. Ibidem.

Donatio facta Ecclesiæ sub conditione suspendente, ea non impleta corruit: sed donatio facta sub modo, eo non impleto reuocari non potest, nisi id ixpressum sit. num. 7.

Etsi expressum fuerit, vt, si modus non seruetur, (v. g. fundus Ecclesiæ donatus, & alienari prohibitus alienetur) donatio reuocari debeat, non nocebit tamen Ecclesiæ, si solus Prælatus sine consensu Capituli modum donationis transgrediatur: quia Prelatus Ecclesiæ nocere non potest in iure acquisito, etsi nocere possit in iure acquirendo. Ibid. §. Cæterùm.

Quod promissum est meretrici ob fornicationem, vel sicario ob cædem faciendam, patrato opere ex iustitia debitum est. n. 8.

Si cum Iudice pactus fueris, vt non sine periculo suo in tui gratiam suscepto iniquam sententiam ferat, non est improbabile, quòd post latam sententiam datum fuerit, in conscientiæ foro retineri posse. Ibi. §. Præterea.

Si alicui pecuniam promiseris, ne te accuset de crimine patrando, turpis quidem est pactio, sed postquam crimen patratum fuit, vtrinque obligatio oritur in conscientiæ foro. Ibid. §. Denique.

Latro se obligans, quòd imposterum nihil damni in-

iusti illaturus sit, nouam obligationem ex iustitia contrahit, pro qua pretium saltem validè accipere potest. lib. 4. t. 10. c. vlt. n. 8.

In externo tamen foro eiusmodi sceleratorum hominum actiones non admittuntur: imò datum ob turpem causam non tantùm ab accipiente, sed etiam ab hærede eius aufertur. cit. l. 3. t. 4. c. 4. n. 8. §. Denique.

Sed & regula illa; *Si turpitudo sit tam ex parte dantis, quàm accipientis restitutio Ecclesiæ, vel pauperibus fieri debet*, ad forum externum, non internum conscientiæ spectat. cit. c. vlt. n. 18.

Pro eo, quod iam antè ex iustitia debitum est, pretium seu merces accipi non potest: v. g. si latroni dies, ne iniquè occidat, vel Iudici iustum salarium habenti, vt iustè iudicet, vel executionem iniquè non differat. cit. c. 4. n. 9.

Licet Iudex, Tabellio &c. sufficiens salarium habeant, cessante tamen scandalo, & prohibitione legis positiuæ, accipere aliquid possunt, tanquam pretium laboris, ac diligentiæ extraordinariæ; modò id non fiat cum aliorum damno, qua etiam ratione artium Professor, nihil in publica prælectione prætermittens, si priuatim aliquos erudiat, mercedem accipere potest. §. Deinde.

Pro opere debito ex sola charitatis lege, si pretio æstimabile sit, aliquid exigi potest, saltem validè: vt si cum paupere, cui in graui necessitate gratis succurrere debes, pactum reciprocum ineas. n. 11.

Si tibi liberaliter promittatur, vel donetur sub boni operis conditione, causa, modo, v. g. vt ab homicidio abstineas, Missam audias, valet pactio, aut donatio: quia sicuti precibus, aut minis, ita & promissis ac muneribus, fas est alterum inducere ad bonum, vel abducere à malo. eod. n. 11. §. Cæterùm.

Permissio facti alieni inutilis est: attamen promissor alieni facti in dubio præsumitur promittere curaturum se, vt ab altero fiat; quod etiam ciuili iure obseruatur, si promissioni iuramentum accessit. n. 12.

Contractuum alij instituuntur in gratiam vnius contrahentium, vel dantis, vt videre est in deposito, vel accipientis, vt videre est in donatione, commodato, precario: alij verò instituuntur in gratiam vtriusque contrahentium, vt venditio, locatio, societas, pignus, dos. eod. tr. 4. c. 7. n. 1.

Si res certa, siue in specie debita casu pereat, aut deterior fiat, creditoris damnum est: v. g. cum primum emptio & venditio contracta est, periculum rei venditæ ad emptorem spectat, licet merx ipsi tradita non fuerit. n. 3.

Regula illa, *si res casu pereat, domino suo perit*, in ijs tantummodo contractibus locum habet, qui ad rei dominium transferendum non tendunt, videlicet in deposito, commodato, pignore. ibid.

Si res perijt, quia debitor in mora culpabili soluendi fuit, damnum præstare debet: secùs, si legitimè impeditus fuerat, quominus tempore constituto solueret: quod etiam in pœna conuentionali obseruari potest, vt debitor à pœna immunis sit, si culpa caruit. ibid. except. 7.

Si quippiam indeterminatè, siue in genere debeatur (v. g. si bouem dare promisisti) etsi vnum, vel alterum eius generis pereat, non tamen liberatur debitor. n. 4.

Si mutuatarius pecuniam debitam per fidelem (vti existimabatur) nuntium transmittat, & ille in via fugiat, aut spolietur, ipsius debitoris detrimentum est; nisi creditor nuncium ipsemet designârit, aut destinârit, non tantùm ad monendum debitorem, sed etiam ad debitum recipiendum, vel transferendum. ibid. in coroll.

Si contractus institutus fuit in gratiam solius accipientis, omnis etiam leuissima culpa præstanda est: si autem in gratiam solius dantis, dolus, non item culpa ciuilis: si denique in gratiam vtriusque, culpa lata, & leuis præstari debet. n. 5.

Culpa lata seu crassa negligentia, si Theologica, & verè peccatum sit, æquiparatur dolo; v. g. si depositarius per crassam negligentiam rem depositam destruat, vel amittat, damnum resarcire debet, quippe cuius causa virtualiter voluntaria extitit. ibid. assert. 4.

Si Medicus, Iudex, aut alius ex officio obligatus mercedem accipiat, obligatur ex quasi contractu ad restitutionem damni euenientis per negligentiam seu culpam, etiam leuem, quod tamen accipiendum videtur de culpa non merè ciuili, sed Theologica. ibid. §. & Quod dixi.

Si Iudex, Medicus, Confessarius in alterius tantùm gratiam fine suo commodo officium exerceat, non tenetur nisi de culpa crassa: excepto, si seipsum sponte ingerat, & præ alijs solertem iactet, tum censetur se obligare ad præstandum culpam etiam leuem. n. 6.

Contractus, siue promissiones gratuitæ puta donandi, mutuò dandi &c. facili rerum mutatione soluuntur. Idémque dici potest de voto simplici. Qua de re traditur regula: Promissio gratuita desinit obligare, si, re adhuc integra, siue nondum per traditionem completa, notabilis mutatio accidat. eod. l. 3. t. 4. c. 5. n. 5.

Non tam facilè dissoluuntur reciproci contractus, etsi traditione nondum completi sint. Nemo enim v. g. vendentium consentiet, vt, si absque culpa sua mutatio superueniat, vel emptor aliquo errore teneatur, venditio irrita sit, vel reuocari possit. ibid. §. difficile.

Sponsalia, licet inter reciprocos contractus numerentur, tamen parem ferme cum gratuitis dissolutionis facilitatem subeunt: quia expedit, ea magna animi libertate contrahi, ne ex futuro matrimonio infelices exitus oriantur. ibid. §. Excipiuntur.

Contractus, & testamenta interpretationem, ac valorem accipiunt secundùm leges loci, in quo fiunt. lib. 1. t. 4. c. 12. n. 5.

Papa, siue Pontifex Romanus.

Est totius Christiani populi pastor, omnium Ecclesiarum caput, & Episcopus Episcoporum, ex Christi institutione. lib. 1. t. 4. c. 6. n. 3.

Sanctus Petrus, cui Romanus Pontifex in cura Ecclesiæ vniuersæ succedit, etiam ipsis reliquis Apostolis à Christo præpositus fuit. n. 4.

Potestas S. Petro Apostolo collata super Ecclesiam Christi, non fuit tantùm perfectè vniuersalis, sed etiam ordinaria, siue perpetuò in successoribus duratura. n. 5.

Nunc solus Papa iurisdictionem ad remittenda peccata &c. diuino iure in sui ordinatione accipit, reliqui autem Episcopi, & Prælati iure Ecclesiastico à Papa, qui proinde licet omnem iurisdictionem negare nequeat, tamen limitatam conferre potest, vel respectu personarum, vel respectu peccatorum. lib. 5. t. 6. c. 12. n. 1.

Suprema iurisdictio Papæ non confertur à Cardinalibus per electionem; sed postquam ij personam designârunt, à Christo prouenit vi promissionis factæ S. Petro. Matth. 6. cit. lib. 1. t. 4. c. 6. n. 6.

Summus Pontifex ab Ecclesia iudicari non potest, nisi in causa hæresis. n. 7.

Sedes Romanorum Pontificum per antonomasian Apostolica appellatur; non tantùm, quia in ea Principi Apostolorum succeditur, sed quia cum simili auctoritate Apostolicæ & vniuersalis gubernationis succeditur. At verò aliarum Ecclesiarum Episcopi successerunt Apostolis in episcopatu particulari, non in Apostolatu, seu vniuersali iurisdictione erga fideles omnes. n. 8.

Romanus Pontifex non vult appellari Episcopus Oecumenicus, seu vniuersalis (quasi alij præter ipsum Episcopi non sint) sed vniuersæ Ecclesiæ Episcopus, & Pastor. eod. n. 8. §. nota.

In primitiua Ecclesia tres tantùm habebantur sedes Patriarchales, quæ à S. Petro tanquam communi omnium Ecclesiarum Patre fundatæ, & institutæ erant: Romana, Alexandrina, Antiochena. eod. tr. 4. c. 7. n. 4.

Patres in Concilio sexto Carthaginensi appellationem ad Sedem Apostolicam absolutè non negârunt, sed

modum suscipiendi appellationem tantùm improbarunt. ibid. n. 6.

Certa Fide constat, quòd Summus Pontifex cum generali Episcoporum Concilio tanquam ad Fidem, vel bonos mores pertinens definiuit, falsitati subiectum esse non posse. l. 2. t. 1. c. 7. n. 4.

Probabilissimum est, (quamuis non omnino certum) quòd Summus Pontifex, ob Dei prouidentiam, errare non possit in decretis Fidei vniuersalibus, aut in decretis morum, versantibus circa res ad salutem necessarias, seu quæ per se bonę, aut malæ sunt, etsi sine Episcoporum Concilio decernat. eod. c. 7. n. 2.

Interim nihil obstat, quin Pontifex leges condere, aliáue statuere possit, quę per se quidem siue ex obiecto malæ non sunt, tamen propter circumstantias minùs Ecclesiæ expediunt, vt si in censuris ferendis nimis seuerus, indulgentijs, aut dispensationibus nimis facilis sit. eodem. n. 2. §. 2.

Summus Pontifex, etiam vt publica persona, errare potest in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ plerumque de facto sunt. n. 3.

Nullam promissionem, aut certitudinem habemus, quòd Summus Pontifex quoad suam personam in hæresin, etiam notoriam, incidere non possit, ob quam dignus sit, vt ab Ecclesia deponatur, vel potiùs vt præcisus declaretur. Cæterùm, etsi ponamus, Pontificem, vt priuata persona est, hęreticum fieri, adeóque desinere esse verum Ecclesiæ membrum, tamen quamdiu ab Ecclesia toleratur, omnia eius decreta vim & auctoritatem Pontificiam habent. eod. c. 7. n. 1. assert. 2.

Patrinus.

Patrinus dicitur quasi spiritualis pater nutritius, ac pædagogus hominis baptizandi qui eum ob solemnem sponsionem suam, accedente etiam Ecclesiæ præcepto, in Christiana Fide, cùm necesse fuerit, instruere, præsertim Symbolum, & orationem Dominicam edocere obligatus est. l. 5. t. 2. c. 9. n. 1.

Hodie tamen patrini plerumque obligatione instruendi liberati sunt: cùm pueri à parentibus, & ludimagistris in Fide instrui soleant. Ibid.

Ad munus patrini tria necessariò requiruntur, vsus rationis, sacramentum, & intentio. n. 2.

Religiosi patrini esse non debent, nisi ad Episcopatum translati sint. n. 3.

Patrinus vnus esse debet, ísque mas, si puer baptizandus est, aut fœmina, si puella baptizanda: vel summum duo, mas & fœmina. Attamen si plures tanquam patrini admittantur, credibile est, omnes cognationem spiritualem contrahere. n. 4.

In priuato Baptismo, qui necessitatis tempore confertur, opus non est patrino: Si tamen quispiam ex proposito hoc munus tunc obeat, spiritualem cognationem contrahit. n. 5.

Improbari non potest consuetudo, secundùm quam quibusdam locis Catholici patrini existunt filijs hæreticorum, baptizante illos Ministro hæretico in forma SS. Trinitatis. n. 6.

Hæreticus ordinariè, & sine graui causa ac necessitate, non potest admitti vt patrinus. n. 7.

Patrinus in Confirmatione alius esse debet à patrino Baptismi. c. 7. n. 1.

A patrino Confirmationis instruendi obligatio non contrahitur: cùm id iure statutum non reperiatur. Ibid.

Peccatum.

Peccatum definitur, dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei æternam. l. 1. tr. 3. c. 1. n. 2.

Peccatum aliud est commissionis, & aliud omissionis. Commissionis peccatum nihil aliud est, quàm actus humanus malus. Est autem actus humanus, quia voluntarius & liber, malus autem, quia non conformis suæ regulæ, quæ est lex Dei æterna, homini per lumen rationis manifestata. n. 3. & c. 4. n. 1.

Peccatum omissionis in eo consistit, quòd homo libertate præditus non operans est, cùm secundùm legis præscriptum operari deberet. cit. c. 1. n. 4.

Quædam prohibita sunt naturali lege, quia mala, quædam autem mala sunt, quia prohibita lege positiua. Omnium tamen præuaricatio denique repugnat legi æternæ, quippe à qua omnis pręcipiendi, ac prohibendi potestas etiam ad homines deriuarur. n. 5.

Vnitas & diuersitas specifica peccatorum, quatenus præceptis positiuis repugnant, optimè desumitur penes vnitatem, & diuersitatem formalem præceptorum. Sed vnitas & diuersitas specifica peccatorum, quæ, & quatenus naturali legi aduersantur, proximè ac formaliter sumitur ex rectitudine virtutis oppositæ, remotè autem & fundamentaliter ex obiecto. eod. tr. 3. c. 2 n. 1. & 2.

Illa peccata specie differunt, quæ vel diuersis virtutibus aduersantur, vt furtum, & blasphemia, vel quæ eidem virtuti, sed diuersa ratione repugnant, vt periurium, & voti pręuaricatio. eod. n. 2. coroll. 1.

Plures sunt peccatorum, quàm virtutum species, quia contra vnius virtutis integritatem, varij repugnantes defectus committi possunt. n. 3.

Inter peccata specie diuersa, quæ quibus grauiora sint, ex obiecto præcipuè cognoscendum est: quare peccata, quę in Deum directè tendunt, vt Dei odium, blasphemia, omnium deterrima sunt. Inter peccata contra proximum grauius est homicidium furto & detractione, quia maius est bonum vitę externis bonis. n. 4.

Numerica distinctio obiecti, si tantùm materialis sit, vt si vnico actu plures homines occidere intendas, non facit plura numero peccata. Secus, si obiecti multiplicatio sit formalis, siue in ordine ad diuersos actus: vt si proponas furari hodie decem, & cras viginti, vel proponas hodie furari clauem, vt postea fureris pecunias. c. 3. n. 2.

Peccata quę animo perficiuntur, vt hęresis odium Dei, vel proximi, sola interruptione, ac repetitione multiplicantur. Plerumque tamen possibile non est internorum horum peccatorum numerum inire, sed sufficit in Confessione moram temporis explicare, quo v. g. in inimicitia perstitisti: quo modo etiam meretrix confiteri potest, se tanto tempore in statu meretricio permansisse, & quibusuis, etiam coniugatis, sacratis personis, copiam corporis fecisse. n. 3.

Peccata, quę externo opere perficiuntur, non censentur multiplicari per repetitionem propositi circa idem obiectum, quandiu efficacitas propositi in libero aliquo effectu perduraret: vti videre est in eo, qui animo furandi egreditur, & in via malem propositum, quod moraliter nunquam interruptum est, sępius repetit. n. 4.

Qui eodem commotionis impetu alterum sæpius percussit, vel repetica contumelia affecit, semel tantùm peccasse censetur: secùs, si per interualla ad celebrandum, vel conuitiandum accessit, aut si in eadem contentione diuersæ rationis contumelias irrogauit. n. 5.

Si actio cum impletione præcepti incompossibilis, causa omissionis culpabilis existat, tunc ipsa quoque actio peccatum est, quamuis non distinctum à peccato omissionis, sicuti videre est in eo, qui tempore Missę audiendę foris spatiatur, vel aucupatur. c. 4. n. 2. & 4.

Quòd si aliquis ad talem actionem, v. g. aucupium, cuius causa Missam festo die negligit, tam inordinatum affectum gerat, vt propter eam quamuis Dei legem transgredi paratus sit, nouum peccatum aduersus Dei charitatem committit. eod. n. 4.

Peccatum aliud specialiter contra Deum est, aliud contra ipsum peccantem, & aliud contra proximum. num. 5.

Peccata alia spiritualia, & alia carnalia dicuntur. n. 6.

Peccatum aliud est cordis, aliud oris, & aliud operis. num. 7.

Diuisio maximè celebris peccati est in mortale, ac veniale. c. 5. n. 1.

Peccata mortalia ex obiecto, siue ex genere sunt, quæ in Dei iniuriam directè tendunt, vel cùm proximi iniuria, aut ipsius operantis graui incommodo, contra naturæ ordinem iuncta sunt: videlicet peccata contra virtutes Theologicas, contra Religionem, Iustitiam, proximi Charitatem; denique quæ ad luxuriam spectant. eod. n. 1.

Peccatum mortale & veniale, quasi infinitè, distant: quare ex venialibus quantumuis multiplicatis non efficitur mortale. n. 3.

Peccata venialia sunt vel ex genere suo, vel ex materiæ leuitate, vel ex imperfectione actus seu humanæ deliberationis. n. 4.

Etsi peccata venialia sunt contra legem Dei, non tamen sunt contra finem legis, quæ est charitas & amicitia cum Deo. Vel dic, venialia non esse contra legem Dei præcipuam, & quæ simpliciter necessaria sit ad salutem. num. 2.

Cùm aliquid per se malum non est, sed indifferens, excessus in eius appetitione, vsuve est tantùm peccatum veniale. n. 5.

In peccatis quibusdam aduersus Deum, qualia sunt odium, infidelitas, periurium assertorium non reperitus veniale ob materiæ leuitatem. n. 6.

Peccata in Spiritum sanctum sex numerantur Desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & fraternæ charitatis inuidentia. His tamen addi debet odium Dei, quod grauissimum peccatum in Spiritum sanctum est. l. 2. t. 2. c. 2. n. 3.

Peccata in Spiritum sanctum ideo sic appellantur, quia Spiritui sancto aditum præcludunt: dum media aut dispositiones, puta spem, timorem, dolorem à se remouent, sine quibus secundùm ordinariam legem Spiritus sanctus peccatores non iustificat: quamobrem eiusmodi peccata irremissibilia dicuntur, quòd difficilis & rata sit eorum remissio, licet non absolutè impossibilis. ibid.

Si quis violet partem præcepti, ea non omnino absolutè, sed cùm comparatione ad totum, cuius pars est, prudentis viri arbitrio spectanda est, vt intelligatur, num sufficiens materia sit peccati mortalis. n. 10.

Si plurium transgressionum paruæ materiæ nec secundùm se, nec secundùm effectum moraliter coalescant, nunquam efficitur mortale peccatum: sin autem coalescant, tunc vltimæ transgressionis, v. g. vltimi furti materia, licet secundùm se parua sit, tamen propter connexionem cum antecedentibus grandis reputatur, & sufficiens obiectum mortalis peccati. n. 7.

Quædam hominis actiones deformitatem inseparabiliter annexam habent, vt mendacium, periurium: quædam verò actiones, licet absolutè consideratæ inordinationem aliquem habeant, tamen certis circunstantijs cohonestari possunt, vt hominem occidere, rem alienam auferre. l. 4. t. 2. c. 8. princ.

Peccata alia sunt ex ignorantia, vincibili nimirum, sed non affectata; alia verò sunt ex naturæ infirmitate siue animi passione; alia denique ex malitia. cit. l. 1. t. 3. c. 7. num. 1.

Motus appetitus sensitiui circa malum interdum omnem rationis deliberationem præuenit: quare dici solet motus primò primus, expers omnis peccati. eod. tract. 3. c. 5. num. 11.

Motus appetitus sensitiui, qui dicuntur secundò primi, sequuntur deliberationem rationis imperfectam, ideóque venialem culpam continent. n. 12.

Est quoddam peccatum ex contemptu, si ideo legem, aut præceptum violes, quia non vis esse subiectus legi, aut potestati legis latrici. c. 7. n. 2.

Contemptus continet peccatum specialis inobedientiæ: quare qui legem, aut præceptum ita transgreditur, debet circumstantiam contemptus in Confessione explicare. num. 3.

Omnis inobedientia ex contemptu formali est peccatum mortale. n. 4.

Etiam ea quæ solùm in consilio sunt, vt sacramentum Extremę vnctionis, aquę benedictę aspersionem ex formali contemptu negligere, est peccatum mortale. n. 5.

Contemptus materialis siue ipsius operis, puta si quis regulam, aut præceptum transgrediatur, quia parui momenti æstimat, est tantùm venialis culpa. n. 6.

Frequens relapsus seu consuetudo peccandi propriè non continet contemptum, sed solùm interpretatiuè, secundùm præsumptionem fori externi. n. 7.

Peccatorum remissio, iustificatio.

Extra sacramenti susceptionem, ad hominis adulti iustificationem requiritur contritio, siue dolor animi de peccato, quatenus id Deo super omnia diligendo aduersatur. c. 5. t. 6. c. 2. princ. & n. 1.

Ad veram contritionem, ac iustificationis dispositionem non requiritur certus intensionis gradus: neque absolutè necessarium est, de vno peccato mortali magis conteri, quàm de alio. eod. t. 6. c. 4. n. 1.

Ad veram contritionem, per quam peccator iustificatur, mora temporis non requiritur. n. 2.

Vnus simplex contritionis dolor de omnibus peccatis mortalibus, generali ratione apprehensis, ad iustificationem, extra, vel intra sacramentum, per se loquendo, sufficit. n. 3.

Nullum, etiam veniale peccatum, in hac vita à Deo homini remittitur absque pœnitentia, saltem virtuali. eod. c. 4. n. 12.

Vera conditione omnia peccata mortalia delentur, sed non semper omnia venialia. n. 13.

Sola attritio in homine iusto non videtur esse sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum venialium, extra sacramentum. n. 14.

Peccatum veniale nunquam remittitur, nisi simul gratia sanctificans infundatur. n. 15.

Peccatum veniale ei, qui simul habet originale, vel actuale mortale, nunquam sine eo remittitur. n. 16.

Sacramentalia, videl. aqua benedicta, agni cerei &c. non habent vim per se ac immediate remittendi peccata venialia; sed tantùm remotè, quatenus per Ecclesiæ preces impetrant nobis à Deo auxilia gratiæ præuenientis, & excitantis. n. 17.

Ad venialium quoque peccatorum remissionem, otra, & intra sacramentum, requiritur propositum, saltem virtuale, ea imposterum vitandi. n. 18.

Multiplex discrimen est inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis, & propositum requisitum ad remissionem peccati venialis. n. 19.

Vnum peccatum veniale remitti potest, altero veniali remanente actualiter, vel habitualiter: at verò vt peccatum mortale remittatur, altero manente secundùm actum, aut habitum, id fieri nequit. n. 20.

Per pœnitentiam peccata non sopiuntur, sed penitus extinguntur. At verò bonorũ operum merita, quæ in statu peccati veluti sopita erant, per pœnitentiam reuiuiscunt. n. 21.

Pensio.

Est pars aliqua beneficialium redituum, ad tempus alicui legitima auctoritate constituta. l. 4. tract. 2. c. 18. n. 1.

Pensio morte pensionarij finitur, sicuti vsusfructus morte vsusfructuarij. Veruntamen Papa ex plenitudine potestatis constituere potest, vt pensio præter suam naturam perpetua sit, & de vno ad alterum transferatur. ibidem.

Duplex est pensio: vna laica seu temporalis, quæ ob causam aliquam temporalem constituta laico etiam competere potest, v. g. cantori æditiuo, aut Ecclesiæ patrono: altera est clericalis, quæ in solos Clericos cadit. Hæc iterum duplex est: vel simpliciter spiritualis, quia ob spirituale ministerium datur v. g. Coadiutori, vel Cooperatori; vel mixta, quæ in clericali statu fundata, non

propter spirituale ministerium, sed ob aliam causam confertur, v. g. Parocho seni, aut quia aliquis lite beneficiaria cedit. n. 2.

Pensio clericalis magnam cum beneficio Ecclesiastico similitudinem gerit. ibid. §. Porrò.

Ob causam specialem etiam Episcopus pensionem designare potest, v. g. ob senium resignantis, ob causam concordiæ: cuiusmodi pensio vsque ad mortem pensionarij durare solet, ita, vt interim successor in beneficio obligationem retineat. n. 3.

Episcopus cum Capitulo ob causam necessitatis, vel magnæ vtilitatis, fructus ex beneficio abundantiore subtrahere, & ad Ecclesiæ fabricam, Religiosorum sustentationem, vel solutionem debitorum, Ecclesiæ applicare potest. n. 4.

Episcopus pensionis designationem, aut fructuum subtractationem facere debet ante beneficij collationem: & postquam causa subtractionis cessauit, iterum beneficium sine diminutione conferre oportet. n. 5.

Pensio non nisi moderata constitui debet, quæ plerumque est tertia pars fructuum. n. 6.

Spectato communi iure, pensionarius obligatur ad subsidium charitatiuum, & similia onera realia, secundùm proportionem fructuum, quos recipit. Quamuis ferne consuetum est, vt pensiones liberæ designentur. n. 7.

Peregrinus, Vacabundus.

Lex territorij non obligat ciues, cùm absentes seu perigrinantes sunt. Nam hoc discrimen est, inter legem, & præceptum aut sententiam hominis, quòd lex locum seu territorium afficiat, sed præceptum & sententia proximè in personas subditas tendant, earúmque ossibus cohæreant, quocunque terrarum discesserint. l. 1. t. 4. c. 11. num. 1.

Prælati Regularium, cùm iurisdictionem in suos habeant non ratione territorij, sed ratione obligationis personalis, ex voto obedientiæ illos tum præceptis, tum statutis vbique terrarum obligare possunt. n. 2.

Statutum obligare potest subditos absentes, si principaliter latum sit in causa pertinente ad territorium statuentis, v. g. vt omnes Clerici certo anni tempore ad Synodum, vel Canonici ad Capitulum veniant. Quo modo valet etiam statutum, ne extra territorium mercatura exerceatur. n. 3.

Peregrini, dum per regnum Castellæ transeunt, possunt incolarum more intestinis animalium vesci in die Sabbathi. n. 4.

Statutum diœcesis non obligat subditos existentes in loco exempto: quia locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco sito extra diœcesin. n. 5.

Incola ciuitatis, in qua dies festus celebratur, si manè egressurus, & peruenturus sit ad oppidum vbi non celebratur, debet prius Missam audire. n. 6.

Discessurus ex loco vbi ieiunium non seruatur, potest ibidem comedere, etiam carnes, licet eodem die peruenturus sit ad proprium territorium, vbi lex ieiunij obligat: & potest domi iterum comedere, sed à carnibus abstinere debet. num. 7.

Qui noctu peruenit ad locum vbi non ieiunatur, potest ibi carnibus vesci, etsi in proprio territorio, vnde illo die exierat, lex ieiunij obliget: quare antequam manè exiuit, potuit prandere, sed non carnes comedere. ibidem.

Verùm in his videtur habenda esse ratio tẽporis potioris, secundùm quod ex loco in locũ proficiscens cõmoraturus est: quare si manè prima diei hora aliquis egressurus est ex oppido, vbi non ieiunatur, & altera hora peruenturus ad proprium oppidum, vbi ieiunium seruatur, non potuit ientaculum sumere, præsertim cum carnibus. ibid.

Qui ex Episcopatu, in quo verus Calendarium obseruatur, Quadragesimæ tempore venit ad aliam diœcesin quando ieiunium ferme absolutum est, non tenetur ampliùs, quàm illi quibuscum viuit, ieiunium prorogare. num. 8.

Si peregrinus Catholicus in terras hæreticorum veniat, ieiunia & festa obseruare debet secundùm Calendarium nouum, atque suæ diœcesis, Romanęque Ecclesiæ consuetudinem, si sine magna difficultate seruare possit. eod. n. 8. §. Loquor.

Incolę tamen Catholici, qui in hæriticorum terris versantur, v. g. Vlmæ ad communem pacem seruandam ex pręsumpto consensu Prelatorum, Festa, & ieiunia celebrare possunt secundùm Calendarium vetus, quibus deinde peregrini Catholici, dum inter eos morantur, se licite conformant. ibid.

Operarij ex locis Catholicis egredi non possunt ad loca hæreticorum, in quibus ob diuersitatem Calendarij festa non seruantur, nisi Episcopus ex causa iusta expresse, vel tacitè dispenset. n. 9.

Si sponsi sine iusta causa, adeóque in fraudem legis egrediantur ad contrahendum matrimonium sine Parocho, & testibus, in loco, vbi Tridentina constitutio recepta non est, peccant quidem, sed matrimonium eorum validum esse videtur. n. 10.

Peregrini si causa inhabitandi ad tempus longum venerint, seu quasi domicilium in alieno oppido figant, omnibus eius legibus obligantur. eod. l. 1. tract. 4. c. 12. num. Primò.

Non tantùm ij qui tempore non breui, videlicet ampliùs medium annum in oppido morari cogitant, quasi incolę censentur, & iurisdictioni subijciuntur, sed etiam qui aliquando breuiore tempore, sed certo permanendi proposito, negotij, aut negotiationis causa domicilium, officinam, vel tabernam fixerunt, aut conduxerunt. ibid. §. Quæres.

Princeps non obligatur statutis municipalibus ciuitatis, aut prouinciæ, ad quam aduenit, quamuis longo tempore moraturus sit, sed fixam sedem ibi non habeat, sicuti nec Legatus in prouincia diœcesalibus legibus astringitur. n. 2.

Aduenæ & peregrini licet in loco diu moraturi non sint, obligantur tamen legibus communibus, quæ in ipsorum patria speciali priuilegio, vel consuetudine non obseruantur: v. g. ciuis Mediolanensis profectus ad limina Apostolorum, primis quatuor Quadragesimæ diebus à carnibus abstinere debet. n. 3.

Peregrini, dum in aliena terra hospitantur, non obligantur legibus, & consuetudinibus eius loci proprijs: v. g. peregrinus Augustæ in die S. Vdalrici non tenetur Missam audire, etsi totum cum diem mansurus sit. n. 4.

Sacerdos Græcus transiens per Ecclesiam Latinam, potest in azymo consecrare, vel in fermentato, sicuti maluerit. Similiter etiam Sacerdos Latinus, si transeat per Ecclesiam Grecorum. n. 6.

Probabile est, quòd neque vagabundi, id est, qui nullibi domicilium fixum habent, legibus & consuetudinibus locorum proprijs obligentur, per quæ transeunt, aut in quibus hospitantur. n. 7.

Vagabundus vbique sortitur forum: quare confiteri potest cuiuis Parocho, alterive exposito eius loci, in quo pro tempore versatur. Quemadmodum etiam in externo foro quilibet Iudex Reum vagabundum capere, & ob delicta etiam alibi commissa punire potest; pręterquam si à Iudice delicti petatur. l. 5. t. 6. c. 10. n. 7.

Vagabundorum matrimonijs Parochus assistere non debet, nisi priùs diligente inquisitione facta, & re ad Ordinarium delata. ibid. n. 8.

Peregrinus & vagabundus iudicantur, & absoluuntur in Pœnitentiæ foro, etiam quoad reseruata peccata, secundùm consuetudines loci eius, in quo se iudicio submittunt. eod. c. 10. n. 10.

Perignantes, dum à parochia absunt, ex tacita voluntate Ordinariorum, per consuetudinem firmata, à quo-

uis exposito Sacerdote sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, etiam tempore Paschali, accipere possunt, si ad propriam parochiam facilè accedere nequeant. Sed reuersi ad parochiam testimonium annuæ Confessionis & Communionis Parocho postulanti exhibere debent. num. 9.

Cum Christiani inter Turcas peregrinari permittuntur, ex pacto cum ipsis inito, si quid palam, vel clam ab illis auferant, furti vel rapinæ crimen committunt, cum restituendi obligatione. l. 2. t. 3. c. 12. n. 17.

Si Turcæ à Christianis inter ipsos peregrinantibus per iniustitiam aliquid extorserunt, v. g. pretium redemptionis, vel tributum, ob permissam ipsis peregrinationem, licitè tantundem ipsis auferent, si clam, & sine vllo scandalo id fieri possit. ibid.

Si Turcæ per terras Christianorum peregrinentur cum consensu Principum, vti fieri solet tempore induciarium, aut pacis, nefas est quiddam ipsis damni inferre. At verò tempore belli, nullaque promissa securitate, possunt bonis spoliari, in captiuitatem trahi &c. non solùm à Principe bellum contra eos gerente, sed etiam à quouis eius subdito, ex præsumpta Principis voluntate. ibid. dicto. 4.

Periurium

Periurium strictè sumptum est mendacium, vel falsitas iuramento confirmata. Latè autem accipitur pro omni iuramento illicito, seu irreligioso. l. 4. tract. 3. c. 14. num. 1.

Triplex est periurium, seu iuramentum peruersum: Vnum propriè dictum, quod veritate destituitur: idque diuiditur in assertorium, ac promissorium: quamuis etiam promissorium à proprietate periurij deficiat. Alterum est, quod iustitia caret: videlicet si quis rem illicitam se facturum iuret. Tertium, quod iudicio vacat videl. si quis sine iusta causa, ac temere iuret. Et hæc duo posteriora impropriè, ac quodãmodo periuria sunt. ibid. §. interdum,

Secundo præcepto Decalogi, *Non assumes nomen Dei in vanum*, prohibetur omne periurium: sed principaliter id, quod veritate destituitur; alia verò secundariò. ibid. in Corollario.

Omne periurium assertorium est peccatum mortale, si cum plena deliberatione fiat. n. 2.

Iuramentum incautum, id est, prolatum sine debita consideratione, verúmne sit, quod iuratur, est peccatum graue, vel leue, secundùm proportionem defectus debitæ considerationis. Non autem est propriè periurium; cùm non contineat in se mendacium. n. 3. & 4.

In iuramento assertorio maior, vel minor certitudo requiritur, pro diuersitate rerum iuramento assertarum. n. 5.

Si testis de ipso facto alterius in iudicio iuratus deponat, requiritur certa cognitio, quæ habetur per visum: secùs, si solùm testetur de fama. ibid.

Non omne promissorium periurium est peccatum mortale; sed ob leuitatem materiæ veniale fieri potest. n. 6.

Iuramentum amphybologicum licet propriè periurium non sit; imò culpa omni vacet, si iusta ita iurandi causa adsit, est tamen illicitum, & quodammodo periurium, si sine iusta necessitate fiat. n. 7.

Iuramentum, qui deest iustitia, si sit assertorium tantùm, videtur esse peccatum veniale: vt si occultum proximi peccatum iuramento affirmes. Sin verò promissorium de patrando opere mortaliter malo, mortale peccatum est: v. g. si iures te hominem occisurum esse, at verò de re venialiter mala, continet tantùm venialem irreuerentiam: vt si iures, te puerum non ita omnino meritum castigaturum. n. 9.

Iuramentum de re indifferente, aut repugnante Euangelicis consilijs, vt si iures, te Religiosum non futurum, non ieiunaturum, per se loquendo, est peccatum veniale, ob iustitiæ defectum. n. 10.

Iuramentum cui Iudicis discretio deest, quia sine necessitatis ratione fit, non excedit culpam venialem: modò iurans cautionem adhibeat, vt quod iuramento affirmat, falsum non sit. n. 11.

Mala consuetudo facilè ad quoduis dictum iurandi, collocat hominem in probabili periculo multorum falsorum iuramentorum. ibid.

Periurium propriè dictum præsertim assertorium, admodum graue peccatum est, tamen à Magistratu non pœna corporali, sed alia arbitraria punitur, quia Deum potiùs vltorem habere debet, in cuius iniuriam directè tendit; sicuti & blasphemia &c. eod. num. 11. §. Denique, & num. 12.

Homines aliqui plebeij non satis distinguunt inter iuramentum falsum, blasphemiam, & maledictionem. n. 13.

Pignus, Hypotheca.

Nomen pignoris ferme rebus mobilibus, hypotheca immobilibus tribuitur: sed possunt etiam pro eisdem accipi. l. 3. t. 4. c. 30. n. 1.

Pignus siue hypotheca diuiditur in Prætorium, conuentionale, & legitimum. n. 2.

Prætorium seu iudiciale pignus est, quod Iudicis auctoritate constituitur, mittendo creditorem in possessionem bonorum debitoris contumacis; vel mittendo Actorem in possessionem bonorum, vt ipsi cautum sit, si videlicet Reus in iudicium vocatus non compareat. eod. num. 2.

Conuentionale pignus est, quod partes contrahentes expresse constituunt, vel rei interuentu, vel solo consensu. ibid. §. Conuentionale.

Duplex est pignus seu hypotheca conuentionolis: Vna generalis bonorum omnium præsentium & futurorum, qua tamen non censentur comprehensa, quæ in specie non facilè obligantur, videlicet res ad quotidianum vsum necessariæ: Altera hypotheca particularis, id est, vnius, vel plurium rerum in specie obligatio. n. 3.

Legitimum pignus siue hypotheca est, quæ legis dispositione constituitur: quare etiam tacita vocatur, & distingui debet in generalem, ac specialem. ibid. §. Legitimum.

Legitimam hypothecam habet I. Fiscus in bonis cuiuscunque debitoris sui. II. Bona omnia tutoris, vel curatoris, sicuti & administratoris Ecclesiæ, vel Hospitalis tacitè obligata sunt pro administratione. III. Liberi habent tacitam hypothecam in bonis patris pro administratione aduentitiorum. IV. Vxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti pro dotis restitutione, adeò vt eo mortuo bonis in domo relictis interim iure retentionis insistere possit. V. Res empta ex pecunia pupilli obligata ipsi est, donec pretium accipiat. VI. Quę à conductore in prædium vrbanum illata sunt, obligata censentur pro pensione, & damno rei. eod. n. 3.

Quæcunque res emi, vendique possunt, eæ etiam pignori obligari, & vice versa, quæ res absolutè, & propter seipsas vendi prohibentur, earum etiam oppigneratio prohibita est: quamobrem nomine alienationis in materia fauorabili etiam oppigneratio compreheditur, cum ea sit dispositio quædam ad alienationem, imò imperfecta quædam alienatio. n. 4.

Qui rem in pignus accepit, alteri oppignerare potest, & durat secunda oppigneratio, donec extinguatur prima: nam resoluto iure dantis, resoluitur etiam ius accipientis. n. 2. §. Non prohibetur, & n. 5.

Pœna legis commissoriæ, (si videlicet debitum certo tempore solutum non sit, vt pignus creditoris existat, vel eidem venditum sit, in feudum, aut solutum datum) iure tam ciuili, quàm canonico reprobatur. n. 6.

Iustum est pactum, si ad certum diem solutio facta non fuerit, vt pignus creditori iusto pretio vendi debeat. Item si debitor in mora soluendi existat, vt pignus statim vendere liceat, atque inde detracto debito reliquum debitori restituatur. n. 6.

Etsi nihil conuentum fuit de pignore distrahendo, ta

men distrahi potest biennio post moram, & interpellationem debitoris. Quin etsi conuentum fuerit, vt pignus distrahere non liceat, postquam tamen ter denunciatum est debitori, vt soluat, bienniúmque interim elapsum, pignus distrahere concessum est. ibid.

Fructus ex pignore perceptos creditor in partem exonerandæ sortis computare debet. Si tamen necessariarum atque vtilium expensarum compensationem in fructibus non percepit, eas repetere potest, & interim donec soluuntur pignus retinere. n. 7.

Debitor rem quam vni oppignerauit, alteri vendere non prohibetur, emptori tamen de euictione tenetur. num. 8.

Oppignerato fundo, vel alia re frugifera, etiam fructus oppignerati censentur, quia censentur pars fundi. n. 9.

Pœna.

Pœna alia est legalis, alia conuentionalis, & alia iudicialis: inter quas hoc discrimen est, quòd pœna legalis strictiorem interpretationem habeat, quàm conuentionalis, & iudicialis. lib. 3. t. 4. c. 16. n. 12.

Si pœna conuentionalis modica adiecta sit, soluenda à debitore, nisi ad certum diem satisfecerit, ea in conscientiæ foro solui debet, si à creditore exigatur, modò debitor culpa non caruerit. lib. 3. t. 4. c. 30. n. 6. §. Denique.

Pœnitentiæ Sacramentum.

Pœnitentia est Sacramentum nouæ legis, à Christo institutum. Ioan. 20. l. 5. tr. 6. c. 3. n. 1.

Sacramentum Pœnitentiæ post Baptismum lapsis in peccatum mortale necessarium medium est ad salutem: quare à Patribus appellatur altera post Baptismum tabula, naufragis à Deo præparata. n. 2. & 3.

Sicuti non baptizatis ad iustificationem sufficit votum Baptismi, ita etiam lapsis sufficit votum Sacramenti Pœnitentiæ, ita tamen, vt si postea Sacramentum reipsa suscipi possit, præceptum suscipiendi incumbat. n. 4.

Materia remota, circa quam Sacramentum Pœnitentiæ versatur, est omne peccatum actuale hominis baptizati, etiam id à quo aliquis semel absolutus fuit: siquidem Ecclesiæ praxis ostendit, repetitam seu generalem peccatorum Confessionem rectè institui posse. n. 5. & n. 8. §. Porrò.

Mortalia peccata sunt materia Sacramenti necessaria, venialia autem, & ea mortalia, à quibus absolutio directè iam accepta est, sunt materia non necessaria, sed idonea. eod. num. 5.

Operam dare debet pœnitens, vt non sola peccata dubia, sed aliquod peccatum certum, saltem veniale, ad Confessionem afferat. Sin autem Confessarius non certam, sed tantùm dubiam absolutionis materiam elicere possit, interdum, & quidem frequentiùs, spectatis circumstantijs, hominem sub conditione tacita absoluere potest, interdum autem, si nulla necessitas appareat, absolutione omnino supersedere. ibid. §. Pro praxi.

Materia propinqua, ex qua Sacramentum Pœnitentiæ constituitur, sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, satisfactio: Forma autem huius Sacramenti est, *Ego te absoluo à peccatis tuis*. n. 7.

Inuocatio SS. Trinitatis, & signum crucis secundùm Ecclesiæ consuetudinem adiungitur, sed & manus impositio, vel eleuatio, capitísque denudatio inter absoluendum omitti non debent, vbi hæc in obseruatione sunt. num. 8.

Forma huius Sacramenti necessariò & essentialiter in verbis consistit, neque alijs signis, puta nutu, aut scriptura exprimi potest. eod. n. 8. assert. 6.

Multò minùs valida est absolutio collata absenti per nuncium, aut per epistolam: quare breuiter dici potest, quòd absolutio Sacramentalis necessariò fiat verbis vocalibus, præsente eo, qui absoluitur, quamuis fortasse tunc mentis impos sit. n. 9.

Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, vt dolor internus aliquo modo antecedat Confessionem peccati. lib. 5. t. 6. c. 4. n. 4.

Ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit dolere te, quòd non satis doleas. n. 5.

Ex vero dolore de peccatis, sequi solet propositum imposterum ea vitandi: idque Confessarij exigere debent, vt aliter pœnitentem absoluere nolint, nisi propositum habeat, deinceps ab omnibus mortalibus abstinendi. n. 6.

Et debet tale propositum efficax esse, vt dum talis dispositio, siue voluntatis propositum durat, re ipsa moueatur homo ad peccatorum occasiones tollendas &c. n. 7.

Accidit interdum, vt quis verum propositum habeat abstinendi à peccato, & tamen existimet, non omnino se vitaturum. n. 8.

Occasiones, & pericula peccatorum propinqua amouere pœnitens plerumque obligatus est, non item pericula remota. n. 9.

Qui sæpius eandem peccati speciem ad confessionem affert, iterum absoluendus est, si nouum emendationis propositum ostendat, quod aliquibus signis Confessarius cognoscere poterit. n. 10.

Si pœnitens post duas, aut tres Confessiones eandem peccati speciem eodem, vel maiore numero afferat, & nullus emendationis conatus antecessisse videatur, differenda est absolutio, præscripto aliquo temporis spatio intra quod pœnitens se emendare debeat, & postea redire. Excepto, si pœnitens in præsente Confessione specialia, qualia ante non solebat, doloris signa ostendat. n. 10. §. Veruntamen.

In tali casu difficiliùs absolutio dari debet, si crimina publica sint, v. g. frequentes blasphemiæ, ebrietates, & post repetitam Confessionem, aut sacram synaxin emendatio non appareat. ibid. §. Secundò.

Possessio, Possessor.

Possessio est detentio rei corporalis, corporis, animi, iurísque adminiculo. l. 3. t. 1. c. 7. n. 1.

Rerum incorporalium seu iurium non propriè possessio, sed quasi possessio esse dicitur. ibid. §. Dicitur.

Possessio acquiritur per rei apprehensionem veram aut fictam. n. 2.

Qui rem vt conductam, depositam, commodatam, vel pignoris loco penes se habet, non est possessor eius, cùm non vt suam, sed vt alienam, seu non suo, sed alieno nomine teneat. n. 3.

Ad possessionem acquirendam corpus & animus requiritur; sed ad retinendam plerumque sufficit solo animo, seu ciuiliter tantùm possidere. n. 4.

Possessio interdum est solius facti, interdum etiam iuris. ibid. §. Denique.

Iudicium siue lis iudiciaria interdum instituitur de possessione, & interdum de proprietate rei. n. 5.

Possessor intentionem suam fundatam habet, & onus probandi actori seu petitori incumbit, nisi ius commune actori resistat. n. 6.

Si tamen possessio, cui iura resistunt, v. g. quod aliena Ecclesia decimas possideat, titulo etiam adiuuetur, eo casu possessio tribuit præsumptionem veritatis, ac iustitiæ; licet de modo & qualitate non satis constet. Idémque dicendum si possessio immemorialis sit, quamuis titulus exhiberi iam non possit. n. 6.

Remedia quædam possessoria æquitate Prætoria introducta fuerunt. n. 7.

Qui ciuilem rei possessionem retinet, eam ab iniusto inuasore, aut spoliatore etiam vi adhibita, quatenus necesse est, defendere potest: interdum tamen ratione scandali aut grauioris damni secuturi contra charitatis legem peccabit, qui contra iniquum inuasorem, vel ob ius alicuius seruitutis vel hospitis denegatum, propria auctoritate vim intulerit, si via iudicij, vel alio modo mitiore possessionem iuris sui se recuperaturum existimet. n. 8.

Qui alienam possessionem, vel Ecclesiasticum benefi-

cium per vim inuadit, eo ipso in pœnam priuatur iure, si quod habet n. 9.

Si iura possessor non resistant, plerumque ex vno actu exercitæ iurisdictionis, præsumptio fit de tota iurisdictione eidem competente: v. g. si Episcopus in aliqua parochia actum iurisdictionis exercere solitus sit, exinde coniectura fit, parochiam ad ipsius diœcesin spectare. l. 3. t. 1. c. 8. num. 6.

Bonæ fidei possessor, postquam intellexit rem alienam esse, non plus restituere debet, quàm possidet. l. 3. t. 2. c. 3. n. 1.

Qui bona fide siue per ignorantiam excusantem illum à culpa Theologica contractum celebrauit, quem postea vsurarium esse intelligit, non plus restituere debet, quàm exinde ditior factus est. eod. n. 1. §. Denique.

Malæ fidei possessor est, qui iniustè possidet, sciens, vel per crassam negligentiam scire intermittens, iùs sibi non competere. eod. tr. 2. c. 4. n. 1.

Si res apud malæ fidei possessorem casu fortuito perijt, alioquin etiam peritura apud dominum, nihil restituere cogitur: secùs est, si iniquus possessor eam dolo absumpsit, vel per crassam seu mortalem negligentiam perdidit: nam exinde restituendi obligationem contrahit, quæ vbi semel contracta est, propter accidentalem euentum non extinguitur. n. 2.

Malæ fidei possessor restituere debet omnia meliora menta rei intrinseca, deductis tamen expensis non tantùm necessarijs, sed etiam vtilibus. n. 4.

Si res intrinsecè aucta siue melior effecta apud malæ fidei possessorem, postea decreuit, restituere is rem debet, secundùm valorem status optimi; excepto, si etiam apud dominum similiter deterior facta esset, etsi ab iniquo possessore in statu optimo restituta fuisset. num. 5.

Si res in manu iniqui possessoris extrinseca æstimatione aucta, & tunc cariùs vendita fuit (v. g. furtiuum frumentum) satisfit creditori, si ipsi res similis restituatur, vel pretium eius, secundùm taxationem temporis, in quo restitutio fit. n. 6.

Id perpetuum est, quòd malæ fidei possessor lucrum omne cessans, & damnum emergens domino restituere cogatur: quare hoc præcipuum discrimen est inter possessorem bonæ fidei, & possessorem malæ fidei, quòd in illo attendatur, quid, aut quantum possideat: tantundem enim, & non plus restituere cogitur. Sed in restitutione facienda à malæ fidei possessore attenditur ad omne lucrum cessans, & damnum domino emergens. num. 7.

Præscriptio, vsucapio.

Præscriptio definitur: Exceptio peremptoria, ex tempore legibus definito substantiam capiens. Vsucapio verò definitur: Adiectio dominij per continuationem temporis lege definiti: quare, si propriè loquendum sit, præscriptio est quasi fructus seu effectus vsucapionis. Etenim ob bonum publicum constitutum est, vt longa & pacifica rei possessione, cum bona fide, dominium acquiratur, ideóque pristinum dominum per exceptionem tanti temporis repellere liceat. l. 3. t. 1. c. 8. n. 3.

Bonæ fidei possessor post legitimi temporis decursum, plenum rei dominium, etiam in conscientię foro acquirit; esto rei dominus pristinus ob inuincibilem ignorantiam rem suam non repetiuerit. n. 4.

Ad præscribendum seu vsucapiendum inprimis requiritur possessio, eáque ciuilis: sola autem naturalis detentio non sufficit. n. 5.

Non plus aliquis per vsucapionem acquirere potest, quàm possedit. n. 6.

Subditus, dum se subditum profitetur, pręscribere non potest aduersus ea, quæ potestati gubernatrici intrinseca, & necessaria sunt: potest tamen aliquis temporis diuturnitate contra Superiorem præscribere immunitatem, qua desinat esse subditus. ibid.

Nihil obstat, quominus subditus partem aliquam iurisdictionis contra Superiorem præscribat, v. g. Capitulum vt in prima instantia Canonicos, & Officiales suos iudicet: sed requiritur ad hoc possessio temporis immemorialis, vel quadraginta annorum, cum titulo colorato: quando quidem præsumptio iuris est pro Episcopo. eod. n. 6. §. Infertur secundò.

Incapax possidendi est etiam incapax præscribendi: quamobrem iura Ecclesiastica, v. g. decimæ clericales, iurisdictio in Clericos, eorúmve bona, nullo etiam immemoriali tempore à laicis vsucapi possunt, absque titulo præsumptio factæ comissionis, aut accepti priuilegij. num. 7.

Quod aliqui dicunt, ipsam consuetudinem, aut possessionem immemorialem loco tituli esse, id verum duntaxat est, si aliquis sine titulo, aut priuilegio speciali capax sit possidendi, ac præscribendi. ibid. in Corollario.

Per actus liberos non inducitur præscriptio, id est, dum aliquis libere, & non velut ex obligatione aliquid tibi pręstat, non potes præscribere, cùm non sis in possessione iuris erga ipsum. n. 8.

Vasallus, vel subditus nunquam contra dominum præscribit immunitatem à seruitijs, v. g. angarijs, nisi interpellatus negauerit ea pręstare: vel nisi re ipsa pro exempto se gerat, aut publicè habeatur. ibid.

Dictum illud, *In actibus voluntarijs non procedit præscriptio*, locum non habet, si quis agere, vel exigere temporis diutuanitate intermittat: nam alioquin contra actiones nunquam præscribi posset. n. 9. §. At verò.

Si colonus tempore longissimo canonem non soluerit, existens in possessione immunitatis absolutè, contra dominum pręscribere potest. Sin autem colonus se emphyteuticum, atque ad canonem obligatum profiteatur, aut publicè pro tali habeatur, etsi canon, aut laudemium longo tempore non exigatur non extinguitur ius emphyteuticum. eod. n. 9. princip.

Malæ fidei possessor nullo vnquam tempore pręscribit. num. 10.

Cum errore facti vsucapio procedit, sed non cum errore iuris, quamuis inuincibilis sit: pręterquam si sit ignorantia aut error iuris dubij, aut si ignorantia iuris ciuiliter inculpata censeatur, puta in Milite, Minore XXV. annis aut rustico non habente copiam consultoris. n. 11.

Obligationes, quæ non sunt ad agendum, sed patiendum, pręscriptione temporis legitimi extinguuntur per solam Actoris negligentiam, seu cessationem, etsi debitor obligationem suam non ignoret. Exemplum habes in legibus pœnalibus, in rusticis seruitutibus, & probabiliter etiam in actione hypothecaria. n. 12.

Cum titulo, videlicet pręsumpto, faciliùs pręscribitur, quàm sine titulo. Nam res mobiles triennio vsucapiuntur cum titulo, & bona fide, sine titulo autem triginta anni requiruntur. n. 13.

Res immobiles cum titulo inter pręsentes spatio decennij vsucapiuntur, inter absentes viginti annis: si tamen res immobilis à malæ fidei possessore, videl. fure, aut raptore ad te translata fuerit, ante annos XXX. vsucapi non potest. ibid. dicto 3.

Vsucapio immobilium aduersus Ecclesiam Romanam centum annis perficitur; aduersus inferiorem Ecclesiam, Monasterium, vel Hospitale, XL. annis, spectato communi iure. ibid. §. Tertiò.

Bona legata, donata, vendita ciuitatibus, & quę ad coronam Regni, vel Prouinciæ spectant, centum annis vsucapiuntur. §. Quinto.

Res immobiles sine titulo vsucapiuntur tempore longissimo, nisi ius commune possessori resistat, aut vehemens suspicio sit possessionem mala fide, vel ex iuris errore acquisitam esse, tunc tempus immemoriale requiritur, modò capacitas sit in vsucapiente. n. 14.

Qui possessionem temporis immemorialis ostendere potest, non tenetur titulum allegare, quamuis plerum-

que expediat vnà cum possessione titulum allegasse, tametsi plenè probari nequeat. n. 15.

Si præscriptio iuris v. g. emphyteutici, vel iuris patronatus tendat contra Ecclesiam, tunc XL. annorum, & interdum temporis immemorialis possessio requiritur: si verò contra priuatam personam, quando videlicet non quæritur, vtrum Ecclesia patronata sit, necne, sed vter duorum patronus eius existat, præscribitur tempore ordinario. cod. n. 15. dicto. 5.

Triennio possidens beneficium Ecclesiasticum cum bona fide ius in eo acquirit. n. 16.

Debita omnia aduersus actiones cum bona fide præscribuntur saltem longissimo tempore, videlicet XXX. annis. Sed excipitur actio hypothecaria, quæ XL. annis tollitur, si ipsemet debitor, eiusve hæres possessor sit. eod. num. 16. dicto 7.

Omnis accusatio de crimine annis XX. tollitur per præscriptionem: in quibusdam tamen criminibus sufficit quinquennium, vt in adulterio. dicto. 8.

Ad probandam possessionem continuam sufficit plerumque ostendere principium possessionis, exinde enim præsumptio fit, continuatam fuisse, si adhuc in possessione persistas. §. Porrò.

Successor in possessione numerare etiam potest tempus antecessoris sui, si is bona fide possedit: secùs, si mala fide. num. 17.

Mala fides antecessoris nocet Successori vniuersali, siue hæredi, quominus vsucapere possit, nisi fortè tempore longissimo. n. 18.

Vsucapio semel cœpta interdum currere desinit (v. g. si tempore belli ius non dicatur, si Ecclesia Rectore careat, aut habeat inutilem ad agendum) postea iterum processura. n. 19.

Qui rem legitimè vsucepit, etsi ob iuris ignorantiam postea nihil excipiens restituat, repetere potest tanquam omni iure indebitam. n. 23.

Primitiæ, oblationes.

Primitiarum ex terræ frugibus Sacerdotibus offerendarum antiquissimus in Ecclesia vsus est: quamuis hodie pluribus locis in desuetudinem venerit. lib. 4. tract. 6. c. 7. num. 1.

Oblationum, & eulogiarum varia genera sunt. num. 2. & 3.

Consuetudo offerendi ad altare sub sacrificio Missę antiquam originem habet. n. 4.

Nullum extat præceptum Ecclesiasticum de oblationibus in ecclesia faciendis: potest tamen longa consuetudine talis obligatio introduci. num. 5. & l. 4. tract. 10. c. vlt. num. 16.

Offerentes in Ecclesia debent esse Christiani, ab Ecclesia non præcisi seu excommunicati. n. 6.

Fœminæ ad altare sub Missæ sacrificio admitti possunt, sed non intra cancellos, vbi Clerici stant. n. 7.

Oblationes non faciendæ, neque accipiendæ sunt ex ijs, quæ iniustè acquisita, & restitutioni obnoxia sunt. num. 8.

Quorundam criminosorum oblationes recipere sacris canonibus prohibitum reperitur. n. 9.

Priuilegium.

Priuilegium est priuata lex, in alicuius fauorem data. l. 1. t. 4. c. 23. n. 1.

Priuilegium aliud est reale, & aliud personale. n. 2.

Priuilegium personale triplex est, singulariter personale, communiter personale, ac mixtum. n. 3.

Priuilegium personale personam sequitur: sed reale priuilegium adhęret rei, cuius respectu datum est. n. 4.

Priuilegia, quæ Communitati conceduntur, transeunt ad eorum successores. cod. n. 4.

In priuilegio Communitati v. g. Regularium concesso, Missam celebrandi de speciali Sancto, aut Beato, considerandum est, vtrum tendat principaliter ad personas, vt proinde eo vbique vti possint, at verò directè ac principaliter ad locum dirigatur, vt etiam alijs Sacerdotibus ibi celebrare liceat. ibidem. §. Aliud exemplum.

Priuilegium aliud est contrarius, ideóque strictę interpretationis: aliud vltra ius, quod cum sit gratia, seu beneficium, latam interpretationem meretur. num. 5. §. Aliud.

Priuilegia quę non vni personæ, sed toti Communitati v. g. Clericorum, aut Religiosorum, concessa sunt ęquantur legibus communibus, ideóque latam interpretationem habent. ibid. §. Dixi.

Si priuilegium quamuis contra ius commune motu proprio Principis concessum sit, amplam etiam interpretationem meretur, cùm proprium Principis beneficium sit ex certa scientia datum. ibid.

Priuilegia Episcopis concessa v. g. de eligendo confessore, de vsu altaris portatilis, competunt electis & confirmatis, etiam ante consecrationem. l. 1. t. 5. pag. 3. c. 2. num. 2.

Si beneficium Principis in alterius præiudicium tendat, vel scandali occasionem præbeat, catenus odiosum est, & strictè interpretandum. n. 6.

Princeps suo priuilegio non præsumitur derogare speciali conuentioni, quę inter partes intercessit. ibid.

Si in priuilegio vnum concessum sit, censentur etiam alia concessa, sine quibus illud commodè obtineri, vel exerceri non potest. §. Porrò, & n. 7. except. 2.

Interpretatio priuilegij in dubio facienda est secundùm communem, & visitatam, vel propriam verborum acceptionem: nam priuilegia non plus operantur, quàm verbis exprimunt. n. 7.

Priuilegium non debet priuilegiato onerosum esse quare multi docent, quòd exempti non obstante exemptionis priuilegio, cum Prælati sui consensu subijcere se possint ordinario, dispensationem petendo in votis, iuramentis, absolutionem à censuris &c. eodem. num. 7. §. Denique.

Priuilegium ita interpretari oportet, vt aliquid operetur, & non sit superuacaneum. Interdum tamen quod iure communi concessum est, impetrari solet ad maiorem securitatem, omnémque tollendam dubitationem: quia plus valet specialis cautio, quàm generalis. ibid. excep. 3.

Priuilegium, quod motu proprio confertur, fauorabilius esse censetur, & excludens præsumptionem subreptionis: quod verò ad instantiam partis priuilegium datur, magis odiosum est. n. 8.

Priuilegium motu proprio concessum, ordinariè effectum ante non sortitur, quàm priuilegiato innotuit num. 9.

Priuilegium ante acceptationem reuocari potest, si ex mera liberalitate promanauit, secùs, si ex debito officio conferentis ibid.

Priuilegium, quod in gratiam petentis per literas, vel procuratorem conceditur, statim suum effectum sortitur, quamuis ignorante eo, qui postulauit. n. 10.

Quędam priuilegia ex mera gratia dantur, quædam verò ob antecedentia merita, vel cum imposito futuro onere. num. 13.

Quicunque legem condere, is etiam priuilegium dare potest, & vice versa. n. 14.

Priuilegia dari possunt non tantùm ijs, qui absolutè subditi sunt, sed etiam alijs. n. 15.

Is, cui Ordinarius concessit priuilegium legendi libros prohibitos, vti eo potest etiam extra diœcesin conferentis; cùm priuilegium datum sit personæ. n. 16.

Priuilegium duobus modis confirmari solet, vel ex certa scientia, vel in forma communi. eodem n. 16 quęst. 4.

Priuilegium finitur elapso tempore, cessante causa finali, vel conditione, sub qua concessum fuit. n. 17.

Si princeps priuilegium dederit sub hac verborum forma, *dum voluero, quoad beneplacitum meum*, eo mortuo ex-

pirat, non item, si dixerit *donec reuocauero, dum aliud decreuero*. Neque si dicatur, *quamdiu Sedi placuerit*, quia potestas Sedis ad successorem transit. ibid.

Priuilegium extinguitur, si per rerum mutationem iniquum, aut noxium Communitati fiat, vel si in ipsius priuilegiati maius detrimentum cedere incipiat. n. 19.

Extinguitur etiam priuilegium per renuntiationem priuilegiati, si in eius solius fauorem concessum fuerat. Sin autem principaliter in fauorem Ecclesiæ, aut Communitatis, tum personæ priuatæ ne iuramento quidem renuntiare possunt, v. g. Clerici priuilegio canonis, aut fori. num. 20.

Sed neque Capitulum renuntiare potest iuri, aut priuilegio acquisito, si Ecclesiæ vtile, aut honorificum sit: Et si Capitulum contra constitutionem aut priuilegium faceret, vnus solus se opponere posset, imò si omnes contra facerent, Superior, videl. Episcopus, posset, & deberet impedire, quatenus in damnum Ecclesiæ cedit. ibid.

Exempti non possunt renuntiare priuilegio exemptionis, quia id cederet in præiudicium Principis, v. g. Papæ. ibid. §. His adde.

Priuilegia, quæ alijs onerosa sunt, amittuntur per non vsum spatio decennij inter præsentes, viginti verò annis inter absentes, si tamen vtendi occasio sit: vt si habeas priuilegium exigendi decimas, aut visitandi Monasteria exempta, & longo tempore non vtaris. n. 21.

Priuilegia affirmatiua per merum non vsum non amittuntur, si vtendi occasio non sit: vt si quis habeat iurisdictionem sanguinis, & longissimo tempore nullum malefactorem ceperit. ibid.

Quæ absolutè gratiæ sunt, in nullius grauamen cedentes, v. g. sacrificandi ante auroram, absoluendi à casibus reseruatis, per solum non vsum non amittuntur. n. 22.

Priuilegia quæ alijs onerosa sunt, vt exemptio à decimis à iurisdictione Ordinarij, per actum contrarium seu contrauentionem duobus modis amittuntur, vel via præscriptionis post exercitum actum contrarium, vel via tacitæ renuntiationis: præsumitur enim in foro externo iuri suo renuntiare, qui sine necessitate contrarium actum exercet, v. g. si emptus Ordinarij iudicio se sistit. n. 23.

Priuilegia, & dispensationes, quæ tractum successiuum habent, cessante causa finali, pariter cessant v. g. si Papa cum infirmo, cuius valetudo desperata, videtur absolutè dispenset in lege ieiunij, ille autem præter opinionem vires integre reciperet, tenebitur postea legem cum alijs obseruare. l. 1. tr. 5. c. 22. n. 16.

Priuilegia, quæ ad operandum aliquid præter ius commune subditis merè gratiosè data sunt, à concedente, eiúsve successore reuocari possunt. n. 25.

Quæ non subditis priuilegia concessa sunt post acceptationem reuocari non possunt, quia transierunt in pactum: talia sunt priuilegia quæ Imperatores, & alij Principes Ecclesiæ concesserunt. ibib. §. Dixi.

Sed neque priuilegia absque vrgente causa reuocari possunt, quæ subditis data sunt in remunerationem meritorum, aut cum grauamine in futurum: item, si cum absoluta donatione, aut translatione iuris data sint, v. g. ius vectigalis, iurisdictio in prima instantia &c. Ibid.

Reuocatio priuilegij alia est expressa, & alia tacita, Expressa vel fit in specie, vel per clausuram generalem, *non obstantibus* &c. qua tamen non censentur reuocata priuilegia contenta in corpore iuris, nisi eorum quoque derogatoria clausula addatur. n. 26.

Sed neque priuilegia in corpore iuris non contenta per generalem illam clausulam reuocantur, si insertum sit, quòd sublata censeri non debeant, nisi specialis eorum mentio fiat, reuocata tamen censentur per plenissimam derogationem, *non obstantibus quibuscunque priuilegijs, quacunque verborum forma conceptis*. eod. n. 26. §. Deinde.

Tacita reuocatio priuilegij fit per actum Principis contrarium, modò præsumi possit cum recordari concessi priuilegij. num. 27.

Per legem vniuersalem non derogatur priuilegijs in corpore iuris non contentis, nisi eorum mentio specialis fiat: quia Princeps iura communia in pectore suo gerit, sed specialia probabiliter ignorat. Ibid. reg. 1.

Priuilegium priùs concessum non tollitur per posterius, nisi eius mentio specialis fiat. Si tamen prius priuilegium generale sit, posterius autem speciale, priori derogatum videtur: quia generi per speciem derogatur, siue ea antecedat, siue sequatur. reg. 2. & §. Limita.

Reuocatio priuilegij, alteriúsve facultatis non antè vim obtinet, quàm priuilegiato, aut delegato innotescat. num. 28.

Probationes.

Probationes in causa ciuili variæ sunt; videl. per testes, per instrumenta, aut libros antiquos, per famam, indicia l. 3. t. 6. c. 4. n. 1.

Probatione nulla opus est, si de veritate constet: & est magna hæc, etiam Aduocatorum quorundam deceptio, qui putant debitorem obligatione soluendi liberum esse, si de eo debitum demonstrari non possit. l. 3. tom. 5. cap. 1. num. 5.

Instrumentorum duplex genus est; vnum publicum, quod publica Tabellionis manu legitimè confectum est: aliud verò priuatum, videl. scriptura à priuato homine confecta, cuius ea conditio est, vt si sola sit, & testium subscriptione non munita, contra auctorem suum probet, non item pro ipso n. 2.

Ordinariè cogi aliquis non potest, vt propria instrumenta Actori edat: Secùs, si sint instrumenta communia, vel si certum sit, aliquem v. g. emphyteutam esse tunc cogi potest à domino, vt instrumentum emphyteuseos edat. Preterea si contra possidentem iuris præsumptio sit, v. g. si quis ius præsentandi sibi vendicet in Ecclesia Collegiata, literas fundationis, quas penes se habet, Episcopo exhibere debet. eodem. num. 2. & lib. 3. tom. 1. c. 8. num. 15. §. Vnde.

Confessio partis omnes coniecturas, omnéque genus probationum superat. l. 3. tr. 5. c. 9. n. 6.

Si verba vltimæ voluntatis ambigua sint, sed intentio testatoris duobus testibus probari possit ex verbis extra testamentum prolatis secundùm eam iudicari debet. Ibid.

Acta iudicij apud Iudicem conscripta à duobus testibus, qui publici Notarij fidem supplere possunt, publicam fidem merentur. Sed & consuetudo obtinuit, vt protocolla à Notario, vel simili persona in publicis actibus scripta sine alia obsignatione, vel subscriptione, fidem faciant, si nulla fraudis suspicio sit, & non agatur de rebus magni momenti. cit. n. 2.

Libri censuales, & aliæ antiquæ scripturæ fidem publicam facere debent, si nulla fraudis suspicio siue coniectura sit. Ibid.

Æquum est, vt rationibus mercatorum saltem in minoribus debitis fides habeatur, etiam pro ipsis, sicuti contra ipsos creditur, sed opus est Iudicis arbitrio, vtrum fraus subesse possit. §. Scriptura.

Procurator.

Procurator dicitur, qui aliena negotia mandatu domini administrat: nam procuratoris officium species quędam mandati est. l. 3. t. 4. c. 26. n. 6. §. Procurator.

Procurator alius est specialis, & alius generalis: item alius est ad lites siue iudicia, & alius ad alia negotia tractanda. num. 7.

Procurator, sicuti & quiuis alius mandatarius, aut delegatus, literas & formam mandati vel commissionis suæ exhibere cogitur, vt appareat quousque se eius potestas extendat. Verùm persona coniuncta admittitur sine mandato ad agendum pro altero, modò caueat illum ratum habiturum. ibid.

Licet Procurator ad negotia post XVII. ætatis annum rectè constituatur, ad iudicia tamen nisi maior XXV.

annis deputari non potest. Simili modo minor XXV. annis in iudicio stare non potest, siue vt actor, siue vt reus, absque tutore, aut curatore: sed neque filius-familias sine patris assensu. Ibid. §. Procurator.

Procurator ad iudicia de culpa etiam leui, vt fortè etiam leuissima tenetur: Sed Procurator ad negotia, sicuti & alius mandatarus, plerumque tantùm de culpa lata, nisi negotij qualitas exactam diligentiam requirat. eod. n. 7. §. Tertium.

Procurator ad lites differt ab Aduocato, quia cum illo contrahitur, & mandati actio in eundem competit, quamobrem maior ætas ad hoc munus requiritur. Aduocatus verò obligatione mandati non constringitur, sed clienti in iudicio præsenti, & pro se etiam agenti patrocinium præstat. eod. n. 7. §. Procurator, & n. 8.

Procurator nemo esse cogitur, sed Aduocatus ad defendendas personas miserabiles à Iudice compelli potest. num. 9.

Tam Procurator, quàm Aduocatus salarium iustè accipit, nisi pauperes clientes sint, in graui necessitate constituti. eod. num. 9.

Irritum est pactum, quod dicitur *de quota litis*, id est, vt certa pars eius, quod ex lite prouenturum est, Procuratori, vel Aduocato cedat. Existimant tamen aliqui, sine peccato conueniri posse, vt certùm præmium præter stipendium detur, si victoria proueniat, modò id moderatum sit, & lege speciali non prohitum. n. 10.

Clericus in sacris, & beneficiatus in causa ciuili, si aliena sit, procurator, vel aduocatus esse nequit; potest autem esse aduocatus in causis Ecclesiasticis, vel coram Iudice Ecclesiastico. n. 11.

Procuratori similis est Syndicus, sed differunt, quia procurator instituitur à proprio domino, Syndicus verò siue defensor ab Vniuersitate, eiusue administratore, v. g. Episcopo, aut Monasterij Prælato. n. 13.

Procurator, vel mandatarius interdum sibi ipsi actionem, obligationémque acquirit, interdum verò domino suo seu principali. n. 14.

Prudentia.

Quatuor sunt cardinales virtutes: Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia. l. 3. sect. 2. n. 1.

Prudentia est virtus intellectualis, ideóque moralium actionum non elicitiua, sed directiua. Ex quo sequitur, eam esse ducem, & reginam aliarum moralium virtutum sine qua nulla earum consistere possit. n. 2.

Prudentiæ tres actus sunt, *bene consultare*, cui opponitur inconsideratio, & præcipitatio mentis, *rectè iudicare*, cui opponitur mentis inconstantia, & *præcipere executionem*, cui specialiter aduersatur negligentia, & socordia in operando. n. 3.

Prudentia alia est monastica, & alia gubernatrix, quæ subdiuiditur in oeconomicam, & ciuilem seu iurisprudentiam. n. 4.

Præterea alia est prudentia perfecta, & simpliciter dicta, quæ proposito vero fine totius verè deliberat, iudicat, & præcipit, quæ ad hunc finem accommodatè agenda sint, alia verò est prudencia imperfecta, & secundùm quid, quæ proposito fine speciali, consentaneè ad illum deliberat, iudicat, & præcipit; quo modo dicitur prudens mercator, cùm interim possit esse malus homo. Qui autem simpliciter prudens, idem & bonus homo est. n. 5.

Sicuti prudentia in se quidem virtus specialis est, ratio autem & veluti forma aliarum moralium virtutum; ita etiam imprudentia in se speciale vitium intellectus est, attamen causa influens in omnia vitia moralia: quandoquidem nullum peccatum moris committi potest sine iudicio rationis, dictante agendum, quod agere non oporteret; vel non agendum, quod agere oporteret. n. 7.

Species imprudentiæ, quæ secundùm defectum sunt, videl. præcipitatio, negligentia, in genere moris eam solùm peccati rationem habent, quod efficacem causam, vel saltem periculum præbent malæ electionis, operationísve. Sed neque illæ species imprudentiæ, quæ sunt secundùm excessum, videl. prudentia carnis, & astutia, rationem moralis peccati in Confessione explicandi habent, quatenus præcisè sunt vitia intellectus, sed quatenus causam vel periculum præbent, prauæ electionis, cum qua vnum in genere moris peccatum constituunt. Ibid. in Corollario.

Pupillus, Minor.

Pupillus (id est masculus vsque ad completum annum XIV. puella vsque ad completum XII.) postquam ex patris potestate per mortem eius excessit, cogitur habere tutorem; cuius præcipuum munus est personam pupilli tueri, vt piè ac honestè educetur, instruatur. lib. 3. tr. 4. c. 9. n. 1.

Puberi ante completum XXV. annum curator non datur inuito: si tamen is curatorem suscepit, cogitur esse sub illo, vsque ad legitimam ætatem completam, similiter si à patre testamento curator datus fuit. n. 2.

Furiosis, ac prodigis, sicut & mente captis, surdis simul ac mutis, & qui perpetuo morbo laborant, quia rebus suis præesse non possunt, curatores dandi sunt. Ibid. Differentia 2.

Minores, præsertim si puberes sint, inuitis etiam tutoribus, vel curatoribus, facere possunt eleemosynas, & alias donationes, ac sumptus moderatos, secundùm statum, & facultates suas. Sed etsi modum in ea re excesserunt, contra tutorum, vel curatorum voluntatem, raro tamen mortaliter peccant, & quæ donata sunt, restitui non debent, donec repetantur. l. 3. tr. 4. c. 12. n. 8.

Ipsi etiam tutores, ac curatores ex bonis pupillorum, atque Minorum pro facultate patrimonij, & dignitate natalium eorum, eleemosynas & donationes remuneratorias facere non prohibentur. Ibid.

Pupillus pubertati proximus, itemque Minor contrahens cum tutoris, aut curatoris consensu, tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur. n. 5.

Pupillus, & minor XXV. annis curatorum habens, sine auctoritate eius non obligatur ciuiliter, interim tamen alterum ætate maiorem efficaciter obligat, si contractu stare velit. n. 6.

Obligatur tamen pupillus, aut Minor, quatenus ex contracto completior factus est, vel si dolo illius res perijt, modò pupillus infantiæ proximus non sit. Ibidem §. Cæterùm.

Ætate minor Religionem professurus omnia bona sua absque tutoris auctoritate alienare, vel cuilibet donare potest, sine beneficio restitutionis in integrum: quia censetur mori. Ibid. §. Tertiò.

Si pupillus pubertati propinquus, vel Minor absque tutoris auctoritate contrahat, saltem naturaliter seu in foro conscientiæ obligatur, ad eum effectum, vt si nihil excipiendo debitum soluatur, à creditore retinere possit. n. 7.

Si pupillus cum ipso tutore contrahat, ne naturaliter quidem obligatur: si tamen plures tutores sint, potest vni tutori pupillus obligari alterius auctoritate accedente. n. 8. limit. 2.

Si pupillus, vel Minor absque Iudicis decreto quamuis auctore tutore promittat, vel alienet bona immobilia, aut mobilia quæ seruando seruari possunt, ne naturaliter quidem obligatus esse videtur, quia iura ciuilia resistunt: nisi iuramentum accesserit. eod. n. 8. in fine.

Si pupillus, vel Minor soluatur quod sine tutoris vel curatoris auctoritate promisit, tanquam ciuiliter indebitum repetere potest. n. 9. §. Tertius.

Quod pupillus, vel Minor curatorem habens ludendo perdidit, soluere non tenetur, nisi iurârit: si tamen soluat, ab altero retineri potest, dum repetatur. n. 10.

Si pupillus, vel Minor quod indebitè soluit aliter recuperare non possit, per compensationem aliquam prospicere sibi non prohibetur. n. 11.

R.

Rapina, vis iniusta.

Rapina est acceptio rei alienæ per vim. Iureconsulti tamen volunt rapinam esse tantum rei mobilis, vt distinguatur à prædone, qui etiam immobilium bonorum est. l. 3. t. 3. p. 1. c. 2. n. 1.

Rapina hanc specialem malitiam habet, quòd per eam domino videnti, & rem suam seruare volenti violentia, adeóque specialis iniuria & contemptus inferatur. Quæ ipsa causa est, cur rapina à furto specie distinguatur. ibid. & n. 3. §. Aliter.

Fieri potest, vt à persona illustri rem exiguam per vim auferens venialiter tantùm delinquas in genere furti, mortaliter autem in genere contumeliæ. Sed & vice versa fieri potest, vt venialiter tantùm pecces in genere realis contumeliæ, si violentia comparatione personæ cui infertur, notabilis non sit, mortaliter autem in genere furti, si res non modica sit. eod. §. aliter.

Ad rapinam pertinet, si quis ab altero quippiam per metum iniustum extorqueat, quod crimen concussionis appellatur. n. 4.

Vis iniusta alia publica est, & alia priuata. Vis publica dicitur, quæ cum armis palam infertur, vis autem priuata, quæ sine armis. eod. c. 2. n. 2.

De vi publica tenentur, qui ex incendio aliquid rapuerit, præter ligna & similia, qui puerum vel fœminam stuprauerit, qui hominem dolo malo incluserit, aut fecerit, quominus sepeliatur, qui impedierit quominus iudicia exerceantur, Publicanus, si nouum vectigal seu plus, quàm debeatur, tributi nomine exigat. eod. n. 2.

Religio, Religiosus.

Satus Religionis definitur: Fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ, stabilis in communi viuendi modus, ab Ecclesia approbatus. l. 4. t. 5. c. 1. princ.

Status Religionis perfectionis est, non eo sensu, quòd omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed ad perfectionem tendere. Ibid. n. 1.

Tria sunt substantialia vota Religiosi status: Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ. n. 2.

Ordo religiosus à Summo Pontifice approbatus esse debet. num. 3.

Ad essentiam status Religiosi non requiritur, vt vota solemnia sint: qui enim in Societate IESV tria simplicia vota ediderunt, veri Religiosi sunt. n. 4.

Qui in Ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantùm coniugalem vouent, propriè Religiosi non sunt. Sed milites S. Ioannis Hierosolymitani, eorúmque similes veram Religionem profitentur, cùm tria substantialia vota habeant. n. 6.

Irrita est professio, aut susceptio Religionis, si addatur conditio statui Religioso repugnans, v. g. vt liceat retinere bona impedienter à Prælati voluntate. n. 6.

Religiosi non sunt, qui editis votis perpetuæ castitatis, ac paupertatis, obedientiam vouent præstandam Episcopo, aut Confessario. n. 7.

Fratrum Conuersorum, qui in quibusdam Mendicantium Ordinibus Tertiarij vocantur plura genera sunt: alij enim sunt Fratres laici, & verè Religiosi communem cum alijs regulam profitentes, alij autem sunt, qui mutato seculari habitu distincto à cæterorum Religiosorum habitu assumpto Ecclesię, vel Monasterio se deuouerunt edito voto saltem continentiæ, sed Regulam Ordinis non profitentes. Denique alij sunt oblati, qui nulla facta mutatione habitus, nec emisso voto continentiæ, aut Obedientiæ in domibus suis manent, sua bona Religioni dicantes, & hi non sunt propriè personæ Ecclesiasticæ sicuti priores. l. 4. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 4.

Summus Pontifex etiam in solemnibus votis Religionis dispensare potest, vt aliquis Religiosus esse desinat. Dispensare tamen non potest, vt aliquis manens Religiosus, substantialibus votis Religionis non teneatur. cit. l. 4. t. 5. c. 1. n. 8.

Status Religionis mox à tempore Apostolorum cœptus, hucusque semper durauit, & auctus est. c. 2. n. 1.

Non licebat Monachis vitam eremeticam colere, nisi priùs in cœnobio exercitati, virtutem suam probassent. num. 2.

Quatuor sunt regulæ S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi viuunt, præter Carthusianos, & Societatem IESV qui Ordines propria statuta habent. n. 3.

Omnis variorum Ordinum Religiosorum diuersitas accidentalis tantùm est: quia omnes varijs medijs ad eundem finem Christianæ perfectionis tendunt, quæ est charitas & coniunctio cum Deo. cap. 3. numero 1.

Triplex est vita: contemplatiua, actiua, & mixta, inter quas contemplatiua superat actiuam, mixta autem reliquis perfectior est. n. 2.

Cuiuscunque Religionis perfectio attendenda est tum ex fine eius proprio, tum ex medijs, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota implenda, ac denique charitatis perfectionem consequendam conuenienter adhibet. n. 3.

Professio in Religione alia expressa est, & alia tacita, quæ pluribus modis fieri potest. cap. 5. num. 1.

Ad professionem in Religione tria necessaria requiruntur: I. Qualitas seu aptitudo personæ vouentis, II. Consensus & acceptatio eius, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare. III. Vt professio sponte fiat, non cogente graui metu. n. 3.

Sicuti matrimonium carnale, ita etiam Religionis assumptio ob nullum errorem qualitatis, seu accidentariæ conditionis irritum redditur: v. g. si quis simulet se sanum, cum leprosus sit, aut simulet se legitimum, cùm illegitimus sit: præterquam si habeatur constitutio Papalis, quæ professionem irritam decernat. n. 4.

Ad professionem admittere debet Ordinis Prælatus, Capituli siue Fratrum non tantùm requisito consilio, sed etiam expectato consensu, saltem maioris, aut principalioris partis, secundùm cuiusque Ordinis institutum. Consuetudo tamen legitimè præscripta soli Prælato suscipiendi potestatem conferre potest. n. 5.

Metus grauis & iniustus ipso iure professionem religiosam irritam reddit: vt si nouitius incarceratus fuit, vel alimenta ei subtracta, quia in professionem consentire noluit, nam carcer, & ieiunium tormenta sunt ad cogendum idonea. n. 6.

Metus reuerentialis, si solus sit, non sufficit ad infirmandam professionem: secùs, si illa concurrant, videlicet precum, aut imperij sæpius repetiti importunitas, grauis offensio, aut diu duratura indignatio consanguineorum, adiunctæ minæ nihil ampliùs subsidij præbendum fore. eod. n. 6. §. His adde.

Post quinquennium à die professionis non auditur Religiosus in externo foro, si dicat professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuisse. n. 7.

Licet alicuius professio ipso iure irrita fuerit, tamen subsequente expressa, vel tacita ratificatione conualescit. Necesse tamen est ad tacitam ratificationem, vt aliquis sciat professionem irritam fuisse. n. 8. & 9.

Religiosus promotus ad Cardinalatam, vel Episcopatum, obstrictus manet essentialibus votis: suæ Religionis licet quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiæ exemptus censeatur. suprà cit. c. 1. n. 9.

Si talis Episcopatui renuntiauit, vel ob culpam depositus fuit absque degradatione, non videtur esse obligatus vt ad Monasterium, & regularem obseruantiam reuertatur, nisi Papa imperet. Ibid.

Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis, saltem ex moralis honestatis obligatione præscripta regulæ ser-

uare debet, quæ cum munere ac dignitate sua consistere possunt. n. 10.

Religiosus ad secularem parochiam promotus Religionis suæ habitum deferre & alia præscripta regulæ, quatenus cum munere, & laboribus eius consistere possunt obseruare debet, etiam sub culpæ obligatione, si regula Ordinis ita præcipiat. n. 11.

Religiosus dum parochiam secularem administrat, in plerisque Episcopo diœcesis subijcitur. Verùm in ijs, quæ ad regulam Ordinis spectant, v. g. vt habitum gestet, videtur subiectus manere Abbati, vel Præposito Monasterij. n. 12.

Professus vnius Ordinis ad alium strictiorem, petitâ, licet non concessâ Prælati sui licentia, transire potest, modò id non ex temeritate fiat, sed syncero proposito vitæ melioris sectandæ. eod. l. 4. t. 5. c. 6. n. 9.

Ad æqualem, vel laxiorem Ordinem transire non licet, nisi vel Papa, vel ob iustam causam Episcopus, aut Prælatus Ordinis exemptus cum Capituli consensu, dispensatiuè licentiam tribuat. Ibid.

Professi Ordinum Mendicantium, si ad non Mendicantes cum auctoritate Sum. Pontificis, vel licita dispensatione Prælati Ordinis, transeant, neque vocem in Capitulo habere, neque administrationes, prioratus, & officia consequi possunt. eod. n. 9 §. Præterea.

Eiusmodi votorum commutationes, vel transitus ab vna in alteram Religionem, non nisi ob magnam vtilitatem, aut necessitatem fieri oportet. §. His quædam.

In transitu ad Religionem strictiorem attendi debet ad maiorem seueritatem externam, præsertim circa silentium ac solitudinem. n. 10.

Austeritas Ordinis attendenda non est secundùm institutum regulæ, sed secundùm obseruationem præsentem.

Quare Religiosus professus regulam strictiorem, si in Ordine regula non seruetur, transire potest ad aliam Religionem laxiorem, ita vt considerato præsente statu, ducat vitam strictiorem. Nisi spes sit futuræ reformationis in priore Ordine, aut nisi in prouincia Monasterium eiusdem Ordinis sit, in quo regula seruetur, & ad quod transire possit. eod. n. 10.

Canonici regulares transire possunt ad Monachos; non vice versa. n. 11.

Qui proposito vitæ austerioris, aut ex iusta dispensatione ad aliam Religionem transire cupit, & non recipitur, vel receptus ante professionem egreditur, ad suum Ordinem reuerti, ac recipi debet. Ibid. addendo 6.

Transitus ad aliud Monasterium duobus modis fieri potest. I. Ad morandum in illo ad tempus, quo casu obligatio alendi incumbit priori Monasterio, sicuti & quæsita à religioso ad idem Monasterium spectant. II. Vt fiat filius posterioris Monasterij, & desinat esse prioris; tunc obligatio alendi pertinet ad secundum Monasterium, sicuti & quæsita. eod. t. 5. c. 13. n. 10.

Religiosus edendo substantialia vota plenam omnium peccatorum remissionem consequitur; & certiùs quidem, ac perfectius, quàm per plenariam indulgentiam. Valde autem probabile est, etiam per renouationem votorum religiosorum, idem beneficium obtineri posse. eod. l. 4. t. 5. c. 10. n. 1. & 2.

Per Religionis professionem omnia alia vota, & iuramenta pia ipso iure expirant. n. 3.

Illegitimi, etiam spurij, si Religionem professi sint (sicuti profiteri possunt, communi iure, & seclusa speciali Ordinis constitutione) absque alia dispensatione Ordines suscipere possunt; sed ad Prælaturam, & dignitates promoueri non debent. n. 4.

Licet aliæ irregularitates per Religionis susceptionem non tollantur, facilior tamen dispensatio super irregularitate Religiosis conferri solet. Ibid. §. Denique.

Susceptio status religiosi legales maculas auferre censetur, ita vt damnatus de crimine v. g. furti, aut periurij post Religionis susceptionem, actum legitimum in iudicio exercere possit. n. 5.

Per professionem, & quæcunque etiam simplicia vota Religionis, patria potestas soluitur: sed dimissus ex Societate Iesu post vota simplicia edita recidit in patris potestatem, nisi in maioribus ordinibus sit. Ibid. §. Prærogatiua V.

Professio, vel assumptio Religionis tollit ingratitudinis notam, ob quam hæres necessarius alioquin exhæredari posset. n. 6.

Religiosus in iudicio nec vt Actor, nec vt reus stare potest, sine licentia Prælati; nisi beneficiatus sit cum libera administratione, vel nisi à Prælato absens sit, vt licentiam facilè petere non possit, & rationabiliter existimet concedendam esse. eod. l. 4. t. 5. c. 11. n. 1.

Si Religiosus obligationem contraxerat, antequam Ordinem ingressus est, ea non eximitur per ingressum, aut professionem: quare hoc casu libellus Actoris contra Monachum formandus est, quamuis executio sententiæ fieri debeat in bonis Monasterij, quatenus ex patrimonio Monachi acquisiuit. eod. n. 1.

Monasterium non obligatur ex delicto Religiosi, sicuti nec dominus ex serui delicto. eod. n. 1. in fine.

Si Religiosus absque Prælati licentia in testamento ad causas profanas, aut in iudicio testimonium interponat, malè agit; sed interpositio testimonij valet. n. 3.

Religiosus non potest esse aduocatus, vel procurator in iudicio, nisi cum licentia Prælati, & Monasterij vtilitate: at verò consilium dare voce, aut scripto, quid in causa quâlibet secundùm iura agendum, aut respondendum sit, prohibitum non est Religiosis; cùm id non sit aduocare, aut procuratorem agere. eod. c. 11. n. 2.

Religiosus munus Tabellionis suscipere, vel obire non potest: quare si in seculo tali munere functus fuerat, deponere illud debet. n. 4.

Religiosus nec iudex esse potest, nec assessor Iudicis, nisi in causa spectante ad vtilitatem Monasterij, & tunc cum Prælati consensu. n. 5.

Licet Religiosus ordinariè esse non possit arbiter, potest tamen esse arbitrator: quia arbitratoris munus ad pacem, & pietatem principaliter refertur; sed arbitrium instar iudicij est: quare si fiat à Religioso sine auctoritate Prælati, irritum censetur, sicuti & serui arbitrium. n. 6.

Religiosus, qui Prælatus non est, constitui non potest delegatus ad exequendas literas Sum. Pontifici, aut Legati eius; nisi ex certa scientia Papæ. n. 7.

Prælati Ordinum constitui possunt Iudices conseruatores, seu miserabilium personarum defensores. eod. num. 7.

Inter Religiosos soli Prælati, id est, qui saltem in eodem Monasterio superiorem alium non habent, in dignitate constituti esse censentur. Ibid.

Prælatus Ordinis quas facultates subditis suis concedere potest, eisdem vti ipsemet non prohibetur, nisi ei à Superiore interdictum, vel aliud statuto Ordinis decretum, sit. l. 3. t. 5. c. 11. n. 4.

Prælatus Ordinis superior in omnes subditos Prælati inferioris iurisdictionem habet: quare Prouincialis v. g. absoluere potest eum, quem Prior, vel Guardianus excommunicauit; sicuti & causam ab inferiore Prælato inchoatam ad se aduocare non prohibetur. lib. 1. t. 5. p. 1. c. 7. n. 2. §. De Superiore.

In quauis Religione approbata potestas est condendi statuta perpetua, quæ Ordini, ac regulæ conformia sunt, vel quæ ad Ordinis, ac regulæ conseruationem, aut reformationem temporis progressu necessaria videntur, tametsi in regula, quam Regulares promiserunt, expressè non contineantur. lib. 1. tract. 4. cap. 7. num. 27.

Talis potestas statuta condendi est vel penes supremum Ordinis Prælatum, vel penes Congregationem seu Capitulum generale, aut Prouinciale, iuxta cuiusque Ordi-

nis regulam, aut consuetudinem. Ibid.

Prælati Ordinum alij exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, v. g. Prælati Mendicantium, qui proinde Sum. Pontifici immediatè subiecti, quasi episcopalem in suos Regulares iurisdictionem habent. Alij autem sunt Prælati non exempti, qui tamen nihilominus ordinarij Iudices sunt suorum Regularium, saltem in causis spectantibus ad regularia statuta, & disciplinam. Quare illos ob delicta punire, incarcerare, excommunicare possunt; Episcopus à in tali causa se immiscere non debet, nisi ob negligentiam Prælati regularis, vel si Religiosus à Prælato multùm distet. n. 28.

In causis criminalibus, præsertim maioribus, & depositionem merentibus, Regularium non exemptorum Iudex ordinarius est Episcopus. At verò de criminibus minoribus iudicare Prælatis Ordinum permissum est, non priuatiuè, sed cumulatiuè, vt læsus ius eti... habeat Regularem coram Episcopo accusandi: qua tamen in re consuetudo attendenda est, quæ iurisdictionem dat, & aufert. n. 29.

Ecclesias vnitas Monasterijs Regularium exemptorum, si populum habeant in spiritualibus Episcopo subiectum, idem Episcopus visitare potest, non item alias Ecclesias, quæ propriè ad Regulares spectant. n. 30.

Religiosa paupertas.

Ratione voti paupertatis obligatur Religiosus, ne quid proprium habere possit. l. 4. t. 5. c. 7. n. 1.

Nomine proprietatis veniunt bona pecuniaria seu pretio æstimabilia: horum enim omnium proprietatem seu liberam de ijs disponendi facultatem in perpetuum se abdicat Religiosus per paupertatis votum, adeò vt omnis dispositio, aut alienatio sine Prælati consensu illicita, & inualida sit. Ibid.

Religiosus retinet dominium honoris, ac famæ suæ, capax etiam est iuris eligendi, præsentandi ad beneficia regularia. n. 2.

Scholastici, & Coadiutores temporales, qui in Societate IESV simplicia vota edunt, retinere & acquirere possunt dominium rerum radicale, priuati tamen sunt iure actuali de ijs suo arbitratu disponendi: si tamen reipsa inter viuos, aut mortis causa de bonis suis disponant absque consensu Superiorum, videtur valida esse dispositio, licet ipsi peccent contra paupertatis votum. n. 3.

Sine consensu Prælati expresso, aut præsumpto, Religiosus nullam rem pretio æstimabilem accipere, retinere, absumere potest. n. 4.

Si Prælatus Regulari donet, vel ad alio donatas res aliquas permittat, v. g. imagunculas, rosaria, numismata benedicta sciens subditum non indigere ijs omnibus ad proprium vsum, tacitè censetur, spectata rerum qualitate, facultatem dare alijs donandi. eod. n. §. Hoc modo.

Sufficit etiam consensus Prælati præsumptus, quando videlicet iustam ob causam mihi persuadeo, si Prælatus sciret me talem rem accipere, absumere, expendere, contentum fore. Ibid. §. sufficit.

Etsi tantùm comestibilia Religiosus absque licentia Prælati accipiat, & absumat, contra paupertatem peccat, imò etiam furtum committit, si ex bonis communibus Monasterij, aut Collegij vsurpentur: verùm maior quantitas horum esculentorum requiritur ad constituendum mortale, quàm in alijs rebus. §. Atque hęc.

Religiosus votum paupertatis violat, si pecuniam sibi transmissam v. g. ad victum, vestitum, aut libros emendos, ille ludendo, donando, aut rebus inutilibus comparandis absumat. Eadémque ratio est, si esculenta, vel pocula, quę v. g. in mensa singulis apponuntur, contra Prelati voluntatem secum auferat, vel alteri largiatur. eod. n. 4. §. Tertiò.

Si Religiosus parciùs viuendo aliquid reseruet, non sibi acquirit, sed Monasterio manet. Faciliùs tamen pręsumi potest, Prelatum rationabiliter contentum esse, vt id pauperibus v. g. consanguineis donetur. n. 5.

Religiosus contra votum paupertatis delinquit, si res ipsi ad vsum concessas destruat per culpam crassam, quæ dolo equiparatur. n. 6.

Peccare censetur Religiosus contra paupertatem, si aliqua abscondat, ne Prelatus ipsum habere sciat, aut reuocare possit. n. 8.

Administratores & Oeconomi Religionis plus dare non possunt, quam Ordinis regula, consuetudo, vel Superioris voluntas permittit. n. 9.

Prelati regulares aduersus paupertatis votum, & contra iustitiam delinquunt, si bona Conuentus aliter expendant, aut donent, quàm Ordinis regula, vel consuetudo permittit. n. 10.

Quanta materia requiratur, vt preuaricatio voti paupertatis mortalis sit, ita definiri solet, sicuti in furto. n. 1.

Religiosi peculium habere possunt secundùm possessionem, & administrationem, dependentem à Prelati voluntate. n. 12.

Tridentinum Concilium videtur prohibuisse, ne Religioso designentur reditus stabiles instar peculij, quamuis dependentis à Prelati voluntate. Sed aliqui Doctores existimant, id Concilio Trident. non aduersari: quare talis consuetudo, vbi adhuc viget in Monasterijs, præsertim Monialium, absolutè damnari non debet: sed valde consultum est eam tollere & corrigere, non autem permittendum, vt imposterum sine vrgentissima causa introducatur. n. 13.

Prelatus Religioso licentiam dare non potest res absumendi in vsus vanos, aut illicitos, sed tantùm expendendi ad vtilitatem Monasterij publicam, vel priuatam. Quòd si Religiosus cum Prelati licentia rem malè detineat, vel alienet in vsum non concessum, peccat contra paupertatis votum, non tamen incurrit pœnas iuris, sicuti nec Prelatus incurrit, si inutiliter aliqua expendat, aut superflua retineat. n. 14. & n. 15. §. Tertium.

Etiam Abbatissa Monialibus sibi subditis licentiam dare potest accipiendi, retinendi, expendendi, quæ iusta sunt; quandoquidem ad ipsam libera bonorum Monasterij administratio pertinet. n. 15.

Si Religiosus rem aliquam donatam absolutè acceptet in fauorem alterius, non interueniente licentia Prelati, contra paupertatis votum delinquit. Secùs, si tantùm se habeat vt intercessor, internuncius, eleemosynarius; ita vt ius omne ac dominium penes dantem remaneat, donec executio donationis seu eleemosynæ illius nomine facta fuerit. n. 16.

Prelatus Religioso vsum alicuius rei tanquam irreuocabilem concedere non potest: adeò, vt tametsi promittat non reuocaturum, nihilominus absque iniuria reuocare possit. n. 19.

Si Monacho hęreditas, aut legatum relinquatur ea lege, vt ab ipsum, non ad Monasterium pertineat, explicari debet, vt ad Monachum pertineat cum consensu Prelati: quare si Prelatus consensum neget, corruit legatum, vel institutio. n. 20.

Si testator expresserit, non aliter se relinquere Monacho, nisi vt habeat rem independenter à Prælati consensu irritum est legatum: in dubio autem præsumendum non est id adiectum fuisse, vt conditionem propriè dictam; sed vt modum, qui si impossibilis sit, pro non adiecto habetur. n. 21.

Pœnæ Religioso proprietario canonico iure decretæ sunt: I. Si absque pœnitentia mortuus fuerit, vt in loco sacro non sepeliatur. II. Vt ad agendam pœnitentiam in carcerem detrudatur. III. Vt biennio voce actiua, & passiua priuatus existat. n. 22.

Si Regularis cum legitima licentia beneficium Ecclesiasticum seculare, aut regulare possideat, competit ei administratio redituum, quos ad sui decentem sustentationem, & causas pias applicare potest: Quod reliquum au-

tem est pertinet ad Ecclesiam, vel beneficium, cui seruiuit. n. 12. §. Interdum, & n. 17.

Quæ Religiosus beneficiarius extra Monasterium aliunde acquirit, videl. ex eleemosynis, hæreditate, legato, propria arte, aut ex constituta ipsi pensione, ea Monasterio saltem post mortem illius acquiruntur: nisi alicubi consuetudo sit, vt etiam talia Ecclesiæ cui seruiuit, vel Apostolicæ Cameræ acquirantur. n. 8.

Ecclesiæ Consuetudo obtinet, vt Regulares promoti ad Cardinalatum, Episcopatum etiam titularem, vel ad aliam Ecclesiasticam dignitatem, (præsertim quæ habeat corpus bonorum separatum à corpore bonorum Ecclesiæ) omnino ab ordine suo exempti censeantur; vt quidquid quouis modo acquirant, ad ipsorum Ecclesiam, beneficium, vel Cameram Apostolicam pertinere debeat. eod. n. 18.

Religiosa Castitas, & Obedientia.

Si Religiosus contra castitatem peccet, duo peccata committit; vnum luxuriæ, alterum sacrilegij. l. 4. tract. 5. cap. 8. n. 1.

Si Prælatus iustè aliquid præcipiat Religioso cum voluntate eum obligandi, contra obedientiæ votum peccat ille, nisi obediat. c. 9. n. 1.

Obedientia Prælato vouetur iuxta cuiusque Ordinis institutum, regulas, ac constitutiones, quæ in diuersis Religionibus diuersæ sunt. Id verò vniuersim dici potest, quòd Prælati sub culpa præcipere non possint, nisi ea, quæ ad regulam Ordinis directè, vel indirectè spectant. num. 2.

Si Prælatus Regulari præcipiat vt Episcopatum acceptet, vel aliud per quod ab eius obedientia & iurisdictione eximitur, non tenetur obedire. Simile est, si austeriorem viuendi rationem præcipiat, quam regula, eiúsque professio non requirit, nisi id fiat ob iustam pœnam commissi criminis. Ibid.

Obedientia alia est indiscreta, alia imperfecta, & alia perfecta. Ibid.

Non semper Prælati Ordinum præcipere solent sub obligatione culpæ. Et quidem in Societate Iesu præceptum Superioris nunquam sub culpa obligat, nisi addatur *in virtute S. Obedientiæ*, vel *in nomine Domini nostri Iesu Christi*. n. 3.

Religiosi non exempti Episcopo iusta præcipienti, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectant, sicuti & alij Clerici obedire tenentur; non tamen obligatione voti; nisi personæ religiosæ obedientiam in manibus Episcopi tanquam proprij Prælati emiserint, vti quædam moniales solent. eod. n. 3. aduert. 3.

Regulares Summo Pontifici tanquam supremo omnium Ordinum Generali ex Obedientiæ voto obedire debent in ijs præceptis, quæ sunt secundùm regulam, aut conformia regulæ, si Pontifex voluntatem habeat sub culpa obligandi. Ibid.

Probabile est, Prælatus Ordinis ratione voti obedientiæ in omnibus quæ iusta sunt, etiam actus internos præcipere possit; licet consuetum non sit, neque consultum, vt talia sub peccato præcipiantur. n. 4.

Quæ ex genere suo indifferentia sunt, à Prælato bono fine, v. g. ad mortificandam propriam voluntatem, ac sensum, præcipi possunt. n. 5.

Si Ordinis regula obliget sub peccato, eius transgressio videtur esse contra votum, ideóque sacrilega. n. 6.

Si Ordinis regula sub culpa non obliget, eius transgressor non peccat contra obedientiæ votum: nihilominus potest Superior propter regulæ transgressionem pœnam imperare, cum obligatione eam suscipiendi ex obedientiæ voto: quamuis non semper ita obligare solet. n. 7.

Religiosus in Ordine Prædicatorum, aut Societatis IESV transgrediens regulam v. g. silentij, bono aliquo fine seu motiuo, non peccat, licet pœnam regularem, si inferatur, suscipere paratus esse debeat. n. 8.

Sin autem regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat saltem venialiter, imò mortaliter, si frequenter transgrediendo religiosam disciplinam grauiter perturbet, vel in eo se statu constituat, vt expellendus sit. n. 9.

Si Religiosus nullum omnino perfectionis religiosæ studium adhibeat, sed omnia monita ac regulas negligat, eò quòd sub peccato mortali ad eas non obligetur, talis homo mortaliter peccabit: quia intolerabilem se reddet, vt expelli debeat. eod. c. 9. in fine.

Regulares professi non tenentur acceptare nouam regulam, seu arctionem viuendi modum, quem nec explicitè, nec implicitè professi fuerunt. n. 10.

Possunt tamen Capitulares nouum statutum facere præter regulam antiquam, ita vt ipsi in tale statutum libere consentientes obligentur, & alij quoque postea professionem edituri, quibus regula immutata, & aucta proponitur, vt eam profiteantur. Sed alij priùs professi, qui non consenserunt, obligati non censentur. eod. n. 10.

Si strictior obseruatio necessarium medium videatur ad substantialium votorum in tali Ordine obseruationem, Regularibus auctoritate Prælatorum imponi potest, tametsi eam expresè non vouerint. n. 11.

Prælati Ordinum exempti, cùm quasi Episcopalem iurisdictionem in suos habeant, constitutiones facere possunt seu soli, seu cum Capitulo, quæ ad regularem disciplinam, & pietatem augendam necessariæ, aut valde vtiles videntur: quales etiam Episcopi Clericis, & Regularibus si subiectis ferre queunt: quin & Prælati non exempti iurisdictionem aliquam in rebus non grauibus statuendi per consuetudinem comparare sibi possunt. n. 12. & n. 13. Coroll. 2. & 3.

Si appareat, regulæ ac disciplinæ temporis diuturnitate collapsæ reformationem necessarium medium fore ad Ordinis conseruationem, Prælatus cum Capitulo, & multò magis Sum. Pontifex professos omnes ad acceptandam reformationem compellere potest. n. 13.

Religionem vouentes, ingredientes Nouitij.

Qui generatim vouit, se Religionem ingressurum, debet moralem diligentiam adhibere, vt in aliquo Ordine suscipiatur: Sin autem in sua prouincia, aut regno non suscipiatur, spes tamen sit alibi susceptum iri, ex circumstantijs personæ vouentis &c. colligendum est, vtrum tantam etiam ad alias terras, se conferendi obligationem suscipere intenderit. l. 4. t. 5. c. 6. n. 1.

Sub generali voto Religionem ingrediendi non videtur comprehendi Religio non claustralis Equitum militarium: neque dispensatus ad suscipiendum aliam Religionem etiam laxiorē, transire potest ad non claustralem. n. 2.

Qui certam Religionem vouit, & si in vno Monasterio repulsam ferat, debet alia Monasteria eiusdem Ordinis adire, si spes sit susceptum iri; secùs est, si ingressum certi Monasterij ex causa speciali vouerit. n. 3.

Qui Religionem vouit, is peccat contra votum, si postea ad eius executionem se impotentem reddat, v. g. æs alienum ingens contrahendo. Ibid. §. His quædam.

Etsi vouens semel repulsam passus fuerit, videtur nihilominus obligatus ad ingrediendum, si Religiosi postea mutata voluntate eum recipere velint. n. 4.

Qui Religionem absolutè vouit, is non tenetur, nec licitè potest ingredi Ordinem, cuius disciplina regularis collapsa est. n. 5.

Qui vouit se professurum in Religione strictiore, peccat tum ingrediendo, tum proferendo Religionem laxiorem, sine dispensatione, sed professio valida est. n. 6.

Votum ingrediendi, & experiendi Religionem strictiorem, quisque commutare potest in votum profitendi, ac perseuerandi in Religione laxiore. n. 7.

Qui vouit se ingressurum Religionem strictiorem, ordinariè peccat ingrediendo laxiorem, sine obligatione in ea perseuerandi, nisi ordo laxior facultatem dispensandi habeat. n. 8.

Qui Religionem absolutè vouit, nisi de alia intentione eius constet, censeri debet solum ingressum, & probationem promisisse, si tamen sine causa rationabili egrediatur, censetur contra votum peccare mortaliter. n. 12.

Qui vouit, se in Religione professurum, excundi libertate priuatus est; vel, si exeat, debet iterum ingredi, si sublato impedimento in hoc, vel alio Ordine suscipiendus sit. n. 13.

Qui simul continentiam, vel Religionem vouit, si nec ex verbis, nec ex circumstantijs colligere possit, vtrum continentiam per se, an cum dependentia Religionis promittere voluerit, benigniorem partem præferre potest; adeò, vt si voto Religionis solutus fuerit, omnino liberatus censeatur. n. 14.

Qui post editum votum Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, episcopatum suscepit, est voti transgressor, & episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet. n. 15.

Si parentes ingressum Religionis impedire velint, ijs etiam inconsultis, aut inuitis, ingredi, ac profiteri fas est. eod. t. 5. c. 4. n. 1.

Si parentes graui inopia premantur, interim filius Religionis ingressum differre debet, dum ipsis subueniatur: Sin autem editis iam votis Religiosus factus sit, non potest egredi ad subueniendum absque Prælati licentia, nisi inopia extrema sit. eod. n. 1. q. 2.

Fratrum, & sororum grauior necessitas esse debet, vt propter illam Religionis ingressum, aut professionem diu differre, vel intermittere oporteat. Ibid. dicto 2.

Ipsi parentes arctiùs, quàm filij, obligati sunt, vt non priùs Religionem ingrediantur, quàm ipsis, quæ necessaria sunt ad sustentationem, piamque educationem, prouiderint. dicto 3.

Ære alieno grauatus, si manendo in seculo debita se solutum existimet, non potest creditoribus inuitis Religionem ingredi, quamuis eam vouerit. lib. 3. tract. 2. cap. 12. num. 6.

Tametsi votum Religionis antecessit, & debita postea contracta sunt, non potest illud executioni mandari, priusquam debita soluta sint: sicuti si post tale votum grauis parentum necessitas superueniat. eod. num. Corollario 1.

Si debitis obstrictus contra creditorum voluntatem Religionem professus est, adhuc obligatus manet, adcò vt interdum egredi teneatur; sicuti & filius, qui patrem graui inopia pressum, cùm iuuare debuisset, ingrediendo Religionem deseruit. n. 7.

In donatione, aut renuntiatione bonorum intuitu Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, nulla omnino iuris ciuilis solemnitas requiritur. Pari quoque ratione Religiosi Mendicantes, quibus bona immobilia possidere non licet, ea sibi donata vendere possunt, nulla iuris solemnitate interueniente. l. 3. t. 4. c. 9. n. 7.

Licet Nouitij Ordinis regulâ sub culpa non obligentur; tamen iustis præceptis, & quibusdam statutis conuenienter eorum statui à Prælato impositis, obligari possunt; maximè si Prælati Ordinum exempti sint. lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 3.

Nouitij priuilegijs fori, & canonis gaudent, atque Prælati Ordinis iurisdictioni cùm voluntariæ, tum contentiosæ subduntur. n. 4.

Licet casus, qui in Religionibus reseruati sunt, plerumque ad Nouitios se non extendant, tamen nihil obstat, quin Ordinum Prælati casus quosdam etiam respectu Nouitiorum sibi reseruare possint, & soleant. eod. num. 4. Coroll. 4.

Nouitius Ordines accipere potest ab Episcopo diœcesis, in qua Monasterium situm est. Nec dubitari debet; quin etiam sacris ordinibus Nouitius initiari possit. n. 5.

Si Nouitius ab Ordine recedat, non est obligatus ad expensas soluendas Monasterio, aut Domui probationis. n. 6.

Religione eiecti, fugitiui.

Religiosi professi ob iustas causas è Religione per sententiam eijci possunt, videl. si in graui, vel pernicioso crimine existentes notoriè incorrigibiles appareant: Si ob criminis infamiam sine graui Ordinis detrimento tolerari non possint: Si grauem, ac moraliter intolerabilem defectum in sui admissione per fraudem reticuerunt. lib. 4. t. 5. c. 13. n. 1.

Religiosus eiectus rerum quas acquirit, non dominium, sed vsum tantùm, & administrationem habet. num. 2.

Si Religiosus eiectus alicui Ecclesiæ seruiat, bona ab ipso acquisita ad eandem spectare debent: sin autem nulli Ecclesiæ seruiat, siue beneficiatus non sit, tunc bona eius à Papa, vel Episcopo tanquam vacantia sint, post mortem vindicari possunt. n. 3.

Alia ratio est de fugitiuo, & apostata, quos vti seruos Monasterium vendicare, & reducere potest: quare horum bona ad Monasterium spectare debent, si capax sit; ijs exceptis, quæ ex beneficio Ecclesiastico acquisita sunt. eod. n. 3. §. Alia.

Eiectus per sententiam non est omnino liberatus obedientiæ voto, Prælato Ordinis præstandæ, licet eius executio magna ex parte cesset, donec in Ordinem recipiatur. n. 4.

Probabile est, quòd eiectus per sententiam in perpetuum, interim dum recipitur, monasticis obseruationibus liber sit: debet tamen secundùm sacros canones habitum suæ Religionis deferre, nisi, vt plerumque fieri solet, in criminis pœnam eo etiam spoliatus sit. n. 5.

Eiectus ob crimen debet se corrigere, ac redire; præsertim si ab Ordine repetatur, accedente etiam auctoritate Episcopi, sub cuius iurisdictione viuit. n. 6.

Prælati Ordinum apostatas, & eiectos suos non semper reducere, aut redeuntes recipere tenentur; præsertim si incorrigibiles videantur, vel si sine scandalo, aut Ordinis detrimento recipi nequeant. n. 7.

Eiecti si in suo Ordine non recipiantur, tutò in seculo manere possunt, nisi malint alium Ordinem, quamuis laxiorem, ingredi. n. 8.

Prælati Ordinum interdum ob causam iustam eijciunt professum tali pacto, vt aliam Religionem profiteatur: quam conditionem si professus acceptauit, implere tenetur, vel regressum ad suam Religionem impetrare. num. 9.

Religiosus professus in vno Monasterio ob causam iustam cogi potest, vt transferat se ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis; modò Monasteria sint sub eodem Capite, puta Generali Ordinis. n. 10.

Represaliæ.

Dictæ sunt, quasi iteratæ prehensiones, siue oppignerationes bonorum. Nam Princeps, vel Respublica subditis damnum iniustum passis potestatem facit inuadendi terram eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, donec iusta compensatio fiat: modò priùs Communitas, vel qui Communitati præest, admonitus compensationem facere, vel imperare neglexerit. lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 13. §. Atque huc.

Represaliæ species quædam belli sunt, quare sine necessitate non concedendæ, cùm occasionem præbeant rapinarum: insuper ne contra personas Ecclesiasticas, vel bona earum concedantur, aut extendantur, sub censuris prohibitum est. ibid. §. Sunt autem,

Rescriptum.

Rescripta Principum alia sunt gratiæ, & alia iustitiæ siue ad lites. lib. 1. t. 4. c. 22. n. 17.

Taciturnitas qualitatis, cuius expressionem ius, vel stylus Curiæ specialiter requirit, gratiæ rescriptum subreptitium reddit; esto Princeps etiam expressa illa qualitate concessurus fuisset. n. 18.

Epistolæ, siue rescripta Principum, legum seu decretorum vim obtinent, vt quod vni Ecclesiæ v. g. Papa respondit, in altera quoque Ecclesia ad cōtrouersiæ decisionem cum auctoritate allegari possit, præsertim, vbi decretalis epistola in corpus iuris redacta, publicam auctoritatem meruit. l. 1. t. 4. c. 6. n. 13.

Si tamen Papæ, vel Imperatoris responsum ex speciali causa, persona, loco, tempore prodierit, ad alias causas transferri non potest. ibid.

Residentia.

Dicitur assiduitas commorationis in loco beneficij, causa seruitij Ecclesiastici personaliter præstandi. l. 4. t. 2. c. 6. princip.

Si Clericus in loco beneficij commoretur quidem, sed officium nunquam præstat, censendus non est residere. num. 1.

Spectato communi iure, omnia beneficia ad residentiam obligant: consuetudo tamen obtinuit, vt in simplicibus quibusdam beneficijs non resideatur. n. 2.

In quibusdam nostræ Germaniæ Ecclesijs mos est, vt medio tantùm anno, vel tribus tantùm mensibus Canonici residere cogantur. ibid. §. De obtinentibus.

In multis Ecclesijs Canonici residere simpliciter non tenentur, sed sub conditione si fructus percipere velint: interim verò licet non resideant, suffragium electionis tam actiuum, quàm passiuum obtinent. ibidem. §. Porrò.

Obligatio residendi in beneficijs curatis est de iure diuino, quamuis ea propter circumstantias cessare possit. n 3.

Causæ à residentia excusantes sunt: Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ, aut Reip. vtilitas. n. 4.

Occupatus in seruitio Papæ, quia seruit Ecclesiæ vniuersali habetur pro residente in beneficio Ecclesiæ particularis. Cæterùm vt Curati à suis Ecclesijs absentes, Romæ longo tempore iure detineri possint, requiritur insuper, vt id Ecclesiæ necessitas, vel maior vtilitas cohonestet. num. 5.

Non est iusta excusatio à residentia, quod Episcopus sit Romæ Cardinalis, quando tale officium ab alio in Curia præstari potest. Exceptis Episcopatibus Romæ vicinis, quos facile est in Vrbe residentibus administrare. ibidem.

Episcopus dispensare potest cum promotis ad Ecclesias parochiales, vt vsque ad septennium, quo in studijs morari possint, ad sacerdotium non promoueantur; modò intra annum post adeptam parochiam subdiaconi fiant: interim verò Ecclesiæ eorum per Vicarium administrari debent. eod. n. 5. §. Ad quartùm.

Beneficiatis permissum est, vt quinquenni spatio Theologiæ operam dare; eandem verò quandiu voluerint, docere absentes possint, absque redituum priuatione. Quod plerique etiam ad studium iuris canonici extendunt ibid.

Duo Canonici in seruitio Episcopi occupati pro residentibus habentur. n. 6.

Episcopis in Trident. Concilio permittitur, vt in anno duorum, vel trium mensium spatio; Parochis verò, vt bimestri tantùm spatio ab Ecclesijs abesse possint, sine gregis commissi detrimento. Vtrum autem opus eis sit Episcopi licentia, ex diœcesis cuiusque consuetudine petendum est. n. 7.

Restitutio.

Est damni iniustè dati, secundùm arithmeticam æqualitatem restauratio. l. 3. t. 2. c. 1. n. 1.

Duplex est iniuria, materialis, & formalis: quare duæ etiam restituendi radices, vna ex parte rei acceptæ possessæ, altera ex parte iniustæ acceptionis seu læsionis. Ex priore capite tantum restitui debet, quantum possidetur, vel possessor locupletior ex re factus est: Ex posteriore verò capite tantum restituendum est, quantum damni illatum. num. 2.

Pro sola iniuria, si nullum damnum pretio æstimabile datum sit, restitutio facienda non est. n. 3.

Restitutio solius iustitiæ commutatiuæ actus est. n. 4.

Restituere iniustè ablata, est necessarium ad salutem, necessitate præcepti. c. 2. n. 1.

Præceptum restituendi licet externa forma affirmatiuum sit, includit tamen in se negatiuum, non detinendi rem alienam: quæ causa est, cur præceptum hoc semper obliget, vt tantò magis peccatum augeatur, quantò diutius restitutio sine iusta causa differtur. n. 2. & 3.

Vnicum est peccatum retentionis, & non restitutionis, quia opponitur vnico præcepto iniustè non retinendi, & consequenter non restituendi. n. 3.

Præter damni iniusti executorem, etiam concausæ eius ad restitutionem obligantur. c. 5. n. 1.

Qui expressè, vel tacitè mandat damnum inferri, de eo tenetur. n. 2.

Ratihabitio damni illati mandato comparatur in ordine ad pœnas iuris, non autem in ordine ad restituendi obligationem. n. 3.

Malè consulens damnum inferri, damnificato obligatur etiam ex culpa, saltem crassa: ei verò, qui consilium sequitur non obligatur consulens, nisi dolosum fuerit, excepto, si ratione status, vel muneris, maiorem, quàm alij, peritiam profiteatur, tum obligabitur etiam ex culpa. num. 4.

Non rarò accidit, vt ipse executor iuris imperitus, & suasorum, v. g. Consiliariorum, auctoritatem meritò secutus, omni culpa vacet, ideóque ad restitutionem ex capite iniustæ læsionis non teneatur, sed soli suasores. num. 3. §. Nomine.

Qui alterum certo proposito determinatum ad damnum inferendum hortatu suo magis adhuc confirmauit, non obligatur damnificato: si tamen causa fuit, vt maius damnum inferretur, tenetur de excessu. n. 5.

Qui materialiter tantùm, non verè causaliter ad damnum cooperatur, restituere non debet. Exemplum habes in ancilla, quæ dominæ vocanti obsequium præstat in asportanda cista furtiua, quam sine cuiusquam subsidio auferret tamen, & furaretur. ibid. §. Multò.

Consentientes, fautores, receptatores, si causa, vel concausa damni existant, ad restitutionem obligantur. num. 6.

Si videas, maiorem partem Assessorum, vel Canonicorum iniquum ante te suffragium dedisse, vt licet tu suffragium neges, nihil tamen profecturus sis, neque damnum impediturus, peccabis quidem suffragando, sed ad cōpensationem damni non teneberis; cum eius causa non fueris. Si tamen speres, te contradicendo alijs persuadere posse, vt iniquam sententiam reuocent, ex iustitia obligatus es: alioquin teneris de damno secuto, tanquam mutus, seu non obstans. ibid. §. Cęterùm.

Qui sciens rem furtiuam esse, à fure emit, ac seruat, numeratur inter receptatores furti, de quibus lex ait, quòd non minus delinquunt, quam aggressores. ibid. §. Nomine.

Qui materialiter tantùm ad damnum iniustum cooperantur, à restitutione immunes sunt, v. g. vsurarij famulus, qui pecunias iussu domini numerat. ibidem §. Veruntamen.

Damno non obstantes, non manifestantes &c. tunc solum ad restitutionem obligantur, si ratione pacti, vel officij, adeóque ex iustitia impedire debeant. n. 7.

Si Iudex in imponenda pœna seu mulcta negligens sit, aut si telonarius iustum vectigal non exigat, item si custodes vinearum per negligentiam damnum inferri patiantur, vel à deprehensis in furto mulctam secundùm loci consuetudinem exigere intermittant, ad restitutionem obligantur. eod. n. 7. Corollar. 2. & 3.

Si Iudex crimina inquirere, aut Custos Reum insequi, & deprehendere ad mulctæ solutionem intermittat, aut

Procurator fiſcalis cauſam contra Reum in iudicio negligentiùs agat, non videntur obligari ad reſtitutionem mulctarum: quia ipſorum officium propriè, ac directè non eſt fiſcum, vel dominum mulctis ditare, ſed vineam cuſtodire, & damna auertere, quorum etiam reſtitutionem facere debent, ſi per incuriam eorum eueniant. eod. §. Tertiò.

Qui donum à fure accipit, ne clamet, aut ne indicet, non tenetur ad reſtitutionem, niſi ſua pollicitatione furem animoſiorem reddiderit. n. 8.

Si plures damnificantes ſine conſpiratione concurrant ad damnum inferendum, ſinguli non plus obligantur, quàm ipſimet intulerunt. c. 6. n. 1.

Si in rixa ſubitò exorta plures aduerſarium impugnent, ille ſolus de homicidio tenetur, qui vulnus lethale inflixit, non item alij, qui percuſſerunt. ibid. §. Reſoluitur.

Mandans damnum dari ante alios, etiam ipſum executorem, ad reſtitutionem obligatur: ſi autem nemo damnum inferre mandauit, executor damni ante alias concauſas reſtituere cogitur. n. 2.

Concauſæ damni dati obligantur tantùm in defectum principalis: quare ſi is reſtituat, vel reſtitutio ei condonetur, concauſæ penitus liberantur. n. 3.

Si vna ex concauſis reſtitutionem fecit, ius & actionem acquirit aduerſus principalem, atque in eiuſdem defectum, aduerſus concauſas pro rata. ibid.

Inter ipſas concauſas priùs obligari videntur, quæ poſitiuè cooperantur, v. g. conſulendo, quàm quæ negatiuè, non obſtando, tacendo. n. 4.

Si plures conſpirarunt ad damnum inferendum, v. g. milites ad iniuſtè bellandum, ſinguli obligantur in ſolidum, ſaltem in defectum aliorum. n. 5.

Qui alterum impediuit à conſecutione rei ex iuſtitia debitæ, tenetur ad reſtitutionem: ſecùs, ſi ex libera voluntate conferenda erat. Exempli cauſa, Si abſque vi, fraude teſtatori perſuadeam, vt non illi, cui propoſuerat, ſed alteri, vel mihi donet, aut leget, aduerſus iuſtitiam non delinquo. c. 7. n. 1.

Qui Eccleſiaſtici beneficij collatorem iam determinatum ad conferendum Titio precibus, aut ſuaſione abducit, vt ſibi, vel alteri, quamuis minùs digno, conferatur, non videtur obligatus ad reſtitutionem faciendam Titio. num. 2.

Qui per vim aut fraudem impedit, quominus alter beneficium, legatum, vel donum gratuitum conſequatur ad damni compenſationem obligatur. n. 3.

Reus, & teſtis, ſi iuridicè interrogati veritatem celantes, cauſa exiſtant, quominus mulcta à Iudice imponatur non ſunt ad reſtitutionem obligati: ſecùs eſſe videtur, ſi pœna ob commiſſum crimen ipſo iure contracta ſit. n. 4.

Qui alterum exemplo ſuo, aut ſuaſione in peccatum induxit, ex iuſtitia non obligatur ad eius emendationem. c. 8. num. 1.

Qui ſuo conſilio alterum, licet Nouitium, à Religione abduxit, ſine vi, fraude, nullam reſtitutionem obligatur. num. 2.

Qui Religioſum à Religionis ſtatu ſuaſione, aliáve cooperatione abſtraxit, tenetur religioſo Ordini ad reſtitutionem, quatenus eam facere poteſt: quare perſuadere debet apoſtatæ, aut fugitiuo, vt redeat, ſin minus, curare tenetur, vt alius æquè idoneus ingrediatur: ipſemet autem ingredi ex iuſtitiæ lege nunquam obligatur. n. 3.

Debita incerta prouenientia ex delicto, pauperibus, vel Eccleſiæ reſtitui debent: Idémque dicendum, ſi dominus, vel creditor ſciatur quidem, ſed ei ſine grauiore damno reſtitui non poſſit. c. 9. n. 2.

Bonorum certorum reſtitutio ordinariè facienda eſt poſſeſſori iuſto, à quo accepta ſunt, vel quibus damnum illatum. n. 3.

Bona Eccleſiæ non Prælato diſſipatori, ſed Capitulo reſtitui debent, & quæ filio familias, vel pupillo ablata ſunt, eorum patri, tutori, bonorum adminiſtrationem habentibus reſtituenda ſunt, alioquin qui pupillo ſoluit ſine tutoris auctoritate, is probare debet in vtilitatem pupilli pecuniam v. g. verſam fuiſſe. n. 4.

Spolia, quæ fur, aut prædo depoſuit, in conſcientiæ foro non ipſis, ſed potiùs eorum domino reſtitui debent. num. 5.

Si reſtitutio ceſſura ſit in graue detrimentum ſeu ipſius, cui fieri debet, ſeu alterius perſonæ, aut Communitatis, interim differenda erit. n. 6.

Qui ſine iuſta cauſa excuſante alteri iniuſtè v. g. pugnaturo pecuniam mutuò dat, vel ex contractu debitam, abſque neceſſitate reſtituit, aduerſus iuſtitiam delinquit, conſequenter ad compenſationem damni obligatur, ſaltem in defectum principalis damnificantis. num. 7.

Quod reſtituendum eſt ratione iniuſtæ acceptionis, detentionis, id debitor proprijs ſumptibus ad eum locum deferre debet, vbi creditor habiturus fuiſſet; niſi ei res ablata, aut deſtructa fuiſſet. Sed bonæ fidei poſſeſſor ſatisfacit, ſi reſtituat in loco, vbi rem poſſidet. eod. tract. 2. c. 19. num. 4.

Debitor reſtituere non cogitur cum grauiore damno ſibi, vel alteri inferendo, quàm æſtimari poſſit commodum reſtitutionis: vt ſi creditor multùm diſtet, & ideo plures faciendæ ſint expenſæ, quàm debitum valeat, vel ſi debitor ſoluere non poſſit, niſi domum vendat multo minoris, adeóque cum maiore detrimento ſuo, quàm debitum valeat, tali caſu ſolutio differri poteſt. cap. 12. n. 1.

Non ſolùm extrema neceſſitas, ſed etiam grauis, quando ſi debitor reſtituat, vitam difficulter ſuſtinebit, vel ſtatu ſuo iuſtè & non per rapinas, aut vſuras acquiſito excidet, facultatem præbet ſaltem differendi reſtitutionem, aut per partes reſtituendi; idque etiam in externo foro obſeruatur circa illuſtres aut magnę auctoritatis perſonas. eod. n. 1. §. Deinde.

In pari cauſa, aut neceſſitate potior eſt conditio creditoris, quàm debitoris, excepta neceſſitate extrema, in qua melior eſt conditio poſſidentis. n. 2.

Non tenetur aliquis reſtitutionem facere cum detrimento famæ, aut ſtatus iuſtè acquiſiti, etiam ſi debita ex delicto ſint, præſertim incerta. n. 3.

Qui pauperibus reſtituere tenetur, poteſt ſibi ipſi applicare, ſi verè pauper eſt. ibid.

Circa reſtitutionem bonorum incertorum ex delicto cum Summo Pontifice compoſitio fieri poteſt. num. 4.

Debitor non liberatur obligatione reſtituendi, quia maius lucrum ipſi ceſſabit, quàm commodum creditori ex reſtitutione obueniet. n. 8.

Qui ex furto, vſuris &c. debitor eſt, ſi ei, cui reſtituendum eſſet, tantundem donet immemor ſui debiti, non videtur obligatione liberari. n. 9.

Si debitor ex delicto v. g. fur rem reſtituendam committat Confeſſario, is verò defraudet, aut fugiat, non liberatur primus debitor. n. 10.

Reſtitutio in integrum.

Prætor hominibus in contractu, vel alia actione læſis, cognitâ cauſâ ſubuenit, reſtituendo eos in integrum: cuiuſmodi beneficium non conceditur, ſi aliud remedium ſuppetat actum reſcindendi: deinde ſi læſio, ſpectatis circumſtantijs, modica ſit, extraordinario huic auxilio locus eſſe non ſolet. lib. 3. tract. 4. cap. 11. Principio.

Beneficium reſtitutionis in integrum competit Minoribus XXV. annis ſi ex contractu, aut quaſi contractu læſi ſint. eod. c. 11. n. 1.

Si Minor antequam contraxit, veniam ætatis impetrauit, tanquam ætate Maior reputatur; ideóque reſtitutionis beneficio non gaudet: deinde ſi Maior factus poſt exactum XXV. annum ratificet ea, quæ in minore ætate cum tutoris, vel curatoris conſenſu egit, reſtitutionis petendæ beneficium amittit. eod. n. 1.

Minor, itémque Eccleſia non tantùm in damno emer-

gente restituuntur, sed etiam in lucro cessante: vt si hæreditatem minùs lucrosam adierunt, vel hæreditatem sibi vtilem repudiarunt. n. 2.

Faciliùs tamen conceditur restitutio propter damnum, quàm restitutio propter lucrum cessans: illáque magis priuilegiata est, pleniúsque fieri solet. ibidem.

Si ecclesia de lucro cessante agat aduersus alteram Ecclesiam, cui lucrum illud acquisitum iam est, prefertur altera Ecclesia, quippe in possessione existens, & certans de iure acquisito non perdendo. ibid.

Minor in delictis non restituitur, si dolo commissa sunt, secùs, si per culpam. Quòd, si Maior crimen in iudicio confessus fuerit, cùm sola indicia, aut semiplena probatio adessent, aduersus propriam confessionem tanquam læsus in integrum restitui debet. eod. num. 2. §. Verùm.

Ecclesia iure Minoris fungitur in restitutionis beneficio, nomine autem Ecclesiæ omnia pia loca comprehenduntur. n. 3. & l. 3. t. 1. c. 8. n. 21.

Quadriennium continuum hodie conceditur ad petendam restitutionem in integrum: idque tempus in restitutione Minoris inchoatur post exactum XXV. ætatis annum; in restitutione verò Ecclesiæ incipit à tempore factę, aut apparentis læsionis. cit. c. 11. n. 4.

Iusta interdum causa postulat, vt etiam post elapsum quadriennij tempus Ecclesia, vel Resp. in integrum restituatur: quia fauor publicus, quæ causa est restituendi Communitatem, semper manet. eod. n. 4. & num. 5. addit. 1.

Minoribus, qui ob ætatis imbecillitatem restituuntur postquam maiores facti sunt, non ampliùs subuenitur, quàm intra quadriennium, nisi vel militiam interim exerceant, vel alio legitimo impedimento detenti sint, ob quod Prætor etiam natu Maioribus causa cognita subuenit. eod. n. 5.

Quadriennium non currit durante vita Prælati, qui male administrauit, fuitque causa læsionis: sed eius successor potest petere restitutionem post mortem antecessoris intra quatuor annos. n. 4. causa 2.

Si Minor contractum iuramento firmauit, non datur ei restitutio: Sin autem Prælatus iurarit, se contractum seruaturum, non ideo Ecclesiæ præiudicatur. §. Exinde.

Respublica Minorum etiam iure gaudet, ideóque auxilium restitutionis implorare potest, & extenditur id I. ad Principem tanquam Caput Reip. II. ad vniuersitatem studiosorum. III. ad vicos Communitatem habentes. num. 5.

Etiam maiores natu interdum restituuntur, si præter læsionem iusta causa postulare videatur: videl. si læsus aliquis fuerit per id tempus, quo Reip. causa aberat, aut in captiuitate constitutus, aut propter ignorantiam iuris valde obscuri. Et conceditur hæc restitutio quadriennio continuo à die cessantis impedimenti. num. 6. & eod. l. 3. t. 1. c. 8. num. 22.

Si vnus certet de lucro capiendo, alter autem de damno vitando, tum error iuris obscuri excusationem tribuit, vt læso per in integrum restitutionem succurratur. ibid.

Ecclesiæ, & Minori grauiter læso, Iudex ex officio succurrere debet per in integrum restitutionem: at verò natu maiori succurritur, potiùs ad instantiam partis. ibid. n. 6. addit. 2.

Rescisso contractu emptionis, ac venditionis per in integrum restitutionem, pretium emptori restituendum est, vnà cum melioramentis. Fructus quoque interim percepti ad emptorem tanquam dominum pertinere debent. num. 7.

Si Res Minorum, aut Ecclesiæ temporis diuturnitate vsucaptæ fuerint, conceditur illis beneficium restitutionis in integrum continuo quadriennio. lib. 3. tract. 1. c. 8. num. 20.

Retractus gentilitius

Est ius alicuius gentis, aut ciuitatis statuto, vel consuetudine concessum proximo venditoris consanguineo, intra certum tempus rescindendi, & eodem pretio oblato venditionem rei immobilis ad se reuocandi. l. 3. t. 4. c. 17. n. 15.

Si consanguinei, post legitimam eis factam denuntiationem, emere intermittant, elapso bimestri spatio alteri vendi potest. Sin autem sine denuntiatione seu monitione venditio facta fuerit, ius habet consanguineus proximus intra diem & annum retrahendi. ibid. §. 2.

Consanguineus retrahens pręstare debet omnes expensas, quas emptor ratione contractus fecit. quare cautela est, vt volens vti beneficio retractus quamprimum denuntiet emptori, ne vllos in re vendita sumptus faciat, quia retractui subiecta sit. ibid. §. 4.

Ius istud reale imitatur actionem realem, vt aduersus quemcunque possessorem institui possit. n. 36.

Necesse est, vt proximus consanguineus sibi retrahat, non in vtilitatem alterius, & in fraudem emptoris, aliorúmque consanguineorum. Vtrum verò extraneo ius retractus cedi, aut vendi possit, si alius consanguineus non adsit qui retrahere velit, aut possit, regionis consuetudo attendenda est. ibid. §. Vltimum.

Reus.

Reus aliud est debiti ciuilis, & alius reus delicti. l. 3. t. 6. c. 5. num. 1.

Reus à competente Iudice legitimè interrogatus in iudicio, veritatem edicere obligatus est. n. 2.

Confessarius Reum, qui conuinci non potest, non nimis vrgere debet ad confitendum crimen morte, vel mutilatione dignum. n. 3.

Reus post latam à Iudice sententiam non tenetur fateri crimen, quod antea falsò negarat: quia finito iudicio, finitur etiam obligatio rei. ibid. §. Illud.

Reus à Iudice contra iuris ordinem examinatus, non tenetur crimen fateri. Idemque dicendum, si rationabiliter dubitet: qua propter Iudex Reo aperire debet causæ statum, testes de infamia, & alia contra eum indicia, vt ipsi appareat, num legitimè examinetur. n. 4.

Lex charitatis postulat, vt qui crimen suum negat, vel celat, quatenus possibile est, denuntiantis famæ consulat, intra, & extra iudicium, dicendo v. g. cum malè informatum fuisse. ibid. §. Veruntamen.

Iudex Reum infamatum, vel conuictum de vno crimine, examinare non debet de alijs criminibus, quæ nec suapte natura, nec indicijs connexa sunt. n. 5.

Iudices deprehensum in vno crimine, præsertim in furto, mox solent examinare de alijs alibi commissis furtis, quorum nulla indicia habent: sed id non est secundùm iura; præterquam si quis infamatus sit de crimine sæpius commisso, vt famosus latro, famosus fur. ibidem §. Non ignoro.

Si indicia v. g. ad capturam Rei sufficientia non fuerunt, totus etiam reliquus iudic[illegible]ocessus corruit. n. 6.

Si Reus crimen in iudicio [illegible] ciúsque indicia ostendat, sine alijs testimon[illegible] est. n. 7.

Iudex Reum de crimin[illegible] non potest interrogare de socijs nulla indicioru[illegible]picione, aut infamia laborantibus, nisi crimen exceptum sit, vel perniciosum in futurum. n. 8.

Tortura non adhibetur Reo, nisi in grauibus criminibus, si graui indicia adsint, sed non sufficientia ad probationem plenam. n. 9.

Reus semel tortus iterum torquendus non est, nisi nouum indicium accedit: quia per torturam toleratam infirmantur priora indicia, excepto, si commissi criminis indicia grauissima sint, vt vehementem præsumptionem pariant crimen malitiosè negari, tunc tortura sæpius adhuberi potest. n. 10.

Si reus crimen, quod in tortura confessus erat, postridie in loco iudicij reuocet, rursus torturæ subjici potest: quia retractatio confessionis infirmat torturam. Verùm si tertio ita tortus, & confessus, tertiò retractet, ordinariè absoluendus est, nisi maxima præsumptio sit Reum malitiosè agere. ibid.

Iudex non debet ita torquere Reum, vt moraliter ei impossibile sit, crimen non confiteri: tantò tamen grauiùs torquere potest, quantò grauiora indicia habentur. num. 11.

Certæ personæ sunt, quas torquere non licet. n. 12.

Si Reus confessionem per mendacium simulationem dolúmve Iudicis extortam postea retractet non potest ex ea condemnari. n. 13.

Reus qui crimen morte dignum ob tormentorum metum falsò sibi affinxit, retractare tenetur, si spes sit mortis supplicium ea ratione effugiturum esse. Opposita tamen sententia ob Doctorum quorundam auctoritatem in praxi probabilis est. n. 24.

Saluus conductus, siue publica fides & securitas eundi, ac redeundi, duobus modis Reo dari potest, vel in forma iuris communis, vel in forma iuris specialis. n. 14.

Reus ordinariè puniri debet in loco vbi deliquit: quare si alibi capiatur remitti debet ad Iudicem delicti, si Iudices sint sub eodem principatu. Verum secundùm consuetudinem Germaniæ, nulla fit remissio ad Iudicem delicti; nisi Iudex captiuitatis propter amicitiam, vel vicinitatem remittere velit. n. 15.

Si Reus, qui alibi deliquit, postea reperiatur, & capiatur in loco originis, aut domicilij, spectato etiam communi iure, ibidem iudicari, & puniri potest. Ibid. limit. 3.

Iudex domicilij, saltem spectata Germaniæ consuetudine potentior esse solet, quàm Iudex originis: quia ille etiam absentes incolas citare potest; at verò iste in originarios domicilium alibi habentes iurisdictionem non exercet, nisi dum in loco originis commorantur. Qua in re æquiparatur Iudici delicti, & Iudici contractus. n. 16.

Rex.

Vtrum Reges, & Principes supremi libera voluntate, an solùm in comitijs Regni, & cum consilio, aut consensu Procerum, leges ferre possint, id pendet fermè ex prima Institutione regni. l. 1. t. 4. c. 8. n. 3. §. Secundò.

Rex non potest in præiudicium regni iurisdictionem, aliáue bona eius, quæ alicuius momenti sint, alienare: quia bona regni sunt potiùs dignitatis, quàm propria Regis: quamobrem mortuo Rege non diuiditur regnum, aut Ducatus inter filios defuncti. n. 5.

Licet ordinariè nobilitas & dignitas vxoris in maritum non redundet; sicuti vice versa dignitas mariti in vxorem, tamen id peculiare est, quòd maxima dignitas vxoris, videlicet Regnum, vel Ducatum hæreditario iure possidentis, in maritum inferiore alioquin gradu positum quodammodo deriuetur, vt & ipse Regis, vel Ducis nomen vxoris participatione sortiri possit. n. 4.

In hoc ipso casu Regni, aut Ducatus administratio penes Reginam, vel Ducissam manet, propter quam si fœmina & ipsum Regnum, vel Prouincia sponte consentiant, vt ad maritum deuoluatur. n. 5.

Si Regina, aut Ducissa alicui priuato, v. g. militi in matrimonium iungatur, ad maritum pertinebit gubernatio domestica, ipsi usque vxoris custodia: sed vxor, quatenus Regina, aut Ducissa, superior erit marito suo, quoad publicam gubernationem. §. Quapropter.

S.

Sacramentum.

Inter varias Sacramenti acceptiones vna est valde vsitata, pro cæremonia hominem sacrante, ideóque pro signo rei sacræ & occultæ non cuiuscunque, sed per quam homo sacratur, & initiatur Deo. lib. 5. t. 1. c. 1.

Sacramentum definitur; signum visibile inuisibilis gratiæ, ad populum Deo sanctificandum, diuinitus institutum. cap. Secundò. num. Primò.

Ad rationem Sacramenti pertinet, vt stabilem institutionem, ac vsum habeat. n. 2.

Sacramenta nouæ legis, non tantùm gratiæ significatiua, sed etiam operatiua sunt: in quo differunt à veteribus sacramentis, quæ gratiam sanctificantem figurabant, & significabant tantum. c. 3. n. 1. & n. 6. In fine.

Post lapsum hominis institui oportebat sacramenta, non antè: & verò pro paruulorum sanctificatione, etiam ante circumcisionem aliquòd à Deo remedium institutum erat. n. 4.

Post legem etiam circumcisionis credibile est certam aliquam cæremoniam fuisse pro fœmelis, & masculis ante circumcisionem morituris. n. 4.

Circumcisio non conferebat gratiam sanctificantem ex opere operato, sed ex fide in Christum, attamen vt ordinarium remedium à Deo institutum. n. 5.

Valde probabile est, quòd sacramenta nouæ legis ad hominis sanctificationem concurrant non vt causæ physicæ, sed tantùm morales, n. 6.

In sacramentis nouæ legis non tantùm sensibilis materia, sed etiam verborum forma requiritur. cap. 4. num. 1. & 2.

In sacramentis, saltem ijs quæ in vsu seu actione transeunte consistunt, duplex materia reperitur, remota, & propinqua. n. 2.

Sacramenta quæ in vsu consistunt, ex re siue sensibili actione, atque verbis, veluti ex materia & forma essentialiter componuntur. n. 3.

Inter materiam & formam, v. g. aquæ affusionem & verborum prolationem, tanta coniunctio esse debet, vt, spectata cuiusque Sacramenti natura, forma verborum habitudinem determinationis retineat ad materiam, seu, symbolum subiectum. ibid. §. Si quæras.

Mutatio materiæ, aut formæ sacramenti alia substantialis est, & alia accidentalis. n. 4.

Antiqui Patres formas sacramentorum infidelibus prodi cauebant. l. 5. t. 3. c. 3. n. 3.

Formam sacramentorum Patres quandoque precem mysticam appellant. l. 5. t. 8. c. 3. n. 2.

Error priuatus Ministri, v. g. hæretici, non obstat valori sacramenti, modò veram materiam & formam adhibeat, cum intentione, saltem implicita, faciendi quod Christus instituit, vel quod vera Ecclesia facere intendit. cit. t. 1. c. 4. n. 5.

Si Minister existimet esse puerum, cùm sit puella, quam v. g. baptizat, vel esse Titium quem ordinat, cùm sit Caius, validum est sacramentum. num. 6.

Solus Deus primarius auctor, & institutor est sacramentorum nouæ legis: Christus autem, quà homo, duobus modis eorum auctor, & institutor dici potest, nimirum, quia eam nobis institutionem ex condigno promeruit, & quia cum potestate excellentiæ promulgauit. c. 5. n. 1.

Potestas instituendi sacramenta ministerialiter, puro homini à Deo communicari potest, sed non tam excellenter, vt Christo competebat. n. 2.

Omnia nouæ legis sacramenta à Christo immediatè instituta fuerunt. n. 3.

Solus Deus vt causa simpliciter principalis interiores secramentorum effectus operatur, sed Christus homo, vt causa principalis meritoria. n. 4.

Humanitas Christi operatur interiores sacramentorum effectus, tanquam instrumentum coniunctum diuinitati. num. 5.

Fides, aut probitas Ministri non requiritur ad sacramenti valorem. n. 6.

Mortaliter peccat Minister, si in statu peccati mortalis ministret sacramentum, ad cuius ministrationem ordinatus est. n. 7.

Idem quoque sentiendum de Sacerdote baptizante non solemniter in casu necessitatis, & de Diacono, si ex commissione Sacerdotis baptizet, vel sacram Eucharistiam porrigat in statu peccati mortalis. n. 8.

Si laicus, vel alius Clericus præter Sacerdotem in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, non videtur plus, quàm venialiter peccare. n. 9.

Probabile est, Diaconum non peccare mortaliter, si in statu peccati mortalis in Missæ officio ministret, nisi id frequenter seu per consuetudinem fiat. n. 10.

Intentio alia est actualis, alia virtualis, & alia habitualis seu interpretatiua: actualis, sicuti & virtualis, vel explicita est, vel implicita n. 11.

Ad necessitatem sacramenti requiritur formalis intentio Ministri, saltem implicita: nec sufficit habitualis in causa, aut merè interpretatiua. n. 12.

Ad sacramenti valorem necessaria est intentio absoluta; ideóque nihil efficitur, si Minister v. g. baptizet sub conditione pendente in futurum. n. 13.

Aliud est sacramentum, & aliud res seu effectus sacramenti. c. 6. n. 1.

Quædam sacramenta viuorum sunt, & quædam mortuorum: verùm illa, licet per se instituta sint tantùm ad augmentum gratiæ, tamen per accidens interdum peccatorem iustificant, si cum attritione bona fide suscipiat. num. 2.

Præter effectum gratiæ sanctificantis, in singulis sacramentis conferuntur specialia actualia auxilia gratiæ. n. 3.

Ad valorem sacramenti in adultis requiritur suscipiendi propria voluntas, saltem interpretatiua. n 4.

Sacramenta æqualem gratiam conferunt omnibus suscipientibus, si æqualiter dispositi sint, secùs si inæqualiter. num. 6.

Septem sunt nouæ legis propriè dicta sacramenta, à Christo instituta. c. 8. n. 1. & 3.

Frequentissima apud Patres antiquos mentio est eorum præcipue sacramentorum, quibus homo simpliciter perficitur, Deóque initiatur, qualia sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, sacra Ordinatio: quamuis etiam aliorum sacramentorum non rara mentio fiat. n. 2.

Omnia sacramenta cum salutari crucis ligno administrari solent eod. l. 5. t. 6. c. 3. n. 8.

Materiæ sacramentorum, quibus Christus ipsemet vsus fuit in institutione, benedici non solent, sicuti illæ, quibus Christus vsus non est. tr. 3. c. 2. n. 2.

Parocho tempore pestis obligatio incumbit permanendi, & sacramenta populo ministrandi. Sed etsi, cum Ordinarij consensu, alteri idoneo officium suum committat, aut resignet, tamen animo saltem, & prouidentia præsens esse debet, vt nihil necessarij ad salutem ouibus desit l. 1. t. 3. c. 3. n. 3. §. His adde.

Parochus, si solus sit, non facilè ministrare debet cum vitæ suæ periculo sacramenta, quæ non admodum necessaria sunt, vel secundùm se, vt Extrema vnctio, vel respectu personarum, quarum bonum statum probabiliter cognitum habet, quia nuper earum Confessiones excepit. ibid. §. Cauere.

Etsi Parochus ex decimis sufficientem sustentationem habeat, nihilominus propter consuetudinem præscriptam accipere aliquid potest à fidelibus pro sacramentorum ministratione, aliisque officijs diuinis. l. 4. tract. 10. cap. vlt. n. 16.

Sacramenti character.

Characteris seu signi spiritualis animæ suscipientis sacramentum impressi, frequens est mentio apud Patres antiquos. l. 5. t. 1. c. 7. n. 1.

Tria sunt sacramenta, quibus indelebilis character animæ imprimitur, ideóque repeti non possunt: Baptismus, Confirmatio, & Ordo. num. Secundò, & tract. 3. cap. 4 num. 2.

Character partim ad primam speciem qualitatis pertinet, quatenus est bene afficiens subiectum, partim verò ad secundam speciem, quatenus hominem idoneum reddit ad sacramenta suscipienda, & alijs tradenda. cit. c. 7. num. 3.

Effectus gratiæ in sacramentis non iterabilibus, si propter suscipientis indispositionem impeditus fuit, remoto obice statim confertur n. 4.

Credibile est, etiam post acceptum sacramentum Extremæ vnctionis, Matrimonij, & Eucharistiæ nondum absumptis speciebus, remoto obice gratiam conferri. n. 5.

Sacrificium Missæ.

Sacrificium definitur: oblatio Deo facta, per immutationem alicuius rei sensibilis, in signum supremi super res omnes dominij, ex publica, & legitima institutione. l. 5. t. 5. c. 1. num. 1.

Christus in sacrificio Missæ est principalis offerens & res oblata, Sacerdos autem offerens ministerialis. eod. num. 1.

Sacerdos in Missa totius etiam Ecclesiæ vicarius est, & legatus ad Deum. n. 2.

Ex sacrificio Missæ duplex fructus seu effectus prouenit, vnus est ex opere operato, alter per modum impetrationis num. 3.

Sacrificium Missæ verè propitiatorium est, ex opere operato conferens remissionem peccatorum. n. 4.

Huius sacrificij præcipuus fructus est satisfactionis pro peccatis eorum, quibus applicatur: quamuis id nesciant, modò capaces sint. n. 5.

Sacrificium Missæ vtile est ad delenda peccata venialia in ijs, qui pro se offerunt, aut offerri postulant. n. 6.

Probabile est, sacrificium nouæ legis habere infallibilem effectum gratiæ præuenientis, & excitantis peccatores ad pœnitentiam, iustos autem, pro quibus offertur, ad maiorem perfectionem. n. 7.

Per sacrificium Missæ varia dona & beneficia Dei impetrari possunt. n. 8.

Sacrificium Missæ ex opere operato habet effectum satisfactionis pro peccatis finitum, tam intensiuè, quam extensiuè. n. 9.

Sacrificium, quoad impetrationem beneficiorum, habet aliquo modo virtutem infinitam syncategorematicè, quia augetur pro multitudine offerentium, aut concurrentium. n. 11.

Etsi Sacerdos pro certa persona sacrificium Missæ offerre debeat, tamen non prohibetur in *Memento* sacrificium pro se, & alijs personis priuata deuotione, & petitione offerre. eod. n. 11.

Vna, eadémque oratio plus impetrat alicui, si pro eo solo fiat, quàm si pro pluribus. n. 10.

Missa mali Sacerdotis æquè vtilis est, quoad fructum eius principalem, qui est ex opere operato, non item, quoad vim impetrandi ex propria persona. n. 12.

Sacerdos, qui à pluribus sufficientem stipem accepit, non satisfacit pro omnibus vnam Missam dicendo: secùs, si stipendium sufficiens non fuit. n. 13.

Si Sacerdos stipendium accipiat pro Missa celebranda, debet vel ipsemet celebrare, vel si alterum substituere velit, totum ei stipendium relinquere: nisi alter Sacerdos partem stipendij sponte condonet; aut si præsumptio sit non fieri contra voluntatem dantis, si pars stipendi retineatur. n. 14

Sacerdos qui stipendium accepit, plerumque Missam celebrare debet eam, & in eo altari, sicut offerens petiuit: quare Missam votiuam, vel pro defunctis dicere licet, tametsi secundùm ordinationem Missalis de festo simplici, vel semi duplici dici deberet. num. 15.

Etiam in Dominica die, aut festo duplici, si funus ad ecclesiam deferatur, atque vnicus Sacerdos adsit, potest is pro defunctis celebrare, propter rationabilem diœcesis consuetudinem. Alioquin verò, si funeris celebritas non requirat, rectiùs faciet Sacerdos his diebus, si seruata Ecclesiæ intentione, Missam dicat secundùm ritum præscriptum. n. 16.

Multarum Ecclesiarum consuetudo permittit, vt præter vnam Missam principalem, quæ dicitur de festo oc-

Si Sacerdos post consecrationem aduertat aquam pro vino appositam fuisse, potest occultè aliud vinum apponere, & consecrare, sine consecratione panis. n. 3.

Non est improbabile, quòd noui Sacerdotes cum Episcopo verba consecrationis materialiter tantùm proferant. Sed consultissimum ipsis est, vt proferre velint secundùm Ecclesiæ intentionem, seu voluntatem. l. 5. tr. 2. c. 7. n. 6.

Sacrilegium.

Dicitur rei sacræ violatio: Eius tres species sunt: I. contra personas sacras. II. contra loca sacra. III. contra alias res sacras, seu Deo dicatas. lib. 4. t. 10. cap. 7. num. 1. & 2.

Res sacra propriè tantùm censetur, quæ publico ritu, aut institutione ad Dei cultum deputata est. eod. n. 2.

Sacrilegum contra personas sacras quatuor modis committitur: I. Inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum. II. Personas Ecclesiasticas subijciendo iudicio fori secularis. III. Ab eisdem tributum exigendo, contra Ecclesiasticam immunitatem. IV. Luxuriosè violando corpus personæ Deo sacratæ. n. 3.

Si Clericus in sacris, vel Religiosus fornicetur, multiplex peccatum committit. n. 4.

Sacrilegium aduersus locum sacrum accidit: I. violando loci sacri immunitatem. II. polluendo Ecclesiam, vel cœmiterium. III. exercendo profanam actionem, quæ reuerentiæ loci sacri repugnat, cuius modi sunt iudicij secularis exercitium; item negotiationes, conuiuia. n. 8.

Non omnis locus sacer, aut pius ecclesia dici potest: verùm Ecclesiarum priuilegia ferme etiam ad alia loco sacra, videl. Monasteria, & Zenedochia, quæ publica Episcopi auctoritate instituta sunt, extendi solent. n. 6.

Indigna tractatio sacræ Eucharistiæ omnia sacrilegia grauitate superat. n. 11.

Sacrilegium quod committitur indigna tractatione rerum sacrarum, varios gradus habet, secundùm varietatem ipsarum rerum. n. 13.

Sacrilegij crimen est, si sacramenta indignè administrentur, vel suscipiantur: si sacra scriptura peruertatur; sacra vasa ad vsus profanos adhibeantur. eod. num. 13. §. In Tertio.

Necesse non est ad sacrilegij crimen, vt quis directam intentionem habeat res sacras inhonorandi, sed ipsa indigna earum vsurpatio, aut tractatio, quamuis ob alium finem seu vtilitatem fiat, debitæ rebus sacris reuerentiæ repugnat. Hoc tamen discrimen est, quòd inhonoratio ex proposito semper sit mortalis, sed inhonoratio per intentionem virtualem possit esse venialis, cùm ob actus imperfectionem, tum ob materiæ leuitatem. §. Neque verò.

Multa sacrilegia committi possunt circa res sacras non decenter tractandas, seruandas. n. 14.

Qui legata pia, vel alia Ecclesiastica iura, aut bona peruertunt, sacrilegium committunt. n. 15.

Furtum sacrilegum committitur vel auferendo rem sacram de loco sacro, vel non sacram de sacro, vel sacram de non sacro. n. 16.

Qui calicem sacrum è loco non sacro surripit, propriè dictum sacrilegium committit. n. 17.

Qui crumenam v. g. alicui in ecclesia abscindit, videtur esse fur sacrilegus, licet in externo foro non ita puniatur. num. 18.

Qui furtum sacrilegum cum violenta effractione committit, ipso iure excommunicatus est. Idémque sentiendum de incendiarijs ecclesiarum. n. 19.

Sanctorum cultus, canonizatio, sacræ imagines, & reliquiæ.

Oratio, quam ad Beatos in cœlo fundimus, non est actus elicitus à virtute Religionis seu latriæ, sed est inferioris cultus, quæ dulia dicitur. Est tamen oratio erga Sanctos actus imperatus à virtute Religionis, nisi malis ita loqui, esse actum siue re, siue virtute duplicem, qui quatenus ad DEVM, & Christum filium eius dirigitur, latriæ est, quatenus verò ad Sanctum spectat, duliæ. l. 4. t. 1. c. 1. n. 1. in corollario.

Vnus est Mediator principalis inter DEVM & homines, Christus Saluator, alij autem Sancti secundarij apud Deum intercessores sunt, per ipsum Christum. Ibid. in obiectione 1.

Angeli boni, perinde vt alij Beati in cœlo, ab antiquis Christianis inuocari soliti sunt, tanquam nostri apud Deum & Christum Patroni, ac rerum humanarum constituti Præsides, & Tutores. Ibid. §. Porrò.

Canonizatio Sanctorum ad Summum Pontificem extra, vel intra Concilium, propriè spectat. l. 4. t. 7. cap. 5. num. 1.

Olim sine solemni canonizatione Sancti quidam post felicem eorum obitum, communi Episcoporum, & populorum consensu, approbante etiam Ecclesia Romana, publicè colebantur. Ibidem.

In noua lege Deum siue sacrosanctam Trinitatem, atque Angelos forma corporea, sicuti in sacra Scriptura hominibus præsentatos legimus, depingere licitum est, quamuis olim Iudæis ad idololatriam pronis id prohibitum fuerit. num. 2.

Catholica Fide certum est, Christi Domini, B. Virginis, & aliorum Sanctorum imagines rectè depingi tum memoriæ, tum venerationis causa. n. 3.

Olim in Eliberino Concilio iustas ob causas prohibitum erat, ne Christi, & Sanctorum imagines in parietibus seu muris Ecclesiarum pingerentur. n. 4.

Libri, qui vulgò Carorilini dicuntur, non Caroli Magni sunt, sed ab Iconomachis hæreticis scripti, & à Carolo ad Hadrianum Pontificem missi. num. 7.

In Concilio Francofordiensi tempore Caroli magni habito, nihil omnino contra septimam Synodum de imaginibus adorandis decretum fuit. n. 5.

Eli Phili vnus ex hæreticis Caluinistis præfatione sua in libros Carolinos multis imposuit. n. 6.

Quamuis probabile sit, tamen non est certum, in Concilia Francofordiensi aliquid pro imaginum cultu contra Iconomachorum errorem statutum fuisse. n. 8.

Sacræ reliquiæ tantò præstantiores censendæ sunt, quantò propinquiùs ad Sanctum spectabant. n. 12.

Ad publicum reliquiarum Sanctorum cultum opus est, vt antecedat earum publica approbatio: ad priuatum verò cultum sufficit vnius hominis fide digni testimonium. n. 15. & 16.

Homines piè defuncti, si canonizati non sint, coli non possunt solemniter ac publicè, attamen priuatim. Dicitur autem cultus publicus, non qui coram alijs exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ, & tanquam ab Ecclesia institutus. n. 14.

Licet concessum non sit publicum festum, aut ieiunium in memoriam Sancti non canonizati instituere, aut celebrare, tamen priuatim in eius obitus die seruilibus operibus abstinere, aut ieiunare, vel Sanctum in patrocinium inuocare, aut reliquias, vel imaginem eius in priuato altari collocare, prohibitum non est. Ibid. §. Tertiò.

Sanctorum corpora perpetuæ sepulturæ tradita, sine Prælatorum licentia erui, & transferri non debent. n. 17.

Sacræ reliquiæ ad turpem quæstum exponendæ non sunt, neque facilè extra capsam ostendendæ. n. 19.

Tum laici, tum Clerici sacras reliquias decenter inclusas deuotionis causa secum habere, ac circumferre non prohibentur. n. 18.

Sacras reliquias cum reuerentia tangere laicis non est illicitum, sed puplicè in templo, & processione, sacrarum reliquiarum thecas gestare, ad sacros tantùm Clericos spectare videtur. l. 5. t. 5. c. 6. n. 21.

Satisfactio, pœnitentiæ impositio.

Satisfactio aliud non est, quàm iniuriæ compensatio: quare differt à restitutione, quæ est damni dati restauratio.

tio. l. tr. 5. 6. c. 15. n. 1.

Peccatis nostris Deo nullum propriè damnum inferimus, attamen iniuriam irrogamus, qua propter pro offensa satisfacere debemus. ibid.

Pro culpa mortali, & correspondente pœna Deo satisfacere non possumus ex condigno, sed tantū ex cōgruo. n. 2.

Patres omnes operibus bonis iustorum tribuunt virtutem satisfaciendi pro peccatis, ex Christi meritis: sed Nouatores hæretici constanter se huic veritati opponunt. ib.

Homines iusti in hac vita pro pœna temporali in purgatorio luenda ex condigno per Christi merita satisfacere possunt. Sed post hanc vitam animæ in purgatorio non sunt in statu satisfaciendi, sed potiùs satispatiendi. n. 3.

Sacerdos pœnitenti sacramentalem pœnitentiam imperare debet, partim in vindictam peccatorum, partim ad remedium animæ. n. 4.

Lapsis in peccatum graue, seu mortale, olim frequenter à Confessario interdicebatur sacra Communio donec per iniuncta bona opera satisfecissent. n. 5.

Pœnitens obligatur ad acceptandam pœnitentiam, si iusta est: si tamen nimis grauis illi videatur, potest se alterius Confessarij iudicio subijcere. n. 6.

Obligatio implendi pœnitentiam iniunctam ob peccata venialia, item ob mortalia, à quibus absolutio etiam antè accepta fuerat, non est sub peccato mortali. n. 7.

Pœnitentia rectiùs è Sacerdote imponitur ad sacramentalem absolutione, cum sit pars sacramenti materialis. n. 8.

Opera, quæ in pœnitentiam iniunguntur, debent esse aliquo modo pœnalia, seu afflictiua: quare plerumque conuenit esse externa opera, qualia sunt oratio vocalis, ieiunium, eleemosyna. n. 9.

Magis conuenit, vt opera bona, quæ pœnitenti imponuntur, sint supererogationis: quamuis interdum non abs re faciet Confessarius, si homini præcipiat opera alioquin præcepta. n. 10.

Si pœnitens allata probabili causa de grauitate pœnitentiæ conqueratur, Confessarius plerumque moderari eam, vel aliam leuiorem decernere debet: monendus tamen est pœnitens, pœnitentiam non esse commensuratam delictis; quare ipsemet exerceat opera bona in satisfactionem pro peccatis. n. 11.

Cauere debet Confessarius, ne incongruas pœnitentias imponat, v. g. pauperi eleemosynas, operijs vel debilibus personis ieiunia, mulieribus longas peregrinationes. ibid. §. Caueat.

Pœnitenti facilè permittendum non est, vt voueat, vel iuret se in posterum non admissurum tale peccatum. Ibid.

Si magna pœnitentis contritio appareat, minor pœnitentia imperanda est: item tempore Iubilei, vel alterius indulgentiæ plenariæ, tunc enim non cogitur pœnitens nisi leuiorem pœnitentiam acceptare, quæ se habeat per modum medicinæ ad tollendas peccatorū reliquias. n. 12.

Infirmis, siue morituris plerumq; aliquis saltem bonus motus in Deum pœnitentiæ loco imperari potest. n. 13.

Opus iniunctum in Confessione habet vim ex opere operato delendi pœnam temporalem peccatis debitam, iuxta Christi institutionem. n. 14.

Qui opus pœnitentiæ in statu peccati mortalis implet, satisfacit quidem præcepto; sed fructum satisfactionis tunc non consequitur: quare videtur peccare, saltem venialiter, obicem ponendo, quominus effectum tunc consequatur. n. 15.

Pœnitentia imperata, & acceptata ob causam mutari potest ab eodem Confessario, vel altero. Nec est omnino improbabile, id fieri posse, tametsi peccata non repetantur. n. 16.

Qui impotens factus est pœnitentiæ exequendæ, omnino liberatus est. n. 17.

Scandalum.

Est dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis. l. 2. t. 3. c. 13. n. 1.

Licet operatio, vel omissio in se non mala speciem mali gerat, vt alicui occasio lapsus esse possit, tamen si eam, quantùm in te est, remoueas, edocendo cur iustam agendi, vel omittendi causam habeat, aliquando cessat esse scandalum datum, & fit merè acceptum. ibid. obseru. 2.

Duplex est scandalum; vnum per se, siue datum, alterum per accidens, siue merè acceptum: Illud vel est propriè actiuum seu inductiuum ad peccatum consilio, iussu. Alterum est impropriè inductiuum, videl. obiectiuè tantùm, vel materialiter. n. 2.

Scandalum per accidens seu merè acceptum est, cùm & præter operantis intentionem, & præter naturam operis, alter ex eo peccandi occasionem accepit: Diuiditur in scandalum pusillorum, & in scandalum Pharisæorum. eod. n. 2. §. Scandalum.

Nullo casu licitum est, alterum iussu, vel consilio inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri nequit. n. 3.

Ad peccatum materialiter tantùm cooperari licitum est, si certæ conditiones adsint: I. Vt cooperatio secundùm se moraliter bona, vel saltem indifferens sit. II. Vt bono fine seu motiuo alicuius virtutis fiat. III. Vt proximi peccatum impedire nōn possis, vel saltem non debeas. Sic v. g. sponsus Catholicus licitè ministrat sacramentum matrimonij sponsæ hæreticæ. n. 4.

Cooperatio materialis ad peccatum quantò remotior est, tantò faciliùs ob causam rationabilem permitti potest: v. g. fundere campanam, aut characteres æneos cuilibet concessum est, etsi his aliqui abusuri sint ad hæresin propagandam: sed longè grauior causa, atque necessitas requiritur, vt alicui liceat pulsare campanam v. g. qua hæreticorum concio congregetur. n. 5.

Christianis captiuis concessum esse videtur in Turcarum, vel hæreticorum triremibus contra Catholicos remigare, vel propugnacula ædificare, item sarcinas, machinas, & arma ad bellum necessaria afferre: si tamen eo loco res sita sit, vt auxilium negantes magno periculo Christianos eriperent, vel victoriam ipsis conferrent, tum lege charitatis obligantur ad bonum Reip. Christianæ propriæ vitæ anteponendum. eod. n. 5. §. Vlteriùs.

Incolæ prouinciæ, quam tyrannus expulso legitimo Principe iniustè occupauit, possunt inter iniquos possessores manere, eósq; cogente imperio excubijs, fossione, aut contributione iuuare, idque ex præsumpto etiam legitimi Principis consensu. §. Secundò.

Fas est patrifamilias famulo, vel filio, quem de furtis suspectum habet, pecuniam apponere, vt eum deprehensum emendet, vel malo grauiori occurrat. §. Tertiò.

Fas non est famulo, aut cauponi in ciuitate Catholica, die interdicto carnes coquere hæretico postulanti, nisi grauis necessitas minarum v. g. vrgeat, & absit scandalum, atque periculum alterius maioris mali. §. Quartò.

Fas non est Pharmacopolæ venenum vendere quibusuis postulantibus, sed ijs tantùm, quos verisimile est ad alium humanum vsum, v. g. medicinæ aut colorum confectionem, vsuros esse: Sin verò venenum sit, quod alijs vsibus non inseruiat, eius venditio interdicta est. §. Quintò.

Non est permittendum famulo, vt meritricem, quamuis ante conductam, è domo eius euocet, vel literas ad turpia concitantes deferat: sed materialia & remota ministeria præstare potest, v. g. per ianuam intromittere, facem præferre. §. Sextò.

Qui alterum iussu, consilio, motiuo, exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat, peccat tamen speciali, peccato scandali aduersus charitatem, & misericordiam. §. Porrò.

In sacra Confessione exprimenda est species peccati mortalis, ad quod exemplo, suasione, aut iussu alterum induxisti, insuper exprimendus numerus personarum, quas in tale peccatum traxisti, vel probabiliter trahere potuisti. n. 6.

Non semper peccatum scandali committitur, si quis co-

tam alijs peccet; sed tunc solùm, quando probabile periculum cognoscitur alterum commouendi ad peccatum. Ibid. Obseruando II.

Si aliquis fœminam precibus, vel suasione alioquin non paratam induxit ad fornicationem, talis circumstantia in Confessione aperienda esse videtur. ibid. §. Denique.

Si quis materialiter, præsertim propinquè ad damnum iniustum alteri cooperatus fuit, v. g. ensem, vel pecunias suppeditando, iusta necessitate non compulsus, ad restitutionem damni obligatur. Idémque est, si quis ense alterius vsus fuerit ad occidendum, cùm probabiliter animaduerteret innocentem ex conditione ipsius operis in suspicionem criminis venturum. n. 6. in fine.

Minus peccatum suadere non licet, vt vitetur maius, v. g. adulterium, ne fiat vxoricidium. Si tamen peccatum minus formaliter, aut virtualiter, inclusum sit in maiore peccato, quod alter perpetrare certò decreuit, suaderi potest, quatenus minus peccatum est, vt saltem abducatur à parte peccati, cùm à toto auerti non possit: v. g. Qui innocentem occidere vult, ei suaderi potest, vt saltem pugnis contentus sit; & volenti adulterium committere, vt potiùs cùm soluta fornicetur. n. 7.

Sed cautio adhiberi debet, vt nullum damnum tertiæ personæ inferatur: exempli causa volenti adulterium committere suadere non licet, vt cum certa persona fornicetur. Ibid. §. Debet.

Scandalum passiuum seu merè acceptum ex nostra operatione permittere, possumus, si rationabilem operandi causam habeamus, imò interdum permittere debemus. n. 8.

Licitum est ob causam necessitatis, vel vtilitatis à Parocho excommunicato tolerato, vel concubinario petere sacramenti ministrationem, non item si nulla ratio cogat, quia alius Sacerdos haberi potest, qui decenter id peracturus sit. eod. n. 8.

Scandalum ex malitia seu Pharisaicum minùs curandum est, quàm si ex infirmitate, vel ignorantia proueniat. Verùm scandalum ex ignorantia post debitam instructionem fieri solet Pharisaicum. §. Est verò hic.

Prælatus Ecclesiæ interdum debet exactionem debitorum differre, ob scandalum infirmorum, non ita verò propter scandalum ex malitia. n. 9.

Mulier aliquanto tempore domi se continere debet, & die etiam festo semel, aut iterum (non longo tempore) à Missæ auditione abstinere, si sciat ex aspectu suo certum adolescentem ex infirmitate scandalũ passurum esse. n. 10.

Schisma.

Schismatis peccatum committitur, cùm aliquis se segregat ab vnitate Ecclesiæ, prout ea est corpus mysticum, ex diuersorum statuum fidelibus, tanquam membris inter se, & cum vno Capite Christo, eiúsque in terris Vicario connexis. l. 2. t. 3. cap. 11. num. 4. Versu, Schismatis peccatum.

Duplex est modus Schismatis: Primus, si quis se separet à visibili Ecclesiæ capite, debitam ei, quà talis est, obedientiam, ac subiectionem negando. Secundus, si quis se separet à reliquis fidelibus in Religionis cultu, Sacramentis &c. atque seorsim agat, tanquam Ecclesiæ membrum non sit. Ibid. §. Duplex.

Schisma vel est purum, charitati & paci oppositum, vel cum hæresi iunctum, si videlicet aliquis pertinaci animo neget Papam esse totius Ecclesiæ Caput, & Pastorem, vel neget Ecclesiæ sanctæ communionem, & ob id se segreget. num. 5.

Hæresis peccatum in mente perficitur, & exteriùs solùm significatur: at verò schisma opere externo consummatur. ibid. §. Ex quo obiter.

Omnis hæreticus etiam schismaticus est, non vice versa. Verùm schismatici non diu puri manent, sed nisi resipiscant, in hæresin cadere solent. Coroll. I.

Hæretici occulti verè ab Ecclesia segregati sunt, licet exterius Ecclesiæ membra esse videantur: Sed schismatici merè interni, & sola voluntate membra Ecclesiæ manent, cùm & fidem internam retineant, & externa specie ab Ecclesia non segregati sint. Verùm tales propriè schismatici dici non possunt. n. 6.

Qui ab Episcopo suo, vel Ecclesia particulari se segregat, volens tamen esse subiectus Summo Pontifici, & cum alijs membris Ecclesiæ vniuersalis communicare, secundùm quid & impropriè schismaticus est, idcóque canonicis pœnis non subiectus. §. Dubitari.

Schismatici in Bulla Cœnæ Domini excommunicati sunt, & in habiles redditi ad beneficia Ecclesiastica, etiam post schismatis abiurationem, nisi cum illis dispensetur. num. 7.

Secretum.

Qui secretum expressa, aut tacita conuentione reticendi sibi commissum reuelat, is contra fidelitatem, atque iustitiam peccat, non minùs, quàm si in depositi contractu fidem violet. l. 3. t. 3. p. 2. c. 5. n. 1.

Tacita secreti seruandi conuentione obligantur primò, Principum Conciliarij, ac belli Duces, quibus Reip. vel exercitus concilia committuntur. Secundò, Medicus, & Aduocatus, quibus auxilij capiendi causa secreta reuelantur. Tertiò, viri docti qui talem peritiam profitentur, vt ipsis causâ concilij arcana aperiantur. Quartò, versimiliter etiam amici, & propinqui, quibus iure amicitiæ, aut propinquitatis secreta manifestantur. Ibid.

Secretum tibi commissum reuelare potes, si necesse sit ad auertendum damnum Reip. personæ innocentis, vel tuum ipsius graue periculum. n. 2.

Si Titius homicida lateat, & pro eo innocens Caius sine fraude Titij in quæstionem adductus sit, non oportet Caij liberandi gratia crimen occultum Titij prodere: cùm nec ipse Titius, qui secretum tibi commisit, se cum æquali periculo prodere teneatur ad impediendam mortem Caij, cuius causam non præbuit, nisi indirectè, & per accidens. ibid. §. Loquor.

Si tamen Titius fuga sibi consulere possit, tum deberet prodito suo facinore, etiam cum famæ aliquali iactura, liberare Caium: sin ille id facere recuset, licebit tibi, eo de fuga prius mónito, reuelare secretum, Caij liberandi causa. Ibidem.

Secreta Reip. vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet, étiam ob quæuis tormenta, vel mortis periculum reuelare nefas est. n. 3.

Si expresè promisisti, te secretum seruaturum etiam cum vitæ periculo, aliqui putant te obligari: quamuis id in dubium vocari potest. Id verò certum est, si non agatur de maximo incommodo secretum committentis, nullam oriri obligationem id seruandi cum propriæ vitæ discrimine. n. 4.

Qui per vim, aut fraudem secreti cognitionem assecutus est, prodere non potest ad vitandum qualescumque corporis sui periculum, si ex euulgatione æquale periculum immineat illi alteri. n. 5.

Sepultura sacra, portio canonica.

Locus sepulturæ Ecclesiasticę est Ecclesia, & cœmiterium. l. 3. t. 5. c. 12. n. 1.

Incumbit præceptum misericordiæ sepeliendi fidelium corpora, si nemo alius, adsit, qui id officium præstet. num. 2.

Ius sepulturæ communi lege competit Ecclesijs parochialibus, ex priuilegio verò etiam Religiosis, imprimis Ordinis Prædicatorum, & Minorum, deinde etiam alijs. n. 3.

Episcopus ob causam, cum consensu Capituli, ius sepeliendi Ecclesiæ non parochiali concedere potest. ibid.

Religiosis, & Clericis seuerè prohibitum est, ne quemquam ad vouendum, aut iurandum inducant, vt potius in ipsorum Ecclesia, quàm alibi sepulturam eligat. num. 4.

Puberes, qui liberum arbitrium habent, sepulturam extra parochiam eligere possunt. n. 5.

Pater filio impuberi, & in patris defectum etiam mater, sepulturam eligere potest. Ibid.

Religiosi ius sepulturæ eligendæ non habent, nisi à Monasterijs, vel Collegijs multùm dissiti decedant, Nouitij autem sepulturam arbitratu suo eligere possunt. num. 6.

Prælatis Ordinum qui Superiorem in Ordine non habent, sepultura etiam extra Monasterium deligere concessum est. n. 7.

Qui nulla electâ sepulturâ decessit, sepeliendus est in propria parochia; nisi habeat sepulchrum Maiorum. Idémque sentiendum de Scholaribus, & similibus, qui quasi domicilium in loco habent. n. 8.

Si quippiam sepulturam sibi in Ecclesia, aut capella construxerunt, non licet eo, vel hæredibus eius inuitis alium eo loco sepelire: quia talia sepulchra instar hospitij esse censentur. Verum postquam tota progenies benefactoris extincta est, multi censent, vsum capellarum, & sepulturæ alijs concedi posse. l. 4. tract. 2. cap. 13. num. 15. §. Porrò.

Vxor si sepulturam non elegit, cum marito sepeliri debet; nisi alia loci consuetudo sit. Quòd si plures maritos habuit, cum vltimo, cuius domicilium retinet, & honorem, tumulanda. est. cit. c. 12. n. 8. dicto 3.

Famuli Religiosorum intra Monasterium, vel Collegium morientes, in illorum Ecclesijs sepeliri possunt. num. 9.

Omnes fideles in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet, eos decessisse impœnitentes, vel nisi ob canonicam pœnam, vel censuram prohibeantur. n. 10.

Etiam damnati ad mortem, si pœnitentes decesserunt, in loco sacro sepeliri possunt: sed interdum in criminis pœnam, & ob aliorum exemplum, sacrâ sepulturâ priuantur. eod. n. 10.

Ob nulla debita ciuilia corpus defuncti sepultura prohiberi potest, neque licet creditoribus vllam actionem, vel molestiam exhibere hæredi, aut executori testamentario nouem diebus post obitum defuncti. Ibid.

Hæretici in loco sacro sepeliendi non sunt, neque pagani, & Iudæi, quibus annumerantur infantes mortui ante Baptismum. §. Sepeliendi.

Catechumeni in loco sacro sepeliendi non sunt. n. 11.

Sepultura sacra arcendus est, qui seipsum occidit. Qui semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & in Paschate Eucharistiam accipere notoriè intermisit, modò huius intermissionis nulla probabilis causa afferri possit: item manifestus raptor, seu violator Ecclesiæ, & Religiosus proprietarius: Denique omnis peccator mortalis ac notorius, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi debeat. eod. n. 11. & 12.

Si aliquis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest à mortali occisus deprehendatur, non censetur contritus decessisse: si tamen post crimen patratum signum aliquod pietatis edidit, vt si in Ecclesia orasse visus est, videtur in loco sacro sepeliendus esse, nisi sit inter criminosos specialiter exceptos, in quibus certior coniectura antecedentis pœnitentiæ postulatur. eod. n. 12.

Si quis contra canones in loco sacro sepultus fuerit, licet exhumari debeat, si ossa eius discerni possint, Ecclesia tamen reconcilianda non est, nisi sepultus fuerit excommunicatus denunciatus, aut infidelis, quo casu etiam parietes radi debent. Ibid. §. Porrò.

Qui excommunicatum non denuntiatum in loco sacro sepeliunt, non incurrunt censuram excommunicationis, nec locus sacer violatur: imò probabile est, quòd excommunicatis etiam notorijs, sed nondum denuntiatis, si piè mortuos fuisse præsumi possit, sacram sepulturam concedere fas sit. l. 1. t. 5. p. 2. c. 4. n. 9.

Si hæreticus ante mortem manifesta signa dedit conuersionis licet ab hæresi absolutus non sit, potest in loco sacro sepeliri: quamuis ad vitandum scandalum, & alia incommoda oporteat prius Episcopum admonere, qui, si velit, etiam post mortem hominem ab excommunicatione absoluere potest. lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 4. num. 9. q. 2. In Corollario.

Si quis in crimine hæresis notoriè decedat, sacra sepultura prohiberi debet, non ob censuram precisè, sed ob peccatum mortale, in quo sine pœnitentia decessit. Ibid. §. Nota.

In quibusdam Germaniæ locis, quibus cum Catholicis Lutherani permixti viuunt, permitti solet, vt hi in locis sacris sepeliantur à ministris suis. Si tamen possibile esset, talis consuetudo tolli deberet, & curandum, vt Catholici separatum sepulturæ locum retinerent. Ibid.

Id minus dubitationis habet, quòd Lutheranorum funera cognati, & amici Catholici comitari solent, cùm id necessitudinis causa fiat, & potiùs ad politicam communicationem spectet. §. Id verò.

Si corpus defuncti in Ecclesia, ad quam iure non pertinebat, sepultum fuerit, exhumari, & alteri Ecclesiæ inferri debet, cum omnibus oblationibus, si petantur. Suprà. cit. c. 12. n. 12. §. Similiter.

Portio canonica duplex est: Vna Episcopalis, quæ debetur Episcopo ex legatis, & funeralibus oblationibus: Sed multis locis omnino in desuetudinem venit. Altera est portio parochialis, quæ Ecclesiæ parochiali, in qua aliquis de iure sepeliendus esset, debetur ex legatis, & oblationibus funeris, factis Ecclesiæ illi, in qua sepultura electa est, licet ea alioquin exempta sit, & hęc portio etiam varia est in varijs diœcesis, imò per consuetudinem omnino aboleri potest. n. 13.

Seruitus.

Triplex est seruitus: vna merè personalis, quæ à persona personæ debetur, videlicet ius, quod dominus habent mancipio. Altera est seruitus mixta, quæ à re personæ debetur, & ex triplex: vsusfructus, & vsus habitatio. Tertia est seruitus merè realis, quæ à re rei debetur, & diuiditur in vrbanam ac rusticam. lib. 3. tract. 1. cap. 9. num. 1.

Seruitus personæ tribus modis constitui potest, vel enim nascuntur serui, vel fiunt iure gentium per captiuitatem, vel iure ciuili per emptionem. eod. tract. 1. cap. 5. num. 9.

Partus sequitur ventrem seu conditionem matris, adeò, vt non considerato statu patris, ex serua seruus, ex libera liber nascatur: sin autem mater serua non sit, proles legitimè nata sequitur nobilitatem & familiam patris. Ibidem.

Ob fauorem libertatis statutum est, vt siue mater solo tempore conceptionis, siue tempore natiuitatis, siue intermedio libera, aut libertati donata fuerit, proles ingenua nascatur. Ibid.

Quicquid seruus acquirit, domino suo acquirit, nisi quippiam ipsi ea conditione datum fuerit, vt proprium eius esset. Sed & ipse dominus, si aliquid tali pacto donet seruo, vel aliter cum illo paciscatur, in conscientiæ foro obseruare tenetur. n. 10.

Serui fugere possunt à dominis suis, si in periculo animæ apud ipsos versentur, neque reuerti debent, dum periculum tale durat. n. 11.

Per consuetudinem temporis diuturnitate stabilitam inter Christianos receptum est, vt si ipsi inter se bellum gerant, capti capientium serui non efficiantur. §. Alter. & l. 2. t. 3. c. 12. n. 16.

Homo liber vendi non potest; nisi quòd pater filium, aut filiam in sua potestate constitutam ob grauissimam necessitatem vendere possit. Si tamen pater postea ad meliorem fortunam reueniat, cogitur filium redimere: quin

& seipsum aliquis in necessitate vendere non prohibetur. l. 3. t. 4. c. 17. n. 31.

Alius titulus est, quo dominium in hominem acquiri potest, videlicet per sententiam Magistratus, qua aliquis ob delictum in seruitutem alterius redigitur. l. 3. t. 1. c. 5. n. 9. In fine.

Seruus à domino prohiberi non potest, quominus matrimonium contrahat: sed debita seruitia dominus nihilominus exigendi ius habet. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 2. num. 4.

Coloni originarij, & ascriptitij non sunt propriè serui, sed magis liberi homines. eod. c. 2. n. 5.

Ius seruitutis aduersus personam nullo tempore vsucapi potest: seruitus autem mixta cum bona fide, & titulo, decem annis inter præsentes, viginti inter absentes, sine titulo autem XXX. annorum spatio per præscriptionem comparatur. eod. l. 3. t. 1. c. 9. n. 1.

Seruitutes reales vrbanæ dicuntur, quæ ædificijs, & annexis hortis, atque areis inhærent. Diuiduntur in affirmatiuas, & negatiuas. Affirmatiuæ sunt v. g. vt ædium mearum stillicidium recipias, vt ex domo mea in domum tuam transitus sit. Negatiuæ sunt, ne ædes tuas attollere possis, vel ædificando luminibus meis officere. num. 2.

Seclusa seruitute per pactum, aut præscriptionem constituta, cuiuis liberum est ædes suas altiùs tollere, nisi certus modus ædificandi statuto definitus sit. Cuiuis etiam liberum in pariete suo, non alieno, fenestram facere, aut quiduis construere, nisi id faciat ad æmulationem, vel despectum vicini. quod in dubio non præsumitur, quando quis iure suo vtitur. eod. n. 2.

Seruitutes rusticæ dicuntur, quæ agris & pratis inhærent, item pecorum stabulis, quæ à domibus seiuncta sunt: talis seruitus est, vt per agrum tuum transire, iumenta, vel currus agere liceat, quæ dici solent iter, actus, via. eod. n. 2. In fine.

Seruitus tum vrbana, tum rustica, diuidi solet in continuam, & discontinuam: continua seruitus est, quæ, quatenus est ex se, continuum actum siue vsum habet; vel re ipsa, vel animi præparatione: vt seruitus aquæductus, tigni suscipiendi, stillicidij admittendi. Discontinua verò seruitus est, quæ ab hominum actione pendet, v. g. iter, actus, aquæ haustus, arenæ fossio: quidam annumerant pastum pecorum, & ius venandi in alieno fundo. n. 3.

Seruitus realis, si continua, vel quasi continua sit, præscribitur cum bona fide decem annis inter præsentes, viginti inter absentes. Neque requiritur titulus, attamen scientia & patientia domini liberè permittentis aliquem tali iure in præiudicium suum vti. num. 4.

Necesse tamen est ad possessionem iuris, seu seruitutis in re aliena acquirendam, vt ex circumstantijs appareat, quòd alter non ex mera gratia aliquid fieri patiatur, sed quasi ita debitum sit: nam per actus gratuitæ voluntatis non inducitur possessio iuris, consequenter nec præscriptio. Ibidem.

In dubio ex diuturna & ordinaria v. g. quotannis recurrente præstatione rei, præsumitur obligatio & debitum. Ibidem.

Seruitus affirmatiua, si discontinua sit, cum titulo præscribitur tempore ordinario, sine titulo autem tempore immemoriali, cum bona fide. n. 5.

Iura personalia, v. g. confirmandi Prælatum, collectam exigendi ab extraneis, comparantur per præscriptionem temporis ordinarij, videlicet XL. annis contra Ecclesiam, contra alium X. vel XX. annis cum titulo; XXX. autem sine titulo. eod. n. 5. §. Id verò.

Seruitutes reales negatiuę eodem tempore vsucapiuntur, quo affirmatiuę. Id solùm peculiare est, quòd possessio seruitutis negatiuę non antè acquiritur, quàm dominus in re sua aliquid agere conetur, v. g. fenestram in pariete suo aperire, & ego illum bona fide impediam, illéque acquiescat. Eadémque ratio est de alijs iuribus in negatione consistentibus, v. g. vt aliquis ad electionem non admittatur, in tali loco non venetur, piscetur. n. 6.

Si aliquis ad electionem, aut præsentationem admittatur, quasi ius habeat, ex eo tempore incipit possidere v. g. ius suffragij: quare talis possessio per vnicum actum cum bona fide, & alterius scientia, ac patientia, acquiri potest. Ibid.

Si tu sciente Titio, ac patiente, ad Ecclesiasticum beneficium Clericum bona fide præsentasti, XXX. annorum spatio contra Titium præscribere potes: Sin autem Titio patrono absente, ac nesciente præsentasti, non ideo existis in possessione sufficiente ad inchoandam præscriptionem, eò quòd Titius ciuiliter adhuc possidere censeatur: quare hoc casu opus erit tempore immemoriali. Ibid. in Coroll.

Vsusfructus, & seruitutes rusticæ per solum non vsum tolluntur, non item seruitutes vrbanæ: sed necesse est contrarium seruituti actum bona fide exerceri: v. g. si ædes tuæ immissi tigni seruitutem debeant, & ego tignum exemero, non antè amitto ius meum, quàm tu foramen obturaueris, & per tempus constitutum ita habueris. num. 7.

Probabilius est, contra ius venditori absolutè, & in perpetuum concessum redimendi rem venditam XXX. annis non præscribi, nisi venditor redimere volens bona fide repulsus fuerit. Ibid.

Si ius seruitutis quotidianum vsum non habeat, sed vt aquam v. g. ex fundo alieno certis mensibus, vel tantùm æstate ducere possis, tunc tempus duplicatum, videl. XX. annorum inter præsentes requiritur ad hoc, vt tali iure per non vsum eius via præscriptionis spolieris §. Secundò.

Simonia.

Simonia à Simone Mago hęretico appellata fuit: tamen sine hęresi in praua voluntatis affectione consistere potest. l. 4. t. 10. c. 8. n. 1.

Simonia est studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. n. 2.

Simonia est species quędam sacrilegij iuri naturali repugnans, supposita fide, & reuelatione spiritualium donorum: quatenus res sacra ita vilis reputatur, vt veluti venalis proponatur. n. 4.

Peccatum simoniæ veniale fieri non potest ob materiæ leuitatem, sed solùm ob actus imperfectionem, propter ignorantiam. Ibid. §. Addit.

Simonia interdum etiam iustitiæ repugnat ex parte vendentis, si in compensationem rei, quatenus pręcisè spiritualis est, temporale aliquid accipiat. n. 5.

Simonia alia est ex iure naturali, alia ex Ecclesiastica tantùm constitutione: & hæc simonia licet sit peccatum irreligiositatis, tamen non est propriè simonia. eod. cap. 8. n. 61. & 66.

Officia quędam Ecclesiæ quamuis circa res temporales sint, Ecclesiastico iure vendi prohibentur. Secularia autem officia vendere, licet per se iniustum non sit, tamen minùs consultum est, & Reipubl. plerùmque perniciosum. n. 62. & 63.

Papa simoniam incurrere potest, pręsertim contra ius naturale, ac diuinum. n. 64.

Officiales in Curia Romana non minùs, quàm aliorum Ministri, simoniam committere possunt, si pro data, aut promissa pecunia aliquid spirituale impetrent, quamuis pro labore accidentaliter coniuncto aliquid sine vitio simoniæ accipi possit. n. 65.

Simonia alia mentalis est, alia conuentionalis, & alia, realis. Mentalis simonia dicitur, quæ in externum quidem opus transit, sed simoniaca affectio & intentio animo inclusa manet, & foris nec per se, nec per adiuncta apparet. Conuentionalis simonia dicitur, quæ in pactio-

nem expresſè, vel tacitè tranſit, ſed reali traditione non conſummatur, ſicuti ſimonia quę realis dicitur. n. 67.

Simonia conuentionalis eſt veluti media inter mentalem & realem: nam mentali ſuperaddit externam pactionem expreſſam, vel virtualem, realis autem ſimonia conuentionali ſuperaddit executionem ſeu traditionem rei, idque vel ex vtraque parte, quę ſimpliciter realis dicitur, vel ex parte vnius tantum contrahentium, quæ eſt ſimonia mixta. eodem num. 67. §. Ex quibus.

Simoniæ pretium.

Sicuti verbum emendi ac vendendi in definitione ſimoniæ latè accipi debet, vt comprehendat omnem commutationem, ſeu contractum reciprocum ita & nomen pretij latè accipiendum eſt, vt comprehendat omnem rem temporalem æſtimabilem, aut vtilem, quæ viciſſim ſeu reciprocè pro re ſpirituali datur, vel accipitur. eod. cap. vlt. §. II. in principio.

Pretium ſimonię diuidi ſolet in munus à manu, munus à lingua & munus ab obſequio: vbi nomen *munus* non ita accipiendum eſt, vt ſignificet donum gratuitum, ſed potiùs debitum iuſtitiæ commutatiuæ, adeóque grauamen aliquod ac onus. n. 25.

Per munus à manu intelligitur quæcunque res pretio ęſtimabilis, item debiti remiſſi, ſolutionis dilatio, mutui datio &c. Per munus à lingua intelligitur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expreſſi, vel taciti, vt res ſpiritualis viciſſim conferatur. Per munus ab obſequio intelliguntur quæcunque ſeruitia pręſtita, vel præſtanda ſub obligatione conferendi rem ſpiritualem. num. 25. & 26.

Si pactum nec expreſſè, nec implicitè interueniat, non eſt ſimonia precibus, obſequijs, muneribus hominem commouere ad dandum aliquod ſpirituale v. g. Eccleſiaſticum beneficium, quamuis ſępe periculo non vacet. eod. num. 26. §. Verùm.

Neque ſimoniacum eſt conferre rem ſpiritualem, v. g. beneficium, propter amicitiam, conſanguinitatem, aut actualem iniuriam tollendam: ſecùs eſt, ſi ab eo qui moleſtus eſt, exigatur promiſſio impoſterum nullam moleſtiam, aut vexationem inferendi. n. 27. & 28.

Per ſe loquendo, non videtur eſſe ſimoniacum conferre Eccleſiaſticum beneficium debitori iniuſtam moram trahenti, ſub conditione præſentis vexationis ſtatim amouendę. Idémque eſt in contractu mutui: quamuis in talibus affectio vſuraria, aut ſimoniaca facilè admiſceri poteſt, & plerumque id ſcandalo non vacat. n. 29.

Spectatâ rei naturâ, non eſt ſimoniacum rem ſpiritualem in pro ſpirituali commutare, v. g. ſacras reliquias pro reliquijs. n. 7.

Neque ſimonia eſt, rem temporalem remunerationis cauſa offerre, aut dare ei, qui ſpirituale exhibet: ſed propter periculum talia interdum Eccleſiaſtico iure prohibentur. n. 8.

Si antidoralis remuneratio pro exhibita re ſpirituali in obligationem pacti deducatur, ſimonia committitur. num. 9.

Qui beneficium Eccleſiaſticum alicui confert, aut qui pecunias mutuò dat, generaliter monere poteſt, vt gratum ſe exhibeat is, cui datur: ſed nulla noua pretio æſtimabilis obligatio imponi debet. num. 10.

Simonia non eſt, promittere, aut donare alteri rem temporalem ſub conditione, aut modo, vt ab illo opus ſpirituale pręſtetur, non tamen per modum retributionis, aut commutationis: ſic v. g. parentes filijs munera promittunt, ſi ſacramenta frequentauerint. n. 11.

Caueri tamen debet, ne conditio ſit de dando, aut faciendo aliquid in vtilitatem dantis, vel promittentis, ſed neque alterius perſonæ, cuius ille quaſi vicem ſubeat: nam ſic conditio re ipſa tranſiret in commutationem, & quidem ſimoniacam, ſi verſetur circa opus ſpirituale pro re temporali: v. g. ſi mihi, vel amico meo ſacras reliquias dederis, dabo tibi decem aureos. numero 11. §. Neque.

Spectatâ rei natura, non eſt ſimoniacum, præſtare alteri officium ſpirituale, v. g. ſacras reliquias exhibere principaliter propter ſperatam eleemoſynam. Simile eſt, ſi Clericus propter diſtributiones tanquam finem principalem in eccleſiam veniat: quamuis hæc ordinatio voluntatis operantis ſpirituale principaliter propter finem lucri temporalis, culpa venialis exiſtat. num. 12.

Clerici miniſtrantes fidelibus ſpiritualia ab ijs temporalia accipiunt, vt iuſtum ac debitum vitæ ſtipendium, & non vt meram eleemoſynam. num. 13. & 14.

De ſtipendio ſibi debito Clericus paciſci poteſt, modò abſit exactio ſpeciem auaritię, aut ſimonię pręſeferens. num. 15.

Speciale id eſt in Societate I E S V, quòd pro officijs ad proximum erudiendum, vel ſpiritualiter adiuuandum exercitis nullum temporale ſtipendium, vel eleemoſynam ſeu in communi, ſeu in particulari accipere poſſit. n. 17. & ſeqq.

Si Miniſter in caſu neceſſitatis ſacramentum miniſtrare non velit, niſi oblata ipſi pecunia, non eſt illicitum dare ad redimendam iniuſtam vexationem, numero 21.

Qui in beneficio Eccleſiaſtico ius acquiſitum habet, altera perſona quacunque eum iniuſtè vexante, vexationem hanc pecuniâ redimere non prohibetur: Sin verò ius plenè acquiſitum non habeat, ſimoniam ſaltem iuris poſitiui committere cenſetur, offerendo pecuniam tali perſonę, quæ per ſe, ac directè eius promotionem impedire vult. n. 22.

Simoniacum non eſt, neque illicitum, offerre pecuniam electoribus, ne exequantur propoſitum eligendi perſonam indignam. n. 23.

Non eſt ſimoniacum in abſolutione, vel diſpenſatione exigere pecuniam, non vt pretium pro collata facultate, ſed vt pœnam ſeu mulctam. n. 24.

Res ſpiritualis, quæ materia ſimoniæ eſt.

Doctrinam ſeu inſtructionem ſcientiarum, etiam Theologiæ, pro mercede locare, & quaſi vendere, non eſt ſimoniacum, nec illicitum, per ſe loquendo. eod. t. c. vlt. num. 30.

Pro Doctoratu, & collata licentia docendi in Theologia &c. ſine labe ſimoniæ aliquid tanquam pretium exigi poteſt. n. 31.

Pro officio prædicationis, aut exhortationis ſpiritualis aliquid accipere vt pretium operis, ſimonia eſt. numero 32.

Ludimagiſtri tamen pro puerorum inſtructione, & catechiſmo ediſcendo ſalarium accipere poſſunt. Ibid. § Loquor.

Gratiæ gratis datæ, vt ſanitatis, prophetiæ, item gratia ſanctificans, & ſacramenta nouæ legis atque ſacramentalia omnia propriè ſunt materia ſimoniæ. n. 33.

Vendere ſacram Euchariſtiam, præſertim infideli, aut venefico, grauiſſimum ſcelus eſt. n. 35.

Pro iure ſepulturæ aliquid accipi poteſt, ſi ſponte offeratur, item vigore conſuetudinis. n. 36.

Materialia eccleſiæ, item obligatio certum locum tenendi in eccleſia ad ſepeliendum, vel ad ſedendum, prætio æſtimabilia ſunt, & vendi poſſunt. n. 37.

Officia diuina, & quælibet orationes, etiam priuatæ, ſine vitio ſimoniæ non poſſunt venire in commutationem pro re temporali. n. 38.

Cùm pauperibus pecunia datur ea lege, vt orent ſecundùm intentionem dantis, interpretandum id eſt per modum ſtipendij ac ſuſtentationis. Ibidem §. Quod verò.

In ſuſceptione Monialium aliquid recipi poteſt tanquam dos ad perſonæ ſuſtentationem neceſſaria: alioquin verò pro ſuſceptione ad ſtatum religioſum quip-

piam accipere simoniacum est, nisi sponte ac liberaliter offeratur. n. 39.

Omnis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, v. g. conferre beneficium, ad id eligere, præsentare, dispensare absoluere, materia simoniæ est. n. 40.

Labor corporis qui in spiritualibus officijs per se exercendus est, secundùm specificam rationem æstimari non potest, sed qui per accidens coniuncti sunt labores, molestiæ, impensæ, eæ in compensationem venire possunt. num. 41.

Pro ministerio sacro non datur propriè pretium operis, alioquin tantò plus deberetur, quantò dignus ministerium est: sed datur stipendium pro sustentatione personæ operantis. n. 30. & 42.

Omissio iurisdictionis spiritualis, seu Ecclesiasticæ potestatis, tunc materia simoniæ est, quando ob illam omissionem homo auctoritatiuè obligatur, aut detinetur. num. 43.

Simonia in beneficijs Ecclesiasticis.

Hæc simonia in beneficijs videtur esse contra ius diuinum. n. 44.

Prouentus beneficiorum Summus Pontifex à titulo spirituali per plenitudinem potestatis suæ separare potest, & vendere sine vitio simoniæ. n. 45.

Annatam seu fructus primi anni ex beneficio, spectato iure communi, solus Pontifex sibi deposcere potest: sed per consuetudinem etiam Episcopi quibusdam locis primorum fructuum nomine aliquid à primotis postulant. num. 46.

Pensiones illæ, quæ propriè clericales seu Ecclesiasticæ sunt absque vitio simoniæ emi, aut vendi non possunt. num. 4.

Pensiones mixtæ, id est quæ Clericorum proprię sunt, non tamen ob sacrum ministerium designatę, sed v. g. ob litis compositionem, Parochi senium, emi non possunt quamuis redimi possint. n. 48.

Non est simoniacum, Vicario minuere onus redituum dandorum principali, cum pacto voluntariè ab ipso acceptando, vt in ingressu annatam soluat. n. 49.

Permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum si propria pactione fiat abque Episcopi auctoritate, irrita est, & simoniaca, ob Ecclesiastici iuris prohibitionem: partes tamen non prohibentur priùs tractatum instituere de permutatione, quę Ordinarij auctoritate perfici debeat. num. 50.

Omnis commutatio rei spiritualis cum altero spirituali habente annexum temporale simoniaca censetur Ecclesiastico iure: quia semper periculum & suspicio est, ne id fiat intuitu rei temporalis, adeóque per rem temporalem compararetur ius spirituale. n. 51.

Episcopus approbare potest permutationem beneficij cum pensione clericali, non quidem ordinariè, sed in casu speciali alicuius necessitatis. n. 52.

Expensæ, quæ de iure faciendæ sunt in permutatione beneficiorum, propria auctoritate in pactum deduci possunt, sed non aliæ. n. 53.

In permutatione beneficiorum inæqualitas fructuum impositione annuæ pensionis compensari potest interueniente auctoritate Papæ, non item Episcopi, excepto casu extraordinariæ necessitatis. n. 54.

Orta lite beneficiaria possunt eam partes amicabiliter inter se componere, non autem propriè transigere: in alijs tamen rebus spiritualibus præter beneficia, nihil impedit transactionem fieri inter partes, tamen sine interuentu rei temporalis. n. 56. 57.

Omnis pactio in Ecclesiasticis beneficijs, quæ propria auctoritate fit, tanquam simoniaca damnatur. n. 58.

Episcopus, & Iudex delegatus parti litiganti per modum transactionis adiudicare potest pensionem annuam in compensationem expensarum, vel ad vitæ necessariam sustentationem. n. 59.

Ius patronatus spectato etiam iure diuino videtur esse materia simoniæ. n. 60.

Simoniæ pœnę, & restituendi obligatio.

Pœnæ simoniacis decretæ intelligendæ sunt duntaxat, si simonia ex vtraque parte per traditionem completa sit, quia pœnæ, præsertim graues, strictæ interpretationis esse debent, ideóque de actu omnino completo. num. 68.

Simoniacè prouisus seu beneficium assecutus si post temporis interuallum pretium numerauit, non videtur obligatus ad restitutionem fructuum antè perceptorum, neque ad resignationem alterius beneficij, quod in dicta simonia nondum omnino completa, & consequenter excommunicatione actualiter non ligatus, acceperat. eod. n. 68. in fine.

Nulla simonia iuris pœnam ipso facto inducit, nisi ea quæ est in Religionis ingressu, ordine, ac beneficio ecclesiastico. num. 69.

Raro propter datum aliquid in ingressu Religionis, etiam virorum, simoniæ vitium incurritur, & non nisi secuta professione. n. 70.

Propter simoniacam collationem & susceptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ, incurruntur censuræ excommunicationis, & suspensionis, quæ Sedi Apostolicæ reseruantur. num. 71.

Propter simoniam realem, & completam in beneficio Ecclesiastico contrahitur etiam excommunicatio Papæ reseruata, & electio, presentatio, confirmatio, institutio irrita est, nihil obstante quod electus, prouisus &c. id ignorauerit, excepto si in fraudem pecunia data fuerit, vel si ille expresè contradixerit. n. 72.

Simoniacè electus, aut prouisus inhabilis efficitur, quominus per dispensationem Episcopi idem beneficium consequi possit. 73.

Beneficium simoniacè obtinens alijs beneficijs iure non priuatur, neque inhabilis fieri videtur ad alia obtinenda ante Iudicis sententiam. n. 74.

Qui simoniacè vendit, ac tradit rem spiritualem, in qua nullum temporale ius, vel commodum habet, acceptum pretium restituere debet danti: quia sicut in vsura non est titulus transferendi dominium, ita nec in simoniaca pactione. n. 79. & 80.

Qui simoniacè, vendit rem spiritualem, in qua temporale ius siue commodum habet, is pretium, spectato naturali iure, retinere potest ante condemnationem: quare qui ius patronatus simoniacè vendit, non obligatur ad restitutionem pretij. n. 82. & 83.

Qui ob electionem, aut promotionem ad beneficium simoniacè quippiam accepit, satisfacit, si danti restituat. num. 84.

Vtrum restituto pretio simoniacè dato etiam res spiritualis vicissim reddi debeat, varia consideratio est. num. 85.

Simonia confidentiæ.

Simonia confidentialis à Summis Pontificibus damnata est contra eos, qui Ecclesiasticum beneficium alicui procurant, cum certa confidentia, id est, expresso vel tacito pacto, vt is cui procuratur, elapso aliquo tempore, ei qui procurauerat, vel alteri resignet, aut pensionem vel fructus ex eo præstet. num. 75.

Simonię confidentiali plures pœnæ canonicæ decretæ sunt. n. 76.

Beneficium simoniacè renuntians non perdit illud ipso iure, cùm renuntiatio sit irrita. n. 77.

Mediator simoniacus non incurrit censuram, nisi simonia, etiam confidentialis, opere completa fuerit. n. 78.

Societatis contractus.

Est conuentio plurium ad commune lucrum, & damnum, pro portione rerum contributarum. l. 3. tract. 4. c. 20. num. 1.

Famulis conductitijs plerumque minus stipendij loco designatur, quàm si aliquis tanquam socius negotiationis asciscatur. eod. n. 1.

Licet ſpectato contractu ſocietatis ſecundùm ſe, periculum ſortis ad eum ſpectet qui contulit, tamen nihil prohibet, pactum aſſecurationis adiungi, ita vt periculum alter in ſe ſuſcipiat, modò hoc grauamen ipſi compenſetur. num. 2.

Societas interdum tali modo inſtituitur, vt vnus ſociorum pecunias tantùm, alter verò laborem & induſtriam conferat: tum verò prudentis viri iudicio æſtimandum eſt, quantum momenti ad lucrum acquirendum habeant, hinc quidem collata ſors, illinc verò collata induſtria. num. 3.

Etiam pecora quandoque dantur in ſocietatem cum pacto aſſecurationis, vt eorum caſus fortuitus paſtori incumbat, modò illi hoc onus compenſetur, minorem fructuum portionem exigendo, quàm alioquin exigi poſſet. num. 4. §. Vlterius.

Iſte contractus vſurarius præſumitur, ſi Titius tibi tradat centum vaccas æſtimatas, tali pacto, vt liceat tibi eas diſtrahere, abſumere arbitratu tuo, poſt triennium verò, quomodocunque res eueniat, ſimiles vaccas, earúmve æſtimationem reddere cogaris, atque interea quotannis penſionem ſoluere. eod. n. 4. in fine.

Impendia, quæ ſocius occaſione ſocietatis fecit, à reliquis ſocijs ſecundùm proportionem rependi debent, v. g. quæ in itenere expendit, aut ſi in latrones incidit, & proprium damnum paſſus eſt, modò id factum fuerit cauſa ſocietatis, & ſine dolo, aut culpa, etiam leui illius. n. 5.

Si impendia ad mercium v. g. conſeruationem excommunibus bonis ſocietatis non ſuppetant, lex iuſtitiæ poſtulare videtur, vt ſocius negotiator ex proprijs bonis mutuò det, poſtea à ſocijs recepturus. ibidem. Dubio II.

Socius ratione ſocietatis conuentus non ampliùs obligatur, quàm commodè facere poteſt, habita ratione ne egeat, niſi dolo egerit quominus integrè ſatisfacere poſſit: præterea cauere debet ſocius, ſe integrè ſatisfacturum, cùm ad meliorem fortunam venerit. num. 6.

Si aliqui côueniendus aut condemnadus ſit in id quod facere poteſt, intelligitur hoc non deducto ære alieno, excepto donatore, qui ſi rem donatam nondum tradidit, in quantum facere poteſt, condemnatur, deducto ære alieno. Cùm enim ex mera liberalitate debitor ſit, benignùs cum eo agitur, quàm cum alijs. ibidem.

Societatis contractus ſoluitur I. ceſſante negotio, aut pereunte re, in qua ſocietas fundatur. II. elapſo tempore, ad quod ſocietas inita eſt, niſi ſocij in communione perſiſtere velint. III. morte vnius ſociorum ſoluitur ſocietas etiam inter alios ſocios, niſi aliter cautum fuerit. IV. renuntiatione expreſſa, aut tacita. V. publicatione, aut ceſſione bonorum vnius ex ſocijs. num. 7.

Ad hæredem adeò non tranſit ſocietas, vt neque paciſci ab initio poſſimus, quòd hæres ſuccedere debeat. Idque propter vitandas lites, quas bonorum ſocietas parere ſolet. ibid.

Sortes.

Aliqui exiſtimant, Apoſtolos orbem terrarum ad Euangelium prædicandum ſortibus diuidiſſe. Et S. Auguſtinus ait, tempore peſtis ſortibus dirimendum eſſe, quis ex Sacerdotibus periculum ſubiturus ſit. l. 4. tract. 10. cap. 3. num. 8.

Si plures morte digni ſint, ob commiſſum crimen, neque expediat omnes puniri, ſorte definiri poteſt, quis ex illis occidendus ſit. quod in militia receptum eſt. Simili certo periculo communis naufragij impendente, niſi aliqui nauigantium eijciantur in mare, ex communi conſenſu ſorte dirimi poteſt, quinam exilire debeant. Quòd ſi aliquis iuſtæ huic pactioni conſentire nolit, tunc eo etiam inuito Nauarchus, vel alij ſortiri poſſunt, & ſortis euentum exequi. eod. num. 8.

Iure canonico prohibita eſt omnis electio, & compromiſſio ad officia, vel beneficia Eccleſiaſtica, quæ ſortibus vt: eáque reſcindi debet, imò ipſo iure irrita eſt ſaltem ea electio, per ſortes, quæ fit ad paſtorale officium, ac dignitatem. num. 9.

Si dubitetur, vter duorum verè electus ſit ad Romanum Pontificatum, talis diſcordia ſortibus componi poſſe videtur. ibid.

Spes Theologica.

Spes Theologica, ſicuti & Fides, in viatore tantùm locum habent, non in comprehenſore. l. 2. t. 2. c. 1. n. 1.

Spes Theologica, quatenus conſideratur in ordine ad omnes eius actus, pro materiali obiecto habet omne bonum, quod ſupernaturali lumine nobis diuinitus prouenire cognoſcimus: pro formali verò odiecto habet ſummam Dei erga nos bonitatem ac benignitatem. n. 2.

Inter idem ac Spem Theologicam magna analogia ſeu proportio eſt. Quatenus Spes Theologica ſtrictè accipitur in ordine ad actum ſperandi propriè dictum, formale illius obiectum *ſub quo* eſt, ſumma Dei promittentis fidelitas. n. 3. & 4.

Rectè docuit S. Thomas, obiectum formale Spei ſtrictè ſumptæ (videl. quatenus definitur, expectatio certa beatitudinis, ex Dei gratia, & noſtris meritis) eſſe diuinum nobis promiſſum auxilium. n. 5. & 6.

Gratia Dei principalior cauſa ſperandi eſt, quàm noſtra merita, cùm ea ipſa ſint ex Dei gratia. n. 7.

Certitudo Spei, ſiue infallibilis expectatio promiſſæ beatitudinis, non eſt abſoluta, ſed conditionalis, ſi iuſtè certauero, & vſque ad finem perſeuerauero. quod cum Dei auxilio mihi promiſſo præſtare poſſum. n. 8.

Datur tamen in hominibus pijs moralis certitudo Spei anxietatem excludens. n. 9.

Pręceptum Spei non omni tempore, ſed certis caſibus obligat, ſicuti & pręceptum Fidei exercendæ. c. 2. n. 1.

Spei ſecundùm exceſſum aduerſantur peccata præſumptionis. Eſt autem pręſumptio vna ex ſpeciebus peccatorum in Spiritum ſanctum, quę irremiſſibilia dicuntur. num. 2. & 3.

Virtuti Spei ſecundùm defectum opponitur deſperatio. eod. n. 3. §. Secundum.

Amiſſa Fide per Apoſtaſiam, vel hęreſin, amittitur etiam Spes: non autem amiſſa Spe ſemper perditur Fides. Interim negari non poteſt, quin deſperatio, ſi non ex infidelitate, ſaltem ex aliqua Fidei infirmitate proficiſcatur: quamobrem animus hominis deſperare volentis ante omnia in Fide confirmandus eſt, erigendúſque ad conſiderandam miſericordiam & dilectionem Dei erga nos. num. 4.

Peccata tum præſumptionis, tum deſperationis non poſſunt eſſe venialia ex obiecto, ſiue ob materiæ paruitatem. n. 5.

Sodomia.

Qui crimen Sodomiæ exercent, ſeu frequentant, ipſo iure incurrunt priuationem officij, ac beneficiorum, quin & degradari debent. l. 1. t. 5. p. 3. c. 5. n. 2. & 6.

Sponſalia.

Alia de præſente ſunt, videl. matrimonium ratum, & alia de futuro, quæ definiuntur: mentio, ac repromiſſio futurarum nuptiarum. l. 5. t. 10. p. 1. c. 1. n. 1.

Nomine ſponſorum plerumque intelligi ſolent, qui matrimonium non contraxerunt, ſed promiſerunt: nomine autem vxoris & mariti intelliguntur, qui matrimonium contraxerunt, ita tamen, vt in materia fauorabili comprehendantur etiam ſponſi de præſente, nondum conſummato matrimonio non item in materia odioſa, niſi ex adiunctis aliud colligatur. ibid.

Sponſalia numerantur inter contractus, qui vltro citróque obligationem pariunt: quare ſi Titius animo contrahendi ſponſalia promittat nuptias Caiæ, hęc autem promiſſionem acceptet, ſine repromittendi propoſito, nec Titius, nec Caia ad nuptias obligantur in conſcientiæ foro. num. 2.

Si tamen aliquis abſoluta, & gratuita promiſſione ſe obliget mulieri ad ducendam ipſam, cùm ipſa voluerit, &

mulier promissionem acceptet, nihil vicissim promittens, solus vir obligabitur. ibidem. §. Dixi.

Si quis promittat puellę, se aliam non ducturum, nisi ipsam, non est hac obligatio sponsaliorum: oritur tamen conditionalis obligatio, vt si aliquam ducturus sit, hanc ducat, modò ipsa voluerit. ibid. Corol. 2.

Sponsaliorum contractus quamuis priuatim, & sine testium solemnitate peractus sit, sub peccato mortali obligat promittentes. n. 3.

Iudex Ecclesiasticus à sponsalibus absque iusta causa recedere volentem altero sponso inuito, post canonicam monitionem, etiam censuris ad nuptias compellere potest, ac debet, nisi infelices exitus ex matrimonio secuturi videantur. n. 4.

Posteriora sponsalia contra priorum sponsaliorum fidem inita, tametsi iurata sint, valorem nullum habent: Sed matrimonium post sponsalia cum altera contractum, quamuis iniustum, tamen validum est. n. 5.

Si ex violatione priorum sponsaliorum exiguum incômodum futurum sit, vt quia clàm celebrata sunt; contrà verò grauis infamia timeatur secundæ sponsæ, quæ priorum sponsaliorum ignara in copulam consensit spe matrimonij, præsertim si etiam prolem concepit; tali casu Iudex interdum stabit pro sponsalibus secundis: imò etiam in foro conscientiæ, si causa manifesta sit, ante sententiam Iudicis secunda duci poterit. eod. n. 5. §. Tertia.

Interdum per accidens, quia priora sponsalia sine testibus celebrata fuerunt, & alia probatione destituuntur, seruanda erunt posteriora sponsalia, coram parocho, aliisve testibus celebrata. ibid. §. Secunda.

Fornicatio sponsæ cum altero viro soluto adulterij crimen non continet, & fortasse nec mortalem malitiam sub genere iniustitiæ, sed tantùm sub genere luxuriæ. num. 6.

Contractus sponsaliorum magnam animi libertatem, & spontaneum consensum requirit. n. 7.

Pœna adiecta ei qui à sponsalibus recesserit, soluenda non est, si sponsus iustam resiliendi causam habeat: secùs esse videtur, si sine iusta causa recesserit. n. 8.

Pactum lucratiuum sponso, adiectum ab altero contrahente, si cum ipso matrimonium contraxerit; v. g. *si tibi nupsero, decem dare spondes?* tanquam iure inualidum rescinditur, ne matrimonia turpi quæstu comparata censeantur. num. 9.

Qui simulato animo matrimonium promisit, per se loquendo non obligatur ad nuptias: debet tamen puellæ deceptæ, si damnum passa fuit, secundùm iustitiæ æqualitatem facere compensationem. n. 10.

Qui ficta nuptiarum promissione puellam in copulam induxi, debet illam ducere; nisi tales circumstantiæ fuerint, vt mulier deceptionem aduertere debuerit. num. 11.

Si fictus matrimonij promissor deprehendat mulierem virginem non esse, quæ virgo credebatur, non obligatur ad nuptias, aut aliam faciendam compensationem, per se loquendo. eod. n. 11. §. Notant.

Liberi à parentibus neque ad contrahendum matrimonium cogi, neque à contrahendo impediri possunt: cùm in ijs quæ ad naturam corporis conseruandam, ac propagandam spectant, homo sui iuris esse debeat, ac soli Deo subiectus. n. 12. & l. 1. t. 4. c. 4. n. 14.

Si filius aut filia præsens sit, cùm pater, vel simili auctoritate præditus eam viro spondet, &, omni secluso metu, non contradicat, in externo foro censebitur consensisse, nisi contrarium ostendat. Sed in conscientiæ foro creditur asseueranti, sibi non fuisse animum contrahendi. cit. n. 12. aduertando I.

Liberi peccant, si parentibus inscijs, aut non consultis matrimonium spondeant, vel contrahant: nihilominus verò obligantur, nec à parentibus impediri possunt, quominus promissum matrimonium contrahant; præterquam in casu, quo scandala, & infelices exitus secuturi putantur; vt tale matrimonium etiam Iudex dissoluere debeat. n. 14.

Canonico iure cùm mas, tum fœmina ante expletum ætatis septennium ad sponsalia inhabiles censentur: quod si certis indicijs ostendatur, defunctum ætatis malitia, & præcoci ingenio suppleri, valida erunt: sicuti & vice versa, inualida censentur, quæ post legitimam ætatem septennij celebrata sunt, si rationis discretionem tunc abfuisse obstendatur. n. 16.

Sponsalia, quæ ob rationis defunctum irrita erant, superueniente rationis discretione per ratificationem expressam, vel tacitam, conualescunt. ibid. §. Tria.

Sonsalia ab vno, vel vtroque impubere contracta, partim rata sunt, partim suspensa: rata sunt, quia & impedimentum publicæ honestatis inducunt, & durante minore ea ætate resilire non possunt: non rata autem, sed suspensa sunt, quia cumprimum impubes factus est pubes, vel resilire, vel sponsalia ratificare debet, seu expressè tacitè: pubes autem, qui cum impubere contraxit, contractu stare debet, si alter velit. num. 17.

Si impubes pubertati propinquus sponsalia iuramento confirmarit, resilire ampliùs non potest. ibidem.

Si impuberes matrimonium contrahere intendentes, vtantur verbis de præsente, licet ob ætatis, & maturitatis defectum matrimonium non sit, censentur tamen sponsalia de futuro, qualia impuberes contrahere possunt. cit. num. 17. aduertendo 3.

Matrimonium clandestinè contractum post Concilium Trid. videtur habere vim sponsaliorum de futuro. num. 18.

Sponsalia mutuo contrahentium consensu dissolui possunt, quamuis iurata fuerint. Quarundam tamen Ecclesiarum consuetudo est, si sponsalia coram Parocho celebrata fuerunt, vt eorum dissolutio non permittatur, nisi causa priùs ad Episcopum delata. c. 2. num. 1. & 23.

Sponsalia soluuntur per Religionis ingressum, secuta professione. num. 2.

Si vnus sponsorum Religionem ingrediatur, censetur renuntiare sponsalibus, vt alteri statim resilire liceat: sin autem expectare malit, egressus ex nouitiatu sponsionem seruare debet. num. 3.

Sponsalia per votum ingrediendæ ac profitendæ Religionis penitus soluuntur; nisi sponsa siue de futuro, siue de præsente, grauem infamiam passura sit, vt appareat votum, quatenus in iniustum damnum cedit, Deo gratum non esse, nec obligatorium. n. 4.

Post votum Religionis ingrediendæ sponsalia validè celebrari non possunt: cum Deo priùs ius acquisitum in hominem transferri non possit. n. 5.

Sponsalia legitimè contracta non videntur dirimi per subsequens continentiæ votum simplex; cùm tale votum Deo gratum non sit, quod in hominis iniuriam cedit. num. 6.

Nihilominus tutus esse videtur in conscientia qui à sponsalibus præsertim clam celebratis, syncero animo amplectandi statum perfectiorem continentiæ resilierit: idque propter auctoritatem Doctorum sic opinantium. num. 7.

In foro autem externo talis compellitur ad viam tutiorem, vt vel sponsæ fidem seruet, vel Religionem ingrediatur: quanquam etiam permitti potest, vt sacrum Ordinem suscipiat. eod. n. 7.

Qui post contracta sponsalia inscia, vel inuita sponsa, Religionem ingreditur, vel sacrum ordinem suscipit, obligatus esse videtur ad resarcienda illi damna, quæ ob eam causam passa fuit v. g. in nuptiarum præparatione. num. 8.

Qui post sponsalia simplex continentiæ votum edidit; aut qui ante sponsalia edito continentiæ voto matrimonium postea contraxit, & consummauit, licet possit Religionem egredi, tamen non obligatur. ibid. §. Addendum.

Qui voto continentiæ obstrictus matrimonium licitè,

vel illicitè contraxit, à petitione debiti abstinere cogitur, priusquam ab Episcopo, vel priuilegiato dispensationem impetret, quæ in hoc casu propter periculum incontinentiæ facilè conceditur. n. 9.

Si sponsus, vel sponsa fornicationem committat, alter sponsus resilire potest. n. 10.

Si sponsa oscula, vel similes tactus impudicos ab altero viro admittat, aut si vim passa fuerit, iustę censentur hæ causæ illam repudiandi. n. 11.

Si vterque sponsorum fornicatus fuerit; non compensatur delictum delicto: quia turpior censetur esse fornicatio sponsæ, quàm sponsi. n. 12.

Si crimen sponsi aut sponsæ occultum sit, vt sine infamia non reuelari, nec in iudicio ostendi possit, priuatim moneri debet, vt sponsalibus renunciet: si nolit, etiam propria auctoritate resilire licebit; modò is, qui resilire vult, moralem certitudinem habeat; vt quia intellexit à teste oculato, omni exceptione maiore. ibid. ¶ Quæres.

Si sponsus post sponsalia in longinquas terras abeat, vt breui tempore rediturus non censeatur, sponsa liberatur obligatione: nisi ob causam necessariam discesserit, nullúmque sponsę incontinentiæ periculum, neque alia matrimonij contrahendi necessitas incumbat. n. 13.

Si sponsus ob causam voluntariam iustam discessit, biennio expectandus est, si intra prouinciam, triennio, si extra prouinciam moratur, veruntamen Ecclesiasticus Iudex tempus moderari potest, si sponsæ periculum incontinentiæ imminere intelligat. n. 14.

Si sponsus in alienam terram domicilium mutaturus se transferat, sponsa hoc ipso à sponsalibus liberatur. numero 15.

Sponsalia soluuntur, si elapsus sit terminus temporis; qui statutus erat ad obligationem finiendam, ita, vt nisi intra tale tempus nuptiæ celebrentur, resilire liceat. n. 16.

Si vnus sponsorum paratus fuit nuptias ante terminum elapsum celebrare, alter verò non paratus, tunc contractus sponsaliorum claudicat, & manet obligatio tantùm ex parte eius per quem stetit. n. 17.

Si notabilis mutatio accidat, seu graue aliquid superueniat, quod à principio existens meritò à sponsaliorum contractu absterruisset, iustam dat soluendi sponsalia causam. n. 18.

Tametsi tempore sponsaliorum extiterit causa soluendi sponsalia (v. g. morbus contagiosus, vel incurabilis, æs alienum, infamia, violata pudicitia in sponsa, magnæ sæuitiæ, crebra ebrietas in sponso) quæ probabiliter ignorabatur, eâ postea cognitâ, ius resiliendi manet. n. 19.

Si sponsus post cognitam causam resiliendi sponsam carnaliter cognoscat, censetur sponsalia ratificare n. 20.

Sponsalia etiam soluuntur per superuenientem affinitatem, spiritualem cognationem, aut aliud impedimentum dirimens. n. 21.

Si vxor, cum qua Titius contra Fidem primorum sponsaliorum, contraxit, moriatur, & prior sponsa in proposito suo permaneat, non videtur Titius obligatus ad eam ducendam: cum obligatio semel extincta non reuiuiscat. numero 22.

In donatione facta inter sponsos cum conditione à nuptijs pendente, æquiparatur illi donationi, quæ inter coniuges fit, & ante mortem donantis non confirmatur, valet tamen donatio quæ sponsæ simpliciter fit, tametsi eodem die nuptiæ secuturæ sint. l. 3. tract. 4. cap. 12. num. 11. §. Porrò.

Ipso iure irrita sponsalia censeri debent, quæ viuente adhuc coniuge cum alia persona contrahuntur. l. 5. t. 10. p. 4. c. 10. n. 7.

Stuprum.

Stuprum propriè virginum est illicita defloratio. Diuiditur in illud, quod per violentiam infertur, & in illud quod volenti ac consentienti: idque vel plena libertate, vel accedente fraude, metu. lib. 3. t. 3. p. 3. c. 13. in princ.

Stuprum non continet speciem peccati à simplici fornicatione distinctam, si absit dolus & ius. n. 1.

Stuprator virginis libere consentientis ad nullam damni restitutionem in conscientiæ foro obligatur, nisi cùm facinus occultum esset stuprator puellam non sine iniuria infamârit, tum damnum inde secutum filiæ, & parenti eius resarcire tenebitur. n. 2.

Stuprator puellæ per vim debet eam dotare, aut in vxorem ducere, & cum in alternatiuis debitoris electio sit; plerumque sufficiet dotare, nisi eam sub pollicitatione matrimonij vera aut ficta ad stupri consensum induxerit numero 3.

Si puella occultè stuprata nullum aliud damnum passa fuit, non videtur ille qui stuprauit, ad aliquam damni compensationem, ante Iudicis sententiam obligandus. n. 4.

Superstitio.

Superstitio est cultus falsi, sicuti Religio veri: falsitas autem vel est ex parte obiecti, quia non verus Deus colitur; sed falsus, vel est ex parte cultus, seu modi colendi verum Deum. l. 4. t. 10. c. 1. Principio.

Si error sit ex parte modi, vel est cultus falsus, vel superfluus. Falsus cultus iterum distinguitur: vel enim est cum ordine ad rem significatam; à qua discordat significatio cultus, vt si quis hodie Deum colere præsumat cæremoniâ agni Paschalis, per quam futura Christi Passio significatur: vel falsitas est ex parte colentis tantùm, vt si quis Deum colat tanquam publicus Minister, cum ab Ecclesia commissionem non habeat, vel talem non habeat. n. 2. & 4.

Ad hanc speciem superstitionis spectat, alienas reliquias pro reliquijs Sanctorum proponere, falsa miracula prædicare, vel scriptis mandare, anathemata offerre vt signa miraculorum, quæ non contigerunt: Et sunt hæ falsitates perniciosæ, ac mortales, ob quas minor fides alijs veris reliquijs & miraculis habetur. n. 3.

Superfluus cultus in eo consistit, quòd aliquis Deum colere aggrediatur eo modo, vel cæremonia, quæ nec ad Dei gloriam nec ad Spiritus deuotionem inseruit: idque vel quia ritus secundùm se inanis est, vt orandi ante solis ortum, certo numero, situ, colore cereorum, vel quia est contra ordinationem Ecclesiæ, v. g. in Missa plures formale cruces, quàm Ordinatum est. Et talis cultus superfluus si contemptus, & scandalum absit, culpa tantùm venialis est. num. 5.

Cantus in Ecclesia grauis, ac modestus esse debet: & in ea re grauiter peccari potest. ibid.

Superstitionis secundùm falsitatem ex parte obiecti tres species sunt: idololatria, diuinatio, & vana obseruatio. eod. c. 1. n. 1.

Idololatria dicitur seruitus, quę soli Deo debetur, alicui creaturæ exhibita. c. 2. n. 2.

Idololatria alia perfecta est, alia imperfecta, alia verò tantùm externa & simulata. n. 5.

Idolum est simulacrum falsum, seu rei non existentis species: quare differt ab imagine, quæ est vera rei similitudo, seu repræsentatio. eod. c. 2. n. 1.

Diuinatio est significatio occultorum ex pacto expresso, vel implicito cum dæmone. c. 3. n. 1.

Si quis à diabolo expresse, vel implicitè petat alicuius rei, quàm ille naturaliter scire non potest, v. g. actionis liberè futuræ, aut internę cogitationis certam cognitionem, grauiùs quidem peccat, & ad idololatriam propinquiùs accedit, tamen negari non debet, quin etiam cognitionem alterius rei à diabolo petere, quam ille naturali facultate comprehendere potest, sit verè peccatum superstitionis, ex genere suo mortale: v. g. si quis ope dæmonis scire cupiat occultum furti auctorem. n. 2.

Qui vanis & superstitiosis signis fidem habet, non iuuatur protestatione, quòd cum Dæmone societatem nullam inire velit, cùm protestatio eius facto contraria sit. n. 3.

Diuinatio per pactum cum diabolo expressum maiorem deformitatem habet, & magis ad idololatriam acce-

reditatem repudiauit: alia verò legata pendent ab hæreditatis aditione. n. 9.

Testamentum alioquin minùs solemne, quod ob piam causam conditum est, valet etiam quoad legata non pia, secundariò inserta: contrà autem, licet testamentum, vel alia voluntas minùs solemnis sit, & quoad alia nullius momenti, firma tamen est, quod attinet ad relicta causis pijs numero 10.

Testamentum, quod à patre, matre, aliòve ascendente inter liberos conditum est, ratum censeri debet, licet imperfectum, & iuris solemnitate destitutum sit. num. 11.

Licet extrinseca testamenti imperfectio, ob legalium solemnitatum defectum (vt puta si septem testes rogati, masculi, simul collecti &c. desiderentur) testamentum inter liberos non vitiet, secùs tamen est, si imperfectio testamenti intrinseca sit, videlicet si testator cœptum testamentum non perfecit, irrita tùnc est dispositio. Idémque dicendum, si vnus ex liberis præteritus, vel si vltima voluntas solo nutu significata fuit: talis dispositio, licet ad causam piam valeat, non tamen inter liberos. n. 12.

In testamento scripto inter liberos requiritur, vt & tempus conditi testamenti, & nomina filiorum, & portiones, in quibus instituti sunt, manu parentis exprimantur: testium tamen solemnitas non requiritur, modò testatoris manus cognoscatur. n. 13.

Testamentum, quod miles in bellica expeditione sine iuris solemnitate condidit, firmum est, etiam post missionem, si ille intra annum moriatur. n. 14.

Testamentum coram Principe oblato libello conditum, vel coram Iudice publicè insinuatum, aliam testium &c. solemnitatem non requirit. n. 15.

Hominibus rusticanis sufficiunt quinque testes, si plures in loco, vbi testamentum condere volunt, habere nequeant. n. 16.

Æquum est, vt si alicubi tempore pestis plures testes aduocari non possint, duorum præsentia ad valorem testamenti sufficiat, licet spectato iuris rigore aliud dicendum sit. num. 17.

In terris Summo Pontifici subiectis valet testamentum coram Parocho, & duobus, vel tribus alijs testibus conditum. n. 18.

Ciuilium legislatorum, vltimas minùs solemnes voluntates cassantium, intentio fuisse videtur, illis resistere ciuiliter tantùm, relicta interim obligatione naturali, quamuis inefficaci, quippe quæ per exceptionem ciuilis constitutionis elidi possit. lib. 1. tr. 4. c. 17. n. 1.

Iudex in externo foro hæreditatem adiudicare debet hæredi ab intestato, cúmque liberum pronunciare à soluendis legatis, ex testamento minus solemni, licet certum sit aliam fuisse testatoris voluntatem. n. 2.

Neque in conscientiæ foro hæres ab intestato soluere tenetur legata ex testamento imperfecto, ijs semper exceptis, quæ ad pias causas sunt. Etenim forum externum, si iustum est, non repugnat foro conscientiæ. n. 3.

Si hæres in testamento non solemni institutus, vel legatarius rem sibi relictam sine vi, fraude nactus est, ius retinendi habet, donec ciuili condictione indebiti ab ipso repetatur. n. 4.

Si hæredis fidei defunctus commiserat, vt aliquam rem alteri tradat, absque alia solemnitate obligationem contrahit. n. 5.

Idem homo vnius testamenti tanquàm minus solemnis cassationem petere, & postea ex alio minùs solemni hæreditatem, vel legatum capere non prohibetur, si nihil contra ipsum opponatur. n. 6.

Hæres institutus in testamento minùs solemni non potest occulta compensatione vti, si hæreditas in externo foro hæredi ab intestato adiudicata est. n. 7.

Omnibus hominibus libera est de bonis suis testandi facultas, nisi iure prohibeantur. c. 3. n. 1.

Testari prohibentur surdus simul & mutus à natura, prodigus, seruus, vsurarius manifestus, filiusfamilias de bonis aduentitijs, impubes, captiuus apud hostes: huius tamen testamentum iure postliminij conualescit, si ad suos redierit. n. 2.

Filius familias patre consentiente de bonis aduentitijs ad pias causas testari potest, imò etiam ad causas profanas mortis causa donare. eod. n. 2. casu 5.

Damnatis ad mortem permittitur ferme testandi libertas, eò quòd publicatio bonorum hodie non ita visitata sit, sicuti olim. casu 8.

Religionem professus testari non potest: si tamen ante Religionis ingressum, vel nouitiatus tempore testamentum condidit, per professionem non rumpitur, sed magis confirmatur: Monasterium tamen interim bonis fruetur, donec professus moriatur. n. 3.

Religiosus cui peculium concessum fuit, cum Prælati consensu mortis causa donare potest, licet testari, vel codicillum facere non possit. n. 4.

Religiosis Ordinum militarium testandi facultas ad causas pias concessa est, quæ frequenter etiam à Summo Pontifice conceditur alijs Religiosis, si extra claustrum Ecclesiasticum beneficium, præsertim Episcopatum, vel Cardinalatum obtineant, aut alia ratione extra claustrum viuant, & alantur bonis sua industria comparatis. n. 5. ad secundum.

Nouitij Religionum nullo iure testari prohibentur. numero 6.

Si nouitius de bonis suis nihil disponens professionem edat, succedit Monasterium. Si tamen descendentes, vel ascendentes habeat, ipsis portio legitima statim conferenda debetur. n. 7.

Potest tamen, si velit, seu ante, seu post professionem, bona sua inter liberos diuidere, dummodo Monasterio virilem etiam partem tribuat, siquidem Monasterium hoc casu veluti pro filio, & hærede suo reputatur. eodem numero 7.

Quod si inæqualis diuisio inter liberos instituatur, tantum Monasterio relinquendum est, quantum illi cui plus datum. num. 7.

Pater Religionem professus tutorem liberis dare non potest, cum eos in potestate iam non habeat: si tamen tutor legitimus non adsit, Iudex secundùm æquitatem approbabit tutorem à patre designatum. n. 8.

Probabilius est, quòd portio legitima statim à tempore professionis paternę filijs debeatur. Quòd si contrarium aliquis sentiat, fateri tamen debet, Monasterium suscipere, in se obligationem patris ad alimenta præbenda filijs, etiam illegitimis. Ibid. addendo 3.

Simili ratione si filius Religionem profiteatur, legitimam portionem parentibus relinquere debet: si tamen inter ascendentes filius disponere velit, id ante professionem facere debet. Addendo 4.

Si aliquis hæres, vel legatarius institutus fuerit ante professionem, sed hæreditas delata sit, vel legatum cesserit post professionem, acquiritur Monasterio. Secùs est, si hęreditas iure sanguinis Monacho ab intestato proueniat: tunc enim portio legitima ascendenti, vel descendenti danda erit, eò quòd veluti ante professionem bona acquisita censeantur. n. 9.

Nemo, per se loquendo, obligatus est ad testamentum condendum, sed interdum per accidens, ne alioquin lites, aliáue in commoda oriantur. n. 10.

Recta ratio, & proborum Christianorum exempla suadent, vt fideles proportione facultatum suarum, ad pias causas aliquid relinquant pro anima sua, ad quod etiam adhortandi sunt. Ibid.

Sed etsi testator prolem numerosam habeat, expedit tamen plerumque, ad piam causam legando Christum Dominum filijs cohæredem instituere, vt hac veluti liberorum commendatione, eorundem tutor, & contra omnes insidias protector existat. c. 5. n. 17.

Si bona

Si bona liberis ad sustentationem honestam omnino necessaria videantur, ea legatis etiam pijs minuenda non sunt. Non debet tamen hęc liberorum necessitas testatori cordato, atque in Deum confidenti maior apparere, quàm re ipsa sit, quominus saltem aliquam partem pauperibus pro anima sua relinquat. Ibid.

Ius naturę postulare videtur, vt testator vxori suæ, item fratribus, & sororibus aliquid relinquere cogatur, si indigentes sint, & tali legato seu relicto digni Dicto 4.

Si fratres, sorores, aliique cognati indigentes non sint, expedit ei qui necessarijs hæredibus orbatus est, vt propriam animam hæredem instituat, seu bona pauperibus aliisque causis pijs applicet. eod. n. 17. Dicto 5.

Si vxor, cognati, & amici querelas ac murmura sparsuri existimentur, quando nihil illis relinquitur, interdum hæc negligi possunt, interdum autem caueri consultius est; ita, vt legatis honorentur, hæreditate ipsa pauperibus, & alijs causis pijs relicta. Ibid.

Expedit magis diuitibus, vt bona quibus abundant tempore vitæ suæ in causas pias erogent, quàm vt testamento relinquant post mortem distribuenda. n. 18.

Expedit testamentum condere, non circa mortis agonem, sed dum ratio & sensus vigent. n. 19.

Plerumque non expedit, vt Confessarij, præsertim Religiosi, confectioni testamenti intersint, aut in particulari suadeant, quibus relinqui debeat: sed præstat, in genere tantùm commendare pias dispositiones, nisi testator consilium petens etiam in specie dirigendus sit. n. 20.

Testamentum reuocari potest vel per factum testatoris contrarium. videlicet si scriptum testamentum laceret, hæredis nomen deleat, sigilla de industria auferat, vel per aliud testamentum legitimè conditum. Sed etsi postea accidat, hæredem posterius institutum hæreditatem non adire, prius tamen testamentum irritum manet. c. 4. numero 1.

Prius testamentum legitimum per alterum minùs solemne non rumpitur, nisi in casibus exceptis, aut priuilegiatis. n. 2.

Si duo proferantur testamenta eodem die confecta, ex collatione vnius ad alterum conijciendum erit, vtrum eorum priùs conditum sit: alioquin vtrumque propter incertitudinem cassabitur, nisi in altero causa pia scripta reperiatur, vel hęres ab intestato succedens. eod. n. 2. §. Ad extremum.

Prius testamentum continens clausulam derogatoriam posterioris, non censetur reuocatum, nisi in posteriore testamento eiusdem clausulæ mentio fiat. n. 3.

Testamentarius executor.

Si nullus à testatore executor nominatus est, ad hæredem executio spectat: nisi quod in quibusdam casibus executio spectat: nisi quòd in quibusdam casibus executio ad Episcopum pertinet, communi iure. l. 3. t. 5. c. 11. n. 1.

Qui executor à testatore nominatus est, non cogitur hoc munus suscipere: priuandus tamen est commodo, quod ex dispositione testatoris ipsi prouenturum esset. Eademque ratio est, si tutor nominatus tutelam suscipere recuset. n. 2.

Executores testamenti à testatore constitui possunt vnus, vel plures siue ex hæredibus, siue ex alijs, non tantum masculi, sed etiam fœminæ: non tantùm laici, sed & Clerici, ac Religiosi. cit. n. 1. dicto 2.

Fratres Minores executores testamentorum esse non possunt, alij verò Religiosi non nisi cum licentia Prælati: Sed in Societate IESV requiritur ad hoc dispensatio Præpositi Generalis. n. 3.

Ipsimet Ordinum Prælati executores testamentorum esse non prohibentur: similiter Regulares, si extra obedientiam actualem viuant, Ecclesiæ seculari addicti. n. 4.

Si Religiosi claustrales testamenti executores fuerint, locorum Ordinarijs rationem reddere debent: à quibus etiam puniri possunt, si in executionis officio deliquisse reperiantur, quamuis alioquin à iurisdictione illorum exempti sint. Ibid. §. Porrò.

Si Religiosus contra canonum decreta executor testamentarius sit, acta eius nihilominus valent: sicuti & miles procurator in iudicio esse non debet, si tamen non repellatur, acta eius valida sunt. n. 5.

Clericus, vel Religiosus testamenti executor legatum inter pauperes, vel ad pias causas distribuendum Monasterio, vel Ecclesiæ suæ applicare potest. n. 6.

Executor legatum pauperibus relictum sibi ipsi applicare non potest, tametsi pauper sit: potest tamen tribuere consanguineis, etiam proprijs filijs, si verè indigentes sint. n. 6. & 7.

Legata ad causas pias ob incertitudinem loci, vel ecclesiæ, caduca non fiunt: sed plerumque ab executoribus dari debent ecclesiæ, vel Xenodochio pauperiori. n. 8.

Si aliquid absolutè, & sine expressione loci pauperibus, vel ecclesiæ ædificandæ legatum fuit, executio fieri debet in loco, vbi testator domicilium habuit, nisi peregrinus sit, vt domicilium eius ignoretur, vel multùm distet: tum dabitur pauperibus loci, in quo mortuus est, arbitrio Episcopi, si alius à defuncto executor designatus non est eodem n. 8. §. simili modo.

Si eleemosyna relicta fuerit distribuenda inter pauperes bonæ honestę famę, intelligitur de ijs, qui nulla infamia laborant: quare occultum crimen alicuius prodi non posset ad amouendum illum à petenda eleemosyna. Simile est, si dos virgini legata sit, & alicuius occultam fornicationem cognoris, non poteris eam prodere. l. 3. t. 3. p. 2. c. 3. n. 5. §. Sed statuamus.

Si quippiam absolutè relictum est pro pauperum alimentis, in arbitrio executorum, vel, si nulli executores constituti sunt, in arbitrio Episcopi esse videtur distribuere in eos qui verè pauperes sunt. Nomine autem pauperum intelligi debent, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium, non autem ea Xenodochia vel monasteria, quæ ex fidelium eleemosynis collectum annum victum sufficientem obtinent, suprà cit. n. 8. §. Præterea.

Si indeterminatè legata sit res à natura terminos non habens, sed ex arte, industria hominis, sufficit dare, quod in eo genere pretij nimini est: nisi coniectura sumi possit, aliud testatorem voluisse. Idque etiam in legatis pijs locum habere, improbabile non est. n. 9.

Legata pia, si ad vsum à testatore destinatum applicari nequeant, ad alium pium vsum adhiberi debent. n. 10.

Legata ad alium vsum contra, aut pręter defuncti voluntatem applicari non possunt, nisi per dispensationem Summi Pontificis ex iusta causa. Interdum tamen ad Episcopum, atque hæredem, vel executores, pertinet interpretari, non alienum fore à voluntate defuncti, si mutatio fiat. n. 11.

Hæres, aliique executores, si negligant, aut longo tempore differant soluere legata, præsertim pia, grauiter peccare censendi sunt. n. 12

Hæredem, vel executorem negligentem, si laicus sit, vterque Iudex Ecclesiasticus, & secularis, compellere potest ad exequendas vltimas voluntates defunctorum n. 13.

Si quis sine testamento decessit, nullo, vel incognito relicto hærede, qui secundùm leges ab intestato succedat, tunc eius bona ad filium deuoluuntur, præterquam si perigrinus, seu hospes, cuius hæredes ignorantur, alicubi intestatus moriatur: nam huius bona ita vacantia ab Episcopo loci in pias causas erogari debent. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 24.

Testamentaria substitutio, seu fidei commissum.

Substituere est in locum hæredis alium statuere: quod dupliciter fieri potest, directè ac indirectè. 3. l. t. 5. c. 9. n. 1.

Hæres fideicommisso grauatus quartam Trebellianicam deducere potest, nisi fideicommissum sit respectu causæ piæ. n. 2.

Testator prohibere potest, ne Trebellianica à fideicommisso detrahatur; sicuti etiam potest, ne Falcidia à legatis

detrahatur. Nam Falcidia & Trebellianica æquiparantur. eodem num. 2.

Præter quatuor substitutiones, videl. vulgarem, pupillarem, exemplarem, fideicommissariam; sunt aliæ duæ mixtæ. n. 3.

Hæres fideicommisso grauatus, si sine liberis decesserit, profitendo Religionem hæreditatem Monasterio acquirit, nisi aliam testatoris voluntatem fuisse expresse, vel ex coniecturis appareat. Quamuis etiam hoc casu Monasterium fideicommisso frui possit, dum professus viuit, nisi euidens adsit coniectura, noluisse testatorem, vt ad Monasterium deueniat, sed semper penes familiam maneat. num. 7.

Si obligatus hæreditatem alteri restituere, relegetur, eiúsque bona publicentur, fiscus in fideicommisso succedit, dum ille naturaliter viuit, præterquam si testator prohibuerit, ne bona fideicommissi extra familiam maneant. Ibid. §. Confirmatur.

In donatione quoque inter viuos veluti fideicommissum interuenire potest, videlicet, si quis rem alteri donet, ea lege, vt post transactum tempus, vel conditione aliqua eueniente alteri tradat: quo casu res vinculata esse dicitur, quia alienari non potest, nisi vel ipsi donator, dum res adhuc integra est, vel ille in cuius fauorem dispositio facta est, adiectum grauamen reuocet. n. 4.

Testes.

In omni causa Ecclesiastica & seculari, ciuili & criminali ad plenam contra alterum probationem præter actorem vel accusatorem requiruntur, ac sufficiunt duo testes, si idonei sint, & omni exceptione maiores. l. 3. t. 5. c. 2. n. 4. & eod. l. 3. t. 6. c. 4. n. 3.

Testes aliquando requiruntur ad solemnitatem & substantiam, vt in testamentis, interdum verò requiruntur tantùm ad rei gestæ fidem faciendam: quare si alicui veritas nota sit, v. g. mutuum sibi datum fuisse, non debet requirere testes. l. 3. t. 5. c. 2. n. 3. corol. 2.

Laicorum testimonium contra Clericum in criminalibus communiter non admittitur, vt sufficiens ad probationem plenam, nisi crimen exceptum sit, vel aliter probari non possit, quia v. g. in villa commissum coram solis laicis. cit. c. 4. n. 3. §. His adde.

Testis debet esse distinctus ab accusatore, imò etiam à denuntiatore. Verùm in quibusdam causis, vt quibus agitur de peccato impediendo, v. g. ne matrimonium cum impedimento contrahatur, denuntiator in testem etiam admittitur: item in causis leuibus creditur denuntianti Officiali, sicuti alij testi. Ibidem.

Testes debent esse omni exceptione maiores. Inprimis autem à testando repellitur inimicus eius, contra quem agitur: imò etiam in criminibus exceptis, v. g. hæresi, læsæ maiestatis crimine, &c. in quibus alioquin inhabiles admittuntur, inimicus repellitur, si inimicitia grauis sit. numero 4.

Repelluntur etiam consanguinei, & affines eius, pro quo testimonium dandum est, verùm in ciuilibus causis, si non arduæ, & multùm præiudicantes sint, tales personæ admittuntur. Ibid. §. Secundò.

Domestici eius, qui testes producere debet, in causis cùm ciuilibus, tum criminalibus non admittuntur, nisi in defectum, si veritas aliter cognosci nequeat, v. g. in causa adulterij. Dicuntur autem domestici alicuius vxor, filij, serui, quin & liberti, famuli conductitij, & alij familiares; saltem si eis aliquo modo imperare possimus. §. Tertiò.

A testando repelluntur infames infamia iuris: quia testimonium iudiciale inter actus legitimos numeratur, à quibus infames arcentur. Sed neque infames infamia facti ad testificandum in causa criminali, aut ardua ordinariè recipiuntur, sed interdum in defectum aliorum testium. Verùm in causa ciuili non ardua laborans infamia facti admittitur, quamuis minor ei fides habeatur. Ibid. §. 4.

Persona vilis & inops, si de ea Iudicis arbitrio suspicio sit, quòd pecunia corrumpi potuerit, ad testificandum non admittitur. §. Quintò.

Pagani, Iudæi, & à Fide Apostatæ contra Christianum testificari non permittuntur. §. Sextò.

Socius criminis ad testificandum non adhibetur, nisi in criminibus exceptis, & talibus, quæ sine socio non admittuntur, tunc eius testimonium fidem facit, sicut alterius hominis vilis, infamis aut suspecti. §. Septimò.

In causa propria, videl. cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine spectat, nemo vt testis admittitur: Prælatus autem & Clerici in causa Ecclesiæ suæ non prohibentur esse testes, quia non censentur moueri commodo proprio. §. Decimò.

In causis præsertim ciuilibus si Reus nihil excipiat, non obstat, quin Iudex interdum Actoris familiares seu domesticos ad deponendum testimonium recipiat. Ibid.

Testes debent esse iurati: alioquin ijs non creditur in præiudicium alterius; nisi ille cuius interest, iuramentum sponte remittat. Ibidem, n. 5.

Testes debent deponere de sensu, videl. se vidisse Titium occidentem, audiuisse blasphemantem. Si enim deponant de auditu, ideóque non de ipso crimine, sed de fama criminis, licet duo, pluresue sint, non ostendunt facinus commissum esse, sed tantùm eius indicium afferunt, quod interdum sufficit ad probationem semiplenam. Ibid.

Testes debent testari de eodem facto in particulari: sin autem testentur de diuersis actibus, diuerso tempore commissis, dicuntur testes singulares, quorum testimonium plenam criminis probationem non facit, sed magnam præsumptione, quæ sufficiat ad torturã, & interdũ ad pœnam extraordinariam inferendam, eod. n. 5. §. Interim.

In ciuilibus causis testes deponentes de pluribus factis particularibus, ad vnum finem tendentibus sufficere possunt ad plenam probationem: vt si in controuersia de possessione iuris decimandi vnus deponat de tritico, & alius de hordeo viso à se decimari. Idque etiam in criminali causa quandoque locum habere potest. Ibidem.

Dictum vnius testis idonei sæpe dat iustam & probabalem credendi causam; quamuis non afferat credendi necessitatem. eod. n. 5. qv. 3.

In quibusdam causis non iudicialibus, nec præiudicantibus alteri, item in ijs quibus agitur de impediendo peccato v. g. in denuntiatione impedimenti matrimonij, inhabilitatis ad ordines, & Ecclesiastica beneficia, admittitur testimonium vnius. Sin autem ius alicui acquisitum sit, v. g. matrimonium contractum, vel electio, aut collatio beneficij facta, tunc ad rescindendum, aut irritum declarandum, opus est probatione plena. n. 6.

Vnus testis de visu omni exceptione maior ordinariè in externo foro facit probationem semiplenam, quæ in criminalibus ad torturam sufficit. n. 7.

Si vnus testis deponat non de ipso crimine, sed de indicio criminis, efficitur probatio semiplena solius indicij; nisi plures testes singulares de diuersis indicijs, ijsque propinquis testentur, tum efficere poterunt probationem semiplenam ipsius criminis, eod. n. 7.

Testis à competente Iudice legitimè interrogatus veritatem fateri obligatus est. n. 8.

Si testis legitimè examinatus tergiuersari, variare, & veritatem per malitiam celare videatur, interdum torqueri potest. §. His adde.

Si crimen occultum sit, ita vt nulla publica de eo indicia adsint, non tenetur aliquis testificari. n. 9.

Si quis crimen merè præteritum alteri sub sigillo secreti reuelauit, probabilius est, non posse eius reuelationem à Iudice impetrari. eod. n. 9. casu 3.

Si quis notitiam delicti, alteriusue secreti per iniuriam acceperit, v. g. literas aperiendo, vel hominem per vim cogendo ad reuelandum, tunc ne Iudici quidem interroganti prodi potest. casu 4.

Si ex testificatione tibi, vel tuis notabile damnum in-

pendeat, non teneris testari, nisi crimen Reip. perniciosum sit, & alia ratione impediri non possit. casu. 6.

Parentes contra liberos, & liberi contra parentes in testimonium non vocantur, exceptis criminibus valde atrocibus, si alij testes haberi non possint: Sed nec frater contra fratrem, gener aduersus socerum; aut socer aduersus generum ordinariè cogi possunt ad testificandum, nisi in criminibus exceptis, & interdum in subsidium. n. 10.

Personæ exemptæ aut priuilegiatæ non coguntur esse testes, volentes tamen admittuntur: deinde in aliorum testium defectum etiam tales personæ testificari debent. Clerici tamen coram suo Iudice, & non nisi eo consentiéte, coram seculari, præsertim in causis criminalibus. ibid.

Si testis, aut denuntiator testimonium suum reuocet, probabilem erroris sui rationem adferens, audiri debet. lib. 3. tr. 6. c. 5. n. 21.

Iudex plerumque æstimare non debet reuocationem denuntiationis post latam sententiam condemnatoriam denuntiantis, etsi is morti proximus reuocet. ibid. n. 22.

Timor.

Timor Dei alius filialis est, & Charitatis actus, si quis peccatum committere vereatur, qui à Deo summo bono repugnat. Alius verò est timor seruilis; si quis peccatum patrare timeat, quia reatum pœnæ à Reo infligendæ secum adfert. lib. 5. tr. 4. c. 10. n. 10.

Seruilis timor gehennæ, si sit motiuum principale obseruationis legum, ita, vt si gehenna non esset, peccare velles, malus ac vitiosus est. Sin verò timor gehennæ non sit causa principaliter finalis, sed secundaria, seu impulsiua tantum, bonus est, quamuis imperfectus. eod. n. 10. & lib. 1. tr. 2. c. 6. n. 9.

Si quis à peccato patrando se contineat timore pœnæ ab hominibus infligendæ, mundanus timor dicitur, & est secundùm se indifferens, si non sit causa principalis obseruationis legum, sed tantùm secundaria. cit. n. 10.

Timiditas Fortitudinis virtuti opposita, est peccatum duntaxat veniale per se loquendo, per accidens interdum mortale. lib. 3. s. 3. n. 8.

Transactio.

Est de re dubia & controuersa non gratuita pactio. l. 3. tr. 4. c. 31. n. 1.

Transactio differt à pacto seu remissione gratuita, quæ etiam amicabilis compositio dicitur: nam qui ita paciscitur, rem liberaliter donat, seu remittit. l. 4. tr. 10. cap. vlt. n. 55.

Si pars transigens sciat nullum sibi in re ius competere, tam in conscientiæ, quàm externo foro, transactio irrita est, vel saltem doli mali exceptione rescindenda. Sin post transactionem bona fide factam instrumenta & probationes reperiantur, vitiari aut rescindi non potest suprà cit. num. 1.

Qui in transactione bona fide facta immodicè læsus est, rescissionem petere non potest, nisi læsio sit valde enormis, ita vt præsumi possit dolum interuenisse. num. 2.

Transactio inter partes sine metu ac dolo facta, parit exceptionem litis finitæ, perinde ac si res in iudicio decisa sit. Ibid.

Qui alienare rem prohibentur, ij nec transigere, aut compromittere circa eam possunt. n. 3.

Si tamen prælatus, aut quilibet administrator ita transactione peragat, vt non sit periculum rei alienandæ, sed potiùs acquirendæ, subsistere potest transactio, etiam circa rem immobilem, aut mobilem pretiosam, quæ seruando seruari possit, v. g. si transactio ita instituatur, vt res maneat Ecclesiæ, vel pupillo, & causa finiendæ litis pecunia tradatur. n. 4.

In casu necessitatis bona alienari prohibita per transactionem, aut compositionem in alium transferri possunt, præsertim cum Principis consensu. Ibidem. §. Denique.

Transigere in crimine publico, cui sanguinis pœna imponi solet, prohibitum non est, in alijs verò criminibus cum accusatore transigens pro confesso habetur, excepto crimine falsi. n. 5.

Non valet transactio facta sine Iudice de relictis in testamento, nisi inspectis verbis testatoris. n. 6.

Transactio super alimentis in futurum debitis ex vltima voluntate, si sine Iudicis auctoritate fiat, irrita est, nisi ita instituatur, vt per eam conditio alimentarij melior fiat, aut nisi transactio iuramento confirmetur. eod. num. 6. §. Quartò.

Si transactio circa vnam, vel plures res particulatim fiat, non extenditur ad alias eiusdem causæ controuersias non contentas, nisi connexæ sint. n. 7.

Licet transactio generalibus verbis concepta videatur, restringitur tamen ad rem seu causam, de qua inter partes actum erat: imò in omni dispositione clausula generalis refertur ad ea de quibus tractatus præcessit. num. 8. §. Limitatur.

Valde consultum est Christianis, vt orta inter eos controuersia transactioni, vel amicabili compositioni, aut arbitrum iudicio causam committant potiùs, quàm vt iudicaria lite se fatiguent. §. ad extremum.

Iudex in causa valde dubia transactioné partibus suadere debet: sed ad eam compellere non potest, nisi sit Iudex supremus, qui in tali causa liberam disponendi facultatem habet, v. g. Papa in beneficijs Ecclesiasticis, vel si partes diu litigauerunt, quia causa valde dubia est, vt difficile sit eam definire. n. 9.

Si diuisio hæreditatis v. g. inter fratres instituenda sit, ad maiorem natu pertinet ex æquo diuidere, ad minorem eligere. n. 10.

Tributum.

Tributum latè acceptum significat omne id, quod Principi, vel Reip. penditur, ad onera communia sustinenda, qua acceptione etiam vectigal comprehendit, & pedagium. Sin autem strictè accipiatur, est pensio, quæ subditis imponitur Magistratui soluenda, vt dignitatem & onera Reip. sustinere possit. l. 3. tr. 3. §. 1. c. 3. princ. & num. 1.

Duplex est tributum, vnum, quod singulis capitibus, siue personis imponitur, non facultatum proportione, sed ferme tantùm in recognitionem dominij, idque *capitatio* dici solet: alterum est tributum, quod secundùm propriam facultatum æstimationem à subditis soluitur, idque diuiditur in ordinarium, quod certam quotannis recurrentem ex communi lege præstationem habet, & in extraordinarium, quod propter superuenientem causam seu necessitatem imperatur, & dicitur *collecta*. eod. n. 1.

Ad iustitiam tributi, aut vectigalis tria requiruntur: legitima imponentis auctoritas, causa iusta, modus impositionis, vt secundùm cuiusque facultates fiat. num. 2.

Etiam in ijs rebus quæ ad necessarium familiæ vsum inuehuntur, vectigal statui potest, vbi consuetudo obtinuit. n. 3.

Tributum, & vectigal directè tantùm à subditis exiguntur, indirectè verò, & per accidens etiam ab extraneis. n. 4.

Quædam tributa sunt, quæ fundis tanquam reales obligationes adhærent, ideóque ad quamuis possessorem, etiam non subditum transeunt. eod. n. 4. & lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 5. §. Porrò, & n. 6.

Si tributum iustum existimetur, solui debet, tametsi Officialis per errorem, vel similem causam non exigat: secùs est, si iniustum esse existimetur, vel si de eius iustitia non immeritò dubitetur, vt quia est nouiter impositum, & de eius auctoritate, titulo, aut iustitia causæ non satis constat, tum subter fugere licitum est, modo absit scandalum, mendacium, ac periurium. cit. c. 3. n. 5.

Officiales iussi exigere tributum, de quo dubitatur an iustum sit, parere non prohibentur, sed Consiliarij impositionem, vel auctionem tributi, aut vectigalis suadere non possunt, nisi eius iustitiam affirmatiuè cognoscát. n. 6.

Officiales cum pauperibus quandoque dissimulare possint. n. 7.

Si Princeps, vel Magistratus populum tributo iniusto grauet, restituendi obligationem contrahit. n. 8.

Tutor, Curator.

Triplex est tutela; testamentaria, legitima, & datiua. Qui in testamento à patre tutores dati sunt, reliquis præferuntur: Sin testamento nullus tutor assignatus est, accersandi sunt proximi agnati, aut cognati, tanquam tutores legitimi: denique si nec legitimus idoneus adsit, à Iudice tutor pupillo dandus est. l. 3. t. 4. c. 9. n. 3.

Si mortuo patre superstit auus ex linea virili, qui demortuum in potestate habuerat, & consequenter etiam eius liberos, alio ipsis tutore opus non est. Ibid. §. Denique.

Non tantùm pater, sed etiam extraneus quilibet, qui impuberem hęredem instituit, tutorem ei dare potest: debet tamen is cum inquisitione confirmari, eodem numero 3. princ.

Matri, & auiæ paternæ ante omnes agnatos & cognatos ius tutelæ permittitur, si recipere velit. Repellitur tamen primò, si ad secundas nuptias transeat, secundò, si luxuriosam vitam ducat, quę etiam causæ sunt, cur matri pupilli educatio negari possit. Ibid. §. Porrò.

Tutores, & curatores etiam inuiti esse coguntur: quia est vnum ex publicis muneribus, à quibus lex ordinariè neminem immunem esse vult. Verùm iustæ causæ allegatione apud Magistratum onus tutelæ declinare concessum est. cod. n. 3. §. Tutores.

Clerici cogi non possunt ad suscipiendam tutelam, præterquam personarum miserabilium: si aliæ personæ idoneæ non reperiantur: Sed à Religiosis omnino alienum est tutelæ munus. n. 4.

Si Clerici velint tutelam legitimam tanquam proximi cognati suscipere, non prohibentur. eod. n. 4.

Tutor pupillo datur vsque ad tempus pubertatis. Si tamen tutor rationes tutelæ non offerat, nec pubes factus contradicat, officium administrationis ille retinet. n. 2.

Minor natu in iudicio seu Actor, seu vt Reus sine tutore, aut curatore non admittitur, præterquam in causis spiritualibus, puta Ecclesiastici beneficij, matrimonij, & his annexorum. eod. n. 2. differentia 2.

Tutor, sicuti & curator, cum primum Iudicis auctoritate interueniente bonorum administrationem suscepit, inuentarium conficere debet, deinde operam dare vt ex bonis immobilibus fructus prouueniant, pecunia quoque in annuos reditus conuertatur: alioquin restituere cogetur, quod ab eo non sine culpa neglectum fuit. eod. num. 2. §. Tutor.

Tam tutor, quàm curator bona administrare debent tali cura, qualem diligens paterfamilias proprijs bonis adhibere solet. eod. c. 9. n. 1.

Vt tutor, aut curator omnem à se fraudis suspicionem amoueat, cousultum ei est, vt propinquorum consilio in bonorum administratione vtatur. n. 2.

Pro cura seu administratione prohibitum est tutori salarium accipere, nisi ei à Iudice constitutum sit. Ibid.

Tutor & curator ob legum constitutionem in fauorem illorum factam, quasi ex contractu obligantur, vt culpam etiam seu negligentiam leuem præstare teneantur, non minùs, quàm voluntarij negotiorum gestores. l. 3. t. 4. c. 7. n. 5. in fine.

V.

Vasa, & vestes sacræ.

In altari, dum Missæ sacrificium peragitur, debet esse linteum, seu mappa linea extensa super mensem altaris, deinde altera mappa seu palla linea, quam decet quidem, sed necesse non est duplicatam esse: quare satis est, si sit vna mappa continua, sed duplicata, quæ corporali subiecta sit. l. 5. t. 5. c. 6. n. 10. assert. 2.

Palla quæ calici superponitur, ipsúmque corporale benedicta esse debent ab Episcopo, vel alio habente Sedis Apostolicæ priuilegium. n. 11.

Reliquas etiam mappas quę corporali subiectæ sunt, decet esse benedictas: Et ita consuetum est, quamuis absolutè non necessarium. Quare si celebrataro Missam mappa benedicta præstò non sit, fas erit alia munda lintea corporali substernere, quę deinde sicuti priùs, vsibus profanis applicari possunt. eod. n. 11. in fine.

Purificatorium ex lino factum, & benedictum esse oportet. n. 12. ornam. 6.

Calix, & patena ex materia aurea, argentea, vel, si paupertas postulet, saltem stannea esse debet, non item ex ligno, lapide, ferro, ęre, aurichalco, vitro. n. 12.

Calix, & patena non debent fieri ex plumbo Verùm pedem calicis nihil prohibet ex cupro, aut plumbo confectum esse. eod. n. 12. §. Sed dubium.

Si quis Ecclesiæ calicem legauerit, interpretari oportet de calice argenteo: quia præsumitur legatus calix, qui ad cultum diuinum magis idoneus est, ob reuerentiam sacramenti: nisi fortè in Ecclesia, ad quam legatum fuit, præsertim ab homine paupere, vel rustico, stannei calices esse soleant. l. 4. t. 4. c. 3. n. 4. §. Loquimur.

Calix & patena ab Episcopo consecrata esse debent, & chrismate vncto. Abbates verò aliqui ex consuetudine immemoriali eadem potestate gaudent suprà cit. c. 6. n. 12 §. Debent.

Vestes & paramenta sacra altaris à simplici sacerdote benedici non possunt, sine priuilegio sedis Apostolicæ. Sed Abbates qui pontificalia exercent, talia benedicere solent, etiam corporalia. lib. 5. tr. 9. c. 13. n. 10.

Sacræ vestes integræ, & mundę esse debent: quod multò magis sentiendum de calice, patena, corporali, purificatorio, quippe quę proximè corpus, aut sanguinem Christi contingunt: quare plures arbitrantur, peccatum mortale esse, in vestibus, aut vasis valde immundis celebrare, suprà cit. c. 6. n. 15.

Episcopus, vel Ordinis Prælatus ob causam infirmitatis licentiam dare potest sacrificandi capite operto amictu, vel pileolo, præsertim vsque ad consecrationem: imò si causa ita celebrandi manifesta sit, & scandalum absit, non est opus Episcopi dispensatione. n. 16.

In casu quo manipulus, vel stola haberi non potest, manipulus pro stola, vel stola pro manipulo inseruire, & accommodari potest, cùm eandem benedictionem habeant. Quamobrem si ex stola manipulus conficiatur, opus non est noua benedictione. n. 17.

Licet non magna necessitas vrgeat, celebrari potest sine crucifixo, vel cum vna mappa benedicta. cod. n. 17.

Licet communi Ecclesiarum consuetudine receptum sit, vt lumen sit geminum, & in cera, ob causam tamen, etiam non valde grauem, celebrari potest cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, modò scandalum absit. cod. n. 17. in fine.

Sacra vasa, videlicet calix, patena, corporale, ciborium, dum in ijs continetur corpus, vel sanguis Christi, à nemine præter Sacerdotem sine graui culpa tangi possunt. n. 18. q. 2.

Sacra vasa, si vacua sint, item quæ consecrata, & chrismate vncta, vt altare, cereos agnos, fas non est laicis, & Sanctimonialibus attingere. Cuius tamen rei trangressio, si contemptus absit, culpa tantùm venialis est, imò si rationabilis causa suadeat, nulla culpa erit. n. 19.

Corporalia, & purificatoria, antequam laicis dentur, à Diacono in pelui ad id preparata lauari, & aqua lotionis in sacrarium effundi debent. Quod de prima saltem ablutione accipiendum est, vbi consuetudo viget, vt fœminæ, præsertim sacratæ corporalia & purificatoria à Ministro leuiter lota iterum lauent, & perficiant. §. Propter.

Corporalia, & purificatoria post lotiomem, antequam ad Sacrificium denuo adhibita sunt, etiam à laicis, sicuti aliæ

pallæ benedictæ, cum reuerentia tangi possunt. eod. n. 19. §. His adde.

Consuetudo Ecclesiarum est, vt nemo, qui saltem subdiaconus non sit, sacra vasa contingat, nisi causa aliqua suadeat. Ordines verò Medicantium priuilegium Sedis Apostolicæ habent, vt omnes eorum Regulares, dum suorum Superiorum voluntate in proprijs ecclesijs sacristę officio funguntur, omnia paramenta, sacra vasa, & corporalia reuerenter tangere, ac lauare possint. eod. n. 19. Dicto 3.

Alias vestes, & pallas benedictas, quæ nec immediatè corpus & sanguinem contingunt, nec sacro chrysmate vnctæ sunt, cum reuerentia tangere omnibus, etiam laicis, concessum est. Sed ad vsus profanos adhiberi non debent, licet vetustate absumpta, vel lacerata sint, quin potiùs igni absumenda. n. 20.

Valde decens est, & pluribus locis vsitatum, vt pyxides, & ciboria, in quibus sacrum chrisma, vel hostiæ consecratæ asseruari solent, priùs benedicantur, quàm ad eum vsum admodum sacrum adhibeantur. Veruntamen, tametsi pyxides, item lunula, quæ sacrem Eucharistiam immediatè contingit, benedicta sint, quia tamen chrismate non vncta, ideo priusquam ad sacrum corporis contactum adhibentur, tam à laicis, quàm Clericis tangi possunt. numero 22.

Venatio.

Feræ animantes sub nullius dominio sunt: ideo primò acquirenti naturali iure acquiruntur. l. 3. t. 1. c. 5. n. 12.

Si fera vulnus acceperit, vt certò constet, percussoris manus effugere non posse, eidem tradenda est: Sin autem dubium sit, inter vtrumque diuidenda, secundùm dubij proportionem. Ibid. §. Illud.

Si vnus aui laqueum tetendit, alter extraxit, ei danda videtur, qui laqueum posuit, quando certò eam capturus fuisset, nisi alter extraxisset. Idid. §. Simile dubium.

Si princeps ius venandi in locis publicis iustò aliquo titulo proprium sibi vendicet, alijs meritò interdicit. Sed venatores ob primam decreti præuaticarionem corporali pœna afficere non potest. n. 13.

Iniquus venator captarum ferarum dominium sibi acquirit, licet de damno illato in conscientiæ foro teneatur. num. 14.

Venatio Clericis prohibita est, præsertim quæ cum armis, & tumultu instituitur. n. 15.

Si princeps lege lata subditis venationem prohibeat, nulla interueniente pactione, aut renuntiatione ipsorum, obligatus est ad damna cauenda, & illata ipsis resarcienda: secùs, si per liberum populi consensum, vel simili titulo iusto Princeps ius venandi, vt proprium acquisiuit. n. 16.

Semper tamen princeps in conscientia obligatus est ad cauenda damna immodica incolarum, quando videl. consideratis omnibus circumstantijs, & habita boni publici ratione non tanti æstimanda est Principis recreatio, quam ex multiplicatione ferarum capit, vt propter eam permittendum sit damnum multorum subditorum. eod. n. 16. §. Quæres secundò.

Veneficæ, Sagę.

Plures fœminæ, quàm viri veneficijs obstrictæ sunt. lib. 3. tr. 6. c. 5. n. 17.

Sagas ad veram pœnitentiam conuertere difficile, sed non impossibile est. n. 18.

Confessarius agendo cum sagis à Iudice captis, aut condemnatis, magna prudentia vti, & multa efficacia media adhibere debet. Ibid. n. 19.

Sagæ tenentur eiusdem criminis reos, quos nouerunt, Iudici prodere. n. 20.

Confessarius frustra plerumque laborabit, si post sagæ supplicium Iudici significet, eam reuocasse denuntiationes. n. 23.

Etsi Confessarius ex sacramentali Confessione colligat mulierem metu tormentorum crimen confessam re ipsa innocentem esse, tamen Iudicem de ea re monere non expedit. numero 25.

Iudex mulieres de maleficio suspectas capere, & torquere debet, secundùm indiciorum grauitatem. n. 26.

In criminibus exceptis tametsi Reus confessus non sit, damnari potest, propter multiplicatas denuntiationes personarum infamium: sed id locum habere non videtur in condemnatione sagarum, cùm denuntiantes non sint contestes eiusdem criminis in particulari. n. 27.

Consuetudo apud Christianos est, vt venefici, & similes Rei ad ignem damnati, non lenta morte crucientur, nisi impœnitentes decedant. n. 28.

Licet ordinariè crimina, eorúmque pœnæ morte extinguantur, id tamen locum non habet in exceptis, cuiusmodi est crimen hæresis, &c, quod illi æquiparatur, crimen veneficij: In eiusmodi Reus conuictus, aut confessus etiam post mortem damnari potest. n. 29.

Saga in carcere priùs mortua, quàm crimen confessa, vel de eo conuicta sit, si nihil aliud obstet, in loco sacro sepeliri debet. n. 30.

Sagæ quæ de crimine nec conuictæ, nec confessæ sunt, post mortem publica sentencia infamari non debent. numero 31.

Sacra Eucharistia, & sacra sepultura sagis negari non possunt, si iudicio adhuc pendente in carcere decedant. num. 32.

Sacra Eucharistia ad sagas, & alias eiusmodi personas cum minore solemnitate deferenda est. n. 33.

Vicarius.

Vicarius Generalis Episcopi ex eodem, cuius vicem gerit, tribunali iurisdictionem ordinariam exercet in diœcesanos: quare ab illo ad Episcopum appellari non potest, quia appellatio est ad Iudicem diuersum. l. 1. tr. 4. cap. 7. numero 18.

Officium Vicarij generalis non multùm discrepat ab officio Archidiacono. Ibidem.

Mortuo, vel deposito Episcopo iurisdictio Vicarij generalis expirat: per excommunicationem verò Episcopi, etiam Vicarij iurisdictio suspenditur, tametsi causa cœpta sit: in quo differt à Iudice delegato, cuius potestas ob mortem, vel excommunicationem delegantis non cessat quoad negotia cœpta. n. 19.

Iurisdictio Vicarij generalis communi iure, & nisi maiorem potestatem Episcopus conferat, non se extendit ad meras & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus, denuntiationibus matrimonij &c. eod. n. 19. §. Porrò.

Officium Vicepriorіs, Vicequardiani, quin & quorundam Vicariorum forensium, mortuo, vel deposito principali non expirat. Quia ordinariam iurisdictionem habent. num. 20.

Vicarius Generalis licet beneficia Ecclesiastica conferre non possit, sine speciali concessione, sicuti nec præsentare ad beneficium, cuius patronus Episcopus est, potest tamen præsentatos instituere, electos confirmare, cùm hi actus necessitatis, ac iustitiæ sint. l. 4. t. 2. c. 10. n. 6.

Simili ratione potest Vicarius conferre beneficia vacantia ex causa permutationis, si habeat ab Episcopo facultatem recipiendi resignationes. Ibidem.

Virginitas.

Est perfectissima castitas, continens firmum propositum integritatis, ac puritatis perpetuò conseruandæ, gratia honestatis. l. 3. sect. 4. n. 7.

Virgo alia integra est sola carne, alia integra est sola mente, alia denique tam carne, quàm mente. n. 8.

Quæ animo corrupta, sed carne integra est, virginitatem per pœnitentiam recuperare potest, atque inter sacras virgines velari. Ibid. §. Virgo.

Virgo animo integra, sed violata post stuprum, virginitatis laudem retinet, sed à volo consecrationis abstinere debet, & ad prælaturam non ascendere. cit. n. 8.

Probabile est, quòd mulier voluntariè polluta post

pœnitentiam inter virgines consecrari, ac velari possit. Ibid. dicto 11.

Si mulier, quę occultè, vel per vim corrupta est absque sui infamatione à sacro virginitatis velo abstinere nequeat, Episcopus eam consecrare potest, vsurpando vocem virginitatis, pro voce castitatis. n. 9.

Confessarius mulieri, quæ occultæ fornicata, aut vim passa est, dicere debet, (præsertim dubitanti, & quærenti) si Monasterium ingredi velit, quòd à velo consecrationis abstinere debeat, si consuetudo ibi vigeat virgines professas consecrandi. cit. n. 9. § Ex dictis.

Virtus.

Virtus hominis dicitur ea dispositio, qua & ipse bonus, & propria eius operatio bona efficitur. l. 3. f. 1. n. 1.

Virtutes aliæ intellectuales sunt, & aliæ morales. n. 2.

Virtus moralis est habitus electiuus secundùm mediocritatem, quatenus prudens definierit. n. 3.

Virtute nemo abuti potest, sed arte abuti quisque potest. num. 2. in fine.

Virtus in medio consistit, vitia autem ad extrema tendunt: quare maior vitiorum, quàm virtutum numerus est. num. 4.

Vnctio.

Extrema vnctio est nouæ legis sacramentum, à Christo institutum, & à S. Iacobo Apostolo promulgatum. lib. 5. tr. 8. c. 1. n. 1.

Sacramentum Extremæ vnctionis est consummatiuum Pœnitentiæ, ideóque credibile est, hæc duo sacramenta simul instituta fuisse. n. 2.

Patres de Sacramento Extremæ vnctionis testimonia præbent. n. 3.

Materia remota Extremæ vnctionis est oleum oliuarum, quod ab Episcopo benedictum esse debet. c. 2. n. 1.

Oleum extremæ vnctionis debet esse simplex, non mixtum balsamo: quod si mixto oleo, seu chrismate conferatur hoc sacramentum, incertum est, an valeat, tamen nihil repeti debet. n. 2.

Tria olea sacra in Cœna Domini Presbytero dantur, oleum Catechumenorum, oleum infirmorum, & chrisma. n. 3.

Oleum vetus superueniente nouo post Cœnam Domini, in lampadibus ecclesiæ ante Venerabile sacramentum ponendum, & comburendum est. n. 4.

Materia proxima huius sacramenti est vnctio saltem quinque sensuum, facta manu Sacerdotis. Pedum verò & renum vnctiones non sunt de essentia sacramenti. n. 5.

Si infirmus manibus careat, vngenda est caro propinquâ. num. 6.

Sacramenta omnia cum sanctæ crucis figura ministrari solent. num. 7.

Forma Extremæ vnctionis deprecatoria esse debet. c. 3. num. 1.

Non pertinet ad essentiam huius sacramenti, vt verborum forma ad singulos sensus repetatur: quare in necessitatis casu breuior forma vsurpari potest. n. 3.

Subiectum capax huius sacramenti est solus homo baptizatus, qui rationis vsum adeptus est, & ex morbo vita periclitatur. c. 4. n. 1.

Pueris Extrema vnctio dari potest, etiam antequam ad S. Eucharistiam admittuntur. n. 2.

Morituris, si in phrenesin, aut amentiam inciderunt, Extrema vnctio danda est, si antè Christianè vixerunt, secùs, si in peccato mortali notoriè constituti erant. n. 3.

Expedit dare Extremam vnctionem, cùm periculum mortis ex infirmitate probabile est. n. 4.

Extrema vnctio iterum conferri potest, si infirmus postquam raualuisse videbatur, in periculum mortis recidat. numero 5.

Sacramentum Extremæ vnctionis principaliter institutum est contra peccatorum reliquias, minus principaliter ad sanitatem corporis, si animæ expediat, conferendam. cap. 5. numero 1.

Peccatori, quem Sacerdos existimat attritum fuisse, antequam in phrenesin incidit, Extremam vnctionem ministrare potest. num. 2.

Extrema vnctio est sacramentum totius vitæ consummatiuum. n. 3.

Effectus gratię sacramentalis confertur, cùm sacramentum essentialiter constitutum est. n. 4.

Sacramentum Extremę vnctionis non videtur consistere, & effectum operari, donec omnes quinque sensus vncti sunt. n. 5.

Solus Sacerdos potest esse Extremæ vnctionis Minister. c. 6. n. 1.

Extremam vnctionem extra necessitatis casum licitè non administrat Sacerdos, si nec Pastor sit, neque à Pastore, seu, Ordinario licentiam habeat. n. 2.

In casu necessitatis plures Ministri esse possunt, quorum vnus vnum, alter alterum sensum simul vnguant. n. 3.

Nullum præceptum extat sacram vnctionem accipiendi, cum ad salutem necessarium non sit. c. 7. n. 1.

Propter contemptum, vel scandalum secuturum, fieri potest, vt peccatum mortale sit, Extremam vnctionem intermittere. n. 2.

Parochus ratione officij sui sub peccato mortali obligatur ad ministrandum Extremæ vnctionis sacramentum petentibus. n. 3.

Si periculum in mora sit, statim ad ipsas vnctiones, quippe sacramento essentiales, accedendum est. c. 8. n. 1.

In dubio, num adhuc viuat qui vngendus est, sub conditione sacramentum ministrari potest. n. 2.

Sacerdotes infra palmam, vel in exteriore manus parte vngi solent. n. 3.

Nihil obstat, sacrum Viaticum dari etiam post acceptam Extremam vnctionem. n. 4.

Vnctio Sacerdotum est accidentalis quædam cæremonia, eáque antiquissima. lib. 5. tr. 9. c. 12. n. 4.

Voluntarium.

Voluntarium interdum latè accipitur, vt idem sit quod spontaneum, & omnibus cognoscentibus substantijs competit, interdum verè propriè, & vsitatiùs pro eo, quod à voluntate, seu intellectualis substantiæ appetitu est, idque diuiditur in necessarium, ac liberum. l. 1. t. 2. c. 3. n. 1.

Voluntarium diuiditur I. in elicitum, & imperatum. II. in id, quod est à voluntate propria, & quod est voluntarium voluntate aliena. III. diuiditur in voluntarium expressum, ac tacitum. IV. in voluntarium actu, & voluntarium virtute. V. in id, quod directè, ac per se voluntarium est, & quod indirectè, siue in alio. eod. n. 1. & seqq.

Tacens consentire videtur, si agatur de eius commodo, secùs, si de incommodo. n. 3.

Tacens consentire censetur, si consentire nolens contradicere debeat. §. Secunda.

Reus à Iudice legitimè iussus ad ea quæ objiciuntur respondere, si taceat, fateri præsumitur. Ibidem.

Prælati scientia, & patientia consensus æstimatur, si contradicendo absque scandalo, alteriúsue mali periculo impedire possit, non item, si facilè impedire non possit. §. 3.

Vt actio virtute voluntaria dicatur, debet initio imperata fuisse ab interno actu liberæ voluntatis, eiúsque imperio, & motionis vi hucusque durare. n. 4.

Si homo voluntariè exerceat actionem, ex qua prouidet secuturum effectum, etsi cum directè non intendat, tamen indirectè voluntarius censetur. n. 5.

Vt effectus ex operatione tanquam causa secutus, voluntarius censeatur, necesse est operantem aduertisse ad periculum, seu probabilitatem secuturi effectus: nam si nullam de effectu cogitationem suscepit, neque in seipso neque in causa sua voluntarius censebitur, quippe nullo modo præuisus, sed ex naturali inaduertentia proueniens. §. Circa hanc.

Homo tunc solùm peccat, cùm causam mali effectus voluntariè præbet, non autem peccat, cùm positâ causâ,

effectum eius impedire ampliùs non potest. cit. n. 5. & 6.

Si quis secuturum effectum impedire non velit, quem potest, ac debet impedire, indirectè voluntarius ei censetur. n. 7.

Qui consultò prætermittit, aduersus eam virtutem peccat, ex cuius præcepto impedire obligatus est. n. 8.

Quod est indirectè voluntarium, minùs propriè, ac perfectè voluntarium est, consequenter si circa obiectum malum versetur, minùs culpabile est, quàm si formaliter, directè, ac per se volitum esset. eodem numero 8. in fine.

Qui Christianam perfectionem sectantur, quàm maximè cauere debent, vt nullum peccatum plena voluntate, seu animi deliberatione committant. l. 4. t. 4. c. 2. n. 2.

Ex diuersis causis voluntas de eodem obiecto materiali gaudere, & tristari potest. lib. 2. tr. 3. c. 10. n. 3. & 4.

Omnis nostra voluntas recta est, quæ & quatenus diuinæ voluntati conformatur. eod. n. in fine.

Votum.

Est promissio deliberatè Deo facta, de meliore bono. lib. 4. t. 4. c. 1. n. 1.

Qui vouet animo se obligandi Deo, quamuis non exequendi, verè obligatur. n. 2.

Fieri potest, vt aliquis peccârit temere vouendo, v. g. abstinentiam à vino, tamen voto obligetur. Ibidem §. Obijciet.

Tantum voluntarium requiritur ad voti obligationem, quantum ad mortaliter peccandum. n. 3.

Ad votum non sufficit voluntas indirecta in causa sua, sufficit tamen voluntas virtualiter permanens in effectu. num. 4.

Votum editum ex ignorantia, aut errore tollente voluntarium nullius roboris est. n. 5.

Votum propriè loquendo soli Deo editur. n. 6.

Quod voto promittitur, debet esse in potestate vouentis. c. 2. n. 1.

Irritum est votum nunquam ne venialiter quidem peccandi: valet tamen votum nullum peccatum cum plena deliberatione committendi. n. 2.

Si pars voti impossibilis sit, quę in sensu composito seu dependenter à toto promissa fuit, corruit totum votum: secùs est, si partes plures in sensu diuiso promissę fuerunt, tunc pars vna possibilis propter alteram impossibilem non vitiatur. n. 3.

Si quis plura vota, eáque incompossibilia edidit, seruare debet quod dignius est, alioquin prius præfertur posteriori. n. 4.

Qui vouit, aut iurauit se non editurum vota sine Confessarij consilio, si postea non adhibito consilio aliquid voueat, nihilominus eo voto obligatur. n. 5.

Opus quod voto promittitur, debet esse moraliter bonum, rem autem malam Deo promittere peccatum est, num. 6.

Finis paruus tenens se ex parte rei promissę vitiat votum, secùs, si teneat se ex parte vouentis. n. 7.

Si quis ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel in gratiarum actionem pro re illicita acquisita opus eleemosynę v. g. voueat, irritum est votum. eodem numero 7. §. Sin autem.

Valet votum dandi eleemosynam, si ex fornicatione, vel adulterio prolem susceperis, aut si in duello illicito superatus non fueris. ibid. §. Præterea.

Opus secundùm se indifferens non potest esse materia voti, nisi fine bono cohonestetur. n. 8.

Opera præcepta materia voti esse possunt. n. 9.

Votum rei secundùm se bonæ propter finem merè indifferentem inualidè concipitur. n. 10.

Materia voti debet esse opus melius, quàm sit eius oppositum. n. 11.

Matrimonium ordinariè non potest esse voti materia, sed in certis tantùm casibus. n. 12.

Plerumque illicitum est, matrimonium eo animo contrahere, vt postea deserta, ac decepta coniuge, Religionem quis ingrediatur, aut profiteatur. n. 13.

Validum est votum non acceptandi Episcopatum, nisi necessitas cogat. n. 14.

Quod quis voto promisit, prestare obligatus est. Imò etiam in externo Ecclesiastico foro vouens ad executionem compelli potest. c. 3. n. 1.

Transgressio voti ex genere suo mortalis, rationæ materiæ paruæ venialis efficitur. n. 2.

Votum in dubio interpretandum est secundùm naturam, & conditiones rei promissę. n. 3.

In dubio votum interpretandum est, quatenus minorem obligationem affert. n. 4.

Votum sine temporis determinatione editum executioni mandari debet, cumprimum commodè potest. numero 5.

Obligatio voti personalis est, & ad aliam personam non transit. n. 6.

Si Communitas votum Deo edidit, posteri eorum non obligantur ex Religionis virtute. ibid. Corol. 1.

Factum alienum voueri non potest, sed intentio vouentis esse censetur, curaturum se, vt alius faciat. n. 7.

Vouens se ieiunaturum, non satisfacit, si alteri persuadeat vt pro ipso ieiunet. n. 8.

Si vouens impotens fiat implendi voti sui, non debet aliam personam substituere. n. 9.

Triplex est votum, personale, reale, & mixtum. n. 10.

In voto mixto ex reali & personali, attendi debet, quidnam principaliter promittere animus fuerit: nam accessorium trahitur à principali. n. 11.

Ad vouentis hæredem, post aditam hæreditatem transit obligatio votorum realium, non item personalium. n. 12.

Hæres non tenetur vota, & legàta pia præstare vltra vires hæreditatis, imò neque cum diminutione legitimę necessarijs hæredibus debitę. n. 13.

Vota mixta non tenetur hæres implere, nisi, quod in eis reale est, per se, ac dependenter à personali obligatione, defunctus promiserit. n. 14.

Qui vouit se quotidie recitaturum Pater, & Aue, ita vt oratio cuiusque diei onus sit, etsi toto anno intermittat, peccat multoties venialiter, sed nunquam mortaliter. l. 1. tr. 3. c. 5. n. 8.

In voto reali, puta quotidie dandi paruam eleemosynam pauperibus, censetur vouens se obligare, si vno, aut pluribus diebus intermittat, postea compensaturum: quare in talis voti obligatione mortaliter peccari potest. ibid. num. 9.

Melius, magisque meritorium est opus ex voto, quàm sine voto. cit. lib. 4. tr. 4. c. 4. n. 1.

Necessitas implendi voti non minuit voluntatis libertatem. num. 2.

Pœnitentia voti editi, si efficax non sit, nihil culpæ habet. num. 3.

Omnis homo viator, si rationis vsum habet, validè vouere potest. c. 7. n. 1.

Vota ante septimum ætatis annum concepta, irrita censentur, nisi probabilissimę coniecturæ suadeant, sufficientem rationis vsum in tenera illa ætate non defuisse. ibid.

Ecclesia in quibusdam votis certam formam, seu conditionem requirit, qua non obseruata, irrita sunt. num. 2.

Votum pœnale, & conditionale.

Votum pœnale dicitur, cùm quis minimè affectus est ad rem quam in pœnam vouet, sed ideò eam promittit, si crimen commiserit, vt retrahatur à crimine. c. 5. num. 1.

Si opus principale illicitum, vel impossibile fiat, aut eius præstandi obligatio per dispensationem tollatur, cadit etiam obligatio pœnæ. n. 2.

Ignorantia, vel obliuio excusans à culpa, itidem excusat ab annexa pœna. n. 3.

Votum, si imposterum blasphemiam dixero, dabo in

eleemosynam vnum aureum, plerumque intelligitur toties, quoties peccatum commissum fuerit. n. 4.

Votum conditionatum imperfectam & suspensam obligationem continet. c. 6. n. 1.

Promissiones, & vota, postquam validè edita sunt, conditiones non recipiunt. ibid. §. Demum.

Non peccat vouens, si oppositam conditionem euitet, vel impediat, ne voti obligationem contrahat. Nisi lege aut præcepto obligatus sit ad conditionem seruandam, tunc peccabit contra Religionis virtutem, nisi seruauerit. num. 2.

Qui aliquid Deo vouet, vel homini promittit sub conditione consensus paterni, statim obligatur, si pater consensum præbeat, licet postea dissentiat. Contrà, statim, obligatione liberatur, si pater dissentiat, licet postea consentiat. num. 3.

Etiam si aliquis dolo efficiat, vt apposita voto conditio non impleatur, obligationem subterfugere videtur. numero 4.

Voti irritatio.

Vota quædam non omnino firma sunt, sed irrita reddi possunt, quatenus cedunt in præiudicium potestatis alienæ. l. 4. t. 6. c. 7. n. 3.

Religiosus, & impubes magis subsunt, ille Prælati, hic patris, vel tutoris potestati, quàm vxor marito, filiusfam. pubes patri &c. n. 4.

Actiones Religiosi, quæ secundùm se bonę sunt, partim absolutè voueri possunt, partim verò non sine dependentia à consensu Prælati. n. 5.

Prælatus Ordinis omnia vota Regularium irritate potest, excepto eo, quod est transeundi ad Ordinem strictiorem, vel quod ipsa Ordinis institutio postulat. n. 6.

Vota Religiosi circa actiones bonas, & absolutè non prohibitas, sed solùm ne sine Prælati licentia perficiantur, tacitè in se hanc quoque conditionem continent, si Superior consenserit, siue licentiam dederit, quam proinde petere tenetur: sed non videtur necessarium, vt Prælato significet se vouisse opus, cuius licentiam petit. cit. num. 6. assert. 4.

Si Religiosus opus pium vouit, quod sine Prælati licentia exequi non potest, debet eam petere: sed non videtur necesse, vt votum suum explicet. n. 7.

Summus Pontifex vota Regularium directè infirmare potest, secularium non item. num. 8.

Prælatus Ordinis vota Nouitiorum simpliciter ac directè irritare non potest: quamuis dispensare possit, si à iurisdictione Episcopi exemptus est. num. 9.

Vota impuberis omnia pater directè irritare potest, & in eius defectum auus paternus, & mater, imò etiam Ludimagister, secundùm quosdam. n. 10.

Vota ab impubere edita, etiam post pubertatem, à patre irritari possunt, si ea pubes factus non confirmauit: idémque sentiendum de tutore. n. 11.

Maritus non omnia vxoris vota, sed ea tantùm rescindere potest, quæ, & quatenus iuri suo præiudicium adferunt: similiter & vxor vota mariti. n. 12.

Pater non omnia vota filij puberis irrita reddere potest, sed ea tantùm, quæ patriæ potestati pręiudium adferunt. num. 13.

Etsi Superior licentiam dedit, nihilominus votum rescindere potest, multò magis successor. n. 14.

Votum continentiæ, cum coniugis consensu approbatiuo editum, irritum deinde reddi non potest. n. 15.

Votum vxoris de non petendo coniugij debito, à marito nequit rescindi, quamuis sine eius consensu editum sit. num. 16.

Votum impuberis, etsi à patre, vel tutore approbatum sit, nihilominus reuocari, & rescindi potest n. 17.

Si Superior sine iusta causa votum subditi irritum pronuntiet, peccat venialiter: similiter, si datam licentiam voti exequendi reuocet. n. 18.

Vota quæ directè & absolutè irrita facta sunt, non reuiuiscunt sublato statu subiectionis: secùs si tantùm indirectè & per accidens rescissa sunt. n. 19.

Voti extinctio, relaxatio.

Votum extinguitur, si tempus elapsum sit, quod vouens determinauit, causa obligationis restringendę, finiendæ: vt si vouisti te ieiunaturum pridie Natiuitatis B. Virginis, eóque die intermisisti, postea voto solutus es: secùs dicendum, si tempus definitum fuit, causa obligationis confirmandæ, vt vltra id executionem differre non liceat: si v. g. vouisti intra mensem Religionem te ingressurum esse. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 1.

Cessante causa finali, ac principali, cessat obligatio voti: vt si vouisti te peregrinaturum pro impetranda valetudine filij, is verò ante institutam peregrinationem moriatur. n. 2.

Votum extinguitur ob mutationem materiæ, si ex possibili fiat impossibilis, vel ex licita illicita, vel ex bona indifferens, maiorísue boni impediens. n. 3.

Votum conceptum de re impossibili, aut illicita non obligat, etiamsi postea possibilis, aut licita fiat. ibid.

Votum extinguitur, si notabilis postea mutatio accidat, vt pręsumi possit vouentis intentionem ad eiusmodi euentum seu casum specialem se non extendisse. ibid. §. 4.

Si voueris templum te ædificaturum, ac postea in paupertatem incidas, cessat pro eo tempore obligatio voti: Sin autem ad meliorem fortunam peruenias, voto iterum obligaris. §. Oportet.

Dispensatio in votis vt valida sit, causam iustam requirit: in quo differt à voti irritatione, quæ illicita quidem est, tamen non inualida, si absque causa iusta fiat. numero 4.

Si votum subditi v. g. Religiosi à Prælato superiore confirmatum fuerit, non potest deinde inferior & subordinatus Prelatus illud irritare, potest tamen ex iusta causa dispensare. ibid.

Causæ dispensandi in votis oriuntur, vel ex imperfectione actus, vel ex materia, aut executionis eius difficultate, vel ex necessitate, aut vtilitate, præsertim publica. n. 5.

In dispensatione super voto tria præcipuè attendenda sunt: quid liceat secundùm æquitatem, quid deceat secundùm honestatem, quid expediat secundùm vtilitatem. eodem num. 5. in fine.

Episcopus, & Prælatus exemptus in omnibus votis subditorum dispensare potest, præter quinque Summo Pontifici specialiter reseruata. n. 6.

In votis reseruatis Episcopus dispensare potest, quando est impedimentum adeundi Summum Pontificem, & necessitas cogit maturare dispensationem super voto. Verùm talis dispensatio non ampliùs se extendit, quàm necessitas postulat: v. g. si Episcopus in voto continentiæ cum aliquo dispensauit, vt matrimonium contrahere liceat, talis nihilominus contra votum peccabit, si extra matrimonium fornicetur, vel, eo soluto, ad aliud sine noua Pontificis dispensatione transeat. n. 16.

Episcopus ob casum necessitatis dispensare potest, tametsi Legatus Pontificius in prouincia sit. Si tamen adsit, qui speciale priuilegium, aut commissionem habet dispensandi in votis reseruatis, aut lege Pontificia, vel absoluendi à censuris, seu casibus Papalibus, multorum est sententia, Episcopum dispensare, vel absoluere non posse. num. 17.

Per commutationem voti obligatio non tollitur, sed ad aliam materiam transfertur. n. 18.

Vouens propria auctoritate votum commutare potest in opus melius, non item in æquale, sed necessaria, tunc est auctoritas Prælati, aut Priuilegiati. n. 19.

In vota, quibus homo Religiosus efficitur, omnia vota simplicia commutantur. ibid. §. Sed hinc.

Qui habet priuilegium dispensandi in votis, aut iuramentis, ea etiam commutare potest. n. 20.

Priuilegia commutandi, vel dispensandi in votis intelliguntur sine præiudicio tertij. n. 21.

Ante voti acceptationem factam à certa persona, aut Ecclesia, non censetur ei ius acquisitum: quare sine iniuria aut præiudicio dispensari, vel in aliud commutari potest. ibid.

Vt voti commutatio in opus æquale, aut minus, licita ac valida sit, necessario aliqua causa requiritur. n. 22.

Commutatio in opus æquale, aut ferme æquale, facili de causa ab habente potestatem fieri potest, ad petitionem vouentis. num. 23.

Qui habet priuilegium vota commutandi tantùm, debet commutare in opus æquale, moraliter rem æstimando. num. 24.

Vota realia ferme conuenientiùs in onera realia, personalia autem vota in personalia onera commutantur. n. 25.

Votum tum pœnale, tum absolutum, etiam post eius trangressionem, vel contractam pœnam, commutari potest. num. 26.

Qui habet priuilegium, seu delegatam facultatem dispensandi, vel commutandi vota fidelium, non potest talem facultatem alteri sub delegare. Potest tamen Confessarius priuilegiatus dicere: *Commuto tibi hoc votum in opera, quæ vir ille doctus tibi designauerit, cuius sententiæ te stare volo*, numero 27.

Post factam commutationem voti in arbitrio vouentis positum est vel votum exequi, vel opus illud, in quod commutatio facta fuit, vel denique ab alio potestatem habente nouam commutationem petere. eod. numero 27. addendo 3.

Si opus, in quod commutatio facta est, postea inutile, vel impossibile fiat, quamuis non sine vouentis culpa, omnino is liberatur, neque cogitur votum suum implere, quippe quod per legitimam commutationem extinctum est. num. 28.

Qui vouerat peregrinationem, idque votum postea in Religionis professionem commutauit, si postea è Religione eijciatur, non tenetur peregrinationem perficere. numero 29.

Per vota simplicia in Societate Iesu edita, priora in seculo emissa, ante professionem suspensa manent, non penitus extincta. num. 30.

Vsura.

Vsura est lucrum ex mutuo: quare vbi mutuum non reperitur, vsuræ locus non est. l. 3. tr. 4. c. 16. n. 1.

Lucrum vsurarium est, quicquid temporale, ac pretio æstimabile vltra sortem mutuò datam accipitur, quasi ratione mutui ex iustitia debitum sit. n. 2.

Vsura est, si alicui mutues cum pacto, vt remittat tibi obligationem restituendi ipsi famam, quam iniustè læseras, vel vt mutuatarius actione iniuriarum abstinere obligatus sit. §. Quamobrem, & §. Simili.

Vsura non est, nullo mutuare alteri v. g. pecuniam, nisi is vicissim mutuò det frumentum. Sed vsura est, dare alicui mutuò, obligatione ipsi imposita, vt & ipse futuro tempore mutuare, aliúdve officium præstare debeat. numero 3.

Contractus iste conductionis est, non vsurarius, si mercator indigenti mutuare pecunias nolit, sed conducat operas eius ad futuram messem mercede pecuniaria nunc anticipata. eod. num. §. Porrò.

Nihil prohibet, quominus contractui mutui in futurum instituendo accidentaria grauamina vicissim adijciantur, modò ea vtrinque æqualia sint: v. g. obligo me ad mutuandum tibi pecunias, si vicissim te obliges ad emendum à me merces. ibid. dicto 3.

Vsurarius non est, qui ob speratam remunerationem mutuò dat, aliàs non daturus, nisi id speraret. Sed obligatio remunerandi in pactum iustitiæ propter mutuum deduci haud potest. num. 4.

Vsura alia est realis, in qua lucrum ex mutuo in pactum deducitur expressè, vel tacitè, alia autem est mentalis, si mutuans in pactum non deducat, speret tamen lucrum sibi offerendum esse, tanquam ratione mutui debitum sit. num. 5.

Iterum diuiditur vsura, quòd alia est aperta, quæ in mutuo expresso fundatur, alia verò palliata alterius contractus nomine, ac specie veluti pallio occultatur: vt si mercator ob dilatam solutionem pretij mercem cariùs distrahat: aut si emptor ob anticipatam pretij solutionem mercem minoris emat. eod. n. 5.

Si deponas apud alterum pecuniam data ipsi facultate vtendi, eo pacto, vt propterea obligatus sit pretium aliquod soluere, non est contractus depositi, sed palliata vsura. ibid. exemplo 3.

Omnis vsura illicita est non solùm Ecclesiastico iure, sed etiam diuino, ac naturali. num. 6.

Vsurarius non comparat dominium rerum per vsuram acceptarum. num. 7.

Christiani Principes Iudæis subditis suis prohibere debent vsuras: interdum tamen maioris mali vitandi causa non immeritò permittuntur. Tunc verò aduersus iustitiæ legem haud dubiè peccabit Magistratus, si vsuras ipsis permittant cum obligatione magni tributi soluendi, cùm idcirco vsurarij vsuras augere, & pauperes magis opprimere cogantur. eod. n. 7. Corol. 2.

Mutuo alij iusti tituli adijci possunt, quibus vltra sortem aliquid accipere licitum sit: videl. lucri cessantis, damni emergentis pœnæ conuentionalis &c. n. 8.

Si mercator pecunias voluisset negotiationi exponere, ideo verò abstinuerit, quia sciuit multos mutuò petituros non est improbabile, etiam hoc casu compensationem lucri cessantis postulari posse. §. Addunt.

Pro sola carentia pecuniæ, siue mera obligatione non repetendi v. g. ad annum nullum auctarium exigi potest. §. Ceterùm.

Etiam ob periculum probabile sortis amittendæ aliquid iustè exigi potest. n. 9.

Necesse tamen est, vt lucrum cessans damnum emergens, vel sortis periculum in pactum deducatur, expressè, aut tacitè. num. 10.

Qui in Italia dicitur *mons pietatis* ab vsuræ iniquitate defenditur. num. 11.

Ista pactio iusta est; dabo tibi mutuos mille aureos, priuando me commodo, quod ex ijs percipere volebam, vt in eius compensationem tu tenearis pro me creditori meo vsuras soluere. eod. n. 11. §. Quartò.

Si mutuans nauigaturo periculum sortis in se suscipiat, ratione huius grauaminis, aliquid in conscientiæ foro accipere potest, nihil obstante c. nauiganti de vsuris. n. 13.

Licitum est mutuare frumentum in autumno, vt restituatur tempore verno si æquale dubium sit, plúsne, an minùs tunc valiturum sit. Secùs, si quasi certum sit, eius precium auctius fore: nisi in hoc casu ratio lucri cessantis excuset. num. 14.

Si moraliter certum sit, valorem monetæ extrinsecum secundùm se auctum iri, non est licitum in censu redimibili pacisci, vt pretium emptionis eadem monetæ specie restituatur: secùs autem est, si valor monetarum per accidens augeatur, propter intrinsecam diminutionem minutiorum pecuniarum. n. 15.

Si mercator mercem, quam pretio summo vendidit, postea pretio minore redimat, interdum ab vsura excusari potest. n. 16.

Contractus antichriseos secundùm se illicitus, accessorijs titulis cohonestari potest. n. 17.

Venditio cum pacto redemptionis licita est: & potest pretium emptionis minui, vel augeri, propter obligationem impositam redimendi, aut reuendendi. n. 18.

Maritus donec ei dos soluatur, fructus ex pignore sinso tis diminutione percipere potest. n. 19.

Proprietarius ex oppignarato sibi feudo, vel emphyteusi,

fructus absque sortis ex oneratione percipit. n. 20.

Pœnæ vsurarijs canonico, & ciuili iure decretæ sunt. n. 21.

Vsusfructus, Vsus, Habitatio.

Vsusfructus est ius vtendi, ac fruendi re aliena, salua eius substantia. l. 3. t. 1. c. n. 1.

Vsufructuarius differt ab vsuario, quòd ille fructus omnes ex re frugifera percipere possit, etiam pensiones ex ædificijs, areis, venationum quoque, ac piscationum prouentus, non item vsuarius. n. 2. & n. 6. §. Vsus.

Vsusfructus propriè non constituitur in rebus, quæ vsu absumuntur, videlicet in pecunia, frumento, vino. numero 3.

Vsufructuarius non potest vsumfructum in alterum sine domini consensu tranferre. At verò commoditatem, seu vtilitatem rei alteri cedere, vel locare non prohibetur, sed non vltra vitam ipsius vsufructuarij. n. 4.

Impensæ, quę ratione fructuum percipiendorum fieri debent, collectæ, item tributa, & similes reales præstationes vsufructuario incumbunt. eod. num. 4. §. Porrò.

Morte ipsius vsufructuarij naturali, aut ciuili, extinguitur vsusfructus; cùm sit ius personale num. 5. §. Quartò.

Si Communitati relictus sit vsusfructus, centum annis durare debet: quia hic finis est vitæ hominis longæ. Ibid.

Si vsufructuarius Religionem profiteatur, bonorum immobilium, ac redituum capacem, vsusfructus ad Monasterium deuoluitur: Sin autem profiteatur Religionem incapacem stabilium redituum, vsusfructus cum proprietate consolidatur. n. 6.

Religiosus ante professionem in ordine incapaci testari non potest de vsufructu, cum eius professione ad proprietarium redeat, sicuti nec testari potest de legato annuo quod in singulos annos cedere debet: potest tamen testari de eo legato, quod iam cessit, sine ipsi pleno iure acquisitum fuit. ibid. in Corol.

Vsus propriè dictus in ijs tantùm rebus locum habet, quæ vsu non absumuntur, non item in pecunia, poculentis, esculentis &c. At verò vsus imperfectus, & dependens à domini libera voluntate etiam in rebus vsu absumptibilibus, separatus ab earum dominio, constitui potest. cit. n. 6. in fine, & n. 7.

Religiosi in particulari nullum dominium habent, sed merum vsum librorum, vestium &c. cúmque imperfectum, & dependentem à Prælato, qui sine iniuria quamcumque eiusmodi rem ab ipsis repetere, vel auferre potest; Sed Fratres Minores etiam in communi talem paupertatem profitentur: cit. n. 7. in fine.

Ius habitandi plus aliquid est, quàm merus vsus ædium. Nam habitatori ius competit ędes alteri locandi, pretiúmque locationis accipiendi, quod tamen mero vsuario permissum non est, sed solùm vt ipse cum familia sua inhabitare possit. num. 8.





INDEX RERVM, QVÆ IN REPERTORIO, IPSOQVE OPERE CONTINENTVR.

DEO, OPT. MAX. HONOR, LAVS, & gloria sempiterna, AMEN.


FINIS.

A 067/1129


UNIVERSIDAD DE SEVILLA

600149889

i23772116



67

Layman. Theol. Moral. P. 2


129


colorchecker CLASSIC




















calibrite
mm